IN EPISTOLAM B. PAVLI APOSTOLI AD PHILIPPENSES

Commentarij & Adnotationes,

AVCTORE

P. IOANNE ANTONIO VELAZQVEZ

ABVLENSI, SOCIETATIS IESV,

In Regio Salmanticensi Collegio Sacrarum litterarum olim interprete.

Ad Excellentissimum Principem

D. D. PETRVM FERNANDEZ DE CASTRO

Comitem de Lemos, Andrade & Villalua, Marchionem de Sarria, Neapolitani Regni Proregem.

Cum Indice & copia ad conciones per totum annum.

Dell Conuento della M.a della Schala



LVGDVNI,

Sumptibus IACOBI CARDON.

M. DCXXVIII.

CVM SVPERIORVM PERMISSV.

Excellentissimo Principi

D. DOMINO PETRO

FERNANDEZ DE CASTRO

Comiti de Lemos, Andrade, & Villalua, Marchioni de Sarria, Domino de Noya, &c. Indiarum primum, deinde summi Italiæ Senatus Præsidi, Neapolitani Regni Proregi,

IOAN. ANTONIVS VELAZQVEZ

è Societate IESV.

DEDICATIO POSTHVMA.

QVONAM piaculo (EXCELLENTISSIME PRINCEPS) ad hanc vsque lucem in communi nostræ Reipub. iactura proprius mœror funesta æternum tui obitus memoria de primis doloris acerbitatibus nulla temporis diuturnitate remittens, intra silentij metas, mœsto stupore defixum, ignauo penè otio, & velut inerti silentio continuit indulgentem? Silui, gloriosissime Princeps, sed habui silentij magistrum; otij ducem: nam vt in non absimili clade Nyssenus: *Conueniens lugentibus remedium silentium esse videtur, quippe dolore æstuantem, & efferuescentem animum, spatio temporis, ac mœrore intercedente, per quietem, ac diuturnitatem mitigat; nam si quis calamitate etiam nunc animum incendente, sermonem ingerat, mœroris vulnus curatu difficilius fiet mentione rerum acerbarum, veluti spinis quibusdam laceratum recrudescens:* siue etiam vt Nysseni germanus frater Basilius oratione de mœrore, & tristitia philosophatur. *Vt oculo inflammato etiam mollissimum medicamentum molestiam exhibet, sic etiam & animo, qui grauitate calamitatis ardet, quamuis multam consolationem afferat sermo, molestus tamen quodammodo esse solet, si tum cum in dolore sumus, proferatur.* Ne igitur æstuantis tristitię fluctus sęuiores cierem, mentem tanto mœrori iussi insuescere, & voti reus hæsi circa mœstissimam tuę mortis imaginem. *Nil enim* (vt mei iam silentij ducem proferam) *in tam tristibus rebus melius facere, in animum induxeram* (dicebat Ambrosius) *quam, si fieri posset, me ipsum abdere: sed quia in secessu aliquo delitescere, & sacerdotio exire non poteram, vel silentio intra me latebam,* nulli iam par labori; postquam benignioribus fortunæ auspiciis immaturum fatum in ipso huius libri ortu inuidit, quem prius gloriosa tui nominis protectione orbatum, quam ipsa hac communi luce donatum dolens vidi, & acerba sorte perculsus velut malis auibus ominatum opus dereliqui: *Quippe languet circa memoriam iactura animus, & disturbata arma non repetit.* Igitur & linguę, & calamo funestus mœror, potius tui amor silentium indixit, vt *qui rectè* (fatur Nyssenus) *magnitudine cladis animaduersa luctum silentio honorare vellet.*

Greg. Nyss. orat. de obitu Placilla.

Basil orat. 12. de mœrore, & tristitia.

Ambros. ep. 34.

Senec. Pater Suasor 5.

Nyssen.

Sed iam rumpit silentij otia idem amor, surgit mens ad tuas laudes, & errat circa pręclarissima tuę lucis monumenta in tutelam ęui immortalis proiecta, quę ideo silentio subduco,

vt fidem meam liberem, neque enim ex magno Athenarum areſto (cui ſapientiæ candidatus lubens morem gero) operam Reipub. nauare fas mihi hoc ære alieno obſtricto: Athenis enim eos, quorum nomina in ærarium relata erant, ne Rempub. capeſſerent, prius quam debitum diſſoluerent, feueriſſima lege cautum reperi. Nec iſta ſolum ratio hærentem me excitauit; fatear voluiſſe animo, in hac magnarum virtutum memoria, imitandum poſteris proceribus præbere exemplar, vt futuri aliquando Principes noſtræ ætatis gloriam demirentur, & generoſæ æmulationis iure iura principum à te vno petant, quem natura effinxit ad exemplum reliquorum.

Them. oratio. 14.

Meam orationem non ſubmittam ad illum ruborem, quo te natura mortalem exornauit: ceſſit iam moleſtus ille labor, quo nobis te ſuperſtite perpendendum erat, quid de inuſitata magnarum laudum ſegete ad tuas aras appendi poſſet, quò dum tuis auribus conſultum ibamus glorijs, geſtis, virtutibus, ſilentij, venerationiſque noctem offundi taciti dolebamus, ne ipſum quem in te pudorem laudabamus violaremus; à noſtris enim oculis iam amolita mortalitas apertum ſinit orationis campum. En igitur, Princeps immortalis, ſacrum tibi ab ipſis incunabulis opus voti memores ſiſtimus, & auguſtam omni æuo victuri tui nominis tutelam noſtro operi ætatem conciliantes felici futurorum argumento ambimus, nec ſine cauſa in opere eruditionis, & ſapientiæ præſidiis deſtituto: nam *omnibus ſua decora ſunt, Athenæ eloquentia inclytæ ſunt, Thebæ ſacris, Sparta armis*, nos tua protectione, quam laboribus, & priuato ſudori præponimus ex rationis præſcripto. Quæ enim vnquam laus, quod decus à te, vel à tuæ familiæ proceribus vnquam abfuit? Clariſsimi ſtemmatis originem perſequi non ſanè mei inſtituti alienum iudicarem, ni ſtultum eſſet, fulgentiſsimo Soli mortale lumen inferre. *Magnorum fluminum ortus nauigabiles eſſe*, teſtatur parœmia vetuſtior. Conuolet igitur mens in clariſsimum gentis tuæ caput, in pelago regiæ nobilitatis orationi vela permitte: nam

Sen. Pat. Suaſor. 2.

Lucan. lib. 5. Pharſ.

Nulli paruum licuit te Nile videre.

Sed ne certiſsimæ veritati, notiſsimæque facem præferre videamur, Hiſpanos faſtos huius laudis vindices ſignamus, dum in conſortium tantæ nobilitatis nullam non veniſſe virtutem demonſtro. Te ab ipſo partu excepere feliciſsimæ virtutes in ipſarum vlnis circumlatus, iis moribus animus tinctus fuit, qui robuſtiorem iam, & magnum principem ab illa ætate ſunt ſecuti. Nec cœca, aut ſopita fuit maiorum induſtria: reptaſti in purpuris, ſed non antea palatum, quam os fuit inſtitutum, ſapientiæ fortunato omine, quæ te aliquando auctore ipſius clariſsimo myſta Regiæ erat ingreſſura limina. Quam videre videor primas vinctæ linguæ difficultates euincentem: dum ex Valeriani verbis: *inter illa ſermonum dura rudimenta, luctantes labiorum ſonos rudis lingua decipit, & os trepidum ſtillantia verba deſtituit*, gratè illos formabat, nec ingrata venia ſuum edocebat alumnum. Nam *eſt ſua etiam ſtudiis infantia, & vt corporum, mox etiam fortiſsimorum educatio, à lacte, cuniſque initium ducit: ita futurus eloquentiſsimus edidit aliquando vagitum, & loqui primum incerta voce tentauit, & hæſit circa formas literarum.*

S. Valerian. hom. 10.

Quint. inſtit. orat. l. 1.

Sed iam primæ ætatis egreſſus infantia, quam feliciter Muſarum fauori velificatam credimus excelſam indolem! quam celeri curſu, ſiue potius volatu in ſapientiæ theatro ingentes edidit profectus excellens genius! quas non victorias obtineret, qui in ipſis literarum carceribus inſtitutoribus non vulgare faceſſebat negotium? velut ipſa natura duce ſcientiarum arcanis ſacris admiſſus: te grauiter, Princeps Excellentiſsime, Hebræus Philo, dum magni Moyſis in Pharaonis regia commorantis ingenij felicitatem teſtatur, docto depinxit penicillo: nam cum magno legis interpreti tam ex vniuerſo Pharaonis imperio, quam ex Græcia cultioris literaturæ tunc inclyto lycæo magiſtros, ſeu præmiis aduocari, ſeu fama ipſa tanti mox futuri viri allici monet, dum que Regiam Moyſis iuuentutem eos informantes facit, ſic fatur. *Eos intra modicum tempus ille ſuperauit natiua docilitate inſtitutionem præcurrens, vt reminiſci videretur, non diſcere, in rebus difficilioribus de ſuo comminiſcens aliquid; nam præclara ingenia multa nouant circa ſcientias.* Equum quò nobiliorem facilius regi, & vmbra, non virga ad curſum, flexuoſoſque ſinus flecti videmus, & igneum illum ſpiritum arti documenta præripere; ſic mentem quò celſiorem, faciliùs ſapientię arcanis inſueſcere, ipſo Philone ſic inbi atteſtante. *Quemadmodum bonæ habitudinis corpora membris omnibus agilia ſecuros pædotribas faciunt exhibendo illis, vel nil negotij, vel minimum: iiſdemque agricolis generoſæ plantæ per ſe proficientes in bonas arbores, ſic anima bene nata præceptis ſe obuiam offerens, à ſe ipſa magis quàm à magiſtris adiuuatur.* Clarè Philo felicem noſtri Comitis dexteritatem adumbrat. Sed in principe inter Hiſpanos proceres clariſsimo, quam à ſcientiarum gloria laudem vulgare nitimur? dum ipſius mentem, otiaque pacatior Pallas colit opulenta ſapientiæ luce, non vnam hanc gloriam ſub clariſſimæ iuuentutis ſignis militaſſe ſolam volumus: viguit iuuenta inter ſapientiæ delubra, vt magnę fortunę inſtrumenta literarum eruditione compta lucidiora fierent. Ita Theodahadum Principem commendans dicebat Amalaſuentha Regina apud Caſſiodorum. *Acceſsit his bonis deſiderabilis eruditio literarum, quæ naturam laudabilem eximiè reddit ornatam,*

Phil. de vita Moyſis.

Idem.

Caſſiod. lib. 10. variar.

tum, ibi prudens inuenit, vbi ſapientior fiat, ibi bellator reperit, vnde animi virtute roboretur: inde princeps accipit, quemadmodum populos ſub æqualitate componat; nec enim aliqua in mundo poteſt eſſe fortuna, quam literarum non augeat glorioſa doctrina; ſic viridantium pratorum venuſtas, fluminum iam ſtagnantium, iam rapide ſuas vndas deuoluentium pulchritudo aurea luce nitidiora redduntur. His ergo initiatus ſacris ſurgebat celſior, & placide ad auorum æmulationem mens rapta æternantia illa virtutum ſimulachra grauiori cura contemplata regios mores ediſcebat, nec alios fidiores poſſet nanciſci morum formatores, cum altiori etiam fortunæ maiorum veſtigia pro inſtitutoribus ſufficiant. Sic Neroni populi terrarum Principis Imperatori alios magiſtros liuor Romanus amouebat. *Exueret magiſtrum* (Tacitus) *ſatis amplis doctoribus inſtructus maioribus ſuis*: clari ſanè inſtitutores morum maiores, quorum veſtigiis inhærens excellentiſſimus iuuenis indolem parem ſuæ reddebat fortunæ. Corn. Tac. lib. 14. Annal.

Eſt hæc conditio proceribus, qui longa auorum ſerie, & conteſtatiſsima familiæ nobilitáte decorantur, vt neceſſariò cum iis, quos bellica, aut togata laus ad magnas Reipublicæ dignitates, nouumque honorem euexit, de gloria contendant. Nouos homines antecellunt ſtirpis honore, & arridentis fortunæ dono ea proceres auita maiorum amplitudine firmati poſsident, ad quæ nouorum labor acri difficultatum euicto certamine, & nouitatis ſuperata inuidia vix ſedulitatis neruis extentis queat adpellere. Sed grande illud fortunæ beneficium, quo nobiles ad gloriam deſignantur, hæc æquant, duro labore, & morum integritate ad ſummam Reipubl. conſcendiſſe, & propriæ virtuti non plaudenti fortunæ ſummos Reipubl. debere honores. Certant conſtanti vtrinque acie, dubio exitu, quem quidem felicem noſtri Comitis effecit virtus fortunata, nulla vnquam parte victa, in hac etiam ſuperior. Nam licet difficile admodum appareat, proprio ſudore ad magnum in Republ. adniti locum, hiſque pollere moribus, quibus vel in infelici æuo eant obuiam ſummi honores; at quanto difficilius, magnæ fortunæ locum digna nominis æſtimatione tueri? neque à parentum, potius heroum virtutibus otij alliciente dulcedine, vitiorum blandiente illecebra, & ampliſsimæ dignitatis annuente licentia, non deſciſcere, ſed illam maiorum memoriam ipſis factis referre, vt ipſis digniſsima appareat proles: hinc enim fit, vt principes, qui ſe dignos maioribus præbent, gloriam adipiſcantur clariorem, & longe illa ſuperiorem qua nôui fulgent. Vindicauit hanc laudem proceribus Themiſtius hortatoria ad Valentinianum Iuniorem, dum eum ab ipſis incunabulis Imperatoria purpura inuolutum cum parente propria virtute illum locum obtinente, ſic componit: *Tibi verò nonnulla ad id faciliorem aditum præbent, vt parentibus tuis ſplendore, ac gloria antecellas; alia multo difficilius iſtud ipſum efficiunt: atque in altero quidem iam nunc progenitoribus tuis anteponendus es, in altero vero non vinci ab iis, maius tibi quidem, ac præſtabilius eſt. Quod enim tu ab imperatoribus, illi à priuatis oriundi ſunt, hac illos parte ſuperas: quod verò illi imperium tanquam virtutis præmium adepti ſunt, tibi id generis collatura ſucceſſio eſt; hac tibi parte difficilius certamen eſſe ſtatuo: te enim oportet neque fortuna ipſa, neque parentibus tuis deteriorem videri, quod nemo ab iis ipſis requiſierit. Siquidem his paruum admodum, ac leue eſt, cum ſuis genitoribus contendere, tibi paternam æquare virtutem, ingens omnino eſt, atque arduum. Nam illis cum priuato dumtaxat viro bono, ad ſummum exercitus duce, omnis eſt ſubeunda comparatio. Tibi verò cum Romanorum Imperatoribus, atque eiuſmodi, vt in ſuperioribus ſimiles aliqui recenſeri nequeant.* In ſumma ergo fortunæ benignitate annumerandum eſt Excellentiſsimo Comiti, cum proauis, à quibus originis ſplendorem ducebat, de gloria contigiſſe certamen, nam dum ipſos, vel æquat ſplendore, vel ſuperat, litem quam noui proceribus mouent, in auitæ nobilitatis fauorem diremit. Sic hereditariæ ditionis populi ſubiecti, dignitatum fulgor, aliaque fortunæ munera non indormienti humanarum rerum ſorti, ſed vitæ meritis deberi, fateamur, neceſſe eſt, & fortunæ liberalitatem ortum ipſum præuenientem id ſolum intendiſſe, crediderim, tanti principis dignitatem obnoxiam ſibi hæreditario ſplendore reddere; quam ſi maturæ diligentiæ munere non obſtrinxiſſet illiberali tarditate, vt virtutis præmium erat conceſſura. Æmula hac contentione Comes illud verè ſapiens, vere regium apud Caſsiod. monitum exprimens: *Caue, ne maior videatur eſſe felicitas moribus tuis*, maiorem egregiis exempla verſabat factis, & iam ſuis ſimillimus, & par cuicumque fortunæ operiebatur ætatem, vt aquilarum pullus, qui iam acutam habet oculorum aciem, ſed adhuc pennas expectat, & vt Rempublicam capeſſeret, tardas ætatis inducias in præclaro virtutum exercitio inſtructiſsimus animus deludebat, vt dixeris optimo merito quod de ſuo Principe idem Caſsiodorus: *Mirabili temperamento concordiæ antequam poſsit populos regere, ſuis iam capit moribus imperare. Hoc eſt profecto difficillimum regnandi genus, exercere iuuenem in ſuis ſenſibus principatum. Rarum omnino bonum eſt, Dominum triumphare de moribus, & hoc conſequi in florida ætate, ad quod vix credit cana modeſtia peruenire.*

Themiſt. (margin, beside "Tibi verò nonnulla…")

Caſſiod. lib. 10. variar. (margin, beside "Caue, ne maior…")

Caſſiod. lib. 11. variar. (margin, beside "Mirabili temperamento…")

Sed quam inſignis exinde in Deum pietas,& mentis ardor, ô conſummate iam tunc adoleſcens, quam vera mundialis pompæ deſpicientia, & florentis fortunæ contemptus; quam verum,atque exactum de præſentibus,ac futuris rebus iudicium in ipſomet iuuentutis diſcrimine, lubricæque ætatis flexu tibi fuerit, illud facile conuincit, quod ad pertinax honorum decus,certamque excellentiſsimæ domus hæreditatem, & ad conſuetas glorias paternis penaribus inferendas natus, Hiſpaniæque totius conſenſu, & expectatione deſtinatus, non niſi arctioris vitæ ſemitam, ſacra clauſtri otia, religioſamque viuendi rationem imo pectore diu noctuque verſabas: hoc vnum tibi in votis, hoc in delitiis erat orienti felicitati nuntium mittere, & ad arctiſsimæ religionis portum te recipere. Animo indeſinenter magnum hunc conatum agitabas, ſed ipſa quidem publica felicitas ceu tribunitia intercesſione obſtitit, ne generoſam mentem executioni mandares. Magnus Conſtantinus cœleſti fauoris aura ſpirante ad Romanæ Reipub. habenas paterna voce, non ſine auſpicata militum acclamatione, & plauſu deſignatus, acer iuuenis Imperij maieſtatem recuſabat, & generoſo deſpectu orbis terrarum gubernacula detrectans, Imperio dignior reddebatur, cui obluctanti, & iam fugam meditato purpura non oblata,ſed iniecta fuit, Gallicano diſertiſſimo oratore, id his verbis penſitante. *Purpuram ſtatim tibi, cum primum copiam tui fecit egreſſus, milites vtilitati publicæ, magis quam tuis affectibus ſeruientes iniecere lacrymanti: neque enim fas erat diutius flere principem conſecratum. Diceris etiam Imperator inuicte, ardorem illum te depoſcentis exercitus fugere conatus, equum calcaribus incitaſſe, quod quidem (vt verum audias) adoleſcentia errore faciebas; quis enim te Cyllarus, aut Arion poſſet eripere, quem ſequebatur Imperium?* Diceris & tu,Excellentiſſime Comes, mentis ardore litata iam publica opportunitate, vtilitatem illam te depoſcentis Hiſpaniæ fugere in animo verſaſſe: ſed quæ te mens publicæ rei, & regni ornamento poterat eripere? quem ſequebatur regni commodum,iuſtitiæ adminiſtratio, publica quies, & diuini cultus magnis incrementis à te aucti vtilitas, quem ſequebatur clariſsimorum factorum expectatio, quam ſic ſubinde impleſſe nouimus, vt à te proconſularibus Neapolitani regni faſcibus functo me audiſſe meminerim,æterni Numinis prouidentia, & ope, eam te nauaſſe publicæ vtilitati, iuſtitiæ adminiſtrationi, religionis cultui operam, vt ex Dei Opt. Max. nutu, conſilioque duceres, diſsipatos illos de clauſtro ineundo ardores. Quod ſane in eam me admirationem euehit, à qua ni tuorum factorum obuerſante imagine non deſcenderem, ſed illa tibi contigit concordia laudum,ille virtutum concentus, illa te ſemper factorum felicitas comitata eſt, vt quoties volueris mente omiſſum illum ardentis animi conatum, quo tibi in votis fuit religionis otia petere, tutò poſſes conſcientiæ angores tranquilla rationis ſuaſione ſedare,& illa vſurpare ſolatij vice,quæ Numen te adminiſtro perpetrauit: præſertim cum illaſmet virtutes,quæ in religioſo inſtituto maximè florent, regio tu ſplendore ornatus, & fulgenti purpura indutus (quæ religioſum, æque ac generoſum animum tuum non intrabant)non minus opportunè,conſtanterque colueris.

Gallic. Panegyric. 4. ad Conſtant.

Quare transeat iam admiratio ad excellentem illam corporis, & mentis intaminatæ pudicitiam,qua non aliter,ac ſi inter clauſtri parietes degeres, florentem adoleſcentiam venuſtiſsimo decore ornaſti, & glorioſam reddidiſti. *Hic adoleſcens eſt*(dicebat Quintil.) *omnes cupiditates, omnes impetus in hac ætate faciliùs conualeſcunt. Sanè nulla ætas floridior,ſed nulla ad intemperantiam fluidior*: at tu,ô egregie adoleſcens,ab hac adoleſcentiæ tyrannide, quam immunis, ac liber! vxorius iam iuuenis,cultu elegans,præclara corporis conſtitutione inſignis, iis legibus adoleſcentiam compeſcuiſti, tam ſeueramque ſenſibus adhibuiſti cuſtodiam, vt veſtali pudore clarus notareris, *Quis enim* (vt Ambroſij de Valentiniano verba vſurpem) *tam dominus ſerui, quam ille corporis fuit? Quis tam aliorum arbiter, quam ille ſuæ cenſor ætatis?* Sanè in illomet feruentis ſanguinis æſtu, *vbi Charybdis luxuriæ ſalutem vorat, vbi ore virgineo ad pudicitiæ perpetranda naufragia Scylla, ſeu renidens libido blanditur*, tam floridus Comiti pudor, tam munda mens, & animus caſtiſsimis cogitationibus tranquillus inerat, vt taxaret potius non nemo tam modeſtum ruborem, & orioſorum nota inſigniret ipſos viuidorum luminum obtutus, nunquam ſine rationis præſcripto, niſi humi fixos. Præclarum hunc pudorem libet illi æquare, quo Conſtantinus Magnus ad tædas vſque vxorias vixit, quem clarus ille Encomiaſtes ipſum adoleſcentiæ limen ingredientem ſic laudat, vt Excellentiſsimo Comiti Panegyrim dixiſſe credas. *Nil de vagis* (ille) *cupiditatibus,nil de conceſsis ætati voluptatibus in hoc ſacrum pectus admitteres; nouum iam tunc miraculum iuuenis vxorius,ſed vt res eſt mente præſaga omnibus te verecundiæ obſeruationibus imbuebas,talem poſtea ducturus vxorem.* Nil,Princeps, magis te decuit, quam ceu ſuperſtitioſus ille pudor, quem Ambroſius fratris velut nimiam excuſans modeſtiam, ſic laudat. *Sanctus pudori, vt frequenter in eo ſuperfluam magis verecundiam prædicares, quam neceſſariam quæreres, ſed nunquam ſuperflua ſunt fundamenta virtutis, pudor enim non reuocat, ſed commendat officium; itaque velut quadam virginali verecundia ſuffuſus ora, cum vultu affectum proderet, ſi fortè aliqua ſubitò veniens offendiſſet parentes, velut depreſſus, & quaſi demerſus in terram,*

Quint. declam. 321.

Ambroſ. oratio de obit. Valent.

Hier. epiſt. ad Heliodorum.

Gallican.

Ambroſ in obitu Satyr. fratris.

terram, licet in ipso nequaquam dissimilis cœtu virorum rarus attollere os, eleuare oculos, referre sermonem; quod pudico quodam mentis pudore faciebat, cum quo castimonia quoque corporis congruebat. Decent, decent ista te, Princeps Excellentissime, talem postea ducturum vxorem, quæ Portias, Lucretiasque Romanas lectissima Princeps egregia pudicitiæ laude erat antecessura. Rarus hic ac suauis Comitis rubor aliis virtutibus principe dignissimis magnificentia, benignitate, morum elegantia, & suauitate, claro mentis acumine, & aliis luminibus inclytus in perpetua admiratione curiæ fuit, quæ non semel Comiti illud cecinit. *Claudian. de nuptiis Honor.*

Affectant alij quicquid fingiq; laborant,
Hæc donat natura tibi.

Crederem magnarum virtutum admiratione, quæ suauissima mentis humanæ conciliatrix est, Excellentissimum illum Principem, illum cuius pectora per viginti ipsos annos Hispani Imperij curis suffecere, cuius prudentia felicitatis alumna non modo vigentem, & sine vlla iactura, sed gloriosis belli, pacisque successibus prosperam florentemque Rempublicam conseruauit, illum de quo retroactis sæculis poeta.

Stes licet in populo, clamat quicumque videbit: *Claudian. ibidem.*
Hic ille est.

Lermeum (aio) Ducem, suauissima tantarum virtutum admiratione captum, in tui coniugij felicem illam mentem cum Excellentissima Principe D.D. Catharina de la Cerda & Sandoual eius filia, nostri æui ornamento, Hispaniæ gloriæ sidere, incidisse; sed quo totius Regni gaudio! quam effusis lætitiæ plausibus! quam secundis acclamationibus coniugij fœdera celebrauit communis fauor, Procerum magnificentia, Regis amor? iniistis sacra connubij fœdera, *Vt tanquam in duobus luminibus vnus esset aspectus, & concordem sensum, nemo crederet segregatum: sic sunt enim simul quos gratia coniungit, & parentela conciliat Arduum sibi hoc forsitan æstiment impares mores, difficile est illos aliter viuere, qui sibi possunt bonarum cogitationum similitudine conuenire.* Hæc apud Cassiodorum Theodohados, Gottorum Rex ducta Amalasuentha Regina, quæ mirè vestri coniugij felicissimo Epithalamio inseruire queunt; neque enim arctiori vnquam vinculo virtutes maritatas credo. Sed hic Princeps, tuæ tantum gloriæ vela pando, tibi vxor in decus, & immortalem gloriam cessit. Multis illustribus quondam dedecori fuisse vxores, effecisseque, vt non magni haberentur, cum scite testatus fuisset Cæcilius Plinius in eleganti ad Trajanum Panegyrico, Imperatoris gloriam quasi tuæ typum, & vmbram ab vxore, immortali laude sic commendat: *Illa nil sibi ex fortuna tua, nisi gaudium vendicat, quam constanter non potentiam tuam, sed ipsum te reueretur? idem estis inuicem, quod fuistis, probatis ex æquo, nilq; vobis felicitas addidit, nisi quod scire cœpistis quam rectè vterque vestrum felicitatem ferat.* Assumpsisti coniugem in consortia curarum, prosperis rebusque dubiis sociam, pudoris templũ, prudentiæ aras, virtutum omnium decus, morum suauitate, integritate felicem; constantia, pietate omni æuo inclytam, cuius potentiam nemo vnquam sensit, nisi aut leuatione laborum, aut accessione dignitatis, quæ dubitare cogit, an efficacius sit, ad tenenda summæ laudis fastigia benè institui, aut feliciter nasci, vt dum clarissimas vtriusque coniugis virtutes attentius contemplor, illud Magni Nazianz. encomium, quo duorum coniugum in pietatis studio excellentiam effert, vestro fortunatissimo consortio aptare non dubitem, *vterque primas inter mortales habiturus, nisi mutuo se se principatu prohiberent:* percepistis gloriosi certaminis fructum, vterque enim felicitatis suæ non principem locum optastis, sed eum, quo ad primum nemo propius accederet; felices ambo, sic summa fastigia tenere vobis inter mortales contigit. *Cassiod. lib. 10. variarum.* *Plinius Iunior in Panegyr. ad Traianum.* *Greg. Nazianz. orat. 10.*

Iam te, Excellentissime Comes, honorum splendor, & cursus ad Regiæ munia vocabat, *quasi fortunam puderet* (ita Synes.) *si non manifestis virtutibus testimonium redderet.* Gratus tertio Philippo Regum pientissimo, inter proceres, qui à cubiculo sunt adscitus fuisti, vetusto Hispaniæ more, quo regni principes viri, arcanum regis limen ipsius iussu terunt. Sic Solis non plantarum vultus, non animalium turba, sed lucentissima Sydera, astrorum purissima lumina orbem cingunt, nec aliter nostrorum regum latera nostri proceres: in horum iucunditatem à grauioribus regni molestiis feriæ illæ, & intentæ curæ se se recipiunt. Hic regum suauitate quoties adumbratæ virtutum species, quoties simulatio proditur? Equidem non sic Heraclij lapidis fide aurum, quam Regum illo amico, dulcique conuictu, imò & plerumque regia solum præsentia veræ, fictæque probantur virtutes, scitè siquidem dixit Theodoricus Rex apud Cassiod. *Manifestatio est conscientiæ bonæ, præsentiam iusti Principis expetisse, quam solus ille desiderare potest, qui de magna mentis puritate confidit. Aspectum Solis nisi clara lumina non requirunt, quia illi tantum possunt rutilantes pati radios, quos constat oculos habere purissimos: Sic præsentiam Principis ambiunt, qui de cordis sinceritate præsumunt.* Clarum hic à re magnæ mentis editum specimen, sed maius magni in Numen animi, raræ pietatis, singularisque religionis. Explicauerim id, opportunè opinor, eleganti illa imagine, qua incrementa virtutum Nonnæ matris sic commendabat Nazianz. *Quemadmodum Sol matutinis radiis in oculos suauissimè incidens, meridianis feruidior, & splendidior stat; eodem* *Syn. orat. de Regno.* *Cassiodor lib. 7. var. in formula euocatoria, quæ petenti conceditur.* *Naz. orat. 19.*

 modo.

modo illa cum haud parua pietatis officia primum subobscurè ostendisset, postremo lumine magis explenduit Ergo in ipso curiæ Euripo, in ipso iuuentæ limine Christianis moribus sic ætatem frænabat Comes, vt nulla vnquam quantumuis dubia grauioris labis suspicione tactus, somnum caperet, quin magno animi dolore concussus confessarium adiret, & per pœnitentiæ Sacramentum animum plus plus mundiorem redderet; sanè vt multo plus esset, quod laudaretur in pœnitentia, quam quod reprehendi posset in crimine. Sed qui id non faceres? Qui constanti voce illorum deplorare solebas amentiam, qui grauioris sceleris rei noctem ducerent non insomnem, qui ardentissimo virtutum studio percepta diuinæ amicitiæ pignora fidissimo fouebas sinu, qui mentis custos acerrimus omnes animi affectiones singulis diebus ad rationis iudicia vocabas, & vel leues animi contractas sordes intentissimo eiulatu deflens, diuini amoris flammas lacrymarum imbre augebas, qui quotidie numen orationis precibus, & quieto contemplationis labore sollicitabas, qui bis in hebdomada religiosissimo cultu ad sacram Synaxim accedebas. Ad hæc vt strictioris disciplinæ actiones à Principum aulis frequentius exulantes non prætercam, quoties Xenodochiorum limina, domesticorum agmine vitato subibas? quoties adolescens fraudasti genium tacitis arctisque ieiuniis? quoties viuidæ inter robora iuuentæ verbere, ac cilicio ætatis vires obtundebas? Vbi illud maximè mirandum, ea Comitem integritate, & fide durissimis iis pœnitentiæ operibus operam nauasse, vt nullæ vnquam occupationes, nullæ curæ ab ipsius manibus illa potuerint extorquere: proferam huius rei abditissimum, & signatissimum testimonium non primariis solum viris, sed iis etiam, qui in altissimo Religionis statu Deo famulantur, præ oculis habendum. Genialis aderat dies, in quo Comes publico satisfaciens muneri, ornatiori cultu se se instruxerat, eademmet lux præfixa flagello erat, quo sæpius corpus torquere consueuit omni vitę spatio; effusis lętitię occupationibus nox non finem afferre, sed initia videbatur, nec liberior vllus recessus in tecto domesticorum exterorumque frequentia refertissimo: Quid hic pia adinueniret consuetudo? Quem exitum huic difficultati humana non pararet industria, diuini amoris ęstus, & animi cura prębuit: tacitus omnium se subtraxit ab obtutibus, & remotiorem tecti partem petens catenam auream, qua insignis eo die prodierat, exuens, flagri loco ipsa acriter corpus cecidit: consultissima, ô Princeps, crudelitate, nam cum tuæ modestiæ tormenta essent, corporis ornamenta, etiam corpori tormenta esse voluisti Quid hic mundana sapientia? Quid obliuio illa, qua mortales curam salutis abiiciunt, afferant? cum tam sollicitam rerum diuinarum memoriam in principe, & publicis lætitiæ acclamationibus distento vigere videant.

Sed num? Quod *virtutis vera custos rigidusque satelles*, & tuimet integerrimus exstiteris iudex, acerbum te, aut insuauem experiebantur cęteri, siue æquales hi, siue minores? Apage. Nihil siquidem in perfectis moribus dissonum, sed omnes sibi virtutes pulchra modulatione concinunt, ita plane Comitem, qui sibimet consulens, florentis ætatis, atque fortunæ seuerissimus censor erat, suauissimum amicum, & socium cœteri omnes experiebantur. Nam vt cœtera omittam, in familiaribus cum suis confabulationibus, atque colloqniis præter perpetuam illam iucunditatem, sanguinis in modum per omne corpus sparsi, festiuissimis etiam iocis, ac leporibus venustissimis vtebatur, sicubi res ipsa postulasset: vt ipse mihi graphicè à Nazianz. in Basilio depictus videatur: dum de illo ait. *Quis in cœtibus adeò iucundus? quantum quidem ipse cognosco, qui ipsius maxime periculum feci: quis in narrando festiuior? quis in iocando argutior?* Sed quod Nazianzenus de Basilij in his moderatione, quamque parcè, & grauiter luderet, subinde addit, ad meum Comitem omninò pertinere dixerim: subdit enim: *Nisi quis leonem etiam accusandum putet, quod non simia vultum, sed toruum quendam, & horrificum, ac regium praferat, cuius ipsa quoque saltationes fortes, & generosa sunt, & cum admiratione iocunda:* En Comitis non modo iucundos iocos, sed ipsasmet festiuas saltationes depictas. Nemo quippe inter proceres, & aulicos in regiis ludis, & saltationibus elegantius, peritiusve ipso ad artem, & numerum mouebatur, nec velocius rotam suam fortuna, quam ille saltatorium versabat orbem; at id quam grauiter, quam decenter peragebat! non secus quidem, ac magnus ille triumphator Scipio, de quo Seneca: *Scipio triumphale illud corpus mouit ad numeros, non molliter se infringens, vt nunc mos est, etiam incessu ipso vltra muliebrem mollitiem fluentibus, sed vt illi antiqui solebant, inter lusum, ac festa tempora virilem in modum tripudiare, non facturi detrimentum, etiam si ab hostibus ipsis spectarentur.*

Nazianz. oratio. de laud. Basil.

Senec. lib. de tranq. anim. cap. 15.

His moribus aulicorum admirationem ciuisti, Philippi iudicium, & gratiam conciliasti, qui iuuenem Christianis moribus non minus quam magna mentis felicitate instructissimum ante pubem, feriarum difficultatum curis, & publicæ vtilitati initiandum censuit. Regis igitur iussu illi Senatui præficeris, qui nouo orbi iura reddens, ipsum tranquilla pace fouet. Intueri videor Catholicissimum Regem harum virtutum admiratione captum, Comitis prudentiæ illius orbis curam committentem claris Theodorici verbis. *Dignus planè largitionibus nostris, qui in ipso pueritiæ flore maturis moribus lubricam frænauit ætatem, & quod rarum continentiæ bonum est, patre priuatus grauitatis factus est filius, cupiditatem inimicam sapientia subiugauit, vitiorum blanda contempsit,*

Cassiodor. lib. 1.

tempsit, superbia vana calcauit, & superatis excessibus ante dare visus est de moribus consulatum. Sic Comitem Philippus, & præclara suorum commemoratione ad munus obeundum hortabatur, & illo iudicio, quo ipsius prudentiæ curam adeò grauem commiserat, quod ingenuis calcar ad gloriam certissimum est. Nec votum Regis delusit rei exitus; quippe innocentia eximius, prudentia clarus, iustitia præcipuus illam Nazarij ad Constantinum laudem propriam effecisti. *Adhuc æui immaturus, sed iam maturus imperio, ostendisti cursum ætatis non expectandum in festinatione virtutis.* Sedisti Præses, vt tanti Senatus illustrares iustitiam, renouares prudentiam: vt legibus reuerentia cresceret: floruit tunc æquitas, viguit industria, excelluit maiestas; iudiciorum sic enituit grauitas, vt litigatores non iam de fortunis, sed de tua æstimatione solliciti vererentur non tam causarum exitus, quam Præsidis de vno quoque iudicium. Sed quid mirum? cum tu totus oculus, totus auditus, totus mens, promptus, alacer, acutus curarum nimbos maturiore prudentia discuteres, cum exemplo potius quam imperio præesses? Te præsidem delineasse videtur Tacitus cum de Agricola, quem quod patris loco haberet ad cœlum efferre instituit, hæc in eius vita dicebat: *Tempora curarum, remissionumque diuisa, vbi conuentus ac iudicia poscerent, grauis, intentus, seuerus, & sæpius misericors, vbi officio satisfactum, nulla vltra potestatis persona, tristitiam, & arrogantiam, & auaritiam exuerat, nec illi quod est rarissimum, aut facilitas auctoritatem, aut seueritas amorem diminuit.*

Naz. Panagyr. ad Constantin. — *Tacitus in Agricola.*

Sed enim dum iura Occiduus orbis in ipsa ætatis pube, saltim flore ab Excellentissimo Comite, iuuene petebat iucundissimo rerum exitu comprobata, euigilantem egregij Præsidis mentem pius potissimum acuebat ardor, vt fusissimæ tot plagarum ignorantiæ consultum iretur, hæc cura animum regiæ semper benignitatis alumnum torquebat; nec frustra, ortum quippe ex ea, vt Regiis decretis sanciretur, ne in posterum Indorum gubernationi præessent, nisi graues religione viri, præstantique pietate insignes, qui morum suauitate incolarum animos eblandirentur, & ipsos in officio continerent. *Animorum prouinciæ prudens, simulque doctus, per aliena experimenta parum profici armis, si iniuria sequerentur.* Id ergo posteritati cautum, nam dum constantiori numquam studio electi fuere priuatis apud Indos gubernationibus iustitiæ administri, is religioni honor habitus, additusque, vt minime licuerit Diuæ virtuti illa querela

Tacit. in Agric. cap. 4

At peruersi resident celso
Mores solio, sanctaque calcant
Iniusta vice colla nocentes.

Boet. metr. 5 lib. 1.

dicerem à Magno Cassiodoro hausisse Comitem inclytam illam rationem. *In nobis scilicet peccant, qui alios maculant, & dum spolium obsecrantis ambitur, fama præsidentis exuitur. Considera si negligere debemus, vnde nos culpari posse cognoscamus*: Macte, & ad nostri Præsidis sententiam, qui opinionem lædi arbitrabatur propriam, si prouinciarum, ciuitatumve præfecti damna vel minima Indis inferrent. Iam vero his finibus non credas contentum fuisse sacrum illum distantissimis mortalibus proficiendi amorem. *Nec virtutem, constantiamque nunc commemoro, nec sublimitatem omnium capacem, quæ cælo continentur, sed proprium vigorem, celeritatemque quodam igne volucrem*, quo & grauissimis curis coronidem, & nouis etiam cæptis fortunata fuit auspicatus initia. Cum enim certa ratiocinatione ductus comperiret, gratiora futura illis populis sacræ doctrinæ præcepta, si à propriis populorum hominibus traderentur, Regali aresto decreuit, vt Indorum filiis destinarentur collegia probis magistris instructa, qui à primis infantiæ rudis incunabulis culta puerorum barbaries feritatem exueret, addisceret pietatem, fidem, quæ postea parentibus popularibusque instillaret. Nec sapientiore consilio princeps quondam terrarum orbis Romanus populus, Senatus gloriam & magistratus exteris gentibus fuit largitus, *vt non modo singuli viritim, sed terra gentesque in nomen nostrum transierint.* Quid enim noui apud Indos religioni consultius? quam id muneris indigenarum humeris imponere, vt pro religione verba facerent, vt fidem docerent? Quo vnquam pignore chariore ad fidei prædicationem fera nationum multitudo conuolauit? Audiebant filios, quorum nunquam natura exuit amorem, fidei dogmata intonantes, cuperent si naturæ tantum motus sequerentur, gratam contingere audientibus filiorum orationem, cumque nullius fere negotij sit, placere beneuolis, quis inde ad doctrinam amor? Damus libentes aures his, quorum vocem charam habemus, & ad veritatem audiendam sæpe nocuisse altè in animos concionatorum immissum odium, non semel est experientia testatum.

Plin. lib 7. cap. 25. — *Corn. Taci lib. 1. Annalium, cap.*

Nec paci solum egregij Præsidis prudentia, & fortitudo militarunt, sed in distantissimas etiam regiones felicia arma, signaque victricia ipso auspice, & moderatore vertit Hispania: sic etenim Indicis rebus immensa pene locorum distantia discissis Comes inuigilabat, vt iam pace florentes aleret Indos, iam bello securos redderet nostros, eaque industria ipsorum iacturas vendicaret, vt distantiam qui videret, præsentem sentiret opem. Molocus regio aromatum, & Cariophili præcipuè opulentia felix, innumeris discreta insulis, Ternate inter præcipuas numerat, nostratibus insulam subiectam regibus: sed Hispana iuga excussere incolæ rebellium

Batauorum,

Batauorum,& armis, & animis freti; hæc vna haud spernenda illius Imperij clades coquebat animum Excellentissimi Comitis,quam victoria obliterandam,& maiestatem nostri nominis nequaquam ab vllo in tota Solis luce temnendam iudicabat. Nec vero tam acuto id ferro diuidere, vt pulcherrimum humanitatis sensum abiiceret, sed Dei more, qui cum iratus fuerit, misericordiæ recordatur,gloriosum de ipsamet victoria triumphum ducere,regia magnanimitate cogitabat. Contracta igitur magno consilio,& singulari industria,maxima classe,& ducibus ad expeditionem signatis, id præcipuè in mandatis primario expeditionis duci Magni Præsidis clementia dedit, vt nostri milites pro Imperij gloria fidem ab incolis exigerent, non Imperij fines solitudinibus augerent,debellarent perfidiam; non homines,ne insula terrarum orbe notissima,frequens totius Orientis commerciis, viduata indigenis, vindictæ erigeret trophæa; sed clementiæ gloriosæ. Paruit rei exitus obsequentissima militum disciplina perfectus benigno huic iussui, & acuta rebellione nullo sanguine cruentata insula, Philippi excussa resumpsit Imperia faustissimis auibus. Et vero cum Comitis industriam, & clementiam clarissimo huic euentui insudantes video, tanto rei auctori non indignè triumphum decerni posse cogito.Honestarent quidem illum capti rebelles Bataui toto lucis campo magnitudinem Hispanici status infestis armis ignobilibus conatibus furtim lacessentes. Nobilitaret pompam Ternate iam libera, non maior diuitiis, sed maior fide, non auctior hostilibus spoliis, sed quæ ignobilium piratarum pretium esse desijt,& præda.Et quo nihil ad gloriæ magnitudinem contingere maius potest,prosequeretur triũphi plausum insula imperio suscepto Hispano,seruitio iam excusso prædonum, qui dulci libertatis nomine ipsos incolas suis commodis, & cupiditatibus inseruire cogebant. Ego sanè dum nostri Comitis auspiciis faustam recuperationem adquisitam accuratiori consilij ratione perpendo,& illustrissimam victoriam,qua hostibus audendi tantum licentia erepta est,illa Themistij ad Valentinianum verba vsurpo. *Ita plane Principum hoc munus est, qui quidem ei nomini respondere velint, quoties turbantes aliquid, ac perperam molientes barbaros deprehenderint,non illud quoddam humanæ naturæ complementum rescindere,ac profligare funditus,sed cum audaciam eorum,atque insolentiam amputauerint,seruare deinceps,ac tueri, vtpote qui in Imperij aliqua parte numerantur. Ita enim se se res habet, quicumque ferociter aliquid, atque insolenter tentantes barbaros nimia cum atrocitate persequitur, hic se Romanorum dumtaxat Imperatorem existimat, quicumque verò,& vincit,& parcit omnium se se hominum Imperatorem agnoscit.* Ita planè,Comes Excellentissime,audaciam tantum amputandam, seruandos incolas diuina mentis excelsæ prudentia censuisti, vt tuæ essent argumenta lenitatis; & iret in ætates prudentiæ tuæ calculis sedatas victorias, imperio partas fuisse; non eas quibus ignis ferrique populante rabie mortales debellantur.Et merito: Quæ enim victoria est,sic vincere vt victos alieno tradas arbitrio?fati nimirum? Hoc modo homines vrsos,apros, pardosque vincunt, nec semper; nam quid gloriosius est,vel vinctas has seruare feras? Porrò opportunissimo hoc tuo exemplo,gloriose Princeps,illam veterum Romanorum,qui à prouinciis debellatis cognomina sortiebantur,licet inridere superbiam. Crudelissimi mortalium ita ne?Senatus Populique Romani iussu Memmius Achaici, Macedonici Metellus, Scipio Africani appellationibus decorantur, quia Achaiam florentissimam prouinciam, Macedoniam Alexandri, Carthaginem æmulam imperij, & cum ipso de orbis principatu toties dubia victoria decertantem,victoriæ,seu potius furoris iure deuastauere? Vestrum Iouem,cur Pelasgicum? Apollinem,cur Amyclæum?cur Cyllenium Mercurium? ab iis,scilicet, locis, quæ gratioris beneuolentiæ signis fuere prosecuti, sapientiores appellandos censuere? Quid? diis vestris nomen, gloriamque à clementia,ab amore in genus hominum, ducibus ab odio, à ferro,à flamma in mortalium Rempub. tribuitis? an diis vestris succensetis? an diis ipsis similes vestros dedignamini Imperatores? Opportuniùs opinor rem pensitabat vester Tullius cum aiebat: *Etenim multum posse ad salutem alterius honori multis, parum potuisse ad exitium,probro nemini fuit.*

Them. oratio.10.

Tull. apud Ammian. Marcell. lib.30.

In hoc ipso Pręsidis munere Christianę moderationis facinus in re leui,laude illustri dignissimum edidit,si immortalem animi ad honorem ambitum intuemur. Erat veteri vsurpatum more, vt Indici Senatus Pręsides Senatorum assignarent duos, qui belli interessent consiliis, quoties de noui orbis bello, aut pace referretur: Non leuem id Pręsidi existimationem conciliabat,summi quippe apud Hispanos honoris,& fidei argumentum est,bellica tractare consilia belli in templo,quam nãciscendæ authoritatis occasionem ad grauissima rerum momenta Senatorum prudentia transferebat. Verum cum experientię fides grauia inde in dies oriri incommoda inclamaret, his obuiam ire decreuit Comes,& ab ipso Rege exorauit, vt id authoritatis iurisque, negatum in posterum esset Præsidibus, & ne res inuidiam crearet, Rege annuente assignationis iuri ipse primus cessit. O mentem publicæ vtilitatis altricem! O animum omni honore maiorem! qui dignitatibus adnatum splendorem obscurare non dubitat, dum ipsis fungitur, ne publicæ vtilitatis damna propriæ existimationis luce emeret, communi regni bono hunc retulit honorem, quem in propria dignitate extinxit, more veterum sacris cer-

taminibus

taminibus vincentium, nec enim ipsi coronis tempora cingebant, sed patrias suas coronabant. Quam credimus in illo Principe affectuum moderationem, qui ne splendor dignitatis Reipublicæ officeret bono, ipsum Reipublicæ sacrauit: Inuictam plane animi sublimitatem suauiori tanti exempli allectatus contemplatione prosequerer, ni mentem admirationemque raperet maioris documenti dignitas.

Plin. lib. 7. cap. 16.

Principem adhuc locum Indici Senatus tenebat, quando Regis iussu ad Neapolitani Regni proconsulates fasces fuit electus, cumque priuatæ curæ, tum lites (quas amplissimis ditionibus semper adhærescere cernimus magnitudinis fato, laborant enim amplitudine propria) mentem, natura, & ratione duce, publico muneri deuotam inuaderent, impetrauit à Rege vt fas ipsi esset abeundi à dignitate, ne dum domesticis curis intentus animus inuigilabat graue incuriæ vulnus, vel ruborem incuteret elapsæ vigilantiæ, vel damnum publico bono. Nullum Romanorum procerum enixius Gneio Pompeio, Pharsaliæ fama, gloriam, dignitatesque ambisse, disertè affirmat non incuriosus scriptor, quod dedecus modestia, qua munerum tempus legibus terminatum non egrediebatur, æque credidit compensatum. Audi. *Neque eo viro quisquam aut alio omnia minus, aut gloriam magis concupiuit, in appetendis honoribus immodicus, in gerendis verecundissimus: vt qui eos vt libentissimè iniret, ita finiret æquo animo, & quod cupisset arbitrio suo sumere, alieno deponeret.* Interminatæ ambitioni Pompeij egregiam quidem laudem attexuit: alieno videlicet arbitrio è dignitatum curuli descendisse, finisséque æquo animo imperij terminos; arduum quippe mortalibus honoris fastigia deserere, & prærupta semper visa via est ab imperij maiestate ad ordinem, vel legitimo tempore: sic Imperij dulcedo, sic dignitatis altitudo allectat animum, vt inter decora numeretur paruisse legi absoluto dignitatum curriculo. Prodeat ergo in æternitatis forum inclyta illa mentis altitudo, qua excellentissimus Præses ante dignitatis terminos, ne animus aliis curis permissus aliquod Reipublicæ pararet incommodum, è summæ authoritatis munere, nulla prouocante iniuria, nullis furentibus impatientiæ vndis, sed placido tranquilloque Regiæ salo, fauentibus vniuersalis beneuolentiæ ventis abiit libens, volens cum Regis sui solicitata venia.

Velleius lib. 2. Hist.

Credi posset hoc admirationi dato spectaculo, laudis theatrum egressam nostri Comitis animi excelsitatem; sed maiora æternitati, altiora admirationi præbeantur munera. Est moris in Indico Senatu, vt illi qui in eo Principi à secretis inseruiunt, certis de rebus Regem admoneant, neque enim vnius hominis menti vastissimi Imperij curis distentæ leuium quarumcumque rerum momenta ad rationis examen vocare fas est: Cui difficultati opem ab administrorum memoria quæsiere maiores; ille igitur qui in huius curæ consortium proprij officij ratione assumptus fuerat, alta obliuione sepelierat hanc Regis maximi admonendi curam, nec contemnenda inde incommoda duxere originem, quæ Regiam indignationem excitarent, necessum fuit. Quæsiuit igitur Princeps à Comite, quibus esset ea demandata cura eum admonendi, in quos iure erat animaduertendum, ne deinceps simili obliuione tot incommodis pateret campus. Facilem aditum difficultati præbebat *veritas*, quę Tertulliano teste, *nihil erubescit, nisi solummodo abscondi.* Sed administrorum, qui à secretis erant, fortunam in apertum discrimen Regij proiiciebat supplicij, si ipsorum incuriam Philippi detectam præberet conspectibus. Iam verò quis adeò sui oblitus reperiri posset, qui se indignationis obiiceret fluctibus, vt aliorum incolumitati consuleret? memini priscæ vocis, *vltra omnes clementes est, qui vlcisci non appetit, quem grassatum in suo dedecore comprehendit.* Itane? Quem igitur clementiæ gradum Comitis inauditæ benignitati nouo inuento in propriam grassanti existimationem tribuis? Culpam enim ab aliis amouit, atque in se, quod id etiam ad Præsidem vtcumque posset pertinere, coniecit, Regiam exorans clementiam, vt assuetæ benignitatis fauore in ipsum animaduerteret incuriæ reum. En artes quibus Comes Regis beneuolentiam meruit, en adulationes, aulici artificij comptas coloribus. Verum sistito, Excellentissime Princeps, *omne malum aut timore aut pudore natura perfudit.* Quid hoc mali est, à quo pudor, à quo timor exulat? *malefici gestiunt latere, deuitant apparere, trepidant deprehensi, negant accusati.* Quis Regiam existimationem de semetipso tam facili vnquam casu periclitari passus est? Non longe ab ea mente sum, sapientissimum Principem Philippum mali huius conscientiam Lemensi Comiti, vel ea ratione minime tribuisse, quod eius ille notam adeo lubens subire decreuit: id certum, summam tantum mentis animique maiestatem id ausuram fuisse, ne aliorum incolumitatem in discrimen vocaret.

Tertul. lib. cont. Valent.

Cassiod. lib. 11. variar. epist. Ioan. Cam.

Tertull. in Apologet.

Idem.

Pulcherrimo exitu Præsidis munere defunctus iam omnium oculis, omnium votis iam ipsa fama ad Neapolitanos fasces signabare, iam tertius Philippus omnium iudiciis ductus amplissimæ dignitati designatum, famæ electionem, & Neapolitanorum vota probauit. Benignum sanè illos pręficere prouinciis, quos constat ipsas electuros, quibus pareant ex voto ciues. Grata igitur primę administrationis memoria, & tua integritate, vigilantia, fide, laboréque laudato tuæ prudentiæ commisit nobilissimum regnum splendore, opibus, fide inter Europæ prouincias

cias

cias celebre. Nec difficile erat certissimos, prosperósque casus augurari in noua illa administratione, cum iuuenilem prudentiam, qua ad Præsidis munus accessisti, magnarum rerum experientia commendasses, & diurnis incrementis ad canæ prouidentiæ maturitatem adoleuisset; non enim tua prudentia, vt quæ summo solo sparsa sunt semina, nec penitus radicibus immissis fixa præcoci festinatione virentia; aut vt æmulatæ spicas herbulæ inanibus aristis ante messem flauescentes promissas delusit spes, quin potius maiorem te ille dies expertus fuit, cui posterius contigisti; sic decebat te crescere, quem in florenti ætate non potuit vincere fortissima vis naturæ.

Auspicato igitur nouo Magistratu, qualem te florentissimum regno præbueris, recens hodie tui memoria ostendit, regni tunc celebrauit admiratio. In ætate enim non deflexa, sic cunctas temperasse animi affectiones, vt nulli cupiditati licentiæ fræna permissa, omnia ad diuinæ voluntatis studium, regnique vtilitatem relata fuerint, ingentem laudem peperit, summam admirationem, & Augustino auctore, Principem te vndequaque felicem, ac beatum reddidit. Sic enim ipse censebat, felices tunc demum Christianos Principes esse, eoque nomine præ Romanis illis Imperatoribus, qui illud ambitiose vsurpabant, dignissimos: *Si se homines esse meminerint, si suam potestatem ad Dei cultum maximè dilatandum, maiestatis eius famulam faciunt, si Deum timent, diligunt, colunt, &c. si luxuria tantò eis castigatior, quanto posset esse liberior:* Enim verò noxios affectus, atque animi perturbationes sic ratione depuleras, & ad primam, & optimam affectionem animi peruenetas, vt posses demirantibus Neapolitanis cum Mario illo adhuc moderato, adhuc priscæ Romæ homine respondere, *illis difficile est in potestatibus temperare, qui per ambitionem sese probos simulauere, mihi qui omnem ætatem in optimis artibus egi, benefacere iam ex consuetudine in naturam verti.* O immortalem Principis gloriam! iis moribus imperij fræna capessere, qui naturæ vices habeant, vt iam non consuetudine, quæ quondam ingens laus erat; sed ipsa naturæ bene agendi facilitas stabiliretur. Dixerim sub ipsis proconsulatus auspiciis strenuo constantique consilio decreuisse ad id gloriæ scandere in præclara regni administratione, vt longius quam vitæ spatia sunt, gloria tuæ extenderetur gubernationis, & in æternitatem certissimam promineret. *Maximo cuique* (si fides aliqua Africano Scipioni apud Liuium est) *id accidere animo certum habeo, vt se non præsentibus modo, sed cum omnis æui claris viris comparet.* Sed excellentem hunc Comitis conatum, quo cunctos in illustri regni moderamine superare decreuit, nonnihil inuidiæ subire posse, forsan dixerit non nemo, cum ipsum parentem, qui in illa regni administratione diem clausit, superare intenderet, modestiori etenim impetu (dicat ille) petenda laus erat, isque paterno splendori erat habendus honor, vt ipsum æmula gloriæ ambitione anteire non conaretur. Sed enim vero felix proles, quæ maiores tuos laude, ac gestarum rerum gloria superans, illustrabas; nec enim felicissimi illius herois parentis tui Manibus quid potuit contingere felicius, quam eam posteritati dedisse propaginem, quæ maiorum glorias in occulto non fineret: filiorum namque memoria, & parentibus lux, & vita est; & licet in immensum crescat, non superat maiores, quos omnium exornat concessione. Qua subnixus ratione S. Cyrill. Alex. agens cum Theodosio Iuniore in pietatis circo paternas glorias æmulante, hunc à dedecore conatum sic asserit: *Erga pietatem probati cum maiorum gloria certatis, & quoniam illis gloriosum est, quòd à vestra serenitate superantur, merito dixerim nihil veritus, meliorem vos, & commodiorem tulisse sententiam:* gloriosum sanè maioribus, ipsorum progeniem noua egregie factorum admiratione pollere, gloriosum ab ipsis superari, quippe vita iam functi in nouarum laudum consortia veniunt.

Tuarum virtutum celeberrimum iam inter mortales nomen Neapolitani regni probauit amor, & honor tibi nondum de facie noto exhibitus: nam vt Q. Cicero ad Marcum ait: *Eximiam quandam gloriam, dignitatem, ac rerum gestarum magnitudinem esse oportet in eo, quem homines ignoti nullis suffragantibus meritis honore afficiant.* Sed experta iam imperij vtilitas, atque suauitas hunc amorem, ac cultum adeò mirifice auxit, vt te eorum indignatio vereretur, timor amaret. Quod sane summæ fuit prudentiæ, maximæque artis, & pene incredibile in tam numerosa hominum varietate cunctorum vitasse offensionem, præsertim cum tu omnes virtutes exerceres; Ea tamen potissimum de causa minus id fuerit mirandum, quod nullo vnquam temporum tractu in Neapolitano Regno proprij Regis in amore suorum flagrantissimi perfectior vlla reperta fuerit imago. Sane si alienis studiis aditum obstruentes, veritatis lancibus res libretur, reperiemus prouinciarum gubernatores, Regum esse simulachra verissima, non mutas effigies, in quas principis mores transfundi nequeunt, ex moderatoribus enim prudenti coniectatione supremi gubernatoris vitam, moresque vestigare solent mortales. Ex quo absurdam illorum principum socordiam inridere libet, qui dum indignanti impatientia sui imagines à vera originis forma desciscentes perfringunt, viua simulachra regios mores haud quaquam adspirantia patienti moderatione ferunt. *Nescientes* (Themistij in senatu verba sunt:) *quicumque tandē gubernationis munus sortitus sit, illum exiguam imperij imaginem induere. Porrò ex imagine homines formam*

Aug. lib. 5. de Ciu. Dei cap. 24.

Sallust. in bello Iugurth.

Tit. Liu. Decad. 3. lib. 8.

Cyr. Alex. Apologia ad Theod.

Q. Cicero ad Marc.

Them. ora. 17.

formam exempli primarij coniectant. Ridiculum vero sit, statuam nisi prorsus adsimilis sit, proijcere, tabulam delere, quæ nihil exemplaris sui repræsentet: de animatis autem imaginibus omni cura solutos non laborare. Et sanè ea imago viuam effigiem imperatoris non exprimat, nil ob id spectatoribus incommodi affert. At verò Præfectus nisi formam tuam referat, mali fati instar subditis efficitur, potentiamque, quam ad benefaciendum est consecutus in contrariam partē traducit: Tui ergo Regis, magni inquam illius Philippi, quem diuina virtutum, gratiarumque omnium corona ornatum (proh dolor!) acerba, & immatura mors mœrentibus & immerentibus nobis immaniter abstulit, suauissimos, ac probatissimos induisti mores, vt tui iuris homines amplissima locorum distantia à Rege dissiti, quem non viderant, nossent, & felicissima gubernatione allectati id dolerent solum, breues futuros tanti regni amores.

Fata igitur publicæ securitatis, & quietis tibi cōcredita integerrima iustitiæ administratione sanxisti, & mediū illud, & tutissimū iter, nō nisi felicissimis, ac prudētissimis Principibus peruiū, quo inter rigidę seueritatis, & remissę māsuetudinis extrema, pede nō errāte decurritur, vere felix, beatusq; tenuisti, scitum quidē illud Ammiani Marcellini, Valētiniani sæuitiā perstringētis. *Regenti imperiā omnia nimia velut prærupti scopuli sunt deuitāda*, laudatissimaq; Greg. Magni parænesis. *Cunctis rectoribus vtraq; summopere sunt tenēda, vt nec in disciplina vigore benignitatē mansuetudinis, nec rursum in māsuetudine districtionē deserant disciplinæ: quatenus nec à cōpassione pietatis obdurescant, cum contumaces corrigunt; nec disciplinæ vigorē molliāt, cū infirmorū animos cōsolantur*: sed vt hæc Principibus mente cōplecti, & verbis celebrare facile, ac familiare est, ita reapse præstare, & aureā hanc mediocritatis viā tenere, quin iustitiā sine rigore, clementiā sine vitiosa indulgētia, seueritatē sine importunitate, suauitatē sine languore exerceāt, quā difficile, quam insolens perpetuò fuit! Tu vero, Gloriosissime Princeps, cui diuina prouidētia indesinēter cōmilitans, auxiliares præstabat manus, quid non ex voto, atque ex animi sentētia consequereris? Equidē iustitiā, atque clementiā, vigorem, & suauitatē tāta opportunitate miscuisti, vt hę omnibus virtutes affines, imò & germanæ esse viderentur. Regebat quippe in te iustitiæ vigor mansuetudinē, māsuetudo verò ornabat vigorē, & sic alterum commēdabatur ex altero, vt nec vigor esset rigidus, nec māsuetudo dissoluta: hinc etenim ita legū decorem, maiestatēque colebas, vt ab earum præscripto discedere, vel flagitium aliquod impunitū relinquere, vt publica, & recta ratio exigebat, minimè patereris, non secus ac iustitiæ ardēs aliquādo amator Tiberius, qui *si quē reorum elabi gratia, rumor erat, subitus aderat, iudicesq; aut è plano, aut è quæstoris tribunali, legum, & religionis noxa de qua cognoscerent, admonebat*: sic verò illinc de humano sanguine fundendo dolere, innatum tibi, ac familiare, vt veriùs de te, quam de Augusto dici posset.

Ammian. Marcell. lib. 30.

S. Gregor. Magn. lib. 19. Mor. cap. 12.

Suet. in Tiber. c. 33.

Qui cum triste aliquid statuit, fit tristis & ipse,
Cuique ferè pœnam sumere, pœna sua est.

Ouid. lib. 2. de Pont. el. 2.

Quare sicubi clemētia postulasset, & diras criminū pœnas mitigare, & dubiorum criminū reos impunes dimittere, & in sūma (quoties id virtus habebatur) parcere, & misereri, solēne tibi sēper fuit. Intēde animū, obsecro, & quot iā de causis augustū illud Felicis cognomētū potiori tibi iure, quam Romanis Principibus quadret, vide. Felices enim Christianos Principes rursus dicebat esse Aug. *Si tardius vindicāt, facile ignoscunt, si eādē vindictā pro necessitate tuēdæ, regendæq; Reip. nō pro saturādis inimicitiarū odiis exercēt, si eandem veniā nō ad impunitatē iniquitatis, sed ad spē correctionis indulgēt, si quod est asperū, coguntur misericordiæ lenitate decernere, & beneficiorū largitate cōpensant.* Sed vel inde Felix, ac sūme Felix optimo merito appellari debuisti, quod vt de simili Principe dixit Latinus Pacat. *Quiescētibus legū minis subijt quēq; priuatim sui pænitētia*, & nō aliter ac de optima Traiani gubernādi ratione Plinius: *Castigauerūt vitia sua ipsi, qui castigari merebātur.* Nec enim alio vnquā tēpore Neapolit. regnum tanta virtutū vbertate floruit, nunquā magis viguit iustitia, pulcherrima, & dulcissima pax nunquā tam tuta, atque trāquilla, adeò cuncta regebat æquitas, nullius dāno, omniū incremēto, vt omnes sacrarū legū catenis cōstricti esse viderentur. Quasi felicia Comitis tempora aspexerit Seneca, cū dixit: *Cōstituit bonos mores ciuitati Princeps, & vitia eius felicius cōpescit si patiens eorū est, non tanquā probet, sed tāquam inuitus, & cum magno tormento ad castigādum veniat. Verecundiā peccandi facit ipsa clementia regentis.*

Aug. lib. 5. de Ciuit. D. cap. 24.

Lat. Pac.

Senec. lib. de Clem. c. 22.

Iā vero Excellētissime Princeps, qui in iure reddēdo omnes amplissimi muneris numeros vndequaq; adimplebas, cū sacris clauibus honorē semper detulisti, vt quod semel cuidā Episcopo dixit Theod. apud Cass. *Quoniā causarū vestrarum qualitas vobis debet iudicibus terminari, à quo est spectāda magis, quā imponēda institia*: tu animo infixū, & in ore frequentius haberes, eaque pietate cōmunē Christianæ reip. parētem, sacrorum Antistitē Christi in terris Vicariū fueris veneratus, vt nullū vnquā vlla de causa dissidiū, tibi licitū iudicaueris, imo potius ad eā obedientiæ laudē perueneris, vt nec ipsius Pōtificis vota, tuā in illū obseruantiam anteuerterint. Accinit vero hæc verè humilis, atque pij, verè inquā magnanimi, ac Regij obsequij laus totius vitæ actionibus, quarū ego aliquādo testis in dubia quadā lite, cū an tibi, an Ecclesiastico iudici de re admodū graui, & quæ ad ditionē tuam non mediocriter pertinere videbatur, iudiciū cōpeteret, vltro, citroq; ageretur, nec leuiter ipsamet ratio, & ius, vehemētius verò, iuris interpretes tibi suffragarentur, has à tua pietate elicitas audiui voces: *In dubiis Ecclesiæ cuncti suffragabimur, nullas in fauorē nostrū iuris interpretationes detorquentes: quid enim litē cū Ecclesiis vnquā instituā, quibus lubēs meas ditiones, si id mihi fas esset, tribuerem? dum licet, dubias dono lites, animi mei testes.* O eāt in exēplū Christianę hæ, ac prudētissimę voces, quibus ceu priuatus tuā in Ecclesiā pietatē, & animum ostēdisti: audiāt illas cæteri Principes, ac ore, & factis exprimāt:

Cassiod. lib. 3. epist. 37.

Nec alius in diſtributiuæ iuſtitiæ adminiſtratione,& publicorum munerũ diſtributione Comiti perpetuus mos fuit:quippe virtutum naturam minimè inuertens,iuſtitiæ rationem à benignitate, & beneficentia ſic ſecernebat ac diſcriminabat,vt iuſtitiã iuſte,liberalitatem liberaliter impenderet,& (vt in Valentiniano probauit Ammianus Marcellinus:*ſcrupuloſus in deferendis poteſtatibus celſis*, ad perſonarum merita,non ad gratiam, externaſque rationes adſpiciendum putaret, vnde qui in amicos,& affines regia liberalitate vtebatur,in eos ius ad ſummã veritatẽ exigebat.Diuino certè inſtitutus exemplo ; ſcitè enim à Chryſoſtomo obſeruatum reperi, aliter cum Petro, ac cũ Iob, in certaminibus,quæ ſinguli ſubierunt,ſe ſe Deum geſſiſſe ; Nam qui Petrum de futuro certamine admonuit, vt ad illud inſtrueret, atque armaret, Iobo nihil antea prædixit , nec peculiari corona propoſita eum præmuniuit; quippe Petro Magiſtrũ Diſcipulorum amantem; Iob vero certaminis arbitrum,ad quod ſub ipſo iudice dæmõ illum laceſſerat,ſe exhibebat: *Nouit Iob*(inquit Chryſoſt.) *ſe pro virtute certare, non nouit ſe pro patientia coronãdum, ſed exiſtimauit eſſe tantummodo calamitatẽ à Deo illatam,mala eſſe putauit,atque mala putans ſic certauit : ſi nouiſſet coronam, multo magis certaſſet. Quare ergo puniens Deus ſibi non dixit,vide quam rẽ agis,futurum eſt,vt tibi prælium per diabolum paretur,decerta potenter,age,quo ne tuã mentẽ in fugam vertat,ne ſacrilegij more tuos diripiat cogitatus,ne tuam animã prædæ habeat loco,ſed neque alienum id eſſe dicas deceptiones , erroremque dimicatori nuntiare. Nam Petro dicit Dominus:* Petre ecce expetiuit vos Sathanas,vt cribraret ſicut triticum, *Apoſtolis prædicit tentationes , Iob autem dimicationem non prædicit:* Numquid iniquitas apud Deum?Abſit : *Sciebat enim Deus diaboli malitiam, ſciebat inuidiam,ſciebat verſutiam,qua inficere virtutem poterat ; ſi dixiſſet ei Deus:Caue tibi ipſi,& certa ſi ſuſtinueris in finem,ſubſtantiam tibi duplo magis reſtituam, regnum cælorum hæreditabis, immortalitatis accipies coronam,vniuerſus orbis tuis laudibus reſonabit:ſi hoc dixiſſet,certaſſet vtique iuſtus,ſed iterum diabolus occaſionem cepiſſet,& ſiquidem certans ille viciſſet,Deo dixiſſet.Nunquid gratis certauit?promiſiſti ei immortalitatem, promiſiſti regnum,promiſiſti coronam.* En Dei de iure,& gratia iudicium : Erat etiam hic Comitis ſenſus,vt optimos quoſque in ſuam gratiam benignè acciperet,ſed gratiæ ius minimè daret,fauoremve iuſtitiæ anteponeret:vnde cum ex ipſius familiaribus vnus,qui ob diuturnam amicitiam,generoſique ſanguinis coniunctionem,& gratia apud illum plurimũm valebat,& magnificis ab eo beneficiis fuerat honeſtatus;in præſulẽ inſignis cuiuſdã Neapolitani Regni Eccleſiæ renunciari vellet,atque id à Comite obnixius poſtularet:ipſe id negotij ad ſe pertinere ſerio iterũ atque iterũ negauit,cumq; ille conſtãtius obluctaretur,omnino è re Proregis eſſe,eas ad Regẽ,regiumque Senatum denunciare perſonas,quæ ad munera idoneæ ſibi viderentur. *Ita quidem ò bone:reſpondit Comes, at vt meæ amicitiæ, externiſque aliis dignitatibus ob ingenitam nobilitatem, optimamque indolem opportunum te ſemper iudicaui,ita ad Epiſcopalem ſedem, quæ præter alias animi dotes non mediocrem ſcientiam, atque doctrinam exigit,mihi non videris idoneus,qui vix literis tinctus es : ego enim ius gratiæ non dare firmiter apud me ſemper ſtatui.* Sic tunc ſeruantiſſimus æqui Prorex : cuius quidem generis tot poſſem exempla afferre,quæ non paginas ſolum,ſed iuſtum etiam volumen implerent.

Ammian. Marcell. lib. 30.

Chryſoſtom. hom. 7. de patientia Iob.

Fuit & huic affinis illa Comitis cura,vt tam Neapolitanæ vrbis, quam Regni totius magiſtratus à lucrorum ſordibus alieni, propriis fungerentur officiis. At enim , vt peſtilenti malo non tam nato,quam naſcituro,prudenti ſolertia occurreret , & quod eſt in Prouerbio , *Prius eſſet antidotum, quam venenum*, ad illud neruos omnes contendit, ſeueriſſimiſque legibus cautum eſſe voluit,vt iis ad magiſtratus aditus vndequaque obſtruerentur , qui auro ad illos viam ſibi ſternere curarent, eam ſuo acumine, ſuaque ſapientia dignam reddens rationem, fieri nullo pacto poſſe, vt ingratis obtutibus adſpicerentur lucra , quibus honorum fulgorem dignitatumque faſtigia debere ſe homines cognoſcerẽt:Didicerit id à Syneſio Cyrenes Epiſcopo, an ſapientiſſimus vterque in eũdem ſenſum ſuo ingenio concurrerit? penitus ignoro, apud illũ tamen diuinm oratione de regno hanc mentem ſic teſtatam reperi:*Videtur enim,vt ita dicam,non facile is iniuſtitiã odio proſecuturus,nedum pecunias contempturus,aut pretiorum minimè venalium,iudiciorum forum redditurus:ſiquidem credibile non eſt, eum ſublato vultu,toruis,ac rigidis oculis aurum ex aduerſo intueri poſſe, cõtra verò verecundiæ motum iri nonnihilque remiſſurum,ac denique auidè amplexurum eſſe,cui eo ipſo gratiam habet,quod parte aliqua diuitiarum Reipubl.adminiſtrationem permutarit,& tanquam aliquid aliud ciuitates conduxerit. Nouit ergo ſe eius beneficio in honore eſſe,ſublimique in ſolio ſedere.* En ipſamet Comitis ſenſa,eaſq; rationes,quas accuratè perpendebat,ne ad honorũ culmina aureo itinere graderetur.Sed cum minimè ſit infrequens,vt *ij qui principatum tenent* (ita Græcus Dio.) *omnia potius,quam ea,quæ ad ſe ſpectant,intelligant,vtque non poſſunt clam ſuos quidquam agere , ita ſuorum facta nunquam percipiant.* Indeque ſæpius eueniat , vt domeſtici vnius ſcelere in grauiſſima exiſtimationis diſcrimina prolabantur;eam cum primum regni gubernacula Comes ſuſcepit copioſæ familiæ , ſplendidoque domeſticorum agmini legem dixit , vt ab omni munerũ,ac largitionũ corruptela mundas,& intaminatas aſſeruarent manus. Nec monuiſſe contentus, ea iterum , ac ſæpius de re ſolebat inquirere , ac domus latebras inueſtigans , nec hilũm mali ſuſtinebat , quin quantulumcumque inueniſſet fermenti continuo expurgaret , ac procul de medio tolleret; præclarum Ambroſij monitum ſecutus,qui cum Eliſæi exẽplum regis Naaman munera repudiantis,corruptumque argẽto Giezi immunda lepra plectentis attuliſſet, ſic grauiter ſubdit:*Non tamen ſatis eſt,ſi lucrum ipſe non quæras,famulis quoque cohibendæ manus ſunt. In ... ergo*

Syn. orat. de Regno.

Dion. epit. lib. 55.

Ambr. lib. 4 in Luc.

ſanitatem

familiam tuam, hortare, cuſtodi, & ſi te feſellerit ſeruus (humanam enim non excipio facultatẽ) prophetico deprehenſus repudietur exemplo: cito turpem ſequitur lepra mercedem, & pecunia corpus, animumque malè quæſita commaculat. Quam verò glorioſum, quam tibi præclarum homines ab hac labe liberos reddidiſſe, præfecturiſque non alia quam iuſtitiæ, & experientiæ pulcherrima impoſuiſſe pretia! Potuit quippe egregius ille bellorum Dei dux Ioſue Solem in medio curſu ſiſtere, ne latum vnguem ſubinde progrederetur, vnius vero Acham auaras manus, quin auro corrumperentur cohibere non potuit, eodem Ambroſio alibi in hunc modum obſeruante: *Itaque Ieſus Naue, qui potuit Solem ſiſtere, ne procederet, auaritiam hominum non potuit ſiſtere, ne ſerperet. Ad vocem eius Sol ſtetit, auaritia non ſtetit.* Amb. lib. 2. offic. cap. 26.

Verum enim verò vt hæc ita ſint, habet tamen recordatio noſtra, quod in te non tacita cenſura reprehendat. Etenim vt ea omnino verba vſurpem, quibus ſanctiſſimum, ac integerrimum virum alloquebatur Greg. Nyſſen. *Liceat mihi cum bona venia tua dicere, quod non omnia lucra deſpicis, atque contemnis, ſed quæ nemo ſuperiorũ adhuc attingere, & aſſequi potuit, ea ambabus manibus ſolus cõplexus es: pro veſte enim aliqua pretioſa, pro mãcipiis, pro pecuniis, ipſas hominũ animas captas, & in dilectionis theſauro depoſitas tenes.* Certè huius tu theſauri cupiẽtiſſimus nullũ in beneuolẽtiæ, & amoris opibus parandis finẽ impoſuiſti, ea ſe licitate, qua nemo ſuperiorũ Procõſulum. Sed quid nõ ex prouincialiũ animis eblandiretur Princeps beneficẽtiſſimus, quẽ in muneris ſui adminiſtratione omnes iuſtitię numeros adimplere videbãt, eius inquã iuſtitiæ, quã ſic diffiniebat Ambr. vt diceret. *Sibi parcior foris tota eſt, quidquid habet, quadã inclementia ſui dũ rapitur amore communi transfundit in proximos*: ſubiectorũ etenim amore raptus, & in ipſorũ cõmodũ, atque vtilitatẽ omnes curas, & cogitationes indeſinẽter collocãs priſtinũ illũ ſplẽdorem, & amplitudinẽ, quam Neapolitanis æs alienũ, & oppignerationes ademerãt, prudẽtiæ laboribus feliciter reſtituit. Regnorũ certe maieſtatẽ, publicique ſtatus gloriã opes ſemper auxere, non illæ, quæ publica egeſtate coactæ ad lãces, & momẽta põderũ, nutuſque trutinarũ ieiuni animi inhiante pallore exigũtur, ſed illæ, quas placida æquitatis vis, cõmune Reip. cõmodũ, ciuiliſque moderatio, iure ceu ſtipẽ emendicãte erogat, quarũ nulla terra feracior in his plagis, quæ ab Hiſpano Principe in veteri orbe iura petunt vna Neapolitana. Sed vel procuratorũ incuria, vel tẽporũ cõſtanti iniuria ampliſſimi regni felices opes abſumptæ ingẽtem tum regiis, tũ vrbanis prouentibus calamitatem attulerãt; cũque multorũ animos grauis cura reparãdarum opũ inuaſiſſet, dicã ne, rei difficultate, an inuidia deterritos: Id certũ damna publica in dies maiori clade ſæuire, quę Excellentiſſimi Comitis labor cõpreſſit, & germanæ opulẽtię annuos redditus tũ regno ipſi Neapolitano, tũ Regi reſtituit. Vix enim vertẽtis anni lux metã tenuerat, cum pertinaciſſimæ curæ munere, conſtantiæ robuſtæ dono, & integerrimi arte animi detectis fraudũ technis, & ſuperata priſcæ poſſeſsionis dulcedine vrbi, regno, regi, integrã opulẽtiam aſſeruit. Publicis quidẽ inſtrumẽtis, & Neapolitani Senatus fide cõſtat, regiarum opũ æſtimationẽ octingẽtorum milliũ aureorum dãnis quotannis ſubiacuiſſe, quæ fraus antequã à Comite vinceretur, nõ ſolũ illam prouẽtuum vorabat magnitudinẽ, ſed æqualẽ etiã ſumptuum occaſionẽ miniſtrabat. Fide itẽ liquet publica, regio iuri, ſeptingẽtorum aureorũ milliũ ſummã; Neapolitanę vrbi quadringentorũ millium aureorum, Regno ipſi millionẽ integrũ acceſsiſſe. Fidẽ ſuperaret ſolertiæ miraculũ, ni fidem faceret publica ipſa fides, qua cõſtat incredibilẽ hanc prouentuum magnitudinem abſque nouo tributorũ cenſu fuiſſe cõparatam. Ingens omnino vigilãtiæ facinus, cui vetuſtã à Mamertino laudẽ decantare vellem. *Illud verò cuius miraculi eſt, neminẽ vllum in tanto rerũ paratu ſenſiſſe diſpendiũ, in omnia pecuniã ab imperatore depromi, & quadã verſa vice prouinciis pẽdi tributũ; illinc ad vniuerſos fluere diuitias, quò prius vndique confluebant, vt in maxima quæſtione ſit, à quo accipias Imperator, qui ſic omnibus largiaris.* Miraculi inſtar ſit, vectigalia aucta, aſſertos prouentus ſine egenorũ lacrymis, & ſub Regis miniſtro cupiditati ſanctiſsimè reſiſtenti ad aliorum vtilitatem vendicatas opes. *Quin ego* (laudibus veſtris feliciſsimi Manes, Gallicani facundiam militantem haud ingrati accipite) *ſi fas, piũque mortalibus æſtimare cæleſtia, nullã maiorem crediderim eſſe Principũ felicitatẽ, quam feciſſe felicẽ, & interceſſiſſe inopiæ, & fortunã viciſſe, & dediſſe homini nouũ fatũ: itaque Imperatori propriam maieſtatem æſtimanti, non tam id ſuum videri debet, quod abſtulit, quam quod dedit.* Viuat æternum, innoxias opes ad aliorum vſum Excellentiſsimũ Proregẽ acceriſſe, vitiorũque auaritiam Principẽ ſuperaſſe, vltra imperatoriũ ſanè factũ, cum minificẽtiam nõ ad ſe reuerſurã exercuiſſe cõſtet. Nec fuit huic abſimile ſtudiũ, quo magno regni bono intẽtus Comes, in Neapolitanorum vrbe ſapientiæ erexit templum, & felici breuitate exhedras ſapientiæ profeſſoribus inſtruxit, non enim tuis ſolũ tectis ſapientiæ candidatos gratuito hoſpitio excipi voluiſti, ſed publicum etiã ſapientiæ erigere tectum, vt tua benignitate & certo lare, & felici vrbe donata repperiretur.

Nyſſen.

Mamert. in Paneg. ad Iulianum.

Gallic. in Paneg. ad Conſtant.

Quid iam de aliis virtutibus in illo negotiorum, curarumque pelago conſtantiſsima conſuetudine non omiſsis, ſed perpetuo ſeruatis, dicam? lux me deficeret in earum cenſu. Illud facile dixerim adeò omnia præclariſſimi gubernatoris munia Comitem obiiſſe, vt quod in ipſo non reperiretur, Principis virtus non eſſet: Quod ſane magno Philippo ita fuit perſuaſum, vt ipſum ab eo munere non aliter voluerit amouere, niſi illi met denuo præficeret, eique regio

Conuentui,qui Italicis rebus consulit,ac de Proregum administratione censet,Præsidem constitueret : ne videlicet tu,ô Princeps gloriosissime, qui Principum , ac Magistratuum censura, eaque rectissima,ad quam ipsi dirigerentur exciteras,alterius quam tuimet censuræ subiicere; imò vero quod in maximo munere tam præclarè,tam sanctéque te gesseris vt (quod Principem admonebat Synesius)non modo certaminis arbiter, sed certator ipsemet fueris, rursus tam de Neapolitani,quam de aliarum prouinciarum Italię rebus tuo statueres arbitratu.Quid vero fuerit mirandum,eam Philippo Regi mentem fuisse,qui minimè ignorabat,hanc solam, aut maximã Comiti curam esse,vt ad diuinæ voluntatis studiũ,necnon ad maiorem regni vtilitatem se totum attemperaret? Ergo Præses renunciatus, ipsa hic rerũ experientia maior,grauitate consilij,maturitate,fide,venerationi,& exemplo curiæ fuisti;& quod singulare est , post tot munera publica,post tot honores, eam cunctis benignitatem ostentabas , vt facillimos ad te aditus pręberes, & dignitatis non immemor eam muneri suauitatem admiscebas,qua summa omnes comitate exciperes , eam omnino Comitis benignitatem , & facilitatem diceres, quam alicubi Greg.Nyss. siue optauit, siue depinxit his verbis : *Sicut palpebrarum prominentibus pilis quasi vallo obiecto puritatem & vehementiam radiorum natura obumbrans, & frangens,temperatum, ac dilutum splendorem oculis infert,quo placidius Sol pro eo modo quem vsus poscit cum vmbra,quam palpebræ faciunt,contemperatus existat:ita morum grauitas,atque maiestas cum moderata animi demissione commixta non auertat oculos intuentium,sed iucundum efficiat obtutum,vt neque grauitatis,ac seueritatis splendor obscuretur,neque latens in animo vis propter humilitatem despiciatur,sed alterum æqualiter in vtroque, tum in celsitudine,ac sublimitate comitas,& humanitas, tum in humilitate vice versa grauitas , ac seueritas animaduertatur.* Hic Nysseni penicillus Comitis suauitatẽ delineans,atque ipsum de facie agnoscendum proponens. Illud vero me multò magis in admirationem rapit, eum Principem , qui tanto animi nisu, tam constanti studio diu noctuque publicæ rei inuigilabat , vt non sibi , sed toti genitus videretur mundo,inter tot grauissimas siue administrationis publicæ,siue amplissimi status,siue tam lautæ,atque copiosę familię curas,à quibus excelsus quiuis animus velut à voraci gurgite haud difficile absorberetur,non minus accuratè quam religiosum quempiam, qui in secessu, ac solitudine à terrenis sęcularibusque negotiis cogitationes omnes abduxisset, multum frequenterque de se ipso cogitare solitum,assiduamque suarum actionum commissique sibi muneris à se ipso rationem exigere , atque eo ordine exactaque mensura omnes vitæ rationes,ac temporum spatia dispensare, vt nulla vnquam impedimenta destinatum orationi, spiritualibusque exercitiis tempus eriperent,nulla siue intempestæ noctis,siue aduersæ valetudinis importunitas ipsum quominus summa animi alacritate, & corporis reuerentia,flexisque genibus hæc humilis,ac pij animi obsequia Deo persolueret,posset retardare.

Nyss. orat. de ijs qui præmaturè abripiuntur.

Sed quò iam hę Comitis tam egregiæ,quam insolitæ, & à Principum consuetudine alienæ actiones itent? Quo diuinis rebus adeò intenta mens tenderet? Sane non aliò, quam ad celeberrimi illius theatri,ad Aulæ,inquam,curięque contemptum,& ad eximiam munerum,& dignitatum gloriam,ad quam humana ambitio tam ardenter anhelat,linquendam,ac repudiandam ; quippe illius animus in cœlestium consideratione diu exercitatus, & diuini amoris æstu flagrans multò altius attollebatur ; terrenaque hæc , quorum splendor mortalium oculorum aciem perstringit, non modo minimi facienda, sed etiam tanquam virtutis impedimenta reiicienda censebat : inhabitantis quidem in se Numinis , vel gentili Seneca teste, non obscurum præbens documentum , sic enim ille : *Bonus vir sine Deo nemo est. An potest aliquis supra fortunam nisi ab illo adiutus exsurgere? Ille dat consilia magnifica,& erecta.* Sanè senex ille Berzellai Galaadites,de quo in Regum libris illustris mentio fit,à Hieron.meritò commendatur , quod Dauidis Regis aulam, atque eius dona quasi importuna grandæuo homini , qui de morte solum cogitare deberet,pertinaciter reiecerit: *Berzellai Galaadites*(inquit Hiero.) *Regis Dauid beneficia,omnesq; delitias iuueni delegat filio, ostendens senectutem hæc appetere non debere,nec oblata suscipere :* at quanto maioris fortitudinis, firmiorisque animi opus fuerit, Comitem tam aulam , regiamque gratiam,quam splendida munera,eximiosque honores tunc reapse reliquisse, cum hæc plus plus florentia,atque arridentia illius robori,atque ætati non deflexæ, sed constanti maximè essent opportuna? Sed enim hoc excelsi animi,augustæque mentis proprium fuit. Rectè siquidem Seneca de eo, qui animi impetũ ad meliora dedit: *Ponet se extra ius,ditionemque fortunæ,secunda temperabit,aduersa comminuet,& aliis admirãda despiciet. Magni animi est,magna contemnere,ac mediocria malle,quã nimia. Illa enim vtilia,vitaliaque sunt,at hæc eò quod superfluunt,nocent.* Igitur firmato animo inconniuentibus, atque etiam ferociẽtibus oculis florentem fortunam obtuens à summis Reip. laboribus, à summis etiam honoribus,ac dignitatibus ad suorum populorum moderationem & otia hilaris,& gaudens Comes descendit:& verò ad suauissimum ipsius conspectum cecinimus omnes.

Sen. ep 41.
1.Reg. 19. 34.
Hier epist. 34. apud August.
Sen. epist. 39.
Horat.

vultus vbi tuus
Affulsit populo , gratior it dies,
Et soles melius nitent.

Sed

Sed quidni melius niterent? qui à summis virtutum tuarum ornamentis, & ab animi tui celsitate, & maiestate, qua caduca omnia despexisti, atque calcasti, splendidissimum nitorem accipiebant: num alius eo splendore fulgentior, nitidiorve, qui externa, alienaque deponens propriæ virtutis luci innititur? Pulchrè Seneca: *Quid enim est stultius, quam in homine aliena laudare? quid eo dementius, qui ea miratur, quæ in alium protinus transferri possint? Non faciunt meliorem equum aurei freni. Aliter leo aurata iuba nitet, dum contrectatur, & ad patientiam recipiendi ornamenta cogitur fatigatus: aliter incultus integri spiritus. Hic, scilicet, impetu acer, qualem illum esse natura voluit, speciosus ex horrido, cuius hic decor est, non sine timore adspici, præfertur illi languido, & bracteato.* (Sene.epist. 41. iuxta Erasmi lectionem.) Quam aliter ergo nitebas (Excellentiss. Princeps) quanto videlicet splendidiùs aureos excutiens frænos, seruilemque patientiam recipiendi ornamenta generoso despectu deponens: quam si ad aliorum morem languidus bracteatusque spumantia fræna manderes?

Alia tamen efficacior ratio, multoque valentior; perpetua, videlicet, beneficentia, atque benignitas, qua de omnibus optime mereri, cunctis indesinenter benefacere, & Dei ritu fessis rebus subuenire, in tua ditione positus, in animum singillatim induxisti, maximum hunc & pene diuinum splendorem necessariò sibi adscripsit. Principes, qui *quæ digna sunt Principe* cogitare, (Isaia.) atque exequi solent, cum sole ipso radios suos vndequaque diffundente, quin benefaciendo (Synes.ora. de Regno.) vnquam fatigetur. Sic sapiens componebat Synesius. *Principem cum in bonis conferendis liberalitate sit animi præditus, tum nihilo magis ea re defatigatum iri oportet, quam solem suos in stirpes, atque animantia radios effundentem, nec enim lucere ei laboriosum est, vtpote cuius in natura splendor ipse, & fons luminis continetur.* At enim cum Salomon Regum sapientissimus diuinam Soli sapiētiam ob hoc (Sap. c.7.30.) signatè anteponat, quod illi succedat nox; sapientiam verò nullæ vnquam tenebræ à benefaciendo valeant retardare, libet potius, Princeps gloriosissime, immortalis te magis, quam creati solis imaginem præferre, animosè affirmare. Quid? nonne ad Dei imaginem efformatus homo? nonne & hæc Dei imago homini indita, in benignitate, & beneficentia censetur? Ita certe hac de re agens Theodoretus: *Quemadmodum Deus longanimis est, ita homo longanimis habet se ad imaginem Dei. Iustus, & sanctus est Dominus, condolens, & misericors. Igitur qui amat iustitiam, & sanctitatem, & peragit, atque obseruat præceptum illud Saluatoris:* (Theod.q.20. in Genesim.) Estote misericordes, sicut & Pater vester misericors est, *&c. fit imago Dei per omnia:* cur ergo, qui ea te liberalitate, & benignitate præditum perpetuò vidimus, vt nullæ vnquam splendidissimo iubari radios suos circumquaque diffundenti tenebræ potuerint succedere, viuum Dei simulachrū exstitisse, dubitabimus? Pergit sanè nostra in te pietas, audet stylus noster, atque eam te Dei imaginem prætulisse credimus, qua Deum signatè pulchrum, ac speciosum quodammodo redderes: Certè Hebræos (Ad Hebr. 13.16.) Paulus ad beneficentiam, ac misericordiam sic vrgebat: *Beneficentiæ, & communionis nolite obliuisci; talibus enim hostiis promeretur Deus*, siue vt Syriacè legitur. *Talibus enim hostiis pulchrescit Deus:* Quid? Ex creaturæ decore, ac venustate, summæ illi, ac infinitæ pulchritudini, quæ pulcherrima ab æterno est, decor aliquis valeat accedere? Haud equidem eò it Pauli oratio, sed ea potius mens est; benignum, ac misericordem virum pulcherrimam Dei faciem, quę ad benignitatem non immeritò refertur, sic nobis ob oculos obiicere, ac interpretari; vt ad eam pensiculatius percipiendam ex visibilibus inuisibilia, ex humanis, atque finitis, diuina, ac illimitata coniectans, opportunius, atque valentius animus noster assurgat: quippe hanc secū ratiocinationem conficit: si hæc benignitatis, ac liberalitatis scintilla humanis adeò splendet oculis, ac fulget, quę rogo claritas, quis splendor, qui demum pulchritudinis radij incircumscriptę illi Solis ro- (Prou.20.6.) tæ erunt? Hac sanè cogitatione instructus sacer dicebat Paræmiastes ex LXX. interpretum (Iuxta Lectio. LXX.) versione. *Magnum homo, & pretiosum vir misericors:* Qua verò ratione magnum quidpiam, & pre- (Ambr. in) tiosa res, luteus homo fit, ita aperit ad ea verba Ambrosius: *Et verè magnus est, qui diuini operis in-* (Psalm. 118. octon.12.) *terpres est, & imitator Dei*: En igitur, benignissime Princeps, quo tuæ te adduxerint extulerintque virtutes, quo egregiis moribus, quo potissimum beneficentia; ac liberalitate tua iueris, vt nimirum cœlesti passu ad Dei imitationem; eamque imitationem, quæ Dei formam ac pulchritudinem, quo potest modo humana mens percipere, nobis interpretetur, perueneris.

Magnam quidem excellentissimæ huius tuæ beneficētiæ, atque misericordiæ segetē benignus stylus celebrare posset: eluceat, prodeatve sub vno facinore pulcherrima liberalitatis messis. Ingratæ annorū vices creditam seminum opulentiā negarant prorsus, & egenorum mendicitas tota ferme ditione Lucensis Episcopatus fame, nuditate, & morborum lue grassante certi tecti vmbra carebat. Mouit optimum Præsulem propria suorum calamitas, & cum effusissimæ misericordiæ impendiis ad familiaris rei gloriosam redactus esset inopiam, egebat subsidiis, quibus publicæ pietati erigeret Xenodochium. Erat L'emensiū Comitum domui in ipsa Lucensi vrbe tectum priscæ magnificentiæ æternaturum monumentum, quod olim inclytus ille Fredericus Arionæ dux Ioannis II. Castellæ Regis patruus, & vnus è regiis tuis maioribus, non illis sanè maior, sed maximè æqualis regio sumptu condiderat. In hanc ergo illustrissimam domum oculos bonus Antistes conniciebat, & in egenorum vsus, egregiumque pieta-

tis,ac beneficentiæ monumentum opportunè verti posse, animo apud se tacitus agitabat. Sed quis rei animum admoueret?vt fastigiátiű turrium altitudinē,minacem domus proceritatem, vastâque illam magnitudinē ad egenorum vsus deprimeret? & summę nobilitatis stēmata destructum iret?Sum equidē in ea mēte, Numinis consilio, cuius prouidentię nutu Comitis animus erat mouendus,pijssimo Pręsuli non defuisse constantiam, vt dum illū hac de re oraturus adiret,rogantis misericordię vota felicem sortirentur effectū.Igitur Comiti res tota,consiliumque detegitur,sed tā modesta postulationis fronte, vt tunc solum erubuisse crediderim modéstiam:nā cum haud imprudēti consilij lance grauē futuram petitionē arbitraretur,adeò dubius rem poposcit, vt negare doceret:illud amplissimè promisit,Lemēsis familiæ stemmate ornandam quaque versus domus faciē. Quid tunc Comes?Adsimilis certe,sed duplicata benignitatis,& liberalitatis vice fabuloso Ioui,qualis ab Homero,ei, qui duo postulauerat alterū concedens,alterum denegans inducitur,vt domū amplissimā,atque nobilissimam Antistiti in pauperum vsus citissime,& libentissimè donauit,ita gentilitio illā stemmate in posterum ornandam pertinacius negauit, atque obstitit. Et iure quidem quam maximo,tum quod nulla Comitis propriora,feliciorave stemmata,quam Pietas,victura ęternum in rerum fama,tum etiam quod sapientissimus,& in Deum pientissimus Comes se Deo sua non dare,sed reddere,atque persoluere non minus bene nosset,ac monuit olim Saluianus Massiliensis inquiens: *Neque enim homo prastat beneficium in iis,qua dederit,sed Deus in iis homini,qua acceperit,quia etiam quod homo habet, Dei, ac Domini sui munus est,ac per hoc in iis,qua offeruntur ab homine, homo non suum reddit, Dominus suum recipit. Itaque cum offert Deo quispiam facultates suas, non offerat quasi præsumptione donantis, sed quasi humilitate soluentis.* Ergo ad Saluiani mentem liberalissimam donationem sic Comes composuit, vt ex acceptorum beneficiorum solutione nullum honorem ambiret, consultéque illustrissimum illud tectum dum humanarum rerum splendori seruiebat, Lemensis domus ornabatur gentilitio insigni, vt generosæ antiquitatis clarissima monumenta in tanti stemmatis vmbra florere cernerentur, postquam verò sacrata hæc fuere Numini, haud decuit,mortalem stemmatis gloriam in ipsis apparere, vt non superba donantis præsumptio, sed pia soluentis Comitis humilitas eluceret.

Homerus.

Salu. lib. 1. ad Eccles.

Et verò quoniam à diuulgando ardenti hoc Comitis in pauperes amore,quo illum æstuantem semper vidimus,difficile auellor,non sileam, ipsum in eorum caussis tractandis, tam pronum,tamque benignum se exhibuisse,vt præter largissimas eleemosynas stipis nomine in ipsos collatas seuerissimis legibus sancitum voluerit, vt quotquot egenorum, & debilium lites forent,principem inter omnes obtinerent locum, quo maturius,ac benignius expedirētur:Quare egregias illas Valeriani voces à te mendicorum lacrymis deuicto non semel vsurpatas meminere tui: *Omne misericordiæ studium conuertamus ad Dominum, in cuius amore non otiose,aut negligenter pauperum tractandæ sunt lacrymæ,ne ille qui totum orbem solet pascere, ad nostram confusionem inter mendicos videatur esurire.* Sed & similia Comitis verba in pauperis cuiusdam leuamen,atque opem effusa,hic non immerito aptauerim.Nouit ipse rustici cuiusdam operam iusto pretio domestici procuratoris seu incuria,seu iniuria fraudatā; quem statim accersitum acerbissima oratione suggillauit, mitiora hæc inter alia subiiciens. *Nonne sæpius graui imperio testatus sum,velle me pauperum operarum labores,vel ingenti rei familiaris iactura, larga solutione donari, quin vt & extra laboris sortem, lacrymis, quas fudisse poterunt certa pretia tribueres?* Macte virtute Comes, & primus sine inuidia post mortalium conditam Rempub. qui egenorum lacrymis pretia constituisti. Credideram Optimo,& Maximo tantum Numini id curæ fuisse,sed animo tuo vehementi ipsius amore,ac imitationis studio rapto id cōtingere felicissimè debuit,vt cœlestis munificētię exēplar terris relinqueres:sic quas benignior fortunæ fauor, & tantæ ditionis diuitiæ lacrymas negarunt, primus forsan emptas pretio opulenta negotiatione cælo gratissimas inuexisti. Quid huic laudi comparandū ferax omnium sæculorum memoria edidit? Prodeat in æmulationis circum eloquentiæ splendor, & in laudē iuratus verborum nitor,dum Traiani magnificentiam recenti parentū orbitati consulentem sic extollit:*Egregiè Cæsar, quod lacrymas parentum vectigales esse non pateris.* Quantum hoc decantatæ munificentiæ monumentum illi cedet,quod pauperum lacrymis vectigal instituit? quo egenos miseriæ non pœniteret. Tādem liberalitatis ingenio modus apparuit,vt miseros esse iuuaret,dum lacrymarum calamitati pretia decreuisti.

S. Valer. hom. 7.

Plin. in Panegyr.

Quod si celebrē illum Patriarcham Ioseph non immeritò Saluatoris nomine Pharao Rex cōpellare voluit,quod pro data sibi diuinitus industria, atque sapiētia Ægyptū à famis exitio seruauerit,quanto potiori iure non tuæ solū,sed aliarū ditionū homines saluatorem te possent appellare,qui & tanto studio diffusas eorum lacrymas abstergebas;& dum fame domināte copiosissimis cottidianisq; eleemosynis egenorū inopiā sustētabas,esurientibus annonā, nudis vestes,ęgrotis tectū,& necessaria omnia, innuptis,& egētibus fœminis quidquid ipsarū doti opus esset suppeditans,extra plura cunctos peccādi discrimina positos, certo quodā modo redimere videbaris.Pulchrè in re simili Ambros. *Ecce aurum quod probari potest, ecce aurum vtile, ecce aurum Christi,quod à morte liberat. Ecce aurū quo redimitur pudicitia,seruatur castitas. Ille verus thesaurus est*

Gen. 41.45.

Ambr. lib. 2. offic. cap.

Domini,

Domini,qui operatur,quod sanguis eius operatus est: Vt vt id sit,opportuniùs,opinor,ex fulgentissimo virtutum tuarum iubare, quod densissimis perfidiæ, & obstinationis tenebris limpidissimum lumen valuit inferre,saluatorem te compellabimus. Eat iam tandem in æuum immortale maximæ vitæ probitatis egregium documentum, ac vt futuri aliquando Principes nostrum Comitem hinc æstiment, & vt perfectæ virtutis famam ex vno fonte petant, en sub vno euentu viuam animi faciem. *Non quia intercedendum putem imaginibus,quæ marmore,aut ære finguntur,sed vt vultus hominum,ita simulachra vultus imbecilla,ac mortalia sunt;forma mentis æterna,quam tenere, & exprimere non per alienam materiam,& artem,sed tuis ipse moribus possis:* sub vnius igitur rei attestatissima comprobatione in æternitatis tutelam damus Comitem. Hebræa quædam proles perfidiã, pertinaciamque à lacte suxerat,quam primis annis altissima simulationis nocte inuoluit, adolescentis vero ætatis incrementis, eas perfidæ mentis opinio radices egit, vt orthodoxæ fidei valentiora argumenta velut in durissimum tela contorta saxum, eum minime mouerent. Induruerat animus diuturnæ incredulitatis morbo,& publicè tectus vim nostræ fidei sæpius euaserat suo malo,donec annorum se euoluente serie clarissimi Comitis sedem Monfortium tetigit. Hic communem oppidanorum erga Comitem amorem obseruantiamque sedula animi lance versans(sapienter ille *amari,coli,diligi,maius imperio est*)in tam obseruãtis amoris,tã amantis obseruantiæ fontem non absurda inuestigatione dat vela,& occasione,verius Numine, fauente,amoris,& obseruantiæ originem,virtutum omnium perfectissimum exemplar in absoluta virtutum sede intuetur;eblanditur animum admirationis æstus, & diuina irradiante luce in illam ratiocinationem incidit. Ita ne mortalibus errandi ansas Numen sic præbuit, vt has virtutes homini à vero ipsius cultu alieno tribuerit?facilius credam euanuisse verticis Sinai legis iura, quam harum virtutum, egregiorumque morum formam cum certiori lege non esse coniunctam. Qua vna supernæ lucis ratiocinatione ancillãte veritatis portum firmiter tenuit, & abiurata perfidia certæ religioni deditus in seuerissimo Quæsitorum fidei Senatu rei ordinem detexit. Rapit frequentissimè adulatio subditorum non animos, sed vultus, admiratio multos in æmulæ gloriæ certamen duxit, dum laudem inter difficultatum salebras, & tesqua delitescentem appetunt;ipsa seuerioris disciplinæ professio aliquando vitia suggillauit, sed illa quæ oculorum iudiciis patent,quæ taxat supercilium; at arcanam opinionem ne adulatio vnquam,aut blandiens assentatio,nec impatiens supercilij censura mutauit. Incredibilem pene de infidelium moribus assecutum se victoriam Magnus Afer existimauit,cum Christiani pallij humilitate lasciuienti licentiæ ruborem non semel minitatus fuit. *Grande*(inquit ille)*pallij beneficium est,sub cuius recogitatu improbi mores erubescunt.* Maius equidem beneficium, eam in Principe clarissimo vitæ probitatem luxisse,quæ de occursu suo non vitia solum, sed tacitam animi opinionem eo rubore suffunderet, vt pertinacissime defensam opinionem tanti luminis splendor dissiparet,quin densissimarum tenebrarum caligo in tanta claritate habuerit momẽtum;quas necesse fuit in sacro illo animo reperiri virtutes, vt hominem à tanta obstinatione, & pertinacia amouerent?maximè cum *post necem Domini illatam* (sic censuit Constantinus Augustus)*post parricidium illud nefandum ex mentis statu deturbati, non ratione vlla, sed temerario animorum impetu,quocumque insita ipsis,& innata insania rapiat,feruntur.* Compescuit ergo innatam genti mentis turbationem,frænauit temerarium impetum, sedauit insaniam vnus tantæ virtutis, ac religionis aspectus. O gloriam omni laude maiorem!sic inter aulæ splendorem Christianæ pietatis radios illuxisse,vt Christianæ fidei fidem facerent. Tradat posteris Comitem tanti euentus maiestas;hinc illum noscant,admirentur, sacro virtutum habitu non vitia solum incusantem,sed orthodoxam pietatem de silentio asserentem.

Corn. Tacit. in Agricola.

Symmach. in oratio pro ara victoria.

Constant. in epist. ad Ecclesias apud Theodor.

En Excellentissimi Comitis spirantes vultus:En viuam ipsius faciem. Sed heu rerum humanarum inconstantiam,atque fragilitatem!Heu mortalis vitæ vaporem!Heu acerbũ,& nimium mortis imperium,atque effrenatum ius,quæ ipsummet virtutum exemplar, & limpidissimum speculum confringere, venerandæque probitatis formæ diras manus valuit inferre. Degebat Monfortij Comes egregiis his virtutum actionibus sedulam indesinenter operam nauans; his clementiæ, atque iustitiæ artibus amplissimam ditionem, & florentissimam familiam gubernans,religiosorum hominum,& sacrarum virginũ cœnobiis magnificẽtissime extructis Monfortium muniens,sapientes vbique viros nimio fauore protegens,& dulcissima otia, siue literatorum doctrinis exornans;siue proprij genij venustate dispungẽs,& tam feriarum rerum curis,quam intermissionum hilaritate,& elegantia cum Magno Africano de gloria contendens, dum *Scipio tam elegans liberalium studiorum,omnisque doctrinæ,& auctor,& admirator fuit:vt Polybiũ, Panætiumque præcellentis ingenij viros domi,militiæque secum habuerit,neque enim quisquam hoc Scipione elegantius internalla negotiorum otio dispunxit,semperque aut belli,aut pacis seruiuit artibus*: Cum pacatissimum illum animum,qui iam diu externa bona contempserat,pacemque sibi fecerat,in curiã rursus reuerti non alia minus vrgens pietatis coegit occasio,quam vt Excellentissimæ Comitissæ matri,inter principes fœminas lectissimæ ob grauem morbũ in extremo vitæ discrimine positæ propius adesset. Vix vero debitũ id pietatis persoluerat officium,cũ diuturni itineris

Vellei Pater. lib. 1. hist Rom.

 molestiis,

molestiis,& laboribus fractus mortalitati cessit. *Illic obtenebrata est lucerna, illic extinctus est splêdor, illic radij virtutum obscurati sunt, periit imperij ornamêtum, iustitiæ gubernaculum, humanitatis imago, imò verò ipsa principalis humanitatis forma, maritalis amoris figura, atque exemplum, ablatum est castum continentiæ, atque sobrietatis, & pudicitiæ donarium, facilis aditu grauitas, non contemnenda facilitas, & mansuetudo, alta animi humilitas, atque modestia, pudor ingenuus, promiscua bonorum harmonia; perijt fidei zelus, & stadium, Ecclesiæ columna, altarium ornatus, pauperum diuitiæ, multis subministrandis sufficiens, dexter communis iactorum, & afflictorum portus:* Neque enim verioribus, opportunioribusq; quam his Nysseni Gregorij verbis, cõmunis Hispaniæ iactura explicari potuit. A quo & illa dum rursus resurgens sæuit dolor, magnoque tristitiæ æstu fluctuans calamũ sistit, nõ minus opportunè mutuo acceperim. *Proinde cognoscite quis vir sit generosus, & nobilis, ab ortu Solis inculpatus, iustus, verax, pius, & religiosus, abstinens ab omni malo facinore. Non enim vtique inuidebit magnus ille Iob, si in testimoniis, quæ de ipso feruntur etiam imitator illius ornetur. Sed quæ omnes res præclaras intuetur inuidia, etiam nostrum bonum acerbo oculo intuita est, &c. Verum non in his nobis inuidia damnum dedit, neque in asinis, & camelis noxam commisit, neque ipso vulnerata carne sensu acerbo dolore affecit, sed nos capite priuauit, cum capite autem vna adempta sunt honorata, ac dignitate præstantia sensuum nostrorum instrumenta. Non amplius est oculus, qui cœlestia contueatur, neque auris quæ vocem diuinam exaudiat, neque lingua illa purum veritatis donarium. Vbi dulcis illa oculorum serenitas? vbi iucundus ille, ac lepidus in labiis risus? vbi comis illa, & ad salutandum facilis dextera? Quæ vna cum oris benedictione digitos intentare solebat?* O incerta mortalium curricula! O inanes nostras contentiones, quæ medio in spatio sæpe frãguntur! O immutabilem rerum humanarum ordinem, quo morti pretiosa æque ac vilia, fortia non minus quam imbecilla ineuitabili lege subiecta sunt! Ast ego, cur proprij doloris æstu adeò vehementer abripiar, vt extremæ felicitati tuæ, ô mens purissima terreno exuta inuolucro, & iam cœlesti, ac immortali purpura collucens, videar inuidere? Cur ad meam potius acerbitatem, & mærorem, quam ad felicissimam tuam sortem æternamque beatitudinem malim intendere? Obiisti diem annis immaturus, sed maturus iustitiæ, & supernæ beatitudinis coronæ consummatus. Obiisti incredibili Regni, atque Reipub. iactura, & importunitate, sed non minori simul pulcherrimorum euentuum opportunitate? & singularium exemplorum, quæ moriens posteris imitanda reliquisti vtilitate, ac bono. Quam enim contigit opportunè? quam prouidè? vt qui elapsis annis tam longe à curia distatat: vita in mortem maturante, ab ea, cui tam vtiliter præsens vixerat, non abesset! Ergo diem clausit mortalem magnus heros in publicissimo rerum naturæ foro, in ipso humanæ Reipubl. Comitio, in Hispani Philippi regia, & morientis Solis occasus adeò diues luce, & opulentus splendore fuit, vt in medio orbis theatro in Mercurium æternæ beatitudinis indicem omnibus mortalitatis viam ingredientibus à cœlo constitutus videatur.

Nyss orat. in funere Meletij.

Ouid. Fastor. 4. & lib. 9. Metam.

> *Sic vbi mortales Tyrinthius exuit artus,*
> *Parte sui meliore viget, maiorque videri*
> *Cæpit, & augusta fit maiestate verendus.*

Moritur Sol, nec minore luce, quam nascitur, cælumque perpetuo eius splendore illustratum funestissimæ lucis morti non se subtrahit, sed grata constantia quem nascentẽ excipit Solem, morientem reueretur; illustratam se Lemensis Comitis luce Curia gloriabatur, dum sæcularium vrna rerum prosperis rebus ipsum admouit, grate moriturum vocauit, vt in aulæ institutionem natum Principem, cuius se luce ditarat, Regia morientem prosequeretur. Iure quam maximo, nam ad solis obitum, quem pulchrior cœli ornatus patitur, ipsum duntaxat pari luctu mæret; si vero Numinis arcana consilia mortali aliquando cultui rimari fas fuit, quis ambigat veris Principibus exemplar æternam mentem præbuisse, vt mori addiscerent, vt in obitu felicissimi Principis ardua, generosaque diuitiarum, honorum, florentisque ætatis tædia animaduerterent, & animum colerent fortunæ fastigio superiorem, cui mors nullum rapuit felicitatis donum, nam qui mortalia haud vnquam affectu complexus fuit, ad occasum præcipiti iam vitæ curriculo hanc sæculi florentisque fortunæ pulcherrimam illecebram, tam generoso spreuit despectu, tam celso contempsit animo, vt in mortis impetum patiens, constans, fortis, hilaris fuerit, eamque nulla voluntatis de difficultate renuentia, sed maximo de conformitate cum Dei placito gaudio, & ad eius nutum se totum componẽs, ac effingens, libens, ac lubens complexaretur. *O decantanda* (vt verba rursus à Nysseno bona fide accipiam) *& imitatu dignissima emigratio! O mors lacrymis non indigens! O separatio optatã societatẽ concilians! O transitus cuius transeuntẽ minimè pænitet! O funus omnis doloris, atque molestiæ expers! Dũ enim ipsius mores suspicimus, consolationẽ inde percipimus,* &c. *Quare ista non dicẽda mors, sed potius transitus, & ad vitam hinc meliorem emigratio.*

Nyss. de vita S. Ephem.

Fuit & illud singulare à Deo beneficium, vt (tot viarum laboribus eò perpessis) vxorius morienti accũberet affectus, inuigilaret sollicitudo, nouissimis sermonibus constans assideret, valetudinem foueret deficientem, exciperet mandata, vocesque quas penitus animo figeret. Planè vt qui coniugalis beneuolentiæ rarissimum semper exstitit specimen, nonnisi inter amica verba, charosque complexus suauissimè expiraret animam, & felix vitæ claritate, hac mortis

opportu

opportunitate non careret: magis verò vt in dulcissimam vxorem, emori mutata vice volentem,& ni fata votis obstitissent,in mariti corpus vitam inspiraturam suam, proprium ipse spiritum transfunderet, egregiasque transcriberet virtutes: ne tanta Comitis clade virtus repente orbaretur. Tale quidem Ambrosij in dilectissimi fratris Satyri obitu votum, talis mens erat; cum enim de irrito affectu, quo propriam vitam cum morte fratris commutare cupiebat, sic priùs conquereretur. *Nihil mihi profuit vltimos hausisse anhelitus, nihil flatus in os inspirasse morienti. Putabam enim, quod aut tuam mortem ipse susciperem, aut meam vitam in te transfunderem. O infelicia illa, tamen dulcia suprema osculorum pignora! ô amplexus miseri, inter quos exanime corpus obriguit, halitus supremus euanuit. Stringebam quidem brachia, sed iam perdideram quem tenebam,& extremum spiritum ore legebam, vt consortium mortis haurirem:* Postmodum dulcissimum germani spiritum ad ipsius virtutes ebibendas sic suscepisse, exoptabat. *Sed nescio quomodo vitalis ille mihi halitus factus est, & maiorem gratiam in ipsa morte redolebat. Atque vtinam si tuam nequiui meo spiritu vitam producere, vel vltimi anhelitus tui vigor transfundi potuisset in meam mentem,& illam tui animi puritatem, atque innocentiam noster spiraret affectus.* Vitalis ergo supremus tuus halitus, ô Comes, factus est, cum ipsum in excellentissimæ coniugis mentem transfuderis: illa siquidẽ in ipsamet mortis acerbitate contẽplationẽ virtutũ tuarũ vocauit animũ, nec decumanis doloris fluctibus fracta inter iustissima tui desideria hausit halitum, tanti amoris vltimum pignus, hausit virtutes. Adeò illi, adeò nobis; imò verò ipsimet virtuti dupliciter liberalis consuluisti, dum te vxori; illam virtuti, ne tanta tui clade ipsa repente orbaretur relinquere cogitasti: securus virtutum tuarum iam in altero te placide conquiescentium, ita eius affectus illam tui animi puritatem, atque innocentiam indesinenter spirat, vt merito in nostri æui exẽplar proponatur. *Ambros. orat in obitu Satyri.*

Iam verò, nec minus cecidit vtiliter, quod fœcũda sterilitate,& prout Patrẽ decebat patriæ, absq; liberis Comes obierit: neque enim alius publici patroni hæreditatẽ æquius adiisset, quam publica successio,& cui pro liberis & amicis Respublica viuenti fuerat, morienti quoq; hæreditario iure Respublica succederet, ne quid publico iuri extortũ in filios trãsmitteret. Vel vt dicã rectius, ne quis mortaliũ immortalis homini vitæ succederet, atq; ideo tanti Principis posthumæ gloriæ aliũde hæres, quã à terris peteretur. Licet vestri consilij (felicissimi Manes) id tantũ fuisse arbitrer, vt Numini vestras opes sacraretis, ô mẽtis sapiẽtiã! Sic Excellẽtissimi Comitis hæreditatẽ capessiit mortaliũ Assertor, ne vllus decedenti propinquior crederetur, dum sãguinis temnit ordinẽ,& hęreditaria iura Christo donat. Fortunate Comes, qui Deũ sortitus es hæredẽ tua in pauperes liberalitate. Extãt certè inter alia non moriẽtis, sed æternũ immortalis tuæ pietatis monumẽta. Mõtorrij cœnobiũ tuis à fundamẽtis cõstructũ expensis, quod merito ambigã, an incolãt Angeli, an Virgines, quæ sub Claræ patrocinio, tuoq; clarissimæ omni sæculariũ bonorũ extra confinio cœlestẽ in terris æmulãtur cõuictũ: ad hęc purissima virginitatis septa, quę tuis ditescunt opibus, perenni ętatis curriculo lectissimę conuolabunt fœminę,& tuis tabulis hęredes signatę, tua morte alentur. Pręferebat optimo merito Centurioni Synagogã olim apud Lucã ędificanti, quendã sui ęui Comitẽ in Christi honorẽ basilicã construentẽ, Ambrosius serm. *In dedicatione basilicæ.* his verbis excellentiori nostro Comiti opportunissimis. *Centurio ergo si iustificatus est propter opus fragile, vel terrenũ, iustificandus plane est vir clarissimus,& prouidentissimus Comes noster propter opus tã perpetuũ, vel cæleste, qui Comes sicut est Centurione dignitate potior, ita & fide debet esse deuotior. Sapiens vir,& religiosus Comes, qui quãtum in bello Imperatori militat, tantũ & in pace militat Saluatori. Sapiẽs inquã, qui sicut Comes Imperatoris est, ita & Comes Christi esse desiderat. Nã bene vtique,& religiose agendo dignitatẽ suã cupit esse perpetuã.* Sed enim, Excellentissime Comes, liceat mihi amplius aliquid,& illustrius de te dicere, ac pulcherrimã tuã mortẽ Æterni filij morti haud dissimilẽ affirmare: de hac siquidẽ prophetico ore Isaias. *Generationẽ eius quis enarrabit? quia abscissus est de terra viuentiũ:* ac si diceret: quis numerosã, atque pulcherrimã filiorũ sobolẽ, quã cœlo Christi mors peperit, enumerare valeat? Planè quasi purissimus ipsius sanguis cælestis roris vice terræ fuerit, quo illa feliciter irrigua fœcundo partu Sanctorũ flores, signatè verò sacrarũ virginũ candida lilia exprõpserit: *Inde namque factum est* (inquit Carpathiorum Antistes Philo) *vt in hortis olentissimis mentiũ humanarũ per vniuersum terrarũ orbẽ Christiana fide,& charitate flagrãtiũ pasceretur ipse Deus, ex hisque candidissima liliorũ odoramenta, ac serta Apostolorũ, Prophetarũ, ac Martyrũ,& omniũ beatorũ, ad cælestẽ thalamũ adolendũ legeret.* Anne,& hoc asserã, gloriosissime Princeps, egregiam pietatem, ac liberalitatem tuam, ea Numinis mercede donatã, vt hanc Christi sanguinis fœcunditatẽ aliqua imitatione adũbrares, dũ ex tuo obitu, in tuarũ opũ campis venustissima hæc lilia vernantia pullulãt, quæ virtutũ omniũ suaueolentia orbẽ perfundũt. *Luc. 7.* *Ambros. serm. 89 in dedicatione Basilicæ.* *Isaias 53. 8.* *Philo Carpat. in c. 6. Cant.*

Sed iam, Comes Excellentissime, necessaria ratione sistimus: nã siue te sequentes cæli tantum spatia intuemur, siue in lacrymarũ pelago, si à litore discedat visio, mare cælo vnit. Quidquid ex te amauimus, manet, mansurũque est in æternitate rerũ, fama temporũ: te posterorum liuore carens admiratio venerabitur. Nos ne desidiosa breuitatis dulcedine tua facta traducamus in tutelam immortalitatis proiecta silentio amabimus,& te viuentem,& immortalem laborum nostrorum patronum nacti, non modo tuti, atque securi, sed noti etiã,& clari erimus.

Ad

Ad Lectorem.

DVM mundi istius non tam ætatis, quam flagitiorum pondere depressi ingrauescente senio, vniuersa in peius retro collabi, & per præceps ruere dolemus rem literariam, potissimum verò, quæ ad sacrorum librorum interpretationem facit, ab hac perditionis massa exemptam: Ecclesiæ orthodoxæ non possumus non gratulari, Christiane lector, quasi ad nostra tempora signatissimè spectet illustre hoc Isaiæ vaticinium: *Isai. 11. 9.* *Repleta est terra scientia Domini, sicut aquæ maris operientes.* Vnde & acrem illum Aristarchi morsum aduersum præsumptam plurium sapientiam: *Olim vix septem sapientes repertos, hodie vix totidem rudes*: meliorem iam in partem interpretari, & scripturientibus, potius quam iis

Iuuenal. *Quibus est libido tacendi*

Seneca Pater lib. 1. controu. 9. liberalius possis ignoscere: illi siquidem candide sibi vsurpandum censent illud Senecæ Patris: *Cætera membra mea sunt, manus publica sunt*: & ad maioris Catonis exemplum animosè sese effingunt; de eo enim Vegetius lib. 2. de re milit. *Cato ille maior; cum & armis inuictus esset, & exercitum sæpe duxisset, plus se Reipubl. credidit* *Veget. lib. 2. de re milit.* *profuturum, si disciplinam militarem conferret in literas. Nam vnius ætatis sunt, quæ fortiter fiunt, quæ vero pro vtilitate publica scribuntur, æterna sunt.* Quo quidem felici nostri sæculi siue more, siue errore, aut opportuno mediocriter scientibus (vt ita dixerim) priuilegio ducti, nec non egregio in Paulum amore excitati, & assidua illius lectione erecti hos in ipsius ad Philippenses epistolam commentarios exscribere & promere ausi sumus. *Chrysost. in præfat. epist. ad Roman.* *Neque enim nos* (liceat homini in Paulum addictissimo Chrysostomi verbis vti) *quæ scimus, si qua scimus, ab ingenij bonitate, aut acumine scimus, sed quod nos illi viro impense affecti ab illius lectione numquam discedimus.*

Animus potissimum fuit, Pauli mentem accuratius discutere, germanumque ipsius sensum siue ex Vulgati lectione, siue ex græco fonte eruere; cui rei dum sedulam operam nauare contendo, vereor ne sæpius arrogantem interpretem, qui aliorum expositionibus non facile acquiescam; agere videar: sed enim nisi me ipsum immaniter decipio, eam interpretandi legem æquissimam semper existimaui, quæ actum agere, & quæ benè ab aliis dicta sunt, male repetere vetat, atque in hoc Scripturæ pelago ad nouos sensus, qui tamen orthodoxæ doctrinæ maximè conformes sint inuestigandos adniti permittit: Sane illi mihi interpretes non sunt, qui aliorum dictis perpetuo adhærent, & sub bono pietatis & obseruantiæ in antiquiores prætextu nihil noui afferunt, *Nyssen. lib. in Hexam.* nihil aggrediuntur, nihil tentant, sed bona fide omnia à prioribus mutuo accipiunt: Quare illis accommodare placet quod de aëre obseruauit Gregor. Nyssenus lib. in Hexamer. nullam in rerum creatione mentionem à Mose illius factam, non secus ac si in rerum natura non esset, aut nihil ad mundi constitutionem conduceret, *quod natura molli, ac facile cedenti præditus res omnes in se suscipit, easdemque præsefert: cum nec colorem proprium, nec figuram, nec speciem habeat, sed alienis & coloribus, & figuris informetur: nam & lucis fulgore splendidus fit, & tenebrarum interuentu niger & obscurus, & ad omnium rerum, quas suscipit, motum se accommodat, etenim nullo labore illis vtrinque cedit, & hinc, atque illinc, vtcumque moueantur, ad earum magnitudinem circumcisus pone succedit:* Nec eorum interpretum, me quidem multo meliorum, quorum expositiones aliquando reieci, auctoritati, aut iudicio derogasse crediderim, qui solidam eorum ac doctam mentem nouerim, à quorum genio absit, sublimiores se Alexandro habere, qui nefas existiment oppugnari. Et verò, ne mihi quod meum non est, arrogem, vt non nihil est, legisse, inquisiuisse, plus rectam iudicij normam attulisse, totum scopum collimasse, ita id fortunæ, non ingenio, aut doctrinæ sæpe tribuendum, vt in expositione illius loci: *Non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo, &c.* Quæ pulchrior ac potior huius epistolæ portio est, accidisse mihi dilucide constat; eam siquidem à grauissimis subinde viris (inter quos Petrum de Valentia summæ eruditionis, atque pietatis hominem, & tam de re literaria quam de me ipso optime meritum, qui in Heliodorum suopte ingenio, & ipse inciderat, placet nominare) probatam, fortuitæ Heliodori lectioni debere me fateor; vnde esto illa bona sit, & viris doctis perplaceat, non ideo Troiam me cepisse putem.

Iam verò, vt ad nostri sæculi gustum ieiunos commentarios fastidientis calamum etiam temperarem, literali expositioni, adnotationes ad formandos mores aptas & eo ordine vberes, vt concionibus per totum ferme annum conficiendis possent conducere intertexui; in quibus vt subtiliora acumina assequi non valui; ita fucos parum firmos, & nothas, ac degenerantes Scripturæ expositiones, quæ meis cogitatibus deseruirent, orbi obtrudere nolui; ne mihi forsan diuinus Spiritus ore gemebundo obiiceret. *Seruire me fecisti in iniquitatibus* *Isaiæ 43. 24.* *tuis*: Et quidem, quamuis vni tantum sint subiectæ titulo, nolim longiores videri, cum earum supellex eidem instituto, in diuersis concionibus sæpius de more ingerendo, tractando & promouendo conueniat. Hæc de re *Hieron.* Lector optime, habui, quæ te monerem; in stylo tu videris, siue sponte, siue necessitate adactum, Hieronymi me vestigiis institisse ad Damascum dicentis: *Mihi sufficit, sic loqui: vt intelligar.* Cætera benignè accipe, & multa quæ peccauimus corrige, aut dimitte. VALE.

FACVLTAS PATRIS PROVINCIALIS Societatis IESV in Castellana Prouincia.

EGO Melchior de Pedrosa Prouincialis Societatis IESV *in Prouincia Castellæ potestate ad id mihi facta, à Reuerendo admodum P. Nostro Mutio Vitelleschi Præposito nostro Generali facultatem facio, vt* Commentarij in Epistolam Pauli ad Philippenses, *à Patre Ioanne Antonio Velasquez, nostræ Societatis, sacræ Scripturæ professore conscripti, & eiusdem Societatis grauium, doctorumque hominum iudicio approbati typis mandentur. In quorum fidem has literas manu nostra subscriptas, & sigillo nostro munitas dedimus. Salmanticæ die 25. Nouembris, anno 1623.*

Melchior de Pedrosa.

CENSVRA ILLVSTRISS. AC REVERENDISS. D. D. Melchioris de Moscosso, & Sandoual, Segouiensis Episcopi, Regijque Consiliarij, ac Serenissimi Ferdinandi Austriaci, Hispaniæ Infantis Cardinalis, Cubicularij maximi.

COMMISSOS mihi à Regio Senatu Commentarios in Epistolam Pauli ad Philippenses, quos in orbis lucem profert P. Ioannes Antonius Velazquez olim apud Salmanticenses Sacri Eloquij publicus professor perlegi; & dum ipsos in primis cum cæteris siue libris, siue rebus Societatis IESV composui (hæc enim mihi ad ferendum iudicium prima regula semper visa est) illud de ipsa statim occurrit, quod Deciorum stemmati tribuebat magnus Cassiodorus, *tot annuis continuis simul splendet claritate virtutis, & quamuis rara sit gloria, non agnoscitur in tam longo stemmate variata: sæculi sui producit nobilis vena primarios, nescit inde aliquid nasci mediocre, tot probati, quot geniti, & quod difficile prouenit, electa frequentia.* Cassiod. lib. 3 ep. 6. Opus sanè pulchrum, validum, sublime, varium, elegans, purum, & cum tanta laude diffusum, vt inclyta Societas, quæ sapientiæ Solem ceu Aquila ita sustinet, vt natorum suorum generositatem de pupillarum audacia iudicet, inconniuentem huius auctoris aciem aduersus tantæ lucis radios firmo obtutu contuentem, seu germanam indolem possit læta suscipere. Magnus hic sententiarum fulgor, non qualis auri imbellis, sed qualis ferri, quo mens, quo visus perstringitur; & *vt corpora sana, & integri sanguinis, & exercitatione firmata ex iisdem his speciem accipiunt, ex quibus & vires,* Quint. in argum. ad li. 8. sic pulchritudinem ex robusto sententiarum pondere, Sanctorumque placitis in absolutissimo hoc opere consurgentem intueor, & in eo sapientiam iis auspiciis militasse, vt vix vnquam felicioribus, quippe in explicandis nodis, & veritate, è quarumuis difficultatum nocte in lucem eruenda, non tam arcana magnetis rapacitate ferrum trahi videris, quam tacito veritatis ductu Auctoris iudicium, atque eo ipsum modo latentia Pauli mysteria reserasse, vt egregia illa Vincentij Lyrinensis sensa expresserit. *O Doctor ingenio, exercitatione, doctrina, esto spiritualis tabernaculi Beseleel, preciosas diuini dogmatis gemmas insculpe, fideliter coapta, adorna sapienter, adiice splendorem, gratiam, venustatem; intelligatur te exponente illustrius, quod antea obscurius credebatur: per te posteritas intellectum gratuletur, quod antea vetustas non intellectum venerabatur. Eadem tamen quæ didicisti, ita doce, vt cum dicas noue, non dicas noua.* Vinc. Lyr. li. aduers. hæres. c. 27. Nec vlli mirum sit, post tot Pauli interpretes nouè multa exarata. *Quos hoc mouet* (inquit Ambros.) *reprehendant messem, quia sera fœcunditas est, reprehendant vindemiam, quia in occasu anni est, reprehendant oliuam, quia postremus est fructus.* Ambr. lib. 5. epist. contr. Symmach. Tantas igitur ingenij opes, & prælo, & æternitate (quam ipsis augurari fert animus) dignissimas iudico. Sic censui Madriti, die 10. Augusti, anno 1624.

D. Melchior de Moscosso
Episcop. Segouiens.

FACVLTAS R. P. PROVINCIALIS in Prouincia Lugdunensi.

EGo Stephanus Binetus Societatis IESV in Prouincia Lugdunensi Præpositus Prouincialis, iuxta priuilegium eidem Societati à Regibus Christianissimis Henrico III. 10. Maij 1583. Henrico IV. 20. Decembris 1606. & Ludouico XIII. nunc regnante 14. Februarij 1611. concesso, quo Bibliopolis omnibus prohibetur, ne libros ab hominibus nostræ Societatis compositos absque Superiorum eius permissione imprimant, permitto LAVRENTIO DVRAND Lugdunensi Bibliopolæ, vt librum qui inscribitur, *P. Ioannis Antonij Velazquez Commentar. in Epistolam B. Pauli ad Philippenses* ad sex proximos annos imprimere, ac liberè diuendere possit. Datum Lugduni 8. Nouembris 1627.

STEPHANVS BINETVS.

APPROBATIO THEOLOGORVM.

NOs infrà scripti S. Theologiæ Doctores fidem facimus, perlectum à nobis librum, qui inscribitur, *P. Ioannis Antonij Velazquez Commentar. in Epistolam B. Pauli ad Philippenses*, in quo nihil fidei Catholicæ, Apostolicæ, Romanæ contrarium animaduersum, quin opus ipsum multa eruditione refertum, & probè elaboratum nobis visum est. Lugduni 22. Nouembris 1627.

FR. ROBERTVS BERTHELOT
Episc. Damasci.

DE VILLE.

Consensus Aduocati Regij.

PATRIS *Ioan. Anton. Velazquez Commentarios in Epist. ad Philippens.* in lucem prodire typis mandata publicis ego in Præfectura Lugdunensi Aduocatus Regius non impedio. Die 12. mensis Nouembr. 1627.

BOLLIOVD.

Facultas imprimendi.

HVNC librum qui inscribitur, *Ioan. Anton. Velazquez Commentarij in Epist. ad Philippens.* à LAVRENTIO DVRAND typis mandari permittimus, ac ne quis citra factam ei potestatem denuò excudat interdicimus. Datum Lugduni die 15. mensis Nouembris 1627.

AVSTREM.

INDEX ADNOTATIONVM, QVÆ HOC PRIORI TOMO CONTINENTVR.

CAPVT PRIMVM.

VERSVS I.

Paulus & Timotheus serui Iesu Christi, omnibus sanctis in Christo Iesu, qui sunt Philippis, cum Episcopis, & Diaconibus.

ADNOT. 1. Eam magnorum virorum indolem esse, vt quo superiores sunt, eò summissius se gerant, fol. 7. colum. 2.

Adnot. 2. Arctissimis charitatis vinculis Paulum Deique seruos ipsi ancillari, fol. 11. col. 2.

Adnot. 3. Christi seruos peculiaria ipsi humilitatis obsequia exhibere, fol. 14. col. 1.

Adnotat. 4. Eam esse seruorum Christi conditionem, vt soluti, & in libertatem vindicati sint, fol. 15. colum. 2.

Adnotat. 5. Eximiam dignitatem, serui Dei nomen præ se ferre, fol. 19. col. 1.

Adnotat. 6. Maximam ex Christi seruitute percipi lætitiam, fol. 20. col. 2.

VERSVS II.

Gratia vobis, & pax à Deo patre nostro, & Domino Iesu Christo.

Adnotat. 1. Deum Patrem, Patrem etiam nostrum appellari, quod ipse Iesu Christi Pater, nos fratres, si tamen germani simus, fol. 32. col. 1.

Adnotat. 2. Deum, Patrem nostrum appellari, quod eius natura bona, & ad benefaciendum prona sit, fol. 34. col. 1.

VERSVS III.

Gratias ago Deo meo in omni memoria vestri.

Adnotat. 1. Dei cultum sanctissimum, ac castissimum esse, eumq; solum iure dicere, *Deus meus*, qui graui culpæ obnoxius non est, fol. 39. col. 1.

Adnotat. 2. Hunc fidelis serui affectum esse, vt Dei beneficia omnibus communiter collata, sibi vni præstita reputet, fol. 42. col. 2.

Adnot. 3. Non minus charam Deo vnius animam, quam vniuersorum esse, fol. 64. col. 1.

Adnotat. 4. Tunc verè à iustis dici, *Deus meus*, cum ipsum vnicè, & toto affectu diligunt, fol. 45. colum. 2.

VERSVS IV.

Semper in cunctis orationibus meis pro omnibus vobis, cum gaudio deprecationem faciens.

VERSVS V.

Super communicatione vestra in Euangelio Christi à prima die vsque nunc.

VERSVS VI.

Confidens hoc ipsum, quia qui cœpit in vobis opus bonum, perficiet vsque in diem Christi Iesu.

Adnotat. 1. Indubitato ex hoc loco elici bonorum operum initium, non ex nobis, sed ex Deo esse, fol. 51. col. 1.

Adnotat. 2. Alia Scripturæ, & Patrum testimonia, pro excitante gratia, fol. 52. col. 2.

Adnotat. 3. Ita Deum perseuerantiæ auctorem, & largitorem esse, vt ad eam indesinenter vrgeat, fol. 56. col. 1.

Adnotat. 4. Maturum à suis, virtutis fructum Deum exigere, eoque modo nos tractare, vt à nobis tractatur, fol. 60. col. 1.

VERSVS VII.

Sicut est mihi iustum sentire pro omnibus vobis, eo quod habeam vos in corde, & in vinculis meis, & in defensione, & confirmatione Euangelij socios gaudij mei omnes vos esse.

Adnotat. 1. Tribulationes egregium Dei donum esse, quod iustos in officio contineant, & peccandi licentiam intercludant, fol. 67. col. 1.

Adnotat. 2. Nihil honorificentius, aut illustrius esse, quam pro Christo tribulationes & dura quæque perferre, fol. 70. col. 1.

Adnot. 3. Animis Christi amore flagrantibus nihil esse suauius, quam tribulationes pro ipso perferre, fol. 73. col. 1.

VERSVS VIII.

Testis enim mihi est Deus, quomodo cupiam omnes vos in visceribus Iesu Christi.

Adnot. 1. Creaturas nonnisi in Deo, aut propter Deum diligendas, fol. 77. col. 2.

Adnot. 2. Beneuolentiam non in vnũ tantummodo

sed in omnes æquè diffundendam, fol. 81. col. 1.
Adnot. 3. Principem, & Prælatum non in vnum, aut alterum è sibi subditis beneficum esse debere, fol. 83. col. 1.

VERSVS IX.

Et hoc oro, vt charitas vestra magis abundet in scientia, & in omni sensu.

Adnot. 1. Parentes magis solicitos de spirituali filiorum profectu, quam de externis bonis esse oportere, fol. 88. col. 1.
Adnotat. 2. Charitatem in Deum indesinenter crescere debere, fol. 91. col. 1.
Adnotat. 3. Christianam disciplinam, tum scientia, tum sanctitate constare, fol. 94. col. 1.
Adnotat. 4. De scientia charitati necessaria, fol. 96. colum. 1.
Adnotat. 5. De charitate scientiæ necessaria, fol. 98. colum. 2.
Adnot. 6. Scientiam, non alia, quam bonorum operum mensura esse dimetiendam, fol. 101. col. 2.
Scientiam sine charitate noxiam, & quæ dolorem, & afflictionem afferat, esse. 104. c. 2

VERSVS X.

Vt probetis potiora, sitis sinceri, & sine offensa in diem Christi.

Adnot. 1. Præstantius, imo vnicum, ac singulare hominis bonum virtutem esse, fol. 108. col. 1.
Adnot. 2. Christi discipulis, nec minimam vitij labem inesse debere, fol. 111. col. 2.
Adnotat. 3. Proprium sponsarum Christi, siue animarum intime Deum amantium esse minimas peccati maculas fugere, fol. 114. col. 2.
Adnotat. 4. Peculiare sapientiæ opus esse minima quæque peccata deuitare, ne ab illis ad grauiora deueniatur, fol. 118. col. 2.
Adnot. 5. Eam peccati naturam esse, vt continuo, & insensibiliter crescat, eadem sinceri vox manifestat, fol. 123. col. 1.
Adnot. 6. Siue superiorum appendix, vt eorum doctrina in religionum conseruatione, & euersione locum etiam habeat, fol. 125. col. 2.
Adnot. 7. Proprium iusti, ac sinceri hominis esse rectos sermones loqui, fol. 127. col. 2.
Adnot. 8. Iudicij diem aptissima ratione diem Christi appellari, quod in illa cumulatissima suis præmia sit collaturus, fol. 131. col. 2.
Adnot. 9. Iudicij diem Christi à Paulo appellari, quod in ipso omnia ad Christi iudicis nutum, nulla impiorum habita ratione peragenda sint, fol. 136. col. 2.

VERSVS XI.

Repleti fructu iustitiæ per Iesum Christum in gloriam, & laudem Dei.

Adnot. 1. Non vnius, aut alterius, sed omnium virtutum studium à Christi asseclis exigi, f. 142. col. 2.
Adnot. 2. Iustitiæ actiones, fructus esse honoris, & honestatis; peccata vero, ac res seculi non fructus, sed mortua opera esse, fol. 147. col. 1.
Adnot. 3. Nullum in nobis iustitiæ fructum à nobis, nisi per Christi gratiam esse posse, fol. 154. col. 2.
Adnot. 4. Vnum nobis scopum Dei gloriam in omnibus operibus præfigendum, fol. 157. col. 1.
Adnotat. 5. Iustitiæ opera ad gloriam Dei cedere, iustos diuinitatis, siue Dei interpretes esse. fol. 160. col. 1.

VERSVS XII.

Scire autem volo vos fratres, quoniam quæ circa me sunt, magis ad profectum venerũt Euangelij.

Adnot. 1. Ecclesiam persecutionibus crescere, fol. 164. col. 2.

VERSVS XIII.

Ita vt vincula mea manifesta fierent in Christo in omni prætorio, & in cæteris omnibus.

Adnot. 1. Quanta libertate, & fortitudine rationem fidei coram Nerone Paulus reddiderit. fol. 167. colum. 2.
Adnot. 2. Aulicismum ad rem Christianę perfectionis non satis idoneum fuisse, fol. 170. col. 1.
Adnot. 3. Malum Principis exemplum efficacissimum ad nocendum subditis esse, fol. 177. col. 1.
Adnot. 4. Sæpius Principibus suos familiares impedimento esse, quo minus Deo obtemperent, suoque munere rectè fungantur, fol. 182. colum. 2.
Adnot. 5. Iudicium in reos nonnisi maturè, & magna cunctatione ferendum, fol. 186. c. 1.
Adnot. 6. Principes per se ipsos regni gubernationi, & negotiorum expeditioni interesse debere, fol. 190. col. 1.
Adnot. 7. Principes, & Magistratus sæculares spirituali iurisdictioni nullatenus immiscendos, sed quæ sunt Cæsaris, Cæsari, & quæ Dei, Deo ab illis reddenda esse, fol. 192. col. 1.

VERSVS XIV.

Et plures è fratribus in Domino confidentes vinculis meis, abundantius auderent sine timore verbum Dei loqui.

Adnot. 1. Nihil efficacius Christi fidem, virtutemque suadere, quam labores pro ipsa toleratos, fol. 195. col. 1.
Adnot. 2. Bonitatem causæ, Religionis, & virtutis id exigere, vt summa libertate, ac erecto animo de ea agatur, fol. 198. col. 1.

VERSVS XV.

Quidam quidem & propter inuidiam, & contentionem, quidam autem & propter bonam voluntatem Christum prædicant.

VERSVS XVI.

Quidam ex charitate, scientes quoniam in defensionem Euangelij positus sum.

VERSVS XVII.

Quidam autem ex contentione Christum annunciant, non sincere, existimantes pressuram se suscitare vinculis meis.

Adno. 1. Quam sit ferale, quamque ab hominis conditione abhorreat inuidiæ flagitium, f. 203. col. 2.
Adnot. 2. Inuidum, sæuissimum suimet tortorem, & carnificem esse, fol. 207. col. 2.
Adnot. 3. Pauli in obiurgando moderatio, & comitas; inuidorum maligna concordia, malignius acumen, fol. 209. col. 2.

VERSVS XVIII.

Quid enim? Dum omnimodo, siue per occasionem, siue per veritatem, Christus annuncietur, & in hoc gaudeo, sed & gaudebo.

VERSVS

VERSVS XIX.

Scio enim, quia hoc mihi proueniet ad salutem per vestram orationem, & subministrationem Spiritus Iesu Christi.

VERSVS XX.

Secundum expectationem, & spem meam, quia in nullo confundar: sed in omni fiducia, sicut semper, & nunc magnificabitur Christus in corpore meo, siue per vitam, siue per mortem.

Adnot. 1. Tunc Deum potissimum ad opem nobis ferendam præsto esse, cum omnia humana vndique deficiunt auxilia, fol. 217. c. 1.

VERSVS XXI.

Mihi viuere Christus est, & mori lucrum.

Adnot. 1. Pauli æquanimitas, & omnimoda cum Dei voluntate consensio expenditur, fol. 223. col. 1.
Adnot. 2. Christum apud eum viuere, qui sibi non viuit, fol. 226. col. 2.
Adnot. 3. Non aliter ad mortem obeundam apte quemquam censeri dispositum, nisi cum in eius animo mundus aruit, & contemptui habetur, fol. 229. col. 2.
Adnot. 4. Optimum vitæ bonum mortem esse, fol. 233. col. 2.
Adnot. 5. Mortem maximum lucrum esse, quod peccata præcidat, & à peccandi periculo remoueat, fol. 236. col. 2.

VERSVS XXII.

Quod si viuere in carne, hic mihi fructus operis est, & quid eligam ignoro.

Adnot. 1. Virtutem tribulationibus maturari, ac perfici, fol. 243. col. 1.

VERSVS XXIII.

Coarctor autem è duobus: desiderium habens dissolui, & esse cum Christo, multo magis melius.

VERSVS XXIV.

Permanere autem in carne, necessarium propter vos.

Adnot. 1. Mortem maximum lucrum esse, quod dissolui, & esse cum Christo multo melius, fol. 251. col. 1.
Adnot. 2. Potiora Prælatis, atque Principibus subditorum bona, quam propria esse debere, fol. 254. col. 2.

VERSVS XXV.

Et hoc confidens scio, quia manebo, & permanebo omnibus vobis, ad profectum vestrum, & gaudium fidei.

VERSVS XXVI.

Vt gratulatio vestra abundet in Christo Iesu in me, per meum aduentum iterum ad vos.

VERSVS XXVII.

Tantum digne Euangelio Christi conuersamini, vt siue cum venero, & videro vos, siue absens audiam de vobis, quia statis in vno spiritu vnanimes, collaborantes fidei Euangelij.

Adnot. 1. Quam arcta fidelium concordia esse debeat, fol. 263. col. 1.
Adnot. 2. Propriam, ac peculiarem Christianæ disciplinæ defensionem ex mutua charitate desumi, fol. 265. col. 2.

VERSVS XXVIII.

Et in nullo terreamini ab aduersariis: quæ illis est causa perditionis, vobis autem salutis, & hoc à Deo.

Adnot. 1. Tentationibus, & difficultatibus, quæ sese in virtute offerunt, non segniter, sed magna alacritate, & impetu repugnandum, fol. 269. col. 2.
Adnot. 2. Eos, qui Dei seruos affligunt, sibimet ipsis interitum afferre, fol. 273. col. 2.

VERSVS XXIX.

Quia vobis donatum est pro Christo non solum vt in eum credatis, sed vt etiam pro illo patiamini.

VERSVS XXX.

Idem certamen habentes, quale & vidistis in me, & nunc audistis de me.

Adnot. 1. Augustissimum, ac pene diuinum esse tribulationes pro Christo pati, fol. 278. col. 2.
Adnot. 2. Egregium doctorem tribulationem esse, quæ hominem officij submoneat, & ad Deum manuducat, fol. 282. col. 2.
Adnot. 3. Tribulationibus, egregios in virtute profectus fieri, fol. 285. col. 2.

CAPVT SECVNDVM.

VERSVS I.

Si qua ergo consolatio in Christo, si quod solatium charitatis, si qua societas spiritus, si qua viscera miserationis.

VERSVS II.

Implete gaudium meum, vt idem sapiatis, eandem charitatem habentes, vnanimes, id ipsum sentientes.

ADNOT. 1. Totius Christianæ disciplinæ summam in mutua dilectione censeri, f. 292. c. 2.
Adnot. 2. Non esse vitam vitalem, quæ in mutua amici beneuolentia non conquiescit, fol. 298. c. 2.
Adnot. 3. Proprium diuini spiritus munus esse pacis nexu fideles inuicem copulare, fol. 301. col. 1.
Adnot. 4. Nulla alia ratione, quam quod homo quis sit, mutuæ illum dilectioni debere operam dare, fol. 304. col. 2.

VERSVS III.

Nihil per contentionem, neque per inanem gloriam, sed in humilitate superiores sibi inuicem arbitrantes.

Adnot. 1. Nihil per gloriæ cupiditatem esse faciendum, fol. 314. col. 2.

VERSVS IV.

Non quæ sunt singuli considerantes, sed quæ aliorum.

Adnot. 1. Non esse omnia propriis emolumentis metienda; sed aliquando priuatam alterius; semper vero publicam vtilitatem esse præferendam, fol. 321. col. 1.

VERSVS V.

Hoc enim sentite in vobis, quod & in Christo Iesu.

Adnot. 1. Christi Domini humilitatem, nostræ vitæ normam multiplici de causa esse debere, f. 327. c. 1.

VERSVS VI.

Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo.

Adnot. 1. Asseritur forma Dei à sinistra Nouatorum expositione, fol. 333. col. 2.
Adnot. 2. Cur Paulus ad asserendam æqualitatem, & consubstantialitatem Filij Dei cum Patre, formam

tuam Dei potius, quam naturam Dei, vsurparit, fol. 335. col. 1.

Adnotat. 1. Minime de honoribus, & dignitatibus contendendum, imo hæc per humilitatem declinanda esse, fol. 339. col. 2.

Adnot. 2. Non esse considerandas proprias animi dotes, sed quæ aliorum, vt in humilitate superiores cæteros arbitremur, fol. 343. col. 2.

Adnot. 3. Ex Pauli mente, Christum, quamuis in Dei forma, & Patri per omnia æqualis esset, non tamen existimasse, æqualem ipsius cum Patre in gloria consessum, externamque nominis sui claritatem, rapinam, aut prædam, siue lucrum facile parabile sine sudore, aut labore sibi obtinendum fore, fol. 346. col. 2.

Adnotat. 4. Ad Christi exemplum; non debere nos arbitrari rapinam, rem scilicet facilem, & sine labore parabilem esse, cæleste regnum adipisci, fol. 352. col. 2.

Adnot. 5. Ex Christi exemplo nonnisi per merita, & labores ad munera & dignitates perueniendum esse, fol. 356. col. 1.

Adnotat. 6. Rectam administrandi munerum rationem felicemque successum à meritis, per quæ ad illa peruenitur, potissimum dependere, fol. 360. colum. 2.

VERSVS VII.

Sed semetipsum exinaniuit formam serui accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo.

Adnot. 1. Adstruitur præfata interpretatio ex quam simillimis scripturæ testimoniis, fol. 371. col. 2.

Adnot. 2. Filij Dei exinanitionem humanæ vacuitatis complementum fuisse, literalis, & moralis, fol. 376. col. 1.

Adnotat. 3. Regiam laudem esse, & largè, & sine retributionis spe dona tribuere, fol. 380. col. 1.

Adnot. 4. Ea de causa Dei Filium exinanitum, atque euacuatum, vt ad regium sponsæ suæ fastigium hominem promoueret, fol. 385. col. 1.

Adnotat. 5. Tanti esse hominis animam, vt homo Deum quodammodo valere videatur, fol. 388. colum. 1.

Adnotat. 6. Dei Filium humanitate ad se hominum corda pertraxisse; perfectæque gubernationis esse, subditos vrbanè, comiter, & similem illis factum, pertractare, fol. 391. col. 2.

Adnot. 7. Christum Dominum eò vsque ab omni peccati labe fuisse expertem, vt etiam matrem, quæ ab originaria macula omnino esset immunis, habere voluerit, fol. 396. col. 2.

Adnotat. 8. Expenduntur pro splendidissima Deiparæ conceptione, verba Psalm. 472. *Fundatur exultatione vniuersæ terræ mons Sion*, &c. fol. 405. colum. 2.

Adnot. 9. Christum in Eucharistia veri Principis, verique Dei specimen præbere, fol. 413. col. 1.

Adnot. 10. Christum in Eucharistia in delitias nostras exinanitum, humani palati, & gustus, an videlicet purus, & optimus, an verò vitiatus, & corruptus sit, egregium indicem esse, fol. 421. colum. 1.

VERSVS VIII.

Humiliauit semetipsum; factus obediens vsque ad mortem, mortem autem Crucis.

Adnotat. 1. Variæ ex Patribus rationes, ob quas non aliam, quam Crucis mortem Christus Dominus subire voluerit, literalis, & moralis, fol. 437. c. 2.

Adnotat. 2. Solidiores Patrum rationes, cur Crucis mortem Christus Dominus subierit? literalis, & moralis, fol. 441. col. 1.

Adnotat. 3. Quam spontanea voluntate, quanta alacritate, & gaudio, pro nobis Dominus Passionem, mortemque subierit, fol. 449. col. 2.

Adnot. 4. Christum suffixum egregium nobis obedientiæ exemplar esse, dum summo Patri, & ad nutum, & ad vltimum vsque vitæ spiritum obediuit, fol. 454. col. 1.

Adnot. 5. Ideo Christum in Cruce mortem obire signatissime voluisse, vt lethale chirographum, quod erat contrarium nobis, Cruci suæ affigeret, atque inibi diuinæ iustitiæ pro nostris peccatis, vsque ad vltimum quadrantem satisfaceret, literalis & moral. fol. 458. col. 2.

Adnot. 6. Christum Cruci suffixum scapulis suis peccatores obumbrare; eosque ab ira diuina indesinenter protegere, fol. 464. col. 2.

Adnot. 7. Christum Dominum, dum in Cruce pro nobis fideiussor extitit, stricto iure à nobis exigere, crucem nostram perferre, dignosque ei pœnitentiæ fructus rependere; ne effusi Dominici sanguinis rei habeamur, fol. 469. col. 1.

Adnot. 8. Christum ea etiam ratione Crucis mortem obire voluisse, vt ad bona opera indesinentur exercenda; præcipuè verò ob charitatem in ipsum nullis terminis circumscribendam, nos prouocaret, fol. 475. col. 1.

VERSVS IX.

Propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen, quod est super omne nomen.

VERSVS X.

Vt in nomine Iesu omne genu flectatur cælestium, terrestrium, & infernorum.

VERSVS XI.

Et omnis lingua confiteatur, quia Dominus IESVS Christus in gloria est Dei Patris.

Adnotat. 1. Opportuno, ac maturo tempore & corporis gloriam & nominis sui claritatem Christum accepisse, fol. 503. col. 1.

Adnotat. 2. Munera, & dignitates, pro meritorum proportione esse distribuenda, vt illustria illustribus, illustriora, ac splendidiora splendidioribus, & illustrioribus reddantur, fol. 506. col. 2.

Adnot. 3. Crucem diuinitatis Christi indicem fuisse, fol. 510. col. 2.

Adnot. 4. Peculiaris diuinæ naturæ manifestatio, & splendor, quem Christo crux peperit, f. 514. col. 1.

Adnot. 5. Christum augustissimo corporis & sanguinis sui Sacramento mundum subiugasse, gloriosumque de humanis animis retulisse triumphum, fol. 519. col. 1.

Adnot. 6. Debitam humilitatis retributionem, gloriam & exaltationem esse, fol. 528. col. 2.

Adnot. 7. Christum Iesum, viuam Saluatoris Dei, siue diuinæ bonitatis imaginem esse, fol. 532. colum. 2.

Adnot. 8. Opportunè in nomine IESV omne genu flecti, quod vt nomen salutis, ita & maiestatis appellatio sit, fol. 536. col. 1.

Adnot. 9. De nomine IESV Religioni Societatis indito, fol. 539. col. 2.

INDEX RERVM,

QVÆ AD CONCIONES PER TOTVM ANNVM CONFICIENDAS NON IMPORTVNE DESERVIRE POSSVNT.

AD CONCIONES DE TEMPORE.

Dominica prima Aduentus.

1. CONCIONI vbertim conficiendæ deseruiet adnotatio 9. verſ.10. cap.1.fol.136.col.2.vbi ſub titulo: *Iudicij diem, id eſt, diem Chriſti à Paulo appellari, quòd in ipſo omnia ad Chriſti nutum, nulla impiorum habita ratione, peragenda ſint*: omnes extremi iudicij circumſtantiæ penſiculatiùs expenduntur.

2. Præterea ex adnotatione 8. quæ præfatam adnotationem nonam immediatè præcedit; illud huic inſtituto non erit importunum, tam proprium diuini ingenij benefacere, ac miſereri, tam alienum verò ſupplicia inferre, eſſe, vt hac ſignatè de cauſa iudicij dies à Paulo dies Chriſti, in quo ipſe hilaris, & gaudens ad præmia diſtribuenda, velut ad nuptias adueniat, appelletur. Vide fol. 131. à num. 1. vſque ad 18. Addendum verò ex num.18. fol. 135. adeò obſtinatam peccatorum impietatem eſſe, vt indulgentiſſimum Dominum ad pœnas de ipſis ſumendas cogat, & pietati ipſius vim inferre videatur.

3. Quàm lento gradu Dominus ad puniendum veniat, cap.1.verſ.13.adnot.5.à num. 1. vſque ad 9. fol.186.col.1.

4. Potentiam Dei non in ſuppliciis inferendis, ſed in benignitate, & bonitate cenſeri, cap.2.verſ.9.adnot.7.num.3.fol.533.

De Lectione Euangelica.

5. ET *in terris preſſura gentium, &c. Areſcentibus hominibus præ timore, & expectatione, &c.* Quid id fuerit, niſi malæ mentis indicium, quæ exire de corpore ob ſuppliciorum timorem trepidat? cap.1. verſ.23 num.7.fol.249.col.1.

6. *Reſpicite, & leuate capita veſtra.* Quando? Cum mundus deficit, & funditus corruit. Ita quidem; eo enim ipſo quòd deficiat, nec illum ad manum habeas vt opem ferat, diuinum tibi auxilium è veſtigio aderit, cap.1.verſu 19.adnotat.vnica, folio 217. col.1.

7. *Scitis quoniam prope eſt æſtas.* Opportunè Regnum cœlorum æſtati comparatur, quòd ad ipſum per laborum hyemem deueniendum ſit, cap.2.verſ.9.adnot.1.tota, præſertim à num.4.fol.504.col.2.

Dominica ſecunda Aduentus.

1. CVm *audiſſet Ioannes in vinculis opera Chriſti.* Non eſt dubium: quin antea Ioannes audierit, & viderit opera Chriſti, ſed notanter id ad noſtram inſtitutionem dicitur, vt oſtendatur, quàm egregius doctor, atque pædagogus tribulatio ſit, quæ hominem ad Deum manuducat cap. 1. verſ. 29. adnotat.2.tota, fol.283. col. 1. ſignatè vero aures ex tribulatione arrigi, & aperiri dicuntur, num.6. fol. 402.col.2. Quare felicior multò hac de cauſa Ioannes in vinculis, quàm Herodes in regio throno, nu. 5.fol.401. quippe Chriſto Hieroſolymis euangelizante, & quæſitiſſimis ſignis eam regionem illuſtrante, vix ad Herodis notitiam eius fama peruenit, folio 167.num.4.col. 1. Deinde vt appareat, quàm auguſtum, ac penè diuinum ſit tribulationes pro Chriſto pati, eodem verſ.adnot. 1. fol. 278.col. 2. necnon verſ.7.adnot.2.tota, fol.70.col.1.

2. *In vinculis.* Scilicet hoc vnum magni Baptiſtæ laudibus deerat, vt duris catenis religaretur, quibus egregia eius virtus ad maturitatem, & perfectionem perueniret, cap.1.verſ.22.adnot.vnic.fol.243.col.1.

3. *In vinculis.* Opportunè Chryſoſtom. homil. 1. de Ioſeph. *Gaude patientia, & exulta, quia vbique ſecura es, & vbique illæſa; ſi tentaris, proficis; ſi humiliaris, erigeris: ſi pugnas, vincis; ſi occideris, coronaberis: in ſeruitute libera, in periculo tuta, in cuſtodia læta.* Ergo in vinculis magis abſolutus Ioannes, quam Herodes; quippe Dei timor abſoluit, ſæculi libertas ligat, cap.1.verſ.1.adnotat. 4. col. 2. præcipuè à num.8.fol.16.col.2.& magis hilaris, adnot.6.fol. 20.col.2.

4. Cur Ioannem in matris vtero exultantem, non vero in vinculis afflictum Chriſtus inuiſerit, cap.1. verſ.7.adnot.1.num.10.fol.69.col.1.& tota adnot.

5. *Miſit duos ex diſcipulis ſuis.* Parentis filiorum amantis, & optimi Prælati, ac Principis, necnon egregij Doctoris ſpecimen Ioannes edit: etenim vt bonus parens magis de ſpirituali filiorum profectu, quàm de externis bonis ſollicitus eſt, cap.1. verſ.9.adnotation.1.tota, folio 88. col. 1. Vt bonus Princeps ſuorum potius, quàm ſua curat, cap.1. verſ.23.adnotat.2.fol.254.col.2.imo vero vt ipſos

instruat,non refugit,ne apud alios ipse ignorare,& desipere videatur,num.14.fol.259.col.2. Vt egregius Doctor in iis,quæ ad se spectant, percussus sileret,in iis vero rebus,quæ ad Deum attinent,animose loquitur,cap.1.versu 13.adnotatione 1.præsertim num.8.fol.169.col.1.

6. *Tu es qui venturus es, an alium expectamus?* Vide an hæc modò etiam opportunè dici possint; cùm nostri sæculi homines honorum, deliciarum, & pecuniarum auidissimi, à Christo, qui pauper, humilis,ærumnis, & doloribus obnoxius aduenit, tam longè eant cap.2.versu 5. adnotat. 1. fol. 327. col. 1. præsertim num. 9. ***Filij hominum vsquequo graui corde***: fol.468.

7. *Renunciate Ioanni,quæ audistis, & vidistis: cæci vident,claudi ambulant,&c.* Ac si diceret: en Messiæ, hoc est Saluatoris Dei characterem, & signa, benefacere, cap.1.vers. 2. adnotat. 2. folio 34.col. 1.& cap.1. versu 11. adnotation. 7.folio 532.columna 1.

8. *Cæci vident, claudi ambulant.* Signatè visui ambulationem attexuit; neque enim sufficit scientia, nisi succedat charitas, & bona opera cognitionem comitentur,cap.1.versu 9. tota adnotation. 3.folio 94. col.1. & adnotat. 5.folio 98. col. 2. & adnotat. 6. fol. 101. col. 2. Imò verò nisi bonorum operum gressus oculorum visum sequantur, noxia est cognitio,& quæ dolorem,& afflictionem afferat, adnot.7.fol.104.col.2.præsertim num.5.

9. *Et beatus est, qui non fuerit scandalizatus in me.* Hoc est, in Passione, & ignominia meæ Crucis, quòd hinc potissimùm Dei bonitas,& maiestas patefiat,cap.1.vers.11.adnot.4.tota,fol.514.col.1. præsertim num.9.

10. *Quid existis in desertum videre?* Vt Ioanni, id est,paranympho diuinorum sponsalium valeas occurrere,opus est à te ipso exire, cap.1.versu 2.adnot.2.fol.127.col.2.num.6.

11. *Arundinem vento agitatam?* Quæ hæc Ioannis laus fuerit?Maxima quidem,quod nec mortis metu, nec blanda Regij fauoris aura tantisper fuerit inflexus, quominus aduersus eius vitia firmius, ac constans steterit,vbi,& Regum gratia, ventus, & inane appellatur,de quo cap.1. vers. 11. adnotat. 2. num.20.fol.153.col.1.& concionatoris munus,atque obligatio innuitur, cap. 1. vers. 13.adnotat. 1. num.5.fol.168.col.2.

12. *Nonne qui mollibus vestiuntur, in domibus Regum sunt?* En aulicorum formam Christi disciplinæ maximè repugnantem,cap.1. vers. 13. adnot. 2. num.9.fol.172.col.2.

Dominica tertia Aduentus.

Miserunt Iudæi ab Hierosolymis Sacerdotes, & Leuitas ad Ioannem in deserto,&c.

1. SI veræ sapientiæ,meræque insipientiæ imagines videre velis depictas, nullus opinor viuacior penicillus, quàm huius Euangelij clausula; quæ enim magis insignis stultitia,quàm medium habere Saluatorem, æternum scilicet lumen; nam vt inibi Ioannes: *Medius vestrum stetit, quem vos nescitis*;atque eo prætermisso legatos mittere ad Ioannem in deserto, vt ad horam exultarent in lumine eius:est & hæc hominum stultitia Deum,& æterna bona,quæ in nobis,& prope nos sunt, derelinquere,& fastidire; pro temporalibus verò, & caducis, quæ ventus,& inane sunt,trans mare currere, cap. 1.vers. 11.adnot.1.tota,præsertim à num.9. fol.144. col.2.

Vt interrogarent eum: Tu quis es? Consurgit autem hinc egregia Ioannis laus, dum eum se moribus,& vita exhibuit, qua Dei imaginem, & lineamenta præferre videretur. Et verò hæc iusti hominis conditio esse debet,vt Deum vitæ probitate interpretetur,atque explicet,vide cap.1.vers. 11. adnot.5.num.4.& seq.fol.161.col.1. 2.

Et confessus est, & non negauit. En veræ sapientiæ imaginem: firmiter Ioannem stare, nec à vero virtutis tramite quacumque temporalium bonorum spe,siue pollicitatione ei facta dimoueri;quippe exiguus totus terrarum orbis est pro vnius animæ dispendio,cap.1.vers.10.adnot.1. à num.11.fol. 110.col.2.& sequent.& cap.2.vers.7.adnotat. 5.fol. 388.col.1. 3.

Confessus est, & non negauit, & confessus est, &c. Quid opus fuerit rem iterum, atque iterum quaquauersus obtestari? Nonne otiosum id dixeris? Minimè,imò verò opportunissimum;quòd peccato allicienti magno impetu, & vi repugnandum est, nec vellicandam tentationem, sed retundendam, cap.1.vers.28.adnot.1.tota,fol.270.col.1. 4.

Confessus est,& non negauit. Firmiter in humilitate posuit vestigia,ne in lubrico positus laberetur,cap. 2.vers.5.adnot.1.à num.13.fol.331.col.2. 5.

Quia non sum ego Christus. Pulchrè Bernardus serm. 3. de verb.Isaiæ. *Ipse de se loquatur, amicus, inquit, sponsi stat, & gaudio gaudet propter vocem sponsi: stat ergo Ioannes, nec enim arundo est vento agitata: stat quia amicus est: verè amicus sponsi, qui procedentis de thalamo suo non æmulatur gloriam, sed parat viam, sed prædicat gratiam.* Ac si dicat: quia amicus est,non quæ sua sunt quærit, sed quæ Iesu Christi, cap.2.vers.4. in commenr. fol. 451. & adnot.1.fol.321.col. 1. vsque ad num.6. Subdit Bernard. *Lucet ergo Ioannes tanto vtique clarius, quantò ampliùs feruet.* Nimirum, vt ipse non quæ sua sunt quærit,sed quæ Iesu Christi: ita Christus Dominus non quæ sua erant,sed quæ Ioannis,quærebat,& curabat, vide ibi num.6.fol.322.col.1. 6.

Quia non sum ego Christus. Rursus ibi Bernard. *Ille erat lucerna ardens,& lucens, & voluerunt Iudæi ad horam exultare in lumine eius sed non ipse.* Quia videlicet hæc inanis gloriæ natura est, vt ad instar puncti sit, cap.2.vers.3. in expositione literali, & morali,num.15.& 16.fol.311.col.2. & 312. col.1. Vel aliter:voluerunt Iudæi ad horam exultare, sed non ipse;quippe munus immerenti, & absque Dei nutu collatum ruinæ potiùs,quàm exaltationis occasio est,cap.2.vers.6.adnot.6.num.9.fol.363.col.1. 7.

Quid ergo? Elias es Tu? Opportunè modò: Sane dum apud vos Elias erat, ludibrio, & contemptui habebatur,nunc illum, vt quid diuinum suspicitis. Vide inuidiæ ingenium, quæ viuos insectatur,defunctos laudibus prosequitur, non tam vt illis honorem tribuat,quàm vt præsentes contumelia afficiat,cap.1.vers.15.adnot.1.num.14.fol.207. col.1. 8.

Quid ergo? Elias es tu? Respondit, non. Cur inquit Ioannes Eliam se non esse, cùm expressè dixerit Dominus: *Ioannes ipse est Elias?* Est omninò indubitatum vtrumque verum esse, sed Ioannis voces ad humilitatem; Christi vero verba ad charitatem spectant:etenim id charitatis,id humilitatis munus est, vt quoad veritatis fines extendi possunt, illa proximum,eiusque dotes extollat,hæc eum cui insit deprimat,atque dimittat. Et verò,vt inibi inquit Bernard. *Lucet ergo Ioannes tanto verius, quanto minus appetit lucere*:est enim hæc vna virtutis lex, vt non aliter luceat,nisi ad instar sydeum celetur, & abscondatur,cap.2.vers.8.adnot. 1. tota, præsertim num.3.fol.314.col.2. 9.

Propheta

10. *Propheta es tu?* Vide iam stultitiæ imaginem suis coloribus depictam: errabant illi, & vehementer errabant, dum in Ioannis lumine ad horam exultare volebant; reiecit illos semel atque iterum à se Ioannes, illi pertinaciùs inhærent, quasi errorem suum ament, eoque gaudeant. Nec aliter sæculi amatores, quos licèt peccati falsitas, & inanitas de errore, & stultitia eorum sæpiùs admoneant, ipsi tamen dolos è manibus elabi non patiuntur, sed ipsos mordicùs retinent, vide cap.1. vers. 14. à num. 15. fol. 152.col.1.sed opportunius 2. tom.cap.3.

11. *Respondit, non.* Qui possit hærere cum veritate hæc responsio, eum Christus Ioannem Prophetam, & plus quam Prophetam esse dixerit? Quia videlicet Iudæi de Propheta illo magno, & eximio ipsis singillatim, & antonomasticè promisso interrogabant, vt patet ex Græca dictione, in qua voci, *Propheta*, præmittitur articulus, qui hunc sensum manifeste aperit eo modo, quo Hispanè diceremus: *Eres el Propheta?* Et quidem licèt Ioannes, Propheta, eximiusque Propheta esset, meritò hanc appellationem declinauit, nec tantisper se super se efferret, quippè hæc potissima ruinæ causa esse solet, quòd quis ad ea quæ maiora se sunt adnitatur, vide cap. 11.vers.6.adnot.6. num.3. fol.361. col.1. & num. 14.fol.365.col.1.

12. *Ego vox clamantis.* Quare non dixit: vox clamans, aut ego clamans? Pulchrè paranymphi munus, quod gerebat, exposuit, ne sibi, sed Christo, cuius legatione fungebatur animas desponderet, cap.1.vers.11.adnot.4.num.6.fol.159.col.4.

13. Vel ideò, *Vox clamantis*, quòd *neque qui plantat, neque qui rigat est aliquid, sed qui incrementum dat Deus*, eodem cap.& vers.adnot.3.num.2. fol.154. col.2.

14. *Vox clamantis.* Non ne facilius responderet? Ego Ioannes filius Zachariæ? Minimè, nec enim tam ad propriam personam, quàm ad munus quod gerebat, debuit aspicere; quippe Princeps, aut Prælatus sui iuris non est, sed muneris sui seruus: ideò ex illo se ipsum diffinire, & dimetiri debet, cap.1.vers.23.adnot.2.num.4.fol.255.col.2.

15. *Ego vox clamantis in deserto.* Magna veritatis vox, quæ grandi ore, & animose loquitur, nec aliquid erubescit, nisi abscondi, cap.1.vers.14. adn. 2. num.4.& sequent.fol.199.col.1.

16. *Cur ergo baptizas, &c.* Vide quàm citò sæcularium hominum iudicium, & fauor erga aliquem varietur; quem enim modò vt Deum venerabantur, ad nihil subinde aptum iam censent, cap. 1. vers.adn.2.num.23.fol.176.col.2.

17. *Medius vestrum stetit, quem vos nescitis.* Opportunè id ad Sacerdotes, & Leuitas dictum, quorum scientia absque charitate erat, ideò vana, & inutilis, cap.1.vers.9.adn.5.à num.1.fol.97.col.2.

18. *Cuius ego non sum dignus, vt soluam eius corrigiam calceamenti.* Magna Ioannis humilitas, cui egregia successit Christi retributio, nam vt acutè Chrysost. homil. 38. *Manum quam calceamento dixit indignam, super caput suum Christus attraxit.* Vnde notanter illi eum baptizare recusanti dixit: *Sine me adimplere omnem iustitiam.* Quam? Videlicet, vt dignam tuæ humilitati retributionem rependam, cap.2.vers.9.adnot.6.num.1. & sequent. fol. 528. col.1.

Dominica quarta Aduentus.

1. *Anno quintodecimo, &c.* Quid è talibus Principibus, & Pontificibus expectares: ex his scilicet, qui vel tyrannide regnum, vel auri argentique vi sacerdotium adepti erant? quippè principatus, quem aut seditio extorsit, aut ambitio occupauit, ipsius initij sui est perniciosus exemplo, & difficile est, vt bono peragantur exitu, quæ malo sunt inchoata principio, cap.2. vers.6. adnot. 6. num.6. fol.361. col. 1. Ergo cum omnia in peius collaberentur, aduentus sui œconomiam opportunè Dei Filius disposuit, quia vbi humana deficiunt, diuina succurrunt, cap.1.vers.19.adnot.1. tota, præsertim num.17.fol.215.col.1.

Factum est verbum Domini super Ioannem. Pende verba; non enim ait: dictum est verbum Domini; nec ait ad Ioannem, sed *factum super Ioannem*, vt indicet, Dei verba in opera esse conuertenda, nec alia mensura, quam egregie factorum Dei cognitionem esse dimetiendam, cap.1.vers.9.adnot.6. tota, signatè à num.7.fol.103.col.2. 2.

Et venit in omnem regionem, &c. Emphasim habet illa orationis structura: *Factum est verbum Domini, & venit.* Ac si diceret: vix verbum audierat, cùm statim executioni mandauit: tales seruos, ac ministros quærit Deus, cap. 2. vers. 8. adnotat. 4. num.8.fol.456.col.2. 3.

Prædicans baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum. Non per Ioannis baptismum, sed per pœnitentiam remittebantur peccata; sed enim vt Ioannis baptismus dignitatem acciperet, pœnitentiam illi adiungere opus fuit, necnon vt pœnitentiæ necessitas commendaretur, quæ velut baptismus, ianua, & aditus ad vitam est; nam regnum cœlorum vim patitur, ac violenti rapiunt illud, cap. 2. vers.6. adnot. 4. à num. 9. fol. 355.col.2. 4.

Parate viam Domini. Quam viam? Eam scilicet, qua ad corda nostra, vt ibi inhabitet, Dominus aduenit: ergo fuit dicere, mundate mentes, & animos, quia magna, & spatiosa res est sapientia, & vacuo illi opus est, cap.1.vers.21.adnot.2.num.4.fol.227. col.1. 5.

Omnis vallis implebitur, & omnis mons, & collis humiliabitur. Disce veram ad exaltationem viam, humilitatem esse: caue superbiæ lapsum, & præcipitium, cap.2. vers.11.adn.6.tota, fol.528. 6.

In vigilia Natiuitatis.

Cum esset desponsata mater Iesu Maria Ioseph. Cur Dominus de desponsata Virgine nasci voluit? præsertim cùm inde ansam Iudæi arripuerint, ne Dei Filium crederent, mussitantes: *Nonne hic est filius Ioseph?* Quia nimirum dum ad bonam Matris existimationem id magis conducere videret, non quæ sua, sed quæ Matris erant, considerare voluit, cap.2. vers.6. adnotat. 2. num. 11. fol. 346.col.2. 1.

Ioseph autem cum esset iustus. Bene clementiæ opus ad iustitiam refertur, quòd clementia vti, & legum rigorem temperare, iustitiæ etiam pars sit, cap.1.vers.15.adnot.3.num.5.& 6.fol.210. & 211. & plura tom.2.ad vers.27.cap.2. 2.

Voluit occultè dimittere eam. Egregium optimi Principis exemplar, qui ad instar medici non modò salutis, sed honestæ etiam cicatricis curam agere debet, indidem ad fin.num.6.fol.211.col.1. 3.

Hæc autem eo cogitante, ecce Angelus Domini in somnis apparuit ei, &c. En Dei auxilium opportuno tempore succurrens, & desperatis rebus salutem, & vitam afferens, cap.1. vers.19. adnot.1. tota, præsertim num.6.fol.218.col.2. 4.

Ioseph fili Dauid. Opportunè qui de clementia cogitabat, eo filij Dauid cognomine ab Angelo appellatur, 5.

pellatur; quippè Dauid adeò miti,& pacato animo in hostes suos erat, vt vel ob orã chlamydis à veste Saulis abscissæ grauiter doluerit,cap.1.vers.10.adnot.3.num.6.fol.115.col.2.& plura tom.2. cap.2. vers.15.dum is filiorum Dei character esse asseritur, quòd iniurias libenter condonent.

6. *Pariet autem Filium.* Accurata locutione vtitur Angelus; & alia quidem ab ea, qua Zachariæ dixit: *Vxor tua Elisabeth pariet tibi filium.*Luc.1.13. Quòd Dei Filius non vni Matri, sed omnibus hominibus velut Sol,qui communis orbis pater est,in lucem prodiret,cap.1.vers.8.adnot.3. num.11.fol. 85. col.1.

7. *Vocabis nomen eius Iesum.* Vide cap.2.versic.10. in comment. à num. 19. fol. 485. col. 1. vsque ad num.26.

8. *Ipse enim saluum faciet populum suum,&c.*Quam gloriosum Deo fuerit salutem mundo afferre,cap.2. vers.9.adnot.4.fol.514.col.1.& 2. & adnot.8. fol. 535.col.1.

In Natiuitate Domini.

1. *APparuit benignitas,& humanitas Saluatoris nostri Dei.* Quid opus fuit vt ipsemet Dei Filius nostri causa ad terras descenderet, cùm præsertim pacis Euangelium,& peccatorum remissionem per Angelum, aut Archangelum nobis posset denuntiare? Multiplex huius rei ratio potest afferri: Prima,vt ægris hominibus opem meliùs afferret; nam eos Medicos maximè laudamus, non qui nos quidem suis ministris curandos ægros committunt,sed qui pallium deponunt, interulamque succincti suis ipsi manibus ferrum accipiunt,vlcusque si sit opus, incidunt,&c. Ita Theodor. cap.2. vers.7. adnot. 6. num.2.fol.391. col. 2. & inde Principes admoneret, ne omnia regiæ dignitatis munia aliis relinquant,sed per se ipsos regni administrationi incumbant,cap.1.vers.13.adn.6.tota,fol.190.

2. Secundò, vt dum Dei humanitas apparuit, pro Dei natura,& pulcherrima ipsius facie fideiuberet: etenim cum ad Dei similitudinem homo fuisset formatus, atque hanc ille imaginem peccatorum sordibus oblitterasset, Deus etiam quodammodo probro afficiebatur, dum eius forma pensitabatur ex imagine hominis.vide quæ habentur cap.1.vers. 11.adn.5.num.11. fol. 163. col.1. sed his adiunge ea quæ habes cap.2.vers.5. adn.1.num. 2. fol.327. col.2.& sequentib.

3. Tertiam rationem sic reddit Augustinus. *Ille quidem pretiosum sibi hominem pretij ipsius dignitate perdocuit, vt hinc quoque intelligamus, quam grandes apud se æstimet Deus noster humanorum criminum causas,propter quas non Angelum, non Archangelum, sed Deum misit ad terras,* cap.2. vers.7.adnot.5. tota,præcipuè num.5.fol.389.col.2.

De Lectione Euangelica.

1. *EXijt edictum à Cæsare Augusto.*Ex Luc.2.Quanta firmitate nostræ salutis negotia à Deo peraguntur, inde liquet. quòd contractus more omnes iuris solemnitates obseruari voluerit:ideò & Regis, & Præsidis nomina,& dies,& locus signate appinguntur,cap.2.vers.7. adn.1. num. 5. ad finem. fol. 374.col.1.

2. *Pannis eum inuoluit.* Tantæ molis erat infantem pannis inuoluere, vt id à sacro Scriptore singillatim fuerit conscriptum. Latet sanè hic diuinum humanæ reconciliationis mysterium; erant quippè hi mei panni, mea videlicet paupertas, Adæ tunicæ pelliceæ, panni quibus ad sepulturam inuolutus eram. His ergo cum primùm Dei Filius ad vitam ingreditur, circumuoluitur, vt pulchra commutatione nobiscum facta, nostris ipse miseriis indueretur, quò regiam Diuinitatis stolam nobis impertiatur.Ambros. *Ille inuolutus in pannis, vt mortis laqueis sis absolutus.*cap.2.vers.7.adnot.2.num.2.ad finem,fol.376.col.2. & sequentib. Vnde Angelus statim: *Hoc erit vobis signum; inuenietis infantem pannis inuolutum:* notanter, *vobis signum.* Quare vobis solum,& non nobis? Quia vestrarum miseriarum insignia, quas à vobis auferens sibi sumit, secum defert.

Et reclinauit eum in præsepio. Vt animali homini cœlestem cibum fastidienti, & qui Deos hordeaceos elegerat, cap.2.vers.7. adnot.10. num.2. fol. 421.col.2. sese aptaret,eúmque bono dolo, cap.2. vers.11.adnot.9.num.18.fol.546. col.1. caperet:est siquidem Christus in præsepio succinum paleas ad se attrahens,capite 2. vers. 7. adnot. 6. numero 7. fol.394.col.1. 3.

Euangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo, quia natus est vobis hodie Saluator. Preme eam locutionem. *Natus est vobis,* & illam:*omni populo.* Nimirum Christus non vni solum,aut alteri,sed omnibus nascitur, vt non huic, aut illi addictus,sed omnibus opem ferat, vt dona sua conferat,cap.1.vers.8.adnot.3.num.11.fol.85. col.1. 4.

Hoc erit vobis signum; inuenietis infantem pannis inuolutum. Quod, quæso, signum Dei Saluatoris? Infans pannis inuolutus: ita quidem,quòd nullum possit excogitari opportunius. Deus enim puer, idem est ac Deus gigas, & summæ magnitudinis; quippè in his angustiis materiam suæ magnitudini consentaneam adinuenit, cap.2. vers. 11. adnot. 4. num.3,fol.514.col.2.& 515.col.1. 5.

Ad hæc opportunè. *Deus pusillus inuentus est, vt homo maximus fieret.* Etenim vt suam ille mihi magnitudinem daret, meám pusillitatem voluit assumere,cap.2.vers.7. in exposit. lit.num.21.fol.370. col.1.& adn.2.num.2.fol.376.col.2. 6.

Gloria in altissimis Deo. Vnde Ex Vnigeniti exinanitione, & humiliatione? Ita quidem; hæc enim Diuinitatem efficacissimè probat, atque gloriosam reddit,cap.2.vers.9.adn.8.num.6.ibi:*In capite libri scriptum est de me,&c.* fol. 538. 7.

Pax hominibus. De pace hominis cum Deo vide cap.1.vers.2.in exposit.lit. num. 11. fol. 27. col.1. De pace hominum inter se, quam Christus hominibus afferre, & nuntiare aduenit, cap.1. vers. 27. adnot. 1.fol.263.col.1. & adnot.2.fol.375.& cap.2. vers.1.& 2.adn.1.fol.292.col.2. 8.

Ex Euangelio Ioannis.

ET lux in tenebris lucet. Quid ergo tenebræ luci ad splendorem conferant? Profectò humanâ Deus carne amictus,decorem induisse dicitur,quasi non mediocrem ei pulchritudinem attulerit, cap.2. vers.7.adnot.6.num.9.& 10.fol.394.col.2.fol.395. col.1. 1.

Vidimus gloriam eius. Verbi Dei gloriam humanitas aperit,non secus ac vox subtilem mentis conceptum Inde Paulus: *Locutus est nobis in filio*,cap.2. vers.9.in comm.litteral.num.72.fol.501.col.2. & num.75.fol.502.col.2. 2.

In festo S. Stephani.

LApis super iustum iacturam fecerunt, vt eum morti traderent, at ille gaudens suscepit lapides, vt mereretur; 1.

retur accipere coronam gloriæ. Ita de Stephano Ecclesia. Sanè cùm impij aduersus iustum obstinato animo conspirassent, Sapientiæ 2. v. 18. dicebant. *Si enim est verus filius Dei, suscipiet eum de manibus contrariorum: contumelia, & tormento interrogemus eum:* vbi pro *tormento*, Græcè est vox, *βασάνῳ*, quæ propriè significat Lydium lapidem, quo sumitur de auro experimentum; an verum, an spurium sit; subdit Sapiens: *Hæc cogitauerunt, & errauerunt:* ac si dicat, vehementer errasse eos, qui Dei filios inde pensitabant, quòd à laboribus, & tormentis essent immunes, cùm potiùs per labores, quasi per Lydium lapidem germanos filios Deus probet; quippè patientia, & laborum tolerantia quid diuinum censetur, cap. 2. vers. 11. adnot. 4. num. 14. ad fin. fol. 518. col. 2. & ex num. 13. excerpe nonnulla. Vnde Stephanus confidenter Domino dicebat: *Domine Iesu, suscipe spiritum meum:* hoc est, ne de manibus contrariorum me suscipias, vt à laboribus eximas, sed per lapides probatum tanquam germanum fratrem suscipe, cap. 2. vers. 6. adnot. 3. nu. 12. fol. 351. col. 1. & cap. 1. vers. 30. adn. 1. à num. 1. fol. 278. col. 2. Apta etiam illud ex cap. 1. vers. 13. adn. 1. num. 8. fol. 69. col. 1. *Aurum percussum silet.*

2. De dignitate Stephani, qui primus meruit pro nomine Iesu mortem pati, vide indidem, & cap. 1. vers. 7. adnot. 2. tota, fol. 70. præsertim num. 13. fol. 72. col. 2.

3. Notantur de Stephano egregia facta prædicantur, vt argumento sit, ad martyrij coronam, tanquam ad antè actæ vitæ præmium peruenisse, cap. 1. vers. 30. adnot. 1. nu. 10. fol. 282. col. 1.

4. De insigni gaudio, quo inter lapides Stephanus perfundebatur, cap. 1. vers. 7. adn. 3. fol. 73. col. 1.

5. Ecclesiam tribulationibus creuisse, c. 1. vers. 12. adnot. vnic. fol. 165. col. 1. Adde illud Isaiæ 5. cùm de vinea suâ Dominus ait: *Lapides elegit ex illa*, quę in originibus habentur: *Lapidauit eam:* vt sit sensus, Ecclesiam, aliter ac vineis accidit, quæ si grandinantur, nullum referunt fructum; ex tribulationibus, siue ex lapidibus Stephani firmam, & munitam, vallatamque reddi.

De Lectione Euangelica.

1. VT *veniat super vos omnis sanguis iustus.* Quâ viâ, & ratione necem, & exitium sanctis viris impij parare consueuerunt, eadem sibi ipsis interitum, & malum moliti sunt, cap. 1. vers. 28. adnotat. 2. fol. 273. col. 2.

2. *Vt veniat super vos omnis sanguis iustus.* Misserrima peccatorum sors, quos Deus tardè punit, vt malis ipsorum meritis, acrioribus postea, & cumulatioribus suppliciis morte super illos fœnerante subiiciantur, cap. 1. vers. 21. adnot. 5. num. 13. fol. 240. col. 1.

3. *A sanguine Abel iusti, vsque ad sanguinem Zachariæ, &c.* Mira Martyrum charitas, atque consensio, vt in longissima temporum distantia omninò consanguinei, & alij pro aliis pugnare videantur, cap. 1. vers. 8. adnot. 1. num. 11. fol. 80. col. 1.

4. *Hierusalem, Hierusalem, quæ occidis Prophetas, &c.* Obserua vehementem Christi de suorum iniuriis dolorem, ac sensum: nam qui iniuriis lacessitus, imò verberibus, & extremis suppliciis affectus, nec verbum locutus est, ita vt miraretur Præses vehementer, cap. 2. vers. 8. adnot. 3. num. 9. fol. 452. col. 1. Ob suorum damna grauius conqueritur; nimirum proprias iniurias volens, ac lubens, illorum verò inuitus, & renuens patitur, & chariores sibi suos, quàm se ipsum habet, quippè illos vt viscera complectitur, & vt pupillam oculi medullitus diligit, cap. 1. vers. 8. in exposit. litt. num. 8. fol. 77. col. 11.

Et lapidas eos. Quid? Lapidauerant ne Stephanum? Minimè; sed quæ Christi in suos charitas est; futura illorum damna anticipatio lacrymis deflet, & in ipsorum hostes, qui iam aliunde supplicia meruerant, ob præuisam Stephani iniuriam minas intorquet, atque eos quodam modo punire vult, cap. 1. vers. 28. adnot. 2. num. 13. fol. 277. col. 1. & 2. 5.

Quoties volui congregare filios tuos, &c. Sed quàm amatoria querimonia, cui tot amoris aculei insunt: quid enim sibi velint, nisi Deum ad salutem peccatorum indesinenter anhelantem ostendere? cap. 1. vers. 2. adn. 2. tota, præsertim num. 13. fol. 37. col. 1. & num. 11. *Viuo ego, cur moriemini?* fol. 36. col. 2. 6.

Quoties volui congregare filios tuos. En Christi conatus, atque consilia, vt homines mutua charitate vniat, atque compaginet, ac in vnum congreget: vel vt vniti, atque concordes diuinam iram effugiant, c. 2. v. 1. adn. 1. præsertim nu. 10. 12. 16. & 17. à f. 295. 7.

Quoties volui, &c. Preme aduerbium, *quoties*, quod satis indicat, quàm lento gradu ad vindictam diuina iustitia procedat, vt inde iudices admoneantur reos cunctanter damnare, cap. 1. vers. 13. adn. 5. fol. 186. col. 1. 8.

Et noluisti. Emphaticè; ac si dicat: ego non nisi cogitationes pacis cogitabam; tu verò te ipsam morti addicere, meamque iustitiam cunctantem, & renuentem non modò lacessere, sed etiam oppugnare, & expugnare vis, c. 1. v. 10. adn. 8. n. 18. f. 135. col. 2. 9.

Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta. Notanter, *domus vestra*, cum ea primitus domus Dei diceretur: sed enim tum domum ipse suam non appellat, nisi vbi miseretur, & beneficia confert, cap. 1. vers. 2. adnot. 2. num. 15. fol. 37. col. 2. Tum etiam innuit se in animis sæcularibus desideriis præoccupatis non inhabitare, cap. 1. vers. 21. adnot. 2. tota, signatè verò num. 10. fol. 228. col. 2.

Ecce relinquetur. Quare non dixit, *relinquam*, vt opponeret præfatæ locutioni, *Volui congregare, & noluisti*? Quia non tam relinquit Deus, quàm relinquitur, nec ipse punire dicitur, sed nos illius iram attrahere, c. 1. vers. 10. adn. 8. num 14. fol. 134. col. 2. 10.

Ecce relinquetur, &c. Dei minæ, charitatis sunt pignora, quippe ideò minatur, vt moneat, & ad pœnitentiam vrgeat, cap. 2. vers. 9. adnot. 7. num. 12. fol. 535. col. 2. 11.

Non me videbitis amodo, donec dicatis: Benedictus qui venit in nomine Domini. Hoc est, vt plures ex Patribus explicant; donec me in die iudicij regnantem, & præmia, ac supplicia decernentem videatis: sed quam alia miseris tunc cognitio, quàm sera pœnitentia, cap. 1. vers. 10. adnotat. 9. à num. 5. fol. 137. colum. 2. 12.

In festo S. Ioannis Euangelistæ.

DIxit *Iesus Petro: Sequere me.* En optimum Prælati specimen: horrebat olim crucem Petrus, Christoque ad eam properanti obuiam ibat, inquiens: *Absit, Domine, non erit tibi hoc.* Quam ob rem non leuiter tunc à Christo est increpatus, sed non ideò tunc ei præscripsit vt se ipsum sequeretur, quod huic monito Petrus maturus non esset, eaque de causa huc illuc opportunè transmisit, cum ipsius passione, & morte à Petro iam animaduersa, ad illius imitationem alacriter curreret, cap. 2. vers. 7. adn. 6. num. 5. fol. 393. col. 1. & num. 12. fol. 395. col. 2. De Petri verò alacritate ad Christi crucem ferendam, eiusque sequenda vestigia, cap. 2. vers. 6. adnotat. 4. num. 3. fol. 353. col. 2. 1.

Sequere

2. *Sequere me.* Obserua dicti occasionem: tradiderat regni cœlestis claues, Principem, suæque ditionis in terris Vicarium fecerat, & Ministrum; & tamen signatè ait: *Sequere me:* hoc est, ad meam voluntatem, atque consilium te attempera, vt me, non secùs ac vmbra corpus, sequaris; vt id Principibus monitum traderet, non omnia regni negotia sic esse familiaribus committenda, vt Principes ministros suos, & non potiùs è contrà, administri suos Principes sequi videantur, cap.1. vers.13. adnot.9. fol.190. col.1.

3. *Conuersus Petrus vidit illum discipulum, quem diligebat Iesus sequentem.* Num Ioanni dictum fuerat? *Sequere me.* Cur ergo Dominum fuit etiam sequutus? Quòd perfecta obedientia vocem non expectat, sed ad quemuis Prælati nutum se componit, cap.2. vers.8. in comment. num.15. fol.434. col.2. & adn.4. num.8. fol.456. col.2.

4. *Domine, hic autem quid?* Prælati de subditi vtilitate solliciti hæc vox esse videtur, quòd non vt sibi, sed vt subditis consulat, Princeps constituitur, cap.1. vers.23. adn.2. num.2. fol. 255. col. 1. ibi: *Principem te constituerunt, sed sibi, non tibi, &c.* & num.3. & 11. & 13. fol.259. col.1. & 2.

5. *Quid ad te?* Emphasim habet hic aculeus; forsan enim Petrus id à Christo in Ioannis gratiam perquisiuit, vt ei qui in Passionis nocte in Petri gratiam à Domino interrogauerat, quis eum esset traditurus? mutuum modò officium persolueret. Quod Ioannes videtur innuere, dum fuimet mentionem faciens inquit: *Qui & recubuit in cœna super pectus eius, & dixit: Domine, quis est qui tradet te?* Quare Dominus ipsum videtur obiurgasse, quòd Princeps factus ad peculiaris amicitiæ rationem attenderet, & vni addiceretur, qui æqualiter de omnibus curare debebat: vnde ait, *Sequere me:* hoc est, communem te omnibus ad mei exemplum præbe, cap.1. vers.8. adnot.3. tota, fol.83. col.1.

6. *Sic eum volo manere, quid ad te?* Vitam, & mortem Deo committamus, cap.1. vers. 12. in exposit. num.3. & 4. fol.222. & adn.1. fol.523. col.1.

7. *Exiit sermo inter fratres, quod discipulus ille non moritur.* Egregiam Apostolorum charitatem in Ioannem id indicat: charitas omnia credit, omnia sperat, cap.1. vers.7. num.4. & 5. fol.65. col.2. Quid quòd filiorum Dei est proprium omnia in meliorem partem interpretari, tom.2. ad ea verba, cap. 2. vers. 15. *Vt sitis simplices filij Dei:* vbi multis hac de re agitur.

In die sanctorum Innocentium.

1. *SVrge, & accipe puerum.* Cùm Dei Filius descendit, homo notanter surgere dicitur, quòd Christi exinanitio nostra exaltatio sit, cap.2. vers.7. adn. 2. nu.9. & 10. fol.379. col.1. & 2. Vide etiam cap.2. vers.9. adn.5. num. 17. fol.524. col.2.

2. *Surge.* Qui ad exilium, & tribulationes pro Christo perferendas inuitatur, iure surgere dicitur, cap.1. vers.19. adnot.3. num.7. fol.284. col.2.

3. *Accipe puerum, & matrem eius.* Ac si dicatur ei, dum Deum tecum tuleris, nec culpa tua eum amiseris, quidquid sæuiat in te mundus, nihil tibi è veris bonis decrescere, aut perire poterit, cap.1. vers. 10. adn. 1. num.8. fol. 109. col.2.

4. *Vade in terram Ægypti.* Quàm prouidus de ablactatione Filij summus Pater est, vt exemplo, & documento nobis sit, quantum nobis expediat, quamque sit necessarium, propriis, ac terrenis affectionibus obuiam ire, c.1. vers.21. adnot.2. num.5. fol.217. col.2.

Et erat ibi vsque ad obitum Herodis. Quam exacta, & ad finem vsque perseuerans Christi obedientia fuerit, cap.2. vers.8. adn.4. num.1. fol.454. col.1. 5.

Videns autem Herodes, quoniam illusus esset à Magis. Itanè Reges illudi possunt? Ita quidem, quia vbi diuina prouidentia non commilitat consiliis, actionibusque hominum, his malus exitus aduenit, fol.361. col.1. Et verò dum terrenis inhiant, quantumuis insudent, deluduntur, cap.1. vers. 11. adn. 2. num.9. fol. 149. colum.2. & num.7. ibi: *Quem fructum habuistis, &c.* fol.149. colum.1. 6.

Occidit omnes pueros. Vide ambitionis ferociam in omnem posteritatem sæuientem, cap. 1. vers. 13. adnot.2. num.13. fol.174. col.2. Imò & Deo mortem inferre molientem: & verò quod modò obtinere non valuit, postmodum consequuta est, dum ob Præsidis ambitionem Dei Filius occisus fuit. ibi num.14. fol.175. col.1. 7.

Omnes pueros. O pessimum Principem, qui commune bonum, quod diuinum quid est, propriæ vtilitati postposuit, cap.2. vers.4. adnot.1. num.13. fol. 325. col.1. Aliter quidem Constantinus Augustus, qui lethali conflictatus morbo, cùm ex humano infantium sanguine medicina ipsi pararetur, puerorum salutem, & incolumitatem propriæ vitæ præposuit, vnde quidem subditorum saluti innixum, firmum, ac felicissimum eius extitit imperium: contrà Herodes supplantatus innocentium sanguine grauissimas pœnas dedit, vide cap.1. vers.28. adnot.2. num.10. fol.276. col. 1. & 2. 8.

Secundum tempus quod exquisierat à Magis. Vide fructum, qui ex diuinorum cognitione, & scientia, quam didicerat Herodes, sit sequutus, cap. 1. vers. 9. adnot.6. num.5. ibi: *O Iuda proditor,* fol. 103. col. 1. 9.

Vox in Rama audita est: ploratus, & vlulatus multus: Rachel plorans filios suos, cap. 1. vers.9. adnotat. 1. num.5. fol.89. col.1. 10.

In festo S. Thomæ Cantuariensis.

EGo sum Pastor bonus: bonus pastor animam suam dat pro ouibus suis, cap.2. vers.7. adnot. num.6. & 7. fol.378. col.1. En regulam, ad quam optimi Principes, & Prælati componantur, cap.1. vers. 1. adnotat. 6. numero 8. & sequent. fol.22. col.1. 1.

Mercenarius autem, cuius non sunt oues propriæ. Optima ratio vt Principes se ipsis suorum rebus prouideant, nec familiaribus suis, cuius non sunt oues propriæ, omnem regni administrationem committant: quippè proprius Princeps aliter ac mercenarius condolet, miseretur, fauet, fouetque, cap. 1. vers.1. adnot.6. num.8. fol.22. col.1. 2.

Lupus rapit, & dispergit oues. En discordiæ malum, dum pro eodem damno bonus pastor computat otium necem, & dispersionem, atque ea mali lupi mens in rapiendis ouibus est, vt eas dispergat, cap.2. vers.2. adnotat.1. à num.3. & sequent. fol.293. col.1. 3.

Et ego agnosco Patrem, & animam meam pono pro ouibus meis. Ac si diceret: quia cognosco quàm vehementi amore homines Deus prosequatur, libenter animam meam pono pro ouibus. *Sic enim Deus dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum daret,* cap.1. vers.2. adn.1. tota, fol.32. col.1. 4.

Cognosco oues meas, & animam meam pono pro ouibus meis. Vt sit sensus: nec est mirandum, me pro ouibus meis animam ponere, quippè qui nouerim earum pretium, & Deum quodammodo valere, cap. 2. vers. 7. adnotat. 6. tota, folio 378. col.2. 5.

Et illas oportet me adducere. Tanti mutua proximorum 6.

morum dilectio à Deo fit, vt id ad ipsum, quasi damnum aliter sit accepturus, pertinere videatur, ibi adnot.3.tota,fol.301.col.1.

Dominica infra Octauam Natiuitatis.

1. *Ecce positus est hic in ruinam, & in signum, cui contradicetur,&c.* Quare? Quia à sua maiestate,& gloria euacuatus,atque exinanitus, Christi siquidem exinanitio Iudæis scandalum,Gentibus autem stultitia. At enim hinc maximè Deum cognoscere debuerunt; hæc enim Dei virtus, atque sapientia fuit, cap.2.vers.7. adnot.2.num.8.fol.378. col.2.

2. *In signum cui contradicetur.* Scite de Dei natura, dixit alicubi Seneca, iniuriam Deo sacrilegus non facit, quem extra telorum ictus Diuinitas posuit. Sed enim quia agere,& pati pro amato,præcipuum dilectionis signum est,cap.1.vers.7.adn.3.num.12. fol.75.col.2. Libens Dei Filius homo fieri,& telorum ictibus exponi voluit, vt suam nobis inde testaretur dilectionem, eadem adn.num.10.fol.106. & cap.2.vers.9.adnot.4.num.7.fol.516.col.1.& 2.

3. *Tuam ipsius animam pertransibit gladius.* Nimirum,vt pro amoris modo,qui sine modo erat, esset etiam modus doloris,& sensus,cap.1.vers.3.adn.4. num.5.fol.46.col.2.

4. *Puer autem crescebat.* Notanter Dei Filius, qui nostrum exemplar est, puer dicitur, vt moneamur ad puerorum modum nos spiritualiter crescere debere,& maiores in Dei obsequio progressus indesinenter facere,cap.1.vers.9.adn.2. à num.3. fol.91. col.2.

5. *Crescebat plenus sapientia.* Optimus crescendi modus, vt argumento, & documento sit, non nisi per merita, & studiorum labores ad munera perueniendum esse,cap.2.vers.6. adnotat. 5. fol. 356. col.1.

6. *Confortabatur plenus sapientia.* Accurata locutione fortitudo,& sapientia coniunguntur,ne vis consilij expers malè ruat vi sua,cap.1. vers.9. adnot.3. fol.94.col.1.& adnot.4.fol.96.col.1.

7. *Et gratia Dei erat in illo.* En adiuuantis, & cooperantis gratiæ munus, quod iis, qui excitanti gratiæ strenuè respondent, à Deo dona sua remunerante copiosè datur, cap.1. vers.6.adnot. 3. fol.56. col.1.

In Circumcisione Domini.

1. Habes concionem integram,cap.2. vers.7. adnot.4.tota,fol.385.col.1. dum cum allusione ad hoc mysterium latiùs ibi pertractatur, eum Dominicæ Incarnationis & signatè Circumcisionis Christi scopum,ac finem fuisse, vt diuina sponsalia cum Dei Filio fidelis anima contrahens ad regium Sponsæ fastigium perueniret.

De Lectione Euangelica.

2. *Dies octo vt circumcideretur puer.* Discant parentes quam citissimè spirituali filiorum saluti consulere, & prauas ipsorum affectiones circumcidere,cap.1.vers.9.adn.3.à num.6.fol.89.col.2.

3. *Vt circumcideretur puer.* En Christi carnem in similitudinem carnis peccati; sed à peccato omnino expertem,ac liberam,cap.2.vers.7.adn.7.num.1. & sequent.fol.396.col.2.

4. *Vocatum est nomen eius* Iesvs. Quàm benè Saluatoris nomen egregiis Christi factis respondeat, c.2.vers.11.in comm.à num.20. fol.485.col.1.vsque ad num.26.

Vocatum est nomen eius Iesvs. Iure ab Sponsa oleum effusum hoc nomen dicitur, quòd se totum Dominus effuderit,vt sua exinanitione omnimoda gloria,& honore,& voluptate repleremur, cap. 2. vers.7.adn.2.fol.376.col.1. 5.

Vocatum est nomen eius Iesvs. Vide quomodo è vestigio Optimus Pater benè Filio amoris officium persoluat,dū pro illis sanguinis guttulis in eius honorem effusis, Iesv nomen tribuit, quo nihil augustius,aut honorificentius excogitari solet, cap.2. vers.11.adn.8.fol.536.col.1. 6.

Nomen eius Iesvs. Quàm aptè Religioni Societatis, hoc Iesv nomen quadret, late, cap. 2. vers.11.adn.9.tota,fol.539.col.2. 7.

In Epiphania Domini.

Cvm natus esset Iesvs, *&c. ecce Magi ab Oriente venerunt.* Quid pueri natiuitas cum Magorum, Principum scilicet, atque sapientium aduentu habeat commune, vt ex illa ipsos adduci, & trahi dicantur? Sanè quod semetipsum exinaniendo per temporalem natiuitatem Diuinitati in se habitanti egregium reddidit testimonium,cap.2. vers.5.adnot.1.num.3.fol.328.col.1. & vers. 9. adnot.4.fol.514.col.1.& 2. 1.

Ecce Magi. Mirum est in trium Magorum ad Christum aduentu Ecclesiam adeò magnificè sentire, vt omnes ad ipsum gentes confluxisse credat, ac proinde vehementer gaudeat,sibique gratuletur, inquiens: *Omnes gentes quascumque fecisti, venient, & adorabunt coram te, Domine.* Sed minimè id fuerit mirandum. Regibus enim ad Christum venientibus omnes sibi subditos, qui ad eorum exempla componuntur aduenturos, non est dubium, cap.1. vers.13.adn.13.num.14.fol.181.col.1. 2.

Ecce Magi ab Oriente venerunt. Notanter Magi, & non potius Reges, vt non modò à sapientia potissimum commendentur, sed etiam sapientiæ scopus; optimusque eius vsus,vt nimirum homines ad Deum deducat,ostendatur, cap.1. vers.9. adnot.5. tota,folio 98.col.2. 3.

Vbi est qui natus est Rex Iudæorum? Quanta libertate, & fiducia Christi regnum inter ipsiusmet aduersarios prædicant, quod vt Christianæ messis primitiæ nullatenus erubescant Euangelium,cap.1. vers.14.adnot.2.fol.198.col.1. 4.

Vbi est qui natus est,&c. Non tyranni Regis sæuitiam,non Iudæorum inuidiam formidant, nec timide,segniterve Christum quærunt,sed intrepide, & audenter difficultatibus, atque periculis occurrunt, cap.1.vers.28.adn.1.fol.270.col.1. 5.

Vidimus stellam eius in Oriente,&c. En Astrologiæ, & gloriæ sæcularis clausulam; iam enim tota Mathesis ac humanæ vitæ norma, ac felicitatis inuestigatio à Christi luce & exemplo petenda,cap.2. vers.5.adn.1.num.8.fol.338.col.1. 6.

Vidimus stellam eius in Oriente, & venimus adorare eum. Vide pulcherrimum obedientiæ genus, quo noua gentilitatis sponsa suo se aptat sponso; ille siquidem in humanæ redemptionis typo dicebat: *Vidi afflictionem populi mei,& descendi.* Exod. 3. 7. Obediente nimirum Deo hominum votis, cap.2.vers.8.in exposit.literæ,fol.430.col.2.num.4. hæc modo pulchra æmulatione inquit. *Vidimus,& venimus*, cap.2. vers.8. adnot.4. num.8.9.10.& 11. & 12.à fol.456.col.2. 7.

Turbatus est Herodes, & omnis Hierosolyma cum illo. Mirum est sanctam ciuitatem ad impij Herodis nutum componi;adeo à Principis exemplo non qualescumque, sed probi etiam, & sancti homines dependent, 8.

dependent,cap.1.verf.23.adnot.3.num.2.& 3. fol. 177.col.2.

9. *Turbatus est Herodes, & omnis Hierosolyma cum illo.* Quid turbantur Iudæi, quorum salus in Christi aduentu vertebatur, quem ipsi tam auide expectabant? Plane excæcauit eos inuidia,dolentes gentilium fœlicitatem,qui primi Christum adoratum venerant:quippè inuidus suæ felicitati demptum putat quidquid aliis fæliciter euenit, cap.1. verf. 55. adn.1.à num.8.fol.205.col.1.

10. *Congregans omnes Principes Sacerdotum & Scribas populi sciscitabatur ab eis vbi Christus nasceretur.* Vide quanti momenti scientia sit,à qua diuinorum mysteriorum cognitio sic pendet,c.1.verf.9. adn.4. tota,præsertim à num.7.fol.97.col.1.

11. *At illi dixerunt,in Bethleem Iuda.* Grande & solius Dei opus,tam in Magorum gratiam, quam ne infidæ plebi aliqua in posterum esset excusatio tot aulicos inter se semper diffidentes in vnam sententiam conspirasse,c.1. verf.1.adnotatione.3.num.8. & 9.fol.211.col.2.

12. Nisi forte è nimio studio placendi Herodi id ortum dixeris,ea enim ipsorum conditio,& ingenium est,vt amare & odisse, res omnium liberrimas pro Principis sui nutu addiscant,cap.1.verf.13.adnot.2. à num.15.fol.175.col.2.& seq.

13. *At illi dixerunt:&c.* Dixerunt;& quare ipsi non venerunt? misera Sacerdotum, & sapientum conditio,quialiorum medici sunt,& seipsos curare non nouerunt.cap.1. verf.18. in comment. num.4. fol. 213.col.2.

14. *Videntes stellam gauisi sunt gaudio magno, &c.* En virtutis viam, in qua strenuè certantibus diuina lux affulget; datúrque manna absconditum; verum scilicet gaudium,& pax,quę exsuperat omnem sensum, cap.1. verf.1. adnotat.6. num,14.fol.23. col.1.& verf.2.in expositione literæ,num.12.& seq. fol.27.col.1.

15. *Intrantes domum inuenerunt.* Rectè,nam qui virtuti studet, dum *quærit inuenit:* gloriosum, scilicet fructum aliter quidem quam sæculi amatores,quorum labores sine fructu sunt,& *Nihil inuenerunt in manibus suis,* cap.1.verf.11.adnot.2.tota, fol. 147. col.1.

16. *Obtulerunt ei munera.* E quo quæso promptuario? Porro ex ipsiusmet Christi thesauris, ac donis: rectè enim vates *à templo tuo tibi offerent Reges munera,* cap.1.verf.6.adn.2.num.2.fol.53.col.1.

17. *Per aliam viam reuersi sunt, &c.* Ij qui Deum agnouerunt,alia via incedere, aliis videlicet moribus diuinis similibus prædiτos esse oportet, cap. 2. verf.5.adn.1.num.9.fol.330.col.2.

Dominica infra Octauam Epiphaniæ.

1. Remansit puer IESVS *in Hierusalem &c.* Hæccine ô diuine puer in parentes pietas? sic ab iis,quos absentiam tuam ægre laturos nosti, abesse potuisti? ita sanè,quòd exigua mora non solum tuta sit;sed quæ amorem etiam augere soleat,cap.2. verf.7.adnot.10.num.13.fol.427. col.2. adeo suorum charitatem in dies crescentem Deus optat, & curat,c.1.verf.9.adnot.2.fol.91.col.1.vnde signatè de ipsis subdit Lucas. *Et non inuenientes regressi sunt in Ierusalem requirentes eum:* Nullum videlicet terminum studio, & curæ inueniendi Dominum imponentes. vide indidem,num.8.fol.92. col.1. Quid quod de industria tribulationibus Deus suos exercet, vt nouos in virtute profectus faciant, cap. 1. verf.22.adnot. vnic.fol.243.col.1.

2. *Inuenerunt illum in templo sedentem in medio Doctorum, &c.* Bene in medio,vt æque omnes audiret, æquè omnes doceret, æque omnibus benefaceret; quippe medius locus, Dei proprius, Principis proprius est,ne in vnum, aut alterum dumtaxat, sed in omnes sibi subditos beneficus,ac liberalis sit,c.1. verf.8.adnot.3.fol.83.col.1.

Audientem illos, & interrogantem. Notanter de eo qui præsidet, siue regnat (nam sedere regnare est,fol.698.num.10.) dicitur & audire,& interrogare,ne cito, sed cunctanter, nec contra inauditam partem sententiam proferat,cap.1.verf.13. adnot.5. fol.186.col.1. 3.

Audientem illos. Quid sapientiæ Patris opus erat alios audire,sed omnes docere? Porro sapientiæ Dei proprium fuit sese magnopere demittere,vt homines humilitatem doceret, cap. 2. verf. 5. in comment.fol.326.col.1.& adn.1.fol.327.col.1. 4.

Stupebant autem omnes, qui eum audiebant super prudentia,& responsis eius: Vides quomodo ex cuiusque sermone,eius prudentia,& virtus dignoscatur? quamque sit iusti hominis proprium bona verba loqui, cap.1.verf.10.adnot.7.fol.127.col.2. 5.

Nesciebatis, quia in ijs,quæ Patris mei sunt oportet me esse? Cur non dixit in iis, quæ mea sunt, cùm omnia quæ Patris sunt, Filij etiam æqualiter sint? Vt videlicet omnia ad Dei gloriam signatè referret, cap.1.verf.11.adnot.4. fol. 157. col.1. Deinde, vt non quæ sua,sed quæ Patris erant,consideraret, de gloria illi tribuenda generose cum ipso contendens, Principesque ac Dynastas ad honorem aliis liberaliter deferendum instituens,cap.2.verf.6. adnot.2.num.3.fol.344.col.2. 6.

Et erat subditus illis. En veram humilitatem, dum quanto quis maior est,humiliat se in omnibus, cap.1.verf.1.adnot.1. fol.7. col. 2. Immò verò eo ipso quod maior est,appetit humiliari, indidem numero 11.fol.9.col.2. 7.

Et mater eius conseruabat omnia verba hæc in corde suo. Opportunè; quippe verba Dei,nec hæc,aut illa,sed omnia verba seruare, & executioni mandare oportet,cap.1.verf.9.adn.6.fol.101.col.2. 8.

In Octaua Epiphaniæ,& de Baptismo Christi.

Ecce Agnus Dei: ecce qui tollit peccata mundi. Benè Agnus,qui tollit peccata; quippè qui nos inermes, ac nudos cooperuit, & ab ira diuina defendit,nostras in se sordes suscipiens, cap.2. verf.8. adnot.6.fol.464.col.2. Adde proprium id Principis munus esse, suos fouere, & cooperire, cap. 1. verf.23.adnot.2.num.14.fol.259. col. 2. & 15. 16. fol.260. 1.

Qui tollit peccata. O egregium Principem,qui à suis non bona quæ habent, sed tributa,& pondera tollit,præfata adn.2.à num.10.fol.258.col.1. 2.

Sed vt manifestetur in Israel; propterea veni ego in aqua baptizans. Optimi ministri, ac famuli specimen; id est,qui non venit,aut operatur, vt gloriam sibi captet,sed vt Deus manifestetur, cap.2. verf.3. adnot.1.num.10.fol.448.col.1. & cap.1. verf.11. adnot.4.tota, fol.156.col.1. 3.

Vidi spiritum descendentem quasi columbam de cælo,& mansit super eum. Alludit Ioannes ad Christi baptismum, in quo egregium illius humilitati testimonium Pater reddidit, ipsum, vt germanam sui prolem recognoscens,cap.2. verf. 5. adnotat. 1. num.3.fol.328. col.1. In iis autem Matthæi verbis de Christi baptismo,quæ inibi citantur,obserua illa: *Baptizatus autem* IESVS *ascendit de aqua*, quòd humilitas excelsa in se ipsa sit, & ad excellsitatem via, 4.

via,cap.1.verſ.1.adnot.1.num.10.fol.9. c.2. & c.2. v.9.adn.6.tota,f.528.col.2.

5. *Et manſit ſuper eum.* Notanter id additum, quòd non ſit ſatis diuinum ſuſcipere Spiritum, niſi ſimul des operam,vt in te maneat, c.1.v.6.adn.3.fol.80. & adnot.4.præſertim num.12.f.63.col.2.

6. *Super quem videris Spiritum deſcendentem, & manentem ſuper eum, hic eſt, qui baptizat in Spiritu ſancto.* Obſerua gnomen, vt dignoſcas Doctorem, Concionatorem,& verum Euangelij miniſtrum; illum ſcilicet, qui diuinum Spiritum priùs accipit,& in quo Dei Spiritus manet: ſic de ſe ipſo dicebat Chriſtus, Ioan. 10.36. *Quem Pater ſanctificauit, & miſit in mundum*: ſignate propriam ſanctificationem præmittens,vt ad ſalutem aliis dandam mitti ſubinde diceretur,tom.2.ad ea verba cap.4. *Quæ vidiſtis, & audiſtis,&c.*

Dominica ſecunda poſt Epiphaniam.

1. *Vocatus eſt autem & Iesvs ad nuptias.* Inuitatur ad aliorum nuptias, & vocatur, ſed ipſe vt inuitet, & opem ferat, quaſi ad proprias nuptias aduenit, cap. 2. verſ. 9. adnotat. 8. num. 9. fol. 535. col.1.

2. *Et deficiente vino.* En quàm breue ſæculi gaudium ſit,& quàm ſæpe ſpem mentiatur ſeges,c.1.v.1. adnotat.2.num.19.fol.153.col.1.

3. *Nondum venit hora mea.* Quare? Quia vinum non penitùs defuerat; tunc verò opportunè auxilium ſuum Deus præſtat, cùm humana nullatenus ſuccurrunt,cap.1.verſ.19. adnotat. vnica, num. 11. fol.120.col.2.

Dominica tertia poſt Epiphaniam.

1. *Cvm deſcendiſſet Iesvs de monte, ſecutæ ſunt eum turbæ multæ.* Filij Dei in carnem deſcenſus adumbratur, vt rectam nos aſcendendi viam doceremur, cap.2.verſ.5.adnot.1.num.13.f.332.col.2. Deinde nota dictorum ſeriem, & conſecutionem, nempè ideò turbas multas Dominum fuiſſe ſecutas, quod ipſe de ſolio ſuo ad opem nobis ferendam deſcenderit,cap.2.verſ.9.adn.3.num.8.fol.513.col.1. Præterea ideo ſunt ſecutæ,quia comitate, & ſuauitate potius,quàm terrore alliciuntur homines, c. 2. verſ.7.adn.6. tota,præcipuè num.2.3.4.& 12.à fol. 391.col.2.

2. *Ecce leproſus veniens.* Ecce humanam naturam à Chriſto non aliter ſanandam, quam ſi ipſe leproſus reputetur. Iſai 53.& hominum ſordes,atque peccatorum pœnas in ſe ſuſcipiat, cap.2.verſ.8. adnot.5. num.12.fol.463.col.2.& verſ.7. adn.2.nu.4.f.377. col.1.

3. *Si vis, potes me mundare.* Imò & velle, & poſſe idem in ipſo eſt; cuius nimirum voluntas ad benefaciendum inhiat,cap.1.v.2.adn.2.n.13.fol.37.c.1. Cuius potentia omnino benefica, & ſalutaris eſt, c.2.v.9.adn.7.à num.3.f.533.col.1.

4. *Et extendens manum tetigit eum,&c.* Quid opus erat manum extendere,& ea tangere, qui verbo ſolo ſanare poterat? Planè vt inde moneremur non aliter nos vitam habere, hautireve, niſi à carne Chriſti, quæ viſitatrix eſt,poſſe,cap.2.verſ.7.adn.9. num.13.fol.418.col.1.

5. *Vide,nemini dixeris.* Vide quanto ſtudio ad noſtram inſtitutionem hominum gloriam declinet Dominus, quod virtus niſi celetur, ſplendorem ſuum amittat, cap. 2. verſ. 3. adnot. 1. num. 3. fol.314.col.2.

6. *Acceſſit Centurio.* Itane homo nobilis,& primariæ dignitatis homo, domo ſua egreditur, vt ſerui ſalutem procuret? Quidni? Nonne vt ſibi ipſi incolumitatem expoſceret,domo egrederetur? Serui ergo ægritudinem, illiuſque carnem propriam reputet,cap.2.v.1.adnot.4.num.5.& ſeqq.à fol. 305. col.2.

Acceſſit Centurio. Preme verbum, *Acceſſit.* Quod virtutem,ſiue effectum laborum, atque tribulationum,vt videlicet homines ad Deum deducant,manifeſtè oſtendit, cap.1.verſ.19.adn.2.tota, fol.283. col.1. 7.

Domine,puer meus iacet in domo paralyticus. Benè Chryſolog. *Quia meus iacet,ſi tuus eſſet, non iaceret,* c.1.v.1.adn.6.num.10.f.22.col.1. 8.

Et malè torquetur. Sic ſic mundi,ac Dæmonis ſeruis euenit,quos ipſorum domini malè torquēt,ibid. num.11.& 12.fol.24.col.2. Sed pende non dixiſſe, *torquetur*; ſed *malè torquetur*: quia vt bene ibi Paſchaſius: *Ad comparationem eorum poſuit, qui aliquando torquentur,vt corrigantur, & approbentur.* Ergo beatus ille ſeruus, cuius emendationi Dominus inſtat: miſer verò ille qui à mundo,à Dæmone infami de cauſa torquetur, cap.1. v.7. adn.2.num.4. fol 70.col.2. 9.

Ego veniam,& curabo eum. Quid neceſſe ſit,Domine,te ad eum ire? Nōne vel ibi imperare,vel aliquem ex Diſcipulis curatum ſeruum mittere ſatis fuerit? Inſtruit quidem Principes,ac Prælatos Dominus ſe ipſis ſubditorum res agere, & gubernationi vacare,cap.1.verſ.13.adn.6.n.7.f.191.c.2. 10.

Dico huic: vade, & vadit: & alij, veni,& venit. Ex promptitudine, & alacritate, qua dominis temporalibus ſerui obſequuntur, ad obedientiam Deo acriter pungimur,vide cap.1. v.1.adn.2.tota, fol. 11. col.2.& c.2.v.8.adn.4.n.11.f.457.c.2. 11.

Domin.4. poſt Ephan.

Aſcendente Ieſu in nauiculam, ſecuti ſunt eum Diſcipuli eius, & ecce motus magnus factus eſt in mari. Ita ne ſuos in pericula atque diſcrimina proiicit Deus? Ita quidem, quippe qui eorum virtutem robuſtam,atque perfectam vult, c.1.v.22.adn.1.tota,præcipuè à num.9.f.245.col.1. 1.

Ipſe verò dormiebat. Cur Diſcipulis in ſummo vitæ diſcrimine poſitis bonus Dominus dormiret? Ne videlicet eorum defectus, & errata increpare teneretur, c.1. v.15. adn.3.num.6. f.211. col. 1. vnde notanter dicitur: *Et ſuſcitauerunt eum*, quod diuinam vindictam ſæpius dormientem noſtris nos erratis excitamus, cap.1.v.10.adnot.8.num.18.f.135. col.2. 2.

Quid timidi eſtis modicæ fidei? Cur modicæ fidei homines appellet Dominus, cum nauicula fluctibus operiretur? Quia in maioribus periculis,& cum humana omnia deficiunt,& velut reſpirationis aditus præcluditur, tunc certius diuinum adeſt auxilium, cap.1. verſ. 19. adnot. vnic. num. 1. & ſeqq. fol.217.col.1. 3.

Et facta eſt tranquillitas magna. Auguſtin. in Pſalm. 63. *Ipſa pericula noſtra dulciorem nobis faciunt liberantem*: quippe tunc: *Pax multa diligentibus legem tuam, & non eſt illis ſcandalum*: vel, vt eſt in originibus,non eſt illis ſingultus, aut ſcrupulus; nam liquido illis conſtat chariores Deo, quam ſibi ipſis eſſe. nec alia,quam amoris cauſa, vt pater dum ludit cum filiis, & in ioco ſeueriorem ſe illis oſtendit exercere: ſiue etiam facta eſt tranquillitas magna, quod opportuniùs poſt laborem, quies, & delectatio ſuccedat, cap.2.verſ.9. adnot.1. num.5. fol.504.col.2. 4.

Domin. 5. post Epiphan.

1. *CVm autem dormirent homines, venit inimicus, & superseminauit, &c.* En subdolas Diaboli artes; occultè, & in silentio technas, dolosque suos versare, ne de facie cognoscatur, c.1.v.14.adn.2. n.9. & 10.fol.129.col.2.

2. *Inimicus homo hoc fecit.* Extrema Diaboli malitia hominis titulo describitur: quippe nulla tam detestabilis pestis est, quàm quæ homini ab homine venit, c.1.v.15.adn.1.n.3.& 4.f.104.col.1.

3. *Vis imus, & colligimus ea?* Mitem patrem familias serui ad vindictam accendunt, quod sæpe Principibus illorum familiares impedimento sunt, quominus suo munere rectè fungantur, c.1.v.13.adn.4.tota, fol.182.col.2.

4. *Sinite vtraque crescere, &c.* Malis propter bonos beneficia Deus reddit, cap.1.v.11.adn.2.n.6.f.148.col.2.

5. *Sinite.* Quam lento gradu ad vindictam procedat, c.1.v.13.adn.5.à n.1.f.186.c.1.

6. *Ne fortè colligentes zizania, eradicetis cum eis simul & triticum.* Bene quidem: nam vt virtutis triticum radices mittat, & robustius consurgat, excitatione malorum opus habet, c.1.v.22.adn.vn.2.n.2.f.243.c.1.& v.26.ad 1.n.7.f.281.c.1. & 2. & adn.3.n.9.fol.285.col.1.

7. *Alligate ea in fasciculos ad comburendum, &c.* Non ignorabat pessimus seminator zizania à se tritico mixta in ignem tandem coniicienda; sed ea inuidi miserrima natura est, vt propria amet damna, dummodo aliena bona pereant, c.1.v.15.adn.2.n.6.fol.209.col.1.

Domin. 6. post Epiphan.

1. *SImile est regnum cælorum grano sinapis, &c.* Quod humilitate Christus, atque eius Discipuli ad exaltationem, & gloriam iuerint, c.2.v.9.adn.6.tot.fol.528.col.1.

2. *Grano sinapis.* Pulchrè cum sinapi virtus componitur, quæ tribulationibus perficitur, atque dignoscitur, c.1.v.22.adn.vnic.n.4 f.243.c.2.

3. *Grano sinapis.* Euangelium persecutionibus, & laboribus toleratis suadetur, & bonum sui odorem emittit, non secus ac sinapis dum teritur, c.1.v.13.adn.1.tota, f.195.c.1.

4. *Grano sinapis.* Tertul.lib.4.con. Marc. *Modicum, & validissimum.* Apta id illis verbis: *Qui soluerit vnum de mandatis istis minimis*, c.1.v.10.adn.4.n.11.fol.122.c.1.

Dominica in Septuages.

1. *SImile est regnum cælum homini patrifamilias, qui exijt primo mane, &c.* Vide in his verbis imaginem Dei de nostra salute solliciti, & ad eam indesinenter anhelantis, cap.1.vers.2.adn.2.nu.1.& 13.fol.37.c.1. Vnde nec ipsos pro operariis, & pro vinea sua habet, quasi nos ipsius diuitiæ, & bona simus, c.1.vers.

2. *Primo mane.* Quod nos sua semper gratia, atque auxiliis præueniat.cap.1.vers.6.adn.1.& 2.à fol.51.col.1.vsque ad 56.

3. *Stantes in foro otiosos.* Sæculares homines notat forensibus negotiis, & curis mundi deditos, qui quantumuis in eis insudent, otiosi sunt, quod nihil agant, nihil proficiant, & quantumcumque laborent, itidem vt antea sunt, c.1.v.10.adn.1.n.9.f.110.c.1.& v.11.adn.2.à n.8.f.149.c.2.

Quid hic statis tota die otiosi? Optimo merito increpantur, qui stant, nec proficiunt, quasi ruinæ proximi, c.1.v.9.adn.3.à n.12.f.93.c.1.

Ite & vos in vineam meam, &c. Ab inanibus rebus, ad veros iustitiæ fructus transfert, c.1.v.11.adn.2.n.1.f.147.c.1. 4.

Circa vndecimam verò exijt. Vide Deum omni tempore, omni loco, omni modo ad salutem suscipientem & inuitantem, c.2.v.7.adn.3.n.7.f.382.c.1. 5.

Hi nouissimi vna hora fecerunt, & pares illos nobis fecisti. Vide inuidæ malignitatem, sibi decrescere putat quidquid in alterius bonum cesserit, c.1.v.15.adn.1.n.10.f.205.c.2. 6.

An non licet mihi quod volo facere? Vide boni patrisfamilias benignitatem, & optimi Prælati prudentiam: Sanè vt Chrys. docet ideò nouissimis operariis æqualem, ac primis mercedem dedit, quod diligentius illis fuissent operati; vnde hanc rationem saluo suo honore potuit illis reddere; at enim quia illis molesta erat futura, suo iuri renũciare maluit, & se ipsum onerare, & murmurationibus exponere, quod pro libito magis, quàm ex rationis præscripto ageret, c.1.v.15.adn.3.n.7.f.211.c.1. 7.

Dominica in Sexagesima.

EXijt qui seminat seminare, &c. Diuinæ benignitatis, & affluentiæ largitas demonstratur, quæ dat omnibus affluenter, & non improperat, c.2.v.7.adn.3.tot.fol.380.c.1. 1.

Aliud cecidit super terram, & natum aruit, &c. Hi videlicet qui in tempore tentationis recedunt, qui vel leuiter difficultatibus resistere non nouerunt, c.1.v.6.adn.3.n.12.f.59.c.2. 2.

Et aliud cecidit super spinas, & simul exortæ spinæ suffocauerunt illud. Nimirum nisi cor purum, atque defæcatum fuerit, à temporalium rerum amore Dei verbum suffocabitur: ideo Vates cor suum ab iis declinari exoptabat, vt ad Dei iustificationes conuerteretur, c.1.v.21.adn.2.n.5.f.127.c.2. 3.

Aliud cecidit in terram bonam, &c. In eo videlicet, qui verbum executioni mandat, nec alia quàm bonorum operum mensura Dei cognitionem dimetitur, c.1.v.9.adn.6.tota, præcipuè à n.6.fol.103.col.1.& seqq. 4.

Fructum afferunt in patientia. Hoc est, media patientia virtutis fructus ad maturitatem peruenerunt, cap.1.vers.22.adn.vnic.n.3.& seqq.f.243.c.2. Vide etiam cap. 1. vers. 8. adn.4. num.5. folio 61. col.2. 5.

Dominica in Quinquagesima.

HAbes peculiarem de hac Dominica adnotationem, tam Euangelio, quàm festo 4. horarum aptatam, cap. 2. vers. 7. adnotat. 10. folio 421.col.1.

FERIA IV. CINERVM.

Cum ieiunatis, nolite fieri sicut hypocritæ tristes Mirum quidem est hoc monitum Discipulis Christi dari: sed enim de industria eos de fugienda inani gloria Christus admonet, quod id vitium perfectos etiam homines exagitet, c.2.vers.3.in comm. nu.7. & 17. fol.312.col.2. 1.

Exterminant enim facies suas, vt appareant. Latet in his verbis pulchrum monitum, & diuinæ imaginis descriptio: ea siquidem tunc apparet, cum absconditur; tunc celatur, & deperditur, cum apparet, cap.2.vers.3.ad 1.num.fol.314.col.1. 2.

3. *Vt appareant hominibus ieiunantes.* Vis turpissimam inanis gloriæ faciem intueri? illius cupidum graui supplicio plectere? Aperi illius cogitationem, & votum,& interiorem faciem cum exteriori commuta;hoc est,dicito illi:nosse te non propter Deum, sed propter hominum oculos laborare : operietur sicut diploide confusione sua,c.2.v.3.in exp.lit.n.9. fol.310.col.1.

4. *Vt appareant hominibus.* Vide hypocrisis malignitatem,quæ cælo bellum mouet,Deumque ad æmulationem prouocat,cum ipsius oculis spretis,humanos oculos sibi aduocare contendit,cap.2.v.3.adn.1. num.9.fol.316.col.1.

5. *Vt appareant hominibus ieiunantes.* Pulchrè Ambr. *Affectus tuus operi tuo nomen imponit* : ipseque iam pulcherrimum,iam turpissimum opus idem reddet, c.2.v.11.adn.4.n.3.fol.158.c.1.

6. *Receperunt mercedem suam.* Quam? Illam certè, quæ ipsis optimo merito debebatur : nimirum inanem,vanam,aëream,vt vanis,inanibus,& aëreis hominibus æqua merces responderet, c. 2. v.3. in expos.lit.de inanis gloriæ nomine n.15. & seq.à f.311. cap.2. & si rem attentius inspicias,non inanis solum hypocritarum merces,sed contumeliosa, & infamis est,nam pro gloria ignominiam assequuntur,ibi.n.14.

7. *Tu autem cum ieiunas,vnge caput tuum, & faciem tuam laua, ne videaris ab hominibus ieiunans.* Ac si dicat : parum quidem est, vt hypocrita non sis, qui omnia ad ostentationem dirigit ; est enim opus vt te illi è regione opponas, & vt ille virtutem quam non habet videri cupit, tu veram virtutem abscondas, ac celes:& ne in facie irradiet ieiuniū, velum illi de industria obducas,c.2.v.1.adn.1. nu.3.fol.314. col.2.

8. *Ne videaris hominibus ieiunans.* Et vbi illud? *Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona,&c.* Sane de intentione lis est,à qua opus animatur,& nomen accipit,indid.à num.10. f.316. col.2.& num.16.fol.318.col.1.

9. *Sed Patri tuo, qui est in abscondito.* Pulchra antithesis,ne videaris hominibus, à quibus pro honore contumeliam eras accepturus; sed Patri tuo,qui æternam mercedem *reddet tibi*, cuius videlicet oculi non dormitant,c.2.v.3.adn.1.nu.1.f.314.col.1.Quique de bonis suis sibimet gratulari videtur,c.1.v.10. adn.8.num.3.fol.132.col.1.

10. *Qui videt in abscondito.* Gloss. Interlin. *In tua conscientia.* En veram,& solidam gloriam inani, & aëreæ oppositam;nam *Gloria nostra hæc est testimonium conscientiæ nostræ* : non ea solùm ratione,quòd nullum theatrum conscientia maius,c.2.v.3.adn.1. num.7. fol.446. col.2. Sed quod *Spiritus Dei testimonium reddit spiritui nostro,quod simus filij Dei.* Hoc enim quid illustrius,maiusve excogitari valeat? c.1. vers.2.adn.1.fol.32.col.1.

11. *Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra, vbi ærugo,& tinea demolitur.* Pende verbum,*thesaurizare*, quod laborem,& sollicitudinem denotat; rursus verò huius laboris fructum à tinea tandem corrodi, quasi homo ærugini,& tineæ corrodenti laboret,vt videas ex tot laboribus quos sæculares homines pro obtinendis his bonis impendunt, nihil illis amplius præter ipsummet laborem relinqui,c.1.vers.11.adn. 2.tot præcipuè num.9.fol.149.col.2.

12. *Vbi est enim thesaurus tuus, ibi est cor tuum.* Vide cui rei operam, & studium impendas : ibi enim erit cor tuum,hoc est,id pro Deo habebis,& ab eo retributionem,siue æternæ beatitudinis, siue inanem, & caducam accipies,cap.1.vers.3.adn.1.n.3.f.39.c.2.

13. *Quia cinis est.* Quam efficax animæ medicina,atque remedium sit, disce ex Iobo non minus acriter ab vxore tentato,quam Adam ab Eua fuit,& tamen vt hic lapsus quia in amænitate paradisi ; ita ille firmus stetit,quia in sterquilinio,& sepulchri imagine, c.1.v.7.adn.1.n.8.fol.68.col.2.

Ex mortis consideratione assuescendum nobis esse sæpiùs mori, & externa hæc bona pro nihilo habere,apta quæ habes cap.1.vers.7.adn.1.num.8. fol.68.col.2. 14.

FERIA V.

Habes ea omnia quæ ad concionem pertinent Dom.3.post Epiph.n.6.7.8.9.10.& 11.

FERIA VI.

De dilectione inimicorum plurima tom. 2. ad v.15. c. 2. vbi eos qui inimicos diligunt, Dei filios esse ex magnanimitate,fortitudine, sapientia, felicitate,tribus adnotat.ostenditur.

Diligite inimicos vestros, &c. Totius Christianæ dilectionis summa in vna charitate præcipuè vertitur, c.2.v.2.adn.1.tot.f.292.col.2. 1.

Benefacite ijs,qui oderunt vos. Alios à suis oculos, aliam mentem exigit Deus, vt norint tribulationes, & iniurias egregia ornamenta esse ; vnde pro illis gratias agere,& alia dona, & beneficia reddere monet,c.1.v.29.adn.1.à n.5.f.280.col.1. 2.

Orate pro persequentibus,& calumniantibus vos,vt sitis filij Patris vestri,&c. Non ne qui persecutionem patiuntur, pro se ipsis opportunius orarent, vt patientiam,& munimen à Deo acciperent? Non prohibet id Dominus ; sed maiori discrimine,atque periculo de industria prospicit.Sanè qui tribulationem patitur,ab ipsa tribulatione defenditur, atque communitur,c.1.v.7.adn.1.nu.5.f.68.c.1. At qui alium lædit,diuinam in se iram prouocat,eamque quomodo illum è vestigio puniat, ostendit, cap.1. vers.28. adn.2.num.8.fol.275.col.2. 3.

Vt ad rem perdifficilem animaret,atque vrgeret, pungentissimum eximiæ gloriæ, & supremæ dignitatis aculeum,& calcar apposuit,c.1.v.2.adn.1.n.5. f.32.col.2. ibi : *Si te Cæsar adoptasset, &c.* Quid hic humana sapientia, & gloria valeant obstrepere? Quod momentum sæcularis gloriæ scintilla in hac filiorum Dei claritate habere possit? 4.

Filij Patris vestri. Ergo Reges : nimirum ex proximi charitate regia dignitas consurgit,cap.2.vers.2. adn.1.nu.6.fol.294.col.1. 5.

Filij Patris vestri. Imitatione; qui erga improbos etiam filios Patrem se exhibet, c.1.v.2 adn.1.nu.10. fol.34.col. 1. 6.

Qui Solem suum oriri facit super bonos, & malos. Notanter prius; *super bonos*, vt nouerint mali in gratiam iustorum multa illis beneficia à Deo concedi, c.1.v.11.adn.2.num.6.fol.148.col.2. 7.

Attendite ne iustitiam faciatis coram hominibus. Preme verbum,*attendite*,cum Theoph.id est,*cauete*, *quasi de aliqua mala bestia dicat* ; *attende ne dilaceret te*, cap.2.vers.2.adn.1.n.12.fol.317.col.1. 8.

Alioquin mercedem non habebitis apud Patrem vestrum, eod.v.in comm.à n.11.f.310.c.2.sed obserua consulto Christum de Patre addere, *qui est in cælis*, vt opponat cæleste, ac æternum præmium inani, ac volatili mercedi, indidem. numero 15. folio 311. col.2. 9.

Noli tuba canere. Virtus cùm nihil extra se quærat,si à possessore iactetur,perit,ibi adnot. 1. num.7. & seqq fol.315.col.2. 10.

Noli tuba canere. Bene Chrysolog. *Eleemosyna hæc hostilis est, non ciuilis*, quæ Deo bellum infert, eius prouidentiam quodammodo negans,cap.2.v.3. 11.

 adn.1.

adn.1. num.7. potiſſimum verò num. 9. fol. 316. col.1. Bene *tuba canere*,quia hominem inanem, & aëreum reddit,& oſtendit,cap.2.verſ.3.in expoſ.lit. à num.15.fol.311.col.2.

Receperunt mercedem ſuam. Vide in fer.4.præſc.

SABBATHO.

1. *Et vidit Diſcipulos ſuos laborantes in remigando.* Bene & labor, & remigatio exprimitur, quando à Diſcipulis Chriſtus dicitur abeſſe: nimirum abſque Dei ope viua cadauera ſumus, quæ nec pedem terra efferre poſſumus,cap.1.verſ.6,adn.2.à num,4.fol. 53.2.

2. Sed & opportunè ad eos tunc iuiſſe Chriſtus fertur, quod humanis auxiliis deficientibus adeſſe ſolet Dominus,cap.1.verſ.19. adn. vnic.à num. 6. fol.218.col.2.

3. *Erat enim ventus contrarius.* Nullus virtuti benignior,aut magis ſecundus, quàm contrarius ventus,eo quippe virtus perficitur, & ſolidatur, cap.1. verſ.22.adn.vnic.tota, præſertim num.1.fol.243.ad fin.& n.13.fol.246.col.1.

4. Quod ſi hunc laborem in remigando de eo labore, quo ſæculares homines in terrenis rebus impendunt,velis capere,opportunè occurrent,quę habes c.1.v.11.adn.2.n.9.f.149.col.2.

5. *Putauerunt phantaſma eſſe,& exclamauerunt.* Tyronum id proprium eſt; virtutem prima facie velut phantaſma expaueſcere: quare qui vincere exoptat, alacriter difficultatibus occurrere,& magno impetu repugnare debet,cap.1.verſ.28.adn.1. tot. fol.270. col.1.

Dominic. 1. Quadrageſ.

1. *DVctus eſt Ieſus in deſertum à ſpiritu, vt tentaretur à Diabolo.* Græcè pro *ductus*, eſt potenter, & magna vi excuſſus; vt prima,ac præcipua ars debellandi Diabolum innuatur, animoſe ſcilicet, & obfirmata facie magno impetu aduerſus illum ad campum proſilire,cap.1.verſ.20.adn.1.tot.fol.217. col.1.& 2.

2. *Vt tentaretur.* Ita ne patitur diuinus Spiritus ſuos tentari? Ita omnino; immo verò niſi tententur,eorum virtutem pauci facit, cap.1. verſ.22. adn. vnic. num.8.fol.244.col.1.

3. *Et cum ieiunaſſet quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, &c.* Cur non plures? maximè cùm Moſes,& Elias totidem dies ieiunarint? Reſpondet Chryſoſt. *Ne incredibilis videretur carnis aſſumptio.* Sanè cum non minus fuerit quadraginta ieiunare dies,quam quadraginta mille (vt bene pendit Hier.) non ſecus ac idem eſt, prædicere quod abhinc duobus annis, quam quod abhinc mille, futurum eſt: meritò autem plures dies noluit ieiunare,tùm vt *rationabile eſſet obſequium.* Et verò,vt ait Chryſol. ſer. 109. *obſequium rationem habet, furor qui non ratione frenatur.* Tum etiam ne præfatos ſanctiſſimos viros obſcuraret: is enim verè cenſetur magnus,qui ſine vllius diminutione magnus eſt,cap.1.verſ.5.adn.1. num.5.fol.318.col.2.

4. *Et accedens tentator.* Pende tentatoris fiduciam, & animos:eum qui ad tentationem ſeſe quadraginta dierum ieiunio (pro noſtro captu & inſtitutione) armauerat, aggredi non veretur, & ad illum, quem non niſi externa ſuggeſtione tentare potuit (quod bene obſeruat Greg.) iterum, atque iterum accedit, qua fiducia, & animoſitate eum in quo anſam aliquam interiùs inuenerit,aggreditur, c.1.v.10. adn. 4.num.5.fol.119.col.2.

Accedens tentator. Ita ne tunc? poſt tam diuturnum videlicet ieiunij tempus,cū pacis potius quam belli tempus eſſe videbatur? Ita quidem: nec certius vllum tentationis tempus, quam dum in Dei via proficitur. Vnde Sapiens, *Fili,accedens ad ſeruitutem Dei ſta in timore, & prepara animam tuam ad tentationem.* Sic Mat. 9. cum adduxiſſent ad Dominum puerum à Dęmone poſſeſſum,ipſeque dixiſſet. *Adducite eum ad me*:ſubdit Marc. *Cum vidiſſet illum,ſtatim ſpiritus conturbauit eum,&c.* Vbi Beda: *Allatum Domino puerum ſpiritus conturbat,quia ſæpe dum conuerti ad Dominū poſt peccata conamur,maioribus antiqui hoſtis pulſamur inſidiis.* Nimirum: *Modicū nunc oportet contriſtari in variis tentationibus, vt probatio veſtræ fidei multo pretioſior auro, quod per ignem probatur,&c.* c.1.v.6.adn.3.f.56.col.1.& ſeqq. 5.

Non in ſolo pane viuit homo. Pulchra reſponſio, qua omnes Diaboli fraudes fœlicitatem tibi aliunde quam Deo petere ſuggerentis obtundas, c.1. v.10. adn.1.à n.5.fol.109.col.1. 6.

Statuit ſupra pinnaculum templi. Quid? credis ne illum in ſanctam ciuitatem,& in Eccleſiæ faſtigium ſtatuere,vt ibi ea quæ ſanctitatis ſunt quærat? Minimè; ſed vt ſuggerat: *Mitte te deorſum*; vt videlicet is qui ad eccleſiaſtica munera indignè, ſiue ambitioſe peruenit; vel vt in illis ea quæ non Dei ſunt, ſed quæ mundi,diuitias,delitias,inanem gloriā quęrat. Orig. hom. 1. in Ioſ. *Non poteſt Princeps huius mundi illuc aſcendere, quia ſi eum temant in excelſis locauerit,* dicit:Mitte te deorſum; *ſemper diligit caduca,in his ſedet, & regnat,in quibus vſque ad infernum deſcendat*:vel vt inde infeliciter decidat,& pręcipitetur,cap.2.verſ.9.adn.6.n.10.f.531.col.2. 7.

Aſſumpſit, & ſtatuit ſupra pinnaculum templi. Ad munera non per gradus, ſed ſubito conſcendere, Dæmonis ars,& electio eſt,cap.2.verſ.6. adn.5.n.4. fol.357.col.2. 8.

Mitte te deorſum. Dignè præcipitatur,qui in faſtigium ſine ſcala conſcendit,eodem verſu,adnot.6. num.5.f.362.col.1. 9.

Hæc omnia tibi dabo,ſi cadens adoraueris me. Eſto dares; quid prodeſt homini, ſi vniuerſum mundum lucretur, animæ verò ſuæ detrimentum patiatur? cap.1.v.10.adn.1.n,12.f.156. 10.

Si cadens adoraueris me. Non bene Chriſtum,nec Chriſti ſeruos noſti, quorum ea dignitas eſt, vt tu potius,licet omnem mundi gloriam habeas,illos reuereri,& adorare debeas, cap.2.verſ.7.adn.5. nu.7. fol.190.col.2. 11.

Hæc omnia tibi dabo. Lucas ſic habet c. 4.6. *Tibi dabo poteſtatem hanc vniuerſam, & gloriam illorum, quia mihi tradita ſunt,& cui volo,do illa.* Quomodo hæc capienda ſint,dicente Paulo: *Non eſt poteſtas niſi à Deo,* vide cap.2.verſ.6. adnot.1. num.8. fol. 342. col.1. 12.

Vade Sathana. Non vt in duabus prioribus tentationibus expugnat,ſed cum ſtomacho repellit; vt nos admoneat virtutem,quo pluribus tentationibus vrgemur,robuſtiorem fieri, c.1.v.29.adn.3.num.9. fol.285.col.1. 13.

Dominum Deum tuum adorabis,& illi ſoli ſerures. Ac ſi dicat:eo ipſo quod Deo ſoli ſeruiendum ſit,ab omni pompa ſæculi eſt mihi abſtinendum,quę cum Dei obſequio non bene ſe gerit, cap.1.v.6.adnot.1. num.7.fol.341.col.2. 14.

Illi ſoli ſerues. Hæc perfecti in Deum obſequij, atque amoris lex eſt,vt eius ſerui corde integro,animoque perfecto illi inſeruiant, cap.1.verſ.1. adn.2. fol.17.& verſ.3.adn.1.fol.39.col.1. 15.

Tunc reliquit eum Diabolus. Tunc,cum ob Diaboli petulātiam acriùs illum Chriſtus increpauit atque retudit: 16.

retudit: nimirum eadem Dęmonis, ac crocodili natura est, de quo Senec. *Fugax animal audacissimum timido*, cap.1.vers.28.adn.1.nu.5.fol.271.col.2.

Tunc reliquit eum Diabolus. Vidit iratum; ideo timuit, & aufugit. Certè diuinam iram Dæmones etiam metuunt, & contremiscunt; at enim verò præsentem iram timere, damnatorum est proprium; *tunc dicent montibus, cadite super nos*: futuram verò qui timet, hic viator, & Christi discipulus est; *Qui eripuit nos ab ira ventura*, dum timendi leges dedit, vide cap.1.vers.10.ad n.4.nu.4.fol.119.col.1.

FERIA II.

1. Vide Dominic.1.Aduent.

Esuriui enim, & dedistis mihi manducare, sitiui, &c. cap.1.vers.2. adn.1.nu.3.fol.32.col.2.& vers.3. adn.3.num.8.fol.45.col.2.

FERIA III.

1. *Et intrauit Iesus in templum Dei.* Chrysost. *Vt bonus Medicus primùm intendens ad originem mali, si enim sacerdotium integrum sit, tota Ecclesia floret; si corruptum, marcida est*, cap.1.vers.13.adn.3.num.1. fol.177.col.1.& num.6.& 7.fol.178.col.2.& seq.

2. *Et eiiciebat omnes vendentes.* Facto scilicet flagello illos percutiens. At cur id ipsemet faceret? nec Discipulis eam actionem, quæ tam à benignitate, quàm à sua maiestate videbatur aliena committeret? Quod videlicet negotiatores illi Sacerdotes essent, Discipuli verò Christi, sacris tunc non fuissent initiati; ne verò in homines Deo dicatos sæculares ius dicerent, ipsemet eiicere, & manu sua punire voluit, c.1.vers.13.adn.7.tot.fol.192.col.1.

3. *Et eiiciebat omnes vendentes, & ementes in templo, &c.* Vide quantum egregiè factorum magnitudine Dominus ducem Iosue præcedat; ille enim Solem potuit sistere, ne procederet, auaritiam non valuit cohibere, at Dominus Pharisæis contra se sæuientibus, & videntibus lucra sua destrui, ad vnius flagelli verbera totam potuit eiicere multitudinem, & auaritiæ legem imponere, cap.1.vers.13. adn.2. num.11. fol.174.col.1.

4. *Omnes vendentes, & ementes.* Quid illi, nisi quæ ad sacrificia templi necessaria erant vendebant? Id autem nonne licitum, & honestum? Cur ergo noluit Dominus tolerare? Quia videlicet præter irreuerentiam domui Dei exhibitam, illi non ad sacrificiorum opportunitatem, sed ad sui vtilitatem rei sacræ prætextu auaro animo adspiciebant. Quarè meritò vt auari, & negotiatores puniuntur. Affectus quippe tuus operi tuo nomen imponit, cap.1.v.11. adn.4.num.3.fol.158.col.1.

5. *Et cathedras vendentium columbas euertit.* Notanter inter vendentes, & ementes, ij annumerantur, qui columbas; hoc est, Spiritus sancti dona (vt explicat Beda) vendunt: quod ideo vendant, quia prius emerint; ideo emunt, vt postea vendant, cap.1.v.6. ad n.6. num.7. fol.362.col.2.

6. *Domus mea domus orationis vocabitur: vos autem fecistis illam speluncam latronum, &c.* Iustissimæ indignationis occasio, vt inibi reluctante ingenio punire cogatur Dominus, vbi beneficia sua ingenti animi alacritate, & voluptate conferre destinauerat, cap.1.vers.2.adn.2.num.15.fol.37.col.2.

7. *Domus mea domus orationis vocabitur: vos autem fecistis illam speluncam latronum.* Hoc est, Deo vero ad honorem ei deferendum consecrata est; & vos falsorum Numinum, auaritiæ scilicet, rapacitatis, & aliarum cupiditatum, prophano cultu polluistis. Apta id humano animo, qui pro Deo vero noxias affectiones velut idola, quibus sacrificia offerat, suscipit, cap.1.vers.3.adn.1.num.5.ibi: *Va, ve, in domo Dei vidi horrendum*, fol.40.col.1.

Speluncam latronum. Opportunè speluncam; vt prodat peccati, & cupiditatum naturam, nec non Dæmonis artes: nec enim hi hostes clara voce loquuntur, aut palam suadent, sed in abscondito, & subdolè mussitare solent, ne eorum doli retegantur, cap.1.vers.14.adn.2.num.5.fol 199.col.2. 8.

Speluncam latronum. Notanter ad Sacerdotes dictum, qui cùm Dei sese liberaliter communicantis personam gerant: si lucris, & negociationibus immoderatè incumbant, nec sese ad opem hominibus ferendam faciles exhibeant, latrocinium quodammodo committere videntur, cap.1.vers.7. adnot.9. num.8.fol.416.col.2. 9.

Videntes Principes Sacerdotum, & Scribæ mirabilia quæ fecit, & pueros clamantes, &c. Magna vox iustitiæ, & veritatis, quam pueri obstrepentibus Principibus sic extollebant; vt eorum voces, & minas facilè absorberet, præfat.adn.2.n.7.f.200.col.1. 10.

FERIA IV.

Magister, volumus à te signum videre. Frustra hi sapientiæ discipulos sese profitebantur: sapientia enim filios suos iugulare, siue rationabiliter occidere; hoc est, prauas ab illis affectiones resecare consueuit, vide cap.2.vers.9.adn.5.num.11.fol.521.c.2. & ead.adn.num.5.& 6.fol.520.col.2. 1.

Volumus. Stulta hæc, atque impia vox est, quæque perditionis sit ianua; totius enim salutis summa est, diuinæ humanam subdere voluntatem, nec nisi supra diuini placiti fundamentum aliquid velle. Vnde Paulus Christianus factus hanc primam vocem emisit. *Quid me vis facere?* ad modum Christi dicentis: *In capite libri scriptum est de me, vt facerem voluntatem tuam, Deus meus volui:* notanter, *volui* post auditam voluntatem tuam: ac si diceret, cum potui meā diuinæ cōformare voluntati, elegi velle, aliter non auderem, c.1.vers.21.adn.1.fol.223.c.1. 2.

A te signum videre. Ac si dicat: non modò volumus quod nobis placet, sed etiam Deum nostræ voluntati assentientem, & inseruientem habere. Proprium id Dynastarum, & aulicorum ingenium velle quodlibet, Deumque simul amicū, ac gratū habere, nec aliter ipsi obsequium præstare, ac inseruire, quin etiam sua idola, & sæpe sæpius sub prætextu religionis retineant. Ita 4. Reg.17.41. dicitur. *Fuerunt quidem gentes istæ timentes Dominum, sed nihilominus & idolis suis seruientes*, c.1.v.3.ad 1.n.7.& 8. f.40. cap.1. 3.

Signum videre. Signa hic desiderant, qui alibi multa fatentur, & dolent; scilicet hoc inuidiæ ingenium est, iam laudare, vt odium excitet, iam vituperare, vt contemptum pariat. cap.1.v.15.adn.3.n.10. & seqq.fol.212.col.1. 4.

Generatio mala, & adultera signum quærit. Cur mala, quòd signum quærat? Quia nimirum omissa charitate, cui regnum cœlorum promittitur, signa quęrit, quę sine charitate nihil sūt: nec enim hominibus qui signis, aut litteris splendeant, dicitur: *Venite benedicti Patris mei.* (ita Chrysost. lib.de compunct. cord.) sed iis qui bona opera egerunt: subdit enim Dominus: *Esuriui, & dedistis mihi manducare*, cap.1. vers.9.adn.5.num.1.fol.98.col.2. 5.

Generatio mala, & adultera. Quid refert ex optimis vos patribus fuisse progenitos, si in Deum animarum sponsum perfidi estis? *Filij Abrahæ sumus. Si filij Abrahæ estis, opera Abrahæ facite.* Vide tu 6.

 Christiane

Christiane, ne simile tibi obiiciatur; quippe Christi filij sumus, *qui regenerauit nos in spem viuam.* 1.Petri cap 1. Vide cap.1.vers.2. adnot.1. tot. à fol. 32.col.1.

7. *Generatio mala, & adultera signum quærit.* Ita ne tanta eos asperitate mitissimus Magister increpet? atque is, de quo Vates: *Calamum quassatum non conteret, & linum fumigans non extinguet*: ea illos acerbitate à se repellat? Sanè omnia vitia præter arrogantiam, atque superbiam mitissimo animo Deus reprehendit; hanc verò ex alto, & tonitrui voce increpat, & vt superbus conscendere nititur, ita Deus magis exaltatur, vt illum grauiùs deprimat, atque retundat, iuxta illud Vatis: *Accedet homo ad cor altum, & exaltabitur Deus.* Vnde ipse notanter ad Iob. *Si habes brachium sicut Deus, & voce simili tonas, disperge superbos in furore tuo, & omnem arrogantem humilia.* Quare dum hi signum de cœlo quærunt (sic enim apud gloss. interlinear.) ipse illis in abysso signum reddit: *Sicut fuit Ionas tribus diebus in corde terræ*: nec enim labitur, aut cadit superbus, sed præcipitatur, & ex alto ad ima ruit, cap.2. vers.9. adnot.6.num.7.fol.530.col.2.

8. *Generatio mala, & adultera.* Obserua libertatem, qua diuinus concionator improbos reprehendit. Sanè qui contumeliis affectus patientissimè tacebat, cum de religione, & Dei negotio agebatur, vocem tollere, & grauius obiurgare solebat, cap.1.vers.13. adn.1.num.5.fol.168.

9. *Generatio mala, & adultera signum quærit, & signum non dabitur ei, nisi signum Ionæ, &c.* Vide artificiosam Domini clementiam; verbis increpat, & negat, reapse verò signum, & beneficium tribuit, quippe eius ira benefica, & salutaris est, cap. 2. vers. 9. ad 7.num.12.fol.535.col.2.

10. *Signum non dabitur ei, nisi signum Ionæ &c.* Egregium misericordiæ opus fuit his qui tentare Christum venerant, signum non dare: vt quid enim iis qui signis abutuntur signum dederit? Bene siquidem Seneca de vita beata, c.23. de sapiente cum ratione, atque iudicio dona distribuente. *Donabit cum summo consilio dignissimos eligens, vt qui meminerit tam acceptorum, qu[am] expensorum rationem esse reddendam, habebit sinum facilem, non perforatum, ex quo multa exeant, nihil excidat: hunc promereor, illi reddo; huic succurro, huius misereor; illum instruo dignum, quem non deducat paupertas, nec occupatum teneat: quibusdam non dabo, quamuis desit, quia etiam si dedero, erit defuturum.* Vnde alibi Dominus Patri gratias agit pro beneficiis denegatis iis, qui illis se ipsos meliores non erant reddituri, cap.1. vers.9. adnot. 7. num.2.fol.104.col.1.

11. *Nisi signum Ionæ.* Sed vide duplicatam misericordiam, illud signum denegat, quod ipsis vtile non erat futurum, atque hoc tribuit, quod illis maximè expediebat. Nimirum plures videas peccatores, qui vt reuertantur ad Dominum, non quæuis signa, aut auxilia, sed signatissima, & valde peculiaria, atque miraculosas vocationes quærunt, non secus ac diues auarus, qui fratribus suis concionatorem ex altero mundo aduenientem exoptabat. Luc. 16. His illud tribuit appositissimum Ionæ signum: hoc est, Christi crucifixi, vt fiat speculum peccatricis animæ, quo se ipsam agnoscat, & remedium vulneribus exhibeat, cap.2.vers.8.adn.5.num.9.fol.462.col.1.

12. *Nisi signum Ionæ.* Quod quæso vtilius? salubrius? aut à vehementiori dilectione profectũ, dum ex Ionæ imagine quantam de nostra salute lætitiam percipiat, apprimè ostendit Dominus, cap.1.vers.2. adn. 2.num.14.fol.37. col.1. Nec non quàm sit ipse benignus, & ad misericordiam pronus, qui fugitiuo Ionæ veniam concessit, c.2.vers.8. adn.6.nu.7. f.46[?]. col.1. col.2. ibi: *Dummodo pedem referat.* Potissimum verò quod ipse sua morte vitam homini adquisiuit. Ita Hieron. *Morte suam vult Deum placare: me quærit tempestas, vt mea morte viuatis*, cap. 2. vers. 7. adnot.2.num.7.fol.378.col.2.

Nisi signum Ionæ. Ad hæc: obserua aliam rationem, cur id signum notanter dederit. Sanè vt bene coniicit Iansenius in id Ioan.2. *Quod signum ostendis nobis, quia hæc facis?* Ad id signatè hoc petebat signum, vt ex eo Messiæ potestas, atque auctoritas, quam ipse se habere dicebat, illis innotesceret. Vnde signatè mortem suam illis proponit, quòd hæc non nisi diuinæ maiestatis, atque potestatis opus fuerit, cap.2.vers.9.adn.4.num.10.fol.731.col.1.& adn.8. à num.5.fol.537.col.2. 13.

In corde terræ. Pulcherrima oppositio: illi cælum superbè conscendere volunt, quippe signum non nisi de cælo petunt, ipse se in profundum demittit. *Sic erit filius hominis in corde terræ.* Vnde ipse: *Sicut exaltantur cœli à terra, sic via mea à viis vestris, & cogitationes meæ à cogitationibus vestris.* Parum est autem Christi cogitationes à superborum cogitationibus distare, sicut cælum à terra; distant enim sicut cælum ab inferno. At enim Christus dum ad ima, & inferna descendit, cælestia sapit, ibi enim de salute hominis, qua nil est sublimius, cogitat, cap.2.vers.9. adnot.8.fol.536.col.1. 14.

Sic erit filius hominis in corde terræ tribus diebus, & tribus noctibus. Qui hæc intelligi possint, cum Christus in sepulchro tribus noctibus non fuerit, nec non de præparatione ad mortem, cap.1. vers.2. adnot.3. num.5.fol.230.col.2. 15.

Viri Niniuitæ surgent in iudicio, &c. Notanter appellauit viros Niniuitas, quod viriliter, & magno animo pœnitentiæ opera susceperint, & omnibus modis Deum placare curauerint: nimirum, his portæ cæli aperiuntur, & ab illis regnum cælorum vim patitur, cap.2.vers.6.adn.4.num.2.fol.353.col.1. 16.

Regina Austri surget in iudicio cum generatione ista, & condemnabit eam, quia venit à finibus terræ audire sapientiam Salomonis, &c. En infelix virtutis clima, ad sæcularia bona promptissimi inueniuntur homines, quamuis tranandum sit mare: ad spiritualia verò tardi & pigri, c.1.v.11.adn.2.n.15.fol.146.col.2. 17.

FERIA V.

Egressus Iesus. Cur egreditur? vt nimirum quasi Sol splendeat, & Chananææ oculos illuminans eam etiam à finibus suis egredi faciat, vt appareat sollicitiorem ipsum de nostra salute, quàm nos ipsos esse, & vt bonum auxiliatorem spontanea opitulatione subuenire, cap.1.vers.6. adnot.1. num.2. ad fin.fol.51.col.1.& adn.2.num.6.fol.54.col.1. 1.

Ecce mulier Chananæa à finibus illis egressa. Quid est in causa, quòd à finibus suis vt Christum quærat egrediatur? Sanè quòd filiæ periculo vexetur: quippe tribulatio hominem ad Deum manu ducit, cap.1. vers.29.adn.2.n.4.fol.401. Vnde addit Euangelista: *Clamauit dicens ei*: Vbi si dubites quid opus fuerit dicere: *Clamauit dicens*: respondebo, vt magnitudo affectus, & fidei qua accessit, ostenderetur: nempe egregius doctor, & monitor tribulatio est, quæ verba, & sensus tribuit, indidem num. præced. 2.

A finibus illis egressa. Quippe à finibus propriis, carnis videlicet, & sanguinis exire quis debet, vt Christo Saluatori occurrat, & locum faciat, cap.1. vers.11.adn.2.num.3.fol.227.col.1. 3.

Miserere mei Domine: filia mea à Dæmonio vexatur. Dixeris, non fuisse ab illa dicendum, *Miserere* 4.

mei,

mei, sed potius miserere filiæ meæ: ea quippe erat, quæ miseria illa, & ærũna conflictabatur. Sanè non immeritò in filiæ ægritudine hac locutione mater vtitur, vt ostendat filiorum peccata parentibus maximè deputari, cap. 1. vers. 9. adnot. 1. tota, fol. 88. colum. 1.

5. *Dimitte illam, quia clamat post nos.* Ac si dicerent: ecce dolore ligatam post te adducis, solue illam, sed tacitè illis mihi videor dixisse Christum: Imo verò; ipsa me dimittat, ac soluat, quæ corde, ac fiducia cepit, captum tenet, cap. 1. vers. 3. adnot. 1. num. 12. fol. 41. col. 2.

6. *Non est bonum sumere panem filiorum, & dare canibus.* Basil. Seleuc. orat. 20. quæ est in Chananæam. *Parturiens donationem retrahere simulat, licet ardentius ipse dare desiderares, quam quæ aduoluebatur genibus accipere.* Quid ergo timueris non daturum? ita ne parturiens quiescat, ni pariat? cap. 1. vers. 2. adnot. 2. num. 7. fol. 35. col. 2.

7. *Etiam, Domine; nam & catelli edunt de micis.* Idem Basil. indidem. *Contumeliam teneo curationis pignus: spondet mihi salutem canis appellatio, sit mihi modus donationis pro modo contumeliæ. Canem vocasti, cum sim familiæ pars, Domini fruar mensa.* Vide Domini indignationem, & iram omnino beneficam, & salutarem, cap. 2. vers. 9. adnot. 8. num. 12. fol. 535. col. 1.

8. *Etiam, Domine; nam & catelli edunt de micis, &c.* Pende insolitam Domini austeritatem, qua miseræ fœminæ orationem iterum, atque iterum retudit, vt meritò aptes illud Prophetæ, Thren. 3. 44. *Opposuisti nubem, ne transeat oratio.* Sed num idcirco abscondere se, atque tutari, ac velut scuto munire valeat, quin ad ipsum oratio penetret? Audi Sapientem. *Oratio humiliantis se nubes penetrabit, & donec propinquet, non consolabitur, &c.* Ergo hoc humilitati debetur, vt oratio, cuius illa comes est, nube scissa ad Deum perueniat; vt è contra superbiæ illud accidit, vt à Dei conuictu deiiciatur, cap. 2. vers. 9. adnot. 6. num. 8. fol. 35. col. 2.

9. *O mulier, magna est fides tua.* Basil. Seleuc. *Non obticebam ex inclementia, sed vt præscius quiescebam, expectabam dum fides tua amplitudinem patefacerem. Totam tibi curationis mensam explico, non vt cani micas, sed vt filiæ panem largior.* En cur Deus tantisper vexet, & vexatos pro illorum libito tunc non exaudiat, cap. 1. vers. 22. adnot. 1. num. 9. & 10. fol. 245. col. 1.

F E R I A VI.

1. *Erat dies festus, & ascendit Iesus Ierosolyma.* Notanter dies festus designatur, & Christus non venisse, sed ascendisse dicitur, quod & is Christo dies festus, atque lætissimus sit, in quo opem fert, & salutem impertitur, cap. 2. vers. 9. adnot. 7. num. 9. fol. 535. col. 1. Et nihil sublimius in Principe splendeat, quàm benefacere, cap. 2. vers. 9. adnot. 8. num. 1. fol. 536. col. 1.

2. *Est autem Ierosolymis probatica piscina, quæ cognominatur Hebraice Bethsaida.* Hieronym. de nominibus Hebraicis interpretatur, *pecualis: quoniam ibi,* inquit, *mactabant, & abluebant pecora ad sacrificium.* Non obscura ergo purissimi Christi velleris, atque sacrificij cura erat, & imago: sed quàm illustrior donatio, & res ipsa quàm vmbra, atque promissio. *Christus* siquidem *semel oblatus est, ad multorum exhaurienda peccata.* vide plura cap. 2. vers. 8. adnot. 6. num. 6. & seqq. fol. 467. col. 1. Sed enim in eo vmbra, & veritas mirificè conueniunt, quod non sufficiat Christi sanguinem ad ablutionem ad manum esse, nisi promptè, & alacriter ipsum imiteris, atque vt ipse ad mortem descendit, descendas & tu ad peccatis, & affectibus necem inferendam, eod. vers. adnot. 7. tota, fol. 469. col. 1.

Descendebat secundum tempus, Græcè legeris, *opportunè,* aut *secundum opportunitatem,* vt noueris tribulationem medicamentum esse à Deo appositum, quod definitum habeat tempus ad sanitatem afferendam. Quare scitè Ecclesiast. c. 2. *Præpara animam tuam ad tentationem. Deprime cor tuum, & sustine, & ne festines in tempore obductionis, &c. Omne quod tibi applicitum fuerit, accipe, & in dolore sustine, & in humilitate tua patientiam habe:* hoc est, ne festines, vt tribulationis tempus importunè decurrat, sed opportunè, & ad leges diuinæ medicinæ finiatur, apta cap. 1. vers. 22. adnot. 1. num. 10. fol. 245. col. 2. & cap. 1. vers. 21. adnot. 1. num. 6. fol. 224. colum. 2. 3.

Mouebatur aqua. Apposita imago redemptionis. *Ecce ego mouebo cælum, & terram, &c.* Vide quanti pretij res sit vna anima, cuius causa cælum, & terram Deus mouere non dubitat, cap. 2. vers. 7. adnot. 5. fol. 388. col. 1. 4.

Erat autem quidam homo ibi triginta & octo annos habens. Pende aduerbium, *ibi,* nempe iuxta medicinam, & ægritudinis remedium, quin ob paralysim eo perfrueretur, vide cap. 1. vers. 11. adnot. 1. num. 13. fol. 145. col. 2. 5.

Triginta & octo annos habens. Censet Toletus in sequentia verba: *Ecce sanus factus es,* tunc animæ sanitatem accepisse, quasi eò vsque in peccatis durauerit: pende tribulationis bonum, quæ hominem tandem ad bonam frugem reduxit, cap. 1. vers. 29. adnot. 2. num. 4. fol. 401. 6.

Vis sanus fieri? Quidni vellet? qui tam pertinaci ægritudine tamdiu conflictabatur? Quid posset illo esse miserius? cap. 2. vers. 1. adnot. 2. num. 2. fol. 298. col. 2. Bene Nazianz. *Hoc donum sola voluntate venale tibi proponitur, cùm ipsam Deus ingentis pretij loco habeat.* At enim verò de efficaci voluntate, deque quæ hominem ipsum non alia externa Deo tradit, sermo, & lis est, cap. 1. vers. 3. adnot. 1. num. 10. fol. 40. col. 2. 7.

Hominem non habeo. En tempus faciendi Domini; succurrit enim ipse, cum hominis auxilium non suppetit, & cui abest, Deus adest, cap. 1. vers. 19. adnot. vnic. num. 13. fol. 220. col. 1. 8.

Hominem non habeo. Ac si diceret: non habeo fideiussorem qui pro me soluat, Domine fideiube pro me, cap. 2. vers. 8. adnot. 5. num. 4. fol. 460. col. 1. 9.

Tolle grabatum tuum, & ambula. Maximus hom. 1. de aduent. grabatum pro corpore accipit, iuxta illud Psalm. 40. *Vniuersum stratum eius versasti in infirmitate*; ad hunc modum: *Beatus ille, cuius stratum Dominus in ipsius infirmitate conuertit, vt qui fuerat paulò ante iracundus, adulter, & cunctorum scelerum infirmitatibus plenus, assuetum corpus eius malo, versans Dominus fiat castus, humilis; de quo strato spiritualiter dictum est à Domino: Tolle lectum tuum, & ambula, &c.* Quare hic est sensus: vt antea à corpore, & eius concupiscentiis trahebaris, & distrahebaris, *ad simulachra muta prout ducebamini euntes.* 1. ad Cor. 12. 2. ita modò corpus ad opera virtutis ducito, vt non minus animæ seruiat, quam prius ei anima obtemperabat, cap. 1. vers. 11. adnot. 1. num. 16. fol. 147. col. 1.

Et ambula. Ac si dicat: per vrbem animose discurre, & meum te discipulum aduersus æmulorum inuidiam, & sæcularium hominum iudicia profitere. En Christiani hominis formam, cap. 1. vers. 14. adn. 2. à num. 1. fol. 198. col. 1. 10.

Ecce

12. *Ecce sanus factus es, iam noli peccare.* Cypr. *Dat innocentiæ legem, postquam dederat sanitatem.* Ac si dicat: non prius de lege seruanda monuit, quàm beneficio sibi illum adstringeret; optimi Principis proprietas, bene mereri de omnibus, & dare affluenter, quin improperet, cap. 2. vers. 7. adnot. 3. num. 6. fol. 381. col. 2.

SABBATHO.

Vide Dominicam sequentem.

Dominica 2. Quadragesi.

1. *Assumpsit Iesus Petrum, & Iacobum, & Ioannem, &c.* Cur hos tres, nec alios? Non dubium quin ob maiora merita, & tamen vt eos ad egregiam hanc dignitatem eleuaret, per montem excelsum illos deduxit, vt noueris non nisi per merita, & labores ad dignitates esse perueniendum, cap. 2. vers. 6. adnot. 5. num. 3. fol. 357. col. 1.

2. *In montem excelsum.* Bene in montem excelsum; hoc est, in supremum locum nonnisi dignissimos assumit; nam indignos inibi locare, non tam honorem illis imperrire, quam contumelia afficere fuerit, cap. 2. vers. 6. adnot. 6. num. 9. fol. 363. col. 1. Iunge illud ex Seneca. *Quæ putantur excelsa, prærupta sunt.*

3. *Transfiguratus est ante eos, &c.* En diuitias gloriæ, quibus sponte se voluit exinanire, vt sua vacuitate te repleret, cap. 2. vers. 7. in comment. à num. 16. fol. 369. col. 1. & adn. 2. tot. fol. 376. col. 1. & adn. 4. num. 6. fol. 386. col. 2.

4. *Moyses, & Elias.* Opportunè hi præ aliis vita functis, quod vterque popularem expectationem adeo declinarint, vt alter igneo curru raptus ad paradisum iuerit, alterius verò sepulchrum semper hominibus fuerit ignotum, & Diabolo illum reuelare cupiente, à Michaële id fuerit impeditum, vt videris Dei opus esse exaltare humiles, eosque qui se abscondunt, gloriosos reddere, c. 1. vers. 9. adnot. 6. num. 9. fol. 531. col. 1.

5. *Cum eo loquentes.* De excessu, siue morte; ita ne qui alterius mundi incolæ sunt, de morte loquuntur? Ita certè, vt mortalibus eius metum adimerent; quippe ipsimet cælestes Spiritus Christi crucifixi mortem maximè suspiciunt, & si illis daretur, eam gratanter amplexarentur, cap. 2. vers. 9. adn. 8. nu. 9. fol. 538. col. 2.

6. *Et ecce apparuerunt illi Moyses, & Elias cum eo loquentes.* Quid loquerentur aperuit Lucas, nimirum, *de excessu quem completurus erat in Ierusalem:* vt ad Principum institutionem videris, quàm rectam, quàm sanctam, salutaremque mundo summus Pater Filio suo aulam instituerit, dum eos adhibuit consiliarios, qui nil de suis profectibus, atque commodis, nec quæ carni, & sanguini Principis essent consentanea, sed quæ salubriora, & vtiliora mundo essent, loquerentur, c. 1. vers. 13. adnot. 4. num. 2. fol. 183. col. 1.

7. *Bonum est nos hic esse.* Inquiro; amore ne Christi, an prosperitatis ratione bonum inibi esse dicit Petrus? scite enim dixit Gregor. lib. 7. Moral. cap. 11. *Cum quis positus in prosperitate diligitur, incertum valde est, vtrum prosperitas, an persona diligatur?* Sed enim si Petrum vt terrena sapientem, & vt aulicum consideres, Luca præsertim illum arguente, *quasi nesciret quid diceret*, ad fortunam potiùs, quàm ad personam spectasse credideris, c. 1. vers. 13. adn. 4. num. 7. fol. 184. col. 2.

8. *Bonum est nos hic esse.* Lucas, *Nesciens quid diceret*: quia ante laborum pugnam superna gaudia præripere volebat, cap. 2. vers. 6. adnotat. 4. num. 3. & seqq. folio 353. colum. 2.

Bonum est nos hic esse. Nesciens quid diceret, non quod non appeteret bonum, sed quod gloriæ fructum immaturo tempore vellet percipere. Quid hic dixerit ambitio, auaritia, luxuria? quæ bonum existimant hic esse, vel cælestia consequentes, vel sine maturitate quæ à laboribus venit, ea sperantes, c. 2. vers. 9. adnot. 1. à num. 5. fol. 504. col. 2. 9.

Bonum est nos hic esse. Remig. *Errat volens regnum cælorum constitui in terra, seque & socios sine gustu mortis esse felices.* Nam velle Deum in contemplatione amplecti, & terrena non deserere; sed illis inhærere, stultum est. Ita Dauid: *Quid mihi est in cælo, & à te quid volui super terram? defecit caro mea:* hoc est, ideo defecit, quia te volui complecti: eo modo, quo post luctam cum Angelo claudicabat Iacob, quod nequeant caro, & spiritus eodem passu, & gradu incedere, sed alterum claudicare necesse sit, cap. 1. vers. 21. adnot. 2. num. 5. & seqq. fol. 227. col. 2. 10.

Faciamus hic tria tabernacula, tibi vnum, &c. Paschas. *Quasi non eos caperet vnum tabernaculum, nec in vno simul consistere possent.* Ergo errabat Petrus, qui nolebat in vno, eodemque tabernaculo Christum, & suos simul habitare, atque ibi omnibus æqualiter benefacere, cum optimi Principis id proprium sit omnibus indiscriminatim fauere, cap. 1. vers. 8. adnot. 3. num. 4. & 5. fol. 83. col. 2. 11.

Adhuc eo loquente ecce nubes lucida, &c. Et ecce vox de nube, &c. Oppottunè Petri vox terrena sapientis, terrena loquentis intercisa, & cohibita à summi Patris voce est: quippe dum consiliarius, seu minister blanditur, & ad iustum loquitur, opportunè, atque sapienter eius sermonem Princeps intercidat; blanditiis etenim, & adulationi vt iusta retributio confusio succedit: quid quod tamquam pestis cauenda adulatio est, & ne serpat, quàm mature extinguenda, cap. 1. vers. 13. adnot. 4. num. 4. fol. 183. col. 2. 12.

Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui. Occurrit inordinato Petri voto summus Pater his verbis, ac si diceret: Quæ hæc honorum ad iustitiæ leges distributio fuerit? vt in tabernaculorum structura Dominum cum seruis, meumque Filium cum Elia, & Moyse æquaueris? confusis etenim ordinibus, nihil est ipsa æqualitate inæqualius; debentur enim maiora præmia maioribus meritis, cap. 2. vers. 9. adnot. 2. num. 9. fol. 509. col. 2. 13.

Ipsum audite. Videte Patrem cum Filio suo de gloria, quam alter alteri deferre nititur, contendentem. *Ipsum*, inquit, *audite*; Sed numquid te ipsum, ô summe Pater, non audimus, dum ipse loquitur? cum ipse Verbum tuum sit: dicito ergo, audite me. Noluit bonus Pater sua considerare, sed quæ Filij, c. 2. vers. 6. adnot. 2. num. 6. fol. 345. col. 1. 14.

Ceciderunt in faciem suam, & timuerunt valde: Quid discipulos, quos signatè ad gratiam, & amicitiam eligis in aciem cadere, & vehementi timore corripi sinis? Ita quidem, vt Principes moneat, ne sese totos familiaribus suis dedant, sed gratiæ, & familiaritati modum, & limitem ponant, iamque illis, vt Domini timorem incutiant, iam vt benigni familiares dicant, *Nolite timere*: Sic videris Dominum Abrahami domum nunquam fuisse ingressum, sed illum ad confabulandum ad designatum locum, nempe ad ilicem Mambre deduxisse, vt gratiæ certum limitem designaret, ne in illius domo, vt subditus esse videretur, c. 1. vers. 13. adnot. 6. num. 3. fol. 190. col. 2. 15.

Nemini dixeritis visionem. Quare? nonne id Christo foret gloriosum, vt aliis etiam Discipulis innotesceret? 16.

innotesceret: foret quidem, sed noluit Dominus sua considerare, sed quæ aliorum, ne videlicet tribus Discipulis nouem inuiderent. c.1. vers. 4. in comm. à num. 3. fol. 319. col. 1.

FERIA II.

1. *Ego vado, & quæretis me*: Pulchrè mortem suam viæ, siue deambulationis nomine appellauit Dominus, quod vt statim dixit de hoc mundo non esset, atque ideo summa facilitate hinc esset profecturus: vt inde iusti mortem dignoscas, & à peccatoris nece discrimines, c.1. vers.23. in comment. à num.4. vsque ad 9. fol.247. col.2.

2. *Ego vado*: Emphasim habet ad denotandum quam spontanea voluntate, & quanta alacritate mortem Dominus obierit: ac si dicat, non trahor ad mortem, sed per proprios pedes ad eam vado, cap. 2. vers.8. adn.3. tot. fol.449. col.2.

3. *Quæretis me*: Quomodo quærent Christum, & tamen in peccato suo morientur? Quia videlicet non quærent vt inueniant; sed vt calumnientur, dum enim cæco sui ipsorum amore capti Christum exquirunt, nihil boni in eo inuenisse sibi ipsis videtur, cap.2. vers.6. adnot.2. num. 9. fol. 346. col. 1. & vers.4. in comment. n.1. & 2. fol.318. col.2.

4. *Nisi credideritis quia ego sum, moriemini, &c.* Vide diuinam benignitatem, sic increpat, & minatur, vt blandè simul alliciat, & ad salutem prouocet: Quid enim aliud fuit dicere? *Quia ego sum*: nisi *ego sum qui sum*. Hoc est, qui ex me ipso habeo bonum, & benignum in omnes esse, cuius natura ad benefaciendum summè prona est, qui nolo mortem peccatoris, sed vt conuertatur & viuat, cap.1. vers.2. adnot.2. num.8. fol.51. & num.11. fol.36. col.2.

5. *Moriemini in peccatis vestris*, Ita ne absolutè dici possit, moriturum hominem in peccatis suis? ita omnino dum ipsum in peccatis suis viuere, nec de illis relinquendis cogitat; quippe vitæ præsentis finem, futuræ principio cohærere necesse est, cap.1. vers.21. adnot.3. à num.1. fol.229. col.2.

6. *Multa habeo de vobis loqui, & iudicare.* Vide quanta cunctatione se eos iudicaturum affirmet, qui multa prius locuturus, ac per consequens auditurus est; vt non prius fratrem iudices, quin audias, nec damnes, antequam causam attentissimè discutias, cap.1. vers.13. adnot.5. fol.186. col.1.

7. *Quæ audiui ab eo, hæc loquor*: Disce humilitatem, disce modestiam, disce Deo gloriam referre; nihil certè sibi Dei filius arrogat, sed omnia Patri attribuit, cap.2. vers.6. adnot.2. num.5. fol.345. col.1.

8. *Cum exaltaueritis filium hominis.* Christi crux, cuius exaltatio, atque sublimitas extitit, cap.2. vers. 8. adnot.2. à num.5. fol.442. col.2. & vers. 9. adn.2. num.4. fol.511. col.2.

9. *Tunc cognoscetis quia ego sum.* Hoc est, meam naturam ad benefaciendum summè pronam; quippè ex Christi cruce immensa eius bonitas, atque benignitas innotuit, cap.2. vers.9. adnot.4. tota, à fol. 514. col.1. & 2.

FERIA III.

1. *Super cathedram Moysi sederunt Scribæ, &c.* Notanter super cathedram Moysi sederunt, &c. Ipsi scilicet immerentes in locum, qui virtutem, & sapientiam maxime exigebat, sese ambitiose ingesserunt, de quo cap.2. vers.6. adnot.1. num. 6. & seqq. fol.341. col.1. Quem ergo sperabis exitum? eod. ver. adnot.6. fol.360. col.2.

2. *Super cathedram Moysi.* Malo suo in altum ascenderant, qui inde à Dæmone in præcipitium dandi erant, indidem, num.5. & 6. fol.362. col.1.

3. *Omnia quæcumque dixerint vobis, seruate, & facite; secundum verò opera eorum nolite facere.* Pharisæis plures è sapientibus sunt persimiles, qui errantibus salutis iter demonstrant, sed à prauis ipsi viis declinare nesciunt, cap.1. vers.18. in comment. num.4. fol.213. col.2.

4. *Seruate, & facite; secundum verò opera eorum nolite facere.* Quid fuit opus duplicare illa verba, *seruate, & facite*: necnon hæc, *nolite facere*? Nonne vt illic satis erat dicere, *facite*, ita hic, *ne faciatis*? Equidem ea duplicatione verborum, præsertim illo modo dicendi, *nolite facere*, qui voluntatis firmitudinem & determinationem denotat, aduersus prauorum Prælatorum exemplum voluit nos Dominus communire, quippe aduersus illud non minus quàm aduersus torrentem impetu decurrentem magna vi, & constantia opus est, cap.1. vers.13. adn. 3. num.14. fol.181. col.1.

5. *Dicunt enim, & non faciunt.* Quàm turpiter, quàm periculosè; vt quid enim existimas ficulneam inter omnes arbores singillatim à Christo fuisse maledictam? cap.1. vers.9. adnot.6. num. 4. & seqq. fol. 102. col.2.

6. *Alligant onera grauia, & importabilia in humeros hominum, digito autem nolunt ea mouere.* O pessimos Principes, & Prælatos, qui subditos non secus ac iumenta duabus manibus, siue brachiis onerant, nihil de eorum leuamine curantes. Quàm aliter Deus! quàm aliter Principes, qui pleno pectore sapiunt, cap.1. vers. 23. adnot. 2. num. 9. fol. 257. colum.2.

7. *Digito nolunt ea mouere.* Quid ergo si digitum admoueant? Num id ad onera grauia ferenda satis erit? Ita certè; adeò enim efficax Prælati exemplum est, vt quouis bono opere quamuis minutum id sit, subditos permoueat, cap.1. vers.13. adnot.3. num.14. fol.181. col.1.

8. *Omnia verò opera sua faciunt, vt videantur ab hominibus.* Bene *opera sua*, non opera Dei; quippe Dei opus ab oculis hominum abscondendum, cap. 2. vers.3. adnot.1. num.2. & seqq. fol.314. col.2.

9. *Vt videantur ab hominibus.* Non taxat quod publicè, cum opus est, faciant, sed quod eo fine faciant, vt videantur, ibid. num.13. fol.311. col.2.

10. *Dilatant enim phylacteria sua.* Vide stultitiam Pharisæorum, qui Dei monita, & memorialia ad inanem gloriam, & fastum referebant, cùm Dei præceptum de phylacteriis eo solùm iret, vt de lege Dei ante oculos scripta ad vera bona à falsis dignoscenda, atque discriminanda admonerentur, eo modo quo dicebat Salomon: *Proposui pro luce habere illam*, cap.1. vers.10. in comm. num.4. fol. 107. colum.2.

11. *Amant autem primos recubitus in cœnis, &c.* Quare? Quia nouitij nobiles, qui elati, & insolentes, cap.1. vers.1. adn.1. à num.5. fol. 7. col.2.

12. *Vos autem nolite vocari Rabbi, &c.* Illustratur c. 1. vers.1. in comm. num.6. fol.2. col.2.

13. *Qui autem se exaltat, humiliabitur.* Plura cap. 2. vers.9. adn.6. tota, fol.528. col.1.

FERIA IV.

1. *Ascendens Iesus Ierosolymam assumpsit duodecim Discipulos suos secretò, & ait illis, &c.* Optimum molestiarum leuamen, fidum habere amicum, cui in omni fortuna pectus tuum aperias, c. 2. vers. 1. adn.2. num.1. & seqq. fol.298. col.1.

2. *Ecce ascendimus Ierosolymam, &c.* Pulchrè ascendere

dere

dere dicitur Ierosolymam, qui Ierosolymam homines saluaturus ibat; nihil enim sublimius, diuiniusve, quàm salutem ferre, cap.2.vers. 9. adnot.8.fol. 536.col.1.

3. *Et filius hominis tradetur*, *&c.* Quàm vrbanè, quàm benignè, & nullum ex persecutoribus suis nominauit, & accurata locutione dixit, *tradetur*, & non *vendetur*, quod crimen augebat, & se ipsum filium hominis, non filium Dei, vt atrocitatem facinoris temperaret, appellare voluit, cap.1.vers.15.adnor.3.num.5.fol.210.col.2.& cap.2.vers.4.in comment.num.3.fol.319.col.1.

4. *Ad illudendum, & flagellandum, & crucifigendum, &c.* Quid tantis ignominiis, & mortibus opus fuit? Nonne quamlibet oppetere mortem satis erat? Ita certè, sed vt & peccati turpitudo, & Dei charitas melius innotesceret, tot, tantisque expensis opus fuit, cap.2.vers.8.adnot.2.num.14.à fol.445.col.2. Sed iis iunge quæ habes eod.vers.adn.7.de solutione Passionis Christi, quam rependere debemus, fol. 469.col.1.

5. *Ad illudendum, & flagellandum, & crucifigendum.* Tanti à Deo hominis anima fit, vide quàm sit immensum eius pretium, cap.2. versu 7. adnot. 5. fol. 388.col.1.

6. *Ad illudendum, & flagellandum, &c.* Opportunissimè adnotauit Lucas Christum tunc temporis firmasse faciem contra Ierusalem, vt & mortem suam sponte oppetere, & appetere, cap.2. vers.8.adnot.3. fol.451.col.2.num.7.& difficultates lacessere, & prouocare videretur, quippe tentationibus, ac laboribus magnopere repugnandum est, cap.1.vers. 28.adnot.1.à num.1.fol.270.col.1.

7. *Tunc accessit ad Iesum mater filiorum Zebedæi.* Quid, quæso, importunius, aut insanius? tunc ambitionem erumpere, cum de ignominiis suis, & morte Christus agit? Quid? Credisne tunc primum ambitionis æstu illos flagrare? Non opinor, sed audita tunc resurrectione, & regno Christi, sopitam tunc ambitionem excitatam fuisse: sic videas plerosque dùm mediocria illis munera offeruntur, animosè ea respuere de quiete, & secessu suo solum cogitantes, ad maiora verò suspensos inhiare, cap.2.vers.6.adn. 1.num.9.fol.342.col.1.

8. *Accessit.* Ita ne accedis? Ad quem? Ad eum qui lucem habitat inaccessibilem; ad inaccessum facie ad faciem audes accedere? O acres ambitionis stimulos! nihil veretur, nil timet. Obseruauit Hieron. epist.11.de Monog. solam Rebeccam inter omnes veteris testamenti fœminas super filios suos Deum consuluisse. *Cuius solius partus Domini reuelatio est, neque vlla alia fœminarum Deum per se ipsam consulit.* Adeo videtur nouum fœminam ad Deum consulendum, etiam adhuc cum grauem illam puerorum luctam in ventre patiebatur, accedere. Quid dixeris modo, cum non ad consulendum Deum, sed ad primarias filiis sedes petendas hæc mulier accedit: quam luctam interius pertulisse censeas? quippe ambitio omnibus affectibus flagrantior est, cap.1.vers.13.adnot.2.num.12.fol.174.col.1.

9. *Mater filiorum Zebedæi.* Cur mater filiorum Zebedæi, & non potius mater Iacobi, & Ioannis? Quia videlicet terrena bona filiis suis exoptans, non tam mater, quàm nouerca dicenda erat, cap.1. vers.9.adnot 1.num.10.fol.90.col.2.

10. *Adorans, & petens.* En ambitionis artes, & habitum; adorare vt adoretur, & omnia seruiliter pro dominatione facere, cap.2.vers.6.adnot. 6. num.9. fol.359.col. 2. At enim firma manet Bernardi regula. *Quidquid de amore non venit, non honor, sed adulatio est.* Quare ride mulieris inscitiam, siue ambitionis æstum, quæ Deo, qui corda introspicit, adulari audet; ipse ad adulatores post illa verba: *Populus hic labiis me honorat; cor autem eorum longè est à me:* dicente: *sine causa colunt me:* id est, nullo fructu, nec enim blanditiis adulatoriis mercedem ego aliquam rependo. O si id Reges imitarentur, ne ab aulicis suis perderentur, cap. 1.vers. 13.adnot.4.num.10.fol.185.col.2.

Aliquid ab eo. Callidè *aliquid* confusè petit, vt sub cæca, ac confusa promissione Principem capiat: vnde prudentissimè Christus quamuis illius cogitationes optimè nosset, ait: *Quid vis:* ac si dixerit, aperi signatè, quid petas; nec enim Princeps confusè, & indistinctè promissurus est, c.2.vers. 9. adnot. 2.num.8.fol.509.col. 1. 11.

Volumus (ita apud Marcum) *vt quodcumque petierimus tibi, facias nobis, &c.* Vide ambitionis animos, & audaciam, & vt videas, compone hæc verba cum iis quæ Christus respondit: *Non est meum dare vobis, sed quibus paratum est à Patre meo:* hinc enim apparet ambitiosum omnia transmutare, & à propriis sedibus diuellere velle; decernit siquidem dignioribus primarias sedes Deus, cap.2.vers. 9.adnot.2.num.5.fol.508.col.1. Ambitiosus verò decerre audet, non digniori, sed mihi gratia, aut pecunia eas obtinere cupienti dandæ sunt, cap. 2.vers.6.adnot.6.num.10.& 11.fol.360. col. 1. Cui iure occurrat Baldad apud Iob 18. 4. *Numquid propter te derelinquetur terra, aut transferentur rupes de loco suo?* Sed enim etiamsi ob causam transferrentur, non esset insolens, aut mirandum, cùm & montes Gregorium Thaumaturgum transtulisse sciamus, & Paulus id fidei, quam quidem egregiam habebat Iob assignauerit, inquiens: *Si habuero fidem, ita vt montes transferam*: Et tamen propter Iob, & tot ærumnis confectum, & egregia fide in Deum sperantem hoc fore patrandum ridet Baldad: ambitiosus autem omnia commutare, & à proprio loco diuellere cupit, & sperat. Vide c.2.vers. 9. adnot.1. num.1.fol.503.col.1.& 2. 12.

Dic vt sedeant hi duo filij mei, vnus ad dexteram tuam, & vnus ad sinistram, &c. Audis? vtramque primatiam sedem petit, nec aliis locum relinquit: quippe ambitiosi soli esse volunt in vniuersa terra, cap.2.vers.4.adn.1.num.4.fol.322. col 1. Ad quem etiam modum in Seiano, & iis qui apud reges plurimum valent, notauit Tacitus, sic sibi omnia munera vindicasse, vt propinqui & affines eius solum augerentur, & vt quisque Seiano intimus, ita ad Cæsaris amicitiam validus, c.1.vers.8.adnot.3.num. 5.fol.84.col.1. 13.

Vnus ad dexteram tuam, & vnus ad sinistram: Vtramque sibi vendicat aurem, vt omnem aditum ad Principem præcludat, ante omnia agens, ne quid sciat, cap.1.vers.13.adnot.4.num.7.fol.184.col.2. 14.

Vnus ad dexteram, & vnus ad sinistram: Obserua materni amoris inconsultam petitionem, ac votum, quæ vni filiorum damnationem petebat, quia in regno Christi omnes electi ad dexteram, nullus ad sinistram, quod hæc damnatorum sit, sedebunt, cap. 1.vers.9.in comment.num.64.fol.499. col. 1. Est hæc naturalis parentum lues, damnationem filiis exoptare, & afferre, dum illis immerentibus, munera & dignitates Ecclesiasticas exoptant, cap. 2.vers. 6.adnot.6.num.11.fol.363.col.2.& c.1.vers.9.adn. 1.num.6.fol.89.col.2. 15.

Hi duo filij mei, vnus ad dexteram, &c. Ac si diceret; hoc illis prosit filios meos esse, & sanguine tecum coniunctos, vt qui ratione propriæ virtutis sedes inter duodecim essent adepturi; quod filij sint mei, primarias obtineant. En, quid caro, & sanguis 16.

sanguis in distribuendis Ecclesiæ muneribus præposterum inuexerit, c. 1. vers. 8. adnot. 3. num. 17. fol. 86. col. 1.

17. *Nescitis quid petatis:* Quare? quia me gratiæ siue carni, ac sanguini ius daturum existimatis, c. 2. vers. 6. adnot. 6. num. 8. fol. 359. col. 1.

18. *Nescitis quid petatis:* Nescij sunt, & ignari, qui res inanes, & vanas cõcupiscunt, hominis enim desideria eius animum delineant, nec melior quispiam suis desideriis esse potest, c. 2. vers. 6. adnot. 1. num. 12. fol. 343. col. 1.

19. *Nescitis:* Turpem ambitionem, inscitiæ siue ignorantiæ, quod moderatius erratum est solum deputat; quod multa à Prælatis dissimulanda, multa leuiter attingenda sunt, c. 1. vers. 15. adnot. 3. num. 5. fol. 110. col. 2.

20. *Potestis bibere calicem?* Opportunè calicis nomine, & hæreditas & mors designantur, quod cœlestis hæreditas adeò sit cum cruce, & morte coniuncta, vt ab ea nequeat diuelli, c. 2. vers. 6. adnot. 4. num. 8. fol. 355. col. 1.

21. *Potestis bibere calicem?* Inordinatæ voluntati dicenti: *Volumus vt quodcumque petierimus facias nobis*, non aliam quam mortis medicinam adhibuit; quippe plus periculi, & damni ab illa voluntate, quam à morte venit; ita Christus ad Patrem orans. *Transeat à me calix iste*, subiiciebat. Verumtamen non sicut ego volo, ac si diceret; plus enim est timendum meam tuæ præponere voluntati, quam mortis calicem bibere, c. 1. vers. 21. adnot. 1. num. 8. & seqq. fol. 224. col. 2.

22. *Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum, &c. dicunt ei, Possumus:* En qua ratione nescientes, & ignari à Christo appellentur, qui labores ambitionis, quibus nihil est vilius, non refugiant; nec crucem, & labores pro Christo, quibus nihil est gloriosius, aut diuinius expetant, ac si dicat: *Tanti vitrum, quanti margaritam*: cap. 1. vers. 7. adnot. 2. num. 4. fol. 70. col. 1. & pro laborum dignitate, & gloria, cap. 1. vers. 29. adnot. 1. fol. 178. col. 2.

23. *Calicem quidem meum bibetis: sedere autem, &c.* Seuera quidem ad faciem, sed reipsa benigna, & liberalis responsio, quæ illis plus, atque id quidem multo melius, quam quod petebant, largitur: dum merita, & dignitatem, quod sedibus ipsis, quas ambitiose exoptabant maius est, repromittit. Certè inferiores Angeli, Principatus, Potestates, & Dominationes appellantur; supremi verò Cherubim, atque Seraphim, quod non honorem, aut principatum, sed sapientiam, & charitatem significat, dicuntur; plus enim est sapientia, & charitate esse præditum, quam Principem, aut Dominum existere: illa enim vera, ac solida bona; externa hæc, inania, & nullius frugi sunt, cap. 1. vers. 10. adnot. 1. num. 6. & seqq. à fol. 109. col. 1. & seqq.

24. *Non est meum dare vobis*: Quare non est tuum Domine, cum omne iudicium Filio dederit Pater? Eiusdemque cũ ipso naturæ, & potestatis sis? Quod humilitatem docere, & ministrare potius, quam ministrari venerim, cap. 2. vers. 6. adnot. 1. num. 3. fol. 340. col. 1.

25. *Non est meum dare vobis:* Ambros. *Sanctus, & bonus Dominus, qui mallet aliquid dissimulare de iure, quam de charitate deponere*, cap. 2. vers. 4. adnot. 1. num. 11. fol. 324. col. 2.

26. *Non est meum dare vobis.* Quare *vobis*? Quia forsan alij subinde, qui præstantiores sint meritis, occurrent, quibus præstantiores has sedes dare æquum sit: non enim dignis, sed dignioribus digniora munera retribuenda sunt, cap. 2. vers. 9. adnot. 2. num. 8. fol. 509. col. 1.

Vobis. Quare vobis? cum ipsi tandem primarias sedes consecuti fuerint? quia modo eas ambitis, & procuratis, atque eo ipso indignos illis vos redditis; nam ambitio debitis præmiis sese defraudat, cap. 2. vers. 6. adnot. 1. num. 10. fol. 341. col. 2. 27.

Non est meum dare. Ergo non aliena à regia dignitate hæc vox fuerit, cum de munere immerenti dando agitur: Ambros. *Non sibi potestatem deesse asserens, sed meritum creaturis*, c. 2. vers. 6. adnot. 6 nu. ad finem, fol. 359. col. 1. 28.

Non est meum dare. Glossa ibi: *Quia cœlorum regnum non est dantis, sed accipientis*: Voluit dicere, non sufficit dantis gratia, nisi accesserit collaborantis industria, cap. 1. vers. 6. adnot. 3. num. 3. fol. 56. col. 2. siue etiam; non prius Dominum regnum cœlorum proprium existimare, quam à nobis eius gratia, nostraque industria promereatur, c. 1. vers. 10. adnot. 8. num. 8. fol. 133. col. 1. 29.

Et audientes decem indignati sunt de duobus: Non aliter pax conseruari potest, nisi alieno potius, quam proprio commodo quisque studeat, cap. 2. vers. 4. in comment. num. 6. & 7. fol. 320. col. 1. & in adnot. num. 11. fol. 324. col. 1. quippe difficile est, cum præstare cæteris concupieris, seruare æquitatem, in adnot. num. 1. fol. 321. col. 1.

FERIA V.

Homo quidam erat diues, &c. Quis hic homo erat? Curve eius nomen sicut Lazari nomen non aperitur? Quod id superbiæ, gloriam, & nomen appetentis debitum supplicium sit; superbum nesciri, nomenque ipsius perpetuo silentio opprimi, cap. 2. vers. 9. adnot. 6. num. 6. fol. 530. col. 1. 1.

Quidam mendicus nomine Lazarus, qui iacebat ad ianuam eius, vlceribus plenus. Opportunè ianuæ illius assistebat, vt carnem ibi suam diues videret, nec despiceret. Vnde Chrysostom. homil. de diuite, tom. 2. *Infelicissime hominum mortem corporis tui vides iacere ante ianuam, & non misereris? si Dei præcepta non consideras, saltem miserere conditionis tuæ:* Apta illud Isaiæ: *Carnem tuam ne despexeris*, cap. 2. vers. 1. adnot. 4. num. 10. fol. 307. col. 1. Vide infra ad id, *Pater Abraham*. 2.

Et nemo illi dabat: Cur homo totus in delitiis tantisper proximo suo non miseretur? Quia delicatis vestibus, epulis blandis ferrea viscera crudelis anima nutriebat, cap. 2. vers. 4. adnot. vnic. num. 2. fol. 321. col. 2. 3.

Factum est autem, vt moreretur mendicus: Quæ hæc circumlocutio fuerit? *Factum est*, &c. Nonne satis erat dicere? mortuus est mendicus, sicut de diuite postea dicitur, mortuus est diues. Sanè id indicat; iustorum mortem pretiosum quoddam opus esse, quod à Deo singulari studio, & arte perficiatur; secus quidem, ac peccatorum mors, quæ pessima est, c. 1. vers. 21. adnot. 4. num. 6. fol. 235. col. 2. & adnot. 5. num. 9. fol. 139. col. 1. 4.

Et portaretur ab Angelis: Chrysost. vbi supra: *Libenter talibus oneribus prægrauantur, vt adducant homines ad regna cœlorum*: Porrò eo ipso, quod Angeli paulò maiores hominibus sunt, eorum onera libenter suscipiunt vt illis opem ferant, c. 1. vers. 23. adnot. 1. num. 11. fol. 258. col. 1. & 2. 5.

Et portaretur ab Angelis. Chrysost. indidem: *Gaudet vnusquisque Angelorum tantum onus tangere:* non secus quidem, ac Aulici, qui Principi suo ministrare percupiunt: Sed quare? Nimirum, ei qui pro Deo tribulationes patienter pertulerat tantus honor debebatur, cap. 1. vers. 30. adnot. 1. nu. 5. fol. 280. col. 1. 6.

Mortuus

7. *Mortuus est autem & diues.* Qua tristitia,& anxietate?quippe qui in deliciis versabatur, c.1.vers. 21.adnot.3.num.2.3.& 4.fol.230.col.1.

8. *Mortuus est autem & diues.* Quare iusto prius mortuo,diutius peccator vixit? Nimirum, in peccatorum pœnam,vt acrioribus subiiceretur suppliciis,cap.1.vers.21.adnot.5.num.13.fol.240.col. 1.

9. *Eleuans autem oculos cum esset in tormentis*: Sera veritatis agnitio,c.1.vers.10.adnot. 9. num. 8. fol. 139.col.2.

10. *Pater Abraham.* Ex ore tuo te iudico serue nequam:Etenim qui Abrahamum patrem tuum nosti,fratrem etiam tuum Lazarum, qui illius erat filius, agnoscere debueras. Est quidem hæc charitatis lex, vt omnes vnum simus in Domino, cap.1. vers.27.adnot.1.tota, præcipuè num. 5. fol. 264. col. 1.& 2.

11. *Fili memento*,&c. Chrysostom. homil. 2 de diuite,& Lazaro, tom. 2. *Ac ne putares, quod memor præteritorum malorum vetuerit abire Lazarum,filium eum appellat,quod in mea inquit potestate est,impertio tibi*:vt inde non solum discas pauperi eleemosynam petenti bona saltem verba dare, sed etiam cum Prælatus fueris subditum errantem mitibus affari verbis;cum Abraham ipsummet damnatum blande alloquatur,cap.2.vers.7. adnot. 6. num. 12. fol. 395.col.2.

De hoc Euangelio plura tom.2.ad c.3.

FERIA VI.

1. *Homo quidam erat pater familias.* Bene quidem modo,cum de vinea plantanda, & ornanda agitur, & homo,& pater inducitur Deus,qui suopte ingenio ad benefaciendum pronus, & benignus est, cap.1.vers.2.adnot. 2. fol. 34. col. 1. postmodum verò cum de ratione ab homine exigenda agitur, non homo,aut pater,sed Dominus appellatur, *cum venerit Dominus vineæ*; bonitati enim diuinæ ab homine contemptæ,ira Domini,& regis indignatio succedit,cap.1.vers.10.adnot. 9.num. 10. fol. 139. colum.2.

2. *Plantauit vineam.* Cur signatè vineæ comparatur hominis animus,siue virtus? vt videlicet, argumento sit, virtutem absque labore perfici non posse: scitè enim August.in Psalm.83. *Neque vua vinum est,neque oliua oleum ante pressuram*, c.1. vers. 21.adnot.vnic.num.1.& seqq.fol.243.col.1.

3. *Sepe circumdedit ei.* Legem, scilicet,& mandata, quæ si seruaueris seruabunt te. Sed obserua sepis imaginem, quæ legem integre custodiendam denotat; nam si sepes tantillum dissipetur, paulatim corruet,& vindemiabunt eam omnes, qui prætergrediuntur viam, quia *qui dissipat sepem, mordebit eum coluber.* Sanè à minimis incipiunt, qui in maxima prolabuntur,cap.1.vers.10.adnot.4.à num. 4. fol.119.col.1.

4. *Et fodit in ea torcular.* De frequentia Eucharistiæ hic significata,vide c.2.vers.7.adnot.9.num.16. fol 419.col.2.

5. *Iterum misit alios seruos.* Quam patienter! duplici quidem de causa: Prima, quia expectat Dominus,vt misereatur nostri,cap.1.vers. 2. adnot. 2. num.13.fol.37.col.1.& scitè Seneca: *Non est magni animi dare,& perdere,sed est magni animi perdere,& dare*: Altera, vt sustinens in multa patientia vasa iræ apta in interitum, ostenderet diuitias suas in vasa misericordiæ,cap.1.vers.29.adnot. 1. num. 7.fol.281.col.1.& 2.

6. *Apprehensis seruis eius alium ceciderunt, alium occiderunt,&c.* O tempora! ô mores! Mitiùs quidem,& vrbanius nobiscum modo agitur. Num vidisti aliquando hisce temporibus concionatorem aliquem lapidatum, vt Ieremiam? serrave dissectum,vt Isaiam? quid ergo huic sæculo detrahis? Meliora quidem nostra tempora, non inficior, at videsis, num in causa sit; quod concionatores, & ministri Euangelij ab agricolis non tam fructus Deo debitos, quàm suos prouentus, Episcopatus, scilicet,munera,& alia id genus petant,atque hinc fiat,vt Dei causa aliter ab illis, ac à bono Iob agatur: ille enim adhuc cum in sterquilinio pauper, & egens erat, animose clamabat, cap. 27. 3. *Viuit Deus, quia donec superest halitus*: &c. *Fons turbatus pede*,cap.1.vers.13.adnot.1. num. 2. fol. 168. colum.1.

Verebuntur forte filium meum. O nimiam Dei 7.
charitatem! ô maximam, & pene infinitam hominis dignitatem! Non modo pro certa hominis salute,sed pro dubia,vt sic dixerim, & incerta filium suum Deus dare non dubitat. Tanti hominis anima à Deo fit,vt vel pro dubio eius remedio filium suum tradat,cap.2.vers.7.adnot.5.num.5.fol.389. colum.2.

Cum ergo venerit dominus vineæ,quid faciet agri- 8.
colis illis? Illud hic obseruatione dignissimum: Dominum cum de beneficiis conferendis antea deliberarat, secum solummodo consultationem instituisse,*Verebuntur forte filium meum*, quippe ipse sui prouocator,& motor est, vt inquit Dionysius, & à se ipso bene merendi occasionem sumit,cap.1.vers. 2.adnotat.2.à num.3. fol. 35. col. 1. imò verò non aliter secum de homine beneficiis ornando, & cumulando agere,quin totus occupatus manu,sensu, consilio, & adfectione appareat, vt inquit alicubi Tertullian. adhibens tantos animi sui nisus, sophiam,valentiam,sensum,sermonem, spiritum,virtutem,cap.1.vers.13.adnotat.6.num.8.fol. 191.col. 2.Cum verò de suppliciis inferendis deliberat,non secum, sed cum hominibus consultationem instituere,quippe homines hominibus acriores,& infestiores hostes sunt; nec vllum ad nocendum homini perniciosius.quam hominis ingenium est,cap. 1.vers.15.adnotat. 1. tota,præsertim à num. 3. fol. 204.col.1. ideo qui prius dixerat,*quid faciam*,modo dicere,*quid faciet*? Sanè cum supplicium executioni omnino mandari, nec vllo pacto impediri vult,cum homine agit,quod benè norit,ab ipso non esse retardandum,indidem,num.4.col.1.

Malos male perdet. Cur additur,*male*,nonne sa- 9.
tis erat perdere? Et vero maiorem id in lectione Syriaca vim habet, est enim duplicatum aduerbium,*male,male*: Sanè eo dicendi modo innuitur esse perditionem,siue mortem in vitam, esse etiam in peiorem mortem,& perditionem,cap.1. vers.11. adnot.1.num.16.fol.147.colum.1.& c.1.vers.7.adnot.2.num.4.fol.69.col.2.

Numquam legistis, &c. Quam immemor suæ 10.
damnationis homo esse soleat:En Pharisæos cottidie supplicij sui sententiam legentes, & audientes, & tamen animum nunqam intendentes: nec vineam,hoc est,sacerdotij sui dignitatem prius amittendam cogitantes, quam à suis manibus extortam conspicerent: Apta explicationem obiter datam illis verbis,1.Reg.3.*Oculi eius caligauerant, nec poterat videre lucernam Dei*,c.1.vers.15.adnot. 1. num. 14.fol.207.col 1.

Lapidem quem reprobauerunt ædificantes, hic fa- 11.
ctus est in caput anguli. Nonne hic, ille lapis erat? de quo Zacharias,*& educet lapidem primarium*:siue vt est in Hebræo, *lapidem fundamenti*, quomodo ergo à fundamento transiit ad culmen? Quia ex ipsius

ipsius humilitate, mensura exaltationis desumpta fuit, & qui descendit ad inferiores partes terræ, ipse est qui ascendit super omnes cœlos, c. 2. vers. 9. adn. 2. n. 2. fol. 507. col. 1.

12. *Dabitur genti facienti fructum eius:* Quem fructum? omnimodæ, scilicet, virtutis. Aug. serm. 160. de temp. c. 3. *Botrus in vobis inueniatur, qui pro vobis botrus calcatus est:* botrus, hoc est, granorum multitudo: vide c. 1. vers. 8. adn. 1. n. 3. *Creati in operibus bonis*, fol. 143. col. 1. & c. 2. vers. 8. adn. 8. tota, fol. 475. col. 1.

13. *Et qui ceciderit super lapidem istum, confringetur; super quem vero ceciderit, conteret eum.* Tam Iudæi, quam Christiani, Deo non obtemperantium supplicium, atque ruina describitur: illius; scilicet, quia ad lapidem istum scandalizatus est; sic Paulus. *Prædicamus Christum, & hunc crucifixum, Iudæis quidem scandalum, &c.* Huius verò; quod lapis iste super eum decidat, nimirum, quod suæ Passionis beneficium, & pretium à peccatore exigat, c. 2. vers. 8. adnot. 7. fol. 469. col. 2.

14. *Videntes filium, dixerunt intra se:* Ad maioris beneficij conspectum peius se habuerunt rustici, quippe seruos, & prophetas non prius percusserant, quam fructus ab ipsis exigere conarentur; filium verò statim, vt viderunt cogitauerunt interficere: est hæc inuidorum (quales illi erant) natura, vt beneficiis peiores reddantur, c. 1. vers. 15. adn. 1. num. 16. fol. 207. col. 2.

15. *Hic est heres, venite, & occidamus eum, & habebimus hereditatem.* Aug. in Psalm. 40. *Stulti quomodo erit vestra hereditas?* Nonne, etsi occisus fuerit à vobis filius; superuiuens pater retinebit hæreditatem? Benè Senec. *Ambitio non respicit:* c. 2. vers. 8. adn. 2. n. 3. fol. 442. col. 1. imò verò ea ratione commissam, atque locatam vobis hæreditatem amisistis, dum enim legitimum heredem propriis bonis defraudastis; Deum quomodo vos puniret, & exhæredaret manuduxistis, c. 1. vers. 28. adn. 2. n. 8. fol. 275. col. 2.

16. *Eiecerunt eum extra vineam.* Quæ hæc stultitia fuit, vt occiderent filium, ac Dominũ extra vineam, vbi scelus difficilius poterat abscondi, eum eiicere, nonne opportunius intra sepes flagitium patrarent? Latent quidem diuina mysteria: illud enim hic in primis innuitur, non prius ab illis vineam Dominum abstulisse, quam cum ipsi extra vineam locarent; eo modo quo illis dixit Paulus Act. 13. *Vobis quidem oportebat primum loqui regnum Dei, sed quia vos repellitis illud, ecce conuertimur ad gentes.* Quid ergo queritur peccator? cum non à Deo, sed ab ipso; eius derelictio siue perditio primitus dimanet. Deus quippe *neminem deserit, nisi prius deseratur ab illo*, c. 1. vers. 6. adn. 2. à n. 3. fol. 56. col. 2.

17. *Eiecerunt extra vineam: vt extra portam passus sanctificaret populum.* Hoc est, ne certis limitibus eius redemptio, atque beneficentia circumscriberetur, sed omnibus gentibus indiscriminatim benefaceret, c. 1. vers. 8. adn. 3. n. 10. fol. 85. col. 1.

SABBATO.

1. *Adolescentior ex illis:* Solet quidem frater minor natu vel domi subditus maiori esse, vel ad bellum honoris, & lucri gratia proficisci: ita Esau dum primogenituram amisit, dicebat pater: *Viues in gladio, & fratri tuo seruies.* Genes. 27. quem quidem ordinem prodigus sic adolescens inuertit, & qui vel domi subditus fratri, vel in gladio debuerat viuere, iugum excutere, & sese velut primogenitum gerere voluit. Quid inde? perditio illius, atque ruina: nihil est enim adeo ruinæ proximum, quam hominem præscriptum sibi locũ derelinquere, & sese paululũ supra se efferre, c. 2. ver. 6. adn. 6. n. 2. f. 360. col. 2.

Dissipauit substantiam: Bene substantiã dissipasse dicitur, qui Dei gratiam, & animi bona prodegit, & perdidit, hæc enim vt vera bona, & solida, substantia dicuntur, secus quidem, ac mundi res, quæ merum accidens, & nihil dicuntur, c. 1. vers. 10. adn. 1. tota, fol. 108. col. 1. 2.

Dissipauit: Sed quam ad manum ruinæ, & mortis occasiones adinuenit? Heu quam opportunè omnia vitio eueniunt, secus quidem, atque virtuti, c. 2. vers. 7. adn. 10. n. 15. fol. 429. col. 1. 3.

Dissipauit substantiam suam, &c. Quam florens, & gaudens de patris domo exiisti, aureos tibi diuitiarum, & delitiarum promittens montes! exitus ergo quis? pauper, nudus, & absque calceamentis remanes. *Quem fructum habuisti in his, in quibus modo erubescis?* cap. 1. vers. 13. adn. 2. n. 7. fol. 149. col. 1. & num. 20. fol. 153. col. 1. 4.

Misit illum in villam, vt pasceret porcos. Tam comiter, tam vrbanè, tam suauiter suos dæmon tractat, c. 1. vers. 1. adn. 6. n. 10. fol. 22. col. 1. 5.

Cupiebat implere ventrem de siliquis: quibus premeretur, non reficeretur, c. 2. vers. 7. adnot. 10. n. 3. fol. 422. col. 1. 6.

In se autem reuersus dixit: Quanti mercenarij, &c. Vide tribulationis magisterium. Bene Chrysol. *Fames reuocat, quem saturitas exularat:* plura c. 1. vers. 29. adnot. 2. tota, præsertim n. 4. fol. 401. 7.

Pater, peccaui in cœlum, &c. non sum dignus vocari filius tuus: Si dignus non es vocari filius, cur patrem nominas? dicito Dominum, dicito herum: Sane id non ignorabat Deum paterna nunquam viscera amittere, & erga malos etiam filios patrem sese exhibere, cap. 1. vers. 2. adn. 1. n. 9. fol. 34. col. 1. 8.

Fac me sicut vnum de mercenariis tuis. Humilitatem meditaris? securus es: non exibis vlterius de domo patris; imò ad summam nunc dignitatem eueheris: ita quidem Dauidi dicebat Dominus: *Cum paruulus esses in oculis tuis, caput in tribubus Israel factus es: cur in oculis tuis?* Nonne aptius diceretur, *apud te, siue in corde tuo?* Voluit quidem eo dicendi modo simul exprimere securitatẽ humilitatis, quæ non minus tuta est, quam oculi pupilla, quæ inter omnes corporis partes est tutissima: dicente Vate: *Custodi me vt pupillam oculi:* notat verò August. in Psal. 140. necnon Tull. lib. Ideo potissimum pupillam maximè esse tutam, quod minima sit, & quæ vix acu pungi valeat: En ergo prodigum, & foris diuagantem iam securum: vide modo ornatissimum, *date annulum in manum eius.* Quid prodigo, atque ei, qui calceamenta non affert das annulum? sufficiat modo calceamenta tribuere: quid dilectissimis sponsis (est enim annulus sponsalium insigne) reseruas? Est quidem hæc digna humilitatis retributio, cap. 2. vers. 9. adnot. 6. 9.

Cum adhuc longe esset vidit illum pater suus: Esto viderit, quomodo eum tam cito agnouit, qui à paterna claritate degenerauerat? Sanè quod in humilitate natiuam sui imaginem receperit, c. 2. vers. 5. adn. 1. num. 3. fol. 328. col. 1. 10.

Vidit illum pater ipsius, & misericordia motus est; & accurrens: Expecta, audi eum prius, vt ex illius verbis (nec enim vsque modo fuerat locutus) ad misericordiam prouoceris: Non indiget prouocari Dominus, qui sui ipsius motor, & prouocator est, c. 1. vers. 2. adnot. 2. n. 3. fol. 35. col. 1. 11.

Proferte stolam primam, & induite illum. Quam sollicitus, & nostri honoris amans Deus est, cap. 1. vers. 10. adn. 9. n. 3. fol. 137. col. 1. 12.

Adducite vitulum saginatum, & occidite. Aperit statim mysterium *filius meus perierat, & reuixit.* Videlicet (inquit Chrysol.) *mortuus filius, vituli* (hoc est 13.

Christi) *suscitatur ex morte*: Exinaniuit enim se ipsum,vt nos vita,& bonis repleret,c. 2.vers.7.adn. 2.num.7.fol.378.col.1.

13. *Et manducemus,& epulemur*: Ambr. *Bene carnem vituli, quia sacerdotalis est victima, quæ pro peccatis flebat: epulantem patrem inducit filius, vt ostenderet, quoniam paternus cibus est salus nostra*, cap.1.vers.2. adn.1.num.14.fol.53.& c.2.vers.9.adn.7. num.9. fol.535.col.1.

14. *Erat autem filius senior in agro.* Senior? num patre antiquior esset? Absit;sed senium illi adduxerat inuidia,à qua crudeliter vexabatur, cap. 1.vers.15. adn.2.num.2.fol.208.col.1.

15. *Erat autem frater senior in agro.* Bene in agro inuidus ritu ferarum habitare inducitur,quia nihil ab humana natura est magis alienum, quam inuidia, cap.1.vers.15.adn.1.num.2.& 3.fol.203.col. 2. & 204.col.1.

16. *Et nolebat introire.* Cur conuiuij lætitiam fastidit,eaque se defraudare vult? scilicet alienæ felicitatis inuidia,suis se bonis priuat eod.versu, & adn. n.12.f.191.& adn.seq.n.5.& seqq.fol.209.col.1.

Domin. 3. Quadragesimæ.

1. *ERat Iesus eiiciens dæmonium.* Acre vtrinque bellum hæc verba denotant,nimirum,omnes miseri illius hominis sensus dæmō occupauerat,Christus verò de industria paulatim illud eiiciebat, vt damni magnitudo melius appareret;atque inde homines addiscerent, quam grauis animæ hostis dæmon est,quamque miserabiliter per peccatum eam dilaceret,qui in corpore, quod multo minus odit, talem stragem operatur. Vnde dum paulò post de hac loquitur Dominus, illum fortem armatum appellat,quod aduersus animam suas vires,& fortitudinem exerceat,c.1.ver.10.adn.1.n.13.fol.111.col.1.

2. *Erat Iesus eiiciens.* Notantissime,quasi adhiberet omnes animi sui nisus.Sophiam,valentiam,sensum, sermonem, spiritum, virtutem, vt inquit Tertull. tum vt Principes admoneret per se ipsos regni administrationi incumbere,c.1.vers.13. adn. 7. nu.8. fol.191.col.2. tum etiam, vt inde addiscerent homines,quanto studio, ac diligentia salutis suæ negotium suscipere deberent;ne videlicet pigri, & segnes ad vitam,impigri, & veloces ad interitum sint, c.1.vers.11.adnot.1.n.16.fol.147.col.1.

3. *Et illud erat mutum*,&c. Surdum,& cœcum miserum eum hominem ex alio Euangelista fuisse, constat:vide dæmonis artes hominem penitus possidere: vide hominis ingenium dæmoni se totum addicere,eoque repleri. Vide c.1. vers.11.adnot. 1. num.9.fol.144.col.2.

4. *Et cum eiecisset dæmonium, locutus est mutus*: En signum hominis à dæmone possessi, qui loquax de rebus sæculi;mutus verò ad Dei laudes sit:en indicium hominis à dæmonis seruitute liberati,qui rectos sermones loquitur,c.1.vers.10.adn.7.num. 8. fol.129.col.1.

5. *Locutus est mutus*: Nihil aliud ad sanitatem homini dandam opus fuit,quam ipsum à dæmone liberare:en summam dæmonis beneficentiam,si non noceat;vide cui velis inseruire,cap.1.vers. 1. adnot. 6.num.vltim.fol.24.col.2.

6. *In Beelzebub principe dæmoniorum eiicit dæmonia*: Mira Iudæorum stultitia,& cæcitas: At eorum intellectum inuidia corruperat,ne Christi diuinitatem, atque virtutem, in cuius potestate miracula edebat,agnoscerent,cap.1.vers.15.adnot.1.num.14. fol 207 col.1.

7. *In Beelzebub eiicit dæmonia*: O pectora cæca:cum gratias agere pro beneficiis eorum genti collatis debebant;grauiores Christo iniurias inferūt:nimirum id inuidiæ ingenium est, vt cum alterius honore,aut æstimatione nolit inuidus crescere, cap. 1.vers.15.adnot.1.num.10.fol 206.col.1.

Ipse autem vt vidit cogitationes eorum: Quid opus fuit cogitationes videre,vt eos argueret, qui impia verba, & facta intuebatur? Sanè quod non plene opus,siue bonum,siue malum dignoscitur,dum intentio à qua procedit non innotescit: ab ea enim magna ex parte bonitas siue malitia dependet. Et verò, quod Pharisæi ab inuidia potissimum ducerentur,vt Christi opera arguerent,merito Lucas eorum intentiones, siue cogitationes vidisse dixit, vt illis opportunè responderet,cap.1.vers.11.adnot. 4. num.10.fol.160 col.1. 8.

Omne regnum in se ipsum diuisum desolabitur. Pro pacis,ac charitatis bonis,& firmitudine,quæ ab illa siue familiis,siue regnis aduenit,vide cap. 1.vers. 27.adnot.2.præcipuè num.6.& seqq.fol. 267. col. 2.& c.2.vers.1.adnot.4 n.9.fol.307.col.1. 9.

Filij vestri in quo eiiciunt? Efficax argumentum, quod ipsi non præuiderant:& ideo Christi miraculum calumniabantur, certè si eorum filios ea contumelia inurendos fore crederent, modestius se gessissent. Quem sanè ad modum si legum conditores nossent eorum filios, aut propinquos, leges fore transgressuros, moderatiùs forsan in infligendis pœnis se haberent:Ita Iacob Genes.31.32. eum apud quem Labani idola inuenirentur in seruum offerebat, *hæc dicens ignorabat, quod Rachel furata esset idola patris sui*: Ac si dicatur,nam si sciret,non ita large polliceretur:ergo ne erres disce, quæ sunt proximi tui ex te ipso,cap.2.vers.2.adnot.4.nu. 10. fol.307.col.1. 10.

Ideo ipsi iudices vestri erunt: Ac si dicat, quia dicitis, discipulos meos, & me in Beelzebub eiicere dæmonia;ipsi vestri erunt iudices. Quod ea sit virtutis vis,vt iustum suorum inimicorum,atque persequentium iudicem constituat,cap.1.vers. 11. adnot.2.num.3.fol.147.col.2.vnde notanter Christus dum ab inimicis immaniter iudicaretur se illorum iudicem ex tunc constitutum, dixit, cap.2.vers.6. adnot.5.num.1.fol.356.col. 2. & vers. 9. adnot. 1. num.3.fol.504.col.1. 11.

Per loca arida quærens requiem, & non inuenit. Rabbanus:*Corda fidelium a mollitie fluxæ cogitationis expurgata callidus insidiator explorat,si quos gressus ibi figere possit*:hoc est,quærit rimam, per quam guttatim sese insinuet,atque illabatur:at,qui corda sua à minimis etiam erratis expurgant, nullum illi locum relinquunt,cap. 1.vers. 10.adnot.4.à num.6. fol.120.col.1. 12.

Inuenit eam vacantem,& ornatam, &c. Quî esse possit ornata,simul & vacans? Respondet Glossa Interlinearis.*Vacans à bonis per negligentiam.* Vel quæ eo fructus iustitiæ, quem ferre debet vacua est, vt habes cap.1.vers.11.in expositione num.7.fol.141. col 2.Ergo anima quæ vacat, nec de nouis profectibus est sollicita,quamuis ornata sit gratia, lethali lapsui vicina est,cap.1.vers.9.adnot.2.n. 12. 13.14. & 15.fol.93.col.1. 13.

Assumit alios septem spiritus nequiores se: Vide quam in præceps peccatum eat;nimirū, qui rimam prius quærebat, septemplicem iam malitiam inuehit: quia à minimis incipiunt,qui in grauissima prolabuntur.c.1.vers.10.adn.5.n.3.fol.123.col.1. 14.

Extollens vocem quædam mulier. En inter scribas legis, & sapientes sæculi qui verè insipientes, & contemptibilis, & ignara mulier,quæ verè sapiens fuit;quippe quæ Dei opera ab illis ignorata, atque despecta agnouit; nimirum,vera scientia sine charitate 15.

ritate nequit inueniri,cap.1.verf.9.adnot.5.à num. 1.fol.98.col.2.

FERIA II.

1. *Quanta audiuimus facta in Capharnaum? fac & hic in patria tua.* Inefficax argumentatio: Decet enim Principem in omnes esse beneficum;nec beneficia sua in vnum omnia coaceruare:sic ergo dona sua partiri voluit,vt Nazareth eo honore afficeret,vt in ea nasceretur,Capharnaum, vt in illa miracula ederet, eo modo, quo & de fœmina nasci voluit, vt virumque sexum honoraret: id in hanc sententiam dicente August.lib.16.cont. Faust. cap. 7. *Cur autem carnem ex vtero fœminæ assumere voluerit? quod vtrumque sexum hoc modo honorandum iudicauerit,assumendo formam viri,& nascendo de fœmina*,c.1.verf.8.adnor.3 tota,fol.83.col.1.

2. *Fac & hic in patria tua:* Mala illatio,præsertim cum Capharnaum interpretetur,*ager Spiritus sancti*: Ac si Dominum patria,siue caro, & sanguis æquè ac virtus,atque iustitia mouere debeat,ad dona sua impertienda,cap.2.verf.6.adnot.6.num.8. & 9. fol. 359.col.1.

3. *Fac & hic in patria tua:* Non longe hæc argumentatio ire videtur ab illa mali latronis: *Saluum fac temetipsum, & nos*, scilicet, quod Capharnaum digna esset Dei donis;similia etiam posset indignum Nazareth oppidum percipere,c.2.verf. 9. adnot. 2. num.9.fol.509.col.2.

4. *Amen dico vobis,quia nemo propheta acceptus est*, &c. Quare acceptus non est? Quia ibi potissimum inter conciues inuidia regnat; & meas manus, ad benefaciendum cohibet, vtpote pugnæ in Deum magistra,cap.1.verf.15.adnot. 1. num. 15. fol.207. colum.2.

5. *In diebus Eliæ quando clausum est cœlum*:Opportunè dies vltionis, & supplicij, Eliæ dies non suos vocat;quippe dum clauditur cœlum defecisse quodammodo Deus videtur,c.1.verf.2.adnot. 2. n.10. fol.36.col.1.Ad hæc dies Christi is propriè dicitur, cum benefacit,verf.10.adn.8.tota,fol.131.col.2.

6. *Annis tribus, & mensibus sex.* Cur non quatuor integros annos? Videtur vti clauis imagine,simulque indicare se inuitum cœlum claudere: vixque permitti claui,vt omnino claudat,quasi Deo, abusus,quam vsus sit supplicia inferre,eod.loco, nu.15. fol.124.col.2.& verf.13. adn. 5. num. 7.fol. 188. colum.1.

7. *Nisi in Sarepta Sidoniæ ad mulierem viduam*:Opponit illis hanc viduam, vt ex comparatione illius ostendat,cur inibi virtutes non faciat;quippe illam farinam pugillo,hoc est,verbum operatione metiebatur, cap. 1. verf. 9. adnot. 6. num. 5. fol. 103. colum.1.

8. *Naaman Syrus*:Quod quamuis Aulicus, & Dynasta esset;ambitionem deposuit,& Elisæo credidit, ac obediuit:secus ac alij Aulici,cap.1.verf.13.adnot. 2.num.12.fol.174.col.1.

9. *Super quem ciuitas eorum erat ædificata*:En Christum patriæ suæ amantem; qui cum mori venisset; noluit tunc inibi præcipitari;ne eius sanguine ciuitas supplantaretur; & à propriis sedibus corrueret, dum perfidi illi à propriis fundamentis eam diruere cogitabant,cap.1.verf.28.adn.2.tota,præcipuè n. 10.fol.176.col.1.& 2.

10. *Transiens per medium eorum ibat:* Vt vitæ, ac mortis Dominus;qui animam suam ponebat,& nemo ab illo auferebat,cap.2.verf.8.adnot.3.fol.449. colum.2.

11. *Ibat*: Per medium eorum triumphum agens: præualet enim in certamine virtus,cap. 1. verf. 11. adnot.2.num.3.fol.147.col.2.

FERIA III.

Quod si non audierit eos,dic Ecclesiæ: Vide quam cunctanter ad supplicium progreditur; vt discant iudices lento gradu ad sumendas de nocentibus pœnas incedere,cap.1.verf.13.adnot.5.à num.1.fol. 186.col.1. 1.

Si autem Ecclesiam non audierit,sit tibi sicut ethnicus,&c. Nimirum Christiani hominis character ex obedientia Ecclesiæ exhibita desumitur,c.2.verf.8. adn.4.n.12.ibi:*hunc notate*,fol.458.col.1. 2.

Quæcumque alligaueritis super terram,erunt ligata & in cœlo,&c.Cur qui dixit,*alligaueritis*, non dixit simili locutione, ligabo in cœlo?Quia videlicet à Deo valde alienum est malum inferre,ideo suam huic rei personam denegat,c.1.verf.10.adn. 8. n.9. fol.133.col.1. 3.

Si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re,&c. En Christianæ Ecclesiæ formam, & faciem mutuam charitatem,cap.2.verf.2.adnot. 1. nu. 3.& seqq.fol.293.col.1.En etiam Christianæ disciplinæ munimentum,& defensionem,cap.1. verf. 27. adn. 2.fol.266.col.1. 4.

Fiet illis à Patre meo:Debitorem se Deus mutuæ dilectioni agnoscit, & quasi ab efficaci syllogismo conclusus concordium orationi manus dare solet, ibi num.8.fol.294.col.2.Aliter non fiet illis, nu.7. fol.416.& n 9.fol.295.col.1. 5.

Vbi enim sunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum: non secus quidem ac vnus ex ipsis,tantæ,videlicet,dignitatis est charitas. Eadem adn.n.6.fol.294.col.1. 6.

Quoties peccabit in me frater meus,& dimittam ei, vsque septies? Leuia solum errata, & quæ à iusto committuntur à se ignoscenda esse volebat Petrus, nam *septies in die cadit iustus*, Dominus vero nullum charitati, atque patientiæ modum imponendum præcipit,& peccatori immensa criminum sarcina depresso, dummodo pedem referat veniam esse tribuendam,cap.2.verf.8.adnot.6.n.7.& seqq. fol.467.col.1. 7.

FERIA IV.

Quare discipuli tui transgrediuntur, &c. Christo hæc obiiciunt,vt eum stimulent,ac lædant:Sanè ita euenit; adeò enim suorum amans Deus est, vt qui illos læserit,ipsum etiam lædere videatur, c.2.verf. 2.adnot.3.n.10.fol.304.col.1. 1.

Quare discipuli tui transgrediuntur: Christum vt magistrum accusant, quod subditorum peccata à Prælatorum exemplo ortum ducere videantur,c.1. verf.13.adnot.3.n.6.fol.178.col.2. 2.

Quare discipuli tui, &c. Quid vestra id interest, cum ipsi variis vitiis impliciti sitis? occurrisse videtur Seneca: *Expedit vobis neminem videri bonum, quasi aliena innocentia exprobratio vestræ improbitatis sit*:apta illud Iob: *Numquid dies hominis dies tui*, cap.1.verf.15.adn. 1.n.11.fol.206.col.1. 3.

Non lauant manus: Vide cæcos homines de externis solum curantes, & interiora quæ pretiosissima sunt omittentes, quem quidem ad modum sæculares homines,siue politicos, & sapientes mundi videas de externis facultatibus perpetuo cogitantes, loquentes,disputantes; animam vero nihili facientes,c.1.verf. .adnot. n. fol. 4.

Non lauant manus.Vt videas quam exacta debeat esse innocentia Principum, & magnorū hominum, in quibus minutissima etiā errata conspiciuntur, & 5.

displicent,cap. 1.verſ. 13.adnot.3.num.10. fol. 179. colum. 2.

6. *Quare, & vos transgredimini mandatum Dei veſtri,*&c. Emphaſim habet verbum, *tranſgredior*, vtrobique poſitum:ſed hîc maiorem;ſignificat enim facilem gradiendi modum nulli impedimento obnoxium,vnde opportunè eos refellit Dominus,dicens. Quare & vos tanta facilitate Dei mandatum,quod in ſumma veneratione habere debebatis ; contemnitis? Apta id iis, qui tranſgrediuntur de iuſtitia ad peccatum,c.1.verſ.6.adnot.3.n.14.fol 66.col.1.

7. *Quare & vos tranſgredimini:* Non prius eos Dominus vt criminum in Deum reos increpauit,quam ipſi diſcipulos accuſauerint,ac læſerint,quod eadem peccata,quæ Deus ſua benignitate diſſimulat; tunc punire ſtatuit,cum ſuos ab illis peccatoribus offendi videt,cap. 1.verſ.28.adnot. 2. num. 10. fol. 276. col.1.& 2.

8. *Quare & vos tranſgredimini mandatum Dei veſtri propter traditionem hominum?* En curiarum malum , aulicorumque ingenium ! Dei mandata ob Principum libitum derelinquere,cap.1.verſ. 13.adn. 2.n.14.fol.246.col.2.& n.17.fol.176.col.1.

9. *Hypocritæ,benè de vobis prophetauit Iſaias dicens: Populus hic labiis me honorat ; cor autem eorum longe eſt à me:* Obſerua peculiarem hypocriſis deſcriptionem;cum Deo ſiue labia,ſiue externa bona, negato corde , vis tribuere. Sanè ſi dederit homo omnem ſubſtantiam domus ſuæ,præ dilectione deſpiciendo deſpicient eum,cap.1.verſ.3.adnot.1.nu.11.fol.41. colum.1.

10. *Populus hic labiis me honorat* : Vrget hæc verba Ambroſ.vt moneat,nonniſi egregios ſermones qui ad laudem Dei cedant,fideles loqui:*Iudæus vel labiis:tu nec labiis*,cap.1.verſ.10.adnot.7.num. 7.fol. 128.col.2.

11. *Cor autem eorum longe eſt à me* : Grande malum longe à vita , & fonte benedictionum eſſe ; quos enim fructus niſi miſeriæ , & infelicitatis ager hic ferat ſine Deo,à quo omnis iuſtitiæ fructus , cap.1. verſ.11.adn.3.fol.154.col.2.

12. *Cor autem eorum longe eſt à me :* Quid illis boni ſupereſſe poſſit , qui cor ſuum ad Dei nutum non componunt:illa quidem ſumma felicitas cenſeri debet , cum hominis cor iuxta Dei cor eſt ; eo modo quo ipſe dicebat de Dauide : *inueni virum iuxta cor meum qui faciat omnes voluntates meas* qui videlicet ea probet,& amet,quæ probat Deus , ea oderit , & execretur,quæ Deus odit:ita dicebat Tertul.lib.de pœnitent.c.4.*Pœniteat amaſſe , quæ Deus non amat, quando nec nos quidem ipſi ſeruulis noſtris ea quibus offendimur,non odiſſe permittimus:Obſequij enim ratio in ſimilitudine animorum conſtituta eſt* , c. 2. verſ.5. adnot.1.n.1.fol.327.col.1.

13. *Cor autem eorum longè eſt à me* : Seruilem ipſorum animum,& conditionem,necnon quam longe eſſent à regia ſponſarum Dei dignitate ; quæ ſe totas Deo dedunt ; his verbis oſtendit , cap.1.verſ.1. adnot.2.à num.1.fol.12.col.1.

14. *Omnis plantatio , quam non plantauit pater meus cæleſtis,eradicabitur.* Vide quid agas ; quantumuis in terra radices egeris,diuitias acquiſieris ; honores, & gloriam fueris adeptus.niſi Deum auſpicem,atque adiutorem habueris;hæc omnia quàm citiſsime euaneſcent,& funditus corruent,cap.2.verſ.6.adn. 6.num.9. fol. 363.col.1.

15. *Sinite illos,cæci ſunt* : Emphaticè dictum ; vtpote de ægris deſperatis , & incurabilibus : at dicat non nemo : imo verò , quia cæci ſunt , eorum miſeriæ condolendum , atque ipſis lumen videbatur offerendum : Sed animaduerte;non eſſe naturalem,ſed voluntariam eam cæcitatem , qua lumini rebelles eſſe volunt,cap.1.verſ.9.adnot. 5. num. 9.fol.100. colum. 2.

Cæci ſunt. Quantumlibet quis ſapiat, ſi ſibi non ſapiat,& virtuti incumbat,cæcus eſt , & manu tentans. Eadem notat.num.3.fol.99.col.1. & adnot. 1. num.6.fol.95.col.1. 16.

Et duces cæcorum: Qui ſubditi cæci non ſint,qui cæcos duces habent ? cum vita Principis norma ſit, ad quam cæteri dirigantur,c.1.verſ.13.adnot.3.fol. 177.col.1. 17.

De corde exeunt: Quippe hinc in vtramque partem aquæ curſus deriuatur:nec corde impuro quidquid Deo obtuleris,gratum eſſe poſsit : benè Tertull.agens cum ethnicis in Apologet.cap.30.*Miror cum hoſtiæ probantur penes vos à vitioſiſſimis Sacerdotibus,cur præcordia potius victimarum , quam ipſorum ſacrificium examinentur:*cap.1.verſ. 3.adnot. 1. num.7.& 11.fol.40.col.1. 18.

Cogitationes malæ,homicidia,adulteria,&c. Vt diſcas crimen ab ipſo principio plectere,& naſcentem cogitationem ac concupiſcentiam extinguere : ne ſerpat,c.1.verſ.10.adnot.4.n.13.fol.123.col.1. 19.

F E R I A V.

Socrus autem Simonis tenebatur magnis febribus. Ambroſ. *Variis criminum febribus caro noſtra languebat , & diuerſarum cupiditatum immodicis æſtuabat illecebris:* Accurata vero locutione dixit Lucas: *tenebatur magnis febribus* , quippe cupiditates nobis dominantur ; ipſæque nos habent ſibique ſubiiciunt : Quare ſtatim de ipſa febri inquit Euangeliſta , *& dimiſit illam.* Perplaceret vero hic dicendi modus Senecæ epiſt.8. dictis: *Quiſquis noſtrum tutam agere vitam volet , quantum plurimum poteſt,iſta viſcata beneficia demitet , in quibus hoc quoque miſerrimi fallimur , quod habere nos putamus , habemur.* Et epiſt.119. in hanc opportuniſsimam ſententiam: *Sic diuitias habent , quomodo habere dicimur febrem, cum illa nos habeat,è contrario dicere debemus. Febris illum tenet. Eodem modo dicendum eſt. Diuitiæ illum tenent.* Vide c.1.verſ.1.adnot.6.n.10.fol.22.col.1. 1.

Surgens: Maior,videlicet , & altior ex tribulatione quam fuerat perpeſſa,cap.1.verſ.29.adnot.3.nu. 7.fol..col.2

Surgens miniſtrabat illis: Obſerua tempus,in quo huic fœminæ reddidit Dominus ſanitatem , nimirum hora prandij ; vt innueret illud ſibi ſuauiſsimum eſſe epulum,atque delitias,cum benefaciendi occaſionem nactus fuiſſet,cap. 2. verſ. 9. adnot. 8. num.9.fol.535.col.1. 2.

Cum autem Sol occidiſſet , omnes qui habebant infirmos,ducebant illos ad Ieſum : Pulchrè,*cum Sol occidiſſet* , qui pater mundi , & fons vitæ eſſe dicitur, fol.760.col. 1. Vt cum mundi Sol occidiſſet , tunc orietur Sol iuſtitiæ,& ſanitas in pennis eius ; tunc videlicet diuinum auxilium indigentibus præſto eſſet,cum humana omnia defeciſſent,cap.1.verſ.19. adnot.vnic.à num.4.fol.218.col.1. 3.

Cum Sol occidiſſet. Quam fidum præceptorum ſuorum cuſtodem inuenias Dominum , qui vt humanas laudes fugeret , & popularem plauſum declinaret, nonniſi poſt ſolis occaſum beneficia , & ſanitatem conferebat , vt noctis tenebris egregia opera inuolueret,ne viderentur ab hominibus, cap. 2.verſ. 3.adnot.1.n.5.& 6.fol.315.col.1. 4.

Increpans non ſinebat ea loqui : Quare? reſpondet Tertull.lib.4.aduerſ.Marc.c.8. *Quia præmiſerat,per quos poſſet agnoſci,& vtique digniores prædicatores,illius erat,præconium immūdi ſpiritus reſpuere,cui ſancti abundabant.* 5.

abundabant: Nimirum, non sapientia, & doctrina solum, sed virtute, & probitate vitæ, doctoris & concionatoris ratio,& forma constat, cap.1. vers.9. adnot.5.à num.1.fol.98.col.2.

FERIA VI.

1. *Fatigatus ex itinere.* Itane Dei virtus fatigetur? ita quidem,quippe languores nostros ipse tulit,hoc est,ad se transtulit:cap.2.vers.8.adnot.5.nu. 6.& 8. fol.652. Quod si ipse tui causa fatigatur, opus est vt & te ipsum tu fatiges ,& ei defatigationem persoluas,eod.vers.adn.7.tota,fol.469.col.1.

2. *Fatigatus ex itinere sedebat sic.* En Dei Saluatoris naturam,& ingenium,en ipsius vias,& artes, vt nimirum opem,& salutem afferat,cap.2.vers.9.adnot.7.n.7.fol.534.col.2. vnde quidem ex occasione benefaciēdi ipsius defatigationem, aut requiem; lætitiam,& satietatem,siue tristitiam,& sitim facile elicies,cap.1.vers.2.adnot.2.n.7.& 14.fol.35.col.2. & fol.53.col.1.& rursus dicta adnot.7. capitis secundi n.1.ad fin.fol.532.col.2.

3. *Mulier Samaritana*:Quæ populorum congregatio? Aut quæ gentium multitudo? vt propter ipsam Dei filius fatigetur. Ita ne ob vnam mulierculam fatigatur Christus?Ita quidem, quod quælibet anima non minus chara ipsi, quam vniuersorum animæ sit,c.1.vers.3.adnot.3.fol.44.col.2.

4. *Da mihi bibere*: Discant hinc principes faciles,& affabiles ad expedienda negotia sese exhibere,ecce Dominus domo egreditur, vt cum muliere hac de illius animæ negotio agat,cap.1.vers.13. in expositione literæ,n.1.& 2.fol.164.col.1.

5. *Da mihi bibere*: Quam aliter à veteri parœmia: *Lassus iurgium quærit*: fatigatus modo Christus amicitiæ occasionem quærit, & ideò tam leuem accipiendæ aquæ ansam arripit: optime Salomon, *benignus est Spiritus sapientiæ*, Græcè φιλάνθρωπος, quo nomine vocatur herba,quam Hispani dicimus: *El amor del ortelano*;quod sese vestibus opportunè applicet,cap.2.vers.7.adnotat.6. num. 8. fol. 394. colum.1.

6. *Da mihi bibere*: Non tam ardua, difficilia opera pretiosamvé supellectilem, quam puram intentionem à te exigit Deus;ideo caprarum pilis,& minutissimis etiam rebus gaudet,cap.1.vers.11. adnot. 4. num.7.fol.159.col.1.

7. *Quomodo tu Iudæus cum sis,bibere à me poscis,quæ sum mulier Samaritana?*Quid refert?An ne humanitatis lex eiusdem solum regionis homines respicit,& non potius cuiuis, dum homo sit, miserendum,& benefaciendum esse præscribit,cap.2. vers. 2.adnot.4.fol.304.col.2.

8. *Si scires donum Dei*: Hoc est, si scires diuinæ benignitatis affluentiam; si nosses diuinæ naturæ bonitatem, & ingenium ad benefaciendum summe pronum,cap.1.vers. 2.adnot.2.n.4.fol.35. col.1.

9. *Et ille dedisset tibi aquam viuam.* Quid? modo petebas Domine, modo ad accipiendum inuitas? tam cito à petitione defecisti,& ad dandum te conuertis?Sanè ea sæculi consuetudo est,vt dona inuidiæ sint,quibus accipientis animus capiatur.Christi verò petitiones, ansæ sunt vt occasionem benefaciendi habeat,c.2.vers.7.adnot.3.n.5.fol.381. col. 2.& num.7.fol.382.col.1.

10. *Et ille dedisset tibi aquam viuam*:Eam videlicet, quæ implacabilem animi tui sitim exstinguat: vt ipsamet mulier videtur intellexisse inquiens: *Da mihi hanc aquam, vt non sitiam*: hoc siquidem inter Deum verum, & falsa mundi idola siue bona inuenitur discrimen, quod hæc sitim augeant, ille verò restinguat,cap.1.vers.3.adnot. 1. num. 4. fol. 39.col.2.

Domine da mihi hanc aquam. Quam vrbane modo, quam reuerenter Dominum alloquitur, qui paulò ante inurbane, atque inciuiliter dixerat, *tu Iudæus cum sis*:nimirum,modo petit, & Christi ope indiget,sic apud homines,præsertim apud aulicos, variatur pro libito,& vtilitate propria iudicium, c. 1.vers.13.adnot.2.n.vltim.fol.176.col.2. 11.

Omnis qui biberit ex hac aqua,sitiet iterum: Vide mundi bona qualia sint,nimirum ex puteo alto cum labore,& defatigatione hauriuntur: *Non enim habet fortuna longas manus* (inquit Seneca) *neminem occupat nisi hærentem sibi*: Et post hæc sitim non extinguunt,quare?quia ad locum,vbi sitis est, non perueniunt: ad animum scilicet, in quo vacuitates sunt;nempe sua fames,& sitis,cap.2. vers. 7. adnot. 10.n.3.& 4.à fol.422.col.1. 12.

Voca virum tuum. Quid marito opus fuerit, vt aquam mulier accipiat? Sanè ea circunspectione mulier nupta agere debet, vt nec paululum aquæ ab extraneo nisi marito præsente accipiat, quippe munera subuertunt animos: apta nonnulla ex iis, quæ de hac re habes cap.2.vers.7.adnot. 3. à num. 11.fol.383.col.2.ad fin. 13.

*Discipuli eius abierunt.*De industria eam temporis opportunitatem,cum discipuli abierant obseruauit Dominus, vt eam criminis argueret, vt non modo salutis, sed etiam honestæ cicatricis bonus chirurgus curam ageret, cap. 1. vers. 1.adnotat.4. n.15.fol.18.col.2. 14.

SABBATO.

Perrexit Iesus in montem Oliueti, & diluculo iterum venit in templum, &c. Sic loca operibus suis Dominus distribuit,vt oraturus, montem; misericordiam verò præstiturus,templum peteret; quippe,qua Deus,non erat illi proprium orare:non enim pro se orabat, sed vt nobis impetraret, vt inquit Ambros. ideò oraturus ad montem, hoc est, extra propriam domum ibat;cum verò misericordiam,& beneficia volebat impendere,ad templum,tāquam ad propriam sedem deueniebat,quippe & illi proprium,& summæ voluptatis negotium,misereri, & parcere,cap.1.vers.2.adnot.2.num.6.fol.50. & nu. 15.fol.37.col.2. 1.

Iterum venit in templum: Relicta, videlicet, oratione,& quiete,vt saluandi,& benefaciendi negotium susciperet: propriis commoditatibus more optimi Principis publicis rebus posthabitis, cap. 1. vers.23.adn.2.num.3.fol.255.col.1. 2.

Inclinans se Iesus: Opportunissimè qui veniam adulteræ daturus erat,inclinauit se;vt illa staret,sic enim Ioannes statim,*& mulier in medio stans*, quia videlicet inde nos erecti stamus,quod Dei filius sese inclinauerit,atque exinanierit,cap.2.vers.7. adn. 2.num.10.fol.379.col.2. Et vero vt ea machina,de qua inibi agitur, tanto grauata pondere vehementer stridet:ita de Christi in cruce inclinatione dixit Leo serm.de Passione,*Cum ad tantam diuinæ maiestatis inclinationem totius mundi compago quateretur.* 3.

Inclinans se Iesus: Tunc maximè excelsus,& venerandus;quid enim gloriosius clementia,& benignitate?cap.2.vers.9.adnot.4.num.4.fol.515. col.1. & 2.& adnot.8.num.1.fol.536.col.1. 4.

Inclinans se:Vt aptissimè,& ad leges artis medicinam adhiberet,cap.2.vers.7.adnot.6.num. 2. fol. 391.col.2.& num.12.fol.395.col.2. 5.

Digito scribebat in terra:Licet in pauimento templi lapidibus constrato scriberet,opportunè in terra 6.

eum scripsisse, dixit Ioannes, quod videlicet in summa superficie, & puluere; accusationem illam siue peccata mulieris scriberet, vt videris quanta facilitate pœnitentis peccata dissipet, atque remittat, c.1. vers.10.adnot.8.num.18.fol.135.col.2.

7. *Digito scribebat.* Quid digito scriberet, nisi veniam, & absolutionem à peccatis? quippe Dei digitus Spiritus sanctus est; qui donum dicitur, cap.1. vers.2.adnot.2.num.4.fol.35.col.1.

8. *Incipientes à senioribus.* O rem turpissimam! seniores adolescenturire, & nec ab ipsa senectute cohiberi, c.1.vers.2.adnot.3.num.15.& 16. & 17. fol. 232.col.2.& seqq.

Dominica 4. Quadragesimæ.

1. *Sequebatur eum multitudo magna, quia videbant signa:* Imperfecta multitudo Christum vtilitatis causa sequebatur: cui videtur occurrisse Seneca, lib.4.de benef.cap.24. inquiens: *Non recipit virtus sordidum amatorem, soluto ad illam sinu veniendum est.* Et vero licet ipsis misertus Christus annonam tribuerit, at panis fragmenta colligere præcepit, vt soluto deinceps sinu venirent, nec in illo frustum panis absconderent, cap.1.vers.11.adnot.4. num. 6. fol.159.col.1.

2. *Cum subleuasset oculos, & vidisset, quia multitudo magna venit,* &c. Opportunissima Principis beneficentia, atque liberalitas eo dicendi modo: *cum subleuasset oculos,* expressa, quæ non eos solum, qui præ oculis, & manibus habet, sed illos qui longius sunt subleuatis oculis respicit; ne in vnum, aut alterum, sed in omnes sibi subditos beneficus, & liberalis sit, c.1.vers.8.adnot.3.fol.83.col.1.

3. *Et vidisset:* Non externis solum oculis, sed affectu; ideo in re simili apud Marcum 8.2. dixit: *misereor super turbam*, mollissimo, scilicet, viscerum affectu tactus, sic enim Græcè verbum, *misereor*, legeris apud Marcum, *euisceror:* cap.2. vers. 9. adnot. 7.num.6.fol.534.col.1.

4. *Et vidisset quia multitudo maxima venit ad eum, dicit ad Philippum:* Pende dictorum seriem: est enim sensus; vt vidit homines eius verbis allectos venisse, in eorum opem, & auxilium sese totum impendit: quia videlicet, diuinæ vocationi strenuè respondentibus maiora gratiæ auxilia Deus attribuit, c.1.vers.6.adnot.3.à n.3.fol.56.col.2.

5. *Vnde ememus panes?* Opportunè dictum ad tentandum Philippi animum: non enim dixit: erit ne prope hunc locum oppidum aliquod, quod misericordia motum nobis succurrat? sed, *vnde ememus?* hoc est: quonam modo nostris expensis multitudini huic subueniemus? nec enim id quæro, quod gratis occurrit, sed quod pretio nostro emitur, eo modo quo dicebat Dauid: *Nequaquam offeram Deo holocausta gratuita.* Sanè videas nonnullos de bonis communibus vrbis, aut oppidi largissimos donatores, de propriis vero valde strictos: ita 2. Reg. 12. dicitur *parcens sumere de ouibus suis:* Hispanè, *regateando*, quare dum in ipsum sententiam Rex protulit, dixit: *Ouem reddet in quadruplum, eo quod fecerit hanc rem, & non pepercerit:* Quid ais? imò verò *pepercit.* Non intelligis: est enim sensus, pepercit sumere de suis, de quibus rectè disposuisset; & non pepercit sumere de alienis, quibus maximè parcere debuisset: est enim commune bonum quid diuinum, cui proprium semper est postponendum, c.2.vers.4.adnot.1.num.13.fol.325.col.1.

6. *Ducentorum denariorum panes non sufficiunt:* Pulchrè: nam sine Deo, quantumcunque congesseris, non sufficiet ad satietatem: sic dixit Seneca: *Fortuna multis nimium dedit, nemini satis:* Salomon verò, *auarus non implebitur pecunia;* hoc est, non satiabitur, c.2.vers.7.adn.10.n.3.fol.422.col.1.

Ducentorum denariorum, &c. Non id dixit, quasi minus aliquid haberet, sed quasi nihil ipsi præter quinque panes, & duos pisces esset: est enim sensus: illud non sufficeret; quomodo paululum hoc satis erit? sed enim dum Collegij Apostolici inopiam, extremamque indigentiam ostendebat Philippus, diuinæ beneficentiæ, quæ tunc maximè succurrit, cum mundus deficit, viam parabat: adstat enim Dominus à dextris pauperis, vt ei videlicet, quia pauper est, opem ferat, cap.1.vers.19. adnotat. vnica, fol.217.col.1. 7.

Facite homines discumbere: Cur fecit discumbere? nonne cibum stantes sumere possent? vt innueretur, quam alia Dei gaudia à mundi voluptatibus sint; hæ enim fluxæ, atque inanes festinanter, & ex rapto sumuntur; illa verò nonnisi cum magna tranquillitate, & sedatissimo animo percipiuntur, c.1. vers.2.in expositione literæ, n.14.fol.27.col.2. 8.

Distribuit discumbentibus: Mediis, scilicet, Apostolorum manibus, vt in re simili Marcus 8. *Et dabat discipulis suis, vt apponerent turbæ:* vt nouerint Episcopi, & quotquot Christi patrimonium accipiunt, non ideo ipsis erogari vt apud se retineant, aut in consanguineos profundant, sed vt tam ipsis, quam pauperibus distribuant, & egenti turbę apponant, c.1.vers.8.adnot.3.n.17.fol.86.col.1. 9.

Colligite quæ superauerunt fragmenta: Potiorem substantiam (panes, videlicet, & pisces,) quam sibi ac discipulis habebat; indigentibus erogauit; sibi verò fragmenta reseruare voluit: sed enim contenti essemus si iam tu vel oppositum saltem feceris, vt tua nimirum substantia tibi reseruata, *quod superest date eleemosynam:* at verò aliter euenit, quippe clamat Amos: *Bibentes vinum in phialis, & optimo vnguento delibuti, & nihil patiebantur super contritione Ioseph:* hoc est, in delitiis, & noxiis cupiditatibus nimij, & supereffluentes; ad fratrum verò necessitates angusti: ô rem præposteram! Esset enim maximè consentaneum, vt voluptatibus nonnihil subtraheres, quod pauperi impertires: vnde Bern. de dilig. Deo: *Frænum tibi temperantiæ imponitur, ô homo, ne de bonis naturæ, libidini hosti animæ seruias, sed iustius, & honestius impendas consorti, non hosti: quia tunc amor tuus temperatus erit, & iustus, si quod tuis subtrahis voluptatibus, fratris necessitatibus non negetur:* Ac si diceret; si inæquali necessitatis gradu hinc fratrem, illinc hostem videres; cui quæso ordinata charitate subuenires? non dubium quin fratri: (sic S. Thom. 2.2.q.26.art.8.) ergo pauperem tuæ voluptati præferre debes, quippe ille frater, & caro tua; hæc vero dirus est hostis; quæ acre tibi bellum mouet: *carnalibus desideriis, quæ militant aduersus animam:* Aliter fratrem deseris, vt hosti opituleris, c.2.vers.2.adn.4. n.10.ibi. *Carnem tuam ne despexeris*, f.307.col.1. 10.

Colligite fragmenta ne pereant. Hinc collige quam sollicitus de tuæ animæ salute Deus futurus sit, qui fragmenta panis, quod à suis manibus ortum duxerit talem curam habuit, ne perirent: num animæ æternum duraturæ ad ipsius imaginem efformatæ, quam ipse tantopere diligit, vt pro ea mortem obierit, non erit maxime sollicitus? Tanti vitrum æstimet, quanti margaritam? c.2. vers. 7. adnot. 5. tota, fol.388.col.1. 11.

Et collegerunt duodecim cophinos fragmentorum. Quam larga Dei manus, quam bona conferta, atque supereffluens eius mensura, quæ ad mensuram non datur? Pulchrè Basil. Seleuc. orat. 33. *Nam si pro modo necessitatis dationem commensus fuisset, decoris illius* 12.

ius gratia adulterata esset. Habes plura cap.2. vers. 7.adn.3.tota,fol.380.col.1.

13. *Cum cognouisset quia venturi essent, vt raperent eum & facerent eum regem, fugit:* Nolebat subito, & quasi ex rapto ad regnum peruenire; vt exemplo esset ad munera non nisi per laborum,& meritorum gradus esse deueniendum,cap.2.vers.6.adn.5.nu.4. & num.6.fol.358.col.1.

14. *Illi ergo homines cum vidissent,* &c. Et statim: *Iesus ergo cum cognouisset quia venturi essent,* &c.Pende duas illationes particula illa, *ergo*, ab Euangelista notanter positas:vt enim prima innuitur Iudæorum gratitudinem pro alimento sibi exhibito; ita secunda ostendit Christum dum abscondit se ab eis, noluisse beneficium exprobrare, quippe *qui dat omnibus affluenter,& non improperat,* cap.2.vers.7.adn.3. num.5.& 8.à f.381.col.2.

FERIA II.

1. Vide feriam tertiam infra hebdomadam 1. Quadragesimæ.

2. *Quasi flagellum de funiculis:* Benè ipsorummet peccantium funibus,ipsi flagellantur; quia homo se ipsum damnat, & Deum ad se puniendum attrahit, cap.1. vers. 10. adnot.8.num.18.f.135.col.2.

3. *Quasi flagellum:* Non autem verum,siue proprie flagellum,quod dum temporaliter Deus punit; non tam punire, quam beneficio afficere videatur, vt peccatores ad se adducat,cap.1.v.29.adnot.2.f.283. col.1.

4. *Domum patris mei, domum negotiationis.* Sapientissimè dictum; quippe Dei templum,voluptas Dei dicitur,quod inibi misereatur, & propriam bonitatem ostendat: ergo *auferte* (inquit) *ista hinc*; ne Deus misericordiam suam non gratis,sed dato pretio,& quasi ex mercatura impendere videatur, c.1. vers.2.adn.2.num.15.fol.37.col.2.

5. *Zelus domus tuæ comedit me:* Cur comedit? vt indicaret à suo munere regi, & duci, & in illud se conuerti, vt cibus in manducantem, non verò è contra munus ab ipso manducari, & in proprios vsus redigi, cap.1. vers. 23. adnot.2. nu.4.fol.255. col.2.

6. *Quod signum ostendit nobis? soluite templum hoc.* Rectè Dominicæ potestatis signum Christi Passio fuerit; quæ ipsius diuinitatis index fuit, cap.2. v.9. adnot.3.tota,fol.510.col.2.

7. *Soluite templum.* Quomodo testes illi qui ex Christi persona dixerunt: *Possum destruere templum Dei, & tribus diebus readificare illud:* falsitatis arguantur, vide cap.2. vers. 9. adnotat. 7. num. 3. fol.533.col.2.

8. *Soluite templum hoc.*Nullum opportunius signum ad conuincendos hominum animos, quam Christi Passio, quod labores fortiter tolerati efficacissimum veritatis argumentum sint,cap.1.v.14.adnot.1. tota fol.195.col.1.

FERIA III.

1. *Iam die festo mediante, ascendit Iesus in templum:* Cur non in principio festi? respondet Theodoret. *Nam in principio festi,ÿs quæ festi erant, magis attendebant, vnde Christum postea attentius audierunt:* Vt videlicet, pluuiam daret in tempore; hoc est, doctrinam ea opportunitate,vt non morbo, sed medico interior præstetur auditus:cap.2.v.7.adn.6.n.12. ad fin.fol.395.col.2.

2. *Ascendit:* August. *Non quasi ad festum, sed quasi ad lucem: illi verò ascenderunt,quasi ad perfruendum delitiis diei festi, Christo vero ille fuit dies festus, quo passione sua redemit mundum,*cap.1.v.7.adn.3.nu.10. fol.75.col.1.

Quomodo hic: &c. Quare eum de proprio Iesu nomine non appellant? Quod nimirum lingua cor sequatur: ipsorum vero præcordia longe à salute, plena vero irrisione,& superbia essent, cap.1. v.10. adn.7.num.10.fol.129.col.2. 3.

Mea doctrina non est mea, &c. Dixit mea in primis de causa, quod illis verbis: *Quomodo hic literas scit,cum non didicerit:* notari ab aduersariis videretur; ipsum aduersus humilitatis leges prius docere, quam didicisset: vnde hic videtur esse sensus, ego non trado doctrinam propriam, sed quæ Patris mei sit: alioquin si ex me ipso docerem; non renuissem prius didicisse: quippe ex humilitate dignoscitur Magistri doctrina,cap.2.vers.5.adn.1.num.3.f.328. col. 1. atque ad Magistri dignitatem, non nisi per humilitatem itur, cap.2. vers.9.adnot.7.n.7. f.130. col.2. 4.

Mea doctrina non est mea, &c. De more gloriam omnem,& honorem Patri defert, cap.2.v.6. adn.2. num.5.fol.345.col.1. 5.

Qui autem quærit gloriam eius,qui misit illum, hic verax est,& iniustitia in illo non est: Tacite eos, qui inanem gloriam quærunt mendaces appellat,& iniustos, quod gloriam mundi, quæ nihil est cupiant; Deoque honorem furari velint, cap. 2. vers. 3. in comm.num.8.& seq.fol.310.col.1. 6.

Nemo ex vobis facit legem. Quæsita locutione, *facere legem*, dixit, pro *seruare legem*; quod non auditores, aut commentatores; siue scribæ legis, sed factores legis,qui illam in operibus expressam ostendunt,iustificantur apud Deum, cap.1.vers.9.adn.7. nu.1. f.104.col. 2. 7.

Dæmonium habes,quis te quærit interficere? Obserua stultissimam illationem; nam cum eorum cogitationes penetrarit; minime debuissent inferre illum habere dæmonium, sed potius Deum esse, qui abscondita cognosceret, & deprehenderet. Verum enim vero,vt diuinitatem, quam hostium malignitas ei denegauit; ipse efficacius adstrueret, in tanta contumeliæ, & opprobrij tempestate, sedatissimo animo respondit, vt ex patientia sua illius diuinitas appareret, cap. 2. vers. 9. adnot. 4. num.14.fol.518. col. 2. 8.

FERIA IV.

Quis peccauit? hic,aut parentes eius, &c. Mundanus, siue barbaricus error, existimare, non nisi ob peccata tribulationes hominibus aduenire; sic barbari Melitenses cum Paulum à vipera videbant percussum, dicebant: *Hic homo peccator est, vltio non sinit eum viuere:* Certè non ea grauior vltio foret; imò verò illa grauissima si sineret eum viuere,quippe *ad diem perditionis reseruatur malus*, vt saluet sortem cum puluisculo, cap.1.vers.21.adn.5.nu.13. fol.240.col.1. & vers.29.adn.2.nu.5.fol.401.col. 2. Iustus verò sæpius à Deo affligitur, vel vt in officio contineatur; vel vt in virtute proficiat, cap.1. v.7. adnot.1. num.11.fol.69.col.1. & vers.29. adnot. 3. fol.403.col.2. 1.

Vt manifestentur opera Dei in illo: Quis inficiari id valeat? cum ad leges artis omnes Deus condiderit creaturas? ideo à Salomone artifex appellatur, Sapient. 9. *Non attendentes, quis esset artifex:* Vnde scite Chrysolog.serm.48. ad ea Iudæorum de Christo verba. *Nonne hic est filius fabri?* inquit: *Sed illius,qui mundi fabricam non malleo fecit, sed præcepto:* In quo ergo huius operis (cæci, videlicet, à 2.

natiuitate) perfectio consistat? *Sane, vt manifestentur opera Dei in illo:* Vt videas omnium bonorum operum perfectionem inde desumi, quod ad Dei gloriam dirigantur: aliàs manca erunt, & imperfecta, cap. 1. verf. 11. adnotat. 4. num. 5. folio 158. col. 2.

3. *Me oportet operari opera eius, qui misit me, &c.* Cur non dixit, opera mea? erant enim æquè ipsius ac Patris opera. Sane, vt omnia ad Dei gloriam referret, nec quæ sua, sed quæ Patris erant considerarct, cap. 2. verf. 6. adnot. 2. num. 4. & seq. fol. 345. col. 1.

4. *Eius qui misit me.* De industria missionem inculcat, vt Iudæorum inuidiam amoliatur, atque retundat, & eorum animos mitiget, ac sedet, cap. 1. v. 15. adn. 3. num. 4. fol. 210. col. 1. & c. 2. v. 4. adn. 1. nu. 8. fol. 323. col. 1.

Donec dies est: Nulla videlicet, requie, aut intermissione facta: *Creati in operibus bonis, vt in ipsis ambulemus, &c.* Cap. 1. verf. 11. adnotat. 1. num. 4. fol. 143. col. 2.

5. *Venit nox quando nemo potest operari:* Refer id potissimum ad damnatos, qui ex communi Patrum consensu, ideo ligatis manibus, & pedibus mitti dicuntur in tenebras exteriores, quod nulla illis potestas bene operandi insit: ita August. lib. de Vera religione, cap. 54. *hos significare arbitror, quod ligantur ei manus, & pedes, id est, facilitas omnis aufertur operandi:* Vide ergo modo, tu quisquis otiosus, & ad bona opera torpens es, cui te supplicio velis addicere, vt à damnatis vix latum vnguem eas, cap. 1. v. 11. adn. 1. num. 14. fol. 146. col. 1.

6. *Venit nox quando nemo potest operari:* Refero etiam ad diei crepusculum, hoc est, ad ipsammet mortis horam, in qua ab ipsa noctis caligine præoccupatus vix valeas reuerti ad Dominum: Vndè virgines fatuæ antequam illis post mortem occluderetur ianua, dicebant: *Lampades nostræ extinguuntur*, cap. 1. verf. 9. adn. 2. num. 11 fol. 93. col. 1.

7. *Expuit in terram.* Vide Iesum totum ad salutes; cuius & sputum vitale est, cap. 2. verf. 11. adn. 8. n. 7. fol. 534. col. 2.

8. *Vade, laua in natatoria Siloe:* Cur non statim cum medicinam Dominus applicuit, visum cæcus recepit? sed opus fuit illum se ipsum lauare? Quod ad salutem nostram, post diuinam vocationem curam nostram subinferri necesse sit, cap. 1. verf. 6. adn. 2. num. 3. fol. 56. col. 2.

9. *Lauit, & venit videns:* Quam facilis, & ad manum animæ nostræ medicina, & salus est, cum mundi bona non nisi maximo labore obtineri valeant? cap. 1. verf. 11. adnotat. 1. num. 13. fol. 145. col. 2.

10. *Ætatem habet, ipsum interrogate:* O malam sæculi prudentiam! Veritatem optime norunt, nec eam defendere; aut pro ea verbum vnum loqui audent, ne vel leuem temporalium rerum iacturam faciant; hac sane de causa prudentiam simplicitati Dominus commiscuit; ne simplicitas, sine prudentia deciperetur; & prudentia sine simplicitate noxia, & exitialis esset, cap. 1. verf. 9. adn. 3. num. 3. f. 94. col. 2.

11. *In hoc mirabile est, quod vos nescitis vnde sit, & aperuit oculos meos.* Pulchrè eorum duritiem confutauit, ac si diceret; est quidem hoc nouum, & insolentius miraculum: vos penes quos tota literatura, & sapientia est, tanto lumini rebelles esse, nec tanto prodigio moueri. En superbiæ miracula, dum sapientes scientia inflati, & charitate destituti quo magis attolluntur, colliduntur peius, nec id videre valent, quod is qui ante duas horas cæcus erat; optime intuetur, cap. 1. verf. 9. adnot. 5. num. 11. fol. 100. cap. 2.

Quod vos nescitis, &c. Quod si nosse velis, vnde hæc tam pertinax cæcitas adueniat: respondebo ex Seneca lib. 1. quæst. natur. cap. 3. *Quidam hoc genere valetudinis laborant, vt ipsi sibi videantur occurrere, vt vbique imaginem suam cernant.* Quod à visus imbecillitate prouenire statim confirmat. Ergo, dum se ipsos solum, suaque semper intuentur; propria præoccupati imagine, quæ suis continuo obuersatur oculis, aliorum facta, quantumuis diuina sint videre non possunt, cap. 2. verf. 6. adnotat. 2. numero 9. fol. 346. col. 1. 12.

Audiuit Iesus, quod eiecissent eum foras: Grandis felicitas hominem mundo inuisum esse; Dicebat Paulus, *mihi mundus crucifixus est, & ego mundo*, hoc est ille mihi inuisus, & ego illi infensus sum: non modo vt, *duplicata insensibilitate*, vt explicat Chrys. longius ab eo fiam, sed etiam, quod vbi mundus deficit, Deus succurrit, cap. 1. v. 19. adnotat. vnic. fol. 217. col. 1. 13.

Credo Domine, & procidens adorauit: Bene fidem suam adstruxit, dum opera subicit, quippe ex ipsis illa probatur, dicente Iacobo: *Ostende mihi fidem tuam sine operibus, & ego ostendam tibi ex operibus fidem meam.* Vnde quidem in die iudicij reprobis, ac si fidem non habuissent, dicitur. *Nescio vos:* quod videlicet dum coram iudice, qui secundum allegata, & probata iudicare debet, lis vertitur, ipsi quod fidem suam non probauerit damnentur: apta quod habes cap. 1. verf. 9. adnotat. 6. num. 3. & 4. fol. 102. col. 2. 14.

Credo Domine, & procidens adorauit: Recta fides, charitati commixta: vis videre charitatis signa? *procidens* (inquit) *adorauit*: hoc est ad Domini pedes se demisit: est enim hæc charitatis natura amati pedibus succumbere, cap. 1. verf. 1. adn. 3. tota, fol. 14. cap. 2. 15.

Credo Domine, & procidens adorauit eum: Quam opportune, & cito gratitudinis officium persoluit: quo quidem Deus maximè delectatur: Scitè enim Augustin. *Nunquam inops, & gaudes lucris; non feneraris, & vsuras exigis*: Quare *non feneraris*? quia *si* homo *bene egerit, quid donabit ei*? Gaudet vero lucris, & vsuras exigit, quia hominis salus, lucrum est Saluatoris, cap. 2. verf. 10. adn. 8. num. 3. & seqq. fol. 132. col. 1. 16.

FERIA V.

Ibat Iesus in ciuitatem, &c. Cur dixit *ibat*, non *iuit*? Vt ea imperfecti temporis locutione indicaretur, Christum à benefaciendo nunquam cessasse; sed omnes illius gressus ad vitam indesinenter dandam tendere, cap. 3. verf. 9. adnotat. 7. num. 7. folio 534. col. 2. 1.

Ibant cum illo discipuli eius: Notanter cum eo ad salutem, & vitam dandam eunte, eius discipuli ire dicuntur, quod tunc maximè Christi discipulum se exhibet, quisquis in proximorum salutem incumbit, cap. 2. verf. 9. adn. 9. num. 5. fol. 541. col. 1. 2.

Cum autem appropinquaret portæ ciuitatis; ecce defunctus. Emphatice ad nostri institutionem obseruatum: vix hominem vitæ portam ingredi, cum mors ipsi occurrit, cap. 1. verf. 21. adn. 3. n. 14. fol. 232. col. 2. 3.

Ecce defunctus efferebatur: Pende vitæ, & mortis occursum, vt noueris eadem via qua ad tribulationem duceris; versis passibus consolationem, & auxilium tibi occurrere, non secus ac Dominus mæstissimæ huius defuncti matri obuiam ibat, cap. 1. verf. 19. 4.

vers. 19. adnotat. vnic. num. 5. & 6. folio 218. col. 1. & 2.

5. *Quam cum vidisset Dominus*, *&c.* Statim misericordia commouetur; nec oculos viduæ exspectare facit, quippe gratuitum de Deo munus, & facile. Vide Cyprianum, & Arnobium, cap. 1. vers. 6. adn. 1. num. 2. ad fin. fol. 51. col. 2.

6. *Tetigit loculum.* Benè Ambrosius, Christi crucem hoc loculo figuratam fuisse dicit; vt vndè mors oriebatur, inde vita resurgeret. Vide cap. 2. vers. 8. adn. 5. fol. 458. col. 2.

7. *Et cœpit loqui:* En nouæ vitæ egregium signum, incipere loqui; eo, scilicet, modo, quo eum, qui vitam à Deo accepit, decet, cap. 1. vers. 10. adnot. 7. num. 3. fol. 128. col. 1.

8. *Et dedit illum matri suæ.* Vt nimirum, de manu Domini iam acceptum; & absque discrimine possideret; cap. 2. vers. 6. adnot. 6. num. 4. ad fin. f. 361. col. 2. imò verò tunc matris esset, cum Dei fuisset; apta id quod habes cap. 1. vers. 1. adnot. 4. num. 5. fol. 16. col. 1.

FERIA VI.

1. *De castello Mariæ, & Marthæ*, &c. Vide quam latè diuulgentur primariorum hominum infirmitates, & mortes, cap. 1. vers. 13. adnot. 3. num. 2. f. 177. col. 2.

2. *Maria autem erat, quæ vnxit pedes Domini:* Notanter id additum, vt innueretur; peculiarem apud Deum gratiam, & amicitiam non impedire quominus ad iusti domum labores, & tribulationes perueniant; imò verò iustos vitæ probitate illas promereri, & à Deo obtinere, cap. 1. vers. 29. adnot. 1. num. 10. fol. 282. col. 1.

3. *Infirmitas hæc, &c. sed pro gloria Dñi.* Ita ne humanæ infirmitates Deum glorificent? Et non potius valetudo, robur, & alia bona? Maximè; quòd humanæ miseriæ Dei misericordiam, & bonitatem ostendant, & extollant: in ipsis quippe consentaneam suæ magnitudini materiam Deus inuenit, c. 2. vers. 9. adn. 4. num. 3. fol. 514. col. 2.

4. *Mansit in eodem loco duos dies.* Quid? Num Lazari ægritudine, & sororum dolore Dominus non tangitur, & commouetur? qui duos inibi dies commoratus est; at lacrymæ, quas in illius morte postmodum effudit, enetrimum erga illas affectum satis ostendunt: ideo adstantes dicebant, *ecce quomodo amabat eum:* Certè si attendis ab hoc amore veniebat, vt mori illum fineret, quò subindè gloriosius resurgeret: Ita Paulus cum enumerasset quosdam è sanctis, qui effugerant aciem gladij, subdit de aliis, *alij autem distenti sunt, non inuenientes redemptionem, vt meliorem inuenirent resurrectionem:* vt videris non sine causa, sed pro maiori iustorum lucro ipsos à Deo tribulationibus vexari, cap. 1. vers. 29. adn. 3. num. 9. fol. 407. col. 1.

5. *Mansit in eodem loco duos dies:* Cur modo Domine Lazarum suscitaturus moras nectis? an vt corruptio, putredo, fœtor humanæ desperationi locum faciant? Amat sanè Deus deploratis iam rebus subuenire, cap. 1. vers. 19. adn. vnic. num. 10. f. 220. col. 1.

6. *Rabbi, nunc quærebant te Iudæi lapidare, & iterum vadis illuc?* Ita quidem, nam Princeps, cum de salute, & vita subdito danda agitur, mortem refugere, aut formidare non debet, cap. 1. vers. 23. adnot. 2. num. 7. fol. 256. col. 2.

7. *Lazarus amicus noster dormit:* Diem, videlicet, obierat: Mors ergo dulcis somnus, & laborum requies, lucrum, non damnũ, c. 1. v. 21. adn. 4. f. 233. c. 2.

Vado vt à somno excitem eum. Modestissimè loquitur, qui potuit dicere, vt à morte ad vitam reuocem, vt vitam infundam, &c. Est hæc magnorum virorum indoles potentiam, & splendorem suum cohibere, vt splendidius postea emicet: vndè subinde Patrem etiam summisse deprecatur, sed enim cum ad opem, siue ad Lazari suscitationem ventum est, non dixit: *Pater vita restitue*, aut in nomine Patris mei, veni foras, sed propria auctoritate imperauit, sic hæc notante Basilio Seleuciensi orat. 42. *Hoc eius sapientiæ est, verbis demissionem animi, factis potestatem demonstrare*, è contra nouitij nobiles, verbis se se extollere, & nobilitatem suam passim iactare solent, cap. 1. vers. 1. adnot. 1. num. 5. & seqq. fol. 8. col. 1. 8.

Vt à somno excitem eum: Explicauit quodnam amici (quo nomine Lazarum appellauerat) munus sit, nimirum, amicum dormientem excitare: hoc est, errantem admonere, vndè non benè respondebant discipuli: *Si dormit, saluus erit:* quod id ferè sonat, quod falsi amici, iis qui de amicorum probitate sunt solliciti, dicere solent, sine, ne illi molestus sis. Vide cap. 1. vers. 9. adn. 1. num. 3. fol. 88. col. 2. & vers. 8. adnot. 1. num. 8. fol. 79. col. 2. 9.

Domine si fuisses hic, frater meus non fuisset mortuus; Nota tacitam humanorum affectuum in Deum querimoniam: eò enim hæc ire videntur (quod ex Patribus nonnulli adnotarunt) vt Christum Martha tacitè obiurgauerit, quod serius, quam oportebat, aduenerit, cap. 1. vers. 21. adn. 1. num. 10. fol. 226. col. 1. 10.

Vt vidit eas plorantes, infremuit spiritu, & turbauit semetipsum: Vt videlicet hominem se, & humanitate circumdatum ostenderet, qui amicorum dolore, & calamitate tangeretur, vndè non tam constantem, quam durum, & inhumanum eum dixeris, quantumuis Princeps is sit, qui in aliorum calamitatibus non dolet, & cum flentibus non flet, c. 2. v. 2. adn. 4. num. 5. fol. 305. col. 2. 11.

Et lacrymatus est Iesus. En vitæ pericula, en mortis lucrum. Lacrymatur siquidè Dominus, quod eo Lazarum spoliare cogebatur, & à loco quietis ad palæstram ancipitis periculi plenam rursus reuocaret, cap. 1. vers. 21. adn. 4. tota, fol. 233. col. 1. potissimum vero adn. 5. num. 11. fol. 239. col. 2. 12.

Et lacrymatus est Iesus. Ita ne? cum tempus benefaciendi adest, Domine lacrymaris? Etiam, sed eâ ratione, quod vnum Lazarum, & non omnes mortuos ad vitam reuocaret, cap. 2. vers. 9. adnot. 8. num. 10. fol. 535. col. 1. 13.

Et lacrymatus est Iesus. Quid amplius Domine in generali omnium redemptione, & excitatione cum in cruce animam egeris facturus es? Vni ne Lazaro, quod omnibus, tribuis? ita quidem, quod quælibet suorum anima non minus ei chara, quam omnes sint, cap. 1. v. 3. adn. 3. num. 6. fol. 45. col. 1. 14.

Tollite lapidem. Admonitoria ad Prælatos vox est, vt subditorum onera ad se ipsos transferant, & opem omni ratione ferant, cap. 1. vers. 23. adnot. 2. num. 11. fol. 258. col. 1. 15.

Tollite lapidem. Quam magnum pondus perfert secum peccator: *deponentes omne pondus*, cap. 2. vers. 8. adn. 6. num. 5. fol. 466. col. 2. vnde qui *languores nostros tulit*, oraturus ad Patrem, ex hac ponderis consideratione procidit in faciem suam: apta quæ inibi habes, num. 2. & 3. 16.

Domine iam fœtet, &c. Modicæ, ac diminutæ fidei verba, quæ diuinæ potentiæ modum ac limitem videntur imponere, quasi non ita facile quatriduanum, ac hesternum defunctum suscitare Christus posset; sed enim quod ex bono animo Martha dixerit, 17.

dixerit, ne quatriduani mortui fœtor molestiam Christo afferret, leuissimè, imò & amice à Christo obiurgatur, *nonne dixi tibi*, &c. Quod operis anima, intentio sit; quæ ei nomen imponit; peccataque eleuet siue augeat, peior quippe est, qui concupiscendo, quam qui miserendo furatur, cap.1.vers.11. adn.4.n.3.& 10.f.158.col.1.& 160.col.1.

18. *Gratias ago, quia semper me audis*: Audiebatur quidem semper à Patre Filius; sed tunc signatè, cum aliorum curam gerebat; vt enim ipse hominum lacrymis; ita Pater eius precibus flectebatur: vt videas tunc potissimum rem nostram nos agere, cum aliorum vtilitati prospicimus, cap.2.vers.4.adnot.1. num.14.& 15.fol.325.col.2.

19. *Clamauit voce magna*. Singularis hæc virtutis prærogatiua est; coram morte audenter, & voce magna loqui, cap.1.vers.14.adn.2.num.7. fol. 200. col.1.

10. *Lazare veni foras*: Cur in Lazari suscitatione verbis est vsus, qui sola voluntate, aut nutu omnes posset mortuos suscitare? Nimirum, proprium optimi Principis est, salutares, & viuificatrices voces edere, cap. 2. vers. 9. adn. 7. nu.5. ad fin.fol.533. col.2.

21. *Lazare veni foras*. Basil.Seleuc.orat.42. Nec dixit. *Resurge, sed* veni foras, *ita cum mortuo disserens, ac si viueret. Quid cum hac virtute comparari potest?* Vide quomodo res mortuæ, & insensibiles, Deo obediant: tu ne insensibilior, & cadauere inanimatior eris? cap.1. vers. 1. adnot.2. num.5. fol.12. col.2.

22. *Sed cur Lazarum proprio nomine compellauit?* Ambros. *Ne alius pro alio suscitatus videretur*. Adeò debent Principes attendere, vt beneficia, ac munera non confuse, sed distinctè, & specialiter scientes quid, cui donent, distribuant, c.2.vers.9. adn.2.n.8. fol.509.col.1.

23. *Et statim prodit*: Disce obedientiæ promptitudinem, qua Deo omnia, etiam quæ mortua sunt obsequuntur, c.1.v.1.adn.2.nu.5.f.12.col.2.

24. *Soluite*. Ambrof. lib. 1. Hexam. cap. 7. *Qui potuit defuncto vitam dare, non potuit nexus vinculorum soluere?* Ita quidem, sed de industria ipsis Iudæis adstantibus, & de eius potestate dubitantibus soluere, & manibus tangere commisit, vt omnimoda miraculi veritas appareret, ac si diceret, si phantastica, & nugatoria hæc resurrectio fuisset, non prope; sed à longe Lazarum vobis ostenderem, at quia vera est; vestris manibus tractandum trado: Est hæc veritatis, & virtutis natura, quæ palam prodit, & angulos fugit, secus quidem peccatum qui clanculum agit, cap.1.v.14.adn.4.n.9.f.200.col.1.

25. *Soluite, & sinite abire*: Ac si dicat. Non sufficit ad vitam fuisse suscitatum, grandis modo restat via; vt nimirum qui manus, ac pedes ligata habuerat, extendat modo, & soluat, & in bonorum operum stadio currat: est quippe hæc Christianæ disciplinæ lex, vt creati in operibus bonis, in ipsis ambulemus, c.1.v.11.adn.1.num.4.f.143.col.2.

SABBATO.

1. *Ego sum lux mundi*. Opportune lucem se vocat, vt naturam suam beneficam, & se se hominibus offerentem, & communicantem ostendat, c.1. vers.2. adn.2.n.2.fol.34.col.2.& seqq.

2. *Lux mundi*: Chrysost.homil.51.in Ioann. *Voluit ostendere, quoniam non vnus Prophetarum est, sed dominator orbis terrarum, vnde dicitur*: Ego sum lux mundi, *non Galilææ, neque Palæstinæ, neque Iudææ*: Ac si diceret: si vnus ex Prophetis essem; huic vel illi terrarum angulo benefacerem; at quia omnium Dominus, & Princeps sum, omnibus indiscriminatim benefacere debeo, c.1.vers.8.adn.3.fol.83.c.1.

3. *Qui sequitur me, non ambulat in tenebris*. Quippe qui ad cœlestis, & diuinæ vitæ normam incedat, cap.2.vers.6.adn.1.à num.1.f.327.col.1.

4. *Sed habebit lumen vitæ*. Vt discas, quam sit tibi necessarium Christi lumen, & auxilium, sine quo viuum omnino cadauer fueris, cap.1.vers.6.adn.2. à num.4.fol.53.col.2.

5. *Sed habebit lumen vitæ*. Sed mundis tantum oculis, nam si sint oculi sani, erit illa lux tibi gaudium, si non sint sani, erit tibi tormentum, c.1.vers.9.adn. 7.num.3.fol.105.col.1.

6. *Lumen vitæ*. August. *Sequere istum Solem visibilem, si ipse tendis ad occidentem, quò & ille tendit: & si volueris tu illum deserere, ipse te deseret in occasu. Deus tuus vbique est totus; si non ab illo facies casum, nunquam à te ille faciet occasum*: quippe Deus prout à nobis tractatur, nos tractat, cap.1.vers.6. adnot. 4. num.12.fol.63.col.2.

7. *Ego non iudico quemquam*. Quomodo non iudicas, qui omninm iudex es? quia videlicet, se ipsum prius homo iudicat, se ipsum homo damnat, cap.1. vers.10.adn.8.nu.13.fol.134.col.1.

8. *Et si iudico ego, iudicium meum verum est, quia solus non sum*. Discant iudices ad damnandos reos, aliorum consilium non detrectare, cap. 1. vers. 13. adnotat.5.à num.2.fol.186.col.1.

9. *Nemo apprehendit eum, quia nondum venerat hora eius*: Nimirum, ipse non pro necessitate, sed pro voluntate mortem obibat, cap.2. vers.8.adnot.3. tota, fol.449.col.2.

Dominica in Passione.

1. *QVis ex vobis arguet me de peccato?* Suam innocentiam omnium oculis opportune exponit, probatque Christus, iam iam moriturus: vt ex ea Passionis, ac mortis suæ gloriam, & summum decus adstruat, quippe gloriosius nihil, quã eum qui nullius sceleris reus est, pro iustitia, & veritate, tormenta pati, cap.1.vers.7.adnot.2.n.4. fol.70.col.2.

2. *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Optima, & necessaria Redemptoris signa, omnimoda puritas, atque innocentia: Nam *si habuerit maculam, non immolabitur Domino*. Deuter.15.21.quippe Redemptor placare Deum debet, id autẽ qui præstare possit, qui ipsum habet iratum? Certè Martyrum mors non ad reconciliandum mundo Deum, sed in testimonium fidei pretiosa fuit, sic id monente magno Leone: *Quamuis in conspectu Domini cunctorum sanctorum pretiosa mors fuit, nullius tamen insontis occisio, propitiatio fuit mundi*; Ille enim vnus mundi propitiatio, siue propitiatorium fuit, qui puram innoxiamque ceruicem diuinæ iustitiæ gladio pro omnium peccatis subiecit. Vide c.2. v.8.adn.6.num.3. fol.465.col.2.

3. *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Illud benè obseruatum ab Augustino, lib.de nat.& grat.cont. Pelag. c. 14. de aliis egregiæ sanctitatis viris dictum fuisse: *conuersati sine querela*: de Christo verò sine peccato fuisse, nimirum, qui maiorem dignitatem, quam Samuel, aut Baptistæ parentes erat habiturus, maiori quam illi puritate, & meritorum splendore, fulgere debebat, c.2.v.9.adn.2.n.4.f.507.col.2.

4. *Si veritatem dico vobis, &c.* En optimum Concionatorem, siue etiam Consiliarium, qui veritatem aperto ore, & omnibus sine discrimine prædicet, cap.1.vers.13.adnot.1.fol.167.colum.2. En plurium sæculorum vitium, & infelicitatem, quòd veritas palam

palam non dicatur: Vndè Vates: *defecit sanctus: quare? diminutæ sunt veritates à filiis hominum*: hoc est, veritatem, non integrè, sed diminutè loquuntur: subdit, *Vana locuti sunt*: Ac si dicat, adulantur, & speciose mentiuntur, cap. 1. vers. 13. adn. 4. num. 4. fol. 187. col. 2.

5. *Quare non creditis mihi?* Vrgens ratiocinatio, & expostulatio; quam ex virtutis ore sæculi amatoribus proposuetis. Respondent tamen illi; ideò virtuti non credimus, quod æqualia nobis mundus bona promittat, cap. 1. vers. 1. adnot. 4. num. 10. fol. 17. col. 1. at ipsum falsa pro veris polliceri, vel inde coniice quod non palam, & ingenti ore, vt modo Christus, sed clanculum, & in secreto offerre audeat, cap. 1. vers. 14. adn. 2. num. 9. fol. 100. col. 1.

6. *Quare non creditis mihi?* Alibi ipsemet Dominus rationem reddidit inquiens: *sermo meus non capit in vobis*: siue *sermoni meo capiendo non sufficitis*: occupati, videlicet, sæcularibus curis, ac desideriis, cap. 1. vers. 21. adn. 2. num. 4. fol. 217. col. 1.

7. *Quare non creditis mihi?* Dixeris id Principibus, dixeris Dynastis: sed respondebunt, habere se alios qui aliam sibi veritatem huic absimilem annuncient: quippe, *vt Iannes, & Mambres*, præstigiis suis, falsisque miraculis, *restiterunt Moysi: ita & hi*, mali, scilicet, familiares, atque ij Theologi, siue sapientes, qui ad Principum gustum sapiunt, *resistunt veritati*, 2. ad Tim. 3. 8. vide cap. 1. vers. 13. adnot 4. tota, fol. 183. col. 1.

8. *Qui ex Deo est, verba Dei audit*: De humili loquitur, qui ex Deo est, hoc est, Patrem habet Deum, & ab eo ortum ducit; cap. 2. vers. 5. adnot. 1. num. 5. fol. 328. col. 2. vt è contra superbus ex diabolo est, *vos ex patre diabolo estis*. Ergo humilis verba Dei audit; hoc est, excipit, & suscipit, eo modo quo dicebat Vates, Psalm. 77. *Inclinate aurem vestram in verba oris mei*: vnde ibi August. *Ille pie attendit legem Dei; cuius aurem inclinat humilitas; non cuius erigit ceruicem superbia: quod infunditur, concauo humilitatis excipitur, eminentia tumoris expellitur.*

9. *Verba Dei audit*: Hoc est seruat, implet, exsequitur: dixit vero indefinitè, *verba Dei*; quod non satis sit Herodem imitari, qui Ioannem libenter audiebat, & audito eo multa faciebat; debuisset enim non solum multa, sed omnia etiam facere, cap. 1. vers. 9. adnot. 6. num. 4. & 5. fol. 102. c. 2. num. 5. fol. 103. col. 1.

10. *Nonne bene dicimus nos, quia Samaritanus es tu, & dæmonium habes?* Vndè locus? Quidve hactenus vidistis, aut audistis, quod dæmoniacum, aut Samaritanum, & non potius innocentem, sanctum, & Dei filium sapiat? Nimirum, non humanis, sed inuidiæ oculis, qui transuersi, & præposteri sunt, vident: ita de Saul Scriptura: *Non rectis ergo oculis Saul aspiciebat Dauidem*: & Chrysologus ad rem. *O qualiter oculos claudit liuor! quod tunc iudicium rationis malitia præiudicata confundit, quod vult, non quod audit, semperque decreuit errare*, cap. 1. vers. 15. adnot. 1. num. 7. fol. 205. col. 1.

11. *Et dæmonium habes?* Leontius apud Mald. eam reddit rationem, cur impij illi Christum, dæmonium habere dixerint, quod proprium dæmonum sit, gloriam Dei in se transferre, quod Christus facere videbatur, dum se filium Dei appellabat: Vnde Christus: *Ego dæmonium non habeo, sed honorifico Patrem meum*, vt videris, quam sit homine indignum, quamque dæmonis proprium, inanem gloriam quærere, cap. 2. v. 3. in comm. num. 8. fol. 310. col. 1.

12. *Ego dæmonium non habeo*. Mira Christi mansuetudo, atque patientia: non quidem quod ipsi egregia deesset fortitudo; atque is animi vigor, quo tumidissimos scribas increpare, & hypocritas dicere; necnon flagello percutere soleret; sed quod vt hæc in Dei negotiis tractandis opportuna, ita in propria causa patientissime, & modestissime se gerere multo opportunius, cap. 1. vers. 13. adnot. 1. num. 6. 7. & 8. à fol. 169. col. 1.

Ego dæmonium non habeo: Cur non etiam respondit Samaritanum se non esse? Quia videlicet, nihil *in eo* (vt inquit Mald.) *diuina gloria læderetur*; sed ad externum patriæ honorem pertineret: dæmonium vero habere ad peccatum referebatur: vnde hoc solum à se abiicere optimus rerum æstimator curat, externa illa pili non facit, cap. 1. vers. 10. adnot. 1. num. 9. fol. 110. col. 1. 13.

Ego dæmonium non habeo: Præterea consultissima prudentia; nulla acerbitate, sed summa lenitate respondit, vt vel hinc suam doctrinam, & diuinitatem efficaciter confirmaret, quippe, *doctrina viri per patientiam noscitur*, cap. 1. vers. 14. adn. 1. num. 4. f. 195. col. 2. 14.

Et vos inhonorastis me: Iustissima querimonia. Ego honorifico Deum; & inhonoror à vobis: cui enim debeatur honor, nisi ei qui Deum honorificat? Aut quod horribilius monstrum videri possit, quam in hominum oculis despectum esse: qui Dei gloriam & Reipub. bonum maxime quærit? vt inde elicias ad promerendum virtute honorem potius quam ad obtinendum; adnitendum tibi esse; nam si absque meritis Regum gratia, aut publicis honoribus potiaris, nullum tibi accessisse honorem crede, si vero hunc promerearis, nec ab hominibus obtineas, duplicatum à Deo accepturum certo scito, cap. 2. vers. 6. adn. 6. num. 7. fol. 358. col. 2. 15.

Inhonorastis me: Horrent autes Dei filium ab hominibus semel inhonoratum audire, nec aduertimus animo; sæpius nos ipsum inhonorare; nam *qui in lege gloriaris, per præuaricationem legis Deum inhonoras*: ad Rom. 2. 23. cap. 1. vers. 11. adn. 5. n. 10. fol. 162. col. 2. 16.

Ego non quæro gloriam meam, est qui quærat, & iudicet: Opportune non quærendam solum, sed iure asserendam, & vindicandam suam gloriam asseuerat Dominus, vel ea de causa quod ipse non quærat, est enim hæc gloriæ natura, vt sequentem fugiat, fugientem sequatur, cap. 2. vers. 3. adnotat. 1. num. 14. fol. 318. col. 1. 17.

Si quis sermonem meum seruauerit, mortem non videbit in æternum: Bene ex Euthym. Mald. *Non quod qui Christi verba seruauerunt, non sint vnquam corpore morituri, sed quod ita morituri sunt, vt non mori, sed renasci potius videantur*: cap. 1. vers. 23. adn. 1. nu. 2. & seqq. fol. 251. col. 2. 18.

Et non cognouistis eum, ego autem noui eum. Probat statim: *Scio eum, & sermonem eius seruo*, vt sit sensus Theophylacto, & Euthymio indicatus, inde constat me nosse Deum, vos non nosse; quod ego eius præcepta seruem, vos non seruetis, nam *qui dicit se nosse eum, & mandata eius non custodit, mendax est*, c. 1. vers. 9. adnot. 5. num. 1. fol. 98. col. 2. & adn. 6. tota fol. 102. col. 1. 19.

FERIA II.

Miserunt Principes, & Pharisæi ministros, vt apprehenderent Iesum: Qua de causa? Respondet Maldon. *Quia conuenarum turba in eum credens dixit*: Christus cum venerit, nunquid plura signa faciet, quam hic facit? Ioan. 7. 31. En totam rationem, quòd beneficus, vtilis, & Reipub. gratus fuerit: Tales enim inuidia persequi, & vexare solet, cap. 1. vers. 15. adn. 1. num. 5. fol. 204. col. 2. 1.

Adhuc

2. *Adhuc modicum tempus vobiscum sum.* Preme cum Ruperto,& Theophylacto,apud Maldon. particulam, *vobiscum:* sub hoc sensu. Volebant sacerdotes Christum abs te remouere, ac de medio tollere, quod eius magis in dies crescentem apud populum auctoritatem ferre non possent: volentibus igitur à se remouere, Christus opportunè dicit: *Adhuc modicum tempus vobiscum sum:* id est, non solum viuam,non solum in hoc mundo ero, sed etiam inter vestras versabor manus:vt non solum videris,quam spontanea voluntate pro arbitrio suo Christus mortem obierit, sed etiam sic nominibus quantumuis impiis, ac sceleratis adhærescere, vt illis abs te remouere eum volentibus ipse nolit discedere, sed apud illos esse, c.1.v.2.adn.2 n.13.f.37.col.1.

3. *Vado ad eum qui me misit:* Pulchrè dixit, *vado,* mortem suam profectionem,siue expeditionem appellans; quod nullis carnis,mundivè nexibus colligatus esset, vt discat Christianus nullas in terra radices agere,vt hinc expeditus discedat, cap.1.v.21. adn.3.num.6.f.231.col.1.& v.23. in expositione, à num.4.fol.247.col.2.

4. *Vado ad eum:* Notanter dictum, vt innueret mortem,reditum ad patriam nostram esse,vt discamus audenter, imò, & libenter mori. Indidem, num.6.fol.248.col.2.

5. *Ad eum qui me misit.* Nonne & ipse, qui vnam cum Patre voluntatem habet, propter nos & propter nostrã salutẽ descendit, ac proinde dicere potuisset, vado vnde veni, quod sibi honorificentius esse videbatur? Potuisset quidem eo dicendi modo vti, sed accuratã locutione maluit dicere ad eum, qui me misit, vt omni ratione, & modo gloriam Patri suo deferret, cap.2. vers. 6. adnot. 2. num. 3. fol.344.col.2.

6. *Ad eum qui me misit.* Vt ostenderet, omne vitæ curriculum à primo instanti, vsque ad vltimum in Patris obedientia à se fuisse consumptum, atque ideo vixisse, ideo nunc mori, quod Deus ita vellet, cap.2.vers.8.adn.4.fol.454.col.1.

7. *Quæretis me,& non inuenietis:* Qui id dici possit? stante ipsius Domini oraculo, *omnis qui quærit,inuenit,* Lucæ 11.10. Quod vt benè notauit Rupertus, post resurrectionem Christum Iudæi quæsierint, non vt crederent, sed vt maxime persequerentur, eiusque nomen abolerent, ideoque non inuenisse, quod abolere non potuerint: Eius,videlicet,nomine, & doctrina per crucem, & passionem firmatis, cap.1.vers.14.adn.1.num.3. fol.195. col.2. & cap.2. vers.9.adn.3.num.7.fol.512.col.2.

8. *Quò hic iturus est, quia non inueniemus eum:* Benè Maldon. *Nihil terra sublimius carnales homines cogitabant,de cœlo nulla apud illos mentio,nulla cogitatio:* ad plurium Christianorum morem,qui huic sæculo videntur addicti, cap.1. vers.11. adn.1.n.9. fol.144.col.2.

9. *Stabat Iesus, & clamabat.* Stare, & clamare, securi,& fidentis animi est; qui non nisi quod verum, & vtile audientibus proponat: Ita Christus, & qui eius nomine loquitur: secus mundus,qui per arcana quædam res suas mussitando ducit: secus diabolus qui in veritate non stat,Ioann.8.44. sed squammis repentibus lubricus illabitur, cap. 1. vers. 14. adn.2.num.9.fol.100.col.1.

10. *Si quis sitit,veniat ad me, & bibat.* Optime in die magno festiuitatis cum maior hominum omnis cõditionis,ætatis,sexusque concursus erat,componit se Christus cum rebus maximè publicis,& ad omnium vsum propositis, vt fonte, aut fluuio, vnde omnes, qui volunt, bibunt; tum vt ostendat, ita in vnumquemque hominum totam Dei beneuolentiam deriuari,ac si illius solum benefactor esset, cap.1. v.3. adn.2.num.3.& 4. fol.43.col.1. tum etiam,vt moneat Principes non in vnum, aut alterum, sed in omnes sibi subditos esse beneficos, cap. 1. vers. 8. adn.3.fol.83.col.1.

Veniat ad me,& bibat: Sitim alioquin nullo modo exstincturus, cap. 1. vers. 3. adnot. 1. num. 4. fol.39.col.2. 11.

Flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ: Magna emphasi de diuino spiritu fidelibus dando locutus, non flumen, sed flumina appellauit: vt abundantiam,siue exuberantiam ostendens,ad ipsum magno animo, & spatioso habitaculo suscipiendum,hortaretur, alia quippe Christianæ disciplinæ, ac veteris legis ratio & perfectio est,cap.2.vers.8.adnot.8.n.4. fol.476.col.1. 12.

FERIA III.

Non enim volebat in Iudæa ambulare, quia quærebant eum Iudæi interficere: Merito ambigas, cur timuerit Dominus in Iudæã propterea ire, quod vellent Iudæi ipsum interficere,cum nisi ipse vellet,interfici non posset? Respondent Chrysost.Theophylact. & Euthym. causam esse, quod voluerit se hominem ostendere. Vt videris egregiam Domini humilitatem, qui cum posset signis, atque prodigiis Deum se ostendere, maluit efficacissima argumentatione hominem se se, & humanam infirmitatem probare,cap.2.vers.5.adn.1.n.5.f.328.col.2. 1.

Dixerunt ad eum fratres eius: Transi hinc:& vade in Iudæam, vt & discipuli tui videant opera tua, quæ facis, &c. Et statim, *manifesta te ipsum mundo:* Nota quid caro,& sanguis suggerat:nec enim admonent, vt religionis gratia ad festum oraturus ascendat, sed vt gloriam, & nomen apud homines assequatur:scilicet,hæc parentes, & consanguinei optare, & mussitare solent: vndè opportunè August. in hæc verba. *Loquebatur caro carni, sed caro sine Deo, carni cum Deo. Loquebatur enim prudentia carnis verbo,quod caro factum est,* cap.1.vers.9.adn.3.nu.6. fol.89.col.2. 2.

Tempus meum nondum aduenit: Pulchrè: ac si diceret, nolo gloriæ, & clarificationis fructum, nisi opportuno tempore post laborem,& crucem decerpére, cap.2.vers.9.adn.1.num.4.fol.504. col.2. & 340. num.4.col.2. 3.

Tempus meum nondum aduenit: Quia videlicet, Agnus Paschalis erat, qui diem legitimum immolationis suæ expectabat, vt qui sponte mortem oppetebat, cap.2. vers.8. adnotat. 3. num.6.fol.451. col.1. 4.

Non potest mundus odisse vos,me autem odit: Disce mundi ingenium ex diametro cum Deo pugnantis; disce aulam,quæ mundus est,cap.1.v,13.adnot.2. à num.6.fol.171.col.2. 5.

Vt autem ascenderunt fratres eius, tunc & ipse ascendit,non manifestè,sed quasi in occulto. Illis ad gloriam ei calcar admouentibus, ipse in occulto de industria ascendit, vt populares plausus fugiat:cap.2. vers.2.adn.1.num.5.fol.315.col.1. 6.

Tunc & ipse ascendit: Non abs re interrogaueris,cur non statim Christus cum fratribus ascendit, eo ipso modo quo postea dicitur ascendisse? Respondet Mald. noluit eorum prauam de se opinionem confirmare: si enim tunc ascendisset,videretur ideo ascendere, vt humanam sibi pararet gloriam, quemadmodum illi desiderabant. Vt videris, quam mundum ab omni labe,labisve suspicione Dominus se custodierit,qui omnibus suppliciis,atque ignominiis se se vltro exposuit: quippe multo atrocius malum, 7.

oculis terribilia videntur. Vide cap.2. verſ.7.adn.7. num.1.& ſeqq.fol.396.col.2.

8. *Iudæi ergo quærebant eum in die feſto*: Qua occaſione Chriſtum Iudæi ibi quærerent, cum ipſe cum cognatis non aſcenderit? Reſpondent Auguſt. Cyrill.& Beda, ideo quæſiuiſſe, etſi neſciebant, an veniſſet, quia credebant eum, qui tantam ſanctitatem profiteretur feſto non defuturum. Nec mala quidem perſuaſio, atque illatio. Tam enim Principibus, (cap.1.verſ.13.adn.3.n.10.f.179.col.1.) quam perfectis viris nec minima vitij labes eſſe debet, cap.1. verſ.10.adn.3.fol.115.col.1.

9. *Nemo tamen palam loquebatur de illo propter metum*, &c. Vide imperfectos Chriſti aſſeclas, qui eius doctrinam erubeſcunt, cum aduerſus omnium hominum ſententias ingenti illam ore aſſerere deberent, c.1.v.14.adn.2.à n.1.fol.198.col.2.

FERIA IV.

1. *Facta ſunt encænia*, &c. Notanter Chriſtus iam iam moriturus encæniorum (hoc eſt, dedicationis ſiue vt alij volunt renouationis) feſto adfuiſſe dicitur; vt iam tunc in interiori animæ renouatione, & pulchritudine, ad quam ipſe ſua cruce, & Paſſione nos incitat, ſignate gauderet, c.2.v.8.adn.8. num.3. fol.476.col.1.

2. *Ambulabat Ieſus in porticu Salomonis*: Notanter in ſapientis illius æde, qui latitudinem cordis velut arenam, quæ eſt in litore maris, habebat, Chriſtus deambulare dicitur: patulum enim ipſe habitaculum requirit, cap.1.verſ.21.adn.2.num.7. fol.228. col.1.

3. *Et hyems erat, & ambulabat*, &c. Adeò ſalutares omnes Principis greſſus ſiue actiones eſſe debent, vt dum Chriſtus ambulare quin opem alicui ferret dicitur, ſignate voluerit præmittere Ioannes hyemis frigus, vt denotaret, non inaniter tempus terere, qui humanitatis infirmitati ambulans conſuleret. Adeò debet Princeps ſuorum vtilitati proſpicere, ſuaſque delicias contemnere, c.1.verſ.23. adnot.2.num.4.& ſeqq.fol.255.col.1.

4. *Et ambulabat*: Cogitabundus, ſcilicet, & de hominis ſalute ſollicitus: ſed quando hæc deambulatio primum cœperit; diſce ex mundi geneſi, cum de Deo ſtatim poſt Adæ caſum deambulaſſe dicitur, Gen. 3.8. Sanè quod vna, & eadem deambulatio hæc, atque illa fuerit, nunquamque ipſe meæ ſalutis curam abiecerit. Tam pretioſa eſt hominis anima, pro qua tam diuturna Deus itinera non dubitauit conficere, cap.2.v.6.adn.5.n.1.fol.388. col.1. Tam ſollicitus de eius ſalute Deus eſt, cap.2. v.9.adn.7. fol.532.col.1. & quis eſt qui depretiat, & mercem eius tam magno comparatam commaculat? quis ob mundi bona? quis vt obtineat Principum gratiam, qui pro ſuis ambulare non ſolent, nam *pedes habent, & non ambulabunt*: Pſalm.113. indeſinenter ambulare non renuat: *ambulas* (inquit Auguſt.in Pſalm.76. *ad Deum qui non ambulat*: pro vero autem Deo æternum pro hominis ſalute ambulante, nec veſtigium ponere velit: cap.1.verſ.11. adnot.1. num.14. fol.146.col.1.

5. *In porticu Salomonis*: Cur in templi porticu, non in ipſo templo eſſet? Sanè quaſi à templo ob prophanos Sacerdotum mores eliminatus: Vnde ad illa Matthæi verba, c.24.1. *Egreſſus de templo ibat*, ſic loquitur Auctor Oper.Imperf. *Ingreſſus eſt Dominus templum quærens ſanctitatem templi, ſed cum in templo nihil inueniret proprium templi, egreſſus de templo ibat, quia ædificium quidem ſtabat, quod erexerant homines, ſanctitas vero ceciderat, quam erexerat Deus; nam templum hominum eſt ædificatio lapidum pulchrè compoſita, templum autem Dei eſt congregatio electorum religioſe conuerſantium* c.1.verſ.21.adn.

In porticu Salomonis: Non equidem porticum Salomon fecerat, ſed Zorobabel, qui templum inſtaurauerat, quippe priorem porticum iam olim deſtruxerant Chaldæi; at etenim bonorum laborum adeo eſt glorioſus fructus, vt nulla poſſint obliuione deleri; cum tamen auctorum prophanarum vanitatum, ſiue miraculorum mundi memoria nulla extet, cap.1.v.11.adn.2.n.4.fol.148.col.1.& num.vlt. fol.154.col.1. 6.

Circumdederunt ergo eum: Preme particulam, *ergo*: Eò enim ire videtur, vt innuatur ideò illos Chriſtum circumdediſſe, quod ambularet, vt videlicet, deambulationem cohiberent, & certo illum loco affigerent: Id quod ij etiam facere videntur, qui Dei voluntati reluctantes ipſum ad ſe trahere nituntur, cap.1.v.21. adn.1.nu.9.fol.225. col.2. necnon qui anguſtum in animo ſuo Deo habitaculum præparant, adn.ſeq.num.10.f.228.col.2. 7.

Animam noſtram tollis: Scitè ipſimet interiorem animæ ſuæ ſtatum depinxerunt: quod dum hinc ad credendum Chriſto ex ipſius doctrina & ſignis incitarentur, illinc à propriis concupiſcentiis, & vitiis detinerentur quo minus ſe ei darent; ipſorum anima anxia, & quaſi diuulſa, ac lacerata foret. Apta id hominibus vna ex parte ſcientia præditis, ex alia charitate deſtitutis, cap.1. verſ.9. adn.7. num.4. fol.105.col.1. 8.

Si tu es Chriſtus, dic nobis palam: Quid his verbis innocentius, ſimpliciuſve videatur? ſed ò inuidiæ ingenium! blanditur vt decipiat; cur enim id ab eius ore audire velit, niſi vt ſtatim dixerit, *blaſphemauit, reus eſt mortis*? Matth.26.65. Vide an his ſimiles illi ſint, qui alios per ornamenta feriunt, cap.1.verſ.15. adn.3.num.11.fol.212.col.1. 9.

Opera quæ ego facio in nomine Patris mei, hæc teſtimonium perhibent de me: Notantiſſime addidit, *in nomine Patris mei*, primo vt ex concordia cum Patre, & honore quem illi deferebat; magnitudinem, & diuinitatem ſuam adſtrueret, cap.2.verſ.6. adnot.1. num.8. fol.345. col.2. deinde vt ex humilitate qua opera ſua Deo Patri tribuebat; vnigenitum ſe eius Filium declararet, cap.2. verſ. 5. adnot.1. num. 3. fol.328.col.1. 10.

Opera quæ ego facio, &c. Illi verba poſcunt, quibus Dei filium ſe eſſe declaret; ipſe opera proponit, quæ efficacius loquantur: ita fortiſſimus ille iuuenis Machabæus carnifici linguam abſcindendam petenti, manus ſimul porrexit, cap.1.v.9. adn.6.n.9. fol.204.col.1.& v.14.adn.1.tota, præcipuè num.9. fol.197.col.1. 11.

Oues meæ vocem meam audiunt. En filiorum Dei characterem, ad vnam tantum illius vocem promptos, & alacres accurrere, cap.2.verſ.8.adn.4.nu.12. fol.458.col.1. 12.

Cognoſco eas, & ſequuntur me: Tam quod meis veſtigiis per imitationem inhæreant, cap.2.v.6.adn.4. tota fol. 352. col.2. quam quod ad earum gradum (quippe qui ipſarum ego debilitatem cognoſco) vt bonus paſtor me accommodem, cap.2.v.7.adnot.6. num.11.& 12.fol.395.col.1. 13.

Et non rapiet eas quiſquam de manu mea: Certitudinē diuinæ prædeſtinationis mirifice expoſuit; quod nemo illo valētior, qui rē firmiter à ſe apprehēſam, ex eius manibus extorquere valeat; ſed enim vt ſimul his liberum arbitrium adſtrueret, noſtramque cooperationem, & diligentiam neceſſariam eſſe confirmaret, de induſtria non dixit, & nemo exiet de manu mea, quippe diuinæ inſpirationi homini 14.

 liberum

liberum est dissentire si velit; ergo illud à nobis exigitur, vt intra Dei manum nos contineamus: ipse enim neminem deserit, nisi prius ab illo deseratur, cap.1.vers.6.adn.3.num.2.fol.56.col.1.

15. *Ego & Pater vnum sumus*: Optimè *ego & Pater*, ad personarum diuersitatem, *vnum*, ad naturæ identitatem pertinet, vide cap.2.vers.9.in exposit.literal. à num.12.fol.491.col.1.

FERIA V.

1. *Vt cognouit, quod Iesus accubuisset*: Cape hæc ex illis Canticorum verbis: *Dum esset rex in accubitu suo nardus mea dedit odorem suum*, cap.1.12. quippe ex filij Dei, reclinatione, (mensæ enim tunc reclinati accumbebant) ex eius inquam ad terras descensu; suauissimus illius odor hominum animos persuasit, atque ipsi qui syluestres antea arbores, atque spinæ erant, in lilia, & plantas suauissimum odorem exhalantes commutati sunt, cap.2. vers.9. adnot.4. tota, præcipuè n.7.fol.512.col.2. & 8.f.513.& seq.

2. *Stans retro*: Quid fugis mulier Christi faciem, qui totus visus, totus facies est? Sanè opportunè, & sapienter, *retro* stetit, vt à Christo scapulis suis peccatores obumbrante ab ira diuina tegeretur, cap.2. vers.8.adn.6.à num.1.fol.464.col.2.

3. *Lacrymis cœpit rigare pedes eius*: Pedes eius? Imò verò proprium pectus, vt illius sordes elueret; vndè non tam dicitur lacrymas haurire, siue effundere, quam ipsis aliunde eductis rigare: nimirum, iam hauriebat aquas de fontibus saluatoris ad exhauriendа sua peccata, cap.2. vers.8. adnot. 6. num. 7. fol.460.col.1.

4. *Osculabatur pedes*: Quippe quæ diligebat multum: ea enim lex est amati pedibus succumbere, c.1. vers.1.adn.3 fol.14.col.1.

5. *Osculabatur*: Notanter dictum; vt testatissimum hoc amoris signum, exteris oculorum manuumque operibus, vim, & robur tribueret, nec lacrymis enim, nec capillis, sed corde Christus captus est, cap.1.v.3.adn.1.n.11.f.41.col.1.

6. *Osculabatur*: Oculos, manus, capillos, labia, vnguenta Deo tradit; ac si ex Augustini ore, lib.1. soliloq.cap.1. diceret: *Accipe me ab istis fugientem famulum tuum, quia & ista me quando à te fugiebam, susceperunt alienum*: Ergo affectum, qui operi nomen dare consueuit, mulier potissimum mutat, c.1. vers.11.adn.4.n.3.fol.158.col.1.

7. *Hic si esset propheta, &c. quia peccatrix est*: Ita ne? Quam alienus es à Dei sensu! Imò verò, quia peccatrix est, & de peccatis dolet, summam ei iucunditatem, & delectationem affert, cap.1.vers.2. adn.2. num.14.f.37.col.1. & ipsius thronum illustrem, atque gloriosum reddit, cap.2.vers.9.adnot.8.num.2. fol.536.col.2.

8. *Quis ergo eum plus diligit?* Acutè Chrysologus: *Vides quemadmodum ad incrementum fœnoris solius amoris exigit, & requirit vsuram*: Vndè sic infert: *Plectendus debitor, qui dilectione sola suam negligit redimere cautionem*: Quis enim à dilectione excusari valeat? cap.1.vers.3.adn.1.nu.12.fol.41.col.2. præsertim cum eam Deo non tam impendat, quam rependat: eodem vers.adn.4.tota, præcipuè num.10. 11.& 12.fol.48.col.1.

9. *Vides hanc mulierem?* Emphaticè dictum; vt inuitaret ad videndum mulieris prodigium, sibique de eo gratulandum: aliter quidem, ac quando ipsi suggerebant discipuli: *Magister quales lapides, & quales structuræ?* quippe Deus, *non in manufactis templis habitat*: sed ex humanis virtutibus annunciatur, & colitur; imò & quodammodo dignoscitur, cap.1. vers.11.adn.5.num.4.& seqq. fol.161. col.1.

Intraui in domum tuam, aquam pedibus meis, &c. Cur ista modo arguit, qui antea dum proprium instabat tempus, nullam horum mentionem fecit? Quod iniuriæ mulieri illatæ ad proprias vindicandas ipsum manuduxerint, cap.1.vers.28.adn.2.n.14. fol.277.col.2.

Dilexit multum: Amauit quidem multum; sed plus est, quod sub ipso conuersionis initio multum siue perfectè diligere nouerit: nam & cum primum quis ad bonam frugem se recipit, adeò tenera esse virtus solet, vt vitiis quodammodo intermixta videatur: vnde Marci 9. dicebat ille. *Credo Domine, adiuua incredulitatem meam*: simul se credentem, & incredulum appellans, vt ibi adnotauit Beda, & dilectio non statim vt nascitur perfecta est, sed vt perficiatur nascitur, c.1.v.9.adn.2.n.1.& seq.f.91.c.1. 10.

Dilexit multum: Si attendis, nihil in hac historia est, quod multum non sit, nam & peccata mulieris multa, & dilectio multa: & *Deus multus ad ignoscēdum*: At enim Dominus multā dilectionem mulieris signate inter hæc omnia elucere voluit, quod sic se omni modo, & ratione oculis, capillis, manibus, pretiosisque rebus explicare sciuerit, vt modum quo diligendus sit Deus, & quare diligendus ostenderit: eo videlicet modo quo docebat Bern. tract. de diligendo Deo: *Vis scire, quare, & quomodo diligendus sit Deus? causa diligendi Deum, Deus est, modus, sine modo diligere*: cap.1.vers.9.adn.2. num.7. & seqq. fol.92.col.1. 11.

Vade in pace: Egregium peccatrici recenter ad Deum reuersæ collatum beneficium, vt pace, & serenitate cordis frueretur, tunc enim atrocius decertare dæmon solet, vt animam perturbet, quo acerbitate virtutis defatigata ad pristinas voluptates redeat; ita Marci 9. malus dæmon, qui puerum torquebat: *Exclamans, & nimium discerpens eum exijt ab eo*: Vbi Beda: *Siue vt odium virtutis incuteret, siue vt sua indicaret expulsionis iniuriam*: Ego dixerim, vtrauis de causa: clamasse, nimirum, ob suæ expulsionis iniuriam, & multum discerpsisse, vt odium virtutis incuteret: En ergo peccatrici collatum beneficium. Vide cap.1.v.2.in exposit.n.12.f.27.col.1. 12.

FERIA VI.

Collegerunt Pontifices, & Pharisæi concilium, &c. Tam facile Pontifices cum Pharisæis, & Pharisæi cum Pontificibus conueniunt, atque conspirant? Sane superbi, ac inuidi (idem enim de iis, ac de Aulicis iudicium tuleris) à se ipsis perpetuo dissidentes, in bonorum perniciem libenter conspirant, cap.1.v.15. adnot.3.n.8.& 9.fol.211.col.2. 1.

Collegerunt Pontifices, & Pharisæi concilium: Vix aliquid in hoc concilio inueneris, quod si ad faciem attenderis, laudabile non sit. Quid enim melius, quam concordia, & vnitas? Quid salubrius, quam vti plurium consiliis? nam *ibi salus, vbi multa consilia*, Prou.11.14. Quid præstantius, quam communi vtilitati prospicere? Quid sanctius, quam velle Christum pro mundi salute mortem oppetere? Sed enim, quod hæc omnia à prauo affectu, atque intentione proueniant, nihil illis execrabilius, aut magis impium, c.1.v.11.adn.4.n.8.& seqq.fol.159.col.2. 2.

Quid facimus? Quam longe à vera prudentia, atque iustitia ad inferendam Christo celeriter necem incitantur, cap.1.vers.13.adn.5. tota, præcipue à num. 13. fol. 189. col.2. & tamen Dominus ad moriendum promptior mortem suam maturabat, cap.2.vers.8.adnot.3.num.2.fol.450.col.1. 3.

Quia hic homo multa signa facit: Quæ ergo odij, aut 4.

aut litis causa? imò verò omnimodo, omni ratione eum, qui populo adeo proficuus, & necessarius est, retinere, & conseruare debebatis: nisi vobis ipsis vtilitas vestra, & bonum ipsum displiceat: Non displicet quidem, sed si ex splendore, & gloria Christi, hæc sunt nobis obuentura, propriæ vtilitati, & honori statim cedimus, cap. 1. vers. 15. adnot. 1. num. 10. fol. 206. col. 1.

5. *Quia hic homo multa signa facit*: Ergo persequamur, interficiamus: En inuidiæ ingenium, signatum, siue insignem persequi, & odio habere, cap. 1. v. 15. adnot. 1. num. 8. fol. 205. col. 1.

6. *Quia hic homo multa signa facit*: Vide homines rebelles lumini, qui hinc signa Christi vident, & commendant; illinc huic cognitioni se se è regione opponunt, quod terrenorum amore capti sint, *Venient* (inquiunt) *Romani*; vide cap. 1. vers. 9. adn. 5. num. 11. fol. 101. col. 1. & iunge, cap. 2. vers. 7. adn. 3. num. 11. & 12. fol. 383. col. 2. & 384.

7. *Quia hic homo multa signa facit*. Quis vestras artes, & querimonias intelligat? Iam nulli signo credidis, & signum videre cupitis, Christoque insusurratis, *quod signum ostendis nobis*? Ioann. 2. 18. Iam multa à vobis eius signa videntur: scilicet, ex miraculorum fama maiorem ei inuidiam excitare, & per ornamenta ferire contendunt, & quæ prius signa maligne ei detraxerant, malignius modo restituere volunt, cap. 1. vers. 15. adn. 3. fol. 200. col. 2. & in exposit. literali, num. 3. & 4. fol. 201. col. 1. & seqq.

8. *Quia hic homo multa signa facit*: Inuido si beneficia feceris, deterior redditur, c. 1. v. 15. adn. 1. n. 12. fol. 206. col. 1. & num. 13. fol. 206. col. 2.

9. *Quia hic homo multa signa facit*: Bene Cyprianus: *Calamitas sine remedio est, odisse felicem*, cap. 1. v. 15. adn. 2. nu. 3. & 4. f. 208. col. 1. & 2. Vndè id ipsimet Christi hostes statim fatentur, dum aiunt. *Videtis, quia nihil proficimus*?

10. *Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum*: O pectora cœca! ô stultam mundi sapientiā! Quid? num si eum interfeceritis, nullus credet in eum? imò verò: *nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet*: *si autem mortuum fuerit, multum fructum affert*: hoc est, omnes credent in eum: nam propter hoc Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen super omne nomen, vt in nomine Iesu omne *genu flectatur*, cap. 2. v. 9. adn. 3. tota, præcipue à num. 1. fol. 510. col. 2.

11. *Si dimittimus eum sic, venient Romani*: Imo verò, quod consilium aduersus Deum capitis peribiris; vbi enim diuina prouidentia non commilitat consiliis humanis, malus his exitus aduenit, cap. 2. vers. 6. adn. 6. num. 2. fol. 360. col. 2.

12. *Venient Romani*: Seuerissimi iudices, siue potius sæuissimi carnifices in vosmetipsos vestris consiliis extitistis, qui Deum quomodo vos puniret, & funditus deleret docuistis, cap. 2. v. 28 adnot. 2. num. 8. fol. 275. col. 2.

13. *Si dimittimus eum sic, venient Romani*: En sæcularis hominis, siue mali politici à Christicola, atque ab eo, qui rationem, siue res status pleno pectore sapiat, quippe hic consilia ex Dei lege, & rationis præscripto probat, cap. 1. v. 13. adn. 4. n. 2. fol. 183. col. 1. ille verò omnia ad rerum temporalium augmenta refert cap. 1. vers. 10. adn. 2. num. 11. f. 110. col. 2.

14. *Vnus ex eis Caiphas nomine*: Malum ad dignitatis ingressum pessimus regiminis vsus sequitur: raro enim scelere quæsitum imperium bonis artibus quis exercuit, cap. 2. vers. 6. adnot. 6. num. 6. f. 362. col. 1.

15. *Vnus ex eis, &c.* En omnium qui in concilio intererant recensita suffragia: nec verbum enim post Caiphæ sermonem aliquis mussitauit, vnde Tertul. in Apolog. cap. 21. *Violentia suffragiorum in crucem actus*: Tanti est Pontificis exemplum, cap. 1. vers. 13. adnotat. 3. à num. 3. fol. 177. col. 2.

Vos nescitis quidquam. Imò verò, tu ipse omnino nesciebas, qui inscitiæ alios arguebas, cùm pro temporalibus saperes propriis commodis, non Reipub. bono consulens: qui enim perfectè sapit, nescit sua spectare commoda, cap. 2. vers. 6. adnotat. 2. num. 9. fol. 346. col. 1. 16.

Vos nescitis quidquam, neque cogitatis: Libet hæc verba ad Sacerdotes, & Pharisæos, qui legis doctores erant à Caipha dicta, ad nonnullos ex nostris Sacerdotibus transferre, qui cum scientiæ, & doctrinæ operam debeant impendere; cum ab eorum ore lex Dei requirenda sit; ipsi nesciunt quidquam, quodque peius est, neque cogitant: hoc est, cum sciant se nescire, tamen de ignorantia tollenda non attendunt, non curant, c. 1. v. 9. adn. 4. n. 9. f. 97. c. 2. 17.

Vos nescitis quidquam; Mundana sapientia quem Deo atque rationi videt adhærere, nescium, & ignorantem appellat, eum verò qui terrena sapit, atque industrius, callidus & fallax est, prudentem sapientemque dicit: Ita ne? audi hos tuos sapientes de illis, simplicibus, & ignaris iam tandem dicentes. *Nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam, ecce quomodo computati sunt inter filios Dei*? Ergo hæc ignorantia saluat, atque defendit; illa sapientia perdit: *Nempè, & si ignoraui, mecum erit ignorantia mea*, Iob 19. 4. quippe mea ignorantia, mea obedientia, mea virtus, & patientia est: Ita ibi Gregor. lib. 4. Moral. cap. 12. *Ac si dicat, omnis vestra scientia vobiscum non est, quia contra vos est, dum stulta elatione vos erigit: mea verò ignorantia mecum est; quia pro me est: quoniam dum perscrutari de Deo aliquid superbe non audet, in veritate me humiliter seruo*, cap. 1. vers. 9. nu. 3. & 4. fol. 94. col. 2. 18.

Vnus homo moriatur pro populo. Quis pro quo? homo Deus, pro populo nocentissimo, *pro bono forsitan quis audeat mori*, ad Roman. 5. 7. aiebat Paul. & Seneca pater, lib. 9. contr. 4. de bono patre, impio filio pœnam remittente, cum alter filius pietatis in eundem parētem causa, se ipsum morti tradidisset. *Mirarer, nisi pro tam bono patre fuisset, qui mori vellet*. At pro tam impio Filio bonum Patrem mori, solius diuinæ bonitatis opus esse possit, vide optima verba Saluiani, c. 2. v. 7. adn. 5. nu. 5. f. 389. col. 2. 19.

Vnus homo moriatur: Cur signatè non nominant? cum præsertim in ferenda capitali sententia nomen rei exprimere necesse sit? Est hæc virtutis dignitas, vt nemo tam ferus sit, qui apertum ei bellum inferre audeat, sed alterius rei prætextum, & velamen assumat: vide verba Senecę, cap. 1. vers. 1. adnotat. 2. num. 2. ad fin. & opportuniora Bedæ, cap. 2. v. 11. adnot. 4. num. 3. fol. 305. col. 1. 20.

Vt filios Dei; qui erant dispersi congregaret in vnum. Magna pacis, & vnitatis dignitas: pro qua signatè Dei Filius mortem obire voluit, cap. 2. v. 2. adn. 1. num. 17. fol. 297. col. 2. 21.

SABBATO.

Cogitauerunt Principes Sacerdotum, vt Lazarum interficerent. Quale ob crimen? Non aliud opinor, quam quod reuixerit, & inter eos manere necesse sit; quippe à facie iniquitatis iustum colligi, grande quidem lucrum est, cap. 1. v. 21. adnot. 5. n. 9. f. 239. col. 1. Sed enim illa eorum mens erat, vt memoriam tanti miraculi eo interfecto aboleteut: ô ignaros & Christi potentiæ, & diuini ingenij, hoc enim sua beneficia tuetur; & ea potissimum de causa, quod donauerit, rursus donat, ac proinde Lazarum 1.

 semel

semel suscitatum ; sæpius excitaret, cap. 1. vers. 3. adnot.2. num.9. f.44.col.1. Præsertim cum de Lazaro interficiendo,& suscitando,certamen inter vitium , & virtutem foret : in quo virtus victrix semper euadit,cap.1.vers.11. adnot.2. num.3. fol. 147. col.2. Ad hæc adeò vos vester fallebat error , vt ex Lazari sanguine,quem profundere volebatis, ingens esset pullulatura discipulorum Christi seges, qui ipsius virtutes annuntiarent,c.1.v.12.adn.vnic.nu.2. fol.165.col.1.& 2.

2. Videtis,quia nihil proficimus : Accusant segnitiem suam,inquit Maldon. ex Euthymio , & Theodoro, quod diligentiores non sint,vt quam primum occidatur : Pudeat nos in Christi Ecclesia,& Dei domo constitutos pigriores ad ipsius obsequium , quam mali ad peccandum,inueniri, cap.1. v. 11. adnot.1. num.15.fol.146.col.2.

3. *Ecce totus mundus post eum abit :* Aliena felicitate cruciatur inuidus, cap.1.v.15.adnot.1.num.6.& 8. fol.204.col.2.& 205.col.1. & eam, vt opportunius feriat omnimodo exaggerat,eod. vers.adn.3.nu.10. fol.12.col.1.

4. *Ecce totus mundus post eum abit.* Benè monet Cyril. Alexand. Pharisæos inuitos prophetasse totum mundum,hoc est, Iudæos, & gentiles in Christum crediituros,vide cap.2.vers.10. in exposit. lit.nu.32. f.488.col.2.& n.36.f.489.col.1.& 2.

5. *Venit hora vt clarificetur filius hominis :* Plura hac de re cap.2.vers.11.ad ea verba : *Quia Dominus Iesus Christus in gloria est Dei Patris ;* in expositione literali à num.38.vsque ad 60. à fol.489. & adn.3. sub titulo,*crucem*,diuinitatis Christi indicem fuisse, fol.510.col.2.

6. *Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit*,&c.Elucidantur hæc verba, cap.2.v.7.adn.1. num.1.f.371.col.2.& v.8.adn.2.n.3.f.442.col.1.

7. *Si quis mihi ministrat,mè sequatur :* Vt assequi,videlicet, possit : sunt enim plures Domine Iesu , qui consequi,non sequi volunt, cap.2. v.6. adn.4.nu.1. & seqq.fol.352.col.2.

8. *Nunc anima mea turbata est.* Quare?quod optimi Principis more nostras ipse susceperit infirmitates,c.1.v.23.adn.2.nu.12.f.258.col.2.

9. *Nunc anima mea turbata est,& quid dicam? Pater saluifica me ex hac hora , &c. Pater clarifica nomen tuum :* Ac si dixerit:num quod anima mea ex morte imminenti turbetur , ab ea eximi velim ? Minimè, imò potius Patris nomen per mortem meam clarificari exoptem:sua,videlicet,bonus Filius non considerans,sed quæ Patris erant,cap.2.v.6.adn.2.à n.3. fol.344.col.2.

10. *Clarifica nomen tuum.* Hæc sub variis sensibus explicare poteris ex iis,quæ ad ea verba,*in gloriam Patris* habentur c.2.vers.11.in exposit.literali,num.55. fol.495.col.2.& n.66.& seqq fol.499.col.2.

11. *Nunc princeps huius mundi eiicietur foras:* Crucis, videlicet, virtute,& efficacitate,c.2.vers.8. adn.1. & 2.per totas,fol.437.& seqq.

12. *Si exaltatus fuero à terra , omnia traham ad me ipsum.* Plura circa hæc verba præfata adn.2.num.5. vsque ad fin.adnot.à fol.442.col.2.

Dominica in Palmis.

1. *Ite in castellum quod contra vos est*, quod nihil magis contrarium (inquit Bernardus) diuino amori (in duobus illis discipulis figurato) quam rumor elationis sit, quippe charitatis proprium est, se se demittere, cap. 1. vers.1.adn. 3.tota,signate n.vlt. fol.14.col.1.

2. *Soluite , & adducite mihi.* En ministrorum Dei munus , animas soluere : En simul legem illis præscriptam , vt quodcumque soluerint ; Deo deputent, ad laudem , videlicet , illius referant cap. 2. vers. 3. adnotat. 1. numero 11. & 12. folio 317. col.1.

Soluite,& adducite mihi : Optimum Principis ingenium ministris tanquam ministris, non tanquam dominis vti, qui licet illis soluendi , & iudicandi facultatem faciat , iisdem etiam rebus interesse , siue de illis certior reddi velit,cap.1.vers.15.adn.6.nu.2. & seqq.fol.190. col.1. 3.

Dominus his opus habet: Quid tibi Domine ignobilibus iumentis?quid miseris homuncionibus opus est ? Nobis quidem tibi inseruire maxime necessarium ; nobis te perferre maximè honorificum,cap.1. vers.1.adn.5.num.2.fol.19.col.2. At enim ea Dei, ac Domini bonitas est,vt nostras vtilitates : propria bona,&gaudia computet,& illis sibi quodam modo opus esse velit,c.v.10.adn.8.n.3.& seq.f.132.col.1. 4.

Dominus his opus habet: Ad hæc:nostris miseriis, nostris infirmitatibus opus certo quodam modo Deus habet,quod hæ suam bonitatem , & clementiam patefaciant,atque commendent , cap.2.vers.9. adn.4.fol.514.col.1.

Ecce Rex tuus venit tibi , &c. O egregium Principem,qui non sibi,sed subditis veniat;qui regni vtilitati,& bono natum se putet, cap.1.vers.23.adn.2. à num.3.fol.255.col.1. 5.

Venit tibi mansuetus : Talis,scilicet,qualis populo opus est,qui condolere possit iis qui ignorant, & errant,& benignitate ad se homines adducere , c. 2. vers.7.adn.6.tota,fol.391.col.2. 6.

Eum desuper sedere fecerunt. Accurata locutio, qua innuitur ; multa precum vi opus fuisse , vt Christus ascenderet, ac sederet, inuitumque honorem illum,quamuis ephemerum suscepisse,vt documento nobis sit, non debere nos vltro honoribus, ac dignitatibus ingerere, cap.2.vers.9.adn.1.num.5. & seqq.fol.341.col.1. 7.

Cædebant ramos de arboribus,& sternebant in via: vt illustrem Christo triumphum instituerent.Quid enim aliud Christi mors , quam egregius de hoste triumphus fuerit? cap.2.v.8.adn.3. nu.12. fol.452. col.2.& f.517.col.2.& 518.col.1. 8.

Cædebant ramos de arboribus : Palmarum, videlicet, & oliuæ ramos , quos discipuli latus eius cingentes , velut sicas satellites manibus perferrent: quippe misericordia (oliuæ ramis expressa) & veritas custodiunt regem. Vide cap.2.vers.9.adnot.5. num.4.fol.520.col.1.& vers.7.adn.6.num.3.f.392. col.1. 9.

Hosanna , filio Dauid : Omnes penè Patres Irenæus,Orig. Hilar. Ambros. Hieron. Beda apud Mald. sic capiunt hæc verba , vt significent. *Serua nos fili Dauid :* Illum,videlicet,egregium Principis triumphum innuentes, cum subditos suos à periculis , & morte seruat, cap.2.v.9.adn.4.n.4.5. & 6.fol.515. col.1.&adn.8.tota, fol.536.col.1. 10.

Hosanna filio Dauid : Hosanna in altissimis : Omnino ad mentem Vatis Psal.117.vers.25. à quo desumpta sunt hæc verba,is potius sensus esse videtur à Maldon. traditus , vt turba Deum precetur, vt nouum Regem,ac diu desideratum seruet, ac prosperet : sed quo euentu hæc precatio facta est ? felicissimo quidem,nam ex cruce,& morte æternum honorem (eadem adnot.4.num.3.fol.514.col.2.)& sui nominis claritatem est adeptus :eod.vers.adn.3. fol.510.col.2. 11.

Benedictus qui venit in nomine Domini : Ad honores,scilicet,& dignitates Deo deducente, cap. 2. vers.6.adn.5.num.3.& seqq.fol.357.col.1. 12.

FERIA

FERIA II.

Pro vnctione Magdalenæ.

1. *Effudit super caput discumbentis.* Optimè super caput; vt iusta iuste operaretur, & rectam animi intentionem aduersus Iudæ morsus ostenderet. Vide ea de re, cap. 1. vers. 11. adnot. 4. num. 2. fol. 157. col. 2.

2. *Dixit ergo vnus*, &c. Alios discipulos hoc Magdalenæ factum non approbasse constat ex Matthæo: & tamen ipsorum nominibus silentio pressis Iudas solum à Ioanne arguitur; quod illi bonæ forsan rei prætextu, pauperum, videlicet, amore, ducerentur; hic vero non nisi ex furandi studio: & quidem peior est qui concupiscendo, quam qui miserendo furatur, cap. 1. vers. 11. adnot. 4. num. 10. folio 160. col. 1.

3. *Quare hoc vnguentum non venijt trecentis denarijs?* Duorum pessimorum affectuum seruus erat Iudas; auaritiæ, nimirum, atque inuidiæ; nunquam enim inuidus non auarus, cap. 1. vers. 15. adn. 1. num. 10. fol. 206. col. 1.

4. *Trecentis denariis*: Cur tanti? vt omnes à fide pretij enormitate reuocaret: cum Dominus pauper factus fuerit, vt eũ omnes facile emerent, ideo pœnitẽtia postea ductus triginta signatè argẽteos numerauit, cap. 1. vers. 11. adn. 4. num. 8. fol. 159. col. 2.

5. *Trecentis denarijs*: Ex ore tuo te iudico serue nequam; quare ergo tanto vilius postea vendidisti? *Diues in æstimatione, vilis in scelere*: respondeant, qui Dei mysteriis imbuti; & alta intellectu sapientes ad ima operibus deuoluuntur, cap. 1. vers. 9. adnot. 6. num. 5. fol. 103. col. 1.

6. *Dixit ergo Iesus, sine illam*: Obiurgat Iudam Dominus, sed quam vrbane, quam leniter! vt mouerint Prælati, subditos etsi malos, ac peruicaces, ab ipsis non duris, & agrestibus verbis, & elatæ vocis mugitu increpandos, c. 2. vers. 7. adn. 6. num. 2. fol. 391. col. 2. & num. 11. fol. 395. col. 1.

7. Apud Matthæum illud etiam in hac Christi pro Magdalena apologia additur, *Quid molesti estis huic mulieri?* vbi primò obserua diuinam Christi benignitatem, qui Iudam noluit signatè increpare, de quo vide cap. 1. vers. 15. adn. 3. n. 5. fol. 210. col. 2. Deinde eos notanter increpasse, quod mulieri molesti essent, cum tamen peculiari ratione Deo etiam essent molesti, cap. 2. vers. 1. adn. 1. num. 19. ad fin. fol. 298. col. 1.

FERIA III.

De oratione Domini in horto.

1. *Egressus est Iesus trans torrentem Cedron, vbi erat hortus*: Ioan. 18. 1. Quare signatè ad hortum, non vero ad montem, vt sæpius ire solebat? vt dum ipse ad hortum, vndique clausum de industria ibat, ostenderet, se mortem sponte, & alacriter oppetere: quippe qui ad carcerem per proprios pedes iret, cap. 2. vers. 8. adn. 3. num. 8. fol. 451. col. 2.

2. *Et assumpto Petro, & duobus filiis Zebedæi*: Matth. 26. 36. Quare hos, & non alios? Paschasius, quasi firmiores in agone certaminis, quod pro meritis gradus & locus singulis debeat obtingere, cap. 2. vers. 6. adnot. 6. num. 3. fol. 361. col. 1. & nu. 14. fol. 365. col. 1.

3. *Cœpit pauere, & tædere.* Marc. 14. 33. Quia nimirum, more optimi Principis onera, atque tributa subditorum in se suscipiebat, cap. 1. vers. 23. adnot. 2. num. 12. fol. 358. col. 2.

Et ipse auulsus est ab eis, quantum iactus est lapidis: Lucæ 22. 41. Quare signatè quantum iactus est lapidis? vt iis qui in gradu suo essent, opportunum præberet auxilium; cap. 2. vers. 6. adnot. 6. num. 3. fol. 361. col. 1. 4.

Auulsus est ab eis: Notanter *auulsus*: quod tunc primum per Eucharistiam vnum cum illis fuerat effectus, c. 2. vers. 7. adn. 10. n. 10. f. 426. col. 2. 5.

Procidit in faciem suam: Matth. 26. 39. *Procidit*, quasi nostrorum peccatorum põdere grauatus, quippe & peccatum, *omne pondus*, & onera ac languores nostros ipse tulit. Vide feria 6. Dom. 4. num. 16. 6.

Si possibile est, transeat à me calix iste. Ibidem. & tamen *Filio suo*, hæc oranti, Deus, *non pepercit*: quasi possibile non fuerit. Vndè ergo hæc impossibilitas? A bonitate quidem diuina, quæ vt seruum redimeret, Filium tradidit, cap. 1. vers. 1. adnot. 6. num. 9. fol. 22. col. 1. 7.

Verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu: ibid. priorem voluntatem, quam nostræ infirmitatis affectus ab eo assumptus deprompserat, charitas in Deum efficaciter statim absumebat, & ad se trahebat, cap. 1. vers. 21. adn. 1. num. 2. fol. 233. col. 2. 8.

Et inuenit eos dormientes: Ibid. En optimi Principis formam, cuius vigiliæ subditorum somnum defendunt, cap. 1. vers. 23. adnot. 2. num. 3. f. 355. col. 1. 9.

Apparuit autem illi Angelus de cœlo, confortans eum: Lucæ 22. 43. Cur Angelus ad confortandum Dominum descendit? Sane, quod Christus qua homo paulo minor Angelis esset, atque ideo Angelus qua paulò maior afflicto opem, & leuamen ferre tenebatur: hæc quippe magnitudinis lex, & ratio est, eadem adn. 2. n. 11. fol. 258. col. 1. 10.

FERIA IV.

De bono latrone.

Crucifixerunt eum; & latrones, vnum à dextris, & alterum à sinistris. Lucæ 23. 33. Vide triplicem crucem, damnationis, scilicet, consolationis, & gloriæ, in quibus tum nocentes, alter desperate, alter patienter, tum innocens Dominus affigebantur, cap. 1. vers. 7. adn. 2. n. 4. fol. 70. col. 1. 1.

Et latrones, vnum à dextris, &c. Vt illius mortem omnibus contumeliis, & dedecore implerent: Sed mentita est iniquitas sibi: cap. 2. v. 8. adn. 2. num. 3. fol. 442. col. 1. 2.

Saluum fac temetipsum, & nos: Scilicet, quod Christus se ipsum vt Dei filium sanctum & innocentem saluaret, nocentissimos etiam latrones saluos esset facturus: vide quid hæc sonent, cap. 2. v. 9. adn. 2. num. 9. fol. 509. col. 2. 3.

Neque tu times Deum, &c. *nam digna factis recipimus*: En boni latronis à malo; electi à reprobo discrimen; quippe malus commeritum sibi locum deserere; bonus verò è contra cruci sibi assignatæ adhærere, volebant, cap. 2. vers. 6. adnot. 6. num. 14. fol. 365. col. 1. 4.

Domine memento mei. Quæ hæc fiducia, siue animositas fuerit, qua infamis latro ad Dei filium accedere non timet? Quod illum eadem natura, quæ omnium hominum miserias communes facit, indutum videret, cap. 2. vers. 2. adn. 4. num. 2. fol. 304. col. 2. 5.

Domine memento mei, dum veneris in regnum tuum: Vnde tam subita mutatio? Ex tribulationis dono, quæ ad Dei cognitionem manuduxit, cap. 1. vers. 29. adnot. 2. num. 3 fol. col. 1. 6.

Domine memento mei: Vide efficacitatem, ac vir- 7.

rutem Christi crucifixi, qui aufugientem, & longissimè positum latronem apprehendit & ad se adduxit: plura cap.2.vers.8.adn.1.num.13.& seq.f.445.col.1.

8. *Domine memento mei*: &c. Vide quantum inter loca intersit. Petrus in aula latro factus est, dum Christo suam diuinitatem quodammodo surripuit; latro verò in cruce Petrus factus est, qui Christum, Dei viui Filium confessus est, cap.1.v.13.adn 2.n.3.fol.170.col.2.

9. *Dum veneris in regnum tuum.* Vnde eum regem nosti? Sanè ex iisdemmet verbis, quibus eum Pharisæi deridebant, nimirum: *Alios saluos fecit, se ipsum non potest saluum facere.* Is enim veri Regis character est, suo discrimine subditos saluare, cap.2.v.9.adn.8.num.5.fol.537.col.2.

10. *Hodie mecum eris in paradiso.* Ambros. *Vberior est gratia, quam precatio.* Regia quippe laus est largius tribuere: cap.2.vers.7.adnot.3.num.2.fol.380.col.2.

11. *Hodie mecum eris in paradiso.* Notanter in paradisum primum inductus, quam in cœlum, vt ad summam dignitatem non subito, sed per gradus ascenderet, c.2.v.9.adn.2.n.7.f.508.col.2.

12. *Mecum eris in paradiso*: Ita ne? Christus partæ à se victoriæ spolia, redemptorumque hominum primitias Patri allaturus, atrocem, infamemque latronem secum deferat? cap.2.vers.8.adn.6.num.11.fol.469.col.1.

13. *Mecum eris in paradiso.* Dictum, factum: vt enim viuum in cruce reliquerit; in regno quidem expectauit. Bernard. serm.5. in festo omnium Sanctor. *Si compatimur, & conregnabimus: in ipsa die factum est, quod promissum est, qua die compatitur, conregnauit: Hodie absit à te Domine Ægyptia crudelitas pincerna Pharaonis, qui in gradum pristinum restitutus, oblitus est sancti Ioseph, qui in carcere tenebatur*, cap.1.vers.13.adn.2.num.16.fol.176.col.1.

14. *Hodie mecum eris in paradiso*; Tanta celeritate, ô Domine, latroni recenter conuerso; paradisum donas? Vnâ ille horâ tantum possit præmium promereri? Ita quidem; nam Dei perfecta sunt opera, nec ab iis quos Christus sanat, léte languor abscedit, c.2.vers.9.adn.9.n.10.f.547.col.1. Ad hæc, festinationem illam, qua primum hominem è paradiso Deus eiecit, hac festinatione, qua latronem in paradisum recepit, compensare voluit: quasi ille, vt ita dixerim, de homine celeriter iudicato, atque damnato Dei cordi hæreret scrupulus, quem beneficio celeriter collato opportunè eiiceret: vide cap.1.vers.13.adn.5. de iudicio in reos cunctanter ferendo, fol. 186.col.1.

15. *Hodie mecum eris in paradiso.* Vide quam pronum ad saluandum, & benefaciendum Christus sit; qui infelicis Iudæ damnum; latronum lucro, atque salute tàm velociter, quàm opportunè compensare: vt pro discipulo in patibulo deperdito, latronem è patibulo ad paradisum assumeret, cap.2.vers.9.adn.7.num.7.fol.534.col.1.

F E R I A V.

In Cœna Domini.

1. *Ante diem festum Paschæ sciens Iesus, quia venit hora eius.* Benè dies festus, & dies Paschæ, in quo Dei filius pro hominum salute mortem obibat: nullus enim ipsi lætior, aut festiuior dies. Quare compone hæc verba, *quia venit hora eius*: cum illis eiusdem Domini Ioann. 16. *Mulier cum parit tristitiam habet, quia venit hora eius, cum peperit iam non meminit tristitiæ propter gaudium*; vt hanc diuinam mortem crucis doloribus filios parturientem ab aliis matribus discrimines: hæ enim horam partus, horam suam ob tristitiam, & afflictionem vocant, Christus vero ob gaudium, atque lætitiam, c.1. vers.7. adn.3.num.10.fol.75.col.1.

2. *Hora eius.* Merito Christi hora; quod ipse vltro ad Passionem iret, cap.2.vers.8.adn.3.tota, fol.449.col.2.

3. *Hora eius*: Imò verò hora nostra, à qua salus, & vita nostra pendebat: sed vel hac de causa hora eius dicebatur, quod bona nostra sibi deputet, c.1.vers.10.adn.8.num.3.f.132.col.1.

4. *Vt transeat ex hoc mundo*: Pulchrè mortem Christi transitum appellauit Ioannes: quippe ipse nullis mundi laqueis implicitus, placidissime abibat, cap.1. vers.13. in exposit. literæ, nu.5.fol.148.col.1.

5. *Cum dilexisset suos*: Notanter *suos*, quod ei essent omnino addicti, c.1.v.3.adn.1.fol.39.col.1.

6. *In finem dilexit eos*: Hoc est, vehementer; egregiaque dilectionis signa exhibens: si inquiras, quæ hæc fuerint? Dixerim lotionem pedum; est enim charitatis proprium amati pedibus succumbere, c.1.vers.1.adn.3.fol.14.col.1. necnon Eucharistiæ institutionem, in qua se ipsum nobis dedit, & propriis quodammodo manibus immolauit, c.2.v.7.adn.9.tota, præcipuè num.6.7.& 8.fol.415.col.1.& c.1.vers.11.adn.3.num.5.fol.130.col.1. vbi illud etiam obserua, quomodo ad mortem alia morte se Christus disposuerit.

7. *Et cœna facta cum diabolus iam misisset in cor*, &c. Constat nondum finitam actionem cœnæ, subiicit enim statim Ioannes, *surgit à cœna*, vnde alij pro *cœna facta*, legunt, *cum cœna fieret*: Quare nonnulla inter ea verba, *cœna facta*, & hæc, *cum diabolus iam misisset*, connexio esse videtur, quasi dicat Ioannes, Christum eo modo, quo bonus ille Tobias prandium relinquebat, vt mortuos sepeliret, Tobię 12.12. de Iudæ perditione sollicitum cœnam disturbasse; & ab ea surrexisse, vt moribundo omni modo, omni ratione siue lotione pedum, siue Eucharistiæ institutione opem ferret. Apta ex cap.1.v.2. adn.2.n.13.& 14.fol.37.col.1.

8. *Vt traderet eum Iudas*: Eum quidem, sed & seipsum simul; dirus suimet carnifex, quod sanctificatum deglutierit, c.1.v.28. adn.2.n.4.f.274. col.1.& c.2.v.9.adn.5.n.26.f.528.col.1.

9. *Sciens, quia omnia dedit ei Pater in manus*: Notanter dictum, *sciens*: hoc est, animo voluens, perpendens, vt significet Ioannes, quam cogitationem tunc Dominus prius, quam discipulorum pedes lauaret, secum volueret: Certè de cogitatione nostra diuinitatis mysteriis assueta, scitè dicebat August. in enarrat. Psal.85. *Pigrescit descendere ad eius humilitatem, tanquam faciat illi iniuriam, si eum in humilitate agnoscat, quem deprecabatur vt Deum*: At enim Dominum diuinitatem suam scientem, & perpendentem non piguit descendere ad summè infimum ministerium, quod non tam sua consideraret, quam quæ aliorum, c.2.v.4.in com.n.1.& seq.f.318.col.2.

10. *Sciens, quia omnia dedit ei Pater in manus, & quia à Deo exiuit, & ad Deum vadit, surgit à cœna, & ponit vestimenta sua.* En diuinitatis, & regiæ maiestatis specimen, egregiumque testimonium, humilitatem, & lotionem pedum; eo enim ipso quod Dei filius animo volueret à Deo se exiuisse, & ad Deum ire, omniaque suo nutui esse subiecta; teneri se ad insigne humilitatis specimen dandum censuit, cap.1.vers.1.adn.1.num.2.fol.7.col.2.

11. Signatè verò dixit Ioannes. *Quia à Deo exiuit*, quod

quod natiua Dei imago in humilitate expressa sit, c.2.vers.5.adnot.1.num.3.fol.318.col.1.

12. *Ponit vestimenta sua.* Is honores securus deponit, qui eos iure habet; secus verò, qui præter æquum accepit, c.2.vers.6.in comment. num.6.fol. 338.col.2.& c.1.vers.1.adnot.1.num.5.& seqq.fol. 8.col.1.

13. *Et cum accepisset linteum, præcinxit se:* Pulchra imago, qua innuitur, Christum serui formam accepisse, cum natura non seruus, sed Dominus esset, c. 2.vers.7.in commen.n.8.fol.367.col.2.

14. *Mittit aquam in peluim, & cœpit lauare pedes,* &c. En diuinæ Incarnationis mysterium, dum sanguinem suum Dei filius effudit, vt non modo humanas sordes ablueret, sed etiam in se susciperet, c.2.vers. 6.adnot.2.à num.4.fol.377.col.1.

15. *Mittit aquam in peluim:* Vt in mysterio significaret, quomodo se ipsum pro hominis salute profuderit, vt hinc animæ dignitatem noueris, quæ Deum quodammodo valere videtur, c.2.vers.7.adn.5.n.2. fol.389.col.1.

16. *Cœpit lauare.* O pretiosam, & opportunam Filij Dei humilitatem, cui mea salus, & exaltatio incumbit, c.2.vers.7.adn.2.n.10 fol.379.col.2.

17. *Cœpit lauare.* Pende arcanam lotionem. Sanè eos lauabat Christus, qui à grauioribus sordibus, vno Iuda excepto, mundi erant, at enim eam suis discipulis normam præscribebat, vt non modo à grauioribus, sed à leuissimis etiam maculis mundarentur; quod in Christiana disciplina, id Dei amor, id timor ne à minimis ad maiora deueniatur, exigant, c.1.vers.10.adnot. 2. num.1.fol. 111.col.2. & adnot.3.fol.114.col.1.& adnot.4. & 5. à fol. 118. colum.2.

18. *Tu nescis modo, scies autem postea.* Quando? Cum Pontifex Maximus Ecclesiæque culmen, ac columen fueris; tunc enim propria magnitudine ad humilitatem, & animi summissionem velut proprio pondere inclinaberis; exigit enim id vera, ac solida magnitudo. Vide num.10.

19. *Exemplum enim dedi vobis,* &c. Plura hac de re, c.2.vers.5.in expositione literæ, fol. 326. col. 1. & adn. 1.fol.327.col.1.

Pro Passione Domini.

Vide adnotationes versus 8. capitis secundi: præsertim adnot. 3. totam, sub titulo: *Quam spontanea voluntate, quanta alacritate, & gaudio pro nobis Dominus Passionem, mortemque subierit*, fol. 449. & adnotationem 5. *Ideo Christum in cruce mortem obire signatissimè voluisse, vt lethale chirographum, quod erat contrarium nobis, cruci sua affigeret,* &c. Necnon adn. 6. *Christum cruci suffixum scapulis nos suis obumbrare*, &c. & adnot. sequentem. Præterea vide in indice verbo, *Christi Passionis suæ desiderium:* & *Christi Passio,* & *Christi spinea corona:* & *Christi verbera:* & *Christus baiulans crucem* & *Christus in cruce:* & *Christi mors:* & *Christi vulnera*, &c.

In Resurrectione Domini.

Vide in indice verbo, *Christi Resurrectio*, & c 2. vers.9.adnot. 1.sub titulo. *Opportuno tempore, & corporis gloriam, & nominis sui claritatem Christum accepisse*, fol.503.col.1.

FERIA II.

1. *Duo ex discipulis Iesu ibant ipsa die:* Notanter additum à Luca, *ipsa die*, quasi difficultati primo aspectu cesserint, ac succubuerint: etenim si tota illa die in Ierusalem expectassent, sequenti die Dominum suscitatum omnino cognouissent: sunt certè in via virtutis non exiguæ difficultates, at si magno animo suscipiantur, leuissimæ redduntur: ita dum mulieres difficultati illi: *Quis reuoluet nobis lapidem?* Marci 16.3. animosè restiterunt; nec ipsa ab incepto itinere potuerunt deterreri, *viderunt reuolutum lapidem*, quamuis *magnus valde* esset, c. 1.ver. 28.adn. 1.tota, fol.270.col.1.

Ipsa die: Vt eorum peccatum aggrauet: Mortuo enim recenter Christo, *vt peccati mortui, iustitiæ viuamus*; cum talionem, dignos scilicet pœnitentiæ fructus ei rependere debebamus, c.2.vers. 8. adnot. 7.fol. 469. col. 1. nouis eum peccatis velut clauis cruci suffigimus. Vide ibi, num.12.fol.473.col. 1.& 2. Apta etiam verba Tertulliani, ac Saluiani, cap.2. vers.6.adn.4 n.5.fol.354.col.1. 2.

Et ipsi loquebantur ad inuicem, &c. Pulchrum est rectos, & vtiles sermones loqui; hi enim vt Christo maximè delectabiles, ipsum nobis conciliant: vnde eos rursus audire, & velut remandere velle videtur, cum ait: *Qui sunt hi sermones?* &c. cap. 1. vers. 10. adnot.7.tota, præsertim num. 7. fol. 129.col.1.ad fin. 3.

Et ipse Iesus appropians ibat cum illis: Beda: *Loquentes autem de se Dominus appropinquans comitatur, vt & fidem resurrectionis mentibus eorum incendat, & quod se facturum promiserat impleat, scilicet, vt vbi sunt duo, vel tres in nomine meo congregati, ibi sum in medio eorum.* Vide quam sit amans suorum Dominus! qui quamuis ansulam arripit, vt se illis adiungat. *Benignus est enim spiritus sapientiæ*, vt explicatur, c.2.vers.7.adn.6.num.8.fol.394.col. 1. & 2. At quid mirum cum eos tanto pretio coëmerit? Emphasim habet in imagine illa à Nathan Dauidi proposita, 2.Reg.cap.12. 3. ad denotandam teneritudinem, qua suam ouiculam pauper diligebat, quod eam ille emisse signatè dicatur: *Nihil* (inquit) *habebat omnino præter ouem vnam paruulam, quam emerat, & nutrierat.* Ac si dicat: non gratis, aut hæreditate acceperat, sed labore, & sudore acquisierat: & quidem si diues, cui in domo oues, & boues absque numero nascebantur, non tulit aliquam de suis interficere, sed pepercit sumere, quam graui dolore pauperculus ille afficeretur, cum ouem, quam toto suo peculio coemerat ad diuitis voluptatem exsaturandam dilaniari videret? Apta hæc Christo post sanguinis sui pretium persolutum; & extrema Passionis, atque crucis certamina, cap.2. vers.8.adnot.6.num.2.& seqq.fol.465.col.1. 4.

Oculi eorum tenebantur, ne eum agnoscerent. Non miror; nam vt ait Marcus, cap. 16. 12. *ostensus est in alia effigie:* Sicut & Magdalenæ, vt hortulanus apparuit: Sanè hæ transformationes certa iam æternæ vitæ signa sunt, idque corpus quod ex hac in illam effigiem tam facile transiit; immortale omnino esse, ex illius subtilitate, quæ meos oculos ita deludit, manifeste elicio; sed enim antea in Thabor, quanta prouidentia, quam lento gradu, nec nisi, *dum oraret facta est species vultus eius altera?* Modo verò quam cito ab hac ad illam effigiem abit? Equidem mortale tunc, nunc immortale, & gloriosum corpus habet, ideo illi facilis transfiguratio: O quam opportuno tempori, extincto, videlicet, peccato, vitæ æternitatem reseruauit! Noluit hominem in malis æternum; id enim non præmium fuisset, sed supplicium: ideo illum post peccatum è paradiso misericorditer eiecit, ne sumeret de ligno vitæ, & viueret in æternum, cap.1. vers. 21. adnot. 4. num. 3. fol. 234.col.1. vt nimirum immortalem, æternamque 5.

vitam opportunius post recuperatam felicitatem, quam amiserat restitueret: vnde ad id loci Rupertus *Parcamus, inquit Deus, homini, & quia felicitatem perdidit, aeternitatem quoque praeripiamus infelici, vt in neutro sit, quasi vnus ex nobis; nobis est aeterna felicitas, filix aeternitas, sit illi temporalis miseria, vel misera temporalitas, & tunc illi commodius reformetur aeternitas, cum fuerit recuperata felicitas*, cap. 1. vers. 21. adnot. 5. n. 7. fol. 238. col. 2.

6. *Qui sunt hi sermones? &c. & estis tristes.* Quamuis in alia effigie, & mortalitate exutus, atque ideo peregrinus, semper tamen amicus, semper affabilis, semper proximus: ideo de eorum tristitia leuanda curat: quippe proximi tristitia humanum animum tangere debet, vt de ea lenienda, & curanda agat: sic bonus Ioseph, Genes. 40. 7. seruos Pharaonis vinctos, tristiores solito animaduertens sciscitabatur ab eis: *Cur tristior est hodie solito facies vestra?* quod enim ij qui à regia gratia deturbati, & in carcerem fuerant detrusi, tristes essent, nec mirandum, nec inquirendum erat; sed quod solito tristiores essent, id pium Iosephi animum sollicitare, ac pungere debuit, quippe *mollissima corda humano generi dare se natura fatetur*, c. 2. vers. 2. adnot. 4. num. 5. fol. 305. col. 2. Nihil vero ad leuandam tristitiam optimo amico opportunius, eod. vers. adnot. 2. fol. 298. colum. 2.

7. *Et estis tristes*: Quam facilis pro illis responsio: tristes non esse non posse, qui incređuli erant, & peccato obnoxij: etenim licet exterius omni ornamentorum pompa splendeat; & delitiarum abundantia floreat, *quando non homo sub peccato tristis est* c. 1. vers. 1. adn. 6. n. 13. fol. 22. col. 2. & adn. 4. nu. 13. fol. 18. col. 1.

8. *Tu solus peregrinus es in Ierusalem*: Appositissime errauerunt peregrini nomine Christum compellantes: cum & ipse de se dixerit: *Extraneus factus sum fratribus meis, & peregrinus filiis matris meae*, Psalm. 68. & de ipso Iob, cap. 19. *& quasi peregrinus fui in oculis eorum*; ipsum quippe *sui non receperunt*: quod semetipsum propriis gloriae dotibus exinanierit, cap. 2. vers. 7. in comment. num. 13. & seqq. fol. 368. col. 1. Vnde ad ea Iob verba Gregor. lib. 14. Mor. cap. 19. *Redemptor etenim noster dum à Synagoga cognitus non est, in domo sua quasi peregrinus exstitit, quod aperte Propheta testatur, dicens*: Quare sicut colonus futurus es in terra, & quasi viator declinans ad manendum? Ierem. 14. *Quia enim vt Dominus auditus non est, non possessor agri, sed colonus est creditus.* Sed quare? vt videlicet ipse in diuersorio, tanquam peregrinus esset; vt tu plures in coelestibus haberes mansiones, cap. 2. vers. 7. adnotar. 2. fol. 376. col. 1. De peregrino dicebat Bernard. serm. 7. in Quadrag. *vestitum, & victum habens, non vult aliis onerari*: at noster peregrinus non habuit, vbi caput suum reclinaret: vnde meritò Cleophas: *Tu solus peregrinus*, inter tuos: nos quippe inter extraneos, & in terra peregrinationis: (nam *dum sumus in corpore, peregrinamur à Domino*, 2. ad Corinth. 5. 6.) vt ciues, & domiciliatij radices agere; domos, & maioratus instituere volumus: *Nec sustinebat eos terra peregrinationis eorum prae multitudine gregum*: Gen. 36. 7. vnde peiori consilio soli esse volumus in medio terrae, c. 2. vers. 4. adn. 1. n. 2. & seqq. fol. 321. col. 2.

9. *Quibus dixit ille: Quae?* Iam oblitus es? Ita ne tot vulnera, tot ignominiae, tot cruces, tot mortes excidere potuerunt? ô bonum largitorem, qui dedisti affluenter; & non improperas, cap. 2. vers. 7. adnot. 3. num. 8. fol. 382. col. 2. Sanè, vt beneficia sua Christus puluere sibi scripsisse videtur; ita nos marmore ea nobis celare debemus, ne eorum memoria vnquam deficiat: benè Seneca lib. 3. de benefic. cap. 17. *Gratum hominem semper beneficium delectat, ingratum semel.* & Tertullian. lib. de Poenitent. c. 5. *Respuit datorem, qui datum deserit, negat beneficium, qui beneficium non honorat.*

De Iesu Nazareno, qui fuit vir potens opere, & sermone: Cur virum, & non potius Dei filium nominant? Beda: *Solliciti ne inciderent in manus Iudaeorum sequentium, quia nesciebant, quis esset, quod verum credebant celantes*: Reprehensione certè digni; qui veritatem, & Euangelium erubescebant, cap. 1. vers. 14. adn. 2. n. 2. fol. 198. col. 2. 10.

Potens opere, & sermone: Opportunè id; opus, videlicet, sermoni praeponentes: Nam *primo quidem* (Theoph. ibi) *est opus, secundo sermo. Nullus enim doctrinae sermo approbatur, nisi prius is qui docet, se ostendat auctorem. Nam nisi mundaueris intellectus speculum, non emicat decor optatus*: c. 1. vers. 9. adnot. 5. fol. 98. col. 2. 11.

Nos autem sperabamus, &c. *Quasi dicant* (inquit Maldon.) *iam non speramus cum illum videamus crucifixum*: vnde bene elicit duplici in errore illos versari, & quod Christum non à peccatis, sed à Romanorum tyrannide Israelem liberaturum putabant, vt Theophylact. adnotauit: quod longius ab scopo ibat, cum multo potiora animae bona, quam quidquid floret in saeculo sint, cap. 1. vers. 10. adn. 1. fol. 108. col. 1. & 2. &, quod existimarent crucem cum Redemptione pugnare, cum haec potius vnica esset via redemptionis, c. 2. vers. 7. adnot. 2. fol. 376. col. 1. & vers. 8. adnot. 1. & 2. à fol. 437. col. 2. 12.

Sed & mulieres quaedam ex nostris terruerunt nos, &c. Nunciantes, videlicet, visionem Angelorum, *qui dicunt eum viuere*: Vnde Chrysolog. serm. 79. *Fuit resurrectionis nuncia, quae fuerat mortis interpres*: Sed pende inter vtrumque nuncium discrimen; mortem enim blandè, & adulabunda manu; id enim significat tum ille dicendi modus, *mortis interpres*, iuxta dicta, cap. 1. vers. 13. adnot. 3. num. 6. fol. 178. col. 2. tum visum fuisse Euae pomum pulchrum, atque maturum: vnde non dubium, quin mariro porrigens; illud maximè commendarit: vitam vero, atque virtutem cum terrore, & austeritate annunciat: benè siquidem idem Chrysolog. serm. 74. *Sed vitiis semper seruiunt blandimenta, lenocinantur dulcia delictis, virtutibus verò austera, & fortia sunt amica.* Verum enim verò rerum fines expendere oportet; quod enim blandè, & mellitè annunciabatur, acerbissimum tandem, & lethale fuit; quod verò cum terrore, atque tristitia, suauissimum postea, ac vtilissimum euasit, c. 2. vers. 9. adn. 1. n. 2. fol. 503. col. 2. & seqq. 13.

Terruerunt nos: Maldonat. *Cum, non terrore, sed singulari gaudio eos perfundere tam laeto nuntio debuissent*: En qualis sit hominum incredulitas, vt id omnino quod optabatur deterreat. Pulchrè Chrysol. serm 74. de sepulchri custodibus ex resurrectione Christi perterritis. *Miseri quos tunc percutit pauor mortis, quando securitas redditur vitae. Misera, & sibi semper inimica mortalitas dolet se mori: ne resurgere possit, oppugnat; sepulchrum aperire conuenerat, & ad resurgendum quidquid erat facultatis afferre, vt esset miraculum de facto, de exemplo spes, de reuerso res, credulitas de videndo. Grandis dementia est, hoc hominem nolle credere, quod sibi desiderat euenire.* Apta id iis qui mortali corpori addicti de resurrectione, & immortali gloria deterrentur, dum mortem, per quam ad vitam itur, vehementius horrent, & fugiunt: & ne resurgere possint, oppugnant, c. 1. vers. 23. adn. 1. n. 4. & seqq. fol. 252. col. 1. 14.

O stulti,

15. *O stulti, & tardi corde,* &c. O quam viuus ad eos increpandos est, is quem illi credebant extinctum! Quare placet sub hoc sensu capere illud Pauli: *Quis accusabit aduersus electos Dei? Iesus Christus, qui mortuus, imò & qui resurrexit:* quasi quod pro me mortuus fuerit, ad me arguendum, & accusandum, nisi passionis debitum exsoluero, resurrexerit. Nonne eius verba sunt: *Quæ vtilitas in sanguine meo, dum descendo in corruptionem?* Vide c.2.vers.8. adn. 7.n. 9.fol.472.col.1.

16. *Nonne hæc oportuit pati Christum, & ita intrare:* Quippe non rapinam arbitratus: est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinaniuit: explica vt adnot.3.tota, fol. 346.col. 2.

17. *Benedixit, ac fregit, & porrigebat illis:* De Eucharistia sermonem esse meliores interpretes existimant: vide Maldonat. Sanè ad discipulorum tristitiam leuandam, nullum adeò efficax potuit adhiberi remedium: De cibo dicebat Plinius, lib.22.cap. 24. *Sic, & in lassitudine proniores esse ad iracundiam, & in siti. Ergo, & hac animi asperitas, seu potius animæ, dulciore succo mitigatur. Experimenta in se cuique: nullius non ira, luctusque, tristitia, & omnis animi impetus cibo mollitur. Ideoque obseruanda sunt, quæ non solum corporum medicinam, sed & morum habent:* Quanto id opportunius Eucharistico cibo aptaueris? non enim solum: *Sedat cum in nobis manet Christus sæuientem membrorum nostrorum legem:* cap.2.vers.9.adnot.5.num.9.fol.522.col.1. Sed incredibilem etiam animo alacritatem, & lætitiam affert, cap.2.vers.7.adnot.10.num.12.fol. 427. col. 2. Quod si cibum obseruare monet Plinius, qui non primario, sed casu & extrinseca affinitate ad mores aliquando potest conducere; quam oporteat cœlestem hunc cibum obseruare, qui ad mores diuinos in nobis ingenerandos aptissimus est? cap.2. vers.9.adnot.9.num.4.fol.414.col. 2. Probet ergo se ipsum homo, &c.cap.2.vers.9.adnot.5.num. 25. fol.528.col.1.

18. *In fractione panis.* Opportunè: aliter non cognosceris Domine, nisi per crucem, & mortem, cap.2. vers.9.adnot.3.num.1.ad fin.fol.510.col.2.

Feria III. Paschæ.

Facilè huic Euangelio accommodes, quæ in Euangelio S.Thomæ dicuntur.

Dominica in Albis.

1. *Vbi erant discipuli congregati,* &c. *Venit Iesus,* Quasi à congregatione, & vnitate allectatus, c.2.vers.1.adn.1.n.8.fol.294.col.2.& n.15.& seqq. fol.297.col.1.

2. *Ostendit eis manus, & latus:* Hoc est, vulnerum cicatrices: Sed quare has immortalis iam, & gloriosus abolere noluit? videntur enim eius gloriæ iniuriam quodammodo inferre: audi Gregor. in Caten. S.Thom. *Ad dubitantium corda sananda vulnerum sunt seruata vestigia:* Vt videas quam sit totus ad salutes Dominus, qui cum impassibilis vulnera pro nostra salute perferre non posset; vulnerum cicatrices nobis etiam salutares reseruare voluit: cap.2. vers.9.adnot.7.num.7.& seqq.fol.534.col.1.& 2. Quod si rem accuratius perpendas, vel hac ratione quod salutares nobis hæ cicatrices sint, nihil pene in corpore Christi glorioso illustrius, gloriosiusve illis inueneris: ita dicebat Tertull. *Sibi quidem indigna, nobis autem necessaria, & iam Deo digna, quia nihil est adeo Deo dignum, quam salus hominis,* cap.2. vers.9.adnot.4.num.3.& seqq.fol.514.col.2.& n. 9.fol.516.col.2.& eod.vers.tota adnot. 8. fol. 536. col.1. Vnde vix vnquam speciosior tibi occurret, quam

Vulneraque illa gerens, quæ circum plurima muros Accepit patrios.

cap.2.vers.7.adnot.6.num.9.fol.394.col.2.

3. *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos:* Ad pugnam, crucem, mortem, *nam ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus regnum,* c.2.vers.6.adn. 4. n.7.fol.355.col.1.

4. *Insufflauit,* &c. *Quorum remiseritis peccata* En spiritum Dei; remittere peccata, benefacere, vitam largiri, c.1.vers.2.adnot.2.n.12.fol.36.col.2. Reliqua pete à festo S.Thomæ.

Dominica 2. post Pascha.

Habes in festo S.Thomæ Cantuariensis.

In Ascensione Domini.

Vide in indice, verbo, *Christi Ascensio,* & cap.2. vers.6.adnot.2.n.2.fol.344.col. 1.& cap.2. vers. 9. adnot.1.tota, fol.503.col.1.& adn.2.fol.507. col. 1. & adnot.3.n.10.& seqq.fol.513.col.2.

In die sancto Pentecostes.

Si quis diligit me, sermonem meum seruabit. En dilectionis regulam; seruare præcepta? pro qua quidem dilectione si dederit homo omnem substantiam domus suæ, despiciendo despicient eum, c.1. vers.3.adn.1.n.10.fol.39.col.2. 1.

Sermonem meum seruabit. Emphasim habet phrasis seruandi; accuratè præ alia posita, quasi Christi sermo siue doctrina interius recondenda sit: vnde huic dicendi modo ille videtur respondere, quo apud eundem Ioannem 8.37. Iudæis dicebat Dominus, *Sermo meus non capit in vobis:* vt hinc videas, spatiosam rem esse sapientiam, totumque sibi pectus vendicare, cap.1.vers.21.adnot. 2. num. 4. fol.227. colum.1. 2.

Et Pater meus diliget eum: Quid? dilexit ne homo prior, & retribuitur ei? Absit; sed ei qui diuinæ gratiæ vocanti strenuè respondet, maiora gratiarum dona bonus Dominus dare consueuit, cap.1. vers.6.adnot.3.n.5.fol.57.col.1. 3.

Et ad eum veniemus. Meritò ambigitur, cur de Spiritu sancto mentionem hic nullam facit? Sed respondeo primo, quod iam supponatur præmissus in diligentis corde, quippe qui & ad dilectionem animum excitauit, & ad ipsum signatè pertineat Patri, & Filio aduenturis cordis hospitium mundare: vnde Paulus. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.* Ad Rom.5.5. Ideo verò signatè datus; & in nobis diffusus dicitur, vt lauet quod est sordidum, riget quod est aridum, sanet quod est saucium, flectat quod est rigidum, foueat quod est frigidum, regat quod est deuium: vt nimirum, ad Dei dilectionem aliter, ac in veteri lege totis neruis homo contendat, & extendatur, c.1.vers.8.adn.8. fol. 475. col.1. signatè num.5.fol.476.col.2. 4.

Deinde responde ex salutatione epistolæ, cap. 1. vers.2. Vbi dum inquiritur, cur Paulus deprecans gratiam, & pacem Philippensibus, dixit, *à Deo Patre nostro, & Domino Iesu Christo,* nulla diuini Spiritus facta mentione, scitè respondent Ambros. & S.Thom. ideò personam Spiritus Sancti signatè non nominari, quod intelligatur in donis suis gratiæ, & pacis. Vide ibi num. 2. fol. 19. col. 1. & 2. 5.

Ad

Ad quem modum dicito hic diuinum spiritum pacis nomine statim à Christo nominari, quod hæc potissima, ac germana eius proles, & fructus sit, c.2. vers.2. adnot.3. fol.301.col.1.

6. *Mansionem apud eum faciemus:* En quod alibi dicebat: *Manete in me, & ego in vobis*, quasi de se apud nos duraturo, & permansuro nos ipsos Dominus admoneret: ita quidem; sic enim Deus nobiscum; ac nos cum illo agimus, cap. 1. vers.6. adnot.4.n.12.& 13.fol.63.col.1.

7. *Qui non diligit me, sermones meos non seruat:* Notanter de dilectione, & de diuino spiritu Christus verba faciens mandatorum obseruationem vrget, & inculcat, quippe ad diuinum Spiritum in Baptismo à fidelibus acceptum signatè spectat facere, vt fideles Christo Redemptori repromittant, ei redemptionis pretium vitæ integritate, & bonis operibus esse persoluturos, c.2. vers.8. adn.7. nu. 8. fol. 471.col.2.

8. *Mansionem apud eum faciemus.* Nam Deus homines mirificè amans, in amatis requiescit, c.2. vers. 2. adnot.3. num.7. fol.300.col.2.

9. *Paraclitus autem Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo:* In antecedentibus, aliquid videtur reticuisse Christus, quod orationis series dicendum petebat, nimirum, eos qui mandata sua non seruarent, se & Patrem suum non esse visuros: nam de hac Patris, & Filij manifestatione erat sermo: in his autem verbis aliquid videtur superfluere, nempe vox, *Paracletus*; cum satis fuerit dicere, *Spiritus sanctus*: Eodem autem vtrumque ire videtur; nempe vt discipulos suos blande alloquatur: illud enim (vt notauit Theodor. Mopsuest.) quia odiosum erat, relinquere maluit; hoc, vt obseruant Theophylact. & Euthym. de industria adiecit, quia id nomen ad consolationem discipulorum pertinebat: Principis enim blandis, & salutaribus vti vocibus valde proprium est, c.2. vers.9. adn.7. nu.5. fol. 553.col.2.

10. *Ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia quæcumque dixero vobis:* Quid alio Doctore opus fuerit? vt quæ Christus docuit; iterum doceat? Loquitur Dominus de interiori vnctione, quæ practice docet, & verba in opera commutat. Quare Græcè pro *suggeret*, propriè legeris, *menti indet*: ac si dicat: *Pondraoslo en el coraçon.* Quo sensu dixisse videtur Dominus: *ignem veni mittere in terram*, cap.1. vers.9. adn.2. n.7. fol.92.col.1.

11. *Pacem meam do vobis.* Opportunè nouis sacerdotibus pax præscribitur, quod absque pace quodcumque Deo offerrent munus, imperfectum, mancum, & acerbum Dei conspectibus esset futurum, cap.2. vers.2. adn.1. n.7.& seqq. fol.294. col.2.

12. *Pacem meam do vobis:* Optimo merito suam pacem dixit, quam proprio sanguine comparauit. ibid. num.17.& 18. fol. 297. col. 2. vt hinc maximè timeas pacem deserere, ne redemptioni Christi, atque eius sanguini iniuriam feceris, 298.n.19.col.1.

13. *Non quomodo mundus dat*, &c. Mundi pax cum ex vera virtute non oriatur, nec vera, nec firma esse potest, c.1. vers.8. adnot.1. num. 10. fol. 80. col. 1. Ad hæc Christi pax, quia ex eadem affectionum similitudine dimanat, æterna est, cap. 2. vers. 2. in comment. num.4. fol.291.col.1.& 2.

14. *Quia Pater maior me est.* Pende Christum, *cum in forma Dei*, hoc est, Patri omnino æqualis esset, sæpius tanquam hominem loqui, gaudere, vt non quæ sua sunt, sed quæ Patris considerans, peculiarem ipsi honorem deferat, c.2. vers.6. adn.1. fol.533. colum.2.

15. *Venit Princeps mundi huius, & in me non habet quicquam.* Pulchram Ambrosij expositionem, & ad mores aptam habes. Ibidem n.9. fol.346. col.1.

In festo SS. Trinitatis.

Data est mihi omnis potestas. Post crucem, videlicet, & mortem: *Non enim rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo:* vt in adnot. 3. fol.356. col.1. & adn. 5. n.2. fol.356. col.2. vt discant ij, qui honores, & munera ambiunt, ad hæc nonnisi post merita, & labores deueniendum sibi esse, eadem adn. num. 4. & seqq. fol.357. col.2. 1.

Euntes ergo. Optima illatio: potestatem iam habeo, ergo subditis benefacere, & omni ratione opem ferre debeo, c.1. vers.23. adn.1. n. 1. & seqq. fol.255. col.1. 2.

Omnes gentes. En Christi patrimonium; & claritatem, quam per crucem adeptus est; vt in nomine eius omne genu flectatur, c.2. vers. 10. in comm. n. 32. & adn.3. fol.510. col.2. 3.

Omnes gentes: Optimi Principis more, qui in omnes dona sua distribuit, c.1. vers. 8. adnot.3. fol. 83. colum. 1. 4.

In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Vt in ipso regenerationis lauacro, non secus, ac oues Iacob, ad obiecti coloris similitudinem fœtus progignentes; perfectissimam diuinarum personarum concordiam ebibant, c.1. vers.27. adnot. 1. num.4. fol.264. col.1. 5.

In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, &c. In nomine trium personarum fideles baptizari iubentur, vt ex concordiæ gloria, quæ inter diuinas personas intercedit, ipsi ex mutua concordia, atque beneuolentia discant gloriam capere, c.2. vers. 2. adn. 3. num.1. fol. 301. col.2. 6.

In festo Corporis Christi.

De hac solemnitate; siue de triumpho Christi in Eucharistia, & de illustri pompa quam in publicis egressibus, seu processionibus circumfert, habes adnotationem, cap.2. vers. 9. adnot. 5. sub titul. *Christum augustissimo corporis, & sanguinis sui Sacramento, mundum subiugasse, gloriosumque de humanis animis retulisse triumphum:* fol.519. col.1.

Est etiam cap.2. vers.7. adn. 10. sub hoc titulo: *Christum in Eucharistia ad delitias nostras exinanitum: humani palati, & gustus, an videlicet purus, & optimus; an vero vitiatus, & corruptus sit, egregium indicem esse*, fol.421. col.1.

Præterea eod. versu, adnotat. nona, quæ de Eucharistia tota est; lectioni Euangelicæ adhuc modicum posis accommodare.

Caro mea verè est cibus: Cur verè cibus? num quod vere manducetur? at quot cibi verè manducantur, qui mortem afferant? Sane vere cibus est, quod vere victus, & nutrimentum sit, qui famem depellit, animam nutrit, & deperditum restaurat, n. 5. & num. 3. fol 414. col.1. 1.

Caro mea verè est cibus: Quippe hic panis supersubstantialis, & substantialis est, quòd nostræ substantiæ, quæ spiritualis, ac pene diuina est, maximè congruat, num.4. & 5. fol.414. col.2. & 415. col.1. 2.

Verè est cibus: Christus Dominus carne sua fideles nutriens, egregium sui principatus specimen præbet, n.1. & seqq. fol.413. col.1. 3.

Et sanguis meus verè est potus: Cur Domine ad potandum sanguinem homines inuitas, qui sanguinis esum in veteri lege prohibebas? quod hic sanguis; in nobis non quod ex carne, sed quod ex Deo natum est, nutriat, n.11. fol.417. col.2. 4.

Qui

5. *Qui manducat meam carnem, in me manet*, &c. Quonam modo? Sanè quod qui digne ad Eucharistiam accedit, tam intimè Christo vnitur, eique persimilis euadit, vt in eo tanquam in speculo Christus conspiciatur, num. 6. & 7. fol. 415. col. 2. & 416. colum. 1.

6. *Qui manducat me, & ipse viuet propter me*: Vita, videlicet, cœlesti, atque diuina, num. 12. & 13. fol. 418. col. 1. & seqq.

7. *Viuet propter me.* Quod ego in Eucharistia, vt matrem me exhibeam, quæ suauissimo, & diuino lacte filios nutriam, n. 14. fol. ibid. col. 2.

8. *Viuet propter me.* Ergo ab Eucharistia vitæ, salutis, & profectus index, & indicia sumuntur, n. 16. fol. 419. col. 2.

9. *Viuet propter me*: Sanè si vitam sumis, & panem robustorum accipis, nec fortiorem, & diligentiorem in Dei obsequio te exhibes, culpandus es, quod otiose sumas, n. 17. fol. ibid.

10. *Non sicut manducauerunt patres vestri*: Quippe cœlestis hic panis cum noxiis sæculi cupiditatibus pugnat, & à morte spirituali defendit, n. 11. fol. 417. colum. 2.

11. *Non sicut manducauerunt patres vestri*, &c. Tacitè etiam videtur admonere, ne post Eucharistiam acceptam in pristina peccata relabamur, num. 18. & 19. fol. 420. col. 1. & 2.

AD CONCIONES DE Sanctis.

In festo S. Andreæ.

1. AMbulans Iesus. En Iesum iuxta nomen suum, totum ad salutes; dum omnes ipsius viæ, omnia vestigia hominibus salutaria sunt, & siue ambulat, siue videt, de donis suis conferendis cogitat, c. 2. vers. 9. adn. 7. tota, præcipuè à num. 7. fol. 534. colum. 2.

2. *Ambulans vidit*: Homines aliter; nam prius vident quam ambulent; sic dixit Petrus: *cæcus est, & manu tentans.* Christus verò prius ambulare dicitur, nec alio ductore ad benefaciendum opus habet, qui propter se ipsum benefacere consueuit, c. 1. vers. 2. adn. 2. n. 8. fol. 35. col. 2.

3. *Iuxta mare*: Opportunè qui piscatores quærebat, ad mare iret, vt operi suo idoneos eligeret ministros: sic Euangelici Doctores, atque ministri ex Ecclesiis, scholis, & Academiis, non ex curia sunt extrahendi, cap. 1. vers. 6. adn. 1. num. 9. fol. 341. col. 1. & adn. 5. num. 4. fol. 357. col. 2. Nec de militaribus expeditionibus Episcopi, aut religiosi homines, sed belli duces, de armandis classibus naucleri consulendi: apta locum Nazianzeni, fol. 508. col. 1.

4. *Vidit duos*, Isidor. Pelusiot. lib. 1. epist. 10. *Nihil apud Deum tanto in pretio est, quam charitas, ob quam & homo factus est, & ad mortem vsque obediens, eaque de causa discipuli quoque illi qui primi ab eo vocati sunt, duo fratres extiterunt. Ex quo statim per ipsa initia sapientissimus Saluator illud indicauit, se discipulos omnes fraterno amore copulari velle*: c. 1. vers. 27. adnot. 1. n. 5. & seqq. fol. 264. col. 1. & c. 2. vers. 1. adnot 1. n. 3. fol. 293. col. 1.

5. *Reficientes retia.* En Euangelici ministri opus, retia mundare, atque reficere; plantare, videlicet, atque irrigare; at pisces capere ad Deum spectat, nam *neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus*, c. 1. vers. 11. adn. 3. tota, fol. 154. col. 2.

Erant enim piscatores: Officio suo vacabant, nec maiora se quærebant, gratum id maximè diuinis oculis, c. 2. vers. 6. adn. 6. n. 14. fol. 365. col. 1. 6.

Faciam vos fieri: Quid hæc circumlocutio fuerit? nonne satis erat dixisse, faciam vos piscatores? Opportunius certè Dominus, vt innueret, non sufficere vocantis gratiam, nisi subsequatur collaborantis industria, diuinisque auxiliis nostram cooperationem adnectendam, c. 1. vers. 6. adn. 3. nu. 4. & seqq. fol. 56. col. 2. 7.

Piscatores hominum. Rectè Apostoli, Prælati, & ministri Euangelici, piscatores hominum dicuntur, quod quemadmodum piscatores hamo, non nudo, sed esca contecto pisces capiunt, ita illi mansuetudine, & suauitate homines ad se sunt allecturi, c. 2. vers. 7. adnot. 6. fol. 399. col. 2. & nu. 11. & 12. fol. 395. col. 1. & 2. 8.

Pro S. Francisco Xauerio.

Sint lumbi vestri præcincti: Vide c. 1. vers. 21. adn. 3. n. 6. fol. 231. col. 1. & c. 2. vers. 9. adnot. 9. num. 2. & seqq fol. 540. col. 1. 1.

Et lucernæ ardentes: Eadem adnot. 9. num. 4. fol. ibid. col. 2. 2.

Et vos similes hominibus. Indidem & dicta adn. 9. num. 6. fol. 541. col. 1. & fol. 231. n. 7. col. 1. 3.

Similes hominibus, &c. Cur hominibus, & non homini expectanti, &c. Quod ij qui perfecti Christi discipuli euasuri sunt, non vni iusto, sed pluribus similes, hoc est, non vna aut altera, sed omnibus virtutibus conspicui futuri sint, c. 1. vers. 8. adnot. 1. n 1. & seqq. fol. 142. col. 2. 4.

Confestim aperiant ei: Præfato fol. 231. col. 1. & 2. 5.

Præcinget se, & transiens ministrabit illis: Præcinctis seruis præcinctus Dominus ministrat, talionemque rependit: Quod in Xauerio signatissimè videris; quem non modo viginti septem mortuos suscitasse, ventis, & mari sæpius imperasse, sed & Solem in suo cursu per tres integras horas cohibuisse nouimus, *obediente Domino voci hominis*, Iosue 10. 14. Certè de Iosue dicebat Ambrosius: *Potuit Solem sistere ne procederet, auaritiam hominum non potuit sistere, ne serperet.* At enim de Xauerio, & Solem potuisse sistere, & hominum auaritiam, quod multo maius prodigium est, cohibuisse scimus: dum in auarissimos mercatores, qui ad Indos currerant per mare diuitias insequentes, per saxa, per ignes, non modo seuerissimis legibus ad temperantiam instituit: sed ad largissimas eleemosynas faciendas permouit: de quo plura in eius Actis: tu vide Ambrosij, & Hieronymi loca huic rei opportuna, c. 1. vers. 13. adn. 2. n. 11. fol. 174. col. 1. 6.

Ad hæc quomodo ipsi Christum non ministrasse dixeris? qui cum laborante laborabat, & cum patiente sic compatiebatur; vt sanguineum sudorem exprimeret; nosti crucifixi imaginem, quæ in palatio *de Xauer* erat, sanguinem sudare solitam, quoties insigni aliquo labore Xauerius in India confictabatur, nimirum, & Xauerio Dominus erat charitate coniunctissimus, cap. 2. vers. 2. adnot. 4. num. 9. fol. 307. col. 1. & illius infirmitatem ipse susceperat, quò suam ei fortitudinem ad tot labores exantlandos conferret, cap. 1. vers. 23. adnot. 2. nu. 12. fol. 258. col. 2. 7.

Pro sancto Nicolao: & in communi Conf. Pontif.

Homo quidam: Pende diuinæ naturæ diffinitionem; non alio illustriori nomine, quam hominis conspicuam, 1.

conſpicuam,quippe Dei natura non modo ſumme bona & benefica:cap.1.verſ.2.adnot.2.fol. 34.col. 2. Sed etiam ex bonitate illuſtris,& magnificentior innoteſcit,c.2.verſ.9.adnot.8.n.2.& ſeqq.fol. 536. colum.2.

2. *Peregre proficiſcens*: Tenere quidem aliquando, ſæpius vero fortius ſuos amat Dominus: ideo ab eis de induſtria proficiſcitur;vt illius abſentia ipſorum amor excreſcat,cap.2.verſ.7.adnot.10. nu. 15. fol.428.col.1.& 2.

3. *Vocauit ſeruos ſuos*: Solius Dei eſt vocare, non modo quo ad dona ſpiritualia gratiæ:de quo cap.1. verſ.6.adnot.1.& 2.à fol.51.col.1.Sed etiam quoad dignitates, & gradus; *nec enim quiſquam ſumit ſibi honorem*, ſed qui vocatur à Deo tamquam Aaron:c.2.verſ.6.adn.1.n.5.fol.341.col.1.

4. *Et tradidit illis bona ſua*: En bonum Principem; qui ſua ſubditis tradat, non verò ſubditorum bona ſibi ſumat,cap.1.verſ.23.adnot.2. n. 2.& ſeqq. fol. 255.col.1.

5. *Vni quidem quinque,alij autem duo:alij vero vnum*: Cur eo ordine, & non potius æqualiter omnibus diſtribuens Dominus inducitur?vt illud nobis reddatur documentum;quam maximè neceſſum eſſe, vt vnuſquiſque in ſuo ordine, & gradu ſe contineat,nec maiora ſe quærat,c.2.verſ.6.adnot.6.n.3. fol.361.col.1.

6. *Vnicuique ſecundum propriam virtutem*: Quid? propriæ hominis virtuti, gratia tanquam merces retribuebatur? Abſit; de gradibus potius dignitatum ſermo eſt, hæ enim pro ſingulorum meritis ſunt diſtribuendæ,vt præſtantiores, & illuſtriores, præſtantioribus,& illuſtrioribus reſpondeant, c.2. verſ.9.adnot.2.n.3.fol.507.col.2.

7. *Operatus eſt in eis, & lucratus eſt alia quinque*. Quippe Deus non tantum mutuum repetit, ſed fœnus exigit,cap.1.verſ.9.adnot.6.n.6.fol.103.col. 1.Lucra noſtra ſua deputans,cap.1.verſ.10. adnot. 8.n.7.fol.133.col.1.

8. *Qui autem vnum acceperat abiens fodit in terram*. Is videlicet, qui charitate deſtitutus ſcientiam ad terrena conquirenda conuertit,c.1.verſ. 9. adnot.5. num.7.fol.100.col.1.

9. *Fodit in terram*: Addit Lucas repoſuiſſe illam in ſudario:vt argumento ſit,eum qui de augenda charitate non agit, per proprios pedes ad mortem ire: c.1.verſ.9.adn.2.n.11.fol.93.col.1.

10. *Poſt multum vero temporis*:Qui alacriter,celeriterque donauerat(nam *gratuitum de Deo munus, & facile eſt*,cap.1.verſ.1.adnot.2.n.1.fine,fol.34.col.1. & 2.) poſt multum temporis exacturus reuertitur, quod videlicet, pigrum, & inutilem ſeruum eſſet puniturus, ideo ad iudicium in illum ferendum cunctanter accedit,c.1.verſ.13.adn.5.n. 2. & ſeqq. fol.186.col.2.

11. *Venit Dominus ſeruorum*, &c. Quid? Hominem prius appellaſti,& modo Dominum dicis? Ita quidem; nam qui bona ſua humanè, benigneque diſtribuit, rationem de illis, vt Dominus ſeuerè exiget,cap.1.verſ.10.adnot.9.num.10.fol.139.col.2.

12. *Quia in pauca fuiſti fidelis, ſupra multa te conſtituam*:Optimus promouendi modus,vt gradatim ad ſummum honorem non ex rapto perueniatur, c.2. verſ.9.adn.2.n.4.fol.508.col.1.

13. *Intra in gaudium Domini tui*: Imo verò in gaudium tuum,quod tua videlicet induſtria comparaſti:opportunius ſanè,*in gaudium Domini tui*: quod de bono noſtro plus Dominus, quam noſmetipſi; gaudeat,cap.1.verſ. 10. adnotat.8.num.3.fol. 131. colum.1.

In feſto S. Ambroſij.

Et in communi Doctorum.

Vos eſtis ſal terræ: Salis,luciſque imagine optimi Prælati,atque doctoris naturam deſcribit, qui excuſſis propriis in aliorum vſus ſeſe impendere debet,c.1.verſ.23.adn.2.à n.4.fol.255.col.2. 1.

Sal terræ. Sapientia in ſale commendatur; quæ in Doctore non mediocris,ſed magna, & excellens eſſe debet, ne pro honore ignominiam conſequatur: cap.1.verſ.9.adnot.4.num.9.& ſeqq. fol. 97. colum.2. 2.

Quod ſi ſal euanuerit: Tacite ſapientum humilitatem commendat, & vanitatem eum ſapientia ex diametro pugnare oſtendit:plura de hoc ad ea verba,cap.4.*Scio humiliari*. 3.

Ad nihilum valet vltra: Notantiſſimè vt videris ſcientiam abſque charitate nullius momenti eſſe; ſiue nihil omnino eſſe,cap.1.verſ.9. adnot.5.fol.98. colum.2. 4.

Niſi vt mittatur foras: A ratione, ſcilicet,veri,& ſolidi boni eiiciatur;quod nec pili valeat: c.1.verſ. 10.adn.1.n.9.fol.110.col.1. 5.

Et conculcetur ab hominibus:Explicat tandem ad quid valeat ſapiens inflatus,nimirum,vt contemnatur,& pro honore,quem captare ſtudebat,ignominiam conſequatur,cap.2.verſ.3.in comment.num. 14.fol.311.col.2.& adnot.1. num. 12. ad fin. fol. 317.col.2. 6.

Non poteſt ciuitas abſcondi ſupra montem poſita: Ac ſi iis quibus humilitatem perſuaſerat, dixerit: Non de obtinendo, ſed de promerendo honore age;fieri enim non poteſt,vt ſi illum fueris promeritus,quantumuis ab eo fugeris,non obtineas:quippe honor fugientes inſequitur: c.2.verſ.3.adn.1.n. 14.fol. 318.col.1. 7.

Sic luceat lux veſtra: Iure Doctores, & Prælati cum luce componuntur;quod vt ipſa in prima rerum productione ad examen vocata eſt,ita illi poſt bonorum operum,ac meritorum examina, & non ſubito ad dignitatem peruenire debeant, c. 2.verſ. 6.adn.5.n.5.& ſeqq.fol.358.col.1. 8.

Sic luceat lux veſtra,vt videant opera veſtra.Totam lucendi rationem ex operibus deſumendam docet,cap.1.verſ.9.adnot.6.n.1.fol.102.col.1. Notanter vero à Doctore qui alios docturus, & inſtituturus eſt; bonorum operum manifeſtatio exigitur,quod exemplo potius quam doctrina homines permoueantur,cap.1.verſ.14.adn.1.tota fol.196. 9.

Et glorificent Patrem veſtrum. En omnium operum,& actionum noſtrarum ſcopum Dei gloriam, & laudem,c.1.verſ.11.adnot.4.tota,fol.157.col. 1. & 2.En ſummam iuſtorum dignitatem, qui Deum ex ipſius imagine, quam in ſe exprimunt glorioſum oſtendunt,eod.verſ.adnot.5.à num.2.fol.160. colum.2. 10.

Iota vnum, aut vnus apex non præteribit à lege: Quippe iuſtitiæ lex perfectiſsima, quæ nec minimum defectum patitur,c.1.verſ.10.adn.2.n. 4. fol. 112.col. 2. Non enim eſt formoſa mulier, cuius crus laudatur,aut brachium,ſed cuius vniuerſa facies admirationem ſingulis partibus ademit:cap.1. verſ.11.adn.1.n.5.fol.143.col.2. 11.

Soluerit vnum de mandatis iſtis minimis: Notanter cum ſuperius dixerit, *ſoluere legem*, modo cum de minimis erratis agit, eadem locutione, inquit: *ſoluerit vnum*, &c. quod idem pene ſit, minimum mandatum,ac legem,quæ tota ſimul colligata eſt, ſoluere: à minimis enim ad maiora errata deuenitur,c.1.verſ.10.adn.4.n.11.fol.122.col.1. 12.

Qui

13. *Qui autem fecerit, & docuerit:* Primas virtuti partes, quam scientiæ, & doctrinæ dedit, c.1.vers.9. adnot.5.num.12.fol.101.col.1.

14. *Fecerit, & docuerit:* En summam perfectionem; charitate, & scientia constare, c.1.vers.9.adn.3. tota, fol.133. & in proximorum salutem incumbere c.2.vers.9.adn.9.n.5.fol.541.col.1.

In festo purissimæ Conceptionis Beatæ Mariæ.

Habes duas hac de re adnotationes, fol.396. & 405. & quæ in illis continentur, in indice rerum singillatim scripta.

Pro Sancta Lucia V. & M.

Et in communi Virg. & Martyr.

1. *Qui inuenit homo abscondit:* Gregor. *Quia studium cœlestis desiderij à malignis spiritibus custodire non sufficit, qui hoc & ab humanis laudibus non abscondit:* cap.2.vers.3.adnot.1.n.1.& seqq.fol.314.col. 1.& 2.

2. *Vendit vniuersa quæ habet:* Nec minus quam vniuersa? Benè nosti: imò verò vniuersa dedisse non sufficit, nisi te ipsum etiam dederis; etenim *fortasse laboriosum non est* (Gregor.) *homini relinquere sua, sed valde laboriosum est, relinquere semetipsum:* c.1. vers. 3.adn.1.n.10.fol.40.col.1.

3. *Inuenta vna pretiosa margarita:* Plures antea quærebas; & vna modo contentus es? Ita quidem; hæc quippe dilectio est; in qua omne mandatum instauratur, c.2.vers.2.adn.1.n.14.fol.296.col.2.

4. *Sagena missa in mare:* Bonus sagenæ vsus, qui bonos à malis discriminat; nec mixtim præmiis afficit, c.2.vers.9.adnot.2.n.9.fol.509.col.2.

5. *Ibi erit fletus, & stridor dentium:* Quæsita locutio ad denotandam tormentorum acerbitatem: vide c. 1.vers.10.adn.9.n.10.fol.139.col.2.

In expectat. B. Virgin.

Quære in Annunciatione.

In festo S. Thomæ Apostoli.

1. *Venit Iesus, & stetit in medio:* Nulli peculiariter addictus; omnibus æque benefaciens: c.1.vers.8.adnot.3.num.9.fol.84.col.2.

2. *Pax vobis:* En bonorum cumulum, cap.1.vers.2. in exposit.lit.fol.26.col.1. En Christi votum, atque mandatum; cap.1.vers.27.adnot.1.num.2. fol. 263. col.1.& 2.& cap.2.vers.1.adnot.1.n.7.f.294. col.2.

3. *Infer digitum tuum huc, & vide manus meas:* Peculiare id Christo, atque virtuti, manus tractandas dare, & in medium proponere; quippe *veritas nihil erubescit, nisi solummodo abscondi:* Secus quidem ac mundus, cap.1.vers. 14.adnot. 2. num. 1. fol. 108. col.1.& 2.

4. *Affer manum tuam, & mitte in latus meum:* Ac si dixerit: fige iterum cruci, & latus rursus perfora: & dum vides, quid tua incredulitate agas, erubesce, c.2.vers.8.adn.6.n.9.fol.468.col.1.

5. *Et mitte in latus meum:* Quam aliter Deus cum miseris homuncionibus, ac Principes cum suis se habeat! ille quippe aditum, & aperturas in se ipso nobis facit, per quas possint intrare currus, atque quadrigæ, per principum verò fores maligne apertas non tam intrare, quam illabi possis: vix vero introrsum pedem posueris, cum fueris exclusus: c.2. vers.7.adnot.3.n.7.fol.381.col.1.

Et mitte in latus meum: Scitè Chrysost. hom. 86. in Ioann. *Considera dominatoris clementiam, qualiter & pro vna anima ostendit se ipsum vulnera habentem, & accedit vt saluet vnum, & nimirum discipuli annunciantes digni erant fide, & ipse promittens. Sed tamen quia solus Thomas quæsiuit, neque hoc eum priuauit Christus:* Pende in his duo; alterum, vnam animam non minus Deo charam, quam omnes esse, c. 1.vers.3.adnot.3.fol.44.col.2. alterum non renuisse Christum more optimi medici per se ipsum ad eius curationem accedere, quod rei indigentia ita postularet, c.2.vers.7.adnot.6.n.2.fol.391. col. 2. vt discant Principes publicæ rei, atque gubernationi per se ipsos interesse, cap.1.vers.13.adnot.6.num.7. & 8.fol.191.col.2. 6.

Dominus meus, & Deus meus: Opportune modo conuersus ipsum Dominum, ac Deum suum appellauit. cap.1.vers.3.adnot.1.num. 11 & seqq. fol.39. colum.1. 7.

Pro S. Sebastiano.

Apta in primis Sebastiano sagittis confixo ea verba, 1.Reg.20.23. *Ecce sagittæ intra te sunt:* de quibus c.1.vers.29.adnot.2.n.5.fol.401.col.2. 1.

Descendens Iesus de monte, &c. En vberem exinanitionis filij Dei fructum: *Nam si in specula sua mansisset; si ad hominum infirmitatem se minime demisisset, pauci fortasse secuti fuissent*, c.2.vers.9. adnot. 3.num.8.fol.513.col.1. 2.

Virtus de illo exibat, & sanabat omnes: Quippe vnguentum exinanitum, non vt antea in vase conclusum, ad sanitatem nobis ferendam, ibid.n.7.fol.512. col.2.& vers.7.adnot.2.n.2.fol.376.col.2. 3.

Et ipse eleuatis oculis in discipulos suos: Pende celsitatem discipulorum Christi; & quantum inter turbam eminerent; cum ad eos alloquendos oculos suos Dominus eleuare signatè dicatur: cap. 1.vers. 10.adnot.1.n.12.fol.110.col.2.& seq.& cap.2.vers. 7.adnot.5.n.7.fol. 390.col.2. 4.

Beati qui nunc esuritis, quoniam saturabimini. Beati qui nunc fletis, quia ridebitis: Etenim vicibus disposita res est; lugeamus ergo dum mundi amatores gaudent, vt cum lugere cœperint, gaudeamus, cap.2.vers.9.adnot.1.n.4.fol.504.col.2. 5.

Beati eritis cum maledixerint vobis, &c. Spe gaudij & exultationis, bono eos animo in tribulationibus esse monet, quod hæ ad gaudia viam aperiant, cap.1.vers.19.adnot.vnic.n.6.fol.218.col.2. 6.

Reliqua pete è festo omnium sanctorum.

In conuersione S.Pauli Apostoli.

Multa cap.3.ad ea verba vers. 5. *de tribu Beniamin*; necnon ad illa vers.17. *Imitatores mei estote.*

In Purificatione B. Virginis.

Pro introductione dubitabis; an speculorum vsus probus & honestus sit; & pro negante parte Zenonem M. pro affirmante adduces Senecam citatos, c.1.vers.21.adnot.3.n.15.fol.232.col.2. Illud tandem concludes, nihil vtilius, honestius nihil, quam ad animi faciem exornandam Diuæ Virginis speculum ob oculos semper habere, dicente Ambrosio, lib.2.de Virg. *Sit vobis tamquam in imagine descripta virginitas, vitaque beata Mariæ, de qua velut in speculo refulget species castitatis, & forma virtutis:* Cum potissimum ipsa perfectissimæ obedientiæ exemplar fuerit; quippe soluta legibus; legi sese sponte subiecit. Apta id, *audi filia, & vide*: c.2.vers. 8.adn.4.n.9.& seqq.fol.457.col.1. iunge Chaldæi 1.

ü ü verso

versionem, in qua virgo ob singularem obedientiam, & rectitudinem liber legis appellatur, quasi ipsa viua lex fuerit,c.2.vers.7.adn.8.n.14.fol. 411. col.1.ad fin.

2. *Tulerunt Iesum in Ierusalem,vt sisterent eum Domino.*Bona mater,quæ filium Domino consecrat,c. 1.vers.9.adn.1.tota,à fol.125.col.2.Bonus filius qui cum Princeps sit,& legibus vndique solutus, leges tamen suas sponte seruat:ita de ipso Isai.11.*Erit iustitia cingulum lumborum eius*,qua videlicet, ipse se, velut homines cingulo,sponte constringat, vt pulchrius modo dixeris, quam de Traiano Plinius in Paneg.*nunc primum audio,nunc primum dicam, non est Princeps super leges,sed leges super Principem*:De Christi obedientia,vide c.2.vers. 8. adn.4.fol.454. col.1.& 2. Vnde duo facilè elicies, alterum,quod Domitiano Imperatori ingerebat Apollonius, *quas* (leges) *si tibi imperare non putaueris,ipse non imperabis*;hoc est,non obedieris;nam tuo exemplo subditi leges deserent,c.1.vers.13.adnot.3. fol. 177.col. 1.Alterum eum optimum Regis amicum, & ministrum futurum, qui more Virginis filium suum ad obseruandam legem in templum inferentis, Principem ad sese legibus adstringendum indesinenter monuerit, quo forsan sub arcana significatione ire videtur, quod de Ionatha erga Dauidem qui Rex erat futurus,inquit Sacer textus:dedisse ei videlicet,vestimenta sua,*vsque ad baltheum*, 1.Reg. 18.4. vt egregij Principum familiaris specimen daret,qui cingulum non auferret,sed offerret, cap.1. vers.13.adn.4.fol.182.col.2.

3. *Vt sisterent eum Domino*:Beda:*Post tricesimum autem, & tertium circumcisionis diem Domino sistitur: mysticè autem insinuans: neminem nisi circumcisum vitiis, dominicis dignum esse conspectibus, neminem nisi mortalitatis nexibus absolutum superna ciuitatis gaudia posse perfectè subire:*Vt proinde dum suppetit vita enitamur,vt mors quam paucissima,quæ abolere possit inueniat,c.1.vers.21.adn. 3. n. 9. & 10. fol.131.col. 1.

4. *Omne masculinum adaperiens vuluam, sanctum Domino vocabitur:* Optimo quidem merito: hoc enim diuinitatis proprium, primarium hominis scopum esse,& primigeniam eius cogitationem ad se rapere,c.1.vers.3.adn.1.n. 3. & seqq. fol. 39.col. 1. & 2.

5. *Et vt darent hostiam secundum quod dictum est in lege Domini,par turturum, aut duos pullos columbarum:* Atqui lex à potentibus agnum pro filio exigebat, cur ergo pauperum more turturum hostia oblata est? Beda:*Hostia hæc pauperum erat:ergo Dominus cum diues esset pauper fieri dignatus est, vt nos sua paupertate diuitiarum suarum donaret esse participes*.cap. 2. vers. 7. adnot. 2. num.3.fol. 377.columna 1.

6. *Et vt darent hostiam*,&c. Miratur Cyrill. in Catena S.Thomæ.*O profunditatem scientiarum sapientiæ,& scientiæ Dei! Offert hostias,qui per singulas hostias honoratur cum Patre*: Miretur etiam eum qui homines redempturus erat; hodierna die ab hominibus, nempe à sanctissimis parentibus redimi voluisse:crescat autem admiratio, quod is qui inæstimabilis pretio est; etiam si pro minimo illius capillo cœlum terramque in trutina appenderis; non iam exiguo agni,vt alij redimebantur, sed vilissimo turturum, & columbarum pretio redimi voluerit; hac vna de causa vt animos nobis daret ad eum quouis pretio coemendum:cap.1. vers. 11. adnot.4. num.8.fol.159.col.1.

7. *Et homo iste iustus, & timoratus*: Benè Beda ibi: *Quòd difficulter iustitia sine timore custoditur:non illum dico timorem, qui temporalia sibi bona subtrahi perhorrescit,quem perfecta dilectio foras mittit; sed timorem Domini sanctum, qui manet in sæcula, quo iustus Deum quanto ardentius diligit, tanto solertius offendere cauet*,cap.1.vers.

8. *Et homo iste iustus*: Ambros. *Bene iustus, qui non suam,sed populi gratiam requirebat,vnde sequitur: & expectans consolationem Israel:* Vt videris opus iustitiæ esse commune bonum priuato præferre:cap.2. vers.4.adn.1.n.13.fol.325.col.1.

9. *Expectans consolationem Israel*:Pende vel ea potissimum de causa,quod iustus Simeon populi bonum concupisceret,propriam accepisse consolationem,augustamque illam promissionem, non visurum mortem donec videret Christum Domini, quod tunc maximè sua quisque commoda spectet, atque procuret, cum de publico bono, & vtilitate Reipub.agitur,ibid.num.14 fol.325.col.1.& 2.

10. *Accepit eum in vlnas suas*,Gregor.Nyssen.in Catena S.Thomæ. *Quam beatus ille senex ad sacra introitus,per quem ad vitæ terminum maturauit*:Sanè, ac si illi fuisset repromissum non prius moriturum, quam ex Christi contactu, vitæ maturitatem acciperet:vt videas virtutis maturitatem, & fructum quam necessario dependeat à Christi in Eucharistia contactu,atque virtute;c.2.vers.7.adnot.9. nu. 16.fol.419.col.2.& n.13.fol.418.col.1.& 2.

11. *Nunc dimittis seruum tuum Domine*: Ambros. *quasi necessitate teneretur in hac vita, non voluntate ita dimitti petit,quasi à vinculis quibusdam ad libertatem festinaret*,cap.1.vers.23.n.6.& seqq.fol. 248. col.2.

12. *Secundum verbum tuum in pace.* Quippe mors lucrum,requies,leuamenque curarum,c.1.vers. 21. adnot.4.tota,fol.319.maximum vero lucrum,quod dissolui,& esse cum Christo multo melius,vers.23. adnot.1.tota,fol.251.col.1.

In festo S. Matthiæ Apostoli.

1. *Confiteor tibi Pater Domine cœli,& terræ*,&c.Debitam humilitati exaltationem,& gloriam;superbiæ vero contumeliam,atque contemptum; emphaticis verbis adstruit Christus;tum Patri ea de re referens gratias, tum sapientissimo huic consilio adstipulatus,& pro eo suffragium ferens.Plura de hoc,c.2. vers.9.adnot.6.n.7 fol.530.col.2.

2. *Quia abscondisti hæc à sapientibus*:Ita ne Christus qui hominum Saluator,& aduocatus est ob beneficia sapientibus denegata, Patri gratias agat? Maximè,quod iis qui Dei mysteria agnoscentes; virtuti non student magna misericordia, ea dona denegantur,ne inde acrius puniantur,c.1.vers.9.adn. 7. n.2.fol.104.col.2.

3. *Venite ad me omnes qui laboratis*, &c. Quomodo reficies,& curas leuabis? *Tollite iugum meum super vos*. Itane lasso manum, & opem porrigis, iugum illius ceruici imponens? Ita omnino: Christi enim seruitus non onerat, sed honorat, non grauat; sed demulcet, c. 1. vers. 1. adnotat.4.num.14.fol.18. col. 2.

4. *Tollite iugum meum*,&c. Triplici ratione siue illecebra ad suum iugum ferendum allicit Christus; quod vnicum,quod suum,quod suaue, vt his capitibus suam à peccati seruitute longe discriminet,in hac enim non vnicum, sed plura sunt iuga, atque hæc dominorum alienorum, quique immites, & crui nimis sint.Habes hæc omnia,c.1.vers. 1. adn. 6.tota,à fol.21.col.1.

5. *Discite à me*:Quid? mundum fabricare? aut mirabilia facere? Minimè: Quid ergo? humilitatem, hæc

hæc quippe potentia, & miraculorum patratione vtilior, & magnificentior, cum hæc Christo nominis claritatem, quam omnipotentia non dederat, attulerit, cap. 2. vers. 9. adnot. 6. n. 3. & seqq. fol. 529. col. 1. & 2.

6. *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde*: Signatè humilitatem à se discendam, monet Christus, quod in ea natiua Dei imago, & character resplendeat, cap. 2. vers. 5. adn. 1. n. 5. & seqq. fol. 328. col. 1.

7. *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde*: Cur humilitate contentus, aliarum virtutum mentionem non facit? Quod hæc præcipua sit Christianæ religionis disciplina, à qua veræ vitæ, & salutis initium desumitur, ibid. n. 6. 7. & 8. fol. 329. col. 1. & 2. & 330. col. 1.

8. *Discite à me, quia mitis sum, & humilis*: Si capis particulam *quia*, in sensu causali, quasi vel ea potissimum de causa Christum, vt Magistrum, & Doctorem debeant accipere, quod ipse mitis, & humilis sit: audi Basil. Seleuc. orat. 42. *Sublimia & magna parce, & latenter loquitur, humilibus vero, & abiectis circumfluit eius oratio. Quibus enim familiarius inducuntur homines, iis quoque immorantur.* Vide c. 2. vers. 5. adnot. 1. n. 3. fol. 328. col. 1. & de mansuetudine ad alliciendos hominum animos, vers. 7. adn. 6. n. 8. & seqq. fol. 394. col. 1. & 2.

9. *Et inuenietis requiem animabus vestris.* Quod bona hominis sors non ex siderum constellationibus, sed ex similitudine cum Christo humili petenda sit: c. 2. vers. 5. adn. 1. n. 8. fol. 330. col. 1.

10. *Et inuenietis requiem*: Quod humilitatis via requie, & tranquillitate plena sit, superbi verò, & ambitiosi, vt sese inuicem protrudunt, ita eorum corda mare feruens, quod quiescere non valet, ead. adnot. n. 13. fol. 332. col. 2.

In festo S. Gregorij Magni.

Pete à festo S. Ambrosij.

In festo S. Iosephi sanctissimæ Virginis sponsi.

Habes in vigilia Natiuitatis Domini.

Adde Christum, qui labenti mundo, vt optimus faber crucis fulcrum erat subiecturus, opportunissimè Iosephum parentem habuisse, qui non tam materialium, quam spiritualium rerum fabrilem artem optime nosset, & de mundi salute maximè foret sollicitus, vt is quodammodo Christo, tanquam exemplar ob oculos versaretur, cap. 2. vers. 8. adnot. 1. n. 1. fol. 437. col. 2.

In festo Annunciationis B. Mariæ Virginis.

1. *Missus est Angelus Gabriel à Deo*: Opportunè Gabriel, qui Dei fortitudo interpretatur. Sed quare? Num quod illum nunciare adueniat, qui paruulus, & exinanitus venturus est? Ita omnino: tunc enim ipse Deum fortem, Deumque gigantem sese ostendit, & exhibuit: cap. 2. vers. 9. adnot. 4. n. 3. fol. 514. col. 2. Adde redemptionem nostrā adeo eximiæ fortitudinis opus fuisse, vt qui cœlos digitis, siue digitorum sono perfecerit: ad extrahendum Christum de Matris ventre fecerit potentiam in brachio suo, adeo illius aduentui inuidebat, & obstrepebat Lucifer, cap. 2. vers. 9. adnot. 8. num. 8. fol. 538. col. 1. & 2.

2. *Ad Virginem*: Cur ad hanc inter omnes Virginem? respondet ipsa: *Quia respexit humilitatem ancillæ suæ*: Humilitate scilicet, Virginis allectatus, quasi hæc ad instar magnetis ferrum ad se allicientis cum Deo se habuerit, sanè ferrum quod duriora quæque domat, nec à durissimis domatur, magneti cedere, & manus dare: ita scribit Plin. lib. 36. c. 16. *Quid ferri duritia pugnacius? Sed cedit, & patitur mores, trahitur namque à magnete lapide, domitrixque illa rerum omnium materia ad inane nescio quid currit, atque vt propius venit, assistit, tenetúrque, & complexu hæret.* Quem quidem ad modum immensa illa altitudo, domitrixque rerum omnium potentia se habere videtur: *Altus quippe est Deus* (inquit August.) *erigis te, & fugit à te.* imò vero eum, qui super astra conscendere nititur, velut calce proculcat, atque præcipitat, nam videbam Satanam, tanquam fulgur de cœlo cadentem *humilias te, & accedit ad te*, ad inane nescio quid currit tenetúrque, & complexu hæret, c. 2. vers. 9. adn. 6. num. 8. & 9. fol. 531. col. 1. & 2.

Desponsatam: Magnæ vrbanitatis consilio ex desponsata nasci Dominus elegit, vt vel proprio sui nominis splendore postposito, matris famæ, atque existimationi consuleret: c. 2. vers. 6. adnot. 2. n. 11. fol. 346. col. 2. 3.

Et nomen Virginis Maria. Aptissimum Deiparæ nomen *Maria*: quod interpretatur Domina: tantæ enim maiestatis appellatio ei iure debebatur, quæ Dei filium erat coronatura, nam *hoc ipso quod ad omnium salutem eum concepit, coronam capitis eius æterna pietatis imposuit*, c. 2. vers. 9. adnot. 4. n. 4. fol. 515. col. 1. & 2. 4.

Dominus tecum: Pulchrè Bern. *Quid? quem modo reliquisti in cœlo, modo in vtero reperis? Quonam modo? Volauit, & praeuolauit super pennas ventorum. Victus es ô Archangele, transiliit te, qui præmisit te.* Tanta, videlicet, illius ad benefaciēdum alacritas, atque celeritas est, c. 2. vers. 9. adnot. 7. n. 1. fol. 532. col. 2. 5.

Turbata est, & cogitabat, qualis esset ista salutatio: En humilis naturam, & ingenium, qui adeo ea, quæ altiora se sunt, non ambiat, vt eosdemmet honoris, & dignitatis delatos sibi gradus, tanquam illis sit maximè indignus, à se repellat; vt è contra superbus multo plus quam sibi debeatur, sibi arrogat, omniaque honorifica, & splendida ad se pertinere credit, vt videris in Aman, qui honores à Rege destinatos Mardochæo sibi vni deferendos credebat: *Cogitans in corde suo, & reputans, quod nullum* alium Rex, nisi se, vellet honorare, Esther c. 6. 6. Vide cap. 2. vers. 9. adn. 6. n. 7. fol. 530. col. 2. 6.

Inuenisti gratiam apud Dominum: Bern. *Quid? Plena est gratia, & gratiam adhuc inuenit? digna prorsus inuenire, quod quærit, cui propria non sufficit plenitudo, nec suo potest esse contenta bono*: Nimirum charitatis modus sine modo est, c. 1. vers. 9. adnot. 2. n. 9. fol. 91. col. 2. 7.

Ecce concipies, & paries filium. Pende discrimen inter hæc; & Zachariæ ab Angelo dicta verba: illi siquidem ait: *Vxor tua Elizabeth pariet tibi filium:* Virgini vero, *paries filium*, nec addidit *tibi*. Quod Ioannes ceu priuatus patri suo signatè; Christus vero vt Filius Dei, ac princeps non vni matri, sed toti mundo indiscriminatim nascebatur, c. 1. vers. 8. adnot. 3. n. 11. fol. 85. col. 1. 8.

Dabit ei Dominus Deus sedem Dauid Patris eius, & regnabit in domo Iacob: Notāter Christo regnum Dauid, domusque Iacob promittuntur, quod non rapinam arbitratus fuerit esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinanierit, cap. 2. vers. 6. adnot. 3. tota, præcipuè n. 8. fol. 349. col. 2. 9.

Et regni eius non erit finis; Quippe bene fundatū 10.

ū ū 2 & propriis

& propriis meritis innixum,c.2.verſ.6.adnot.6.n.1. & ſeqq.fol.360.col.2.

11. *Ecce ancilla Domini.* Chryſol. *Quæ vocatur ab Angelo Domina,ipſa ſe cognoſcit, & confitetur ancillam, quia deuotus animus infulis beneficiorum creſcit ad obſequium,augetur ad gratiam,non ad arrogantiam proſilit:*quippe magnorum animorum indoles eſt,vt quo ſuperiores ſunt,eò ſummiſſius ſe gerant,cap.1. verſ.1.adnot.1.n.14.15.16.& 17.à fol.10.col.2.& 11.col.1.

12. *Fiat mihi.* Bern. *Virginitate placuit, humilitate concepit.*Et rectè,nam ab ea,quæ Dei filium conceptura,& paritura erat, maximè exigenda eſſet humilitas;in qua diuina proles,& imago cenſetur, ita penè Ambroſ.lib.2.in Lucam: *Mitem enim, humilemque paruura,humilitatem etiam debuit ipſa præ ſe ferre:*cap.2.verſ.5.adnot.1.num.3.4.& 5.à fol.328. col.1.& 2.

In feſto S. Marci Euangeliſtæ.

1. *Deſignauit Dominus, & alios ſeptuaginta duos.* Optimum munerum exitum ab iis ſperes,quos Eccleſiæ,aut Reipub.adminiſtrationi non ambitio,aut humanus affectus,ſed boni publici vtilitas, & maiorum imperium admouit,cap.2.verſ.6.adn.1. n.5. & ſeqq.fol.341.col.1.

2. *Miſit illos binos:* Tum *ne deſtituta ſingularitas* (Chryſol.)*aut negaret vt Petrus,aut fugeret vt Ioannes*,fol.301 col.2 tum potiſſimum quod ab vnitate, & concordia fidelium, Chriſti Euangelium, & fides maxime commendatur,cap.1.verſ.27.adnot.2. fol.266.col.1.

3. *Ante faciem ſuam.* Nonne opportunius poſt Chriſtum irent, vt illius veſtigia premerent? Benè id; ſed aliud hic innuitur myſterium: nempe eos, quos Deus ſe ipſo ad munera eligit ante faciem ſuam ſemper habere;ſuppetias illis præbiturus, atque eorum terga protecturus,cap.2.verſ. 6. adn.6. n.3.fol.361.col.1.

4. *Ecce ego mitto vos ſicut agnos inter lupos:* Quod meum Euangelium, atque doctrina patientia potius,quam aliis artibus ſit perſuadenda,cap.1.verſ. 14.adnot.1.tota,fol.195.col.1.

5. *Sicut agnos inter lupos.* Greg. Mag. hom. 17. in Euang. *Qui enim locum prædicationis ſuſcepit, mala inferre non debet, ſed tolerare.* Quid ergo dum Dei cauſa agitur obmuteſcent? imo verò tanquam boues mugient,aut tanquam leones ignem ſpirabunt: nimirum, concionator, & miniſter Euangelicus in ſuis contumeliis tanquam aurum ſilet,ſiue vt agnus obmuteſcit,in Dei autem rebus tota animi libertate clamabit,c.1.verſ.13.adnot.1.n.2.fol.168.col.1.

6. *Nolite portare ſacculum,neque peram:* Opportunè iis quos velut agnos ad occiſionem mittebat, ſine ſacculo, & pera abire præſcribit, vt vitæ retinacula abiicientes facilius, & libentius moriantur, cap.1 verſ.21.adnot.3.n.9.10.& 11.à fol.231. col.2. & 232.col.1.

7. *Nolite portare ſacculum*, &c. Greg. Magn. hom. 17.in Euang. *Tanta prædicatorum debet eſſe in Deo fiducia, vt præſentis vitæ ſumptibus quamuis non prouideant,tamen ſibi hos non deeſſe,certiſſime ſciant:* Et verò nullum opulentius patrimonium, aut viaticum dare Chriſtus potuit,quam hæc omnia ab illis auferre:tunc ſiquidem certiſſime diuina ſuccurrant, cum humana deficiunt,c.1.verſ.19.adnot. vnic.n.1. & ſeqq.fol.217.col.1.& 2.

8. *Neque calceamenta.* Ambr. *Nihil enim Dominus in nobis mortale eſſe vult:mortale enim,atq; terrenum calceamentum iubetur Moſes ſoluere, cum mitteretur ad populum liberandum:* Metum, ſcilicet,mortis,vt pro veritate ingerenda mortem prædicator ſubire non renuat,c.1.verſ.13.adn.1.n.5.fol.168.col.2.

*Neminem per viam ſalutaueris.*Greg. Naz.in Cat. S.Thom.*Mandauit etiam hoc eis Dominus ad verbi gloriam,ne videretur in eis magis vigere blanditias.*c. 1.ver.13 adn.1.nu.2. & 3.fol.168.col.1. Addit Naz. *Voluit etiam eos non eſſe ſollicitos in verbis alienis:* ne videlicet humanos fauores,aut plauſus expectarent, c.2.verſ.3.adnot.1.n.11.fol.317.col.1. 9.

Pax huic domui: Propria Euangelij ſalutatio, germanuſque diuinæ redemptionis effectus, vide cap.1.verſ.1.in expoſitione literæ, à num. 7. vſque ad 17.fol.26.col.1. 10.

*Et ſi ibi fuerit filius pacis,requieſcet ſuper illum pax veſtra:*Titus Boſtrenus:*quaſi dicat:vos quidem profertis verbum,res autem pacis applicabitur meo iudicio,vbicumque dignum eſſe videbitur:*Vt illos Dominus inſtrueret, neque eum qui plantat, neque eum qui rigat eſſe aliquid, ſed Deum qui incrementum dat,c.1.verſ.11.adn.3.tota,à fol.154.col.2. 11.

In feſto inuentionis S. Crucis.

De crucis laudibus,vide c.2.verſ.8.adn. 1. & 2,à fol.437.col.2. 1.

Crucem ſingulari conſilio colendam, adorandamque nobis Deum proponere voluiſſe;vt idololatriæ talionem rependeret;habes c.1.verſ.14. adn. 2.n.3.fol.199.col.1. 2.

Crucem diuinitatis Chriſti indicem fuiſſe; c.2. verſ.9.adnot.3.fol.510.col.2. 3.

Chriſtum in cruce exaltatum ſplendidius emicuiſſe:opportuniuſq; ad ſe omnes homines pertraxiſſe,c.2.verſ.8.adn.2.n.9.10.& ſeqq.à f.444.col.1. 4.

Sicut Moyſes exaltauit ſerpentem in deſerto, ita exaltari oportet filium hominis: At enim Domine, multo magnificentior veritas,quam vmbra,multoque ſalutarius, & benignius corpus quam figura: Sanè licet ſerpens aſpectus; ægrotantium morbos depelleret; at in ſe ipſum non transferebat: Chriſtus verò,*languores noſtros tulit, & dolores noſtros ipſe portauit:*pro humanis miſeriis quas aſſumpſit; cœleſtes nobis opes ſuas commutans,c.2.verſ.6.adnot. 2.n.5.fol.377.col.2.& 6.fol.378.col.1. 5.

Exaltari oportet. Quid tua refert Domine? *Vt omnis qui credit in ipſum non pereat:* Nimirum noſtra ſalus,lucrum creatoris eſt,cap.1.verſ.10. adnot. 8.à num.3.fol.132.col.1. 6.

Vide in indice rerum,verbo,*Crux.*

In feſto S. Barnabæ Apoſtoli.

*Hoc eſt præceptum meum,vt diligatis inuicem:*Emphaticè dictum,*hoc*,vt innuat totius Chriſtianæ religionis perfectionem in mutua charitate cenſeri, c.2.verſ.2.adnot.1.fol.292.col.2. 1.

Sicut dilexi vos: Quomodo dilexiſti Domine? in ſimilitudinem hominum factus,& habitu inuentus vt homo;vt noueris ambitionem,& inæqualitatem cum vera amicitia pugnare,c.1.verſ.27.adn. 1. n.5. & ſeqq.fol.264.col.1.& 2. 2.

Sicut dilexi vos: Mortem, videlicet, pro vobis perferendo, vt vos diſcatis non tam quæ veſtra ſunt, quam quæ aliorum conſiderare, c.2.verſ. 4. adn.1 n.8.& ſeqq.fol.323.col.1.& 2. 3.

Sicut dilexi vos: Vera, & germana dilectione; quæ à Deo proficiſcitur, & ad Deum tendit. Auguſt.tractatu 83.in Ioann.*Diſcernitur autem iſta dilectio ab ea qua ſe inuicem diligunt homines, vnde adiunctum eſt:*ſicut dilexi vos:*Vt quid enim nos dilexit* 4.

xit Christus, nisi vt possimus regnare cum Christo? Ad hoc ergo, & nos inuicem diligamus, vt dilectionē nostram discernamus à cæteris; qui non ad hoc se inuicem diligunt vt Deus diligatur, quia nec vere diligunt, cap. 1. vers. 8. ad not. 1. tota fol. 77. col. 2.

5. *Maiorem hac dilectionem nemo habet, quam vt animam suam ponat quis pro amicis suis:* Atqui Domine non pro amicis, sed pro inimicis posuisti; dicente Apostolo: *Commendat autem charitatem suam Deus in nobis, quoniam cum adhuc peccatores essemus, secundum tempus pro nobis Christus mortuus est*: ad Rom. 5. verum enim verò, ea (vt ita dixerim) lucra Christo Passio, & mors pepererunt, & nobis ipsis tribulationes afferunt, vt nulli nobis amiciores esse videantur, quam inimici, & ij, qui persequuntur: Ita Greg. hom. 27. in Euang. *Mors pro inimicis Dominus venerat, & tamen positurum se animam pro amicis dicebat, vt nobis ostenderet, quia cum diligendo lucrum facere de inimicis possumus, etiam ipsi amici sunt, qui persequuntur:* Vide c. 1. vers. 29. adn. 1. à num. 3. fol. 279. col. 2.

6. *Vos amici mei estis, si feceritis*, &c. Nosce legem diuinæ amicitiæ, quæ nonnisi in præceptorum obseruatione censetur: Nam si dederit homo omnem substantiam domus suæ pro dilectione hac, contemnendo contemnent eum, cap. 1. v. 3. adn. 1. n. 10. fol. 40. col. 2.

7. *Non dicam vos seruos*, &c. De horum verborum sensu, cap. 1. vers. 1. in exposit. à num. 9. fol. 3. col. 1. & seq.

8. *Non vos me elegistis*, &c. Deus est enim qui cæpit in nobis velle, & perficere, cap. 1. vers. 6. adn. 1. & 2. à fol. 51. col. 1.

9. *Sed ego elegi vos:* Legitimi Prælati character: ne ipse in munus vltro se ingerat, sed à Dei vocatione trahatur, cap. 2. vers. 6. adnot. 1. num. 5. & seqq. fol. 541. col. 1.

10. *Vt eatis*: Pende orationis seriem, sic enim Dei prima vocatio est, vt cooperationem à nobis exigat, nec enim sufficit eligentis gratia, nisi sequatur collaborantis industria; cap. 1. v. 6. adnot. 3. num. 3. fol. 56. col. 2.

11. *Et fructum afferatis, & fructus vester maneat:* Sapientissimè virtutis actiones, fructum, hũcque mansurum, & duraturum appellauit, ita Greg. vbi supra. *Omne enim quod secundum præsens sæculum laboramus, vix vsque ad mortem sufficit, mors namque interueniens fructum nostri laboris abscindit; quod vero pro æterna vita agitur, etiam post mortem seruatur, & tunc apparere incipit, cum laborum carnalium fructus caperit non videri. Tales ergo fructus operemur, qui maneant, qui cum mors cuncta interimat, ipsi exordium à morte sumant*, cap. 1. vers. 11. adnotat. 2. tota fol. 147. col. 1. & 2.

12. *Vt quodcumque petieritis Patrem in nomine meo:* Quid sit petere in nomine *Christi?* Et de intima coniunctione Christi cum fidelibus, c. 1. v. 2. adn. 1. tota, præcipue num. 8. fol. 33. col. 2.

In festo S. Petri Apostoli.

1. *Quem dicunt homines esse filium hominis?* Quid? Ignorabat ne discipulorum sensum? Minimè: Cur ergo illum ab ipsis inquirit? Respondet Rabb. *Non autem quasi nesciens de sententia discipulorum, vel extraneorum inquirit, sed ideo discipulos, quid de se sentiant, interrogat, vt confessionem rectæ fidei digna mercede remuneret:* Adeò ad benefaciendum pronus, ac procliuis est, cap. 1. vers. 2. adnotat. 2. fol. 34. col. 1. & 2.

2. *Quem dicunt homines esse filium hominis?* Hieron. *Non dixit: Quem me esse dicunt homines, sed, quem dicunt esse filium hominis? ne iactanter de se quærere videretur:* tum quod magnorũ virorum indoles sit; quo superiores sunt, summissius se gerere, ac loqui, c. 1. vers. 1. adn. 1. num. 5. & 6. fol. 8. col. 1. & 2. tum etiam quod si (quod nullo vnquam modo fieri potuit) iactanter de se quæreret videretur; non posset audire: *Tu es Christus filius Dei viui*, quippe ipse ex humilitate Dei filius probatus est, c. 2. vers. 5. adn. 1. num. 3. & seqq. fol. 328. col. 1.

3. *Alij Ioannem Baptistam:* Orig. *Æstimationem, scilicet, secuti Herodis*, qui dicebat. *Ipse est Ioannes, quem ego decollaui, ipse à mortuis resurrexit:* Non omnino abs re, aut importunè, si intimam Christi, vt capitis cum membris suis coniunctionem attenderis; *Nam sicut in Christo sui resurgunt, ita in suis ipse patitur Christus*: cap. 1. vers. 2. adnot. 1. num. 2. fol. 32. col. 1. & 2.

4. *Alij Heliam:* Importunè; Non enim venit Christus, vt iudicaret mundum, sed vt saluaretur mundus per illum, cap. 2. vers. 9. in comm. num. 26. folio 487. col. 1. cuius potentia salutaris; cuius ita benefica fuit, cap. 2. v. 9. adn. 7. num. 3. fol. 533. col. 1. & num. 12. fol. 535. col. 2.

5. *Alij Heliam*: Immerito; hic enim præter naturalium rerum ordinem in paradisum raptus est; Christus vero noluit rapi, vt fieret rex; nec rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo; sed ad diuinum honorem per crucem, & mortem ascendit, cap. 2. vers. 6. adnotat. 5. numero 2. folio 356. col. 2.

6. *Vos autem quem me esse dicitis?* Chrysost. hom. 55. in Matth. *Vos autem qui simul mecum estis semper, qui maiora signa vidistis quam turba, non oportet vos in opinione conuenire cum turbis, & propter hoc non à principio prædicationis eos de hoc interrogauit, sed postquam multa signa fecit:* Vt videris Dominum non prius maiorem sibi honorē, quam Ioanni aut Heliæ adscribi voluisse, quam maiora, quam ipsi signa fecerit, quasi ad maiores dignitates, non nisi ij quibus maiora merita insunt ius habeant, cap. 2. vers. 9. adn. 1. fol. 507. col. 1.

7. *Tu es Christus Filius Dei viui:* Rectissimè Deum appellauit viuum ad differentiam falsorum Numinum, quòd animę sitim solus valeat depellere, cap. 1. vers. 3. adn. 1. n. 4. f. 30. col. 2. quique vero gramine, non verbo tenus suos pascat, cap. 1. vers. 11. adnot. 2. num. 10. fol. 153. col. 1. & 2.

8. *Et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*: Firmum quidem, & bene fundatum ędificium; quod super petram, hoc est, super robur confessionis Petri (vt inquit Chrys.) siue super merita, non super carnem, aut sanguinem fundatur, cap. 2. vers. 6. adn. 5. num. 9. fol. 359. col. 2.

9. *Tibi dabo claues regni cælorum*, &c. Emphasim habet illud, *tibi dabo*: vt prosper successus sit omnino sperandus ex munere per manum Christi tradito. Plura eodem vers. adnot. 6. num. 4. fol. 361. col. 2.

10. De potestate Petri in successores transmittenda in vmbra illius ægritudines sanante, vide cap. 1. vers. 13. adnotat. 6. num. 2. fol. 190. col. 1. & 2.

In commemoratione S. Pauli Apostoli.

1. *Ecce ego mitto vos, sicut oues in medio luporum:* Emphaticè, *in medio luporum*, vt ex magnitudine periculi, ad bene sperandum illos excitaret, cap. 1. vers. 19. adnot. vnic. numer. 1. & seqq. fol. 217. col. 1. & 2.

2. *In medio luporum.* Vt per tribulationes vestra

virtus magis,ac magis excrefcat,vt in Paulo manifestè apparet; cuius virtus in infirmitate perficiebatur, cap.1. verf.12.adnotar.1. num. 10. fol. 245. col.2.

3. *In medio luporum*; Singulare atque eximium donum, quod fuis,præfertim Paulo Dominus tribuit, vt gloriari poffet in cruce D. N. Iefu Chrifti,cap 1. verf. 7. adnot.2. à num.4. fol.70. col. 2. & cap. 1. verf 29.adnot.1.à num 9.fol.283.col.1.

4. *Eflote ergo prudentes ficut ferpentes*, &c. De charitate fcientiæ neceffaria, & de fcientia charitati admifcenda, cap.1. verf.9. adnot.3. num.3. fol.94. col.2.

5. *Cauete autem ab hominibus*: Quafi hi, feriores feris, & peiores hoftes lupis fint, cap. 1. verf. 15. adnotat.1. num. 1.2. & 3. fol.203.col.2.& feqq.

Non enim vos eftis, qui loquimini: &c. Vide adfimilem Pauli fententiam, cap.1.verf.19. in comm. num.10.fol.216.col.1.

6. *Sed Spiritus Patris veftri qui loquitur in vobis:* Nec mirum,cum Deum intus habitantem habeant; nam quæ edimus, eructamus, quod in Paulo frequentiffime videris, cap.1.verf.10.adn.7. tota,præcipuè num.3. fol.128. col.1. & num.10. fol. 129. col.2.

7. *Qui autem perfeuerauerit vfque in finem.* Quid? nonne perfeuerantia Dei donum eft? cur ergo eam à fuis exigit? vide cap.1.verf.6.adn.3.& 4.à fol.56. col.1.

In fefto Vifitationis. B. M. Virg.

1. *Exfurgens Maria:* Opportunè Maria mater Dei effecta propriam ftatim quietem relinquere, & ad benefaciendum opémque ferendam feftinanter ire dicitur; quippe Principes, & Prælati non fua, fed quæ fubditorum funt confiderare debent:c.1.v.25. adnot.2.à num.3.fol.255.col.1.& 2.

2. *Exfurgens Maria*: Accurata quidem locutione opem Ioanni latura, & diuina dona toti Zachariæ domui impertitura, exfurgere dicitur, quafi fe ipfa fublimior effecta, quod nihil auguftius, aut diuinius, quam aliis benefacere, & iuuare exiftimetur, cap. 2. verf. 7. adnot.2.num.8. fol.378.col.2.

3. *Abijt in montana*,&c.Ambr. *Contuendum eft,quia fuperior venit ad inferiorem, vt inferior adiuuetur, Maria ad Elifabeth, Chriftus ad Ioannem*: Nimirum,hæc veræ magnitudinis lex eft,vt quo quis fuperior fit,eò fummiffius fe gerat,cap.1.verf.1.adn.1. num.4.fol.8.col.1.

4. *Abijt in montana*: Beda: *Omnis autem anima, quæ verbum Dei mente concepit, virtutum ftatim celfa cacumina greffu confcendit amoris,quatenus ciuitatem Iudæ,ideft, confeffionis,& laudis arcem penetrare, & vfque ad perfectionem fidei, fpei,& charitatis,quafi tribus in ea menfibus valeat commorari:* Vide cap. 1. verf.9 adn.2.à num.6.fol.92,col.1. & verf.8.adn.1. fol.142.col.2.

5. *Exclamauit voce magna,& dixit:* Ambrof. lib.1. in Lucam. *Illa autem,quæ fe occultauerat,& conceperat filium,iactare fe cœpit,quia gerebat Prophetam, & quæ erubefcebat ante, benedicit:* & exclamauit voce magna: *Magna voce clamauit, vbi Domini fenfit aduentum, quia religiofum credidit partum.* Iam videlicet, edocta; Chrifti Euangelium abfque rubore, & animofe annunciandum,certa quippe & firma ea omnia quæ veritas promittit, cap.1.verf.14. adnot.2.à num.1.fol.198.col.1.& 2.

6. *Magnificat anima mea Dominum*: Origenes hom. 8. in Lucam: *Si autem Dominus,nec augmentum, nec detrimentum percipere poteft, quid eft quod Maria loquitur*: Magnificat anima mea Dominum? *Sed fi confiderem Dominum Saluatorem imaginem effe inuifibilis Dei,& animam factam ad eius imaginem, vt fit imago imaginis, tunc videbo, quoniam in exemplo eorum qui folent imagines pingere, quando magnificauero animam meam opere,cogitatione,fermone, tunc imago Dei grandis efficitur; & ipfe Dominus, cuius imago eft in anima mea, magnificatur*, cap. 1. verf.11.adn.5.num.6.fol.161.col.2.

In fefto S. Mariæ Magdalenæ.

Quære Feria 5. poft Dominicam Paffionis.

In fefto S. Iacobi Maioris.

Quære Fer. 4. poft Dom.2. Quadragefimæ.

In fefto S. P. N. Ignatij Confeff.

Sint lumbi veftri præcincti. Vide hæc,& fequentia verba explicata, cap. 1. verf.21, adnot. 3. à num.6. fol.231. col.1. & cap. 2. verf. 9. adn.9. vbi de nomine Iefu Societati impofito agitur, à num. 2. fol.540.col.1.

In Transfiguratione Domini.

Quære in Dominica 2. Quadragefimæ.

In fefto S. Laurentij.

Nifi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit: Chriftus moriens fœcundiffimam filiorum meffem attulit,cap.2.verf.8. adn.2.num.4.fol.625. col.2. & eius Ecclefia Martyrum fanguine fœcundata eft,cap.1.verf.12. adnot.vnic.fol.165.col.1. 1.

Qui amat animam fuam, perdet eam: O quam male is ponderet, qui temporalia, & caduca veris æternifque bonis antefcrat, cap.1. verf.16. adnot.1. num.11.& 12. fol.110.col.2. 2.

Qui odit animam fuam in hoc mundo, in vitam æternam cuftodit eam: Egregia odij fiue perfecti amoris erga corpus lex à Laurentio optimè cuftodita. Benè fiquidem Seneca epift.14. *Fateor infitam effe nobis corporis noftri charitatem, fateor nos huius gerere tutelam: nec nego indulgendum illi:feruiendum nego. Agatur eius diligentiffimè cura: ita tamen vt cum exiget ratio,cum dignitas,cum fides mittendum in ignem fit*: Vide cap.2. verf. 6. adn. 4. num. 2. & 3. fol.553.col.1. & 2. 3.

Si quis mihi miniftrat, me fequatur: Non vtcumque crucem ferens,fed nutus meos obferuans,cap.1. verf. 21. adnot.1.num.6. & feqq.fol.224.col.2. 4.

Et vbi ego fum,illic & minifter meus erit: Auguft. *Quem maiorem honorem accipere poterit adoptatus, quam vt fit, vbi eft vnicus*? cap. 2. verf.6. adnot. 4. num.7. fol.355. col.1. 5.

In fefto S. Michaelis.

Quis putas maior eft in regno cœlorum? Importuniffima interrogatio,& votum, nec enim de honoribus contendendum, fed per humilitatem declinandi funt, cap. 2. verf. 6. adn. 1. tota, folio 339. col.2. 1.

Nifi conuerfi fueritis, & efficiamini ficut paruuli, non intrabitis in regnum cælorum: Quippe ab humilitate Dei imago; & perfecta Chrifti imitatio defumitur, cap.2. verf.5. in expof. liter. fol. 326. col. 1. & adn.1. à num.1. fol.327. col.1. 2.

Quicumque

3. *Quicunq; ergo humiliauerit se sicut paruulus iste, hicmaior est*, &c. Nimirũ hæc vna ad exaltationem via humilitas est; & quo magis apud te decreueris, tanto sublimius à Deo erigeris, cap.2.vers.9.adn.6. num.1.& seqq.fol.528.col.1.& 2.

4. *Necesse est, vt veniant scandala*. Chrysost. *Scandala enim erigunt homines, & acutiores eos faciunt, & eum qui cadit, velociter erigunt, in quantum, scilicet, ingerunt solicitudinem*: quod sanè in tribulationibus potissimum locum habet. Vide cap. 1. vers. 29. adn.2.num.9.fol.403.col.1.

5. *Necesse est vt veniant scandala*: Hilar. *Humilitas passionis scandalum mundo est, quod sub deformitate crucis, æternæ gloriæ Dominum noluit accipere*. Quam immaniter deceptus sit mundus, vide cap.2. vers.9. adn.4. num.9. fol.516.col.2.

6. De Luciferi superbia, qua similis Altissimo euadere ambiuit, & de sanctorum Spirituum charitate, & humilitate, qua Dei filium imitari, & amplecti concupiebant, cap.2.vers.9.adn.8.à num.8.fol.538. col.1.& 2.

In festo omnium Sanctorum.

1. *Aperiens os suum dicebat, beati*, &c. Germanam Patris prolem se se Christus ostendit, dum conciones suas benedicendo initiauit, cap.2. vers.9.adn.6. num.4.fol.529.col.2.

2. *Beati pauperes spiritu*, &c. Quare? quia terrena, & infima bona contemnentes, ea iam bona possident, quæ regia, ac cœlestia sunt, cap. 1. vers. 10. adn. 1. à num.2. fol. 108.col.2.

3. *Beati mites*, &c. August. lib. 1. de serm. Domini in monte. *Rixentur immites, & dimicent pro terrenis, & temporalibus rebus, sed beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram, de qua euelli non possunt, illam inquam terram, de qua in Psalmo dicitur, Portio mea in terra viuentium*: Ille ergo verè mitis, qui à bonorum temporalium contentione, ex qua rixæ nascuntur, se ipsum separat, qui quidem terram possidere ob tranquillitatem animi rectè dicitur, cap.1.vers.5. adnotat.1. num. 9. fol. 330. col. 2. & 331. col. 1. & 2.

4. *Beati mites*, &c. Quippe *honor est homini, qui separat se à contentionibus*. Prou. 20. 3. Vide cap. 2. vers. 3. in comment. à num. 3. fol. 308. col. 2. & seqq.

5. *Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur*: Chrysost. in Catena S.Thom. *cum autem consolatio sit lugentium cessatio luctus, qui sua peccata lugent consolabuntur indulgentiam consecuti, & licet talibus sufficiat venia sui, non terminat retributionem in peccatorum remissione, sed & multarum facit participes consolationum*. Quippe non solum remissio, & propitiatio, sed ipse remissionis, & propitiationis modus singularem consolationem, & gaudium affert, cap. 2. vers. 8. adnot.6. num.2. & seqq.fol.465.col.1.

6. *Beati qui esuriunt, & sitiunt iustitiam*. Qui videlicet charitati indesinenter excitandæ, atque augendæ insudant, cap. 1. vers. 9. adn.2. fol.91.col.1.

7. *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur*. Cap. 2. vers.2. adnot. 1. num.9.fol.295. col.1.& 2.

Beati mundo corde, &c. Benè ad videndum Deum mundities cordis præmittitur; nam si sint oculi sani, erit lux illa gaudium; si non sint sani, erit lux illa tormentum, cap.1.vers.7. adn. 7. num.5. fol. 105. col. 2. 8.

Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur: Maximam, videlicet, dignitatem sortiti, vtpote germana diuini Spiritus proles, cap.2. vers. 2. adn.3.tota, præcipuè num. 8. fol. 303.col.2. 9.

Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam. Non simpliciter pati persecutionem, sed signatè propter iustitiam pati gloriosum dixit, cap. 1. vers. 7. adn. 2. num. 4. fol. 70. col. 2. & vers. 29. adn.1.num.8.fol.281.col.2. 10.

Beati qui persecutionem patiuntur, &c. Cur velut in supremo culmine, qui persecutionem patiuntur, collocantur? Quod optimos plerumque inuidia exagitet, & persequatur. Vide cap.1. vers. 15.adn.1. num.7.fol.205.col.1. 10.

In festo S. Catharinæ V. & M.

De S. Catharina sanguine, lacteque purissimo quinquaginta sapientes Christo parturiente, atque enutriente: Vide cap.1.vers.12.adnot. vnic.num.1. fol.165.col.1. 1.

Exierunt obuiam sponso: Christo, scilicet, in die iudicij velut ad nuptias venienti, quod æternis præmiis suos sit affecturus, cap.1. vers.10. adn. 8. nu.2. fol.132.col.1. 2.

Quinque autem ex eis erant fatuæ, & quinque prudentes: Non opponit prudentibus imprudentes, vt antithesis exigere videbatur, sed fatuas: quippe imprudens est, rerum nescius, & ignarus, ita Tullius pro Rosc. *Hæc omnia indices imprudente L. Sylla facta esse, certo scio*: fatuus vero, qui quamuis sciat, negligentia tamen, & inertia, ac si non sciret, se gerit: vndè idem Tullius 2. de inuent. *Non hanc imprudentiam, aut necessitudinem, sed inertiam; negligentiam; fatuitatem nominari oportere*: vt noueris, nec prudentes de scientia solum, sed de charitate simul laudari; nec fatuas ex inscitia condemnari; sed quod charitatem scientiæ admixtam non habuerint, cap.1. vers.9. adn.5.fol.98.col.2. 3.

Acceptis lampadibus non sumpserunt oleum secum: En parabolæ scopum; en salutis cardinem de charitate augenda, & bonis operibus consouenda indesinenter agere, cap.1. vers.9. adn.2. tota, præcipuè num.11.fol.93.col.1. 4.

Date nobis de oleo vestro: Charitatem proximi ex Dei dilectione ortum ducere debere, nec creaturas, nisi propter Deum diligendas ex his verbis elicitur, cap.1.vers.8. adn.1 num.13.fol.80.col.2. 5.

Nescio vos: Ita ne à diuinis nuptiis excluduntur, quæ multo labore, & sudore virginitatem coluerant? Ita quidem; quod oleum illis defuerit: mutua, videlicet, charitas, sine qua reliquæ virtutes ineptæ prorsus redduntur, cap.2.vers.2.adn.1.nu.5. & 6. fol.293.col.2. 6.

Nescio vos: Signatè iis, qui charitatem non coluerant dicitur: *Nescio vos*, quasi filiorum Dei notam, regiæque faciei decorem non attulerint, cap. 1. vers.2. adn.3. num.8. fol.303.col.2. 7.

FINIS.

COMMENTARII IN EPISTOLAM B. PAVLI APOSTOLI AD PHILIPPENSES.

Argumentum.

PHILIPPI *vrbs est Thessaliæ, vel Macedoniæ in Græcia apud Stridonem fluuium à Philippo Macedonum Rege instaurata, & de suo nomine dicta. In hanc vrbem, vti scribit Lucas Actuum* 16.12. *non sine magna diuinæ voluntatis significatione Paulus primum Euangelium inuexit, tantóque Doctore splendidum in ea principium res Christiana habuit. Ibi etenim Archisynagogus Deo credidit, ibi mulier purpurarum venditrix Christo nomen dedit, ibi egregia à Paulo patrata sunt miracula, & quò nihil ita faustum, fœlix, & fortunatum esse potuit, idemmet Paulus & Sylas ob Pythonissam sanatam in carcerem coniecti, & virgis cæsi sunt. Ad huius igitur vrbis incolas, quos ob prædictas rationes vnicè Paulus diligebat, & carissimos & desideratissimos, gaudium, & coronam suam appellat, hanc epistolam mittit: tum quod illi occasione vinculorum Pauli Epaphroditum suum Episcopum Romam miserant, vt ex eorum nomine Apostolum salutaret, & necessaria ad eius inopiam subleuandam deferret: tum vt illos in fide confirmaret, & aduersus Iudaizantium hæresim eo tempore grassantem communiret. Ergo magna in primis comitate & beneuolentiæ significatione rerum suarum certiores reddit, singillatim asserens nequaquam sibi molestum, imò verò gratissimum esse tribulationes & vincula pro nomine* IESV *pati; præsertim cùm hac ratione celebrius & illustrius Christi nomen, & Numen apud Romanos fieret. Gratulatur deinde ipsis constantiam, & profectum, & ad mutuam charitatem, & animi demissionem, Christi exemplo, luculenter proposito magnopere adhortatur; non pauca alia morum præcepta subiungens, simúlque sui in eam vrbem aduentus ipsis spem faciens. Tandem, quod præcipuum epistolæ argumentum est, de iustitia Christiana contra Iudaizantes, Mosaicæ legis obseruantiam, vtpote ad salutem necessariam obtrudentes: copiosè differit, vbi & eos grauiter perstringit, canes, & inimicos Christi appellans, & Philippenses ab eorum communione, & consortio seriò auocat.*

VERSVS PRIMVS.

Paulus & Timotheus, serui Iesu Christi, omnibus Sanctis in Christo IESV, qui sunt Philippis, cum Episcopis, & Diaconibus.

COMMENTARIVS.

PAVLVS.

1. NEc addit *Apostolus*: in reddenda verò huius reticentiæ ratione variant interpretes. *Caietan.* Caietanus eam affert, quod non suo solùm, sed Timothei etiam nomine Paulus scriberet: vnde quia communi illum nomine Apostolum vocare non poterat, maluisse propriæ se ipsum dignitatis honore exuere, quam supra eum vtcunque efferri. Pia quidem, sed futilis ratio, vt inscriptio Epistolæ ad Colossenses apertè demonstrat; vbi Timothei etiam nomine Paulus scribens, & se Apostolum, & illum fratrē ad hūc modum appellauit: *Paulus Apostolus, & Timotheus frater iis, qui sunt Colossis.* *Coloss. 1.*

2. Ambros. Anselmus. Alio id referunt Ambrosianus Codex, & Anselmus, dum prior Apostolici muneris mentionem ideò credit à Paulo prætermissam, quod ad illos litteras daret, qui de ipso, & rectè sentire, & loqui didicerant: erant enim Paulo addictissimi Philippenses, & ipsius doctrinæ studiosissimi. Anselmus verò in Epistolæ argumentum id reiicit, quod in ipsa Paulus ad humilitatem, & modestiam Philippenses adhortetur, & ne superiores se aliis existiment, grauiter commonefaciat: ideoque vt eam animi demissionem melius ipsis suaderet (cum breuius per exempla, quam per præcepta sit iter) nullo se illis illustriori cognomine, quam serui Iesu Christi imitandum Oecumen. proposuisse. Aliam reddit rationem Oecumenius dum ait: *Quia ad eos scribit, qui parui erant honore, suam non ponit dignitatem.*

3. Vt bonæ verò hæ rationes sint, illud in ipsis non nihil obstrepit, quod tanquam peculiares, ac propriè huius Epistolæ afferantur, cum tamen ipsæmet duabus Epistolis ad Thessalonicenses, in quibus Apostoli etiam nomen Paulus subticuit, communes sint. Crediderim igitur nullam specialem causam reddi commodè posse, cur tam hic, quam ibi illud Apostolus omiserit, nisi quod eo illustri cognomento non pro voluntate, sed pro necessitate, siue rei opportunitate vtebatur: cum illa videlicet tractabat, quibus Apostolico munere authoritatem conciliare oportebat. Vnde rei opportunitate non exigente, qui verè humilis, & modestissimus erat, Apostoli nomen silentio premens, seruum Dei potius profiteri se volebat. Reddidere hanc rationem Chrysosto- Chrysostom. Theophyl. mus, & eius vmbra Theophyl. vterque his verbis. *Nam cum scribit Timotheo, & Corinthiis, Apostolum se nominat, quia illic multa ordinaturus erat: ideo Apostoli auctoritatem assumpsit: hic verò nihil tale iniungit, sed velut pares equali eos honore prosequebatur.* Hæc Patres.

4. Discant hinc Prælati, discant nobiles, non inaniter præfecturas suas, honores, nobilitatem passim iactare: discant & scriptores singulas librorum paginas nominis sui inscriptione cum legentium molestia, & tædio non opplere. Certe Magister vitæ cum Ioan. 3.16. Nicodemo sermonem miscens Ioan. 3.16. & vnà ex parte illum, vt in se crederet, alliciebat; & ex aliâ, Dei se filium esse: quod necessariâ argumentatione ex eo, quod in ipsum credendum esset, inferebatur; illius potius iudicio animaduertendum relinquebat, quam ipse palam affirmaret. Ita enim ibi est locutus. *Sic Deus dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum daret, vt omnis qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam æternam.* Quæ verba ad hoc institutum sic acutè & luculenter in omnem partem Rupert. versat Rupertus lib. 3. comm. in Ioan. *Vix ex parte cognosci, vix per speculum in ænigmate potest videri ars Magistri huius, qui à Deo in eo venit; maximè dum insinuare vult quis ipse, aut vnde natus sit, vel quam ob causam venerit. Cum enim dixisset se exaltari oportere, & in se credendum esse, rationem auditor tacitus expectabat (qui in vnum & solum Deum credendum esse non ignorabat; quippe qui Princeps Iudæorum erat) quâ perdoceretur, vt quid in filium hominis credi oporteat. Nam si credendum in illo est, consequitur, quia Deus est; hoc ergo consequebatur vt diceret; quia Deus sum; quia Filius Dei sum, quia Dei Patris vnigenitus sum; & hoc subiungit, sed cum tanto condimento sapientiæ & humilitatis, vt illum non tam se ipsum commendare, vel gloriam propriam quærere, quam necessariam audientium salutem optare manifestum sit.* Sic enim, *inquit,* Deus dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum daret. *Nonne hoc dicens rationabiliter ostendit, idcirco in se filium hominis credendum esse, quia sit vnigenitus Dei Patri consubstantialis?* Hæc Rupertus. Sed quod subiungit hac etiam è re est. *Quantum habet gratiæ & pulchritudinis, quod dum causa necessaria poscit, vt se fateatur esse Filium Dei ostentationem declinans, imò declinando se esse, quod erat insinuans, ad commendationem dilectionis Dei confugit dicens.* Sic Deus dilexit mundum, *cum dicere posset: tantus ego sum, vt credentem in me totum possim redimere mundum, tanta, inquit, dilectione Deus dilexit mundum, vt pro illo in pretium daret Filium suum vnigenitum.* Hæc Rupertus, multa sed optima, quæque omitti, aut præcidi fas non fuit.

5. Hilar. in Psalm 2. Ioan 18. 37. Matth. 26. 64. Ad hunc penè modum etiam obseruauit Hilarius in Psal. 2. eundem Dominum à Præside, vtrum Rex esset, interrogatum modestissimè respondisse: *Tu dicis.* Ioan. 18. 37. Similiter adiuratum à Pontifice an Filius esset Dei viui, eâdē animi summissione solum dixisse: *Tu dixisti.* Sic enim de prima ad Præsidem responsione Hilarius: *Non negat interrogatus, nec gloriatur humiliandus ad mortem, cum non sit nisi ex responsione confessio: itaque, neque se protulit confessionis auctorem, neque interroganti, cognitionis veritatem inuidit.* Ita Hilarius. Qui de secunda Christi confessione hæc subiicit. *Interrogatio nunc quoque non improbatur, sed & iactantia, & gloriatio spontaneæ professionis effugitur, quæsita tamen veritas non negatur, ac sic verecundia humilitatis, & veritatis confessio temperantur, vt sit & in responsione officium, & in interrogatione cognitio.* Hæc Hilarius.

6. Matth. 23. 8. Quod si aduertis notanter à Christo discipulis non tam munus, quàm nomen Magistrorum prohibitum Matthæi 23. 8. dum ait. *Vos autem nolite vocari Rabbi*: vt suspicatur S. Nilus in Ascetico his verbis: *Nisi fortè cum diceret*, Nolite vocari Magistri, *prohibuit eis non vt non essent, sed ne vocarentur.* Et Nili quidem suspicionem illud confirmat, quod in originibus duplicatur vox Magistri, Magistri, vt perinde sit, ac si dicat Dominus, nolite de vanis appellationibus gaudere. Quid enim refert appellari ab hominibus Magister, Magister. *Numquid est sapor in nominibus?* Hæc obiter dicta sint, nam quæ ad formandos mores sunt opportuna, longius in adnotationibus pertractare est animus. S. Nilus in Ascetico.

Et Timotheus.

PVlchrè Anastasius Synaita lib. 4. contemplat. Anagog. in Hexamer. dum magnos Ecclesiæ viros cum stellis in firmamento collucentibus componit, de Paulo atque Timotheo sic inquit. *Et alia quidem perfectæ, quæ quidem sunt valde lucidæ tenentes locum Doctorum, & Pontificum, qui dicunt, ecce ego & pueri, quos dedit mihi Dominus, cuiusmodi sunt Paulus: qui cum supra omnes esset prima & maxima stella, habebat consequentes veluti quasdam breues, vt Timotheum, &c.* Hæc Anastasius. 7. Anast.

Fuit ergo Timotheus charissimus Pauli filius atque discipulus, eiusque doctrinæ studiosissimus, quem vt heroicæ virtutis virum, socium sibi & coadiutorem Apostolus adiunxit; fratrémque appellat in salutatione epistolæ ad Colossenses, vel ob perfectissimam aurei illius sæculi concordiam, cum fratres se inuicem Christiani omnes appellabant, & ad fraternas leges viuebant, vt præter alios sic affirmat in Apologetico Tertullianus. *Fratres nominamur & sumus: nam omnia nobis sunt communia præter vxores.* Sic ille: vel propter communem Patrem, & Fidei Doctorem Christum ipsomet Domino commonente, Matthæi 23. 8. *Vnus est enim Magister vester, omnes autem vos fratres estis, & Patrem nolite vocare vobis super terram; vnus est enim Pater vester,* qui Tertul. in Apolog. Matth. 23. 8.

qui in cælis eſt, vel etiam ob Epiſcopale munus, quo Epheſi fungebatur Timotheus, vt ad cap. 2. Epiſt. 2. ad Corinth. obſeruauit D. Thom. ſimul affirmans hinc deueniſſe conſuetudinem, vt Epiſcopos omnes Pontifex Romanus fratres compellet; vel tandem quod non ſolum Pauli auditor, & adiutor, ſed etiam cognatus eſſet, vt ex Origene tradit P. Benedictus Iuſtinianus in proœmio Epiſt. 1. ad Timoth. Apud quem, quia ſummæ eruditionis vir eſt, reliqua, quæ ad vitam, & laudes Timothei ſpectant, videri poſſunt. Eum quidem paſſim commendant Dionyſius Areopagita, & perantiqui Patres. Chryſoſtomus verò præ omnibus miris laudibus proſequitur, cum eſſe affirmans, qui mortuos ad vitam reuocaret. Et pulchrum certè eſt à laudatis viris laudari.

D. Th. in 2. ad Cor. c. 2.
Iuſtinian.
Dionyſ.
Chryſoſt.

Serui.

8. FRequentius hoc ſerui nomen ſibi Paulus vſurpat. An verò ſeruum, ſiue emptitium, ſiue in bello captum, atque ſeruatum; an miniſtrum, & diſpenſatorem ſe dicere velit, inter auctores non ſatis liquet propter Latinæ, & Græcæ vocis δοῦλος ambiguitatem, quæ vtramque ſignificationem apud veteres auctores ſortiuntur, nec aliunde earum vſus, quam ex circumſtantiis eruatur: eas verò hic ad optionem non iuuare bene monent Adamus, & alij. Magis tamen eſt, vt credam, ex Vulgati præſertim mente, Paulum ſe mancipium ſignificare voluiſſe: tum quia ſæpius cum miniſtrum ſe nuncupare vult, eo nomine, ſiue etiam diſpenſatoris ſingillatim vtitur, vt ad Rom. 15. 16. *Propter gratiam, quæ data eſt mihi à Deo, vt ſim miniſter Chriſti Ieſu in gentibus.* Et 2. ad Corinth. 3. 6. *Idoneos nos fecit miniſtros.* Et 11. 23. *Miniſtri Chriſti ſunt & ego.* Et alibi paſſim. Tum vel maximè, quia nullus proferri locus poteſt ex iis, in quibus Paulus ſeruum ſe dicit, in quo aliqua nos ratio affirmare adſtringat aliam ei, quam mancipij ſignificationem ſubeſſe. Certè ad Coloſſ. 1. Epaphram chariſſimum conſeruum, & fidelem miniſtrum appellat. Vbi liquido conſtat peculiarem vtrique voci ſignificationem ſolere Apoſtolum reddere.

Adamus.
Ad Rom. 15. 16.
2. Ad Cor. 3. 6.
2. Ad Cor. 11. 23.

9. Sed qui, inquies, ſeruum Paulus ſe dicit, qui ſeruitutem ab animo Chriſtiano, & à filij conditione & natura alienam rem eſſe affirmat, ad Rom. 8. 15. dum ait: *Non enim accepiſtis ſpiritum ſeruitutis iterum in timore, ſed accepiſtis ſpiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba Pater.* Et quidem Ioannes non eam nobis à Deo poteſtatem factam tradit, vt ſerui, ſed potius, *vt filij Dei ſimus.* Ioann. 1. 12. & alio in loco. *Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, vt filij Dei nominemur, & ſimus.* 1. Ioan. 3. 1. Quæ omnia ſeruitutis nomen à Chriſti aſſeclis videntur reiicere. Vrget hanc rationem Anſelmus hic ex verbis Chriſti, Ioan. 15. 15. *Iam non dicam vos ſeruos: quia ſeruus neſcit quid faciat Dominus eius. Vos autem dixi amicos: quia omnia, quæcumque audiui à Patre meo, nota feci vobis.*

Ad Rom. 8. 15.
Ioan. 1. 12.
1. Ioan. 3. 1.
Ioan. 15. 15.

10. Reſpondeo tamen non mediocriter inter ſe hoſce duos conceptus diſſidere, *habere ſpiritum ſeruitutis erga Deum, & ſeruum eſſe Dei.* Nam prior indicat animum abiectum, ſiue durum, & contumax ingenium, quod pœnarum timore potius, quam charitate in officio contineatur; cuiuſmodi habuiſſe ſcimus plebem Iudaicam, quam ſemper reluctantem, diuinæque legis iugum à ceruicibus excutientem nonniſi ſupplicio propoſito, miniſque indeſinenter iniectis, ad officium Dominus redire compellebat: imò ſæpius percuſſa, & verberibus operta in ſuâ plerumque prauitate perdurabat, vt benigniſſimus etiam Dominus exclamare cogeretur: *Super quo percutiam vos vltrà, addentes præuaricationem? omne caput languidum, & omne cor mœrens. A planta pedis vſque ad verticem, non eſt in eo ſanitas.* Iſai. 1. 5. Et verò de hoc ſeruitutis ſpiritu affirmat citato loco ad Rom. Paulus à filiis Euangelij alienum eſſe: quippe qui cum Deo charitate ducti, tamquam cum indulgentiſſimo Patre agant. At ſeruum Dei eſſe nihil ſonat abiectum, aut quod cum libertate Chriſtianâ, & filiorum ingenuitate pugnet, cum naturæ, & conditionis noſtræ, quam ſemper agnoſcere, & profiteri debemus, ſtatum præſeferat; ſumus etenim Dei ſerui modis omnibus, creatione, redemptione, conſeruatione, fide, vita, & moribus. Tradidit hanc doctrinam diſertiſſimè Auguſtinus tract. 85. in Ioan. his verbis. *Omnis ſeruitus ex timore naſcitur, & ideò, ſicut ſunt duo timores, qui faciunt duo genera timentium, ſic ſunt duo genera ſeruitutum, quæ faciunt duo genera ſeruorum. Eſt timor quem perfecta charitas foras mittit, & eſt timor caſtus permanens in ſæculum ſæculi. Illum timorem, qui non eſt in charitate, attendebat Apoſtolus, cum dicebat:* Non enim accepiſtis ſpiritum ſeruitutis iterum in timore. Ita Auguſt. & poſt pauca. *Quoniam itaque dedit nobis poteſtatem filios Dei fieri, vt non ſerui, ſed filij ſimus, miro quodam, & ineffabili, ſed tamen vero modo ſerui non ſerui eſſe poſſimus. ſerui ſcilicet timore caſto, ad quem pertinet ſeruus intrans in gaudium Domini ſui: non ſerui autem timorem mittendo, ad quem pertinet ſeruus non manens in domo in æternum.* Hactenus Auguſtinus. Verum de hoc plura annotatione 4.

Iſai. 1. 5.
Aug. tract. 85. in Ioann.

11. Non ita facilè reſpondeas argumento ex illis verbis Ioannis petito: *Iam non dicam vos ſeruos*; Quæ ex eo etiam ipſi Auguſtino, Ruperto, & gloſſæ difficilia redduntur, quod non multo poſt verſu 20. idemmet Dominus dixerit: *Mementote ſermonis, quem dixi. Non eſt ſeruus maior domino ſuo.* Similiter, quod in iudicio ſingulis electis dicturum ſe pollicetur. *Euge ſerue bone, & fidelis, &c.* Hæc ergo vt concilient Patres, vnuſquiſque in ſuum abit. Nam in primis Rupertus obſeruat non dixiſſe Chriſtum, *Non dicam vos ſeruos meos*, ſed abſolutè ſeruos, quaſi ſeruus abſolute, & ſine additamento ſumptus, in malam partem accipi in ſcripturis ſoleat tamquam inimicus, & ſeruus peccati. *Non enim parua diſtantia eſt*, inquit ille, *cum relatiuè dicitur ſeruus Domini, & cum abſolutè, vel abſque relatione ſeruus dicitur in ſcripturis. Ergo cum dicit, iam non dico vos ſeruos; profecto idem eſt ac ſi dixiſſet, iam non dico vos inimicos.* Hæc ille. Quæ quidem ſi firmo fundamento eſſent innixa, mirificè Pauli verbis quadrarent, nec enim ipſe ſe, & Timotheum ſeruos abſolutè, ſed ſeruos Ieſu Chriſti dicit. Verum inane eſt Ruperti acumen, quod nullo modo queat ſubſiſtere. Nam vt bene monet Ribera in Ioann. ſerui nomen non poteſt non eſſe relatiuum, ſuum terminum neceſſaria ratione connotans; vnde quamuis abſolute, & ſine aliquo additamento ponatur, certam alicuius domini ſeruitutem denotare neceſſe eſt, quæ ex antecedentibus, vel ex conſequentibus facilè percipiatur, vt videre eſt in illis verbis Matth. 24. 48. *Si autem dixerit ſeruus ille in corde ſuo, moram faciet dominus meus.* Præterea, cum dixit Chriſtus Dominus, *Non dicam vos ſeruos*, certum videtur non intellexiſſe ſeruos peccati, aut inimicos, vt credit Rupertus, quia præterquam quod ſub ea ſignificatione numquam illos ſeruos appellauerat, non faceret ad rem cauſa, quam immediatè Dominus ſubiungit: *Quia ſeruus neſcit, quid faciat dominus eius*; eſt enim illius hic ſenſus. Non vocabo vos ſeruos meos, quia ſeruus neſcit, quid faciat dominus eius, vos autem ſcitis.

Rupert.
Matth. 24. 48.

12. *Anselm. August. D. Thom. Glossa.* Paulo aliter respondent Anselmus hic, & Augustin. D. Thom. & glossa ad verba Ioannis, nimirum sermonem Christo non esse de seruis, qualis est ille cui dicitur. *Euge serue bone, & fidelis*, sed de illo de quo idemmet Dominus, Ioann. 8. 35. monet. *Seruus non manet in domo in æternum*, vt sensus Christi sit, non dicam vos seruos seruitute, quæ oritur ex timore seruili, sed quæ dimanat ex timore filiali.

Toletus. Non longè ab hoc it Cardin. Toletus in locum Ioann. dum ex Threnor. lib. 4. cap. 27. respondet Christum loqui de seruitute legis, à quâ nos per Euangelium absoluerit, quasi antea ipse, quâ Deus erat, Apostolos in legis seruitute constituisset, à quâ subinde homo factus per Euangelium exemerit.

13. His verò explicandi modis quo minus assentiar, duæ me rationes mouent. Altera, quod nunquam antea vocasset Christus Apostolos seruos, vel seruitute legis, vel quæ à timore seruili ortum ducit, qualis est ille seruus, qui non manet in domo in æternum. Altera, quod in illis non satis exponitur, quid noui Christus iis in verbis discipulis polliceatur, præsertim cum eodem paulo post, quo antea sensu appellet eos seruos, cum ait: *Mementote sermonis mei. Non est seruus maior domino suo.*

14. *Maldon.* Ergo facilius cum Maldonato respondeas, noluisse Christum iis verbis dicere, quo nomine antea discipulos vocauisset, aut quo ipsos deinceps vocaturus esset, sed potius quomodo erga illos antea se gessisset, & quo deinde se gereret, nempe quod cum illis obscurius prius, tamquam cum seruis egerit, nec Patris arcana manifestauerit: iam verò tam mortis, ac resurrectionis suæ mysteria, quàm penitissima Patris consilia dilucide illis exponeret, ac proinde cum illis, tamquam cum fidis amicis iam ageret, dicente Salomone, Prou. 25. 9. *Causam tracta cum amico, & secretum extraneo non reueles.* *Prou. 25. 9.* Vnde non sine allusione ad hæc acutè expendit Ambrosius, lib. 7. in Lucam, ad parabolam de filio prodigo seniorem fratrem, qui Iudaici populi typus erat, inuidia percitum noluisse patris domum intrare, sed foris potius remansisse, vt iam indicio esset seniorem populum è pristino filij statu in seruum fuisse commutatum, & ideo ad secretorum participationem non admitti. *Stat autem foris*, inquit Ambrosius, *nec excluditur, sed non ingreditur, ignorans voluntatem Dei de vocatione gentium seruus iam factus ex filio: seruus enim nescit quid dominus agat.* Sic Ambrosius. *Ambr. lib. 7. in Luc.*

Et verò quamuis ad hunc sensum ex præfatis verbis eruendum à Maldonato, & aliis Græca locutio contemnatur, quæ pro λέξω, hoc est *dicam*, habet λέγω *dico*, quasi eadem vtrique tempori vis, & sensus insit: mihi certè is loquendi modus plus energiæ in hanc sententiam videtur continere, atque sic sapit, ac si dicat Dominus, id iam non est agere cum seruis, sed potius cum amicis. Dicam significantius Hispane: *Esto llamolo yo Amistad, y trato de Amigos, y no de esclauos, ò criados.*

15. Quod si alicui in hac explicatione is maneat scrupulus, quod impropriè videatur exponi ea phrasis, non dicam vos seruos, vt significet, non me geram tamquam cum seruis: animaduertat frequentem scripturæ morem, in quâ nomina multis imponuntur, non tam vt appellentur ex illis, quam vt eorum factis consonent. Sic Isai. 7. 14. Christus prædicitur vocandus Emmanuel, & cap. 8. 7. dicitur, *Voca nomen eius accelera. spolia detrahe festina, prædare.* *Isai. 7. 14. & c.* Et cap. 9. 6. *Vocabitur nomen eius Admirabilis, consiliarius, Deus fortis, Pater futuri sæculi, Princeps pacis.* Similiter Ierem. 33. 16. *Hoc est nomen quod vocabunt eum, Dominus iustus noster*, cum tamen nullo horum *Iere. 33. 16.* nomine fuerit Christus compellatus, sed quia ipsius egregiè factis mirificè conueniunt, ideo apto sensu ea ipsi imponenda dicuntur. Ad quem sane modum optimè subsistit, vt non dicam, seu appellabo vos seruos, idem sit, ac non me tamquam cum seruis geram.

Iesu Christi.

Bene Origenes ad hæc verba in Epist. ad Romanos. *Quid est*, inquit, *esse seruum Christi? Quid est seruum esse Verbi Dei? sapientiæ, iustitiæ, veritatis, & omnium omnino virtutum, quæ Christus est.* Ita ille. Cur verò magis delectari videatur Paulus nomine serui Iesu Christi, quam serui Dei, cum idem vtrumque sit, annotatione 6. dicemus. 16. *Origen.*

Omnibus sanctis in Christo qui sunt Philippis.

Sanctorum nomine tam à Paulo, quàm à cæteris noui Testamenti scriptoribus passim appellantur Christiani, vt ad Rom. 1. 7. *Omnibus qui sunt Romæ dilectis Dei vocatis sanctis.* Et cap. 12. 13. *Necessitatibus sanctorum communicantes.* Et cap. 16. 15. *Omnes qui cum eis sunt, sanctos.* Similiter 1. ad Corinth. 1. 2. & cap. 6. 1. *Iudicari apud iniquos, & non apud sanctos.* Et cap. 7. 14. & cap. 14. 33. *In Ecclesiis sanctorum doceo.* Et cap. 16. 1. & 15. Et 2. ad Corinth. 1. 1. & cap. 8. 4. & cap. 9. 1. & 12. & cap. 13. 12. Et ad Ephes. 1. 1. & ad Coloss. 1. 2. & 1. ad Timoth. 5. 10. *Si sanctorum pedes lauit.* Et 1. Petr. 2. 9. & Actuum 9. 13. *Quanta mala sanctis tuis fecerit:* imo verò hoc illis nomen tot retro sæculis prophetico afflatus spiritu indiderat Isaias cap. 62. 12. *Et vocabunt eos, Populus sanctus, redempti à Domino.* 17. *Rom. 1. 7. & c. 1. Ad Cor. & c. Et 2. Ad Cor. 1. 1. Ad Ephes. Ad Colos. 1. Ad Timoth. 5. 10. 1. Pet. 2. 9. Act. 9. 13. Isai 62. 12.*

Duplex verò, quod ad rem attinet nostram, huic voci significatio inest. (Quod enim sanctum aliquando dicatur, quod firmum, & sancitum est, vt apud Tullium pro Cornelio Balbo, hoc inquam nostri instituti non est.) Altera, qua sanctum opponitur communi, & profano, idémque est ac diuino cultui dicatum, & ab omni vsu non tantùm immundo, sed etiam profano sequestratum. Sic Leuitici 22. 6. *Sancti erunt Deo suo.* Exod. 19. 6. *Eritis mihi gens sancta.* & 22. 6. *Viri sancti eritis mihi.* Et in Deuteronomio sæpius. Atque inde est, quod tam in sacris, quam in profanis scripturis templa, domus, montes, vasa, & pleraque alia appellentur sancta, quia diuinis vsibus mancipata sunt: vt Isai. 11. 9. *In vniuerso monte sancto meo.* Et 27. 13. & 56. 7. & 66. 20. & Ezech. 20. 40. Daniel 2. 20. & apud Virgilium Æneid. 11. 18. *Tul pro Balbo. Leuit. 22. 6. Exod. 19. 6. & 22. 6. Isai. 11. 9. & c. Ezech. Dan. 2. 20. Virgil. Æneid. 11.*

Summe Deûm sancti (dicati tibi) custos Soractis Apollo.

Ad quam significationem spectat quod à Martiano I.C. dicitur in l. 1. ff de rerum diuisione. *Sanctum propriè dicitur, quod ab iniuria hominum defensum, atque munitum est*, vel quod id quod Deo est consecratum, humanæ manus contrectare horreant, vel quod eo ipso, quod Deo sit dicatum, sub peculiari ipsius tutela, & curâ sit. *Mart. in l. 1. ff de rerum diuis.*

Altera, qua sanctum significat purum, incontaminatum, & ab omni labe immune, vt de Christo dixit ad Hebr. 7. 26. Paulus. *Sanctus, innocens, impollutus.* Et de Christi asseclis ad Ephes. 1. 4. *Vt essemus sancti & immaculati.* Et ad Coloss. 1. 22. *Exhibere vos sanctos, & immaculatos.* Et de lege diuina (quam immaculatam appellat Dauid Psalm. 18, 8.) *Lex quidem sancta, mandatum sanctum.* Sub qua significatione Assertor noster Patrem suum appellauit sanctum Ioann. 17. 11. Quod vel ex eo liquet, quod paulo post variata voce, inuariato sensu, sic appellat 19. *Ad Hebr. 7. 26. Ephes. 1. 4. Colos. 1. 22. Psal. 18. 8. Ioan. 17. 18.*

cum

eum *Pater iuste*, & Apostolorum Princeps, tam Deo, quàm ipsius seruis id nomen indidit, 1. Petr. 1. 15. *Quasi filij obedientiæ non configurati prioribus ignorantiæ vestræ desideriis, sed secundum eum, qui vocauit vos sanctum, & ipsi in omni conuersatione sancti sitis. Quoniam scriptum est sancti eritis, quoniam ego sanctus sum.* Vbi constat non modo vsurpasse Petrum vocem, *sanctus*, sub ea puritatis significatione, sed etiam iuxta eam explicasse verba Leuitici, 11. 44. & 19. 2.

1. Pet. 1. 15.

20 Vt hinc appareat non collimasse scopum eos, qui sancti epitheton eâ Deo ratione tribui censent, quod à profana Deorum falsitate segregatus sit. Nam aliud quidem est à mendacium Numinum communione verum Deum alienum esse, eo quod sanctus, & omnis labis expers sit; aliud verò ex vi vocis *sanctus* ea separationem, & discrimen significari. Certè ipsismet falsis diis id sancti epitheton veteres auctores tribuebant, vt apud Liuium lib. 2. Horatius Cocles sic precatur: *Tiberine pater te sancte precor.* Et Tullius Philippica 2. *Proh sancte Iupiter.* Et 2. de natura deorum. Et Tuscul. 4. *O sancte Apollo.* Et Arnobius lib. 7. aduersus gentes, non sine morsu: *Æsculapius iste, quem prædicatis, Deus præstans, sanctus Deus.* Sed & Virgil. 4. Æneid. incerto deo id nomen tribuit.

Liuius lib. 2. Tull. Phil. 2. & 2. de nat. deor. Arnob. Virgil.

——*Sequimur te sancte deorum,*
Quisquis es

Quæ argumento sunt aliam huic voci, *sanctus*, prout diuinitati, siue veræ, siue falsæ accommodatur, significationem subesse ab ea, quam ij auctores autumant, maximè si ipsorummet ratio firma esset, ne Deus verus commune aliquid cum idolis haberet. Nam vt Ethnici illis diuinitatis rationem: ita & sanctorum nomen falso accommodarunt. Vndè præfata obseruatio à fundamento non subsistit.

21 Iam verò sub qua harum significationum sanctos appellet Paulus Philippenses, non omnino conuenit inter interpretes: alijs ad animorum candorem, & puritatem referentibus; aliis ad religionem, & fidem, quâ fideles, vt Deo mancipatos, ita à profanis religionibus, & vsibus sequestratos se profitentur. Ego verò quamuis in primis non ignorem distinctam alterutri significationi vocem Græce respondere, prout his verbis adnotauit Hieronymus in Epist. ad Titum. *Sanctus autem, quod Græcè ὅσιος dicitur, magis id significat, cum ipsa sanctitas est mixta pietati, & ad Deum refertur; quem enim nos sanctum* (purum intelligit Hieronymus) *Græce ἅγιον vocant; quem autem isti ὅσιον, nos pium in Deum possumus appellare.* Sic ille. Deinde quamuis videam tàm in hac, quàm in aliis salutationibus Græce non poni à Paulo ὁσίοις, idest piis in Deum: sed ἁγίοις, id est mundis: vtramque tamen ab ipso significationem sub hoc nomine complexam reor, vt vna ab altera diuelli vix queat; de eaque sanctitate capiendum esse, quæ ad pietatem in Deum, & ad munditiem, & candorem referatur, ac proinde eandem penè vtrique sententiæ mentem esse. Etenim ij auctores, qui sanctos in Christo ideo dici existimant, vt perinde sit, ac per baptismum mundatos, & puros, vt Anselm. D. Thom. & alij, negare simul non possunt id puritatis, & munditiæ genus esse, quæ pia in Deum (sensu dato à Hieronymo) & religiosa sit, cum videlicet fideles per baptismum sic Deo vero se dedunt, ac mancipant, vt ea deponant, propter quæ profani, & ab ipso alieni antea habebantur: similiter qui sanctitatem ad religionem, & pietatem in Deum referunt, sanctosque appellant, quasi veri Dei cultui destinatos, & ab vsibus profanis sequestratos, puritatem simul, ac munditiem ei pietati imbibitam debent intelligere; siue vniuersalem, quâ Ecclesia sancta, id est immaculata, ac pulchra dicitur; siue particularem, qua plures ex fidelibus, ex iustitia & morum probitate, quæ ipsis subest, sancti dicuntur, eo sensu, quo ad Ephes. c. 4. dixit Paulus: *Vt essemus sancti, & immaculati.* Ex primaria tamen intentione ad munditiam, & puritatem baptismi Paulum adspexisse reor, *Sanctosque in Christo* appellasse, quasi Christi gratia & meritis à pristinis sordibus ablutos, atque mundatos. Vbi simul videas incipere Paulum Iudaizantes conuellere, dum apertè affirmat, nullam iam esse sanctitatem, nisi eam, quæ à Christo, & per Christum dimanat.

Hieron. in Ep. ad Tit. Anselm. & D. Th. hic. Ad Ephes.

Difficilius est pronunciare, de qua tandem sanctitate vniuersali ne; an particulari accipiendus sit Paulus, cum Philippenses sanctos appellat; id, est dicere; an illis sanctorum nomen tribuat, quod singuli eorum actu sancti, & iusti essent; an verò quod fidem, & religionem sanctam profiterentur, eaque tenerentur sanctitatem sectari. Plures, inter quos Cornelius in cap. 13. Epist. 1. ad Corinth. versu 1. in ea sunt sententia, vt existiment Paulum eo sensu fideles appellare sanctos, quod professione, & debito sancti essent; non verò quod ipse pronunciaret re, & actu vera sanctitate esse præditos. Contra Pseudo-Hieronymus in inscriptione Epistolæ ad Ephesios, & alij de actuali sanctitate censet capiendum Paulum: *Sic intelligendum*, inquit, *quod scribat fideliter seruantibus gratiam sanctitatis.* Fauere huic sententiæ videntur Chrysostomus, & Theophylactus in Epist. ad Timoth. his vterque penè verbis. *Sancti sunt omnes quotquot fidem rectam cum vitâ habent, etiam si signa non edant.* 22

Cornelius. Pseudo Hieronym. Chrysost. & Theophyl.

Et verò, vt vtraque sententia probabilis videatur, suos tamen vnaquæque habet scopulos. Nam primæ illud iure obiicias, quod eâ solum ratione sancti appellarentur à Paulo fideles, quod professione, & debito, non re sancti essent, hoc etiam pacto sancti etiam dici possent, etiam si nullus inter eos verè sanctus esset, imò & sancta diceretur vniuersalis Ecclesia, tametsi in ea nullus sanctitate, & iustitia polleret, quod est plus quam falsum. Rursus, iuxta secundam sententiam, quis dum Paulum audit vocare sanctos omnes Philippenses, siue Ephesios, siue Corinthios, siue etiam Romanos, magnarum, scilicet, vrbium incolas, tam credulum se præbeat, vt opinetur eos omnes re sanctos, & iustos esse? Non ita quidem existimauit Origenes homil. 10. in Numeros, obseruans plures ex iis, quos sanctos Paulus appellabat, non leuibus criminibus esse obnoxios. Audi illum: *Si sancti sine peccato essent, nunquam Paulus Apostolus diceret Romanis scribens: Nolite propter cibum soluere opus Dei, quibus in principio Epistolæ scripserat: Omnibus, qui sunt dilecti Dei vocati sancti. Et iterum idem Apostolus ad Corinthios scribens: Paulus vocatus Apostolus Iesu Christi. Et post pauca: Ecclesiæ Dei, quæ est Corinthi sanctificatis in Christo Iesu, vocatis sanctis. Istos ergo, quos sanctificatos, & sanctos appellat, audi, quanta in eis peccata reprehendat: Ait enim in sequentibus: Cum enim sint inter vos æmulationes, & contentiones, nonne carnales estis, & secundum hominem ambulatis? Et iterum: Iam diuites facti estis sine nobis regnatis. Et iterum: Tamquam autem non venturo me ad vos, inflati sunt quidam. Et paulò post: Omnino auditur inter vos fornicatio, & talis fornicatio, qualis nec inter gentes. In consequentibus verò: Et vos, inquit, inflati estis, & non potius luctum habuistis: in quo vtique nullum relinquit immunem, dum aliis fornicationis, aliis inflationis, & superbiæ crimen adscribit.* Hæc, & multo plura ibi Origenes. 23

Origen.

24. Ergo de hac appellatione, *Sanctus*, in vniuersum sumpta, nihil certum diffiniri posse existimo, sed ex circunstantiis intelligendum esse, de qua sanctitate Paulus loquatur. Et verò, si de his epistolarum inscriptionibus agatur, certa videtur Origenis sententia: vix enim credi possit è mente Pauli esse, omnes, ad quos epistolas dabat, re & actu sanctos, iustosque appellare, (maximè cum ei constaret esse inter illos nonnullos, qui grauibus flagitiis essent obnoxij, vti argumentabatur Origenes) sed laxiori sanctitatis vocabulo, quid Christi gratia in baptismum essent consecuti, qualesque subinde, vt professioni Christianæ responderent, esse deberent, pronunciare. Secus tamen est, cum apud Paulum, aut alios scriptores sacros de sanctitate, vel vniuersalis Ecclesiæ, vel singulorum eius membrorum singillatim agitur: tum enim ex ipsorum mente non sufficienter diffinires sanctitatem à professione, & debito, siue à Sacramentis, & reliquo cultu externo tantum: sed (quod in Ecclesiæ sanctitate est præcipuum) à morum candore, & vitæ integritate: sicuti sanctitatem diffiniuit Dionysius Areopagita, libro de diuinis Nominibus, cap. 12. *Sanctitas est ab omni scelere libera, perfectaque, ac omni ex parte incontaminata puritas.* Iuxta quam sanctitatis diffinitionem, ad Ephes. 5. 25. dixit Paulus. *Christus dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro eâ, vt illam sanctificaret mundans lauacro aquæ in Verbo vitæ, vt exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid huiusmodi; sed vt sit sancta & immaculata.* Quæ verba non solum de Ecclesiâ, quæ iam in cœlis triumphat, sed de ea etiam, quæ adhuc in castris est, cum Hieronymo, Chrysostomo, & Theophylacto, ibi sunt intelligenda, quidquid alij subdubitent, & ea nobis de re scrupulum iniiciant, quasi nequeat in terris tanta puritas inueniri. Sed ab hoc scrupulo præter citatos Patres, tum Toletanum Concilium, tum Summi quinque Pontifices Clem. Rom. lib. 2. constit. cap. 61. Fabianus Epist. 3. ad Hilarinum, Gelasius in Decreto de Apocryphis, Xistus III. epist. vnic. cap. 5. Gregorius Magnus lib. 2. Moral. cap. 29. nos absoluunt, dum ea accipiunt de sanctitate, & probitate vitæ; quæ quamuis non in omnibus, in multis tamen Ecclesiæ membris reperitur.

Dionys. — ad Ephes. — Hier. Chrysost. & Theophyl. ibi. — Concil. Toletan. Clemens Roman. Fabianus. Gelasius. Xistus 3. Gregorius Magn.

Similis deinde subest sensus illis eiusdem epistolæ verbis, cap. 1. 4. *Vt essemus sancti, & immaculati.* Et ad Coloss. 1. *Exhibete vos sanctos, & immaculatos, & irreprehensibiles.* Vbi ex interpretatione Hieronymi in verba ad Ephesios, sanctos dixit Paulus, quasi virtutibus plenos: addidit vero, *immaculatos*, & *irreprehensibiles*: ad maiorem sanctitatis explicationem, quæ, vt dicebat Dionysius, *Est omni ex parte incontaminata puritas.*

Ad Colos.

25. Hac etiam mente non semel appellat Apostolus fideles *templum sanctum Dei*, vt 1. ad Corinth. 3. 16. *Nescitis quia templum Dei estis, & Spiritus Dei habitat in vobis? Si quis autem templum Dei violauerit, disperdet illum Deus: templum enim Dei sanctum est, quod estis vos.* Similis Dauidis locutio, Psalm. 64. *Sanctum est templum tuum mirabile in æquitate.* Quæ verba Hilarius cum præfatis Apostoli componit, subditque: *Ornandum est ergo hoc templum sanctitate, atque iustitia, vt bonis domus Dei repleatur, vt æquitatis, ac fidei operibus mirabile sit.* Et alibi. *Templum enim æternum ad habitaculum Spiritus sancti consecrabatur; homo scilicet, per agnitionem filij, & confessionem Patris, & præceptorum obedientiam Deo fieri dignum habitaculum.* Hæc Hilarius. Ecce sanctitatem, vel vniuersalis Ecclesiæ, vel singulorum eius membrorum.

1. Ad Cor. — Psal. 64. 6. — Hilar. ibi.

26. Vnde non prætéribo eundem etiam Ethnicis sensum fuisse. Nam sanctitatem ita diffiniuit Plato in Eutripo, seu de sanctitate. *Sanctum est, quod Deus amat; profanum quod Deus odit. Etenim cum mundi sint oculi Domini ne videant malum, nec respicere ad iniquitatem possint.* Abacuc 1. 13. manifestum Platoni est, sanctum esse, quod, vt dicebat Dionysius, incontaminatum, & purum sit. Deinde apud Romanos ij solum ad preces diis suis offerendas accedere permittebantur, qui sancti, & ab omni flagitij labe puri essent. Quod licet Arnobius lib. 7. aduersus gentes, & Lactantius lib. 5. cap. 20. rideant, quasi id solum ad externam tantum cutis ablutionem Ethnici referrent: *Tamquam libidines intra pectus inclusas vlli amnes abluant* (Verba sunt Lactantij,) *aut vlla maria purificent*; At M. Tullius lib. 2. de legibus de vera innocentia sic capit. *Caste lex adire iubet ad deos, animo videlicet, in quo sunt omnia, nec tollit castimoniam corporis, sed hoc oportet intelligi, cum multum animus corpori præstet, obseruetque, vt casto corpore adeatur, multo esse in animis id præstandum magis: Nam illud, vel aspersione aquæ, vel dierum numero tollitur, animi labes nec diuturnitate euanescere nec amnibus vllis elui potest.* Hæc ille de suis sanctis, qui Curios se simulabant, & Bacchanalia viuebant.

Plato in Eutripo. — Abacuc. — Arnobius. Lactantius. — Tullius.

Cum Episcopis, & Diaconibus.

Duplex hoc loco à Patribus, & interpretibus mouetur dubium. Alterum cur Paulus Philippensium populum, priusquam Episcopos, & Diaconos salutet, cum decoris, & vrbanitatis ratio suadere videatur, vt prius Episcopi, & Diaconi; deinde reliqui è plebe fideles salutentur. Alterum qui Paulus ad vnam Philippensium ciuitatem scribens, plurali numero Episcoporum meminerit dicens, *Cum Episcopis*; quandoquidem plures in vna ciuitate Episcopos esse, insolens omnino ab ipsis nascentis Ecclesiæ primordiis, & Apostolicis canonibus contrarium fuerit. 27.

Ab vtroque nodo facile se expediuit Commentarius Ambrosij nomine inscriptus, dum inuerso ordine sic accipit hæc verba, *Cum Episcopis & Diaconibus*, vt non coniungantur cum iis immediatè antecedentibus: *Omnibus sanctis in Christo qui sunt Philippis*; sed potius cum primis illis, *Paulus, & Timotheus*: vt sit sensus. *Paulus, & Timotheus cum Episcopis & Diaconibus*, qui scilicet Romam ad inuisendum Paulum confluxerant has literas dant sanctis, qui sunt Philippis. Præclarum sanè ad effugiendam, non ad soluendam difficultatem inuentum, quod & Pauli verbis, & communi Patrum circa illa consensui manifestam vim infert. Vnde nullus fuit vnquam Pauli interpres, cui hæc euasio, siue commentum non displicuerit. 28. Ambros.

Ergo aliter primæ difficultati respondent Chrysostomus, & Theophylactus, hanc epistolam non ad vniuersam Philippensium Ecclesiam, sed ad clerum solummodo à Paulo fuisse scriptam; vnde ipsi non legunt σὺν ἐπισκόποις: id est, *Cum Episcopis*, sed vnica voce facta, συνεπισκόποις, id est: *Coepiscopis*, vt Græcè etiam legisse videtur Oecumenius, licet eius interpres præter ipsius mentem verterit, *Cum Episcopis*. Verum dubio procul Vulgatæ lectio, ad quam, & Syriaca, & correctiora exemplaria Græca, necnon Theodoretus Græcus ipse accedunt, retinenda est. Nam ea Chrysostomi lectio sic soluit præfatam difficultatem, vt totam simul epistolæ seriem dissoluat: ex ipsa enim fit manifestum, tam præcepta, ac monita, quàm allocutiones ipsas, & apostrophes ad omnes in vniuersum dirigi. 29. Chrysost. & Theoph. hic. Oecumen. hic.

Secundo ex D. Thoma respondet Cornelius 30. Corn. hic.

Apo

Apoſtolum ſeruare voluiſſe ordinem naturæ,iuxta quem grex ſuum antecedit paſtorem,vt paſtor dum ſubſequitur,& videre, & dirigere commodè poſſit. Subdit id eſſe in cauſa, quod in proceſſionibus populus præcedat,Clerus,& Prælatus ſequantur: atq; ideo honoratiorem tunc eſſe locum vltimum;cum tamen apud ſæculares in menſis, & conciliis primus conſeſſus honoratior ſit. Sed in hac reſponſione præter pietatem,& Eccleſiaſticam cæremoniam, cuius mentio fit,nihil eſſe video, quod poſſit amplecti. Quid enim habet commune honor, ſiue dignitas loci, qui in proceſſionibus, Clero,ac Prælato competit, (qui etiam idem eſt cum eo,quem ſæculares Præpoſiti, ac Magiſtratus in publicis egreſſibus ſeruant) cum honore,qui in inſcriptionibus,& ſalutationibus,ſiue Eccleſiæ Prælatis,ſiue Dynaſtis, & Principibus ex ſcripto defertur? aut quæ vnius ad alterum proportio? Cum alia omnino ſcribendi, alia incedendi,ſiue deambulandi ratio ſit: ſemper enim obtinuit conſuetudo,vt in publicis egreſſibus, ſiue Eccleſiaſticis,ſiue ſæcularibus,imò & in Ethnicorum triumphis vltimus locus honoratior; in inſcriptionibus verò,& ſalutationibus primus dignior & honeſtior cenſeatur.

31. Ergo reſpondeo honorificentiorem Cleri,& Epiſcoporum à Paulo mentionem hoc loco factam fuiſſe; quod hæc verba: *Omnibus ſanctis cum Epiſcopis,& Diaconibus*, tantum valeant, ac ſi diceretur omnibus ſanctis,præſertim verò, ſiue nominatim, aut ſingillatim, *Epiſcopis, & Diaconibus*. Quod ſane honorificentius eſt, quam ſi primi nominarentur: habet enim neſcio quam emphaſim is dicendi modus, in quo illi præ cæteris commendantur. Nec noſtrum hoc inuentum, ſed Scripturæ hic mos eſt, in qua digniores perſonæ hac ratione poſteriori loco numerantur, ſic Actuum 1. 14. dum prius omnium Apoſtolorum mentio fit, ſubdit Lucas. *Hi omnes erant vnanimiter perſeuerantes in oratione cum mulieribus,& Maria matre Ieſu*. Ad quæ verba hanc Scripturæ conſuetudinem obſeruat P. Gaſpar Sanchez,necnon in cap. 9. Zachar. num. 8. vide illum. *Actuum.* *Sanch. ibi.* *Zach. 9:8.*

32. Circa ſecundum dubium multi multa dicunt, nec pauca nos alicubi ſcribimus. Summa omnium ex Chryſoſtomo,& pleriſque Græcis,ac Latinis eſt; *Epiſcopi* vocabulum Apoſtolorum tempore genericum, & tam Epiſcopis, quorum in Eccleſiaſtica Hierarchia ſupremus eſt ordo,quàm Presbyteris,ſiue Clericis commune fuiſſe: ſicut & de Presbyteri nomine Epiſcopi etiam,quos nunc dicimus,appellabantur, vt ex Epiſt.ad Titum facile eſt coniicere. Poſteà vero, tam rebus, quàm vocibus ad accuratiorem normam in Eccleſia redactis,præſertim cum non nihil ſchiſmatis, ſiue diſſidij inter Epiſcopos, & Presbyteros fuiſſet,cœpiſſe nomen Epiſcopi,ſpeciei ſolum eſſe, ac Presbyteris denegatum,ſolis Epiſcopis attribui. Ita Chryſoſtomus. Quid hoc ſibi vult? tunc vnius ciuitatis plures erant Epiſcopi? Nequaquam: ſed hoc titulo deſignat Presbyteros: tunc enim temporis adhuc vocabulum erat commune: ita ille. Similiter Theodoretus Epiſcopos vocat Presbyteros: vtrumque enim nomen habebant in illo tempore. Vide interpretes, & Cardin. Bellarm. & Baronium; illum tom.1. controuerſ. lib. 1. de Clericis, cap.14. & 15. hunc tom. 1. Annal. ad annum 58. Lorinum ad cap. 20. Actuum, in illa verba: *A Mileto autem,&c.* *Chryſ. ibi.* *Theodoret.* *Bellarm.* *Baronius.* *Lorinus.*

33. Obiicias Hieronymum in commentariis,Epiſt.ad Titum, & in Epiſt.ad Euagrium, vbi innuere videtur Presbyteros ab Epiſcopis dignitate non differre. Reſpondeo illum de nominis, ſiue etiam non regiminis communione, quandoquidem nonnulla Eccleſiæ munia Epiſcopo, & Presbytero communia ſunt: non vero de iuriſdictione, & dignitate fuiſſe locutum: cum aliis in locis paſſim affirmet Hieronymus,Epiſcopum Presbytero dignitate antecellere, vt latè & optimè citatis locis monent Baronius, & Lorinus,& ante ipſos, D. Thom. 2.2.quæſt.184. artic. 8. vt magis mirer fuiſſe ex ipſius ſchola non neminem,quem ego nolo nominare,qui non dubitauit hâc labe Hieronymum, & plures alios Eccleſiæ Patres reſpergere. Sed magis cano aliorum iudicio eâ in re fidem facere oportet. *Hieronym.* *D.Thom.*

Quod ſi cum nonnullis dicas Hieronymum per hyperbolem, vt Presbyterorum dignitatem aſſereret, ita fuiſſe locutum, vt eam Epiſcopali penè æquare videatur, non multum repugnabo; cum tamen de ipſius mente, quæ cum reliquis Patribus conſentit, prius conſtet. Erant quidem Hieronymi tempore quidam Diaconi,qui nimium in Presbyteros efferebantur: erant nonnulli Epiſcopi grandi ſupercilio aduerſus Petri monitum dominantes in cleris: vt ergo eorum elationem comprimeret, & ſacerdotalem dignitatem inter hos ſcopulos periclitantem in ſuo gradu ſubſiſtentem redderet, oratorio more ſic extollit, vt Epiſcopali parem facere videatur; non tamen faciat, vt ex locis, quæ adducit Baronius,planum fit. 34. *Baron. ibid.*

ANNOTATIO I.

Eam magnorum virorum indolem eſſe,vt quo ſuperiores ſunt,eò ſummiſſius ſe gerant.

FAMILIARE eſt Patribus, ac interpretibus in his, & ſimilibus Pauli verbis egregiam ipſius modeſtiam atque humilitatem commendare, cum in Apoſtolatus apice conſtitutus, & ad amicorum, ſiue filiorum Dei gradum euectus, ita demiſsè, ac modeſtè de ſe ſentiat, vt illuſtria Apoſtoli, & amici nomina ſilentio premens, ſeruum potius Chriſti ſe compellare voluerit. Aſſertorem noſtrum imitatus, inquit Origenes in ſimilia Pauli verba, in Epiſtola ad Rom. qui miniſtrare elegit, quam miniſtrari. Quare ne actum nos agere, & quæ in ore omnium natât,afferre videamur, illud potius in hac ſerui appellatione, quam Paulus ſibi vſurpat,obſeruandum cenſemus. Eam veræ magnitudinis naturam, ſiue illuſtrium virorum ingenium eſſe, vt eo ipſo, quo eminentiorem locum obtineant, demiſſiores ſe, ac modeſtiores reddant,iuxta Sapientis monitum, Eccleſiaſtici 3.20. *Quanto magnus es,humilia te in omnibus*: necnon & Marc. Tullij lib.1. Officior. dicentis. *Rectè præcipere videntur,qui monent,vt quanto ſuperiores ſumus,eò nos ſummiſſius geramus.* 1. *Origenes* *Eccleſiaſt.* *Tullij.*

Et quidem ſub hoc ſenſu de vnigenito Dei Filio ſtupendum nobis humilitatis exemplum dante,cum diſcipulorum pedes lauit,magno verborum pondere videtur dixiſſe Ioannes 13.3. *Sciens quia omnia dedit ei Pater in manus,& quia à Deo exiuit,& ad Deum vadit: ſurgit à cœnâ,& ponit veſtimenta ſua, & cœpit lauare pedes diſcipulorum, & extergere linteo, quo erat præcinctus.* Sed obſerua negotium faceſſere interpretibus participium illud *ſciens*, quod vt emphaticè ponitur ab Euangeliſta, ita eius vis haud facilè explicatur. Illa frequentior ex Auguſtin. Cyrillo, Euthymio, & aliis Patribus expoſitio eſt, vt ſit ſenſus: Cum talis ipſe eſſet ac tantus, vt ei omnia in manus Pater tradiderit, cumque paulo pòſt ad Patrem iturus, & ad ipſius dexteram conſeſſurus eſſet; idque ei non eſſet ignotum, eò tamen ſe abiecit,vt diſcipulorum pedes lauerit. Benè quidem, nec ſine emphaſi, vt huius humilitatis 2. *Ioann.* *Auguſtin. Cyrill. & Euthym. ibi.*

Bernard. excellentia à Ioanne ostenderetur : nam vt ait Bernardus libro de diligendo Deo, *quam gloriam habet habere quod te nescius?* Verum iure ea interpretandi *Maldo. ibi.* ratio Maldonato omnino non placuit ; vel ex eo, quod latentem rationem lotionis pedum, quam certum est Euangelistam reddere voluisse, non assignat.

3. Ergo vt ea ratio efficaci ratione reddatur, & orationis filum simpliciter decurrat, simulque vt Latino participio, *sciens*, sua emphasis, necnon Græco *εἰδὼς*, id est, animo voluens propria significatio reddatur, eum iis verbis sensum subesse dixeris, vt affirmet Ioannes, eâ potissimum de causa tam egregium humilitatis exemplum à Christo fuisse exhibitum; quod ipse tunc temporis mente peruolueret omnia in manus suas, tam cœlestia, quam terrena Patrem tradidisse, seque Dei filium, quique ad eius dexteram paulo pòst esset consessurus; ac si dicat Euangelista; Cum supremam dignitatem suam ille cogitaret, ac se Regum Regem, & Dominum animaduerteret, vt ingenitæ magnitudinis egregium specimen daret, extremæ humilitatis opus voluit perficere, subditorum pedes summissè lauando; quasi ea magnitudinis veræ lex sit, vt quò aliis superiorem se quis agnoscit, eò summissius cum illis agat; imò ad eorum pedes se etiam aduoluat. Ecce quem putamus literalem huius loci sensum; qui & *Theophyl. ibi.* è mente Theophylacti esse videtur hæc omnia sic breuiter perstringentis: *Considera igitur, quod humiliari opus est eius, qui à Deo egressus est, & ad Deum vadit; superbire, & fastuosum esse, opus est eius, qui à dæmonibus exiuit, & ad dæmones vadit,* Ita ille. Certe Deus iam diu homini inseruire de more habet.

4. *Isai.* Nam prætetquam quod eius hæc vox est Isai. 43.24. *Seruire me fecisti in iniquitatibus tuis*: in prima hominis formatione sic illi inseruientem pul- *Tertull.* chre depingit Tertullian. lib. de Resurrectione carnis, cap. 6. *Recogita totum illi Deum occupatum, ac deditum manu, sensu, opere, consilio, sapientia, prouidentia, & ipsâ in primis adfectione, quæ lineamenta ductabat.* Sic ille. Vbi ex commentatorum iudicio emphasim habet pronomen, *illi*, dum innuitur propter illam materiam, & eius causa occupatum Deum: sed *Pamelius ibid.* rem auget verbum, *deditum*: nam, vt bene ibi Pamelius: *Quod deditur totum est eius, cui deditur.* Ergo humiliari, opus est eius, qui à Deo exiuit, & ad Deum vadit. Adiungo Deiparæ exemplum, quæ vt Dei Verbo grauidam, atque ideo creaturarum Dominam se agnouit, nulla interpositâ morâ ad inuisendam Elisabet, eique inseruiendum venit: vnde *Ambros.* Ambros. lib. 1. in Luc. cap. 1. *Contuendum est quia superior venit ad inferiorem, vt inferior adiuuetur, Maria ad Elisabet, Christus ad Ioannem.* Sic ille. Ac si dixerit, obserua munus, & partes superioris non tam esse, vt ab inferioribus salutetur, inuisatur, ministretur; quam vt inferiores ipse salutet, eisque ministret. Sed de hac Virginis egregiâ indole vberior nobis statim redibit sermo.

5. Huc omnino facit signatissimus ille huius Epistolæ locus, cap. 2. 6. *Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo; sed semetipsum exinaniuit formam serui accipiens*; si priora verba iuxta Græcorum Patrum expositionem, po- *Primas. ibi. Dionys. Alexand.* steriora verò ad mentem Primasij, & Dionysij Alexandrini explices: nam formam serui ad præfatam pedum lotionem sic referunt hi Patres. *Iesus Christus*, inquit Dionysius in Epistola contra Paulum Samosatenum, *Dominus, & Deus Apostolorum cum accepisset formam serui, cœnâ mysticâ factâ surgit à cœna Deus Apostolorum Iesus, & ponit vestimenta sua, & cum accepisset linteum præcinxit se; hæc est forma serui.* Ita Dionysius. Similiter Primasius: *Accepit*, inquit, *formam serui, ita vt pedes lauaret, nihil sibi vendicans potestatis, cum haberet omnium dominatum quasi vnigeniti à Patre.* Iam cur Apostolus formæ *Photius.* serui, id est, lotionis pedum mentionem facturus, præmisit, *Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo?* Audi Photium. *Maximè ostenditur, quod Deus sit ex hoc, quod sese demiserit, ac humanitatem gestauerit; nouerat enim, quod ex hac humiliatione nihil detrimenti susciperet, ex diuinâ natura sibi conueniens diuinitati sublimitas: si verò hanc fictitiam habuisset, timuisset vtique seipsum humiliare: ne à dignitate vix dum sibi adquisita excederet.* Ita Photius. Explicatius & opportunius ad nostrum institutum Theodoretus. *Cum esset*, inquit, *Theodor.* *Deus, & natura Deus, & Patri æqualis, non hoc magnum existimauit: hoc enim est proprium eorum, qui præter dignitatem honorem aliquem sunt consecuti: sed celata dignitate summam accepit humilitatem, & humanam formam suscepit.* Ita ille. Et post nonnulla: *Non enim rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, est enim proprium eorum, qui aliena rapiunt, se propter ea, quæ habent iactare, & de se magnifice sentire: Deus autem Verbum cum esset natura Deus; in Dei enim formâ erat, & non rapinam arbitratus est, quod esset Deo æqualis.* Hæc Theodoretus. Ergo ex vtraque expositione tantum non dicit Paulus his verbis, quod præcedenti loco Ioannes, ea præsertim de causa Christum discipulorum pedes lauisse, quod vere Deus, & Dominus esset, nec adscititiam, siue fictitiam dignitatem haberet; cum natiuæ maiestatis, germanæque amplitudinis proprium sit se demittere: fictitiæ vero dignitatis, & ex rapto acceptæ superbire, seseque modis omnibus iactare. In quam sententiam scite dixit S. Zeno Episcopus Veronen- *Zeno in Ps.* sis, & martyr, in Psalm. 130. *Nulli facilius efferuntur, quam quos inopinati honoris culmen attollit*: edo- *Seneca.* ctus, opinor, à Seneca Rhetore lib. 2. controuers. 1. dicente. *Nihil est insolentius nouitio diuite*: necnon *Lucianus.* à Luciano in imaginibus. Vbi recentem nobilitatem homines inurbanos, atque inhumanos reddere monet. *Ad modum Homericæ illius Ates super hominum capita incedentem, & subiecta calcantem*: subdit verò. *Quod abiectis animis euenit ex fortunæ proteruia.* Ab *Bernard.* hoc non it illud Bernardi, serm. 4. in *Missus est. Videas plerosque in Ecclesia de ignobilibus nobiles, de pauperibus diuites factos subito intumescere pristinæ obliti abiectionis.*

Sed illud huic instituto, & præfatis Theodoreti verbis mirifice quadrat, quod tot retro sæculis de 6. *Dio.* Seiano Tiberij familiari his verbis scripsit Dio lib. 58. *Is homo superbissimus studiosè ab omnibus colebatur, salutabatur, deducebatur: Omnia enim acriter, & maximè Procerum obseruabat, & verba, & nutus: nam qui propria potentia nituntur, neque salutationes, aut hæc obsequia valde requirunt; & si omissa fuerint, vitio non vertunt, ipsi nempe sibi conscij contemptui sui hoc non factum. Qui vero fuco, & adscititio splendore vtuntur, ij omnia talia magnopere, & tamquam ad dignitatis suæ culmen pertinentia requirunt, & nisi consequantur grauiter ferunt, vt abiecti, & irascuntur, quasi iniuria affecti. Ideoque istos magis penè, quam ipsos imperatores vulgo obseruant, & circa eos satagunt, quoniam apud hos, si quid peccatur, virtus censetur remittere, & ignoscere; apud illos imbecillitas, & virium inopia; contra autem vlcisci, facere ad stabiliendam, ostentandamque potentiam arbitrantur.* Hactenus Dio nouitiorum nobilium mores non calamo, sed penicillo depingens. Vnde ad eius mentem Isocrates ad *Isocrates.* Demonicum. *Iure autem* (ait) *eos dixerimus non in se ipsos tantum peccare, sed & fortunæ esse proditores.* Sic ille.

ille. Quod perinde est, ac si diceret illos, & sibi ipsis,& veræ magnitudini iniuriam inferre,cum illius naturam,quæ summè comis,& vbana est,ad superbiæ, & elationis vitium, à quo ipsa vndique abest, transferant. Certe de Germanico inter Romanos Proceres Principe magnanimo dixit Tacitus lib. 2. Annalium affabilitate ipsa venerabilem exstitisse. Redeo ad sacra. *Tacitus.*

7. *Ambros.* Confirmauit hæc Ambrosius lib. 2. Officiorum cap.7. adducto Moysis exemplo,qui humilitate eò vsque peruenit, vt non humanus, sed diuinus potius ab hominibus haberetur. Nam cum dixisset. *Quam miti sermone post iniurias appellabat populum, consolabatur in laboribus, deliniebat oraculis, fouebat operibus, & cum Deo constanter loqueretur, homines tamen humili, & grata appellatione affari solebat.* Subiicit: *Merito æstimatus est super homines, vt & eius vultum non possent intendere, & sepulturam eius non repertam crederent.* Sic Ambros.

8. *Isai.* Hinc dum ab Isaia 53. 2. summa Christi virtus, ac efficacitas apud Deum prædicitur; tum cum generoso arbusto singulari cœli temperie, & benignitate in dies excrescente: eum etiam cum radice arboris inferius se magis, ac magis demittente componitur. *Ascendet sicut virgultum*, inquit Vates, *coram eo, & sicut radix de terra sitienti.* Sed nonne dicas antilogiam esse, simul conferre Christum cum eleganti virgulto sursum se efferente,& germinante, & cum radice in ima, ac profundiora terræ se subiiciente,atque abscondente? Apage.mutuò enim potius se hæc duo respiciunt; quia videlicet ea germanæ amplitudinis natura, & lex est, vt quantum possit, ad inferiora se demittat, siue vt tunc super astra efferatur, cum in terræ centro se nititur abscondere.

9. *Abacuc.* Applaudit huic cogitationi, quod Abacuc 3. 4. de Filio Dei crucifixo, gloriamque suam vndequaque abscondente,dicitur: *Cornua in manibus eius,ibi abscondita est fortitudo eius:* sed in Hebræo fonte sic habetur. *Ibi reuelata est absconsio fortitudinis eius.* Quas quidem lectiones inter se maximè pugnare diceres,nisi superiore doctrina præeunte animaduerteres, tunc maximè Christi diuinitatem reuelati, commendarique, cum magis dissimulata, & celata ab ipso fuit. E qua re est,quod Athenienses aduentanti Pompeio diuinosque honores recusanti gratabundi scripsere:

Plinius. *Quatenus te censes hominem,eatenus nobis es Deus.* Nec ab hoc it quod Plinius Iunior in Panegyrico ad Trajanum de ipsius modestia, & humilitate ait, his verbis. *Tu delubra non nisi adoraturus intras, tibi maximus honor excubare pro templis postibusque prætexti. Sic fit vt Dei summum inter homines honorē serues,cum deorum ipse non adeptus.* Ita Plinius. Voluit dicere,eo ipso quod Deus haberi fugis, pro Deo te habemus,aut vices eius in terris gerente; cum nulla virtus diuinitatem, maiestatemque sic redoleat, vt humilitas. Apto hic, quæ Gregorius Magnus Antistiti cuidam nimis anxiè ab ipso pallium postulanti, & Theodoricus Rex Trasimundo Regi Vvandalorum rescripsere. Sic enim Pontifex. *Decorari pallio volumus forsan moribus indecoris, cum nihil in Episcopali ceruice splendidius fulgeat quam humilitas.* Ita Gregorius lib. 2. Epist. indictione 11. Epist. 54. Vndè si inquiras qua ratione dixerit Paulus 1. ad Timoth. 3. 1. *Si quis Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat?* Respondeo id velle Paulum,quod occasione maioris dignitatis; maior humilitatis, & demissionis animi opportunitas, & obligatio fit. Ita Hieronym. Epist. 83. ad Ocean. *Bonum opus desiderat, opus per quod humilitate decrescat, non intumescat fastigio.* Rex vero apud Cassiod. lib. 5. Epist. 44. *Sic*, inquit, *est in Principibus humilitas gloriosa, quemadmodum in mediocribus odiosa potest esse iactantia.*

Gregorius.

Ad Timot.

Hieronym.

Cassiodor.

Sumpsit ab hac ratione ansam Gregorius Nyssenus oratione Catechetica, cap. 24. non solum vindicandi ab iniuria Incarnationē Filij Dei, sed etiam asserendi,diuinam in ipsa maiestatem,atque potentiam maxime elucere: sic namque ille. *Nam quod magnum quidpiam, & excelsum sit diuina virtute, est quodammodo secundum naturam. Neque nouum,& admirabile quidpiam auribus attulerit, quod dicitur vniuersam,quæ est in mundo, creaturam, & quidquid extra ea,quæ cernuntur, comprehenditur, Dei virtute constitisse eius voluntate, vt ei visum est deducta ad essentiam. Ad id autem, quod est humile, & abiectum descensus, est quædam insignis, & redundans copia potestatis, quæ minimè impeditur in iis, quæ sunt præter naturam.* Ita Nyssenus,subditque statim elegātem similitudinem ad hunc modum. *Quomodo enim ignis essentiæ est proprium ferri sursum, neque in flamma cuiquam est admirandum, quod fit naturaliter. Sed si eam instar grauium corporum videas deorsum tendere,* 3 *eius rei ducitur admiratione, nempe quonam modo ignis esse ignis perseueret,& in modo motus excedat naturam tendens deorsum. Ita etiam diuinam, & supereminentem potentiam non tantum luminarium magnitudo, & splendor,mundique ornatus,& eorum quæ sunt perpetua administratio,tantum ostendit; quantum quod se demiserit ad imbecillitatem nostræ naturæ, nempe quomodo cum excelsum exstiterit in humili, & abiecto, id & in humili cernitur,nec descendit altitudo.* Hactenus Nyssenus. Consentanea suo modo scripserat Plinius ad Trajanum, dum egregiam illius Principis modestiam sic attollit. *Nam cui nihil ad augendum fastigium superest,hic vno modo crescere potest,si se ipse submittat securus magnitudinis suæ; neque enim ab vno periculo fortuna Principum longius abest,quam humilitatis.* Hęc ille:& post nonnulla scite expendit humilitate, ac demissione animi eam diuinitatis gloriam apud Romanos adeptum fuisse Trajanum, quam alij imperatores elatione, atque superbis actionibus affectauerant,nec tamen consecuti fuerant. *Ante te,* inquit, *Principes fastidio nostri,& quodam æqualitatis metu vsum pedum amiserant: illos ergo humeri,ceruicesque seruorum super ora nostra: te fama, te gloria, te ciuium pietas super ipsos Principes vehunt; te ad sydera tollit humus, ita communia, & confusa Principis vestigia.* Sic ille. 10. *Nyssenus.* *Plinius.*

Hoc sane sensu imbutus erat Ambrosius lib. 8. in Lucæ 18. vbi cum de paralytico ad Christum per tegulas à quatuor iuuenibus introducto, dixisset: *Vnde mihi videtur etiam paralyticus ille idcirco esse sanatus: qui à quatuor iuuenibus demissus è tecto est: quia quatuor adminiculo virtutum,Prudentiæ,Fortitudinis,Temperantiæ, atque Iustitiæ ad pedes Christi alta quadam ratione se subiecit.* Subdit sapienter, & acute: *Nihil enim excelsius humilitate, quæ tamquam superior nescit extolli quia nemo id affectat,quod intra se iudicat.* Ita Ambrosius,& alibi: *Humilitas nihil habet dispendij. Qui se exinaniuit,plenus est.* Sic ille. Cui omnino subscripsit Chrysostomus homil. 70. in Ioannem ad hunc modum. *Quod si veram elationem concupiscis, hic ego te viam docebo. Non enim nosti. Qui præsentibus rebus tamquam magnis inhiat,is vilis est,& abiecti animi: itaque nunquam humilitas est sine magnitudine animi,neque superbia sine pusillanimitate.* Hæc Chrysostomus. Ad cuius gustum Fulgentius lib. 1. ad Monim. cap. 18. ait. *Sicut fit elatione humilis: sic fit humilitate sublimis.* 11. *Ambros.* *Chrysost.* *Fulgent.*

His concinunt quæ de sponsæ cogitationibus, ac

Cant. 7. 5. ac deliberationibus dicuntur illis Canticorum verbis: *Coma capitis tui sicut purpura Regis vincta canalibus.* Nimirum eo veluti regia dignitate, & maiestate splendescere, quò humiles, ac modestæ sunt: nemo namque ignorat, tum ad purpuram tingendam adhiberi vermiculum, vt innuit Isai. 1. illis verbis. Isai. 1. *Si fuerint peccata vestra rubra quasi vermiculus:* Plinius. (vt appellatur à Plinio lib. 9. cap. 33.) pisciculum ex concharum genere, qui liquorem nigrantis rosæ colore sublucentem in faucibus habet; tum etiam vermem, signatissimum humilitatis symbolum esse, Psalm. dicente magistro humilitatis per Dauidem Psalm. 21. 7. *Ego autem sum vermis, & non homo, opprobrium hominum,* &c. Liquet autem ex his eam esse sapientis mentem, vt velit ideo cogitationes sponsæ regium splendorem, ac dignitatem præferre, quod multiplici humilitatis tinctura imbutæ sint, siue etiam ipsismet canalibus vinctæ, quò puriorem succedentis tincturæ colorem imbibant, quasi cum Cassiodor. Cassiodoro lib. de anima, cap. 18. dixit. *Nimia enim magnitudo est suam intelligere paruitatem,* vel cum Amb sup. Ambrosio velit Christi sponsa altâ quadam ratione se subiicere, dum velut superiores nesciunt extolli, atque vt regium à lanâ splendorem imbui, siue purpurari, nihil aliud est, quam in vermiculi succum intingi: ita regiam dignitatem præ se ferre, submitti, atque humiliari est.

13. Eccles. Hæc me manuducunt, vt intelligam, quid sibi voluerit Ecclesiasticus cap. 10. 22. cum ait. *Non est creata hominibus superbia, neque ira nationi mulierum.* Non enim quiescit animus in triuiali eorum sensu, qui exponunt non minus alienam à vili hominis conditione, qui ex luto formatus est, superbiam esse; quam iram & arma à fragili fœminarum natura. Ad generosam ergo, & penè diuinam hominis conditionem, quæ in humilitate se maximè prodit, in elatione se maxime destruit, hæc refero; ac si dicat sapiens: Nihil magis incongruum hominis dignitati, quam superbiam, esse, cum hæc illum à veræ gloriæ fastigio exturbet. Hæc ita se habere ex adiuncta sapientis sententia, *neque ira nationi mulierum,* efficaciter confirmatur; ea enim sapiens iram à fœminarum naturâ ex eo potissimum videtur remouere, quod malè se gerat cum ipsarum elegantia, & decore, quo ipsis nihil gratius, nihil optabilius, & à mundi ipsius incunabulis, nihil antiquius, ad quem nimirum omnes curas, vota, studia, omnem denique æstimationem transferunt: vel (si piè censes) quia mundæ animæ vrbanam vestem circumdare volunt, vel quia ornatæ, & cultæ, siue specie sibi datâ, siue aliunde conquisita, & aliis placere, & sibimetipsis blandiri gaudent. Tertull. De quo audi Tertullianum lib. de habitu fœminarum, cap. 1. *Nam si ab initio rerum, & Milesij oues tonderent, & Seres arbores nerent, & Tyrij tingerent, & Phryges insuerent, & Babylonij intexerent, & margarita canderent, & ceraunia coruscarent, seipsum quoque aurum iam de terra cum cupiditate prodidisset, si iam & speculo tantum mentiri liceret, hæc Eua concupiisset.* Hæc ille de Euâ; ad cuius gustum Venusinus. Venusinus moribundam Europam hæc loquentem facit lib Carm. 3. Ode 27.

——— ô deorum
Si quis hæc audis, vtinam inter errem
Nuda leones.
Ante quam turpis macies decentes
Occupet malas, teneræque succus
Defluat prædæ, speciosa quæro
Pascere tygres.

Nunc ad rem aduerte nihil esse, quod pulcherrimam faciem adeò turpet, ac fœdet, quam ira. Chrysost. *Nam quid* (verba sunt Chrysostomi homil. 27. in Acta, tom. 3.) *in iracundo non turpe? oculi insurgentes, os distortum, membra tremula, lingua infrenis, mens stupida, figura indecens, multa insuauitas. Vide (oro) dæmoniacorum oculos, & ebriorum, & insanientium, quid differunt inter se?* Hæc Chrysostomus. Seneca. Seneca verò quam similiter lib. 1. de ira, cap. 1. vbi post multa. *Nescias,* inquit, *vtrum magis detestabile vitium sit, an deforme.* Et lib. 2. cap. 35. *Non est vllius affectus facies turbatior, pulcherrima ora fœdauit, toruos vultus ex tranquillissimis reddidit, linquit decor omnis iratos.* Et lib. 3. cap. 4. *Ferarum me hercule siue illas fames exagitat, siue infixum visceribus ferrum, minus tetra facies est, etiam cum venatorem suum semianimes morsu vltimo petunt, quam hominis ira flagrantis.* Hæc Seneca, Idem. Plutarch. vnde tam ipse lib. 2. de ira, cap. 36. quam ab eo edoctus Plutarchus, lib. de non irascendo, serio monent plurimum ad huius vitij damnationem conferre, quod se in speculo irati intueantur. Ecce ergo qua ratione ira, quæ pulcherrima ora fœdare consueuit, non sit creata nationi mulierum, quæ pulchritudine, & elegantia summopere delectantur. Vnde iam nosti, quid velit sapiens, dum eadem serie orationis superbiam homini non fuisse creatam affirmat: nimirum illi id vitium ideo maxime dissonum esse, quod eximiam eius pulchritudinem, regiamque dignitatem, quæ in humilitate censetur, turbet, atque proculcet, hominemque quâ humilem ad Dei imaginem factum, vilem, ac abiecti animi reddat.

Sed ea iam omnia, quæ de humilitate excelsitati annexa hactenus diximus, Deiparæ, omniumque creaturarum Dominæ confirmemus. 14. Ipsa enim ab Angelo ex Dei nomine salutata, & ad supremum genitricis Dei fastigium, quo maius aliquid humana mens cogitare non valet, euecta, non ignara legum veræ magnitudinis, vt & amplissimæ dignitatis sibi oblatæ possessionem acciperet, & singulare aliquod specimen daret, quo tanto honori aptam, natamque se esse ostenderet, ingenti animi summissione respondet: *Ecce ancilla Domini,* Luc. 1. 38. nimirum à supremo regni cœli, ac terræ fastigio ad extremum ancillarum locum, & obsequium sese abiiciens. Vnde Ambros. lib. 2. de Virginibus. Ambros. *Nam & humilior,* inquit, *facta est, vbi se à Deo cognouit electam, & statim ad cognatam suam in montana processit.* Sic ille. Pende illa verba, *& humilior facta est,* planè vt ipsa apud Deum, & homines meritis, & dignitate crescente, apud se demissione decresceret, dignitatémque humilitate exæquaret. Vt hinc videas verissime dictum à Tullio oratione pro Sex. Rosc. Tullius. *Humilitatem cum dignitate de amplitudine contendere.*

Prædixerat verò iam olim Salomon hanc tempestiuam, gloriosamque Virginis humilitatem, 15. cum ipsam cum lilio composuit illis in verbis Cantic. 2. Cant. 2. *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias:* etenim lilium, vt vna ex parte Plinio lib. 21. cap. 5. Plinius. vel nostris etiam oculis testibus, principem inter reliquos flores locum obtinet, & eminentius omnibus caput attollit: *nulli florum,* inquit Plinius, *excelsitas maior, interdum cubitorum trium:* ita ex alia insigne illud excelsitatis, siue proceritatis suæ documentum præbet, quod vbi ad debitam celsitudinem peruenit, obstipo capite ad terram inclinat: *Languido collo est,* subdit Plinius: *& non sufficienti capitis oneri.* Lilij ergo imaginem in Maria expressam iam intuere, dum Angelorum choris dignitate superior languido collo, nec sufficienti capitis oneri infimam se ancillam prædicauit: *Vide humilitatem,* inquit Ambros. Ambros. lib. 2. in Lucam. *Vide deuotionem; ancillam se dicit Domini, quæ mater eligitur, nec repentino exaltata promisso est.* Sic Ambros. Similia habet non vno in loco Bernardus. Vide illum serm. 4. *in Missus est,* & serm. Bernard.

in

in verba Apocalypſ. *Signum magnum*, vt ego hæc tibi appingam pulchra verba Chryſologi ſerm. 142. (Chryſolog.) ad finem. *Quæ vocatur ab Angelo Domina,ipſa ſe cognoſcit, & confitetur ancillam: quia deuotus animus inſulis beneficiorum creſcit ad obſequium, augetur ad gratiam, non ad arrogantiam proſilit, non ad ſuperbiam pertumeſcit.* Ita Chryſologus.

16\. (Hailgrin.) Huc retulit venerabilis Hailgrinus Cardin.Lunæ pulchritudinem,quæ Virgini adſcribitur illis Cantic.verbis,cap.6.9. *Pulchra vt Luna:* dum componens ea cum illis Eccleſiaſtici 43. 7. (Eccleſiaſt.) *A Lunâ ſignum diei feſti, luminare quod minuitur in conſummatione.* Vtraque humilitati Virginis ſic accommodat: *Quod de Luna materiali nequaquam intelligi poteſt, quæ non antea minuitur,& poſtea creſcit,ſedè conuerſo, nec minuitur in conſummatione,ſed poſt conſummationem. Sed hic verborum ordo exprimit Beatam Virginem: nam cum ipſa audiiſſet ſibi promiſſam tantam magnitudinem, quod foret Mater Dei, ſe ſe minuit vſque ad ancillam, & in hac minutione concep't, & facta eſt Luna plena.* Ita ille.

17\. (Tullius.) Adſtipulatur huic Lunæ pulchritudini, quod Mathematici apud Tullium lib.2. de Diuinatione, affirmant: *Docet*, inquit ille,*ratio Mathematicorum, quanta humilitate Luna feratur,terram prope contingens.* Ita enim omnino Virgo ſe geſſit: cœlo namque admota,& ſuper Aquilonis latera euecta; Dei pedibus,vt humilis ancillula,aduolui elegit. In quã (Bernardus.) ſententiam Bernardus ſerm. 42. in Cant. optimè expendit ſponſæ verba: *Nardus mea dedit odorem ſuum.* Cum enim dixiſſet: *Sponſæ humilitas voluntaria eſt, perpetua eſt, fructifera eſt; audierat pulchræ ſunt genæ tuæ ſicut turturis, & collum tuum, ſicut monilia,acceperat repromiſſionem ornatus aurei, & nihilominus tamen cum humilitate reſpondet, & quanto maiorem ſe audit; tanto humiliat ſe in omnibus. Non gloriatur in meritis, nec inter laudes ſuas humilitatis obliuiſcitur,quam & humiliter confitetur ſub nardi nomine*; hæc Deiparæ ſic attribuit; ac ſi voce Virginis Mariæ dicat: Nullius mihi meriti conſcia ſum, niſi quod reſpexit Deus humilitatem ancillæ ſuæ. Hæc, & alia Bernardus.

Quò etiam eunt ea verba,quæ ſub Virginis perſonâ,vt Eccleſia accommodatiſſime intelligit, dixit (Eccleſiaſt.) Eccleſiaſticus c.24.17. *Quaſi Cedrus exaltata ſum in* (Hieronym.) *Libano.* Sed de Cedri natura prius audi Hieron. in c. 14. Oſeæ: *Quantum in auras conſurgunt vertice, tantum radicem in ima demittunt.* Vt ſapientis verbis nobis innuatur Virginem, quo magis in genitricis Dei faſtigium euecta eſt, tanto altiores humilitatis radices egiſſe.

18\. Ergo ab humilitate,& modeſtia, certa veræ magnitudinis indicia ſumũtur. Addo modo,quod ſenſum cum his communem habet,& prædicta amplius confirmat; humilitate altiſſima quæque faſtigia firmari,ſtabiliri,immotaque reddi, alias caſura, ituraque in præceps. Id vt alia omittam tàm ex terræ, quàm cœli firmamento mihi videor colligere. Cui enim niſi humilitatis fundamento hæc tam incomparabilis terræ moles,ac magnitudo incumbit,atque ſubſiſtit? Porro dum & à Patribus, & à Philoſophis diſcutitur, ſuper quo firmata terra tanto æuo perſtet immota;illa à doctioribus, vt certa ratio redditur,quod cum ſumma ipſi grauitas ſit naturalis,ſuopte nutu, ac pondere infimum mundi locum, hoc eſt centrũ, petit;in eo autẽ locata,& naturaliter cõquieſcẽs,immotam ſtabilémque permanere neceſſe eſt: vt neceſſaria illa argumentatione concludunt Philoſophi, quod quocumque extra centrum moueretur,neceſſe eſſet ſurſum aſcendere: nam omnis locus, qui in circulo extra centrum eſt, centro ipſo ſuperior eſt. Ecce quò terræ magnitudo,& grauitas naturaliter tendat,necnon qua ratione ſubſiſtat,atque conquieſcat,nimirum dum infimum locum petit, & ad ipſum tanquam ad ſuum centrum indeſinenter anhelat. Quem quidem ad modum de Dauide ante arcã Dei ingenti animi ſummiſſione ſaltante,atque ludente ſcitè dixit Gregorius lib. 27. Moral.c.26. (Gregorius.) egregia tunc à ſe peracta facinora, necnon regiam dignitatem eo humilitatis fundamento, ſiue fulcimento firmaſſe. *Non poteſtas regni*, inquit, *ad memoriam reducitur, non ſubiectorum oculis ſaltando vileſcere metuit, non ſe honore prælatum cæteris, ante eius arcam, qui honorẽ dederat,recognoſcit.Coram Deo egit vilia, vel extrema, vt illa ex humilitate ſolidaret, quæ coram hominibus geſſerat fortia.* Ita Gregorius.

Et verò obſeruatu digna ad hanc rem ſunt verba, quibus tunc temporis, ſuperbæ vxoris in illum 19. iactum probrum Rex ſapiens retudit; illi namque ſic exprobranti 2. Regum 6. 20. (2. Reg.) *Quam glorioſus hodie fuit Rex Iſrael, diſcooperiens ſe ante ancillas ſeruorum ſuorum, & nudatus eſt quaſi nudetur vnus de ſcurris*; ad hunc modum ipſe reſpondit.*Ante Dominum,qui elegit me potius, quam patrem tuum, & quam omnem domum eius,& præcepit mihi,vt eſſem Dux ſuper populum Domini in Iſrael,& Iudam,& vilior fiam, plus quam factus ſum, & ero humilis in oculis meis,& cum ancillis, de quibus locuta es, glorioſior apparebo.* Vbi non ſolum pende illa verba,*glorioſior apparebo*, quibus oſtendit humilitatem Regibus maxime eſſe glorioſam, eoſque, quibus ad augendum faſtigium nihil ſupereſt, hoc vno modo creſcere poſſe, ſi ſe ſubmittant. Sed deinde obſerua, quam opportune prudens Rex ſuperbæ vxori,ſuperbi parentis ruinã, & infelicem exitum ob oculos poſuerit: *Qui elegit me potius quam patrem tuum.* Vt enim præ omnibus in Regem à Deo primum aſſumptus eſt Saul, quod cum ab humero,& ſurſum vniuerſo populo non ſolum corpore, ſed etiam meritis eſſet excelſior: omnium tamen minimum ſe eſſe credebat, ſic enim ex Dei nomine ad ipſum Samuel, 1. Regum 15. 17. (1. Reg.) *Nonne cum paruulus eſſes in oculis tuis, caput in tribubus Iſrael factus es?* Ita in regni faſtigio conſtitutus, dum priſtinam humilitatem non coluit; regno à Deo pulſus eſt.

Iam cœlo ipſi non aliud, quam humilitatis fundamentum ſubeſſe,eoque potiſſimum præ aliis ineffabilibus ornamentis ſplendere, illud efficaciter cõuincit,quod tum quaſi deperditum, atque demolitum ipſummet cæli nomen demeruit, cum ab ipſo per ſuperborum Angelorum elationem humilitas 20. abfuit.De qua re ſic ad Epheſios 1. Paulus: (Ad Epheſ.) *Inſtaurare omnia in Chriſto,quæ in cœlis,& quæ in terra ſunt in ipſo.* Vides à Chriſto cœlos inſtauratos,quod deperditi antea eſſent? Audi iam Gregorium lib. 31. (Gregorius.) Moral.cap.19. eam renouationem ſic explicantem. *In ipſo quippè reſtaurantur ea,quæ in terra ſunt, dum peccatores conuertuntur: in ipſo inſtaurantur ea, quæ in cœlis ſunt; dum illuc humilitate homines redeunt,vnde Apoſtatæ Angeli ſuperbiendo ceciderunt.* Hæc Gregorius vult dicere: Ad cœli inſtaurationem illuc neceſſariò humilitatem inferri debuiſſe,quod ab Angelorum ſuperbia ipſum fuerit demolitum.

ANNOTATIO II.

Arctiſſimis charitatis vinculis Paulum, Deique ſeruos ipſi ancillari.

NEc ab humilitate ſolum, quâ Paulo Chriſti 1. dominium profitebatur; ſed ab ardenti in ipſum

ipsum etiam studio, hæc serui vox ortum ducit, Chrys. hic. vti obseruat Chrysostomus,& alij Patres. Est enim charitas humilitatis soror, & quidem germana, *in* Prosper. *nullo enim*: verba sunt Prosperi, Epist. ad Demetriadem, quæ est 84. inter epistolas Ambrosij: *hæ virtutes ad inuicem diuiduntur, & ambarum tam indiscreta connexio est, vt qui in vna earum consistuitur, simul vtraque potiatur: sicut enim pars charitatis est humilitas, ita pars humilitatis est charitas.* Sic ille. Est ergo ea serui appellatio, deditionis, siue deuotionis,& amoris vocabulum, vt exprimant Paulus, & Timotheus ex toto animi affectu, & voto Christo addictos,& mancipatos se esse, & quasi notâ seruituris inustos: *Como quien está errado de pies a cabeza*: qui stigmata portat in corpore. Quare plura hæc Pauli seruitus comprehendit, singillatim expendenda.

2. Chrys. hic. Et primo illud Chrysostomus in hac seruitute considerat, quod libertatem omnimodam à peccatis dicat, ne eorum seruitute teneatur: *Qui seruus Christi*, inquit, *est, is verè peccati liber est, & germanus Christi seruus, nullius est alterius seruus. Alioquin non esset planè Christi seruus, sed dimidiatus.* Sic ille. Quasi dicat, cum is, qui facit peccatum, seruus sit peccati, manifestum fit, eum Christi seruum esse non posse: nec enim potest quis duobus dominis seruire. In Tacitus. quam sententiam sic pulchrè apud Tacitum lib. 1. Annalium Sallustius Crispus: *Eam esse conditionem imperandi, vt non aliter ratio constet* (*Este la quenta cabal*: metaphorâ ductâ à mensulariis, quibus constant rationes, cum pares sunt,)*quam si vni redda-* Origen. *tur.* Ita ibi. Vnde Origenes in Epist. ad Rom. in hæc verba: *Seruus Iesu Christi*, ait, *Vtinam hoc saltem obtineri possit in vita mortalium, vt seruus quis Christi ex integro fiat non carni, non sanguini, non vanæ gloriæ, non cupiditati, non auaritiæ, non iracundiæ, non inuidiæ, sed qui soli Christo: is sic omnibus simul virtutibus seruiat.* Hæc Origenes.

3. Theodor. Hæc in Dei charitatem sic reiecit Theodoretus oratione de charitate, tom. 2. *Qui Deum amat, alia omnia despiciens, & eum solum, qui amatur respiciens, illius curam, & suam in eum seruitutem cæteris prefert omnibus: illa solum, & dicens, & faciens, & cogitans, quæ ei, quem amat placent, & grata sunt, & abhorret omnia, quæcumque ille prohibet.* Sic Theodoretus. Nec sunt Plutarch. ad hoc institutum minus opportuna, quæ Plutarchus in sermone, seu disputatione amatoria, de amore humano ad hunc modum scripsit. *Nouimus certe ancillas heroum refugere consuetudinem, & reginas à priuatis fastidiri, si quando amorem in animo dominum acceperunt. Nam sicut Romæ ferunt designato illo eximio dictatore, Magistratum eiurare cæteros, qui aliquem obtinent: ita quorumcunque amor factus dominus fuerit, à cæteris dominis, & rectoribus manumissi, & liberati, vt serui templis consecrati vitam agunt.* Hactenus ille.

4. Hilar. Sed Chrysostomi sensum egregie expressit Hilarius in Psalm. 118. ad ea Vatis verba: *Seruus tuus sum ego*: ad hunc modum: *Et quid magnum Propheta fecit seruum se profitendo quod nullus sit ausus denegare. Sed professio cæterorum fallax est, quæ cum habeat conscientiæ necessitatem, non habet tamen confessionis veritatem. Proprium hoc Prophetæ est, vt se seruum Dei profiteatur in omni vitæ genere, famulatu conditionis suæ fungens, siue ambulans, siue residens, siue vigilans, siue dormiens; in cibo etiam, atque in ieiuniis Deo aut esuriat, aut satur sit, & nullo in tempore à seruitutis suæ officiis absistat. Hic liberè dicit, seruus tuus sum ego; at verò qui stupris dormit, latrociniis vigilat, quæstibus peregrinatur, luxui requiescit; si dicat seruus tuus sum, profitetur quidem quod est, sed quod non est, agit.* Hæc Theoph. Hilarius. Adstipulatur Theophylactus in cap. 1. Ionæ. Vbi bene in primis pendit, sapienter ad omnia hæc sibi interrogata, *Quod est opus tuum* (siue vt habent LXX. *quæ est negociatio tua*) *& quæ terra tua? & quò vadis? vel ex quo populo es tu?* vnico verbo respondisse Prophetam: *Seruus Dei ego sum, & Deum cœli ego colo.* (Ita legit Theophylactus) *ac si diceret*, inquit, *Hoc studium, hæc mea negociatio est seruire Deo vero per mea opera, & actiones.* Sed hinc sic infert: *Multi quidem colunt Deum, sed non sunt serui eius, vt qui non faciant opera ipsi placentia.* Sic Theophylactus.

Nec id tantum hoc serui nomine profitetur Paulus, vt à peccatis sit immunis; sed omnia subinde opera, & actiones suas ex lege seruitutis in Dei se obsequio collocare, cum ad id, & creationis,& redemptionis potissimum titulis stricto iure teneatur. 5. Et vero conditionis, siue creationis rationem ad indefessum nos Dei obsequium vrgere, sic affirmauit Dauid Psalm. 110. 2. *Magna opera Domini, exquisita* Psalm. *in omnes voluntates eius*: vbi verbum *exquisita*, enucleatius ex Græco alij transtulerunt, *exacta*, seu *parata* ad omnes voluntates eius; vt sit sensus; creaturas in omnes Dei voluntates paratas, expeditasque esse debere, vt quidquid ipse voluerit, statim illæ perficiant, & voluntati eius plene respondeant: ita quidem vt nullus creaturarum vsus, nullum officium, siue obsequium à Deo expetatur, ad quem non paratam,& expeditam, imo obuiam etiam,& occurrentem (vt alibi ex vi vocis exquisita expendo) creaturam ille suam inueniat. Vnde eleganter hæc ibi verba sic exponit Chrysostomus. *Accurata* inquit, Chrys. ibi. *sicut alius dicit interpres, præparata, perfecta, absoluta, sufficientia ad eius faciendas voluntates, quæ satis sunt ad eius testandam potentiam, quæ nec claudicant, nec manca sunt ad iussa eius peragenda.* Hæc ille, & alia.

Ab hoc verò non it, quod Regius Vates, Psalm. 6. 39. de Christo homine facto; siue vt alij volunt de Psalm. vniuersa hominum natura, dixit, *Sacrificium, & oblationem noluisti; aures autem perfecisti mihi.* Vbi obserua LXX. quos sequutus est Paulus ad Hebr. 10. hæc verba ita legisse: *Corpus autem adaptasti mihi.* Sed id ne ad mentem Prophetæ fuit? Maximè. Cum ipse etiam voluerit dicere assumptum à Christo humanum corpus, vel iuxta aliorum expositionem, singulis à Deo hominibus corpus perfectum, animum, sensus, externas, internasve potentias, fuisse impertita. Sed cur hæc omnia aurium solummodo nomine Vulgatus noster expressit? Dicunt interpretes dictum id fuisse per synecdochen, dum pars pro toto ponitur. Sed ab iis vlterius inquiras, cur potius aurium, quam oculorum, linguæ, manus, vel præcipuæ alterius corporis partis meminit Vates? Respondeo, vt innueret omnia hominis membra, sensus, potentias, vires, & quidquid in homine est, ad Dei voluntatem explendam, ita paratum, expeditumque,& obuium esse debere, quasi totus homo aures sit ad audiendum, & obtemperandum Deo, siue nullus totius hominis singulorumve eius partium sit vsus, quam Dei imperio obsecundare: sunt enim aures seruitutis, siue obedientiæ tritum symbolum. Quam verò impensè hæc tam multa, & accurata in Deum obsequia præstanda à nobis sint, vt nullum vnquam à nobis officium requiri, aut desiderari possit, acri hac, & vehementi oratione nos admonet Saluianus Massiliensis lib. 3. de Proui- Saluianus dentia, & gubernatione Dei. *Primum illud considerandum est, quia nulli seruorum licet ex iis, quæ Dominus suus imperat, eligere pro arbitrio, & insolentissima abusione, quod placuerit assumere, quod displicuerit repudiare; maximè cum & terrestres domini nequaquam æquo*

equo animò tolerandum putent, si iussiones suas serui ex
parte audiant, & ex parte contemnant, & pro libidine
sua, quæ putauerint facienda, faciant, quæ putaue-
rint conculcanda, conculcent; si enim pro arbitrio suo
dominis obtemperant, ne in iis quidem, in quibus ob-
temperauerint, obsequuntur; quando enim seruus ex
domini sui iussu, ea facit tantummodo, quæ vult facere,
iam non dominicam voluntatem implet, sed suam. Hæc
Saluianus: quæ seruituti Dei sic statim aptat. *Si er-*
go nos qui homunculi imbecilli sumus, contemni tamen à
seruis nostris omnino nolumus, quos etsi nòbis seruitu-
tis conditio infirmiores, humana tamen sors reddit æ-
quales, quam iniquè cœlestem Dominum contemnimus,
qui cum homines ipsi simus, contemnendos nos tamen à
nostræ conditionis hominibus non putamus? Subdit cal-
lide & in hypocrisi, *nisi tanti forsasse consilij, ac tam*
profundæ intelligentiæ sumus, vt qui pati iniurias seruo-
rum nolumus, subditum iniuriis nostris Deum esse veli-
mus; & quæ ipsi toleratu humano indigna credimus,
Deum à nobis dignè hæc tolerare credamus. Hactenus
Saluianus. Similem ex domini munere, & obsequio
serui argumentationem conficit Petr. Chrysologus
Chrysolog. serm. 161. omnino videndus.

7. Iam & redemptionis ratione Deo Paulum peni-
tus addictum, nec sui iuris esse, serui etiam appella-
tio conuincit. Vnde eam sæpius rationem ipse vr-
get, vt non nostro arbitratu viuamus, sed per omnia
seruitutis obsequia omnem Deo honorem exhibea-
1. Corinth. mus. Ita 1. ad Corinth. 6. 20. *Empti enim estis pretio*
magno. Glorificate, & portate Deum in corpore vestro.
Ambr. ibi. Ad quæ verba Ambrosius: *Manifestum est: quia qui*
emptus est, non est sui arbitrij, sed eius, à quo emptus est,
vt non suam, sed illius faciat voluntatem. Rationem
ex pretij magnitudine sic itidem vrget Primasius:
Si homo à seruo paruâ pecuniâ comparatus continuum
seruitium quærit: quanto magis ille, qui plus pro nobis,
quod daret non habuit, quam semetipsum? Sic ille. Sed
cum dixit Paulus, *portate Deum in corpore vestro,* ad
externa ne solum opera, & officia respexit? quasi
de diuina seruitute eadem dici possint, quæ de hu-
Seneca. mana scite ad hunc modum dixit Seneca lib. 3. de
benefic. cap. 20. *Errat si quis existimat seruitutem*
in totum hominem descendere: pars melior eius excepta
est. Corpora obnoxia sunt, & adscripta dominis, mens
quidem sui iuris, quæ adeo libera, & vaga est, vt ne
ab hoc quidem carcere, cui inclusa est, teneri queat, quo-
minus impetu suo vtatur, & ingentia agat, & in infi-
nitum comes cœlestibus exeat. Corpus itaque est, quod
domino fortuna tradidit. Hoc emit, hoc vendit interior
illa pars mancipio dari non potest. Sic ille. Minime
quidem. Subest enim penitior sensus (vt in libro
locutionum, si Deus dederit, planum faciam) in
phrasi portãdi in corpore, ab eo, qui vulgo circum-
fertur. Interim vero moneo Græce, & Syriace scri-
ptum esse: *In corpore vestro, & in spiritu vestro:* vt
appareat non exterius tantum stigma, sed etiam in-
terius à seruis Dei exigi, vt omne corporis, & animi
obsequium, aliis dominis denegatum, vni Deo exhi-
bendum putent. Quare ex his Pauli verbis, sic ar-
Cyprianus. gumentatur Cyprianus libro de disciplina, & habi-
tu mulierum: *Glorificemus, & portemus Deum, puro,*
& mundo corpore, & obseruatione meliore, & qui per
sanguinem Christi Domini nostri redempti sumus, per
omnia seruitutis obsequia redemptionis imperio parea-
mus, demusque operam, ne quod immundum, & profa-
num templo Dei inferatur, ne offensus sedem, quam
inhabitat, derelinquat. Ita Cyprianus.

8. Ergo Dei seruitus in totum hominem descendit,
nullaque eius pars excepta est, sic Domino ad ser-
Cant. uos suos conclamante Cant. 8. 6. *Pone me vt signa-*
culum super cor tuum, & vt signaculum super bra-
chium tuum. Ad quę verba Anselm. *Pone me regentem* Anselmus.
cor tuum, & cogitationes tuas. Habeasq; me, vt rectorem
in omnibus operibus tuis. Similiter Theodor. *Vult Sal-* Theod. ibi.
uator noster, vt eum pro signaculo in cõtemplationibus,
& actionibus nostris habeamus, & notã ipsius in omni-
bus, tum dictis, tum factis imprimamus. Ita ille.

Expressit verò enucleatissime hanc omnimodam 9.
Dei seruitutem redemptionis ratione aliis in locis
Paulus, vt ad Rom. 14. 7. *Nemo enim nostrũm sibi* Ad Rom.
viuit, & nemo sibi moritur: siue enim viuimus, Domino
viuimus: siue morimur, Domino morimur. In hoc enim
Christus mortuus est, & resurrexit: vt & mortuorum,
& viuorum dominetur. Et 2. ad Corinth. 5. 15. *Pro* 2. Corinth.
omnibus mortuus est Christus: vt & qui viuunt, iam non
sibi viuant, sed ei, qui pro ipsis mortuus est. Quæ ver- Theod. ibi.
ba præter Theodoretum, & alios Patres, sic vrget Bernardus.
Bernard. Epist. 143. *Nemo igitur sibi viuat, sed ei, qui*
pro se mortuus est. Cui enim iustius viuam, quam ei, qui
si non moreretur, ego non viuerem? cui commodius quam
promittenti vitam æternam? Cui magis ex necessitate,
quam flammas æternas comminanti? Hæc ille, & alia.
Verum luculentius Xistus Pontifex, & Martyr (vul- Xistus.
go sic creditur libri huius auctor) lib. de Castitate
tom. 5. Bibliot. Veterum Patrum, componens ea
verba cum illis Assertoris, apud Matth. 16. 24. & Matth.
Lucam 9. 23. *Si quis vult venire post me, abneget se-* Luc.
metipsum, &c. Quæ ipse Græcos codices secutus
legit: *Abneget semetipsum sibi.* vtraque sic explicat,
vt integram hanc Dei seruitutẽ mirifice adstruant.
Et primum sic acute inquirit. *Quomodo intelligen-*
dum est, abneget semetipsum sibi, cum se ipsum homo sibi
negare non possit, eò quod conscientia eius non recipiat,
vt se aut non esse putet, aut alterum possit æstimare,
quam fuerit: puto enim hoc esse negare se: verbi gra-
tia, si cui dicatur, Tu es Lucius? & cum ipse sit, non se
esse respondeat; hoc apud alterum si forte valebit, non
tamen apud semetipsum. Quomodo ergo sentiendum est,
abneget semetipsum sibi? Respondet verò statim. *Nisi*
fallor, vt sibi non viuat, & vt omne hominis desiderium
abdicet, vt vniuersam carnis, & corporis respuat vo-
luptatem, vt moriatur penitus sibi, & illi totus viuat,
cuius morte redemptus est, Apostolo dicẽte: Christus pro
omnibus mortuus est, vt qui viuunt, iam non sibi vi-
uant, sed ei, qui pro ipsis mortuus est. Quæ Christi ser-
uituti sic statim aptat. *Hoc est abnegare se sibi; nullius*
iam humanæ voluptatis cupiditatibus subiacere, & si
qua ei ex parte exterioris hominis cogitatio venerit, re-
spondeat, & dicat: Nescio te, ò homo, quamdiu meus fui,
suggestionibus tuis, etiam libens acquieui; nunc me
Christus sanguinis sui pretio comparauit, meus non sum,
nec meam iam possum facere, sed eius ad quem pertineo,
voluntatem. Hactenus Xistus.

Tandem hæc serui compellatio amatoriam Pau- 10.
li vitam exprimit: Nec enim ea solum de causa, quod
suæ erga Deum seruitutis obsequium profiteretur,
sed quia ardentissimi etiam amoris, quo flagrabat,
specimen aliquod daret, seruum se dixit. Vndè Dio- Dionysius.
nysius Areopag. lib. 4. de diuinis nominibus, Pau-
lum ita esse de diuino amore occupatum, vt sui iu-
ris non sit, quod seruorũ quidem proprium est, sic
affirmat: *Ecstasim facit diuinus amor, & amantes sui*
iuris esse non sinit, sed amatorum iubet existere. Vnde
Paulus ille diuino amore occupatus, clamat: Viuo iam
non ego: viuit in me Christus: (Ad Galat. 2. 20.) *tam-* Ad Galat.
quam verus amator extra se positus viuens vitam non
suam, sed amatoriam. Ita Dionysius. Similiter vr-
get ea verba ad Galatas Bernardus serm. 7. de Qua- Bernardus.
dragesima ad hũc modum: *Ac si diceret: ad alia qui-*
dem omnia mortuus sum, non sentio, non attẽdo, nõ curo,
si quæ vero sunt Christi, hæc viuũ inueniũt, & paratum.
Sic ille. Adstipulantur his quæ Zeno Veronensis de Zeno Veron.

Abrahamo sic diuino amori, & obsequio mancipato, vt dum filium Dei iussu, sacrificare molitur, eius se patrem esse obliuiscatur, ad hunc modum ait. *O qui seruum Domini ita se esse meminerit, vt patrem se esse nesciret.*

11. 2. Ad Cor. Similis Pauli sensus 2. ad Corinth. 5. 13. vbi immediate ante præfata verba. *Charitas Christi vrget nos, æstimantes hoc, quoniam si vnus pro omnibus mortuus est: ergo omnes mortui sunt.* Hæc dixerat: *siue enim mente excedimus Deo, siue sobrij sumus vobis.* Sed obserua pro illis verbis, *mente excedimus*: Syriace esse *insanimus*, nec procul à fonte Græco: nam ἐξέστημεν propriè significat, *extra nos rapi*, quasi dicat Paulus præ Dei charitate extra se ipsum rapi, Theoph. ibi. vt totus Christo viuat. Ita Theophylactus. ibi. *Insaniebat Paulus amatoriâ quadam insaniâ, Deum amans, ac amatoris instar illi viuens, nempe adamato, extra se ipsum raptus, ac totus in Deum translatus, nec suam ipsius vitam viuens, sed illius, quem amat, amatoriam plane dilectam, & valde caram.* Ita ille.

12. Isai. Prædixerat iam verò hanc Pauli, & reliquorum seruorum Christi amatoriam seruitutem, Isai. 44. 3. his elegantibus verbis. *Effundam aquas super sitientem, & fluenta super aridam, & germinabunt inter herbas quasi salices iuxta præterfluentes aquas. Iste dicet, Domini ego sum, & ille vocabit in nomine Iacob, & hic scribet manu suâ Domino.* Vbi exprimere videtur Vates peculiares notas, & signa seruilis, simulque amatoriæ conditionis, quibus Christi assectæ verbis, & scripto non sui iam iuris, sed seruos Sanches ibi. Iesu Christi esse profiteantur. Vide Gaspar Sanchez ibi, componentem ea verba cum his: *Paulus seruus Iesu Christi.*

ADNOTATIO III.

Christi seruos peculiaria ipsi humilitatis obsequia exhibere.

ET verò hoc serui nomen, quod Paulus sibi assumit, præter animum diuina charitate incensum, humile etiam illud, & summissum in Christum amatum officium, quod dilectionis est proprium, singillatim indicat; nam cum charitas, nec inflетur, nec ambitiosa sit, nec quæ sua sunt, quærat, de more quidem habet amati pedibus succumbere, atque aduolui, & abiectis subiectionis, ac seruitutis nominibus, vtpote amoris pignoribus, gratabunda vti.

1. Spectat igitur hoc serui nomen ad eam Pauli humilitatem, quæ non iam iudicio inest, cum de se summisse, ac modeste quis sentit, sed affectui potius, & deuotæ cordis voluntati inest, cum eius, quem amore quis prosequitur, seruum dicit, & vt amicum mancipium tractari gaudet. Quæ quidem Bernardo interprete sponsæ mens est, Cant. 1. 11. dicentis. *Nardus mea dedit odorem suum.* Sic enim ille sermon. 42. in Cant. *Nardus humilis herba, quam & calide ferunt esse natura hi, qui herbarum vires curiosius explorarunt, & ideo per hanc videor mihi non inconuenienter hoc loco virtutem humilitatis accipere, sed quæ sancti amoris vaporibus flagret. Quod propterea sane dico: quoniam est humilitas, quam nobis veritas parit, & non habet calorem, & est humilitas, quam charitas format, & inflammat: atque hæc quidem in affectu; illa in cognitione consistit.* Sic ille. Sed post pauca hanc charitatis igniculis feruentem humilitatem Christo Domino sic tribuit: *Semetipsum exinaniuit formam serui accipiens; & humilitatis formam tradens, ipse se exinaniuit, ipse se humiliauit non necessitate indicij, sed nostri charitate, &c. Charitate constat exinanitum, charitate minoratum ab Angelis, charitate parentibus subditum, charitate Baptistæ manibus inclinatum, charitate carnis infirma passum, charitate postremo morti obnoxium, cruce ingloriam extitisse.* Hæc Bernardus.

(Margin: Cantic. Bernard.)

Et verò hanc charitatis humilitatem cernere est in ferculo illo, quo gestabatur Salomon, Cant. 3. 9. 2. Cant. Nam in eo pauimentum, vt propriam sibi sedem, quo amati pedibus calcaretur, amor sic delegisse dicitur: *Media charitate constratum.* Sed ad hæc verba obserua ex lectione Hebræa, & cōmuni Patrum, & bonorum interpretum sententiâ (nonnullos enim, qui Græcè, & Hebraicè nesciunt, nihil moror) vocem, *media*, non conuenire cum *charitate*; sed esse in accusandi casu, eamque quacumque ratione à Doctoribus sumatur (inter quos non mediocris de nomine controuersia est) significare pauimentum, aut quid simile, quod calcantium pedibus subiectum sit, vt præter Hebrææ vocis, *thoco*, proprietatem, & lectionem Ambrosij lib. 3. de Virginibus, quæ habet *Dorsum*, & insinuationē trium Ambro. Patrum in catena Theodoreti, dum sæpius inculcāt *pauimentum charitatis*; proprietas verbi, *constrauit*, satis indicat. Vnde is se huius loci prodit sensus, charitatem ima semper, & humiliora petere; ac amati pedibus terendam, & conculcādam se prosternere. Quare ad eam Christi humilitatem, quam à charitate profectam dicebat Bernardus, sic hunc locum accommodauit Aponius ad c. 3. Cantic. *Media charitate constrauit humiliando se charitas Dei vsque ad ignominiam crucis pro sua maiestatis imagine reparanda; hæc est vtique constrata charitas, quæ omnia sustinet secundum Apostolum, quæ calcata nunquam cedit, sed elisos erigit sua humilitatis exemplo.* Ita ille. Apon. ibi.

Nec aliud sibi velle videntur illa vehementissimæ dilectionis signa, quæ suis Christus iam moriturus dedit, dicente Ioanne cap. 13. 1. *Cum dilexisset suos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos*, id est, vt exponunt Chrysostomus, Theophylactus, Euthymius, quorum explicatio probatur magno Maldonato, cū suos Christus semper dilexisset, ad Patrem tamen iturus maiorem multo erga illos amorem ostendit, euidentioribusque signis reconditum sui pectoris affectum detexit. Sed quæ iam vehementioris huius charitatis exstitêre signa? quæ apparuerunt indicia? Nimirum cum posuit, *vestimenta sua, & mittens aquam in peluim, cœpit lauare pedes discipulorum, & abstergere linteo, quo erat præcinctus.* Ecce iam pauimentum Christi charitate constratum, vt piscatorum, siue peccatorum pedibus teratur, & conculcetur. Numquam ergo suorum ardentior amator Christus, quàm in ipso passionis tempore, vt inquit Ioannes. *Nusquam autem humilior*, (verba sunt Cypriani epistol. 6.) *quandoquidem Apostolorum pedes lauit.* 3. Ioann. Chrysostom. Theophyl. & Euthymius ibi. Maldo. ibi. Cyprianus.

4. Applaudit huic cogitationi ea significatio, quam croco reddit Philo Carpathiorum Antistes ad illa verba, Cant. 4. 13. *Emissiones tuæ paradisus malorum punicorum cum pomorum fructibus*, (sic legit Philo.) *Cypri cum Nardo, Nardus, & Crocus.* Vbi cum dixisset per Cyprum, Nardum, & Crocum denotari Fidem, Spem, & Charitatem: statim crocum cum charitate componens vtriusque rei naturam sic describit. *Gaudet calcari, & atteri pede, pereundóque felicius prouenit*: sic ille cōstratę charitatis, calcatique ambientis conditionem optime explicans. Quam ad rem opportune docuit Chrysostomus homil. 33. in Epist. 1. ad Corinthios: magis proprium quodámodo charitatis, quam humilitatis munus esse demitti, & humiliari: his verbis: *Atque hæc vis est charitatis miranda, quod bona quidem cætera omnia vitij quiddam* Cant. Philo Carpathius ibi. Chrysostom.

quiddam admixtum habent, vt qui nihil sibi reliquum pro Christo fecit, est vbi ob hoc turgeat tamen, linguarum peritus arrogantia laboret. Qui videri humilis vult, est sæpe cum ob hoc ipsum intus multo altissimum sapit: Charitas verò id genus omnibus malis caret: aduersus dilectum se erigit nemo. Ita ibi Chrysostomus.

Item hom. 2. Similiter hom. 2. in Epist. 1. ad Thessalonicens. *Magnum quid est amicitia, & quam nemo possit sermone consequi non expertus, qui amat, nec præcipere vult nec imperare, sed gratiam habet magis, si imperetur, ac præcipiatur.* Sic ille.

5. Quod si fas esset miscere sacris profana, cæcumque amorem cum charitate pura componere, Chrysostomi verbis optime congruebant ea insanæ reginæ castissimi Hippolyti amoribus captæ apud
Seneca in Hippolyto. Tragicum in Hippolyto Act. 2. scen. 3.

Matris superbum est nomen, & nimium potens,
Nostros humilius nomen affectus decet,
Me vel sororem Hippolyte, vel famulam voca,
Famulamque potius: omne seruitium feram.

Et statim.

Mandata recipe sceptra, me famulam accipe:
Te imperia regere, iussa me decet sequi.

Ouidius. Similiter apud Ouidium eadem eidem.

Victa precor, genibusq; tuis regalia tendo
Brachia, quid deceat, non videt omnis amans.

6. Sed apage hæc. Quæ enim conuentio lucis ad tenebras? Redeo ad vera. Hac quidem opinor de causa, tum in sacris, tum apud profanos aurum veræ
Philo Hebræus. dilectionis typus est. De ipso verò Philo Hebræus, lib. Quis sit rerum diuinarum hæres: sic ait: *Inter laudes auri multas duæ reperiuntur præcipuæ; vna, quod non sentit rubiginis iniuriam: altera, quod in tenuissimas bracteas sine scissura deducitur.* Sic ille. Vult dicere; aurum in fila tenuissima, quin frangatur, & rumpatur, quod aliis metallis non contingit, extenuari. Est autem id charitatis proprium, quæ infimis immersa ministeriis non modo non deficit, sed libens ea, & gratabunda requirit, hæc est vtique constrata charitas, vt dicebat Aponius, quæ omnia sustinet, quæ calcata numquam cedit.

7. Huc facit, quod de sponsæ pulchritudine, ac
Psalm. 44. 14. splendore dixit Propheta Psalm. 44. 14. *Omnis gloria eius filiæ Regis ab intus in fimbriis aureis.* Vt enim iis verbis alij etiam sensus congruant, Hebræa tamen, & Græca lectione bene perpensa, ille nostro instituto opportunus inest; vt affirmet Vates omnẽ Reginæ gloriam non extrinsecus in magnificis, põposisque dignitatum ad speciem oculorum splendentium ornamentis, quibus animus insolescit, ponendã esse; sed in eo potius, quod iis omnibus spretis ad penetralia domus se recipiat, & in intimis gynecæi partibus habitet (quod honestæ, ac frugi
Psal. 127. mulieris, vt iuxta illud Ps. 127. *Vxor tua sicut vitis abundans in lateribus.* (Hebraicè penetralibus) *domus tuæ*) ibique in fimbriis aureis, hoc est in abiectissimis ministeriis occupata, vt seruula officiosa Christi, instar fimbriæ, seu scoparum pauimentum verrat. Dixi hunc sensum ex Hebræo, & Græco fonte erui, quia Hebræa vox, quæ respondet nostris, *ab intus*, significat *intus, intrinsecus*, vel si aliquãdo motum præsefert, non tam dicit motum foras, quã introrsum tendentẽ. Similiter Græcum ἔξωθεν, quamuis proprie significet ab intus, frequentius tamen
Hieron. ibi. accipi solet simpliciter pro intus. Quod si cum Hieronymo legas ἐξ ἐννοιῶν, hoc est *ex cogitationibus*, ex vtraque lectione simul considerata eundem sensum efficies; nimirum omnem gloriam sponsæ in eo sitam esse, quod auro charitatis incensa, cogitationes veluti fimbrias habeat, quas in rebus despicatissimis, & infimis diuini obsequij collocet.

Velazqu. in Epist. ad Philippens.

Sed obiicias verba Pauli 1. ad Corint. 13. 8. *Charitas nunquam excidit:* necnon apud Isaiam 6. 3. 8. *Ad Cor.*
Seraphinos diuino amore flagrãtes non prostratos; *Isai.*
sed stantes depingi: quæ sic coniungit Bernardus *Bernard.*
serm. 3. de Isaia. *Stant plane Seraphim, quia charitas nunquam excidit.* Respondeo. Imò hinc potius charitatis conditio perspicitur, quæ cum se magis, ac magis demittit, atque prosternit; tunc se stare, sublimiotémque locum obtinere existimat. Id cernere est in Dauide, qui vt ardenti erat in Deum charitate incensus: ita cogitationes suas in rem tam humilem, tamque contemptam, qualis erat ante arcam nudo pene corpore saltare, collocabat: cumque id illi, vt mentis angustæ, & vilis opus obiiceretur à Michole vxore sua; ipse respondit aliter sibi videri, rem nimirum excelsam, & sibi maxime gloriosam. 2. Reg. 6. 20.

Obseruauit denique pro tota hac doctrina Bern. *1. Bernard.*
in serm. in Ramis palmarum in codicibus nuper im- 9.
pressis, duos illos discipulos à Christo in castellum, quod contra illos erat, missos significare charitatem, castellum vero elationem: ideoque dici: *Quod contra vos est.* Matthæi 21. 2. Quia nihil magis con- *Matthæus.*
trarium, inquit ille, diuino amori, quam tumor elationis.

ANNOTATIO IV.

Eam esse seruorum Christi conditionem, vt soluti, & in libertatem vindicati sint.

QVI debiti in Deum obsequij iura, & leges an- 1.
notatione scriptas mente peruoluerit, acre id forsan seruitium, & duræ seruitutis iugum existimabit. At audiat is Ambrosij in hæc verba commenta- *Ambr. ibi.*
rium sic rationem reddentis, quod seruum Christi se Paulus appellet. *Conditionem fatetur, quia qui Christum confitetur Dominum; hic magis liber est, & habet salutem.* Ita ille. Verè omnino: nam si propria rebus aptanda sunt nomina, ille solum ingenuus, & liber, qui Christo se subiicit, censendus est; tum sane quia *Virtus*, vt scite dixit Nyssenus, hom. 1. in Cant. *domi- Nyssen.*
no caret: tum vel maximè, quia veræ libertatis ratio *Leo. Mag.*
à perfecta in Deum subiectione deriuatur. *Nihil enim tam regium*, (verba sunt Magni Leonis, serm. 3. de sua assumptione,) *quam subditum Deo animum sui corporis esse rectorẽ.* Quibus applaudit illud Sene- *Seneca.*
cæ Ep. 37. *Si vis subiicere tibi omnia, subiice te rationi.*

Vnde ea in primis Scripturæ consuetudo est, vt non aliter seruitutis erga Deum comminiscatur, quin eam per veræ libertatis argumenta explicet. Sic in primis Paulus 1. ad Corint. 7. 22. *Qui in Do- 1. Corinth.*
mino vocatus est seruus, libertus est Domini, similiter qui liber vocatus est, seruus est Christi. Pretio empti estis. Quod perinde est, ac si dicat Apostolus, omnes, quotquot in baptismo Christo nomen dederint, cuiuscis illi conditionis sint, Christi seruos iure esse censendos, sed qui eam seruiant seruitutem, quæ gloriosa potius libertas existimari debeat. Ita Ambrosius in Psal. 95. his verbis: *Christus quos alligat, liberat, & quos adstringit, absoluit, denique qui seruus vocatus à Domino est, libertus est Domini.* Sic ille. Si- *Anselm. ibi.*
militer Anselmus. *Vere, inquit, seruus est Christi, quisquis ad fidem venit, etiamsi liber apud homines iudicatur: nam pretio empti estis omnes, id est, sanguine Christi, quẽ pro vobis in cruce fudit, vt vos sibi seruos emeret, qui eratis male liberi. Maximum namque crimen est esse liberum à Deo, maximúsque profectus ex libero fieri seruum Dei.* Ita Anselmus. Sed Paulinus explicatius premit in hanc sententiam phrasim emendi, qua Paulus ibi, & sæpius vtitur: dum

Epist. 4. illud innuit discrimen inter vendi, & emi: quod vendi seruitutem; emi libertatem denotet. *Nos*, inquit, *gratis seruat, qui magno emit, non vendit.* Sic ille. Applaudit Tertullianus eam emptionem manumissionem appellans, sic enim in lib. de fuga, cap. 12. *Quem coram toto mundo Christus emit, imò & manumisit.* Similiter in lib. de Corona militis, cap. 13. *Coronat libertas secularis, sed tu iam redemptus es à Christo, & quidem magno; seruum alienum quomodo seculum manumitteret? Et si libertas videtur, sed & seruitus videbatur, omnia imaginaria in seculo, & nihil veri, nam & tunc homini liber eras, redemptus à Christo, & nunc seruus es Christi; licet manumissus ab homine: si veram putas sæculi libertatem, vt & coronam consignes, rediisti in seruitutem hominis, quam putas libertatem. amisisti libertatem Christi, quam putas seruitutem.* Hæc Tertull.

Tertullian.

3. E qua sanè re est illud ad Ephes. 4. 8. *Ascendens Christus in altum captiuam duxit captiuitatem:* nam si attendis, quid est captiuare captiuitatem, quam seruituti seruitium adimere, siue captiuum, aut seruum libertate donare? vel audi Ambrosium lib. 1. de Spiritu sancto, cap. 4. in hæc verba. *Pulchrè autem dixit captiuam duxit captiuitatem: Christi enim victoria, victoria libertatis est, quæ omnes gratiæ vindicauit, nullum adstrinxit iniuriæ. Ergo in omnium absolutione nullus captiuus est.*

Ambros.

4. Sed ille signatissimus locus in hanc rem est Psal. 115. Vbi Regius Vates suam erga Deum seruitutem, modis omnibus, & geminata appellatione, & vocibus sic profitetur: *O Domine, quia ego seruus tuus, ego seruus tuus, & filius ancillæ tuæ: dirupisti vincula mea.* Sic enim distinguendum est ex Hebræo, & ex editione Vaticana LXX. vt hæc faciant vnam orationem, & sequens versus incipiat: *Tibi sacrificabo hostiam laudis.* Vbi vides, quò eat seruitus Dei, hæc, inquam, seruitus, quam tantopere exaggerat, nimirum quod non vtcumque seruus, sed filius ancillæ, iā inde ex vtero seruus, & in Dei ædibus tāquam verna natus. Plane vt quisquis is sit ruptis malæ seruitutis vinculis liber in domo Dei versetur. Vnde sapienter Nazianzenus oratione 40. quæ est in sanctum baptisma, de baptismate per quod in Dei seruitutem adsciscimur, sic ait: *Baptismus vehiculum ad Deum, seruitutis depulsio, vinculorum solutio, compositionis in meliorem statū conuersio:* Ita ille. Quę Paulo, & Timotheo aptans Ambrosius Epist. 82. sic ait: *Quis refugiat eum, quem sequuntur alligati vinculis, sed vinculis voluntariis, quæ soluunt, non alligant, quibus vincti vinculis gloriantur dicentes: Paulus vinctus Iesu Christi, & Timotheus.* Hæc Ambros. Expressit id August. commentario ad hunc modum. *Ergo & emptus est, & vernaculus est. An cum matre simul est emptus? An quia vernaculus est propter peccata fuga sua depredatus, & ideo emptus, quia redemptus est? Filius enim est ancillæ, secundum quod omnis creatura subdita creatori est, & verissimo domino verissimum debet famulatum. Quem cum exhibet, libera est, hanc accipiens à Domino gratiam, vt ei non necessitate, sed voluntate deseruiat. Ergo iste filius est Ierusalem cœlestis, quæ sursum est mater omnium nostrûm libera. Et libera quidem à peccato, sed ancilla iustitiæ, cuius filiis adhuc peregrinantibus dicitur: vos in libertatem vocati estis.* Hæc, & alia ibi August.

Psalm. 115. — Nazianz. — Ambros. — Augustin. in Psalm.

5. Hinc scite de Virginibus Tertull. lib. de veland. Virg. cap. 3. inquit. *Tanto magis libera, quanto Christi solius ancilla*: Sed quare? sane quia quo magis Christo, & corpore, & spiritu ancillantur, eò magis à propria sui seruitute liberæ, & expeditæ sunt: dixit enim verissimè Seneca, lib. 3. natur. quæst. *Liber est, qui seruitutem effugit sui. Hæc est assidua seruitus, & ineluctabilis, & per diem, ac noctem æqualiter premens, sine interuallo, sine commeatu. Sibi seruire, grauissima seruitus est.* Ita ille. Vnde opportune Cassiodorus, lib. de anima, ad fin. cum Deo sic agit. *Eripe me à me, & conserua me in te. Impugna quod feci, & vendica, quod fecisti: Tunc ero meus, cum fuero tuus.* Sic Cassiodorus. A quo non it Bernard. serm. 81. in Cantic. cum ait. *Voluntas eò rea, quò libera, eò ancilla, quo rea; per hoc eo ancilla quo libera.* Ita ille. Benè ergo dixit Tertull. *Tanto magis libera, quanto Christi solius ancilla.*

Tertullian. — Seneca. — Cassiod. — Bernardus.

6. Adstipulatur non semel huic cogitationi Paulus: primo enim ad Rom. 6. 17. *Gratias*, inquit, *Deo quod fuistis serui peccati; obedistis autem ex corde in eam formam doctrinæ, in quam traditi estis; liberati autē à peccato serui facti estis iustitiæ.* Quæ verba sic elucidat Petrus Chrysologus ser. 114. *Per Apostolum ecce succedit seruitus seruituti, continuæ tu nunc tempus tuæ libertatis ostende: peccatum te ante mentiebatur liberum, quem tenebat miserandi captiuum: nunc gratia te vocat seruum, quem vt vere faceret esse liberum, Dei ipsius adoptauit in filium: Impleta est ergo Christi sententia, quæ dicit: Qui vult esse dominus, fit seruus: Beata est hæc seruitus, quæ donationem generat sempiternam.* Hæc Chrysologus.

Ad Rom. — Chrysolog.

7. Subdit deinde ibi Apostolus, num. 20. *Quem igitur fructum habuistis tunc in illis, in quibus nunc erubescitis? &c. Cum enim serui essetis peccati, liberi fuistis iustitiæ: nunc vero liberati a peccato, serui facti Deo habetis fructum vestrum in sanctificationem; finem vero vitam æternam.* Quasi dicat. Videte quid inter libertatem peccati, & seruitutem Dei intercedat discriminis. Peccatum certe graui vos seruitutis iugo premebat, vnde vt seruis in pistrinum datis nullum vobis fructum sinebat acquirere; at vero peccati iam iugo excusso, & Deo mancipati vberrimam vobismet ipsis ex Dei seruitute, tamquam liberi, & ingenui homines fructum percipitis. Sed audi commentarium Chrysostomi in hæc verba. *Hoc loco Paulus Dei ostendit dona duo; alterum quod nos ille peccato liberauit; alterum, quod iustitiæ mancipauerit, id quod omni etiam libertate antiquius, & præstantius est. Nobiscum enim ille similiter est, atque si quis puerum orphanum nactus à barbaris raptum, inque illorum regionem abductum ipsum non solum captiuitate liberet: sed & patrem se se illi officiosum, studiosumque prabeat, tum præcellenti aliqua dignitate cohonestet.* Sic ille. Nec minus dilucide Fulgentius Epist. 3. ad Probam, c. 1. hunc locum sic tractat: *Quos enim compressos inuenit iugo seruilis, ac pessimæ libertatis, subleuauit dono liberalis, atque optimæ seruitutis, illius denique noxiæ libertatis, in qua magis libet peccato seruire, quam Deo. Apostolico nobis intimatam tenemus sermone lætitiam: dicit enim cum serui essetis peccato liberi fuistis iustitiæ: & adiiciens ait. Quem fructū habuistis tunc, in quibus modo erubescitis? Illam quoque seruitutem in subsequentibus eiusdem doctrinæ sermonibus inuenimus, cum dicit. Nunc autem liberati à peccato, serui facti Deo habemus fructum in sanctificationem: finem vero vitam æternam. Ecce quo ducit ac perducit, hæc sancta seruitus, in qua vera libertatis est munus, ad vitam, scilicet æternam, in qua semper viuitur, semperque regnatur.* Hæc Fulgentius. Expressit hæc omnia breuiter Chrysologus, serm. 2. de filio prodigo, pendens illa eius verba, *fac me sicut vnum de mercenariis tuis*, ad hunc modum: *Et hoc petit, quia qui penes extraneum seruam senserat libertatem; penes patrem credit sibi futuram liberam seruitutem.*

Chrys. ibi. — Fulgent. — Chrysol.

Et verò liberam hanc Dei seruitutem ancillari simul peccatorum libertate indicata sic affectuit Ecclesi. c. 6. 24. *Audi fili, & accipe consilium intellectus, & ne*

Ecclesiast.

& ne abiicias consilium meum. Iniice pedem tuum in compedes illius, & in torques (Græce *numellas* genus vinculi lignei, quo caput, & pedes immittuntur) *illius collum tuum: subiice humerum, & porta illam; & non acedieris vinculis eius.* Ecce seruitutem Dei per compedes, vincula, & onus, in quo portando totus homo occupatus esse videatur, significatam; ne nobis forsan obiicias illa nos in Dei seruitute abscondere, quæ tristia esse existimantur: ea verò patefacere, quæ facilia sunt, & suauia. Verum vt simul videas Dei seruitutem, seruitutis depulsionem; & eius vincula, vinculorum potius solutionem esse; verissimeque illud à Seneca dictum fuisse lib. 5. de benef. 20. *Multa esse beneficia, quæ tristem frontem, & asperam habeant, quemadmodum secare, & vrere, vt sanes, & vinculis coërcere*: audi quid statim sapiens subiungat, num. 30. *Et erunt tibi compedes eius in protectionem fortitudinis, & bases virtutis, & torques illius in stolam gloriæ: decor enim vitæ est in illa, & vincula illius alligatura salutaris. Stolam gloriæ indues eam, & coronam gratulationis superpones tibi.* Quæ verba sic transtulit è fonte lectio Tygurina. *Compedes eius erunt tibi præsidio validissimo, solidoque firmamento: & eiusdem nerui (numellæ) honorifico amictu. Ornatus enim ipsi est aureus, & hyacinthino textu vincula. Vt amictum honorificum indues eam, festiuamque tibi coronam impones.* Vbi in primis vides ea omnia secludi à sapiente in seruitute Dei, quæ seruis communia sunt: illa vero appingi, quæ non modo liberorum hominum, vt fortitudinem, honorem, decorem, sed Regum etiam sunt propria: ornatum nimirum auro, & gemmis distinctum, amictum gloriosum, regiumque diadema vt magnificentius descripta ab eo fuerit seruorum Dei libertas, quam ab illo, qui dixit.

Seneca. Lectio Tyg.

Horat.

Quis nam igitur liber? sapiens, sibique imperiosus?
Quem neque pauperies, neque mors, neq; vincula terrēt.
Responsare cupidinibus, contemnere honores
Fortis, & in se ipso totus teres, atque rotundus,
Externi ne quid valeat per leue morari,
In quem manca ruit semper fortuna.

9. Sed illa verba, *vincula illius alligatura salutaris,* obseruatu sunt dignissima: subest enim illis speciosa similitudo à re medicâ, seu chirurgica desumpta: in qua illa pars, quæ in vulneribus alligandis versatur, maximi est momenti, cum sæpius ab eâ ægri salus, ac vita dependeat. *Està el todo en tomar la sangre, y atar bien las vendas.* Sic certè primum hoc à pio Samaritano exhibitum remedium est ei, qui incidit in latrones, quod alligauerit vulnera eius

Luc. 10. 34. Lucæ 10. 34. contra verò grauis illa Dei de plebe

Isai. 1.6. Iudaica querimonia Isai. 1.6. *Vulnus, & liuor, & plaga tumens non est circumligata.* Et Ierem. 30. 13. *Insa-*

Ierem. 30. 13. *nabilis fractura tua, pessima plaga tua. Non est qui iudicet iudicium tuum ad alligandum.* Hebraice, *ad sanitatem,* vbi sanitas, & alligatura pro eodē sumuntur. Vnde infert Vates, *curationum vtilitas non est tibi.*

10. Vt verò percalleas totam hominis libertatem in hac alligaturâ seruitutis Dei versari, nosce, quid sit plagam sanguine manantem non alligari ex Sa-

Prou. 7. 18. lomone, Prouerb. 7. 18. vbi sub persona meretricis, inexpertum iuuenem in sui amorem pellicientis, sic in primis arcanâ locutione inquit: *Veni, inebriemur vberibus*: Hebraice: *Amoribus, & fruamur cupitis amplexibus, donec illucescat dies*: Subdit sapiens: *irretiuit eum multis sermonibus, & blanditiis labiorum protraxit illum.* Quæ non de meretrice, vt sonant, cum ea libri illius pars ænigmatica, & tota in symbolis versetur, sed de cupiditate noxia titillatione sua voluntatem primum oblectante, & voluptatis dulcedine proposita ad se paulatim rapiente in sensu literatissimo (vt ibi tracto) accipienda sunt: vnde sensum habent communem cum illis

Iacob. 1.14. Iacobi 1. 14. *Vnusquisque tentatur à concupiscentia sua abstractus, & illectus.* Vtraque autem videtur sic expressisse Ambrosius lib. 1. de Abraham, cap. 4. *Spargit odores suos voluptas, quia Christi odorem non habet, thesauros demonstrat, regna promittit, amores* Ambros.
spondet continuos, inexploratos concubitus pollicetur, sine pædagogo disciplinas, sine monitore sermones, vitam sine sollicitudine, mollem somnum, inexplebiles cupiditates. Sic ille. Sed pergit Salomon: *Statim eam sequitur quasi bos ductus ad victimam, & quasi agnus lasciuiens, & ignorans quod ad vincula stultus trahatur, donec trāsfigat sagitta iecur eius.* (LXX. *aut tanquam ceruus sagitta vulneratus in iecore*) *velut si auis festinet ad laqueum, & nescit, quod de periculo animæ illius agitur.* Vbi sub eo sensu, quo præfato loco subdidit Iacobus: *Concupiscentia cum conceperit, parit peccatum: peccatum verò, cum consummatum fuerit, generat mortem*: eleganter innuit Salomon miseros homines voluptatis illecebris delinitos sub dulcedinis, & suauitatis specie in arctissima peccatorum vincula se se coniicere, grauemque appetitionum suarum seruire seruitutem: vti pendit eleganter Chrysologus serm. 6. ad hunc mo- Chrysolog.
dum: *Erat homo peccati seruus, erat captiuus mortis, erat mancipium dæmonum, erat idolorum vernula, erat vitiorum verbero, erat criminum compeditus; sic malis dominis, talibus, tantisque exhibebat homo malam, & miseram seruitutem.* Ita ille.

Sed ad rem; obserua figuratā locutionem Salo- 11.
monis, *donec transfigat sagitta iecur eius.* Nosse verò oportet iecur, vt venarum principium, & sanguinis officinam, ita arcano sermone, tam in sacris, quàm in externis libris concupiscentiarum, ac appetitionum sedem esse. Id quod summa iam eruditione pertractarunt Ludouicus del Alcaçar, & Martinus Alcaçar.
del Rio, ambo Magistri mei, quibus quidquid in sa- Del Rius.
cris literis profecerim, debere me fateor: ille ad c. 8. Apocal. vers. 1. notat. 2. hic verò in commentariis in Senecam tragicum in Hercul. Furent. è multis, quæ ipsi præoccuparunt; vnum ego aut alterum, tamquam optimorum parentū hæres adscribam. Et sub hoc in primis sensu dicitur in Hymno Ecclesiæ.

Lumbos, iecurque morbidum
Adure igni congruo.

tritumque est illud.

Cor sapit, & pulmo loquitur, fel commouet iras,
Splen ridere facit, cogit amare iecur.

Vide Lactantium lib. 6. institut. cap. 15. & Iulium Lactant.
Firmicum huius rei rationem reddentem de erro- Iul Firm.
ribus profanarum religionum cap. 5. sed præterea audi Claudianum. Claudian.

At sibi cuncta petens nil collatura cupido,
In iecur, & tractus imos compulsa recessit,
Quę velut immanes reserat dum bellua rictus,
Expleri pascique nequit; nunc verbere curas
Torquet auaritiæ; stimulis nunc flagrat amorum;
Nunc gaudet; nunc mœsta dolet, satiatáque rursus
Exoritur, cæsaque redit pollentius hydra.

Ergo Salomoni iecur sagitta transfixum, & sanguine fluens idem est, ac animus cæcis cupiditatibus deditus, quibus dum seruit, & obtemperat, nomine tenus liber: re vera seruus vinculis astrictus censeri debet: non minus, quam bos fune ductus ad victimam, aut auis laqueo irretita, aut canis vinculis deuinctus: sic enim habent LXX. *Tanquam* Lxx.
bos ad mactationem agitur, & tamquam canis ad vincula. Vndè scite præter alia peccati damna, stultitiæ id deputat, dum inquit, *& ignorans quod ad vincula stultus trahatur.*

 Certe

12. Ierem. 7. 8.

Certe in hanc sententiam Ierem. 7. 8. in eos, qui liberos mendaciter se iactabant, quod iugo diuinæ legis à suis ceruicibus excusso cupiditates suas indefessa fatigatione explerent, sic inuehitur Dominus: *Ecce vos confiditis vobis in sermonibus mendacij, qui non proderunt vobis; furari, occidere, adulterari, iurare mendaciter, libare Baalim, & ire post deos alienos, quos ignoratis. Et dixistis: Liberati sumus, eò quòd fecerimus omnes abominationes istas.* Quasi dixerit Dominus, O egregios mendaces, qui tunc vos liberos appellastis, cum miserrimæ seruitutis iugo ceruices vestras subdidistis! Ita Greg. lib. 34. Moral. c. 14. de Lucifero superborum primate, Dei gloriam ambiente, eaque de causa à culmine propriæ celsitudinis in barathrum delapso: sic inquit: *Nam quem exaltabat libera seruitus, deiecit captiua libertas, quâ libertate nunc, vt nullum timeat, effrenatur, sed ipsâ grauiter effrenatione restringitur: superno enim iudicio cuncta mirabiliter ordinante, vinxit illum libertas, quam appetiit.* Ita Gregorius.

Gregorius.

13. Augustin.

Sed quasi fugaces illos Dei seruos increparet Augustinus lib. 1. de libero arbitrio, cap. 11. inquit: *O misera seruitus! Num ista parua pœna existimanda est, quod ei libido dominatur, &c. Cum interea cupiditatum illud regnum tyrannice sæuiat, & varijs, contrarijsque tempestatibus totum hominis animum, vitamque perturbet, hinc timore, inde desiderio, hinc cruciatu rei amissæ, quæ diligebatur, inde ardore adipiscendæ, quæ non habebatur, hinc acceptæ iniuriæ doloribus, inde facibus vindicandæ.* Hæc Augustinus. Similiter Ambrosius, & Chrysostomus: ille Epist. 82. *Quam multos,* inquit, *dominos habet, qui vnum refugerit:* hic verò homil. 59. in Matthæum. *Non sibi viuit sed alteri, & mille crudelibus dominis huiusmodi homines premuntur.* Vnde sub hoc sensu accepit Hieronymus in cap. 1. Threnorum illud Ieremiæ: *Princeps prouinciarum facta est sub tributo*, in hunc modum. *Tot sceptris seruit, dedita quot vitiis.* Consentanea habet Nazianz. in diuitem male moratum, & Bernardus serm. 21. in Cant. & lib. 1. de consideratione. Ambr. lib. de Ioseph. Quæ vide, vt nonnulla tibi valde opportuna ex profanis adscribam, & illud in primis ex Tullij paradoxo penult. non paradoxe, sed sapienter dictum. *Quis neget omnes leues, omnes cupidos, omnes denique improbos esse seruos? An ille mihi liber est, cui mulier imperat, cui leges imponit, præscribit: iubet, vetat quod videtur, qui nihil imperanti negare potest, nihil recusare audet. Poscit? dandum est; vocat, veniendum; eiicit, abeundum; minatur, extimescendum? Ego verò istum non modo seruum, sed nequissimum seruum, etiam si in amplissima familia natus sit, appellandum puto.* Hæc Cicero. Eadem habet Seneca Epist. 47. & 80. & Epist. 27. Similiter Persius satyra 5.

Ambros. Chrys. hom. 59. in Matt. — Thren. 1. 1. Hieron. ibid. — Nazianz. Bernardus. Ambros. — Tull. — Seneca. Persius.

Liber ego. Vnde datum hoc sumis tot subdite rebus?
An dominum ignoras, nisi quem vindicta relaxat:
I puer, & strigiles Crispini ad balnea defer,
Se increpuit. Cessas nugator? seruitium acre
Te nihil impellit, nec quidquam extrinsecus intrat,
Quod neruos agitet. Sed si intus, & in iecore ægro
Nascuntur domini: qui tu impunitior exis,
Atq; hic, quem ad strigiles scutica, & metus egit herilis?

Hæc ethnici de seruitute cupiditatum. Quibus adde Epictetum apud Arrianum lib. 3. dissert. 25. Vbi expendens quam grauis ea sit, scite inquit, *si faceret seruus iussu domini,* (addo ego iussu Dei) *quæ qui seruiunt cupiditatibus faciunt, de durâ seruitute suâ multum queritaretur?* Concludo si prædictis adiũgo hæc Chrysologi serm. 6. de homine à dæmone possesso. *Quando homo non sub peccato tristis? quando non sub morte lugens? quando non sub dæmonibus pallens? quando non sub idolis tremens? quando non sub vitiis suspectus? quando non sub criminibus desperatus? & ideo homo dabat extrema suspiria, quando tales, tam crudeles dominos sustinebat.* Sic ille.

Epictetus. Arriani. — Chrysolog.

Redeo opportune, nisi fallor, vnde sum digressus. Ecce iecur sagitta transfixum. En plagam tumentem nec alligatam, hoc est cæcas, & insatiabiles cupiditates non cohibitas, atque compressas. Iam ergo vides, quid sit seruitus Dei, quæ appetitionibus legem, modumque præscribit, quidque secum eius vincula afferant, nempe alligaturam salutarem, quæ tot tantisque malis medicinam adhibeat, & sæuissimorum dominorum seruos in libertatem filiorum Dei afferat. *Namque hæc seruitus,* verba sunt Chrysologi serm. 114. *non obligat, sed absoluit: non onerat, sed honorat: abstergit seruitutis maculam, non inurit.* Sic ille. Vnde Ambrosius lib. 3. in Hexameron, c. 13. salicis ramos, quibus ad vbertatem vincitur vitis, his Christi vinculis sic pulchrè accommodat. *Populus quoque coronis arbor vmbrosa victricibus, & salix lenta vitibus habilis vinciendis, quid aliud mystice declarant? nisi bona esse Christi vincula, quæ nocere non soleant, vincula gratiæ, vincula charitatis, vt vnusquisque suis vinculis glorietur:* Ita Ambrosius. Quem imitatur Augustinus Psal. 99. ad id, *seruite Domino in lætitia: Omnis,* inquit, *seruitus amaritudine plena est, omnes conditione seruili obligati, & seruiunt, & murmurant: Noli timere illius Domini seruitutem, non erit tibi gemitus, non murmur, nõ indignatio. Magna felicitas est esse in ista domo, magna seruum, etsi cum cõpedibus. Noli timere serue compeditæ, confitere Domino, meritis tuis attribue compedes tuas, confitere in compedibus tuis, si vis vt in ornamenta vertantur. Libera seruitus est apud Dominum, libera seruitus vbi non necessitas, sed charitas seruit.* Hæc Augustinus.

14 — Chrysolog. — Ambros.

Et verò hæc sententia, & sensus inest tum iis, quę de se ipso sub persona Samaritani dixit Dominus, Lucæ 10. 33. *Et appropians alligauit vulnera eius:* tum etiam verbis Psalmi 146. 3. *Qui sanat contritos corde, & alligat contritiones eorum:* siue vt transtulit Chaldæus: *Et adducit sanitatem morbis eorum:* hæc enim Augustinus de sacramentis, & doctrina Christi, quibus à peccatis sanamur, intellexit, morborum ligamenta ea appellans: in illa verò Ambrosius ser. 21. in Psal. 118. *Dominus,* inquit, *Iesus ipse est medicus, qui vulnera nostra curauit, infundens vinum, & oleum, & alligans vulnera Adæ eius, qui descendens ab Ierusalem in Iericho a latronibus vulneratus est. Bona alligatura, quæ fractæ animæ tua ossa connectat, & soliditate reparata in pristinas vires reformet, ac discissos artus sine vlla cicatricis offensione restituat.* Sic Ambrosius. Similia afferuntur à Chrysostomo in catena D. Thom. & Augustin. lib. 2. quæst. 3. qui alligationem vulnerum, cohibitionem peccatorum appellat. Sed & Hilarius ad citata Psalmi verba simul obseruat subiunxisse Vatem; *Qui numerat multitudinem stellarum:* quasi parum sit, si Christus alligamentis suis sanitatem afferat, nisi etiam, quos curauit, inter sydera ipsa constituat: *Hoc Domino potius dignum, hoc in eius misericordia præferendum, vt eos, quos contritos cordé sanauerit, quorum alligauerit contritiones, nominibus vocet, proprietate numeret, cælesti luce clarificet.* Ita Hilarius.

15. Luc. 10 33. Psal. 146. 3. — Chaldæus. Aug. ibi. — Ambr. ser. 21. in Psal. 118. — Chrysost in caten D. Thom. Aug. lib. 2. q. 3. Hil ibi.

Plane quia ij, qui antea peccato, & cupiditatibus interuenientes quasi vinculis astricti humi repebant, iam serui Dei facti terrenis omnibus rebus, quasi cœlo adscripti superiores euadunt. Hinc Paulinus Epist. 36. ad Licentium cum Romanæ curiæ seruitutem eleganter expressisset hoc carmine,

16. — Paulin. Ep. 36.

Et quisquis Romam sponte miser patitur.

ingenuitatem filiorum Dei, qui rebus sub aspectum cadentibus superiores sunt, sic adnectit.

Quid

Quid retrahis fera colla iugo? mea sarcina leuis,
Suaue iugum Christi, vox pia, crede Deo,
Hæc bona libertas Christo seruire, & in ipso
Omnibus esse super.

Greg. lib. 30. Mor. c. 12. Quæ luculentius effudit Gregorius lib. 30. Moral. cap. 12. in illa verba Iob 39. *Quis dimisit onagrum liberum in solitudinem, & vincula eius quis soluit*, dum ea de Christo Domino, qui legis, & consiliorum suorum iugo, quo hominum desideriis modum imponit, eos velut seruos ad pileum, ad veram libertatem vocat, ad hunc modum intelligit. *Qui apte liber dicitur, quia magna est seruitus sæcularium negotiorum, quibus mens vehementer atteritur, quamuis in eis sponte desudet, cuius seruitutis conditione carere, est in mundo iam nihil concupiscere. Quasi enim quodam seruitutis iugo premunt prospera, dum appetuntur: premunt aduersa, dum formidantur. At si quis semel a dominatione desideriorum temporalium colla mentis excusserit, quâdam iam etiam libertate perfruitur, dum nulle desiderio felicitatis afficitur, nullo aduersitatis timore coarctatur. Hoc graue seruitutis iugum Dominus vidit sæcularium ceruicibus impressum, cum diceret: Venite ad me omnes, qui laboratis, &c.* Ita Gregorius. Et statim: *Asperum quippe iugum, & dura, sicut diximus, seruitutis pondus est subesse temporalibus, ambire terrena, retinere labentia, velle stare in non stantibus, appetere quidem transeuntia, sed cum transeuntibus nolle transire: dum enim contra votum cuncta fugiunt, quæ prius mentem ex desiderio adeptionis afflixerant, post ex pauore amissionis premunt. Liber ergo dimittitur, qui calcatis terrenis desideriis ab appetitione rerum temporalium securitate mentis exoneratur.* Sed deinde ad sequentia verba: *Et vincula eius quis soluit?*
Iob 39. hæc subiicit: *Subaudi nisi ego. Soluuntur vero vniuscuiusque vincula, dum diuino adiutorio interna desideriorum carnalium retinacula dirumpuntur.* Et post nonnulla: *Soluit itaque Deus onagri vincula, quando ab electi vniuscuiusque animo infirmarum cogitationum nodos rumpit, & propitius dissipat omne, quod illectam mentem ligabat.* Hactenus Gregorius, rem ita enucleatè tractans, vt nihil iam desiderari possit.

17. Sed & gentilis Seneca non secus, ac si à Salomone
1. Ad Tim. 6.9. Senec. Ep. 25. & 110. accepisset iecur sagittâ transfigi, cum in appetitiones suas, & *in desideria multa inutilia* (valde noxia) *quæ mergunt homines in perditionem*. 1. ad Timoth. 6.9. homines defluunt, sapienter, ethnica licet phrasi, dixit Epist. 25. & 110. *Qui desiderium claudit, profecto de felicitate cum Ioue ipso contendit.* Et epist. 113. eodem sensu. *O quam magnis homines erroribus tenentur, qui ius dominandi trans maria cupiunt mittere, felicissimosque se iudicant, si multas per milites prouincias obtinent, & nouas veteribus adiungunt, ignari quod sit illud ingens, paratumque regnum. Imperare sibi, maximum imperium est.* Sic Seneca. Et alibi:
Idem. *Philosophiæ seruias oportet, vt tibi contingat vera libertas.* Ita ille. Animose quidem, sed egregie plane mentitus est, cum vera libertas non ethnicis Philosophis, sed Paulo & Timotheo, cæterisque Christi seruis contingat.

ADNOTATIO V.

Eximiam dignitatem, serui Dei nomen præ se ferre.

1. QVR vero mirum videatur serui Dei nomen libertatem, & ingenuitatem sonare, cum extremam etiam dignitatem, & honorum apicem significet, vti hoc etiam loco his verbis adnotauit Chrysostomus:
Chrys. hic. *Non posuit suum magisterij nomen, sed aliud quoddam, illudque magnum, quale vero istud? seruum se ipsum nominat, non Apostolum; nam & hæc vere magna dignitas est, ac bonorum caput seruum esse Iesu Christi.* Ita ille. Similiter Theodoretus in hæc verba epistol. ad Roman. *Seruum Iesu Christi se vocat, quem omnes increduli mortuum, & crucifixum, & fabri filium appellabant, sed tamen eius seruitutem plus quam quoduis regnum amplectebatur, & pluris faciebat.* Sic Theodoretus. Theodor.

Et verò serui nomen sub hoc mancipij sensu sumptum honestius, ac honoratius vocabulum, quam ministet; sicut apud nos maius quiddam est dici: *Criado del Rey, que ministro*; emphaticè enim, nec sine sono alicuius rei ad Regem spectantis dicitur, *Criado del Rey*. Vnde huc intentus Ambrosius in cap. 1. Epist. 1. ad Timoth. *Dignitas*, inquit, *est seruum esse potentis.* Et Epist. 82. *Gloriosius ab hoc stringimur, quam ab aliis soluimur, & relaxamur.* Et in Psalm. 45. *Ideo in suis vinculis Paulus gloriabatur dicens: Paulus vinctus Iesu, quod sub aliis contumelia, sub Christo gloria est.* Hæc ille. Vnde Bernardus serm. 7. in Psalm. *Qui habitat*, componens Dei seruos cum iumento illo, in cuius humili tergo, vt ipse ait, ad commendationem ineffabilis suæ mansuetudinis dignatus est sedere Saluator: hæc ait: *Vt iumentum igitur esto, minime tamen iumentum: patienter quidem sustinens onus, sed honorem intelligens. Magnus ille Ignatius discipuli, quem diligebat Iesus, auditor: Mariam in pluribus, quas ad eam scripsit epistolis, Christiferam consalutat. Egregius plane titulus dignitatis, & commendatio honoris immensi; Nempe cui seruire regnare est, gestare hunc non onerari est, sed ornari.* Ita Bernardus. Cui adstipulatus venerabilis Arnoldus de laudibus Beatæ Mariæ tomo 1. Bibliot. veterum Patrum de eadem Deipara, ait: *Maria Domina, & licet ipsa se Christi profiteatur ancillam, hoc seruitutis genus omni regno sublimius esse intelligit.* Sic Arnoldus. 2. Ambros. Idem Epist. Bernard. Arnold.

Expressit sane hanc dignitatem Paulus 1. ad Corinth. 7. 22. Qui enim in Domino vocatus est seruus, libertus est Domini: similiter qui liber vocatus est, seruus est Christi: vbi præstantius vocabulum seruo, quam libero videtur tribuere Paulus, cum seruum libertum, liberum verò seruum faciat, id sic adnotante in hunc sensum Ambrosio in exhortat. ad Virgin. *Vide vim Apostoli. Plus putatur dedisse ei qui seruus, quam ei qui liber vocatus est: ex seruo enim libertus Christi fit, ex libero seruus, sed nulli plus dedit: verum vtrique æqualem mensuram diuisit. Apud Christum enim seruitus, & libertas æqua lance penduntur, quia nulla maior dignitas est, quam seruire Christo.* Sic Ambrosius. 3. Ambros.

Bene quidem id nouerat Regius Psaltes, qui Psalm. 35. hunc præfixit titulum: *Seruo Domini, ipsi Dauid.* Et verò, cum in titulis, & inscriptionibus id soleat inscribi, quod ad maiorem gloriam, & celebritatem eius, qui curat inscribi, conducat, à Dei seruitute potius, quam à regno, victoriis, rebusque in pace, ac bello præclare gestis suum ipse titulum inscribit, quod ea magis se honestari, quam cæteris regiis ornamentis crederet. Vnde Hilarius ad verba Psalm. 118. *Suscipe seruum tuum in bonum*: quæ ipse legit: *Excipe me seruum tuum in bonum*: sic opportune hanc serui appellationem pendit: *Proficit in spes suas, & celsioris iam deprecationis suæ gradum scandit. Qui enim orauerat, ne traderetur nocentibus se, iam vt in proprietatem serui excipiatur, rogat: beatum illum in se Dei dominatum cum bona susceptione sua deprecans.* Sic Hilarius. Ad cuius gustum Ambrosius serm. 3. in Psalm. 118. eamdem emphasim inesse illis eiusdem Psaltis verbis: *Retribue seruo tuo*: sic obseruat: 4. Psalm. Hilar. Ambros.

seruat: *Bene addidit seruo tuo, in quo, & humilitatis est gratia, & præmium seruitutis. Qui enim vocatus est in Domino seruus, libertus est Domini. Quare non præsumat fauorem Domini, tam pretioso emptus sanguine? Magnum tibi est vocari puerum meum, quasi ad seruum dicitur*: (sic legit Ambrosius, sicuti & Hilarius illud summi parentis ad Christum, Isai. 49. *Parum est, vt sis mihi seruus*: quæ in vulgato legenda esse cum nota interrogationis alibi ex hac versione Ambrosij confirmo.) *Gloriosa seruitus, qua pro nobis seruiuit & Christus: Beata seruitus, quâ & tu seruis.* Hæc Ambrosius.

5. *Psalm.* Facit etiam ad hanc cogitationem illud eiusdem Vatis Psalm. 104. 3. *Laudamini in nomine sancto eius*: vbi Aquila pro *laudamini*, legit, *gloriamini*: vt sensus sit. Magnum honorem, & gloriam existimate, quod de eius nomine vos appellemini, serui scilicet, & populus Dei. Acquieuit verò huic monito maximus ille Imperator Iustinianus, qui in *lege* 1. *C. de officio pratoru Africa*, Christi seruum, & quidem vltimum gloriose se appellat. Certe ipsemet Rex Vates Psalm. 118. 170. hac cogitatione instructus ait: *Intret postulatio mea in conspectu tuo*: pro quibus verbis plures codices Græci habent: *Intret dignitas mea in conspectu tuo.* Sed quæ dignitas? sane Dei seruum se esse, à qua dignitate auctoritatem suæ preci conciliat. Ita ibi Ambros. octonario 22. *Nempe cum hominem rogas, regem te dicis, vt contemplationem habeat honoris tui, tangat eum tua contemplatio dignitatis, vt aut misereatur, si venia est postulanda, aut deferat pro ordine dignitatis. Recte ergo, & deuotus Deo dicit.* Intret dignitas mea coram, &c. *Habet & Christianus dignitatem suam, qui tanto imperatori militat.* Ita ille.

Iustinian.

Ambros.

6. Hine de collo sponsæ Christi iugo subiecto, & seruitutis suæ insignia præ se ferente, dixit cœlestis Sponsus, Cantic. 1. 10. *Collum tuum sicut monilia.* Quæ verba Ambrosius præfato serm. 3. in Psalm. 118. primum sic legit: *Ceruix tua sicut redimicula*: deinde sic explicat: *Vultus liberior est, vbi est castitatis conscientia, & portare Christi iugum suaue est, si ornamenta putes ceruicis tuæ esse, non onera. Attolle ergo oculos semper ad Dominum, erige ceruicem, redimicula, non vincula geris. Muta quoque animalia redimiculis gaudent, & phalerari sibi magis, quam nudari videntur.* Hæc, & alia Ambrosius. Simile quid obserues in illis verbis Domini de plebe sua, cum regium sponsæ statum obtinebat Ezech. 16. 10. *Indui te subtilibus*: vbi pro *subtilibus*, Hebraicè, vt obseruat P. Prado, est *serico*: propriéque significat sericum, ac preciosum velamen ad velandum caput, corpusque tegendum: Hispane *Manto.* Cum verò capitis velamen vna ex parte subiectionem denotet, vt ex Paulo ad id loci probat Prado, ex alia verò ex materia preciosa contextum dicatur; rectè subinfertur Dei seruitutem, quam eius serui profitentur, magno ipsis honori, & ornamento esse, vt omittam, siue in sequentem adnotationem transmittam suauitatem, & commoda, quæ ex ipsa percipiunt. Firmat hanc cogitationem venerab. Gillebert. commentarius serm. 18. in id Cant. 3. 10. *ascensus purpureus*, dignitatem seruitutis Christi sic expendentis. *Quid tu illic dices, qui humiliationem seruitutem putas? Seruilis non est, quam regalis nobilitat purpura: ornamentum est enim purpura regium. Hos si tu, vel dedignaris, vel horres gradus, respice, quod purpurei sunt. Humilitas suscepta pro Christo regiam præfert dignitatem.* Ita ille.

Cant.
Ambros.

Ezech.
Prad. ibi.

Gillebert.

Vnde postmodum acutè infert eum, qui aliunde gloriatur, nimirum à prosapiæ nobilitate, aut sæculi potentia, & gloria; viliorem dubio procul reddi, cum à vera gloria summaque Christi nobilitate expertem se faciat. Adiiciam eius verba, quòd Christi seruis opportunissima sint. *Noli te sæculi nobilitatem charam reputare. Vilior eris, si respexeris ad illam, si natales tuos sponso imputas, si te pro sæculi fastu præferas aliis, aut aliquid habere priuilegij putas. Contra humilitatem propositi de prosapia carnis euacuaris à gloria Christi, si aliâ te nobilitari præsumas. Hæc tibi purpura sufficiat ad fastum, sufficiat ad ascensum. sufficiat ad gloriam, vt non glorieris, nisi in cruce Domini tui Iesu Christi.*

Adde eum, qui Dei seruum se dicit, reliquorum se dominum esse profiteri. Quam energiam subesse videas illis verbis Eliæ eum à Pentacontarcho, siue quinquaginta militum duce homo Dei appellaretur. *Si homo Dei sum, descendat ignis de cœlo, & deuoret te, & quinquaginta tuos.* Quod perinde fuit, ac si diceret. Si is ego sum, cui rectè tantum nomen tribuatur, id nunc mei muneris appareat indicium; vt tam ignis, & elementorum, quam vestræ vitæ, ac neeis dominus innotescam. Simile quid obseruauit Theodoretus in verbis Darij, Regis ad Danielem, Daniel 6. 20. *Daniel serue Dei viuentis.* Et Chrysostomus in tribus pueris à Nabuchodonosor in fornacem missis, & diuina subinde virtute cognitâ, nomine seruorum Dei condecoratis: quasi eo nomine ethnici etiam homines prædicarent seruos Dei, & ignis naturam, & ferocissima animantia, quibus fuerant obiecti, perdomuisse. Audi Chrysostomum in illud Genesis 26. *Qui tetigerit hominis istius vxorem, morte morietur*, sic loquentem, *& Nabuchodonosor postquam pueros in fornacem iniecerat, & re ipsa comprobauit eorum virtutem prædicare eos cœpit, & vbique lingua sua fecit illustres dicens: Serui Dei excelsi.* Ita Chrysostomus. 7.

4. Reg. 1. 10.

Daniel.
Theod. ibi.
Chrysost. in id Genes. Qui tetigerit, &c. c. 26.

Quod si scrupulosius inquiras, cur præstantiorem dignitatem hoc serui Dei vocabulum, quam alia famulandi appellatio præ se ferat. Respondeo. Primum ab strictiori obsequendi titulo id desumi, vt videlicet tanto sit gloriosior famulatus appellatio, quanto maius est vinculum parendi Domino, Dominorum summo: sic Imperatori Tiberio excandescenti adulabatur Romanus eques M. Terentius apud Tacitum lib. 6. Annalium: *Tibi summum rerum iudicium dij dedere, nobis obsequij gloria relicta est*: ac si dixerit: Quo nos affectum, & mentem in tuum obsequium exhibemus, eo maiorem nobis gloriam censemus adipisci. Deinde, & magis ad rem dixeris, splendidius serui Dei nomen esse, quod singillatim denotet eximium, siue potius infinitum redemptionis pretium, quo Dei serui, ab eo empti sunt, Christi nimirum sanguinem pro singulorum capite solutum; ex quo regia, & pene infinita hominis dignitas consurgit, vt cap. 2, vers. 7. adnot. 4. 5. & 6. latius tracto. Quod quidem in aliis famulandi appellationibus non elucet, vnde vt omnibus creaturis famulandi ratio, & appellatio: ita solis Christi fidelibus serui nomen conuenit. Tradidit hanc rationem Ambrosius in exhortat. ad Virg. vbi cùm dixisset: *Nulla maior est dignitas, quam seruire Christo.* id sic confirmat. *An non summa gloria est, quando tali pretio æstimati sumus, vt sanguine Domini redimeremur?*

Tacitus.

Ambros.

Ad illud: *Iesu Christi.*

ADNOTATIO VI.

Maximam ex Christi seruitute percipi lætitiam.

EMPHATICE videtur dictum à Paulo, *serui Iesu Christi*, non verò serui Dei, aut Domini: vt 1.

vt enim Christus Deus sit, ac Dominus, eademque omnino sententia sit esse seruum Dei, & esse seruum Christi, nonnihil acuminis, & decoris videtur inesse his verbis: *serui Iesu Christi*: nam cum nomen Iesus significet Saluatorem, Christus verò vnctus, videtur Paulus hac appellatione recreari, quasi dicat, seruus, sed suauissimi, ac indulgentissimi Domini, qui dum me in seruum suscipit, indesinenter fouet, ac fauet, meisque quasi suis commoditatibus inseruit: *Esclauo, pero de vn blandissimo, y amorosissimo Señor*: &c. vt proinde maximam ex hac seruitute percipiam voluptatem. Tria ergo, si aduertis, in his verbis Apostolus commemorat, quæ & Christi seruitutem mirifice commendant, & à peccati seruitute summopere discriminant. Primum vni Domino plures ancillari seruos: *Paulus*, inquit, *& Timotheus serui Iesu Christi*. Deinde naturali se, ac proprio Domino, qui eos suo sanguine redemerit, ac seruarit, deseruire; id enim Iesus, siue Saluatoris nomen sibi vult. Tandem quod ei domino famulentur, qui peculiari suauitate, & voluptate seruorum suorum animos perfundat, quippe qui vnctus est oleo lætitiæ, non tantum præ consortibus suis, sed etiam pro consortibus, siue seruis suis. De singulis nonnihil seorsim.

2. Sophon. Et verò sic in primis capio illud Sophoniæ 3. 9. *Tunc reddam populis labium electum, vt inuocent omnes in nomine Domini, & seruiant ei humero vno*: vt non solum significet vni tantum Domino fideles obtemperaturos, vt nonnulli auctores interpretantur, sed etiam ea de causa, quod vni Domino plures seruiant, adeò facilem, & iucundam reddi seruitutem, vt vnicum tantum humerum oneri perferendo, siue iugo ducendo subiicere videantur, id quod sic ex-
LXX. presserunt L X X. *vt seruiant ei sub iugo vno*: ducta similitudine ab onere plaustri, quod non vni solum, sed vtrique boum ceruici incumbit, vnde singulis facilius redditur.

3. Isai. Expressit eamdem sententiam Isaias cap. 2. 2 cum gentes ad Christi obsequium, & seruitutem non secus, ac fluuius, qui impetu decurrit, venturas ita prædixit: *Et fluent ad eum omnes gentes*. At dicat non nemo, videri Vatem oblitum eorum, quæ paulò antea dixerat: nimirum Dominum in vertice montis, qui aliorum montium vertex esset, consistere: *Erit*, inquit, *præparatus mons Domini in vertice montium, & eleuabitur super colles*: quì enim fieret, vt ad montium verticem rapido cursu fluuius decurreret? Est tamen ad manum responsio: ideo gentes ad cliuum ascensu difficilem fluere dici: quia, vt in Hebræo est, confluebant, hoc est plures simul associati seruitutis Christi iugum ferebant, sodalitate videlicet cliui difficultatem complanantes, & itineris molestias delinientes.

4. Iam seruis peccati quam alter euenit, qui dum vnicum fugiunt dominum, vnicumque detrectant iugum, pluribus dominis seruire, plura iuga ferre
Ambros. necesse est: sic dicebat Ambrosius Epist. 82. *Quam*
Seneca. *multos dominos habet, qui vnum refugerit*? Sic Seneca Epist. 27. *Humilis res est stultitia, abiecta, sordida, seruilis, multis affectibus, & sæuissimis subiecta. Hos tam graues dominos, interdum alternis vocibus imperantes, interdum pariter dimittit à te sapientia*. Sic etiam Ber-
Bernard. nardus in Declamationibus super: *Ecce nos reliquimus omnia*, scite obseruat eum, qui à Christi iugo, & coniuio se abiunxit, quinque sibi iuga, eaque pre-
Luca. tio empta suscepisse, ipsomet dicente, Lucæ 14. *Iuga boum emi quinque*. Audi illum. *Postremo, vt cætera sileam, cum sine iugo esse non possint, quale hoc ipsum est, eligere potius quinque, quam vnum? Quis enim potest seruire quinque dominis? ne dum quinque tyrannis, quinque prædonibus? siquidem oculus meus deprædatur animam meam. An non sæpe aliud gula exigit, ad aliud pruritus aurium vocat? Sic & odoratus, & tactus diuersa imperans interdum forsitan, & aduersa, dum vterque communem sibi gestit præripere seruum, & trahit sua quemque voluptas*. Hæc, & multo plura egregie ibi Bernardus.

Porro id ipsum seruis peccati euenire videas, 5.
3. Reg. quod Israelitico populo ad Regem Roboam clamanti, 3. Reg. 12. 4. *Pater tuus durissimum iugum imposuit nobis: tu autem nunc imminue paulullum de imperio patris tui grauissimo*. Cui durus, & insipiens Rex respondit, vers. 14. *Pater meus aggrauauit iugum vestrum: ego autem addam iugo vestro*. Sæpius enim dum vitij alicuius, puta libidinis, graue iugum quis ferens, eius onere defatigatus (vacat enim pudicitia, libido occupatissima est) alterius virij, verbi gratia, auaritiæ, aut ambitionis opem inuocat, & accersit, vt hoc suis emolumentis, siue honoribus illius grauitatem, & asperitatem leniat, illam à nouo hoc hero vocem audit, ac sentit: *Ego addam iugo vestro*. Vnde Ambrosius in id Psalm. 37. *Non est pax ossibus* Ambros.
meis à facie peccatorum meorum: acute conqueritur, eam contra ius, fasque peruersam vitiorum conditionem, ac legem esse, vt dum alia aliis miserum peccatorem venditant, postea tamen vendito subinde dominentur, ac si illum alteri non vendidissent. Cum enim dixisset Ambrosius. *Grauior aduersarius noster culpa est, quæ solicitat ociosos, affligit sanos, contristat læsos, inquietat placidos, exagitat mites, excitat dormientes. Rei sumus sine accusatore, sine venditore vendimur*: Subiicit. *Hæc igitur peccata sunt, quæ contra nos sunt semper, vt dixit Propheta, vendiderunt nos; & dominantur nobis. Seruus qui vẽditur è superiore seruitio exit, vt ad dominum alterum migret. Nos nec superiorum iugum deponimus, vt ad noua curramus*. Ita ille.

Sed quæ breui dixit Seneca, hos tam graues do- 6.
minos interdum alternis vocibus imperantes, sic lu- Bern. vbi su.
culentius descripsit Bernardus præfato loco. *Contendunt ambitio, & elatio cordis, altera nidum altera foueam parat. Volare altera iubet, repere monet altera, cum neutrum profecto sit hominis. Quis enim es tu ait hæc, quis vero ille, vel ille est, aut quæ domus patris eorum, vt eis in aliquo cedas, vt reuerearis eos, vt aliquatenus eis blandiaris? At bonus sermo bonum inuenit locum ait ambitio, & interdum quoque qui prodesse non potest, potest obesse; vnde dissimula, primum vinum bonum pone, donec veniat hora tua*. Sic Bernardus, & statim: *Auaritia quoque & appetitus laudis sibi inuicem aduersantur, & quod hæc congregat; hic dispergit. Nec minus contraria sunt, quæ simulatio, & pusillanimitas suggerunt, impudentiæ, impatientiæque clamoribus, & vtraque labor, & dolor, & afflictio spiritus*. Hactenus ex Bernardo. Persimilis Persio mens sic eum Persius.
depingenti, quem segnities iubet in medios dormire dies: auaritia vero contra iubet prima luce adesse in portu.

Mane piger stertis? Surge, inquit auaritia, eia
Surge, negas, instat, surge, inquit, non queo surgere.
Et quid agam? Rogitas? saperdas aduehe ponto,
Castoreum, stuppas, hebenum, thus, lubrica Coa.

Hac certe velut necessaria argumentatione Abi- 7.
melech Sichimitas impulit, vt se potiùs, quam filios Gedeon in regem susciperent, Iudicum 9. 2. *Quid* Iudic.
vobis est melius, vt dominentur vestri. LXX. viri omnes filij Ierobaal, an vt dominetur vobis vnus vir. Nec ab hoc ire reor illã à Moyse populo propositã rationem Deut. 10. 12. *Et nunc Israel quid Dominus Deus* Deuter.
tuus petit à te, nisi vt timeas Dominum Deum tuum, & ambules in viis eius, & diligas eum, ac seruias Domino Deo tuo in toto corde tuo, & in tota anima tua? Ea est enim

enim structura sermonis, vt per extenuationem dicatur Deum ab homine totam animam petere: nam id sonat ille dicendi modus: *Quid Dominus petit à te, nisi vt timeas eum*, &c. quasi dicat; quid magnum, aut perdifficile à te prærequiritur? Vbi illud tacite innuitur longe difficilius, ac laboriosius esse dimidiam ab homine animi sui parte, quam totum cor petere, cum multo sit facilius vni domino integro animo, quam duobus, pluribusve dominis diuiso corde inseruire. Quò eunt illæ miserentis Dei voces: *Vsquequo deliciis dissolueris filia vaga*? Ierem. 31, 22. sed eum locum alibi commodius tracto.

Ierem.

8. En Paulum, & Timotheum vni Domino seruientes, sed cui? Iesu, siue Saluatori, proprio quidem, & naturali Domino, ac proinde in seruos suos benigno, & indulgenti. Sic dicebat Ambrosius, serm. 3. in Psalm. 118. *Quare non præsumat fauorem Domini tam pretioso emptus sanguine?* Sed significantius ipsemet Dominus, Isaiæ 46. 3. *Audite me domus Iacob, & omne residuum domus Israel, qui portamini à meo vtero, qui gestamini à mea vulua, vsque ad senectam ego ipse, & vsque ad canos ego portabo.* Quasi dicat: cum ego vos in vtero gestauerim, haud vlla ratione fiet, vt ex sinu, & vlnis meis vos aliquando excutiam. Subdit clarius: *Ego feci, & ego feram: ego portabo, & saluabo.* Quibus humano more tantum non dicit cum vos genui, id mihi oneris assumpsi, vt pro vestra salute, & incolumitate indesinenter laborarem; etenim parentes, quibus egregiam natura in filios indidit charitatem, non possunt non pro illis molestias deuorare assiduas, & semetipsos periculis pro eorum incolumitate obiicere: nec hanc naturæ necessitatem aliquandiu valent effugere. Perstrinxit hæc Hieronymus his verbis. *Creator enim omnium parcit creaturæ suæ, & pastor bonus ponit animam suam pro ouibus suis. Qui autem mercenarius est, cuius non sunt oues propriæ, cum viderit lupum, fugit. Quia igitur feci, & genui liberos, ego feram, & ipse portabo.* Ita Hieronymus. Cui cogitationi adstipulatur illud Moysis ad Dominum Numer. 11. 12. *Numquid ego concepi omnem hanc multitudinem, vel genui eam, vt dicas mihi, porta eos in sinu tuo, sicut portare solet nutrix infantulum?* Vbi ideo à populo portando se excusat, quod illum non genuerit; portaturus quidem, nec excusationem vllam allaturus, si genuisset: quòd id suo sibi iure natura postulet.

Ambros.

Isai.

Hieron.

Numer.

9. Huc mirifice facit, quod Christus pro calice passionis, ac mortis suæ non bibendo sic Patrem orauerit, Matthæi 26. 39. *Si possibile est, transeat à me calix iste*: nec tamen à Patre fuerit exauditus, quasi eius apud ipsum rei nulla omnino facultas, nulla potestas esset; nam si fieri id aliquo modo posset (nosti sub quo loquamur sensu, in sensu nimirum, vt aiunt, composito cum præsenti decreto Dei) quî à Patre non exaudiretur Filius vnicè dilectus? Plane quia, qui fecit, non potuit non ferre, portare, ac saluare: Creator enim omnium parcit creaturæ suæ, & pastor bonus ponit animam pro ouibus suis. Id quod egregie ad præfata verba Matthæi sic adnotauit S. Paschasius lib. 12. in Matthæum. *Impossibilitas ista de iustitia venit, & bonitate Dei, quia sic est omnipotens, vt & iustus sit, ac bonus, & misericors; ideo quantum ad vtramque naturam spectat, impossibile erat, ne nos bonitate sua, suaque iustitia, & misericordia saluaret, quos crearat.* Ita Paschasius.

Matth.

Paschas.

10. Vt verò cum suis seruis adeo indulgenter, & benigne Deus se gerit; quod naturalis ipsorum Dominus sit: ita dæmon, & peccatum in seruos, quos habent, acerbissimi, & seuerissimi sunt: quia alieni ipsorum sunt domini. Vnde Ierem. 16. 13. plebem illam præuaricatricē sic minaciter deterrere conabatur Dominus. *Seruietis ibi diis alienis die, ac nocte, qui non dabunt vobis requiem*: vbi LXX. *Qui non dabunt vobis misericordiam.* Similiter Paraphrasis Chaldæa. *Qui non erunt vobis misericordes*; facta allusione ad feroces, & furentes dominos, quibus illud semper est in animo, quod Prouerbio cessit: Nullum otium seruis, quique nullum, vel leue erratum prætermittunt, quod verberibus non vindicent: nam

Ierem.

LXX.

Paraph. Chald.

——————— taurea punit
Continuo flexi crimen facinusque capilli.

Sic cruciari videas duos illos iuuenes à dæmonibus, de quibus ait Matthæus 8. 28. *Erant saui nimis.* Ipsorum autem sæuitiæ locuples quidem testimonium est, quod in gregem porcorum missis, tanta sunt fœda illa animantia rabie exagitata, vt in mare se præcipitia dederint: *vt appareat* (inquit Chrysolog. serm. 16.) *hos duos portasse homines, quod numerositas non valuit sufferre porcorum.*

Matth.

Chrysol.

11. Sed vnde dæmoni, & peccato tanta in seruos suos sæuitia, atque ferocia? Quia non proprij, ac naturales, sed alieni hominum domini sunt: *Seruietis*, ait Dominus, *diis alienis.* Exponas id apposite ex eleganti Othonis oratione de Tito Vinio Galbæ imperatoris familiari, regiæ gratiæ prætextu in Romanam Rempub. grassante apud Tacitum lib. 1. historiarum. Sic enim ille. *Minore auaritia, aut licentia grassatus esset Titus Vinius, si ipse imperasset, nunc & subiectos nos habuit, tamquam suos, & viles vt alienos.* Sic ille. Voluit dicere; si Vinius imperator esset, curaret nos vt suos, & vt propria membra, cum charitatem in sibi subditos Principi natura ipsa indat: at cum non sit imperator, habeat tamen licentiam in nos imperatoriam, dure, & immisericorditer cum nobis, vt alienis, & qui ad eum non pertineant, agir.

Tacit.

12. Et verò à Salomone propria nostra voluntas, quæ à recto virtutis tramite deflectit, siue concupiscentia nobis insita, quæ spiritui aduersatur, vxor aliena solet appellari: sic Prouerb. 2. 16. *Vt eruaris à muliere aliena.* Et 5. 20. *Cur seduceris fili mi ab aliena?* Et 7. 5. *Aliena quæ verba sua dulcia facit.* Et 23. 14. *Fouea profunda os alienæ.* Et 23. 27. *Puteus angustus aliena.* Iam de ipsa, quod aliena sit, sic Bernardus in declamationibus. *Huius sanguisugæ duæ sunt insatiabiles filiæ clamantes, Affer, Affer: siquidem nec animus vanitate, nec voluptate corpus aliquando satiatur: fuge sanguisugam hanc, & omnia reliquisti: hæc enim omnia trahit ad se. Pone hanc, & iugum tam importabile, quam multiplex abiecisti. Non est enim dominus crudelis ad illam, non est tyrannus tam impius, & inhumanus, sic vrgens seruulum, & non parcens; fatigatum magis instigat; subditum premit durius, &c. Nullum mihi onus importabilius, nulla grauior sarcina est.* Hactenus Bernardus.

Prouerb.

Bernard.

13. Hinc vt serui dominorum crudelium semper vibicibus liuidi, vulneribus affecti conspiciuntur; ita seruos peccati vulnera conscientiæ gestantes, mœrentes, & verberibus opertos videas: id quod ingenti ore sic affirmauit Tacitus. *Quorum corda si recludantur, inspici valeant laniatus, & ictus, quando vt corpora verberibus, ita sæuitia, libidine, malis consultis animus dilaceretur.* Sic ille. Similiter Ambrosius lib. 1. Offic. cap. 12. vbi cum dixisset: *Peccator quamuis foris abundet, & delitiis diffluat odoribus fragret, in amaritudine animæ vitam exigit.* Subiicit. *Intueris lætitiam eius, opes, abundantiam, introspice vulnera, & vibices animæ eius, cordisque mæstitudinem.* Ita Ambros. Quare M. Antonium sic execrabatur Tullius, vt hominem miserum, & teterrimæ sortis. *Te miseriæ, te ærumnæ premunt omnes: qui te beatum, te florentem putas,*

Tacit. Annal. 6.

Ambros.

Tullius.

putas, tuæ libidines te torquent, tu dies noctesque cruciaris, te conscientia stimulat maleficiorum tuorum, te metus exanimat iudiciorum, atque legum, quocumque adspexisti, vt furiæ sic tuæ tibi occurrunt iniuriæ, quæ te respirare non sinunt. Ita ille. Consentanea habet lib. 1. de finibus, & oration. pro Sext. Roscio, & similia Philo lib. de congressu quærend. erudit. vbi impij vitam infernum (ad minus) esse affirmat.

14. Iam Christi seruitutem vide, eius scilicet Domini, qui, & vnctus sit, & vngens etiam seruorum suorum iugum, quo subactum, & maceratum non leue solum, sed suaue, ac iucundum reddatur. Ita quidem ab ipso dictum, & ab Isaia olim prædictum fuit. Et (*Isai.*) vt hinc incipiam: sic Vates cap. 10. 27. cum de iugo, & onere peccati per Christum auferendo dixisset. *Auferetur onus eius de humero tuo, & iugum eius de collo tuo*; statim de Christi iugo in eius locum subrogando, subiicit, *Et computrescet iugum à facie olei*: siue vt alij legunt, *præ oleo*. Nec enim id capio cum Forerio (*Forer. ibi.*) de iugo mundi, quod fideles à suis ceruicibus ob abundantiam cœlestis consolationis excutiunt: sed potius de facilitate, & suauitate, quæ iugo & seruituti Christi inest præ oleo, id est, ob vnctionem, & consolationem, quam seruis suis impertitur: est enim sumpta metaphora ab olei natura, quo dura, & aspera lenrescunt, & emolliuntur, quodque vulnerum dolorem admodum lenit. Vnde ea Isaiæ verba prænunciare videntur hæc Christi, Matthæi 11. 29. (*Matth.*) *Iugum enim meum suaue est, & onus leue.* In quæ Greg. Nyssen. (*Nyssen.*) homil. 2. de pauper. amore sic ait: *Mandatorum obseruationem iugum appellat. Iubenti pareamus, efficiamur iumentum Christi, induentes vincula charitatis. Tale iugum ne detrectemus, ne excutiamus. Suaue est, leue est. Subeuntis ceruicem non atterit, sed demulcet.* Ita ille. Similiter venerabilis Pantaleon (*Pantaleon.*) Diaconus serm. de luminibus sanctis, tom. 7. Biblioth. *Non iugo opprimimur, non metu torquemur, verum timuimus quidem, at liberi nunc à metu: non veluti sontes, & damnati seruitutis iugum toleramus, sed voluptati magis, quam oneri nobis est.* Ita Pantaleon.

15. (*Ambros.*) Adstipulatur Ambrosius in oratione de obitu Valentiniani, dum componens hæc Christi verba cum illis Thren. 3. 27. *Bonum est viro cum portauerit iugum ab adolescentia sua*: quæ ipse sic legit: *Cum portauerit iugum graue, &c.* perquirit cur idemmet diuinæ legis iugum à Christo suaue, à Vate vero graue appelletur, sic respondet: *Potest & graue iugum Verbi videri præ pondere disciplinæ, austeritate correctionis, pondere abstinentiæ, strictioneque lasciuiæ: suaue tamen esse fructu gratiæ, spe remunerationis æternæ, purioris conscientiæ suauitate.* Sic ille.

Videas hac ratione Paulum 2. ad Corinth. 12. 10. non modo fortiter perferentem labores, & ærumnas suas, sed in ipsis etiam exultantem, gloriantemque cum ait: *Libenter igitur gloriabor in infirmitatibus meis.* Sed quare? subdit: *vt inhabitet in me virtus Christi*: ac si dicat: quidni tribulationes exoptem? cum in illis eam Domini consolationem experiar, quæ non modo dolorem leniat, & obtundat, sed insuper animum incredibili lætitia demulceat. Ita ad id loci Ambrosius in hunc modum. *Libenter ergo cedi se dicit, dummodo à Christo curetur, sciendo plus addere medicinam Christi ad salutem, quam infirmitas detrahit sanitati.* Sic ille.

16. Ergo suaue appellat Christus seruitutis suæ iugum, non ea solum ratione, quod ea nobis præcipiat, quæ valde proficua, & vtilia sunt; vti ad hunc modum expendit Hilarius (*Hilar.*) canone 11. in Matthæum: *Quid iugo ipsius suauius? quid onere leuius? Probabilem fieri, scelere abstinere, bonum velle, malum nolle, æterna consequi, præsentibus non capi, nolle inferre alteri, quod ipsi sibi perpeti sit molestum.* Sed etiam, quod cœlestis vnctio gratiæ blanda reddat, atque suauia ea, quæ aliàs dura, & difficilia erant. Quam ad rem valde apposite locutus est Bernardus (*Bernard.*) serm. 1. in solemnitate dedicationis templi: vbi dum beatis suis monachis accommodat sacras ceremonias, quibus templi parietes consecrabantur, tandem agens de inunctione, qua cruces parietibus templi depictæ oleo deliniuntur, sic ait: *Vnde necesse est, vt vnctio spiritualis gratiæ adiuuet infirmitatem nostram, obseruantiarum, & multimodæ pœnitentiæ cruces deuotionis suæ gratia leniens, quia nec sine cruce sequi Christum, & sine vnctione crucis asperitatem ferre quis possit?* Subdit deinde: *Hinc est, quod multi abominantur, & fugiunt pœnitentiam: crucem quidem videntes, sed non etiam vnctionem: vos qui experti estis, ecce scitis, quia vere crux nostra inuncta est, & per gratiam spiritus adiuuantis, suauis, & delectabilis est pœnitentia nostra, & vt ita dicam, amaritudo nostra dulcissima.* Hactenus Bernardus.

Huc quidem spectat promissio illa à Deo Episcopo Pergameno facta Apocalyps. 2. *Vincenti dabo manna absconditum*, ex interpretatione magistri mei Ludouici del Alcazar. Iure siquidem ille ad id loci contendit, non tam esse sermonem de paternæ vitæ præmio, vt existimarunt Andr. Victorin. & Glossa: siue de dulcedine contemplationis, vt Ambros. Richardus, & Bernardus explicant, quam de peculiari consolatione, & suauitate, quæ strenuis Christi seruis promittatur. Congruit verò optime illis verbis is sensus; nam cum suos ibi ad acrem cum cupiditatibus pugnam subeundam, ex qua humanus animus nihil præter tristitiam, & lacrymas percepturum se sperat, Dominus adhortetur, opportune obtestatur ingentia in eo vitæ genere esse gaudia carnalium hominum oculis abscondita, tum quæ ex ipso certamine dimanant. Vti his verbis dixit Philo lib. de congressu quæren. erudit. gratia. *Animæ festum est rerum optimarum æmulatio, & labor ad perfectionem properantium. Quamobrem præceptum est, vt azyma edantur cum amaris lactucis agrestibus, quia cohibere concupiscentias ne feruescant, & turgeant quidam putant amarum, quod mens certaminum auida habet pro festiuis delitiis.* Sic ille: tum, vel maxime, quæ ab vnctione cœlestis doni proueniunt. Cui cogitationi fauet epithetum illud, *absconditum*: nam, vt ibi bene probat Alcazar ex pluribus sacræ paginæ testimoniis, absconditum propriè dicitur, quod reapse præsens est, ita tamen abditum, vt reuelatione egeat, quo cognoscatur, vti de crucis inunctione dicebat Bernardus: *Multi abominantur, & fugiunt pœnitentiam, crucem quidem videntes, sed non etiam vnctionem.* 17.

(*Apocal. Alcaz. ibi. Andr. Victorin. ibi. Glossa ibi. Ambros. Richard. & Bern ibi.*)

Iam verò qui nobis obiiciat, eam se diuinæ gratiæ consolationis vnctionem non experiri; audiat ab Augustino id sibi ob demerita, & negligentiam contingere; vnde votis sedulis orandam, ac promerendam sibi, ab eo, qui Deus est totius consolationis, esse: sic enim Augustinus lib. de natura, & gratia cōtra Pelagianos c. 69. *Omnia sunt facilia charitati, cui vni Christi sarcina leuis est iuxta illud* 1. Ioann. 5. *Hæc est charitas Dei, vt mandata eius custodiamus, & mandata eius grauia non sunt, quare cui grauia sunt, cogitet non potuisse diuinitus dici grauia non sunt, nisi quia potest esse cordis affectus, cui grauia non sunt. Petat igitur, quo destituitur, vt impleat, quod iubetur.* Ita ille. Similis Oecumenio, & Didymo mens ad ea Ioannis verba, quæ adducit Augustinus, obseruantes hac ratione non dictum fuisse à Ioanne mandata eius leuia sunt: cum tamen dixerit Christus: *Onus meum leue est*: *his namque*, inquit ibi Didymus, *qui robur omnino non* 18.

(*Aug. lib. de natura, & grat. c. 69. 1. Ioan 5. Didym & Oecum. ibi. Didym. ibi.*)

habent,

habent, grauia iudicantur, vnde non scripsit mandata eius leuia sunt, sed ait grauia non sunt, illud solum assumens, quod deorsum non trahit, & sursum vehit: vt iustè sectemur, quod iustum est, experimento vtique cognoscentes, quia Christi iugum leue est, suauitatem obtinens copiosam. Hæc Didymus.

19. Sed vide iam crucem inunctam illius, qui de se veraciter dicebat: *Mihi mundus crucifixus est, & ego mundo*; audi quam largè manna abscondito à Christo cibaretur. Sic enim ipse 2. ad Corinth. 6.10. (1. Corinth. 6.10.) *Quasi tristes, semper autem gaudentes.* Pende aduerbia, *quasi*, & *semper*, hoc gaudio, illud tristitiæ præfixum. (Theoph. ibi.) Vnde Theophylactus ibi: *Apud incredulos quidem videmur mæsti esse, cæterum voluptas nobis est florida, viuax. Non enim aliàs quidem lætamur, aliàs verò mœremus, sed nunquam non gaudemus.* Sic ille. Similia habet ibi Oecumenius.

20. (Cant. 1.4.) Qui forsan sensus illis sponsæ verbis subest Cantic. 1.4. *Nigra sum, sed formosa, sicut tabernacula Cedar, sicut pelles Salomonis*, id enim, si introspiciantur attentius tabernaculorum, siue pellium Salomonis (vtrumque enim vti obseruauit Origenes hom. 2. in Cantic. & alij in idem recidit) similitudines præ se ferunt: (Origen. homil. 2. in Cant.) tabernacula enim, quod soli, ac imbribus subiecta essent, nigram, & cœli iniuriis fœdatam exteriorem faciem habebant, cùm tamen interius opere Phrygio, & Babylonico, mire, & eleganter exornarentur. (Suet. in Cæsare. Plin. lib. 37. cap. 2.) Sic de Cæsare prodit Suetonius curasse, vt tabernaculi pauimentum tessellato opere è sectili lapide consterneretur: & de Nerone Plinius lib. 37 cap. 2. tabernacula vnionibus, & lapide pretioso construxisse. Vnde his verbis tantum non dicere sponsam coniicias: *quasi tristes, semper autem gaudentes*, id est, exterius quidem despicati, & mærore confecti videmur, at *habemus thesaurum in vasis fictilibus*, dum interius indesinenter perfundimur oleo consolationis. Nec abeo hinc, quin obseruem fauere huic sensui vocem *Cedar*; quæ vel ex interpretatione Origenis, Gregorij, & Bedæ, tenebras: vel, vt Nyssenus, Maximus, & Nylus docent, obscuritatem significat, (Origen. Gregorius & Bed. ibi. Nyssenus. Maximus. & Nylus ibi.) & Hebræum quidem verbum tenebrescere, nigrescere, & per metaphoram tristem, ac mœstum esse significat, similiter etiam Hebræã vocem *Ierighot*, pro qua noster habet, *pelles*, propriè reddit, *cortinæ displicentes, ac tristes* à verbo, *badagh*, displicere, tristem esse. (Exod. 26. 7.) Et verò Exod. 26.7. ex pelles appellantur, *saga cilicina*: sed obserua itidem describi rubricatæ hyacinthinæ de bysso retorta, ac purpura, coccoque bis tincto variegatæ opere plumario: vt appareat externæ tristitiæ pœnitentiæ, cilicio, cruci egregias interius diuitias, delitiasque subesse. (Greg. lib. 25. Moral. c. 22.) Vnde scite dixit Gregorius lib. 25. Moral. c. 22. in fine. *Si intus, vt coccus, fulges, cilicium, quo protegeris, cur accusas?*

21. (Chrys. in Psalm. 139.) Similis est Chrysostomi obseruatio in illis verbis Psalm. 139. *Et dixi forsitan tenebræ conculcabunt me, & nox illuminatio mea in delitiis meis*, pendens non dixisse Vatem finitam fuisse laborum, & tribulationum noctem; sed potius die consolationis illuminatam, quasi ipsamet nox dies esset. Audi illũ. *Quod autem dicit, est huiusmodi: circumsessus sum à malis, & dixi mihi ipsi, superabunt me mala: hoc enim sibi vult tenebræ conculcabunt me. Alius dicit: & nox lucida circa me: Quid hoc est? Ego quidem hac dixi, inquit, in rerum natura reputans, sæpe autem mala mutata sunt in bona: imò vero quod est maius, mala non mutata sunt in bona, sed malis manentibus magnam sensi benignitatem: non dixit enim nox deleta est, sed nox fuit lucida. Hoc est, Nox manens nox, mala, scilicet, & calamitates (ea enim noctis nomine significat) non potuerunt me conculcare, sed fuit lux in nocte. Contraria enim in contrariis, & fiunt, & apparent quando vult Deus.* Hactenus Chrysostomus. Quæ apposito exemplo fornacis, in quam cõiecti sunt tres pueri, & roris blande perflantis sic confirmat, *nec enim ignis exstinguebatur, nec ros exsiccabatur: sed quasi tristes, semper autem gaudentes.* Simile quid in Martyribus, vel carcere inclusis, vel metallo datis, sic celebrauit Cyprianus Epist. 77. ad Martyr. (Cyprian. Epist. 77.) *Quis nunc, dilectissimi, conscientiæ victricis vigor? quæ sublimitas animi? quæ in sensu exultantia? quis triumphus in pectore? ambulare in metallo captiuo quidem corpore sed corde regnante* Hæc ille. Quæ opponas velim iis, quæ de Antonio dicebat Tullius.

Sic forsan peccatum seruorum crucem inunget, vt *computrescat iugum à facie olei*, sic lenem auram, ventumque roris flantem in æstu laborum cultoribus suis idola mundi impertiuntur. 22. Ita sane. *Alligant enim onera grauia, & importabilia, & imponunt in humeros hominum, digito autem suo nolunt ea mouere.* Vti de scribis dixit Christus Matthæi 23.4. digitum humeris emphaticè opponens: (Matth. 23. 4.) quasi diceret; Cum moris sit onerata iumenta non digito solum, sed vtraque manu, & brachiorum fortitudine adiuuare, illi miseros homines, quos traditionibus suis ineptissime onerabant; nec digito subleuare volebant. Sic prorsus de idolis dixit Isaias, cap. 46. 1. (Isai. 46. 1.) *Confractus est Bel, contritus est Nabo: facta sunt simulachra eorum bestiis, & iumentis, onera vestra graui pondere, vsque ad lassitudinem. Contabuerunt, & contrita sunt simul. Non potuerunt saluare portantem.* Quod perinde fuit, ac si diceret idola Babyloniorum (idem iudicium esto de idolis mundi: sunt enim illa horum symbolum) quæ Iudæi propriis humeris gestare cogebantur, ideo fuisse contrita, quod cum vna ex parte portantes se vsque ad lassitudinem fatigarent, vtpote nõ eorum, sed bestiarum humeris paria, ex alia nullam opem iis, à quibus cum tanta molestia ferebantur, conferrent; hos oneri succumbere necesse fuit. Expressit verò id omne eleganter Vates, cùm dixit: *Facta sunt simulachra eorum bestiis, & iumentis*: id est, ea onera non humanis humeris, qui tanto ponderi sustinendo impares sunt, sed durissimo bestiarum dorso sunt facta, ita dicebat Bernardus in declamationibus: (Bernard.) *Erit inuenire ementes non modo quinque, sed plus quam quinquaginta quinque, non plane iumentorum iuga, sed dæmonum. Contendunt ambitio, & elatio cordis, altera nidum, altera foueam parat. Volare altera iubet, repere monet altera, cum neutrum profecto sit hominis.* Ita ille.

Similis isque egregius apud eumdem Vatem locus cap. 30. 6. 23. (Isai. 30. 6.) *Onus iumentorum Austri. In terra tribulationis & angustia leæna, & leo ex eis, vipera, & regulus volans, portantes super humeros iumentorum suorum diuitias suas, & super gibbos camelorum thesauros suos ad populum, qui eis prodesse non poterit. Ægyptus enim frustra, & vane auxiliabitur.* Vbi in primis obseruanda lectio Tigurina: (Lect. Tigur.) *Baiulant iumenta onus per viam Australem, per terram discriminis, & angustiæ, è quibus prodeunt leones, & leænæ.* Vide onera importabilia, quæ nonnisi bestiæ possint baiulare, humeris hominum imposita; deinde eos illa per viam mille vitæ periculis, & discriminibus obnoxiã ferre. Tandem nullam ipsis opem, nullas vires ad onus perferendum tribui: *Ægyptus enim frustra, & vanè auxiliabitur.* Adde noxiæ etiam, & ad interitum opem ferre: ita immediate ante Isaias: *Non fuerunt in auxilium, & in aliquam vtilitatem, sed in confusionem, & in opprobrium.* Nam cui sine alis volare præcipit mundus, vt dicebat Bernardus, post multas tãdem preces eas ei præstat alas, quibus deiiciatur, dum alleuatur. Ita eleganter Ambrosius lib. 3. de Virginibus. (Ambros. lib. 3. de Virginibus.) *Procul à militia honoribus, procul ab æstibus mundi, ne quod*

quod fabulæ ferunt, æstu solis cera resoluta Icareos volatus penna relabente destituat. Sic ille. Quo referas,
Tertull. in Apolog. c. 22. quod de idolis, siue dæmonibus dixit Tertullianus in Apologetico, cap. 22. nullam aliam ad benefaciendum vim habere, quam si paulisper nocere desinat: *Desinunt lædere* (inquit ille) *& curasse creduntur.* Vnde quo huius potestatis copiam faciant, necesse quidem est, vt prius plurimum mali inferant. En summam beneficentiæ, si vt desinant lædere, prius læserint. Iam ad alia.

VERSVS II.

Gratia vobis, & pax à Deo Patre nostro, & Domino Iesu Christo.

COMMENTARIVS.

1. POST inscriptionem exorditur Apostolus de more suo epistolam à salutatione, quâ Philippensibus non solum bene precatur; sed etiam benedictionem suam, eamque copiosiorem, ac feliciorem, quam quæ olim filiis, & nepotibus veteres Patres dabant, plena manu impertitur. Ita
Orig. in epist. ad Rom. Origenes in similem salutationem epistolæ ad Romanos: *In spiritu ergo Dei scribit Apostolus, & in spiritu benedicit; per ipsum ergo spiritum benedictiones capient hi, qui benedicuntur ab Apostolo, si tamen digni inueniantur, super quos veniat benedictio eius. Alioquin fiet illud in eo, quod scriptum est, si fuerit ibi filius pacis, pax vestra veniet super eum, sin autem, pax vestra ad vos reuertetur.* Ita ille. Similia affert ibi
Chrys. ibi. Chrysostomus.

2. Hieron. in c. 10. Matth. Iansf. ibi. Et verò cum Hebræi, vt obseruatum est à Hieronymo in cap. 10. Matthæi, itidemque à Cornel. Iansenio, in salutationibus, *pacem*; Græci, εὖ πράττειν, id est *bene agere*, Latini *salutem*, frequentius scriberent; Paulus natione licet Hebræus, Romanâ licet ciuitate donatus, Græce denique scribens, & Græcis hominibus dans literas, nec Hebræam, Græcam, aut Romanam, sed Apostolicam, & Paulo dignam salutationem vsurpare voluit. Plane vt os Christi, & lyra Spiritus sancti (sic eum appellant Chrysostomus in Encom. Petri & Pauli, to. 5. & Nyssenus in vita S. Ephrem) Euangelium cum veteribus scripturis conciliare, & ad pacis deprecationem, quæ illis erat familiaris, gratiam addere, imò & præmittere debuit, vti expendit Tertullianus lib. 5. contra Marcion. c. 5. his verbis. *Quod non vtique salutem præscribit eis, quibus scribit sed gratiam, & pacem, non dico quid illi cum Iudaico adhuc more destructori Iudaismi? Nam & hodie Iudæi in pacis nomine appellant, & retro in scripturis sic salutabant; sed intelligo illum defendisse officio suo prædicationem Creatoris, Quam maturi pedes euangelizantium bona, euangelizantium pacem. Euangelizator enim bonorum, id est gratiæ Dei, paci eam præferendam sciebat.* Ita ille.

(Chrys. to. 5. in encom. Pet. & Pauli. Nyssen. in vita S. Ephrem. Tertul. lib. 5. contra Marcion. c. 5.)

Gratia.

3. GRATIÆ nomen in scripturis varium est, & multiplex. Primo namque accipitur pro fauore, & beneuolentia, ita Lucæ 1. 30. ad Beatissimam
Luc. 1. 30. Virginem ab Angelo dictum est, *Inuenisti gratiam*
Bernard. *apud Dominum.* In quæ verba Bernardus sermone in Annunciatione, *Quantam gratiam? id est gratiam plenam, gratiam singularem*; sic etiam ad Moysem
Exod. 33. 12. & 17. Dominus Exodi 33. 12. & 17. *Inuenisti gratiam coram me.* Et c. 34. 9 *Si inueni gratiam in conspectu tuo.*

Et Iacob Genesis 32. 5. *Vt inueniam gratiam in conspectu Domini mei.* Vide Genes. 39. 4. Iud. 6. 7. & 2. Gen. 32. & 39. 4. Iud. 6. 7. & 2. Reg 15. 8.
Regum 15. 8. idem etiam huius vocis vsus apud prophanos. Ita Tullius lib. 4. Epistolarum ad Atticum Epistola 11. *Apud patronum te in maxima gratia posuit*: & pro domo sua: *illi, quorum vita remota ab hoc honore populari, & ab hac illustri gratia est.* Et Tullius.
Plautus (quod Principum fauori, & beneuolentiæ aptissime accommodes) *pluma*, inquit, *leuior gratia.* Plautus.
Secundo gratia pro beneficio sumitur Ecclesiastici 29. 10. *Gratiam fideiussoris ne obliuiscaris.* 2. ad Corinthios 8. 9. *Scitis enim gratiam Domini nostri Iesu Christi, qui cum esset diues, pro nobis factus est pauper,* & ad Titum capite 2. 11. *Apparuit gratia Saluatoris nostri*: & alibi sæpius: sicut apud externos authores, in quibus sub hac significatione passim occurrunt exempla. Hinc tertio pro eleemosyna sumitur apud Paulum, vt 2. Corinth. 8. 4. *Cum multa exhortatione obsecrantes nos gratiam, & communicationem ministerij, quod fit in sanctos.* Et sequenti c. num. 8. *Potens est autem Deus omnem gratiam abundare facere in vobis.*

(Ecclesiast. 29. 10. 2. Ad Cor. 8. 9. Ad Tit. c. 2. 11. 2. Corint. 8. 4. & c. 9. 8.)

4. Et vt alias tandem minus opportunas his verbis acceptiones omittam, gratia signatissimè vsurpatur prout opponitur legi, significatque singulare illud, atque eximium donum per antonomasiam Dei gratia, siue gratia noui testamenti appellatum: quo quidem dum in anima residet, à plenitudine gratiæ Christi in eam deriuatum, remissionem cōsequimur peccatorum, reconciliamur Deo, interius mūdamur, renouamur, & roboramur ad legem Dei, & præcepta seruanda. Ideo sub gratiæ noui testamenti nomine omne tandem gratuitum Spiritus sancti donum ad æternam hominis salutem conducens sub se claudit: sub qua quidem acceptione, tam à Paulo in hac, & aliis epistolis, quàm à Petro, & Ioanne in similibus suarum epistolarum salutationibus gratiæ precatio vsurpatur, vt ad has Apostoli salutationes gratiam, vel omnino diffinicrunt, vel per aliquas ex his præcipuas partes descripserunt Chrysostomus, Ambrosius, Oecumenius, Primasius, Beda, & Glossa, & Augustinus, & Origenes sigillatim in epistola ad Romanos.

(1. & 2. Pet. cap. 1. 2. 1. Ioan n. 3. Chrysost. Ambrof. Oecum. Primas. Beda. Gloss. August. Origen.)

5. Nec omnino extra rem adnotauit Adamus contra Lutherum non dici à Paulo, *Gratia Dei*, sed *gratia à Deo*: vt non solum intelligatur de diuino fauore, & beneuolentia, sed etiam de ea, quæ iustis inest gratia, & ipsorum animis hæret, quæ fauorem quidem illum, & beneuolentiam diuinam, tamquam fontem, à quo dimanat, supponit. Vt autem hæc obseruatio bonis interpretibus placuerit, vereor tamen ne plus pietatis quam soliditatis habeat, cum sæpius Paulus etiam salutando dicat: *Gratia Dei*, vt hac eadem epistola, capite 4 versu vltimo, & ad Romanos 16. 20. & 24. & ad Colossenses 4. 18. & alibi.

(Adam. contra Luth. Infr. cap. 4. vers. vlt. & ad Rom. 16. 20. & 24. & ad Coloss. 4. 18.)

Inquirat aliquis, cur Paulus Philippensibus, hominibus iustis & Deo deditis, Dei gratiam, & amicitiam, quasi ab ea alieni sint, deprecetur? Respondeo cum hæc, & aliæ similes Pauli salutationes verbo careant: sunt namque huiusmodi: *Gratia vobis, & pax à Deo Patre nostro, & Domino Iesu Christo,* ex similibus Petri salutationibus, in quibus vel verbum *multiplicetur*, quo in prima epistola vtitur, vel *adimpleatur*, quo in secunda (quibus eadem significatio inest, vt ex Græco constat, cum vtrobique idemmet verbum sit) suppleri debet, & ita non tam Dei gratiam Philippensibus adesse, quam eius incrementum, & abundantiam, eosque diuini Spiritus donis, ac muneribus in dies promoueri, exoptat.

(1. Petr. 1. 2. 2. Petr. 1. 2.)

Et pax.

7. PACIS etiam vocabulum anceps, ac varium est in sacro eloquio. Primo enim, vt aliquis potest vti pace cum Deo, & cum hominibus, necnon cum se ipso in interiori animi statu: ita iuxta pacis vocem propriissime sumptam, tam in scriptura, quàm apud authores externos, pax sumitur tum pro reconciliatione, & veniâ, quæ à Deo irato, & offenso obtinetur; tum etiam pro mutua fratrum dilectione, atque etiam pro interna animi pace, quam apud se quis habet, dum omnes animi appetitiones rationi subduntur. Et quoad Dei reconciliationem spectat, *Luc. 2.* ita Lucæ 2. nato Adsertore nostro cecinerunt Angeli, *Pax hominibus*, sub qua significatione etiam prophani pacem à diis mendacibus petere, & obtinere fingebant: ita Poëta lib. 3. *Virgil.* Æneidos.

Sed votis, precibusque iubent exposcere pacem.
Et
Exorant pacem diuûm.

Idem 4. Æneid. Id est propitiationem, & veniam. ita libro 1. Æneid.

Principium delubra adeunt, pacemque per aras
Exquirunt.

Silius. Similiter Silius Italicus lib. 15.

Gramineas pacem superûm poscebat ad aras.

Plaut. Ita etiam Comicus in Mercatore, act. 4. scen. 1.

Apollo, quæso te, vt des pacem propitius.

Idem in Amphitr. Et in Amphitr. act. 5. scen. 1.

Vasa pura actutum adornari mihi,
Vt Iouis supremi multis hostiis pacem expetam.

8. De mutuæ dilectionis acceptione multa pacis, præsertim apud Paulum, occurrunt exempla. *Rom. 12. 18.* Roman. 12. *Quantum in vobis est, si fieri potest, cum omnibus hominibus pacem habentes:* *Rom. 14. 19.* Roman. 14. *Quæ sunt pacis sectemur:* *2. Cor. 13. 11.* Et 2. Corinth. 13. *Pacem habete.* sic etiam *Marc. 9. 50.* Marci 9. 50. De pace verò pro interna animi tranquillitate, & quiete sumpta semel, atque iterum dixit *Isai. 48. 22. & 57. 21.* Isaias 48. 22. & capite 57. 21. *Non est pax impiis, dicit Dominus:* vnde à Paulo *Ad Gal. 5. 22.* ad Galatas 5. 22. inter fructus diuini Spiritus adscribitur. Ad quam quidem significationem pertinet, quod magnus *Basilius in Psalm. 8.* Basilius in Psalmo 8. affirmauit pacem esse vltimam benedictionum, qua homo mores suos ab omni prorsus perturbatione sedauit. Et quod similiter *Hieron.* Hieronymus de pace habet in capite vltimo epistolæ ad Ephesios: *Pax est serenitas quædam, atque tranquillitas animæ quiescentis, vniuersam tempestatem, ac turbinem passionum fugans.*

9. Ad hæc pax prosperum rerum euentum significat: *1. Reg. 25. 6.* Ita 1. Regum 25. 6. mitissimus Dauid duro, & agresti Nabal id nuntium misit, *sit tibi pax, & domus tuæ pax, & omnibus, quæcumque habes, sit pax*; hoc est, tibi, & omnibus tuis læta cuncta, & prospera eueniant, & *3. Reg. 2. 33.* 3. Reg. 2. 33. *Dauid autem, & semini eius, & domui, & throno illius sit pax vsque in æternum à Domino.* Et *1. Esdr. 5. 7.* 1. Esdræ 5. 7. *Dario Regi sit pax omnis.* *Gen. 41. 16.* Genes. vero 41. 16. vbi nos habemus: *Absque me Deus prospera Pharaoni:* Hebraice, & Chaldaice est, *respondebit pacem Pharaoni.* Expende etiam *Iob. 9. 4.* Iob 9. 4. *Quis restitit* (Deo) *& pacem habuit?* id est abiuit impunis & prospero rerum euentu potitus est. Hispane dicas significantissime: *A quien le salio bien resistir a Dios?* Ad quam pacis significationem illam etiam referas, cum pro optata, & felicissima rerum omnium conditione sumitur. Ita *Isai. 52. 7.* Isaias, 52. 7. *Quam pulchri super montes pedes annunciantis, & prædicantis pacem, annunciantis bonum:* aut (vt Paulus afferens hunc locum *Ad Rom. 10. 15.* ad Romanos 10. 15. expressit) *bona*: vbi Propheta quod prius dixit, *pacem*, statim appellauit *bonum*, siue bonorum cumulum; forte quia pax, & securitas omnium bonorum vice est: sub quo sensu aliqui accipiunt illud eiusdem Prophetæ 26. 12. *Domine dabis pacem nobis; omnia enim opera nostra operatus es nobis*, ac si dicat: si pacem nobis Domine dederis, omnia bona simul accepisse existimabimus: vel quando omnia iam nobis bona elargitus es, vt hæc sibi constent, da nobis pacem. Quam sententiam ita eleganter expressit *Nyssen.* Gregorius Nyssenus oratione 7. de beatitudinibus. *Quid enim hominibus ex iis rebus, quibus frui, atque potiri student, vita pacifica dulcius est? Quodcumque nominaueris ex iis rebus, quæ in vita suaues, & iucundæ sunt, pace opus ad hoc, vt iucundum sit; nam si omnia suppetant, quæcumque in vita magni fiunt, atque in pretio sunt, diuitiæ, bona valetudo, vxor, liberi, domus, parentes, ministri, amici, terra, mare: propriis prouentibus, & hoc, & illa ditans; horti amœni, venationes, lauacra, palæstra, gymnasia, loca delitiis, & voluptatibus capiendis, exercendæque pubi destinata, atque omnia quæcumque voluptatis inuncta sunt: huc adiiciantur iucunda specula, atque musica aeroamata, ac si quid est aliud, per quod delitias sectantibus vita suauis existit: si hæc quidem omnia suppetant, pacis verò bonum non adsit, quod illarum rerum lucrum est? quid illa prosunt bello, quo minus bona fruamur, impediente? ergo ipsa pax fruentibus iucunda est, tum omnia quæcumque in vita coluntur, expetuntur, & in pretio sunt, dulcia efficit, atque iucunda.* Ita Nyssenus. Sane tanti fit pax, vt ipsa etiam vita, qua nihil charius, pacis nomine significetur. *2. Reg. 18.* 2. Regum 18. *estne pax puero Absalon?* id est euasit viuus? *Escapò con la vida*: cui phrasi Hispana adstipulatur locutio, *sacar a vno a paz, y a saluo.* Et quidem hæc omnia, quæ ad prosperitatem, incolumitatem, & externorum bonorum copiam spectant, antiqua Hebræorum, in pacis nomine salutario videtur comprehendere. Vnde *1. Reg. 17.* 1. Regum 17. *Visitabis fratres tuos, si recte agant*, id est, si salui, incolumes, & prosperi sunt. Pro quibus in Hebræo est: *Visitabis fratres tuos in pace*; hoc est, bene precando eis pacem, quasi pacis deprecatio omnia bona complectatur. Idem indicat *1. Reg. 25. 6.* 1. Regum 25. 6. quæ supra attulimus.

10. Vt autem pacis anceps est significatio, ita quid à Paulo, & reliquis scriptoribus noui Testamenti pacis nomine in his salutationibus intelligatur, non perinde liquet. Quidam enim de prospero rerum euentu hanc pacem accipiunt. Sed iniuriam Apostolicæ salutationi, quæ maiora, & præstantiora bona, cœlestium nimirum donorum, spectat, mihi facere videntur. Quare à bonis interpretibus hæc tam humilis & angusta interpretatio merito exploditur. Augustiorem aliam, & magnificentiorem paci dederunt *D. Thom. Lyran.* Diuus Thomas, Nicolaus de Lyra, & alij: qui per gratiam, & pacem significari existimant, gratiam, & gloriam. Verum cum Pauli salutationes, vt interpretes omnes fatentur, sensum habeant communem cum salutationibus Petri, hæc interpretatio non subsistit; nam Petrus manifestè loquitur de pace in hac vitâ, vt ex verbo, *multiplicetur*, constat. Probabilius ergo *Ambros. August. Chrysost. Theoph. Tertullian.* Ambrosius, Augustinus, Chrysostomus, Theophylactus, & alij Patres per pacem reconciliationem cum Deo, & amicitiam ex inimicitia reuocatam in gratiam intelligunt: ad quorum gustum Tertullianus libro 5. contra Marcionem, capite 5. hanc salutationem expendens, dixit: *Deinde gratiam, & pacem non solum eius esse, à*

quo

quo prædicabantur, sed eius, qui fuerit offensus: nec gratia enim fit, nisi offensæ, nec pax nisi belli; populus autem per disciplinæ transgressionem, & omne hominum genus per naturæ dissimulationem deliquerat, & rebellauerat aduersus creatorem. Hæc Tertullianus. At vero cum Ambrosius supra gratiam explicet remissionem peccatorum, & similiter Augustinus donum, quo peccata nobis remittuntur, in quem explicandi modum omnes fere Patres, vt vidimus, conuenerunt, non video, quid modo apud illos intersit inter gratiam, & pacem. Dicunt aliqui nonnullum esse discrimen, quia remissis peccatis absumuntur inimicitiæ, & homo est in pace cum Deo: adhuc tamen hoc discrimen, vel non apparet, vel sub luce maligna est. Quid enim est aliud peccati remissio, vt modo de facto per gratiæ infusionem fit, quam reconciliatio cum Deo, & amicitia ex inimicitia reuocata in gratiam? Vel quid est facere pacem cum Deo per ipsiusmet gratiam, quam habere pacem cum ipso, cum tunc pax intelligatur obtenta, cum facta est?

11. Ad Rom. 5. 1. Obiiciat tamen non nemo verba ad Romanos: *Iustificati per fidem, pacem habeamus ad Deum*, vbi ad iustificationem, & remissionem peccati subsequi videtur habere pacem cum Deo, sensu, quo gratia, & pax à præfatis authoribus explicantur. Sed respondeo hunc sensum, & locum nullo modo nos stringere: nec enim ibi vult Paulus eos, qui iam iustificati sunt, Dei gratia subinde cum eo reconciliari: quî enim id intelligi valeat? sed potius, vt verba ipsa manifeste præ se ferunt, hortatur, & monet, vt pacem semel cum Deo initam summo studio colamus, & studeamus retinere, puros nos ab omni peccati labe custodientes, vt explicant Origenes, Chrysostomus, & Theodoretus ibi: (Origen. Chrysost. & Theod. ibi.) quasi non minoris curæ, & negotij sit amicitiam ex inimicitia in gratiam reuocatam conseruare, quam vel amicitiam instituere, vel in gratiam deperditam redire. Quò refero quod scitè dixit Marcus Tullius apud Hieronymum: (Lib. 1. aduersus Ruffinum in princip.) *Cum omnes amicitias tuendas semper putaui summa religione, & fide; tum eas maximè, quæ essent ex inimicitiis reuocatæ in gratiam: propterea quod integris amicitiis officium prætermissum imprudentiæ, vel vt grauius interpretemur, negligentiæ excusatione defenditur; post reditum in gratiam, si quid est commissum, id non neglectum, sed violatum putatur, nec imprudentiæ, sed perfidiæ assignari solet.* Ita ille.

12. Græci codices. Si iterum hunc locum nobis obiicias iuxta frequentissimam Græcorum Codicum lectionem, quæ non habet, *pacem habeamus ad Deum*, sed, *pacem habemus ad Deum*; quasi velit Paulus ex iustificatione oriri pacem ad Deum. Respondebo adhuc iuxta eam lectionem præfatæ expositioni hunc Pauli locum non fauere: aptius enim dixeris iis verbis velle Paulum post iustificationem, siue reconciliationem cum Deo: eum deinceps non iratum, vt antea, & minas intorquentem; sed potius propitium, ac beneuolum habere: atque ideo iam non terrore iræ diuinæ perturbati, ac gehennæ metu perciti eum, tanquam Dominum furentem, aut hostem infensissimum horrere; sed summa cum ipso pace, & amicitia frui. Certè cum peccatis, atque eorum suppliciis obnoxij sumus: iure Turnianum illud vsurpare possumus apud Virgil. Æneid. 12. (Virgil.)

Dij me terrent, & Iupiter hostis.

1. Ioan. 3. 20. Si vero *Cor nostrum* (vt Ioannes epistola 1. capite 3. 20. inquit) *non reprehendit nos, fiduciam habemus ad Deum*: pacem videlicet, tranquillitatem, & securitatem obtinendi ab illo tanquam à parente optimo, & beneficentissimo, quidquid nobis ad æternam salutem conducat. Hoc autem aliud ab eo est, quod asserebant prædicti authores.

Quare alij sapientius, & cohærentius putant gratiam, & pacem ex mente Augustini, Ambrosij, & aliorum Patrum pro vna, eademque re à Paulo poni, vt gratia, & pax idem valeat, ac si solum diceretur, pax Christi, vel pax gratuita, quam Christus Dominus attulit; eo sensu, quo in natali eius quasi publico præconio denunciatum est ab Angelis, *pax hominibus bonæ voluntatis*, siue bona voluntas, atque ita Paulum his verbis pacem Christi fidelibus bene precari. Sed quamuis hæc tandem ita explicari & emolliri possint, vt ad genuinum Pauli sensum deueniant: at dum gratiam cum pace confundunt phrasi Paulo, & aliis Apostolis in salutationibus vsurpata, quà duo quidem dona licet inter se connexa, & quorum alterum alterius radix, & origo sit, fidelibus exoptantur, plenè satisfacere non videntur. 13.

Pax ergo à Paulo in his salutationibus sumitur pro ea interna animi serenitate, & quiete, quæ à Christi gratia promanat, dum iusti Deo, ac rationi appetitiones suas subditas præbentes omnia passionum dissidia comprimunt, suauissimisque bonæ mentis, quæ iuge conuiuium est, fructibus gaudentes, nihil extimescunt, nihil dolent, nihil cupiunt, nihil sibi deesse credunt: sed velut alter Olympus perpetua tranquillitate, & quiete perfruuntur: nam vel ethnico Tullio teste libro 4. Tuscul. quæstionum. (Tull.) *Animus ægritudine, ac perturbationibus reliquis omnibus vacuus perfectè, atque absolute beatos efficit*; & quidem sub hac pacis significatione Pauli salutationes sic accepit Ambrosius (Ambros.) libro 1. de Spiritu sancto, capite 11. *Denique scriptum est*; Gratia vobis, & pax à Deo Patre nostro, & Domino Iesu Christo: *Ecce habemus, quia Patris & Filij vna est pax, sed hac gratia, & pax fructus est Spiritus, sicut ipse Apostolus docuit dicens*: Fructus autem spiritus, Charitas, gaudium, pax, patientia, *& bona pax, & necessaria, vt nemo disputationum turbetur incertis, neque passionum corporalium tempestate quatiatur, sed in simplicitate fidei, & tranquillitate mentis quietus circa Dei cultum perseueret affectus*; sic Ambrosius, ad quem etiam modum Græcus quidam author apud Agelium in Psalmum 118. his salutationibus ita accommodat ea Psalmi verba, (Author Græcus.) *Pax multa diligentibus legem tuam. Non tam illa externa pax, quæ non est in nostra potestate, quam illa ex vacuitate passionum, atque perturbationum existens; cum nulla cogitatione vitiosa, atque perturbante quatimur, quam simul cum mutua inter se gratia illi consecuti fuerant, ad quos dictum est, gratia vobis, & pax à Deo Patre nostro Domino Iesu Christo.* Hæc ille. Quo etiam faciunt diffinitiones pacis à Basilio, & Hieronymo superius traditæ. (Basilius, & Hier. supra citati.) 14.

15. Pulchre verò ad prædicta verba Psalmi 118. *Pax multa diligentibus legem tuam, & non est illis scandalum*: obseruauit Ambrosius ibi, sermone 21. in fine: (Ps. 118. 165. Ambr. ibi serm. 21.) non alio consilio factum esse, vt Moyses qui legem adumbrabat, bellorum periculis indesinenter premeretur, nec filios Israel in terram promissionis, & pacis potuerit inducere. Iesus verò Naue, qui Saluatoris typus fuit, & bellis finem imposuerit, & ad optatam terram populum introduxerit, nisi vt nobis innueretur hanc interiorem animi pacem non à lege, sed à Christo nobis aduenire: sic enim Ambros. *Nec Moyses introiuit: quia dux erat populi, qui tentabatur, typus legis,*

qui excludere tentamenta non poterat, non poterat in terram resurrectionis inducere: quia ista in Euangelio gratia debebatur, lex pacem non potuit dare: ideo Moyses, quoad vixit, semper praeliatus est; semper legis populus versatus in ancipiti bellorum est: Iesus autem Naue plebis animos profunda pace composuit, quoniam qui sub lege est, agitatur incertis, qui sub Euangelio audit dicentem, pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis; *ideoque diligentibus non est scandalum.* Hæc Ambrosius.

16. Origen. Ambros. Hinc sub persona Christi iuxta interpretationem Origenis homilia 13. in Ezechiel. & Ambrosij libro 1. de Spiritu sancto capite vltimo, Ecclesiam, & eius Isai. 66. 12. LXX. filios sic alloquitur Isaias capite 66. 12. *Ecce ego declinabo super eam* (LXX. *super eos*:) *quasi fluuium pacis, & quasi torrentem inundantem, &c.* quæ vt de interiori animorum tranquillitate commode accipiuntur, ita eam elegantibus fluuij, & torrentis imaginibus explicant, quasi Christi gratia, & tutela nullam partem animi vacuam pace, & suauitate relinquat; sed ad modum fluuij, siue torrentis impetu decurrentis omnia irriget, & inundet: Isai. 9. 6. nec alia certe de causa Princeps pacis ab eodem Propheta, capite 9. 6. appellatur. Iam Regius Psaltes cum de eius in carne aduentu annunciasset: *Descendet sicut pluuia in vellus, & sicut stillicidia stil-* Psalm. 71. *lantia super terram.* Psalm. 71. quibus verbis Christi Redemptoris munia mirifice expressit, quod is opportuni imbris vice orbi terrarum fuerit, statim, vt aperiret germina diuina, quæ hoc cœlesti rore perfusa edidit terra, subiunxit: *Orietur in diebus eius iustitia, & abundantia pacis:* vbi vt Paulus gratiam, & pacem à Deo Patre, & Domino Iesu Christo deprecatur: ita ille iustitiam, & pacem à Christo nobis euenturas prænunciat. Rursus, quo ordine Apostolus gratiæ, & pacis meminit (nam, Tert. sup. vt Tertullianus præfato loco obseruauit, *Gratia debuit præmitti*) eodemmet hæc bona nobis affutura prædixit Propheta, vt videlicet iustitia à Dei gratia: pax verò animi à iustitia ortum ducere.

17. Isai. 32. 18. Totam verò hanc sententiam illustris locus apud Isaiam capite 32. 18. confirmat. Vbi inter felicissimos euentus, siue prouentus, quos Christi gratia hominibus dicitur allatura, singillatim inquit Vates: *Erit opus iustitiæ pax, & cultus iustitiæ silentium, & delectabitur populus meus in pulchritudine* Luc. 2. Ioan. 14. 17. Ad Colos. 3. 15. & c. 4. *pacis.* Similes etiam sunt sententiæ apud Lucam 2. *Pax hominibus bonæ voluntatis.* Et Ioannis 14. 17. *Pacem relinquo vobis*, & ad Colossenses, 3. 15. *Pax Dei exultet in cordibus vestris*: necnon hac eadem epistola, cap. 4. *Et pax Dei, quæ exsuperat omnem sensum, custodiat corda vestra.* Ad quem locum reliqua opportunius persequemur.

A Deo Patre nostro.

18. Corn. Musus. SImilia verba habent omnes Pauli salutationes, ea verò Cornelius Musus in epistola ad Romanos de Christo Domino accipit, quasi à Paulo, & Pater, & Dominus, & noster appelletur. *Non incassum*, inquit, *tot nominibus appellat Christum Iesum Deum Patrem, Dominum, & nostrum: vt discas eum revereri, tanquam Deum: metuere tanquam Dominum: diligere tanquam Patrem: colere tanquam nostrum.* Sed pia hæc Bituntini Antistitis explicatio valde est importuna verbis, ac sensui Pauli, nec à lectione solum, & mente omnium PP. & interpretum discrepat, sed egregium nobis etiam è manibus extorquet testimonium, cui ad asserendam æqualitatem Christi cum Deo Patre, maxime innituntur Patres: dum enim his verbis Deum Patrem (eodem recidet si Deum trinum, & vnum intelligas, de quo infra.) non diuinitate, sed persona à Christo Domino ex Pauli mente distinguunt, manifestè Christi diuinitas, & consubstantialitas asseritur, cum ab vtroque æqualiter gratia postuletur. Quod argumentum sic eleganter conficit Cyrillus Alexand. libro 12. Cyrill. Alex. Thesauri, capite 1. *Aduertite simul cum Deo Patre, Christum in pacis, ac gratiæ concessione numerari, quomodo igitur non est naturaliter Deus, qui simul cum Patre dona sanctis largitur, & omnia facit similiter quæ genitor suus facit? Nemo enim vnam esse operationem Dei veri, & creaturæ concedet, ut aut creaturam in dignitate diuinæ collocet essentiæ, aut Deum in conditionem creaturarum deprimat: nam quorum virtus, & operatio vna, & eadem penitus est, eorum vna, & eadem natura est: Isaias quoque clamat*, Domine Deus noster, da nobis pacem. *Hanc, vt Paulus ostendit, filius cum Patre largitur. Deus igitur est, & Deus verus, qui vnà cum Patre, pacem, & gratiam sanctis suis largitur.* Hæc ibi, & plura in hanc sententiam Cyrillus. Simillime Ambrosius lib. 1. de Ambros. Spiritu sancto, cap. 11. *Denique scriptum est, gratia vobis, & pax à Deo Patre nostro, & Domino Iesu Christo, ecce habemus, quia Patris, & Filij vna est gratia, & Patris & Filij vna est pax*, &c. Simili argumentatione vtuntur Chrysostomus, Theodoretus, & Theophylactus in epist. ad Rom. ex modo dicendi Pauli Chrysost. Theodoret. Theoph. ibi. *à Domino Iesu Christo*: non verò *per Dominum Iesum Christum.* Sic enim Chrysostom. ibi homil. 2. *Ecce hoc loco præpositio hæc ἀπὸ id est, à, communis est, tam Patri, quàm Filio: quod perinde est, ac si dixisset ἐξ οὗ, id est, ex quo; non enim dixit gratia vobis, & pax à Deo Patre per Dominum Iesum Christum, sed à Deo Patre nostro, & Domino Iesu Christo.* Similia habent Theophylactus, & Græci.

19. Theophyl. Ob hanc subinde rationem reiicienda etiam est lectio Theophylacti, quamtumuis placeat Naclanto in comment. Epistolæ ad Ephesios, quæ habet *à Deo Patre nostro, & Domini Iesu Christi*, vt enim Græca ancipitia ad vtrumque sensum sint, fas tamen non est à Vulgato leuiter, siue etiam gratis discedere: præsertim cum ipsimet Græci Patres eius sensum expresserint, vt Didymus apud Erasmum, Cyrillus vbi supra, Origenes, Chrysostomus, & Theodoretus: & Latini omnes cum Augustino, & Ambrosio: vnde quidem suspicor, Theophylactum Græce mendosum esse. Deinde vel exinde nostra lectio amplectenda est, quod ad significandum Deum, & Christi, & nostrum Patrem communem esse, non erat ordine præpostero dicendum *à Deo Patre nostro, & Iesu Christi*; sed potius è conuerso, Ioan. 20. 17. quemadmodum Christus Dominus apud Ioannem 20. 17. dixit: *Ascendo ad Patrem meum, & Patrem vestrum, Deum meum, & Deum vestrum.*

20. Apoc. 1. 4. Supradictis tamen obiicias eam salutationem, quæ in Apocalyps. habetur cap. 1. 4. in qua in primis gratiam, & pacem non solum à Deo Patre, & à Domino Iesu Christo, sed etiam à cœlestium spirituum magnatibus Ioannes exoptat. Deinde prius Angelorum, quam Christi Domini ad hunc modum mentio fit: *Gratia vobis, & pax ab eo qui est, & qui erat, & qui venturus est*, hoc est à Patre, vt habent Græca scholia, *& à septem spiritibus, qui in conspectu throni eius sunt, & à Iesu Christo, qui est testis fidelis.* Respondeo, vel ex hoc solum capite, vt aliæ deessent rationes, mihi esse plusquam certum, quidquid ab aliorum interpretū turbâ subclametur, non esse ibi sermonem de Angelis, sed vel de diuinæ prouidétiæ spiritibus, siue attributis, vt ingeniosa opinio Patris Alcazar Alcaz. in c. 1. Apoc. fert:

fert: vel de persona Spiritus sancti, qui cum simplicissimus in substantia sit, in donis tamen septiformis, id est, multiplex dicitur. Et ideo à Salomone vocatur, vnus, & multiplex. Sapient. 7. 22. vt explicant Ambrosius, Beda, Primas. Rupert. Ansbertus, & alij: diciturque esse in conspectu throni Dei, id est, Angelorum & Beatorum, qui in scripturis appellantur thronus Dei, quod in illis sedere, regnare, & habitare Deus dicitur: vel tandem de septem eiusdem diuini spiritus donis, iuxta expositionē Victorini Martyris, Anselmi, & Ioachimi. Non nego hasce expositiones paulò difficiliores videri: simul tamen video sublimiores, & solidiores, necnō Scripturæ cōgruētiores esse. Certè in ea omnino est insolens, & inauditum à creatura vlla sacros scriptores gratiam, & pacem deprecari. Quare Celius Pannonius animosè ibi dixit palam à vero aberrare, qui per septem spiritus septem Angelos intelligūt. Et verò ea argumentatio, quam Patres, vt vidimus, conficiebant ad confirmandam ex hac salutationis formula æqualitatem Filij cum Patre, id efficaciter conuincit: ipsorum enim authoritati in tam egregio præsertim dogmate stabiliendo tantum tribui debet, vt quorumuis interpretum expositioni, quæ hac in re illi deroget, fides habenda non sit. Sed deinde quis non videat, quam sit violentum, & indecens, vt prius ab Angelis, quam à Christo Rege Angelorum, & Domino hæc dona exoptentur? Vt enim Christus quâ homo modico quam Angeli minoratus fuerit, vt loquitur Paulus ad Hebræos 2. (quod est eorum interpretum perfugium) at cum Ioannes scripsit, iam in nomine ipsius flectebatur *omne genu cœlestium, terrestrium, & infernorum*, (ad Philipp. 2. 10.) quippe qui *constitutus erat* (ad Ephesios 1. 20.) *ad dexteram Dei supra omnem principatum, & potestatem, & virtutem, & dominationem, & omne nomen, quod nominatur non solum in hoc sæculo, sed etiam in futuro*: vnde valde esset indecorum ad humanitatem Christi, vt passionibus olim obnoxiam aspicere, quo dignior Angelorum quam filij Dei mentio fieret.

Sap. 7. 22. Ambros. Beda. Primas. Rupert. Ansbert. Victorin. Anselm. Ioachim. Celius Pannon. Ad Hebr. 2. Philipp. 2. 10. Ad Ephes. 1. 20.

21. Illud etiam ab interpretibus in dubium vocatur, an per Deum hic intelligendus sit Deus, vt trinus, & vnus, an verò persona tantum Patris, illud Naclanto placuit in Epistolam ad Ephesios, hoc vt simplicius, & omnino ad Pauli consuetudinem omnibus pene antiquis Patribus probatum est, hinc vt vidimus adstruentes æqualitatem filij cum Patre: subiiciam solum verba Hilarij, lib. 8. de Trinitate, aureo flumine decurrentia: *O dignus ille magnorum, & cœlestium arcanorum conscientiâ, & assumptus secretorum diuinorum electusque particeps, & ea ipsa illiciti eloquij silentio necessario tacens, & verè Apostolus Christi! quali humanæ peruersitatis ingenia absoluti sermonis sui prædicatione conclusit vnum Patrē Deum, & vnum Dominum Iesum Christum confitendo, vt inter hæc nec duos quisquam possit prædicare, neque vnicum, cum tamen qui non vnicus est, non in duos proficeret, nec qui duo non sunt, solitarius posset intelligi, & inter hæc perfectam Christi natiuitatem Pater demonstratus ostenderit.* Hactenus Hilarius.

Naclantus. Hilar.

22. Inquires, cur deprecetur Paulus gratiam, & pacem à Patre, & à Filio, & non à Spiritu sancto? Respondent Augustinus, Ambrosius & Diuus Thomas in Epistolam ad Romanos, in ipso duarum personarum nexu intelligi tertiam. Addit Diuus Thomas (quod literæ magis consentaneum est) ideo personam Spiritus sancti non poni, quia intelligitur in donis eius, quæ sunt gratia, & pax. Quam rationem sic formo. Cum Spiritus sanctus per gratiam, & donorum communicationem in cordibus fidelium habitet, idem est postulare gratiam, & pacem, ac postulare Spiritum sanctum; at Spiritus sancti missio nonnisi à Patre, & à Filio efflagitatur. Ergo hinc manet expressiorem Spiritus sancti mentionem fieri opus non esse. Sed & hoc etiam mutuatum est ex Ambrosio lib. 1. de Spiritu sancto, cap. 11. vbi cum dixisset: *Ecce habemus, quia Patris, & Filij vna est gratia, & Patris & Filij vna est pax*, vt Spiritus sancti diuinitatem adstruat, subiungit, *sed hæc gratia, & pax fructus est Spiritus, sicut ipse Apostolus docuit dicens, fructus autem Spiritus, charitas, gaudium, pax, patientia*, &c.

August. Ambros. D. Thom. Ambros.

Sed cur cum Deo Patri rerum omnium creatio, & dominatio tribuatur, & plus sit Dominum, quam Patrem esse, non Dominum, sed Patrem nostrum Paulus nuncupauit? Rursus: cum Christus optimi parentis vice nobis fuerit: quippe qui nos morte sua ad vitam reuocauit, dubitari potest, cur Dominus, & non potius parens à Paulo appelletur. Et quod ad primum attinet, duo possunt inquiri: Alterum cur Pater æternus inter diuinas personas peculiariter Pater noster dicatur: alterum cur ipsi, qua Deus est, Patris nostri nomen accommodetur, & hoc quidem in adnotationem 2. transmisso, illud ex Patribus examinemus. 23.

Ambrosius in Epistolam ad Romanos respondet Deum Patrem ideo etiam Patrem nostrum appellari, quod summus rerum omnium opifex, & molitor sit, *Deum Patrem nostrum dicit propter originem: quia ab ipso sunt omnia*: quasi ex mente Pauli idem sit Deum esse Patrem nostrum, ac Creatorem, & Conditorem. Placuit hæc responsio Iustiniano hic, & pluribus interpretibus, estque satis expedita, & firmo Scripturæ fundamento subnixa. Ita enim Iob 38. 28. Deus dicitur, *Pater pluuiæ*, id est author, & causa efficiens illius, & à Paulo 2. ad Corinth. 1. 3. *Pater misericordiarum*, quia ab eo miserationes proficiscuntur: cui sensui valde affine est, quod in sacris literis, qui instituit, & moderatur alium, Pater illius dicitur, ita Genesis 4. 21. Iubal dicitur *Pater canentium in cithara*, id est, primus author huius musicæ, seu magister, & institutor canentium. Quo sane sensu Patrem populi Israelitici sic appellauit Moses in cantico. Deuteronom. 32. 7. *Numquid non ipse est Pater tuus, qui possedit te, & fecit, & creauit te?* 24.

Ambros. Iob 38. 28. 2. Ad Cor. 1. 3. Gen. 4. 21. Deut. 32. 7.

Bene etiam addit Iustinianus Patris vocabulum reuerentiæ, & religionis nomen esse: sic 4 Reg. 5. 13. serui Naaman ad ipsum: *Pater etsi rem grandem dixisset tibi*. Et 1. Reg. 24. 12. Dauid pronus in terram, & adorans Saulem reuerentiæ causa Patrem appellat. Quò etiam ire videtur supplex deprecatio auari diuitis ad Abrahamum inter amicos Dei relatum. *Pater Abraham*. Lucæ 16. Hæc Tertulliani authoritate confirmantur libro de oratione, cap. 2. verba orationis Dominicæ, *Pater noster qui es in cælis*, sic exponentis, dicendo; *Patrem Deum cognominamus. Appellatio ista, & pietatis, & potestatis est.* 25.

Iustinian. 4. Reg. 5. 13. 1. Reg. 24. 12. Luc. 16. 24. Tertull.

Et Domino Iesu Christo.

DOMINI nomen tam apud ethnicos, quàm apud nostrates summum Dei imperium, & diuinitatem exprimere, & veterum Patrum, & Scriptorum monumentis satis constat. Et vt ab ethnicorum vsu incipiam: de Augusto Cæsare ita memoriæ prodidit Sueton. lib. 2. in Augusto. *Domini appellationem, vt maledictum & opprobrium semper exhorruit. Cum expectante eo ludos, pronunciatum esset à mimo. O Dominum æquum, & bonum; & vniuersi, quasi de ipso dictum exultantes comprobassent, statim manu, vultuque indecoras adulationes repressit, & in sequenti die grauissime corripuit edicto; Dominumque se post hac appellari,* 26.

Suet. in August. c. 53.

appellari, ne à liberis quidem, aut nepotibus suis, vel serio, vel ioco passus est. Hæc Tranquillus, à quo Tertullian. mutuatus Tertullianus in Apologetico cap. 34. *Augustus*, inquit, *imperij formator, ne dominum quidem dici se volebat: & hoc enim Dei est cognomen*: Sic ille. Quod verò ea Augustus de causa Domini nomen repudiauerit, quod diuinitatis sonum exprimeret, vt alios omittam, Orosius. ex Orosio lib. 6. histor. c. 22. satis conijcitur: sic enim ille. *Eodem tempore, hic, ad quem rerum omnium summa concesserat, Dominum se hominum appellari passus non est: imò non ausus, quo verus Dominus totius generis humani inter homines natus est.* Hæc ille. Sed Augustum etiam à Tiberio, superbo alias, & immiti Principe imitatum fuisse, præter Dionem, & Tacitum, sic scribit Suetonius lib. Suet. in Tiber. cap. 27. 3. *Dominus appellatus à quodam, denunciauit, ne se amplius contumeliæ causa nominaret.* Bene quidem malus homo dixit *contumeliæ causa*: nam quod homini maius probrum inferas, quam si ipsi tribuas Dei nomen, & honorem? Vnde de hoc Domini nomine di- Tertullian. sceptans Tertullianus in Apologetico cap. 33. scite ait: *Non enim Deum Imperatorem dicam, vel quia mentiri nescio, vel quia illum deridere non audeo*; ita ille. Et quidem *per manus, quod fit idolum* (verba sunt Sap. 14. 8. libri Sapientiæ, capite 14. 8.) *maledictum est, & illud, & qui fecit illud; quia ille quidem operatus est; illud autem, cum esset fragile, Deus cognominatus est.*

Id deinde non minus expresse ostendit Ouidianum illud de Augusto ad Romulum.

Ouidius. *Tu domini nomen; Principis ille tenet.*

Martialis. Et illud Martialis.

Frustra blanditiæ venitis ad me,
Attritis miserabiles labellis,
Dicturus Dominum Deumque non sum.

Parco pluribus, quæ apud profanos occurrunt.

27. Quod verò in sacris diuinitatem id vocabulum præseferat, plures ex Patribus, & interpretibus eliciunt ex verbis Christi Domini apud Matthæum Matth. 22. 4. 22. vbi, vt Scribas, & Pharisæos quam maxime vrgeret, vt Deum se, & Dei filium agnoscerent, hanc ex Psal. 109. 1. verbis Psalmi 109. *Dixit Dominus Domino meo*, argumentationem confecit: *Si ergo Dauid vocat eum Dominum, quomodo eius filius est?* Qua quidem argumentatione fortiter adstruxit se non nudum hominem, sed plus homine quouis, & Dauid Rege esse: atque ideo Deum verum, & Dei filium; quandoquidem à Dauide Dominus appellatus est. Ita ex vi huius nominis *Dominus*, Christi diuinitatem confir- Theodoret. Euthim. & Cassiod. ibid. Hieron. & Chrys. in c. 22. Matth. mant ad id Psalm. Theodoretus, Euthymius, & Cassiodorus, & similiter Chrysostomus, & Hieronymus ad verba Matthæi. *Puto*, inquit Chrysostomus, *hanc interrogationem non solum contra Pharisæos, sed etiam contra hæreticos posuit: nam secundum carnem verè erat filius Dauid: Dominus autem secundum diuinita-* Didymus. *tem.* Similiter Didymus lib. 2. de Spiritu sancto, Ter- Tertullian. tullianus lib. 4. aduersus Marcionem, c. 38. & lib. aduersus Praxeam, cap. 11.

28. Sed ad nostrum institutum (vt verum fatear) hic locus non multum conuincit; nam in eo, si aliquid apud me arbitrij in hac re est, ex nuda verborum significatione Christi diuinitas non eliceretur, nisi peculiares circunstantiæ, tam verborum, quam personæ loquentis singillatim adiuuarent; sane Dauid tunc temporis inter Reges potentissimus neminem Dominum suum vocaret, qui merus homo esset, vt ad id loci scite obseruat August. Quod plane Christi argumentatio conuincit. *Si ergo Dauid vocat eum Dominum, quomodo filius eius est?* Quare si ex sola nominis significatione diuinitas adstruenda esset, addendum non fuisset pronomen illud *meo*; sed simpliciter dicẽdum: *Dixit Dominus Domino sede à dextris meis*; tunc enim non solum honorificentius de Domini nomine Christus nuncuparetur, sed etiam efficaciter eius diuinitas confirmaretur. Dixi de nomine Domini nude sumpto, nam ex tota sententiâ eodem modo cõfirmatur, vt supradicta conuincunt.

Plures sunt tamen Scripturæ locutiones, in quibus per hanc vocem *Dominus*, dubitatione quauis 29.
procul diuinitas significatur. Ita Actuum 10. 36. vt Act. 10. 36.
Petrus Christi diuinitatem Centurioni ostenderet, dixit: *Hic est omnium Dominus*, vt ad ea verba expendunt Chrysostomus, & Athanasius, & Ioannes Maxentius apud Patrem Lorinum ibi. similiter Ieremiæ 33. 2. & Iudith 16. 3. dicitur *Dominus nomen est illi.* & ad Ephesios 4. 5. *Vnus Dominus, vna fides, vnum baptisma*: vbi Dominus à Paulo, vt verba, & sensus sibi constent, pro Deo manifeste ponitur: & 1. ad Corinthios 12. 3. *Nemo potest dicere Dominus Iesus, nisi in Spiritu sancto*: quibus in verbis non agit Paulus de exteriore verborum pronunciatione, vel de significatione cuiusuis interioris affectus in Christum; sed potissimum de actu credendi, quo quis Christum Deum, & Dominum nostrum esse profiteatur, vt tam ex lectione Syriaca, quæ habet, *Nemo potest dicere Dominum esse Meschua, nisi in spiritu sanctitatis*; & ex ea, qua vsus est Gaudentius Brixiensis, sermone 9. ad Neophytos: *Quoniam nemo confitetur Dominũ Iesum Christum, nisi in Spiritu sancto*, apertè constat. Qua de re vide Athanasium libro de essentia Patris, & Filij, & Spiritus sancti, non longe à principio. Vbi optime ex Scriptura concludit Deum esse, qui Dominus est; & Anastasium Synaitam, libro 6. contemplat. Anag. in Hexameron, ex verbis Gabrielis ad Mariam Virginem apud Lucam 1. 28. *Dominus tecum*, & Angelorum ad Pastores. Lucæ 2. 11. *Natus est vobis hodie Saluator, qui est Christus Dominus*, & aliis similibus diuinam Christi naturam Domini nomine adstrui confirmantem. Vide etiam Augustinum lib. 3. contra Maximinum, cap. 23. & lib. 2. de Trinitate, cap. 10. & Ambrosium lib. 1. de fide, cap. 1. vbi hæc habet inter alia: *Deus enim, & Dominus nomen magnificentiæ, nomen est potestatis, sicut ipse dicit*: Exodi 15. Dominus nomen mihi est: *& sicut alibi Propheta asserit*, Dominus omnipotens nomen est ei. *Dominus ergo, & Deus, vel quod dominetur omnibus; vel quod expectet omnia, & timeatur à cunctis.* Ita ille. Et lib. de Noe, & arca, cap. 13. *Nec superfluum putes, quia simul posuit Dominum, & Deum: nam & Deus in Domino, & Dominus in Deo, sed vt Patris, & Filij intelligat commune præceptum.* Vbi Ambrosius manifeste ostendit vocem *Domini*, perinde valere, ac Deus. Similiter libro 9. in Lucam ad ea verba Euangelistæ 19. 31. *Dominus operam eius desiderat*, ad hunc modum: *Cum Dominus dicitur, vnus agnoscitur, si non exprimitur Dominus, definitur non iam per adiunctionem personæ, sed per vniuersitatem naturæ.* Hæc ille. Sed & id etiam latius persequitur, libro 10. in Lucam in principio, vbi præfata Matthæi verba præclare elucidat. Præterea Chrysostomus homil. 36. in caput 20. Matthæi in illa verba, quibus duo cæci Christum sunt allocuti: *Domine miserere nostri, fili Dauid*: ex hac voce Dominus Christus diuinitatem, ad hunc modum luculenter confirmat. *Dum cæci me filium Dei confitentur, confundantur videntes, qui me hominem tantum putant, Dominũ me vocant, & verũ dicunt; sed dum filiũ Dauid dicunt, dissipant quod bene confessi sunt: nam abusiue, & homines Domini dicuntur: verè autem nemo Dominus est nisi Deus. Si ergo dicũt Domine fili Dauid abusiue: secundum hominem me honorant: si autẽ solummodo Dominum secũdum Deitatis diuinitatem me confitentur: quia* vnus Deus, ex quo vnus (1. Cor. 8. 6. & vnus

Chrys. est. Athan. & Ioan. Max. apud Lorinum ibi. Ierem. 33. 2. Iudit. 16. 3. Ad Ephes. 4. 5. 1. Ad Corinth. 12. 3. Lect. Syr. Gaud. Brixiens. Athanas. Anastas. Synaita. Luc. 1. 28. & c. 2. 11. August. Ambros. Exod. 15. Et lib. de Noë & arca cap 13. Et lib. 9 in Luc. 19. 31. Et lib. 10. in Luc in princ. Chrysost. 1. ad Cor. 8. 6.

Symbolum Apoſt. & Nicenum. vnus Dominus per quē omnia. Hactenus Chryſoſtomus. Quæ omnia ex ſymbolo Apoſtolico, & Niceno ſatis manifeſtè ſtabiliuntur: nam poſt illud; *Credo in Deum Patrem omnipotentem*; ſubditur: *& in Ieſum Christum Dominum noſtrum.* Vbi Chriſti diuinitas ſub eo Domini nomine adſtruitur.

30. Res quidem Iudæis Veſpaſiani tempore, ita perſuaſa, vt minime dubitarint quotuis ſupplicia, & peracerbam mortem ſubire, ne Romanis Imperatoribus diuinitatem adſcribentes ad gentium morem Dominos illos nuncuparent. *Ioſephus.* Id quod ex Ioſepho Iudæo ipſis non leuiter infenſo, lib. 7. de bello Iudaico, capite 29. ſic ſcribit Cardin. Baron. *Baronius 1. tom. Annal. Anno 73.* *Erant Galilæi ſectâ, qui non ſatis habuere periculum euaſiſſe: ſed nouas illic ciere turbas cœpere, & veteres adhuc renouare quæſtiones, & praua dogmata ſtabilire, affirmareque vnum tantum dicendum Dominum eſſe Deum, nec eo nomine Romanos Imperatores eſſe nuncupādos, qui tandem omnes capti ſunt. Cumque omni genere tormentorum eos exagitarent, quo hoc ſolummodo extorquerent, vt Cæſarem Dominum faterentur: nemo ceſſit, neque dicere velle viſus eſt, ſed omnes illa neceſſitate validiorem ſententiam conſeruare, tanquam brutis corporibus, non animis etiam cruciatus, ignémque ſuſciperent. Maximè verò puerorum ætas miraculo ſpectantium fuit: nec enim eorum quiſquam commotus eſt, vt Dominum Cæſarem nominaret, vſque adeò corporum infirmitatem vis audaciæ ſuperabat.* Hæc Ioſephus huic rei ſatis opportuna.

31. Vnum tamen monendus lector eſt, hæc omnia, quæ de hoc nomine, *Dominus*, diuinitatem ſignificante dicta ſunt, vt aliis Scripturæ locutionibus, & ſcriptorum conſuetudini non diſſonent (niſi malit quis adhærere Chryſoſtomo dicenti homines abuſiue appellari Dominos) *Chryſ. ſup.* in ſenſu accōmodo, & benigno accipienda eſſe, vt nimirum diuinitati ſignificandæ tunc tantum id nomen deſeruiat, cum ſpeciales ad id circunſtantiæ iuuerint, vti dicebat Ambroſius: *Amb. ſup.* *Cum Dominus dicitur, vnus agnoſcitur, ſi non exprimitur Dominus, definitur.* *Tertul. ſup.* Vnde citato loco Tertullianus, *dicam plane Imperatorem Dominum: ſed more communi, ſed quando non cogor, vt Dominum Dei vice dicam.* Ita ille. Alias quidem Domini nomen ſicut & Hebræum *Adonai*, quod illi reſpōdet, Deo, & creaturis commune eſt: imò quod plus eſt, ineffabile illud, & ſanctiſſimum nomen *Iehoua*, alteri etiam aliquando accommodatur, vt ex Deuteron. 16. docet Pater Mald. ad ea verba Pſalmi 109. *Deuter. 16. Maldonat.* *Dixit Dominus Domino meo*: ingens ergo, ſiue immenſum inuenitur diſcrimen in huius vocabuli ſignificatione pro diſcrimine perſonarum; quibus tribuitur: ita apud ethnicos Principibus accommodatum ſupremam dignitatem, & inuidioſiſſimum imperium; imò etiam diuinitatem præſeferre ſupra vidimus: cum tamen apud eoſdem ipſomet tempore adeò frequens, & triuiale inter priuatas perſonas fuerit, vt obuiis quibuſlibet, quorum nomina erant ignota, tribueretur, vt conſtat ex Seneca epiſtola 3. dicente. *Seneca.* *Quomodo obuios, ſi nomen non ſuccurrit, Dominos ſalutamus*: & Martiale.

Martialis. *Cum te non noſſem, Dominum, Regemque vocabam.*

32. * Ex his iam optime colligitur Paulum hic, & alibi ſæpius, dum Chriſtum appellat Dominum, eius diuinitatem ſignificare. Hæretici tamen (quod ipſorum ingenium eſt) rimam quærunt. Et his omnibus ſe conſtringi negant: imò contra repugnantes obiiciunt Patribus hæc ipſa Pauli verba, & plura alia teſtimonia, in quibus dum Patris æterni, & Filij mētio fit, Pater appellatur Deus: Filius verò Dominus; quaſi in iis Chriſtus à conſortio diuinitatis excludatur, & quædam illi ſolum dominatio tribuatur.

Verum Hilarius lib. 3. & 9. de Trinitate, Ambroſius lib. 5. de Fide, capite 2. Cyrillus lib. 1. Theſauri, c. 1. *Hilarius. Ambroſius. Cyrillus.* & alij Patres optime reſpondent inualidiſſimam, & futilē eam argumentationem eſſe; nam quemadmodum Paulus in his locis, dum Chriſto tribuit dominationem, appellando eum Dominum noſtrum; imo quod rem auget 1. ad Corint. 8. 6. dicēdo: *Vnus Dominus Ieſus Christus*, non denegat dominationē Patri: quia etiam verè eſt Dominus: ita prorſus cum Patrem appellat Deum, & vnum Deum, non aufert Filio diuinitatem, quam pluribus aliis in locis ipſi ſingillatim, & diſertis verbis tribuit. *1. ad Cor. 8. 6.* Addo huic rationi, hæreticos ſuo ſe gladio inſaniſſime iugulare: nam dum Chriſtum ex Paulo Dominum eſſe admittunt, Deum etiam Patri conſubſtantialem ex eodem Paulo fateantur, neceſſe eſt, cum ipſe vnum tantummodo eſſe Dominum vocibus mero meridie clarioribus doceat ad Epheſios 4. 5. *Vnus Dominus, vna Fides, vnum Baptiſma.* *Ad Epheſ. 4. 5.* At cum Pater etiam Dominus ſit, quod ipſi non negant, manifeſtiſſime infertur ipſum Patrem vnum dominatione, diuinitate, & natura cum Chriſto eſſe. Quam rationē acutè ſtringit Ambroſius, lib. 10. in Lucam, ex teſtimonio Chriſti: *Ambroſ.* *Nemo poteſt duobus dominis ſeruire.* Lateque perſequitur Tertul. lib. contra Praxeam c. 13. Qua de re citatos Patres, præſertim Auguſtinum, & Hilarium, in libris de Trinitate, Athanaſium de vnica Deitate Trinitatis ad Theophilum lib. 1. Ambroſius in libris de Fide: *Auguſt. & Hilarius. Athanaſ. Theoph. Ambroſ.* ex quo non poſſum non decerpere illud argumentum, quod pro diuinitate Chriſti, ex verbis Centurionis Matt. 27. in hunc modum cōficit, lib. 1. c. 7. *Matt. 27. 54.* *Hoc idem Centurio cum aliis, qui ſecum erant, tremefactis mundi cardinibus in paſſione Domini confitetur, & tu hæretice negas. Centurio dicit*: Verè Filius Dei erat iſte. *Erat*, inquit *Centurio*: *& Arrianus dicit: non erat ille: ergo generationis, & veritatem, & æternitatem aſſeruit, manu cruentus, ſed mente deuotus. Tu hæretice veritatem generationis negas, tempus adſcribis. Vtinam manus potius, quam animum cruentaſſes. Sed nec manu innocens, & mente feralis, quantum in te eſt, mortem infers, qui infirmum opinaris. Imò quod grauius eſt, ſi diuinitas vulnus ſentire non poſſit, quod in te tamen eſt, maieſtatem ſuam in Christo, non corpus interficere conaris. Verum igitur Deum dubitare non poſſumus, quem verum Dei filium, & carnifices crediderunt, & dæmones fatebantur: quorum nunc non teſtimonia requiruntur, ſed tuis tamen ſacrilegiis præferuntur. Illos nominauimus, vt erubeſceres, diuina quoque reſponſa adhibuimus, vt crederes.* Hactenus Ambroſius.

Sed adhuc quæris cur Chriſto, tum à Paulo, tum à Patribus, frequentius, & quaſi perpetuo Domini nomen tribuatur, & apposite accōmodetur. 33. Reſpōdeo: vt per hanc vocem præter Chriſti diuinitatem, quam etiam ipſa exprimit, ſignificetur ipſius magnum, & ſupremum imperium in omnes creaturas, & extrema poteſtas iudicandi de illis, quæ ipſi à Patre propter crucis humilitatem donata ſunt; de quo nos Deo dante ad caput 2. huius epiſtolæ ad ea verba, num. 12. *Infr. cap. 2.* *Et omnis lingua confiteatur: quia Dominus Ieſus in gloria eſt Dei Patris*, copioſe agemus.

Nunc iam illius, quod antea propoſuimus, cur 34. videlicet Pater æternus, Pater noſter, Chriſtus verò Dominus noſter nuncupetur, cū, vt in cōfeſſo apud omnes eſt, plus ſit eſſe Dominum, quam Patrem, rationem reddamus: quæ ea quidem eſt: quia oportebat (præſertim cum ad eos, qui recenter Chriſto nomen dederant, ſermo à Paulo haberetur) vt hominibus Dei maximi humanitas, Chriſti verò diuinitas, & gloria innoteſceret, & quorum mentibus Deus, cuius magnitudinis non eſt finis, vt Dominus

seuerissimus, Christus verò, qui paulo ante crucifixus, & mortuus fuerat, vt homo purus primo aspectu obiiciebatur, certo scirent, tum Deum humanissimum, & benignissimum Patrem nostrum: tum etiam Christum Deum, & gloriæ Dominum esse, & qui summum ius rerum omnium haberet: atque ita tam de Dei humanitate, quam de Christi diuinitate vehementer lętarētur. Nam si Philone teste, libro de Cherubin: *Nihil purificatam mentem maiori afficit lætitia quam quod dominum habet, quem agnoscit Regem rerum omnium*: quanto potiori iure incredibili quis perfundatur lætitiâ, cum fratrem habeat, quem agnoscit Regem regum esse, & Dominum dominantium? Patientiam habe in me, & hæc omnia explicatius reddam tibi indicato loco cap. 2. num. 11.

Philo.

ADNOTATIO I.

Deum Patrem, Patrem etiam nostrum appellari, quod ipse Iesu Christi Pater, nos fratres, si tamen germani simus.

1. AD prædictas Patrum rationes, ob quas Deus Pater, noster etiam Pater dicatur, quid prohibet hanc meam adiungere, quod ipse naturalis Pater Iesu Christi sit? Sed vnde, inquis, locum aperio: certe iustus non inde solum habet dici, & esse filiū Dei, quod eam carnem habeat, vt scite dicit Tertullianus lib. de resurrectione carnis, cap. 9. *Quæ soror Christi sit*, sed ea potissimum de causa quod Christo per fidem, & charitatem verè & intime annectatur, & vnum quodammodo cum ipso fiat, vt tum egregiâ vitis & palmitum metaphorâ, tum signatissima phrasi, *manendi in ipso*, luculenter expressit Dominus apud Ioan. c. 15. 4. & 7. & c. 6. 56. Vnde fideles qui Pauli prædicatione Christo nomen dederant, & ipsi tamquam palmites viti per fidē, & charitatem erant adiuncti, dicuntur geniti in Christo 1. ad Corint. 4. 15. *Nam in Christo Iesu per Euangelium vos genui*. Similiter Iacobi 1. 18. Dei Filij dicuntur, *Geniti Verbo veritatis*. Et 1. Petri 1. 28 *Renati per verbum Dei*. Et expressius epist. 2. cap. 1. 4. *Per quem maxima, & pretiosa nobis promissa donauit, vt per hæc efficiamini diuinæ consortes naturæ*. Vide etiam Ioann. 14. 6. vbi vitam Christus se appellat, (& adi super eam locutionem Victorinum Afrum lib. 3. contra Arrium,) necnon 1. Ioan. 5. 11.

Tertull. *Ioann. 15. 4. & c. 6. 56.* *1. Ad Cor 4. 15.* *Iacob 1. 18.* *1. Pet. 1. 28.* *& 2. c. 1. 4.* *Ioan. 14. 6.* *Vict. Afr.* *1. Ioan. 5. 11.*

2. Intimam hanc fidelium cum Christo coniunctionem, siue etiam vnitatem duæ ipsius locutiones confirmant. Altera Actuum 9. 4. *Saule, Saule, quid me persequeris?* quam Augustinus hom. 28. in Ioan. in hanc sententiam sic explicat, *hoc indicabat factura esse membra sua, in quibus etiam membris ipse erat. Nam si ipsi non essent membra eius, non diceret Saulo*: Quid me persequeris? *non enim Saulus ipsum, sed membra eius, idest fideles eius in terra persequebatur: noluit tamen dicere sanctos meos, seruos meos, postremo honorabilius fratres meos, sed me, hoc est membra mea, quibus ego sum caput*. Hæc ibi Augustinus. Eadem, sed aucto censu, egregiæ huius imaginis habet, tom. 10. hom. 15. *Quando est aliqua coarctatio, si alter alterum calcet, lingua dicit, calcas me. si & ille respondeat libera es, ô lingua, in ore tuo vocem habes: ego si calcaui, pedem calcaui, sed calcas me charitas dicit: calcas me compassio vnitatis, & vinculum societatis dicit*. Ita August. vbi pende, *compassio vnitatis, & vinculum societatis*, quæ Christum in suis compatientem, illisque vnitatis vinculis adstrictum faciunt: vnde si aduertis, scite errauit, siue potius ignoranter collimauit scopum impius ille Herodes, qui Marci 6. 16. de Christo signa, & prodigia patrante dixit: *ipse est Ioannes, quem ego decollaui: hic à mortuis resurrexit*: vti ad hunc modum ea verba pendit Chrysolog. serm. 173. *Verum dicit: nam sicut in Christo sui resurgunt, ita in suis ipse patitur Christus, & sicut honor capitis ad membra pertendit: ita membrorum pœna ad dolorem capitis, ad capitis redundat iniuriam*. Sic ille.

Act. 9. 4. *Augustin.* *Et tom. 10. hom. 15.* *Marc. 6. 16.* *Chrysolog.*

Altera est Matth. 25. 40. *Quandiu fecistis vni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis*: quibus in hanc sententiam, nihil clarius, nihil dici potuit illustrius, præsertim si Hilarium, & Paschasium ad id loci consulas. Sic enim prior canone 28. in Matthæum: *Ita in vniuersorum fidelium corporibus, mentibusque transfunditur: vt hæc humilitatis officia, aut gratiam suam impensa mereantur, aut offensam negata commoneant*. Sic ille luculentius Paschasius, lib. 11. in Matt. *Mira Domini Iesu Christi vnitas prædicatur cum suo corpore: vt intelligas caput suis compati, & congratulari membris: sicut anima in corpore humano compatitur ei, quamuis non esuriat quantum ad suam spectat naturam; esurit tamen corporis cibū in eo quod copulata est corpori suo, & pascitur. Sic Christus esurit, & patitur in corpore suo, quod est Ecclesia, pascitur quoque, & reficitur, cum sit ipse impassibilis, & nullis egeat alimentis, sed in vno quoque sanctorum alitur. Alitur cibis, & reficitur potu, vestitur nudus, & colligitur hospes, in carcere consolatur, & visitatur infirmus*. Hæc Paschas. 3. *Mat 25. 40.* *Hilarius.* *Paschas.*

Redeo iam vnde profectus sum: ex hâc ergo intimâ Christi cum iustis coniunctione dimanat, vt ipsi peculiari ratione summi parentis filij esse dicātur; quia videlicet cum Christo naturali eius filio intimâ gratię coniunctione copulati, & conglutinati, imò vnum effecti, vt palmites cum vite sunt: vnde non potest non æternus Pater vt filios eos respicere, quos Christus intime sibi coniunctos, & sociatos habet. Videtur id perstrinxisse D. Paschas. lib. 4. in Matt ad illa verba, cap. 6. *Sanctificetur nomen tuum*: quæ ex illis Apocalypsis 2. 17. *Dabo ei calculū candidum, & in calculo nomen nouum, quod nemo nouit, nisi qui accipit*, sic dilucide explicat, *per calculum quippe mediator Dei, & hominum homo Christus Iesus designatur. In quo nimirum calculo vnusquisque renatus in Christo, dum per adoptionis gratiam vnum corpus in eo efficitur nomen nouum accipit, vt Patris filius dicatur, & cohæres Christi in regno Patris efficiatur*. Hæc Paschas. Porro quamuis ex diuinæ gratiæ participatione, siue ex summâ hâc cum Christo coniunctione, iustus etiam Verbi diuini, & Spiritus sancti dici possit filius, & re verâ sit: speciali tamen attributione prædictæ rationi innixa, summi Patris filius dici debet, quod nimirum æternus Pater, naturalis Iesu Christi genitor est, ipsique eâ de causâ in scripturis, præsertim à Paulo, Patris nomen sæpius tribuitur. 4. *Paschas.*

Pullulant hinc mille salutares, & blandæ cogitationes, quæ & infinitam in nos æterni Patris charitatem, & inæstimabilem hominis dignitatē ostendunt. Et vt à primo incipiam, prodit se singularis Dei Patris amor: *quem nobis vt ostenderet* (verba sunt Chrysologi serm. 7.) *Dominum mutauit in Patrem, quia voluit charitate magis, quam potestate regnare*. Sed hoc quanta emphasi, qua pompa sermonis Ioānes nobis ob oculos posuit? epist. 1. c. 3. cum ait: *Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, vt filij Dei nominemur, & simus*: hoc est vehementius attendite, & rem omni consideratione, & admiratione dignā, humanoque iudicio vix æstimabilem, vestris animis accurate perpendite: quanto nimirum amore, & beneuolentia summûs nos Pater amplectatur, qui in filios 5. *Chrysolog.* *1. Ioan. 3. 1.*

filios re, & nomine suscepit. Doni quidem huius amplitudinem quasi à priori, vt aiunt, volens nobis demonstrare Gregor. Nyssen. lib. de beatitudinibus, orat. 7. quid homo, quid Deus, vt ille Filius, hic Pater sit, dilucide, & copiose differit. Religio sane esset plura ex illo non excerpere: sunt hæc. *Quid est homo si cum diuina natura comparetur? cuiusnam Sanctorum proferam vocem, per quam genus humanum extenuatur? secundum Abrahamum terra, ac cinis: secundum Isaiam fœnum, secundum Dauidem, ne fœnum quidem, sed fœno simile est. Nam ille quidem dicit,* omnis caro fœnu: *hic verò ait:* homo quasi fœnum: *secundum Ecclesiastem* vanitas: *secundum Paulum,* miseria est: *quibus enim se ipsum Apostolus verbis denominat, his vniuersum genus humanum miseratur: hæc homo. Deus autem quid est? Quomodo dicam, quid, cuius ne videndi quidē, nec auribus percipiendi, neque corde comprehendēdi potestas est?* Et post multa in eam sententiam sic infert: *Huic tamen tali, ac tantæ rei, quam neque videre, neque audire, neque ratione perpendere licet, is, qui pro nihilo in rebus vniuersis reputatus est homo, qui cinis, qui fœnū, qui vanitas est, cōciliatur, atque in locum filij assumitur à Deo rerum vniuersarum. Quæ gratiarum actio huic beneficio par inueniri potest? quæ vox? quæ sententia? quis cogitationis motus, quibus insuperabile beneficium celebretur?* Et paulò post hominis dignitatem sic attollit. *Excedit homo suam ipsius naturam immortalis ex mortali; ex fragili, atque caduco integer, & incorruptus; ex diario, atque temporario sempiternus; in summâ Deus ex homine euadens. O diuitis Domini magnificam largitionem! O largam & vberem palmam! O magnam manum! Quanta arcanorum thesaurorum sunt dona?* Hæc & plura ibi Nyssenus. Quibus placet adiungere hæc Gentilis Epicteti apud Lipsium in Senec. ad lib. de Prou. c. 2. *Si te Cæsar adoptasset, quis supercilium tuum ferret? nunc cum Dei filius sis, non te æstimas, & attollis?*

Nyssen.

Gen. 18. 27.
Isai. 40. 6.
Psal. 36. 2.
Eccles. 1.
1. Cor. 15.

7. Sed illud etiam iuxta superius dicta in verbis Ioannis expende non dixisse, videte, qualem charitatem dedit nobis Deus, sed potius, *dedit nobis Pater*, vt nimirum hæc de æterno Patre acciperemus, qui inde nos, vt vidimus, filios habet: quod Christo naturali ipsius filio copulati, & agglutinati sumus: atque ea de causa benignissimis oculis, blandissimo affectu, ac dulcissimo quodam modo, vt filios nos recipit, adoptiuos quidem; sed quibus cum naturali ipsius filio maxima gratiæ coniunctio sit. Vnde audeat quis dicere amorem, quo nos diuinus parens prosequitur, aliquem eius amoris gustum habere, quem erga filium suum naturalem habuit. Porro eâ de causâ noluisse Deum, omnes à se solo homines, sicut primum nostrum parentem creari, sed alios potius ab aliis indesinenter gigni, vt magnitudinem paterni huius amoris, quo nos Deus Pater prosequitur, aliqua ex parte perciperemus, aureus Chrysologus sic author est serm. 55. *Ideo te Deus Patrem fecit, ideo à te voluit hominē procreari: qui vtique quod de terra fecerat, poterat fecisse quam plurimos: sed egit, vt generando scires, quanta esset generantis affectio, & te in amorem tui tantum probares authoris, quantum ipse author pignoris tuo pignori conaris impendere.* Ecce qualem charitatem dedit nobis Pater, vt filij Dei nominemur, & simus. Adsimile illud Saluian. Massil. lib. 4. de Prouid. *Quia,* in ipso, *vt scriptum est,* & viuimus, & mouemur, & sumus (Act. 17.) *Ab ipso vtique affectum omnem, quo pignora nostra amamus, accepimus. Totus namque mundus, & totum humanum genus pignus est creatoris sui. Et ideo ex hoc quoque affectu quo amare fecit pignora nostra, intelligere nos voluit, quantum ipse amaret pignora sua. Sicut enim vt legimus.* (Rom. 1.) inuisibilia eius per ea, quæ facta sunt intellecta conspiciuntur: *Ita amorem erga nos suum, per eum, quem nobis erga nostra dedit amorem, voluit intelligi, & sicut omnem, vt scriptum est Ephes. 3. paternitatem in cœlo, & in terrâ à se ipso voluit nominari, sic à nobis Patris in se affectum voluit cognosci.* Hæc ille.

Chrysol.

Saluian.

Iam quam ingens spei nostræ robur hinc accedit? quid enim nobis optimus Pater denegabit, siue potius quomodo *nobis non omnia donabit?* Quare opinor ideo à Paulo gratiam & pacē à Deo Philippensibus bene precante additum esse, *Patre nostro,* vt paterno audito affectu, eorum spem erigeret, facileque, ac pernium hoc illis fore beneficium persuaderet. Hanc certe sententiam necessaria hac ratione conclusit, Matt. 7. 11. *Si vos cum sitis mali nostis bona data dare filiis vestris: quanto magis Pater vester, qui in cælis est, dabit bona petentibus se?* quasi dicat: si vos, qui partim boni, partim mali, ex ea parte, qua boni estis, filiis vestris non gladium, nō scorpionem, non lapidem: sed ea, quæ vobis suppetunt, bona alacriter impertitis: quāto magis Pater vester, qui non ex parte, sed summe, & infinite bonus, & beneficus diuina, & pulcherrima dona vobis, filiis scilicet vnice dilectis large, effuseque dabit? Sed quibus filiis? illis quidem, qui quamuis gratiâ solum & adoptione sint filij, intime tamen adhærent, & vnum quodammodo sunt effecti cum naturali eius filio, atque ideo quæ ipsis Pater æternus munera largitur, filio suo naturali, cui ipsi sunt sociati, certo quodam modo cēseatur impertire. Ad quam quidē cogitationem facit illud, quod metaphoræ vitis, & palmitum, necnon phrasi manendi in Christo toties inculcatæ, quibus hæc maxima coniunctio cum Christo asseritur, ipse immediate subiungit: *Si manseritis in me, & verba mea in vobis manserint, quodcumque volueritis petetis, & fiet vobis:* ac si his verbis non nihil de iure naturalis filij, quod Christus habet, in nos transfunderet, vt summo iam iure, cum Deo agere possimus, & ab eo, quidquid postulauerimus, obtinere. 7.

Matt. 7. 11.

Cui rei appositus locus est apud Ioann. 15. 23. *Si quid petieritis Patrem in nomine meo dabit vobis,* iuxta acutam expositionem, quam iis verbis in M. S. reddidit Ribera, vt illud, *in nomine meo,* perinde sit, ac *ex parte mea,* phrasi in Scripturis vsitata. vt Exod: 5. 23. & Deut. 18. 19. & 1. Reg. 25. 5. *Salutabitis eum nomine meo, &c.* atque ideo is sit sensus, ad rationē huius coniunctionis cum Christo, quam persequimur, duo pertinere: alterum, vt ex eâ facta sit nobis facultas petendi quidquid saluti nostræ fuerit consentaneum ex parte Christi, hoc est, vt quod nos à Patre petimus, & accipimus, Christus in nobis, & accipiat, & petat, ac si ipsi esset opus, iuxta id Ps. 67. *Cepisti captiuitatem, accepisti dona in hominibus.* Alterum, iam minime dubitandum obtenturos nos à Patre, quidquid hac ratione ab ipso efflagitauerimus: confirmant verò hanc explicationem, quæ statim sic Christus subiungit: *Vsque modo non petistis quidquam in nomine meo, petite, & accipietis,* quæ, vt difficilius in aliorum sententiis explicantur, vt apud Maldonatum & Toletum videre est: ita iuxta prædictam expositionem facilia, & expedita sunt. Ac si dicat Christus: hic exorandi modus hactenus vobis ignotus fuit: quippe qui sublimiorem doctrinam, & affectum continet. Iam verò quando vobis innotuit, eo bene vtimini, & obtinebitis à Patre quidquid vobis ad salutem fuerit expediens. Addit deinde, *in illo die, in nomine meo petetis, & non dico vobis, quia ego rogabo Patrem de vobis: ipse enim Pater amat vos, quia vos me amastis:* hoc est tanto vos pater amore complectitur, dum mihi associatos, & coniunctos 8.

Ioan. 15. 23.
Exod. 5. 23.
Deut. 18. 19.
1. Reg. 25. 5.
Psalm. 67.

iunctos videt, vt opus non habeat alia interuentione, aut prece ad omnem vobis opem ferendam: res enim ipsa per se loquitur.

10. Hæc cum ita se habeant, quis de diuina benignitate, mansuetudine, & ad supplicium, si eo sit opus, cunctatione ambigendi nobis locus relinquatur? Humani quidem Patris naturam expendens Senec. lib. 1. de Clem. c. 14. optime dicebat. *Numquid aliquis sanus filium ad primam offensam exheredat? nisi magnæ, & multæ iniuriæ patientiam euicerint, nisi plus est, quod timet, quam quod damnat, non accedit ad decretorium stylum. Tarde sibi Pater membra sua abscindat, etiam cum absciderit, reponere cupiat, & abscindendo gemat cunctatus multum diuque.* Quid si diuini parentis charitatem nosset, qui prodigis etiam, & fugitiuis filiis patrem se exhibet? Quam ad rem benè notatum à Pasch. est lib. 3. in Matth. prodigum illum, apud Lucam 15. quàuis filij nomine se prorsus indignū agnosceret, dum intra se dicebat: *Non sum dignus vocari filius tuus.* attamen non dubitasse patris nomen vsurpare, quod vt ipse filij nomen demeruerit, at paterna viscera pater nūquam amiserit. *Hoc quippe insinuat filius ille prodigus, qui quamis non audeat nec dignetur se filium vocare: tamen nihilominus patrem eum appellat, quem scierat non posse mutari, ac si patenter clamet: si ego peccaui in cælum, & non sum dignus vocari filius tu nunquam pater fore desistis, neque viscera paterni affectus vnquam prætermittis.* Hæc Pasch. Similiter Galfridus in allegoriis Gotfridi Tilmani, ad c. 11. Lucæ, expēdens præfata Christi verba, vers. 12. *Si vos cum sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris, &c.* sic exclamat. *O confusionem! O consolationem! O degeneres filios tanti patris, & patrem magnum degeneres filios denuo generantem! Quod enim Pater noster est prima creationis origine non modo non prodest, sed obest, nisi susceptus Christus a nobis dederit potestatem, per bonum spiritum bonos fieri filios boni patris: nihil enim nasci profuit, nisi redimi profuisset.* Hactenus Galfridus.

Cauendum tamen nobis ne paterna hac indulgentia, pietatéque abutamur: *Certum est enim* (verba sunt Zenon. Veron. serm. 1. de Isaia) *in eum filium postea, qui am deliquit grauiter vindicari, quem pater plurimo dilexit affectu, & quantam pietatem dilecto filio amatus pater exhibuit, tantam læsus exigit vltionem: quia cum vicem non reddidit patri dilectus filius, dignam sententiam percipit abdicatus.* Eaque de re nos plura ad cap. 2. vers. 16.

ADNOTATIO II.

Deum, Patrem nostrum appellari, quod eius natura bona & ad benefaciendum prona sit.

1. IAm quod æternus Pater, qua Deus est, Pater etiam noster dicatur, ea mihi succedit ratio, quod Patris nomen cum charitatis, bonitatis, ac beneficentiæ vocabulum sit, Dei naturam ad viuum exprimat: nam vt ipse: *Ea est religione venerandus,* (verba sunt Ambrosij lib. 1. de fide c. 7.) *vt quidquid religiosius sentiri potest, quidquid præstantius ad decorem, quidquid sublimius ad potestatem, hoc Deo intelligas conuenire.* Ita plane nihil omnino est, quod illam maiestatem, quæ, quia lucem habitat inaccessibilé, visu incomprehensibilis, factu ininterpretabilis, sensu ininuestigabilis est; sic nobis aspectabilem, ac quasi de facie notam reddat, ac beneficentia, & bonitas; quippe quæ diuinæ substantiæ primaria perfectio, & quasi illius constitutiua est: sic diuinus Dionysius, libro de diuinis nominibus, cap. 4. bonum primariū, ac peculiare Dei nomen esse, ipsamque substantiam diuinam, bonitatem appellari, ad hunc modum scribit. *Age ergo iam ad nomen boni nostra veniat oratio, quod præcipuè Theologi ab omnibus secretum diuinitati, quæ Deum superat tribuunt, ipsam, vt opinor, diuinam essentiam bonitatem appellantes: quod hoc ipso, quod bonum est, vt bonum per se, & essentia sua in ea quæ sunt omnia bonitatem diffundat.* Ita Dionysius, id quod egregia hac similitudine illustrat, *Vt enim sol noster non cogitatione aut voluntate, sed eo ipso quod est omnia illustrat, quæ eius lumen pro modo suo capere possunt, sic etiam ipsum bonum, quod ita præstat soli, vt prima species tenui obscuraque imagini per se, ipsaque essentia sua his, quæ sunt omnibus pro eorum captu totius bonitatis radios emittit.* Hæc ille. Consentanea scripsit Synesius, Cyrenæ Antistes, oratione de regno, sed aucto quidem censu, & nostro instituto opportunius, dum egregiæ huius bonitatis ratione Patrem à nobis in dominica oratione Deum appellari censet: dum enim prius dixisset: *Nullum enim nomen inuentum est, quod Dei naturam assequeretur, sed cum ab eà exprimenda homines aberrarent per ea, quæ ab illo fiebant ipsum attingere conati sunt. Regē igitur si appelles, ab his, quorū Rex est, non à propria persona, naturā illius apprehendere conaberis:* statim sic subiungit: *Bonū vtique Deū, omnes tam sapientes, quam imperiti homines, vbique celebrant, idque vniuersi mutuo consensu, atque vna voce profitentur, licet quod ad alia attinet variis de Deo sententiis dissideant, & incorruptam illius, atque indiuiduam naturam mira opinionum diuersitate partiantur. Nihil aliud sibi vult huius nominis sensus, quam vt Deum bonorum omnium causam significet, sacraque in augustissimis mysteriis Patrum nostrorum preces, quæ ad Deum supra omnia eminentem clamant, non ipsius principatum prædicant, sed prouidentiam, curamque venerantur.* Ad quæ verba ipsius commentatores, Camerarius, & Dionysius Petauius sic allusum à Synesio obseruant ad orationem Dominicam, vt etiam legi velint in Synesio, πατὴρ ἡμῶν, id est, *Pater noster*, non [illegible]. Sed ad rem. Dionysio similis Cyprianus de diuina ad benefaciendum facilitate eandem Solis similitudinem sic vsurpat epistola 2. *Nec ad hoc pretiis, aut ambitu aut manu opus est, vt hominis summa, vel dignitas, vel potestas elaborata mole pariatur, sed gratuitum de Deo munus, & facile est, vt sponte sol radiat, dies illuminat, fons rigat, imber irrorat: ita se spiritus cœlestis infundit.* Ita Cyprianus.

2. Vnde intelliges cur non secus, ac si ingens nobis bonum Ioannes promitteret, de Deo enunciat ipsum omnimodo lumen esse, sic namque 1. epist. cap. 1. 5. *Hæc est annunciatio quam audiuimus à Deo, & annunciamus vobis, quoniam Deus lux est, & tenebræ in eo non sunt vllæ.* Quæ verba sic legit Cæsarius frater Nazianz. dialogo primo. *Hæc est illa promissio quam nosmet ex ipso audiuimus, Deum esse lumen.* Plane, quia dum de Deo nobis annunciatur lumen esse, simul etiam innuitur eam esse ipsius naturam ad benefaciendum pronam, vt non secus ac lux cohibere, negareue se ipsam non possit, quin nos illuminet, & bonitatis suæ participes faciat. Quo it emphatica illa Dauidis oratio, Psalmo 76. 7. *Nūquid in æternum proiiciet Deus aut non apponet, vt complacitior sit adhuc? aut obliuiscetur misereri Deus, aut continebit in ira sua misericordias suas?* Quod perinde est, ac si dicat. Poterit ne Deus suimet obliuisci, aut cum suamet natura, cuius proprium est misereri, pugnare? minime. Ita ad id loci Didymus, his verbis: *Vt neque lux obliuisci vnquā potest quo minus illuminet, neque ignis quominus calefaciat. Nam etsi ad modici temporis iram peccato interposito, videatur misericordias continere, attamen non in perpetuum continebuntur.*

Hæc

Marginalia: Seneca. — S. Zenon. — Ambros. — Dionys. — Synesius. — Camerar. & Petau. — Cyprian. — 1. Ioan. 1. 5. — Cæsarius. — Psalm. 76. — Didym.

3. Hæc quidem me manuducunt, vt intelligam sub
Ad Titum 1. 2. quo sensu dixerit Paulus ad Titum cap. 1. 2. *In spem vitæ æternæ, quam promisit, qui non mentitur Deus ante tempora sæcularia.* Nam difficultatem habet,
Hieron. ibi. Augustin. quomodo ante tempora sæcularia (siue vt Hieronymus ibi, & Augustinus lib. 12. de Ciuit. Dei, cap. 16. legunt, *æterna,*) hoc est ante omnem æternitatem, vt Hieronymus, & meliores interpretes exponunt, vitam Deus promiserit æternam. Cui enim? nam ante tempora sæcularia non erat, cui promitteret, cũ tamen promissio inter duos intercedat, ne-
Estius. cesse est. Dicunt plerique cum Estio ibi esse catachresim, quia promittentes constituunt dare, quod promittunt, & hinc abusum Paulum voce promissionis pro decreto, vt sit sensus, Deum ab æterno præordinasse dare electis gloriam. Ego verò (si aliquis vocis abusus est admittendus) potius dicerem Deum eleganter à Paulo induci, sibi ipsi, tanquam alteri salutem hominum, quasi magnum bonum pollicentem: adeò ex se ipso bene merendi de nobis causam sumit; vt sibi ipsi benefacere vi-
Dion. supr. deatur: ita quidem dixisse videas Dionysium citato capite 4. lib. de diuinis nominibus: *Ipse sui ipsius, & sibi ipsi prouocator, & motor est.* Ac si diceret, ipse semetipsum ad benefaciendum prouocat, tamque benefaciendo delectatur, vt sibi ipsi benefacere videatur.

4. Huc pertinet Spiritum sanctum tertiam sanctissimæ Triadis personam dici, & esse donum Dei: sic enim non solum ab Ecclesia *Donum Dei altissi-*
Act. 8. 20. *mi* appellatur, sed etiam ab Apostolorum Principe, cum grauiter increpans magum illum Simonem, quod Spiritum sanctum coëmere voluisset, dixit: *Pecunia tua tecum sit in perditionem, quia donum Dei existimasti pecunia possideri.* Actuum 8. 20.
Athanas. Vnde obseruauit Athanasius, libro de Incarnatione Christi, pro illis verbis Assertoris nostri, apud
Matt. 7. 10. Matthæum 7. 10. *Si vos cum sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris, quanto magis Pater vester da-*
Luc. 11. 9. *bit bona petentibus se?* Lucam 11. 9. vt interpretem reposuisse: *quanto magis Pater vester dabit spiritum bonum,* (hoc est *sanctum,* vt ipse explicat,) *petentibus se?* Vbi vides Spiritum sanctum esse donum, siue bona, aut munera Dei hominibus collata. Plane, quia vt Patri innascibilitas, Filio verò filiatio, ita Spiritui sancto, vt proprietas characteristica competit donum Patris, & Filij ad benefaciendum nobis, vitamque rebus impartiendam esse, adeò proprium, & innatum, antiquumque Deo est vitam homini dare, summéque beneficum esse.

5. Sunt vero hæc valde consentanea illis Sapien-
Sap. 16. 21. tiæ verbis, capite 16. 21. *Substantia tua dulcedinem tuam, quam in filios habes, ostendebat,* id est, vt tuam naturam, tuamque substantiam manifestam faceres, dulcedinem, & suauitatem tuam filiis tuis optimus parens ostendisti. Sic enim legit,
Nazianz. & intelligit hæc verba Nazianzenus oratione 49. *Apud Salomonem dicitur, substantia mea dulcedo*
Oration. 26. *mea est.* Vnde ipse oratione 26. hac mente imbutus, (inquit) *cum multis nominibus admirabilis nobis, & suspiciendus occurrat, nihil tamen tam proprium habet, quam omnes beneficiis afficere.* Sic ille. Similiter
Ambrosius. Ambrosius, libro de fuga sæculi, capite 6. *Hoc est bonum, quod penetrat omnia, & omnes in ipso viuimus, atque ex ipso pendemus, ipsum autem supra se nihil habet, sed est diuinum. Nemo enim bonus, nisi vnus Deus. Quod ergo bonum diuinum, & quod diuinum bonum:* & ideo dicitur: *Aperiente autem te manum tuam omnia implebuntur bonitate.* Sic Ambrosius.

6. Hinc etiam Paulus, cui prona hæc, & profusa Dei ad miserandum, & benefaciendum natura satis perspecta erat, non alia ratione explicandam duxit, quam Deum omni perfectionum, ac virtutum genere æque prædiuitem, peculiariter diuitem in misericordia appellat ad Ephesios 2. 4. & ad Romanos 2. 4. *Diuitias bonitatis eius* (Syriace, *dulcedinis*) prædicat: 2. verò ad Corinthios 1. Patrem misericordiarum vocat plane, vt indicet ex propria natura habere, vt misereatur, & benefaciat, non secus, ac qui filium gignit, ex propriæ illum substantiæ visceribus educit. Quod ad ea Pauli verba sic affirmauit Bernardus sermone 5. in natali Bernardus.
Domini: *Bene dicitur Pater misericordiarum, cui proprium est misereri semper, & parcere:* & post pauca. *Quod miseretur proprium est illi: ex se enim sumit materiam, & velut quoddam seminarium miserendi. Rectè igitur non Pater iudiciorum, vel vltionum dicitur, sed Pater misericordiarum; non modo, quod Pater videatur misereri potius, quam indignari, & quemadmodum Pater filiorum misereatur timentium se, sed eò magis, quod miserendi causam, & originem sumat ex proprio: iudicandi, vel vlciscendi magis ex nostro.*

Nec Pater solùm, sed mater etiam misericor- 7.
diarum Deus visus est Chrysostomo, quod misericordia velut grauidatus eam tanta alacritate, & impetu pariat, & fundat ex se se, vt non secus sit, ac mulier, cui cum partus maturescit, nihil aut magis in votis, aut adeò naturale, imò necessarium est, quàm fœtum in lucem proferre: vt verò cum parit, summâ afficitur lætitia: ita cum in pariendo laborat, intestinis dirisque laboribus discruciatur: *Benignus,* inquit, *est Deus, & quemadmodum parturiens cupit enixi fœtum, ita ille cupit effundere suam* Chrysost. orat. de S. Philog.
misericordiam. Sic ibi Chrysost. Persimili etiam sensu, persimili elegantia, homilia 55. in Matthæum, & hom. 55. in Matth.
tom. 2. in hanc sententiam explicat illud Isaiæ 58. Isai. 58. 8.
Tunc erumpet quasi mane lumen tuum, (siue vt ipse legit) *tunc erumpet matutinale tuum:* acuto pendens, non dictum fuisse à propheta, *apparebit,* sed potius *erumpet,* aut *prorumpet,* quasi eo impetu ad benefaciendum vtatur, vt si (ad nostrum captum explicanda res esset,) non aliud foret eum reprimere, aut cohibere, quam disrumpi, & quasi crepare: en verba Chrysostomi. *Cur non apparebit, dixit, sed erumpet? Vt velocitatem scilicet, & copiam dantis exprimeret, vtque hoc verbo intelligamus valde illum nostræ salutis cupidum esse, quodque muneribus plenus ex largiendi festinatione, quasi prorumpit, cum nihil sit, quod ineffabilem eius impetum prohibere possit: quibus omnibus infinitam profectò bonorum copiam paratam nobis esse ostendit.* Hactenus Chrysostomus. Vnde & genuinam ipsius prolem misericordiam esse, optime ex Paulo eliciebat Bernardus supra: & similiter tunc bonum Dominum requiescere, cum homini requiem parauerit, pulchre ex illis verbis
Genesis 2. 2. *Et requieuit Dominus die septimo,* ad Genes. 2. 2.
hunc modum deducit Augustinus in catena Lippo- August.
mani: *Et propterea requieuisse dicitur Deus, translato genere locutionis, cum creatura rationali, in qua, & hominem creauit in se ipso, requiem prabuit.* Sic Augustinus. Similia ad ea verba habet Ambrosius lib. Ambros.
6. in Hexam. cap. vlt.

Huc facit, quod à Sapiente dicitur Prouerbio- 8.
rum 16. 4. *Vniuersa propter semetipsum operatus est* Prou. 16. 4.
Dominus: cum aliàs id non videatur congruere illi veritati, *propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cœlis.* Sane Bernard. sermon. 3 in Bernardus.
die Pentecost. sic capit Sapientis verba, vt non tam causam finalem, quam impellentem contineant. *In eo quippe quod dicitur* (inquit Bernardus,) *omnia propter*

propter se præueniens commendatur origo: in eo autem, quod dicitur, omnia propter suos, magis exprimitur fructus sequens. Omnia fecit propter semetipsum, gratuitâ scilicet bonitate, omnia propter electos suos pro eorum, scilicet vtilitate, vt illa quidem efficiens causa sit, hæc finis. Ita Bernardus. Adstipulatur huic cogitationi ineffabilis illus nominis, *Iehoua*, à Prado summæ eruditionis viro in Ezechielem reddita ex Hebræo significatio, & explicatio, vt nimirum non tam significet (quod alij putant,) *ego sum qui sum*, quam *ego ero qui ero*, vt sensus sit, ego in humani generis redemptione, & tutela is ero, quem me esse decet: nec enim negare me ipsum possum, aliumque homini, quam benignissimum me exhibere.

Prado in Ezech. in commentar. prima vision. p. 1. sect. 4.

9. Expressit hunc sensum Propheta Regius dum pluribus à Deo cumulatus beneficiis, ita ipsum prudentissime dicitur allocutus 2 Regum 7. 18. *Quis ego sum Domine Deus, & quæ domus mea, quia adduxisti me huc usque* (LXX. *quia dilexisti me vsque ad hæc*) *& quid adiiciet Dauid vltra loqui ad te? propter verbum tuum, & secundum cor tuum fecisti omnia magnalia hæc*: quasi diceret, equidem tui ipsiusmet causa Domine, atque vt tibimet ipsi satisfaceres, cui naturale, & proprium est optime mereri, causasque benefaciendi non aliunde assumere, quam ex propria vi. & natura, tot me beneficiis ornasti. Sed discrepauitne ab hoc sensu, nec latum vnguem Seneca epistola 95 sic inquirens, sicque respondens? *Quæ causa est Deo benefaciendi? natura: errat si quis putat illum nocere velle, non potest: accipere iniuriam nequit, nec facere: lædere enim, lædique coniunctum est. Summa illa, ac pulcherrima omnium natura, quem periculo exemit, nec periculosum quidem fecit.* Et epist. 65. *Quæris quid sit propositum Deo? propter quod hanc magnitudinem operis pulcherrimi fecit? Bonitas: ita certe Plato ait, quæ Deo faciendi mundum causa fuit; bonus est, bono nulla cuiusquam boni inuidia est.*

2. Reg. 7. 18. *Sen. ep. 95.* *Sen. ep. 65.*

10. Videas quidem id mirifice adumbratum in prima hominis creatione, vt enim illi summus parens vitam infunderet (sacro sic testante eloquio. Genes. 2. 7.) *Spirauit in faciem eius spiraculum vitæ, & factus est homo in animam viuentem*: vbi expende pro verbo, *spirauit*, Hebraicè esse *Napach*: quod proprie flatum emittere, siue respirare significat, vt manifestè appareat, tam naturale, ac proprium Deo esse benefacere, vitamque homini elargiri, quàm naturalis est respiratio ipsa viuenti: ac quemadmodum ego ipse per respirationem viuo, siue per ipsam vita mea constat, & subsistit, dum vitali hoc, & salutari spiritu fruor, quem aër viuentibus præbet, (sic namque vitam, mortémque diffiniuit Ambrosius libro de bono mortis, *Vita est spirandi munere frui, mors priuari.* Nec aliò it quod Plato in Cratylo animam hominis hac de causa, ventum, seu refrigerationem appellari sic affirmat: *nam quia cum anima in corpore est, causa ipsi est, vt viuat, respirandi vim ei præbens. Simul autem, vt respiratio desinit, corpus interit, & homo moritur; propterea mihi videntur animam veteres ψυχὴν appellasse.* ita Plato) ita Deus tunc arcano sermone respirare ad vitam dicitur, cum aliis vitam tribuit: respiratio ergo mihi vitæ causa est: Dei autem vita, siue, vt ita dicam, Dei respiratio spiritum, & vitam creaturis largitur, & vt ego nisi respirauero, non viuam: sic Deus (si ita loqui fas est) vt sibi viuat, aliis benefacere, & vitam infundere quodammodo opus habet: tanta eius bonitas, tàm benefica ipsius natura est. Expressit hanc cogitationem Clem. Alexandrinus libro 6. Stromatum, his verbis: *Nam cum sit bonus, si cessaret vnquam benefacere; Deus quidem cessabit esse: quod nefas quidem est dicere.* Sic Clemens. Concinit perbella sententia eiusdem Domini apud Zach. cap. 11. 8. vbi innuens ob populi ingratitudinem cogi innatam benignitatem reprimere, & animum ad benefaciendum profusum cohibere, sic emphaticè ait: *Et contracta est anima mea in eis.* Vbi Aquila, & Theodotion apud Euseb. lib. 10. Demonst. Euangel. pro, *contracta*, legunt, *exanimata*, siue *deliquium passa est anima mea.* Quæ ductâ similitudine à syncope, quam Medici vocant, cum animus liquitur, defunctique imaginem quis habet, optime explicant Dei naturam summe beneficam, qui dum cogitur ob nostram ingratitudinem à sua liberalitate cessare, veluti animo deficere, & exanimari videtur: adeò illi viuere, & benefacere idem est.

Gen. 2. 7. *Ambros.* *Plato.* *Zach. 11. 8.* *Aquila. Theodot.*

11. Huc facit, quod cum morituro præ siti Ismael, Genesis 21. 19. opportune subuenit Dominus, puteum aquæ, quâ sitim, vitæque periculum depelleret, ostendens, puteus ille pro re nata nomen viuentis, & videntis, hoc est, misericordiam exhibentis (id enim videre fuit) accepit: vt enim eo loci nomen hoc non apertiatur, non tamen obscure innuitur à Paraphraste Chaldæo, Genesis 24. 62. vbi pro puteo, cuius est nomen viuentis, & videntis, ipse reponit: *Puteum super quo Angelus vitæ apparuit*, manifesta allusione factâ ad puteum Agar ostensum, & aperte asseritur ab Oleastro, & aliis interpretibus ad caput 24. Genesis. Ecce ergo dum Deus viuens, & videns appellatur pro vnâ, eâdémque re, vel quæ saltim cum altera omnimodam connexionem habeat, ipsi adscribitur viuere, & misericordiã, vitamque præstare, ac indigenti subuenire. Nec lõgius ab hoc it dixisse Dominum Ezech. 33. 11. *Viuo ego*, & pene statim subdidisse: *Et quare moriemini domus Israel*, vbi hæc emphasis inesse videtur illi copulatiuæ, *&*, vt sit sensus: cum ego viuam, meaque vita instrumentum, causaque vitæ vestræ sit: cur vos gratis, me repugnante, interire vultis? Ac si dicat: dum ego viuo, vitam sum vobis inspiraturus: quid ergo erit in causa, vt moriamini, nisi quod scientes volentésque vos ad interitum ruere velitis?

Gen. 21. 19. *Chaldæus.* *Oleaster.* *Ezech. 33. 11.*

12. Adstipulatur præfatæ cogitationi ipsemet Dominus, cum se Eliæ videndum, & quasi intus, & in eute agnoscendum ostensurus, 3. Regum 19. 13. eas primum ante se res præmisit, quæ terrorem hominibus incutere solent: monens de singulis alienam à se ipsa conditionem habere, deinde Eliæ obuiam veniens in placidissimo vitalis auræ sibilo se illi præsentem exhibuit: sic enim ibi: *Et post ignem sibilus auræ tenuis*, vbi lectio LXX. quæ in Bibliis, & Regiis, & Complutensibus habetur, subdunt, *& ibi Dominus*: scilicet in vitalis auræ, quam ad vitam haurimus, respiratione. Ecce Dominum. Vide eius naturam, conditionem, faciē. *sibilus*, inquit, *auræ tenuis*, seu si pure ex fonte Hebræo legas: *sibilus auræ lenis*: vel vt habet lectio Tigurina, *sibilus tranquillus, & lenis.* Quæ omnia coeunt, vt illam Dei bonitate, & naturâ dignissimam vocem exprimant: *Ego cogito cogitationes pacis, & non afflictionis.* Ieremiæ 29. 11. quam audisse videtur Seneca cum dixit, lib. 2. de ira, c. 27. *Quædam sunt, quæ nocere non possunt, nullamque vim nisi beneficam, & salutarem habent, vt Dei immortalis, qui nec vult obesse, nec potest: natura enim in illo mitis & placida est, tam longe remota ab alienâ iniuriâ, quàm à sua.* Quid enim aliud præsefert tranquillus hic blandæ auræ sibilus, ab illo suauissimo spiritu, quem missurus Dominus Apostolos ad totius orbis peccata remittenda, in ipsorum faciem insufflauit dicens: *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittentur*

3. Reg. 19. 13. *LXX Bibl. Reg. & Compl.* *Seneca.*

tuntur eis. Ioann. 20. 22. Eliam nimio ſane zelo feruentem, & in peccatores plus æque excandeſcentem inde commonefaciens Dominus, vt ſui exemplo ad eorum potius commiſerationem propenderet, veniam ipſis, & erratorum, ſi ipſos pœniteret, condonationem offerens, quam ad punitionem, &
Theodoret. vindictã iram exacuẽs. Ita Theod. q. 57. in li. 3. Regum, his verbis: *Poſt hæc autẽ oſtendit, quod lenitas, benignitas, & clemẽtia ſola eſt Deo grata, vnumquodque autem aliorum attrahit hominum improbitas.* Sic ille. Quã ſane ad rem facit deorũ Regẽ apud Plutarch. benignum, & mitẽ appellari. Sic enim ille in lib. de non iraſcẽdo: *Itaque deorũ Regẽ benignum alij: Athenienſes verò, μειμάκτην, ni fallor, ideſt, mitem appellant.*

Sed id iam quam aperto hoc Iſaiæ teſtimonio
13. comprobatur, cap. 30. 18. *Expectat Dominus, vt mi-*
Iſai 30. 18. *ſereatur veſtri:* vbi Hebræum verbum Achech, pro quo Noſter poſuit, expectat, notatu eſt digniſſimum: proprie enim ſignificat, vt ibi monet Forerius, anhelare, ſiue inhiare. Ecce bonitatis diuinæ certiſſimum argumentum, dum vides Deum ad ſceleratorum hominum ſalutem, & vitam anhelantem: tamque auide ipſam appetentem, vt ab eâ quaſi ab ipſa reſpiratione, & vitalis auræ attractione pendeat. Sed vt bonis Deus, bonus ſit: cur etiã malis
Nyſſenus. bonus erit? Reſpondet egregie Greg. Nyſſ. tractatu 1. in Pſal. c. 8. *Cũ nos omni improbitatis genere obruti fuimus, ipſe à natura ſua nequaquã deſciuit, ſed id, quod eſt, egit: neque enim decet eum, qui natura bonus eſt, aliud, quam, quod natura ſua eſt, agere.* Sic Nyſſ.

13. Ex præfato verò Iſaiæ teſtimonio ad quem præ-
Chryſol. ſentem intelliges, quam apta ſimilitudine idem Dominus vſus fuerit, cum exoptans pœnitentiam, & ſalutem ciuitatis Niniues, ſimulque in eam ſententiam, & votum Ionam Prophetam, vtbi illi valde infenſum, & de hedera tunc recenter exſiccata dolenter adducere cupiens, ita cum eo diſceptabat Ionæ 4. 9. *Putas ne bene iraſceris* (*LXX. contriſtatus es*) *ſuper hedera?* Cui Ionas: *Bene iraſcor ego:* (*LXX. contriſtatus ſum*) *vſque ad mortem:* tum Dominus: *Tu doles ſuper hederam, in qua non laboraſti, neque feciſti, vt creſceret, quæ ſub vna nocte nata eſt, & ſub vna periit, & ego non parcam Niniue ciuitati magnæ, in qua ſunt pluſquã centum viginti millia hominũ?* Sed quæ hæc conſecutio, ſiue argumẽtatio eſt: cum Ionas nõ de hedera, ſed potius de æſtu, quo angebatur, doleret? Sic enim ibi nu. 7. *Et percuſſit hederã, exaruit, & percuſſit ſol ſuper caput Ionæ, & æſtuabat, & petiuit animæ ſuæ, vt moreretur.* Subſiſtit tamẽ argumentum ex dolore, & ſenſu Prophetæ, cui pulchre opponit Dñs tenerrimum ſibi innatum affectũ de interitu hominũ, vnde ſeipſum cum Iona anhelãte, & nimio ſolis ardore æſtuante ſic ſe cõponit, vt dicere videatur: Tu doles de hederâ, quæ tibi æſtuãti refrigerio, & ſolatio erat, nec ego de interitu tot animarũ, quæ mihi non ſecus, ac ipſa reſpiratio charæ ſunt, & quibus viuificandis totus incũbo, & anhelo, doleam: ac proinde de eorũ pœnitẽtia, & ſalute, quæ velut ſummi doloris mihi fomentum eſt, omni ratione non curabo? Sed quam illi Niniuitarum pœnitentia grata eſſet futura ex gaudio, quod in Mariæ Magdalenæ pœnitentiã percepit, diſce, & id quidem ex Chryſologo ſermone 93. dum gemitibus, ac lacrymis, quibus felix illa peccatrix criminum remiſſionem promerebatur, ſuauiſſimam ineſſe muſicam, quã Dei aures demulcerentur, ſic affirmat. *Ad delitias Deitatis totas totam pulſat cordis ſui, & corporis ſymphoniam: organi planctus dat clamorem: citharam per ſuſpiria longa modulatur, gemitus aptat in fiſtulam: & dum pectus ipſam cõſcientiã arguẽs ſæpe percutit, facit placitura Deo cymbala perſonare.* Hactenus Chryſ. ſatis quidem elegãter, præſertim dum ait, ad delitias Deitatis totas, quaſi nihil Deo præter hominis ſalutẽ in deliriis ſit. Conſentanea habet Ambr. li. 7. in Lucã ad parabolam de filio Ambroſ.
prodigo obſeruãs, ideo in illius reditu induci patrẽ manducantem vitulũ ſaginatũ, quod caro vituli, cũ ſacerdotalis eſſet, & victima pro peccatis; remiſſionẽ criminum, qua nullũ Deo epulũ ſuauius, nullũ delectabilius eſt, adũbraret: ſed audi: *Bene autem carnem vituli, quia ſacerdotalis eſt victima, quæ pro peccatis fiebat, epulantem patrem inducit filius, vt oſtenderet: quoniã paternus cibus eſt ſalus noſtra, & patris gaudium noſtrorũ redemptio peccatorum.* Sic Ambroſ.

Velazqu. in Epiſt. ad Philippenſ.

Id plane fuit in cauſa, quod de templo Dei ver- 15.
ba faciens Dauid, eleganti periphraſi voluptatem Domini ſic appellauerit, Pſ. 26. 4. *Vnam petij à Do-* Pſalm. 26. 4.
mino, hanc requiram, vt inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ, vt videã voluptatẽ Domini, & viſitem templum eius. Vbi tẽplum ex cõmuni interpretum conſenſu appellat, *voluntatẽ Domini*, ſeu, vt legit Hier. *iucunditatẽ*, vel vt Aug. ibi & Amb. l. 1. Hieron.
de Iacob, c. 7. *Delectationẽ*, ſiue etiã vt affirmat Agel- Auguſt.
lius eſſe apud LXX. *Decorẽ*: ſed quam ob cauſam? ex Ambroſ.
ipſomet certe templi fine, & vſu diſci poteſt. Quare LXX. apud Agellium.
in memoriam reuoca, quibus verbis in ipſa templi dedicatione Rex Sapiens Deum fuerit allocutus 3.
Regum 8. 28. *Reſpice ad orationem ſerui tui, & ad* 3. Reg. 8. 28.
preces eius, Domine Deus meus, vt ſint oculi tui aperti ſuper domum hanc nocte, & die, vt exaudias deprecationem ſerui tui, & populi tui Iſrael, vt exaudias quodcumque orauerint in loco iſto, & exaudies in loco habitaculi tui in cælo, & cum exaudieris, propitius eris. Et poſt pauca: *Si fugerit populus tuus Iſrael inimicos ſuos, quia peccaturus eſt tibi, & agentes pœnitentiam & confitentes nomini tuo venerint, & orauerint, & deprecati te fuerint in domo hac, exaudi in cælo, & dimitte peccatum populi tui Iſrael, & reduces eos in terrã, quã dediſti Patribus eorũ.* Hęc ibi, & plura, quibus reſpõdent, quæ li. 2. Paral. c. 7. 12. habẽtur. *Apparuit* 2. Paral. 7.
autẽ ei Dñs nocte, & ait, audiui orationem tuã, & elegi 12.
locũ iſtũ mihi in domũ ſacrificij: ſi clauſero cælũ, & pluuia nõ fluxerit, & mandauero, & præcepero locuſtæ, vt deuoret terrã, & miſero peſtilentiã in populũ meũ: conuerſus autẽ populus meus, ſuper quos inuocatũ eſt nomẽ meũ, deprecatus me fuerit, & exquiſierit faciẽ meã, & egerit pœnitentiã à viis ſuis peſſimis, & ego exaudiã de cælo, & propitius ero peccatis eorum, & ſanabo terrã eorum, oculi quoq; mei erũt aperti, & aures meæ erectæ ad orationẽ eius, qui in loco iſto orauerit. Vides quẽ ad finẽ tẽplum ſibi Dñs conſtruere voluerit? vt nimirum in illo ſua ipſius bonitas, benignitas, & miſericordia reſponderet. Ecce ergo quæ ſit voluptas, iucunditas, & delectatio Domini, imò & ipſius decor, nempe benignitatem, & miſericordiam ſuam in homines effundere. Tunc plane hilaris, tunc lætus, tunc denique decori ſuo proſpicere cenſet, cum in ſuis creaturis beneficentiſſimus eſt.

Sed & potentiã ſuam tũc Deus maxime oſtendit. 16.
Potẽtiam? Quare? quia ipſa ſũme benefica, & tota ad opẽ homini ferẽdã eſt. Audi primũ ea de re Philon. Philo.
lib. de migratione Abrahæ. *Liquet eſſe apud Deũ potentiã, quæ ad opẽ nobis ferendã excubat.* Sic ille. Notãtiſſime: non enim cõtentus fuit dicere, potentiam Dei ad benefaciendũ pronã eſſe, niſi etiam adderet, cõtinuas ad opẽ nobis ferẽdã, & indefeſſas excubias agere. Audi deinde Senec. li. 4. de ben. c. 26. elegantiſſime loquentẽ. *Æquali tenore bona ſua per gentes,* Senec.
populóſque diſtribuit vnam ſortitus potentiã, Prodeſſe.

Hinc intelliges cur Paulus 2. ad Timoth. 1. 12. 17.
explicans, quam certo eſſet perſuaſus æternam ſe 2. ad Timo.
à Deo mercedem pro laboribus à ſe toleratis fore 12.
aſſecuturum, reliqua diuina attributa bonitatem, benignitatem, miſericordiam, quæ tunc maxime

recensenda videbantur, vnius tantum potentiæ mentionē fecit. *Scio cui credidi* (id est, cuius me fidei commisi) *& certus sum, quia potens est depositum meum* (hoc est salutem Pauli, vt explicat Ambrosius, seu bona opera cum spe æternæ retributionis facta, vt videntur indicare Theophylactus, & Anselmus, vel ipsosmet fideles, vt Chrysostomus exponit) *seruare in illum diem iustus iudex.* Nimirum quia diuina potentia ita est cum bonitate, & benignitate coniuncta, vt ad opem hominibus Paulo præsertim ferendam indefessas excubias agat. Vnde emphatice vnius potentiæ mentionem Paulus fecit, minime dubius vnam Deum sortitum potentiam, *Prodesse.* Consentit verò sibi ipsi Apostolus, qui cap. 1. epistolæ ad Colossenses sic illis bene precatur: *Vt ambuletis digne Deo in omni virtute confortati secundum potentiam claritatis eius:* vbi virtutem, & incrementum fidelium aperte intelligit Apostolus esse diuinæ potentiæ effectum, sensu iam indicato: sed illud etiam addit voce illa, *claritatis*, tunc maxime potentiam Dei relucere, & glorificari, cum hominibus benefacit, & dona sua impertitur.

Ambros. Theoph. Anselm. Chrysost. Ad Coloss. 1. 10.

Ps. 67. 21. Quam quidem emphasim continet illud Psalmi 67. 21. *Deus noster Deus saluos faciendi:* Vbi Hebraice est, *Deus noster*, seu *Deus nobis, Deus ad salutes*, id est, totus est ad saluandum, & benefaciendum nobis: hæc eius natura, hoc ipsius ingenium, hæc illi vis ingenita est. Vel etiam, vt eo modo, quo nos ad exprimendam propriam hominis inclinationem, vt in literas, arma, venationem dicimus. *No se hizo para otra cosa:* quia videlicet totus in eam rem incumbit, nec ab illius studio, seu cogitatione potest dimoueri, dicat Propheta; Deus totus in salute hominibus exoptanda, procuranda, adhibenda versatur, eiusque potentia ad omnem opem hominibus ferendam inuigilat, & continuas excubias agit. Habet vero peculiarem energiam illa vocis, *Deus*, conduplicatio, siue reduplicatio, dum singillatim affigit, & addicit Vates Deitatem beneficentiæ, & benignitati, ac si dicat, ad saluandum, ac benefaciendum Deus est, & in salute hominibus impertienda totas Deitatis vires exercet.

VERSVS III.

Gratias ago Deo meo in omni memoria vestri.

COMMENTARIVS.

1\. EGREGIAM Philippensium laudem hæc verba præseferunt, dum affirmat Apostolus nunquam se illorum comminisci, quin immortales Deo pro illis gratias referat. Magnum est enim, (vt inquit D. Thomas,) eos esse Philippenses, in quibus nihil Paulo occurrat, quod gratiarum actione dignum non sit: sed illud me iudice maius quidem est adeo esse pronum in gratitudinem Pauli animum, vt de aliorum beneficiis indesinenter Deo gratias ageret: sic etiam videas dixisse Rom. 1. 8. *Gratias ago Deo meo per Iesum Christum pro omnibus vobis; quia fides vestra annunciatur in vniuerso mundo.* Quod quidem tale est, ac si nos quoties Indorum, vel Sinarum, qui Christo nomen dant, meminerimus, de eorum fide, tamquam de eximio in nos collato beneficio, Deo gratias ageremus; quæ rara sane, & heroica esset virtus.

D. Tho. ibi. Rom. 1. 8.

2\. Sed cur Paulus dixit, *Deo meo*, non verò Deo nostro, ac vestro, ipsum soli sibi vendicans? Dissimiliter respondent Origenes, & Chrysostomus, bene tamen vterque; dum prior eum loquendi modum ad Pauli iustitiam, siue sanctitatem: posterior verò ad peculiarem eius in Deum charitatem, & gratitudinem retulit: sic namque Origenes in c. 1. ad Rom. *Sed & hoc Deo meo non est otiose accipiendum: non enim vox ista potest esse, nisi sanctorum, quorum Deus dicitur, sicut Deus Abraham, Isaac, & Iacob: non potest Dominum Deum suum dicere is, cui Deus venter est, aut cui auaritia Deus est, aut cui gloria sæculi, aut pompa mundi, aut potentia rerum caducarum Deus est.* Placuit quidem hæc ratio pluribus patribus, Theophylacto ad id loci, Hilario in Psal. 118. in illud *Tuus sum ego.* Basilio in Psalm. 29. Hieronymo in Psalm. 5. & in Psalm. 80. Vrbano Papæ in Metaphrasi in Psalm. 50. quorum verba in adnotationibus appingemus. Displicuit tamen Cardin. Tolet. in cap. 1. ad Rom. quod præter Paulum plures, inquit, erant iusti. Sed hæc ratio nimium stringit Origenem, qui etiam sub hoc sensu, & Abraham, & Isaac, & Iacob Deum dici affirmat, atque ideo ipsorum singulos potuisse etiam dicere ad modum Pauli, gratias ago Deo meo. Certe huic sensui nihil officit Deum esse vnum, iustos verò plures: nam pronomen, *Meus*, potius se tenet ex parte Dei, maiestatem, & imperium in Paulum significantis, quam ex parte Pauli Deum in sinu suo concludentis. Vnde ex mente Origenis, non Deum vni Paulo, sed Paulum vni Deo addictum significat. Id quod in Rege, & subditis, domino & seruis planum fit, dum seruorum vnusquisque Regem, aut dominum recte appellabit Regem suum; Rex verò subdito infido, aut proditori iure dicat, immerito me Regem, aut dominum compellas tuum, qui mearum legum desertor, siue meæ salutis proditor es. Ita Roman. 16. 18. de malis Doctoribus dixit Paulus: *Huiusmodi enim Christo Domino non seruiunt, sed suo ventri:* Vnde sub hoc sensu Theodahadus Rex, apud Cassiodorum lib. 10 variarum, Theodosio homini suo, sic inquit. *Quia solus dicendus est ille meus, qui legibus potuerit esse tranquillus.*

Origen. Chrys. ibi. Theoph. ibi. Hilarius. Basilius. Hieronym. Vrb. Papa. Toletus. Ad Ro. 16. 18. Cassiod. 10.

3\. Iam Chrysostomus homil. 2. in Epistolam ad Rom. *Dispicito*, inquit, *quanto cum affectu gratias agat: non enim dixit Deo, sed Deo meo. quod & Prophetæ factitant, quod commune est, sibi priuatim vendicantes.* Ita ibi. Luculentius vero hom. 34. in Genesim: *Ita & Prophetis mos est facere, & dicere, Deus Deus meus, quamuis totius orbis sit Deus, sed peculiare hoc est amoris vt è communibus propria faciat.* Priori loco ad gratitudinem Pauli: posteriori vero ad ardentem ipsius charitatem referens: sed aduerte in his Chrysostomi explicationibus nonnihil variari (vt aiunt Logici) suppositionem: nam cum pronomen, *meum*, ad Pauli gratitudinem refert, Dei nomen sub sensu benefacientis, donaque sibi conferentis accipit phrasi in scripturis, & apud alios Patres non insolita, de qua nos præcedenti versu, adnotation. 3. non pauca diximus, quibus modo adde Ambrosij, & Augustini verba: ille enim lib. de Noë, & arcâ, cap. 21. sic legit verba Genesis 8. 20. *Ædificauit Noe altare Deo*, quamuis in Vulgato sit, *Domino:* sic vero explicat: *Quod ædificauit non Domino, sed Deo, secundum nominis interpretationem, non coacta videtur hæc actio esse gratiarum, quasi Domino: sed virtus iusti morigera, & grata quasi Deo, quod imperiale est, sequestrauit, quod beneficij nominauit.* Ita Ambrosius. Augustinus vero lib. vltim. de ciuitate Dei ad hunc modum exponit illud Ierem. 31. *ero illorum Deus: Quid est, ero illorum Deus, nisi ego ero vnde satientur, ego ero quæcumque ab hominibus honeste desiderantur, & vita, & salus, & victus, & copia, & gloria, & honor, & pax, & omnia bona?* Hæc

Chrysost. Et hom. 34. in Genes. Sup. vers. 2. adnotat. 3. Ambros. Gen. 8. 20.

Hæc August. Cum verò proprium amoris sit, inquit Chrysostomus, vt ex communibus propria faciat, ideoque Paulum dicere, Deo meo, non tam ad Dei beneficentiam, quam ad singulare Pauli in Deum obsequium, & charitatem videtur respicere, vt & à Paulo vnice colendus, & amandus Deus sit, & sic erga ipsum se gerat Apostolus, ac si ille solus Deo inseruiret, quod quidem eximiam diligentiam, & obsequentissimum efflagitat famulatum. Sed hæc in adnotationibus melius persequemur.

ADNOTATIO I.

Dei cultum castissimum, ac sanctissimum esse, eumque solum iure dicere, Deus meus, qui graui culpa obnoxius non est.

1. Basilius. APPLAVDVNT cogitationi Origenis in primis Basilius in Psalm. 29. & Hieronymus in Psal. 5. quorum prior: *Non omnium*, inquit, *Deus est Deus: sed eorum proprie, qui charitate sunt ei coniuncti, vt Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacob: si enim omnium esset Deus, non vtique seiunctim illis testimonium reddidisset, quasi aliquid eximium: & Iacob dicebat*: Auxiliatus est tibi Deus meus. *Et Thomas rursus, vbi certo didicit resurrectionem, Dominũ complexus, ait*. Dominus meus, & Deus meus: ita Basilius. Similiter Hieronym. in illud: *Rex meus, & Deus meus*, Psalm. 5. *Ille ausus est dicere, verè Rex meus, & Deus meus, cui non regnat peccatum in mortali corpore. Rex meus, & Deus meus, quia regnas in me, & non regnat peccatum, propterea Deus meus es. Tu es Deus meus, quia non est venter Deus meus; quia non est libido Deus meus: quoniam tu virtus es, & ego cupio habere virtutes, propterea tu es Deus meus, hoc est virtus mea.*

Hieron.

2. Est id adeò verum, vt Dauid, qui toties vsurpauit hanc vocem, *Deus meus*, cum se laqueis peccati cognouit irretitum, eâ vti ausus non fuerit, sed veniam à Deo efflagitans, ait: *Miserere mei Deus*. Psalm. 50. id sic obseruante Vrbano Papa in Metaphrasi, quæ habetur tom. 1. Bibliot. Vet. Patr. *Non audeo dicere meus, solummodo te Deum agnosco, sed meum te dicere non præsumo, cum esses mihi datus, & ideo propriè proprius Deus meus, ego infelix propter peccata mea te perdidi.* Sed & Hilarius in illa verba Psalm. 118. *Tuus sum ego*, dum ea cum his Pauli componit, sic inquit in hunc sensum. *Quomodo enim se Dei profitebitur in libidinem calens, in iram mobilis, in auaritiam sollicitus, in ebrietatem sitiens, in gloriam sæculi inanis? horum potius erit iste, non Dei. In quo enim hæc passionum vitia abundant, quomodo non eorum erit, quibus seruiet? Plures gentium dij, sed vnus Paulo Deus, ex quo omnia, & vnus Dominus noster, per quem omnia.* Hæc Hilarius: sed statim ad mentem Origenis superiora magis explicans subiicit. *Suus autem per id est, quod iustificationes eius exquirat, aliis quærentibus gloriam mundi, aliis quærentibus agros, domos, pecuniam; ille iustitias Dei exquirit, & quod Dei sit, gloriatur.* Ad quorum quidem Patrum gustum eâ veracitate, quam humilitas parit, exclamabat in suis confessionibus Augustinus. *O Deus, vtinam possem dicere meus:* quasi diceret, ô si te præ omnibus Domine, diligerem, nec in aliud meus se animus iniiceret, & intenderet.

Vrban.

Hilarius.

August.

3. S. Machar. Iam huius rationem sic reddit S. Macharius Senior, hom. 43. *Cui enim rei alligatum est cor, quove trahit illud cupiditas, hoc est illi Deus; si cor Deum spectat, ipse Deus est cordis eius.* Sic ille, tantum non dicens, animo siue corde potissimum Deum coli, eamque diuinitatis esse naturam, vt humanum ad se animum alliciat, vt eam præ cæteris rebus concupiscat, in ipsamque internas vires, tanquam in scopum sic dirigat, vt ab illâ quasi alligatus sit, & constrictus, ne aliò possit deflectere. Hinc Tertullianus in Scorpiaco aduers. Gnosticos. c. 3. acutè excogitauit in illis verbis Aarõ ad Moysem super formatione idôli, Exod. 32. 24. *Ego dixi, quis vestrum habet aurum? tulerunt, & dederunt mihi, & proieci illud in ignem, egressusque est hic vitulus*: mentem Israelitarum non tam de vitulo singillatim, quàm de alio quouis idôlo efformando fuisse, at ignem quasi rationis cõpos esset vitulum effinxisse, ostendens eorum animum Ægypti vituli amore adhuc teneri captiuum. Sic enim ille: *Aberat apud Deum in monte Moyses, quum populus, tàm necessaria eius absentiæ impatiens, deos sibi producere quærit, quos potius ipse perdiderit. Vrgetur Aaron, iubet inaures fœminarum suarum in ignem conferri: amissuri enim erant in iudicium sibi vera ornamenta aurium Dei voces. Sapiens ignis effigiem vituli diffundit illis, suggillans, illic cor habentes, vbi & thesaurum, apud Ægyptum, scilicet inter cætera animalia, bonis etiam cuiusdam consecratricem.* Exo 32. 24. Tertul. in Scorp. c. 3.

4. Huc facit ardens illa Regis Vatis sitis, Psal. 41. 2. *Quemadmodum desiderat ceruus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus*, vbi ex sitis huius similitudine pulchre explicat diuinitatis munus, sui cupiditatem in humano corde excitantis. Quam apte vero ea cupiditas cum hac siti componatur, sic explicat Nyssenus tractatu 1. in Psalm. *Cupiditatis vehementiam, & violentiam sitis comparat adductæ siticulosissima, quæ in animantibus est natura: vt maxime nobis ob oculos ponat intensionem cupiditatis per animal, quod supra modum siti cruciatur, & ardet: hoc autem animal ceruus est, cui consuetum venenatarum bestiarum cibatu vesci, & pinguescere, calidi verò, & igniti sunt huiusmodi animalium succi, quibus ingurgitatus ceruus fit necessariò aridior, talium animalium succo quasi toxico infectum, & ob id vehementius appetit aquam, vt curet exortam ex huiusmodi pabulo ariditatem.* Allicit ergo, & rapit ad se Deus siue verus, siue putatus hominis animum, tenet, retinet, illaqueat, atque (vt dicebat Macharius) alligat sibi, & vt sitiens fonti perpetuo desiderio inhæret, ita Deitati humana cupiditas. Vbi non possum non (licet obiter) vehementer laudare in Biblia Clementis nuper edita sequentibus verbis adhibitam correctionem, dum pro, *sitiuit anima ad Deum fontem viuum*, repositum est, *ad Deum fortem viuum*, vt enim siti accommodatior videretur fontis similitudo: sublimior tamen sensus, & ad vim diuinitatis exprimendam opportunior latet in epitheto, *fortis*: eo enim innuit Vates discrimen, quod inter sitim suam, & eam, quam falsorum Numinum cultores (hi etiam sæculares homines sunt) intercedit: quod hi sitiunt idola infirma, & mortua, quæ vt cor pellicere, acremque in eo sitim excitare valeant (sunt enim venenatæ bestiæ, vt dicebat Nyssenus, quarum succis quasi toxico inficiuntur, qui eis vesci consueuerunt) at eam depellere, siue aliquam liquidæ voluptatis partem conferre nequeunt: at verò ipse, fortem, viuumque Deum sitiat, cui non minus robur, atque fortitudo insit ad animi sitim explendam, quam ad excitandam: ergo, inquit Dauid, sitiuit anima mea ad Deum fortem viuum, qui in animi mei siti excitanda fortis, atque adeò fortis est, vt nulli præter ipsum humanarum voluptatum fontes, nulla sæcularium bonorum flumina valeãt depellere; in ea verò explẽda, & exsaturanda æquè fortẽ, & viuũ se præbeat: quippe qui torrente voluptatis suæ potare sitientes soleat. Psalm. 35. 9. Psalm. 41. 2 Nyssen.

5. Quò pertinent, quæ de idololatria monuit Dominus, Leuit. 26. 1. *Ego Dominus Deus vester. Non facietis vobis idolum, nec sculptile, nec insignem lapidem erigetis in terra vestra, vt adoretis eum.* Vbi pro illis verbis, *lapidem insignem*, Hebræa, vt transtulit Pagninus, habent, *lapidem depictum*, aut *cælatum*, vt Vatablus, *lapidem imaginis*, id est, imaginem lapideam. Chaldæa, *lapidem adorationis*. LXX. (iuxta translationem, quam in Biblia Garaphæ habemus) verba, & sensum optime assecuti reddiderunt, *nec lapidem signum ponetis*. Vbi in Græco fonte voci *signum*, respondet, σκόπον, sicut & Tertullianus in Scorp. aduersus Gnosticos, c. 2. Græca voce retenta legit: *Nec lapidem scopum ponetis in terra vestra.* Quibus in verbis, vt ex præfatis translationibus liquet, is sensus inest, non erigetis idolum, in quod tamquam in scopum animi vestri studia dirigatis. Est enim ibi scopus (sumpta metaphora à signo, in quod sagitta iacitur) id, quò mentem, & animi propositum dirigimus. Ideo frequenter ab Aristotele sumitur pro fine, quem sibi quisque proponit ad operandum. Vndè apparet illud dici pro Deo homini esse, in quod tamquam scopum animum intédit, siue, vt dicebat Macharius, cui alligatũ est cor.

Leuit. 26. 1. — Pagnin. — Vatabl. — Chald. — LXX. — Tertull.

6. Hinc facile est videre, non eos tantum, qui meri ethnici sunt, sed illos etiam, qui diuinæ legis obseruantiâ contemptâ, in rebus creatis animum, & studia figunt, idololatras quodammodo appellari posse. Sane ea cuiusuis lethalis criminis natura est, quod Theologi cum D. Thom. 1. 2. quæst. 1. art. 7. latius prosequuntur, vt qui illud committat, licet à veri Dei cultu non deflectat, ab ipso tamen, vt vltimo fine deuiet, atque ideo finis vltimi, ac proinde diuinitatis rationem in creaturâ constituat. Vnde prædicta verba Leuitici, *nec lapidem insignem ponetis, vt adoretis eum*, sic explicat Hisychius: *Cumulum auri, aut argenti, aut pretiosorum lapidum, in quibus seducuntur auari, sicut Gentiles in idolis.* Certe Bernardus in declamationibus super id: *Ecce nos reliquimus omnia*, hanc aliquando vocem dedit: *Va va in domo Dei horrendum videmus: quidni? Idololatras ministrantes: mentior, si non idolorum seruitus auaritia est, si non quibusdam etiam venter suus factus est Deus suus.* Subdit rationem, *quod enim quisque præ ceteris colit, id sibi Deum constituisse probatur.* Consentanea scribit Hieronymus in Psalmo 80. ad ea verba: *Non erit in te Deus recens*, ad hunc modum. *Cuius Deus venter est, Deus eς recens est; quotcumque vitia habemus, quotcumque peccata, tot recentes habemus Deos. Iratus sum, ira mihi Deus est; vnusquisque enim, quod cupit, & veneratur, hoc illi Deus est: auarus, aurum Deum habet.* Similiter Hebræus Philo libro de Monarchia, *quidquid homo præter Deum magni æstimat, idolum est*: ad quem etiam sensum vulgus solet afferre illud Æneidos 9.

D. Th. 1. 2. q. 1. art. 7. — Hisychius. — Bernardus. — Hieronym. — Philo. — Virgil.

Dij ne hunc ardorem mentibus addunt,
Euriale? an sua cuique Deus fit dira cupido?

Sed verba non facile eò se trahi sinunt, cum aliò inclinet mens Poëtæ: vide eius rei peritos.

7. Ambros. Superiora autem luculenter confirmat Ambrosius ad illa Regis Psaltis verba, Psalm. 118. *Tuus sum ego*: quæ, vt ex Hilario vidimus, sensum habent communem cum his Pauli: *Deo meo*: Ait ergo Ambrosius: *Numquid hac voce vtitur auidus pecuniæ? honoris? potestatis? Apostolorum itaque vox ista est, nec omnium tamen Apostolorum: nam & Iudas Apostolus fuit; & in conuiuio Christi inter Apostolos recumbebat, dicebat & ipse*, tuus sum, *sed voce, non corde. Venit, & introiuit in eum Satanas, & cœpit dicere: Non est tuus Iesu, sed meus es: denique ea, quæ mea sunt, cogitat, quæ mea sunt in pectore suo voluit, tecum epulatur, & mecum pascitur, à te panem accipit, à me pecuniam, tecum bibit, & mihi tuum sanguinem vendit, tuus est Apostolus, & meus mercenarius.* Ita Ambrosius, & statim: *non potest dicere sæcularis*, tuus sum: *plures enim dominos habet, venit libido, & dicit meus es: quia ea, quæ sunt corporis, concupiscis, in illius adolescentulæ amore te mihi vendidisti: in illius concubitu meretricis pretium pro te annumeraui. Venit auaritia, & dicit: Argentũ & aurum, quod habes, seruitutis tuæ pretium est. Venit luxuria, & dicit: Meus es, vnius diei conuiuium pretium tuæ vitæ est. Et venit ambitio, & dicit: Plane meus es, nescis, quod aliis imperare te feci, vt mihi ipse seruires? Quomodo ergo tu, qui huiusmodi es, potes Christo dicere*: tuus sum? *Respondebit tibi ille, non quicumque dicit*, Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum: *non quicumque dicit mihi*: tuus sum; *meus est.* Hæc Ambrosius, & plura, à quibus inuitus abstineo: vide illa.

Ecce tibi quid sibi vellet Elias 3. Reg. 18. 21. cũ 8.
Israeliticæ plebi, veri Dei simul, atque Baal cultum 3. Reg. 18. 21.
coniungere volenti, dicebat. *Quousque claudicatis in duas partes? Si enim Dominus ipse est Deus, sequimini illum; sin autem, sequimini Baal.* Vbi primum nota in fonte Hebræo pro illis verbis, *vsquequo claudicatis in duas partes*, esse, *vsquequo transitis super duas cogitationes.* Deinde obserua quantum diuinitatis rationi tribuat Elias, vt vnam tantum cogitationem in illam dirigi velit. Vnde hæc est argumentatio Prophetæ: In eo cardine diuinitatis ratio versatur, vt toto animo à suis cultoribus complectatur: cur ergo claudam venerationem erga vtrumque exhibetis, vnum cum alio coniungentes? duosque vobis proponentes scopos, in quos vnius cordis sagittam iaciatis. Equidem

Pectora nostra duas non admittentia curas. Iuuen. Satyr. 13.

Fuit verò id persuasum ipsimet sancto Iob, vt ad 9.
peccata etiam, quæ sola cogitatione perpetrantur, Iob 31.
illud referret: sic enim cap. 31. *Pepigi fœdus cum oculis meis, vt ne cogitarem quidem de virgine*, hoc est firmiter apud me statui non reipsa solum, sed nec cogitatione fœdum cum virgine congressum concupiscere: reddens vero pro ratione hanc, quam versamus, sententiam, subdit: *quam enim partem haberet in me Deus, aut hæreditatem omnipotens de excelsis?* quod perinde est, ac si dicat, si enim animum impura cogitatione fœdarẽ, id cõcupiscendo, quod Dei lege cautum est, quantumuis in meæ cogitationis sinu rem absconderem, quo iure Dominum cõpellare possem Deum meum? vel quam illi apud me hæreditatem darem, cum animum in illicita cupiditate defixum haberem? num corde meo in cupiditatis dominium translato, corpus, vitalesve motus grati Deo esse possent? aut meis ille diuitiis, armentis, possessionibusvè contentus esset, cuius sunt omnes feræ siluarũ, iumenta in mõtibus, & boues?

Præfert nobis hæc doctrina facem obscuris illis 10.
Cant. verbis c. 7. *Si dederit homo omnem substantiam* Cant. 8. 7.
domus suæ pro dilectione, quasi nihil despiciet eam: vbi lectio LXX. quæ pro extremis verbis habet: *Contemptu contemnent eum*: intelligentiã enodabit: sed vt eius sensus retegatur, in primis præpositioni illi, *pro*, sua propria significatio tribuẽda est. Et vero in scriptura sæpe sæpius vim substitutionis, supponendi scilicet, & sufficiendi aliquid in locum alterius, habet; vt Genes. 4. 25. *Posuit mihi Dominus semen pro* Gen. 4. 25.
Abel, quem occidit Cain. Et Psalm. 44. 17. *Pro patribus tuis nati sunt tibi filij.* Et Matthæi 2. 22. *Audiens,* Psal. 44. 17.
quod Archelaus regnaret in Iudæa pro Herode. Vn- Matt. 2. 22.
de his verbis is facilis, & expeditus subest sensus: si in locum charitatis, quam Deo quis rependere debet, diuinæ ipsius legis præcepta seruando, vellet

substi

substituere omnem domus suæ substantiam, diuitias scilicet, omnemque rem familiarem (Gregor. quia Gregorio Magno teste, homilia 3. in Euangelia: *Fortasse laboriosum non est homini relinquere sua, sed valde laboriosum est relinquere se ipsum: minus quippe est abnegare, quod habet: valde autem multum est, abnegare quod est,*) si ea, inquam, omnia quis Deo offerret; vt hæc in locum debitæ dilectionis exhibendæ succederent, & subrogarentur, quasi nihil, tam ipse qui offert, quam eius munera oblata à cœlesti animarum sponso despicerentur. Subsistit verò hic sensus ex præfata lectione LXX. *Contemptu contemnent eum:* ex quibus apparet in nostra vulgata suppositum verbi, *despiciet*, esse Sponsum, totamque sententiam eandem esse eum ea, quam habet Paulus 1. ad Corinth. 13.2. (1. Ad Cor. 13.2.) *Si habuero omnem fidem, ita vt montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum: & si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & si tradidero corpus meum, ita vt ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* Verum ad perfectam intelligentiam coordinandus, & explicandus erat contextus, & totius capitis series, quod nobis modo non vacat.

2. Hæc omnia illud nobis confirmat, quod de sacrificiis Abel, & Cain narrat nobis Scriptura, placuisse videlicet Deo munera Abel: Cain autem munera minime placuisse. Sic enim Genesis 4. (Genes. 4.) *Respexit Dominus ad Abel, & ad munera eius* (siue vt legit Symmachus (Symmach.): *Oblectatus est*, siue vt Aquila (Aquila.), *consolationem accepit*, siue vt Theodotion (Theodot.): *Inflammauit Dominus super Abel, & super munera eius.*) *Ad Cain autem, & ad munera eius non respexit:* siue vt LXX. (LXX.) habent: *Non aduertit*, sed quæ tanti discriminis ratio? quia nimirum Abel prius se: deinde sua obtulit: Cain verò sua, non se ipsum Deo reddidit. Ita Augustinus (August.), lib. 15. de ciuit. Dei, cap. 7. *Videtur intelligi propterea Deo non placuisse sacrificium Cain, quia Deo diuidebat suum, sibi autem se ipsum, cor suum, voluntatem suam, quod omnes faciunt, qui non Dei, sed suam sectantes voluntatem, id est, non recto, sed peruerso corde viuentes, offerunt Deo munus, quo putant eum redimi, vt eorum non opituletur sanandis cupiditatibus, sed explendis.* Similiter Rupertus (Rupert.) lib. 4. in Genesim cap. 4. *Cain cum Deo offerret sua, seipsum sibi retinuerat, repositum se habens in cupiditate terrena, huiusmodi portionem Deus non accipit, sed præbe (inquit,) fili, cor tuum mihi: Abel autem cor suum offerendo, deinde rem suam, plurimam hostiam obtulit.* Sed præsenti instituto accommodatissime Gregor. (Gregor.) lib. 2. Moral. capit. 12. prædicta verba sic expendit: *Neque enim sacrum eloquium dicit, respexit ad munera Abel, & ad Cain munera non respexit, sed prius ait, quia respexit*
5. *ad Abel, ac deinde subiungit, & ad munera eius: & rursum dicit, quia non respexit ad Cain, ac deinde subdit, nec ad munera eius: ex dantis quippe corde id, quod datur, accipitur, idcirco non Abel ex muneribus, sed ex Abel munera oblata placuerunt.* Hęc Gregorius. Quibus consentanea sunt, quæ habet Chrysostomus (Chrysost.) homilia 18. in Genesim, subscribit Radulphus bonæ notæ auctor, qui ad ea Leuitici 27. verba: *Omnis æstimatio siclo sanctuarij æstimabitur:* dum siclum sanctuarij charitatem interpretatur, sub ea vmbra hanc credit sententiam delitescere, sine charitate nullum pretium, nullamque æstimationem rebus quibuslibet, siue actionibus, etiam ex se honestis, inesse: (Radulphus.) vnde ad rem ait. *Non igitur glorietur Cain offerens munera de fructibus terræ suæ, non confidat hypocrisis per diem affligens carnem suam, saccum, & cinerem sternens, quæ se commendat tonsa cute, dentibus atris; solo siclo sanctuarij omnis oblatio nostra ponderatur; nec considerat Deus, quantum à nobis accipiat, sed ex quanto; affectionibus interioribus omni iure actionum pretium datur, & quidquid sine charitate fit, pro nihilo reputatur.*

Hinc intelligas, cur cum in Canticis Christi sponsa, per omnes sui partes describatur, nulla tamen 12.
manuum ipsius mentio fiat. Plane, quia hæ munificentiæ, ac liberalitatis symbolum sunt: ea verò apud Deum non ex donis, sed ex animo potius, & corde æstimatur: quare Cain auri cumulos afferens contemnitur, Abel autem pilum offerens gratanter suscipitur. Ita Sponsus, Canticor. 4. 9. (Cant. 4. 9.) *Vulnerasti cor meum soror mea sponsa in vno oculorum tuorum, & in vno crine colli tui.* Quod perinde est, ac si dicat: Non opus est tibi rebus pretiosissimis, quibus me à corde saucio teneas, sed vno tantum oculorum coniectu, vno ex capillis tuis, qui à capite inuolitat collo tuo: sic cor meum percutis, vt mihi auferre, & tibi, vt rem propriam vendicare videaris. Quare obserua lectionem LXX. (LXX.) quæ habet: *Abstulisti à nobis cor nostrum*, necnon & Tigurinæ (Tigur.): *Vendicasti tibi cor meum soror mea sponsa:* sed singillatim vide quomodo legerit Ambrosius (Ambros.), epistol. 11. *Corde nos cepisti soror mea sponsa, corde nos cepisti ab vno ex oculis tuis, & in vno crine colli tui.* Vbi dum accepit Ambros. vocem, *cor*, non pro sponsi, sed sponsæ corde, id videtur innuere, vt sponsus teneri se dicat vnico capillo spōsæ ex corde, & animo oblato; nec aliunde, nisi corde capi. Sunt quidem in hanc sententiam aurea, quæ habet Augustinus (August.), serm. 3. de Natali Domini. Pauca hæc excerpam: *Sunt multi, qui vouent, alius oleum, alius ceram ad luminaria noctis, alius, vt vinum non bibat per aliquot annos, alius vt ieiunia certo tempore faciat, alius, vt carnes non comedat; non est votum istud optimum, & perfectum, adhuc melius volo. Non diligit Deus, neque speciem tuam, nec oleum tuum, nec ieiunium tuum, sed hoc, quòd te hodie redemit, ipsum offer, hoc est animam tuam. Etsi interroges me quomodo animam meam, quam habet ipse in potestate, offeram? & ego respondebo tibi, moribus sanctis, cogitationibus castis, operibus fructuosis auertendo à malo, & conuertendo ad bonum.* Ita August. ibi imitatus, vt assolet, Gregor. Nazianz. (Nazianz.) orat. 41. quæ est prima in Pascha, vbi ad hunc modum auditores suos commonebat. *At verò ei, qui pro nobis passus est, & resurrexit offeramus, aurum fortasse me dicere putatis, aut argentum, seu texturã aut pellucidos, & ingentis pretij lapides, fluxam fragilemque terræ materiam, humique manentem, cuiusque maiorem partem improbi fere possident, & serui rerum terrenarum, & mundi Principes: Imò verò nosmetipsos offeramus, hoc est, opes Deo charissimas, maximeque congruentes.* Similiter sanctus Paschasius (Paschas.), lib. 7. in Matth. ad illud capit. 17. *Simile est regnum cœlorum homini negotiatori quærenti bonas margaritas, inuenta autem vna pretiosa vadit, & vendit omnia quæ habet, & emit eam.* Sic ait. *Quia regnum Dei tantum valet quantum habes: verumtamen non ita emitur, vt tua tribuas Deo, te autem vitiis, & diabolo, sed vt te primum restituas ei, deinde quæ tua sunt, vt eum liber sequi valeas.* Hæc Paschasius. Et rectè omnino: nam vt iterum Augustinus (August.) de verb. Dom. sermone 50. capite 20. *Adde charitatem, prosunt omnia: detrahe charitatem, nihil prosunt cætera.*

Mirum est autem, quam sint iis consentanea, 13.
quæ scripsit Seneca (Seneca.) libro primo de beneficiorum capite 6. *Sicut nec in victimis quidem licet optimæ sint, auroque fulgeant, deorum est honos, sed pia, & recta voluntate venerantium,*

itaque boni etiam farre, ac fictili religiosi sunt. Mali rursus non effugiunt impietatem, quamuis aras multo sanguine cruentauerint. Ad cuius sensum Plinius Iunior in Panegyrico: *Animaduerto*, inquit, *etiam deos non tam accuratis adorantium precibus, quam innocentia, & sanctitate lætari, gratioremque æstimari, qui delubris eorum puram, castamque mentem, quam qui meditatum carmen intulerit.* Vnde Tertullian. in apologet. irridens ethnicorum superstitiosa sacrificia, sic ait. *Non grana thuris vnius assis, Arabicæ arboris lacrymas, nec duas meri guttas, nec sanguinem reprobi hominis mori optantis, & post omnia inquinamenta, etiam conscientiam spurcam: vt mirer cum hostiæ probantur penes vos à vitiosissimis sacerdotibus, cur præcordia potius victimarum, quam ipsorum sacrificantium examinantur?* Sic ille. Hinc illud peruulgatum apud ethnicos carmen, cuius meminit Brissonius, lib. de formulis.

Plinius. Tertull. Brisson.

Puras Deus non plenas aspicit manus.

Quibus concinunt, quæ de Cain diximus, & quæ addit Chrysologus serm. 109. *Cain gestans stipulam, fomentum sibi per quod exureretur, inuenit.*

Chrysol.

14. Iam si inquiras cur licet homo creaturam pro Deo (prædicto sensu) habeat, non possit simul Deum verum colere, ipsumque Deum suum appellare, vtrumque nimirũ complectẽs, hunc mẽte, & fide, illum affectu, & cupiditate. Respondet optime Chrysostomus in Psalm. 13. ad id, *dixit insipiens in corde suo, non est Deus*: ad hunc modum: *Quemadmodum maritorum multitudo efficit, vt non censeatur maritus* (quinque enim viros habuisti, & nunc quem habes, non est vir tuus. Ioan. 4.) *Ita etiam multorum deorum cultus, est impietas, & perinde est, ac si nullum colas, multorum enim deorum admissio est vnius negatio.* Similiter, & egregie quidem Lactant. lib. 4. diuin. instit. c. 3. *Eodem modo, quo matrimonium dici non potest, vbi mulier viros multos habet, sed hæc aut meretrix, aut adultera nominabitur: à qua enim pudor, castitas, fides abest, virtute careat necesse est, sic & religio deorum impudica est, & incerta: quia fide caret, quia honor ille instabilis, & incertus, caput atque originem non habet.* Ita Lactantius. Ad quem ego sensum Græcam parœmiam reuocare soleo. *Vnus Deus, & plures amici.* Vt mens adagij sit, quod licet plures nobis possimus amicos conciliare, cum amicitia sociabile bonum sit, at non posse nos plures, sed vnicum tantum habere Deum, qui videlicet Dei munere fungatur: cum animus noster vnicus sit, & ad rationem Deitatis spectet, humanum cor ad se rapere, totumque possidere, vt dicebat Iuuenalis.

Chrysost. Lactant.

Iuue. sat. 13. *Pectora nostra duas non admittentia curas.*

Sed de hoc plura alibi, nunc contentus ero si aliqua ex verbis, quæ Christi personam agens, dicebat Ambrosius, à nobis superius prætermissa modo subiiciam: sunt ista: *Non est meus, quem libido succendit, quia mea est castitas: non est meus, quem cura spoliandi minores exagitat, quia mea largitio est: non est meus, quem aura nobilitatis inquietat, quia mea tranquillitas est: Pax sum ego, litigare non noui, vt quid mihi eum, de quo veniat diabolus, & dicat: meus est: nam mihi sua colla curuauit, mea in illo plura reperio. nomen sibi tuum vendicat, & meum munus; non est ergo Christi, nisi qui est alienus à crimine.* Hæc ille. Et hæc pro Origenis explicatione.

Ambr. in Psalm. 118.

ADNOTATIO II.

Hunc fidelis serui affectum esse, vt Dei beneficia omnibus communiter collata sibi vni præstita reputet.

1. ERGO dum Paulus eo affectu Deo gratias agit, vt illum Deum suum appellet, perinde est, ac si dicat; Deum totum esse in Paulo creando, redimendo, vocando, eximiisque muneribus ornando, quasi ipsi soli Deus sit. Sub quo sensu ad Galat. 2. 20. dixit. *Qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me*: cum tamen ad Roman. 8. 32. dixerit: *Qui proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum.* Similiter & Christus, Ioan. 3. 16. *Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret.* Vnde hæc testimonia colligens Chrysostom. in ea verba ad Galatas, cum Paulo sic argumentatur. *Quid facis, ô Paule, dum & communia propria tibi vendicas, quæque pro toto terrarum orbe facta sunt, tibi facis peculiaria? non enim dixisti: qui dilexit nos*: sed qui dilexit me: *atqui Euangelista dixit*: sic Deus dilexit mundum: *quin, & tu ipse dicis*, qui proprio filio non pepercit, sed tradidit eum pro nobis: *Non igitur pro te, sed pro omnibus; ac rursum*: vt acquireret sibi populum peculiarem. *Quid est igitur quod hic dicit?* Sed pro Paulo fideiubens Chrysostomus sic inibi respondet: *Inflammatus illius desiderio hunc in modum loquitur. Præterea verò declarat hoc quoque par esse, vt quisque nostrûm non minus agat gratias Christo, quam si ob ipsum solum aduenisset.* Hæc ille ibi. Similia habet hom. 34. in Genesim, & aliis in locis, sed nullibi expressius, quam lib. 2. de compunct. cordis, ad hunc modum: *Hic est affectus serui fidelis, qui beneficia domini sui, quæ communiter data sunt omnibus, quasi sibi soli præstita reputet, & quasi ipse sit omnium debitor, & pro omnibus ipse solus habeatur obnoxius. Hoc fecit & Paulus, qui mortem Domini, & Saluatoris nostri, quæ pro vniuerso expensa est mundo, sibi soli præstitam dicit, quasi enim de se solo loquens ita scribit.* Qui dilexit me, &c. *Hoc autem dicebat, non coangustare volens amplissima, & per orbem terræ diffusa Christi munera, sed quasi, qui, vt diximus, pro omnibus se solum iudicaret obnoxium.*

Ad Galat. 2. 20 Ad Rom. 8. 32. Ioan 3. 16. Chrysost in ep. ad Galat. Et hom 34. in Genes Et lib. 2. de comp. cordis.

2. Agnoscas verò hæc Pauli verba, iam olim prænunciata in illis sponsæ. Cantic. 2. 16. dicentis: *Dilectus meus mihi.* Vbi Hebręa omnino cum hac Pauli locutione consentiunt, dum habent, vti Pagninus vertit: *Dilectus meus est meus*, sed hæc nonne est Tautologia? Minime. Est enim seruus mihi datus, in vsus meos expensus, siue *qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me*: & verò phrasis illa Vulgati, in qua nominatiuus datiuo, nullo verbo interiecto, respondet (quæ Hebræa etiam, & Græca est) significantius rem demonstrat, eâ enim significatur: ita vnam rem alterius vsui esse destinatam, vt propter ipsam, & ad ipsam tantum sit. Ita 1. ad Corinth. 6. 13. dixit Paulus: *Esca ventri, & venter escis*: quod perinde est, ac si dicat, Escæ ventri implendo, venter autem escis concoquendis destinatus est, nec alius harum rerum est vsus, siue quod Theodoretus ait: *Propter ventrem cibi creati sunt*: vel ita ventri, & escis inhiatis, ac si venter escis solum, escæque tantummodo corpori obiectæ essent, nec aliud vobis in votis esse deberet. Similiter Psal. 118. 56. *Hæc* (idest lex Domini) *facta est mihi*, Hebraicè, *mea*, ac si diceret Vates, eo modo lex tua in meis dubitationibus, & hæsitationibus consilium, & opem mihi fert, sic pacatum, ac tranquillum meum

Cant. 2. 16. 1. Ad Cor. 6. 13. Theodoret. Ps. 118. 56.

meum reddit animum, ac denique sic meis commoditatibus inseruit, ac si ea lex mea esset, illamque ego ipse, meo bono, atque vtilitati prospiciens tulissem. Ad hunc ergo modum se habet præfatis verbis Sponsæ, cum ait: *Dilectus meus mihi*, ac si diceret: sic mihi dilectus meus intendit, vt omnem curam, & studium in me vna beneficiis cumulanda, & cohonestanda adhibere videatur: sic ibi Bernardus, & Aponius: quorum prior, serm. 68. *Iam ne huic intenta est illa maiestas, cui gubernatio pariter, & administratio vniuersitatis incumbit, & cura sæculorum, ad solā quasi transfertur negotia, imò otia amoris, & desiderium huius? Ita planè.* Aponius verò, *Dilectus meus mihi, id est, anima sancta gratiam vocationis, redemptionis insigne, adoptionis clarissimam libertatem agnoscit.*

Bernard.

3\. Sed inquiris quo subnixus fundamento Paulus communia aliis beneficia, sibi vni peculiariter facta reputet? Respondeo, firma quidem: eaque eleganti ratione permotum. Nam quod aliis illa communia sint, non tollit, quo minus ea singuli, vt peculiariter, & vnice sibi collata Domino accepta referant. Vnde Ambrosius lib. 1. de Iacob, cap. 6. elucidans id Pauli ad Rom. 8. *Proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum*: sic premit ea verba: *Pro nobis omnibus. Mire etiam addidit:* pro nobis omnibus: *Vt ostenderet, quod ita omnes diligat, vt dilectissimum sibi filium pro singulis traderet.* Ita ille. Equidem hic locum non habet, quod Plutarch. in libello *De amicitia in plures diffusa*: inquit inique aliquos agere, qui vno beneuolentiæ nummo, multos volunt sibi amicos parare. *Neque enim mancipia, vel amicos valeas exiguo nummo multos parare. Quis est autem nummus amicitiæ? nempe beneuolentia, & beneficia cum virtute: quibus habet natura rarius nihil, vnde valde diligere, & diligi non cadit inter multos.* Sic ille. Id enim inter nummum diuinæ beneuolentiæ, atque humanæ discrimen est, quod ille, vt infiniti pretij nunquā possit exhauriri, quātumuis persoluatur, quin integer semper maneat, quod creatæ beneuolentiæ non accidit: vnde tam integer, atque perfectus Dei beneuolentiæ nummus in quouis homine manet, ac si cum illo solum amicitiæ coniūctionem haberet. Quæ fuit cogitatio Chrysostomi lib. 2. de compunct. cordis, ad finem, tom. 5. cum ait: *Quid interest, si & aliis præstitit, cum, quæ tibi præstita sunt, ita integra sint, & ita perfecta, quasi nulli alij ex his aliquid fuerit præstitum? Ideo denique, & illa boni Pastoris parabola non dicit: quia venit oues multas quærere, sed vnam: vna namque est, quia sic omnibus quasi vni diuina beneficia conferuntur.*

Ambros. Plutarch. Chrysost.

4\. Qua quidem (vt opinor) de causa sæpius Deus suorum pars, seu portio dicitur, vt Psal. 15. 5. *Dominus pars hæreditatis meæ*. Psal. 141. 6. *Tu es spes mea, portio mea in terra viuentium.* Num. 18. 20. *Ego pars, & hæreditas tua.* Deuter. 32. 9. *Pars autem Domini populus eius.* Vbi Hebraicè est: *Pars autem populi eius Dominus.* Quia videlicet ita vnumquemque eorum tota Dei beneficentia, largitas, ac benignitas comitatur, ac si cum vna ex parte totus Deus indiuisibilis vnicuique respondeat, ex alia tamen quasi in plures partes, & portiones diuisus singulis sua quæque peculiaris obtingeret, in quam alter ius non haberet. Et certe illis Psalmi 15. verbis: *Dominus pars hæreditatis meæ*, non vulgaris emphasis inest: nam in Hebræo est nomen illud tetragrāmaton. Quo significatur ineffabilis Dei essentia, quæ verè est, & omnium bonorum radix, & origo esse perhibetur, vt gratissimo, & exultanti animo significet Propheta, Deum Dominum, eumque, qui verè est, & in quo est quidquid bonum est: ita benefaciendo, saluando, & conseruando ipsi (idem est de quolibet dilecto) attendere, ac si pars singillatim eius esset, quam ipse sibi propriam, & ab aliis indiuiduam haberet. Quò facit, quod magno iudicio scripsit Plinius, lib. 2. cap. 7. de Deo, irridens eos, qui ea de causa multos deos, siue plures diuinitatis partes confinxerunt, vt singillatim quisq; coleret, id quo maxime indigeret, quasi vnus Deus tanto negotiorum, & beneficiorum oneri impar foret. Cum enim dixisset: *Innumeros* (deos) *quidem credere, atque etiam ex virtutibus, vitiisque hominum, vt Pudicitiam, Concordiam, Mentem, Spem, Honorem, Clementiam, Fidem, aut (vt Democrito placuit) duos omnino, Pœnam, & Beneficium, maiorem ad socordiam accedit*: subdit eleganter; *Fragilis, & laboriosa mortalitas in partes ista digessit infirmitatis suæ memor, vt portionibus quisque coleret, quo maximè indigeret.* Ita ille: ac si diceret fragilis, & infirmi iudicij commentum id fuisse, quod diuinitatis maiestatem, & vires proprio quasi pede metiretur, & de eius immensitate, & magnitudine infinita, & incircumscripta presse, & angustè diiudicaret.

Psal. 15. 5. Psal. 141. 6. Num. 18. 20. Deut. 32. 9. Plinius.

5\. Ad quam cogitationem omnino faciunt illa Domini verba Exodi 3. 6. *Ego sum Deus Patris tui, Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob.* Vbi merito ambigitur, cur nomen suum Deus ter repetierit, singulorum Patrum appellationi illud præmittens? Et quidem, vt aliæ interpretum rationes bonæ sint, illud mihi videtur probabilius, voluisse Deū significare, adeò singularem, ac peculiarē erga quemlibet illorum Patrum prouidentiam, ac curam habuisse, ac si illius solummodo Deus esset, omnesque benignitatis suæ vires in illo vno ditando, & muneribus afficiendo collocasset. Hinc optime Augustinus, lib. 3. Confess. cap. 11. *O tu bone omnipotens, qui sic curas vnumquemque nostrum, velut solum cures, & sic omnes, tanquam singulos curares, & diligeres.*

Exod. 3. 6. August.

6\. Huc facit spiritualis significatio, quam vestibus Christi, dum aliæ in quatuor partes diuisæ, tunica verò impartita remansit, sic reddit Cyrillus Alexād. lib. 11. in Ioann. cap. 32. *Nam quatuor orbis partes ad salutem reducta indumentum Verbi, id est, carnem eius impartibiliter inter se partiti sunt: in singulos enim partibiliter transiens vnigenitus, & animam, atque corpus eorum per carnem suam sanctificans impartibiliter, atque integrè in omnibus est, cum vnus vbique sit, nullo modo diuisus, sicut Paulus ait.* Ita Cyrillus, hunc subinde sensum ex agno typico pulchrè confirmans, quod *partibiliter quantum ad singula vnius familiæ capita, & impartibiliter, quoniam in vna domo, atque familia vnus in omnibus agnus inueniebatur.* Hæc ille.

Cyr. Alex. 1. Ad Cor. 1. Exod. 12.

Quod si ab vmbra ad solem, à figura ad veritatem venias, non humanum id inuentum, sed rem potius diuino consilio firmatam, sancitamque in sacratissimo Eucharistiæ Sacramento reperies. Videas enim in eo Dei filium adeò integrum, & indiuisum, cuiusuis animæ partem, ac portionē esse, vt ipsa iure dicat cū sponsa: *Dilectus meus est meus*, siue *totus mihi*, ac si sola essem, respondet. Quare obserua cū Chrysologo serm. 160. ingens discrimen, quod in miraculis nuptiarum Cana Ioann. 2. 7. & multiplicationis panum, Matth. 14. 19. intercessit: *Nam qui panes quinque* (verba sunt Chrysologi) *fragmento profluo, & furtiuo incremento ad quinque millia hominum tetēdit, & dilatauit saginam, potuit augmentis succrescentibus ad nuptiarum festa vini ampliare, & perpetuare mensuras.* Cur ergo panes multiplicare, aquam vero non multiplicare, sed immota eius manente mēsura in vinum voluit conuertere? Respondet Chrysologus, *sed aqua in sanguinis erat conuertenda mysterium, vt mera pocula de vase corporis sui, Christus viuentibus propinaret.*

Chrysol. Ioann. 2. 7. Matth. 14. 19.

Quasi diceret. Ecce tibi rationem quare panis, non aqua multiplicata fuerit, quia ille terrenus erat panis, hæc verò cœlestis calicis typus; terrenarum autem rerum ea est conditio, vt ad accipientium captum singillatim diuidatur, Christus vero integrum omnino, ac indiuisum singulis iustis se exhibet; totusque ipse singulis indiuisa portio, ac pars fit.

7. Quo it Sponsæ metaphora in Canticis toties repetita, vt enim omnibus in vniuersum, ac singulis iustis dixerit Paulus 2. ad Corinth. 11. 2. *despondi vos vni viro*, vbi Græcum verbum ἁρμόζειν propriè significat *agglutinare*, & velut partem parti aptare. Id peculiariter in Eucharistia cernitur, in qua cuilibet animæ singillatim, & vnice aptatur, & agglutinatur Christus, non secus, ac sponsus sponsæ, quam ardentissime amat, vel etiam pars, quæ parti ad amussim respondet. Certe Paulus Ephesio. 5. 32. sic Eucharistiæ, & matrimonij Sacramenta, ex multorum interpretatione composuit, *erunt duo in carne vna, sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo, & in Ecclesia*. Hinc, opinor, nonnihil lucis suboritur Tertulliano in exhortatione ad castitatem, c. 5. vbi grauiter increpat vetustissimum illum Lamech, quod duas sibi vxores primus sumpserit, eaque de causa pluribus maledictionibus, & ærumnis fuerit obnoxius *Primus*, inquit. *Lamech duabus maritatus tres in vnam carnem effecit*. Ita ille. Voluit dicere iam tunc illum Christo maxime fuisse infensum, quod matrimonium, Eucharistiæ symbolum, sic peruerterit, vt in ipso non duo in carne vna sibi inuicem aptari, sed tres in vnam carnem fuerint, vnde non ex æquo, & integre sponsus sponsæ, sed in partes diuisus responderet.

(Margin: 2. Ad Cor. 11. 2. — Ad Ephes. 5. 32. — Tertull.)

8. Ad quam rationem facit illud Senecæ, epistol. 74. sapienter reprehendentis insanam hominum auaritiam, qui nihil suum esse existimant, si tamen aliis sit commune. *Stulta mortalium auaritia possessionem, proprietatemque discernit, nec quidquam suum credit esse, quod publicum est; at ille sapiens, nihil iudicat suum magis, quam cuius illi cum humano genere consortium est*. Et rectè quidem, cum non minorem mihi ex pluribus rebus, quæ aliis etiam sunt communes, commoditatem, imò & voluptatem percipiam, ac si illæ meis priuatis vsibus singillatim essent destinatæ, vtputa in sole, fluuio, fonte, è quibus tantum lucis, aquæve capio, ac si mihi tãtum ille oriretur, isti fluerent. Stulta ergo mortalium auaritia merito existimatur, quæ nihil suum esse existimat, quod aliis sit cõmune. Id quod nostro instituto optime quadrat, cum sic Deus erga vnumquemque nostrum in elargiendis beneficiis, creationis, redemptionis, vocationis, & glorificationis, se gerat, ac si ille solus in rerum natura esset.

(Margin: Seneca.)

9. Nec hinc discedam, quin obiter moneam nõ tantum perutile nobis esse Dei beneficia agnoscere, & gratanti animo commemorare, sed etiam accepisse: ea enim optimi benefactoris est conditio, vt erga sua beneficia denuo afficiatur, beneficiumque dedisse, alterius conferendi origo sit: ita Prosper lib. 2. de vocatione gentium, cap. 7. dum ait. *Multo tamen crebrior, multoque numerosior pars illa hominum est, cui particulatim, quidquid superna largita donat, accrescit, vt conferendorum munerum causa de iis, quæ sunt collata, pariantur*. Nec mirum, cum humanum etiam ingenium (si tamen humanum) ea indole præditum sit, vti ad hunc modum expendit Seneca, lib. 4. de benef. c. 15. *Non mentiar, si dixero neminem non amare beneficia sua, neminem non ita compositum animo, vt libentius eum videat, in quem multa congessit, cui non causa sit iterum dandi beneficij, semel dedisse, quod non accideret, nisi nos ipsa delectarent beneficia Quam sæpe dicentem audias; non sustineo illum deserere, cui dedi vitam, quem è periculo eripui? Rogat me vt causam suam contra homines gratiosos agam. Nolo. Sed quid faciam? Iam illi semel, iterumque affui. Non vides inesse isti rei propriam quandam vim, quæ nos beneficia dare cogit? Primum, quia oportet, deinde, quia dedimus: cui initio ratio non esset præstandi aliquid, ei præstamus ob hoc, quia præstitimus*. Ad quæ verba præter Aristotel. lib. 9. Ethicor. cap. 7. pulchrum illud ex Claudiano adducit Iustus Lipsius.

(Margin: Prosper. — Senec. — Aristot. — Iust. Li. s.)

meritisque suis obnoxia virtus
Quos seruauit, amat.

Sed pergit in eamdem sententiam Seneca, & rem auget. *Adeò nos ad beneficia non impellit vtilitas, vt inutilia tueri, ac fouere perseueremus sola beneficij charitate, cui etiam infeliciter dato indulgere, tam naturale, quàm liberis prauis*. Sic optimè Seneca. Nec minus significanter Aristoteles citato loco vult nos affici erga beneficia, vt artifices erga opus; poëtas erga versus. O ingentem affectionem!

ADNOTATIO III.

Non minus charam Deo vnius animam, quam vniuersorum esse.

PRÆFATÆ rationi, iuxta quam Paulus beneficia communiter omnibus collata, peculiaria sibi reputabat, illa etiam accedit, quod vnumquodque horum Dei munerum, præsertim redemptionis, non minus ardenti dilectione singulis, quam vniuerso hominum generi à Deo tribuantur. Ita ad supradicta verba ad Galatas: *Qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me*, disertissime Chrysostomus. *Neque enim recusaturus Christus erat, vel ob vnum tantam exhibere dispensationem; adeò singulum quemque hominem pari charitatis modo diligit, quo diligit orbem vniuersum*. Sic ille, pluribus id testimoniis confirmans. Ac eo quidem sensu capio, quod Bernard. præfato serm. 68. in Cantic. dicebat: *In quo multi audent, audet & vnus, quod habeat in natura simplicissima sponsi diuinitas quasi vnum respicere multos, & quasi multos vnum*. 1.

(Margin: Chrysost. — Bernard.)

Videas id apprimè delineatum in patriarcha Iacob patris sui benedictionem obtinente, Genesis 27. 27. cui vni sub Dei persona pater sic dixit. *Ecce odor filij mei, sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus*. Sed quæso quisue hic dicendi modus est, vt vnus Iacob cum toto agro, eoque florum, & fructuum pleno, componatur? Plane, quod non minoris vna anima à Deo benedictionem impertiente, quam plurium multitudo, siue cunctorum cætus fiat. Ita huic dubio satisfecit S. Petr. Damian. lib. ad Leonem Inclusum Episcopum c. 5. his verbis: *Nam, & Propheticis Isaac naribus tota præsens redolebat Ecclesia, cum super vnius filij sui personam dicebat. Ecce odor filij mei, sicut odor agri pleni*. 2.

(Margin: Gen. 27. 27. — S. Petr. Damian.)

Quò facit Philonis interrogatio, lib. 1. de decalogo. Cur Deus omni populo legem, ac præcepta tradens, nõ omnes in plurali numero, sed vnumquemque in singulari sic fuerit allocutus, Exod. 20. 15. *Non occides, non mæchaberis, non furtum facies*, dubitationi autem sic respondet. *Respondendum est igitur ideo placuisse hanc formulam, vt lectores sacræ Scripturæ discerent, quiddam valde pulchrum, & necessarium, videlicet vnumquemque tantisper, dum Deo paret, à legibus honore æquari frequentissimo populo, vel potius omnibus gentibus, addo amplius, mundo etiam vniuerso, quoniam alicubi quendam virum iustum laudans inquit*, ego sum Deus tuus, *ipse autem erat etiam Deus mundi totius*. Hactenus Philo. 3.

(Margin: Exod. 20. 15. — Philo lib. de decalog.)

Sed

4. Sed id luculenter docuit Tertullian. lib. de pœnitentia cap. 8. ex parabola pastoris centesimâ ouem requirentis, cum vni illi inquirendæ non secus inuigilaret, ac si totum gregem perquireret, audi illum. *Errat & vna pastoris ouicula, sed grex vna charior non erat, vna illa requiritur, pro omnibus desideratur; & tandem inuenitur, & humeris pastoris ipsius refertur.* Ad cuius gustum Chrysol. serm. 168. eandem parabolam elucidans, alludensque tam ad veterem modum numerandi dextra, & sinistrâ manu, dum hac ab vno vsque ad centenarium numerum, illa à centenario in reliquos computabatur, quam ad dextræ, & sinistræ significationem, sub quâ in sacris dextra pro spiritualibus, & æternis; sinistra verò pro temporalibus bonis accipitur (vt Prouerb. 3. 16. cernere est,) acute expendit, peculiariter, & centenarij, & vnius numeri factam esse mentionem, vt oue vnâ amissa, totum dissipatum centenarium, vna inuenta, totum recuperatum censeretur. Sic enim ille. *Quare non quinquaginta, quare non ducentas, sed centum? quare non quatuor, quare non quinque, sed vnam? vt ostenderet non ex damno fuisse, sed ex numero plus dolorem. Namque amissio vnius totum dissipauerat centenarium numerum, & totum de dextrâ redegerat ad sinistram, vt dispendio vnius, & sinistra clauderet omnes, & dextra nihil haberet.* Sic ille. Quid ergo? vna anima pereunte omnes pereunt animæ? Minime: sed si humano sensu, ac modo loqui licet, is de vnius animæ interitu dolor boni pastoris animum peruadit, ac si totum gregem perdidisset.

Tertullian. Chrysol. Prou. 3. 16.

5. Quò facit Matthæi 22. 12. vbi dum nuptiæ Principis describuntur, id in illis euenisse singillatim asseritur, quod pluribus in eas concurrentibus vnus inter omnes fuerit inuentus non habens vestem nuptialem, ideoque in tenebras exteriores missus. Ex qua narrationis serie parabolam ita concludit Dominus, *Multi enim sunt vocati, pauci verò electi*, quæ difficultatem non mediocrem continent. Nam cum ex pluribus vocatis vnus tantum eiiceretur, sic potius dicendum erat: Multi enim sunt electi, pauci verò, siue vnus reprobatus. Dum autem hac in re multi multa dicunt, illud mihi occurrit, tanti à Deo vnius animam fieri, adeoque de vnius interitu (si humano modo loquamur) commoueri, vt vna pereunte, omnes sibi periisse videantur, vnde iterum citato loco Chrysol. *Videtis, quia per vnius ouis amissionem pastor iste totum gregem cecidisse de dextra, & totum in sinistram doluerat recidisse, & ideò relictis nonaginta nouem, vnam sequitur, vnam quærit, vt inueniret in vna omnes, redintegraret omnes in vna.* Hactenus Chrysolog. similiter serm. seq. circa parabolam drachmæ perditæ. *Non solum drachmam perditam deflebat vnam, sed ipsas nouem drachmas sibi residuas non videbat.* Sic ille.

Matth. 22. 12. Chrysol.

6. In quam quidem sententiam componi possunt diuini huius pastoris lacrymæ, clamor maximus, & fremitus, quem apud Ioannem, cap. 11. 33. 35. & 43. edidit, vnum Lazarum vitæ restituens, cum *lacrymis, ac clamore valido*, de quibus Paulus ad Hebr. 5. 7. & Lucas 23. 46. cum sanctissimam animam in cruce efflando vniuersum hominum genus ad vitam reuocauit, vt dum eadem pro vna ouicula, ac pro toto grege dilectionis ostendit signa, nos omnino commonefaciat, quod dicebat Tertullianus: *Non esse totum gregem illa chariorem.* Vnde magna emphasi Nazianzenus, orat. 1. in Iulianum Augustum, illum impietatis, & perfidiæ accommodatissime coarguit, quod Christum persequeretur, qui tutus pro illo mortem obierit. *Tu ne*, inquit, *bellum aduersus pacem? tu ne manum aduersus eam, quæ & pro te, & propter te clauis transfixa est?* Dicito eadem tu pluribus Iulianis, qui passim occurrent.

Ioan. 11. 33. 35. & 43. Ad Hebr. 5. 7. Luc. 23. 46. Nazianz.

7. Quò refero illud eiusdem Domini apud Ierem. 8. diras in plebem suam comminationes intorquentis: *Erudire Ierusalem, ne forte recedat anima mea à te.* Vbi vides Deum se ipsum appellare populi sui animam, quod ipsi, velut animus corpori vitam inspirat. Sed expende eam esse animæ rationalis naturam, vt tota sit in toto corpore, & tota in minima eius parte, vt appareat totum Deum, tam peculiariter cuiusuis hominis saluti, ac totius mundi conseruationi, & bono intendere. Sub quo sensu capio hæc verba Ambrosij, lib. 1. de Spiritu sancto, cap. 4. *Cum sit inaccessibilis natura, receptabilis tamen propter bonitatem suam nobis est, complens virtute omnia, simplex substantia, opulentus virtutibus, vnicuique præsens, diuidens de suo singulis, & vbique totus.*

Ierem. 8. Ambros.

8. Iam verò si ipsum, vt corporis animam in minima etiam eius parte existentem videre velis, audi ipsum Matthæi 25. 40. *Quandiu fecistis vni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis*; & iis, quæ adnotatione 1. versus præcedentis ex Hilario, & Paschasio ad ea verba adduximus. Adiûge modo hæc Saluiani Massiliensis, lib. 4. ad Ecclesiam, quæ vt Christum omnes, & singulas suorum ærumnas singillatim perferentem faciunt: ita huic sensui mirifice quadrant. *Vbi ergo sunt illi, qui dicunt Dominum Iesum Christum officio nostrorum munerum non egere? Ecce, & esurire se pariter, & sitire, & algere commemorat. Respondeat quilibet horum si non eget, qui esurire se queritur? Si non eget, qui se esurire testatur? Ego plus addo aliquid, Christum non solum egere cum cæteris, sed plus multo egere, quam cæteros; in omni enim pauperum numero, non est vniuersorum omnium vna paupertas; sunt enim quidam, quibus etsi vestimenta desunt, alimenta non desunt, multi sunt hospitio egentes, vestibus non egentes, multi domo carentes, sed non substantia: sunt denique quibus etsi desunt multa, non desunt omnia, Christus tantummodo solus est, cui nihil est, quod in omni humano genere non desit. Nullus seruorum suorum exulat, nullus frigore, ac nuditate torquetur, cum quo ille non algeat, solus cum esurientibus esurit, solus cum sitientibus sitit, & ideo quantum ad pietatem illius pertinet, plusquam cæteri eget: omnis enim egestuosus pro se tantum, & in se eget, solus tantum modo Christus est, qui omnium pauperum vniuersitate mendicet.* Hæc ille.

Matth. 25. 40. Saluian.

ADNOTATIO IV.

Tunc verè à iustis dici, Deus meus, cum ipsum vnice, & toto affectu diligunt.

1. CONCVRRIT quidem tertia hæc expositio, quam ex mente Chrysostomi damus, huic locutioni, *Deus meus*, cum ea, quam priori loco reddebat Origenes, & amplius aliquid ad illam addit, singularem nimirum affectum, quo vni Deo se omnino deuotum, & mancipatum profiteatur Apostolus, nec diuinis solum præceptis obtemperare (quod in expositione Origenis erat satis, vt iure quis diceret, *Deus meus*) sed toto animo, totis viribus Deo se adhærere affirmet, quod illius quidem est proprium, qui Dominum pro Deo suo strictè habere profitetur: sic certe animæ intime Deo deuotæ emphatice solent dicere Hispano sermone. *Dios mio de mi alma, y de mi coraçon*, vt dicat Paulus cum Dauide, Psalm. 72. *Quid mihi est in cælo, & à te quid volui super terram, Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum*: vel cum seipso Actuum 27. 23. *Cuius sum ego, & cui deseruio*: penitissimo scili. affectu, & voto.

Psalm. 72. Act. 27. 23

Sub

2. Sub quo quidem sensu similem Vatis phrasim, Psalm. 7. *Domine Deus meus*, acceperunt Glossa, Nicolaus de Lyra, & Dionysius: sic enim singulas expendunt voces, Glossa interlinearis, & Alcuinus: *Dominus omnium per potentiam, cui debetur dulia, Deus omnium per creationē cui debetur latria, meus, & Dominus, & Deus voluntate.* Similiter Nicolaus de Lyra: *Dominus per omnium generalem gubernationem, Deus per creationem, meus per specialem cultum, & deuotionem.* Luculentius Dionysius, *Domine, cuius praeceptis semper obedio, Deus, qui creasti me, meus, quem singulariter colo, ardentissime diligo, incessanter contemplor, & cui immobiliter semper adhaereo.* Ita ille. Et plane, ni me fallit animus, hoc eodem affectu, & sensu dixisse reor Iacob, Genesis 28. 20. *Si fuerit Deus mecum, & custodierit me in via, per quam ego ambulo, & dederit mihi panem ad vescendum, & vestimentum ad induendum, reuersusque fuero prospere ad domum patris mei, erit mihi Dominus in Deum,* vt haec sit Patriarchae mens, si eam Domini benignitatem fuero expertus, vt mihi necessaria subministret, sic ipsum me deinceps in Deum meum habiturum spondeo, vt illi me omnino addicam, & deuoueam, totumque animum, & plures animos (si fieri posset, vt haberem) ad ipsius obsequium intendam. Redditur verò apertus hic sensus ex verbis immediatè praecedentibus: *Votum etiam vouit dicens.* Haec enim speciale propositum, siue sponsionem deuouendi se Deo, & ad singulare ipsius obsequium addicendi, manifestè significant.

Psalm. 7. Gloss. Lyran. Dionys.

Gen. 18. 20.

3. Similem huic etiam sensum reddas illis verbis, Psalm. 143. vers. vlt. *Beatum dixerunt populum, cui haec sunt, beatus populus, cuius Dominus Deus eius:* vt dum Vates filios lucis, qui Deum intime diligunt, à filiis huius saeculi summum hominis bonum in naeniis terrenis collocantibus discriminat, simulque affirmat hos à vero omnino aberrare: illos autem veram adeptos fuisse felicitatem filiorum Dei, animum, Dei solum obsequio intentum illa periphrasi explicet, *Beatus populus, cuius Dominus Deus eius,* vt perinde sit, ac si dicat: beatus populus, cui Deus tantum in medullis, & in intimo cordis penetrali est. Quam sane explicationem confirmes ex Ieremia 24. 6. *Et dabo eis cor, vt sciant me: quia ego sum Dominus, & erunt mihi in populum, & ego ero eis in Deum, quia reuertentur ad me ex toto corde suo.* Vbi vides, quid sit Dominum esse alicuius Deum, nempe vt ab ipso toto corde quaeratur, & ametur: *Erunt* (inquit) *mihi in populum, & ego ero eis in Deum.* Sed quonam modo? quave ratione? *Quia reuertentur ad me in toto corde suo.*

Psalm. 143. vers. vlt.

4. Habent quidem eandem emphasim, interprete August. in epist. 120. ad Honoratum, illa verba Dauidis, Psalm. 21. 12. *In te iactatus sum ex vtero; de ventre matris meae Deus meus es tu:* quasi dicat Vates, quidquid humanum haberet, & à parentibus accepisset, siue nobilitatem, honores, opes, ingenium, vires in Dei obsequium omnino transtulisse, & pro vno eius cultu commutasse. *Tāquam diceret* (inquit August.) *de alia re, & ab alia re in aliam rem me traiecisti, vt tu sis mihi bonum pro terrenis bonis mortalitatis huius, quam in matris ventre sortitus sum, cuius vbera suxi. Quod si premas Vatis locutionem, sensus est, nihili facio idola mundi, solusque Dominus est Deus meus, id est, illi soli deseruio, illi vni seruo fidem:* ita Augustin. paulo post: *Ideo de ventre matris meae, id est de bonis carnis, quam sumpsi in ventre matris meae, Deus meus es tu, vt de his sis tu bonum meum, ea locutione dictum est, ac si diceretur, verbi gratia, de terra caelum habito, hoc est, hinc illo emigraui.* Hactenus Augustinus.

Psalm. 21.

August.

Ex his est animus explicare, cur Beatissima Virgo ab Ecclesiastico: *Mater pulchrae dilectionis*, singillatim inter omnes creaturas appelletur, cap. 24. 5.
Inest enim peculiaris energia, & vis illi epitheto, *pulchrae*, sed quae? Dixeris pulchram dilectionem Virginis appellari, quia in rem pulchram tendit, sic Origenes amorem Dei, quo vulneratam se fatetur anima, iaculum formosum appellauit, hom. 2. in Cant. ad eum modum, quo abominabiles à Propheta dicuntur, qui res abominandas dilexerunt. Oseae 9. 10. Bene: sed id aliis est etiam creaturis commune. Quare opportunius dixeris cum Bernardo serm. 29. in Cant. ad finem, pulchram Mariae dilectionem esse, quod integra, & ex toto corde proficiscatur. *Est,* inquit, *sagitta electa amor Christi, quae Mariae animam non modo confixit, sed etiam pertransiuit, vt nullam in pectore virginali particulam vacuam amore relinqueret: sed toto corde, tota anima, tota virtute diligeret, & esset gratia plena.* Sic Bernardus. Haec magis explico, & vt Virginis dilectioni peculiare aliquid, ob quam pulchra dicatur, tribuas, memento eam prae omnibus Virginis dignitatem, & felicitatem fuisse, vt Deum in filium Deum haberet: vnde eius in Deum dilectio non poterat non esse omni ex parte integra, & perfecta, siue felix etiam, ac pulchra. Quid enim teneram quamlibet, & indulgentem matrem à Dei amore si non auellat, at tantisper auocet, & retardet praeter vnici filij vnice sibi dilecti amorem? Sic certe eximius Abrahami in Isaac amor Deum ad aemulationem tantisper prouocare videbatur, quod vt eleganter dixit Zeno Veronensis serm. 2. de Isaac: *Vnicus numero, & in amoris soliditate iam primus totum paternum pietatis occupauerat pectus.* Atque ideo, quantum naturali eius amori indulgebat, tantum integritati diuinae dilectionis, diuinae quodammodo subtraheret, ideo Deus *aemulator*, eum sibi ab ipsomet patre sacrificari iussit; & verò vt casto tunc affectu Abraham diuinam dilectionem tenerae in filium charitati praeponere non recusauerit, adhuc tamen non poterat filium suum non amare; similiter de coniugibus dicebat Apostolus, 1. ad Corinth. 7. 33. *Qui cum vxore est, sollicitus est, quae sunt mundi, quomodo placeat vxori, & diuisus est. Et mulier innupta, & virgo, cogitat quae Domini sunt; vt sit sancta corpore & spiritu. Quae autem nupta est, cogitat quae sunt mundi, quomodo placeat viro.* Pulchra ergo Virginis, felix huius matris dilectio, quae diuidua esse non potest, dum enim toto animi impetu in filium currit, simul in Deum tendit, dum Deum diligit, filium etiam suum amore prosequitur. Porro de Anna erga filium suum Samuelem dixit Chrysostomus, homil. de Anna, tom. 1. *Conspiciebat infantem illum, non tantum vt infantem, verumetiam, vt rem Deo consecratam, eoque matri geminus amoris stimulus insitus est: alter à natura, alter à gratia.* Sic ille. Duplex etiam Virgini matri amoris stimulus, ac multo felicior, & pulchrior, dum vterque quo in filium, eo in Deū tendit. Haec Mariae dignitas, haec eius excellentia singularis, vnde ipsa prae omnibus iure dicat: *Deus meus.* Chrysost.

Est vero valde affinis Paulinae huic locutioni illa 6.
Regis Psaltis, Psalm. 118. 94. quam supra praelibauimus: *Tuus sum ego,* vbi Ambrosius: *facilis vox, & communis, sed paucorum est: satis rarus est enim, qui potest dicere Deo, tuus sum; ille enim dicit, qui adhaeret Deo totis sensibus, qui aliud cogitare non nouit, ille hac voce vtitur, qui potest dicere Domino:* ostende nobis Patrem, & sufficit nobis: sic ille. Similiter Hilarius. *Non omnibus vox professionis istius competit, sed rarus quisque est, qui se Dei audeat dicere, audebit sane ille qui dixit,* mihi viuere Christus est, & mori lucrum,

Psalm. 118. 94. Ambros.

Hilar.

lucrum,& viuo, iam non ego; viuit autem in me Christus: *Vox ista est animæ semper Deo intentæ, opus istud est misericordiæ indefessæ, continentiæ immobilis, ieiunij vsitati, largitionis impœnitentis.* Hæc Hilarius. Plane absque vllo interprete ipsemet Vates se exponit, dum subiicit: *Quia iustificationes tuas exquisiui;* neque enim mandata solum seruasse, sed iustificationes, quæ iustitiæ apicem, & virtutum officia designant, exquisisse: hoc est accuratissime obseruasse, affirmat.

7. Ps.118.57. Ambros. ibi. Similis Prophetæ vox & Pauli phrasi consentanea est illa in eodem Psal. 118. vers. 57. *Portio mea Domine:* ad quam iterum Ambrosius, dum singillatim altaris ministris tribuit, sic ait. *Quam rarus in terris, qui potest dicere:* Portio mea Domine, *quam alienus à vitiis, quam segregatus ab omni labe peccati, qui nihil habeat commune cum sæculo, nihil mundi huius vendicet sibi, cui non sit corporalium possessio cupiditatum, quem non inflammet libido, non stimulet auaritia, non lasciuia effeminet, non luxuria decoloret, non sternat ambitio, non maceret inuidia, non aliqua negotiorum sæcularium cura sollicitet, verus minister altaris; non sibi natus.* Hæc Ambrosius. Quæ subinde ex Leuitarum nomine, & munere luculenter confirmat. Ex plurimis hæc pauca decerpam præfato sensui opportuna. *Leui enim, vt habet interpretatio, significat ipse mihi assumptus, significat & ipse meus, & ipse mihi dicitur, hoc est, non alij tributarius, non decimarius, non de possessione munificus, ipse mihi, hoc est, tanquam abundans pro his omnibus non ab hoc decimas, non fructus, non dona quæro, non munera, ipse mihi pro munere est, ipse est pro tributo: non in possessione sua magnificus mibi, sed ipse mihi possessio, ipse meus fructus, ipse meus census, assumptus mihi, vel assumptus à me.* Hæc, & multo plura omnino videnda, Ambrosius.

8. Nec alio it ea eiusdem Vatis contestatio, Psalm. 90.9. *Quoniam tu es Domine spes mea.* Nam accurata locutione exposuit, ita se Deo adhærere, & inhærere, vt non tam ab eo, quam eummet speraret, nec ipsius bona, sed ipsummet omnis boni bonum concupisceret, ita in hæc verba Bernard. serm. 9. in Psal.

Bernard. *Qui habitat. Cæterum quod dicit:* Tu es Domine spes mea, *forte amplius aliquid sonat, & sublimius, quod videlicet non modo in eo speret, sed eum conuenientius, siquidem spes nostra dicitur, quod speramus, quam in quo speramus: sunt autem forte nonnulli, qui à Domino obtinere temporalia, seu spiritualia qualibet concupiscunt, sed perfecta charitas solum sitit, quod summum est, tota desiderij vehementia clamans.* Quid enim mihi est in cœlo, & à te quid volui super terram? Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum, Psalm. 72. Ita Bernard. Nec videtur omittendum,

Ierem. Thr. 3.25. quod statim adiungit, ex Ieremia, Thren. 3. 25. *Bonus es Domine sperantibus in te, animæ quærenti te,* verborum structuram vno, & alio modo expendens. Primum, vt modo superius dicto, aliud sit sperare in Domino, aliud quærere ipsum Dominum: deinde vt præ maiori quærentis solummodo Deum perfectione, plures dicantur sperare in Deo, rarus verò quærere ipsum Deum; sed audi Bernardum: *Ipsam numeri discretionem prudenter aduerte, quod sperantes quidem in eo pluraliter dixerit, quod hoc videatur commune multorum: Quærentem verò eum singulariter; quod singularis sit puritatis, singularis gratiæ, singularis perfectionis, non modo nihil sperare, nisi ab eo, sed nihil quærere, nisi eum.* Ad qué etiam

Bernard. Gen. 32.16. Cant. 3.4. modum simile idem Bernardus serm. 29. in Cant. adinuenit discrimen inter illa verba Iacob ad Dominum 32.16. *Non dimittam te, nisi prius benedixeris mihi:* & illa Sponsæ, Cant. 3.4. *Tenui eum, nec dimittam;* quod Sponsa non tam de benedictione obtinenda, quam de ipsomet Sponso retinendo, ac de ipsius amplexibus fuerit solicita. *Ita sponsa* (inquit) *non vult sponsum dimittere, & forte magis, quam Patriarcha id non vult; quia, nec pro benedictione quidem; siquidem ille benedictione accepta dimisit eum, hæc autem non sic. Nolo inquit benedictionem tuam, sed te.* Quid enim mihi est in cœlo, & à te quid volui super terram? *Tenet autem Sponsa fidei firmitate, tenet deuotionis affectu.* Hæc ille. Vide similia in Gregorio Nazianzeno, oratione de se ipso ad Episcopos, ad finem operum.

Sub quo quidem sensu in oratione Dominica postulare præcipimur, Matth. 6. 10. vt Dei in nos regnum adueniat. Nec enim Dei regnum accipio, pro insuperabili illa potentia, & virtute, quâ omnia Deus ita potenter administrat, vt suo nutui habeat subiecta: sed potius pro gratiæ regno, cum Deus suaui, fortique imperio sic suos gubernat, & regit: vt illi se se & omnino addicant, & mancipent, nec vllum apud se locum carnis affectibus, siue mundi desideriis, aut diaboli suggestionibus relinquant. 9. Matth.6.10.

Quare vt obseruat Gregorius Nyssenus orat. 4. in orat. Domin. pro his verbis: *Adueniat regnum tuum:* tunc temporis in Ecclesia recitabatur: *Descendat Spiritus tuus sanctus, & purificet nos.* Quasi idem esset Deum super suos regnum obtinere, ac ita ipsis à diuino spiritu purificatum animum esse, vt negatum cæteris, totum Dei obsequio subiicerent. Nec aliter ad hæc verba Chrysologus, serm. 67. *Hoc est* (inquit) *regnum Dei, quando, & in cœlo, & in terra Dei voluntas est sola, quando in omnibus hominibus Deus meus est, Deus viuit, Deus agit, Deus est totum, vt iuxta Apostolum Deus sit omnia in omnibus.* Sic Chrysologus. Qua de re præclarum sibi ipsi reddidit Bernardus testimonium, homilia 3. in *Missus est. O si mei peccatoris meminerit Iesus in beneplacito populi sui, cum venerit in regnum suum: veni interim. Domine Iesu, aufer scandala de regno tuo, quod est anima mea, vt regnes tu (qui debes) in ea. Venit enim auaritia, & vendicat in me sibi sedem, iactantia cupit dominari mihi, superbia vult mihi esse rex. Luxuria dicit: Ego regnabo: ambitio, detractio, inuidia certant in me ipso, de me ipso, cuius ego potissimum esse videar: Ego autem, quantum valeo, resisto, renitor, quantum iuuor, Dominum meum Iesum reclamo, ipsi me defendo, quia ipsius me iuris agnosco, ipsum mihi Deum, ipsum mihi Dominum teneo, & dico: Non habeo Regem, nisi Dominum Iesum. Veni ergo Domine, dissiperge illos in virtute tua, & regnabis in me, quia tu es ipse rex meus, & Deus meus, qui mandas salutes Iacob.* Nyssen. Chrysol. Bernard.

Respondet autem apposite hic sensus ei, quem superiori adnotatione dedimus, vt nimirum eo modo, quo ibi, totum Deum Pauli commoditatibus deseruire dicebatur; ita hic Paulus seipsum Dei voluntati omnino deuotum profiteatur, simul innuens, hoc tam ardens, tâque studiosum obsequium ob egregia sibi collata beneficia exhibere, vt perinde sit, ac si dicat, quando Deus meus, id est, mihi est, ego etiam eius, siue ei totus sum, id quod sponsæ verba, quæ subiicit illis, *Dilectus meus mihi*, aperte significant: sunt hæc: *Et ego illi. Quasi iis dicat* (inquit Bernardus serm. 68. in Cantic.) *Dilectus meus intendit mihi, & ego illi; ille mihi, quia benignus, & misericors est; ego illi, quia non sum ingrata; ille mihi gratiam ex gratia, ego illi gratiam pro gratia, ille meæ liberationi; ego illius honori, ille saluti meæ; ego illius voluntati, ille mihi, & non alteri, quia vna sum columba eius, ego illi, & non alteri, neque enim audio vocem alienorum.* Ita ille. Similia eiusdem animæ Deo addictæ, & officia charitatis remetientis, verba sunt 10. Cant.2.16. Bernard.

Cant. 6.

Cant. 6. 2. Theod. ibi. Cant. 6. 2. *Ego dilecto meo, & dilectus meus mihi*: ad quæ Theodoretus: *Ego dilecto meo me ipsam addixi, & consecraui, & alienam omnem consuetudinem contempsi: nam ipse me quoque cæteris antetulit.* Hæc ille. Quò eunt hæc Cypriani, lib. de orat. Domin verba, *Discamus Christo nihil omnino præponere, quia nec nobis quidquam ille præposuit.*

11\. Vnde, si attente res consideretur, id diuinæ dilectionis obsequium, non tam impendi, quàm rependi præcipitur, iis verbis, Deuter. 6. 5. Lucæ 10. 27. (Deut. 6. 5. Luc. 10. 27.) *Diliges Dominũ Deum tuum ex toto corde, tuo & ex tota anima tua, & ex omnibus viribus tuis, & ex omni mente tua.* Quare duo pende: Alterum, quam strictè integer omnino, & perfectissimus amor ab homine requiratur: *Ex toto*, inquit, *corde tuo, ex tota anima tua, ex tota mente tua, & ex omnibus viribus tuis.* Quæ Patres sic explicant. Basilius, homil. 11. in Psalm. 44. (Paschas.) *Hoc, quod ex toto dicit, diuisionem in alia nullam admittit: qui autem amicus est Dei perfectus, ei totam animã tribuit.* (Chrysol.) Chrysolog. serm. 147. *Quidquid est cordis, quidquid mentis, quidquid virtutis humanæ: ita Dei amore voluit possideri; vt hominis mundanus non haberet, quod violaret, affectus.* (Gregor.) Gregorius, lib. 10. Moralium, cap. 4. *Notandum est, quod diuinus sermo, cum Deum diligi præcipit, non solum narrat ex quo, sed etiam informat ex quanto: cum subiungit, ex toto, vt videlicet, qui perfectè Deo placere desiderat, sibi de se nil relinquat;* (August.) sic denique Augustinus, lib. 1. de doctrina Christiana, cap. 22. *Cum toto corde, ait tota anima, tota mente: nullam vitæ nostræ partem derelinquit, quæ vacare debeat, & locum dare, vt alia re velit frui: sed quidquid aliud diligendum venerit in animum, illuc rapiatur, quò totius dilectionis impetus currit.* Hæc de præcepto dilectionis, quibus adiungenda sunt, quæ ad eandem rem sic opportune dixit Aponius, lib. 2. in Cantic. (Aponius.) *Qui ergo, vt iussum est, in toto corde, in tota anima, & in tota virtute diligit Deum, nullum in se officium membrorum vacans relinquit peccato, nullum iræ, nullum cupiditati, nullum mendacio, nullum cœnodoxiæ, nullum libidini. Præoccupauit enim totum habitaculum mentis suæ latissima Dei dilectione, & operante diabolo multas obstaculorum formas propter creatorem totis viribus calcando transcendit.* Ita ille. (Balduin.) Consentanea habet venerabilis Balduinus in allegoriis Gotfridi Tilmanni ad cap. 6. Deuteron.

12\. Nunc alterum obserua non dictum fuisse: *Diliges Dominum Deum*; sed *Dominum Deum tuum*, vt iuxta prædictum Pauli sensum integerrimus hic creaturæ in Deum amor non liberaliter impensus, sed repensus, & persolutus esse censeatur. Pupugit, (Aug. vbi su.) credo, acumen vocis, *Tuum*, Augustinum, dum præfato loco dixit: *Deum ex toto corde diligere præciperis, vt omnes cogitationes tuas: ex tota anima tua, vt omnem vitam tuam: ex tota mente tua, vt omnem intellectum tuum in illum conferas, à quo habes ea, quæ confers.* Sic Augustinus. Quasi dicat ex ipsa phrasi, *Deus tuus*, admoneri hominem, vt totis nisibus officia charitatis in Deum remetiatur, non quasi pendat, sed tanquam necessario creditori debeat illa rependere, ne malus debitor habeatur. Quare (Cant. 8. 6.) illam dilectionis normam Cantic. 8. 6. positam illis in verbis: *Pone me vt signaculum super cor tuum, & vt signaculum super brachium tuum*: Qua, & cor, & manus, interiores nimirum, & externæ operationes Deo consecrari præscribuntur, vt monent ibi Patres, ab eo videas fuisse præscriptum, qui dixerat: *In manibus meis descripsi, & muri tui coram oculis meis sunt semper*: (Isai. 49. 16.) Isai. 49. 16. iuxta expositionem à nobis alibi datam.

13\. Vnde hac de causa sapienter monemur à Bernardo sermone de quadruplici debito, (Bernard.) ne dum hæc charitatis officia remetimur, & nos ipsos deuouemus, inaniter extollamur, quasi à vinculis beneficiorum Dei, soluti iam, & liberi simus. Sic enim ait. *Cum ergo ei donauero, quidquid sum, quidquid possum, nonne istud est, sicut est stella ad solem, gutta ad fluuium, lapis ad montem?* Ita ille. Et serm. 3. de Purificatione vrgens eos, qui cunctantur se Deo offerre: (Idem ser. 3.) *Quid fratres*, inquit, *nos offerimus, aut quid retribuimus Christo pro omnibus, quæ retribuit nobis? Ille pro nobis obtulit hostiam pretiosiorem, quam habuit, nimirum qua pretiosior esse non potuit. Et nos ergo faciamus, quod possumus, optimum, quod habemus, offerentes illi, quod sumus, vtique nosmetipsi. Ille seipsum obtulit, tu quis es, qui te ipsum offerre cuncteris?* Hæc Bernardus. Similia scripsit Paullinus epist. 4. (Paulin.) vbi cum dixisset: *Ergo illum amemus, quem amare debitum est: illum osculemur, quem osculari castitas est: illi copulemur, cui nupsisse virginitas est: illi subiiciamur, sub quo iacere, supra mundum stare est: propter illum deiiciamur, cui cadere resurrectio est: illi commoriamur, in quo vita est.* Statim subdit: *Et quam dignè vices huic Domino referre poterimus, in quo & mortui viuimus? Qui vicissim nobis hoc esse dignatur, quidquid illi fuerimus seruuli sui.* Hæc ibi, & plura ad hanc rem Paulinus; quæ vide. Nec minus aculeata sunt in hanc sententiam, quæ habet Augustinus, lib. de diligendo Deo, (August.) tom. 9. ad hunc modum: *Vnum est, quod me plus omnibus accendit, vrget, mouet, & super omnia te mihi amabilem reddit, ô bone Iesu: ignominiosissima, & amara mors, quam sustinuisti, opus redemptionis nostræ hoc solum, vel hoc omnino totam vitam nostram, totum laborem nostrum, totum obsequium nostrum, amorem denique nostrum facile sibi vendicat.* Hactenus Augustinus. Restabat tandem alius huius phrasis sensus, vt Paulus Deum vocaret suum, quasi rem, & possessionem propriam. Sed hanc expositionem commodius persequemur ad cap. 4. huius epistolæ, vbi iterum hanc phrasim Apostolus vsurpat.

VERSVS IV.

Semper in cunctis orationibus meis pro omnibus vobis cum gaudio deprecationem faciens.

VERSVS V.

Super communicatione vestra in Euangelio Christi à prima die vsque nunc.

COMMENTARIVS.

SI versum quartum parenthesi claudas, vt plures ex interpretibus volunt, simplicius tertius, & quintus sibi cohærerent; sed quando ea dispunctio à Vulgato, & Patribus prætermissa est, eum commode sensum reddas, ac si dicat Paulus: Quoties subit vestri memoria in orationibus meis, gratias ago Deo de omnibus vobis. Sed quid est *cum gaudio deprecationem faciens*? Respondet Estius, (Estius hic.) superiorum repetitionem per metalepsin esse, tanquam diceret, cum gratiarum actione Deum orans. Explicatius Iustinianus è more Pauli esse (Iustin. hic.) obseruat 1.

obſeruat gratiarum actionem, cum precandi ſtudio coniungere, quòd hæc duo mirè inter ſe connexa ſint. Iam quæ Paulo materia gaudij, & gratiarum actionis eſt?

Super communicatione veſtra in Euangelio Christi.

2. Chryſoſt. Theoph. Oecumen. Iuſtin. Cornel. Eſtius hic. QVID communicatio in Euangelio, non eodem modo à Patribus, & interpretibus accipitur: Chryſoſtom. Theophylact. Oecumen. & Græci: quibus recentiores interpretes Iuſtinian. Cornel. Eſtius, & alij ſubſcribunt, ad eleemoſynas, & beneficentiam Philippenſium, qui Paulo vincto, & aliis miniſtris Euangelij vitæ neceſſaria ſuppeditabant, referunt, tamquam diceret Apoſtolus, gratias ago Deo, & vehementer lætor: quod tanta ſollicitudine, & ſtudio ad Euangelium Christi diſſeminandum omni modo ſubſidium contuleritis, & verò dum eius miniſtros, meque in primis adiuuatis, tum ipſummet Euangelium promouetis, tum illius fructuum, meorúque ſimul laborum, & meritorum participes eſtis. Videntur verò hunc ſenſum liquido ſibi elicere Cornelius, Eſtius, & alij tum ex Græca voce κοινωνία, quæ ſignificat participationem, & ſocietatem in eodem munere: quippe talis eſt, ac Latinis collega. Vnde (Infr. verſ 7.) verſ. 7 vocat Philippenſes ſocios, & collegas, & pene ex æquo participes ſui gaudij. Tum etiam, quod Paulus hoc ſubſidium, ſiue ſubuentionem, cum victui neceſſaria ſubminiſtrantur, ſæpius communionem appellat, vt in hac epiſt. cap. 4. 14. *Beneficiſtis communicantes tribulationi meæ:* & verſu ſequenti: *Nulla Eccleſia mihi communicauit in ratione dati, & accepti, niſi vos ſoli.* Et ad Roman. 12. 13. *Neceſſitatibus ſanctorum communicantes.* Ad Hebr. 13. 16. Ad Galatas 6. 6. 1. Timoth. 6. & 2. ad Corinthios 8. 4. & cap. 9. 13.

(Infr. c. 4. 14. & 15. Ad Rom. 12. 13. Ad Hebr. 13. 16. Ad Galat. 6. 6. 1. Ad Tim. 6. 18. 2. Cor. 8. 4. & c. 9. 13.)

3. Chryſ. hic. Pulchrè autem hoc loco animaduertit Chryſoſtomus eum, qui martyri in carcere detento, aut doctori Euangelium prædicanti, ſiue ei, qui in eremo diuerſatur, aut denique cuiuis bonum aliquid facienti ſuccurrit, & modis omnibus auxiliatur, illius coronæ, ſiue prædicationis, aut cuiuſuis boni operis quaſi ex æquo participem fieri. Sic enim ille poſt multa: *Non potes ieiunium ferre? non ſolitudinem? non humi cubare? non integras noctes vigilare? licet tibi harum omnium rerum mercedem recipere, ſi alia quadam ratione rem tuam geſſeris, nempe ſi eum, qui iſtos labores capit, cures, recrees, foueaſque aſſiduè, & laborem, qui in illis certaminibus ſuſtinetur, leuem reddas, ille quidem ſtat pugnans, ac vulnera excipiens. Sic verò à certamine redeuntem cura, obuiis manibus ſuſcipe, ſudorem abſterge, recrea, ſolare, laſſam animam foue, ac refice. Profecto ſi tanta cum alacritate ſanctis inſeruiamus, participes mercedum, quæ illos manent, erimus.* Hæc Chryſoſtomus, & plura in hanc ſententiam, vide etiam Theophylactum. (Theoph. Gregor. Matth. 10. 41.) Quod ſi ea obſeruatio placet, vide Greg. hom. 20. in Euang. optime elucidantem illa Christi verba Matth. 10. 41. *Qui recipit Prophetam in nomine Prophetæ, mercedem Prophetæ accipiet.*

4. Theodoret. Schol. Græca. Ambroſ. D. Thom. Magiſt. ſenteot. Græca tamen ſcholia, Theodoretus, & Latini Doctores, Ambroſius, D. Thomas, Magiſter ſententiarum in ſua collectanea, Hugo, & Caietan. alium reddunt his verbis ſenſum, vt communicatio in Euangelio pro fide Christi, quam Philippenſes receperant, & bonis ſimul operibus, quæ indeſinenter exercebant, accipiatur. Sic enim Græca ſcholia: *Super communicatione veſtra in Euangelio, id eſt, ſuper eo quod cum aliis nationibus communicaſtis, & participaſtis in Euangelio apprehendendo, vel quod conſortes fueritis nobiſcum in Euangelio, & in hac doctrina permanſeritis, & permaneatis.* Ita ibi. Similem habent præfati Patres huius loci commentarium.

Porro quamuis prior ſenſus probabilis ſit, præſertim cum tot Patres, & interpretes in eum confluant, mihi hic poſterior multo magis placet, præſertim ſi tantillum ex ipſomet Paulo alibi ei addatur. 5. Moueor: quia licet ſubtiliter accipiatur communicatio in Euangelio pro ſubſidio, & auxiliis temporalibus, quibus Euangelium propagabatur, & id quam violentum eſt, tum phraſi ipſi, quæ, vt ſtatim videbimus, ex eodem Paulo alium ſenſum poſtulat: tum contextui, ex quo facilius elicitur Paulum agere de Philippenſium fide, & ſtudio, tam in virtute capeſſenda, quàm in laboribus pro Christo tolerandis. Quid enim aliud indicant ea verba: *à prima die vſque nunc?* Conſtat namque Philippenſes à primo tempore, quo Christo nomen dederunt, vſque ad illud, in quo Paulus hanc illis Epiſtolam miſit, nec Iudaizantibus aurem accommodaſſe, nec ad priſtinam gentilitatem relapſos, aut perſecutionibus turbatos, & commotos fuiſſe: non verò conſtat illos per totum id tempus Paulo vitæ neceſſaria ſubminiſtraſſe: imò verò conſtat eam ab illis curam fuiſſe nonnunquam interruptam, ſic cap. 4. 10. *Gauiſus ſum autem in Domino vehementer, quoniam tandem aliquando refloruiſtis pro me ſentire, ſicut & ſentiebatis: occupati enim eratis,* vbi ſatis comiter, & vrbane Philippenſium benignitatem, & pietatem in ſe laudans tacitam expoſtulationem inſerit, ſignificans eos aliquando à ſubſidio illi ſubmittendo ceſſaſſe, vt ad ea verba adnotarunt interpretes. (Inf. c. 4. 10.)

Deinde quæ ſequuntur: *Confidens hoc ipſum, quod qui cœpit in vobis opus bonum, perficiet vſque in diem Christi Ieſu, ſicut eſt mihi iuſtum ſentire pro omnibus vobis, &c.* 6. ſatis frigide, ne dicam inepte ad ſolam eleemoſynarum largitionem referuntur, cum de toto opere ſalutis, & ſancta conuerſatione neceſſario explicari debeant ex Conc. Trident. ſeſſ. 6. c. 13. his verbis. *Deus enim, niſi ipſi homines illius gratiæ defuerint, ſicut cœpit opus bonum, ita perficiet operans velle, & perficere.* De quo vide Auguſtin. lib. de corrept. & gratia, c. 6. & lib. 2. contra duas epiſtolas Pelagian. cap. 8. (Auguſt.) Præterea quis credat Paulum in ipſa epiſtolæ fronte tanta emphaſi, & orationis grauitate, totque affectuum ſignificatione, beneficentiæ Philippenſium in ſe meminiſſe pro ipſa Deo gratias agentem, & ab ipſo obnixe, & continuo poſtulantem, vt illi in ea permanerent? Certe dignius multo Pauli ſapientia, & omnino ad eius conſuetudinem eſt potiora priori loco ponere, & quæ ad ſui victum ſpectabât in calcem epiſtolæ reiicere; ſed quid moramur? nonne ita ab eo præſtitum, cap. 4. 14? *Beneficiſtis communicantes tribulationi meæ.* (Inf. c. 4. 14.) Quid ergo fuerit opus hæc tam ſeria, tam grauia, tam in fronte poſita ad victus ſuppeditationem, de quo Paulus minimum curabat, referre?

7. Eſtius. Sed inquit Eſtius ſenſum hunc neceſſariò exigi à lectione Græca, & conſuetudine ſermonis Apoſtolici, quam ipſe locis ſupra citatis confirmare conatur: ſed de Græca phraſi contrarium poſtea fiet planum. Nunc circa conſuetudinem Apoſtoli, de qua Eſtius, inquiro, an alicubi apud ipſũ, hæc phraſis: *Communicandi in Euangelio*, liquido accipiatur pro ſubſidij, aut eleemoſynarum largitione? Certe nullibi, vt Paulinas epiſtolas perluſtranti apparebit. Sed inquis, *communicandi*, verbum, & vox, *communicatio*, ſeu *communio*, ad id ſæpius refertur. Sed heus! tantum ne intercedit diſcrimen inter ſimplex verbum,

verbum,*communico*,& complexum hoc, *communicatio*,in Euangelio? Nonne, *communico*, generale verbum est,quod ad rerum omnium communicationem,& participationem vsurpatur, & ita apud Tullium,& in periculis,& in curis,& in inimicitiis communicatio est? Nonne etiam Petrus, epist. 1. cap. 4. 13. dixit: *Communicantes passionibus Christi*, &c. ex solo ergò verbo,*communicandi*, valde inefficax conficitur argumentum, vt communicatio in Euangelio pro eleemosynarum largitione accipiatur.

Tullius 5. de finib. & 3. de oratore. 1. Petr. c. 4. 13.

8. Sed ne plus temporis frustra terere videamur, ipsemet Paulus pro se hac eadem phrasi loquatur. Sic enim 1. Corinth. 9. 23. vt ibi ab ipsismet etiam interpretibus, cum quibus disceptamus,accipitur. *Factus sum infirmis infirmus, vt infirmos lucrifacerem. Omnibus omnia factus sum, vt omnes facerem saluos,omnia autem facio propter Euangelium,vt particeps eius efficiar*: vbi Græcè est vox, συγκοινωνὸς, id est, *comparticeps*, à κοινωνία, quæ hic habetur. Quid autem velit Paulus, dum omnibus modis participem Euangelij effici cupit,ita explicat Chrysostomus:*Vt sim particeps coronarum,quæ sunt repositæ fidelibus, & confestim efficiar particeps Euangelij, vt possim habere societatem, & participationem cum iis,qui crediderunt Euangelio.* Ita etiam Photius, & Oecumenius. *Hoc autem facio propter eos, qui ex Euangelio crediderunt, vt possim* (inquit)*cum ipsis particeps fieri repositorum ipsis bonorum,omnia feci,& facio.* Similiter Magister,ibi: *Ecce quare omnibus se contemperat. Hæc autem omnia facio propter Euangelium,vt curram sine impedimento,& efficiar particeps promissionum eius,id est,iustitiæ, & beatitudinis æternæ.* Cui quidem expositioni communiter omnes pene Patres, & interpretes subscribunt, & si Deo placet ipsemet Guillielmus Estius, cuius hæc sunt verba: *Hæc omnia, quæ commemoraui, feci, & facio propter Euangelium, vt ex Euangelio fructus quam vberrimus sequatur,cuius ego quoque cum cæteris particeps efficiar. Hoc est, vt vna cum illis assequar ea bona,quæ promittit Euangelium.* Hæc Estius. Quorum meminisse debuerat, dum hic dixit Græcam lectionem omnino postulare eum sensum de subuentione, seu eleemosynarum largitione. Liquet igitur ex hoc loco Pauli ad Corinthios,communicationem in Euangelio non significare alimoniam: & vitæ necessaria,quibus Philippenses Paulum, & Euangelij ministros reficiebant, sed potius Christianam fidem,& egregia virtutum opera,laborum præsertim tolerantiam, quam toties Euangelium monet,& æternæ beatitudinis retributionē, quam passim promittit. In his autem omnibus Philippenses participes facti erant,sic ipsos hoc cap. vers. 29. Paulo alloquente: *Vobis donatum est pro Christo non solum,vt in eum credatis, sed vt etiam pro illo patiamini.*

1. Cor. 9. 23. Chrysost. hic. Photius & Oecum. hic. Magist. ibi. Estius hic. Infr. vers. 29.

VERSVS VI.

Confidens hoc ipsum, quia qui cœpit in vobis opus bonum,perficiet vsque in diem Christi Iesu.

COMMENTARIVS.

1. POST commendatam à Paulo perseuerantem Philippensium in Euangelio communicationem, optimis iam indiciis,& rationibus permotum bene sperare se dicit per diuinæ gratiæ auxilium, & efficientiam eos, vsque in finem in Dei opere,hoc est,in diuino obsequio, & fide perseueraturos. Nec enim verbum: *Confidens*, etiam in Græco fonte spectatum plus aliquid postulat:vt enim ad Romanos 8. 38. Vulgatus interpres vertit:*Certus sum*;sæpius tamen significat argumenta probabilia, & coniecturas habere, vt cum Chrysostomo,Theophylacto,& Ambrosio hic obseruant interpretes. Similiter phrasis illa, *in diem Christi*, qua vtitur Paulus,non denotat Philippensium posteritatem in Christi fide, & obsequio, vsque in mundi finem duraturos; vt infeliciter opinantur Græca scholia, & ex Græcis Patribus non pauci, cum euentus malo fato oppositum docuerit: iam diu enim Philippenses à Christo defecerunt; ergo his verbis solum ait, persuasum sibi esse eos, qui tunc Philippis degebant, vsque ad extremum vitæ singultum bonos,& constantes in Christi obsequio futuros.

Ad Rom. 8. 38. Chrysost. Theoph. Ambr. hic. Schol. Græca.

Qui cœpit in vobis opus bonum.

IGNATISSIMVS pro gratiæ excitantis dogmate locus,vt in adnotatione ostendo;nec semel in hac epistola à Paulo id asseritur, cum hoc eodem cap. vers. 11. agens de fructibus iustitiæ, eos nobis non nisi per Iesum Christum aduenire moneat:similiterque,cap. 2. 13. dicat Deum esse,qui in nobis operatur *velle,& perficere*:& cap. 4. 13. de se ipso: *omnia possum in eo,qui me confortat.* Quare pro vniuscuiusque loci opportunitate aliqua sigillatim dicemus. 2.

Infr. v. 11. Cap. 2. 13. Cap. 4. 13.

Perficiet.

VT illud, *cœpit*, ad excitantem gratiam pertinet,ita hoc verbum,*perficit*, Catholicum dogma, quo instruimur perseuerantiæ donum à Deo esse,dilucide confirmat; ita definiente ex his verbis Concilio Tridentino session. 6. cap. 13. *Similiter de perseuerantiæ munere, de quo scriptum est.* Qui perseuerauerit vsque in finem,hic saluus erit:*Quod quidem aliunde haberi non potest, nisi ab eo, qui potens est eum, qui stat statuere, vt perseueranter stet, & eum, qui cadit restituere: nemo sibi aliquid certi absoluta certitudine polliceatur,tametsi in Dei auxilio firmissimam spem collocare, & reponere omnes debent: Deus enim,nisi ipsi illius gratiæ defuerint; sicut cœpit opus bonum, ita perficiet,operans velle, & perficere.* Hæc Concil. & similiter Prosper, lib. 1. de vocat. gentium,capite 9. his verbis: *In fide,& bonis operibus proficere,ac perseuerare vsque in finem, muneris, atque auxilij esse diuini,sanctarum Scripturarum confirmat authoritas; etenim scribens Paulus Apostolus Philippensibus ait.* Confidens hoc ipsum; quia qui cœpit in vobis opus bonū, perficiet vsque in diem Christi Iesu:sic Prosper,pluribus subinde Scripturæ testimoniis,toto illo capite adstruēs: quæ inde pete, & doctrinæ huius confirmationem à Cōciliis Mileuitano, Africano, Arausicano secundo;à Pontificibus, Cœlestino I. Innocentio I. & Gregorio; à Patribus Hieronymo, Chrysost. Cypriano,Hilario, Augustino, Cyrillo, Bernardo apud Vasquez 1. 2. disput. 197. cap. 1. Suarez tom. 3. de gratia, lib. 10. cap. 4. Valentia tom. 2. disp. 8. quæst. 1. punct. 6. Bellarmin. lib. 2. de grat. & lib. cap. 12. 3.

Conc. Trid. Matth. 10. 22. Prosper. Conc. Mil. African. Arausic. Cælest. Innocent. Gregor. Hieron. Chrysost. Cyprian. Hilar. August. Cyril. Bernard. Vasquez. Suarez. Valentia. Bellarm.

In diem Christi.

APpellat Paulus, *diem Christi* vel diem mortis vniuscuiusque, quia cum primum anima de

Anselm. 1. ad Cor. 5. 5. de corpore egreditur, sistitur Christo iudici, vt explicat Anselmus hic, & Hilarius in Psalm. 51. citans similia Pauli verba 1. ad Corint. 5. 5. *Vt spiritus saluus sit in diem Domini.* Sic inquiens. *Non hunc diem ortu solis, occasuque finitum, sed diem constituti temporis, vel ætatis ostendens.* Ita ille, vel etiam, vt alij censent, diem extremi, & vniuersalis iudicij, qui quidem respectu singulorum, ille censendus est, in quo mortem obierint. Tunc enim de vnoquoque extremum fertur iudicium, quod in die nouissimo orbi vniuerso manifestandum est. Fateor tamen non tam apposite hic sumi, *diem Christi*, pro vniuersalis iudicij die: quia impropriè dicitur perfici opus bonum, vsque in diem extremi iudicij, cum omnis perfectio in prima morte intercidatur, & sistat. Cur autem, vel dies mortis singulorum, vel dies iudicij vniuersalis, *dies Christi*, appelletur, ad vers. 10. vbi iterum hanc phrasim Paulus vsurpat, commode transmittimus.

Ad illa verba, *qui cœpit in vobis, &c.*

ADNOTATIO I.

Indubitato ex hoc loco elici bonorum operum initium non ex nobis, sed ex Deo esse.

1\. NIHIL his verbis clarius, explicatius nihil ad præuenientis, siue excitantis gratiæ doctrinam stabiliendam dici potuit, nisi Pelagius de Christo, & ipsius donis male merens, dum ipsis se constrictum iri animaduertit, ad asserendum bonorum operum initium à Deo nobis per Christi gratiam aduenire, ea immutare, & pro, *cœpit in vobis*, reponere (siue verbis, siue sensu, de quo non constat) *cœpit ex vobis*, ausus esset, vt de illo tacito nomine sic affirmauit Prosper, lib. 1. de vocat. gent. cap. 9. *Huius autem testimonij virtutem quidam volens ad sui sensus prauitatem conuertere, ita, quod dictum est,* qui cœpit in vobis, *volebat intelligi, quasi dictum esset, qui cœpit ex vobis, vt & initium, & consummatio operis non ad Deum, sed ad hominem referretur, qui & incipere, & perficere voluisset.* Ita ille. Quod delirium prospere ibi Prosper ex variis Pauli testimoniis, tum ex hac epistola, tum ex aliis confutat, quæ vide. Illud ob fiduciam bonæ causæ ab eo prætermissum est, in nullo exemplari, nec Græco, nec Latino, nec ab vllo expositore vtriusque linguæ vllum, vel leue fundamentum, siue potius vestigium huius Pelagiani commenti inueniri, sed merum omnino mendacium hæreticâ petulantiâ confictum esse. Ideò (quæ mendacij natura est) vt sua sponte exortum, ita sua sponte decidit; sic de mendacio dixit Cyril. Alex. in c. 7. Amos. *Infirmum per se semper est mendacium, & fallacia pedes ruinoso semper insistunt fundamento, proinde vix ope externa valens consistere.* (Prosper. — Cyrill. Alex.)

2\. Omnes ergo Catholici patres, & Doctores ex hoc Pauli testimonio egregium hoc dogma excitantis, & præuenientis gratiæ vnanimi conspiratione confirmant. Sic imprimis Patres Concil. Triden. sessione 6. cap. 13. his verbis: *Deus enim, nisi ipsi homines illius gratiæ defuerint, sicut cœpit opus bonum, ita perficiet.* Quis verò subsit sensus illi particulæ, *nisi ipsi homines illius gratiæ defuerint*, alibi videro. Augustinus deinde aduersus Pelagium, & Pelagianos sæpius hæc verba vrget, exaggerat, premit; sic enim primò, lib. 4. aduers. Iulian. cap. 3. *Cum ergo* (Concil. Tri. — August.)

diuinitus adiuuatur homo, non tantum ad capessendam perfectionem adiuuatur, quod ipse posuisti: vtique volens intelligi eum per se incipere sine gratia, quod perficit gratia, sed potius, quod Apostolus loquitur vt qui in vobis opus bonum cœpit, perficiat vsque in finem: in quo enim vis hominem, sicut loqueris, ad aliquid laudabile generosi cordis stimulis incitari, in hoc eum non vis in Domino, sed in libero arbitrio gloriari, ac sic priorem dare, vt tribuatur illi, eoque modo gratia iam non sit gratia, quia non est gratuita. Ita August. ibi, & lib. de grat. & liber. arbitr. capite 17. *Et quis istam, etsi paruam dare cœperat charitatem, nisi ille, qui præparat voluntatem, & cooperando perficit, quod operando incipit? Quoniam ipse, vt velimus, operatur incipiens, qui volentibus cooperatur perficiens, propter quod ait Apostolus.* Certus sum, quoniam qui cœpit in vobis opus bonum, perficiet vsque in diem Christi Iesu. Similia habet lib. de corrept. & grat. capite 6. & lib. contra duas epistolas Pelag. capite 8. & tractat. 108. in Ioann. optimè componens cum his verbis illa Christi Domini, apud Ioann. 17. 17. ad Patrem pro discipulis vehementius orantis; *sanctifica eos in veritate.* Cuius vestigia premens Fulgentius epistola 4. ad Prob. de oratione, capite secundo, dum idem dogma adstruit, tacite illi verba Pauli ad hunc modum annectit. *Oratio humilis diuinum promeretur auxilium, compunctio cordis vulnera sua respicit, oratio verò medelam sanitatis exposcit, & ad hæc quis idoneus? quis enim, vel orare competenter valeat, nisi medicus ipse nobis initium desiderij spiritualis infundat? aut quis perseuerare in oratione queat, nisi Deus in nobis hoc, quod cœpit, augeat, quod seminauit, enutriat, & quod misericordia præcedente gratis donauit, indignis ad effectum perfectionis, misericordia subsequente, perducat?* Ita ibi Fulgentius. Sed & Fulgentio, & Augustino prior Cyprianus epistola secunda ad Donatum, verbum, *incipere*, ad hoc institutum, non sine allusione ad Paulum, sic vsurpat, *vt esset cognoscere terrenum fuisse, quod prius carnaliter natum delictis obnoxium viueret, Dei esse cœpisse, quod iam Spiritus sanctus animaret.* Ita ille. Quod præclaris subinde imaginibus gloriosus Martyr sic illustrat: *Nec ad hoc pretiis, aut ambitu, aut manu opus est, vt hominis summa, vel dignitas, vel potestas elaborata manu pariatur, sed gratuitum de Deo munus, & facile est, vt sponte sol radiat, dies illuminat; fons irrigat, imber rorat: ita se Spiritus sanctus cœlestis infundit.* Ita Cyprianus. Quo nihil elegantius, nihil dici potuit opportunius. Expende illud: *Nec ad hoc pretiis, aut ambitu: sed gratuitum de Deo munus.* Quasi dicat, præuium omnino, liberale, gratis datum, & spontaneum. A quo non it, quod perueтustus ille Arnobius libro 7. aduersus gentes pulchrè dixit. *Bonus auxiliator nunquam rogari se poscit, spontanea semper opitulatione subueniens.* Denique Ambrosius, sub eadem incipiendi phrasi, quam Paulus vsurpat, bonorum operum initium à Deo esse, sic asseruit libro secundo in Lucam: *Vides, quia vbique Domini virtus studiis cooperatur humanis, vt nemo possit ædificare sine Domino, nemo quidquam incipere sine Domino, &c.* Ita ille. (August. — Idem de corrept. — Ioan. 17. 17. Fulgent. — Cyprian. — Arnob. — Ambros.)

Nec minus dilucide Chrysostomus, & eius discipuli Theophylactus, Photius, & Oecumenius, à Semipelagiano sensu, quem ipsis aliqui iniuste imponunt, omnino abhorrentes, præuenientis, & excitantis gratiæ auxilium ex his verbis stabiliunt. *Vide,* (inquit Chrysostomus,) *quomodo* 3. (Chrysost. Theophyl. Phot. Oecum.)

illos modestiam etiam tueri doceat, etenim, quoniam magnum quiddam erat, quod de illis testatus fuerat, ne humani quid patiantur, protinus ipsos ita instituit, vt, & præterita, & futura, ipsi Christo accepta referant: quomodo? non dixit quemadmodum cœpistis; ita etiam perfecturos, sed quid? Qui cœpit in vobis opus bonum, perficiet, *neque ipsorum in recte facto aliquas fuisse partes negat: dixit enim gaudeo super communicatione vestra, nimirum tanquam ipsi recte gessissent, neque tamen ipsis dumtaxat recte facta assignat, sed principaliter Deo.* Confido enim, *inquit*, quod qui cœpit in vobis opus bonum vsque in diem Iesu Christi, *id est*, *Deus*. Ita Chrysostomus, Augustino per omnia similis, omnino negans aliquod ex arbitrij viribus initium, fine Christo, cui & primò incipere, & principaliter boni operis auctorem esse tribui debeat. Chrysostomo autem sic consentit Theophylactus: *Gratias ago, inquit, & lator confidens, quod Deus, qui orsus est in vobis bona opera facere, etiam ipse complebit, à præteritis enim de futuris coniecturam facio. Obserua hic, quod eos moderata sapere doceat, Deo cuncta accepta referens, non ipsis solis.* Similiter Oecumenius. *Animaduerte quomodo omnia ad Deum retulerit, ne cristas erigant.* Pende in Theophylacto illud, *cuncta*, in Oecumenio, *omnia, accepta referens, non ipsis solis*, id est, initium, medium, & finem, vt Christus sit, qui incipiat, adiuuet, atque perficiat. Clarius, (si luce aliquid clarius esse potest) Photius sub Pauli persona inquiens. *Confidens, quod is, qui talem animi promptitudinem, ac initium feruore plenum indiderat, ipse quoque hoc ad operis perfectionem perducturus esset:* Vides initium, vides promptitudinem? En *Paulus.* omnem dubitationis ansulam præcisam. His Patribus adiunge Paulum Diaconum, qui suo, & Orientalis Ecclesiæ nomine ad hunc Pauli locum manifeste alludens in Faustum Rhegiensem Episcopum, & Semipelagianorum Antistitem, qui quandam humanæ voluntatis ansulam obtrudebat, per quam à Deo apprehenderetur, qui ad salutis studium vocabatur, sic inuehitur: *Sed præcipue libros Fausti Galliarum Episcopi, qui de monasterio Lyrinensi prouectus est, quos contra prædestinationis sententiam scriptos esse non est dubium, in quibus non solum contra horum sanctorum Patrum, verum contra ipsius Apostoli contradictionem venient, humano labori subiungit gratia adiutorium.*

4. Præter interiorem verò diuini Spiritus afflatum, ac cœlestem vnctionem, videtur Paulus in *Ps. 76. 11.* hoc dogmate tradendo habuisse Magistrum Regium Vatem Psalm. 76. 11. dicentem. *Nunc cœpi, hæc mutatio dexteræ excelsi.* Quod idem est, ac dixisse; Deus est, qui cœpit in me opus bonum, vti hæc verba luculenter explicant Patres *Conc. Ar. August. Hieron. Nazianz. Bernard.* Concilij Arauf. 2. necnon Augustin. Hieronym. Nazianzen. Bernard. quorum verba, quia scitu dignissima, libet singillatim appingere. Sic ergo *Arauf. 2.* Synodus Canon. 15. *Ab eo, quod formauit Deus, mutatur Adam, sed in peius per iniquitatem suam; ab eo, quod operata est iniquitas, mutatur fidelis, sed in melius per gratiam Dei: illa ergo mutatio fit præuaricatoris primi, hæc secundum Psalmistam mutatio dexteræ excelsi.* *August.* Augustin. lib. 2. cont. duas epistolas Pelag. capite 9. & 10. *Nec omnino incipit homo ex malo in bonum per initium fidei commutari, nisi hoc in illo agat indebita, & gratuita misericordia Dei, de qua suam cogitationem recolens quidam, sicut legimus in Psalmis.* *Ps. 96. 10. 11.* Nunquid obliuiscetur (*inquit*) misereri Deus, aut continebit in ira sua misericordias suas? & dixi, nunc cœpi, hæc mutatio dexteræ excelsi. Hieronymus *Hieron.* lib. 2. aduers. Pelag. capite 7. *Iusti vox est, qui post medicationem somnij, & conscientiæ cruces ad extremum ait*, nunc cœpi, *pœnitentiam agere, (qui enim, vt debet, pœnitentiam agit, illico iustus efficitur) vel scientiæ limen intrare, & hæc ipsa de bonis ad meliora mutatio non mearum virium, sed dexteræ, & potentiæ Dei est.* Nazianzen. orat. 43. *Nazianz.* in nouam Dominicam. *At nunc diuerso modo nouus appares, sic nempe, vt totus immuteris, vetera transierunt, ecce facta sunt omnia noua: huic festo muneris loco præclaram mutationem offer, ac nec sic quidem magnifice de te sentias, verum dic cum Dauide.* Hæc mutatio dexteræ excelsi, *à quo promanat quidquid ab hominibus recte, & cum laude geritur.* Bernardus Epistol. 109. illustri Gaufrido, & *Bernard.* sociis eius gratulans de repudij libello ab ipsis mundo misso: *Vilescit gloria præsens: iuuentutis flos conculcatur: non reputatur generositas; sapientia mundi stultitia iudicatur; non acquiescitur carni, & sanguini; parentum, & charorum renunciatur affectibus, fauores, & honores, & dignitates reputantur, vt stercora, vt Christus lucrifiat; laudarem vos, si vobis hæc accidisse ex vobis cognoscerem: cæterum digitus Dei est iste, & mutatio plane dexteræ excelsi.* *Fulgent.* Fulgentius lib. de Incarnatione, & gratia Christi, capite 19. *Ille tam prophana cogitatione polluitur, cui gratia, vel obdurato non datur, vel aufertur ingrato; Deus enim conuertens viuificat, quos vult saluos fieri; Deus voluntates hominum mutat, vt esse bona incipiant. Ideo scriptum est*, & dixi nunc cœpi, hæc est mutatio dexteræ excelsi. *Propheta sensus aperto sermone se prabuit agnoscendum, qui vtique non posteaquam cœpit, sed hoc ipsum; quod cœpit mutationem dexteræ excelsi non tacuit.* *Idem lib. 2.* Hæc Fulgentius, videndus etiam lib. 2. de peccatorum remissione, capite 11. & Epistol. 6. capite 4. His Patrum monumentis ad- *Cyprian.* iungo Cyprianum epistol. 2. qui vt verba Vatis non citet, in eius sensum sic concurrit. *In proprias laudes odiosa iactatio est, quamuis non iactatum possit esse, sed gratum, quidquid non virtuti hominis adscribitur, sed de Dei munere prædicatur, vt iam non peccare esse cœperit fidei, quod antequam peccatum est, fuerit erroris humani.* Ita Cyprianus.

ADNOTATIO II.

Alia scripturæ, & Patrum pro excitante gratia testimonia.

IAM in egregij huius dogmatis confir- 1. mationem, nonnulla ex veteri testamento, (nam ex nouo plura passim obuia fient) placet afferre monumenta, & illud in primis, quod ab ipso, etiam renascentis mundi exordio sanctus patriarcha Noë huic veritati reddidit: nam cum pessimum facinus filij Cham exprobrare, egregiam verò pietatem Sem, qui ipsi nudo ob pudorem pallium suum iniecerat, laudibus efferre vellet; sic vtrumque allocutus dicitur, Genesis 9. *Gen. 9. 25.* 25. *Maledictus puer Chanaam, seruus seruorum erit fratribus suis: dixitque benedictus Dominus Deus Sem, sit Chanaam seruus eius.* Vbi vide, quam dispari oratione vnum, atque alterum alloquatur. Nam de Chami peccato loquens Dei non meminit, cum tamen eius meminerit, dum de egregio

egregio facinore Sem verba faceret. Rursus dum hoc vult efferre, ipsius Sem, qui illud patrarat, non prius mentionem facit, quam Domino Deo benedixerit, & collaudarit: sane, vt indicaret Patriarcha flagitium Cham nullo modo à Deo dimanasse, at optimi operis à Sem perfecti, primum auctorem, & ducem fuisse, cui in primis ea ratione gratiæ, eæque ingentes agendæ essent. Vnde expressius lectio Tigurina sic effert hæc verba:
Lectio Tigurina. *Laudandus Dominus Deus Sem*: Quasi dicat, Deo primariæ debentur gratiæ, qui hanc filio meo Sem mentem iniecit, cæpitque in ipso hoc opus bonum.
Theod. Adiungo obseruationem Theodoreti in illis Christi verbis: *Narra quanta fecit tibi Deus.* Lucæ 8. 39. *Non dixit quanta feci tibi ego formam prebens humilitatis, vt rectitudines nostras referamus in Deum.* Ita ille.

2. Ps. 67.30. Similis Dauidis locus Psalm. 67. 30. *A templo tuo tibi offerent Reges munera*: nam quid est aliud, Deo à templo suo Reges munera offerre, nisi ab ipso bona opera incipere, quæ in eius subinde obsequium perficiantur, vt ad eius munera
Marc. Ere. ipsi offerenda veniant, vti expendit hunc locum Marcus Eremita in responsione ad eos, qui de diuino baptismate dubitabant tomo 5. Biblioth. veter. Patr. his verbis: *Ea quoque de causa Propheta non dixit ab Hierusalem in templum tuum offerent tibi Reges munera (quod verisimile erat, & fieri solebat)* sed à templo tuo in Hierusalem tibi offerent Reges munera: *Quoniam animus cuiusque, maxime ab eo occulto cordis sui templo primum sumit honestas, & bonas suggestiones, que suggeruntur ab inhabitante Christo, quas etiam adducit ad politiam virtutibus plenam, quam Hierusalem nominauit: iterumque per intentionem bonam effert eas ipsi, qui donauit, Christo*: Sic Marcus satis luculenter, & clare, vt appareat, quam sit alienus à Semipelagianorum errore, qui à nonnullis ipsi gratis imponitur.
Fulgen. Congruunt huius Marci expositioni Fulgentij, & Prosperi verba, dum ille Probam, hic Demetriadem virgines spiritualibus diuitiis fœcundissimas, nihil ipsis cœlesti sponso gratum inesse, quod ab ipso sponso non aduenerit, serio monent. Sic prior epistol. 3. capite 24. *Nec vero fidei veritate, carnisque integritate spiritualiter tali sponso nupsisse, si non eum contempta vanitate sæculi dilexisses; nec tamen eum fuisses aliquatenus dilectura, nisi fuisses gratuita sponsi dilectione preuenta.* Et statim subiunxit: *Pauperem te accepit ditissimus sponsus, quidquid in te boni habes, non ex te, sed ex ipso habes, & quidquid, nondum habes, tunc habebis, si sponsus dederit, qui omnia bona, que habes, gratuita largitate iam dedit. Ipsi ergo de acceptis humiliter gratias age, ipsum de accipiendis humiliter posce.*
Prosper. Ita ille. Prosper verò epistola 84. inter Epistolas Ambrosij: *Ipsa ergo aulam tuæ mentis ingredere, & in secretario purissimæ conscientiæ tuæ, qualia tibi reposita sunt ornamenta, circumspice, & quidquid ibi splendidum, quidquid pulchrum, pretiosumque reperers, diuini operis, & muneris esse ne dubites, ita, vt in omnibus bonis opulentiæ tuæ, & gratiam donatoris, & tuæ proprietatis agnoscas. Accepisti enim, quæ habes, & quidquid tibi diligentia tui laboris accreuit, per ipsum tibi est auctum, per quem fuerat inchoatum.* Sic Prosper.

3. Ambros. Huc etiam retulit Ambrosius illud Psalm. 118. *Viam iniquitatis amoue à me*: ex hoc loco confirmans, infirmum omnino, & imbecillum ad depellendum peccatum hominis arbitrium esse, nisi prius à Dei gratia excitetur, his verbis. *Non dixit amoue me à via iniquitatis*, sed viam iniquitatis amoue à me: *Quasi in nobis sit, & nobis inesse videatur. Quandiu enim exercemus aliquid improbum, via iniquitatis interius manet, & non recedet à nobis, ideoque studiose agamus, vt eam à nobis separemus, sed quia hereditarium iniquitatis glutinum mentibus inhæsit humanis, opus est liberantis auxilio; precare, & tu, dicito, infœlix ego homo, quis amouebit à me iniquitatis viam? Gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum.* Ita Ambrosius. S. Pasch.
Ad quem modum Paschasius lib. 3. in capite 4. Matth. dum obseruat binos à Domino peculiari ratione vocatos discipulos, acute pendit, ideo Iacobum, & Ioannem adscitos fuisse, quod ille supplantator: hic verò *gratia*, sub natiuo idiomate appellentur; quasi in virtutis palæstra sine Dei gratiâ vitia nequeant supplantari. Sic enim ille: *Quia nimirum quilibet supplantator vitiorum positus in agone, non nisi per gratiam valet, quasi fraterna ex acie hostem subuertere. Et ideo actibus nostris illa necesse est irremota vbique comes germanitatis obsequio comitetur. Hinc quoque Paulus*: non ego, *inquit*, operor illud, sed gratia Dei mecum, 1. *Cor.* 15. 10. Hæc Paschas. Quibus adiunge translationem LXX. in Iob 25. pro illis verbis. *Potestas, & terror apud eum est*, reponentes. *Quid enim exordium, quam timor ab eo?* Vt sensus sit, vnde nobis, LXX.
nisi à timore Dei salutis exordium venit? Rursus vero hic timor Dei nonne ab ipso Deo venit? Ita Olympiodorus ad hunc modum. *Attende non hoc dixisse timor eius, sed timor ab eo; namque timor eius opus est nostrum à nostro libero profectus arbitrio; timor autem, qui est ab eo, gratia, & donum Dei est, quibus id quod nobis deest, suppletur.* Hactenus ille, perspicuè monens non esse timorem Dei in nobis, qui ab eius gratia, & dono non dimanet, dum torporem nostrum prius excitat, & accendit. Olymp.

E qua etiam re est id Psalm. 38. *Et substantia mea apud te est*: si tamen cum Origene legas: *& substantia mea à te est*, & ab eo in hunc modum explices: *Si habeo substantiam spiritualium diuitiarum, à Deo est, insufflauit enim Dominus in faciem hominis spiraculum vitæ, & factus est in animam viuentem.* Ita Origenes pulchre Deum respectu bonarum actionum hominis cum anima rationali, à qua principium vitalium operationum dimanat, componens, vt appareat absque illius ope, nihil nos aliud, quam viua cadauera esse. Quam ad rem sic egregie locutus est Nazianz. orat. de se ipso, quæ est ad finem operum. *Nam sine ipsius* (Christi) *ope omnes nos inania ludibria sumus, & viua, vt ita dicam, cadauera, sceleribusque fœtida: vt enim nec auis sine aëre volat, nec Delphinus sine aqua natat, ita nec homo sine Christi adminiculo pedem terra efferre potest.* Hæc Greg. Cuius in verbis præter elegantiam, quæ ipsi nunquam deest, & aptissimas similitudines auis, & Delphini, expende, quam scite dixerit sine Christi gratia viua nos cadauera esse, sceleribusque fœtida; ac si à nobis nihil viuum præter ipsam mortem, quæ in nobis non moritur, habeamus. 4. Psal. 38. 8. Nazianz.

Ille vero ad id dogma stabiliendum signatissimus locus est, Isai. 65. 1. *Quæsierunt me, qui antea non interrogabant, inuenerunt, qui non quæsierunt me*, siue vt LXX. habent, *manifestus factus sum non interrogantibus me, inuentus sum ab iis, qui me nō querebant.* Quæ verba citans Paulus ad Rom. 10. 20. ita & Hebræi fontis, & LXX. mentem (quidquid garriat Erasmus) disertissime expressit, *inuentus sum à non querentibus me, palam apparui iis, qui me non interrogabant.* Vbi sub Christi persona, inquit Vates tantum abesse, vt precibus, aut obsequiis humanis adductus 5. Isai. 65. 1. LXX. Rom.

opem Deus hominibus tulerit, vt tunc potius cum ab eo ipsi magis aberrabant, & falsis diis fortiter adhærebant, vltro, ac liberaliter se illis gratia suâ cognoscendum,& amandum ingesserit. Ita Origenes in cap. 10. ad Rom. *Certum est, quod gentes erant, quæ Christum nec quærere nouerant, nec de eo interrogare didicerant; inuenerunt tamen, quem non quæsierunt, quia ipse eos prior quæsiuit: Pastor est enim bonus, & ouem, quæ perierat, requisiuit: & sapientia est, quæ drachmam perditam quæsiuit, & quærens inuenit.* Ita ille. Quare aduersus Pelagium sic vrget hoc testimonium Arausicana Synodus 2. Can. 3. *Si quis inuocatione humanâ gratiam Dei dicit posse conferri, non autem ipsam gratiam facere, vt inuocetur à nobis, contradicit Isaiæ prophetæ, & Apostolo idem dicenti, inuentus sum à non quærentibus me, palam apparui, &c.* Sunt verò egregiæ ad hanc rem Pagnini, & Vatabli translationes. Sic enim legit Pagninus. *Quærere feci me ab iis, qui non interrogauerunt, inuenire me feci ab iis, qui non quæsierunt me:* Similiter Vatablus, *feci vt inuenirent me y, qui non requirebant me.* Quibus omnino exprimitur hic Pauli locus, in quo sumus, *qui cœpit in vobis opus bonum.*

Origen. | Concil. Arausic. 2. Can. 3. | Pagnin.

6. Sed vt hic locus penitius intelligatur, obserua nonnullum negotium interpretibus facessere, Vulgatum apud Paulum legisse, *inuentus sum à non quærentibus*, & in Isaia, *inuenerunt, qui non quæsierunt me*; cum notissimum sit discrimen & à nobis alibi obseruatum inter verbum *reperio*, & *inuenio*, dum *reperire* fortunæ; *inuenire* consilij est, eaque reperire dicimus, quæ non quæsita nobis obuia fiunt: inuenire verò, quæ studio à nobis quæsita, & inuestigata sunt. Sic apud Isai. 42. 11. *Quæres eos, & non inuenies*, & 55. 6. *Quærite Dominum, dum inueniri potest*, & Matth. 7. 7. *Quærite, & inuenietis*, & statim: *Qui quærit, inuenit*, & Ioan. 7. 34. *Quæretis me, & non inuenietis.* De quo vide etiam Ambrosium ad illud Psal. 118. *Tribulatio, & angustia inuenerunt me.* Ecce ergo antilogiam, cum dicat Paulus inuêtum Christum, hoc est, studio, & labore quæsitum à nõ quærentibus illum, quod idem videtur esse, ac si dicatur, quæsitum, & non quæsitum fuisse. Inciderunt aliqui in hunc nodum, & dum, vel nihil excogitarunt, quod responderent, vel ipsa eorum cogitatio non satis ad rem visa est, facili negotio se expedire putarunt, si dicerent Vulgatum interpretem Grammaticæ leges non multum curare solitum, ideo verbum *inuenio* pro *reperio* vsurpasse.

Isai. 42. 11. & c. 55. 6. Matth. 7. 7. Ioann. 7. 34. Ambros.

7. Facilis plane responsio, qua recentiores etiam alij maximopere delectantur; verum nobis, qui vulgatæ lectionis non verba solum, sed apices etiam venerari, & summo studio amplecti solemus, is respõdendi modus, neque hîc, neque alibi placere vnquam potuit; imò vero contra existimo tantũ abesse, vt verbum, *inuenio*, impropriè fuerit à vulgato vsurpatum, vt sub natiuâ potius illius proprietate subtile id acumen delitescat, vt dum Deum à non quærentibus studio quæsitum, & inuentum affirmat, ad excitantis gratiæ dogma arbitrij, etiã nostri cooperationem addiderit: perinde enim est, ac si sub personâ Christi dixerit, quamuis & ardenti studio, fide, cultu, & dilectione quæsitus à gentibus sim, tamen si res introrsum inspiciatur, ita ab illis sum quæsitus, & inuentus, vt ab ipsismet non fuerim quæsitus: quia videlicet ipsimet, qui me inuenerunt, priùs à me requisiti, & inuenti sunt, nec suo ducti affectu, & desiderio, sed per gratiam meam excitati, quærere me inceperint. Hinc certè eleganter, & inuenisse Deum, & non quæsisse simul dicuntur: inuenisse quidem, quia iam gratiâ Dei excitati, & adiuti ad ipsius fidem, & cultum magna alacritate se receperunt: non quæsisse verò, quia in summa ignoratione veri, & ambulantibus in regione vmbræ mortis lux orta est eis, atque ab ipsa quærendi animus inditus, & iniectum studium est: ideò dum Deum quærere incipiunt, non à se ipsis, quod quærentium proprium est, sed à Deo impulsi, & attracti Deum ipsum quærunt. Sic dixit opportune Prosper, epist. 84. *Vt ergo misericordiam Dei quæramus, Dei misericordia est, quia ait.* Miserebor cui misertus fuero: & lib. 1. de vocat. gent. cap. 3. *Et si quærit, non dubitet quærendi affectum ab illo se accepisse, quem quærit.* Ita ille omnino ad mentem prophetæ dicentis. *Erraui sicut ouis, quæ periit, quære seruum tuum.* Quod perinde est, ac si diceret; quære me, vt possim te quærere, nec semper aberrem. Vnde eleganter Ambrosius lib. de bono mortis, cap. vlt. *Sequimur te Domine Iesu, sed vt sequamur, accerse, quia sine te nullus ascendit, tu enim via es, veritas, vita, possibilitas, fides, præmium, suscipe nos quasi via, confirma quasi veritas, viuifica quasi vita:* Sub quo quidem sensu obseruauit Chrysost. hom. 36. in Matth. duos illos cæcos, secus viam sedentes, qui Matth. cap. 20. & 30. illuminati à Christo dicuntur, duos gentium populos, quorum vnus ex Iaphet, alter ex Cham originem ducit, adumbrare; subdit verò. *Ideò autem cæci, quia nondum eis apparuerat vnigenita lux.* Secus viam, *id est, iuxta veritatem conuersabantur; sed veritatem inuenire non poterant, quia veritatis certior adhuc via demonstrata non fuerat.* Sic Chrysostomus. Ad cuius gustum optimè ad præsens institutum expendit Prosper, lib. 1. de vocat. gent cap. 9. illud Ecclesiastes 8. *Quantumcumque laborauerit homo, vt quærat, non inueniet, & quodcumque dixerit sapiens, vt sciat, non poterit inuenire; quia vniuersum hoc dedi in cor meum, & cor meum vniuersum hoc vidit, quia & iusti, & sapientes, & operationes eorum in manu Dei.* Vide illum.

Prosper. | Idem lib. 1. Ps. 118. 176 | Ambros. | Chrysost. | Matth. 20. 30. | Prosper.

Ecce quærentes, qui non inueniunt, imò qui nec quærunt, quia, vt dicebat Prosper, *Vt misericordiam Dei quæramus, Dei misericordia est.* Vnde similiter Paulus ad Roman. 7. 18. sub persona hominis gratia Dei destituti, humanisque solum viribus innixi, ait, *Velle adiacet mihi, perficere autem bonum non inuenio.* Quasi dicat, dum Dei gratia ad manum non est, quantumuis quærere bonam voluntatem videar, frustra laboro, cum illam non modo non valeam inuenire, sed nec quærere: nam, si quærerem, inuenissem vtique, cum dictum sit Matthæi 7. 7. *Quærite, & inuenietis, omnis enim, qui quærit, inuenit.* Nec voluntarius sanè, sed ex ipso Paulo elicitus hic commentarius est: cum ibidem, vers. 11. dixerit: *Nam peccatum occasione accepta per mandatum seduxit me.* Vbi Græcum verbum, ἐξηπάτησε propriè vertas, *abduxit me de via*: vnde Syrus transtulit, *fecit me errare*; ac si dicat: tunc temporis non modo à Dei amicitia, sed ab ipsamet via, qua illam quærere, & inuenire posset, longe positum, & abductum. Id quod pulchra similitudine illustrat præfato loco Chrysost. premens illa verba, sedebant secus viam, *sicut qui in tenebris ambulat, si semel viam perdiderit, interdum tota nocte ambulat iuxta viam errans, & non inuenit viam, donec superueniat dies: sic & homines ambulantes in erroribus, vel peccatis, postquam Dei cognitionem semel perdiderant, ad perfectam notitiam veritatis redire non poterant, nisi dies, scilicet Christus, venisset, quamuis circa veritatem viuebant.* Hactenus Chrysostomus, siue apud illum Auctor operis imperfecti.

8. | Ad Rom. | Matth. 7. 7 | Ibid. ver. 11 | Chrysost.

9. Ad quem sane modum Sapien. 6. 13. cum dixisset Salomon: *Clara est, & quæ nunquam marcescit, sapientia, & facilè videtur ab iis, qui diligunt eam, &*

Sap. 6. 13.

inuenitur ab iis, qui quærunt illam. Quibus arbitrij libertatem apprimè significauit statim, vt omne rei momentum ad excitantis gratiæ auxilium, quibus tracti homines Deum quærere incipiunt, deuoluerer, subiunxit, *præoccupat, qui se concupiscunt, vt illis se prius ostendat*: & postmodum, ver. 17. *Quoniam dignos se ipsa* (hoc est, quos quærendo facit tales) *circuit quærens, & in viis, ostendit se illis hilariter.* Quasi dicat, ideò inuenitur, imò ideò quæritur ab hominibus Deus, quod ipse prior circumeat quærens, ipsosque gratia suâ, vt possint quærere, inueniat. Sed ad id loci plura, Deo donante, dabimus.

10. *Philo.* Illud non differam, quod ad hanc excitantem gratiam stabiliendam aduersus futurum Pelagium tot retro seculis Hebræus Philo, Christianæ licèt fidei expers, luculentissimè scripsit libro de temulentia, quasi sciens, & prudens temulenti hæretici dogma membratim conciderer. Sanè Pelagius, vt
Carthag. ex epistola Carthaginēsis Concilij ad Innocentium, & ex Hieronymo, & Augustino constat, ad primam huius mundi creationem, necnon ad seriem, ordinémque rerum ex ipso defluentium, & ad beneficium liberi arbitrij homini à Deo in creatione insiti, quod in dies in legem, & doctrinam exterius instruitur, totū diuinæ gratiæ negotium, & pondus reijciebat. Sic enim Patres Concilij. *Isti autē asserunt in eo Dei gratiam putandum, quod talē hominis constituit, creauitque naturam, quæ per propriam voluntatē legem Dei posset implere* Ita ibi. Hác verò augustam de diuina magnificentia existimationē, temerariamque de humanis viribus præsumptionē (præter Basilium in id Psal. 29. *Domine in voluntate tua præstitisti decori meo virtutem*: sic exponentem, *pulchritudini ergo meæ, quam ex te in prima creatione accepi, addidisti virtutem eorum, quæ me decent, effectiuam*) egregie reprimit, & confutat Philo, dum illa
Gen. 27. 20. verba Isaac ad Iacob, Genes. 27. 20. cibum ei ex venatione (vt senex putabat) afferentem. *Quomodo tam cito inuenire potuisti, fili mi?* & quæ patri respondit Iacob, *voluntas Dei fuit, vt citò occurreret mihi, quod volebam*: siue vt Philo vertit: *Quia Dominus Deus tradidit*, ad hunc modum edisserit, *vnusquisque nostrum quam primum natus est, inuenit magnum Dei donum totum mundum, quem ille sibi, & suis charissimis largitus est. Sunt autem etiam particularia dona, quæ & Deum dare decet, & homines accipere, nimirum virtutes, & his conuenientes actiones, quarum inuētionem plusquam temporalem propter eximiam largientis celeritatem, quâ vti solet, nemo non miratur etiam in eo, qui nihil præter ea magnum habeat, & ideò rogat*; Quid hoc tam cito inuenisti fili mi? *miratus affectus boni celeritatem, ille verò, qui accepit beneficium conuenienter respondet.* Quia Dominus Deus tradidit. Sic ille. Pende, obsecro, lector, quam Antipelagius fuerit Philo, quâque è regione ipsius verba cum errore Pelagij pugnent: ecce ille præter mundum, & seriem causarum, & euentuum ab ipso decurrētium, particularia dona assignat, quæ Deum dare decet, (ô bonum diuinæ largitatis æstimatorem) & hominem accipere (ô iustum humanæ infirmitatis pensitatorem!) virtutes scilicet, & his conuenientes actiones. Vide quo modo actiones honestas, quibus virtutes primitus acquiruntur, singillatim Deo tribuat, quasi cum Paulo dicat: *Deus est, qui cœpit in vobis opus bonum*, vel *Deus est, qui operatur in vobis velle, & perficere.* Quod magis confirmat, dum ait hanc virtutis inuentionem, siue hominis etiam in alium commutationem non fermentatam, & quasi temporis spatio decoctam, sed potius subitaneam, & extemporalem esse propter largientis nimirum celeritatem, *nescit enim tarda molimina*, vt inquit Ambrosius lib. 2. in Lucam, *Spiritus sancti gratia*: & vt Græco prouerbio dicitur; *Subito alius numine diuum.* *Ambros.*

Consentanea sunt, quæ habet idem Philo, lib. quod deterius potiori insidietur, his verbis: *Propterea legislator ait, quidquid in animo suo precata fuerit vidua, & expulsa manere ipsam, Deum enim verum, & Patrem vniuersorum semen, genituramque omnibus præbentem iuste dicemus, mentem verò eiectam Deo, viduam, quæ aut genituram diuinam non excepit, aut exceptam data opera abortum fecit.* Hæc Philo, ac si Prosperum vidisset dicta epist. 84. ita eleganter commonentem: *Omnia quidem elementa mundi, & vniuersa creaturarum natura hoc ipsa sui exigunt specie, vt inuisibilia Dei, per ea, quæ facta sunt intellecta conspiciantur: & in pulchritudine cœli, & terræ quædam sunt paginæ ad omnium oculos semper patentes, & auctorem suum nunquam tacentes, quarum protestatio doctrinam imitatur magistrorum, & eloquia scripturarum. Sed quidquid illud est, quo corporeorum sensuum exteriora pulsantur in agro cordis, cui impenditur ista cultura, nec radicem potest figere, nec germen emittere, nisi ille summus, & verus agricola potentiam sui operis adhibuerit, & ad vitalem profectum ea, quæ sunt plantata, perduxerit: siue enim contemplatio creaturarum, siue sacrorum series voluminum, siue scientia differentium syncero, & assiduo testimonio prædicet veritatem*, neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus. Hactenus Prosper. 11. *Philo.* *Prosper.*

Sed egregium aliud Philonis testimonium ex eius libris, qui manibus iam nostris non teruntur, sed apud vetustos Auctores Græce citatos inuenimus, non possum non appingere: Sic ergo ille lib. 4. Allegoriarum apud Leontium lib. τῶν συλλογῶν, explicans illa Deuteronomij verba, cap. 30. Considera quod hodie proposuerim in conspectu tuo vitam, & bonum, & è contrario mortem, & malum, elige ergo vitam vt viuas. *Beata res est, quod cum vtrūque auctor proposuerit, quod melius est anima potest suscipere: beatius vero est, quod non ipsa ex se eligat, sed auctor eam adducat, & meliorem faciat: non enim ex se humana mens eligit bonum, sed secundum prospicientiam Dei donantis optima.* Hæc & plura ibi Philo. 12. *Philo.*

Iam vero Philonem sacris literis imbutum Pelagio tam vehementer aduersari non sit mirum, cum Plinius ipse mere ethnicus omnium rectè factorum initium non nisi ex diuinâ ope in nobis esse quasi communem, & peruulgatam sapientum omnium opinionem è suggestu prædicauerit, dum Panegyricam orationem ad Traianum habere incepit, in hæc verba. *Bene, ac sapienter Patres conscripti maiores instituerunt, vt rerum agendarum, ita dicendi initium à precationibus capere, quod nihil rite, nihilque prouidenter homines sine deorum immortalium ope, consilio, honore auspicarentur.* Hæc Plinius; expende autem non solum dixisse, nihil sine Dei ope perficere, sed nec auspicari posse homines. Tanta veritatis vis, quæ gentili etiam homini illuxit. Tanta Pelagianæ mentis cæcitas, cui Christiana lux non valuit affulgere. Ita de reprobis illis Ægyptiis, Sap. 17. 5. dicitur: *Et ignis quidem nulla vis poterat illis lumen præbere, nec syderum limpida flamma illuminare poterant illam noctem horrendam.* 13. *Plin.*

Sed de huius dogmatis confirmatione, præter ea, quæ dixisse monui, dixi ad lib. Sap. cap. 6. 13. & 14. ad versic. 11. huius cap. iterum redibit sermo.

Ad ea verba, *Perficiet vsque in diem Christi.*

ADNOTATIO III.

Ita Deum perseuerantiæ auctorem, & largitorem esse, vt ad eam nos etiam indesinenter vrgeat.

1. HÆREAT aliquis dum audit, Deum esse, qui opus bonum perficiat, *vsque in diem Christi*, & ab eo solùm perseuerantiæ donum aduenire; timeat, vacillet, nutet, despondeat animum quasi in re ancipiti, & aleæ plenâ, quippe, quæ aliunde obuentura sit. Ego verò contrà existimo; & vt sciam, *cum metu, & tremore nostram salutem* operandam, in hâc tamen sententiâ sum, vt hinc potius ad bene sperandum argumenta desumam, & bono animo, ac fidentiæ pleno hac in re nos debere esse, credam. Esset quidem de salute, & perseuerātiâ nostra vndequaque metuendum, si totum tanti negotij arbitrium penes nos maneret; quid enim imperfectus homo perficeret? quid imbecillus, & labilis ad finem vsque perducere valeret? At cum Deus beneficiorum suorum amans, *bonum opus* in nobis *cœpit*, ipse *perficiet, vsque in diem Christi*; non enim amat, & deserit, nisi eum, à quo prius pertinaciter desertus est, imò operi manuum suarum porriget dexteram. Ita prudenter dixit S. Pascha. lib. 2. in Matth. *Nihil enim potest mortalis formidare ex merito, vbi Deus totum cooperatur ex dono.* S. Pasch.

2. Quid inde? donabit ergo Deus hoc maximum donum immerenti, indigno, & qui in peccati sordibus volutatur? Apage, non enim proijciet margaritas ad porcos, & facilem, sed non perforatum, sinum Deus habet, vt indiscriminatim dona sua conferat. Donabit ergo merenti? Annuo sanè, & abnuo: sic enim donabit merenti, vt non, quia merenti, siue ex meritis, sed ex gratia: ita verò donare disponit, vt vigilanti solùm virgini accensamque lampadem deferenti, annulum ipse nuptialem allaturus occurrat. Sanè Concil. Trident. sess. 6. cap. 13. ex his Pauli verbis sic dilucide litem dirimit, vt & nostræ gratitudini, perseuerantiæ donum à Deo obtinenti, & humanæ voluntati strenuè cum Dei gratia se gerenti, nihil derogetur. Sic enim ibi, *tametsi in Dei auxilio firmissimam spem collocare & reponere omnes debent, Deus enim nisi ipsi illius gratiæ defuerint, sicut* cœpit opus bonum, ita perficiet, *operans velle, & perficere; verumtamen, qui se existimant stare, videant ne cadant*, & cum timore, & tremore *salutem suam operentur in laboribus, & vigilijs, in eleemosynis, & orationibus.* Sed obserua vsurpasse Concilij Patres, illa verba: *Cum timore, & tremore salutem suam operentur:* ex cap. 2. v. 12. huius epistolæ dicente ibi Paulo: *Cum metu, & tremore vestram salutem operamini*, vbi pro, *operamini*, ex Græco legas cum Chrysost. *perficite*; en ergo solutionem dico, an nodum? Nam si nos salutem nostram monemur perficere, quî Deus doni perseuerantiæ vnicus auctor est, qui vt cœpit opus bonum, ita perficiet? Respondeo verum omnino vtrumque esse: perficit enim Deus in te opus bonum, perficis & tu salutem tuam, sed Deus, vt Dominus, & tanti doni largitor: tu verò tanquam seruus cum metu, & tremore operanti in te cooperans, & manu ducentem non deserens: ille, vt gratuitò donans opportuno tempore mortem affert, in quo cardine totum perseuerantiæ munus deuoluitur, tu vt lignum frugiferum secus gratiæ ipsius decursus plantatum, fructum afferens *in tempore suo*, virtutem non crudam, seu acerbam, sed ad maturitatem vsque perducens. Inhæreamus hic paululum, & magis etiam nos diffundamus. Concil. Trid.

3. Sanè quamuis electio ad gloriam, vocatio sancta, perseuerantia, & generaliter tota hominis salus à Deo, *à quo bona cuncta procedunt*, dimanet, id tamen ab ipso non sine respectu ad humanam cooperationem, & merita disponitur; vnde fit, vt non aliter tibi virtuti incumbendum, enitendum, insudandumque sit, ac si res esset salus tua, quæ à te omnino dependeret. Certe Petrus cum ep. 2. cap. 1. 3. dixisset: *Quo modo omnia nobis diuinæ virtutis suæ, quæ ad vitam, & pietatem donata sunt per cognitionem eius, qui vocauit nos propriâ gloriâ, & virtute, per quem maxima, & pretiosa nobis promissa donauit, vt per hæc efficiamini diuinæ consortes naturæ*, subdit, *vos autem curam omnem subinferentes ministrate in fide vestrâ virtutem, &c.* Et paulò post: *Magis satagite, vt per bona opera certam vestram vocationem, & electionem faciatis*: vbi cum hæc electio, de qua Petrus loquitur, eadem sit cum illâ, de quâ Paulus ait, *elegit nos in ipso ante mundi constitutionem*, ad Ephes. 1. 4. forsan inquies, quî electio Dei, *qui in sui dispositione non fallitur*, incerta reddi possit? Subsistit tamen locutio Petri ex doctrina Prosperi lib. 2. de vocat. gent. cap. 36. dicentis, *implendæ enim voluntatis Dei ita est præparatus effectus, vt per laborem operum, per instantiam supplicationis fiant incrementa meritorum*, sic ille: ac si dixerit electionem, vocationémque diuinam ita esse à liberâ Dei voluntate, vt tamen laborem nostrum, & liberum conatum requirat; atque ideò nostrum esse, eam quodammodo certam, & stabilem reddere. Ita de Ioanne Baptista tam prælecto, tamque propheticis oraculis prænunciato, nec tamen oscitante, sed totos neruos ad Dei obsequium, & sanctitatem contendente scite dixit Eusebius, siue Eucherius Galliæ Episcopus: *Sciuit, quod non sufficeret eligentis gratia, nisi inuigilaret collaborantis industria.* Quare pende eum dicendi modum, quo notanter vtitur Petrus, *curam omnem subinferentes*. Est enim, *subinferre* (præsertim in Græco verbo) ad vnam rem iam positam aliam, cum quâ congruat, & vnam quasi catenam efficiat, addere, siue subinducere; nimirum, vt ad electionem Dei opus sit, de nostro studium, conatum, sollicitudinem, atque sedulitatem (ea omnia significat Græca vox, quæ curæ respondet) addere, vt certa vndequaque, & firma, non verò manca, siue inchoata reddatur. Certè Concil. Trid. sess. 6. ca. 5. & Can. 2. & 4. absolute pronunciat semper posse liberum nostrum arbitrium vocationem, & inspirationem diuinam reijcere. 2. Petr. 1. 3. / Ad Eph. / Prosper. / Eusebius.

4. Hæc, quæ in vniuersum certissima sunt, vt perseuerantiæ peculiariter aptentur, siue quà ipsa maximum Dei donum est, quod à nobis de condigno nequeat promereri, siue quà nostra etiam interest, & ad eam indesinenter vrgemur, pende structuram verborum Concilij, *nisi ipsius gratiæ defuerint*, vt cœpit opus bonum, *ita perficiet*: vbi non videtur pro vna, eademque re poni, *non deesse gratiæ Dei*, ac *perficere Deum opus bonum*, quasi sensus sit, tunc Deum dici perficere opus bonum, cum homo eius gratiæ non deest, siue dum homo gratiæ Dei non deest, Deum perficere in illo opus bonum: sed potius duo ibi exprimi, alterum ad peculiare obsequium ab homine in Deum exhibitum, alterum ad benignam Dei largitatem, & munificentiam spectans sub hoc sensu, vt si homo strenuum cooperatorem gratiæ Dei se præstiterit, si non subtraxerit se, si sollicitus ambulauerit cum Deo suo, si non perdiderit sustinentiam, ipse qua bonus, & pius Pater est,

Pater est, sicut cœpit opus bonũ, ita perficiet, operãs velle, & perficere, maiores, scilicet, in dies, & illustriores excitationes, & auxilia, eamque gratiã, quã actu perseueraturũ videt, illi impertiẽs, eaque deinceps peculiari gubernatione ducens, & regens, quã nunquam destituit, *quos in soliditate suæ dilectionis instituit.* Ita quidem intellexerunt hunc Pauli locum, in quo sumus, Ambros. Chrysost. Ambrosius, & Chrysostomus; ille siquidem premens illa verba: *Confidens hoc ipsum, &c.* nec non quæ subiungit Apostolus, *sicut est mihi iustum hoc sentire,* sic ait, *securus de bonitate, & iustitiã Dei, & de horum fide non ambigens, confidit, quod Dei auxiliis adiuti perseueraturi sunt in fide vsque ad diem Domini, in quo remunerandi sunt persistentes in fide. Nec aliud debuit de his sentire, quos inflexibiles in deuotione Dei expertus est, tam directum, & infatigabilem cursum eorum videns, vt cogitaret dignos eos sibi participes gaudij esse.* Sic Ambros. ex inflexibili deuotione, & directo, ac infatigabili cursu Philippensiũ eorum perseuerantiam bene sperans, ita tamen, vt huius securitatem ad bonitatem Dei, qui dona sua nouis donis, & auxiliis promouere, & ornare solet, potissimum reuocet, necnon aliquo modo, etiam ad iustitiam, *nec enim iniustus est Deus, vt obliuiscatur operis vestri, & dilectionis:* Ad Hebr. ad Hebr. 6. 10. non quod id ipsi de condigno promereantur, cum vel ipsamet gratiæ auxilia, quibus bene operando maiorem Dei gratiam ad permanendum quis allicit, gratuita Dei beneficia sint. Sanè *nunquã quis vincitur beneficio, cuius beneficium est ipsum, quo vincitur,* vt pulchre dictum à Seneca Seneca. lib. 3. de benef. cap. 29. Ad cuius gustum Tertull. lib. de resurrect. carn. cap. 7. de carne, quæ Dei dono hoc ei exsoluit, vt vitam profundat pro Christo, qui prius pro homine mortem obiuit, sic eleganter Tertull. inquit: *Ne illa beatissima, & gloriosissima, quæ potest apud Christum Dominum parere debito tanto, vt hoc solum debeat ei, quod ei debere desierit: hoc magis vincta, quod absoluta:* Ad ephes. sed quod ex quãdam congruitate, *qui diues est in misericordia in omnes, qui inuocant illum:* ad hoc donum tribuendum allici se sinat, & velit. Chrysost. vero: *Quamobrem cum inquit Deus perficiet, hoc rursus ad illorum laudem pertinet, quippe qui Dei gratiam ita sibi conciliarint, vt ipsis cooperetur ad naturæ humanæ conditionem exsuperandam.* Iustinian. Quæ Chrysost. verba rectè à Iustiniano de gratiã cooperante. quæ laborantibus, & conantibus datur; à Cornelio verò de gratiã perseuerantiæ, Cornel. quam iustus ex sua collaboratione maiorem in dies alliciat, & maiorem, accipiuntur. Sed hæc peculiaribus scripturæ, ac Patrum testimoniis confirmanda sunt.

5. Et Paulo in primis sic consentit Petrus epist. 1. cap. 5. 10. 1. Petr. 5. 10. *Deus autem omnis gratiæ, qui vocauit nos in æternam suam gloriam in Christo Iesu modicum passos, ipse perficiet, confirmabit solidabitque.* Quæ verba non modò de dono perseuerantiæ accipienda', sed eundem etiam illis subesse sensum, ac his Pauli, quæ elucidamus, egregiè probat S. Prosper, Prosper. lib. 1. de vocat. gent. c. 24. Iam verò quàm sapienter in illis, perseuerantiæ œconomiam disponat Petrus, obserua. *Modicum,* inquit, *passos perficiet.* Quid est hoc *modicum*? non tam', (opinor) totum humanæ vitæ spatium (vt ex sequentibus manifeste liquet) quam certæ quædam probationes laborum, ac difficultatum, quas in via virtutis superari, ac confici præscriptum à Deo est; siue peculiare, ac definitum temporis spatium vni Deo, qui destinauit, notum, nobis omnino occultum, nec vllã via inuestigabile, in quo hominis deuotionem, fidem, inflexibilem animum per suæ legis obseruantiam probare, & examinare decreuit. Nam si de humanã beneuolentiã Tullio dicere licuit lib. 1. off. Tull. *Beneuolentiam non adolescentulorum more, ardore quodam amoris, sed stabilitate potius, & constantiã iudicemus:* Quid ni Deus charitatem, & fidem erga ipsum stabilitate, & constantiã iudicet? ita quidem idemmet Petrus eãdem epist. c. 1. 5. inquit. 1. Petr. 1. 5. *Modicum nunc si oportet contristari in variis tentationibus,* (Græce, *experimentis*) *vt probatio vestræ fidei multo pretiosior auro, quod per ignem probatur, &c.* vbi *modicum,* coniunxit Apostolus cum probatione, siue experimentis, ad eum modum, quo aurum per certum quoddam temporis spatium in fornacem iniicitur, vt eius pretium, & bonitas innotescat. Est enim necesse, vt qui acceptus est Deo, probetur per tentationes, qualis sit, quamque aptus cœlesti regno, vt Tobiæ 12. 13. Deut. 8. 16. 1. Par. 29. 17. Iudith. 8. 21. 22. Iob. 7. 18. Psal. 65. 10. Prou. 17. 3. Ecclesiastici 2. 5. Ier. 9. 7. Dan. 12. 10. Zach. 13. 9. & millies scripturæ pronuntiant. Tob. 12. 13. Deut. 8. 16. 1. Par. 29. 17. Iudit. 8. 21. 22. Iob 7. 18. Ps. 65. 10. Prou. 17. 3. Eccles. 2. 5. Ier. 9. 7. Dan. 12. 10. Zach. 13. 9. Sap. 3. 5. Vide, quæ plenã manu dedimus ad cap. 3. 5. Sapient. necnon ad c. 14. 11. vbi *creaturæ,* dicuntur, *factæ in tentationem animabus hominum,* id est, in probationem, & experimentum, quod de hominis probitate, siue improbitate ex recto, siue prauo earum vsu desumitur. Sic inquit Cyprian. Cypr. Epist. 10. *Excuti nos Deus voluit, & probari, sicut suos semper probauit.* Nec alio eunt, quæ notanter dixit Bernard. Bernard. serm. 2. de verb. Isai. *Quid enim putas? indifferenter admittet homines in illud tãta rectitudinis templum, qui ne ipsos quidem Angelos indifferenter reliquit in eo, aut non discernet inter glebas qui discreuit inter stellas? Examinabit argentũ, qui ipsum quoq; aurũ probauit & reprobauit.* Sic ille. vbi aptari debent hæc Saluiani lib. 3. de prouid. Saluian. *Sed dicit fortasse aliquis, non id esse nunc temporis, vt pro Christo perferamus, quæ tunc Apostoli pertulerunt. Verum est, non enim sunt Principes pagani, non tyranni persecutores, non sanguis sanctorum funditur, nec fides suppliciis comprobatur. Contentus Deus noster est, vt ei pax nostra seruiat, vt sola ei immaculatorum actuum puritate, & vita incontaminabilis sanctitate placeamus.* Et paulò post: *Qui ad probandum fidem experimentis durioribus non compellimur, inferioribus saltem officiis Domino plus placere debemus. Probat enim etiam in maioribus, si res exigat, executorem se idoneum fore, à quo minora complentur.* Hæc Saluian. Bene verò, & congruenter ad probationis locutionem, notat S. Ephrem ser. 1. de patient. S. Eph ser. multo prudentius, ac mitius in his probationibus Deum se gerere, ac cum testaceis vasis figulus; quippè, qui tamquam pater probet (Sapient. 11. 11.) nec sinat homines supra vires periclitari.

6. Iam ad Petri sententiam; *modicum passos,* id est certis laboribus, & per diuturni temporis constantiam probatos, examinatos, & fideles in dilectione inuentos, *perficiet, confirmabit solidabitque,* & si Grçca spectes (vbi quatuor sunt verba) *vires instaurabit, fulciet, ne cadatis, roborabit, ac stabiliet:* quæ omnia cum ex ædificandi ratione, (vt benè ibi obseruat Caiet.) sint desumpta, nullus dubitet pertinere ad maiorem firmitatem, & confirmationem in virtute: in qua per maiora gratiæ fulcimenta firmius ad finem vsque inhæreant, nec à Deo diuellãtur, vti expressit Syriaca lectio ad hunc modum, *vt cum sustinuerimus has oppressiones exiguas, roboremur, & confirmemur, atque persistemus in eo.* Syra. Vnde virtuti, quæ ad perfectionem, & perseuerantiam tendit, hæc omnia singillatim distribuunt interpretes. Carthusianus exponit, Carthus. *perfici,* intellectum rationibus credendorum, & purificatæ mentis intelligentiã, *confirmari,* voluntatem per charitatis feruorem, vt neque mors, neque vita possit nos separare à Deo, *solidari,* memoriam,

vt

vt sit fixa,& stabilis in Deo,nec vndique euagetur. August. Hugo Card. *perfectionem*,contra mundum:*confirmationem* contra carnem, *solidationem*, contra dæmonem interpretatur. Lyran. Lyra. monet, *perfici*, virtutem, *confirmari*, fragilitatem nostram, *solidari*, gratiam Thom. datam. Thomas Anglicus,*perfici*, rationē in cognitione veritatis, *confirmari*, concupiscibilem in amore bonitatis *solidari*, irascibilem in detestatio- Caiet. ne totius peruersitatis. Caietanus,*fulcire*,Deum animum virtutibus moralibus: *confirmari*, robore fidei, *stabilire*, siue *solidare*, assistentiâ suâ: ad quem modum cæteri interpretes discurrunt. Ex quibus liquet Petrum eos, quos immediatè ante ad omne virtutis stadium percurrendum, atque ad strenuè diabolo repugnandum commonuerat, sic his verbis animare, ac si non solum dixerit: *Dabit Deus* 1. Ad Cor. 10.13. *his quoque finem:* sed etiam addiderit cum Paulo 1. ad Cor. 10.13. *Dabit cum tentatione prouentum, vt possitis sustinere*, siue,vt ex Græco fonte legitur, *vt possitis superferre*, hoc est,vt alibi ostendo, talia tantaque deinceps conferet auxilia,vt cum magno excessu possitis tentationes superare, & immotos in bono persistere.

7. Cyprian. Sic tamen hæc sunt accipienda, vt hi de quibus est sermo,cum semper sint ad peccandum, atque ad non perseuerandum liberi (quantumuis quæ à Deo perficiantur,confirmentur,ac solidentur,id illis sit prorsus ignotum) nihil vnquam sibi certi de diuino munere polliceantur: *Sed qui stant,videant ne cadant*. Verissime enim dixit Hieronym.in c. 5. Eccl.*incertum est enim,quod opus magis placeat Deo, ex quo tibi fructus iustitiæ præparetur aliter,& in adolescentiâ,& in senectâ æquus tibi labor sit. Ne dicas, dum potui laboraui,debeo in senectute quiescere:nescis enim vtrum in iuuentute, an in ætate longæua placeas Deo.* Ita ille. Vnde scitè Cyprian. lib. de vnitate Ecclesiæ: *Quidquid ante finem fuerit,gradus est, quo ad fastigium salutis ascenditur,non terminus, quo iam* Prou. 1.20. *culminis summa teneatur.* Vnde quæ Prou. 1.20. inquit Salomon: *Sapientia foris prædicat*, apto sensu Hilarius,& Saluian. Massiliensis, de perseuerantiâ capiunt,dum vterque legit; *Sapientia in exitu canitur:* vnde forsan Hispana paræmia, *al fin se canta la gloria*, quasi tunc perseuerantis hominis sapientia, mediaque efficacissima, per quæ eum diuina deduxit prouidentia,innotescant, & plausibus excipiantur Nec omittenda Patrum verba. Sic Hilarius in Hilar. Psal. 14 *Idcirco apud Salomonem omnis laus in exitu canitur,quia in iis,quæ promissa sunt Deo, non est aliquando fallendum, sed tendit vsque ad consummationem perfecta admonitio cœlestis.* Similiter Saluian. Saluian. lib. 4.ad Eccl *Quo vtique ostenditur,licet salubris sit in omni ætate sapientia,præcipue tamen omnes in exitu suo debere esse sapientes,quia laudari penitus anteacta ætatis prudentia non merebitur,nisi bono fine claudatur:* Sapientia enim in exitu canitur. Hæc ille.

8. Adstipulantur præfatæ Petri sententiæ, ea Iob verba, cap. 15.32. *Antequam dies eius impleantur, peribit,& manus eius arescent.* Quæ de temporalis Gregor. vitæ diebus accipienda non esse bene probat Greg. ibi: *Quod in quibusdam sæpe videamus, quia ætate longa iam membra deficiunt, & tamen prauitatem suam eorum desideria exsequi non desistunt.* Ergo de probationis,& examinis diebus, siue de constantia, & duratione in virtute,à qua reprobi deficiūt, dum *modicum* pati nesciunt, sic indidem explicantur à Greg. lib. 12. mor. c. 13. *Sunt namque nonnulli,qui post vitam perditam ad semetipsos redeunt,& accusante se conscientia peruersa itinera relinquunt, commutant opera, antiquæ suæ prauitati contradicunt, terrenas actiones fugiunt, desideria superna sectantur: sed ante quam in eisdem sanctis desideriis solidentur* (nota verbum) *per torporem mentis ad ea,quæ diiudicare cœperant,redeunt,atque ad mala,quæ fugere disposuerant recurrunt: vnde rectè de hoc iniquo dicitur,* antequam dies eius impleantur, peribit:*Quia & si quid boni fortasse cœpit agere. priusquam in eo per longitudinem temporis conualescat,ad exteriora relabitur, & peruersè deserit,quæ rectè inchoasse videbatur.*

Hæret similiter præfato Petri testimonio illud 9.
Ioann. Apoc. 3.10. Vbi sic Dominus Episcopo Phi- Apoc. 3.10.
ladelphiæ dixisse fertur: *Tene quod habes, vt nemo accipiat coronam tuam. Qui vicerit,faciam illum columnam in templo Dei mei, & foras non egredietur amplius, & scribam super eum nomen Dei, & nomen ciuitatis Dei mei nouæ Ierusalem, quæ descendit de cœlo à Deo,& nomen meum nouum.* Egregia quidem in hanc rem verba,ideo singillatim expendenda: & illud in primis emphatice dictum: *Tene quod habes*, tum opportune expressâ Græci verbi, nec non Latini, *teneo*, significatione, quæ est *rem manibus firmiter retinere*, vti à sponsa illis verbis, Cantic. 3. 4. Cant. 3.4. *Tenui eum,nec dimittam*: & à Tullio lib. 1. de legi- Tull. bus,dùm ait. *Teneo,quam optabam,occasionem,neque omittam*, explicatur;tum, vel maximè ex imagine, quæ sub eo dicendi modo latet,vt sapienter ibi obseruauit magister meus P. Alcazar, per quem hîc, Alcazar. & semper profecisse gloriabor, illius nimirum, qui graue aliquod pondus sustinet, vt vires suas experiatur,pro quo facit similis locutio eiusdem lib. c. 2. Apoc. 2.24. 24. *Non mittam super vos aliud pondus, tamen id, quod habetis,tenete donec veniam.* Hinc enim de duratione, & perseuerantia, & ne ob tentationes, & difficultates ab incepto desistat, onerique cedat, maximè commonetur Philadelphius ille antistes. Quam ad rem opportuna sunt verba, quæ ibidem Alcazar affert ex Eccles. 6.22. *Quam aspera est indo-* Ecclesi. 6.22. *ctis hominibus sapientia,& non permanebit in ea excors.quasi lapidis virtus probatio erit in illo*, (siue,vt Græca habent, *quasi lapis probationis validus*,) vbi manifesta est allusio ad lapides graues,quibus vires iuuenum probabantur, vt adnotauit Hieron. in id Zach. 12.3. *Ponā Ierusalē lapidē oneris*, vnde maximè cōfirmatur,quod de variis,& peculiaribus experimētis, quæ per diffinitum temporis spatium antequam donum perseuerantiæ Deus tribuat, sumere consueuit,paulò ante ad verba Petri diximus:quare huic locutioni, quâ is,qui persistit in virtute tenere pondus dicitur,iunge plures apud Ecclesiasticum,ei valde congruentes. Sic enim in primis, cap. 1. 29. Eccl. 1.29. agens de hac,quam persequimur duratione,& persistentiâ in probationibus, *vsque in tempus sustinebit* Bib. Compl. *patiens,& postea redditio iucunditatis*, siue, vt est in Eccl. 2.1. Complut. cōdice,*& postea ei pullulabit lætitia:* & c. 2. initio, *Fili, accedens ad seruitutem Dei sta in iustitia, & timore, & præpara animam tuam ad tentationem*, vbi expressius Tigurina, *fac in iustitia sollicite persi-* Lectio Tigurina. *stas.* Pergit, *deprime cor tuum, & sustine, & ne festines in tempore obductionis:* Compone hæc cum illis: *Et non demorabuntur proijcere illam*, addit, *sustine sustentationes Dei*, id est, *tene quod habes*: & statim, *coniungere Deo,& sustine,vt crescat in nouissimo vita tua:* vbi Tigurina: *Fac adhæreas Deo,nec desciscas, vt extremo tempore locupleteris.* Complutensis. *Conglutinare ei,& ne discesseris, vt augearis in extremis tuis.* Quæ mihi idem sonant, ac illa Concilij, *Nisi quis gratia eius defuerit,vt cœpit opus bonum, ita perficiet:* id enim est, *crescere in nouissimo vitam*, siue locupletari,& augeri,vberioribus nimirum auxiliis, quæ perseuerantem in bono faciant:ad quem modum post aliquot sententias his omnino persimiles subijcit Ecclesiasticus: *Metuentes Dominum sustinete* Eccles. 2.7

nete misericordiam eius,& non deflectatis ab illo, ne cadatis: quod videtur expressisse Paulus ad Hebr. 12.15. *Contemplantes, ne quis desit gratia Dei:* & paulò post: *Væ iis, qui perdiderunt sustinentiam,& qui dereliquerunt vias rectas:* vbi Tigur. Complut. *væ vobis, quæ amisistis patientiam.* Quæ translatio ex verbis Lucæ 8.15. *Et fructum afferunt in patientia,* statim explicandis commode elucidabitur. Modo pro tota hâc re,& vt videas, quid sit, *tene, quod habes vt nemo accipiat coronam tuam,* audi Basilium apud Stobæum ser. 69. *Multi multis ab adolescentiâ collectis, postquam ætatis medium attigerunt; obortis afflictionibus per spiritus malitiæ, non potuerunt ferre vim tempestatis, vtpote imperiti gubernationis, & rerum suarum omnium iacturam fecerunt.*

Ad Hebr. *Tigur.* *Luc. 8.* *Basil.*

10. Iam quæ sequuntur in Apoc. *Qui vicerit, faciam illum columnam in templo Dei mei, &c.* iis optimè congruunt, sed ne actum agam, vide Alcazar, bene probantem hæc peculiariter Philadelphio Episcopo consequenter ad superiora dicta fuisse, nec de æternâ retributione, sed de firmitate,& virtute sanctitatis robustæ, quam tribuit Deus in hac vita iis, qui se ipsos, ac per consequens tentationes, probationes, difficultates,& sustentationes Dei vincunt accipiẽda esse. Cui expositioni hærent, quę sequuntur, *& foras non egredietur,* (siue, vt in Græco est) *non egrediatur amplius*) vt late ostendit Alcazar ibi afferens in hanc sententiam plura opportuna, scituque digna, quæ dono perseuerantiæ optimè quadrant. Sed notetur ille modus dicendi, *faciam illum columnam,* qui tum ostendit illud, *qui vicerit,* non de totâ vitâ accipiendum esse, tum donum hoc notanter adstruit; nec enim fuit dicere; qui vicerit, euadet in columnam, habitu scilicet, aut consuetudine, vt inquiunt philosophi: *sed faciam illum columnam,* peculiari nimirum fauore,& gratia perficiens, confirmans,& solidans, vt dicebat Petrus.

Alcazar.

11. Dum verò additur, *scribam super eum nomen Dei mei,& nomen ciuitatis Dei mei, &c.* videtur significari eum, qui colũna factus est, proprio Dei charactere tanquam ouis ex grege,& cœlestis Ierusalem ciuis insigniri, siue in electorum numerum, qui per Iesum Christum, (id enim innuit illud: *Et nomen meum nouum,* hoc est, Iesum Saluatorem) salutem consequuntur, adscribi, à quo non longius videtur ire Paulinus epist. 4. dum ea Cant. verba cap. 5.11. *Caput eius aurum optimum:* sic explicat de iis qui in probationum certamine viriliter se gesserunt. *Hoc aurum forma sanctorum est; qui in capite corporis, vt lumina micant, & sunt aurum ignitum Deo; quia videlicet eos per examina passionum in huius mundi fornace conflatos inuenit, (vt scriptum est) dignos se,& in his sacram imaginis suæ percussit monetam, imprimens cordibus, & linguis eorum veritatis suæ verbum, &c. Vt spiritu redemptionis inscripti, ceruice iam iugo libera,& salutis titulo præmunita fronte caneremus,* signatum est super nos lumen vultus tui Domine. Quibus in hanc sententiam nihil dici potuit illustrius: pende, atque expende singula.

Paulin. *Cant. 5.11.* *Psalm. 4.7.*

12. Sanè hæc omnia ita se habere satis confirmant citata Ecclesiastici verba, c. 6. 21. *Quam aspera est indoctis hominibus sapientia,& non permanebit in illâ excors; quasi lapidis virtus probatio erit in illis,& non demorabuntur proycere illam,* siue, vt significantius habet lectio Tigur. *Nullus excors perdurat apud illam, tanquam lapis probator grauis incumbit illis, nec moram interponit quin eam excutiat:* quibus verbis illos visus est expressisse sapiens, de quibus in parabola seminis (quã eò etiam ire, vt homines ad durandum in his probationibus,& examine virtutis vrgeat, statim ostendo) inquit Dominus Lucæ 13.6. *Aliud cecidit supra petram,& natum aruit:* vbi apud Matt. 13.6. additur: *Sole autem orto æstuauerũt.* Quæ statim sic exponit: *Qui cum audierint, cum gaudio suscipiunt verbum,& hi radices non habent, quia ad tẽpus credunt,& in tempore tentationis recedunt.* En illos, qui non tenent, quod habent, nec permanent in sapientiâ, quia videlicet cum primum eos tentatio, vel leuiter pungit, nullam interponunt morã, quin sapientiam, siue timorem Dei à se excutiãt, vbi pulchrè dictum à Christo est, *orto sole æstuauerunt:* vt ostenderetur leuis animi inconstantia, siue nullum excordis hominis patientiæ specimen, cui primus solis ortus, visus est totum æstus, dieique pondus. Eam enim vim habent illa verba, ac si diceret Dominus, qui præ animi mollitie primum orientis solis radium non secus, ac cum *in meridiano exurit terram,* noluerunt sustinere, sic dixit Gregor. Naz. orat. 27. *Eorum, qui tentantur, alij mihi videntur, velut leuissima quædam corpora à mari abripi, distrahique, ac ne tantillum quidem aduersarum rerum impetum sustinere* (cum tamen statim alios esse affirmet, qui *petræ instar humana omnia immoto, & firmo animo ferant,* nimirum, qui in sapientiâ perdurant,& ad certaminis, siue probationis leges rectè se componunt.) Nec minus aptè à Hugone Victorino in allegoriis Gotf. Tilm. ad c. 18. Ioan. componuntur ij cum Pilato Ioan. 19.38. interrogante Iesum, *quid est veritas?* statímque, non expectato responso, egresso ad Iudæos: *Fecit ergo quæstionem,* (inquit Hugo,) *& non expectauit solutionem: sic multi transitorio feruore conuersi ad Deum vera bona desiderare incipiunt, sed eadem mentis mutabilitate, iterum ad transitoria effusi affectu, in mentis proposito non persistunt.* Ac si dicat, interrogant, quid sit veritas? at cum *veritas odium pariat,* hoc est, laborem & tolerantiam desideret, illi veritatis explicationi non acquiescunt.

Eccl. 6.21. *Lect. Tigur.* *Luc. 13.6.* *Matt. 13.* *Eccl. 43.3.* *Gregor.* *Ioan. 18.38.* *Hugo Vict.*

Quò respicit, si attentius introspiciatur decem virginum parabola Matth. 25.1. Nam eo in cardine harum sapientia,& illarum stultitia versari videas, quod sapientes de luce indesinenter fouendâ curarunt: fatuæ verò, vt accensas habuerint lampades, at parum in studio lucendi durauêre. Vnde spõso adueniente, vt *lux orta est iusto;* ita fatuis *occidit sol in meridie.* Id quod opportune adnotarunt Saluian. Massil. lib. 2. ad Eccl. & Paschas. lib. 11. in Matth. Quorum prior, *etiam emicuisse in eis quiddam luminis puto: cum enim ipsæ, vt legimus, extinguendas fortè lampades suas reformidauerint, habebant profectò aliquid, quod verebantur extingui, nec falsa opinio metuentium fuit. Extinctæ siquidem, & obcæcatæ sunt, ex quo intelligimus, id quod parũ est, quasi nihil esse: quia nequaquam omnino prodest, illico extinguendum lumen accendi, nec iuuat aliquid illucescere, quod in ipso ortu habeat occasum, & ad hoc tantummodo habere initium viuentis, vt possit finẽ habere morientis.* Ad cuius gustum Pasch. *Porrò, quæ lampades suas queruntur extingui, ostendunt eas accensas habuisse, & illuminatas, & ex parte eas luxisse. Sed quia non habuerunt opera perpetua, id est, opera charitatis æternæ, nec indeficiens lumen, ideò extinguuntur.* Vt verò hæc nostro instituto vndequaque quadrent, obserua iterum cum Saluiano fatuas hasce existimasse, nunquam ipsis lucem defuturã, quasi ex pacto conuento Dei misericordia,& auxilia eius opportuna, in quantulâ olei gutta lucerẽt,& illis semper affutura essent. *Nam cum postea* (ait Salu.) *mutuari vellent, & omni studio, atque ambitione perquirerẽt, absque dubio etiam ante quæsissent, nisi eas habendi fiducia antea decepisset.* Sic plane reprobi omnes, quibus aspera est sapientia,& in ea permanere non curant,

13. *Saluian.* *Paschas.* *Saluian.*

curant, miserè passim falluntur, existimantes, nec oleum illis charitatis in fine vitæ, nec lumen diuinæ gratiæ defutura.

9. Iam verò, vt qui tenent, quod habēt, & vincunt, columnæ donum à Deo accipiunt, & cœlesti Ierusalem destinantur, ita qui à difficultatibus vincūtur, & sapientiæ pondus, hoc est, timorē Dei facilè abiiciunt, magnæ Dei iræ manent obnoxij, sic dicente Eccl. 26. 27. *Et qui transgreditur à iustitia ad peccatum, Deus parauit eum ad rompheam:* vbi si inquiras, qui id dici possit? cum omnibus, quotquot primum peccant, id eueniat, vt à iustitiæ statu ad peccatum transeant, & tamen plures eorum, qui salutem consequuntur, ex iis sint, qui aliquando peccauerint. Respondeo non esse sermonē generaliter de omnibus, qui peccant, sed peculiariter de iis, qui, *orto sole*, æstuant, id est, qui quouis, siue cupiditatis, siue tribulationis calore velut acu puncti, ne tantillū quidem aduersarum rerum impetum sustinentes facillimo negotio iustitiam deserunt. Ideo notanter apposuit sapiens illud verbū, *transgredior*, quod à gradu pedum, vt notat Agell. li. 10. c. 16. propriè significat facilem gradiendi modum nulli impedimento, aut difficultati obnoxium; ad quem etiā modum, Ps. 105. 13. cum dixisset Dauid: *Et crediderunt verbis eius, & laudauerunt laudem eius*; statim subdit: *Cito fecerunt, obliti sunt operum eius, & non sustinuerunt consilium eius:* vbi notandum Græcum verbum ἐτάχυναν, quod præter tēporis celeritatem, siue breuitatem, quam indicat; propriè significat, cum sine vllo consilio, & consideratione in perturbationes, quis præceps, & temerarius fertur. Ergo, qui transgreditur à iustitiā ad peccatum, hoc est, qui labori parcit, & probationum oneri facilè succumbit, hic cædi destinatur. Adiungo persimilem huic Oseæ locum, c. 5. 10. *Facti sunt Principes Iuda assumentes terminum, effundam sicut aquam, iram meā super eos:* iuxta lectionem LXX. & expositionem, quam ei adhibet Theoph. illi enim sic legunt: *Facti sunt Principes Iuda transponentes terminos*; hic verò ita explicat. *Quando verò quisquam Princeps Iuda existens, confessus fuerit, ac promiserit se non iisdem prauis studiis admoturum mentem, idque secum decreuerit, & iterum transmouerit tales fines, atque decretum suum fecerit irritum, ac reuersus fuerit instar canis ad proprium vomitum, ira Dei super talem prorsus effunditur, perinde, ac rubri maris aqua super Pharaonem, qui sæpius mentitus erat iuxta cor suum permutationis in melius expers.* Ita ille. Sed de hoc alibi. Pergo modo ad noua in hanc rem testimonia, quòd ipsa tam ad formandos mores perutilis, quam ad varias Scripturæ locutiones penitus enucleandas opportuna sit; at enim verò, vt iuxta Aug. monitum, *reficiatur lectoris animus de viā fessus nouo titulo, sicut animus viatoris hospitio*, adnotationem intersecare placet.

Eccles. 26. 27. — Agell. — Ps. 105. 13. — Osee 5. 10 — Lect. LXX. Theophyl.

ADNOTATIO IV.

Maturum à suis virtutis fructum Deum exigere, eòque modo nos tractare, vt à nobis tractatur.

1. ERGO iuxta præfatam doctrinam, Petro, ac Ioanni adstipulari videtur Iacobus c. 1. 21. vbi cum dixisset: *Propter quod abiicientes omnem immūditiam, & abundantiam malitiæ*, subiicit, *in mansuetudine suscipite insitum verbum, quod potest saluare animas vestras.* Sed obserua primò per, *insitum verbum*, Iacobum intelligere Christum, non solum quā humanæ naturæ insitus dicitur à Concil. Viennensi; sed etiam quā fidelium animis in baptismate, tanquam bona oliua in oleastrum inseritur, vt subinde, *peccatis mortui, iustitiæ viuamus*, ad eum modū, quo surculus nobilioris plantæ alteri inseritur, vt nobiliores deinceps fructus ferat. Deinde animaduerte illud, *in mansuetudine*, non respicere ad virtutem mansuetudinis, vt mansuetudo, lenitas, & suauitas erga alios est, nec enim id erat è re Apostoli, sed prout mansuetudo sumitur pro animo sedato, & placido, & est causa patientiæ, quā in arduis, & difficilibus negotiis perduramus; opponiturque perturbationi, & impatientiæ, quā oneri sustinendo, vel dolori perferendo succumbimus. Ita Cicero, Tusc. 2. aduerbio, *patienter*, adiunxit hæc duo *sedate*, & *placide*, inquiens, *patienter, placidè, sedate ferre dolorem.* Nimirū, insitum suos habet labores, & pugnas, contra quas muniri oportet, ita Plinius lib. 19. c. 14. ex Catone, *Mirum, quod non contentus insitum munisse, vt dictum est, & cæspite ab imbre frigoribúsque protexisse, ac mollibus bifidorum viminum fascibus, lingua bubula (herba id genus est,) insuper obtegi iubet, eámque illigari opertam stramentis.* Quare eādē de re agens Philo lib. de immutabilitate Dei, opus esse inquit, vt arboris oculi, siue ora, in quibus insitio facta est, per opportunum tempus claudantur, & comprimantur, naturáque ad germinandum quiescat, sic ille. *In palmitibus oculi, sicuti rustici vocant, conniuent, tanquam animalium, & innata ad germinandum ora comprimuntur, naturā tunc intus conclusa, quiescentéque, vt post respirationem, quasi athletæ lassus certamine, recolligat vires, atque ita de integro ad labores anniuersarios redeat. Id verò fit verno, æstiuóque tempore. Tunc enim, tanquam expergefacta è somno profundissimo, & oculos aperit, & clausa ora patefacit: quibus autem grauida est, parit omnia, pampinos palmites, clauiculas, racemos, fructum denique.* Ex quibus efficitur eò ire hæc verba Iacobi, si diceret, patientes, suscipite insitionem Christianæ disciplinæ, comprimentes oculos, ora, sensusque omnes veteris hominis, vt ex Christi surculo rami existant felicissimi, qui salutares iustitiæ fructus ferentes:

Nec longum tempus, & ingens
Exijt ad cælum, ramis felicibus arbos,
Miratúrque nouas frondes, & non sua poma.

Quare persimilis huic, illa locutio Dionys. Areop. videtur in ep. ad Demoph. *Sed Christi, qui verè bonus est, & optimus, beneficos radios, in mentis tranquillitate accipientes, ab eis ad diuina benignitatisque plena eius opera illustrati deducamur.* Confer hæc cum illis, & seriem, scopumque vtriusque loci, qui is est, vt moneamur sedato, ac patienti animo diuinum semen, lucémque suscipere, ac bonis operibus plene, indesinentérque inhærere.

2. Aduocat hic locus similem Christi locutionem apud Lucam 8. 15. vbi cum de diuinæ doctrinæ semine terræ mandato, tribusque eius partibus variis de causis deperditis egisset, tandē de semine, quod cecidit in terram bonam, ait: *Hi sunt, qui in corde bono, & optimo audientes verbum, retinent, & fructum afferunt in patientia:* quo in loco optima est Maldonati expositio, patientiæ nomine duratione & perseuerantiam intelligentis, ac si dixerit Christus, qui fructus iustitiæ patienter vsque ad maturitatē perducunt, vt hos opponat iis, de quibus, vt modo vidimus, dixerat, *orto sole æstuauerunt*, siue, *in tempore tentationis recedunt:* vbi mirè conuenit sententia Eccl. c. 1. 16. iuxta lectionem Tigur. de qua adnot. præced. nu. 8. *Væ vobis, qui amisistis patientiam*, id est, qui non sustinuistis sustentationes, & probationes Dei. Sanè hanc Christi sententiam sub eā seminis vsque ad fructum patienter perducti imagine mirificè illustrant hæc verba Gregorij lib. 2. in Ezech. hom.

Iacob 1. 21. — Conc. Vien. — 1. Petr. — Tull. — Plin. — Phil. — Dionys. — Luc. 8. 15. — Gregor.

hom. 15. *Cum bona desideria concipimus, semen in terram mittimus; cum vero operari recta incipimus, herba sumus; cum autem ad profectum boni operis crescimus, ad spicā peruenimus. Cumque in eius operationis perfectione solidamur, iam plenum frumentum in spicā proferimus.* Hæc Gregor. Vt verò in hac eius parabolæ expositione perseuerantiæ donum peculiariter eluceat, obserua apud Marc. 4. 24. post parabolæ propositionem à Christo subiici prouerbialem locutionem, quam alibi vsurpare solet: *In quā mensurā mensi fueritis, remetietur vobis:* addi verò ibi notanter, *& adiicietur vobis:* nimirum, ne ex mensuræ nostræ nomine doni huius efficacitas, & vis eneruaretur: sed illud nobis esset persuasissimū, minime nos ex æquo cum Deo agere, sed nostrum laborem, atque conatum nouâ misericordiâ, nouoque dono, quo ad finem vsque perducatur, indigere. Marc. 4. 24.

3. Zach. 11. 8. Nec minus opportunè his congruit Zach. locus c. 11. 8. vbi Dominus ægre ferens plebis suæ in suscepta virtute inconstantiam, sic emphatice ait, *contracta est anima mea in eis, siquidem animam eorum variauit in me.* Explico singillatim perquā bellam sententiam, & verò ex Hebræo liquet contractam animam ibi significare coangustatam, sensumque Vatis esse benignū Dei animum, & ad benefaciēdum pronum atque profusum contraxisse se, & veluti coactum liberalitatem cōpressisse, vt eo modo in populum esset affectus, quo illi in Deum affecti erant, ideò ait: *Siquidem anima eorum variauit in me:* vbi cum sermo sit de inconstantiâ, & instabilitate plebis; nimirum, quod cito defatigaretur in Dei obsequio, appositè quadrat tum lectio Hebræa: *tædio affecta est in me:* tum etiam translatio Aquilæ, quæ habet, *non maturauit in me*, ac si diceretur, non attulit fructum in patientiâ, non perduxit iustitiæ fructus ad maturitatem; ad eum modū, quo per Isai. 5. 2. idem met Dñs inquit: *Expectauit, vt faceret vuas, & fecit labruscas:* siue vt Symmach. legit, *imperfectas*, immaturum, scilicet, fructum, & acerbum, qui nunquam suaui maturitate concoquatur, Hispanè dicimus, *Agrazones*, indicans eos, qui ob propositi leuitatem, & inconstantiam nihil habent maturum, siue stabilis pœnitentiæ, siue constantis virtutis, quod Dominus capiat. Quare cum vitē describēs Ambr. in Hexamet. lib. 3. c. 12. dixisset. *Quid autem eo vel spectaculo gratius, vel fructu eius dulcius, videre serta pendentia, velut quædam speciosi ruris monilia, carpere vuas, vel aureo colore, vel purpureo renitētes? hyacinthos, cæterásque gemmas fulgere existimes, coruscare indicas, albarum emicare gratiam;* hominem inde sic monet: *Nec aduertis ex his admoneri te, homo, ne immaturos fructus tuos dies supremus inueniat, vt plena tempus ætatis opera imparata dedeceāt? Acerbus enim fructus amarior esse consueuit; nec potest dulce esse, nisi ad maturitatis perfectionem adoleuerit.* Quibus adiungenda est expositio, quā adhibet Gregor. lib. 12. Mor. c. 24 illis verbis Iob 15. 33. *Lædetur quasi vinea in primo flore botrus eius, & quasi oliua proiiciens florem suum:* dum componens hunc locum cum illo Cant. 7. 12. *Surgamus ad vineas, videamus, si floruit vinea, si flores fructus parturiunt.* Sic vtrumque elucidat. *Non ergo intuendū est, si vinea floreāt, sed si flores ad partum fructuum conualescant: quia mirum non est, si quis bona inchoet, sed valde mirabile est, si intentione recta in bono opere perduret.* Et paulò post: *Proiecit oliua florem, quem proposuit, quia rudimenta boni studij ad perfecta opera non perduxit.*

Lectio Hebræa. Aquila. Isai. 5. 2. Symmach. Ambros. Gregor Iob. 15. 33. Cant. 7. 12.

4. Sed pende modo, & tecum assiduâ cogitatione versa illud, *contracta*, seu *coangustata est anima mea in eis:* id est, Deum eo modo in eos affectū, ac ipsi in Deum, vt quoniā ipsi defuerunt gratiæ Dei, Deumque deseruerūt, nec maturauerūt in eius obsequio, hoc est, salutem suā cum metu, & tremore perficere non studuerunt, ideo etiam Deus eis defuerit, beneficiaque, & dona sua, quasi ad maturitatē nō perduxerit; sed liberalitatē contraxerit, opúsq; in eis bonū non perfecerit, siue vltimā perseuerantiæ manū nō imposuerit: vnde eadē hæc sententia est, ac illa apud Isaiam citato loco, vbi vitis, quæ expectata, vt faceret vuas, fecit labruscas, rationē reddēs, n. 6. ait Dñs, *& nubibus mandabo, ne pluant super eā imbrem*, hoc est copiosiora, & efficacia gratiæ auxilia denegabo, ita ibi Basil. his verbis, *Quando vineæ istius germina improbanda venitūt, ab ea tollitur pluuia: quandoquidē auxiliari gratia Dei sibi prærogata non, vt cōuenie bat, vsa est. Itaque etiam nos si quando deprehēdemur minus rectè vsi occasione rei bene gerendæ indulta nobis à Deo, tunc nobis adimitur cæleste præsidiū* Pro accuratiori verò expositione, & doctrinæ, quam tradimus cōfirmatione obserua ex Forerio ad id loci, Hebræā vocem, quæ respondet, *nubibus*, non quascūque nubes, sed grandiores, & crassiores, à quibus terræ fœcunditas, & fructuum maturitas aduenit significare, vt innuatur Deum auxilia, quæ Theologi sufficientia vocant, nunquam denegare: at efficacia, & ea quibus actu perseuerandum fore videt, iustissimā exigente ratione non tribuere ei, qui variauit, siue non maturauit in eius obsequio. Isai 5. 6. Basil. ibid. Forer.

5. Nec à fructuum imagine dissidet similitudo cōceptus, & partus, cui sua etiā maturitas certo, & diffinito tēpore aduenit, & verò virtutis studiosum eum muliere fœtum in vtero ferēte, præter Christi apud Ioan. 16. 21. testimoniū, sic cōpositum videas apud Isai. c. 26. 18. *Sicut, quæ concipit, cum appropinquauerit ad partum, dolens clamat in doloribus suis, sic facti sumus, à facie tua Domine concepimus, & quasi parturiuimus spiritum:* Quibus verbis eādem opinor subesse sententiam, ac illis: *In mansuetudine suscipite insitū verbum*, etenim, vt ibi, *insitū verbū*, ita hic facies Domini pro Christo sumitur; deinde, vt iis verbis ad insitionē patienter sustinēdam, ita his, & ad fœtum, qui in vtero est constāter retinendum, & ad partus dolores fortiter perferēdos, admonemur. Nec enim hæc solum capio de parturiētis doloribus, vt fœtū enitatur, sed etiā de omnibus molestiis, quæ grauidas à conceptu comitantur. Nam tum, *à cōceptu decimo die* (inquit Plin. l. 7. c. 6.) *dolores capitis, oculorū vertigines, tenebræque, fastidiū in cibis, redūdatio stomachi indices sunt hominis inchoati:* tū etiā, quid non sit necesse prægnantē perferre? atq; varias cupediarum, & aliarū rerū affectiones cōprimere, ne abortum faciat? Ad extremū, vt Iacob. inquit, *quod potest saluare animas vestras;* ita Vates ait, *parturiuimus, & quasi peperimus spiritum:* vbi notandum LXX. legere, *peperimus spiritum salutis:* vnde hunc locum sub sensu quem dedimus, ita disertissimè explicat Græcus auctor Eus. in catena Græca in Cāt. vet. & noui Test. *Propterea nos omnem laborē perferentes similes fuimus mulieri parturiēti, & clamores edēti, dū laborat in lucem edere, quod in vtero conceptum est: sic enim nos facti sumus tuo dilecto, quandóquidē habētes intus in nostra anima vnigenitū tuū verbū, timoréque tuæ pietatis à te in nobis seminatum, omnes labores generosè perferimus, calamitatésque, quæ nobis infliguntur, fortiter sustinemus, laborantes ne per abortum abiiciamus tuum dilectum in nobis conceptū, timorēque diuinum abs te in nobis seminatū: etenim viriliter tolerādo spe non decidimus, sed spiritū salutis peperimus.* Pende aptissimam similitudinem, quæ & ea, quæ huc vsque diximus, mirifice confirmat, & virtutis progressum bellè exprimit. Tot enim difficultatibus, atque periculis plus plus ingrauescentibus virtutis processus ad maturitatem perductus, ac fœtus ad partum vsque in lucem editus, est obnoxius, quæ Plin. LXX. Euseb.

omnia patienter, & generosè perferre oportet, donec Deus modicū passos perficiat, cōfirmet, & solidet. Quare hæc Isaiæ verba imperfectis, & ignauis non plene quadrate sic indicat Greg. Nyss. homil. 15. in Cant. *Atque hæ sunt illæ appellatæ iuuenculæ, quod primam adhuc ætatem spiritualem agant, quodque per fidei sermonem genitæ, necdum conueniente incremēto, eiusmodi factæ sint, vt vel ætatem nuptiis maturam attigerint, vel in virum perfectum euaserint, vel mensuram nuptiis aptæ ætatis adsequutæ sint, vt ex Dei metu ferre vterum possint, & spiritum salutis gignere.* Hæc ille cum allusione ad locum Isai. vt bene obseruat noster Fronto Ducæus in notis ad Nyss. (Gregor.)

6. Firmant hanc expositionem aucto censu Ambr. & Hieron. dum vterque in hanc sententiam componunt hæc Isaiæ verba, cum illis Domini, Lucę 21. 23. & Mat. 24. 19. *Væ illis, quæ in vtero habent, & vbera dantibus:* quasi hinc illi arguantur, quibus immaturus semper virtutis fœtus, & fructus inest: ita Hieron. in Matth. *Væ illis animabus, quæ non in perfectum virum sua genimina perduxerunt:* ita ibi, & copiosius facta mentione verborum Isaiæ, ep. 151. ad Algas. quæst. 4. sed multo luculentius Ambr. lib. 10. in Luc. his verbis: *Sed nec illæ pregnantes condemnationis exortes sunt, quæ sunt in bonorum actuum molimine constitutæ, nec dum aliquos suscepti operis dedêre processus. Sunt enim, & quæ de Dei timore concipiunt, quæ dicunt, de timore tuo concepimus, & parturiuimus: Sed non omnes pariunt, non omnes perfecti, non omnes possunt dicere;* peperimus spiritum salutis in terrâ: *Non omnes Mariæ, quæ de Spiritu sancto Christum concipiant, verbum pariant. Sunt enim, quæ abortiuum excludant verbum, antequam pariant: sunt, quæ in vtero Christum habeant, sed eum nondum formauerunt; quibus dicitur.* Filioli mei, quos iterū parturio, donec formetur Christus in vobis. A quo nō dissidet Aug. ferm. 8. ad fratres in eremo, vbi cum dixisset: *Bonum inchoare, & malo fine concludere: quid est aliud, quam monstruosas res conficere?* post modum subdit: *Caue, ne actio tua monstrum maneat, enormis enim erit fœtus ventris, si capiti non correspondeat finis.* Hæc August. & plura toto illo c. præsertim in fine, quæ videat omnino lector. (Luc. 21. 23. Matth. 24. 19. — Hieron. — Ambros. — August.)

7. Nec reticebo, dum hic sum, leuissimis sæpius de causis fœtum animatum iam, & penè maturum perire, & abortiue eiici, sic experientiâ duce, monente Plinio lib 7. c. 7. ad Vespasianum Augustum. *Miseret, atque etiam pudet æstimantem, quā sit friuola animalium superbissima origo, cum plerumque abortus causa fiat odor à lucernarum extinctu. His principiis nascuntur Tyranni, his carnifex animus Tu qui corporis viribus fidis, tu qui fortunæ munera amplexaris; & te ne alumnū eius existimas, sed partum; tu cuius semper in victoriâ est mens; tu qui te Deum credis aliquo successu tumens, tanti perire potuisti.* Vt hinc argumento sit, salutis negotium, iis etiam, quæ minima videntur, constare, nec vllum debere officium prætermitti, siue nullum, vel leue esse admittendum erratum, quòd minima quæque contempta sæpe interitus, & ruinæ occasio extiterint. (Plin.)

8. Adiungo similia Ecclesiastici, & Salomonis testimonia: nam ille sic exorditur, c. 15. *Qui timet Dominum, faciet bona, & qui continens est iustitiæ, apprehendet illam, & obuiabit illi quasi mater honorificata, & quasi mulier à virginitate suscipiet illum. Cibabit illum pane vitæ, & intellectus. & aquâ sapientiæ salutaris potabit illum, & firmabitur in illo, & non flectetur, & continebit illum, & non confundetur.* Salomon verò de eâdem iustitia, siue sapientiâ Dei (nec dubium quin de Christo, seu de eius donis loquatur ex interpretatione Clem. Alex lib. 5. Strom. Greg. Mag lib. 12. Mor. cap. 4. Hieron. in cap. 65. Isaiæ & alibi, Bedæ, & aliorum expositorum ibi) Prou. 3. 18. *Lignum vitæ est his, qui apprehenderint eam, & qui tenuerit eam, beatus.* Pende seorsum vtrūque testimonium, & quā concinnè vnum cum altero connectatur: & quidē timori Dei, iure virtutum, seu bonorum operum exercitium; illis verbis: *Faciet bona,* Ecclesiasticus subiecit. Nam tum, *virtutes ossa sunt animæ* (verba sunt Vrbani Pap. in Metaphrasi in Ps. 50.) *quibus ipsa interius, sicut corpus exterius ossibus, supportatur, vt stare possit ante se supra pedes affectuū, ne labatur;* ac, *columnæ, & fulcra* (ita Gregor. Nyss. hom. 4. in Cant.) *quæ immutabilitatem in bono cōseruant;* tum etiam, *cum adest gratia,* (Bern. serm. 54. in Cant.) *sume, ne non digne opereris ex eâ.* Deinde meritò subdidit necessariam esse durationem in bono, addens: *Qui continens est iustitiæ,* hoc est, qui iustitiam retinet, & in eâ perdurat; quo sensu, & verbo dixit Senec. ep. 16 *Illo nunc reuertor, vt te moneā, & exhorter, ne patiaris animum tuum delabi, & refrigescere, constitue illum, & contine, vt habitus fiat, quod est impetus:* & eodē modo Greg l. 1. Mor. c. 21. *Bene capta cunctis diebus agenda sunt, vt cum malum pugnādo repellitur, ipsa bona victoria constantiæ manu teneatur.* Vnde subiungit sapiens, *apprehendet illam:* quod bifariā interpretor. Vno modo, iuxta significationem, quam verbo *apprehendo* ex Hilar. Euthymio, Theodor. & aliis Patribus in Ps. 52. reddo ad c. 2. v. 12. in comment. eius hemistichij, *cum metu, & tremore, &c.* Vt sit cū ardore spiritus, & auiditate, arripere, summo studio contendere, siue etiam firmiter hærere, vt dicat Sapiens, qui vult continere iustitiam, & in ea perdurare, opus est, vt ad illam non oscitanter accedat, sed magno impetu capiat, & quasi pugno comprehendat, ita Glossa interlinea. ibi inquiens, *apprehendet illam, vt firmiter teneat,* nimirum, ne illa è in manibus eius elabatur. Alio modo. vt apprehendere ibi idem sit, ac possessionem capere, vti eo verbo sub hac significatione vsus est Tullius li. 10. ep. ad Attic. cum dixit: *Necesse est enim istum, aut pelli ab Hispania, aut trahi ad bellum, aut istum apprehendere Hispanias:* eaque resultet sentētia; cum, qui iustitiam continet, & in ea perdurat, ipsius (veluti possessione captâ) quodammodo dominum fieri, vt vel hinc appareat, quam scite de perseuerantiâ dictum sit à Bernard. ep. 129. *Soror est patientiæ, constantiæ filia.* (Eccl. 15. — Prou. 3. 18. — Clem. Gregor. Hieronym. — Bed. — Vrban. — Gregor. — Bernard. — Senec. — Gregor. — Gloss. — Tull. — Bernard.)

Sed, vt peculiare perseuerantiæ donum eluceat, nec hæc possessio, aut præscriptio humanis meritis inniti videatur, adiungit Ecclesiasticus: *& obuiabit illi quasi mater honorificata, & quasi mulier à virginitate.* (Tigur. *tanquam vxor virgo ducta*) *suscipiet illum. Cibabit illum,* &c. Quæ eò eunt, vt innuatur Deum iis, qui modicum passi inflexibiles in eius deuotione perstiterunt, benigne, & liberaliter cum dono perseuerantiæ occurrere, perficiendo, confirmando, & solidando eos medio cibo panis vitæ, siue vberiorum auxiliorum diuinæ gratiæ, vt ibi explicat Gloss. Nec mediocrem emphasim habent matris, & sponsæ similitudines: illa enim cum filiis suis indulgentius, & benignius, quam pater agit, qui durius educare, & probare filios assolet, hæc verò dum sponsum apprehendit, dicit: *tenui eum, nec dimittam, donec introducam eum in domum matris meæ,* id est, donec stabili eius connubio, atque complexu in æternum fruar; Cantic. 3. 4. Quare eodem sensu addit Sapiens: *Et firmabitur in illo, & non flectetur:* quæ verba ad præfatam columnæ imaginem sic aptissime transtulit è Græco lectio Tigurina: *firmatus hac: statu moueri non poterit, qui fuerit innixus huic, non afficietur ignominia,* id est, ad eum constantis, robustæque virtutis statum fœliciter perueniet, in quo Deus ea illi auxilia impertiri 9. (Lect. Tig. — Gloss. — Cant. 3. 4. — Tig. Lect.)

impertiri decreuit,quibus actu perseueraturũ videt.

10. Iam verò his aptare oportet præfata verba Prou. *Lignum vitæ iis,qui apprehenderint eam,& qui tenuerit eam,beatus:* quibus vtetina,ac præcedẽtibus sententia subest; primo enim prius hemistichium sic legit Augustin. in Psalm. 32. *Lignum vitæ possidentibus eam*, vbi vides sub eâdem significatione, ac apud Ecclesiasticum positum verbum, *apprehẽdere*, pro, *possidere*, atque vt ibi, continenti & possidenti iustitiam,ipsam honorificè, velut matrem occurrere, cibareque suos pane vitæ; ita hic pulchra imagine significari,ei, qui per longum tempus sapientiam possedit,illam conuerti in lignum vitæ, cuius ea erat natura,vt non modo protogaret vitam, sed etiam vegetam,& florentem conseruaret,vide Aug. lib. 8. de Genes. ad litter. cap. 5. & lib. 13. de ciuitat. Dei,cap. 23. hoc est,laborantes,& conantes,nec in vacuum gratiam recipientes nouis, & peculiaribus auxiliis,veluti ligno vitæ Deus nutriat, & roboret, & in dilectionis suæ soliditate constituat; vt inde ad perdurandum in Dei obsequio moneamur simul,& animemur, ne rem existimemus perdifficilem, in qua aduerso, vt aiunt, flumine sit nobis semper adnitendum, & repugnandum; modicum enim passis occurret Dominus cibans, *ligno vitæ*, & pane,qui *cor hominis confirmat:* pro quo facit adsimilis locus, Apoc. 2. 7. *Vincenti dabo edere de ligno vitæ*, quem sub hoc sensu, statim elucidabimus. Deindè circa secundum hemistichium, *& qui tenuerit eam, beatus*, quis non videat his,ac illis verbis: *Qui vicerit, faciam illum columnam*, eandem inesse sententiam:etenim non dixit,& qui tenet eã, sed significanti modo temporis, *qui tenuerit*, id est, qui firmus perstiterit, & probationis tempus,& leges expleuerit,ad eum prorsus modum,quo idemmet Philadelphiæ Episcopus admonebatur, *tene, quod habes*,idest:*sustine sustentationes Dei.* His consonat omninò lectio Hebræa,*sustinentes eam*, seu,vt habet Pagninus, *qui fulciunt eam:* Hæc enim similiter innuunt constantem,firmum,& perseuerãtem statum cum tolerantiâ,& patientia coniunctum,cui velut columnæ firmiter constitutæ virtus, siue iustitia incumbat. Ergo,qui tenuerit,sustinuerit, fulcierit,seu possederit eam,beatus. Quare beatus? Respondeo ex iuris regula. Quia, *beatus qui possidet:* quam ad rem mirificè facit lectio Hieron. in c. 47. Ezech. pro,*qui tenuerit eam*,legentis:*Et qui reclinãtur super eam*; quam pulchrè,& eleganter (de more) sic explicat noster Salazarius,vt sit sensus; virtutem,cum vsu,& consuetudine ad habitum perducta est,pro molli accubitu,& reclinatorio esse;nõ enim vti prius dolori,sed solatio est, neque iam laborare, sed in molli potius lecto discumbere sibi videtur homo, vt à laboribus anteactis conquiescat, & ferietur. Quamuis ego non tam ad habitum,quàm ad copiosiora,& maiora gratiæ auxilia referam,quibus Dei sapientia eos,qui fulciunt illam,roborat,& fulcit,vt dicebat Petrus: vnde August. in Psalm. 32. dum eadem verba,sic legit: *Et incumbentibus in ea, sicut in domo tuta*: hæc addit:*Ecce Dominus tuus factus est tibi,quasi baculus,securus homo incumbit, quia ille non succumbit.*

Aug. | *Aug.* | *Apoc. 2. 7.* | *Lect. Heb.* | *Pagnin.* | *Hieron.* | *Salaz.* | *August.*

11. Pergo ad ea verba Apoc. *Vincenti dabo edere de ligno vitæ*;quæ vt benè à Ruperto de Eucharistia,melius ab Alcazar de robore, ac virtute ad pristinum feruorem instaurandum, & in eo permanendum accipiuntur: nisi malis ita vtramque expositionem conciliare,vt ea virtus, & robur, quo vires animæ, in iuuentutis flore persistunt à Christi corpore,cum nec ab indignis rapitur,vt scite ibi Rupert. nec etiã cum vulgari modo, & vtcumque à tepidis accipitur, sed cum ex peculiari fauore ad diuinos hosce fructus ab anima percipiendos à Christo datur,aduenite,ipso dicente,*qui manducat meam carnem*, id est,eo modo,quo manducare debet, *in me manet,& ego in illo*,de quo alibi. Sanè Tertul. lib. de orat. c. 6. dum eam panis quotidiani petitionem de Christi corpore accipit; sensum, scopumque petitionis sic explicat: *Itaque petendo panem quotidianum, perpetuitatem postulamus in Christo, & indiuiduitatem à corpore eius:* quasi ab hoc cœlesti pane perpetuitas, & perseuerantia in Christo nobis adueniat,luculẽtius à Tertul. Cyprianus,& à Cyprian. Aug. lib. de [illegible] perseu. in exordio, ad hunc modum: *Beatus Cyprianus ostendit, quomodo, & hic intelligatur perseuerantia postulari. Panem quotidianum,& Eucharistiam postulant sancti,ne à Christi corpore separentur, sed in ea sanctitate permaneant, qua nullum, quo inde separari mereantur,crimen admittant.* Sic Aug. Ergo, qui vicerit, egregij doni loco, id enim significat verbum, *dabo*, edet de ligno vitæ,vt perpetuâ societate Christo inhæreat. Certè Eucharisticus hic,& cœlestis panis,vt donum sit,quod animam alat,nutriat,atque confirmet operandus est, & iugi labore promerendus. Vnde videas dictum à Dauide Psal. 127. *Labores manuum tuarum*, (siue,vt Hilar. & alij ibi legunt) *labores fructuum tuorum,quia manducabis,beatus es, & bene tibi erit:* vbi sic scitè dubitat Hilarius. *In hac enim vita conuersatione,qui manducant, laborum fructus suorum manducant,ex prouentibus elaborati operis sumentes. At verò propheta ait,labores fructuum manducandos. Non consequitur sensus humanus dicti huius intelligentiam: ex laboribus enim fructus est,non ex fructibus labor:* Sed scitè etiam respondet, fructus laborum ad æternam retributionem pertinere, labores verò fructuũ,ad animæ nutrimentum, & confirmationem hic esse manducãdos,nimirum per bonorum operũ labores,eximium cœlestis huius panis donum obtinentes. Audi eum: *Horum laborum fructus in æternitate est, sed labor hic æternorum fructuum ante comedendus est,eoque in vita hac corporali,anima nostra alenda est,per cibum bonorum laborum obtinentes panem viuum,panẽ cœlestem, ab eo,qui dixit:* Ego sum panis viuus de cœlo. Hæc Hilarius. Quibus sequentia congruunt:*Beatus es,& benè tibi erit*; ad quæ iridẽ Hilarius:*Quorũ alterum in præsens obtinetur*,quod beatus es, *quod verò*,bene tibi erit, *repositum est in futurum*, id est, quia laboratum panem manducasti,beatus iam es:quippè cui de ligno vitæ datum est edere; pignúsque æternæ fœlicitatis accipere.

Tertull. | *Ps. 127. 2.*

Apparet autem hinc, quam certa sit gnome à Patribus,& spiritualis vitæ magistris asserta,Deum cum sancto sanctum,& cum liberali liberalem, & ib eâdem mensurâ,quâ mensi fuerimus,in ipsãmet remetiendum nobis esse: à quo,nec latum vnguem, suo modo captus,discessit Senec. epist. 41. cum ait: *Sacer intra nos spiritus sedet bonorum, malorumque nostrorum obseruator, & custos; hic prout à nobis tractatus est,ita ipse nos tractat.* In quæ verba sic bonus scholiastes Iustus Lipsius: *Si benè honestéque habuimus,habet,si æstimauimus,sustulimus, attollit; negligit etiam neglectus:* sed id notantissimè docuit Nazianz. in oration. de se ipso ad fin. oper. quam Iacob. Billius solutâ oratione; alij versibus reddidère: vbi cum Theologus multis asseruisset,quàm sit nobis necessaria Dei gratia ad bene operãdum,quamque opus sit,eam non in vacuum recipere, sed curam, atque laborem nostrum ei adiungere, hæc addit. *Omnes quidem* (nolo carmina rei seriæ) *procedere, ac progredi satagant. Cæterum Deo,tamquam certissimo fini omnes tàm sapientes,quàm fortes; tàm diuites, quàm* 12.

Senec. | *Iust. Lip.* | *Nazianz.*

pauperes hæreant, vt enim Dei mensuram, vitæ nostræ mensura sequitur; ita vitæ quoque nostræ mensura Dei respondet. Ita Greg. Apud quem tres hasce mensuras obserua. Prima, quâ Deus liberaliter gratiâ suâ præueniens incipit in nobis opus bonum. Secunda, cum nos excitati primam Dei mensuram nostrâ cooperatione,& labore remetiri studemus, ne gratia Dei vacua in nobis sit. Tertia, cum vberiora gratiæ auxilia laborantibus, & conantibus Deus impertitur, quod ea sit eius natura (vt nos sanctus parens Ignatius optimè monuit in const.par.3.c.1.
S. Ignat. §.21.) *vt quantò aliquis arctius se ipsi adstrinxerit, eò liberaliorem experietur, & ipse in dies magis idoneus erit ad gratias,& dona spiritualia vberiora recipienda:* vnde ad rem nostram iam obserua sententiam Nazian. ex hâc ratione, quod eâdem mensurâ, quâ nos mensi fuerimus, remetiendum nobis à Deo sit, monentis nos, vt Deo firmiter hæreamus, eodem omnino sensu, quo dicebat Concil. Trid. Deum, *nisi ho-*
Conc. Trid. *mines eius gratiæ defuerint, vt cœpit, opus bonum perficere,* quod ipse prout à nobis tractatus fuerit, ita nos tractet. Quo verò sensu hæ mensuræ accipiendæ sint, vt nimirum vltima Dei mensura superefluens sit,& merita nostra quam longissimè superet, diximus num. 2. pete inde.

Nec alium gustum habere videtur hæc Christi
15. admonitio simul,& promissio: *Manete in me,& ego in vobis,* Ioan.15.4. si aduertis primò ea verba, sub-
Ioan.15.4. iecta à Christo fuisse post hæc, *iam vos mundi estis propter sermonem, quem locutus sum vobis:* deinde, *manere,* idem esse, ac perdurare, siue perseuerare. ita Hilarius in Psal.14. verbo, *manere,* pro, *perseuerare,*
Hilar. vtitur: tandem eâdem in serie locutionis ad discipulos monitum, *& ego in vobis,* ac si Christi permanentia,& assistentia sub præceptum caderet, atque illis præscriberetur. Quare, siue cum Euthymio ex-
Euthym. ponas efferendo hæc per modum conditionis, ac si dixerit Dominus, si vos in me manseritis, & ego in vobis manebo, id est, si non deserueritis, non deseram; siue cũ aliis, quibus asseritur Maldonatus, manete in me, & efficite, vt & ego in vobis maneam aut date operam, vt & vos in me, & ego in vobis
Mald. maneã; benè hinc colligit ibi P. Maldonatus, hæc duo,& in nostrâ esse potestate, iuuante diuinâ gratiâ, vt in acceptâ maneamus gratiâ,& non stare, nisi per nos, quo minus Christus in nobis maneat: sic enim hîc loquitur (inquit ille) quasi ex nobis solis pendeat, quòd in nobis maneat, se enim paratũ esse, vt semper nobiscum maneat: vnde triplicem illam à Nazianz. assignatam mensuram facilè elicias, vt quemadmodum primam Dei mensuram vitæ nostræ mensura sequitur, ita vitæ quoque nostræ, mensura Dei respondeat. Nec omittam Theophylacti commentarium in hunc locum, quòd ex illo Hilarij verbis, alioquin obscurissimis,& sub hoc, quẽ persequimur sensu, opportunissimis peculiaris lux
Theophyl. & splendor suboritur. Sic enim Theophylactus: *Ego quidem, inquit, vos purgaui per sermonem meum, & doctrinam,& nihil quod facere debui prætermissum est. Oportet autem nunc, vt incipiantur, & ea, quæ à vobis sunt, manete enim inquit in me.* Ita ille. Vbi Theophylacto, *incipere,* est gratiæ excitanti respondere,& diuina beneficia remetiri, vt plena huic Dei
Hilar. mensura respondeat. Modo audi Hilarium in id Ps. 118. *Fac cum seruo tuo secundum misericordiã tuã,* sic disserentem. *Et quia seruitus nostra ad ipsum, vt in seruitutis fide maneat, misericordiâ Domini indiget, superaddit:* secundum misericordiam: *Quia miserationis eius opus est, vt in hâc seruitutis nostræ professione maneamus. Imbecilla enim est per se aliquid obtinendi humana infirmitas,& hoc tãtum naturæ suæ officium est, vt aggregare se in familiam Dei,& velit, & cœperit. Diuinæ verò misericordiæ est, vt volentes adiuuet, incipientes confirmet, adeuntes recipiat, ex nobis autem initium est, vt illa perficiat.* Hactenus Hilarius; tàm clarè, & dilucidè sub præfato sensu, & ad gustum Theophylacti captus, quã nisi hæc supponeres impeditè,& obscure; non leue enim tunc negotium facesserent ex locutiones: *Hoc naturæ suæ officium est, vt aggregare se in familiam Dei, & velit,& cœperit, ex nobis initium est, &c.* At ex Na-
zianz. & Theophylacti doctrina de cooperatione nostra, qua Dei auxiliis excitati, & adiuti primam Dei mensuram remetimur, nec gratiam in nobis vacuam esse patimur, acceptæ, sententiam orthodoxam mirificè confirmant, præsertim si priora illa attendas, *vt in seruitutis fide maneat, misericordiâ Domini indiget, &c.* Quæ apertè ostendunt Hilarium postea non de prima gratia, sed de perseuerantia, quam promereri nemo valet, etsi ad eam, posita iam prima gratia, conari,& incipere, vt maiorem in dies,& maiorem gratiam alliciamus, qua tandem in Dei obsequio permaneamus, nostri sit muneris. Vnde notanter Hilarius non dixit nostri officij esse, vt opus salutis incipiamus, sed potius, vt conemur aggregare nos in familiam Dei, hoc est, inter eos, qui peculiari ratione grex, & familia Dei, & eius nomine, inscripti sunt annumerari, ideò opportunè subdit, diuinæ tunc misericordiæ, ac bonitatis esse, sic volentes adiuuare, confirmare incipientes, recipere adeuntes, atque perficere, vt qui cœpit in nobis opus bonum, tandem perficiat, & modicum passos confirmet,& solidet. Nazianz. Theoph.

Concludo sic etiam in hanc sententiam accipi 14.
posse hæc Pauli verba: *Qui cœpit in vobis opus bonum, perficiet, &c.* Ac si illis sub picturæ metaphora dicat Apostolus Deum, cum quis eius gratia excitatus diuinam in se imaginem studet depingere, & virtutum coloribus illustrare, vltimam imagini manum apponere, & dono perseuerantiæ perfectam
vndequaque reddere. Quæ videtur esse mens Am- Ambros.
bros. lib.6. Hexam. cap. 7. dum versans ea Genes. verba: *Faciamus hominem ad imaginem, &c.* Addensque de anima solum, in qua diuina imago relucet, esse nobis curandum. vt eam virtutibus ornemus, sic concludit: *Illa anima à Deo pingitur, quæ habet in se virtutum gratiam renitentem, splendorémque pietatis: illa anima benè picta est, in qua elucet diuinæ operationis effigies. Illa anima benè picta est, in qua est splendor gloriæ, & paternæ imago substantiæ* ille. Iam ad alia.

VERSVS VII.

Sicut est mihi iustum sentire pro omnibus vobis, eo quod habeam vos in corde, & in vinculis meis,& in defensione, & confirmatione Euangelij socios gaudij mei omnes vos esse.

COMMENTARIVS.

LOCVS aliquantulum implexus, constructio quippè obscura, phrases inusitatæ, & sententia tota perdifficilis: vnde prius singula examinanda, & subinde inter se connectenda.

Eo quod

Eo quod habeam vos in corde.

1. Iustinian. Chrysost. Theoph. Oecum. Cornel. QVID autem hoc sit, (inquit Iustinian.) *adhuc ambigo*. Chrysost. Theoph. Oecum. quos Cornelius, & plures sequuntur, eòque inclinat ipse Iustin. *cor*, pro memoria accipiunt, vt sensus sit, vestri, ô Philippenses, memoria extingui in me, aut marcescere nullatenus potest; vos enim semper in animo gero, meæque menti nunquam non occurritis. Si inquiras, quomodo cum hac Pauli memoria, & vincula ipsius, & defensio, ac confirmatio Euangelij connectantur, & vnam catenam conficiant? Respódent, continuo hæc omnia filo hærere, vt sententia ad hunc sensum crescat, iustum est mihi hoc de vobis sentire, quia semper vestri recordor in ipso etiam carcere, & in vinculis, & quod amplius est, Theophyl. cum Euangelij confirmationem, & defensionem suscipio. Ita Theoph. *Sed neque cum sisterer Neroni, coram eo rationem reddēs causæ meæ, meque defendēs, meâ excidistis memoriâ*: vnde sic aliqui è Græco conantur vertere: *Eò quod in vinculis meis, & in defensione, & in confirmatione Euangelij habeam vos in corde, vos, inquam, omnes, qui estis socij, seu comparticipes gratiæ meæ*: verum de Græca lectione agemus postea. Nunc, *quid hac faciant, aut quam vim habeāt ad* Iustinian. *spem, seu confidentiam conciliandam* (ait Iustinianus) *non satis intelligo*: alij verò authores, excepto Cornelio, intelligunt fortè: sed non explicant, nisi explicationem appelles simplicem verborum pro libito factam cōnexionem ad hunc modum, non temerè, nec leuibus ductus coniecturis vestræ salutis spem animo concepi, cum vbique vestri recorder, & ani-
2. mo semper occurratis meo. Iam fidentiæ ratio, quā Cornelius affert, nec Iustiniano displicet, ea est, quod non nuda apud Paulum Philippensium memoria, sed liberalitatis etiam, ac beneficentiæ, quâ Apostolum tam apud illos commorantem, quam absentem fuerant prosecuti, omni ope, & sumptu adiuuantes, vnde ea ratione Paulum confidere feruorem illum, actúsque heroicos charitatis æternâ à Deo mercede remunerandos esse.
3. Verum prædicta explicatio, nec verbis sensum Pauli reddere, nec contextui videtur congruere. In primis enim, *cor*, accipi pro memoria insolens est omnino, & inusitatum, tum apud Paulum, & cæteros sacros scriptores, tum etiam apud externos, hi quidem, vt, *cor*, aliquando pro intellectu accipiant, vt Iuuenalis de homine stupido:

Quod læua in parte mamillæ
Iuuen. *Nil salit Arcadico iuueni.*

At pro memoriâ; (quod ego viderim) vsurpant nūquam: deinde, esto vtrisque familiare esset, non bene colligitur, ideo iustum esse, vt Paulus sentiret Philippenses omnes in gratia Dei duraturos, quod eorum omnium sæpè recordaretur. Quæ enim obsecro, ista ratio seu consecutio est? Nec satisfacies, si addas cum Cornelio rationem constare, quia recordabatur Paulus beneficiorum, & eleemosynarum Philippensium. Nam vnde id, quæso, colligi potest? Quodue hoc loco vestigiū huius rationis apparet, cum nullam eleemosynarum mētionem ille faciat? facturus vtique (quod Pauli ingenium est) si ea illum ratio impulisset. Præterea quid magis extortū, quam iis verbis: *Eo quod habeam vos in corde*: eum sensum reddere, quod memor sim beneficiorū, quæ in me contulistis? Denique contextus hunc sensum nullo modo patitur, subdit enim Paulus: *Testis enim mihi est Deus, quomodo cupiam omnes vos in visceribus Iesu Christi, &c.* Quæ quidem præcedentium rationem reddunt, simulque confirmant, vt manifestè indicat particula, *enim*, vnde non video, quomodo sub præfato sensu capi possint.

Ergo, vt propriè, & cohærenter hæc verba sumantur, *cor*, pro corde iuxta simplicem, & germanam significationem accipiendum est, atque ideo hæc, *eo quod habeam vos in corde*, perinde sunt, ac si dicat, eo quod in me ipso singularem in vos amorē, & beneuolentiam experiar. Sed dicis, quæ ista ratio, aut in quo præcedenti melior? subiicio: viri quidem egregiâ sanctitate prædíti, cuiusmodi erat Paulus, eorum magis studiosi amatores quasi propēsione quâdam innatâ esse solent, qui sanctiores sunt, & qui præseferūt plus in sanctitate perseueraturos: ideo dum Paulus amicissimos sibi Philippēses habere ostendit, satis aperte innuit non mediocrem ipsorum virtutem, & sanctitatem esse, eamque, de qua perseuerans in Dei voluntate famulatus optimâ ratione sperari possit. Et vero hoc Pauli in Philippenses studium non tam ex affectu, quam ex iudicio, & ratione oriri sic perpendit Theophyl. & ab eo Oecumen. hoc in loco: *Quanta illud est laudis Pauli corde contineri, qui non temerè, sed recto iudicio, quos dignos existimasset amore prosequebatur?* Theoph. Oecum. 4.

Succedit deinde alia ratio, quia proprium charitatis est bene sentire, omniaque sperare, vt hic obiter ex eodē Paul. 1. ad Cor. 13. 7. ita aduertit Prim. *Quia charitas omnia sperat*: id quod ibi etiam sic adnotauit Chrys. *Quæcunque sunt bona dilectio non desperat*: & res quidem est, quam passim experimur, nec enim alia nobis persuademus, siue speramus, nisi quæ cupimus. Ideo Anselm. in id loci ad Cor. *Sperat omnia, quæ sibi dulcia promittūtur.* Quare de charitate dixit Chrys. serm. de fide, spe, & charitate, to. 5. *charitas est, quæ fidem adiuuat, & spem sibi sociat, & vtramque Deo muneranti assignat*, & suo sensu nescio quis: 5. 1. Ad Cor. 13. 7. Primas. Chrysost. Chrys.

O spes amantum credula!

Et alter: *Amantes ipsi sibi somnia fingunt.* Sen in Hippol. act. 1. sce. 3.

Astipulatur huic rationi Græca lectio, τοῦτο φρονεῖν, quippe proprie reddatur, *hoc affectu esse erga vos*, quasi hæc prænunciatio, & ab affectu propter amorem, quo Apostolus Philippenses prosequebatur, & à iudicio propter rationem inferius afferendam oriatur.

Et in vinculis meis.

6. Chrysost. CHRYSOST. & Græci continuationem eiusdem rationis esse censent, vt sensus sit, vbique vestri recordor, etiam cum in vinculis sum. Sed noua mihi ratio esse videtur, eàque proposito satis opportuna, ac si dicat Paulus, alterum argumentum, quo mihi persuadeo perseueraturos vos in Dei obsequio vsque in diē Christi, illud est, quod expertus vos fuerim consortes tribulationum mearum, & vinculorum, quæ pro Christi nomine libentissime perpetior, quandoquidem, *vobis donatum est* (verba sunt Pauli hoc eodem c. vers. 29.) *pro Christo non solum, vt in eū credatis, sed vt etiam pro illo patiamini.*

Et in defensione, & confirmatione, &c.

Theoph. Chrysost. THEOPH. ex Chrys. vincula, & pressuras, quibus Paulus affligebatur, defensionem, & confirmationem Euangelij esse, sic affirmat: *Quod si ille pro re comperta non habuisset, tanti esse bona cœlestia, vt explicari verbis non possent, non fuisset perpessus tam acerba vincula, nec efferato Neroni pertinacius obstitisset, nisi Imperatorem aliū præuidisset, qui firmior esset, & illo incōparabiliter potentior. Pressura ergo, & mala, quæ patimur, Euangeliū confirmabunt.* Hæc ille. Sed de hoc Theophyl. sensu nonnihil dubito: nam Theophyl.

duriuscula videtur orationis structura, si confirmationem, & defensionem Euangelij pro ipsis vinculis, mōdo dicto accipiamus. Vt enim non esset inusitatum id construendi genus, illâ quidem coniunctione, *&*, semel, & iterum repetita, noui aliquid videtur Paulus intendere.

7. Deindè malè hærent hæc immediatè sequentibus. *socios gaudij mei omnes vos esse*, vt apparet. Sed dum in eas angustias vident se Græci cōiectos, caussalem illam, *eò quòd*, quæ supra præcessit, iterum repetendam esse contendunt. Scio aliqualem opem ex Græco ei lectioni posse afferri, sed etiam noui eam fore, quæ vel violentiam, vel duritiam saltem non mediocrem contineat. Quid quod pro defensione, Græce habetur ἀπολογία, quod vocabulum propriè forense est, cum reus apud iudicem cogitur causam dicere, quamuis hinc etiam transferatur ad quamlibet defensionem, cum nimirum quis suæ innocentiæ rationem reddit; vt in apologiis Nazianzeni, Athanasij, Tertulliani, & aliorum Patrum videre est.

8. Porrò quamuis hæc vox sub hac significatione sublimiori sensu vinculis ipsis possit accommodari, vt videlicet ipsa causam dicere, efficaciusque, quam verba respondere videantur (quod infra vers. 14. latè prosequemur,) at hoc nimis contortum est: ea enim lege spirituales sensus, & ad mores componendos apti venandi sunt, vt litteræ non officiant, sed ipsa prius sibi constet. Quare crediderim Paulū appellare Philippenses socios, non solum in vinculis, & laboribus pro Christo toleratis: sed etiam in apologia, siue defensione Euangelij coram iudicibus habita, & in confirmatione; tum verbis, & efficacissimis argumentationibus; tum verberibus toleratis, fidei adhibita. Quod & verba hæc significāt, & ipse Paulus satis manifestè indicat, vers. vlt. huius capitis, cum post ea verba. *Quia vobis donatum est pro Christo non solum, vt in eum credatis, sed vt etiam pro illo patiamini*, subdit. *Idem certamen habentes, quale & vidistis in me, & nunc audistis de me*: vbi Paulus non tantum alludit ad plagas Philippis sibi impositas, vt Lucas Actuum 14. 18. ait, & ad vincula, quibus Romæ constringebatur, sed ad apologiam etiam, quam apud Neronem pro Euangelio habuerat, cui similem esse significat, quam habuerint Philippenses apud eius vrbis magistratus. Quod & certandi vox non obscurè indicat.

Infr. v. vlt.

Act. 14. 18.

Socios gaudij mei omnes vos esse.

9. EX Græco constat infinitiuum, *esse*, in nostra Vulgatæ lectione, more Hebræo redundare, vel vt Græco participio ὄντας respondeat, vertēdum esse, *existentes*: atque ideo germana lectio ea est: *Eo quod habeam vos in corde, & in vinculis meis, & in confirmatione, & defensione Euangelij socios gaudij mei siue gratia mea existentes*: cuius nouæ rationis à Paulo assumptæ vim, quæ maxima est, antequam expēdam. Primò obseruo ex Oecumenio pro, *socios*, Græcè esse, *consocios*, & *consortes*, quod plus aliquid addit supra socios, & participes, nimirum, vnà consortes, & comparticipes; iuris periti rem pro indiuiso habere dicunt, quam phrasim Hispanè retinemus. Vt denotet Paulus, non solum habere suos Philippenses, similésque in tribulationum tolerantia, sed etiam, quæ ipsius charitas erat, quidquid præmiorum expectaret, ex tot vinculis, & crucibus hoc iudicare ipsis commune, vnaque cum illis habere pro indiuiso; vnde Chrysost. qui legit, *vnà mecum participes*, sic habet, *& ego ipse alteri impertio, vt vna fiam particeps Euangelij*, & ad Philippensium commendationem addit. Ac mirum profectò est omnes illos ita affectos animo fuisse, vt à Paulo vocari possent sui participes.

Oecumenius.

Chrysost.

Iam quid *gaudij* nomine sibi vult Paulus? Contentus ero rem prælibare, mox latius explicaturus, & prosequuturus. Porrò vt à quæstione nominis incipiam, noster interpres Græcè legit χαρᾶς, hoc est, *gaudij*. Quomodo legisse etiam videntur Ambrosius, Primasius, & alij: omnes verò Græci codices, quos nunc præ manibus habemus, habent χάριτος: significatione alia, valde tamen affini, χάρις enim significat gratiam, seu donum, aut beneficium gratiose datum. Imò Hesychius affirmat χάρις à χαρά, deriuari (ab effectu videlicet gaudij, quod donum accipienti præstat,) seu à verbo ipso χαίρω, quod est gaudeo, vnde commode, & ad sensum Græcæ lectionis (etiam si mysterium aliud hæc translatio non clauderet, de quo infra) vertit noster interpres, *gaudij*, quamuis Henricus Stephanus homo improbedoctus affirmet huius significationis exemplum haud dum reperire se potuisse; sed damnatæ memoriæ author, si illam refricasset, inueniret profectò in Homero sæpè ἡμῶν χαριζομένη θυμῷ, id est, *animo gratissime nostro*, quod perinde est, ac *iucundissime*: verum hæretici homines eorum non reminiscuntur, quæ ipsis non placent; quæ sane ea omnia sunt, quæ aut Vulgatæ translationem, aut fidem rectam confirmant.

Ambros.

Hesych.

Homer.

Gaudij verò, seu *gratia*, nomine aliqui intelligunt electionem ad gratiā. Anselmus vero, & Primasius ipsum præmium futurum, & gaudium, de quo seruo fideli dicitur: *Intra in gaudium Domini tui*. Reliqui verò Patres cum Chrys. & Theoph. & recentiores interpretes, præsertim Iustinianus, Cornelius, Estius, gaudium, siue gratiam à Paulo vocari existimant vincula, & tribulationes, quas pro Christi Euangelio sufferebat: cuius gratiæ Philippenses, vt vidimus, consortes, & comparticipes cum Paulo erant; illis siquidem donatum fuit, pro Christo non solum vt in eum crederent: sed vt etiam pro illo paterentur. *Vos cordi habeo*, (inquit Theophylactus:) *quia socij mihi, & participes estis huiusce modi gratia, hoc est, pressurarum, & compedum effectis. Curandum itaque diligentius, ne à nobis vos desciscatis in malis hisce, & in vinculis constitutis: quin potius adhibenda est diligentia, ne immunes tentationum reddamini, quas ob Euangelium ipsi subiuimus*. Sic ille. Quæ sane explicatio iis, quæ in actis, & à Iacobo dicūtur, omnino consonat: *Ibant namque Apostoli gaudentes* (Actuū 5. 41.) *à conspectu concilij, quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati*. Et Iacob. 1. *Omne gaudium existimate cū in varias tētationes incideritis*. 11.

Anselm.

Chrysost.
Theophyl.
Iustinian.
Cornel.
Estius.

Act. 5. 41.

Iacob 1.

Sed cur ex vinculorum, ac tribulationum participatione de perseuerantia, & salute Philippensium confidit Paulus? Respondet optimè Chrysostomus. *Nam qui vos fuerim expertus, optimeque omnium vos, & vestra benefacta norim, qui, vel tanto à nobis interuallo seiuncti omnem contentionem adhibetis, ne in calamitatibus à nobis seiungamini, sed periculorum, quæ pro Euangelio subeunda sunt, participes sitis, & procul positi nihil minus me ipso habeatis, qui in certamina ipsa descendi, æquum planè est, vt hæc relinquam testata*. Et paucis interiectis: *Hæc igitur initia fidem mihi faciunt vos vsque ad finem tales fore. Vix enim fieri potest, vt principium adeo splendidum extinguatur, atque euanescat, sed magnos quoque, ac præclaros exitus præstet*. Hæc ille. Similiter Ambr. *Nec aliud debuit de iis sentire, quos semper inflexibiles in Dei deuotione expertus est*: vbi tacitè Ambros. tribulationum meminit, dum inflexibiles illos dixit, translatione factâ ab incude, & malleo, à quo infirma, seu mediocriter 12.

Chrysost.

Ambros.

criter fortia domantur,& inflectuntur: fortia verò nequaquam se flecti sinunt,imò verò resiliunt.

13. Hæc pluſculum explicata confidentiæ rationem reddunt:nam per tribulationes iusti probantur,examinantur, perficiuntur, & quod plus est, imagini filij Dei conformes fiunt,hinc ad fidendum in electorum se numerum adscriptos esse, non inani, ac fallaci spe eriguntur. Sic disertissimè argumentatur

Rom. 5. 3. Paulus,& Iacobus,ille ad Roman. 5. 3. *Gloriamur in tribulationibus,scientes, quia tribulatio patientiam operatur;patientia autem probationem, probatio verò*

Iacob. 1. 2. *spem,spes autem non confundit.* Iacobus verò,cap. 1. 2. *Omne gaudium existimate fratres, cum in varias tentationes incideritis,scientes, quod probatio fidei vestræ patientiam operatur, patientia autem opus perfectum habet, vt sitis perfecti, & integri,in nullo deficientes.* Hæc Apostoli. Pro quorum commentario,& argu-

Chrysol. mentatione facta audi Chrysologum serm. 110. sic Pauli verba elucidantem: *Tribulatio, fratres,velut primam iusti viri concutit, & conturbat infantiam, sed cum inuenerit ista patientem,ad maiora adolescentem iam bonæ indolis tunc erudit.* Sic ille. Audi Isi-

Isid. Pel. dorum Pelusiotam lib. 3. epist. 26. *Præcedit coronam probatio,probationem victoria,victoriam afflictio,*

Bernard. *atque tentatio.* Ita Isidorus. Audi Bernardum serm. 17. in Psalm. *Qui habitat*, pulchrè ex iis Pauli verbis inferentem tribulationes semen gloriæ esse: *Prælibemus primitias gloriæ, gloriemur in spe gloriæ magni Dei. Non solum autem, sed vt dicam expressius,gloriemur in tribulatione,in ea siquidem spes gloriæ est, vide si non hoc ipsum docere voluit Apostolus, cum subiungit.* Quoniam tribulatio patientiam ope-

Gregor. ratur,&c. Hæc Bernard. Audi denique Gregorium lib. 10. Moral. cap. 22. alias 12. sic omnia hæc perstringentem. *Bonorum mens,quo duriora pro veritate tolerat, eo æternitatis præmia certius sperat; tanto namque in Deum spes solidior surgit, quanto pro illa quisque grauiora pertulerit.* Sic Gregorius.

14. Sed hac de re copiosior,si Deus dederit, redibit sermo ad vers. 10. capite 15. 3. vbi de societate passionum Christi Paulo sermo est. Nunc quare tribulationes suas tum gaudij,tum doni nomine compellarit, videamus. Sed prius nonnihil de eleemosyna, vt aliorum interpretum expositioni potiores partes deferamus.

ADNOTATIO I.

Tribulationes egregium Dei donum esse, quæ iustos in officio contineant, & peccandi licentiam intercludant.

1. SIbens omitto eam rationem,ob quam tribulationes Dei donum appellari solent, quod ipsis suorum errata Deus vindicet, ne in futurum sæculum reseruet,quod acrius puniat;nam in Paulo vix id locum habeat, de quo iure dixeris cum

Gregor Gregor. lib. 11. Moral. cap. 21. *In recto opere positus ex abundanti gratia meruit flagella sustinere.* Et statim: *Flagello enim Dominus non peccata studuit tergere,sed merita augere*:opportunius ergo tribulationem ex Pauli mente, *donum*, appellabis,quod pædagogi vice fungi soleat,dum iustos in officio contineat,ne cupiditatibus succumbant, & in maiusculas culpas,inanis præsertim gloriationis, prolaban-

Chrysost. tur,ita Chrysost. hom. 62. ad popul. tribulationem cum pueri pædagogo composuit his verbis: *Magnum est bonum tribulatio, & hoc ex nostris discimus filiis,nam absque tribulatione nihil discerent vtile,nos autem plus illis afflictionis indigemus:si enim illic passionibus quiescentibus illos muniunt:multo magis nos, & præsertim tantis detentos; sed nos potius pædagogos oportebit habere. A puerulis enim nunquam magna committuntur peccata:à nobis verò magna nimis: pædagogus autem noster tribulatio.*

Hinc si dubites, quî in hominis animæ, rei pretiosissimæ,formatione,quam,vel ethnici ipsi, diuinæ particulam auræ appellarunt,vilissimum carnis 2.
lutum appositum fuerit, & spiritualia terrenis,immortalia caducis admixta;scite respondet Nazianz. Nazianz.
summo id consilio à Deo factum, vt homo carne constans in ea tribulationibus vexaretur,ac veluti à pædagogo puer verberaretur,ne altiores,quam par est, haberet spiritus; sic enim Nazianz. orat. 2. in Pasch. hominis naturam describens: *Eorum quidem, quæ in terra sunt Regem; è cœlo autem imperium accipientem;terrenum,& cœlestem;caducum,& immortalem, medium inter magnitudinem, & deiectionem; eundem spiritū,& carnem; spiritum propter gratiam, carnem ob superbiam:illud,vt maneat,ac benefactorem suum concelebret;hoc,vt vexetur, ac vexatus commonefiat,& de magnitudine sibi placens erudiatur,ac coerceatur.* Cui adiungendus Isidor. Hispalen. lib. 3. Isidor.
sent. c. 1. sic inquiens: *valde necessarium est iustum in hac vita,& vitiis tentari,& verberari flagello,vt dum vitiis pulsatur,de virtutibus non superbiat;dum verò, aut animi,aut corporis dolore atteritur,à mundi amore restruatur.* Hæc Isidor.

Sed id non tam Gregorij, quam ipsiusmet Pauli 3.
sensus est, 2. ad Corint. 12. 7. dicentis: *Ne magnitu-* 2. Ad Cor. 12. 7.
do reuelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ, Angelus Sathanæ, qui me colaphizet: vbi illud ex Patribus Chrysost. Theophyl. Theodoret. Chrysost. Theophyl. Theod. Oecum. Anselm. Beda. Cyprian. August. Basil. Hieron.
Oecum. Anselm. & Beda ibi, Basil. in regul. fusius disp. c. vlt. Cypr. lib. de mortalit. Aug. in Psal. 130. Hieron. in c. 4. ep. ad Galat. certo certius videtur non esse sermonem de impuris carnis motibus, aut tentationibus castitati repugnantibus,sed potius de vexationibus corporis, aut hostilibus Iudæorum impugnationibus,vnde ex Græco proprie legas, *impactus est stimulus carni meæ.* Deinde expende illud, *datus*, quo innuitur tribulationes hasce doni loco Paulo impertitas,sane, *vt vexatus commonefiat,& de magnitudine sibi placens erudiatur,& coerceatur*; ita in primis Diadochus lib. de perfect. spiritual. c. 94. Diadoch.
sic capiens hæc verba de vinculis,& impugnationibus, quas à fidei hostibus perferebat: *Infirmitates vocat Paulus impugnationes inimicorum verbi Dei, quæ tunc,& sibi,& sanctis omnibus crebro accidebant, ne sicut idem Apostolus ait, excellentia reuelationum extolleretur,sed potius per summissionem in forma perfectionis perseuerarent diuinum munus persequentes, contemptus sancte custodientes.* Deinde August. in Ps. August.
130. præfatam pædagogi imaginem sic subindicās, *ne extolleretur vt iuuenis, colaphizatur vt puer*: nec minus luculenter Ambros. lib. 3. de virg. ad finem: *carnis stimulo gloriatur,quod sibi,ne extolleretur,prouisum est.Illecebrosa iactantia est,quam etiam Paulus veretur;lubrica,quæ etiam in Paulo cauetur, sed non iste facili mobilis casu, qui reuelationibus timebat extolli,& ideo quasi fortis athleta lætatur, quod vulnere corporis* (ecce etiam Ambrosium pro superius allata Ambros.
explicatione huius loci de laboribus Pauli, non de carnis stimulis) *animæ didicerat emere sanitatem.*

Vnde Aug. in Ps. 21. versans eamet Pauli verba, 4.
pulchrè expendit,quam aliter se gesserit Deus cum August.
Paulo,ac cum dæmonibus ab eo efflagitantibus, vt in porcos se intromittere liceret. Matth. 8. 31. cum Matth. 8. 31.
iis optata concesserit,Paulo verò carnis stimulum à se amoueri cupientem, id pernegauerit, nimirum,

quod cum Paulo,vt cum filio dilecto,cum dæmone verò,vt cum supellectili damnata ageret. *Non est exauditus Paulus,ad damnationem exauditus est diabolus,petiit Iob ad tentandum,& concessum est;dæmones petierunt se ire in porcos,& exauditi sunt. Dæmones exaudiuntur,Apostolus non exauditur; illi exaudiuntur ad damnationem,Apostolus non exauditur ad salutem.* Vides Paulum ad salutem afflictum,& vinculis compeditum,vide iam plures sæculi homines porcorum more viuentes,quod eximio hoc tribulationum dono à Deo non compescantur. Vnde dum subiungit Paulus: *Gloriabor in infirmitatibus*
Saluian. *meis*,sic infert Saluianus Massil.lib.1.de Prouident. *Si infirmitatem corporis appetendam sibi etiam Apostolus putat,quis sapienter euitat? Si fortitudinem carnis Apostolus metuit, quis rationabiliter fortis esse præsumit?*

5\.
Psal. 103.3. Confirmat hæc Vates Psalm. 103. 3. inquiens: *Extendens cœlum,sicut pellem,qui tegis aquis superiora eius.* Et primi quidem hemistichij sententia(qua affirmat iustos non mediocrem per tribulationem profectum facere)in alium locum transmissa;in secundo non obscurè innuit,tam id perfectionis incrementum,quam egregia Dei dona,vtputa mirificè Pauli reuelationes,tribulationibus,ac vexationibus potissimum asseruari, & ab irruentibus inanis gloriæ periculis defendi: vnde primo obserua per aquas in Scripturis vsitatissima metaphora tribula-
August. tiones significari. Deinde Augustinum,& alios legere:*Qui protegis aquis superiora eius:* vnde apertè his verbis idem,atque illis Pauli:*Ne magnitudo reuelationum extollat me,datus est mihi stimulus carnis*
Lucian. *meæ*:sensus cógruit,ad eum plane modum,quo Lucianus in imaginibus scite huic pene rei intentus pendit Dædalum,dum cereis(quod fabulæ ferunt) alis vectus super fluctus ferretur,non semel pennas aquis admonuisse,vt eis respersæ solis ardori resisterent. *Summis*,inquit,*alis remigauit fluctibus, easque subinde inspersit aqua, ne ardenti sole diffluerent. Sic enim ij, quibus morum est moderatio, amant eatenus super fluctus ferri;vt liceat semper pennas humefacere, ne soli eas dissoluendas tradant,tunc demum securè,& modestè volant.* Tandem si aduertis,vt *stimulus*,tribulationum à Paulo donum vocatur illo verbo,*datus*:ita à Dauide protectio,seu specialis tutela,*protegis*,inquit,*aquis*. His apposite congruunt,quæ Greg.
Gregor. lib.9.Moral.c.6.scribit. *Optima virtutis custos est infirmitas,vel pressurarum,vel tentationum, & sit certo moderamine,vt dum quisque sanctorum, iam quidem interius ad summa rapitur, sed tentatur exterius, ne desperationis lapsum,nec elationis incurrat;sicque cognoscimus in profectu,quod accepimus,in defectu, quid sumus, & sic subtilissima interni iudicij moderatione infra summa, & super infima in quodam medio anima*
Chrysost. *libratur.* Similia habet Chrysost.in id 2.ad Cor.2. *Persecutionem patimur,sed non derelinquimur.* Con-
Paschas. sentit Paschas.lib.3.in Threnos,itidem sub hoc sensu capiens illa dæmonis verba. *Pellem pro pelle, & vniuersa,quæ habet homo,dabit pro anima sua.* Iob.2. 4.quare prius adnotat pelles in Scriptura peculiarem Dei protectioné,qua Ecclesia munitur,adumbrare,vnde sic infert: *Ac si diceret,quando sanctum appetebat virum.Quid istum passioni,ac tentationibus dare retrahis? cum vniuersos sanctos tuos, quasi pellem pro pelle, quandoque daturus es in passionem, & vniuersa,quæ habent pro animabus eorum.*

6\.
Origen. Adstipulatur his Origenes hom. 27. in Numeros,vbi differens de aduentu filiorum Israel in Iebna,quam vocem ipse interpretatur,*dealbationem*,id est splendorem,qui perfectis viris ex cœlestium visionum claritate adueniat,scite perquirit, cur hinc in Ressa,id est,in visibilem tentationem venire dicantur: *Quid est hoc*,inquit, *quod quamuis grandes habeat anima profectus,tamen tentationes ab ea non auferuntur?* Respondet vero: *Quia velut custodia quædam,& munimen ei tentationes adhibentur. Sicut enim caro si sale non aspergatur,quamuis sit magna,& præcipua,corrumpitur:ita & anima,nisi tentationibus assiduis quodammodo saliatur,continuo resoluitur,ac relaxatur.Vnde cõstat propter hoc dictum esse,quod omne sacrificium sale salietur,inde denique est,quod & Paul. dicebat, & ex sublimitate reuelationum, ne extollar datus est mihi stimulus carnis meæ Angelus Sathanæ, qui me colaphizet.* Eadem pene scripsit Greg. lib. 3. Gregor.
Mor.c.17.ad hunc modum.*Vnde sancti viri cũ multa se proficere virtutũ prosperitate considerant,quodam dispensationis supernæ moderamine exerceri se etiam tentationibus exultant: quia tanto robustius acceptam virtutum gloriam custodiunt, quanto tentationis impulsu concussi infirmitatem suam humilius cognoscunt.*

Sed præfata Origenis similitudo facem præfert 7.
obscuræ visioni Ezech.47.10.vbi sic Propheta:*Plu-* Ezech. 47.10.
rima species erunt piscium eius,sicut pisces maris magni multitudinis nimiæ;subiicit,*in littoribus autẽ eius, & in paludibus non sanabuntur aquæ,quia in salinas dabuntur.* Et verò cum pisces vmbrã gerãt fidelium, de quibus scite Tertull.lib.de Bapt.*Pisciculi sumus,* Tertullian.
qui in aqua nascimur,nec aliter,quã in aqua permanendo,salui sumus. Deinde cum & maris aquæ humanam felicitatem,& rerum abundantiam significent, & de hac sic moneat August. in Ps. 85. *Quidquid* August.
ergo prosperum venit,fratres,magis metuendum est,quæ putatis prospera magis tentationes sunt; venit hereditas,venit copia rerum, abundat circumfluentia nescio cuius felicitatis,tentationes sunt istæ,cauete, ne vos ista corrumpant: optima præfatæ visionis explicatio est, quam adhibet Ludou.del Alcaz in c.22. Apocal.vt Alcaz.
inde moneantur fideles,ideo acerbis salis littoribus à Deo constringi,siue rerum aduersarum amaritudine exerceri,vt tribulationibus velut sale condiantur, ne debitos vnquam iustitiæ limites excedant, sed à vitiorum putredine incorrupti asseruentur.

Hac sane de causa tot sanctum illum Iobum tri- 8.
bulationibus vexatum fuisse,ex penitiori posteriorum capitum illius libri intelligentia,quæ persequi longum esset,optime deducitur. Vnde cum ipse ad Dominum tot plagarum, & ærumnarum dolore percitus dixit:*Numquid mare ego sum,aut cete,quia circumdedisti me carcere?* Iob 7.12.iure sub Domini Iob 7.12.
nomine respondeas ita prorsus se rem habere: nam cum magnus ille inter orientales esset,id est,maximis diuitiis,honoribus,liberis,amicis,omnique fortunæ supellectile floreret, non leuiter timendum fuit,ne tanquam cete,aut prægrandis piscis in prædulci aqua corrumperetur: ideo multo sale tribulationum,& plagarum condiri debuit.Vnde Ambr. Ambros.
lib 1.de pœnitent.cap. 13. dum illa Domini verba ad dæmonem,Iob 2.6.*Ecce in manu tua est,verumtamen animam illius serua*,ipse legit:*Ecce trado tibi eum, tantummodo animam eius custodi*: Bene pendit tribulationes sancto illi vere pro custodia,& protectione doni loco à Deo donatas fuisse, vnde post plura ita concludit: *Ruinam igitur solam facit sibi serpens,ideo serpenti traditur,qui à serpente elisus est, vt quem deiicit,hunc erigat,& fiat ruina serpentis hominis resurrectio.*

Quare componas,quæso, Iobum in sterquilinio 9.
diris calamitatibus cõflictatum,cum Adamo in paradiso florenti fortuna vtentem;deinde vide, quomodo vterque ab vxore ad malum pelliciatur: habuit enim & sanctus Iob suam Euam,quæ illum ad desperationem induceret.Ita August.in Psalm. 93. August.
Vxorem

Vxorem propterea reliquerat diabolus, & non occiderat, vt ipse haberet adiutricem, non vt maritus consolatricem. Meminerat enim, quod per illam Euam deceptus erat Adam, & necessariam sibi putabat Euam hanc. Accessit ad Iob illa tamquam Eua. Iam verò attende vtriusque discrimen, dum Adam ab vxore deceptus: Iob verò, quantumuis ab Eua sua ad malum titillaretur, victor euasit: sed quare? Nimirum, quia alter in paradiso delitiarum, alter in sterquilinio, & calamitatum cumulo erat. Audi August. citato loco. *Iob melior fuit in stercore victor, quā Adam victus in paradiso.* Similiter in Psalm. 34. de homine inquit: *Dico, victus in paradiso, victor in stercore: ibi victus est à diabolo per mulierem, hic vicit diabolum, & mulierem.* August.

10. Vnde intelliges cur secus se habuerit Christus cum Ioanne Baptista recenter nato, & dum in vincula coniectus erat; vt enim tunc diuino illum Mariæ ferculo portante, illuc quam primum se contulit, & apud illum per tres menses demoratus est, ita ipsum in carcere detentum, & afflictum, nec semel inuisisse legimus, sed Ioanne nuntios ad eū mittente, eosdemmet ipsum remisisse. Sane quia aliter, atque aliter in tribulationis, ac in prosperitatis tēpore cum suis se Deus habet: Ioanni quidem recenter nato, dum tota eius domus gratulationibus, gaudiis, felicitate repleretur, opus fuit, vt Assertor noster, qui, *adiutor in opportunitatibus*, id est, in prosperitatibus est, peculiariter adesset, vt ipsius præsentia Ioānes fulciretur, ne illi caput præ tāta prosperitate nutaret: at illi vinculis adstricto, odio Herodiadis vexato, multoq; tribulationū sale condito minime timendum erat, ne corrumperetur, ac iustitiæ limites aliquo modo excederet: quare non fuit necesse, vt à Domino, qui iam media tribulatione cum ipso erat, corporali præsentia inuiseretur. Vbi obiter pēde, quanta tribulationis vtilitas, quanta & dignitas sit, vt in Dei locum succedat, eiusque vices agat.

11. Hinc dum plerique impij principes bene valent, & florent, videas iustum, & sanctum Ezechiam lethali ægritudine affectum. 4. Reg. 20. 1. Isai. 38. 1. Quare? Respondet Hieron. in id Isai. *Ne eleuetur cor Ezechiæ post incredibiles triumphos, & de media captiuitate victoriam, infirmitate corporis sui visitatur, & audit se esse moriturum.* Cui rationi sic adstipulatur idemmet Rex in initio sui cantici: *Ego dixi in dimidio dierum meorum: Vadam ad portas inferi.* Quo in loco in Hebræo, vt etiam monet Hieron. *pro, in dimidio dierum meorum*, est, *in sanguine dierū meorum*, quam similitudinem vt magis explicarent LXX. pro iis verbis reposuerūt: *In excelso dierum meorum.* Vbi excelsa fortuna iusta similitudine cum sanguine, plus æquo in humano corpore redundante componitur. Is enim lethalem morbum ne afferat, anticipata medicina per venæ sectionem euacuandus est. Ita pene Gregor. 3. p. pastor. admonit. 12. *Admonendi sunt ægri, vt considerent, quanti sit momenti molestia corporalis, quæ & admissa peccata diluit, & ea, quæ admitti poterant, compescit.* Hæc ibi & plura lectu digna Greg. 4. Reg. 20. 1. Isai. 38. 1. Hieron. Lectio LXX. Gregor.

12. Firmat id Ps. 91. 16. nam vbi nos de iustis hominibus legimus: *Bene patientes erunt.* Titelmann. & alij, *beneficiis affectos.* Genebrard. Ians. & plures, *bene affectos, bene valentes, bona complexione, & habitudine præditos*, legunt. Quasi perinde sit, tribulationes, & labores pati, ac eo beneficio à Deo aliquem affici, vt animo bene valeat, & incolumis sit. Quā ad rem, vel gentilem Plinium, quem merito alicubi suauem appellat Hieron. audi lib. 7. epist. 26. *Nuper me cuiusdam amici languor admonuit optimos esse nos, dum infirmi sumus, quem enim infirmum; aut auaritia, aut libido solicitat? Non amoribus seruit, non appetit honores, opes negligit, & quantulumcunque, vt relicturus satis habet, tunc deos, tunc hominem esse meminit, inuidet nemini, neminem miratur, neminem despicit, ac ne sermonibus quidem malignis, aut attendit, aut alitur, Baligna imaginatur, & fontes; hæc summa curarum, summa votorum.* Et statim. *Possum ego, quod pluribus verbis, pluribus voluminibus Philosophi docere conantur, ipse breuiter tibi, mihique præcipere, vt tales esse sani perseueremus, quales nos futuros profitemur infirmi.* Adiunge Saluianum, lib. 1. de prouidētia, & gubernatione Dei: dum illud Pauli ad Galat. 5. *Caro concupiscit aduersus spiritū, & spiritus aduersus carnem, hæc enim sibi inuicem aduersantur, vt non quæcumque vultis, illa faciatis*; sic tractat. *Non imprudenter quidam hoc loco dixit, quid si repugnante corporis fortitudine, quæ optamus facere non possumus? Infirmandum nobis sit carne, vt optata faciamus: infirmitas enim carnis, inquit, vigorem mentis exacuit, vt affectis artubus vires corporum in virtutes transferantur animorū. Non turpibus flammis medulla æstuent, nō male sanam mentem latentia incentiua succendant, non vagi sensus per varia oblectamenta lasciuiant, sed sola exultet anima læta, corpore affecto, quasi aduersario subiugato.* Psal. 91. 16. Titelm. Geneb. Iansen. Plinius. Saluian. Galat. 5.

13. Hæc omnino vera esse absimilis Oziæ Regis euentus 2. Paralip. 26. suadet. Sic enim de illo sacer textus: *Cum potens esset, elatum est cor eius.* Quæ verba sic expendit Chrysost. homil. 3. de Ozia, tom. 1. *Nec enim hoc modo nos docuit, quod fuit elatum cor eius, verum addit unde fuit elatum*, cum potēs esset, *inquit*, elatum est cor eius. *Non ferebat principatus magnitudinem, sed quemadmodum ex educitate nascitur ignea inflatio, ex inflatione gignitur febris, deinde ex febri plerumque mors: itidem & hic ex rerum abūdantia nata est superbia: nam quod in corporibus est inflatio, hoc in animis est superbia.* Vides quam opportunè huic regi vena pertunderetur. Quò it obseruatio Tertull. lib de patientia, cap. 13. in illa structura verborum Pauli, 1. ad Corinth. 13. *Charitas patiens est, benigna est; charitas non inflatur, non agit perperam*, quæ ipse legit, *non proteruum sapit*, dum ipse ait: *non proteruum sapit, modestiam de patientia traxit.* 2. Paral. 26. Chrysost. Tertull. 1. Ad Cor. 13.

14. Vtrumque quidem Regum Ezechiæ, & Oziæ euentum visus est habere ante oculos Regius Vates, Psalm. 40. dum de homine iusto, & perfecto inquiens. *Beatus vir, qui intelligit super egenum, & pauperem, in die mala liberabit eum Dominus:* Subdit statim rationem, ac modum, quo eum sit liberaturus: *Vniuersum stratum eius versasti in infirmitate eius.* Vbi, *Strati* nomine ea omnia intelligens, in quibus paululum quiescere, & tantisper hærere licita delectatione iustus possit, absolute inquit peculiari Dei dono, iis omnibus admisceri tribulationes, & ægritudines, ne in illis iustus plus æquo conquiescat, & à vero iustitiæ tramite paulatim seducatur. Ita ibi disertissime August. *Ad innocentem hominem veniamus, acquiescit in domo sua, in familia sua, in coniuge, in filiis, in paupertate, in prædiolo suo, in nouella manibus suis consita, in ædificio aliquo suo studio fabricato. Acquiescunt innocentes in his, sed tamen Deus volens nos amorem non habere, nisi vitæ æternæ, & istis velut innocentibus delectationibus miscet amaritudines, vt & in his patiamur tribulationes, & vniuersum stratum nostrum vertit in infirmitate nostra.* Psalm. 40. Aug. ibi.

15. Nec omittenda, quæ idem August. in hanc sententiam sic habet lib. 1. de ciuit. Dei, c. 33. tom. 5. dum vehementius obiurgat Romanos, quod calamitatibus à Deo affecti, vt in officio continerentur, illi neglecta vtilitate tribulationum ad sodalitium theatrorum, quibus peiores efficerentur, conuolarent. *O mentes, amentes! quis est hic tantus non error, sed furor,* August.

vt ex-

vt exitiũ vestrum, sicut audiuimus, plangentibus orientalibus populis, & maximis ciuitatibus in remotissimis terris publicum luctum, mœroremque ducentibus, vos theatra quæreretis, intraretis, impleretis, & multo insaniora, quam antea erant, faceretis? Et post nonnulla, in quibus Scipionis consilium Romanis bella potius, quam theatra optantis commemorat, subdit: *Volebat vos ille Scipio terrere ab hoste, ne in luxuriam flueretis, vos nec contriti ab hoste luxuriam repressistis; perdidistis vtilitatem calamitatis, & miserrimi facti estis, & pessimi permansistis.* Hæc August. Nostro etiam importuno sæculo satis opportuna.

ADNOTATIO II.

Nihil honorificentius, aut illustrius esse, quam pro Christo tribulationes, & dura quæque perferre.

1. ILLA subinde affinis superiori ratio, cur tribulationes à Paulo *donum* appellentur, afferri poterat: quod egregios per ipsas iusti in virtute profectus faciant: At enim verò quoniam ea de re, & ad librum Sapientiæ plura dedimus, & hac etiam epistola itidem non semel commodius redibit sermo, hanc modo pro illa rationem substituere placet, quod dignius nihil, nihil illustrius excogitari queat, quam vincula, & tribulationes pro Dei honore perpeti, atque ideo hæc non tribulationum, aut pressurarum, sed munerum nomine compellari debeant. Expressit id enucleatissimè Apostolorum Princeps

1. Pet 4. 14. epist. 1. c. 4. 14. dum ait: *Si exprobramini in nomine Christi, beati eritis; quoniam quod est honoris, & gloriæ, & virtutis Dei, & qui est eius spiritus, super vos requiescit.* Vbi primò obserua non esse Petro sermonem de futura vita, quam beatam in cœlo polliceatur; sed de amplissimis ornamẽtis, quæ in hac etiam mortalitate consequuntur, qui pro Christo patiuntur persecutionem. Vnde, & in Græco fonte abest

Tertull. Cyprian. futurum illud, *eritis*, solumque est, *beati*, & Tertull. aduers. Gnost. c. 12. & Cyprian. de exhortat. Martyr. cap. 9. & epist. 56. legunt, *beati estis*. Vt ea pene sen-

Senec. tentia sit, ac illa Senec. lib. de Prouid. cap. 4. *Auida est periculi virtus, & quò tendat, non quid passura sit cogitat. Quoniam, & quod passura est, gloriæ pars est. Militares viri gloriantur vulneribus.*

2. Iam pende singillatim Petri verba, & primum illa. *Quod est honoris, & gloriæ, & virtutis Dei.* Quæ

Cyprian. præfato loco legit Cyprian. *Quia maiestatis, & virtutis nomen*, & quouis modo sumas, egregiam emphasim in hanc rem habent, nec aliud sonant, ac si apud nos diceretur: *Lo fino de la honra, lo magestuoso:*

Græca lectio. Quo facit Græca lectio sequentis hemistichij. *Spiritus gloriæ*, id est, vera, & animata gloria, ac si reliqui honores, & ornamenta, non vera, sed ementita, siue emortua gloria censeri debeant præ honore

Ad Gal. 6. 14. crucis Christi. Hinc illud Pauli ad Galat. 6. 14 *Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi.* Vbi notetur ille dicendi modus. *Mihi autem absit:* Est enim dicere. Absit, vt alia mihi gloria sit, nisi quam præsefert crux Christi: vnde Au-

August. gust. serm. 20. de verb. Apost. sic premit hæc verba: *Poterat Apostolus gloriari in sapientia Christi, & verum diceret; poterat in maiestate, poterat in potestate, & verum diceret; sed dixit in cruce; vbi mundi Philosophus erubuit, ibi Apostolus thesaurũ reperit.* Sed qua-

Cyril. re? Respondet Cyrill. Hierosolym. catech. 13. *Gloriatio sanè Ecclesiæ Catholicæ est omnis Christi actio, gloriatio verò gloriationum est crux, quod sciens Paulus,* mihi, *inquit*, absit gloriari, nisi in cruce, &c. Ita Cyrill. Ac si diceret, ideo non gloriatur in sapientia, in maiestate, in potestate, quia quidquid est honoris & gloriæ, & maiestatis, & virtutis nomen in iis, cumulatissime in cruce reperitur, quæ gloriatio gloriationum est: vnde Chrys. in Ps. 130. versans eadem Chrysost.
verba ad Galat. emphaticè dixit. *Qui in cruce Christi non gloriatur omnium insipientissimus est.* Ac si dixerit, nullam illi veræ gloriæ scientiam, aut gustum esse: ita Drog. de Sacram. Dom. Passio. *Crux gloria* Drog.
tua, qui erubescit crucem tuam, erubescit gloriam tuam, Mihi absit gloriari, &c.

Firmat hunc sensum, quod subdit Petrus: *& qui* 3.
est eius spiritus, super vos requiescit. Vbi Syra lectio plus exprimit, dum ait. *Quoniam spiritus Dei gloriosus requiescit super vos.* At quis Dei spiritus, isque gloriosus? qui & requiescere super iustum de more habeat? Ego quidem Dei spiritum non noui, nisi Deum Spiritum sanctum, tunc verò gloriosum se extrinsecus exhibuisse crediderim, cum super Christum crucem, & mortem patientissime perferentem requieuit. Qua in re fideiussores habeo Tertull. & Tertull.
Cyrill. Hierosolym. Prior enim lib de Patientia c. 3. mitissimum Christi genium ex Isaia 42. describens subdit. *Nec enim mentitus fuerat Propheta, imò ipsius Dei contestatio spiritũ suum in Filio, cum tota patiẽtia collocantis.* Vbi vides Dei spiritum patientiæ, & laborum perpessioni connexum. Iam id quam sit gloriosum egregiè ostendit Cyrill. catechesi 13. Cyrill.
sub hoc sensu capiens ea Christi verba, Ioan. 12. 13. Ioan. 12. 13
Venit hora, vt clarificetur filius hominis, quæ ipse legit. *Nunc glorificabitur filius hominis:* ad hunc modum. *Non quod prius non haberet gloriam, glorificatus enim erat gloria ante mundi constitutionem; sed glorificabatur, tanquam Deus semper; nunc verò glorificatus est patientiæ ferens coronam.* En spiritum Dei gloriosum, qui super iustos, & præsertim super ipsorum Antesignanum Christum requiescit.

Quare rursus expende præfata verba ad Galat. 6. 4. Ad Gal. 6. 14.
14. *Mihi absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi:* & cum ibi Apostolus agat de tribulationibus, ærumnis, plagis, & carceribus, quæ tolerabat, iure dubites, cur non dixerit gloriari se in cruce *sua*, sed in *cruce Christi*? sicut alibi dixerat: *Placeo mihi in infirmitatibus meis, in contumeliis, in necessitatibus, in persecutionibus, in angustiis pro Christo*, 2. ad Cor. 12. 2. Ad Cor. 12. 10.
10. vbi eadem, de quibus, in verbis ad Galatas gloriatur, infirmitates suas non Christi appellat. Sed ad manum est responsio, ideo Paulum infirmitates, & labores, quos perferebat, crucem *Christi*, non *suam*, appellare quod non ob propria peccata, sed ad modum Christi pro Dei honore & religione pateretur: ita ad ea verba Hugo de S. Victore in allegoriis Hugo de S. Vict. in allegor. Gotfridi ad cap 6. ad Galat.
Gotfridi Tilm. *In cruce Christi gloriatio, in cruce dextri latronis consolatio; in cruce sinistri cõfusio; in prima, pœna sine culpa, & post glorificatio; in secunda pœna pro culpa, & post remissio; in tertia, pœna pro culpa, & post damnatio. Dicunt homines quando pœnam sustinent, si meruissemus non erubesceremus; nunc autem iniustè pati ignominiosum est nobis. Obloquium videtur, imò si pro culpa pateris, erubesce, si sine culpa, gloriare, latro magis esse vis, quam Christus?* Hæc Hugo. Iure ergo Paulus, & tribulationes suas Christi crucem appellat, & in ea vsque ad summum gloriatur: ac si dixerit: Quid mihi gloriosius, honorificentiusve esse possit, quam eidemmet Christi cruci affigi, vt spiritus Dei gloriosus super me requiescat?

Nec abs re fore crediderim Senecæ locum cum his Pauli verbis componere, lib. de Prouid. c. 3. vbi cum egregium illum Regulum diros pro Rep. cruciatus apud hostes perferentem, è regione Mœcenatis, qui vt plurimum apud Augustum gratia valebat, ita nimia felicitate enervatus, formosæ vxoris quotidiana

quotidiana repudia indesinenter flebat, sic posuisset. *Figunt autem claui, & quocumque fatigatum corpus reclinauit, vulneri incumbit, & in perpetuam vigiliam suspensa sunt lumina. Feliciorem ergo tu Mæcenatem putas, cui amoribus anxio, & morosæ vxoris quotidiana repudia deflenti somnus per symphoniarum cantum ex longinquo lenè resonantium quæritur? Mero se licet sopiat, & aquarum fragoribus auocet, & mille voluptatibus mentem anxiam fallat, tam vigilabit in pluma, quàm ille in cruce.* Hinc ita concludit. *Sed illi* (Regulo) *solatium est pro honesto dura tolerare, & ad causam à patientia respicit, hunc voluptatibus marcidum, & felicitate nimia laborantem magis his, quæ patitur, vexat causa patiendi.* Hæc Seneca. Apud quem pro sententia Pauli gloriantis se in cruce Christi merito obserues illud: *Quantò plus tormenti, tantò plus erit gloriæ*, necnon, *solatium est illi pro honesto dura tolerare.* & pro allata expositione Hugonis hæc extrema, *ad causam à patientia respicit.* Quod si gentili licuit dicere gloriosum esse pro honesto (quod ipse somniabat) dura tolerare, quantò fuerit gloriosius, & magnificentius pro Deo viuo, & pro iustitia crucem, & tribulationes perferre?

6. Sed quod dixit Seneca: *Ad causam à patientia*
Psalm.42.1. *respicit*, nihil dissonat locutioni Dauidis, Psal. 42. 1. *Iudica me Deus, & discerne causam meam.* Ibi enim sub persona Martyris videtur efflagitare Vates; vt eadem sit illi pœna cum impiis, at dispar cruciatus causa, vt quemadmodum hi in suppliciis suis erubescũt, ita ille in cruce Christi glorietur, quasi Laurentij nomine dixerit, libet viuum cremari, vt crematur hæreticus, dummodo nõ quia hæreticus, sed quia confessor Christi: ita ferè ad id loci Aug. *Nunc interim in hac peregrinatione nondum discernis locum meum, quia simul cum zizaniis viuo vsque ad tempus messis. Nondum discernis pluuiam meam; nondum discernis lucem meam*, Discerne causam meam. *Distet inter eũ, qui in te credit, & inter eum, qui in te non credit. Par infirmitas est: sed dispar conscientia; par labor, sed dispar desiderium.* Similiter aduersus Donatistas, qui de persecutionibus suis gloriabantur, sic loquitur, lib. 2. cont. Gaudentij epist. c. 12. *Rectè ista dicerentur à vobis quærentibus Martyrum gloriam, si haberetis Martyrũ causam. Nõ enim felices, ait Dominus, qui ista patiuntur, sed qui propter filiũ hominis patiuntur.* Consentanea epist. 50. & 61. eiusdem Aug. & ex Chrysost orat. 1. cont. Iudæos dabimus ad vers. 29.

August. in Psalm. 42. — *August.*

7. Redeo ad spiritum Dei gloriosum, qui super Christum requieuit. Et verò, vt plura à nobis ea de re afferenda sint ad c. 2. vers. 9. & 10. adnotat. 4. illud modo non differam, ipsi eximij doni loco, & quasi in mercedem (loquimur humano modo) cõditi orbis, dum ipse Patris dextera ad mũdi molem exprimendam dicitur, à summo parente crucẽ fuisse donatã: de quo ita Paulus ad Hebr. 2. 9. *Videmus Iesum propter passionem mortis gloria, & honore coronatum.* Vbi crucem gloriam appellat: sic Chrys. ibi hom. 4. *Ostendit, quod crux sit honor, & gloria, quomodo quidem certè, & ipse eam sæpe vocat dicens, vt glorificetur filius hominis.* Subdit rationem Apostolus. *Decebat enim eum, propter quem omnia, & per quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat, auctorem salutis eorum per passionem cõsummare.* Verum obserua primum, Athanasium lib. de Incarn. Verb. & in disp. in Conc. Nicæn. sic legere hæc verba, vt vndequaque ad Christum pertineant ad hunc modum: *Decebat enim eũ, per quem omnia, & ex quo omnia, multos filios in gloriam adducentem, cum princeps, auctorque salutis eorum esset, passionibus consummari.* Deinde verbum, *consummare*, siue actiue, siue passiue sumatur, explicari ab eodem Athanas. siue ab eo, qui auctor est

Ad Hebr. 2. 9. Chrys. hom. 4. in ad Heb. — *Athanas.*

quæstionũ ad Antioch. quæst. 119. *Perfectum, & gloriosum reddi.* Hinc is resultat sensus, vt velit Paulus maxime conueniens, dignumq; fuisse, vt is, propter quem glorificandũ Deus omnia creauit, quique in orbis conditione Patris dextera, & brachiũ extitit, summa hac, & inenarrabili gloria afficeretur, vt pro Dei honore crucẽ subiret. Vbi vides crucem, mortemque pro Deo toleratã, non modo totius honoris culmen, & columen esse, sed etiam veluti infinitæ mercedis, & gratitudinis testimoniũ: ideo Paulus nõ fuit contentus de Christo dicere, propter quẽ omnia, nisi etiam adderet, & per quem omnia, vt crux & ad gloriam, & ad gratitudinẽ conduceret. Ita pene Chrys. ibi. Nam cum dixisset: *Fecit, quæ digna erãt sua benignitate, quod omnibus illustriorẽ fecerit primogenitũ.* Subdit post nõnulla: *Si ergo Deus hoc primum eum honorauit, quod per passiones deduxerit; carnem suscepisse, eaque suscepta passum esse, est longè maius, quam re vera mundum fecisse, & ex nihilo produxisse.* *Chrys. hom. 4. in ad Heb.*

Hinc commode, absque ironico sensu, quem alij interpretes reddunt, capies illud Christi de pretio, quo à traditore fuit diuenditus, Zachar. 9. 12. *Proiice illud ad statuarium, decorum pretium, quo appretiatus sum ab eis.* Nam ex Hebræo sic legit Pagnin. *Proiice illos ad thesaurarium, ad magnificentiã gloriæ, qua appretiatus sum.* Hieronymus verò, Rupertus, & alij interpretes per statuarium intelligũt Deum rerum omnium formatorem, & æstimatorem. Vnde id fuit dicere solum Deum, qui verus rerũ æstimator est, digne potuisse expendere, quam fuerit decorum, atque magnificum Christo, minimi ob Patris gloriam ab hominibus fieri, atque vt vilissimum mancipium diuendi, atque ideò ad magnificẽtiam gloriæ id pretium in cœlestibus thesauris asseruari oportere. Sane Matth. 27. 9. vbi de hoc eodem pretio ex Ieremia (vnde locus non disputo) dicitur: *Et acceperunt triginta argenteos pretium appretiati*: lectio Syriaca, Græcæ assecla, emphaticè habet, *pretiũ illius honorandi*, ac si appositiue dicatur pretium, quo maxime honorãdus est is, quem Dominus vult honorare. Qua mente imbutus venerab. Petrus Cellens. lib. 1. mysticæ expositionis tabernaculi cum Christum cum tabernaculo componens, dixisset: *De auro purissimo fit, quod igne clarescit, malleo proficit, passione dulcescit, morte virescit, contumelia mansuescit, paupertate affluit*: tandem subiicit, *& in pretio omni pretio pretiosius elucescit.* 8.

Matth. 27. 9. — *Lect. Syr.* — *Pet. Cellens.*

Confirmat id Chrysost. hom. 5. de Iob tom. 1. sic premens illud Christi ad Patrem, Ioan. 17. *Clarifica me Pater*, vt ex crucis gloria augustior, ac splendidior patrius thronus, (quoad externam claritatem, & manifestationem intellige) sit redditus; cum enim ille dixisset: *Quid dicis? Ad crucem duceris cum latronibus, tumulorumque fossoribus maledictam sufferre mortem, conspuendus, cædendus colaphis, & hæc gloriam appellas? Ita inquit, pro dilectis ipse patior, meritoque hæc eadem gloriam existimo.* Sic statim infert. *Si enim Dominus meus miseros, & ærumnosos amans gloriosam rem vocat, etiam id patrio throno magis adiicit gloriæ, multo ipse magis hac gloriã existimare debeo.* Vbi patrium thronum ex Christi cruce maiori gloria conspicuum bifariam capio. Vno modo, vt, sensu dicto, Vnigenitus Dei per crucem, & passionem suam humanis mentibus splendidius illuxerit, vt ad c. 2. vers. 9. latius tracto. Altero; vt is gloriæ, & honoris thesaurus Christo Domino ob crucem obtigerit, vt ex ipso præter egregiam nomini suo claritatem adscriptam ingens gloriæ cumulus superfluxerit, quem in Patrem gratus Filius refuderit, & donanti redonauerit; vide, quæ dicemus ad cap. 2. vers. 11. iuxta lectionẽ Græcam: *Quod Iesus est Dominus ad* 9.

Chrysost. Ioan. 17. — *Chrysost.*

ad gloriam Patris. Sic etiam alibi dixit idem Chryſ. præferens gloriam crucis claritati Tranſfigurationis: *ibi* (de Tráſfiguratione loquitur) *accipis gloriam à Patre; hic* (in cruce) *Pater accipit gloriam à te.*

10. Sed vt propius ad *donum*, ſiue ad vincula Pauli, & tribulationes, in quibus tantopere gloriabatur, accedamus: ſane hæc ipſi, vt egregia ornamenta, à

Cant. 1. 10. Chriſto promittuntur. Cantic. 1. 10. *Murenulas aureas faciemus tibi vermiculatas argẽto.* Vbi in primis ex meliorum interpretum expoſitione murenulæ ſunt ornamentũ colli, quod propriè dicas torquem, aureamque catenam; ſingulare nobilitatis, & hono-

Gen 41. 42. Iud 8. 26. Prou 1. 9. Dan 5. 7. LXX. ris inſigne, Geneſ. 41. 42. Iud. 8. 26. Prou. 1. 9. Dan. 5. 7. & alibi. Deinde pro his verbis LXX. habent. *Similitudines auri faciemus tibi.* Sed non explicãt quarum rerum ſint iſtæ ſimilitudines. Vnde alij columbarum, alij turturum eſſe putant. Ego verò, ne diuinare videar, crediderim ſimilitudines auri ſumi pro ornamentis, quæ ſint ſimilia ipſi auro. Sed qua ra-

Tertull. tione? Audi Tertull. de habit. muliebr. ſic de auro diſſerentem: *Terra nomen in igne reliquit, atque ex inde de tormentis ad ornamenta, de ſupplicijs in delitias, de ignominijs in honores, metalli refuga mutatur.* En ſimilitudines auri Sponſæ, ſiue Paulo promiſſæ, nimirum vt de tormentis ornamenta, delitias, & honores ſibi pararet. Vis id enucleatius accipere? Subdit Salomon. *Vermiculatas argento*: vbi LXX. apud Philonem Carpathiũ: *cum varijs notis*, ſiue, *ſtigmatibus argenti.* Quæ verò hæ notæ, ſiue ſtigmata ſint, dilucide explicat Paulus, dum ad Galat. 6. 17. ait: *Ego enim ſtigmata Domini Ieſu in corpore meo porto.*

Philo in id Cant tom 1. Bibl. vet. Patr. Ita ibi idem Philo his verbis: *Nam quod de Martyribus intelligat, vide notas argenti, ſeu puncta, ſiue ſtigmata eſſe appoſita poſt aurum: quæ quidem ſtigmata, ac notæ, flagella, ac tormenta pro Chriſto Ieſu paſſorũ apertiſſime declarant. Quod & Paulus cõfirmat, cum dicit,* Ego enim ſtigmata Domini noſtri Ieſu Chriſti in corpore meo porto. Ergo flagella, vibices, & plagæ Pauli corpori inflictæ regius illi torques, & ſummæ dignitatis inſigne eſt, in quo merito glorietur: vnde ipſe emphaticè dixit: *porto*; vt ſic ibi adno-

Chryſ. in c 6. ad Galat. 1. tauit Chryſoſt. *Non dixit habeo, ſed porto, tanquam aliquis de trophæis glorians, ſignisque regalibus.*

11. Chryſoſt. Certe idem Chryſoſt. hom. 9. in c. 4. ad Epheſ. auguſtiorem, & magnificentiorem ſibi eſſe Pauli catenam, quam regiam pompam, atque ornamenta, ſic affirmat. *Magna eſt vis catenæ Pauli, ſufficit pro omnibus hoc ſpectaculum. Paulum videre vinctum, & educi è carcere, videre vinctum, & intus ſedentem: qua voluptate non eſt hoc maius? quo pretio rem non æſtimauerim? Non videtis Reges, & Conſules curru geſtari, & aurum geſtare, & ſatellites omnia habentes aurea; aureas lanceas, aureos clypeos, equos aureis ornatos ephippijs? Quantum eſt hoc ſpectaculum illo iucũdius? Mallem ſemel videre Paulum è carcere exeuntem cum vinctis, quam millies illos deductos cum illa ſatellitum ſtipantium caterua.* Hactenus Chryſoſt. ibi. Verum alio in loco plus rem auget ipſiſmet paradiſi gaudiis, & honoribus Pauli vincula longe anteferens.

Idem hom. 5. de Iob. to. 1. Audi eum hom. 5. de patientia Iob, tom. 1. *Non enim ſic dico beatum, quod tertium vſque ad cælum, & in paradiſum raptus eſt, quemadmodum quod in vincula conectus ſit; non enim beatum dico, quod audierit arcana verba, quemadmodum quod vincula ſuſtinuerit; etenim hæc illis longè maiora; eligibilius namque mihi eſt malle pati pro Chriſto, quam honorari pro Chriſto.*

Hieron. Conſentanea habet Hieron. in titulo epiſt. ad Philem. vbi dum Paulus non Apoſtolum, ſed vinctum Chriſti ſe nominat, maioris inquit ſupercilij id eſſe, quam Apoſtolatus mentionem facere.

12. Quod ſi in præfato Cant. loco pro, *murænulas aureas*, legas cum Pagnino *margaritas aureas*; vincula apprimè exprimis ex S. Ignatio Martyre epiſt. ad Epheſ. eo nomine vincula ſua ſic compellans: *Is* (Chriſtus) *mea gloriatio, & denique indeficientes meæ diuitiæ, in quo vincula à Syria ad Romam vſque circumfero, ſpirituales margaritas.* Cuius veſtigia premẽs Cyprianus martyres ſic alloquitur: *Impoſuerunt quoque compedes pedibus veſtris, & membra felicia, & Dei templa infamibus vinculis ligauerunt, quaſi cum corpore ligetur & ſpiritus, aut aurum veſtrum ferri contagione maculetur: Dicatis Deo hominibus, & fidẽ ſuam religioſa virtute teſtantibus, ornamenta ſunt iſta, nõ vincula: nec Chriſtianorum pedes ad infamiam copulant, ſed clarificant ad coronam.* Certe hac ratione ad confeſſorum vincula, dum in carcere detinebantur, oſculanda, primæuos Chriſtianos, nonniſi proſtratos, ac reptantes, tanquam ad rem ſacram acceſſiſſe abunde diſcimus ex Tertull. lib. 2. ad vxorem, vbi Pamelius plures patres in eum congerit. S. Ign. M. Cypr. epiſt. 15. ad martyres. Tertullian. Pamel. ibi.

13. Sed minora ſunt hæc, cum ipſimet cœleſtes ſpiritus glorioſa martyrum certamina, non modo auidiſſime aſpiciant, ſed demiſſis etiã oculis quodammodo ſuſpiciant, ac reuereãtur. Sic enim Petr. epiſt. 1. c. 1. 12. *Vobis autem miniſtrabat ea, quæ nunc nunciata ſunt vobis per eos, qui euangelizauerunt vobis Spiritu ſancto miſſo de cælo, in quem deſiderant Angeli proſpicere.* Sed obſerua duo: alterum Græce, & Syriacè pro, *in quem*, haberi, *in qua*, vt ex pulchra expoſitione Patris Iuſtiniani, & Lorini ſermo ſit de glorioſis Martyrum certaminibus, quæ Angeli aniſſime ſpectare concupiſcant, eo modo, quo dixit Cyprianus epiſt. ad Thibaritan. *Præliantes nos, & fidei congreſſione pugnantes ſpectat Deus, ſpectant Angeli eius, ſpectat & Chriſtus, quãta eſt gloria dignitas, quãta fælicitas, præſente Deo congredi, & Chriſto iudice coronari?* Alterum Græcum verbum παρακύψαι, propriè ſignificare demiſſis oculis in rẽ aſpicere; quaſi ea ſit paſſionũ Chriſti gloria, vt eas Angeli nonniſi demiſſis oculis præ reuerentia, & veneratione intueantur. 1. Pet. 1. 12. Cyprian.

14. Hinc Spõſa varijs tribulationibus diuexata, Cantic. 2. 2. cum lilio pulcherrimo, & in ſceptri formam conſurgente, ſic componitur: *Sicut lilium inter ſpinas, ſic amica mea inter filias.* Vbi Chaldæa Paraphraſis de tribulationibus, ac tormentis, ſic expreſſe accepit: *Cõparata ſunt roſæ, quæ germinat inter ſpinas, à quibus perforantur, & rumpũtur folia eius.* At quam egregiam claritudinem, & gloriam lilij imago præſefert? Audi Chriſtum, Matth. 6. 29 *Nec Salomon in omni gloria ſua coopertus eſt ſicut vnum ex iſtis*, vbi, *Rex opulentiſſimus* (verba Ambr. lib. 3. Hexamer. c. 8.) *& ſapientiſſimus inferior iudicatur, quam huius floris pulchritudo eſt.* Et dic tu iis, qui pro Chriſto vincula, & tribulationes patiuntur. Ita præfato loco Cyprianus ad Martyres in carcere toto anno detẽtos: *Eant nunc Magiſtratus, & Conſules, ſiue Proconſules, & annuæ dignitatis inſignibus, & duodecim faſcibus glorientur. Ecce dignitas cœleſtis in vobis honoris annui claritate ſignata eſt, & iam reuertentis anni volubilem circulum victricis gloriæ diuturnitate tranſgreſſa eſt.* Ad quem etiam modum ſcriptor vitæ S. Fulgentij, qui ipſius diſcipulus eſſe creditur, cum c. 11. enarraſſet beatum illum pro Chriſti fide crudeliter ab impio Arrij miniſtro vna cum ſocio Felice diuerberatum, ſubindeque abraſis per cõtumeliam capillis, ablatiſque veſtimentis, nudos ludibrio, & ignominiæ expoſitos, fuiſſe eiectos, ſcite ait: *Sed nec illa decaluatio viris ſanctiſſimis turpitudinem, nec nuditas attulit cõfuſionem, quia tolerata propter amorem religionis iniuria, prima iam confeſſionis decorauerat ornamento.* Ac ſi diceret, quonam modo indecori, aut nudi videri poterant, qui regio tribulationis amictu, Cant. 2. 1. Chald. Matt. 6. 29 Cypr. ſupr.

amictu,splendentique plagarum, quas pro Christo pertulerant, purpura iam ante circumornati erant.

15. Cant 4.3. Beda ibi. Adsimilis locus, Cant. 4.3. dum sponsæ genæ, quæ Bedæ,& aliis interpretibus Martyres adũbrant, fragmini mali punici comparantur: *Sicut fragmen mali punici, ita gena tua. Ostendit*(inquit Beda) *colorem puniceum*(Ecclesia) *in genis, cum prima,& eminentiora eius membra, id est, Martyres sancti sanguinem fundunt pro Christo.* Sed cum Martyres cũ malo punico,corona ornato componũtur,quid aliud quam regia eorum dignitas, & ornamentum designatur? Nyssen. ita Greg Nyss.li.de Beatitudinibus,ad finem,sic inferens. *Ergo si sui iuris est is,qui à peccato alienus est, ac regni proprium est merum imperium,summaque ac plena,nulliusq; alterius arbitrio obnoxia potestas,consequenter beatus iudicatur,qui à malo pellitur,ac persecutionem patitur, quippe ea persecutione regiam dignitatem ei conciliante.* Quam ad rem mirifice facit, quod de illustri Christi martyre refert Naziãz.orat. 3.quæ est 1.aduersus Iulian.nimirum in altum supplicij,& ignominiæ causa sublatum vehemẽter gauisum,atque gloriatum fuisse,dum se sublimem,& excelsum,ceteros verò humi repentes considerauit, Nazianz. sed iuuat audire Naziãz. *Ipso interim sporta in altum sublato,melle, & iusculo vndique perfusus,apibus, & vespis meridiano tempore pungebatur,ardentissimo sole lucente,atque huic quidem carnes colliquante,illis autem beatarum illarum carnium(non enim dixerim miserarum)esum acriorẽ efficiente. Hic enim verò,vt hoc quoque literis mandem,celebratum illud,& memorabile dixisse fertur: nimirum signum illud sibi placere, quod sublimem se perspiceret,illos contra abiectos,atque humi sitos.* Subdit tunc Nazianz. *Vsque adeò superior iis erat, à quibus tenebatur, adeoque à doloribus,ac molestiis remotus non aliter, ac si alienis periculis interesset,suppliciumque suum pompam,non calamitatem esse duceret.* Hæc Gregor.& plura. Hinc illud inferas,quod paradoxon ad speciẽ videatur,gloriari nos in carne posse.Sed quî id dubites?cũ ipsa nobis tantæ gloriæ occasio fiat.Ita quidem Cypr.lib.de habitu virg. dum ea fœminis ornamenta præscribit, in quibus meritò glorientur. *In carne gloriatur, tunc plane quando in nominis confessione cruciatur, quando fortior fœmina viris torquentibus inuenitur, quando ignes,aut cruces,aut ferrum,vel bestias patitur,vt coronetur. Illa sunt carnis pretiosa monilia, illa corporis ornamenta meliora.* Modo cur Paulus vincula sua, **gaudium**,appellet,videamus.

ADNOTATIO III.

Animis Christi amore flagrantibus, nihil esse suauius, quam tribulationes pro ipso perferre.

1. Chrysol. GRACVLVM est, quod de amore dixit Chrysol.serm.40. *Nihil durum,nihil amarum, nihil graue,nihil lethale computat amor verus,quod ferrum, quæ vulnera,quæ pœnæ, quæ mortes amorem præualent superare perfectum? Amor impenetrabilis est lorica, respuit iacula,gladios excutit,periculis insultat, mortem videt; si amor est,vincit omnia.* Verum his illud addas,non modo durum nihil,nihil amarum amanti esse,vt dura,potius blanda,atque iucunda;amara verò dulcia,& suauia illi sint,indeque Paulum vincula sua gaudij nomine nuncupare. Id quod ipse 2. Ad Cor. 12.10. manifeste testatur illis in verbis, 2.ad Corinth.12. 10.quæ annotat.præced.adduximus. *Placeo mihi in infirmitatibus meis,in contumeliis,in necessitatibus, in persecutionibus,in angustiis pro Christo.* Quæ sic expli- Theoph. cat Theophyl. *Glorior plane,& mihi placeo,hoc est in-*

credibili iucunditate afficior, & in infirmitatibus ipsis oblector,& malis. Ac si dicat. Tantum abest, vt hæc animum meũ deiiciant,vt potius leuent,& foueãt, iisque ego vescar,& oblecter. Addit Oecum. *Concupisco,& in his esse delector.* Sed quare? Num ex infir- Oecum. mitatibus,& angustiis gaudium, & oblectatio nascitur?ita quidem:nam *pro Christo* perferuntur: eius enim amor dura quæque suauia reddit. Ita Bernard. Bernard. serm.61.in Cant. *Stat Martyr tripudians,& triumphans,toto licet lacero corpore,& rimante latera ferro, non modo fortiter,sed alacriter sacrum è carne sua circumspicit ebullire cruorem, &c. Nec facit hoc stupor, sed amor: submittitur enim sensus,non amittitur, nec deest dolor,sed superatur,sed contemnitur.*

De sapiente,quem ille sibi somniabat,dixit Senec.epist.85.artificem esse domandi mala, & quidem tam peritum,& bene instructum, vt cum illis ludere videatur. 2. Senec. *Certi sunt domitores ferarum*(inquit ille)*qui sæuissima animalia,& ad occursum exterrentia hominem, docent pati iugum,nec asperitatem excussisse contenti,vsque in contubernium mitigant: leonibus magister manum insertat, osculatur tigrim suus custos; elephantem minimus Æthiops iubet subsidere in genua, & ambulare per funem: sic sapiens est artifex domãdi mala,dolor,egestas,ignominia,carcer,exilium, & cætera horrenda,cum ad hunc peruenere,mansueta sunt,&c.* Et statim. *Quid miraris,si vri,vulnerari,occidi,alligari iuuat? aliquando etiam libet.* Sed de quibus iure dixeris cum Ambros.epist.7. *Preclara verba,sed verba.* Iam si ipsa in opera commutata videre velis,adi Paulum non solum perdomantem carcerem,vincula,egestatem,& cætera horrenda, sed in ipsis gaudentem,exultantem,triumphantem. Ita de illo Chrysost. *Non minus plagis suis gaudens, quam* Chrys hom. 8 de laud. Pauli. *regiis triumphis,aut aliter delectatus naufragiis,quam ceteri adquisitis solent gaudere thesauris; liuoribus, quos ei verbera inferebant,quasi quibusdam gloriabatur coronis,tribulationibus,ac delitiis vtebatur, squalore carceris, vt paradisi amœnitate gaudebat.* Quid ergo vincula sua non appellet Paulus gaudium, qui carcerem pro paradiso habebat?

3. Præfigurauit quidem hæc Ecclesiæ certamina, dura illa ad speciem Angeli cum Iacob colluctatio Genes. 32. Quod si tibi asperum videtur homini peregrinationibus defatigato:& laboribus confecto nouum fuisse certamen oblatum,in quo totam noctem laborando transegerit,obserua certaminis rationem, & modum: & vero dum id luctam esse cernis, quæ mutuis amplexibus exercetur, videas ad refrigerium potius, & gaudium, quam ad pœnam pertinere, vti acute obseruauit Petrus Chrysologus.

4. Vidisti annotat.præced. Paulum tribulationibus ita ornatum, vt nec Salomon in omni gloria sua tanta maiestate conspicuus fuerit,id namque præseferunt ea verba Cant.2.2. *Sicut lilium inter spinas:* Cant. 2. 2. addita Paraphrasi Chaldæa. *Comparata sum rosæ,quæ germinat inter spinas,à quibus perforãtur,& rumpuntur folia eius.* Adde modo iis etiam verbis mirã animi exultantiam, & alacritatem significari, dicente itidem de liliis Domino, Matth 6.28. *Non laborant nec nent.* Matt. 6. 28. S. Nilus. Ita his locis inter se collatis S.Nilus in Ascetico in hunc modum. *De animo perfecto dicitur,* lilium inter spinas: *hoc namque illum inter curas tranquille degentem indicat; lilium enim & in Euangelio quietum animum,& minime sollicitum significat.* Non laborant, *inquit Dominus*, nec nent; *de illo autem,qui magnam in rebus corporeis curam,& sollicitudinẽ ponit,scriptum est;vita impij in sollicitudine est.* Ita quidem Paulus,dum sicut liliũ inter spinas,ab ipsis perforatus,& plagis ruptus erat, repletum se consola-

tione, & fuperabundare gaudio affirmabat, 2.ad Corinth. 7. 4. Quem fane ad modum de Baarlam Martyre dicebat Bafilius, hom. de Baarlam: *Flagella loco gaudij duxit; flagellis fe tanquam rofis impeti arbitratus efferatas fatellitum acies rifit, pericula calcauit, ac fi fuper rofis tripudiaret, &c. Carceris claufura, quafi prato quodam viridi oblectatus eft, tormentorum adinuentionibus veluti varijs flofculis iucundatus eft.* En lilium inter fpinas.

2. Ad Cor. 7. 4. — Bafil.

5. Sed inquis: quî lilium candore fplendens Martyr effe poffit, cum in fuppliciis fufo fanguine rubeat, & purpuriffet? Sane quia, *nihil accidere* (verba funt Senecæ lib. de Prouid. c. 2.) *bono viro mali poteft. Non mifcentur contraria. Quemadmodum tot amnes, tantum fuperne deiectorum imbrium, tanta medicatorum vis fontium non mutant faporem maris, nec remittunt quidem: ita aduerfarum impetus rerum viri fortis non vertit animum: manet in ftatu, & quidquid euenit in fuum colorem trahit.* Quare quantumuis lilij huius folia perforentur, rumpantur, cruententur, non mutat lilium colorem, & candorem fuum: imò verò in eũ *quidquid euenit trahit.* Vnde Cypr. epift. 16. de Christi confefforibus in carcere detẽtis affirmabat perpetuis illos paradifi floribus gaudiifq; refoueri, quin vllam tẽporis viciffitudinem perfentirẽt: *Succeffit hyemi verna tẽperies, rofis læta, & floribus coronata, fed vobis rofæ, & flores de paradifi delitiis aderant, & caput veftrũ ferta cæleftia coronabant.* Perfeuerat ergo liliũ femper candidũ, & vt eft in Paraphrafte, *germinat inter fpinas.* Florẽti quidẽ lætitia, & crefcenti exultantia in fuum colorẽ, quidquid euenit trahens, non fecus ac paucas guttas albentes in rubrum vinũ immiffas, ipfas fuo illud colore tingit.

Seneca. — Cyprian.

6. Ita quidem cum fuas fingillatim tribulationes, & hoftium impugnationes Paulus recẽfuiffet, adiecit: *Cum infirmor, tunc potens fum,* 2. ad Corint. 12. 10. vbi iure inquiras, cur infirmitati non fanitatem, fed potentiam oppofuit? Satis enim videbatur fi infirmitati medicina, quæ falutem afferret, adhiberetur, quin ad hæc potentia, & vis ipfi infirmitati fubeffet. Refpondet Primafius. *Maxima potentia eft infirmari pro Chrifto.* Addit Ambrofius. *Quia tunc vincit Chriftianus, cum perdere putatur, & tunc perdit perfidia, cum fe viciffe gratulatur. Plaudit ergo cum illi infultatur, & furgit cum premitur.* Vnde liquet infirmitates, fiue tribulationes, ærũnas, & vincula adeo effe caufam lætitiæ Paulo, vt non tam pœnæ, aut infirmitates, quã remedia & leuamina infirmitatum, & mærorum, qui aliunde ei obueniffent, dici debeant. Ita omnino Greg. Magn. lib. 31. Moral. c. 28. componens Paulum cum myftico equo prælij ferocia exultante, de quo Iob 39. 28. vbi poft plura fic ait. *O quam fortis huic viro ineft infirmitas! O quam victrix pœna! O quam dominatrix patientia! Ad arguendum repulfione prouocatur; ad prædicandum falutem plagis erigitur: ad propellendum laboris laffitudinem pœna refouetur. Quæ ergo hunc aduerfitas fuperet, quem pœna fouet?*

2. Ad Cor. 12. 10. — Primaf. Ambrof. — Gregor.

7. Equidem Salomon Prou. 9. 2. cum Dei fapientiam, hoc eft, Deũ filios fuos cruciantem, fiue etiam mactantem inducit, matris ei potius, quã patris perfonam, nomenque attribuit illis verbis. *Sapiẽtia immolauit victimas fuas*: quod vel ex ancillis, quas ad eius opus illi affigit, quæ matri familias, nõ verò patri conueniunt, liquido cõftat, vnde Tertul. in Scorpiac. c. 7. legens cum LXX. *Sophia iugulauit filios fuos,* fic exclamat. *O bonam matrem! opto & ipfe in filios eius redigi, vt ab ea occidar.* Quod fi tibi negotium faceffat eam educandi rationem non tam blandæ matris, quam feueri patris propriã effe, fcitè dicente Senec. lib. de Prouid. c. 2. *Non vides quã aliter patres, aliter matres filiis indulgeant? illi excitari iubent liberos ad ftudia obeunda mature, feriatis quoque diebus non patiuntur effe otiofos, & fudorem illis, & interdum lacrymas excutiunt: at matres fouere in finu, continere in vmbra volunt, nunquam flere, nunquã triftari, nunquam laborare:* ad manum eft ex dictis refpõfio, cruciatus, & pœnas Paulo, ac filiis Dei, adeo gaudij, & voluptatis loco effe, vt opus indulgentiffimæ matris in finu fouentis, blandeque filios amplectentis, non duri patris effe videatur: vnde Chryfoft. hom. 62. ad pop. componens ea verba Actuum cap. 5. 41. *Ibant Apoftoli gaudentes, &c.* cum his noftræ epift. c. 4. 4. *Gaudete in Domino femper:* dum inquirit: *Et quomodo gaudere licet, vbi funt vincula, vbi tormenta, vbi iudicia? Ita refpondet: Hic maximè gaudere licet; quomodo verò licet vbi non hæc? qui namque fibi nullius magna res confcius eft: quomodo delectabitur? itaque quanto maiorem dixeris tribulationem, tanto maiorem dicis voluptatem.*

Prou. 9. 2. — Tertull. — Senec. — Chryfoft. Act. 5. 41. — Ad Philipp. 4. 4.

8. Quare componas, quæfo, cum præfatis Salomonis verbis: *Sophia iugulauit filios fuos*: hæc Ecclefiaftici, c. 4. 12. *Sapientia filiis fuis vitam infpirat.* Nec antilogiam exiftimes, fed eandem & quafi vterinam fententiam. Nam in primis cruciari pro Chrifto vita eft: ita quidẽ Paulus 2. ad Timoth. 4. 16. agens de perfecutione Neronis, & impugnatione, quã ab hoftibus ipfe patiebatur, inquit: *In prima defenfione nemo mihi affuit.* Quo in loco Ambrof. dubitans, quî à Paulo tribulationes fuæ, defenfionis nomine appellentur? Refpondet. *Preffuram, & tribulationes fibi illatas, defenfionem fuam nuncupat. Paffio enim Chriftianis vita eft, & perfecutio defenfio.* Deinde ea phrafis infpirandi vitam, metaphoram cõtinet à nutricibus fumptam, quæ dum lac infantibus infundunt, vitam illis infpirare videntur; iam cum Deus velut nutrix fuorum inducitur, quam lætam illis, ac iucundã infpirare dicas? Sic Ifai. 66. 12. *Ad vbera portabimini, & fuper genua blandientur vobis, quomodo fi cui mater blandiatur: ita & ego confolabor vos.* Vnde Dei nomen SADAI, à radice *Sar*, deducitur, quæ vox fignificat, *vbera*, quod ipfe nutricis modo filiis fuis vitam, & lac confolationum perpetuo impertiatur.

Eccl. 4. 12. — Ambrof. in 2. ad Tim. 4. 16. — Ifai. 66. 12.

9. Bene quidem id nouerat illuftris Chrifti Martyr Ignatius, qui cum Romam Martyrij caufa aduceheretur, Romanis fcripfit *Vtinam fruar beftiis, quæ mihi funt præparatæ, quas & oro mihi veloces effe ad interitum, & ad fupplicia, & allici ad comedendum me.* Pende ardẽtem Martyris locutionem emphafi plenam. *Vtinam fruar beftiis.* Sane inter verbum *fruor*, & *vtor*, Auguft. & aliis auctoribus teftibus, vti oftẽdo ad c. 2. lib. Sap. id intercedit difcrimen: *Vt frui fit amore alicui rei inhærere propter fe ipfam: vti autem, quod in vfum venerit ad id, quod amas, obtinendum referre.* Ex quo liquet eam præ Chrifti amore percipere Ignatium in cruciatibus, & morte ipfa voluptatem, & gaudium, vt quamuis hæc ad æternum gloriæ pondus comparandum media, eaque efficaciffima non effent, adhuc tamen ea ardenter concupifceret, vt ipfis mirificè reficeretur. Sane Tiburtius Martyr, vt eius Acta teftantur, cũ ardentes carbones nudis pedibus premere iuberetur, Fabianũ iudicem fic allocutus dicitur: *Prunæ mihi flores videntur.* Quem etiam ad modum Bafilius (vt Nazianz. orat. de eius laudibus refert.) Præfidi grauiffimas minas intorquenti, refpondit: *Vbi Deus nobis periclitatur, ac proponitur, tum demum alia omnia pro nihilo putantes ipfum folum intuemur; ignis autem, & gladius, & beftia, & vngulæ carnem lacerantes voluptati nobis, ac delitiis potius funt, quam terrori.* Hæc de Bafil. Nazianz. Nec diffimilis Nazianzen. ipfe Bafilio, qui de fe ipfo orat. 13. fic ait. *Tentationes, & lapidationes*

S. Ignat. in ep. ad Rom. apud Hier. de fcript. Ecclef. — Aug. lib. 1. de doctrin. Chrift. c. 4. — In Act. Tiburt. M. — S. Gregor. Naz. orat. 20. in laudẽ Bafil. — Idem orat. 13.

lapidationes sæpe pertulimus,& perferre parati sumus, idque eò magis,quò periculorum,quæ pro Christo subeuntur,gustum cepimus. Cum allusione ad suaues,& delicatos cibos, quorum sapore cum primum quis capitur,eos indesinenter auidissimè expetit.

10. Iam verò si ad fontem velis recurrere; dimanat quidem hæc Pauli, & sanctorum in laboribus alacritas ab exemplari Christi Domini,qui nostri amore lætissimus passionem,& mortem obiuit; vt ad c. 2.vers.copiosius tracto;illud hic notãs,hac de causa mortem,Paschatis,hoc est festiuissimæ diei nomine

Matth.16.2. ab ipso fuisse compellatam,Matth.26.2.inquiente. *Scitis,quia post biduum Pascha fiet,& Filius hominis tradetur, vt crucifigatur*; nec enim vacat mysterio Dominum mortem suam in diem Paschæ reiecisse, atque ea nunc emphasi Paschatis mẽtionem inculcasse,vt non tam futurum,quam faciendum Pascha dixerit. *Pascha*, inquit,*fiet*, ac si dicat. Hoc Pascha non tam nomine,quam re mihi erit:ita pene

Chrysost. Chrysost. hom. 80. in Matth. *Non enim dixit, quia post duos dies tradetur, sed quia post duos dies Pascha fiet, & tunc adiecit,& filius hominis tradetur,vt crucifigatur; vt ostendat mysterium hoc esse maximè diem festum, atque solemnitatem, quæ ad salutem orbis cele-*

Drog. *bratur.* Luculentius verò venerab.Drogo, serm.de Dom.Pass.Sacram.lætissima quæque, nimirum cibum,potum, somnum huic Paschati assignans, vt appareat quanta alacritate, & gaudio mortem pro nobis Christus obierit. *Manducauit Pascha cum discipulis,manducauit & Pascha,cum passus est,quan-*

Ioan. 4. 32. *do transiuit ex hoc mundo ad Patrem.* Ego,*inquit*,cibum habeo manducare,quem vos nescitis;meus cibus est,vt faciam voluntatem Patris mei: *Et voluntas Patris est,vt calicẽ bibam,ergo in cruce manducauit,& bibit,& ebriatus est,& dormiuit.* Hæc Drogo.

11. Et verò si aduertis illud,ad nostri institutionem mysterio non caret,mediam inter cruces latronum, Christi crucem eminere,vt dum inde monemur,in crucem nobis,quacumque via, siue media pergas, siue ad dextram,vel ad sinistram declines,necessariò incidẽdum esse,hoc est tam in decliui vitiorum, quam in recto virtutis itinere cruces, & difficultates inueniri,minime sit nobis dubitandũ pro Christi cruce ferre suffragium, vt eius viam teneamus. Nam præter quam quod insignis fuerit stultitiæ, cum tanti vitrum,quanti margaritum emitur,vt est in prouerbio,vile illud potius,quam hoc pretiosum eligere; duo sunt quidem in quibus Christi crux quam maximè excellit. Alterum quod media,hoc est regia sit via,ac proinde pluris facienda, colenda,& summo in pretio habenda,vti adnotar.præced. vidimus.Contra verò aliæ cruces,latronum supplicia,& pœnæ,atque ea ratione infames,& plenæ dedecore, & ignominia sint; vt enim gloriosum est pro honesto dura tolerare, ita ignominiosum, & turpe pro vitiositate labores perferre.Alterum hac de causa Christi crucem gaudij,& indesinentis lætitiæ plenam esse: illas verò perpetuum mærorem, & tristitiam comitari.Nam illi,vt vtar verbis Senecæ superius adducti, solatium est pro honesto dura tolerare,& ad causam à patientia respicit, hos voluptatibus marcidos, & felicitate nimia laborantes magis iis,quæ patiuntur,vexat causa patiendi. Ob-

Drog. seruauit id Drogo paulò ante adductus.Nam cum citasset verba Ecclesiast. 40. 1. *Graue iugum super filios Adam à die natiuitatis eorum*, &c. Sic subdit. *Quamdiu fui filius veteris Adam,graue iugum por-*

Exod.15.10. *tò:si essem filius noui Adam,leue iugum portarẽ. Quod est iugum graue?talentum plumbi;& quod est onus leue?crux Christi;illud sicut scriptum est,submergitur in aquis vehemẽtibus,istud enatat super aquas.* Et statim reddens eandem pene rationem, quam Seneca,inquit. *Mira res!nihil formidolosius hominis,quã crucem pati. Sed quare timent homines crucem? quia latrones sunt,si latrones non essent,crucem non timerent:ergo qui timet,latro est. Quomodo inquis latro est? Audi Christum.* Vos autem fecistis eam, *id est,domum meam,* Matth. 21. 13.

speluncam Latronum. Templum Dei sanctum est, 1. Ad Cor. 3. 17.

quod estis vos. *Faciunt ergo homines se ipsos speluncam latronum.* Et paulo post: *Ideo crux impiis formidolosa, piis autẽ superomnia ligna paradisi gratiosa est. Numquid enim Christus crucem timuit? numquid Petrus? numquid Andreas? imo & optauit.* Exultauit enim vt Psalm. 18.

gigas ad currendam viam.

Quod si inquiras,cur qui amat,lætitiam, ac voluptatem in pœnis, ac laboribus percipiat? duplex reddi potest ratio. Altera,quod amanti nihil magis in votis sit,quam amatum de sua erga eum charitate certiorem reddere,& vel hac ratione nouum ab ipso amorem eliciat, cum nemo sit *adeò durus, qui amorem,etsi nolit impendere, nolit tamen rependere*; cum verò nulla ad ostendendam dilectionem euidentiora signa,fortiorave argumenta sint,quam labores, & afflictiones tolerare; inde fit,vt dum hæc amoris testimonia amans profert, non possit non magnopere gaudere. Altera;quod illud verè amãtis sit proprium,vt extra se ipsum positus in amato viuat:amantis enim animus magis est vbi amat,quam vbi animat:vnde quod in amati bonũ, & gaudium cedit,quamuis asperum, & durum amanti sit, non potest non ei maximam lætitiam afferre. Nihil autem adeò gloriosum Deo est,quam pro eius honore cruciatus mortemque perferre: *Triumphus enim Dei* (verba Hieron. epist.150.ad Hedibiam q.11.) 12.

est passio martyrum, pro Christi nomine cruoris effusio, Hieron.

& inter tormenta lætitia. Similiter nihil nobis, tam vtile,tamque necessarium,quàm Christum pro nobis passionem,mortemque obire, atque hinc fit,vt & Christus in passione sua, & Paulus in vinculis, necnon & Martyres in tormentis, & cruciatibus maximè gauderent.

VERSUS VIII.

Testis enim mihi est Deus, quomodo cupiam omnes vos in visceribus Iesu Christi.

COMMENTARIVS.

CIRCA literam obserua primo Græcè esse: *Testis enim meus est Deus.* Deinde pro quomodo,esse ὡς,id est, *quam, quantum*, quæ vox significantius per admirationem effertur. Præterea verbum,ἐπιποθῶ, quod respondet verbo, *cupiam*, licet propriè significet desiderare, frequentius tamen vsurpari pro amo, sicut πόθος, *desiderium*, etiam sumi solet pro amore, cupidine; necnon aliquando apud auctores pro aquilegio, seu aquarum collectione,& aquæductu,vnde Hispane,*pozo*. Nec mediocrem quidem similitudinem reperiat, qui volet perpendere inter desiderium, seu cupidinem,& aquilegium; vt enim ad aquilegium omnes vndique aquæ confluunt, quas illud in se colligit,& asseruat:ita *amor,vbi venerit*(verba sunt Bernardi serm.83 in Cant.)*cæteros in se omnes* Bernard *traducit,& captiuat affectus.* 1.

Iam verò circa hæc verba: *Testis enim mihi est Deus*,non leue dubiũ occurrit,vtrum è Pauli mente fuerit rem iureiurando affirmare Deum sibi in testem adducens?Concedunt Patres,Græci,& Latini, 2.

 tum

uandæ. Altera affectus ſuauitas,quæ viſcera comitari ſolet, phraſi præſertim Hebræa ſpectata: vox enim,*Rachamim*,æque ſignificat viſcera,ac miſericordiam, ſeu commiſerationem, 2.Reg.24.14.Pſ. 24.6.Pſalm.50.2.& Pſalm.105.46.&alibi ſæpius.
Ad Coloſ. 3.12. Iuxta quam phraſim dixit Paulus ad Coloſſ. 3.12. *Induite vos viſcera miſericordiæ*: & hac epiſt.c.2.1. *Si qua viſcera miſerationis.* Sic etiam apud Latinos, præſertim apud Ciceronem, paſſim dicitur habere aliquem in medullus,viſceribus hærere,vt lib.6.epi-
Tull. ſtol.ad Atticum, epiſt. 1. & Academic.2. & alibi. Hinc Hebræi blandiſſimum matris affectum viſceribus hærentem,qui vel leuiſſima occaſione metus, vel periculi concutiatur,hac voce ſignificant,quòd viſcera membra ſint,in quibus ſenſus maximè viget, quæque quauis triſtitiæ,amoris, vel commiſeratio-
Gen. 43. 30. nis occaſione commoueri dicantur, vt Geneſ.43. 30.*Commota ſunt viſcera Ioſeph ſuper fratre ſuo,erum-*
Pagnin. *pebantque lacrymæ:* vbi Pagninus tranſtulit:*Incaluerunt miſerationes eius.* Qui locus ea, quæ de voce,
3. Reg. 3. 26. *Rachamim*,diximus,optimè confirmat.Et 3.Reg.3. 26.ad regium diuiſionis filij præceptum veræ matris viſcera commota dicuntur;inde Paulus Oneſimum,quem in vinculis Deo peperit,materno affe-
Ep. ad Philem.v.12. ctu vocat,*viſcera ſua*,in ep.ad Philem.num.12. Similiter Zachar.in cantico apud Luc.c.2.78.vt ſum-
Luc. 2. 78. mam Dei benignitatem,qua viſitauit nos oriens ex alto,melius exprimeret,nõ dixit ſimpliciter per miſericordiam Dei,hoc tam eximium beneficiũ in nos fuiſſe collatum,ſed *per viſcera miſericordiæ*:quaſi in ipſamet miſericordia quædam velut vitaliſſima, & tenerrima membra conſiderans,quæ ad noſtri commiſerationem commouentur.Oſtendit ergo Paulus hac viſcerum metaphora,quantum optet, & quod ſuauiſſimo charitatis,vereq; materno affectu à Chriſto Philippenſes diligantur, & vt ipſi etiam amoris officia remetientes, Chriſtum vnice, ac tenerrime diligant:non ſecus,ac filij,qui matris vtero geſtantur,& confouentur:iis enim ſi lumen rationis affulſiſſet,vehemẽti amoris affectu matrẽ cõplecterẽtur.

8. Iam hanc teneri amoris naturam,quam in Chriſti viſceribus exprimit Paulus,alia germanæ dilectionis cõditio comitatur:nimirum,fortitudo.qua propter amata pignora duriſſima quæque alacriter parentes experiuntur:*Catulorum namque amor* (verba
Senec. ſunt Senec.epiſt.74.)*in venabula impingit feras,quas feritas,& inconſultus impetus præſtat indomitas.* Deus verò qui omni matre indulgentior eſt,non ea tantum habet viſcera,quibus tenera dilectio,& ſuauitas inſit,ſed illa potiſſimum,quæ noſtri amore concuſſa ingenti robore,ac fortitudine opẽ nobis omni ratione ferant. Vnde Iſaias,qui diuinum ingenium
Iſai.63.15. percalluerat,ſic Deum alloquitur c.63. 15. *Vbi eſt zelus tuus,& fortitudo tua, & multitudo viſcerũ tuorum?* Vbi tam fortitudo,quam zelus,qui vehementiſsimus inter omnes affectus eſt, & ad fortia,& ardua ſumme proiectus,cum viſceribus coniunguntur:quaſi dum Deus ſuis opitulatur,ea viſcera,quæ & fortitudine,& zelo plena ſint,abſque vlla animi defatigatione,ac moleſtia præferat.

9. Similis eſt prædicta Zachariæ locutio, Lucæ 1.
Luc.1.78. 78.*Per viſcera miſericordiæ Dei noſtri,in quibus viſitauit nos oriens ex alto.* Vbi noſtræ redẽptionis opus, quod ab Iſaia in multitudine fortitudinis Dei per-
Iſai. 63.1. fectũ dicitur;Iſai.63.1. *Iſte formoſus in ſtola ſua gradiens in multitudine fortitudinis ſuæ*:hic ab ipſius Domini viſceribus ortum habuiſſe dicit. Plane,vt ſignificet multitudinem viſcerum Dei,haud ſeſe continere potuiſſe ſuper nos,quin ipſe è cœlo deſcendẽs,grauiſsimas moleſtias, labores,ſupplicia,ipſamque mortem deuoraret:nec ſemel nos in vtero ge-

ſtaſſe,ac in cruce parturiſſe contentus,aſsidua ſollicitudine,& cura,nullo labore fractus,per totũ vitæ noſtræ ſpatium in viſceribus haberet, geſtaretque. Quod illud Iſai.46.4.*Ego ipſe,& vſque ad canos ego* Iſai.46.4.
portabo,ego feci,& ego feram,ego portabo,& ego ſaluabo: belle exprimit,tãquam ſi diceret aliter ſe,ac matres filios ſuos amare: quòd hæ quantumuis tenero, ac blando affectu filios diligant,eos ſolũ,cum paruuli ſunt,nutriant,& baiulent;vbi verò grandiuſculi eſſe incipiunt,ab vberibus,& gremio deponant:ipſe verò quos infantulos geſtabat in vtero, & fouebat in gremio:eoſdem,& ætate,& moribus graues,iiſdem viſceribus infixos,vt muniti ab omni damno ſint,indeſinẽter circumferat:cuius quidem diuini amoris, tam blãdæ fortitudinis,quã fortis indulgentiæ nonnullum veſtigiũ videre mihi videor in cete quodam, de quo Cælius Rhodig.lib.11.c.11.hæc ſcribit:*Par-* Cæl. Rhod.
tu edito,ſi quid interim ſeſe oſtẽderit,formidoloſius,aut quid inſidiarum moliantur prægrandes belluæ,quò catulos tueantur ſecurius affectu materno exſuperante omnia,aperire amplius ora memorantur,ac dẽte innoxio partus præripere,& intra vterum recipere denuò, vt periculi facie diſcuſſa velut ruminantia reuomant rurſum. Sic plane,ſic Deus noſter charíſsima pignora,& in viſceribus,& *in abſcondito faciei ſuæ* abſcon- Pſalm. 30. 21.
dit *à conturbatione hominum.* Huc eũt illa ipſius verba Zach. 2. 5. *Ego ero ei murus ignis in circuitu*, & Zach. 2. 5.
illa Iſai.49.16.*Ecce in manibus meis deſcripſi te:muri tui coram oculis meis ſemper.* Sed vtraque à nobis Iſai.49.16.
alibi latius elucidata ſunt.

ADNOTATIO I.

Creaturas non niſi in Deo, ſiue propter Deum diligendas.

NON minus opportune explicant Græci Patres 1.
præfata verba:*In viſceribus Ieſu Chriſti*:de pura,& germana,ſiue Chriſtiana dilectione,qua diſcipulos Paulus proſequeretur: ſic enim Theod. *Non* Theod.
eſt humanus amor, ſed ſpiritualis: Ieſu Chriſti enim viſcera ſpiritualem appellauit beneuolẽtiam. Similiter Theoph.ſub Pauli perſona inquiens:*Non gratia rei* Theophyl.
alicuius humanæ,nec quia neceſſaria mihi ſubminiſtratis; ſed Dei in charitate hæc dixi. Planè, vt dum iis verbis,*cupiam vos*,addit Apoſtolus,*in viſceribus Ieſu Chriſti*: eadem ſit verborum ſtructura, ac cum ad ad Philem. verſ.20.
Philemonem,v.20.ait:*Ita frater. Ego te fruar in Domino.*Et ad Rom.16.8.*Salutate Ampliatum dilectiſ-* Ad Rom. 16.8.
ſimum mihi in Domino: priorem verò locum ſic in hunc ſenſum pẽdit Aug.lib.1.de doctr.Chriſt.c.33. Auguſt.
Quod ſi non addidiſſet in Domino,& fruar te tantũ dixiſſet,in eo cõſtituiſſet ſpem beatitudinis ſuæ. Sed videre oportet,quæ,vt huic ſententiæ firmum fundamentum ſubſternat,habet Aug.eo lib.c.4.5.& 22.

Ergo monemur ex his Pauli verbis non alio animi affectu creaturas à nobis diligẽdas,niſi,qui à Deo 2.
proficiſcatur,& ad Deum tendat, ne aliter cupiditatem pro charitate,falſam,fictãque beneuolentiam pro vera amicitia ſubſtituamus:ſic namque ad Pauli mentẽ hæc diſcriminat Aug.li.3.de doct.Chriſt. Auguſt.
c.10.*Charitatem voco motum animi ad fruendum Deo propter ipſum,& ſe,atque proximo propter Deum;cupiditatem autem motum animi ad fruẽdum ſe,& proximo,& quolibet corpore,non propter Deum.* Omnino ad guſtum Baſil.lib.de vera virgin.ſponſam Chriſti ſic monentis. *Quandiu enim charitatis ad ſponſum tua gratia diligere deprehenderis fratres, & ad eum, & ad ipſos integra ſeruaſti charitatis iura; vbi verò eos nõ ſponſi gratia,ſed propter ſe ipſos diligere ex conſuetudine cœperis,dilectio tua,& erga illũ,& erga ipſos*

indicio, vel incendor officio. Tantum enim & pigrum, & tardum, & inefficax ad conditoris commendationem eorum, quæ condita sunt, redditur ministerium, quantum noscitur à veritate distare simulachrum. Quid igitur inde? *Circuibo* iterum ciuitatem, & plateas; aliquid in ipsis amans, aliquid reiiciens: nimirum, vt Deum in imagine amem, imaginem sine respectu ad prototypum reiiciam: ita ibidem Gilbert. *Ergo circuibo ciuitatem vniuersa pertingens, vniuersa pertransiens, pertingens quâ ex parte ipsius imaginem differenter præferūt, pertransiens vbi citra perfectum subsistant. Circuibo ciuitatem vbique capiens refrigerium, & fastidium patiens: quonam enim modo non me refrigerat, quod amoris mei pignus aliquod portat, præfert indicium, indicit memoriam, notitiam inducit? Sed iterum quonam pacto non tolero tædium, dum quadam me recogito præcludi imagine, & vmbra detineri nudam, & simplicem non tenere veritatem?*

7. Nec mirum ita philosophatos fuisse hos Patres, Paulo præsertim eos manuducente, ad Rom. 1. 20. cum ait: *Inuisibilia ipsius à creatura mundi per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciūtur.* Est autem omnino mirandum eandem doctrinā à gentili Plutarcho disertissime traditam in sermone, seu disputatione amatoria: vbi totus est in persuadendo omnes animi motus in Deum à nobis referendos, nec creaturis aliter, quam speculis ad diuinam pulchritudinem cognoscendam, & amandam, esse vtendum, quod hâc solum ipsæ de causâ pulchritudine conspicuæ à Deo fuerint efformatæ: cum enim dixisset Philosophus. *Quomodo autem Geometræ pueris, qui nondum suo marte possunt intellectibiles arripere essentiæ incorporeæ, & impatibilis figuras, formant, & offerunt simulachra, quæ tactu & visu percipiuntur sphærarum, cuborum, & decadrorum: sic nobis cupido cœlestis specula pulchrorum pulchra mortalia tamen Deorum, & patibilia intellectilium machinans in formis, coloribus, & figuris in verum decorem relucentia demonstrat, monetque memoriam, quæ paulatim accenditur.* Subdit deinde. *Hinc ob ruditatem nonnulli amicorum, & familiarium, qui restinguere moliti sunt vi, & imperitè, hunc animi motum, nihil ex eo commodi perceperunt, sed vel fumo, & inquiete impleruut se ipsos, vel in voluptates delapsi adulterinas, & illegitimas contabuêre. At qui sano consilio vsi sunt, vt verò igni detraxerunt furorem: splendorem tamen, & lumen reliquerunt animo, non agitationem caloris.* Ac si dixerit amandi peritos amori, qui ignis iustâ cōparatione dicitur, eum motum detraxisse qui ad creaturas, vt ipsis hæreat tendit: reliquisse verò splendorem, & lumē, quod à creaturarum forma ad creatorem cognoscendum, & amādum manuducat. Quare elegantiorē subinde arcus cœlestis à sole expressi similitudinē subiicit in hunc modum. *Quādo leuiter humida, æquabili, & modice spissæ nubi occurrens acies solis repercussus attingit, illiusque fulgorem cernens, & lumē, imaginationem nobis infundit visi, quasi in nube sit, hæc verò amatoria machina commentum in animis generosis, & honestis resultum efficit memoria ab his, quæ hic habentur, & dicuntur pulchra in diuinum, & amabilem, & beatum re vera illum, & admirabile decorem.* Nec satis fuit Plutarcho, sententiam Pauli doctrinæ ita consentaneam afferre, nisi etiam subscriberet Salomoni, Sapient. 13. 1. dicenti. *Vani autem sunt omnes homines, in quibus non subest scientia Dei, & de his, quæ videntur bona non potuerunt intelligere eum, qui est.* Addit enim. *Cæterum vulgus quidem hominum in pueris, & fœminis, sicut in speculis imaginē eius, quam in animo fingit, sectans, & contrectans nihil, quam mixtam acerbitate voluptatem valet assequi solidius: verum hanc esse vulgi vertiginem apparet, quod in nubibus inane, sicut vmbra venatur rem desideratam. Quomodo pueri, qui arcum cœlestem captant manibus, trahuntur ad id, quod oculis obiicitur. Generosi amantis, & casti alia est ratio, illic enim fit ad diuinam, & intellectibilem elegantiam repulsus, & quando in corporis spectabilis incidit elegantiam, eáque pro organo vtitur recordationis:* ita ibi Plutarchus, & postmodum: *Verus amator illuc, vt applicuit, & cum formosis, quatenus fas est, rationem habuit, erigitur, & expiatur, perpetuoque apud ipsum Deum in cœlo tripudiat, & cum eo vagatur.* Hæc ille, plura habet in illa disputatione, quæ vide.

Ad Rom. 1. 20.

Plutarch.

Sap. 13. 1

En generosi, & veri amantis proprietatem, qui secus faxit, amare non nouit. Nam *ea* (verba sunt August. lib. 8. de Trinit. cap. 7.) *dilectio dicenda est, quæ vera est, alioqui cupiditas est, atque ita cupidi abusiué dicuntur diligere. Hæc est autem vera dilectio, vt inhærētes veritati iuste viuamus.* Sic ibi, & serm. 256. de tempore eodem sensu. *Ille veraciter amat amicum, qui Deum amat in amico, aut quia est in illo, aut vt sit in illo.* Quod ipsi ita erat persuasum, vt de eâ voluntatum cōiunctione, quæ inter ipsum, & Martianum intercesserat, prius quam ad bonam frugem se Augustinus reciperet, quamuis modesta, & ad leges humanitatis bene composita foret, non dubitauerit asserere; amicitiæ nomen nō mereri: nimirum quod in Deum, quem tunc August. nō amabat, non referretur: sic enim epist. 155. post allatam amicitiæ diffinitionem à Tullio traditam, vt sit rerum humanarum, atque diuinarum cum beneuolentiâ, & charitate summa consensio. *Tu autē, mi charissime, aliquando mihi consentiebas in rebus humanis; porro in diuinis, quarum mihi illo tempore nulla luxerat veritas, vtique in maiori illius diffinitionis parte amicitia nostra claudicabat: erat enim rerum tantummodo humanarum, non etiam diuinarum, quamuis cum beneuolentia, & charitate consensio; nolo autem mihi succenseas, nec tibi videatur absurdum, quod illo tempore, cum in vana huius mundi æstuarem, quamuis me multum amare videreris, nondum eras amicus meus.* 8.

August.

Idem serm. 256.

Idem epist. 155.

A quo non longè it S. Petri Dam. monitum, lib. 7. epist. 9. ad Reginam Galliæ, quo ei, & in eâ cæteris coniugibus, & amicis scitè præscribit conjugum, & amicorum animas potissimum amandas, & corporibus longissimo interuallo præponendas. Sic namque ille. *Sic denique eum vere diligis, si seruare, quæ Dei sunt, piis exhortationibus facis. Alioquin quo pacto viros suos illæ coniuges amare credantur, quæ in eis capsam, vt ita loquar, corporum diligunt, sed animarum aurum, quod in eis reconditur, non attendunt?* Habemus enim (iuxta Apost. 2. ad Corinth. 4.) thesaurum istum in vasis fictilibus. *Quæ nimirum hoc dumtaxat amplectuntur, quod vermes deuorant in sepulchris: illud vesane despiciunt, cui immarcessibilis gloria seruatur in cœlis.* Hæc ille. Cui etiam suo modo consentire videtur Senec. dum Lucillum sic alloquitur epist. 35. *Habere amicum volo, quod contingere mihi (nisi pergas excolere te, vt cœpisti) non potest. Nunc enim amas me, amicus non es. Quid ergo? hæc inter se diuersa sunt? imò dissimilia: qui amicus est, amat, qui amat, non vtique amicus est. Itaque amicitia semper prodest. Amor etiam aliquando nocet. Si nihil aliud, ob hoc profice, vt amare discas.* Vide citatos superius Patres. Et hâc quidem de re apposita est dissertatio Platonis in Lyside, vel de amicitia: vbi cum ex veterum sententia dixisset. *Homines ductu Dei conciliatoris amicos fieri, quod Deus similem ducat ad similem, & notum faciat:* post nonnulla, vt adstruat amicitiam esse non posse, nisi inter bonos conciliante virtute subdit: *Videtur enim nobis prauus prauo, quò propius adhæret, & frequenter cum eo versatur,* 9.

Senec.

Plato.

satur, eo magis inimicus fieri: nam iniuriam infert; fieri verò nequit, vt qui infert, & accipit iniuriam, amici sint. Cum verò sibi statim obiecisset mediam partem præfatæ illius thesis, *Deus similem ducit ad similem*, esse falsam, siquidem praui similes esse videntur, addit. *Certè mihi videntur bonos dicere, similes esse inuicem, & amicos; improbos autem, vt sæpe de illis dicitur, numquam, vel sibi ipsis, vel inuicem similes esse, sed stolidos penitus, & instabiles. Qui verò secum ipse dissentit; nullo modo cum alio consentiet, nec vlli amicus esse poterit.* Hæc ibi, & multo plura. His affinia habet Aristotel. lib. 8. Ethicorum, cap. 13. vbi agens de omnibus amicitiæ speciebus, sic inquit ad rem. *In transgressionibus autem sicut iuris, ita amicitiæ parum admodum est, & minimum omnium in pessimâ.* (Aristot.)

10. Ex hâc quidem doctrina duo facile est elicere. Primum eò veriorem, firmioremque amicitiam fore, quò amici seorsim veriori, firmiorique dilectione Deum prosequuti fuerint. Alterum vera in Deum charitate deficiente amicitias è medio tolli, omninoque tandem deficere. Et primum quidem, sic docuit Thalassius initio Hecathódæ primæ tom. 5. Biblio. ver. Patr. *Amor si totus ordinetur in Deum, amantes inter se, & cum Deo copulat.* Vnde Nazianz. de suâ, & Basilij Magni amicitia, in orat. 20. de laud. Basil. *Etenim corporum amores, quia rerum fluxarum sunt, fluunt quoque ipsi, non secus ac veris flores, nam nec flammâ consumpta materia remanet, sed vna cum ea extinguitur, nec cupiditas marcescente fomite subsistit. At pudici, & Deo grati amores, quandoquidem rei stabilis, & firmæ sunt, propterea diuturniores etiā sunt, quantoque maior pulchritudinis species ipsis obijcitur, tanto etiam arctius, & secum, & inter se rerum earundem amatores deuinciunt. Hæc quippe superni amoris lex est*: Ita Gregor. Sed id eleganti imagine illustrat Dorotheus, doctrin. 6. tom. 2. Bibliot. vbi cum dixisset: *Quò quis magis proximo in amore, & beneuolentia cohæserit, eò amplius & Deo cohærebit:* Subdit, *Exponam vobis exemplum olim à Patribus datum: circulum fingite, mundum esse, centrum autem circuli Deum; lineas autem à circulo in medium diductas, vias credite varias, negotiationesque mortalium. Quò magis penetrant sancti viri ad interiora, vt Deo appropient per rationem ingressus, eò magis appropiant Deo, & sibi ipsis; quantoque sibi ipsis, tanto & Deo; & quanto viciniores fiunt Deo, tanto & sibi ipsis; quantoque sibi ipsis, tanto & Deo. Considerate iterum recessum, & ablongationem, cum scilicet recedunt à Deo, & ad exteriora sese effundunt. Quanto enim magis à Deo recedunt, tanto & à se ipsis, & quanto à se ipsis, tanto à Deo. Hæc est enim charitatis vis, & natura. Quo enim magis à Dei dilectione recedimus, eò & à proximi amore distamus; quanto Dei charitati adhæremus, tanto & proximi, quantoque proximo, tanto & Deo.* (Thalass. — Nazianz. — Doroth.)

11. Videas hinc Martyres, qui in amicitia, & amore Dei primas obtinent, cum *maiorem charitatem nemo habeat, quàm vt animam suam ponat quis pro amicis suis.* Ioan. 15. 13. egregiâ dilectione se ipsos adinuicem prosequi; cuius sanè rei (vt alia omittam, siue in alium locum transmittam) singulare illud testimonium est, quod ex Greg. Nazianz. orat. 1. in Iulianum sumitur; dum ibi Martyres, qui palmam iam obtinuerant, & Deo fruebantur pro futuris Martyribus, id est, pro iis, quos impius Iulianus pro fide Christi interfecturus erat, aduersus illum Augustum egregie decertasse, dum templa, quæ ille bonum se simulans in honorem Martyrum parabat, ipsi e uestigio demoliebantur, sic scribit: *Ille quidem laborabat, sed terra, quod elaboratum fuerat, excutiebat. O miraculum nouum! illud quidem, & mirandum, sed tamen verius, quàm mirabilius. O insignem Martyrum inter se charitatem! honorem illius, qui multos Martyres ignominia, & dedecore affecturus erat, recusarunt.* (Ioan. 15. 13. — Nazianz.)

Iam verò, quod amicitiæ omnes, quæ à Dei causa ortum non habent, infœliciter desinant, nec diu possint subsistere, vel ex similitudine magnetis, quâ Greg. Nazianz. pulchrè eam beneuolentiam exposuit, quæ inter se, & suam Ecclesiam intercedebat, videor mihi colligere: sic enim ille, *eodem modo mihi erga me affecti esse videamini, quo ferrum erga magnetem. Nam, & ex me pendetis, & alij ex aliis mutuo nexu inter vos cohærentes, & omnes ex Deo, ex quo omnia, & in quem omnia. O admirabilem catenam! quam Spiritus sanctus nectit firmissimis vinculis compactam, & coaptatam.* Hactenus ille. Apud quem, vt vides mutuum amicorum nexum ex Deo pendere, atque à Spiritu diuino proficisci, ita inferas eo deficiente omnem beneuolentiæ nexum necessariâ ratione dissoluendum, ac dissipandum fore, vnde August. præfato tract. 87. in Ioan. post ea verba, quæ supra retulimus: *Neque enim vera dilectione diligeremus inuicem, nisi diligentes Deum*; non longe subiicit: *Quis pacem veram, nisi cum illo habere potest, quem veraciter diligit?* (12. — Idem. — August.)

13. Vnde illud maiori obseruatione dignum, eam dilectionem, quæ à veræ, ac diuinæ charitatis præscripto deflectit, inutilem, imo plerumque noxiam esse, vti dicebat Senec. *Amicitia semper prodest, amor aliquando nocet:* In quam sententiam illud afferri potest, quod fatuis virginibus efflagitantibus oleum illis verbis: *Date nobis de oleo vestro*; prudentes responderunt: *Ne forte sufficiat nobis, & vobis:* quod quamuis primo intuitu durum, & charitati, quæ per oleum denotatur, dissonum appareat, cum dilectionis indesinenter debitores esse ab Apostolo moneamur ad Rom. 13. 18. *Nemini quidquam debeatis, nisi vt inuicem diligatis:* tamen si attente inspiciatur, prudentissimè responsum est, vnde petitionem rursus expende. *Date nobis de oleo vestro:* quasi ab iis, qui charitatem erga Deum habent, petant, vt illi, ne amorem abiiciant, & in se transfundant, & creaturis, non propter Deum, sed propter se ipsas dilectionem impendant: vnde rectè illis dicitur: *Ne fortè non sufficiat nobis, & vobis:* quod perinde est, ac si dicatur; quamuis amorem debeamus, non tamen vobis propter vos, sed propter Deum: vnde, quia vobis ipsis petitis, nec licet nobis vos amore prosequi, nec vobis vtile est, imò verò exitiosum: è qua sanè re illud est, quod citato loco obseruat P. Damian. ideò Micholi vxori Dauid natos non fuisse filios, quod ipsa maritum non spiritus, sed carnis amore prosequeretur. *In carne quippè amorem suum illa constituerat, quæ Dauid se despicienti ironica insultatione dicebat:* quam gloriosus fuit hodie Rex Israel, discooperiens se ante oculos seruorum suorum, &c. *Quæ profectò, quia desiderium suum in sola carne posuerat, carnis fructu debita est animaduersione priuata, vnde paulò post scriptura subiungit:* igitur Michol filiæ Saul non est natus filius vsque in diem mortis suæ. (Senec. — Matt. 25. 8. — Ad Rom. 13. 18. — S. Pet. Dam. — 2. Reg 6. 23.)

14. In quem sensum accipio ea verba Plutarchi, quæ supra adduximus: *At qui sano consilio vsi sunt, vt verò igni detraxerunt furorem: splendorem tamen, & lumen reliquerunt animo:* quasi innuat philosophus, vel ex eâ potissimum ratione, quod quis creaturam amore prosequatur, eique benè velit, debere amorem suum in Deum referre, alioqui amare, odisse erit, & amicum comburere, eiusque famam denigrare, ac perdere: quod ex Osea cap. 7. videor mihi colligere, vbi cum induxisset Propheta plebem Israeliticam, (Plutarch. — Osc. 7. 6.)

Israeliticam, vt morem gereret Regi Ieroboam Deum contemnentem, ipsumque Regem, vt securius populo sibi subdito potiretur, ad nefarium scelus allicientem, & Rex subditos, & subditi Regem combussisse, hoc est, ruinam ministrasse dicuntur. Sic enim de Rege populum comburente, v. 6. *Tota nocte dormiuit coquens eos:* similiter de subditis Regem perdentibus, statim subdit: *Mane ipse succensus, quasi ignis flamma.* De vtrisque verò, *omnes calefacti sunt, quasi clibanus, & deuorauerunt iudices suos, omnes Reges eorum ceciderunt, &c.*

15. Ose. 10. 7. Sed multo expressius de eâdem re Propheta, cap. 10. 7. *Transire fecit Samaria Regem suum, quasi spumam super faciem aquæ.* Et cap. 11. 1. *Sicut mane*
Ose. 11. 1. *transit Rex Israel:* sed horum locorum sententiam
Senec. alibi commodius pertracto. Nunc audi Senecam lib. 6. de beneficiis, cap. 25. dicentem: *Fere idem est exitus odij, & amoris insani:* Quam ad rem sic opportunè locutus est Philo Carpathius initio commentariorum in Cantica de eâ disserens amicitia, quæ inhonesta est, & à voluptate, nō à charitate or-
Philo. tum ducit. *Horum omnium perniciosissima est amicitia, atque teterrima: hi enim lethalis æstro voluptatis capti sibimet crudelissimi fiunt inimici; omnisque talis, & amor, & amicitia in sempiternas ipsis vertetur inimicitias, odiumque pestiferum.* Ita Philo. Sed quare? subiicit ipse rationem. *Quandoquidem occultorum omnium bonorum, atque malorum inspector est Deus, eorumdemque iustissimus remunerator, atque corrector.* Pro quo quidem fideiubet ipsemet Deus, dum
Ezech. 23. 10. Ezech. 23. 10. per ipsosmet insanos amatores sumpturum pœnas de iis, qui noxias coluerunt amicitias, sic affirmat. *Propterea tradidi eam in manus amatorum suorum, super quorum insaniuit libidine, ipsi discooperuerunt ignominiam eius, & filios, & filias tulerunt, & ipsam occiderunt gladio.*

16. Quam ad rem celebre est facinus Theodorici Afri Regis apud collectaneam Græcam Theodoti
Theodor. Lectoris ad calcem historiæ Theodoriti adiectam. Nam cum Diaconus quidam orthodoxus plurimum se ab eo Principe amari videret, maioris adhuc gratiæ percupidus, vt nouum robur, regiæ amicitiæ adiiceret à vera fide ad Arianam hæresim, quam Theodoricus pro viribus fouebat, & propugnabat apertâ fugâ desciuit. Id verò cum intellexit Rex, Diaconum, quem tantopere amabat, præmij loco capitis supplicio iussit affici cum hac voce: *Si Deo fidem non seruasti, quo nam pacto conscientiam sanam homini seruaturus es?* Abi iam, & extra Deum, siue contra Deum aliquem ama.

ADNOTATIO II.

Beneuolentiam non in vnum tantummodo, sed in omnes æquè diffundendam.

1. Theophyl. Oecumen. IAM demũ his verbis, *in visceribus Iesu Christi,* Theophylact. & Oecumen. expositionem afferunt, vt significet Paulus suamet viscera, hoc est, paternum amorem, intimo, & tenerrimo affectui persimilem, quo filios suos in visceribus Christus habet, quemque impertiri ipse solet iis, qui sibi in Euangelio filios gignunt, ac si dixerit Apostolus; non alia mihi sunt erga vos viscera, quam quæ erga filios suos Christus habet, vt videar in ipsismet Christi visceribus quodammodo constitutus, atque inde vos amore prosequi. Iuxta quem sensum, vt benè notat Cornel. particula, *in*, vel est nota similitudinis, vel valet idem, ac, *ex*. Firmius hoc vltimum, quod ex his verbis Theophyl. confirmo. *Quia pater vobis cum sim Christi ob fidem effectus, ex ipsis visceribus, & ex ipso animo magnum in modum vos colo, diligoque.*

Emphatica quidem sententia, quam ita expendit 2.
Oecumenius: *Magnum quidem est desiderari à Paulo, maius in visceribus eius esse, verum in visceribus Iesu Christi nullam reliquit excellentiam:* sed obseruanda etiam locutio Pauli, dum ait, *vos omnes,* retulit id Theophylactus ad virtutem, & dignitatem Philippensium hoc modo: *Omnes autem cupio; inquit; quia omnes pares estis in virtute:* Ego vero non ad dignitatem solùm Philippensium, sed ad charitatem etiam Pauli, vt perinde sit, ac si dicat: vos omnes totius vrbis viros vnicus, ego amo, & vehementer amo. Egregium quidem paternorum viscerum signum, sic vulgo diximus: *vn padre para cien hijos.* Egregiusque dilectionis modus, quæ non ad vnum, vt noxius, & impurus amor, sed ad plures, imò ad omnes fertur: ad eum quidem modum, quo 1. ad Thess.
2. ad Thessal. 1. 3. dixit idem Apostolus: *Quoniam* 1. 3.
supercrescit fides vestra, & abundat charitas vniuscuiusque vestrûm in inuicem: in quæ verba sic opportunissimè loquitur Chrysost. *Vide autem charitatem, non hunc quidem diligebant, illum verò minimè:* Chrysost.
sed erat æqualis ab omnibus: hoc enim tacitè innuit dicendo: vniuscuiusque vestrûm in inuicem: *quod ea sit in æquilibrio, veluti vnius corporis. Nam nunc quoque inuenimus esse apud multos charitatem, atque dilectionem, sed hanc charitatem, & dilectionem esse causam dissensionis. Nam quando bini, aut terni fuerimus coniuncti, & duo quidem, aut tres, aut quatuor, valde inter se fuerint colligati: à cæteris autem se ipsos abstrahentes, eò quod ad illos possint confugere, & illis in omnibus confidere, hoc est dissensio, non dilectio.* Nec omittenda pulchra imago; quam subdit. *Si oculus omnem prouidentiam, & curam, quam pro vniuerso corpore habet in solam manum deriuaret, ac reliquis membris omnino contemptis vni isti intenderet, an non totum perderet? absque dubio: ita & nos si charitatem, quam in vniuersam Ecclesiam extendere debemus, in vnum, & alterum coarctauerimus, & nobis ipsis, & illis, totique Ecclesiæ perniciem inferemus, ista namque non sunt charitatis, sed dissidij. schismata nempè, & rupturæ hulcea. Nam si ex integro homine diuulsam accepero partem, ipsa quidem scissura sibi est vnita, & est continens, & conglutinata, cæterum sic quoque est scissura, quoniam reliquo non est vnita corpori.*

Sed vt bona hæc ratio sit, efficacior illa planè est, 3.
quam statim subiungit Chrysost. nimirum eam dilectionem à præscripto veræ amicitiæ deflectere, quæ à Deo, vt fonte non dimanat, & ad Deum toto impetu non currit, vt adnot. præced. dicebar. Aug. Augustin.
Ille veraciter amat amicum, qui Deum amat in amico, & amicum propter Deum. Nam qui vnum singillatim, non reliquos amat, non diuinâ, sed humanâ charitate ferri videtur, ita enim subdit: *Quid enim proderit, quod aliquem vehementer amas? humana est illa dilectio; si verò non est humana, sed propter Deum diligis, dilige omnes.* Hæc, & plura ibi Chrysost. ad cuius gustum Theophylactus similia verba 1. ad Theophyl.
Thessalon. cap. 3. *Vos autem Dominus multiplicet, & abundare faciat charitatem vestram inuicem, & in omnes,* sic premit: *Excellere, & abundare eos in dilectione precatur, non solum erga se mutuò, verum etiam erga alios omnes: istud enim est diuinæ charitatis proprium omnes complecti. Nam si hunc diligas, illum verò non, etiam humana ista amicitia est.* Hæc, vt nobis persuadeat Basilius de institutione monachorum, Basil.
serm. 1. & 2. hâc vtitur ratione: *Nam quemadmodum Deus promiscue omnibus lucem impartitur, sic imitatores Dei charitatis ipsorum radium æqualiter communicare omnibus debent, quandoquidem vbi deliquium patitur charitas, eius loco odium succedit.* Ita Basilius. Hinc, opinor, prouerbio cessit: *Vnus Deus,*

&

& plures amici: hanc enim parœmiam sub eo ego sensu capio, quo dicebat August. *Fruendum Deo, & vtendum creaturis*: quasi prouerbij veritas vnum tantum nobis Deum præscribat, in quem, vt in scopum omnes affectus, & actiones conuertamus, cum ea diuinitatis ratio sit, vt totum hominis animum ad se rapiat, & alliciat, pluribus verò indulgeat amicis, quibus ad fruendum Deo vti possimus, id est, quos eo loco, & munere habeamus, vt ad Dei obsequium, & cultum adiumento nobis, non scandalo sint: quod tunc eueniet, cum & boni, & plures fuerint amici; aliàs si in vnum solummodo feratur charitas, diuino amori multum impedimenti afferet. Ideo Ambr. in ea verba, Psalm. 118. *Concupiuit anima mea desiderare iustificationes tuas in omni tempore*, sapienter ait: *Quod vtique non facit, nisi liber à vinculis, nec solum à vinculis solicitudinis secularis, sed etiam à vinculis charitatis humanæ.* Nec alio sensu visus est loqui Arsenius apud Anast. Nicen.

August.

Ambros.

Anast. Nic.

4. Est verò hæc doctrina religiosis viris, tum ob proprium cuiusuis profectum, tum vel maximè ob cæterorum scandalum, & iniuriam, maximè obseruanda: vnde iis de causis ea in ipsis à Basil. Bernard. Laurent. Iustinian. vehementer commendatur. Sic enim Basilius loco citato: *Porrò in huiusmodi hoc communi contubernio neutiquam patitur charitatis lex, aliquas coiri seorsim amicitias, aut sodalitates; siquidem nullo modo fieri potest, quin affectiones ipsæ, quæ in hanc magis, quam in illam propendent partem, plurimum incommodent communi omnium concordiæ.* Sic ille. Dum verò eo sermone id longius prosequitur, eam huius doctrinæ rationem affert. *Siquidem in eo, quod quis aliquem plus diligit, facilè indicat in amore alios inferiores habere.* Hinc querimonias, suspiciones, detractiones, simultates pullulaturas, quis dubitet? ita certè S. Laurent. Iustin lib. de discipl. monast. conu. cap. 22. *Interdicenda est assidua, & priuata conuersatio in collegiis seruorum Christi, quæ quamuis in nullo alio reprehensibilis sit, sine proximorum tamen scandalo fieri nequit.* Luculentius Basilius, serm. 2. citato: *Similiter ex conuentu reijcienda sunt, & turpis, & indecora contentio, atque amor iste singularis; siquidem ex contentione inimicitiæ, ex amore autem singulari, sodalitatéque suspiciones, inuidiaque oriuntur.* Ita ille. Quod si ij, qui peculiariter sunt amici, charitatis prætextum allegent; sic pro se aduersus eos respondet charitas apud Cyprian. lib. de singul. cleric. *Sed exclamat charitas, & appellat. Tales ego non iungo, falsa altera est, quæ me simulãdo confingit. Nunquam Dei præceptis obsisto, nunquam fluxis faueo, per me sanctitatem non opto culpari, calumnias mihi aduersa germanitas facit, pericula ego inter falsos fratres incurri. Succurre meus præco, succurre Paule Apostole, dic testimonium meum, ne, quod de me annuntias, peruertatur.* Finis autem præcepti est charitas de corde puro & conscientia bona, & fide non fictâ: *Dilectio deputabitur, per quam sanctitatis iniuria criminationibus appetitur? aut illorum erit syncera fraternitas æstimanda, de quibus filiæ matris Ecclesiæ perducuntur in culpam? si talis Christiana charitas aduocatur, indubitanter odia meliora sunt, quæ dum separant, neminem maculant.* Hæc Cyprianus satis ad rem.

Basil.

S. Laur. Iust.

Basil.

Cyprian.

1. ad Tim.

5. Sed aliam subinde reddit raditionem citato loco Basilius strictiori iure agens ad hunc modum: *Quoniam autem æquali prorsus inter se vicissim charitate complecti omnes debent, iustitia violatur, quoties vnquam in communi conuentu priuatæ aliquæ coitiones repertuntur, aut sodalitates.* Hæc ex Basilio. Vbi vides non charitati solum, sed etiam iustitiæ amicitias hasce obnoxias esse. Si dicas quid iustitiæ cum charitate, vt hinc iustitia violetur? Respondeo iustitiam etiam quodammodo violari; etenim dum religiosam quis disciplinam suscepit, seque ipsum sibi negauit, omnibus omnia factus, nonnullum hinc ius acquisiuit, vt alij etiam sibi omnia fiant, nec suo ipsum amore priuent: vnde qui vni addictus cum eo tantum amicitiam colit, tum charitati, tùm etiam iustitiæ iniurius esse videtur: certè iustitiam in eo cardine versari, vt nec alteri quis noceat, nec rebus communibus, vt priuatis, sed vt communibus vtatur, sic dixit Tull. lib. 1. officiorum: *Iustitiæ primum munus est, vt ne cui quis noceat, nisi lacessitus iniuriâ* (vellem id non additum) *deinde, vt communibus pro communibus vtatur, priuatis, autem, vt suis.* Hinc grauissimo supplicio punitos videas Ananiam, & Sapphiram (Actuum 5. 3.) quod partem pretij Apostolorum pedibus oblati sibi retinuerunt: sed fraudem id, & iniuriam appellauit Lucas, *Et fraudauit*, inquit, *de pretio agri*: sed quare fraus? Respondet Lyra: *Quoniam sibi soli retinere, quod est commune, est communitatem defraudare.*

Basil.

Tull.

Act. 5. 3.

Lyra.

6. Ab hoc non it, quod de vnitate seruanda monuit Bernardus, qui cum dixisset: *Nihil ergo pretiosius inuenies vnitate, non parcat omnibus cæteris propter eam ieiuniis, vigiliis, orationibus audacter præferat vnitatem*, subdit, *Volo autem, vt in eâ quisque sic maneat, nõ quasi vnus ex omnibus, sed quasi cum omnibus vnus: latum expandat sinum ex omni genere affectionum, claudat intra viscera sua, omnia omnibus fiat, & congaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus.* Vtile sanè documentum, optimaque seruandi vnitatem ratio, cum quis non quasi vnum ex omnibus, sed cum omnibus vnum se numerat, vt nihil sibi peculiare, nullum sibi peculiariter adscribat, sed omnes sibi, se omnibus. In quam sententiam accipio, quæ scripsit August. in Psalm. 21. expositione 2. agens de tunica inconsutili Christi, quæ charitatem, & vnitatem Christianam ex frequentissimâ Patrum explicatione significat, ad hunc modum: *Quæ est ista tunica, quam nemo potest diuidere? Quæ est ista tunica, nisi vnitas? in ipsam sors mittitur, nemo illam diuidit.* Sic ille: quasi dicat, nemo illam diuidit, quia nullus est quasi vnus ex omnibus, sed quasi cum omnibus vnus.

Bernard.

August.

7. Quare non abs re in hanc etiam sententiam afferri possunt prædicta verba, Cant. 5. 12. *Oculi eius, sicut columbæ super riuos aquarum, quæ lacte sunt lotæ, & resident iuxta fluenta plenissima*: annotat. præced. à nobis explicata, & cum Ambrosio de viris spiritualibus sensibus ornatis accepta, qui, vt apte dicêtur iuxta fluenta plenissima residere, dum in cœnobiis, & aliorum societate degunt; ita illis lactis lotionem accommodes, iuxta ibi ex Nysseno dicta, quod sic se erga rem communem, & publicam se gerant, & in fluenta intueantur, vt nolint ab ipsis peculiarem faciem sibi reddi; hoc est, aliquem, aut aliquid ex tota re, & communi, & publica singillatim eis respondere; vt non quasi vnus ex omnibus quisque sit, sed, *quasi cum omnibus vnus.* Ad quẽ modum Greg. initio c. 31. in Iob, versans ea versa Isaiæ 60. 8. *Qui sunt hi, qui vt nubes volant, & velut columbæ ad fenestras suas*; sic ait: *Columbæ ad fenestras sunt, qui per sensus corporis exteriora quæque intentione non respiciunt rapacitatis*: quibus assonant, quæ, eadem versans verba, eodem intentus scripsit, hom. 5. in Euãg. *Miluus, & non columba ad fenestras suas est, qui ad ea, quæ oculis considerat, rapina desiderio anhelat.* Hæc ille. In quam sententiam visus est dixisse Tullius lib. 3. officiorum: *Ergo vnum debet esse omnibus propositum, vt eadem sit vtilitas vniuscuiusque, & vniuersorum, quam si ad se quisque rapiat, dissoluetur omnis humana consociatio.* Quo etiam sensu paulò ante

Cant. 5. 12.

Gregor. Isai. 60. 8.

ante dixerat: *Vt si vnumquodque membrum sensum hunc haberet, vt posse putaret se valere, si proximi mẽbri valetudinem ad se traduxisset, debilitari, & interire totũ corpus, necesse esset. Sic si vnusquisque nostrũm rapiat ad se commoda aliorum, detrahatque, quod cuique possit, emolumenti sui gratiâ, societas hominum & communitas euertatur, necesse est.* Hactenus Tullius. Quæ non ad res tantum, sed ad personarum etiam vsum, & amicitias aptari possunt; cum plures sint, qui sibi tantum ipsis aliorum conuersationem, & beneuolentiam velint.

Tull.

8. Nec tamen ideo existimes te eximiè dilecti amicitiâ, & beneuolentiâ singillatim defraudari, cum vel tu cæteros pari amore complecteris, vel ab iis non secus, ac alij diligeris: nam verior potius, ac germanior tunc beneuolentiæ ratio intercedit, cum in plures diffunditur: ita præclare Hugo Victorinus soliloquio de arrha animæ: *Spiritualis amor tunc melior est singulis, quando omnibus est communis, nec participatione plurium minuitur, cuius fructus vnus; & idem totus in singulis reperitur.* Hæc Hugo. Ad cuius gustum Senec. epist. 65. eum, qui vnum tantummodo amare nouit, ne hunc quidem amare, sic affirmat: *Ne vnum quidem amauit, qui plusquam vnum amare non potuit.* Sic Seneca, quem eius Scholiastes Iustus Lipsius sic optimè explicuit: *Quare? quia amicitia sociabilis virtus est, nec vt lasciuus ille amor in vnum fertur.* Ita ille. *Stulta tamen auaritia mortalium possessionem, proprietatemque discernit*, vti aiebat idemmet Seneca, epist. 74. *Nec quidquam suum esse credit, quod publicum est.* Sed hunc vulgi errorem, atque vertiginem alibi me confutasse commemini.

Iust. Lip.

Senec.

9. Iam si cui, vt nimis austera, quæ diximus, non placeant, arripiat, si volet, eam Agapis, & Diathesis distinctionem, quam Abbas Iosephus apud Cassianum collatione 16. c. 14. vsurpat: iuxta eam verò generalem in primis dilectionem omnibus exhibens, aliquos pro morum integritate, & virtutum splendore peculiari sibi affectione diligendos, & associandos deligat: videte tamen, *ne cum spiritu cœperitis, carne consummemini.*

Cassian.

Ad Gal.

ADNOTATIO III.

Principem, & Prælatum non in vnum, aut alterum è sibi subditis beneficum esse debere.

1. Quæ de Pauli beneuolentiâ erga Philippenses, quibus, vt germanis amicis bene vellet, eadem de ipsius benignitate, ac beneficentia erga eosdem, vt sibi subditos, cum Apostolus ipse, & Ecclesiarum Princeps esset, æque dici possunt: innuit ergo his verbis etiam Paulus, non ad vnum, vel alterum Philippensium, sed ad omnes pariter curâ, & prouidentiâ suâ respicere, omnibusque pari beneficentia cõsulere; more quidẽ optimi Principis, qui in omnes sibi subditos beneficus, & humanus, in omnes liberalis esse debet. Nam, vt elegantissimè dixit Rex Theodoricus apud Cassiodorum lib. 3. variarum, epist. 29. *Hoc sunt Regia dona, quod semina, sparsa in segetem coalescunt, in vnum coacta depereunt.* Ita ille. Nimirum, quia, *sub imperio boni Principis* (vt inquit idemmet lib. 2. var.) *omnium debet fortuna proficere*: & (quod sub persona cuiusdam, cui Princeps minus dedisset, affertur à Seneca lib. 2. de beneficiis) *in multos diuidenda liberalitas est.* Plane, quia, vt est apud eundem Cassiodorum, præscribentem Datio Episcopo modum distribuendi annonam, lib. 10. variar. epist. 27. (alij codices aliter numerant) *fundit potius, qui mittit in plenum, nam illud potius reconditur, quod vacuis vasis congregatur.*

Cassiod.

Idem.

Senec.

Cassiod.

Sic quidẽ se gessit sapiens Ioseph, qui dum Ægypti Prorex esset, vendere, quam liberaliter erogare regios thesauros maluit, cũ tamẽ id Principẽ virũ, & præsertim magnanimum magis decere videretur. Sed quare? quia nimirum minori pretio, famis præsertim tempore, diuẽdere, liberalitatis quædam species est: vt autem maior liberalitas ad speciem videretur, si alimonias donasset, quam vendidisset: at cum ea ratione in pauciores essent diffundendæ, perfectior ille benefaciendi modus, & Principe dignior est, si mediocriter liberalem se omnibus exhiberet, quam si intra paucorum sinũ omnem munificentiæ suæ fructum congereret; id sic obseruante Ambrosio lib. 2. offic. cap. 15. *Potuit donare Ioseph totas opes Ægypti, & effundere thesauros regios, noluit tamen de alieno effusus videri, maluit frumenta vendere, quam donare esurientibus: quia si paucis donaret, pluribus defuisset, eam liberalitatem probauit, quæ abundauit omnibus.* A quo non abit, quod statim subdit. *O virum magnum, qui non largitatis superfluæ temporalem captauit gloriam, sed perpetuam commoditatem reddituit prouidentiæ.* 2.

Genes. 41. 56.

Ambros.

Hinc, quod à nonnullis cum stomacho, à Seneca cum anima Princeps componitur, sic enim ipse ad Neronem lib. 1. de clementia, c. 5. *Animus Reipub. tu es, illa corpus tuum*: sub eo sensu accipio, vt ille non vni, aut alteri solum, sed omnibus sibi subditis æque consulere, & benefacere debeat, ad eum modum, quo & animus omnibus corporis partibus vitam præbet, & stomachus cũctis mẽbris pro cuiusque necessitate succum alimenti distribuit, atque ministrat, ne aliud quidẽ esuriat, aliud autẽ ebrium sit, *est namque iniquum*, vti aliò respiciens dixit præfatus Rex Theodoricus apud Cassiodorum: *vt de vna substantia, quibus competit æqua successio, alij abundanter affluant, alij paupertatis incommodis ingemiscant.* Certè Chrysost. homil. 15. in epist. 2. ad Corinth. dum Principem cum solerti agricultore componit, illud eum singillatim cauere monet, ne apud quosdam paucos omnia munera, & beneficia sua reponat, qui velut arbores fructibus luxuriantes humorem, & succum vicinis plantis præripiunt, vnde vnius, aut duorum saturitas, & splendor famem, & penuriam reliquis affert: *Vt quando sepes fruticibus abundãt*, verba sunt Chrysostomi, *in malum proximarum plantarum tolluntur, quando aliæ arbores steriles, & syluestres in sublime surgentes, incrementum subditarum prohibent.* 3.

Senec.

Chrysost.

Quò spectat, quod Saluian. Massil. lib. 4. de Prouid. & gubern. non longe à principio, iam olim deplorabat paucorum, vel vnius etiam hominis ornamentum totius orbis excidium esse: sic enim ille: *Vt pauci illustrentur, mundus euertitur, vnius honor orbis excidium est.* Ita Saluian. subiicit verò (vt historiographus, an vt vates, nescio,) *sciunt hoc Hispaniæ, quibus solum nomen relictum est*; addit statim, vt fidus tẽporis illius scriptor: *sciunt Africa, quæ fuerunt, sciunt Galliæ deuastatæ, sed non ab omnibus, & ideò in paucissimis adhuc angulis, vel tenuem spiritum agentes, quia eas interdum paucorum integritas aluit, quas multorum rapina vacuauit.* Certè omnia vni dare, diaboli proprium donum esse satis apparet ex Matth. 4. 9. & bene omnino dixit Senec. lib. 4. de benefic. cap. 10. *Turpissimum genus damni est inconsulta donatio.* 3.

Saluian.

Matth. 4. 9.

Senec.

Vnde ea ratio sapienter à D. Paschasio lib. 8. in Matth. reddita est: quare cum Christo in monte transfigurato Petrus dixit: *Faciamus hic tria tabernacula,*

Paschas.

nacula, tibi vnum, Moysi vnum, & Eliæ vnum; addiderit Marcus 9.5. *Non enim sciebat, quid diceret*: quia videlicet eius videbatur animus esse, vt Christus Deus ac Dominus non in vno, eodemque tabernaculo cum suis degeret, in quo æque omnibus consuleret, qualem se istis in cœlesti beatitudine exhibere, statim videbimus; sed separatum ab illis tabernaculū haberet, ad quod nó omnibus æque facilis aditus esset: *Error*, inquit Pasc. *in causa est, quod tria se repromittit facere tabernacula, vnum scilicet, ac si priuatim Iesu, alterum Moysi, & aliud Eliæ, quasi non eos caperet vnum tabernaculum, nec in vno simul consistere possent.* Quasi dicat: erras Petre, dum speciale, ac priuatum tabernaculum Christo assignas: in quo præter ipsius morem à suis segregatus degat, forsan, vt solus tu, & pauci tui familiares inconsultis Moyse, & Elia, qui vt regij Consiliarij sunt, ita iustitiæ, & regiarum virtutum specimen præseferūt, illuc ingredi ad potiora vobis munera obtinenda possitis, cum potius communis ac facilis ad Principem aditus esse debeat, eiusque in omnes æqua, & communis munerum distributio. Equidem Tiberio callido aliàs Imperatori, & ciuilis doctrinæ non ignaro id ab illius æui scriptoribus non leui vitio vertitur, quod vni Seiano ita fuerit addictus, vt ad ipsius libitum, atque in propinquorum suorum vtilitatem omnia munera, & præfecturæ distribuerentur, sic namque Cornel. Tacitus lib. 5. Annalium: *Seiani propinqui, & affines augebantur, vt quisque Seiano intimus, ita ad Cæsaris amicitiam validus; contrà quibus infensus esset, metu, ac sordibus conflictabantur.* Ita ille ibi.

Marc. 9.5. *Paschas.* *Corn. Tac.*

6. Vt præfatum verò Petri errorem, optimè à Paschasio conuelli videas, obserua quam aliter Deus, tàm in supernâ Ierusalem, quàm in hâc terrenâ, cum suis se habeat: vtrobique enim in vno, eodemque cum ipsis tabernaculo habitare dicitur. Sic in primis Israeliticæ plebi, licèt de ipsâ non semper benemeritus, indesinenter è tabernaculo responsa dabat, vt libri Moysis locupletes testes sunt, sic Christianam etiam Ecclesiam tabernaculum appellat Amos 9.7. *In die illa suscitabo tabernaculum Dauid.* Et Ezech. 37.27. *Et erit tabernaculum meum in eis, & ero eis Deus, & ipsi erunt mihi populus.* Sic denique Apoc. 21. 3. cœlestis curia ad hunc modum describitur: *Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, & habitabit cum eis, & ipsi populus eius erunt, & ipse cum eis erit eorum Deus.* Id autem tabernaculi structura portendit, vt qui intra illius ambitum cum aliis degit, tum familiari, tum communi cum omnibus conuersatione, ac lege agat, omnibus æqualiter expositus, nullâ parietum, aut limitum interiectâ separatione diuisus, vt facilis, ac peruius vndique ad ipsum aditus sit. Vnde dum Deus in tabernaculo cum suis habitare dicitur, id potissimum significatur, vt in medio ipsorum, non vni, aut alteri peculiariter addictus; sed cunctis simul prospiciens, & omnium rebus intentus sit sub eo sensu, quo dixit August. lib. 3. confes. cap. 11. *O tu bene omnipotens, qui sic curas vnumquemque nostrûm, velut solum cures, & sic omnes, tamquam singulos curares, & diligeres.* Ita ille. Ad quem modum, dum idemmet Aug. in Psalm. 83. singularem modum, quo singuli beati Deo perfruuntur, explicat, sic ait: *Possident Ierusalem cœlestem, sine angustiâ, sine pressura, sine diuersitate, & diuisione limitum; omnes habent eam; & singuli habent totam, non angustat frater fratrem.* Similiter Ambros. in Psalm. 118. Octonar. 14. *In aliis hæreditatibus hæredis esse damnum cohæredis adscriptionem: in hâc non minus hæredi quidquid à cohæredibus vendicatur, sed eo magis singulis crescere, quo pluribus fuerit impertitum.*

Amos 9.7. *Ezech. 37.27.* *Apoc. 21.3.* *August.* *August.* *D. Ambr.*

7. Nec alio modo terrenæ Ierusalem Dominum præesse, sic scripsit Paulus ad Hebræos 12.23. *Accessistis ad Sion montem, & ciuitatem Dei viuentis, cœlestem Ierusalem, & Ecclesiam primitiuorum*: vbi pro primitiuorum Græce est, πρωτοτόκων, id est, *primogenitorum*, Quod non placet accipere de Apostolis, & Martyribus, qui iam obiissent, de quo alibi me egisse memini, sed de omnibus Ecclesiæ Christianæ filiis, quorum singuli tanquam primogeniti vnicè à Deo amantur, & de cuiusuis ipse salute, siue interitu sic gaudet, & dolet, vt lætari, siue doleri solet in natiuitate, siue in morte primogeniti: vnde nullus est, qui ab ipsius donis, & peculiari curâ expers aliquo modo sit. Ac si expressius dicatur: in Christi Ecclesiâ omnes sunt primogeniti, vnice omnes à Deo amantur. Quare sponsam Ecclesiam sic cœlestis hic alloquitur sponsus, Cant. 4.9. *Vulnerasti cor meum soror mea sponsa, in vno oculorum tuorum, & in vno crine colli tui*: quod perinde est, ac si diceret, nullus in tuis filiis est, quantumuis videatur despicatissimus, vt crinis colli, qui nec pili æstimatur, quem ego peculiari dilectione non prosequar, & medullitus amem, ita hæc verba intellexit, & transtulit Paraphrastes Chaldæus ad hunc modum: *Infixus est in tabula cordis mei amor tuus soror mea sponsa; infixa est in tabula cordis mei dilectio minimi filiorum tuorum, qui est iustus.* Plane, quia sic Christus dilexit Ecclesiam, vt semetipsum pro ea tradiderit, nec pro ea solum in vniuersum sumpta, sed peculiariter, ac singillatim pro vnoquoque fidelium, dicente Paulo ad Galat. 2. *Qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me.*

Ad Hebr. 12.23. *Cant 4.9.* *Paraphr.* *Ad Gal. 2.*

8. Sub quo quidem sensu accepit Paulin. ep. 4. ad Seuerum ea verba Sapientiæ 6.8 *Pusillum, & magnum ipse fecit, & æqualiter est illi cura de omnibus*; dum enim pendit, quam exiguo, vilique pretio cœli Dominus à Iudâ fuerit venditus, sic pulchrè infert: *Vili vult æstimari; vt ab omnibus ematur, quoniam enim inquit, ipse fecit pauperem, & diuitem, & æqualiter illi cura est de omnibus.* Ita Paulinus ad cuius gustum Tertull. lib. aduers. Iudæos. cap. 7. de Christo, sic ait: *Non Regis apud illum maior gratia, non barbari alicuius imperiosi lætitia, non dignitatum, aut natalium cuiusquam discreta merita, omnibus æqualis, omnibus Rex, omnibus iudex, omnibus Deus, & Dominus est.*

Paulin. *Sap. 6.8.* *Tertull.*

9. Sed hæc ipsemet Assertor sic confirmat Luc. 22. 27. *Ego autem in medio vestri sum, sicut qui ministrat.* Vbi accuratâ locutione ministerium, siue famulatum, hoc est beneficentiam & liberalitatem in suos in medio collocauit, vt se vndique à Fortunâ discriminaret, de qua eleganter Seneca in consol. ad Marc. c. 10. *Vt varia, & libidinosa mancipiorumque suorum negligens domina, & pœnis, & muneribus errauit.* Id est cæca, & consilij expers neminem ex merito, aut puniet, aut honore afficiet: est enim medium iustitię locus, & iudicis sedes, qui velut centricum punctum, æque omnes partes respicere, æque ab omnibus distare debet. Cui quidem loco optimè etiam liberalitas incumbit, vt omnibus æqua, & in omnes partibilis sit. Ita Aug. in id Psalm. 45. *Deus in medio eius*, his verbis. *Quid est Deus in medio eius? hoc significat, quòd æquus est omnibus Deus, & personas non accipit, quomodo enim illud, quod in medio est, paria habet spatia ad omnes fines, ita Deus esse dicitur, æqualiter omnibus consulens.* Ad quem omnino modum Bernard. serm. 1. de Purificat. accepit Vatis verba Psalm. 47. 8. *Suscepimus Deus misericordiam tuam*: sic ea elucidans. *In medio enim templi misericordia est, non in angulo, aut diuersorio, quia non est acceptio*

Luc. 22. 27. *Senec.* *August.* *Bernard.*

acceptio personarũ apud Dominũ: in cõmuni posita est. Offertur omnibus, & nemo illius expers, nisi qui renuit.

10. Hinc venerabil. Gilbert. Abb. in allegor. Gotfr. Tilman. ad ea verba, 1. ad Corint. 13. 5. *Charitas non est ambitiosa*, sub eo sensu accepit Christum dici mediatorem, quod in medio sit, nec in vnam, aut in alteram partem se pertrahi sinat. *Communis est Christus, mediator quidem est; ideo eius non sunt, quæ media non sunt, sed in partem se restringunt.* Idem in loco crucis adnotauit Hilarius his verbis: *Locus deinde crucis talis est, vt positus in medio terræ, & tamquam in vertice huius vniuersitatis insistens ad capessendam Dei cognitionem, vniuersis gentibus esset æqualis.* Iuxta quæ videas Matt. 28. cum omnem sibi potestatem à Patre fuisse delatam affirmasset, subdidisse, *Euntes ergo docete omnes gentes, &c.* Quasi illa summi Principis debeat esse conditio, vt non huius, aut illius, sed omnium potius subditorum in medio positus curam gerat.

11. Hinc notabis varium loquendi modum, quo vsus est Dei nuncius, cum eius nomine, & Deiparæ, & Zachariæ de filiis nasciturís, euangelizauerit: nam huic dixit: *Vxor tua Elisabeth pariet tibi filium.* Lucæ 1. 13. Virgini verò. *Ecce concipies in vtero, & paries filium.* Lucæ 1. 31. Nec addidit tibi, vt dixerat Zachariæ, sed quare? Respondet Chrysologus serm. 142. *Quare? quia sanctum vocabitur filius Dei:* ac si diceret, quia alia filij Dei, alia filij Baptistæ lex est: hic enim patri singillatim, ac matri nascitur: at Dei filius non matri solum, sed omnibus indiscriminatim hominibus, vt communis orbis pater, ac sol oritur. Certè hunc Angeli sensum fuisse illud suadet, quod nato Domino, siue ipsemet, siue alius quispiam Angelus, Lucæ 2. 11. pastoribus, qui & plures erant, & Ecclesiam præfigurabant, dixit: *Ecce euangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo: quia natus est vobis hodie saluator:* vides non vni, sed multis, siue omnibus natum Dei filium. Adstipulatur his omnibus Eusebius, dum eam explicationem adhibet iis præfati Psalm. 47. verbis: *Iustitiâ plena est dextera tua:* vt velit Propheta Deum, non solum cum præmia, aut supplicia decernit, sed cum munera sua distribuit, & beneficia largitur (nam hæc à dextera Dei manu dimanare dicuntur) iustè, ac dextre se gerere, omnes iustæ æquitatis numeros, & modos sine personarum acceptione explens. En Eusebij verba: *Dextera ipsius illa benefica, & omnium bonorum donatrix impleta est æqualitate, & iustitia, & non est apud eum acceptio personarum.*

12. Redeo ad tabernaculi similitudinem, quam in hanc sententiam aucto censu vsurpauit Dauid Psal. 18. 5. dum de Deo ait: *In sole posuit tabernaculum suum*: vbi peculiarem vim habet, quod Dei tabernaculum in sole, qui communis mundi pater mediusque cœlis præsidet æquali beneficentia creaturas omnes lustrans, & fouens constitutum dicatur. Vndè Nazian. dum grauiter in Iulianum inuehitur oratione 3. quod regio edicto impius ille Augustus cauisset, ne in publico aliquo munere versarentur Christiani, sed foro, & Senatu pellerentur, pulchra hac, & ad præsens institutum opportuna exclamatione vtitur. *O leges, & legislatores, & Principes, qui quemadmodum cæli pulchritudo, & solis lumen, & aeris fusio communi, & perenni beneficentia omnibus patent, sic legum quoque vsum liberis omnibus hominibus ex æquo proposuistis.* Similiter tam apud Plutarchum lib. ad Principem indoctum, quàm apud alios passim scriptores iustâ similitudine Princeps hâc de causâ cum sole componitur. Quare, vt nimium iniustus, pessiméq; de toto orbe merens ille esset, qui solem, si posset, sub proprio tecto concluderet, cum perpetuæ inde mundo tenebræ succederent, ita grauem sibi Regni totius excitabit inuidiam, iustásque querimonias, qui ad suos tantum vsus, & commoditates Principem inflecteret. Sic quidem ex Platon. Tull. lib. 1. offic. illud Principibus potissimum præscribit, vt totum corpus Reip. curent, ne cum partem vnam solum tuentur, deserant reliquas.

13. Hinc emphaticè de Dauide populum rectè, & feliciter dirigente, atque gubernante, Ps. 77. 75. dicitur: *Et in intellectibus manuum suarum deduxit eos:* vbi cum manus ad beneficia, & munerum distributiones referantur: *manuum intellectus*, propriè significabit, munera cum ratione, & iudicio, habito meritorum discrimine, non temere, & proaffectus impetu distribuere. Est verò notandũ hâc potissimum ratione dici deductum populum: hoc est facili negotio, & suauiter gubernatũ. Optima erit ergo Principi norma in muneribus suis collocandis illa, quã Tullius in orat. aduers. Sallustium sibi ita præscribebat: *Non vni priuatim ancillatus sum, neque me addixi; sed quantumcunque quis Reip. studuit, tantum mihi fuit amicus, aut inimicus.* Sic ergo agat cum suis, sic se gerat, vt pro dignitate singulorum, & Reipublicæ vtilitate dona sua illis, & beneficia impertiatur; nec peculiari ratione non exigente inæqualia æqualibus præmia distribuat, ne ipsi obijciatur, quod Augusto Cæsari Celius apud Macrob. Nam iubente Cæsare, vt omnibus, qui secum pilâ lusissent, sestertia centena darentur; soli verò Celio quinquaginta: ille lepidè: *Quid ergo? ego vna manu ludo?* sed id sub fœdâ imagine pulchrè adumbrauit Senec. lib. 1. de benef. c. 14. *Quemadmodum meretrix ita inter multos se diuidit, vt nemo non aliquod signum familiaris animi ferat: ita qui beneficia sua amabilia vult esse, excogitet quomodo, & multi obligentur, & tamen singuli habeant aliquid, quo se cæteris præferant.*

14. Vt verò à cœno in cœlum, siue à luteâ hac imagine ad imaginem Dei transeam, præter superiùs de Assertore dicta vide illum ita, *in medio*, discipulorum ministrantem, hoc est, ita sua beneficia inter multos diuidentem, quo singuli aliquid haberent, quo se cæteris præferrent, vt infelicissimo etiam, & scelestissimo Iudæ peculiaria familiaris animi signa dederit, cum in primis hâc de causâ loculos ei tradiderit, ne inter cæteros inglorius esset; sic pensitante Ambr. lib. 1. offic. c. 16. *Loculos pecuniarum, quas pauperibus erogaret, cõmissos habebat, ne videretur aut quasi inhonorus, aut quasi egenus Dominum prodidisse.* Deinde extrema nocte singillatim cum ipso solùm in catino intingens, quod excelsæ cuiusdam gloriæ fuerit. Id enim Chrysost. in id Psalm. 40 *Homo pacis meæ, in quo speraui, qui edebat panes meos, &c.* sic sibi ex Euangelio persuadet: *In quo tantum sperauit Christus; idest, acquieuit, vt ipse comederet panes dominicos, in catino cum ipso solum intingens.* Et verò, vt hæc nobis noua, ita plura, quæ ignoramus, amoris signa feræ huic Dominum dedisse dubitari non potest.

15. Placere verò hæc doctrina, vel ea ratione, vt aliæ deessent, Principibus debet, quod iuxta illam dona sua fœliciter, & securè collocabunt: nam, vt dicebat Theodoricus: *Regia dona in vnum coacta depereunt.* Quo maximè facit Chrysostomi similitudo præcedenti annotatione tradita: *Si oculus omnem prouidentiam, & curam, quam pro vniuerso corpore habet, in solã manum deriuaret, ac reliquis membris omnibus contemptis, vni isti intenderet, an non totum perderet? absque dubio.* Ad quẽ etiam modũ Nicolaus Oresf. lib. de mutatione monetarũ, dũ ex Platon. tradit Rempub. quasi corpus quoddã, quod diuini numinis beneficio veluti animatur, & summo

æquitatis agitur metu, rectè subinfert male cum toto corpore, imò, & cum membro illo nimium aliis antehabito hac ratione agi; audi illum; *Corpus male disponitur, quando humores excessiui fluunt in vnum eius membrum, quod sæpè ex hoc inflammatur, & nimium ingrossatur reliquis exsiccatis, & nimium attenuatis, tollitúrque debita proportio, neque tale corpus potest diu viuere: ita conformiter est de communitate, vel regno, quando diuitiæ ab vnâ eius parte attrahuntur vltra modum.*

16. Arist. Catul. Arist. Parco aliis, hæc Aristotelis, & Catuli apud Dionem, auctoritate, & exemplis confirmauero. Ille siquidem lib. 5. Polit. c. 11. *Communis*, inquit, *custodia omnis dominationis vnius est, neminem vnum præ cæteris magnum facere, sed plures: nam se inuicem custodient.* Catulus vero in Dione lib. 38. sic monebat: (Dio.) *Primum hoc, & præcipuum dico non debere vni alicui viro tot imperia vnum ex alio committi, quòd & leges hoc prohibent, & experientiâ deprehensum est, rem eam esse longe periculosissimam; neque enim Mario alia causa fuit, cur talem se gereret, quam quod breui admodum temporis spatio tot bellorum administratio ei credita; consulatus sexies intra paucissimos annos mandatus est; neque Syllæ, quam quod postea, quã multis annis, absque vlla intercapedine exercitibus præfuisset, Dictator postea, ac deinde Consul creatus fuit:* subiicit rationem: *Ea quippè est natura humanorum animorum, vt non modo iuuenes, sed & ætate prouectiores postquam multum temporis in potestate transegerint, patriis moribus haud quaquam sibi viuendum ducant.*

17. Hæc, vt Principibus omnibus communia sint, Principes tamen Ecclesiæ, atque Prælatos acriùs pungunt, ne suis tantum addicti consanguineis, totum in eos Ecclesiæ, Christi sanguine cõparatum, diffundant patrimonium: non quod æquum nõ sit, Antistitem indigentibus consanguineis opem quam primum ferre: sed quod turpis prorsus vitiositas sit, omnes in illos Ecclesiæ dignitates congerere, vel thesauris Christi ditiores reddere. Sunt hæ sagittæ è pharetrâ Ambr. lib. 1. offic. c. 30. ad hunc modum (Ambros.) loquentis. *Est etiam probanda liberalitas, vt proximos seminis tui non despicias, si egere cognoscas. Melius est enim, vt ipse subuenias tuis, quibus pudor est ab aliis sumptum deposcere, aut alicui postulare subsidium necessitati; non tamen, vt illi ditiores eo fieri velint, quod tu posses conferre inopibus: causa enim præstat, non gratia. Neque enim propterea te Domino dicasti, vt tuos diuites facias: sed, vt vitam tibi perpetuam fructu boni operis acquiras, & pretio miserationis peccata redimas tua*; nec omittenda, quæ subdit: *Putant se parum poscere?* (consanguinei, siue consobrini ad patrui prouentus semper inhiantes, ac veluti sanguisugæ indesinenter dicentes, Affer, Affer) *pretium tuũ quærunt, vita tua fructum adimere contendunt. Et accusat quod eum diuitem non feceris, cum te ille velit æternæ vitæ fraudare mercede?* Hæc verissimè Ambros. cum quo omninò coniurat Hieron. ep. 13. sic monens: (Hieron.) *Videte, ne immoderato iudicio rem pauperum distribuatis, non pauperibus, & secundum dictum prudentissimi viri, hoc est, Ciceronis, liberalitas liberalitate pereat.* Ita ille, & benè quidem; perit enim liberalitate liberalitas, cum vni, quæ pluribus; diuiti, quæ pauperibus, sæculari, siue indocto, quæ non nisi sapientibus danda sunt, impertiuntur.

18. Iud. 17. 5. Quare errauit ille quidem, & vehementer errauit, qui Iudicum 17. 5. *Impleuit vnius filiorum suorum manum, & factus est ei Sacerdos:* sed cur? audi (Gloss.) in primis Glossam ibi, & deinde me: *Quia talis*, inquit, *non dat aliquid, nisi nepotibus, & consanguineis in vitâ, ac scientia defectuosis, quibus dat præbendas, si sit Episcopus; & bona Ecclesiæ, si sit inferioris gradus, & parum, & aut nihil dat pauperibus, & huic bene conuenit hoc nomen Michas, quod interpretatur, quis? id est, quasi nullus.* Hæc Glossa: quasi dicat nullum, id est, minimè idoneum Episcopali cathedræ, siue ecclesiasticæ dignitati illum esse, qui Christi patrimonium in consanguineos diffundit. Addo ad præfatum locum obseruanda esse illa verba, *impleuitque manum vnius filiorum suorum.* Quod perinde fuit, ac si ei, qui nobis obiiceret, cur filio, aut consanguineo dandum non esset, responderet sacer Scriptor; dandum quidem, sed non plenâ manu: ac si diceret, si alius fuisset, qui Sacerdos creabatur, daret ei, sed parcè, aut mediocriter, at quia filius erat, *impleuit manum: dos'e a manos llenas.* Videas sic sæpius Episcopos, aut ecclesiasticâ dignitate præditos viros, caute, & pedetentim ad opera misericordiæ facienda accedere, querulosque, ac pene inuitos viduę extremè indigenti epitogium impertiri; in nepotẽ verò, aut consanguineũ mille aureos annuos alacriter, & incunctanter profundere; sed nõn illis inuideas.

VERSVS IX.

Et hoc oro, vt charitas vestra magis abundet in scientia, & in omni sensu.

COMMENTARIVS.

CHrysostom. & Theophylact. eò existimant Pauli orationem, & affectum tendere, vt maiori in dies charitate illum Philippenses prosequerentur: *Etsi mirum in modum*, (inquit Theophilactus) *à Philippensibus coleretur Apostolus, cupit tamen magis, ac magis ab iis obseruari; est namque ingentis amoris indicium, vt aliorum quis profiteatur amore expleri nunquam.* Sic ille. Oecumenius verò, & alij ad charitatem erga alios, quam semper crescere cupit Apostolus, malunt referre, vti ad Roman. 13. 8. *Nemini quidquam debeatis, nisi vt inuicem diligatis.* Quod perinde est, ac si dicat. Quidquid aliis debueritis, persoluite; cui vectigal, vectigal; cui tributum, tributum; nec alicuius rei debitores sitis, nisi mutuæ dilectionis, nam eius nos nexibus oportet semper obstringi, quantumuis hoc debitum iterum, atque iterum soluerimus. 1. Chrysost. Theoph. — Oecumen. — Rom. 13. 8.

Neutra tamen expositio aliis interpretibus placet. Et quidem meritò, cum posterior Pauli cõtextui non satis quadret; prior verò tam à contextu, quàm ab instituto Apostoli dissideat. Quid quod à Pauli dignitate videtur aliena. Vt quid enim modestissimus Apostolus tam ardenter, ne dicam ambitiosè cuperet à Philippensibus magis, ac magis redamari, vt pro eâ te frequentes ad Deum preces funderet? Itane discipuli erga illum in amore frigescebant? itáne ipse hominum charitatis & studio, fluxæ, & penè inani rei pertinaciùs inhæreret? Sed, & quæ sequuntur in Paulo, apertè etiam iis expositionibus repugnant, subiungit enim, *in omni scientia, & sensu, vt probetis potiora, vt sitis sinceri, &c.* Quæ generalia sunt monita ad totam Christianæ perfectionis rem spectantia, & quæ non facilè sit cum charitate, vel erga Paulum, vel erga alios connectere. De charitate ergo, quæ in Deum fertur, quam Paulus magis, ac magis exuberare, & intendi pro more suo exoptet, vt hæc sibi constent, accipiendus est: ac si his verbis dicat, quamuis vestra in Deum charitas, vt benè noui, egregia sit; sed quæ mea est in vos beneuolentia maiorem illi accessionẽ indesinenter fieri exopto. Sic aliò respiciens dixit Fulgentius in præfatione 2. — Fulgent.

præfatione ad Monimum: *Sēper charitas pro iis, quos diligit poscit, dum etiam illa, quæ tuta sunt, metuit.*

3. Sed quid est charitatem abundare, *in scientia, & in omni sensu*? Pro, *scientia*, hic Græcè est, *epignosis*, quæ vox licèt composita, apud Paulum idem valet,

Rom. 15. 14. ac simplex, *gnosis*. Ita ad Rom. 15. 14. *Certus sum fratres mei, & ego ipse de vobis, quoniam & ipsi pleni estis dilectione, repleti omni scientia.* Est autem, *gnosis*,

Clem. Alexand. vt ex Clement. Alexandr. & Euseb. tradit Adamus, vocabulum proprium scholæ Christianæ, omnem doctrinam Euangelicam, & sacram complectens. Vndè, *scientiæ*, nomine non intelligit Paulus externam Philosophorum, aut sæcularium disciplinarum scientiam, sed doctrinam Ecclesiasticam, & cognitionem eorum, quæ ad fidem, & pietatem spe-

D. Th. Iust. Corn. ctant, vt benè D. Thom. Iustinianus, & Cornelius hic.

4. Non ita facilè explices quid altera phrasi, *in omni sensu*, velit Paulus. Cum sensui in Scriptura non vnus solum subsit sensus; sub alio enim dicitur,

Luc. 24. 45. Sap. 6. 16. Luc. 24. 45. *Aperuit illis sensum, vt intelligerent scripturas.* Ac Sapien. 6. 16. *Cogitare de illa sensus est consummatus.* Nam apud Euangelistam de oculis men-

Bed. tis, quibus, vt ibi inquit Beda, intelligis, quæ legis; apud Sapientem verò de perfectione prudentiæ, seu sapientiæ morum, sermo est. Vndè, *sensum*, sic explicat D. Thom. vt sit vis cognoscitiua circa obiecta exteriora, cuius proprium sit, vt rectè iudicet de proprio sensibili. Alij eam scientiam esse volunt, quæ à prioti differat, tanquam particulare ab vniuersali, vel tanquam practica à speculatiuâ. Alij tādem prudentiam, seu experientiam rerum esse affirmant. Sed quamuis hæc circa voces varient, nullum, vt opinor, de re ipsâ est discrimen. Apparet enim, *sensum*, hic sumi pro rectâ rerum æstimatione, siue eâ diiudicandi facultate, & rerum agendarum prudentiâ, quæ præscribit, quid, & quomodo quâuis de re sentiendum, quid hic, & nunc fa-

D. Thom. ciendum sit. Quare subdit D. Thom. *Ideo hoc nomen translatum est ad interius iudicium circa agibilia; sed hic sensus debet esse non tantum consideratiuus; sed etiam discretiuus inter bonum, & malum, & inter bonum, & melius.* Sic sanctus Doctor, ergo, *scientia*, apud Paulum ad speculationem; *sensus* verò ad operationem spectat.

5. Hinc non omninò abs re expendat aliquis discrimen, quod inter scientiam, & sensum constituit Paulus, dum de scientia non dixit: *in omni scientia*; sed simpliciter, *in scientia*; de sensu verò addit, *in omni sensu*: Eâ videlicet ratione, quod inter ea, quorum cognitio iuuat ad charitatem, plura operabilia, quam speculabilia sint. Quasi velit curandum nobis esse, ne quid eorum, quæ operari possumus ad salutem æternam consequendam, ignoremus: eorum verò speculabilium, quæ omnibus scire vtile est, cum pauciora sint; non adeò necessariam esse tam exquisitam eorum omnium inuestigationem; ad

Senec. Nazianz. quem modum dixit Senec. epist. 106. *Paucis est opus ad bonam mentem literis.* Similiter Nazianzen. orat. 16. *Alius contra exiguo ingenio est, & lingua pauper, nec verborum flexus, & captiones nouit; nec sapientum dicta, & ænigmata; nec Pyrrhonis instantias, aut assensus; retentiones, aut oppositiones; nec syllogismorum Chrysippi solutiones, aut prauum artium Aristotelicarum artificium, aut Platonicæ facundiæ præstigias, quæ velut Ægyptiaca quadam plaga in Ecclesiā nostram irrepserunt. At hic quoque habet vnde salutem consequatur. Quibus tandem verbis? (O mirifi as diuinæ gratiæ opes) nihil (inquit Roman. 12.) tibi necesse est in cœlum ascendere, vt Christum illinc trahas, nec in abyssum descendere, vt hinc eum à mortuis extrahas, nimirum, vel primam ipsius naturam curiosius inuestigans, vel postremam carnis assumptæ dispensationem. Propè te, inquit, verbum, & mens, & lingua thesaurum hunc habent, illa videlicet credendo, hæc confitendo, quid iis diuitiis compendiosius?* Hæc Nazianz. Quasi dicat, ô quam paucis literis, vt salutem assequamur, indigemus, quam nihil opus est Christiano penitissimorum, & abstrusorum mysteriorum subtilissimas rationes, dissertationes, solutiones pernosse.

Sed non satis firma ea obseruatio redditur ex prædictis verbis ad Romanos, *pleni estis dilectione, repleti omni scientia*, nisi velis Apostolum ibi, cum 6.
sensus mentionem non fecerit, scientiæ nomine, & speculatiuam scientiam, & practicam, seu cognitionem rerum, quæ ad salutem spectant, & rectum mentis iudicium comprehendisse. Quomodocunque id sit, ad hunc scientiæ, & sensus nexum à Paulo adhibitū, opportunè videtur locutus Senec. lib. 7. de benef. cap. 1. dum, quæ discenda, & quem ad finem, sic tractat: *Egregiè enim hoc dicere Demetrius Cynicus, vir meo iudicio magnus, etiam si maximis cōparetur, solet*, plus prodesse, si pauca præcepta sapiētiæ teneas: sed illa in promptu tibi, & in vsu sint: quam si multa quidem didiceris, sed illa non habeas ad manum: *Quemadmodum* (inquit) *magnus luctator est, non qui omnes numeros, nexusque perdidicit, quorum vsus sub aduersario rarus est, sed qui in vno se aut altero bene, & diligenter exercuit, & eorum occasiones intentus expectat: nec enim refert, quam multa sciat; si scit quantum victoriæ satis est; sic in hoc studio multa delectant, pauca vincunt.* Ita Seneca. Senec.
Et post nonnulla, *Si animus fortuita contempsit, si se supra metum sustulit, nec auidâ spe infinita complectitur: sed didicit à se petere diuitias: si deorum, hominumque formidinem eiecit; si contemptor omnium, quibus torquetur vita, dum ornatur, eò perductus est, vt illi liqueat mortem nullius mali esse materiam, multorum finem: si animum virtuti consecrauit, & quacunque vocat illa, planum putat: si sociale animal est, & in commune genitus, mundum, vt vnam domum spectat, & conscientiam suam diis aperit, semperque tamquam in publico viuit: si se magis veritus, quam alios; subductus illis tempestatibus in solido, ac sereno stetit, consummauit scientiam vtilem, atque necessariam.* Hactenus Senec.

Consentanea scripsit de prudentiâ Plutarchus 7.
in commentario de fortuna, quæ phrasi, *sensus*, in Plutarch.
eâ significatione, qua à Paulo accipitur, explicandæ vndique quadrant; sunt ista: *Auri verò, & argenti, qui magnam vim congessit, mancipiorumque agmine se, & laxis atriis succinxit, ac lectos: mensasque exposuit sumptuosas, num existimat hæc, si absit prudentia, felicitatem sibi fore, vitamque lætam, beatam, & immobilem? Quæsiuit quidam ex Iphicrate duce, coarguendi eius causa, quis esse t? Neque enim eum legionarium esse, non sagittarium, non cetratum. Cui ille. Is sum, inquit, qui omnibus his impero, & vtor; non est aurum prudentia, non argentum, non gloria, non opes, non sanitas, non vires, non forma decor. Quid est ergo? Nempè, quod hisce omnibus vti valet rectè, & per quod vnumquodque iucundum, honorificum, & vtile redditur, quo sine, incommoda, infrugifera, & noxia euadunt, grauantque, & dedecorant possessorem.* Ita Plutarchus.

Hinc, vt aliæ toti huic sententiæ Pauli reddi pos- 8.
sint expositiones; illa simplicior, & congruentior esse videtur, quæ Iustiniano, & aliis pene omnibus placet; vt charitatem abundare, *in scientia, & in omni sensu*, idem sit, ac simul cum scientiâ, & sensu excrescere, atque hæc Pauli oratio eadem

1.Petr 3.18. cum illo Petri monito 2.ep.3.18. *Crescite in gratiâ, & in cognitione Domini nostri*: quæ Græcè sic habêtur, Isai.33.6. *augescite in dono, & pulchritudine, & notitia, sciētiaque Domini nostri*. Sanè ab Isaiâ eæ potissimū redēptionis nostræ opes à filio Dei nobis allatæ, sciētia, & charitas, sic recensentur, c.33.6. *Diuitiæ salutis, sapientia, & scientia; timor Domini ipse est thesaurus eius*: LXX. pro quibus LXX. reponunt, *in thesauris salus nostra, ibi sapientia, & scientia, & pietas erga Dominum*: quæ à Paulo videntur expressa, dum charitatem, & scientiam ad salutem prærequiri, nec absque speciali Dei dono nobis obtingere affirmat: inquiens se ad Deum ea de re preces profundere. Sic August. dixit Aug. ep.143. *Non tantum in hoc nos adiuuat Deus sua gratia, vt amando agamus, quod discendo iā scimus, sed vt sciamus quid agēdum sit, ita, vt nemo possit esse continens, nisi Deus det, & neque hoc ipsū sciens.*

9. Addo ad eum etiam modum hæc verba accipi posse, vt illis moneat Paulus, hunc potissimū scientiæ fructum esse, vt ad charitatem, & pietatem dirigatur, atque ideo, *in scientia*, positum sit, pro, *media scientia*, iuxta frequentes Scripturæ locutiones, in quibus præpositio, *in*, denotat virtutem instrumēti, siue medij, quo finis præoptatus intēditur, vt percutere in gladio, seu in ore gladij. & Ps.37.6. *In securi,* Psal. 37. 6. Psal. 43. 4. *& ascia*. Et Ps.43.4. *nec enim in gladio suo possederunt terram*: & vers.7. *non enim in arcu meo sperabo*, quod statim explicat, *& gladius meus non saluabit me*: & Ps.103.24. *Omnia in sapientia fecisti*: & apud Ps. 103.24. Paulum hâc eadem epistola, c.4. *Omnia possum in eo, qui me confortat*, id est, per eum, qui me confortat, vt legit Athan. sermone de cruce, & passione, *per fortificātem me Iesum Christum*: quasi id solum Paulus Athanas. scientiæ tribuat, vt instrumenti rationē ad charitatem comparandam habeat, simulque adstruat charitatem finem esse, ad quem mediā scientiā tendendum sit, nec alium nobis scopum in addiscēdis literis, legendis libris, euoluendis scripturis, & multiplicibus ex eis sensibus eruendis præfigendū esse, nisi, vt hæc omnia ad profectum spiritualem nos manuducāt, ne videlicet sapientissimis quibusque, infantulorum sensus, & verba apud Isaiam 28. 13. Isa.28. 13. indesinenter dicentium, *manda, remanda, expecta, reexpecta: modicum ibi, modicum ibi*, aptari possint. Rich. Ea enim sic opportunè ad hanc rem exponit Richard. in allegor. Gotfr. Tilman. *Quotidie, ni fallor, vos, qui lectioni, & meditationi insistitis, eius* (Dei) *nuntios suscipitis, mandata cognoscitis, quoties ex abditis scripturarum recessibus nouos intellectus eruimus, quid aliud, quam quosdam dilecti nostri nuntios suscipimus? & quam multi sunt, qui eiusmodi nuntios quotidie accipiunt, de tempore tamen pristino, vel negligentia parum, aut nihil corrigere volunt. Sciunt sane vnde possunt gloriari, non tamen ædificari, scientiam quidem, non sanctitatem affectaut, & non tam sancti, quam scioli esse desiderant. Dum igitur quotidianis nisibus nouos sensus quærita…t, quid aliud, quam*, manda, remanda, *per studium clamant*? Alias expositiones, his non dissimiles in adnotationibus persequemur.

ADNOTATIO I.

Parentes magis sollicitos de spirituali filiorum profectu, quam de externis bonis esse oportere.

1. Caiet. BENE Caiet. hic, *ecce quò tendant desideria hominis secundum viscera Iesu Christi, non ad diuitias, ac sanitatem, aut vitam corporis; sed vt charitas in Deum, & proximum crescat.* Nimirum hoc modo filiis suis Christus benè vult, dum eos ad quærendum regnum Dei, & iustitiam eius, & ad terrenorum curam abiiciendam passim vrget. Quid quod, cum nos orare perdocuit, omnia ad animæ salutem, nihil ad corporis cōmodum retulit, vt alibi ostēdo, & modo ex Isid. Pelus. lib.2. ep. 282. ita confirmo: Isid. Pel. *Oratio ea, quam Dominus discipulos docuit, nihil terrenum habet, sed omnia cœlestia, & ad animæ vtilitatem tendentia; non enim imperiū, non opes, & copias, nō pulchritudinem, non robur, non aliud quidquam ex iis, quæ cito flaccescunt, postulare docet.* Sic Isid. Nec aliâ etiam ratione suis Deum consulere, ita monet Gentilis Senec. lib. de prouid. c. 4. *Nobis Deus consulit,* Senec. *quos esse quam honestissimos cupit*, & c.6. *Omnia mala à viris bonis remouit, scelera, & flagitia, & cogitationes improbas, & auida consilia, & libidinem cæcam, & alieno impendentem auaritiam.*

Quò facit ingens illud discrimen, quod inter paternas benedictiones quas à patre Isaac, & fœlicissimus Iacob, & miserrimus Esau hæreditarunt, sub iisdem fere verbis intercedit, Gen.27.28. nam Iacob Gen.27.28. optimi patēris vicem reddēs, plenissimūque amoris affectum ostendēs, sic inquit Isaac: *Det tibi Deus de rore cæli, & de pinguedine terræ*; ad Esau vero, ad infœlicem inquam illum, abdicatū, & à sorte sanctorū amandatum, hæc ait v.39. *In pinguedine terræ, & in rore cœli desuper erit benedictio tua*: sed vbi ingens illud discrimen? nonne vtrique cœli rorem, & pinguedinem terræ exoptat? respōdet Tert. lib.3. con. Tertul. Marc. c. vlt. *Animaduersēda est structura benedictionis ipsius: nā circa Iacob, qui quidē posterioris & prælatioris populi figura est id est, nostri, prima promissio cœlestis est roris, secunda terrenæ opimitatis, non enim primò ad cœlestia vocamur, cū à sæculo auellimur, & ita postea inuenimur terrena consecuturi, & Euangelium quoque vestrum habet.* Quærite primum regnum Mat.6.33. Dei, & hæc adiicientur vobis. *Cæterum ad Esau promittit benedictionem terrenam, & subiicit cœlestem*: de opimitate terræ, *dicens*, erit inhabitatio tua, & à rore cœli. Hæc ille. Quasi ex Tertul. mente ille paternæ Isaac in Iacobum beneuolentiæ egregius index fuerit, quod ad Pauli modum cœlestia illi, quam terrena optauerit. 2.

Est tamen adhuc hâc ipsa in re, quod obserues: 3. nempe Iacobum vnâ ex parte fratris sui Dominum à Patre constitutum: sic enim ibi vers.37. *Dominum tuum illum constitui.* Ex aliâ vero Esau, qui fratri in seruum erat addictus, abundantem, florentemque in paternâ domo fuisse relictum, dum Iacob in Haran, nullo ei ingesto subsidio, sed bonis omnibus destitutus mittitur. Siccine cum charissimo filio, & cum seruo agitur, vt huic copia, illi inopia succedat? Ita planè: is enim Deo educandi filios mos est. Audi Senec. Senecam præfato loco, vbi Deum cum suis sic loquentem facit. *Quid habetis, quod de me queri possitis vos, quibus recta placuerunt? Aliis bona falsa circūdedi, & animos inanes velut longo, fallacique somnio lusi, auro illos, argento, & ebore ornaui: intus boni nihil est; isti, quos pro felicibus aspicitis, si non qua occurrunt, sed qua latent, videritis, miseri sunt, sordidi, turpes, ad similitudinem parietum suorum extrinsecus culti. Vobis dedi bona certa, mansura; quanto magis versaueritis, & vndique inspexeritis meliora, maioraq;, permisi vobis metuenda contemnere, cupienda fastidire: nō fulgetis extrinsecus: bona vestra introrsus obuersa sunt.* Hæc ille. Ad quem etiam modum Plutarch. in lib. Plutarch. de discr. adul. & amic. hunc lydium lapidē ad verū amicum ab adulatore discriminandum proponit, si animi dotes, non corporis bona ei, quem diligit, exoptet: sic enim ille: *cum animi nostri pars vna veritati; atque honestati dedita rationi rectè obtemperet;*

pitet; altera bruta sit, falsi appetens, incertisque obnoxia motibus, amicus quidem semper in potiorem partem consulit, & huic patrocinatur, medicorum exemplo, quod sanum est, id augens ac tuens; adulator autem brutæ, & affectibus obnoxiæ parti assidet, hanc scabit, ac titillat.

Deum quidem in affectu erga filios imitari vi-
4. debatur sanctus Iob, cui nulla de externis filiorum incrementis; omnisque de animæ profectu cura erat. *Nam consurgens diluculo offerebat holocausta pro* Iob c.1.5. *singulis. Dicebat enim, ne fortè peccauerint filij mei, & benedixerint Deo in corporibus suis.* Quæ verba sic elucidat Chrys. ser. 3. in hanc epist. *Hoc modo consu-* Chrysost. *litur liberis, non dicebat, quod plerique homines solent: opes illis relinquam, non dicebat, gloriam illis comparabo, non dicebat, mercabor illis principatum, non dicebat, agros emam: sed quid?* Ne quid cogitauerint in cordibus suis. *Quæ enim ex rebus illis vtilitas, cū hic restent? nulla; illum, inquit, omnium Regem propitium illis reddam, & nihil ipsis posthâc deerit.* Hæc, & plura ibi Chrys. Sed in præfatis Iob verbis illud subinde obserua, tam impensè illum spirituali filiorum bono consuluisse, vt & cogitationum etiam illorū curam haberet: *Ne fortè,* inquit, *benedixerint Deo in cordibus suis*; sic id obseruante Origene, lib. 1. in Origen. c. 1. Iob: *Dico, beate Iob, quomodo permitteres, vt aliquid mali filiis tuis in verbis, atque operibus euidentioribus eueniret, qui pro occultis, & subditis, aut omnino forsitan non existentibus ita nimium sollicitus fueris, atque curam gesseris, qui sollicitus, atque metuens dixisti. Ne fortè filij mei in corde suo, mali aliquid cogitauerint aduersus Deum, ne fortè de impudicitiâ cogitauerint, ac fortè ad impietatem declinauerint, ne fortè illicita meditati fuerint, ne fortè iniusta cōcupierint, ne fortè aliqua radix amaritudinis exorta in animis eorum ipsis nocuerit? Hæc, atque his similia plurima intra semetipsum tractans beatus Iob dixit.* Ne fortè filij mei in corde suo mali aliquid cogitauerint.

Quâ sane doctrinâ præeunte intelliges, quî in
5. cæde innocentium Matthæus cap. 2. 18. vsurpauerit
Matt. 2. 18. Iere. 31. 15. verba Ier. 31. 15. *Vox in Rhama audita est: ploratus, & vlulatus multus, Rachel plorans filios suos.* Nā duplex hic nodus reperitur; alter quòd Rachel filios deflēs indueatur, cui nemo filiorum eâ superstite occubuit. Quem si solueris ex Patribus affirmans, Rachel in Genesi Ecclesiæ Christianæ typum gerere, ideoque de filiorum amissione tristari; alter magis implexus succedit, cur Ecclesia de putis innocentium victimis, qui flores iucūdissimi, gratissimæque epulæ Deo erant, quique ipsammet Ecclesiam mirè ornant, tam acriter doleat, vt omnem sibi adhibitā consolationem respuat? Subdit enim Matth. *Et noluit consolari, quia non sunt.* Certè Paulus, & fideles de dormientibus contristari vetat, quòd non amissi, sed transmissi in beatitudinem sint; & consolari inuicem præscribit, *in verbis istis*, 1. ad Thessalon. 4.
1. Ad Thessal. 4. 18. 18. Ergo respondet Hilar. can. 1. in Matth. Ecclesiæ
Hilar. tristitiam non esse de gloriosâ innocentium cæde; cum in ipsis locū id non habeat, *quia non sunt*; quippe qui erant, & gloriosiùs erant, sed potius de iis, à quibus ipsi perimebantur, nimirum, qui vt superstites, & florentes essent: at Deo per culpā mortui erant; ideoque iure dictum, *non sunt*, meritóque optimam matrem nullam tanto dolori supparē inuenisse consolationem. Sed audi Hil. *Cuius ploratus ex filiis non idcirco, quia peremptos dolebat auditur, sed quia ab his perimebantur, quos primum genitos filios retinere voluisset. Denique consolari se noluit, quia dolebat, non enim non erant ij, qui mortui putabantur: in æternitatis enim profectum per martyrij gloriam efferebantur. Consolatio autem erat rei amissæ præstanda, non auctæ.* Hæc Hilarius optimæ matris optimum sensum explicans.

En quomodo ad Christi exēplum Paulus, Iob, sanctique parentes filiis suis consulant. Iā verò quā 6.
alia nostræ tempestatis exempla sunt; dum non cœlestibus inhærentem animum, non charitatē magis, ac magis excrescentem, sed caduca, ac peritura bona filiis suis patres ardentius exoptant; audias enim frequentius illos eam filiis admonitionem dantes, quam Augustino, dum puer esset, & à parente in scholā mittebatur, ipse sollicitus ingerebat, vt Aug. sic commeminit lib. de discipl. Christ. c. 11. rom. 9. August. *Parentes nostri quando nos in scholam mittebant, non hoc nobis dicebant, discite literas, vt habeatis, vnde legere possitis codices dominicos, discite literas, vt sitis vtiles Ecclesiæ, vtiles Reip. nec ipsi Christiani filiis suis hoc dicūt, sed quid dicūt? disce literas mi fili, vt sis homo: quid enim, modo pecus sum? non quidē hoc dico, sed vt sis homo, hoc est eminens inter homines, illustris, & conspicuus. Vndè & illud prouerbium: quantum habebis, tantum eris.* Hæc Aug. de parente suo, quem ob oculos habere videbatur Salu. Massil. lib. 1. ad Eccl. sic inquiens. *Quid æstuas, paterna pietas, ad conquirēda terrena, & peritura? nihil maius filiis tuis præstare possis, quā si hoc bonū per te habeāt, quod nūquam penitus amittant; non ergo necesse est, vt filio tuo terrenos thesauros abscondas, nulla re eum facies ditiorem, quam si filium tuum thesaurum Dei feceris.*

Quò videtur spectare grauis illa Dei querimonia, Ier. 7. 18. *Filij colligunt ligna, patres succendunt* 7.
ignem, mulieres conspergunt adipem, vt faciant placētas Reginæ cæli, & libent diis alienis, & me ad iracundiam prouocent: Quasi dixerit Dominus, eò inconsultum parentum amorem deuenisse, vt non modo non coercerent filios, dum noxiarum cupiditatum ligna, quæ ab ipsis naturaliter germinant, indesinēter colligunt; sed ardentes illis faces admouerent, cum matres adipe blanditiarum eos fouent, patres verò ad libandum Reginæ cæli, hoc est ad sæculi bona conquirenda, florentisque fortunæ auram captandam, acriter accendunt; vel audi Satyrographum satyr. 14. & Senecam sui nostrique temporis parentes describentes ad hunc modum. Iere. 7. 18.

Et pater ergo animi felicis credit auaros,
Qui mirantur opes, qui nulla exempla beati Iuuenal.
Pauperis esse putant: iuuenes hortatur, vt illam
Ire viam pergant, & eidem incumbere sectæ.
Sunt quædam vitiorum elementa, his protinus illos
Imbuit, & cogit minimas ediscere sordes.

Plenius autē Senec. ep. 60. *Queror, litigo, irascor, etiā nunc optas, quod tibi optauit nutrix tua, aut pædagogus,* Senec. *aut mater? Nondum intelligis, quantum mali optauerint, ô quam inimica sunt nobis vota nostrorū! eò quidem inimiciora, quò cessere feliciùs, iam non admiror si omnia nos à prima pueritia mala sequuntur, inter execrationes parentum creuimus, exaudiant quoque dij nostram pro votis vocem gratuitam,* idest, vt benè explicat Iustus Lipsius, quę mercedem non trahat, externa non poscat. Similiter ep. 11. *Surdum te amantissimis præsta, bono animo male precantur, & si vis esse* Idem. *fœlix, Deum ora, ne quid tibi ex iis, quæ tibi optantur, eueniat. Non sunt ista bona, quæ in te isti volunt congeri, vnum bonum est, quod beatæ vitæ firmamentum est: sibi fidere.* Hæc Senec. optimo quidem iure iratus, & litigans. Vnde ipsi omnino consentit Chrys. lib. 3. aduers. vituper. vit. monast. grauiter, atque sa- Chrysost. pienter affirmans, inde omnia filiorum mala prouenire, quod ipsis parentes tanto ardore bona sæculi concupiscant. Audi. *Nulla aliâ ratione, peruersi vt sint filij, contingit, nisi quod eorum parentes circa*

vitæ præsentis commoda, æquo amplius incumbunt, & fere dixerim, insaniunt: cum enim ista solummodo inquirunt, nihilque illis præferendum censent, & suam pariter, & liberorum animam negligere coguntur. Hos ego patres parricidis immaniores dixerim, illi enim corpus ab anima separant, isti & corpus, & animam æternis ignibus tradunt.

8. Marc. 9. 16. Est verò ad hoc institutum peropportuna ea historia, quam refert Marcus cap. 9. 16. de adolescente illo, quem nequam spiritus adeo vehementer angebat, vt eius parés Assertori nostro diceret: *Vbicumque eum apprehenderit, allidit eum, & spumat, & stridet dentibus, & arescit, & dixi discipulis tuis, vt eijcerent eum, & non potuerunt.* Subdit Marcus. *Et attulerunt* (ad Dominum) *& cum vidisset eum, statim spiritus conturbauit illum, & elisus in terram volutabatur spumans.* Sed dum ea omnia secum ad nostri institutionem pendit Dominus, à parente sic perquirit. *Quantum temporis est, ex quo ei hoc accidit?* Cui parens,, *ab infantia.* Quid? ignorabat ne Dominus quantum temporis esset, ex quo adolescenti tantum malum accidisset? Apage. Sed tamen voluit nescio similis (ô medicum sapientissimum) id à parente interrogare, vt dum ipse ab infantiâ dæmoni obnoxium fuisse puerum fatetur, simul prodat se mali illius reum, & auctorem esse: ita id expendente Chrysolog. serm. 51. *Requirit passionis tempus auctor temporis, medicus passionis tempus requirit, non vt nesciens: sed vt sciens nescientibus prodat; denique interrogatione tali tempus aperit, ætatem pandit, reuoluit infantiam, vt tanti mali causa non tangat sobolem; sed parentem.* Affinitatem nonnullam cum his habere videntur ea verba mulieris Chananææ ad Dominum. Matth. 15. 22. *Miserere mei Domine fili Dauid, filia mea malè à dæmonio vexatur*; misericordiam enim non tam filiæ à dæmonio vexatæ, quam sibi ipsi postulat; forsan quod ipsa mali causa potissimum fuerit. Habet vero nonnihil emphasis lectio Syriaca, quæ habet, *miserere super me*, quasi super matris culpam Christi misericordia caderet.

Chrysol.

Matt. 15. 22.

9. Hinc non miraberis Dominum, cum in Ierosolymitanos peccatores vltimum supplicium decreuit, simul præcepisse, vt innoxij etiam infantes indiscriminatim interficerentur. Sic enim Ezech. 9. 6. *Senem, & adolescentulum, & virginem, paruulum, & mulieres interficite vsque ad internecionem.* Nã dum accuratè ibi ab interpretibus differitur, quid fuerit in causa, quod innocentes pueri eâdem, quâ peccatores nocentissimi pœna inuoluerentur? illa omniũ optima ratio esse videtur, quæ ab scholiaste Græco affertur, nimirum talem puerorum viuẽdi rationem de pessimâ parentum educatione sperandam, siue potius timendam fore, vt mitius, clementiusque multo cum illis actum fuerit, si immaturâ morte afficerentur, quam si iis educandi parentibus relicti fuissẽt, qui parricidis immaniores: vt dicebat Chrys. circa vitæ præsentis commoda æquo amplius incumberent. Ad eum sane modum, quo de Hipponensi quodam Cyrillo inquit Aug. ser. 33. ad fratr. *Filium vnicum habebat, quem superflue diligebat, & supra Deum; ideo superfluo amore inebriatus illum corrigere negligebat, dans ei potestatem faciendi omnia, quæ placita essent illi.* Vndè sic statim exclamat. *O dolosa libertas! O grandis filiorum perditio! O paternus amor mortiferus! ecce filios se dicunt diligere, quos iugulare procurant; dicunt eos amare, quibus iam suspendia parant.* Quibus proxima sunt, quæ Bernard. epist. 2. iacit in Fulconis monachi auunculum, qui noxiæ cupiditatis potius, quam veræ beneuolentiæ impetu abreptus. à religionis claustris nepotem dolo extraxit, sic namque Bernard. *Sed quid de auunculi dicam malitia? qui à Christi militiâ retrahit nepotes suos, vt secum trahat ad inferos? Ita ne solet beare amicos? Quos Christus vocat secum in æternum mansuros, auunculus reuocat secum in æternum arsuros: Christus dicit*, sinite paruulos venire ad me, talium enim est regnum cœlorum. *Auunculus ait: sinite nepotes meos, vt ardeant mecum. Christus dicit: Mei sunt, mihi debẽt seruire. Sed oportet, inquit auunculus, eos mecum perire. Sic carnalis auunculus contra patrem spirituum pro nepotibus certat, quos dum bonis cupit onerare terrenis, cœlestibus exhæredat.* Sunt verò iis persimilia, quæ de molli educatione Sexti Papinij equitis Romani, cuius occasione ille semetipsum in præcipitium dedit, sic scripsit Corn. Tacit. lib 6. Annal. *Iisdem diebus Sextus Papinius consulari familiâ, repentinum, & informem exitum delegit, iacto in præceps corpore; causa ad matrem referebatur, quæ pridem repudiata adsentationibus, atque luxu pepulisset iuuenem ad ea, quorum effugium non nisi morte inueniret.* Vt appareat quo tendat carnalis parentum amor. Ecce filios se dicunt diligere, quos iugulare procurant: dicunt eos amare, quibus iam suspendia, siue præcipitia parant. Quare non omittendum præclarum Rom. Senat. iudicium super Papinij morte, quod præfato loco sic appingit Tacitus. *Igitur accusata in senatu, quamquam ad genua patrum aduolueretur, luctumque communem, & magis imbecillum tali super casu fœminarum animum, aliaque in eundem dolorem mæsta, & miseranda diu ferret; vrbe tamen in decem annos prohibita est, donec minor filius lubricum iuuentæ exiret:* Sane quasi puer ille magis orbus, atque desertus præsente matre, quam absente censeri posset.

August.

Bernard.

Corn. Tac.

Hinc placet rursus premere superiora Pauli verba, *Cupiam vos in visceribus Iesu Christi*: quibus hæc subnectit: *& hoc oro, vt charitas vestra, &c.* vt illud videatur Apostolus constituere discrimen inter Christum, & carnales parentes, quod ille, vt qua Deus, animarum parens; quâ Deus & homo, earumdem regenerator, & redemptor est, ita animarũ bonorumque spiritualium, quæ eas decent, perpetuam sollicitudinem gerit: hi verò, cum non animarũ filiorum, sed corporum tantum parentes, & genitores sint, quæ ad eorum corpus spectant, curãt, procurant, nihil de animi bonis curantes, ac si ad eos nihil attinerent. Obseruarunt id quidem Auctor oper. imperfect. in Matt. ho. 35. & Greg. Naz carm. de virginit. His ille verbis. *Corpus natorum suorum amant, animam autem contemnunt. Desiderant enim illos valere in sæculo isto, & non curant, quid passuri sint in alio. Alij militias filiis suis prouident, alij honores, & nemo filiis suis prouidet Deum. Perditionem illorum cum magno pretio comparant: & salutem illorum, nec dono accipere volũt. Si viderint illos pauperes, tristantur, & suspirãt: si autem viderint illos peccãtes, nemo tristatur, vt ostendant quia corporum sunt parentes, non animarum.* Sed luculentius Theologus. 10.

Auct. imperf.

Nazianz.

Non homo totum hominẽ, veluti de more loquũtur,
Progignit, verum crassæ tantummodo carnis
Est pater, & calidi dat semina prima cruoris,
Quorum vtrumque graui corruptum morte peribit.
Ast anima in corpus diuino condita flatu,
Immeat externè: Nouit Rex ille supremus,
Quo primum pacto flauit, terræque iugauit
Augustam effigiem. Porro ne dicere falsum
Censear, ipsa tuo locuples mihi testis amore
Esse potes; nec enim perfectus, & integer ille est;
Non etenim natorum animas: sed corpora sola
Diligis, & magno, cum sunt male sana, dolore
Afficeris: rursus gaudes florentibus illis:
Nam nullo grauius mentes vtriusque parentis

Ex

Excruciat, vel parua lues, quæ membra suorum
Inficiat, quam magna animi labesque, luesque,
Cur? quia non animas illi, sed corpora gignunt.

Matth. 20. 20. Videtur autem huc facere periphrasis illa, Matth. 20.20. qua Mariam Salome non matrem Iacobi, & Ioannis, pro quibus temporalia bona efflagitabat, sed matrem *filiorum Zebedæi*, emphaticè appellauit, nimirum mater temporalium bonorum sollicita, vera, & germana mater filiorum non erat; vnde potius Zebedęus, qui vt vita functus non terrenas has: sed cœlestes filiis suis sedes exoptabat, filiorum pater dici debuit. Illa verò vera, & legitima filij sui mater existebat, quæ, vt ipse martyrij palmam adipisceretur, eius se matrem esse sic negabat apud Nyssen. Nyssenum, orat. 2. in quadraginta martyres. *Non meus filius es tu, non mei partus germẽ; quoniam Deum recepisti, secundum Deum natus es. Accepisti potestatem, vt filius Dei fias, curre ad Patrem tuum, ne relinquaris à tuis coæuis, ne secundus ad coronam venias, ne irritum facias votum maternum, non offendes, non molestia afficies matrem, si victor coronatus, si signifer, & triumphator euaseris.*

Ad illa verba. *Vt charitas vestra magis abundet.*

ADNOTATIO II.

Charitatem in Deum indesinenter crescere debere.

1\. HIs optimè verbis, & profectum, quem in Philippensibus exoptabat, & veræ charitatis naturam descripsit Paulus. Est enim charitatis proprium maiora in dies incrementa per-Gilbert. cipere. *Oleum enim est amor* (inquit venerab. Gilbert. serm. 19. in Cant.) *quod stare nescit, nisi cum vasculum desit, nisi quod nec tunc nouit compesci. Musti præfert Amor insigne, quod natiuitatis suæ feruore quodam, & velut ætatis lasciuia excrescit, & superfluit, capi nesciens, & nouo semper efferuescit, & fermentatur affectu.* Sed hæc pensiculatius, & quasi per August. partes, & gradus suos sic exposuit August. tract. 5. in epist. 1. Ioann. *Numquid charitas mox vt nascitur, iam prorsus perfecta est; vt perficiatur nascitur, cum fuerit nata, nutritur; cum fuerit nutrita, roboratur; cum fuerit roborata, perficitur; cum ad perfectionem* Ad Phil. 1. *venerit, quid dicit?* Mihi viuere Christus est, & mori lucrum.

2\. Psalm. 44. Quò facit in diuino illo Epithalamio Psalmi 44. cum prius de sponsa dictum esset. *Adstitit Regina à dextris tuis in vestitu deaurato*, postea subiici: *omnis gloria eius filiæ Regis ab intus in fimbriis aureis.* Vbi merito ambigitur, cur, dum vestis ipsa non aurea, sed deaurata dicitur, ipsius fimbriæ non deauratæ etiam, sed aureæ dicantur? Sane quia cum ea sit charitatis natura, vt nata nutriatur; nutrita roboretur; roborata perficiatur: perfecta dicat, *Mori lucrũ*; merito in principio, tamquam minus perfecta, non aurea: sed deaurata; ad finem verò vitæ, vt roborata, & perfecta, Christoque vndique adhærens, non deaurata; sed omnino aurea dicitur. Ita pene Paschas. Paschasius in commentario eius Psalmi, his verbis: *Cum fimbriæ aureæ dicuntur, diuinus sensus introducitur. Quia cum superius Regina in vestitu deaurato stare dicatur, hic fimbriæ eiusdem vestis aureæ leguntur: ex quo intelligitur, quia perfectior, & pretiosior semper esse debet finis vitæ, quam principium. H.c quippe vestis, dum vita hominis super terram versatur, semper texitur. Idcirco per fimbrias, vita hominum significatur extrema, quam non deauratam, vt supra vestis fuisse monstratur: sed auream esse totam debere, ostenditur. Quia in fine vitæ tota perfectio amoris Dei quæritur.*

Equidem in sacro Cant. libro, vbi de mutua cœlestis spõsi, & animæ charitate agitur, ij, qui Christi amore flagrantes dicuntur, adolescentularũ nomine appellantur. Quod si inquiras, cur non potius viri ætate perfecta, aut matura senes vocentur? Respondet Nyssenus; causam esse, vt animi robur, & firmitas significetur: qui neque propter infantiam caret sensu, neque ob vetustatem est imbecillis. Bene quidem; sed addas velim, ideo potissimũ adolescentulas amantes induci, vt sub ea ætate, quæ cõtinua incrementa suscipit (quod vel ipsũ nomen ostendit) charitatis naturam quotidiana incrementa exigentis, nos diuinus spiritus doceret. Vnde de amore tepido, & remisso, qui certis terminis circumscribatur, scitè dixit Seneca pater, lib. 2. controu. *Senes sic amant.* 3. Cant. 1. 2. Senec.

Retulit verò per allegoriam ad hoc institutum Hugo Victorinus in allegoriis Gotfr. Tilm. ad c. 1. Genes. quod Genes. 1. 9. de aquis dicitur: *Congregentur aquæ, quæ sub cælo sunt in locum vnum*: obseruans, id non dictum esse de aquis, quæ super cœlos sunt, ea videlicet ratione, quod in cœlestibus aquis, charitas; in inferioribus verò, humanæ affectiones adumbrentur: quare, vt hæ constringendæ, & certis limitibus circumscribendæ; ita illa nunquam coangustanda; sed dilatanda, & amplificanda semper est. Sic enim Hugo. *Quò fit, vt quamuis aquæ, quæ sunt sub cælo congregandæ sunt, & constringendæ in locum vnum, quia affectus animæ inferior, nisi certa lege constringatur, non potest apparere arida, nec germina producere, sicut Apostolus castigat corpus suum, & in seruitutem redigit; aquæ tamen, quæ super cælos sunt, non debuerunt colligi, & in vnum coarctari, quoniam charitas amplificanda est semper, & dilatanda:* nam charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritũm sanctum, qui datus est nobis. 4. Hugo Vict. Gen. 1. 9. Ad Rom. 5. 5.

Nec aliud sibi vult ille Leuiticus canon. *Ignis in conspectu meo semper ardebit, quem nutriet sacerdos subiiciens ligna per singulos dies.* Leuit. 6. 12. vbi Gregorio interprete charitatis flamma indesinenter accensa, & quæ numquam dicat *sufficit*, optimè exprimitur. *Altare Dei*, (inquit Gregor. lib. 15. Moral. c. 7.) *cor nostrum est, in quo iubetur ignis semper ardere, quia necesse est ex illo ad Dominum charitatis flammam indesinenter accendere.* Accinit id Cant. 8. 6. de charitate: *Lampades eius, lampades ignis, atque flammarum.* Sed obserua pro his verbis LXX. reponere, *alæ eius alæ ignis*. quasi eius conditionis charitas sit, quæ velut ala semper volet, velut ignis sursum feratur, atque vt alæ ignis, quò magis se exercent, & volant; eo ex aëris percussione magis accendi necesse est; ita charitas continuis semper profectibus, & incrementis perficitur. Id ita præstringit Ambrosius in Psalm. 118. octon. 19. *Alæ charitatis, alæ ignis, quibus dilectionis inflammat ardorem.* Flammæ huius ascẽsum ex imagine grauis alicuius corporis per decliue descendentis, sic appositè explicuit Nyssen. lib. de vita Mosis. *Quemadmodum igitur grauia, & rotunda corpora, si è cacuminibus montium lapsa deorsum fuerint, etsi nullus postea impellat, ipsa tamen per se vehementiore impetu, si nihil impedimento sit semper deferuntur, quousque ad planiciem descenderint, sic anima, cuius natura sursum fertur, terrenis absoluta cupiditatibus ardentior in dies fit, velocius que pertransit, ad sublimiora semper conscẽdent.* 5. Leu. 6. 12. Gregor. Cant. 8. 6. LXX. Ambros. Nyssen.

Firmat id visio Isaiæ, c. 6. 2. dum Seraphinos simul stantes, & volantes inducit. Sic enim prius: *Seraphim stabant super illud.* Deinde dum sex eorũ alas distribuit: ita subdit, *Duabus volabant.* Quod si 6. Isai. 6. 2.

inquiras, quî fit, vt simul stare, & volare possint? Respondeo, quod is sit status charitatis, siue quòd eum standi modum habeat, vt indesinenter volet, sursumque feratur.
Bernard. Ita Bernard. ser. 4. de verb. Isai. *Quò enim Seraphin volant, nisi in eum, cuius ardent amore? Vide flammam quasi volantem, & stantem simul, nec miraberis iam Seraphin stantes volare, stare volantes.* Sed in his Seraphinis, qui charitatis typum
Dionys. gerunt, subinde nota ex Dionys. de cœlest. hierar. c. 13. non duos solum, sed multos pedes habere. Quod si tibi dissonet monstrumque id esse videatur; scito tantum abesse, vt monstrum sit; vt oppositum potius monstrum foret. Vt enim Cherubini, quòd plenitudinem scientiæ adumbrent, multis oculis sunt præ-
Ezech. 1. 18. Apoc. 4. 8. Nazianz. diti Ezech. 1. 18. Apocalyp. 4. 8. Vnde à Nazianz. & aliis Patribus multioculi spiritus appellantur, quia ea est scientiæ natura, vt plusplus contempletur, & videat; ita Seraphinis multi pedes cōueniunt, quòd charitas nequeat stare, quin indesinenter crescat, & continuos progressus faciat.

7. Cant. 2. 7. Hinc illa Sponsi super charitatē adiuratio. Cant. 2. 7. *Adiuro vos filia Ierusalem per capreas, ceruosque camporum, ne suscitetis, neque euigilare faciatis dilectam, quoadusque ipsa velit.*
Lectio Hebræa, & Græca. Sed obserua in Hebræis codicibus, & à Græcis Patribus longè aliter hæc legi: sic namque Pagninus. *Si suscitaueritis amorem, donec voluerit.* Enucleatius Græci: *Vt suscitetis, atque excitetis charitatem, donec voluerit.* Quid autem his verbis sibi velit Sponsus, sic explicat Theodor. ibi.
Theod. ibi. *Ne charitatem erga Deum in vobis dormire patiamini; sed eam suscitetis, atque accēdatis, & memoriam beneficiorum illius, tamquam oleum superessundatis, &c. Oportet autem vos illam continenter accendere, atque excitare, & flammam eius sublimem tollere, ac modum ipsius dimetiri sponsi voluntate, &c.* Consen-
Origen. tanea habet Origen. hom. 3. in Cant. vbi post nonnulla hæc subiicit: *Tamdiu eleuate eam, & tamdiu extollite, quamdiu ipse velit filius charitatis, imò ipse, qui ex Deo charitas est, ne forte putantes sufficere humanæ charitatis mensuras, in charitate Dei minus aliquid, quam Deo dignum est agatis.* En charitatis immensurabiles mensuras, cum ipsa non nisi Dei voluntate dimetienda sit. Quare, quæ sit eius volun-
Luc. 12. 49. tas, audi apud Luc. 12. 49. *Ignem veni mittere in terram; & quid volo nisi vt accendatur?* quæ de igne
Theoph. Euthym. Ambros. charitatis in Deum explicant Theophyl. & Euthym. ibi, & Ambros. lib. de Isaac, & anim. c. 8. Notanter verò extremum hemistichium sic legunt Hieron. lib. 2. contr. Ruff. & Philast. hæresi de Isaia. *Et quam volo, vt accendatur,* vbi obserua particulam *quam*, & cum verbo, *volo*, & cum ly, *accendatur*, posse coniungi, vt & vehementiam desiderij Christi, & magnitudinem incrementi charitatis, quod exoptet, æque significet. Quouis autem modo capias, emphatica locutio, & energiæ plena est in hanc sententiam: verum si Græcæ lectioni Vulgati sententiam addideris, plenior resultat sensus. Nam pro illis verbis, *& quid volo, nisi vt accendatur*, Græci le-
Græca lectio. gunt, *& quid volo, si iam accensus sit?* cui interrogationi videtur Vulgatus respondere, *nisi vt accendatur*, vt hæc conficiatur sententia: adeò exopto charitatis incrementum, vt quamuis eius flamma accensa sit, denuo cupiam plus, plusque accendi. Ita
Origen. Origenes vbi supra: *Mensura charitatis hæc sola est, vt tantum, quantum ipse vult, diligatur; voluntas autem Dei semper eadem est, nec vnquam mutatur; nunquam ergo immutatio aliqua, aut finis vllus in Dei charitate recipitur.* En flammam charitatis Christi voluntate, & Pauli doctrina metiendam.

8. Vnde expende pro iis Pauli verbis magis ac magis in Græco fonte significantius haberi, ἔτι μᾶλλον, *insuper magis*, siue, *adhuc magis*. Similiter Græcum verbum, περισσεύειν, propriè significare, *excrescere, exuberare, redundare*, vt ex mente Pauli charitas sine vllo modo, aut limite indesinēter excrescat, & exuberet. Ita dicebat Venerab. Gilbert. præfato ser. 19. in Gilbert.
Cant. *Amor exæstuat, se ipsum non capit, superfluit sibi, immēsitatem æmulatur, dum metam nescit affectus ponere.* Quò respicit tritum illud Bern. monitum, libro Bernard.
de diligendo Deo. *Modus diligendi Deum est, sine modo diligere.* Nec dissimile Hieron. ad Celantiam Hieron.
epist. 8. *Dilectio ordinem non habet, & impatientia nescit mensuram. Vnde in Canticis Canticorum quasi difficile præcipitur.* Ordinate in me charitatem. Sanè in his Canticorum verbis, quæ Hieron. citat, pro, *ordinate*, legit Symmachus, *coaceruate*, quod significat Symmach.
cumulum cumulatissimum inferre; quasi charitatis modus, & mensura aceruus sit cumulatissimus, &
numquam explendus. Similia habent Theodor. & Theodoret.
Nazianz. ille enim Dial. 2. *Diuinus amor satietatis legum est nescius:* hic vero Tetrasticis. Nazianz.

Sit finis odio, nesciat fines amor.

Vnde videas à Regio nos Vate commoneri Psalm. 9.
104. 4. *Quærite Dominum, & confirmamini; quærite* Psal. 104. 4.
faciem eius semper. Vbi acutè dubitat Aug. cur no- August.
bis præscribatur, vt indesinenter Deum quæramus. Nam si quærentibus nobis aliquando obuiam fit, quî amplius res inuenta quæratur? Sin autem numquam est à nobis inueniendus, cur in eo quærendo defatigemur? Respondet verò Aug. *Quia sine fine est quærendus, qui sine fine est amandus.* Equidem Beatissimam Virginem ita Deum quæsisse, & inuenisse, & subinde requisisse, sic affirmat Bernard. in serm. Bernard.
de Natiu. Virg. *Quomodo illam inaccessam attigit maiestatem, nisi pulsando, petendo, quærendo denique & quod quærebat inuenit, cui dictum est,* inuenisti gratiam apud Dominum. *Quid? Plena est gratia, & gratiam adhuc inuenit; digna prorsus inuenire, quod quærit, cui propria non sufficit plenitudo, nec suo potest esse contenta bono; sed quemadmodum scriptum est,* qui bibit me, adhuc sitiet.

Non est autem magnopere mirandum, veram, puramque in Deum charitatem sine vllo modo, aut limite ferri, quando & de amore etiam in vilissimas creaturas dixerit non nemo.

Verus amor nullum nouit habere modum. Propert.

& Senec. pater vbi sup. *Facilius in amore finem impetres, quam modum.* Et Poëta. Seneca.

Et sol crescentes decedens duplicat vmbras;
Me tamen vrit amor, quis enim modus adsit amori?

Est autem valde notandum hunc sine modo mo- 10.
dum, & continuum incrementum, non solum ad excellentiam, sed ad ipsammet naturam, & statum charitatis adeò spectare, vt ipsa, nisi continuò excitetur, deficiat, & extinguatur necesse sit. Etenim cum ignis in altari ardere debeat, per singulos dies subiectis lignis nutriendus, hac potissimum in re
oraculum est Salom. Prouerb. c. 26. 20. *Cum deficerint ligna, extinguetur ignis.* Vnde ad id Leuitici Cy- Prou. 26. 20. Cyr. Alex.
rill. Alex. cum dixisset, *nutrimenta spiritus sunt diuina lectio, orationes assiduæ, sermo doctrinæ, &c.* opportunè subiicit, *quod quia non facitis, nolite conqueri de infirmitate carnis, &c.* Ac si diceret. Quid mirum si charitatis ignis in animis vestris tandem extinguatur; cum vobis de illo noua bonorum operum accessione nutriendo cura non sit?

Et quidem hic scopus, siue nucleus, tum parabo- 11.
læ fatuarum Virginum, tum etiam parabolæ serui nequam, qui talentum abscondit in terram apud
Matth. 25. quæ eo quidem sūt, vt frigidos Dei ama- Matth. 25.
tores vrant, qui cum ab ipso charitatis lampadem, & gratiæ talentum acceperint, vt bonorum operum studio,

studio, velut oleo lumen foueant, ac continuos progressus in virtute faciant; ipsi nulla in fouendo igne adhibita cura, nutrimenta spiritus, quæ dicebat Cyrillus, contemnunt: quo fit, vt lampas accensa, oleo non succurrente extinguatur, & ignis deficientibus
Hieron. lignis emoriatur. Ita ferè Hieron. ibi ea verba: *Lampades nostræ extinguuntur*, sic premens. *Quæ lampades queruntur extingui, ostendunt eas ex parte lucere, & tamen non habent lumen indeficiens, nec opera perpetua. Si quis igitur habet animam virginalem, & amator pudicitiæ, non debet mediocribus esse contentus, quæ cito exolescunt, & exorto caumate arescunt; sed perfectas virtutes sequatur, vt lumen habeat sempiternum.* Hæc Hieron. A quo non discedit Paschas. ibi,
Paschas. fatuas has virgines cum seruo nequam ita componens. *Cogitandum est, quid in eo culpatur, cui non dicitur, quod mali aliquid fecerit, licet malus dicatur; sed quia piger, & inutilis fuit, sicut & supra quinque virgines fatuæ non ob aliud repelluntur, nisi quia oleum secum non tulerunt.* Vnde inibi ad ea verba. *Omni habenti dabitur, & abundabit, ab eo autem, qui non habet, & quod habet, auferetur ab eo*; opportunum hoc nobis monitum donat. *Vnde si volumus nostrum esse, quod habemus ex Deo, agamus, vt detur nobis virtus perfectior, & abundet in nobis, quod perfectius est, & gratia Dei; ne fortè auferatur à nobis, & detur alteri, & accipiat alius, iuxta Apoc. locum nostram.* Pende
Apoc. 3. illud. *Si volumus nostrum esse, quod habemus ex Deo.* Ac si dicat, ea nobis lege charitatem suam Deum impertire, vt de ea fouenda, & indesinenter accendenda solliciti simus.

12. Blandiuntur verba Pauli 1. ad Thessalon. 5. 19.
1. Ad Thess. 5. 19. *Spiritum nolite extinguere*: vbi non aspicit ad lethalia scelera, ob quæ statim diuinus Spiritus *Effugiet fictum, & auferet se à cogitationibus, quæ sunt sine intellectu, & corripietur à superueniente iniquitate.* Sa-
Sap. 1. 5. pient. 1. 5. sed potius ad hæc olei charitatis fomenta, quæ dum non succurrunt, lampas paulatim ex-
Chrysost. tinguitur. Ita Chrysost. in hæc verba, ea omnia, quæ hucusque diximus, sic singillatim confirmans. *Deus præclaram veluti lampadem Spiritus sancti gratiam mentibus nostris infundit, sed hanc quidem lucem alij splendidiorem reddunt, vt Petrus, & Paulus, aliique viri sancti; alij contra extinguunt, vt quinque virgines fatuæ, earumque permultæ similes; propterea dicit Paulus:* Spiritum nolite extinguere: *hoc est, gratiam.* Statim verò rem penitius explicans, hæc subdit. *Quomodo enim si quispiam in hanc lucernæ lucem, & aquam, & terram infundit, ignem extinguit, & si nihil horum fecerit, si oleum tamen exemerit, ita etiam in charismate, seu dono gratiæ. Nam si terrena, & diffluentium rerum curas insperseris, spiritum extinguis, & si nihil tale feceris, aliunde autem irruerit tentatio vehemens, tamquam spiritus aliquis, & flamma non sit vehemens, aut multum habens olei, aut foramen non obstruxeris, aut ostium non clauseris, pereunt omnia.* Pende illa, *& flamma non sit vehemens, aut multum habens olei.* Id est, nisi charitatis flammam ad sponsi voluntatem nouis virtutum fomentis indesinenter excitaueris, spiritum extingues, & inter fatuas virgines computaberis. Vide similia in Theo-
Theophyl. Theod. phylacto ad id loci. Ad quorum Patrum gustum Theodor. in præfata verba Cant. 2. 7. *Si suscitaueritis, & exsuscitaueritis dilectionem*, cum dixisset: *Vt suscitetis, atque accendatis, & memoriam beneficiorum illius, tamquam oleum superessundatis*, subiungit: *nisi enim nunciaueritis de die in diem salutare eius, & memineritis mirabilium eius, quæ fecit, extinguetur charitas, & quodammodo intercidet.*

13. Hic rursus aduoco illud Cant. 2. 7. *Ordinate in*
Cant. 2. 7. *me charitatem*, iuxta lectionem Symmachi: *coaceruate in me charitatem.* Sed obserua Græcũ verbum, ταξάτε, propriè significare, *confirmare, stabilire, constituere.* Vnde Nyss. ibi, homil. 4. sic legit: *Confirmate* Nyssen.
mihi hanc gratiam, eamque stabilem facite, & immobilem. Ex his verò lectionibus inter se collatis is cõficitur sensus: opus esse, vt charitas semper excrescat, & cumulatior fiat, vt stabilis maneat, & immobilis duret. Apto hic quæ Dionysius præfato loco, Dionys.
vbi Seraphinos multos pedes habere affirmauit, sic subdit: *Circa Iesum Seraphini firmiter stare dicuntur.* Quasi multis manibus, pedibusque sit opus, vt firmiter in Dei charitate perdurare quis possit. Sane superbos Angelos ante Deum stare non potuisse, quod vno tantum pede inniterentur, charitate nimirum claudicante, sic videtur innuere Dauid Psal. Psal. 35. 12.
35. 12. *Non veniat mihi pes superbiæ, & manus peccatoris non moueat me: ibi ceciderunt, nec potuerunt stare.* Vide interpretes. In præfatam verò sentẽtiam Petr. Cell.
venerab. Petr. Abb. Cellen. lib. de panibus, cap. 27. tom. 8. Biblioth. cum charitatem cum pane calido componens sapienter dixisset: *Nam si initium vitæ humanæ panis, multo magis initium, & consummatio animæ, panis dilectionis. Reficit panis esurientem, & charitas perficit deficientem: panis corpus hominis confirmat, sed charitas cor viuificat: cum pane cætera vtiliter eduntur, cum charitate omnia salubriter sumũtur, specialis cibus hominum panis, singularis virtus animarum charitas, sine pane vilis est mensa, sine charitate contemptibilis est anima.* Tandem subdit: *Cum labore panis de terra educitur, cum multa instantia charitas possidetur; panis inueteratur, & neglectus induratur, & refrigeratur, charitas si ab operatione cessauerit, succrescente iniquitate, aut abolevtur, aut minoratur.*

Quò etiam respexit Paulus Timotheum sic ad- 2. ad Tim.
monens Epist. 2. c. 1. 6. *Admoneo te, vt resuscites gra-* c. 1. 6.
tiam, quæ in te est. Nec enim capio Græcum, ἀναζωπυρεῖν, pro quo noster posuit *resuscites*, vt significet, ignem iam sopitum, & cineribus obrutum suscitare, licet forte sũma verbi proprietas id exigat. Nam summo iure significationis hic agere, summa fere iniuria est, quæ sanctissimo Timotheo infertur, cuius charitas adeò non semiextincta, siue morti vicina, vt potius vehementer accensa, & feruida semper fuerit; sed cum Theodor. referendum existimo ad Theod.
continuam ignis charitatis excitationem. Sic enim ille: *Hortor te, vt animi tui promptitudine, & alacritate excites gratiam Spiritus: quemadmodum enim oleum lampadis flammam efficit vehementiorem, ita animi promptitudo, & alacritas attrahit gratiam Spiritus.* Vnde post pauca subdit. *Sanctissimam Spiritus gratiam dedit nobis Deus, vt diuina virtute præditi ipsum quidem ardenter amemus.* At enim verò Vulgatus accurata locutione cum his verbis ex Pauli mente infixit aculeum, ac si ille dixerit, eãdem esse charitatis, ac ignis naturam, qui nisi continuo excitetur, paulatim extinguatur. Quasi in illo verbo *resuscites*, ea sit subintellecta propositio, quia nisi charitatem viuidiorem, & floridiorem facere studueris, moriatur necesse est. Sub quo quidem sensu dixisse
videtur Ecclesiasticus c. 14. 20. *Omne opus corruptibile in fine deficiet, & qui illud operatur, ibit cum illo,* Eccl. 14. 20.
vbi pro, *corruptibile*, in Græco est, *corruptioni, seu marcori obnoxiũ.* Ac si diceret. Eã esse virtutis naturam, vt nisi ea integritate, & robore sit prædita, qua irruentibus periculis superior, & robustior persistat: paulatim defectura, & tandem peritura sit. In quam
ego sententiam nõ semel vsurpaui illud Tragici de Senec.
Hercule iam senescẽte, & æquo sibi plus indulgẽte.

Vinci Hercules cum potuit, tunc cæpit mori.

Id est cum primum Hercules à nouis victoriis, & egregiis denuo in bello factis supersedit, nec se

hostibus formidabilem, & insuperabilem exhibuit, tunc non modo vinci; sed mori cœpit.

15. His mire congruit seuera illa comminatio, Apoc. 3.16. *Vtinam frigidus, aut calidus esses: sed quia tepidus es, incipiam te euomere.* Nam quidquid alij de voce, *tepidus*, contẽdant, ego plane ibi tepidos (Græce, χλιαρὸς, propriè, *efferuefactos*: vt productis peculiaribus Arist. testimoniis alibi ostendo) ante feruentes, iam à feruore repefactos, & ad frigiditatem declinantes, esse intelligo; quasi ij singillatim Deo stomachum moueant, qui cum aliquando in eius charitate ferbuerint, de subiiciendis igni lignis parum postea solliciti à feruore in teporem transierint, indeque velut aqua antea feruens ab igne seposita in frigiditatem paulatim deueniat. Probat hanc expositionem, totam sentẽtiam mirificè confirmans Bernard. epist. 2. ad Fulconem, qui à religione ad sæculum imprudenter redierat, his verbis. *Nec respectu sæcularium de tua tibi forte paulo grauiori continentia blandiaris, cum tibi Dominus dicat, vtinam te calidum, aut frigidum inuenissem. Hic ostenditur apertè; quia minus tepidus places, quàm si vel quales illi sunt, frigidus esses. Illos vtique Deus patienter expectat de frigore, quandoque ad calorem proficere. Te ergo indignans, aduertit de calore iam in teporem defecisse. Et quia tepidum te inueni*, incipiam *inquit*, te euomere ex ore meo. *Et meritò, quia tu ad tuum vomitum redisti, quia tu eius gratiam euomuisti.* Hæc Bern. alibi à nobis pensiculatius expensa; vide in eandem rem ipsummet Bern. serm. 65. in Cant. & ep. 114. — Bernard.

Ad illud: *In omni scientia, &c.*

ADNOTATIO III.

Christianam disciplinam, tum scientia, tum sanctitate constare.

1. VT honesta hominis facies, rectaque corporis habitudo duobus oculis, duabus manibus, & vtroque pede; ita perfectus animus, cui sui etiam oculi, manus, pedes, imò & alæ sunt, tum scientia, tum charitate constare debet. Et vt à pedibus incipiam, quibus anima innitatur, atque subsistat; obserua, his Pauli precibus, quibus charitatem, & scientiam Philippẽsibus bene precatur, duplicem in scriptura orationem ad horam nonam (in qua primus parens scientia, & charitate destitutus, è paradiso pulsus creditur) factam, respondere: primò enim cum Dominus in cruce animam ageret, tenebræque super vniuersam terram factæ essent, vsque ad horam nonam, Luc. 23.44. ipse tũc temporis cũ clamore, & lacrymis preces ad Patrem fudisse dicitur, ad Hebr. 5.7. nimirum, vt infidelitatis, & ignorantiæ tenebris fugatis, diuinæ cognitionis nobis lumen affulgeret, & (vt inquit Isai. 11.9.) repleretur *terra scientia Domini.* Ita Drogo serm. de Sacram. Dom. Pass. *Repellendus erat horror tenebrarum, quæ vniuersam operuerant terram.* At enim verò post fugatas tenebras, ascendentibus Petro, & Ioanne orationis causa templum ad eandem horam orationis nonam, inuenerunt claudum mendicantem ad portam tẽpli, quæ dicitur Speciosa. Actuum 3.2. Quid autem claudus hic præseferat, sic explicat præfato loco Drog. *Egenus, & pauper ego sum Domine, & claudus ex vtero matris meæ, & ecce sedeo ad portam templi tui, quæ dicitur Speciosa, non valens, nec volens introire, quin potius egestate bonorum tuorum mendicans foris alimoniam carnis meæ, æreas, & falsas imagines hominum, vbi coaceruem mihi talentum iniquitatis, fasciculos deprimentes, & ecce hora orationis nona est, ascendunt Petrus, & Ioannes Apostoli tui, vt orent ad templum sanctum tuum, ego autem hæreo terræ, & luto, terrena, & vana sapiens, & aliis introeuntibus ego foris remaneo, non quærens cum eis ea, quæ Patris tui sunt: sed quæ primi parentis mei, quæ me foras quotidie ponunt.* Vides animum claudicantem, qui, vt Speciosæ templi portæ assideat, speciosaque rerum cognitione sit imbutus, vana tamen, & quæ primi parentis sunt, sapiat, atque idcirco terræ, lutoque inhæreat. Sane, quia vel ipsomet gentili Tullio teste lib. 1. offic. *Cognitio, contemplatioque naturæ manca quodammodo, & inchoata sit, si nulla actio rerum consequatur.* Ergo opus subinde est, vt à Petro, & Ioanne oratio fiat, qua claudi huius bases, & plantæ solidẽtur. *Quia bases eius* (ait Drogo) *sunt fides, & timor: planta verò spes, & charitas.* Vnde addit, *Ideoque benè Petrus, & Ioannes ascendebant simul, quorum alter fidei, alter charitatis insigne ferebant.* In quam sententiam Isidor. Pelusiot lib. 3. epist. 162. *Quemadmodum sermo actionis expers mancus, & imperfectus est, ita etiam actio, quæ à sermone deseritur. Ex his enim ambabus rebus, etiam si nolint ij, qui disertam sapientiam vilem quandam, & protritam rem esse stultè opinantur, recta, & splendida magistrorum vita insignitur.* Qui enim fecerit, & docuerit; magnus vocabitur in regno cœlorum.

Margin notes: Luc. 23. 44. — Ad Hebr. 5. 7. — Isai. 11. 9. — Drog. — Actuum 3. 2. — Drog. — Tull. — Drog. — Isid. Pelus.

2. Hæc ob oculos habere videbatur Paulus; cum ad Coloss. 1.9. aiebat: *Non cessamus pro vobis orantes, & postulantes: vt impleamini agnitione voluntatis eius in omni sapientia, & intellectu spirituali, vt ambuletis dignè Deo, per omnia placentes, in omni opere bono fructificantes:* Vbi & diuinæ voluntatis agnitionem, & bonorum operum fructum Colossensibus Paulus exoptat. Sed quare? *Vt ambuletis*, inquit, *dignè Deo*, ne videlicet altero, vel charitatis, vel scientiæ pede claudicetis: vnde rursus Isidor. Pelus. lib 3. epist. 20. *Facere, & docere eximiæ cuiusdam, ac singularis laudis est: facere autem, non verò docere, minorem laudem habet. Altera enim parte claudicat.* — Ad Coloss. 1. 9. — Isid. Pelus.

3. Accinit illud Christi monitum Matth. 10.16. *Estote prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ:* sic enim ibi, & serpẽtis prudentia, & columbæ simplicitas commendantur, vt non seorsim, sed mixtim vna ab alia temperata sumi debeant; ne simplicitas ad stultitiæ, prudentia verò ad malitiæ metas hæreant. Ita Greg. hom. 30 in Euang. *Notãdum est, quod discipulos suos, nec de columba sine serpente, nec de serpente sine columba voluit Dominus admonere, quatenus, & columbæ simplicitatem astutia serpentis accenderet, & serpentis astutiã columbæ simplicitas temperaret. Hinc Paulus ait.* Nolite pueri effici sensibus. *Ecce prudentiam serpentis audiuimus, nunc de simplicitate columbæ moneamur.* Sed malitia paruuli estote. *Hinc de Beato Iob dicitur.* Erat vir simplex, & rectus. Similiter Paschas. ibi: *Præmisit prudẽtiam Christus, vt tota possit esse simplicitas, & sequitur columbæ simplicitas, ne stulta inueniatur in nobis prudentia apud Deum, de qua dicitur:* Perdam sapientiam sapientum; *idcirco alternis se foueant prospectibus.* Sed & Tertull. lib. aduers. Valentin. c. 2. premens hæc verba, sic ait: *Si nos propterea insipientes, quia simplices, num ergo & illi propterea non simplices, quia sapientes? Nocentissimi autem, qui non simplices, sicut stultissimi, qui non sapientes.* — Matth. 10. 16. — Gregor. — Tertull.

At enim verò, vt appareat, quam sit necesse, vt mutuis se prospectibus serpens, atque columba foueant; quò columbæ simplicitatem serpentis astutia accendat, & serpentis astutiam temperet columbæ simplicitas; vide vnam ab altera disiunctam ad interitum ruere. Nam de serpente sic proxime citatus Tertull.

Tertull. Tertull. *Repuerascere nos, & Apostolus iubet secũdum Deũ, vt malitia infantes per simplicitatem, ita demum sapientes sensibus simus, diuina sapientia ordinẽ de simplicitate amando. In summa Christum columba demonstrare solita est; serpens verò tentare: illa à primordio diuinæ pacis præco; ille à primordio diuinæ imaginis prædo.* (lege antidotum, quod his verbis applicuit Pamelius.) *Ita facilius simplicitas sola Deum, & agnoscere poterit, & ostendere, prudentia sola concutere potius, & prodere.* En serpentis; dum solus adest, non virtutem; sed virus: Sed enim columbæ admixtus adeò proficuus, atque vtilis est, vt illius simplicitatem ab accipitris insidiis & vnguibus eruat, sic enim

Prou. 11.9. Prou. 11.9. *Simulator ore decipit amicum suum; iusti autem liberabuntur scientia.* Vbi dum sapiẽs affirmat sæpius euenire, vt innocentes, & recti à falsis amicis, qui insidiosi hostes sunt, blandis, & mellitis verbis decipiantur: simul monet, non nisi per scientiam, & diuinarum, humanarumque rerum cognitionem ab his simulatorum laqueis effugium esse. Egregium sanè pro doctrina iudicium, quasi non sufficiat iustis vitæ probitas, quo minus ipsis imponatur, nisi illis etiam adsit sapientia. In quam rem opportune

Hieron. dixit Hieron. ep. 13. ad Paulin. *Non multum distat in vitio, vel decipere posse, vel decipi Christianum.*

5 Adumbratum quidem id erat in candelabro, & Num. 8.2. mensa, iuxta Domini præscriptũm se mutuò respicientibus. Num. 8. 2. etenim mensa sapientiam, & Hieron. Origen. Gregor. Hesich. Beda. scripturarum cognitionem ex interpretatione Hieron. Origen. Gregorij, Hesichij, & Bedæ apud Lauretum in Sylua designat: candelabri verò luces, virtutes manifestè significant, dicente Domino Matth. Matth. 5. 16. 5.16. *Sic luceat lux vestra corã hominibus, vt videant opera vestra bona:* vt sub his ęnigmatibus diuinus nos Spiritus instruxerit, tam morũ probitate, quàm perfecta rerum diuinarũ cognitione ad Ecclesiæ ædificationẽ opus esse; mensamque doctrinæ, sine candelabro virtutis obscurã, non secus, ac lucernã probitatis sine mensa scientiæ, ieiunã esse: *Vt enim vera*

Ambros. *sapientia* (verba Ambr. in Ps. 118. serm. 5.) *à timore Dei incipit, nec est sapientia spiritualis sine timore Dei, ita timor sine sapiẽtia esse non debet.* Vnde præfato lo-

Ad Coloss. 1.10. co ad Colossenses Paulus cum scientiã ad vitæ probitatem referens, dixisset: *Vt impleamini cognitione voluntatis eius, in omni sapiẽtia, & intellectu spirituali, vt ambuletis digne Deo per omnia placentes*; rursus ipsammet vitæ probitatẽ ad scientiã sic refert: *Crescentes in scientia Dei.* Sic vtramque rem cõiungens, & agglutinans, vt vna ab alia separari nequeat, imò verò, vt vnaquæque aliam perficiat, & vltimum ei

Theoph. complementũ, & constitutiuũ indat: ita ibi Theoph. ad hunc modum. *Contemplare autem, qui supra eos cognitione dixerit indigere, ad hoc vt digne obambularent Deo, nunc rursus exigit ab eis, vt crescãt in operibus bonis, vt simul etiam Deum agnoscant: vtrumque enim vtriusque est constitutiuũ.* Ac si dicat ipsammet scientiam, vt scientia sit, charitate indigere, quæ ei perfectionẽ scientiæ tradat; similiterque charitatem; non aliter perfectam censeri, quin à sciẽtia instituatur, & in ratione charitatis perfectæ constituatur.

6. Adstipulatur Petrus epist. 2. c. 1. 9. vbi cum dixis-

2 Petr. 1. 9. set: *Ministrate in fide vestra virtutem, in virtute autem scientiam:* sic deinde cõcludit. *Cui enim hæc præsto non sunt, cæcus est, & manu tẽtans:* in quæ verba sic

Beda. Beda. *Oculus scientiam, manus operationem designat:* vt hinc videas, nec manum sine oculo, nec oculum sine manu, id est, nec vitæ probitatem sine scientia, nec scientiam sine vitæ probitate posse subsistere. Quare de iis, qui oculis, hoc est scientia destituti, manu, siue operatione solum tentant, sic addit Beda: *Cæcus est autem, & manu tentans, qui scientiam recta operationis non habens, quidquid sibi rectum videtur, operatur, & lumen veritatis ignorãs, quasi manum ad opus, quod non videt, extendit, gressus in iter, quod non prauidet, attollit, ideoque repente miser in ruinam perditionis, quam præscire nequibat, incidit.* Similiter oculos sciẽtia imbutos, manuum autem operatione carentes, sic obiurgat Paulus, 1. ad Corinth. 12. 21. 1. Ad Cor. 12.21.

Non potest oculus dicere manui: Opera tua non indigeo: vti hæc verba sic acute capit in hanc sententiam

Greg. Nyssen. hom. 14. in Cant. *Esse autem oculi beneficium imperfectum in Ecclesia corpore, si manuũ ab eo ministerium sit disiunctum, de magno illo Paulo 1. Corin. 12. clare didicimus, qui ait:* Non potest oculus manui dicere, non mihi te opus est: *Nam tũ maximè vis oculorum conspicitur, cum ipsa opera testimonium oculorum acumini perhibent, per studium præclararum rerum egregie se luci declarantia.* Vtramq; verò sen- Nyssen.

tentiam eadem imagine adhibita: sic confirmat Nazianz. orat. de laud. Basil. *Qui enim vel vitam solum recte instituunt, aut eloquentia tantummodo student, ita vt alterutrum omittant, nihil mihi à monoculis distare videntur, quibus magnum est nocumentum, maior verò turpitudo, cum quempiam inspiciunt, seu inspiciuntur. Quibus verò contingit, vt in vtrisque excellant, & sint idonei, ij illud etiam assequuntur, vt perfecti euadant, & cum beatitudine viuant futura.* Notentur extrema verba, quibus Theologus hominem scientia, & charitate præditum non minus, quam cum beatis ipsis mentibus componit: nimirum, quod excellẽtissimas potentias intellectum, & voluntatem ad modum cœlestium spirituum optimè collocatas in Dei cognitione, & amore habeat. Nazianz.

Hinc Regius Vates Psal. 76. 21. notanter dixit, non nisi adhibita simul manu Moysi, & Aaron, hoc est, media scientia, & vitæ probitate, Israeliticũ populum à Deo è captiuitate Ægyptiaca fuisse deductum: *deduxisti sicut oues populum tuũ in manu Moysi, & Aaron*: inde nos admonens ad repellendum è ceruicibus peccati iugum, tam Moysi, qui legem, doctrinamque significat, quàm Aaronis manum, qui iustitiæ, & sãctitatis figura est, opus esse. Id quod 7. Psal. 76. 21.

sic obseruauit Orig. hom. 27. in Num. *Ad exeundum de Ægypto non sufficit vna manus Moysi, quæritur & manus Aaron: Moyses indicat scientiam legis: Aaron sacrificandi Deo, & immolandi peritiam Opus est ergo, vt exeuntes de Aegypto non solum scientiam legis, & fidei: sed operum, quibus Deus placetur, fructum habeamus.* Subdit statim peculiaria exempla hunc in modum. *Etenim si exiens de Aegypto, & conuersus ad Deum abiiciam superbiam, per manus Aaron taurum Deo sacrificaui: si petulãtiam, lasciuiamque peremero, hircum Domino iugulasse me Aaron manibus credam: si libidinem vicero, vitulum: si stultitiam, ouem immolasse videbor: hæc ergo cum anima vitia purgãtur, manus Aaron operatur in nobis: & manus Moysi nobiscum est, cum ad hæc ipsa intelligenda illuminamur ex lege, & ideo vtraque manus necessaria est de Aegypto exeuntibus, vt inueniatur in eis non solũ fides, & scientia: sed & actuum, operumq; perfectio.* His autem quæ de duobus oculis, pedibus, manibus à Patribus dicta sunt, adde, quæ de duabus alis Seraphin sic in hanc sententiam disserit Bern. serm. 4. de verb. Isai. *Ego opinor non incongrue per pennas istas agnitionem, & deuotionem intelligi posse, quibus in eum, qui supra cælos est, Seraphin rapiuntur: leuat quippe cognitionis ala, sed sola non sufficit, ruit citius, qui vna tantum ala volare contendit, & quo magis attollitur, peius colliditur, &c. Vbi verò intelligentiam charitas, agnitionem deuotio comitetur, volet secure, quisquis eiusmodi est, volet sine fine, quia volat in æternitatem.* Sed iam de vnaquaque ala seorsim si placet agamus. Origen.

ADNO

ADNOTATIO IV.

De scientia charitati necessaria.

1. August. QVAE de ethnicis queritur August. lib. 1. de cons. Euangel. adeò malè meritam de illis sapientiam fuisse, vt turpi Venere inter cæli stellas relata, Mineruæ scientiarum præsidi locum in cœlo non fecerint: *De quibus quid tantum mali castitas, aut quid tantum boni voluptas commeruit, vt inter astra, quæ cum Sole, & Luna circumeunt, Venus habeat stellam, & Minerua non habeat?* Et rectè quidem August. Quid enim sapientia sublimius? quid cœlestius? Nam præter quam quòd ipsa inter præclaras animi dotes, sic splendet, vt ipsismet Principibus regium diadema sit, eaque de causa dixerit Cassiod. lib. 11. vatiar. *Iungitur his rebus, quasi diadema eximium, impretiabilis notitia literarum per quam dum veterum prudentia discitur, regalis dignitas semper augetur.* Ipsa quidem est, qua nihil impensius Deus Opt. Maxim. delectatur. Ita Greg. Nazianz. in Apolog. his verbis. *Sapientiam, quæ omnia regit, complexuque suo quidquid vsque laudabile est, & præclarum tenet, adeò vt ipse quoque Deus, quamuis permultis nominibus vocetur, hoc tamen nomine impensius, quam vllis aliis delectetur.* Quod si inquiras; cur sapientia potissimum Deus delectetur? illam tibi rationem subiicio, quod ipsa, vt primus, & adæquatus, ita gratissimus, & felicissimus Dei partus æternum fuerit, æternumque sit; impensius ergo sapientia, quia impensius sui imagine, & filio Deus delectatur.

2. Hinc duo inferas: alterum; adeò esse sapientem hominem Deo gratum, vt in eo, certo quodam modo (si sic loqui fas est,) veluti in vnigenito Filio æterna generatione à se genito, ipse delectari, & complacere sibi, atque eum singillatim gignere videatur. Qua de re sic loquitur ipsamet vnigenita Dei sapientia Prouerb. 8. 22. *Dominus possedit me in initio viarum suarum*, siue vt legit Athanas. serm. 3. contr. Arrian. *Dominus creauit me initium viarum suarum ad opera, siue, in operibus suis*: vbi si dubites quî Dei filius, creatrixque sapientia creari dicatur? Expedita est ex Athanasio responsio, vt ibi vnigenitus Dei filius loquens inducatur; at non tã de æterna sapientiæ generatione, quam de temporali, cum creaturæ ad imaginem sapientiæ Dei sciẽtes, sapientesque efficiuntur; sermonem esse; quod ipsamet increata Dei sapientia propter similitudinem, tunc quodam modo creari, siue gigni videatur. Audi illum. *Vt enim verbi, siue rationis Dei, nostra ratio simulacbrum existimãdum est: ita quoque eius sapiẽtia hæc nostra sapientia imago quædam existimari debet, in qua vim sciendi, sentiẽdique adepti, capaces efficimur creatricis sapientiæ. Quia igitur istiusmodi sapientia, & in nobis, & in omnibus operibus inserta est, non iniuria ea, quæ vera est sapientia, & architectrix rerum, quæ ad ideam suam congruunt, sibi ipsi inter loquendum imputans hunc verborum modum concepit.* Dominus creauit me in operibus. *Quæ enim sapientia loqueretur, ea Dominus tamquam propria sibi suis verbis vsurpat. Non enim creatur creatrix; sed propter imaginem sui rebus ingenitam, ipsa se creari dicit.* Vides sapientem, peculiarem Dei imaginem secum circumferre? adeò vt in illo, ipsamet Dei sapientia velut denuo gigni, & procreari videatur?

Prou. 8. 22. Athanas.

Idem.

3. Alterum: nescio quid diuinitatis, siue peculiaris Dei participationis sapientiam hominibus conferre, vsque eò quidem, vt consultissima prouidentia infelix Salomonis lapsus permissus à Deo fuerit, quod præ eximia eius, atque insolita inter mortales sapientia timeri potuit, ne Deus ab hominibus haberetur. Id sic excogitante Ambros. in Apolog. de Dauid, cap. 3. *Maior itaque culpa plus profuit, ne supra hominem crederetur, qui vitio non caruisset humano. Fuit igitur in eo studiosa sapientia, & culpa suasoria, quæ hominem comprobaret*: Ac si diceret, talis, tantusque sapientiæ eius splendor fuit, vt non minus, quam ponderosissima peccati saburra certo quodam modo fuerit opus, ne ab hominibus in cælum, vt Deus veheretur. Ambros.

4. Explicat quidem illustrem hãc, & pene diuinam sapientiæ magnificentiam Paulus, cũ 1. ad Corinth. 8. 1. ait: *Scientia inflat.* Nam etsi hæc verba de scientia in ventum formata frequentius ab interpretibus accipiantur, vt adnot. seq. tracto; at egregium hunc illis sensum reddit Clem. Alex. vt scientia, ei, quem imbuerit magnos, & pene diuinos indat spiritus & cogitatus, qui eorum omnium, quæ in sæculo florent, quæque ad peccatum illiciunt, egregium contemptorem reddant. Sic namque Clem. Alexand. lib. 7. stromat. *Sequentes scripturas confirmemus, quod dictum est. Sapientia, inquit Salomon Ecclesiastici 4.* (clemens sis lector in Clementem, dum pro Iesu Sirach, qui Ecclesiastici auctor indubitatus est, posuit Salomonem) *insflauit filios suos:* (sic legit Clemẽs ex Græco, vbi nostra habent, *sapientia filiis suis vitam inspirat:*) *Non enim doctrina fictum, & arrogantiam ingenerauit Dominus: sed in veritate habere fiduciam, & esse magnificum in cognitione, quæ traditur per scientias, quæ efficit contemptorem eorum, quæ trahunt ad peccatum, quod significat dictio*, inflauit: *quæ significat magnificentiam sapientiæ, quæ implantatur iis, qui sunt per doctrinam filij.* Et quidem verissime: nihil enim æque ad virturem capessẽdam animum disponit, ac scientia, quæ quia Dei lux est, res omnes quasi de facie ostendit, & vera à falsis, æterna à caducis discriminans, fragilibus huius vitæ næniis famæ, pecuniis, delitiis, & id genus aliis inniti vetat; eaque ratione magnificum reddit hominem in cógnitione, vt inquit Clemens, & contemptorem eorum, quæ ad peccatum trahunt. In quam sententiam sic optimè Cicero, lib. 2. Acad. quæst. *Est animorum, ingeniorumque naturale quoddam quasi pabulum consideratio, contemplatioque naturæ. Erigimur, elatiores fieri videmur: humana despicimus: cogitantesque supera, ac cœlestia, hæc nostra, vt exigua, & minima contemnimus.* Similiter Cassiodor. lib. 2. var. epist. 3. *Digna sanè sapientia, in qua mens honestissima conquiescat, quæ animo semper aliquid salutare complectitur.* Sic sapiens ille Hippolytus nouercæ ad adulterium pellicienti inquiebat apud Trag. in Hippol. Act 2. 1. Ad Cor. 8. 1.

Clem. Alex.

Cicer.

Cassiod.

Senec.

--- *Dignus an stupris ego?*
Scelerique tanto, visus ego solus tibi
Materia facilis?

5. Ab hoc non it illud Salomonis Eccl. 1. 18. *Quia in multa sapientia, multa sit indignatio, & qui addit scientiam, addit & laborem*: hinc enim ostenditur sapientiam adeò ad virtutem conducere, eique locum facere, vt vsque ad indignationem, & generosam iracundiam pergat, si hominem à virtutis tramite deflectentem viderit. Vnde ad ea verba, sic inquit Salonius Viennens. *Ideò*, in multa sapientia multa est indignatio, *quia quantò quisque maiorem sapientiam percipit, tantò amplius sibi indignatur, & dolet vitiis, & peccatis subiacere, & non habere virtutes, &c. Ideoque*, addit & laborem, *quia quanto amplius cælestia, & æterna cognoscit; tantò magis dolendo, & flendo laborat, vt eorum laqueos euadere possit, & liberari valeat de huius sæculi miseria.* Nec omnino dissimilis Platoni mens, dum in sophista propriũ id sapientiæ Eccl. 1. 18.

Salon.

ſapientiæ aſſignat, vt hominis animum in veri boni amorem, inanium rerum phantaſmatibus, & ſpectris abiectis formet, atque inſtituat. Sic enim ille. *Neceſſe eſt eos, qui hæc audierunt, cum adoleuerint, ac res ipſas cominus conſiderauerint, & veris iam animis res manifeſtè attrectare coactos, priſtinas opiniones abijcere, atque commutare, vt exigua videantur, quæ magna, facilia quæ difficilia, & ſingula paſſim ſermonibus concepta phantaſmata actionum progreſſibus in contraria verti cogantur.* His adde, quæ ſub perſona Theodorici Regis eleganter dixit Caſſiod. lib. 3. var. *Glorioſa eſt denique ſcientia literarum, quia quod primum eſt in homine, mores purgat: quod ſecundum, verborum gratiam ſubminiſtrat: ita vtroque beneficio mirabiliter ornat tacitos, & loquentes.*

Caſſiod.

6\. Ex his facile eſt deprehendere, quam ſtulta; imò belluina illorum opinio fuerit, qui tam humanæ, quam diuinæ literaturæ infenſi omnẽ prorſus eruditionem vanam, ac ſuperuacaneam eſſe, inanéque eos operam ſumere, qui in ſacris libris ſciẽtiæ quidquam exquirerent, quòd Deus à nobis præter pias, ac probas actiones, nihil vltra poſtulet, affirmauerunt: vt auctor eſt Damaſc. lib. de hæreſ. cui tam vehementer belluinus hic ſenſus diſplicuit, vt illum inter hæreſes adſcripſerit, eoſque Gnoſimachorum nomine, quòd ſcientiæ bellum indixiſſent, nũcupauit. Quod ſi huius deliramenti originem, quiue tam abſurdæ opinionis prætextus fuerit, ſcire velis: audi Nazianz. orat. 20 *Quamobrem non idcirco eruditio contemnenda eſt, quod ita quibuſdam videatur, quin potius ſtulti, atque imperiti habendi ſunt, qui hoc exiſtimant, qui omnes ſui ſimiles eſſe cupiant, vt priuata eorum inſcitia ſub communi deliteat, nec quiſquam ipſorum imperitiã prodat, & coarguat.* Scite quidem. *Quippe ita mores ſe habent*, (verba ſunt Velleij Paterculi,) *vt publica quiſque ruina malit occidere, quam ſua proteri, & idem paſſurus minus conſpici.*

Damaſc.

Nazianz.

7\. Eſt quidem Deus ab hoc ſenſu adeo alienus, vt primum non niſi iratiſſimus comminetur: *Mittam famem ſuper terram, non famem panis, & aquæ; ſed audiendi verbum Domini: in die illa deficient virgines pulchræ, & adoleſcentes in ſiti.* Amos 8. quaſi ad doctrinę defectum, virtutis deliquium ſubſequi neceſſe ſit: ſic id ibi p[...]tante Hieron. *Ex quo colligimus, quando doctrina non fuerit in Eccleſijs, perire pudicitiam, caſtitatem mori, omnes abire virtutes, quia non comederunt verbum Domini.* Deinde, vt ſummè ſit ſanctitatis amans; at ſapientiam eo in pretio habet, vt illam virtuti ob oculos ponat, quò illius ductum ſequẽs inoffenſo pede decurrat. Id quod præſcriptum videas in præfato Num. loco, c. 8. dum menſam, & candelabrum, ad eum modum è regione poni præcepit, vt lucernæ contra Boream reſpicerẽt ad menſam panum propoſitionis: nimirum, vt virtuti præſcribatur doctrinam præ oculis habere; eamque indeſinenter conſulere: *Vt* (quod ait Apoſtol. ad Rom. 10. 2.) *zelus ſecundum ſcientiam, & obſequium rationabile ſit*: hoc eſt, vt quæ nobis agenda ſunt, licet bona, & laudabilia appareant, non tamen, niſi prudenter, & moderatè, & ad rationis leges gerantur, vti Baſil. in reg. breu. reg. 280. Theophyl. & Anſelm. ibi explicant: alias,

Amos 8.
Hieron.
Num. 8. 2.
Ad Rom 10. 2.
Baſil.
Theoph.
Anſelm.

Cum vires ſine mente gerat,
Vis conſilij expers mole ruit ſua.

Vnde Nazianz. orat. 26. de iis, qui altiſſima, peritiſſimaque diuinorum contemplatione perfruuntur, ſic inquit. *Aſcendat verò ille, ac deducatur, atque à mente feratur vel tertium vſque ad cœlum, ſi ita libeat, quemadmodum Paulo contigit: cæterum cum ratione, & ſcientia: ne propter animi elationem cadat, pennisque propter volatus ſublimitatẽ liquefactis; miſere corruat.*

Nazianz.

Velazqu. in Epiſt. ad Philippenſ.

Similiter Ambroſ. in Pſal. 118. ſerm. 5 *Sed & ipſe timor Domini, niſi ſecundum ſcientiam ſit, nihil prodeſt, imo obeſt plurimum, ſiquidem Iudæi habent zelum Dei: ſed quia non habent ſecundum ſcientiam, in ipſo zelo, & timore maiorem contrahunt diuinitatis offenſam, &c. Et quid de Iudæis dicam? Sunt etiam in nobis, qui habent timorem Dei; ſed non ſecundum ſcientiam: ſtatuentes duriora præcepta, quæ non poſſit humana conditio ſuſtinere.*

Ambroſ.

8\. Magis ſane pius, quam Gnoſimachorum: at tam penè puerilis illorum error eſt, qui ne inflentur, atque ſuperbiant, ſic literas cauent, imò & horrent, vt in infimo ſpiritualis infantiæ ſtatu perſiſtentes, nec tantillum in virtute proficiant: de quibus ſic diſſerit Aug. in Pſal. 130. *Sunt quidam homines, qui cum audierint, quia humiles eſſe debent, demittunt ſe, nihil volunt diſcere, putantes, quia ſi aliquid didicerint, ſuperbi erunt, & remanent in ſolo lacte, quos reprehendit Scriptura dicens*, & facti eſtis opus habentes lacte, non ſolido cibo: *ſic enim Deus nos vult nutriri lacte, vt non ibi remaneamus; ſed creſcendo per lac ad ſolidum cibum perueniamus.* Vbi primo notetur ex ſententia Auguſtini puerilem ſæpe ſæpius; & infirmam eorum virtutem eſſe, qui ſcientia, ſeu myſteriorum cognitione carent. Quare ipſemet, lib. 15. contra Fauſt. cap. 8. verſans præfata verba, 1. ad Corinth. 8. *Scientia inflat*, inquit, *vt quid habebat ipſe quo inflaretur, niſi quia cum charitate non ſolum non inflat ſcientia, ſed etiam firmat?* Deinde proprium ſapientiæ eſſe, vt media ipſa charitas excreſcat, vnde idem Auguſtin. epiſtol. 119. cap. 21. *Sic itaque adhibeatur ſcientia, tamquam machina quædam, per quam ſtructura charitatis aſſurgat, quæ ad finem charitatis multum eſt vtilis.* Ergo alia, ac iſtis perperam humilibus cœleſtium ſpirituum mens, qui dum Dei ſapientiam præſentem habent, ſic in eam mentis aciem intendunt, vt magis, ac magis proſpicere, & veluti oculis haurire concupiſcant, dicente Petro epiſtol. 1. cap. 1. 12. *In quem deſiderant Angeli proſpicere*; nimirum, vt quò magis proſpexerint, magis diligant. Ad quem ſane modum Chriſtianiſſimus Imperator Gratianus, dum egregium Pontificem Ambroſium accerſeret, vt tanto præceptore ſacris daret operam literis, dicebat epiſtol. 25. inter epiſtol. Ambroſ. *Feſtina igitur ad me, religioſe ſacerdos, vt doceas doctrinam vere credentem, non quo contentioni ſtudeam, aut velim Deum magis verbis, quam mente complecti, ſed vt magis aperto pectori reuelatio diuinitatis inſideat.* Rectè quidem ſibi perſuadens, animum & Dei charitati laxiorem, ſiue capaciorem, & diuinis rebus aptiorem à ſcientia reddendum.

Auguſt.
Idem.
1. ad Cor. 8.
Auguſt.
1. Pet. 1. 12.
Gratian.

9\. At enim verò, vt hæc, quæ de ſcientiæ neceſſitate diximus, in vniuerſum ſint certa, potiorem in iis locum habent, quibus docendi munus, atque alios ad bonos mores inſtituendi cura incumbit. Certè cum Abrahamum, & vndequaque perfectum reddere, & ſtirpis Euangelicæ patrem, & normam conſtituere decreuit Dominus, notanter priſtino nomini literas addidit: *Nec vltra vocabitur nomen tuum Abram; ſed appellaberis Abraham.* Geneſis 17. 5. vidẽs nomen literis auctum? Sed quare? Reddit ſtatim rationem: *quia patrem multarum gentium conſtitui te.* Plane, vt indicaret perfectum virũ, eumque ſingillatim, qui aliorum pater futurus erat, non illiteratum, & rudem; ſed ſapientem eſſe debere. Sic dixit Chryſoſt. lib. 4. de ſacerdotio fin. tom. 5 *Neque enim nuda facta ſatis ſunt ad hoc, vt alios edoceas, niſi & cum his verba accedant, quæ vox non mea eſt, ſed Seruatoris noſtri Ieſu*, Matth. 5. Qui fecerit, & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cœlorum.

Gen. 17. 5.
Matth. 5. 19

I Nec

10. Nec debet esse contentus Doctor, si mediocriter doctus, ac sapiens sit, cum perfecta scientia, & totius quantumuis reconditæ eruditionis supellex ab ipso exigatur. *Labia enim sacerdotis custodient scientiam, & legem requirent ex ore eius, quia Angelus Domini exercituum est.* Malach. 2. 7. In quæ verba Hieron. *Ad sacerdotis pertinet disciplinam interrogatum respondere de lege. qui si ignorantiam in cæteris diligentem, in scripturis sanctis ostenderit negligentem, frustra iactat dignitatem, cuius opera nō exhibet.* Quibus non pigebit adiungere, quæ ad id loci, sic scribit Ribera bonus, & accuratus interpres: *Itaque os sacerdotale arca quædam debet esse salutaris doctrinæ, vnde omnes necessaria depromant.* Sed aduerte cum Gregorio 2. par. pastor. c. vlt. arcæ vectes semper in circulis suis existere, præscribi Exod. 25. 15. *Quia nimirum necesse est, vt qui ad officium prædicationis excubant, à sacræ lectionis studio non recedant. Ad hoc namque vectes esse in circulis semper iubentur, vt cum portari arcam opportunitas exigit, de intromittendis vectibus, portandi tarditas nulla generetur: quia videlicet cum spirituale aliquid à subditis pastor inquiritur, ignominiosum valde est, si tunc quærat discere, cum quæstionem debet enodare.* Nec aliud sonat causalis illa Prophetæ: *Quia Angelus Domini exercituum est*; nam cum ibi Angelus pro nuncio, siue legato sumatur, sensus est; promptissimum debere esse Doctorem ad diuinæ legis mysteria enodanda, vt qui ipsa iam antea benè norit, non secus, ac legatus, qui mandata sibi commissa rectè callet, & memoria retinet, vt de illis interrogatus incunctanter respondeat. Ita pene commentarius Hieron. his verbis: *Angelus autem, id est, nuncius, sacerdos Dei verissimè dicitur: quia Dei, & hominum sequester est, eiusque ad populum nunciat voluntatem, & idcirco in sacerdotis pectore rationale est, & in rationali doctrina, & veritas ponitur, vt discamus sacerdotem doctum esse debere, & præconem Dominicæ veritatis.*

Malach. 2. 7. Hieron. Ribera. Exod. 25. 15. Hieron.

11. Agebat cum Nicodemo Magister vitæ de aduentus sui mysteriis: cumque obiter de abstruso spiritualis regenerationis Sacramento sermo incidisset, affirmans Dominus: *Nisi quis renatus fuerit denuò, non potest videre regnum Dei*: reique nouitate permotus perquisisset Nicodemus, quomodo id fieri posset? Sic eum blandè obiurgauit Assertor: *Et tu es magister in Israel, & hæc ignoras?* Ioan. 3. 10. Quasi diceret; vt hæc penitiora, & abdita mysteria sint, at eo ipso, quod magistri nomen, & munus habeas, nihil ignorare, nihil non in promptu habere debes, vel Doctoris munus, & nomen non iactare. Sanè ea de causa sancta illa animalia, apud Ezechiel 1. 18. & Ioan 4. 6. plena oculis esse dicuntur, quòd omnia videant, omnia percalleant, id ita considerante Isid. Pelus. li. 1. epist. 151. *Dei sacerdos, quoniam ad Deum appropinquat animalium illorum, multis oculis præditorum in morem, omni ex parte oculus esse debet, eorum instar nihil nesciens.*

Ioan. 3. 10. Ezech. 1. 18. Ioan. 4. 6. Isid. Pel.

12. Certè *scindens ligna* (vt Salomon ait Ecclesiastes 10. 9.) *vulnerabitur ab eis*, seu, vt Hebr. habent, *discrimini se exponit propter illa.* Vbi cum de Doctore vitia obiurgante, & hæreses conuellente, agatur, is ex Hieronymi commentario est sensus: *Quamuis sit prudens, & doctus vir, qui gladio sermonis sui hæc ligna conscindat, periclitabitur in eis, nisi diligenter attenderit.* At quod illi occurret periculum? Duplex opinor; nam, & auditoribus scandalo erit; & suam imperitiam prodet, quasi non propriam; sed mutuatam scientiam, ex alienis nimirum codicibus, & laboribus haustam, ne dicam deprædatam habeat. Sed id ad hunc, & Ecclesiastes locum apto illius allato exemplo, qui ligna, mutuata securi findebat, pulchrè explicauit S. Nilus in Ascetico his verbis: *Qui enim rationis acie tamquam securi res ferit, nisi recto vndique orationis iudicio vtatur; periculum adit, ne scandalum audientibus præbeat. Sic quidam discipulus Elisæi, cum ad Iordanem materiam succideret* (4. Reg. 6. 5.) *& ferrum in fluuium excidisset, periculo animaduerso ad magistrum clamauit*, Heu, heu, *inquiens*, Domine mi, & hoc ipsum mutuo acceperam: *Id illis accidit, qui quæ malè didicerunt, docere conantur, & finem optatum assequi nequeunt. qui non ex proprio habitu loquuntur; cum autem interim proposito contrarium aliquid dicere deprehenduntur, in mutuato sermone periclitantes imperitiam profitentur.* Sed quot hodierna die mutuato ferro scindentes ligna inuenias? dum codices, ac libri vulgari sermone conscripti venduntur, emuntur, & ad litteram è cathedris, & è suggestu recitantur; & verò cum hi discipuli Elisæi ex proprio habitu non loquantur, in mutuato sermone periclitantes imperitiam profitentur. Vide epistolam 27. Senecæ huic rei peropportunam.

Eccl. 10. 9. Hieron. S. Nil. 4. Reg. 6. 5.

ADNOTATIO V.

De charitate scientiæ necessaria.

QVANTVM, quantum quis excogitet, vt charitatem præ scientia pernecessariā esse adstruat, minus multo erit, quam quod ea de re dixit Paulus 1. ad Corinth. 13. 2. *Si habuero prophetiam, & nouerim mysteria omnia, & omnem scientiam, charitatem autem non habuero, nihil sum.* Vbi iure quæras, qui à Paulo is, qui scientiam habeat, & abstrusa mysteria norit, nihil esse dicatur, cum saltem sciens, & prudens dici possit? Sed respondet in primis Nyssen. de scop. Christ. scientiam sine charitate nihil esse, quod absque hac nihil stabile, nihil firmum sit: quippe à charitate omnis stabilitas, & firmitudo aduenit. sic enim ille dum præfata verba cum his eiusdem cap. v. 8. *Charitas nunquam excidit*: componit. *Quid hoc rei est? Tametsi alia quis obtineat dona, quæ spiritus præbet, linguas dico genium, & prophetiam, & scientiam, & sanationum munera, nondum verò purè liberatus fuerit, spiritus auxilio, ab affectionibus, quæ intus perturbant, neque salutis perfectum in animo medicamentum acceperit: in timore casus adhuc consistit: quia charitatem non habet, quæ stabilit, & confirmat in virtutis statu.* Quem sanè ad modum de charitate dixit Nazianz. orat. 2. de pace: *Charitas constringit, nec bonum, quod in nobis est, dissipari, ac diffluere sinit*: sed omninò ad gustum Nysseni Bernard. serm. 4 de verb. Isai. Luciferum illum omni scientia, & mysteriorum cognitione imbutum, at charitate carentem sic alloquitur: *Vt quid tu, qui mane oriebaris, Lucifer, in veritate non stetisti: nisi quia Seraphin non fuisti? habuisti lucem; sed ardorem non habuisti. Melius esset tibi si ignifer magis esses, quam Lucifer, neque tam immoderato appetitu lucendi, vt eras frigidus, frigidam quoque eligeres regionem*; ascendam super altitudinem nubium, sedebo in lateribus Aquilonis: *Quid festinas mane oriri Lucifer? Quid gloriaris super sydera?* &c. *Breuis omninò erit gloriatio tua*: ac si diceret, dum in charitate, siue veritate pedem non figis, quo plus ascenderis, citiùs in interitum rues. Hinc Regius Vates notanter à Domino postulabat, *iuxta eloquium tuum da mihi intellectum.* Psal. 118. 169. id est, non generaliter exopto intellectum, siue doctrinam, sed eam, cui præcedat charitas, vt firmo innitatur fundamento. Ita Ambrof. in Psalm. 118. serm. 22. *Secundum verbum tuum intellectum tribue*

1. 1. ad Cor. 13. 2. Nyssen. Nazianz. Bern. Ps. 118. 169. Ambrof.

tribue mihi, id est, non secundum philosophos, non secundum causidicos, non secundum mercatores huius sæculi, non secundum architectos domorum; sed secundum verbum tuum, quod est vera sapientia, bonorumque operum fundamentum, vt super illud constituat Propheta aurum cordis sui, argentum sermonis sui, lapides pretiosos operationum suarum, vt opus suum labi, & perire non possit. Plane quod sine charitatis fundamento totius literaturæ fabrica in præceps eat.

1. Sed deinde crediderim meritò dictum à Paulo, scientiam sine charitate nihil esse, quòd cū in ipsam tamquam in scopum ordinetur, ab ipsa spiritum, & vitam trahat; atque ideò charitate deficiēte, vt nullus scientiæ vsus, nulla vtilitas; ita ipsa nequeat se sola subsistere. Rem ex Oseæ verbis, c. 10. 12. iuxta LXX. versionem, sic expressis: *Seminate vobis ad iustitiam, metite spem vitæ, & illuminate vobis lumen scientiæ*: pulchra picturæ imagine adiecta, ita elucidauit Bern. serm. 37. in Cant. *Vltimam posuit scientiam tanquam picturam, quæ statum habere nequeat super inane, & ideò illa duo præmisit, & subiecit illi, tanquam si solidum aliquid pictura substerneret, securus iam intendam scientiæ, si vitæ prius per beneficium spei securitatem accepero.* Ita videas literā nomini Abrahami additam esse, *beth*. Cui Ambros. serm 5. in Ps. 118. duas has significationes, *est*, & *viuit*, opportunè reddit, vt argumento sit scientiam, quæ verè scientia est, quæque non in ore; sed in corde, & spiritu sedem habet, verè esse, veréque viuere; illam verò, quæ interiori spiritu destituitur, neque viuere; sed emortuam, & inanem haberi, non modo, quia, vt superius dicebat Nyssen. *Tum maximè vis oculorum conspicitur, cum ipsa opera testimonium oculorum acumini perhibent*: sed etiam, quia, vt scitè dixit Lactant. lib. 6. diuin. instit. c. 15. *Sicut in itinere celerando nihil prodest viam nosse, nisi conatus, ac vires suppetant ambulandi, ita scientia nihil prodest, si virtus propria deficiat.*

Osea 10. 12. LXX. — Bernard. — Ambros. — Nyssen. — Lactant.

3. Sap. 7. 26. Equidem cum diuinam sapientiam, speculum Dei dixit Salom. Sap. 7. 26. notanter statim diuinæ bonitatis imaginem esse adiecit. Vbi iure ambigas, cum speculum totam illius faciem, qui se in ipso intuetur, referat; cur reliquis Dei attributis omnipotentiæ, iustitiæ, &c. silentio pressis, bonitatis solummodo imaginem, sapientiam fecerit. Est tamen ex dictis ad manum responsio, nullam sapientiæ lucem, colorem, faciem esse, nisi quam ei bonitas reddit, nimirum, vt nisi bonitate ornetur, & suis velut coloribus depingatur, imò verò vitali spiritu animetur, prorsus euanescat, & nihil sit. Quare Bern. lib. 2. de considerat. eum, qui scientia sine charitate imbutus sit, nec scientiam ipsam habere: quippe qui id ignoret, quod præcipuum, ac primum in scientia sit, nempe, vt sibi sapiat, sic affirmat: *Et si sapiens sis, deest tibi ad sapientiam, si tibi non fueris; quantum verò? Vt quidem senserim ego, totum: noueris licèt omnia mysteria, noueris lata terræ, alta cœli, profunda maris, si te nescieris, eris similis ædificanti sine fundamento; ruinam, non structuram faciens, quidquid extruxeris extra te, erit instar congesti pulueris obnoxium. Non ergo sapiens, qui sibi non est; sapiens erit, & bibet de fonte putei sui primus ipse.*

Bernard.

4. Gen. 1. 26. Videas quidem hominem excogitatum ad Dei imaginem, & similitudinem dicente Domino Gen. 1. 26. *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram*: subinde verò nonnisi ad imaginem Dei efformatum: sic enim vers. seq. Moses: *Et creauit Deus hominem ad imaginem suam.* Quid? conforme ne est Dei genium nostrorum Dynastarum moribus, qui grandia pollicentur, minora exhibent? Absit, vt largissimus liberalitatis fons, vel paululum promissionum suarum decursum cohibeat. Quid? Otiosène priùs imago, & similitudo confunduntur? Negat Basil. hom. 10. in Genes. alterutram vocem mysterio caruisse. Ergo respondet Origen. lib. 3. Periarch. *Imaginis dignitatem in prima conditione percepit, similitudinis verò sibi possibilis perfectionem ipse sibi eam propriæ industriæ studiis ex Dei imitatione conscisit.* Sed nunc duo obseruo: alterum imaginem Dei ex frequentiori Patrum expositione potissimum censeri in mente lumine rationis prædita, scientiaque, & doctrina (vt adnot. 4. num. 2. dicebat Athan.) perficienda: alterum in præfatis Gen. verbis pro illa voce, *ad imaginem*, Hebraice esse, *solem*, quæ vox propriè significat vmbram, siue similitudinem vmbratilem: ex quibus non modo elicias perfectam Dei similitudinem ex charitate præsertim pendere, sed etiam ipsammet scientiam ita à charitate formari, & perfici, quò rationem imaginis Dei habere possit, vt nisi ipsa accedat, nihil aliud quam vmbra, siue rudis, & impolita imaginis delineatio sit: ac proinde illud in ipsa solummodo laudandum, quod ad Dei similitudinem assequendam, gradus siue etiam instrumentum sit. Equidem dum Rupert. ad præfata verba longius de imaginis, & similitudinis ratione disseruisset, hæc subdidit: *Est ergo inexcusabilis, cum ad similitudinem Dei non peruenerit, quia videlicet bono instrumento ad hoc, propter quod sibi datum est, vti noluit.* Vbi vides, quidquid in scientia boni sit, à charitate aduenire, & in charitatem referri, siquidem instrumenti rationem respectu illius habet. Congruit his illa sententia Isai. 33. 6. *Diuitiæ salutis sapientia, & scientia, timor Domini ipse est thesaurus eius*; quam LXX. ita enucleatius reddidere: *in thesauris salus vestra, illic sapientia, & scientia, & pietas erga Deum, isti sunt thesauri sapientiæ*: ac si dicat en sapientiæ pretium, atque momentum, quod ad pietatem maximè conducat.

Basil. — Origen. — Rupert. — Isai. 33. 6. — LXX.

Hinc in commentariis Prouerb. in hunc sensum 5
accipiebam trita illa verba, cap. 1. 7. *Timor Domini principium sapientiæ*: sed enim obseruabam, *principium*, ibi pro præcipuo, & eximio, siue pro principatu, & capite accipiendū, quod Hebraice sit, *ros*, Græce verò, ἀρχὴ: & verò, *ros*, vt multis probaui, propriè significat, *caput*, siue principatum. Ita Genes. 3. 15. vbi noster habet, *ipsa conteret caput tuum*, Hebraice est, *ros*; de voce autem Græca, ἀρχὴ, vt alia omittam, hæc habet Tertul. aduersus Hermog. *Nam, & in Græco principio vocabulum est ἀρχὴ, non tantum ordinatiuum, sed & potestatiuum, caput principatum, vnde & ἄρχοντες dicuntur Principes. Ergo secundum hanc quoque significationem principiū pro potestate, & principatu sumetur.* Ergo ex iis hunc in primis præfatis verbis sensum reddebam; principatum, seu, quod præcipuum, & eximium in sapientia inuenitur, id esse, quod ad timorem Dei viam muniat. Deinde ideo timorē Dei dici caput sapientiæ, quod in ipsum tamquam in scopum sapientiæ vsus referatur, ac proinde sine timore Dei, scientia, nec caput, nec pedes habere videatur, *ciencia sin pies, ni cabeça*. Ita Senec. epist. 106. *Latrunculis ludimus insuper vacuis, subtilitas teritur, non faciūt bonos ista, sed doctos; apertior res est sapere, imò simplicior.* Denique principium sapientiæ ita in timore Dei recenseri, vt nisi hic adsit, sapientia non sit, nec primum in ea passum quis fixisse censeatur; nam si rei principium tollas totum sustulisse necesse est.

Prou. 1. 7. — Gen 3. 15. — Tertul.

Ergo sine charitate scientia vana, & inutilis, imò 6.
verò noxia, & molesta est. Iactabat sapientiam suam peccator (Psal. 49. 16.) & magnifica voce, ac si scriba doctus in regno cœlorum esset, aliis prædicabat, & de scripturis interrogatus prompte, celeriter, atque

Ps. 49. 16.

atque acutè etiam,& ingeniosè respondens,recondita mysteria reuelabat, (vbi enim noster haber,
Heb. Lect. *assamis testamentum meum per os tuum*, Hebraice est, *acuis testamentum meum*, id est, acutè, & subtiliter in eo exponendo te geris) & tamen tantam, tamque variam doctrinæ,eruditionis,atque subtilitatis supellectilem oneri, & impedimento ipsis plusquam adiumento esse. Sic Dei ore pronunciatur, *proiecisti sermones meos retrorsum*, vbi tacitè facta videtur allusio ad onera, quæ humeris, & dorso portantur,quasi scientia, & doctrina sine charitate non leuamini,sed fastidio, & oneri sit. Ita ibi
August. Fulgent. August. *Vbi non videantur à te,sed onerent te.* Qua de re sic opportunè loquitur Fulgent. epist. 5. ad Eug. Abb. *Cætera sancti Spiritus dona,id est,linguæ,prophetia,Sacramentorum scientia,fides, facultatum in pauperes distributio,corporis quoque ipsius exactio, possunt hæc haberi sine voluntate bona, ad hoc scilicet, vt habentem onerent,non honorent.*

7. Matth. 25. Vnde inter omnes illos seruos,quibus Dominus talenta sua diuisit, vt in illis negotiarentur, Matth. 25. infelicissimum illius exitum videas, cui vnum solummodo talentum commissum est. Abscondit enim seruus nequam, & piger pecuniã domini sui in terram,vnde ab illo,vltimo est damnatus supplicio.
Gregor. Quid autem hæc sibi velint,disce à Gregorio in expositione eius parabolæ hom. 9. in Euãg. qui duobus talentis,intellectum,& operationem,vnius verò talenti nomine, intellectum solummodo designari existimat. Is ergo inter omnes, seruus nequã habetur: qui totus intellectus,totus scientia est,à recta operandi ratione omnino supersedens,imò terrenis in rebus,& sæcularibus curis intellectum abscondens.
Bernard. Vnde Bern. serm. in natiu. Ioan. cum dixisset: *Est tantum lucere vanum,tãtum ardere parum, ardere,& lucere perfectum*; paulò post subdit, *væ ei, qui lucet tantum.*
Tertull. Certè Tertul. in Apolog. c. 46. de scientia,quæ charitate non viuit, hæc seuerè dixit: *Quid adeò simile Philosophus,& Christianus? Græciæ discipulus,& cœli? Famæ negotiator, & vitæ? Verborum,& factorum operator? Rerum ædificator, & destructor? Amicus,& inimicus erroris? Veritatis interpolator,& integrator? Furator eius,& custos?*

8. Bernard. Quare rursus Bernard. epist. 108. premens citata verba Oseæ. *Seminate vobis ad iustitiam, & illuminate vobis lumen scientiæ*, ex illis eruit,non esse serendam scientiam,quin simul admisceatur charitas; vt tritici,hoc est iustitiæ;non verò paleæ,siue inanis inflationis prouentus succedat: *Vides,quia non rectè proditur ad lumen scientiæ,nisi iustitia germen præcedat ad animam,ex quo formetur granum vitæ, & non palea gloriæ. Quid ergo? Nondum tibi ad iustitiam seminasti,nondum spei manipulos messuisti,& veram te præsumis sectari scientiam? Nisi forte pro vera supponitur illa,quæ inflat & stultius erras appẽdens argentum tuum non in panibus,& labores tuos non in saturitate.* Porrò si bene perpendãtur,huc eunt sæpius repeti-
1. ad Cor. 8. 1. ta verba 1. ad Corint. 8. 1. *Scientia inflat,charitas ædificat*,quod, vt scientia charitati admixta magis eam firmat,vt dicebat Aug. ita ab illa seiuncta noxiè inflat,& non mediocrem animæ perniciẽ affert. Qua-
Bernard. re iterum Bern. citat. serm. 36. in Cãt. *Cibus siquidem indigestus, & qui bonam non habet decoctionem malos generat humores,& corrumpit corpus,non nutrit,ita & multa scientia ingesta stomacho animæ, quæ est memoria, si decocta igne charitatis nõ fuerit,& sic per quosdam actus animæ,mores scilicet, atque actus transfusa, atque digesta: quatenus ipsa de bonis,quæ nouerit, vita attestante,& moribus bona efficiatur,nonne illa scientia reputabitur in peccatum, tanquam cibus conuersus in prauos,noxiosque humores?* Ab his longius non eunt,

quæ gentilis Plato habet in Theæteto,seu de scientia,videbis illa. Plato.

Quò reuoco, quod alibi adduxi ex Tertul. in 9.
Apolog. c. 21. vbi dum de Numa Pompilio affirmat,efferatos,& agrestes homines mansuefecisse,& Tertullian. ad vitam politicam reuocasse: vt subinde Christo Domino id,quod multo plus est,tribuat,subdit,illum eisdem hominibus iam politis,& vrbanis, suæ cognitionis lucem fuisse impertitum; sed nonne plus est(inquis)feroces hominum animos barbarie pulsa perdomuisse,quam iam domitos, & mansuefactos illuminasse? Respondeo ex Tertul. Minime. Quod nimirum illamet scientia, & vrbanitas vitæ probitate destituta,tantum aberat,vt ad veram Dei cognitionem adiumento foret, vt potiùs scandalo, & impedimento esset. Audi illum: *Non qui rupices, & adhuc feros homines multitudine tot numinum demerendorum attonitos efficiendo,ad humanitatem temperaret,quod Numa; sed qui iam expolitos,& ipsa vrbanitate deceptos in agnitionem veritatis ocularet.* Pẽde illud, *ipsa vrbanitate deceptos*: plane,quia ipsamet scientia charitati non associata potius nocet,& decipit,quam ad veritatem manuducat,& instituat. Vnde similiter Chrysol. ser. 36. dum sub typo mulie- Chrysol. ris,quæ sanguinis fluxum patiebatur,& fuerat multa perpessa à compluribus medicis, *& erogauerat omnia sua,nec quidquam profecerat,sed magis deterius habebat.* Marci 5. 26. gentilium plebem accipit, sic Marc. 5. 26. inquit. *Ecclesia in cunctis gentibus posita amisso naturæ bono perdebat,& profundebat sanguinem generis humani,cuius languorem peritia humana,dum curare nititur, ipsum cumulabat.* Quò etiam eunt hæc verba Hieron. in c. 3. Ionæ. *Difficile homines potentes,& no-* Hieron. *biles,& diuites,& multo his difficilius eloquentes credunt Deo.* Audis hæc? *Multo his difficilius*, vt appareat plus obesse scientiam sine charitate, quàm potentiam,nobilitatem,& diuitias simul sumpta;cum tamen hæc magnum virtuti impedimentum afferre,nemo est,qui nesciat. Ideo opportunè scientiam sale videas adumbrari,qui, vt aliis cibis condiendis aptissimus est,ita si solus ipse sumatur,damnum infert,& eò magis quo minus in eo sumendo modum seruaueris.

Equidem,vt altissimæ rerum diuinarum cõtem- 10.
plationi adhibendam esse rationem, & scientiam, ne pennis propter volatus sublimitatem liquefactis,miserè corruat,dicebat præced. annot. Nazianz. ita nisi scientiæ charitatis pondus,& tutela addatur, debitos volandi fines egressa, in præcipitium ruet. Quare Leuit. 1. 17. auiculis Dei conspectui offe- Leu. 1. 17. rendis alæ ex ipsius præscripto infringebãtur. Quod indidem sic explicauit Procop. *Quod infringuntur,* Procop. *typus est,ne altum sapiamus, verum humilia sectemur deposito fastu,& inani arrogantia*: sed his illud Eccle- Eccl. 9. 12. siast. 9. 12. adiunge: *Sicut pisces capiuntur hamo, & aues laqueo comprehenduntur,sic capiuntur homines in tempore malo.* Vbi in primis Hieronym. bono ductus spiritu ad Ecclesiasticos viros hæc retulit: deinde aduerte piscium,& auium singillatim mentionem fieri,vt sub priorum typo,indocti,& insipientes,hi enim auidiori rictu hamum voluptatis deuorant;sub auium verò figura litterati,& sapientiores, qui totis scientiæ alis nullo charitatis adhibito fræno,siue temperamento, velut plenis velis effrænes volant,graphicè adumbrentur;& verò,vt de piscibus dicatur, *capiuntur*, at significãtioris,& plenioris energiæ verbo de auibus admonuit sapiens, (vt qui malo suo fato bene nouerat) *comprehenditur*, quod in Hebræo fonte propriè significat,arctissime teneri,nec aliquo modo elabi posse. Quod si huius expositionis fideiussorem expectas,audi Olympiodor. Olymp.

Illi

Illi quoque, qui opinione vana scientiæ superbiunt, & efferuntur, cùm sibi videantur excelsi esse, atq; aerambuli, velutti volantes aues dæmonum laqueis facilè capiuntur.

11\. Locuples verò huius doctrinæ testis est Pseudo-Propheta Balaam, qui de se ipso aiebat Num. 24. 16. *Dixit homo, cuius obturatus est oculus* (Chaldæus,) *qui pulchrè videt, dixit auditor sermonum Dei, qui nouit doctrinam Altissimi, & visiones Omnipotentis videt, qui cadit apertos habens oculos.* Vides hominem litteratissimum, pulchrè videntem, doctrina imbutum, sermonibus, diuinisque visionibus repletum, & inter hæc omnia, imò propter hæc omnia offendentem, & cadentem? Sed quare? Planè, quia his donis in altum eleuabatur; sed tamen non assumebatur à spiritu eo modo, quo de se dicebat Ezech. 3. 14. *Spiritus quoque leuauit me, & assumpsit me.* Explicat id Greg. hom. 18. in Ezech. his verbis: *Quia sunt nonnulli, quos eleuat spiritus, sed eosdem non assumit spiritus, quorum intellectus ad spiritualia emicat, & tamen vita in factis carnalibus manens intellectu non constat. Balaam enim per prophetiæ spiritum eleuatus erat, sed non assumptus, quia potuit à longe futura prospicere, & tamen à terrenis desideriis noluit mentem separare, sed quoniam, & Ezechiel, & intellectu eleuatus erat, & assumptus pariter vita, propterea abiit amarus in indignatione spiritus.* Ergo in altum penna scientiæ eleuatum, nec altera charitatis ala adiutum, cadere necesse fuit: *Leuat quippe* (vt dicebat Bern.) *cognitionis ala, sed sola non sufficit; ruit citiùs qui vna tantum ala volare contendit, & quò magis attollitur, peius colliditur.*

Num. 24. 16. — Ezech. 3. 14. — Gregor. — Bernard.

12\. Cum verò tam scientiæ, quam charitatis partes in superioribus egerimus, & pari vtraque passu hucusque decurrerit, dum vtriusque oculi, manus, pedes, alæ, quibus nihil excogitari potest æqualius, imaginibus censentur; illud singillatim ad hanc adnotationē spectat, vt quod in his omnibus dextrum est, charitati potius, quam scientiæ tribuamus; nimirum, vt ipsa dexter oculus, dextra manus, ala, & planta sit. Id verò pro libito confictum non esse, inde in primis cōstat, quod in præfato Num. loco, vbi de mensæ, & candelabri dispositione agitur, candelabrum, hoc est, (Dei charitas, & virtutum chorus Australem partem, hoc est, dextrum latus occupare præscribitur. Deinde illa imago hominis dextram manum aridam habētis Christo in Synagoga oblati, Matth. 12. 10. Luc. 6. 6. Marc. 3. 1. vt sanitati restitueretur, satis nobis persuadet: nam si Patres consulas, hæc dextra manus non scientiam, sed charitatem significat. Sic enim Euthym. in Matth. *Gestat manum dextram aridam, quisquis dextram operationem non exercet; dico sane virtutem.* Sic Ambros. in Luc. *Et tu, qui putas habere manum sanam, caue ne sacrilegio contrahatur, extende sæpius eam, extende ad pauperem, qui te obsecrat, extende, vt proximum iuues, vt viduæ præsidium feras, eripias iniuria, quem vides iniustè contumeliæ subiacere, extende ad Deum pro peccatis tuis, sic extenditur, sic sanatur, sic Hieroboam manum, cum idolis sacrificaret, contraxit, & rursum, cum Deum rogaret, extendit.* Similia habet Beda in Marc. sed statim plusculum ad rem nostram addit, nimirum notanter ab Euangelista dici, cum hominem esse intra Synagogam, quæ scientiæ domus erat, vt argumento esset non scientiæ, sed charitatis defectu laborare.

Num. 8. 2. — Matth. 12. 16. — Luc. 6. 6. — Marc. 3. 1. — Euthym. — Ambros. — Beda.

13\. Dextra ergo charitatis manus, & idcirco potiores ei partes deferendæ. Quare Theodahadus Rex apud Cassiod. lib. 9. var. epist. 6. dum quendam Patricium tam de morum probitate, quam de eloquētia commendaret, virtutem scientiæ sic præposuit: *Et ideò primum nobis placuit tuos mores inspicere, sine quibus possunt quælibet optima displicere. Secunda nobis cura fuit eloquentiæ tuæ fluenta perquirere, quam licet singulariter diligamus, moribus tamen iustè postponimus. In illis enim vita cognoscitur, hic tantum lingua laudatur sed in te valde decorum, quia vtrumque nosceris habere sociatum.* Hæc ille Rex. Sed id nos multo sapientius, & efficacius sanctus parens noster Ignatius in constitutionibus Societatis, par. 10. §. 2. sic monuit: *Omnes, qui se Societati addixerunt, in virtutum solidarum, ac perfectarum, & spiritualium rerum studium incumbant, ac in huiusmodi maius momentum, quam in doctrina, vel aliis donis naturalibus, & humanis constitutum esse ducant: illa enim interiora sunt, ex quibus efficaciam ad exteriora promanare ad finem nobis propositum oportet.* Pende hæc extrema: sunt enim iis, quæ de scientia tamquam de instrumento superiùs diximus, valde consentanea. Ergo scientia instrumentum ad virtutem, & nobis inserendam, & aliis persuadēdam: charitas autem principalis agentis vicem, & rationem habet; vide quantum intersit inter gladium, & eum, qui ipso pugnat. Quare rursus in literis nomini Abrahæ additis duo obserua; alterum, primā earum esse H. quæ spiritus potius, quam vocis, aut literæ rationem sortitur, vnde de ipsa sic monuit Agellius lib. 2. c. 3. *H. literam, siue illam spiritum magis, quam literam dici oportet, inserebant veteres nostri plerique vocibus verborum firmandis, roborandisque, vt sonus earum esset viuidior, & vegetior.* En quid spiritus literis tribuat; alterum, duas tantum literas Abraham additas, patrem multarum gentium ipsum reddidisse, quòd pauculæ literæ Dei spiritu imbutæ plurimos Christo filios gignant: illa enim interiora sunt, ex quibus efficacia ad exteriora promanat.

Cassiod. — S. P. Ign. — Agel.

14\. Vt verò maius donum charitas, quam scientia est: ita tolerabilior scientiæ, quam charitatis defectus. Quare Tertul. præfato loco aduers. Valentin. cum dixisset: *Nocentissimi autem, qui non simplices, sicut stultissimi, qui non sapientes,* subdit: *Et tamen malim in eam partem meliori sumi vitio, si fortè præstat minus sapere, quam peius; errare quam fallere.* A quò non longè iuit Senec. epist. 88. inquiens: *Magno impendio temporum, & magna alienarum aurium molestia constat hæc vox; ô virum literatum! Simus hoc rusticiori titulo contenti.* O virum bonum. En Senecæ votum. Addit verò Bern. vix fieri posse, vt charitatem quis habeat, quin verè sapiens esse, dicique debeat. Sic namque ille serm. 50. in Cant. *Da mihi hominem, qui ordinato Dei intendat amori, respiciens terram, suspiciens cœlum: vtens hoc mundo tanquam non vtens, & inter vtenda, & fruenda intimo quodam mentis sapore discernens, vt transitoria transitoriè, & ad id dumtaxat, quod opus, & prout opus est, cernat: æterna desiderio amplectatur æterno: talem, inquam, da mihi hominem, & ego audacter illum sapientem pronuncio, cui nimirum quæque res re vera sapiunt, prout sunt.*

Tertull. — Senec. — Bernard.

ADNOTATIO VI.

Scientiam, non alia quam bonorum operum mensura, esse dimetiendam.

EX præfata autem expositione alius se prodit huius loci sensus superiori valde affinis, vt *in omni scientia, & sensu*, valeat idem, ac iuxta mensuram scientiæ, & sensus, eaque Pauli mens sit: hoc oro, & cupio, vt quantum in vobis præuolat intellectus, siue diuinarum rerum cognitio, tam perfectus sequatur voluntatis affectus, nec vobis malo fato

fato accidat, vt præuolante notitia mysteriorũ Dei, & intellectu rerum spiritualium, tardus, aut nullus piæ voluntatis sequatur affectus. Vt verò hæc expositio, & verbis, & instituto Pauli consentanea, ita ad mores formandos satis est opportuna.

1\. Ea siquidem lucis natura, ea lex est, vt luceat, & illuminet; scientiæ (inquam) & cognitionis, vt in bona opera conuertatur, & transeat, dicente Domino, Matt. 5. 16. *Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona*: quæ emphaticè dicta reor, atque ad eum modum premenda illa particula, *sic*, vt sit sensus, sic lucere debetis, vt scientiæ, & cognitionis vestræ lux in recta opera commutata conspiciatur, siue, vt ex bonis operibus potius, quã ex verbis, aut eloquentię floribus appareat, quasi dicat; aliter non censebitur lux vestra lucere. Fulcitur inde hæc explicandi ratio, quod, vt bona fuerit à Domino lux præuisa, non tamen prius commendata, & laudibus ab eo affecta est, quam re ipsa mundum illustrauerit. Qua de re sic differit Chrys. ho. 3. in Gen. *Num prius, quam fieret lux, nesciebat, quod bona, sed postquam producta fuit oculus primum ostendit opifici pulchritudinem, & bonitatem producta? Et quis, cui cor est, tale quiddam diceret? Nam si homo, qui aliquid per artem operatur priusquam fabricet, quod vult facere, & priusquam formet, scit vsum eius, quod edolare statuit: quãto magis omnium opifex, qui verbo omnia ex nihilo, vt essent, produxit, sciebat antequam lucem faceret, quod esset bona, quare ergo hac dictione vsus est?* Dimisso verò, siue potius transmisso in alium locum, quod huic quæsito ipse respondet; illud tu ad mentem Pauli dicito, ideo lucem, dum in idea erat, commendatam non fuisse, quod eam tantum lucem Dominus probet, quæ foras ad opus trãslata radios suos perfundens conspicitur, non quæ in intellectu tantum lucet, & quasi in idea est *nam fructus lucis* (Apostolo teste ad Ephes. 5. 9.) *est in omni bonitate, iustitia, & veritate*: quæ sic capio, vt fructus, qui ex luce, tanquam ex arbore nascitur, non alius, quam omne virtutis genus sit, aliàs lux inutilis, non secus, ac arbor sterilis, & infrugifera censebitur. *Siquidem* (ita Nazianz. orat. in plagam grãdinis) *non is, qui in verbis sapit, mihi sapiens erit, neque is, qui linguam habet volubilem, animum verò ineruditum sepulchrorum instar, quæ extrinsecus sunt ornata, & speciosa; intus autem mortuorum cadauera, & multum recondunt fœtorem; sed ille, qui pauca de virtute loquitur, multa verò ostendit operibus, fidemque sermonis per vita roborat actionem.* Firmat id Theologus appositis hisce imaginibus: *Siquidem lõgè mihi præstabilior est formæ pulchritudo, quæ conspici potest, quam quæ sermonis pingitur industria; necnõ diuitia, quæ manibus continẽtur, quam quæ effinguntur somnio; ac sapientia, quæ nõ sermonibus splendet, sed operibus collucet*, intellectus, *enim*, bonus omnibus facientibus eam, *Scriptura inquit, & nõ qui prædicant illam.* Vides sapientiam inde censeri, quod operibus colluceat, non quod sermonibus splendeat? Vtinam ergo (Bernard. serm. 4. de Ascens.) *quæ intellectum illuminant, moueant & affectum.*

2\. Videtur quidem nonnihil affinitatis cum his habere accuratus dicendi modus, quo vtitur Scriptura Prou. 8. 22. cum de sapientia, seu cognitione actiua, & executiua Dei dixit: *Dominus possedit me in initio viarum suarum*, vsurpans nimirum phrasim, *possidendi*, vt bene ibi notat noster Salazarius, quasi tunc primum Deus, eiusinet sapientiæ, quæ ab æterno in ipso erat, possessionem ceperit, cum mundum per ipsam condere aggressus est, quod dum illa nihil re ipsa præstabat, vel faciebat, ociosa quodammodo, & quasi non esse videretur, atque ideo tunc illius possessionem captasse, cum rerum condendarũ initium auspicatus est. Qui videtur fuisse sensus Tertul. lib. aduersus Hermog. c. 18. inquiẽtis. *Sophia igitur ipsius exinde nata, & cõdita est, ex quo in sensu Dei ad opera mundi disponenda cæpit agitari.* Hæc, quæ in Deo nihil omninò imperfectionis: imò omnimodã perfectionem dicunt, si homini accommodes, iure dixeris tantum illi sapientiæ, quantum rectæ operationis, quæ ab ipsa ortum ducat, inesse; aliàs sapiens non sapiens, imo insipiens erit; sed hæc ipsamet possessionis phrasi inculcata, sic docuit Bern. serm. 23. in Cant. *Instructio doctos reddit, affectio sapientes. Sol non omnes; quibus lucet, calefacit; sic sapientia multos, quos docet, quid sit faciendum, non continuò etiam accendit ad faciendum. Aliud est multas diuitias scire, aliud est possidere, nec notitia diuitem facit, sed possessio: sic prorsus sic aliud est nosse Deum, & aliud timere, nec cognitio sapientem, sed timor facit, qui & afficit. Tu ne sapientem dixeris, quem sua scientia inflat? Quis illos sapientes, nisi insipientissimus dicat, qui cum cognouissent Deum, non tamquam Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt?* Rom. 1. 21. *Ego magis cum Apostolo sentio, qui insipiens cor eorum pronunciat.*

Hinc disces, cur Paulus cum Ephesiis pariter ab ipso dilectis inæqualiter ad speciem, ac cum Philippensibus se gerat, pro illis enim ad Deũ preces fundens illuminatos solũ cordis oculos ipsos sic exoptat, ad Eph. 1. 18. *Non cesso, gratias agẽs pro vobis, memoriam vestri faciẽs in orationibus meis, vt Deus Domini nostri Iesu Christi Pater gloriæ det vobis spiritum sapientiæ, & reuelationis, in agnitione eius illuminatos oculos cordis vestri, vt sciatis, quæ sit spes vocationis eius*: hic verò dum pro Philippensibus orat, nõ contentus petiisse, vt eorum charitas abundet in omni scientia, & sensu, plurium subinde eximiorum petitionem connectens, subdit: *Probetis potiora, vt sitis sinceri, & sine offensa in diem Christi, repleti fructu iustitiæ per Iesum Christum ad laudem, & gloriam Dei.* Ecce Ephesiis illuminatos solum exoptat oculos; Philippensibus verò omnes ad minus iustitiæ fructus. Sũt ne hæc, ac illa paria? Ita sane omnino: nam rerum diuinarum scientia, si vera scientia dicenda est, siue eximia illa lux, quæ interioribus mẽtis oculis lucet, egregios illos omnes iustitiæ fructus parit, alias nec germana scientia, nec vera lux cẽsenda est. Ideo sapienter ad supra dicta de manibus Moysi, & Aaron indidem obseruauit Origenes in vtramque Moysi, & Aaron manum, vnam tantum appellari, non duas: *Et tamen vtraque hæc, non sunt duæ manus, sed vna: in manu enim Moysi, & Aaron eduxit eos Dominus, & non in manibus Moysi, & Aaron. Vnum enim opus vtriusque manus est, & vna perfectionis expletio.* Quasi dicat, nihil minus operibus exhibendum esse, quam quod scientia, & cognitione quis adipiscitur, idemque esse debere, gratam Deo rem cognoscere, & opere exercere.

Monuit quidem id nos Dominus Matth. 21. 19. cum ficulneæ potius, quã alteri ex arboribus, quod fructum non haberet, maledictionis vulnus inflixit; nimirum, ficulneæ folium cum hominis manum quinque veluti digitis distinctam præseferat, eum adumbrat, qui manum scientiæ habens, manum etiam operationis habere debeat. Quare dum Moysi manus, sine manu Aaron, hoc est, scientia, sine charitate, & lux absque operatione inuenitur, vt arbor infructuosa, & ingrata meritò damnatur. Ita ad id loci Matth. Auctor operis imperf. apud Chrysost. his verbis: *Vide ipsa folia fici quomodo secundum similitudinem manus sunt formata: folia autem viriditatis, sunt species tantummodo sanctitatis in homine, aut sine fructu operum verba religiosa; quicumque ergo homo religiosus, id est, arbor rationabilis profitetur*

Marginalia: Matth. 5. 16. — Chrysost. — Ad Ephes. 5. 9. — Nazianz. — Prou. 8. 22. — Salaz. — Tertul. — Hieron. — Ad Ro. 1. 21. — 3. — Eph. 1. 18. — Origen. — 4. — Matt. 21. 19. — Auct. Ope.

profitetur se esse Dei, & iustitiam non operatur, arbor est tantummodò folia sine fructu portans.

5. Quò referas per allegoriam eum mensurandi modum, quem Eliæ victum petenti, vidua illa sic innuit, 3. Reg. 17. 12. *Non habeo panem, nisi quantum pugillus capere potest farinæ in hydria*, vel vt in Hebræo est, *præter plenam manum farinæ*. At quæ hæc mensura? Opportuna planè, ac iusta. Cum enim triticum, siue farina, siue semen (in idem hæc recidũt) sit verbum Dei, illud hic mensurandi modus monet, vt scientiæ, & cognitionis manum manus operationis mensuret. Ita ad id loci Vener. Steph. Cantuar. in allegat. Gotfr. Tilm. ad lib. 3. Regum. *Pugillus enim farinæ verbum Domini: Pugillus operatio est. Quantum ergo fidelis accipit de verbo Domini, tantum debet in opus conuertere:* ac si dicat, manus manum metiri debet, manus operis manum cognitionis. Hinc scite pendit Bernardus Herodem, etiam cum Ioannem libenter audiebat, à culpa immunem non esse, quod, quæ audiret, non exequeretur. Sic enim ille ep. 129. *Mementote scriptum*, Marci 6. quia metuebat Herodes Ioannem, & libenter eum audiebat. *Sed beatus foret si audita libenter æque seruasset. Denique non qui audiunt.* Sed beati, *inquit*, qui audiunt, & custodiunt verbum Dei. Sed ad hæc obserua subdere Marcum de Herode Ioannem audiente: *Et audito eo multa faciebat:* nec tamen ideò perfectum verbi Dei auditorem censeri, sed reum adhuc diuini à se verbi contempti esse, quod non sufficiat aliqua ex iis, quæ audiuntur perficere, nisi manus manum remetiens, omnia executioni mandauerit. Ad quẽ etiam modum videas proditorem Iudam, Christi sanguinem, quem vnguentum illud à Maria in domo Simonis leprosi significabat, trecentis prius denariis æstimasse, Ioan. 12. 5. postmodum verò non nisi exiguo triginta argenteorũ pretio vendidisse, aliter nimirum sciens, & æstimans; aliter cognita, & æstimata perficiés: de quo ita Ambros. lib. 3. de Spir. sanct. c. 18. *O Iuda proditor, vnguentum passionis eius trecentis denariis æstimas, & passionem eius triginta denariis vendis, diues in æstimatione, vilis in scelere.* Quasi dicat, plures esse Iudæ persimiles, in quibus præuolante scientiâ, & diuinarum rerum cognitione exiguus inuenitur charitatis profectus; dum quæ de virtute magnifice loquuntur, ac sentiunt, vili faciunt in operibus, siue in pretio, quod pro ipsa exhibent.

6. Vnde dum iure quæritur, qua potius ratione Christus sol iustitiæ, quam sol misericordiæ in sacris appelletur Malach. 4. 2. cum hoc illi nomen, qua lucem suæ cognitionis liberaliter impertit, cõgruentius videatur? Non absre, respondeas, ideo appellari iustitiæ solem, quod eius cognitionis, ac lucis, quam prius liberaliter distribuit, fructum, atque effectum ex iustitiæ ratione deposcat; eo iure agens nobiscum, vt quam ab eo accepimus lucem, operibus exhibeamus. Certe Plin. lib. 2. c. 6. de sole dixit, lucem suam aliis syderibus fœnerare. Apto hic eam explicationem, quam affert Beda illis verbis Luc. 19. *Quare non dedisti pecuniam meam ad mensam, vt & veniens ego cum vsuris exegissem illã*, vt vsurarum nomine operatio à luce cognitionis profecta significetur. Sic enim ille: *Qui verbi pecuniam à Doctore percipit, eamque credendo, necesse est eam cum vsuris soluat operando, vt quod auditu didicit, sequatur & actu.* Quo omnino sensu Nazianz. orat. *Cum reuerteretur ex agro*, exigens à suis ciuibus profectum ex diuinis sermonibus, quos ab ipso iam pridem acceperant, inquit. *Nec mutuum peto, sed fœnus, nec talentum solum, sed & talenti quæstum.* Qua quidem è re est egregium testimonium, quod Ianuensibus ciuibus diuini verbi auditi, atque seruati ad hunc modum reddidit Bern. epist. 129. *In æternum non obliuiscar tui, plebs deuota, honorabilis gens, ciuitas illustris, vespere, mane, & meridie, more vtique Prophetæ* (Ps. 54.) *narrabam, & annunciabã, & erat tanta audiendi auiditas, quanta & audientium charitas. Portabamus verbum pacis, cumque inuenissemus filios pacis, requieuit super eos pax nostra. Exieram plane seminare semen non meum, sed Dei, & cadens in terram bonam, semen bonum fructum fecit centuplum, & tempestiuum. Mira celeritas, quia magna necessitas. Nec tarditatem passus sum, nec difficultatem, vnã pene die, & serens, & metens, & reportans cum exultatione manipulos pacis.* Hæc Bernard. Pende illa: *Erat tanta audiendi auiditas, quanta & audientium charitas*, quæ ad gustum Pauli sunt charitatem simul cum scientiâ discipulis suis optantis.

7. Certè sponsa, quæ optimè nouerat spõsum suum labia habere distillantia myrrham primam, hoc est, discipulos suos ad sui abnegationem, & carnis mortificationem adhortari (sic labia sponsi distillantia accipiunt Theodoret. Cassiod. & Bed.) quippè quæ ab ipso ad montem myrrhæ sæpius fuisset euocata; dum ad ianuam noctu pulsantem persensisset, sic ei occurrisse affirmat: *Surrexi, vt aperirem dilecto meo, manus meæ distillauerunt myrrham primam.* Cant. 5. 5. Quod perinde est, ac si dicat, cum scirem moris esse sponsi mei, vt postquam verbis suis animæ illuxit, ad eam iterum redeat, ad morem præceptoris, qui pensi, seu lectionis rationem ab auditoribus exposcit, vt dum verba in opera cõmutata inuenit, nouis eam donis exornet, denuoque illuminet; nihil me ad aditum ei patefaciendum aptius facturã existimaui, quam si verba, quæ ab ipsius labiis distillantibus myrrham primam acceperam, in opera à me iam commutata ostenderem, ideò, *vt aperirem dilecto meo, manus meæ distillauerunt myrrham primam:* egregia mortificationis opera pro acceptis verbis velut manibus deferens. En quid sit Christi doctrinam, & verba audire, discere, scite. Certè Habac. 3. 5. vbi dicitur. *Ante faciem eius ibit mors.* LXX. habent, *ibit verbum*, nimirum, vt Dei verba, & doctrina, idem ac affectuum, & passionum mors sit, isque discipulus Christi, cuius labia distillantia myrrham primam, censeatur, cuius manus distillantes myrrham primam inueniũtur. Sunt verò dictis admodum consentanea, quæ ethnicus Seneca ad Lucillum sic scripsit ep. 108. *Illud admoneo auditionem Philosophorum, lectionémque ad propositum beatæ vitæ trahendam, non vt verba ficta, aut prisca captemus, & translationes improbas, figurásque dicẽdi; sed vt profutura præcepta, & magnificas voces, & animosas, quæ mox in rem transferantur, sic ista discamus, vt quæ fuerũt verba, sint opera.* Similiter ep. 75. *Quãdo multa disces? Quando, quæ didiceris, affiges tibi, ita vt excidere non possint? Quando illa, experieris? Non enim, vt cætera memoriæ tradidisse satis est, in opere tẽtanda sunt: Non est beatus, qui scit illa, sed qui facit.* Ita ille, ac si à Iacob. cap. 1. 25. eodem sensu iisdem pene verbis accepisset. *Estote factores, & non auditores tantum. Quia si quis auditor est verbi, & non factor, hic comparabitur viro consideranti vultum natiuitatis suæ in speculo, &c. Qui autem perspexerit in legem perfectam libertatis, & permanserit in ea, non auditor obliuiosus factus, sed factor operis, hic beatus in facto suo erit.*

8. Hâc quidem de causa in Canticis tum caput, & manus sponsi eiusdemmet materiæ: tum sponsæ cæsariem, & labia eiusdem coloris esse perhibentur. Sic enim primò de capite sponsi, c. 5. 11. *Caput eius aurum optimum:* de manibus verò, c. 5. 14. *Manus eius*

Marginalia: 3. Reg. 17. 12. — Steph. — Bernard. Marc. 6. — Ioan. 12. 5. — Ambros. — Malac. 4. 2. — Plin. 2. 19. — Beda — Nazianz. — Bernard. — Psal. 54. — Theodor. Cassiod. Bed. — Cant. 5. 5. — Habac. 3. 5. LXX. — Senec. — Plutarch. — Iacob. 1. 25. — Cant. 5. 11. & 14.

eius tornatiles aureæ. Planè, vt sub auri metaphorâ, quod arcano sermone sapientiam significat, nobis innuatur, sapientiam non tantum in cerebro, sed in manibus etiam sedem habere: aurumque capitis, id est, scientiã, & mysteriorum cognitionem, in manuũ operibus esse ostendendam. *Nam sicut, qui pictoriã aut sutoriam artem perdiscunt* (verba sunt Theod. ser. 12. de græcar. affec. curat.) *non solum, vt earũ rationem teneant, dant operam; sed multo magis, vt suis manibus exerceant: sic moralis philosophia, hoc est, euangelica doctrina non tantum discenda est, vt eam sciamus, sed vt & verbis, moribus, & vita exprimamus.* Similiter de cæsarie, ac labiis sponsæ seorsim dicitur, coccinea esse, c. 7. 5. & cap. 4. 3. ne videlicet orationi, quæ à labiis fluit, sensus, & deliberationes dissentiant, sed eiusdem coloris consilia, atque operationes sint. Sic dixit Senec. ep. 20. *Hoc enim exigit philosophia, vt ad legem suam quisque viuat, nec orationi vita dissentiat, vt ipsa inter se vita vnius sine actionum dissensione coloris sit.* Et ep. 94. *Qui facienda, & vitanda percipit, nondum sapiens est, nisi in ea, quæ didicit animus eius transfiguratus est.* Et quidem his satis consentanea de Moyse dixit Phil. li. 1. de vita Moysis. *Animo viuere malebat, quam corpore, philosophiæ præcepta quotidie factis repræsentabat, mentem verbis exprimens, facta dictis accommodans, vt cum sermone vita congrueret; in summa qualis erat vita, talis & oratio, vt nihil discreparet, haud aliter, quam in instrumento musico.*

[Theodor. | Cant. 7. 5. & c. 4. 3. | Senec. | Philo.]

9\. Satis quidem erat hâc doctrinâ imbutus egregius ille adolescens, acerbissima pro Dei religione supplicia perferens; lib. 2. Mach. c. 7. 10.) à quo cum linguam amputandam ferox carnifex exigeret, ille non linguam modo, sed manus simul præscindẽdas incunctanter exhibuit. At quæ hæc, ô adolescens, celeritas, quâ tyranno gestis anteuertere? Serua manus, quæ adhuc à te nõ exiguntur: sæuior in te ipsũ, ferociente carnifice, & sanguinẽ tuum sitiente esse vis? Nouerat sanè sapiens iuuenis inseparabilẽ linguæ, & manuum coniunctionem, vt hæ ab illâ diuelli non possent, quod præcipua linguæ efficacia, atque vis in manibus conspicienda, laudandaque sit. Ita quidem explicauit Origen. hom. 1. in Luc. ea Euangelistæ verba, c. 1. 2. *Qui ab initio viderunt, & ministri fuerunt sermonis*, multis hâc de re agens; ad quem etiam modum diffiniuit philosophiam Senec. ep. 16. inquiens: *Non est philosophia popolare artificium, nec ostentationi paratum, non in verbis, sed in rebus est.* Et similiter Epictet. apud Arrianum lib. 2. dissertat. *Age* (inquit) *stoicum mihi aliquis ostendat, si habetis, vbi igitur? Nã qui stoicos sermũculos edisserat, mille dabitis sed volo stoicum. Quis ergo is est? Vt Phidiacam statuam dicimus ab arte Phidiæ exactè factam, ita illum mihi ostendite ad ea, quæ profitemini, dogmata expressum.* Et lib. 3. disser. 21. *Sicut ij, qui stomacho laborant, cibum statim eijciunt, sic qui præcepta nuda acceperunt, sermone effundunt. At concoque prius, & in succum verte, & mutationem in mente factam ostende, ecce faber, qui peritus artis est, non obambulat clamitans, audite me differentem de re fabrili, sed tacitus domum, & tabernam conducit instruit, & operibus ostendit se peritũ: talia tu fac, ede, bibe, vt decet; matrimonium contrahe, liberos gigne, rempublicam gere, conuitium tolera: fer patrem, vicinum iniquum, & talia nobis ostende, vt verè te philosophum cognoscamus.*

[2. Mach. 7. 10. | 17. | Origen. | Senec. | Epictet.]

10\. Hinc mystica illa verba in Pontificis rationali conscripta, *doctrina, & veritas*, Leu. 8. 8. siue, vt alij legunt, *splendores, & perfectiones*, lucem accipiunt, vicissimque nobis reddunt: ipsis namque innui videtur doctrinam medio pectori inscribendam, nec aliter elucere, perfectionemque suam, ac veritatem ostendere, nisi cum sedandos animi motus, qui in pectore sedem habere dicuntur, adhibetur: aliàs doctrinam, nec perfectam, nec veram, sed vanam potius, & mendacem haberi: *Fabula enim videntur* (ait Isid. Pel. lib. 2. ep. 114.) *verba sine operibus.* Quo refero, quæ Arist. lib. 2. Ethic. cap. 4. scitè dixit in hunc modum. *Rectè igitur dicitur iustum fieri agentem iusta, & temperatum etiam temperata; qui verò hæc non agit, nunquam euasurus est bonus. Verum plerique hæc quidem non agunt; ad sermones autem confugientes sese philosophari putant, & studiosos hoc fere modo: atque perinde, vt ægroti faciunt, qui medicos quidem diligenter audiunt, nihil autem eorũ agunt, quæ præcipiuntur ab illis. Vt igitur illis corpus non bene sese habebit, si ita curantur; sic nec his animus planè, si ita philosophãtur.*

[Leuit. 8. 8. | Isid. Pelus. | Arist.]

ADNOTATIO VII.

Scientiam sine charitate noxiam, & quæ dolorem, & afflictionem afferat, esse.

QVANTA autem sapientiâ Paulus, quamque tenero parentis voto, scientiam discipulis, non tam intellectum ornantem, quam affectum permouentem, quæque in operibus conspiciatur, exoptet; is eorum status tam periculi, quam doloris plenus, qui meliora vident, probantque, & deteriora sequũtur, satis apertè ostendit. Nam præterquam quod, *excellentissima animaduertenti, nec mediocria quidem præstanti, rubor esse oportet*: vt inquit Valer. Max. li. 4. c. 6. signatissimis legis verbis, à Paulo ad Galat. 3. repetitis, confirmatisque cauetur: *Maledicus omnis, qui non permanserit in omnibus, quæ scripta sunt in libro legis, vt faciat ea*: sed quid est, non permanserit? Explicuit id quidem Theodotion, dum legit: *Maledictus, qui non suscitauerit verba legis huius, vt faciat ea*: quasi lumen verborum Dei, & cognitionis diuinorum, dum in rectam viuendi operationem non transit, extinctum censeatur, câque de causa ij, penes quos emortuum inueniatur, non secùs ac homicidæ ineuitabili maledictioni subiaceant. Persimile est, & obseruatu dignum Ieremiæ testimoniũ, c. 47. 6. vbi cum gladium Domini humano cruore tinctum, nec à cæde cessantem ita primum alloqueretur Vates. *O mucro Domini vsquequo non quiesces? Ingredere in vaginam tuam, refrigerare, & sile*: sic sibi subinde respondet. *Quomodò quiescet, cum Dominus præceperit ei aduersus Ascalonem?* Quid verò significet, tã diro, tamque ineuitabili supplicio Ascalonem subiacere; non leui coniecturâ ex interpretatione nominis Ascalõn, à Hieronymo tradita, nẽpe, *homicida ignis*, mihi videor colligere: nam cum ignis metaphora verba Dei in sacris significẽtur Ier. 23. 29. *Nunquid non verba mea sunt quasi ignis?* eum denotare videtur Ascalon, seu homicida ignis, apud quem diuina eloquia, & sermones extincti, siue emortui, hoc est, operibus non exhibitis iacent. Vnde iis tam acriter irascitur Deus: *Maledictus enim, qui non suscitauerit verba legis, vt faciat ea.* 1.

[Valer. Ma. | Deu. 27. 26. | Ad Galat. 3. 10. | Theodot. | Ierem. 47. 6. | Iere. 23. 29.]

Hinc est, quod Christus Matth. 11. 25. notanter gratias Patri egerit, quod peculiaria mysteria à sapientibus, & prudentibus sæculi absconderit, sic enim ibi: *Confiteor tibi Pater Domine cœli, & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus, & prudentibus*: verum id primo aspectu, cum mitissimo ingenio Saluatoris, qui salutem hominum tantopere concupiscit, non bene hærere videtur. Vt quid enim lætetur Patrique verbis se gratum ostendat is, qui diuitias suas in homines diffundere exoptat, quique pro collatis hominibus beneficiis, sæpius ipsi gratias reddit, 2.

[Matt. 11. 25.]

reddit, quod sapientiæ dona hominibus Deus absconderit? Respondeo, quod peculiaris misericordiæ Dei fuerit, eam homini lucem, & cognitioné subtrahere, quam ille incassũ, & ociosam suâ negligẽtiâ erat redditurus. Sic ibi Theoph. *Deus propter magnam misericordiam suam non reuelat aliquibus plura mysteria, vt non magis puniantur, vtpote aspernantes ea, quæ didicerunt.* Ex quibus disces benignissimi Saluatoris esse gratias Deo agere, non solum propter beneficia sapientiæ hominibus collata, sed etiam propter ea, quæ ipsis denegauit, quando in supplicij cumulum prouentura illis erant. Similis est Ambr. obseruatio, lib. 10. in Luc. in Malchi auricula à Petro in horto abscissâ: sic enim censet Ambros. non mediocre illi à Deo conferri beneficium, cui vel mysteriorum cognitio, vel inspirationum impulsus non subministratur, cum hæc effectum bonorum operum in illo sortitura esse non videtur: *Fortasse ideo aurem tulit, ne amplius delinquerent audientes, qui audita seruare non possent. Sic & aliquando confudit Deus linguas extruentium turrim, ne se audirent, & opus sua impietatis augerent.*

Ambros.

4. Quod vero scientes, & non facientes in culpa & in pœna sint, præter quotidiana experientiæ documenta, illud nos monet, quod de egregio dono mãna filiis Israel in typum diuini verbi, atque cœlestis doctrinæ exhibito, scribitur, Exod. 16. 20. seruatũ in sequentem diem vermibus scaturire solitũ: quia videlicet Dei verba, si ociosa sint, nec in opera trãseant, acriter desidem pungunt, & veluti vermes rodunt, & mordent. Ita Orig. ho. 7. in Exod. *Sed dicet aliquis, si manna verbum esse dicis, quomodo vermes fecit? Nec aliunde fiunt vermes in nobis, nisi ex verbo Dei, sic enim dicit ipse:* nisi venissem, & locutus eis nõ fuissem, peccatũ non haberent: *Post susceptũ ergo verbum vermis est, qui eius conscientiam fodiat, & arcana pectoris rodat.* Ita ille. Consentit Bern. ser. 74. in Cant. *Quantos,* ait, *expertus sum agnita veritate tristiores, & ideo magis, quod iam confugere ad ignorantia excusationem non liceret, scientes, & non facientes, quod veritas hortaretur.*

Orig. ho. 7. in Exod.

Bernard.

Consonant his, quæ de natura, & planctu struthionis habentur in sacris, vbi eius planctus tristissimus esse perhibetur. Ita Mich. c. 1. 8. *Super hoc plãgam, & vlulabo, vadam spoliatus, & nudus faciam planctum velut draconum, & luctum quasi struthionũ.* At quæ struthionis natura? *Mira est eius stoliditas,* dicit Plin. lib. 10. c. 1. sed quare? Audi Iob. c. 39. 19. *Pẽna struthionis similis est pennæ herodij, & accipitris.* Quid verò inde? Has pennas struthio cum habeat, imò prædictis auibus multo speciosiores, & pulchriores, quippè quæ magno ornamento viris principibus sint, nullo tamẽ modo in altũ se illis efferre, atque eleuare valet, ita ad id loci Greg. *Quis herodium, & accipitrem nesciat aues cateras, quanta volatus sui celeritate transcendant? Struthio verò pẽna eorum similitudinem habet, volatus celeritatem non habet, à terra quippe eleuari non valet, & alas quasi ad volatum spe tenus erigit, sed tamen nũquam à terra se eleuando suspendit.* Iam ergo struthio illos mirificè adumbrat, qui speciosis pennis cognitionis, & scientiæ præditi sursum eleuari possent, imò & aliquo modo eleuari cupiunt; at à terrenis cupiditatibus possessi, ad infima, & terrena, non sine interno, eoque grauissimo dolore pertrahũtur: *Omnes enim ni fallor,* (vt inquit Ber. ser. 6. de Asc.) *quæ sursum sũt, quærimus, intellectu, fide, & iudicio rationis; sed non æque forsan sapimus omnes, quæ sursum sunt, tanquam inescati iis, quæ sunt super terram, violento quodã præiudicio affectionis.* Sed quid inde? Dolor, afflictio, cruciatus sic ibi graphicè à Bern. paulo ante descriptus. *Ecce enim, vt tanquam principalia cordis ipsius membra distinguam, est intellectus in nobis, & affectus, & hic quoque sibi inuicem aduersantes, vt alter summa petere, alter appetere infima videatur. Quãtus verò is dolor, quam grauis anima cruciatus, dum sic distrahitur, sic dilaceratur, sic abrumpitur à se ipsa, vel ex eâ saltem, quam nobis experiri in promptu est corporis conscissione conijciat, si quis in suo spiritu animaduertere perniciosa, & periculosa insensibilitate non neglexerit.* Ita Bernard. Qui rem penitius, & explicatiùs sic nobis ponit ob oculos. *Distrahuntur hominis crura, & longioris obice ligni remouentur ab inuicem pedes, & dum adhuc cutis integra manet. Quis tamen ille est cruciatus? Sic affligi plangimus miseros, qui corporaliter inter nos conuersantes illuminati fortè similiter, sed dissimiliter inueniuntur affecti, intelligũt pariter bona, quæ faciunt, sed non diligunt intellecta.* Et post pauca: *Vtinam autem hæc, vt intellectum admonent, moueant & affectum, ne sit intus amarissima contradictio, & diuisio molestissima, dum hic quidem sursum trahimur, sed retrahimur deorsum.* Sed ante Bern. horum struthionum cruciatum sic descripserat Arist. lib. 9. Eth. c. 4. *Neque ita collætantur, neque condolent huiusmodi homines secum: seditione enim anima eorum agitatur; pars enim vna ob prauitatem dolet, cum aliquibus abstinet: altera lætatur, & quasi diuellentes, illa huc, hac illuc trahit.*

Mich. 1. 8.

Plin.

Iob. 39. 13.

Gregor.

Bernard.

Arist.

Nec minus appositâ similitudine Aug. hom. 4. in festo omn. sanct. ad ea verba: *Beati mũdo corde, quoniam ipsi Deum videbunt;* homines scientia imbutos, sed morum probitate carentes cum iis, qui solem cum lippis oculis intueri audent, quos acie oculorũ repercussâ, vehementer dolere necesse est, ita componit: *Hoc para, vnde videas. Vt enim secundum carnem loquar, quid desideras ortum solis, cum oculis lippis? sani sint oculi & erit illa lux gaudium, non sint oculi sani, erit illa lux tormentum.* Et rectè quidem: sunt enim alij in conscientia oculi, qui hos sciẽtiæ oculos diris modis excarnificant. Vnde Pacat. in panegy. *Habet oculos conscientia carnifices, qui magis torquent, & lancinant vitalia, quam cruces, quã vulnera, quam tormenta.* Similis Ambr. sensus in Ps. 118. ser. 19. ad hunc modum: *Aperi fenestras tuas, vt tota domus tua veri fulgore solis illuceat: aperi oculos tuos, vt videas orientem tibi solem iustitia, sed caue, ne eos vlla stipula festuca perturbet, si quid sordis fuerit in oculo mentis tua, nõ poteris illũ intueri, si quid ægritudinis, plus grauabit; cum confusam oculorum aciem lux ferit, maioremque dolorem excitat.* Rem ethnicus licet, & poëta, disertissimè nobis ob oculos posuit Pers. sat. 3. qui adeò sæuum, & acerbum hoc cruciatus genus censuit, vt illud non nisi immitissimis tyrannis dignum existimarit. Audi.

5. August.

Pacat.

Ambros.

Pers.

Magne pater diuum, sæuos punire tyrannos
Haud alia ratione velis: cum dira libido
Mouerit ingenium feruenti tincta veneno,
Virtutem videant, intabescántque relictâ.
Anne magis Siculi gemuerunt æra iuuenci?
Et magis auratis pendens laquearibus ensis
Purpureas subter ceruices terruit? imus,
Imus præcipites, quam si sibi dicat, & intus
Palleat infœlix, quod proxima nesciat vxor.

Quod si velis hæc magis diffundere, attende, nihil his, quibus sani sunt oculi, suauius delectabiliusque esse, quam solem conspicere, eiusque splẽdore, ac radiis frui, Salomone dicente Eccl. 12. 7. *Dulce lumen, & delectabile est oculis videre solem.* Contra verò illis, quibus infirma subest oculorum acies, molestius nihil, nihil acerbius est, quam defixis illum oculis intueri: vnde *noctua,* (vt in prouerbio est) *Solem omnibus modis refugit.* Quem quidem ad modum, qui mundo sunt corde, nec intellectu solum, sed affectu etiam ad spiritualia rapiũtur, maximam ex

6.

Eccl. 12. 7.

Senec. ex cœlestium rerum contemplatione percipiũt voluptatem, ipsomet gentili Seneca teste, præfatione in lib. natur. quæst. vbi de homine superna cõtemplante inquit: *Cum illa tetigit, alitur, crescit, ac velut vinculis liberatus in originem redit, & hoc habet argumentum diuinitatis suæ, quod illum diuina delectat, nec, vt alienis interest, sed vt suis. securè spectat occasus syderum, atque ortus, & tam diuersas concordantium vias.* Vnde Regius Vates, cum dixisset Psal.4.7. *Signatum est super nos,* (Hebraicè, *expansum est super nos*) *lumen vultus tui Domine*, id est, diuinæ cognitionis radij, quorum luce perfusi, læti, atque alacres, æternitatem futurorum, instabilitatem præsentium, sæcularium deliciarum, & pomparum inanitatem, spiritualium soliditatem, & magnitudinem perlustramus; eam enim vim habet quod adiecit, *dedisti lætitiam in corde meo,* ac si diceret, quâ sanè cognitionis luce ego vehementer lætor, & gaudeo. At illi, quibus oculi non sunt sani; quibus inquam immũdum cor, & sæculi sordibus est inquinatum, nihil infestius, nihil grauius hâc sapientiæ luce, vnde eã velut noctuæ modis omnibus refugiunt, & Gerasenorum more de finibus suis transire exoptant, & Mat. 8.34. Ambros. efflagitant, Matth 8.34. ita Amb. lib.2. de Abra. c.4. *Vt infirmiores oculi lucem refugiunt, ita mens inualida sapientiæ fulgorem non sustinet, tales erant Geraseni, qui rogabant, vt transiret de finibus eorum Dominus Iesus.* At enim verò effugere non valent; sæuus nãque eos ex illa dolor insequitur. Ita quidem de Iebusæis, id est, de animi passionibus non debellatis Num. 33. 55. dicebat Hebræis Moyses, Num.33.55. *Erunt vobis quasi claui in oculis*; sed cur quasi claui? Cur etiam claui in oculis? Nempè, quia *verba sapientum, quasi* Eccl. 12.11. *stimuli, & quasi claui.* Eccl.12.11. quæ tunc oculos pungunt, & figunt, cum ipsi nõn sani, sed ad vitia, & concupiscentias decliues sunt.

7. Zach.9.1. Adspergunt hæc nõnihil lucis obscuris illis Zach. verbis c.9.1. *Onus verbi Domini in terra Hadrach, & Damasci requies eius, quia Domini est oculus hominis, assumpserunt quippè sibi sapientiam valde*: vbi Hieronym. illud in primis ex Hieron. & interpretibus notum, triste, & infaustum esse vaticinium; cum præfigitur prophetiæ titulus, *onus verbi Domini*, quid verò significet illud, *in terra Hadrach*, hucusque inter expositores non conuenit, quod hoc verbum non nisi hoc loco in tota sacra pagina reperiatur. Chaldæus. S. Cyril. Alex. Chaldæus enim pro ea voce legit, *in terra Australi*. S.Cyril. regionem esse vicinam Hemathi, alij vrbẽ Syriæ iuxta Damascum esse existimant. Quare, dum se conciliant interpretes; nos ad vocis huius significationem confugientes spiritualem nucleum è literali cortice eruamus. Et verò, cum Hieron. vocabulum Hieron. hoc ex duabus compositum vocibus, quarum vna, *acutus*, alia, *mollis*, significat affirmet: húc ego sensum elicio, triste illis, ac funestum verbum Domini, quodque velut graue onus premat, qui vna ex parte acuti, & perspicaces in scientiâ, & rerum cognitione, ex aliâ vero molles, & dissoluti in moribus inueniuntur. Sic enim de animi dotibus, quæ sine Fulgent. charitate sunt, dicebat Fulgent. supra citatus, *non honorant, sed onerant*. Subsistit verò hic sensus, vel ex eis, quæ subiungit Vates: *Quia Domini est oculus hominis, assumpserunt quippè sibi sapientiam valde*. Videtur enim superioris sententiæ rationem reddere in hunc modum. Cum enim oculi hominis diuina luce perfusi res quasi de facie norint, & virtutis splendor, & claritas, necnon & peccati horror, & fœditas, præmiaque, & supplicia vndique innorescant, & quasi circundent, non potest non dolere, & mœstus esse: imò grauem lucis sarcinam sustinere, qui acutus, & mollis, siue, qui, quæ noscit, non probat, vt dicebat Persius: Persius

Virtutem videant, intabescantque relictâ.

Subiicio tibi, tum Salomonis, tum Samsonis exẽplum; ille enim de diebus vanitatis suæ verba 8. faciens (sic enim à plerisque capitur) sic ait Eccl. ca.1.17. Eccl 1.17. *Dedi cor meum, vt scirem prudentiam, atque doctrinam, erroresque, & stultitiam: & agnoui, quod in his quoque esset labor, & afflictio spiritus: eò quod in multâ sapientia, multa sit indignatio & qui addit scientiam, addit & laborem,* siue (vt Hebræa habent) *dolorem*. Sed quare? Sanè, quia *confusam oculorum aciẽ* (vt dicebat Ambr.) *lux ferit, & si quid est ægritudinis,* Ambros. *plus grauabit.* Ad quem modum Samson, qui, *sol*, interpretatur, hominesque acutos, & illuminatos adumbrat, cum à Dalila, quæ concupiscentiæ typus est, obscuraretur, molles, & dissolutos nobis ponit ob oculos: talẽ verò eclipsim, siue deliquium sol ille patiebatur, & in eas redigebatur angustias, vt vitæ etiam eum tæderet. Sic enim Iud. 16.16. Iudic. 16. 16. *Cúmque molesta esset ei, & per multos dies iugiter adhæreret, spatium ad quietem non tribuens, defecit anima eius, & ad mortem vsque lassata est.* Apto hîc venustam expositionem, quam Phil. libro de Abraha- Philo. mo acribus pœnis, atque cruciatibus Pharaonis ob stuprum Saræ intentatum à Deo inflictis, Gen.12. Gen.12.17 17. sic mysticè reddidit. *Siquidem etiam pessimus quisque virtutem verbis honorat, & extollit in speciem, sed monita eius nemo, nisi probus recipit. Quamobrem Ægypti Rex, per quem significatur intellectus, amator corporis, mimum agens tanquam in theatro fingit amorem temperantiæ, cum sit ipse intemperans, & sobrietatis ipse luxu perditus, & iniustus iustitiæ, accersens ad se virtutem, vt apud vulgus existimationem præclaram sibi comparet. Quod vbi videt ille supernus spectator omnium Deus, qui solus animi secreta perspicit, pertæsus fucatam improbitatem arguit inclementibus cruciatibus; at quibus ad hoc instrumentis vtitur? Nimirum, quibusdam virtutis partibus, quæ quoties subintrant, acerbos dolores excitant. Tormẽtum enim est, insatiabilis cupiditatis frugalitas, & lasciuiæ continentia, sic gloriosus cruciatus felicitate modestia, & iniustus dum iustitia habetur in pretio. Incommodè enim in vnâ anima habitant duæ naturæ contrariæ, virtus, & vitium: quapropter, quoties congrediuntur, atroces seditiones, & pugnas concient, quamuis virtus sedatissimo est ingenio.* Hæc Philo. Quæ mihi nihil minus sonant, quam illa Bern. *Quantus dolor, quan-* Bernard. *tus animæ cruciatus, dum anima sic distrahitur, sic dilaceratur, sic abrumpitur à se ipsa.* Similia habet Am- Ambros. bros. lib.2. de Abraham, c.4. à Philone dubio procul edoctus. Plura hâc de re alibi, Deo donante, dabimus. Sufficiat modo in horum struthionum luctu id obseruare, quod notauit Rupertus ad verba illa Rupert. Micheæ: *Faciam planctum velut draconum, & luctum quasi struthionum,* eius generis hunc planctum esse, qui nullâ consolatione deliniri valeat. Sic enim ille: *Hoc ad cumulum miseriarum vobis accidit, quod patientibus nullus compatiatur*: & meritò quidem, cum ipsi sibimetipsis graues fiant.

VERSVS X.

Vt probetis potiora, vt sitis sinceri, & sine offensa in diem Christi.

COMMENTARIVS.

PERGIT Paulus singillatim his verbis describere crescentis charitatis, & sensatę scientiæ effectus. Est namque illa particula, *vt*, explicatiua; nec tam finalem causam (vt aiunt) quam subsecutum rei effectum denotat, quasi charitatis, & scientiæ

scientiæ proprium sit probare potiora, & sinceritati studere. Sed hæc seorsim, & peculiariter examinanda sunt.

Vt probetis.

1. EX pluribus significationibus, quas habet Græcum verbum, *δοκιμάζω*, pro quo noster posuit probare, nimirum; *explorare, expendere*, nec non *approbare, & in pretio habere*, siue, *eligere*, & *amplecti*, postrema hæc quãuis alia in præsentiarum aptior esse videtur, vt probare idem sit, quòd rem perspectam, & iudicio probatam re ipsa complecti; atque ideo probare alio hic in primis sensu sumatur, ac 1. ad Thessalon. 5. 21. *Omnia probate, quod bonum est, tenete*, vbi probare, est explorare, siue examinare. Deinde re, & verbi significatione longe hæc Pauli sententia differat ab illa Horatiana. *1. ad Thess. 5. 21.*

Video meliora, proboque,
Deteriora sequor.

Cum Paulus non tam agat de simplici probatione, & laudis testimonio, quod virtuti intellectus reddit, cum eius splendorem, ac pulchritudinem agnoscit, quam de voluntatis electione, quà illam efficaci amore cõplectitur: ac si his verbis Philippenses ita Apostolus alloquatur. Is profectò charitatis, & sciẽtiæ, ac sensus germanus fructus erit, si charitate affectiones omnes ad perfectam rationem reuocante, nullatenus rectam iudicandi facultatem impediatis, atque eo quidem modo pluris à vobis, quæ sunt potiora, fiant, vt re ipsa, atque opere id significetis, & ostendatis.

Potiora.

2. SEd quæ sunt potiora ex mente Pauli? Porrò Græca vox, *διαφέροντα*, aliâ, & aliâ, cognatâ tamen significatione gaudet: tam enim significat, *vtiliora*, sub quo sensu, ad Rom. 2. 18. eâ vsus est Paulus, iuxta Ambr. Chrys. & Græcorum expositionem: quàm *præstantiora*: quam significationem expressit Erasmus hic. Sed si verbi naturam exhaurire velis, *διαφέρειν*, propriè significat, *differre*, à quâ natiuâ significatione oritur, vt frequentius sumatur pro antecellere, præstare, excellere: ea nimirum ratione, quod, quæ excellunt, cum rara sint, facile ab aliis differre constet. Hinc Græci sic explicant hæc verba, quasi illis Paulus discipulos moneat, vt accuratè discernant, quantum vera, & orthodoxa fides doctrinę Simonis magi, & iudaizantium præstet. *Ad Rom. 2. 18. Ambros. Chrysost.*

Sed latior, opinor, Pauli sensus est, qui non solũ de fide, ac doctrinâ, sed de iis etiam omnibus, quæ ad virtutem, virtutisque culmen spectant, loquitur vrgens discipulos, vt in primis inter vera bona, & ea, quæ opinione potius, quam re ipsa bona sunt: deinde inter perfectiora, & præstantiora virtutis opera, & ea, quæ minus præstantia, & perfecta sunt, discernentes, ad perfectissima quæque capessenda contendant, atque ex multis rebus, ministeriis, siue ex pluribus etiam rectè agendi modis, ipsi semper
3. quæ vtilissima, & præstantissima fuerint, nec ea solum, ad quæ lex Dei vrget, sed etiam quæ supererogationis sunt, amplectantur; virtutesque nõ vulgari, aut mediocri modo, sed secundum supremum, & heroicum gradum consectentur, & colant, vt nihil tandem, quod ad officia virtutum spectat, in illis possit desiderari. Planè, vt hæc perfectæ charitatis in Deum, rectique mentis iudicij, siue veri sapientis lex sit, vt meliora, & excellentiora sectetur. Ita apud Nazianz. orat. de Fortuna, & Prudentia, dicebat homo cordatus, *Mihi gutta mentis est prior* *Naziánz.*

fortis mari; stolidus verò, siue sæcularis, aut aulicus: *Bona mihi gutta fortis est prior mentis cado*. Nec mirum; etenim *Populus* (vt optime inquit Tull. orat. pro Plancio) *non delectu aliquo, aut sapientia iudicat, sed impetu nonnunquam, & quadam temeritate*. Proprium verò disciplinæ Christianæ esse, vt ad perfectiora adnitamur: late differit Tertul. lib. 1. ad vxorem, c. 3. vbi inter alia. *Non propterea appetenda sunt quædam, quia non vetantur, cum alia illis præferuntur. Prælatio enim superior dissuasio est infirmorum.* *Tull. Tertul.*

Et verò id potissimum sapientiæ, & sensus munus esse, vt potiora, & præstantiora probet, sic diserte Salomõ Sap. 7. 10. *Optaui, & datus est mihi sensus, & inuocaui, & venit in me spiritus sapiẽtiæ; super salutẽ & speciẽ dilexi illam, & proposui pro luce habere illam.* Pende extrema verba, & phrasim, *Pro luce habere*, quâ innuit sapiens sapientiam sibi esse pro lumine ad vera, & præstantiora bona dignoscenda, eo modo, quo luce vtimur ad res quasi de facie agnoscendas: sub quâ allusione Ephes. 5. 13. dixit Paulus: *Omnia autem, quæ arguuntur, à lumine manifestantur.* Vbi expressius lectio Syriaca. *Omnia enim arguuntur, & à luce reuelantur, & quidquid reuelat, lumen est.* Hinc Damasc. lib. 2. de Fide Orthod. c. 7. *Aufer*, inquit, *lucem, & omnia in tenebris ignota manebunt, proprium non valentia demonstrare decorem.* Quasi dicat Salomon. Ideo mihi semper in optaris, nunc verò in summo pretio est sapientia, quod ipsa me ad rerum facies dignoscendas manuducat, monens, quid boni, quid mali vnicuique insit. Certè Lactant. lib. de ira Dei, cap. 15. id sapientiæ munus sic persequitur, *Deus, cum formasset hominem, veluti simulachrum suum, quod erat diuini opificis summum, inspirauit ei sapientiam soli, vt omnia imperio, ac ditioni suæ subiugaret, omnibusque mundi commodis vteretur. Proposuit tamen ei bona, & mala, quia sapientiam dedit, cuius omnis ratio in discernendis malis, ac bonis posita est.* Et paulò post, *Propositis igitur bonis, malisque, tum demum opus suum peragit sapientia, & quidem bonum appetit ad vtilitatem, malum reijcit ad salutem.* Accommodatiùs vero lucis similitudini sic affatur Imperator Basilius Leonem filium, & Imperij collegam, in exhortat. ad filium c. 10. tom. 5. Bibliot. vet. Patr. *Quemadmodum enim, cum Sol super terram non lucet, obscura sunt omnia, atque indiscreta: ita in animo nulla eruditione, nullisque literis imbuto confusa, atque inordinata manent vniuersa: capesse igitur ingenij cultum cum virtute coniunctum.* 4. *Sap. 7. 10.* *Eph. 5. 13.* *Damasc.* *Lactant.* *Basil. Imperator.*

Vt sitis sinceri, & sine offensa.

NOnnihil de voce, *sinceri*, ac subinde de sententiâ, quæ ipsi subest agendum; & de etymologia acriter inter se digladiantur Grammatici, vtrum videlicet à *σὺν*, Græce, *simul*, vt sincerus sit, quasi simul cum cera, id est, integer, illæsus: iuxta quam sane originem videtur hæc vox per, *y*, scribenda, vel potius à *sine*, præpositione Latina, & cerâ, quasi dicas, mel sine cera, id est, mel purum, ac simplex, vt eo modo non per, *y*, sed per, *i*, scribatur. Sed has ego nænias nihil moror, præsertim cum quæuis deriuatio eodem recidat. Certè Marc. Tull. hanc vocem sæpe sæpius pro simplici, & puro vsurpans, perpetuo eam per, *i*, scripsit. Quoad significationem attinet, sic de eâ Isidor. lib. 10. etymol. *Sincerus quasi sine corruptione, cui contrarius est insincerus, vitiatus, corruptus*, quæ, vt eius Scholiastes notauit, è Seruio sũpsit. Sub ea vero significatione, *sincerum*, vsurpauit Cicer. cum dixit: *Nihil est tam sanctum, atque sincerum* (id est, quod non vitiatum, aut corruptum sit) *in ciuitate.* Et alibi: *Perspice quid in vnaquaque re verum sincerumque sit.* Sic etiam dixit Lyricus. 5. *M. Tull.* *S. Isidor.* *Schol. Isid.* *Cicer.*

Sincerum

Horat. *Sincerum sit, nisi vas, quodcũque infundis, acescit.* Verum plerisque etiam locis sincerũ sumpsit Tull. pro vero, & minime fucato, aut ficto. Sic ad Atticum lib. 3. epist. 15. *Crassi libertum mihi puto sincere locutum.* Et lib. 10. epist. 6. *Nihil simplex, nihil sincerum.* Quo etiam refero, quod 2. de Diuinat. de Delphicis oraculis sic dixit: *Quò licet existimare in alijs quoque oraculis Delphicis aliquid non sinceri fuisse*, id est veri, aut saltem non fucati, siquidem iis dæmoniis responsa ficta, & dolosè composita, quibus insipientes fallerent, reddere mos erat. Has verò omnes significationes, aliasque non paucas ipsis affines Græca vox, εἰλικρινεῖς, quam hic Paulus posuit, comprehendit, vnde eam sincerè vertas: *Veri, puri, impermixti, meri, distincti, non fucati, aperti, manifesti, perspicui.* (Cicer.)

6. Vult ergo Paulus Philippenses non modo ab omni falso dogmate alienos, & immunes, vt explicant Chrys. Theod. Theoph. & Oecumen. quibus recentiores interpretes adhærent, sed etiam, vt moribus integri, ac puri, nullaque peccati labe cõspersi sint. *Que no aya vn si, no; ni vn atomo que desechar.* Vel si Græcæ significationi, *manifesti*, hæreas, sic exprime, vt adeò puros, & defæcatos se exhibeant, vt ipsismet Solis radiis, quibus, vel minutissimi atomi arguuntur, obiecti, & examinati vndique incõtaminati esse noscantur: *Iuzgados, y examinados al rayo del Sol.* Sunt quidem pene hæc omnia è mente Basilij, qui in reg. breu. interrog. 264. cum sic interrogasset. *Cum Apostolus dicat, vt sitis sinceri, & alio in loco, sed vt ex sinceritate, sincerum quid est?* In hunc modum respondet. *Prorsus ego hoc nomine illud arbitror appellari, quidquid rei omnis alterius mixtionis expers est, & summè ab omni contrario depurgatum, atque ad vnam totum pietatem intentum, directumque, neque ad pietatem modo, sed ad ea etiam omnia accurate exsequenda, quæ in singulis, & temporibus, & rebus ad huius propositum faciunt.* Nec prætereo hanc sinceritatis, siue impermixtionis significationem mirificè confirmari ex iis, quæ de Licinio Mutiano sic dixit Cornel. Tacit. li. 1. histor. *Luxuria, industria, comitate, arrogantiâ, bonis, malisque artibus* mixtus, *nimia voluptates cum vacaret; quoties expedierat, magnæ virtutes. Palam laudares, secreta male audiebant.* En mixtum explicantem nobis sincerum, & impermixtum. (Chrysost. Theodor. Theoph. Oecumen. Basil. Corn. Tac.)

7. Nec omittam rectissimè à Paulo eximiam hanc sinceritatem, & puritatem pro effectu tum charitatis, tum sapientiæ numerati, quod ea charitatis, ea sapientiæ lex sit, vt quæuis errata, quantumuis minima caueat, & fugiat, illa Dei amore: hæc timore ducta: sed de his latius in annotationibus.

Hug. Card. Ad hæc Hugo Cardin. sinceritatem ad verba, & sermones retulit, vt ex illis, qui sinceri, aut insinceri sint, dignoscatur. Sed hæc moribus potius, quam literæ consonant: ideo nec probo, nec improbo.

In diem Christi.

VIDE quæ diximus versu 6. ad similia verba.

ADNOTATIO I.

Præstantius, imò vnicum, ac singulare hominis bonum virtutem esse.

1. Senec. BENE alicui dictum à Seneca, nihil tam necessarium esse, quam pretia rebus imponere. Quod totius vitæ nostræ ordo, atque perfectio in eo cardine vertatur, vt tanti à nobis singulæ res fiant, quanti valent: nimirum, vt ad rei æstimationem, iustum studij, curæ, siue laboris pretium, quo emi debet, respondeat. Sub quo etiam sensu epist. 95. ait. *Bona, & mala: honesta, & turpia: iusta, & iniusta; pia, & impia, virtutes, vsusque virtutum, rerum commodarum possessio, existimatio, ac dignitas, valetudo, vires, forma, sagacitas sensuum, hæc omnia æstimatorem desiderant. Falleris enim, & pluris quædam, quã sunt, putas.* Nec alia inesse videtur sententia illi Dei voci Ierem. 15. 19. *Si separaueris pretiosum à vili, quasi os meum eris*, idest, si debitum statueris discrimen inter ea, quæ vilia, ac nullius frugi, & illa, quæ maximo sunt pretio digna, non secus, ac os meum, quod suum cuique rei nomen, & pretium indit, te geres. Vnde rursus Senec. epist. 75. morbum animi ita diffinit: *Morbus est iudicium in prauo pertinax, tãquam valde expetenda sunt, quæ leuiter expetenda, vel si mauis ita finiamus, nimis imminere leuiter petendis, vel ex toto non petendis, aut in magno pretio habere in aliquo habenda, vel in nullo.* (Idem. Ier. 15. 19. Senec.)

2. Iam ergo id sapientiæ munus ex mente Pauli; vt bona animæ commodis corporis, futura præsentibus, vera caducis, æterna temporalibus præferantur, in summâ, vt Philippenses virtutem, vitam, & bonum; peccatum verò, mortem, & malum nõ vocibus, sed operibus, & reapse appellent. Ecce sapiẽtiam; ecce sensum: vnde conijcies sub quo sensu apud Leuiticos canones ille ad Dei famulatum ineptus habeatur, cui nasus simus est. Sic enim Leuit. 21. 18. *Nec accedit ad ministerium eius: si cæcus fuerit, si claudus, si paruo, vel grandi, vel torto naso*, vbi pro, *paruo*, in Hebræo est, *simus naso*. Porrò eo symbolo insipiens ille adumbratur, qui digno, & legitimo pretio res singulas, vitam scilicet animæ, & mortem æstimare nescit. Ita ad id loci Procopius: *Is, cui nasus depressus est, significat hominem, cui non est intellectus validus, vt queat discernere inter spiritualem fragrantiam, & peccatorum fœtorem: nam illis, qui fuerint simi, nõ sunt recti olfactus meatus: Oportet autem nos, tãquam boni trapezitæ probare omnia, & tenere quidbonum est.* Ad cuius gustum Chrysost. ex debitæ huius æstimationis defectu infelicem, & inuersum vitæ ordinem sic affirmauit homil. 60. in Matth. *Idcirco omnia confusa, turbataque iacent, quia quasi superflua quædam res anima spernitur: quia quæ necessaria sunt, contemnuntur, quæ vilia sunt & caduca, magno studio conseruentur.* (Leu. 21. 18. Procop. Chrysost.)

3. Præstantiam hanc spiritualium bonorum symbolica illa Christi commonitio dilucide adumbrat Matth. 24. 17. *Qui in tecto est, non descendat tollere aliquid de domo suâ*; tecti nomine fastigium virtutis ostendens, descensus verò metaphorâ pusillitatem, & vilitatem terrenarum rerum significans, sic ad id loci scite notante Hilar. Can. 25. in Matt. *Qui igitur in consummatione domus suæ, id est, in corporis sui perfectione constiterit, regeneratione nouus, spiritu celsus, & diuini muneris absolutione perfectus: non descendere in humiliora rerum sæcularium cupiditate debebit, neque interioribus corporis illecebris prouocatus de tecti sui sublimitate descendere.* Vt hunc discas demutare nomina, nec magnum, atque excelsum appellare, nisi eum, qui *Spiritu celsus, & diuini muneris absolutione perfectus est.* Cur enim magnum dixeris, cui vilia, & minuta placent? ipsomet gentili Senec. dicente in consolat. ad Heluiam, cap. 9. *Angustus animus est, quem terrena delectant*: ipete ergo magni, & minimi appellationes à vera sapientia, illas ex diuinæ legis accurata obseruatione impertiente Matth. 5. 19. (Matt. 24. 17. Hilar. Senec. Matt. 5. 19.)

4. Hinc Ambros. lib. 1. offic. c. 9. Christiana officia ab ethnicis in eo potissimùm discriminat, quod hæc ad temporalia etiam cõmoda, & vtilitates spectent, Christiana (Ambros.)

Christiana verò ad honestatem solum, & Dei obsequium tendant. Audi illum. *Nos autem nihil omnino, nisi quod deceat, & honestum sit, futurorum magis quam præsentium metimur formula, nihilque vtile, nisi quod ad vitæ illius æternæ prosit gratiam diffinimus, non quod ad delectationem præsentis.* Verum enim Senec. verò ethnicus Senec. à gentilium sensu sese diuellens, sic Salomoni illis in verbis. Sap.7.10. Sap.7.10. *Et proposui pro luce habere illam*, in expositione literæ explicatis, & Ambrosio consentit, vt præfatam lucis similitudinem, ac si in Salomone vidisset, ad hũc modum persequatur ep.31. *Quid votis opus est? fac te ipse felicẽ; facies autem si intellexeris bona esse, quibus admixta est virtus; turpia, quibus malitia coniuncta est. Quemadmodum sine mixtura lucis nihil splendidum est, nihil atrum, nisi quod tenebras habet, aut aliquid in se traxit obscuri; quemadmodum sine adiutorio ignis nihil calidum est, nihil sine aere frigidum; ita honesta, & turpia virtutis, & malitiæ societas efficit.*

5. Sed hæc non adeò plenè vtraque bona mensurant, & vna ab aliis discriminant, vt iusta illa extremarum rerum vitæ, & mortis à Moyse proposita Deu.30.19. imago Deut.30.19. *Considera, quod hodie proposuerim in conspectu tuo vitam, & bonum, & è cõtrario mortem, & malum, vt diligas Dominum Deum tuum, & ambules in viis eius, & custodias mandata illius*: & post nonnulla, *Testes inuoco hodie cœlum, & terram, quod proposuerim vobis vitam, & mortem, benedictionem, &* Clem. Alex. *maledictionem. Elige ergo vitam*: ad quæ habet Clemens Alexand. lib.5. Stromatum. *Donum quidem, vitam appellas, & honestam eius electionem, vtriusque autem finis idem, Dei amantem, & verentem esse.* Vbi vides virtutem solummodo boni, & vitæ nomẽ obtinere, vnde ab hoc fonte, quidquid salubre, quidquid vitale, quidquid decorum, & magnificũ, quidquid denique ad felicitatem humanam attinet, hauriendum esse. Et verò præcepti sui egregium se custodem Dominus præbuit, cum diabolo lapides ipsi Matt.4.4. in cibum suggerenti respondit Matt.4.4. *Non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei.* Quasi his verbis non illam solum diaboli tentationem retunderet, sed pro primis etiã parentibus diabolo ad esum ligni boni, & mali pellicienti responderet, nõ aliunde hominis vitam, bonum, felicitatem, ac diuinitatem petendam, quam à diuinæ legis obseruatione. Quare vtraque hæc verba ele-Rupert. ganter inter se composuit Rupert. in lib. comment. in volum. Euangelistarum, c.15. tom.1. vbi appingens id Christi responsum, subiicit: *Sic plane respondere debuerat homo rationalis, non in solo paradisi ligno viuit homo, sed in præcepto, quod à Deo positum est illi bene custodito.* Omnino quidẽ verè, quidni enim homini rationis compoti suspectum non videretur, quoduis bonum, quod aliunde, quam à Dei fonte dimanaret? Quidni propriæ vitæ cõtra præscriptum Dei haustæ non diffideret homo rationalis? Cur patente viã veræ, ac sempiternę felicitatis, quæreret semitam incerti, imò & falsi boni? ergo hinc vita, hinc felicitas, hinc bona eo nomine digna, nec aliũde fluunt. Quò respexisse videtur Regius Vates, Psal.39.8. dum dixit Psal.39.8. *Et lex tua in medio cordis mei:* nam Hebraicè habetur, *in medio ventris mei*, manifestè innuens eam ipsi pro cibo, & alimonia esse, quo ad veram vitam aleretur, & ipsius essentia inter humanas varietates, & vanitates subsisteret.

6. Similis obseruatio August. in id Psal.31. *Beata* August. *gens*, &c. vbi dum pulchrè carpit eos, qui ne miseri sint, mali sunt, cum eo ipso, quod mali sint, miseriores fore necesse sit: postea subiungit beatitudinem homini obtingere non posse ex sæculi bonis, quippe quæ inferiora, & deteriora ipso homine sunt: sed ex spiritualibus, & æternis. Inter alia verò hæc ait. *Omnes enim beati esse volunt, non autem erunt, nisi illi, qui iusti esse voluerint. Et ecce nescio quis, vt male faciat, vult beatus esse. Vnde? ex pecunia, ex argento, & auro, ex prædiis, fundis, domibus, mancipiis, pompa sæculi, honore volatico, & perituro, habendo aliquid volunt esse beati. Quare ergo, quid habeas, vt beatus sis. Cum enim beatus fueris, melior vtique eris, quam cum miser es. Fieri autem non potest, vt res deterior te faciat meliorem. Homo es, deterius te est quidquid cupis, quo beatus esse desideras. Aurum, argentum, qualibet corpora, quibus inhias acquirendis, possidendis, fruendis, inferiora sunt te. Tu melior es, tu fortior es.* Hæc & alia plura August.

Hanc verò ad rẽ valde sunt opportuna Ezechiæ 7. Regis verba, opportunũ etiã illius factũ, 4. Reg.20.1. & Isai.38.1. dum vehemẽter ægrotãs, imò iam iam 4.Reg.20.1. ad mortis portas se coniectum videns, multiplices Isai.38.1. ad Deum preces fudit; sed quid tunc tẽporis precatur? Audi Hier. ad locũ Isaiæ. *Audiens se esse mori-* Hieron. *turum, non precatur vitam, & annos plurimos: sed in Dei iudicio, quid velit præstare, dimittit.* Verùm cum id Deo fuisset pergratũ Regi tũ vitã, tum cumulatissima dona sic pollicetur: *Ecce adiiciam super dies tuos quindecim annos, & de manu Regis Assyriorum eruam te, & ciuitatem istam, & protegam eã.* Isai.38. Isai.38.6. 6. & 4.Reg.20.5. *Ecce sanaui te die tertio ascendens* 4.Reg.20.5. *tẽplum Domini, & addã diebus tuis quindecim annos, sed & de manu Regis Assyriorũ eruam te.* Sed cũ tria Regi fuerint oblata, nimirum vita, tranquillitas, & facultas adeundi tẽplum Domini, pẽde nihili à bono Rege illa omnia præter id vnũ quod ad Deum spectabat, æstimata fuisse, vnde oblato sibi super horum trium certitudine, euidentissimo signo, illud ipse ad id solum elegit, vt Dei domum adorationis causâ posset adire. Prophetæ tria promittẽti respõ- Isai.38.22. dit (Isai.38.22.) *Quod erit signum, quia ascendam in domum Dñi?* Quasi diceret; spiritualia solum specto; alia non attendo, non curo. Et quidẽ merito; nam vt sapienter Ambr. lib.2. offic. c.3. *Nihil bonũ scriptura,* Ambros. *nisi quod honestũ est, asserit, virtutẽmque in omni rerũ statu beatam indicat, quæ neque augetur bonis corporis, vel externis, neq; minuitur aduersis, nihilq; beatum, nisi quod à peccato alienũ sit, plenũ innocentiæ, plenũ gratiæ Dei.* Pende hæc in quouis rerum statu, id est, sit licet ille in cœlum vsque prosperitatis sublatus, sit etiam in profundum aduersæ fortunæ depressus.

Sed dicis: nonne beatitudo ex bonorũ omniũ cu- 8. mulo cõsurgit? Ergo, vt sæculi bona, honores, fama, valetudo, præstãtiora, & potiora nõ sint; at bona sũt: ea igitur ad cumulũ, ac proinde ad beatitudinem, & felicitatẽ spectant: Sed heus: quis tibi bona esse hæc dixit? imò verò, quis nõ mala, eaque ingẽtia, supplicium, atque pœnã appellet? agã, si Deo placet, multis ad c.3. vers.7. adnot. 4. At enim vero, esto hæc aliqualia bona sint, quid eorũ possessio, eorũve priuatio, præstãtissima, & suprema illa habentẽ attollet, siue deprimet? nõ secus, ac exiguus fons Oceanũ non auget, non minuit, siue ingentẽ tritici aceruũ vnus, Nemes. Emissen. aut alter modius non immutat: Ita Nem. Emiss. Antistes lib. de hom. nat. cap.44. sic elegãter inquiens. *Nam si de aceruo demas duos modios, quod relinquitur aceruus est, item beatitudini si detraxeris corporis, & externa bona, solasque virtutes reliqueris, nihilominus beatitudo manet.* Erat id beatissimæ Agneti ita persuasum, vt egregiam formam, qua tãtopere lætãtur fœminæ, non modo despiceret, sed de ipsa etiam erubesceret, vt totam elegantiã ad animam detinaret, nec vllum illi impedimẽtum apponeret, id ita S. Maxim. expẽdente S. Maxim. in hom. de S. Agnete. *Pulchritudinem excolebat animæ, & quantum satagebat,* (sic lego, nõ *sciebat*) *vt animã suam pulchrã faceret, tantum in corpore erubescebat se esse formosam, tantoque*

studens displicere carnalibus in carnis aspectu, quantò instituit Christo, & eius Angelis complacere. Ab hoc
Senec. sanè, nec latum vnguem declinauit Senec. epist. 92. vbi hæc habet: *Commoda sunt in vita, & incommoda, vtraque extra nos, si non est miser vir bonus, quamuis omnibus prematur incommodis, quomodò non beatissimus, & si aliquibus commodis deficitur? Nam quemadmodum in commodorum onere, vsque ad miserum non deprimitur, sic commodorum inopia non deducitur à beatissimo: sed tam sine commodis beatissimus est, quam non est sub incommodis miser.* Hæc ibi & multo plura. Similia habet ep. 9. & ep. 76. & li. de vit. beat. c. 16.

9. Apoc. 11. 1. Hinc videas, cum Ioanni Apoc. 11. 1. calamus mensorius est datus, vt ipso metiretur templum, & adorantes in eo, conclamatum ipsi ab Oraculo fuisse. *Atrium autem, quod est foris templum, eyce foras, & ne metiaris illud:* vbi dum de significatione atrij exterioris interpretes variant, optime de diuitiis, & fa-
Alcaç. cultatibus externis capit P. Alcaçar ad id loci: quasi Ioanni, dum pretio debito singula, quæ ad Christi seruos attinent, erat æstimaturus, districtè præcipiatur, ne tamquam rē pretio æstimabilem, & cum bonis animæ conferendam externa diuitiarum, honorum, & voluptatū bona metiatur: sed illa potius repudians, extra rationē ponat, id enim valet Græcum, ἔκβαλε, ac, *contemne, pro nihilo ducito.* Vbi vides, quam longo interuallo spiritualia bona; temporalibus, & externis excellant, vt hæc ipsorum comparatione, etiam indigna sint, idque solum in ratione boni pretio æstimabilis computatum, quod ad animæ salutem, & perfectionem attinet. Verum vlterius indidem obseruare placet præceptum Ioanni fuisse, vt metiretur templum, & altare, & adorātes in eo, vt videlicet ad calculos reuocarentur virtutis merita, & quidquid ad ipsorum salutem, & bonum spectat, quod satis innuit res omnes electorum in pretio, eoque magno esse apud Deum, id quod vsque ad minimum capitis capillum locum habet,
Mat. 10. 30. Christo Domino, Mat. 10. 30. Luc. 12. 7. & 21. 16.
Luc. 12. 7. asserente: *Sed & capilli capitis vestri omnes numerati*
& c. 21. 16. *sunt; & capillus de capite vestro non peribit:* cum autem, vt ex dictis constat, bonorum externorum ratio non habeatur, manifestè fit, ea omnia apud Deū rerum omnium dignum æstimatorem pili non esse: *Que no valen vn pelo.* Ita quidem omnino persuasum id erat fortissimis illis quadraginta Martyri-
Nyssen. bus, de quibus Nyss. orat. in quadraginta Martyres, sic ait: *Vnus eis solus metus erat, ne à Christo seiungerentur, vnum bonum esse cum Christo solo, cætera verò omnia risus, & vmbra, nugæque, & somniorum visis similia.*

10. Quare ad proprietatē vocis, διαφέροντα, de qua Paulus hic, quā propriè vertas, vt dixi, *differētia*, rursus obseruā; solum esse constituendum discrimē inter bona spiritualia, & temporalia, aliaque respectu aliorum, *differentia*, dicenda esse, nō verò inter ipsasmet bonorum temporaliū species, quasi hæc sæcularia honorū, diuitiarū aut fauoris regij meliora aliis bonis, præturæ, consulatus, aut dignitatis senatoriæ sint. Cum enim hæc omnia nullum in se ipsis pretium habeant, nō tam inter se differre, quàm eadem esse, & vt vulgo dicitur, eiusdē farinæ, censeri debēt; & vt appositis parœmiis Hispanis explicē: *Qual mas qual menos, toda la lana es pelos:* & similiter, *entre ruyn ganado poco ay que escoger.* In quam sententiam
Senec. Senec. ep. 95. *Falleris, & pluris quædam, quam sunt, putas, adeoque falleris, vt quæ maxima inter vos habentur, diuitiæ, gratia, potentia sestertio nummo, id est, minimi* (Hispane, *ardite*) *æstimanda sint.* Quam ad
Nazianz. rem opportune locutus est Greg. Nazianz. orat. de laudibus Basilij; cum enim dixisset duas solum vrbis vias ipsi, & Basilio fuisse notas; alteram, quæ ad sacras domos: alteram, quæ ad externos præceptores ferebat, subdit: *Cæteras omnes, quæ ad festa, spectacula, celebres conuentus, epulas ducebant, æquo ac libēti animo aliis reliqueramus. Nihil enim mea quidē sententia magni faciendum est, quod ad rectè, honestéque viuēdum nihil affert, nec sui studiosos meliores reddit.*

Hic quidem ratione ij, qui aduersus Ioānis monitum, templum, sacra, virtutem, ac res animi contemnunt, imò extra rationem ponunt, externa corporis, & sæculi bona illis omnimodis præferentes, ne dicam solum curantes, à Regio Psalte Psal. 61. 10. *Mendaces in stateris:* ab Osea similiter, cap. 12. 7. *Dolosam stateram,* habentes dicuntur. Sed occurrit Basilius in comment. eius Psal. *Non omnes homines libripendes sunt, non omnes lanarum aut carnium venditores, &c. Quid igitur est quod dicit?* Respondet verò vnicuique nostrum in occulto à cōditore nostro constructam esse stateram, in quā rerum naturas librare, expendere, & inter vitam, & mortē; bonum & malum: temporalem voluptatē, & æternam damnationē mentis acie diiudicare possimus. Cum autem hæc longius est persecutus, sic infert ad mētem Prophetæ. *Mendaces igitur sunt homines corrupta habentes animi iudicia, quorum Propheta miseretur, dicens,* væ vobis, qui dicitis tenebras lucem, &c. *Mihi quidem præsentia, quis nouit futura? Male ponderas praua bonis præferens, vana veris potiora ducēs, temporaria æternis præferens, prætereūtem voluptatem pro indesinente lætitia eligens. Mendaces filij hominum in stateris iniquitatis.* Similiter premit Theodor. Oseæ verba: *Chanaam in manu eius statera dolosa,* hunc in modum: *& tu Ephraim imitans Chanaam malitiam, iniquam mentis stateram habes, iustitiam semper vilipendis, iniquam potentiam exoptas, in diuitiis elatо spiritu es, & plurimum tibi arrogas in earum rationibus præscribendis, ac conficiendis.* 11. Ps 61. 10. Osea 12. 7. Basil. Isai. 5. 20 Theodor.

Iam verò pessimos hos rerum æstimatores, vel ipsimet ethnici, Critolaus nimirum apud Tullium, Tull. necnon Demetrius apud Senecam opposito sensu, & factis grauius reprehendunt. Sic enim de priori Tull. Tusc. 5. *Quo in loco, quæro quam vim habeat libra illa Critolai, qui cum in alteram libræ lancem animi bona imponebat, in alteram corporis externa, tantum propendere illam boni lancem putat, vt terram, & maria deprimat.* Similiter de Demetrio, cui ingētem auri vim Cæsar obtulerat, vt eum à Philosophiæ studio remoueret, Senec. lib. 7. de benef. cap. 11. *Ridens* Senec. *reiecit, ne dignam quidem summam iudicans, qua non acceptâ gloriaretur. Reddendum egregio viro testimonium est; ingēti ore ab illo dici audiui, cum miraretur, dementiam eius, quod se putaret tanti posse mutari. Si tentare me constituerat, toto illi fui experiendus imperio.* Quasi diceret, non tantùm modum, quo me expugnaret, sed quo me etiam oppugnaret, ignorauit: nam vt mei roboris periculum faceret, totum mihi saltem offerre debuerat imperium, quo aliquale in staterā momentum externatū rerum lanx haberet, quamuis ne dato quidem eo, Philosophico ego instituto cederem, quando veri boni lanx infinitum propendeat, terramque, ac maria deprimat. Hæc Demetrius, hæc Critolaus. Quid si audissent summum Doctorem, Matth. 16. 26. *Quid prodest ho-* Mat. 16. 26. *mini, si vniuersum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur?* Et super ea verba Ambr. lib. Ambros. de bon. mor. c. 51. & Salu. lib. 3. ad Eccles. Quorum Saluian. prior, *Exiguus tibi totus terrarum orbis est pro vnius animæ dispēdio.* Saluian. verò. *Hoc est dicere. Damna animæ totum penitus secum auferunt, nec quicquam homo omnino habere poterit, qui se ipsum dãno animæ pereūtis amittit. Et ideo nihil dubites pro te dare, quia si te amiseris, omnia in te perdis, si autē te lucrifeceris, tecum, & in te omnia possidebis.* Quid si Sponsam? Cant.

Cant.7.10. Theodor. Cant.7.10. *Ego dilecto meo, & ad me conuersio eius*, id est, vt explicat Theodoret. *Ego ex eo pendeo, & illi me ipsam dicaui, nam ipse me orbi pretulit, & sibi copulauit.* Quid si Chrysost.hom. 27. in ad Hebr. illa Chrysost. Pauli verba: *quibus dignus non erat mundus*: sic versantem. *Si enim ex aliâ parte totum mundum opponas, illos inuenio virtutis pondere meliores, & trutinam attrahentes, & honorabiliores valde stantes. Quid igitur possent hic recipere? In hoc loco excitat eorũ mentem, vt non adhereant præsentibus, sed superiora sapiant, & eminentiora omnibus, quæ sunt in hac vita; siquidem omnis mundus non est dignus illis.* Quid si Tertul. Tertul.lib.de Resurrect.carn.c.4. sic scite pendentem omnia, quæcumque in sæculo florent, imperiali Dei voce producta: hominem verò familiari ipsius Dei manu, tanquam eorum omnium Dominum fuisse perfectum. *Magna sine dubio differentia ratio, pro conditione scilicet rerum. Minora enim, quæ fiebant, eo, cui fiebant. Siquidem homini fiebant, cui mox à Deo addicta sunt. Meritò igitur, vt famula iussu, & imperio, & sola vocali potestate vniuersa processerunt. Contra homo, vt Dominus eorum in hoc ipso Deo exstructus est, vt Dominus esse possit, dũ fit à Domino.* Quid si ex Greg. Nazian. didicissent hominem, non paruum mundum in magno; sed Nazianz. contra magnum in paruo hoc dici debere? Ita enim ille orat. 42. quæst. 2. in Pascha: *A materia, quæ iam creata erat, accepto corpore, à se autem in suo spiraculo, velut alterum quendam mundum in paruo magnum in terra collocat.*

13. Iam, si, nec ethnicis, nec Ioanni, nec ipsimet diuinæ sapientiæ in hac rerum æstimatione fidem habere quis nolit, credat saltem ipsimet dæmoni, apud quem vnius animæ detrimentum pluris, quam totus terrarum orbis est. Sic videas pessimum illum mercatorem omnia regna mundi, & omnem eorum gloriam alacriter, ac libenter Christo offerentem, vt vel semel ei reuerentiam exhiberet, Matt.4. Matt.4.9. 9. Nouerat ille quidē, & satis nouerat spiritualium bonorum lancem tantum propendere, vt terram, ac maria, omnemque sæculi gloriam deprimeret. Deinde expende illa eiusdem dæmonis ad Dominum verba, Iob 1. 11. *Extende paululum manum* Iob 1.11. *tuam, & tange cuncta, quæ possidet*: in quibus videas omnia externa bona, eaque maxima, ac florentissima, quibus sanctus Iob abũdabat sub illo aduerbio, *paululum*, à dæmone comprehendi: *Extende*, inquit, *paululum manũ tuam*. At, ô nequam, id tibi paululum est, cum regi opulentissimo, tot, tantæque diuitiæ, ac delitiæ, charissimi insuper filij, & filiæ cum regno ipso, eoque, florentissimo, &, quod plus est, cum corporis salute auferuntur? Ita planè; quia nimirum id solum, quod ad animam spectat, in pretio à dæmone habetur. Vndè quoduis corporis, rerumque externarum damnum, quantum quantum id sit, nihil ei esse videtur. Ita ad hæc verba Greg. lib. Gregor. 2. mor. cap. 6. *Neque enim Sathan facere se aliquid multum putat, nisi cum in animã sauciat.* Similis est Salu. Massil. obseruatio lib.3. ad Eccl. in illis eiusdé Saluian. inimici verbis eàdem de re. *Pellem pro pelle, & cuncta, quæ habet homo, dabit pro anima sua.* Iob. 2. 4. Iob.2.4. quasi anima præ corpore, & rebus omnibus pretiosissima homini esse debeat: *Pellem, inquit diabolus in Scripturis sacris, pro pelle, & cuncta, quæ habet homo, dabit pro anima sua. Dilectissimam esse animam homini etiam diabolus non negauit: & qui auertere omninò cunctos ab affectu animarum suarum nititur, idem tamen charissimas esse debere cunctis suas animas confitetur. Quis ergo furor est, viles à vobis animas vestras haberi, quas etiam diabolus putat esse pretiosas? Quis furor est, viles à vobis haberi, quas etiam ille charas vobis debere esse dicit, qui viles facere conatur? Ac per*

Vela zqu. in Epist. ad Philippens.

hoc quicumque animas suas negligunt, etiam infra iudicium diaboli se amant.

Hinc acutè à Gaudentio in responsione ad Germinium de villico iniquitatis adnotatum est, om- 14.
nem curam à dæmone (quem villici illius nomine S.Gaud.
denotari putat) in eo poni, vt centenarij numeri bona, quæ in manu dextera, more antiquo computabantur, & spiritualia designant (de quo nos supra diximus) ad inferiores numeros ad centenarium non pertingentes, qui sinistra manu censebantur, & temporalia significant; deduceret. Sic enim debitores singulos alloquebatur. Luc. 16.5. *Quantum debes Domino meo? Centum cados olei. Accipe cautionem tuam, & scribe quinquaginta. Tu verò quantum* Luc.16.5. *debes? Centum coros tritici. Accipe literas tuas, & scribe octoginta*, &c. Planè, vt spiritualia, æternaque bona cum temporalibus, & caducis commutaret. Ecce quanto maiori in pretio à nequissimo dæmone, quam ab ipso homine, qui sibi maximè debet consulere, animi bona habeantur.

ADNOTATIO II.
Christi discipulis, nec minimam vitij labem inesse debere.

APPRIME superioribus hæret, vt qui potiora probauerint, sinceros, & puros ab omni peccati labe, quantumuis minima ea sit, se exhibeant. 1.
Et id quidem ad Christianam disciplinam peculiari ratione spectat: *Christus enim dilexit Ecclesiam, & se ipsum tradidit pro ea, vt exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid huiusmodi, sed vt sit sancta, & immaculata.* Ad Ephes 5.27. vbi Syriacè notanter. *Sed, vt sit sancta absque naeuo.* En Christianæ Ecclesiæ professionem, Ad Ephes. 5. 29.
en semitam, qua Christi discipuli incedunt, vt ad eius gustum se componant. Sic ad Colos. 1.10. dixit Apostolus: *Vt ambuletis dignè Deo per omnia* Ad Coloss. 1.10.
placentes. Id est, vt eo modo incedatis, quo incedere par est, qui Deo se deuotos profitentur, hoc est, vt ea vobis vitę puritas sit, vt via, quâ incedìtis, via sancta, sicuti Isaiæ vaticiniis prænunciatum erat, cap.35.8. Isai.35.8.
verè omnino dici posit. Ad quam omnimodã Ecclesiæ, siue Christianæ disciplinæ puritatem refero terribilem illam, Petro pedum ablutionem renuenti, comminationem à Christo intentatam, Ioan.13.8. Ioan.13.8.
Si non lauero te, non habebis partem mecum: vbi cũ de venialium culparum ablutione, & munditie agatur, vt ex sequentibus constat, *Qui lotus est non indiget, nisi vt pedes lauet*: non leue interpretibus negotium facessit, hâc solum de causa à Christi consortio, & parte Petrum fore reiiciendum: cum nemo ex eo solùm, quod venialia peccata committat, siue non purget, Christi gratiam, & amicitiam perdat. Cui difficultati vt responderem, illud mihi occurrebat, aliam Petri, aliã singulorum rationem esse: vt enim singulis fidelibus ad salutem consequendam tam eximia puritas necessaria non sit; at Petrus ea omnimoda, etiam à venialibus, & minimis culpis mũditie opus habuit. Nam cum tota Ecclesia ad tam exactam perfectionem euocetur, *vt sit sancta, & absque naeuo*, Petrusque in eius caput, & culmen à Christo iam esset assumptus, non poterat non, vt caput corpori congrueret, vel extremam hanc puritatem habere, vel è tanto culmine deiici. Vnde obiter duo, quæso, obserues; alterum, multò maiorem à Prælato, quam ab inferioribus virtutem, & sanctitatem exigi, quod ille totius corporis (cui in vniuersum magna perfectio præscribitur, vt qui potest capere capiat, caput, & exemplar omnibus imitandum sit: alterum, eum qui ad sublimem perfectionis gradum euocatur, non

leue periculum ſubire, niſi ſe pro faſtigio ſuo metiatur: certè lapis culmini ædificij ab architecto deſignatus, niſi deſtinato loco quadret, non à culmine ſolum; ſed à toto etiam ædificio ſæpius reiicitur.

2. Exigit ergo à Chriſti diſcipulis eius diſciplina, vt ambulent dignè Deo mundis, & incontaminatis affectuum pedibus, quibus nec tenuis puluis adhæreat. Quare notetur ille dicendi modus, *Ambuletis dignè Deo*, quò terrenis paſſibus nobis interdictis cœleſtis alius incedendi modus præſcribitur, qui Deo dignus ſit. Equidem cui nimium, & aduerſus humanæ conditionis leges, quodque effectu præſtari nequeat, id videatur. Sic ipſemet Dominus
Damaſc. apud Damaſc. 2. Parallel. c. 27. reſpōdet: *Ego opifex figmento meo concupiſcentiam indidi, proindeque naturalem motum minime criminor, nec enim dico, non concupiſces:* (nimirum, quia cum id vetat; conſenſum intelligit) *non eius, quod rectè ſatum eſt, radicē auello: verùm adulterinas corruptæ ſtirpis fibras elido, atque amputo.* En quò tendat mundiſſima illa pedum lotio; quidque moneat Apoſtolus, cum ait, *vt ſitis ſinceri*, nimirum, vt adulterinis corruptæ ſtirpis fibris amputatis, puris iam paſſibus dignè Deo ambulent, qui Chriſti ſanguine ſunt mundati. Nec aliud præſtare, ſimulque ſunt mundati. Nec aliud præſtare, ſimulque videtur exigere ipſe Chriſti ſanguis pro
Cant. 5. 10. nobis profuſus. Vnde Chriſtiana diſciplina Cant. 5. 10. *Aſcenſus purpureus* vocatur, quod quaſi via Chriſti ſanguine purpurata mundiſſimis ſit pedibus, nullâ, vel leui ſorde contaminatis premenda,
Gilbert. ſic id excogitāte Vener. Gilbert. ſer. 18. in Cant. *Tu verò ſpōſa Chriſti cādido preme pede gradus purpureos, nobilis eſt ſemita, quam dilectus tuus prior inceſſit. Quam pulchri ſunt etenim gradus purpurei, quos pede ſacro Chriſtus prior ſignauit pedibus illis, quibus nullus puluis adhæſit, pedibus niueis, quos cruoris ſui ſignauit veſtigio. Et tu ardēter veſtigia relege. Aufer calceamētum carneum de pedibus tuis, ſanctus enim aſcenſus eſt, quem tibi diſponis, nudo, expedito inſiſte veſtigio gradibus iſtis. Purpuram hanc non conchylij, ſed Chriſti ſanguis intinxit.*

3. Ad Epheſ. 2.10. Hæc ſane Paulo etiam mens fuit, cum ad Epheſ. 2. 10. agens quonam fine Chriſtus in ſui nos poteſtatem aſſeruerit, ſic ait, *ipſius enim factura ſumus, creati in operibus bonis*, &c. Vt verò is locus in ſequenti verſu accuratius pertractandus ſit, opportune nunc in illo expendas Græcam vocem ποίημα, pro quâ noſter poſuit, *factura*, quæ ſignificat poëma, vt ſonat (quamuis alij aliter, ſenſum potius, quā vim vocis ſecuti, vertant) vt non obſcure videatur Paulus innuere Chriſti aſſeclas, non qualecumque opus; rude forſan, aut incōpoſitum, ſed Dei figmentum omnibus numeris abſolutum, omnique ex parte integrum, & perfectum, cui nihil virtutis, & bonæ cōpoſitionis deſit, eſſe debere; nō ſecus quidem, ac poëſis, ſiue carmen limatum, atque politū, quod certis quibuſdam ſyllabis, ac numeris conſtat, cui ſi vel vna deſit, nec plene quidem ſibi conſtabit, nec rationem carminis habebit. Quod Pauli monitum
Lactant. ob oculos habere videbatur Lactantius lib. 5. inſtit. cap. 19. inquiens: *In religione Chriſtianâ pro ſacrificio exigitur bona mens; purum pectus, innocens vita, Hic communi, & leui peccato locus eſt nullus.* Sed Pauli
Tull. ſententiæ bellè concinit illud Marci Tullij paradoxo tertio, vbi ſic opportuniſſimè ad hanc rem ſcriptum reliquit: *Hiſtrio ſi paulò ſe mouet extra numerum, aut ſi verſus pronuntiatus eſt ſyllaba vna breuior aut longior, exſibilatur; in vita, quæ omni motu moderatior, omni geſtu aptior, vt in ſyllaba te peccare dicis?*
Sap. 6. 19. Similis eſt Salomonis locus Sapient. 6. 19. *Dilectio, cuſtodia legum illius eſt.* Sed hæc verba commodius annotat. ſequenti elucidabimus.

Quod verò peculiare fuerit Chriſtianæ Eccleſiæ immaculatā, & abſque næuo eſſe: cuius filij velut carmen limatum, atque politum, omnes perfectionis numeros expleant, illud Chriſti monitū firmat, Matth. 5. 18. *Amen quippè dico vobis, iota vnum, aut vnus apex non præteribit à lege, donec omnia fiant.* Mat. 5. 18. 3.
Quæ ad exprimendam perfectionem, ad quā Chriſtiani euocamur, magnā emphaſi dicta videntur, quaſi nihil in Dei lege quantumuis minimum, non modo velut ſyllaba, ſed etiā vt litera, eaque omniū minima, imò, vt literæ apex, aut punctum ipſi ſuperpoſitum, prætermittendum ſit, quominus ad amuſſim ſeruetur, & adimpleatur. Ita Auguſt. li. 1. de ſer. Auguſt. Domin. cap. 15. *Per hoc autem, quod ait, iota vnum, aut vnus apex, &c. nihil poteſt aliud intelligi, quam vehemens expreſſio perfectionis, quando per literas ſingulas demonſtrata eſt. Inter quas literas iota minor eſt cæteris, quia vno ductu fit. Apex etiam ipſius aliqua in ſummo particula; quibus verbis oſtendit in lege ad effectum, & minima quæque perduci.* Ex præfatā verò ſententiā ſic concludit Chriſtus. *Qui ergo ſoluerit vnum de mandatis iſtis minimis, &c. minimus vocabitur in regno cœlorum.* Vbi cum regni cœlorū nomine, ex interpretatione Greg. lib. 19. Mor. c. 5. Aug. Gregor. loco citat. & Chryſ. ſtatim afferendi, Chriſtiana Eccleſia deſignetur, hic eſt ſenſus: eum, qui minima legis mandata, aut minimam minimi mandati partem ſoluit. Chriſtianæ vocationis officia non explere, nec debitam ſtatus, ſiue (vt imagini, quā Chriſtus vtitur, hæream) ſtaturæ, ac proceritatis ſuæ menſuram attingere, ſed minimum, ſiue fere nullum eſſe. Sic pene Chryſoſt. in Caten. Diui Thom. *Tanquam* Chryſoſt. *ſi dicat de ſoluente, quod inter Chriſtianos quidem erit, tamen minimus Chriſtianus.* Vnde capies perobſcura verba Baſilij (ſi tamen Baſilij, & non alterius, qui illegitimos partus Baſilio adſcripſit) quæ cauto lectore, & benigno indigent interprete, in reg. enim breuior. interrog. 293. hęc minima errata coarguēs ait, *Scire illud conuenit, differentiam hanc maiorum, & minorum nuſquam in nouo teſtamento reperiri: ſiquidem vna eſt, & eadem ſententia aduerſus quælibet peccata, cum Dominus dicat:* qui facit peccatū, ſeruus eſt peccati. Ioan. 8. 34. Quæ quidem, ſi vt ſonant, Ioan. 8. 34. acciperentur, cum Theologia, & Eccleſiæ doctrinā minime conuenirent. Capienda ergo hoc ſenſu, vt ſuppoſito diſcrimine, quod inter grauia, & leuia, maiora, & minora peccata intercedit; Chriſti diſcipulis in vniuerſum præſcribatur, ne iota vnum, aut vnus legis apex illis prætereat, quin omnia perficiant, aliàs, ſi minima præcepta ſoluerint, minimi inter Chriſti ſeruos cenſebuntur.

Prænuntiata quidem iam olim hæc Chriſticolarum munditiês à Zacharia erat, dum cap. 3. 9. de 4. Zach. 3. 9.
Chriſto, atque eius diſcipulis, ipſi tanquam fundamentali lapidi ſuperpoſitis, ait: *Super lapidem vnum ſeptem oculi ſunt.* Vt enim oculi ibi à nonnullis de ſacerdotibus, ab aliis de Angelis accipiantur; nō abs re etiam de Chriſti diſcipulis, qui & regale ſacerdotium dicuntur, 1. Petr. 2. 9. & ad Angelicam puri- Petr. 2. 9. tatem imitandam euocantur, accipi poſſunt. Similiter ſeptenarius numerus à Cyril. Alex. ibi pro nu- Cyr. Alex. mero multitudinis ſumitur: vti 1. Reg. 2. 5. vbi apud 1. Reg. 2. 5. nos dicitur: *donec ſterilis peperit plurimos.* LXX. habent, *peperit ſeptem:* Iam verò dum fideles oculi vocantur, puriſsima, & omni ex parte incontaminata eorum vita, & conuerſatio, cui nec leuiſsima ſordes inſit, deſcribitur, id in oculorum imagine ſic obſeruante Saluiano Maſſilienſ. lib. 3. de prouid. & Saluian. guber. Dei: *Perfectè ſiquidem, ac ſinceriſſimæ ſanctitatis volens cultores ſuos facere, Saluator iuſſit ab iis cautiſſime etiam minima vitari ſcilicet, vt quam pura*

cſt

est pupilla oculi, tam pura esset Christiani hominis vita, & sicut saluâ intuitus incolumitate pulueris labem in se oculus non reciperet, sic vita nostra labem in se penitus impudicitia non haberet.

6. *Prou.7.2.* Adstipulatur his Salom. Prou. 7. 2. vbi Dei legem non minori studio, quam delicatissimam oculi pupillam, quæ quouis minutissimo ictu compungitur & grauem dolorem excitat, obseruandam, sic monet, *Fili serua mandata mea, & legem meam, vt pupillam oculi tui*, Vndè ad similia verba Regij Psaltis, *Psal. 16.8.* Psalm. 16. 8. *Custodi me, vt pupillam oculi*, sic inquit *Ambros.* Ambr. lib. 6. in Hexam. cap. 4. *Vndè tutum auxilium postulans Propheta ait*, custodi me Domine, vt pupillam oculi, *vt protectionis diuinæ fieret ei tam sollicitâ, & tuta custodia, quam pupillam oculi tutissimo quodam natura vallo munire dignatus est; quia innocentia, & integritas leui sorde aspersa violatur, & gratia sua munus amittit, & ideò perspiciendum est, nequis eam puluis erroris oblinet, aut vlla vexet festuca peccati.* Pende pulueris, & festucæ imagines, necnon verbum, *vexet*, quo vtitur Ambros. vt innuat à minimis etiam defectibus innocentiam grauiter affligi, & exagitari. Qua sanè de causa Basil. in Reg. *Basil.* interrogat. 4. ad hoc quæsitum: *Si quis pro leuissimis etiam peccatis fratres acriter nimis vrgeat ac dicat de ijs pœnitentiam agere debere; nunquid is inclemens habēdus est, & euersor charitatis?* Imo merito respōdet: *Cum asseueranter Dominus affirmauerit, quod iota vnum, aut vnus apex non præteribit à lege, donec omnia fiant; cum idem etiam pronunciauerit, quod omne verbum otiosum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die iudicij, nihil omninò tanquam minutum contemni debet. Qui enim rem contemnit, contemnetur ab eâ.* Subdit & aliam rationē. *Quanquam quis est, qui peccatum vllum (cuiusmodi illud sit) leue audeat appellare? Cum asseruerit Apostolus, quod per transgressionem legis Deum inhonoras.* Hæc ibi, & *Hieron.* plura Basil. quæ lector videat. Similia, vel à Hieron. epist. 14. ad Celantiam, siue à Paulino Nolano, qui ab aliquibus eius epistolæ author dicitur, elegantissimè dicuntur hunc in modum. *Neque verò eorum te seducat error, qui ex arbitrio suo eligunt, quæ potissimum Dei mandata faciant, quæve quasi vilia, & parua despiciant, nec metuunt, ne minima contemnendo secundum diuinam sententiam paulatim decidant: Stoicorum quidem est, peccatorum tollere differentiam, & delicta omnia paria iudicare, nec vllū inter scelus, & erratum discrimen facere. Nos verò, etsi multum inter peccata distare credimus, quia & legimus; tamen satis prodesse ad cautionem dicimus, etiam minima pro maximis cauere:* subdit rationem: *Tantò enim facilius abstinemus à quocumque delicto, quantò illud magis metuimus, nec citò ad maiora progreditur, qui etiam parua formidat.* Ita Hieronym. & mox Basilio similis hæc grauissimè subiecit: *Et sane nescio, an possimus leue aliquod peccatum dicere, quod in Dei contemptum admittitur: estque ille prudentissimus, qui non tam considerat, quod iussum sit, quantum qui iusserit, nec quantitatem imperij, sed imperantis cogitat dignitatem.*

7. *Bernard.* Hinc prudentissimè de more Bern. in vita sancti Malachiæ, cum plura ab ipso prodigia edita retulisset, subiicit: *Libentius fateor, imitandis immoror, quàm admirandis:* & verò, quæ nobis imitāda gesserit Malachias, proponens Bern. minimos quoscūque defectus illum accuratè præcauisse, sic in primis affirmat: *In Malachia, quis etiam si curiosius obseruaret, deprehendit otiosum non dico verbum, sed nutum? quis manum pedemve mouentem frustra? Imò quid non ædificans in eius incessu, adspectu, habitu, vultu?* Nouerat equidem egregius ille vir, iusti animā Deo esse pro speculo, in quo se ipse intueatur, vt Paul. 2. ad Corinth. 3. 18. sic ait: *Nos autem gloriam Domini speculantes*, &c. Vbi (quod ab omnibus ad- *2. Ad Cor. 3.18.* notatum video) Græcum participium passiuam significationem habet ad hunc modum, *speculi vicem gerentes*: Vnde non gratis inferas minimas quasuis peccati sordes sedulò esse fugiendas, quod specula, vel leuissimâ de causâ inficiantur, & munus suum amittant: sic reddente rationem Arist. lib. de *Arist.* insomniis: *Nam specula non secus, ac mundissima vestes celerrimè notam aliquam cōtrahunt, quod enim mundum est, atque purum exactè commonstrat quidquid excepit, & potissimum minimos motus; etenim, quod leue, tersumque sit, qualemcumque tactum maximè sentit:* Quod nostro instituto facile accommodes, præsertim Bern. duce, qui lib. de interiori do- *Bernard.* mo hanc cordi legem præscribit: *Sit purum, vt nihil morari intra se patiatur mali, nec modicum quidem offendiculum tolerabile reputet, aut in conscientia sua, aut in aliena.* Certè, vt est in prouerbio, *pilus vmbram facit.*

Placet verò hæc duplici ethnicorum testimo- 8. nio confirmare. Sic enim censeo opportunius, & efficacius hâc in re, sicut sæpius in iis, quæ ad perfectiores virtutes spectant, vt honoris, & delitiarum contemptum, iniuriarum condonationem, & id genus alia, externorum sapientum, quam nostrorum monumenta esse (quorundam enim semidoctorum iudicium, qui ad quæcunque politioris litteraturæ testimonia nauseant, nihil moror: noui enim maxime in illis locum habere id Thadæi *Thadæi.* Apostoli vers. 10. *Quæ ignorant blasphemant.*) Ergo de pusillis erratis, Senec. ep. 85. sic ait. *Quid si sanū* *Senec.* *voces leuiter febricitantem? Non est bona valetudo mediocritas morbi.* Et paulo post: *Non enim diminutionem malorum in bono viro intelligo, sed vacationem, nulla debent esse, non parua, nam si vlla sint, crescent, & interim impedient: quomodo oculos maior, & perfecta suffusio excæcat: sic modica turbat.* Luculentius verò, & copiosius Plutarch. in eo libro, cui titu- *Plutarch.* lus est: *Quemadmodum sentias te in virtute proficere:* ibi enim, vt præfatæ tituli interrogationi respōdeat, hæc inter alia habet. *Adde insuper supra dictis symbolum non contemnendum, si peccato quamuis exiguo non amplius veniam des, sed caues omnia, & deflectis:* subdit similitudinem. *Qui exiguos sumptus nauci facit, nihil ratus efficere magnum, quod exiguo sit adiectum, itidem in negotiis ad virtutem pertinentibus sæpè sibi indulget, vt dicat, quid hoc, & illud, & nunc hoc modo, aliàs rectius; verùm qui in omni re est intentus, & si quando, vel minimi suscepti delicti malitia gratiam fecit, cruciat se, & ingemiscit, hic aliquid sibi comparasse puri ostendit, nec vllo velle inquinari modo.* Adiungo iis peculiarem rationem Basil. qui cum in *Basil.* reg. breu. interrog. 293. sic interrogasset. *Quomodo agi par est cum ijs, qui cum maiora peccata declinent, minora perinde, ac si nihil referret, committunt?* Ad hunc modum (allatis Christi verbis apud Ioann. 8. *Ioan. 8. 34.* 34. *Qui facit peccatum, seruus est peccati*) respondet: *Prorsus autem si id nobis permittitur, vt in peccatis hoc magnum, illud exiguum appellemus, inuicto argumento concluditur, magnum vnicuique esse illud, à quo quisque superatur, contrâque exiguum, quod vnusquisque ipse superat: vt in athletis, qui vicit fortis est, qui autem victus est, imbecillior eo, vnde victus est, quisquis ille sit:* ac si diceret, cum inter animum, & peccatū qualecumque illud, siue magnū, siue paruum sit (nec enim discrimen inter lethalia, & leuia peccata; Basilius, siue quisquis Basilij nomen assumpsit, negauit, vt dixi) singulare duellum intercedat, vt grauius sit à grauiori hominem vinci; at nescio quâ ratione turpe etiam est à minore superari. Sic agens de patientiâ dixit Tertullian. lib. *Tertul.*

de patient.c.8. *Ipsam animam, ipsumque corpus in sæculo isto expositum omnibus ad iniuriã gerimus, eiusque iniuriæ patientiam subimus; minorum delibatione lædemur? Absit à seruis Christi tale inquinamentum, vt patientia maioribus tentationibus præparata in friuolis excidat.* Scitè quidem; estque obseruatu digna illa locutio, *tale inquinamentum*, quâ affirmat minimis defectibus animam, vt non grauiter saucietur, at insigniter inquinari. Certè Plutarch. citato loco rem hanc ex sapientis cuiusdam sensu ad Tertull. gustum ita concludit: *Non esse laborem magis contemptibilem eo, qui sordes relinquat in vnguibus.*

Plutarch.

9. Sed obiiciet nobis non nemo, nimis scrupulosam huius notationis doctrinam esse, imò & iis maximè repugnare, quæ de humanæ naturæ imbecillitate & passim experimur, & ab ipsismet sacris scriptoribus dicuntur: *Nemo enim mundus à sorde.* Iob. 25.4. &, *si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est.* 1.Ioan.1.8. Nam, *septies in die cadit iustus.* Prou.24.16. &, *in multis offendimus omnes.* Iacob 3.2. Quid quod expresſè diffinitum est à Trid. sess.6. can 23. omnes quantumuis iustos, dum in via sunt, peccatis saltem his minutis, obnoxios esse. Iam cum hæc ita sint, qui fieri possit, vt ea in iustis innocentia, siue potius impeccantia inueniatur, quæ à leuissimis etiam peccati sordibus immunis sit? Præbuit quidem ansam ea difficultas nonnullis ex Patribus, & interpretibus (quod c.1.v.1. num. 24. dixisse me memini) vt existimarent ea Pauli verba ad Ephes. *Non habentem maculam, aut rugam*: accipi non posse de Ecclesiâ, quæ adhuc militat: quippè quæ iis minutis ictibus sit semper obnoxia: sed ad eam spectare, quæ in cœlis triumphat, vbi, *nihil inquinatum*, ingredi permittitur.

Iob 25.4. 1.Ioan. 1.8. Prou 24.16. Iacob 3.2. Conc. Trid.

10. Sed, vt indidem monui, in primis præter alios Patres summi quatuor Pôtifices pro nobis sunt, qui de Ecclesiâ, quę adhuc in castris est, id Pauli capiũt. Præterea nõ erit difficile ab ea nos difficultate expedire, si & ipsã metaphorã, quã vsus est Paulus, cũ minimos hos defectus est insectatus, penitiùs perscrutemur. Certè nec apud Paulũ, nec in aliis Cant. verbis c.4.7. vbi Spõsa, *tota pulchra*, & absque vlla macula asseritur, ab iis cottidianis defectibus, quibus ipsi sanctissimi viri, dum viuunt, sunt obnoxij, quosque non semel, siue per subreptionem, siue per negligentiam, siue etiam per fragilitatem committunt, iustus omninò expers esse dicitur; nec ea errata tam acriter à Patribus incusantur, vt cum puritate, & munditie iustorum pugnare affirment, præsertim si ipsi per examen, & pœnitentiam cottidie, siue sæpè sæpius ab iis se expurgent. Vndè ad verba Cant. *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te:* sic inquit Greg. *Dum sancta anima à peccatis cottidianis se per pœnitentiam mundat, dum cottidiè peccata minuta cum lacrymis abluit, & à maioribus se obseruat, quamuis frequenter peccet; per assiduam tamẽ pœnitentiam, munditiã suam assiduè seruat.* Similiter Beda. *Macula non est in te, quia celeriter omni conatu te expurgas, nec in te manere peccatum vllum pateris.* Sed illa in primis insimulantur errata, quæ sciens quis, & prudens (quamuis hunc ego nec scientem, nec prudentẽ dixerim) cõmittit, eaque corrigere nõ curat, imò parui faciens ipsis assuefit, & congaudet. Hinc Bern. in ser. de conu. S. Pauli expendens interrogationem illam Apostoli: *Quis es Domine?* Actuũ 9.5. parua hæc errata dum sciẽter committũtur, nec vlla de eorum emendatione cura est, sic insectatur: *Ignotum enim persequebatur, & ideò consecutus est misericordiam, quia ignorans fecit in incredulitate. Discite ex eo fratres iustum iudicẽ Deum, non modo, quid fiat, sed quo modò fiat, considerate, & cauete deinceps ne quis parua reputet, quamlibet parua scienter delinquere conuincatur. Nemo dicat in corde suo: leuia sunt ista; non curo corrigere, non est magnum si in his maneã venialibus, minimisque peccatis. Hæc est enim, dilectissimi, impœnitentia, hæc blasphemia in Spiritũ sanctum, hæc blasphemia irremissibilis. Paulus quidẽ blasphemus fuit, sed non in Spiritum sanctum, quia ignorans fecit in incredulitate.* Vides non parui facienda esse hæc parua peccata, cum ea corripere quis negligit, & in iis permanere gaudet? Qua forsan ratione Paulus in præfato loco ad Ephes. pro illis verbis. sed, *vt sit sancta, & immaculata*, iuxta Syriacum posuit, *vt sit sancta, & absque næuo*, optimè harum culparum naturam eo dicendi modo exprimens: næuus enim ea est maculæ species, quæ lauari, aut detergi se non sinat, sed quæ cuti adeo sit inusta, & naturalis, vt ab eâ separari siue diuelli non queat. Sed hæc adnotatione sequenti, cum de idolo Muscæ sermo inciderit, magis explicabimus; modo, quâ ratione sapientiæ. & charitatis opus sit, hæc parua errata cauere, videamus.

Cant.4.7.

Gregor.

Bed.

Bernard.

Act 9.5.

ADNOTATIO III.

Proprium sponsarum Christi, siue animarum intime Deum amantium esse, minimas peccati maculas fugere.

8. NEmo, qui vel paululum in arte amandi Deum fuerit peritus, nobis inficiabitur, eam esse charitatis naturã, vt (quod Celátiam monebat in super. adnot. Hi r.) *non tam consideret, quod iussum sit, quãtum qui iusserit.* eaque de causa, tã exactũ, atque integrum erga Deum præbeat obsequium, vt rerum etiam leuissimarum, quamuis eius amicitiæ omnino nõ aduersentur, accuratam custodiã gerat. Sic monuit Salom. Sap.6.19. *Cura ergo disciplinæ dilectio; & dilectio custodia legum illius est:* vbi pro legum Græce est νομων, quæ vox non solùm significat leges latas, aut scriptas, necnon consuetudines, & mores, qui vim habent legum. sed etiam cantilenas, carmina, aut potius carminis certas quasdam modulationes; siue modos musicos, quibus constringuntur carmina. Vndè hic sapientis sensus, isque appositus, & pulcher est, Dei dilectionem non solùm in maiorum eius præceptorum obseruantiâ, sed etiam in accuratissima minutarum rerum custodia censeri, vt ad amati Dei voluntatem, & nutum in omnibus, siue magna illa, siue parua sint verus amator se conformet, & fingat, & eius velut sonum obseruans, omnes diuinæ voluntatis numeros expleat, & politum carmen, vt dicebat Paulus, se exhibens, nec in syllaba peccare velit. Expressit id quidem Gregor. Nazianz. in præceptis ad Virginem, dum eam à minimis erratis ex eo potissimum, quod Christi Sponsa sit, sic auocat:

Sap.6.19.

Nazianz.

Sed neque furtiuos mundi secteris amores,
Atque fidem Christo iuratam perfida fallas.
Hanc porrò fallit sacrataque fœdera rumpit
Quisquis, vel tenuem radicem criminis in se
Excipit.

Ac si dixerit, aliter serui, qui timore aguntur, aliter sponsæ, quæ charitate Deo adhærent, se habent: nam, vt illi satis putent diuinæ legis præcepta seruare, at sponsæ obsequium vlterius pergit, quæ ne fidem sponso fallat, ad eius nutum, & modulationem se omnino conformare debet; non grauia solum, sed leuia etiam errata fugiens.

2. Hinc sponsæ oculi, quod columbę sint, frequentius à cœlesti sponso commendantur. Cant. 1.14. *Oculi tui columbarum.* Sed quare? Primùm, quod cœlestem,

Cant. 1.14. & c.4.1.

cœlestem, diuinamque columbam, nempè sanctum Spiritum in oculis, ac pupillis ferat: sic enim Nyssen. hom. 4. *Nunc primum virgo in sponsi formam intendit oculos, quoniam sponsum habebat in oculis.* Quid verò esse dixeris: *in oculis sponsum habere*: nisi eum sic medullitus amare, vt nec leuem in eum offensam committat? Vide dicta annotat. præced. num. 5. & 6. & adde Latinam, & Hispanam locutionem, iuxta quas in oculis ferri, vel esse, idem est, ac valde charum esse, & vehementer amari, ac proinde nullam quantumuis leuem eius, qui in oculis fertur, iniuriam pati. Sic dixit sæpius Tullius: *Te, vt dixi, in oculis fero, & Balbum in oculis fero*; & alibi: *Oderat ante, nunc fert in oculis.* Deinde columbæ oculos habere sponsa dicitur, quod ad huius auis morem non periculum modo, sed periculi etiam vmbram præuideat, & caueat, vti his verbis considerauit Cyrillus lib. 3. in Leuit. fine, *In iis enim sponsa describitur pulchritudo. Ferunt hoc genus auis cum ad aquas venerit, quia ibi solet accipitris insidias pati, venientem desuper inimicum, volantis vmbra in aquis inspecta, deprehendere, & oculorum perspicacia fraudem periculi imminentis euadere*: equidem de corde amoris etiam noxij vulnere saucio dixit poeta:

Motusque excepit prima futuros.
Omnia tuta timens.

Sed meliori iure Fulgent. in præfat. lib. ad Monim. de vera, & germana charitate dixit: *Etiam illa, quæ tuta sunt, metuit.*

3. Sed obiicias alienum hoc à ratione charitatis esse, vt timore agatur. Nam: *perfecta charitas foras mittit timorem*, 1. Ioan. 4. 18. Cur ergo sponsa Christi timeat? Nec solum timeat, sed & ipsamet, quæ tuta sunt metuat? Respondent Fulgentius, & Cassianus, alium hûc timorem ab eo, quem charitas foras mittit, nam ille ad seruos, qui herili tãtùm metu aguntur, hic ad ipsosmet filios, & sponsas ardenter amantes pertinet: quippe qui ab ipsamet charitatis natura generatur; quantò enim illa ardentius in Deum fertur, tanto studiosiùs, & accuratiùs nõ magnas solum iniurias, sed minutissimas etiam in eum offensiunculas, imò & ipsarum vmbram cauet, & horret. Ita citato loco Fulgent. *Metuit autem non eo timore, quem ipsa foras expellit* (nam perfecta charitas foras mittit timorem) *sed illo timore, quem non ad timorem, sed ad amorem habere consueuit. Timet ergo non timido amore, sed casto. Non enim timet formidine criminis: sed robore puritatis, & firmitate virtutis.* Sed id expressius Cassian. collat. 11. c. 13. cui hunc præfixit titulũ: *De timore, qui de charitatis magnitudine generatur*; sic docuit, *vel tenuem amoris formidat offensam, atque in omnibus non solùm actibus, verũ etiam verbis attonita semper pietate distenditur, ne erga se quantuluncumque feruor dilectionis illius intepescat.* Confirmat id ad citata Ioan. verba Aug. sed aucto pulchrè cẽsu; dum à duabus sponsis, quarum altera metu criminis; altera amore sponsi timeat, imagine sumpta ad hunc modum pergit. *Et quomodo discernuntur duo isti timores? Timet illa, timet & illa Interroga: quasi vnum tibi respondent. Interrogetur illa. Timet virum? Respondet illa: timeo. Interroga & illam, si timeat virum: respondet: timeo: vna vox est, sed diuersus animus. Iam ergo interrogentur, quare? Illa dicit. Timeo virum, ne veniat: illa dicit: timeo virum, ne discedat. Illa dicit: timeo ne damnet, illa dicit: timeo ne deserat. Pone hoc in animo Christianorum, & inuenies timorem, quem foras mittit charitas, & alium timorem castum permanentem in seculum seculi.*

4. Ita videas Matth. 28. 5. Angelum piis mulieribus Christum in sepulchro quærentibus præcepisse. *Nolite timere.* at ipsas paulò post exiisse de monumento, *cum timore, & gaudio magno*: v. 8. Quid? Iam illud Angeli monitum, ne timerent, tam citò memoria excidit? Minime. Sed aliter prius, aliter modò timẽt. Audi Chrysol. ea de re serm. 80. *Et vbi est nolite timere? Quia timor non ablatus est, sed mutatus, timor abscesserat de reatu, sed de seruitio manebat, malus timor culpæ, bonus reuerentiæ timor. Adam datum perdiderat, ne perderent ipsum pertimiscebant.* Similiter Ambros. serm. 11. in Psalm. 118. *Sancta anima nescit aliud desiderare, quam sponsum, qui est Christus Iesus. Illum concupiscit, illum desiderat, in illum totis viribus intendit, illum gremio mentis fouet, illi se aperit, effundit: & hoc solum veretur, ne illum possit amittere.* Ecce amoris timorem, qui de charitatis magnitudine generatur, & ad eius mensuram magis crescit, ac magis. Vnde non solùm cœli columnæ, hoc est, cœlestes spiritus contremiscunt, Iob 26. 10. sed, & Christus etiam Dominus hoc charitatis timore repletus fertur, Isaiæ 11. 3. *Et replebit eum spiritus timoris Domini.* Habet verò peculiarem emphasim, quod non nisi repletus timore esse dicatur, vt innuatur ex robore puritatis, & virtutis eius animum, nec minimas peccati maculas vllo modo capere posse.

5 Ab hoc non it, quod de se, ipsa sic inquit Spõsa. Cant. 1. 12. *Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter vbera mea commorabitur.* Vbi eandem sponso sedem, ac, vt modo vidimus, in oculis tribuere videtur sponsa; nimirum, in medio vberum, hoc est, in corde, vt dum inibi commoratur Christi charitas, nullum sponsæ membrum sit, quod in dilectione tepescat, aut leuem aliquam culpam, quæ feruorem refrigerare possit, admittat. Sed hæc pensiculatiùs tradidit Nyss. hom. 1. in Cant. cum enim primũ cordis naturam, & situm sic esset speculatus: *Localis cordis positura ab iis, qui eã sunt speculati, dicitur esse in medio vberum; illic autem dicit sponsa se habere fasciculum, vbi bonum tamquam thesaurus reconditur; sed & cor dicunt esse quendam fontem nobis innati caloris, à quo per arterias in vniuersum corpus calor distribuitur, per quem fiunt calida, & vitalia membra corporis, vt quæ foueantur ab igne cordis:* Hinc sic ad rem præsentem infert. *Quæ ergo principatum tenente animæ facultate, suscepit bonum Christi odorem, & cor ipsius fecit fasciculum huius suffitus, se ita comparat, vt omnia singillatim vitæ studia, tãquam alicuius corporis membra, ferueant spiritu, qui ex corde permeat, nulla iniquitate, nullo membro corporis refrigerante dilectionem in Deum.* Quasi dixerit ab amore in Deum prouenire, vt nullam, vel paruam iniquitatem, siue inquinatæ concupiscentiæ fibram apud se esse sponsa velit, ne hinc eius in Deum charitas intepescat.

Hæc quidem ipsissima charitatis natura est, quæ dum in corde residet, vel minimos etiam ictus cauet, & dolet, qui alioqui ab eo, qui Deum medullitus non amat, nec eius legem cordi inditam habet, minime persentiuntur. Qua sanè in re cor Dauidis Dei charitate flagrans locuples nobis testis adest: cum enim Saulem, qui diro in ipsum odio furebat, & ad necem persequebatur, in spelunca delitescentem securè posset occidere; à cæde tamen abstinere maluit, hoc vno contẽtus, si oram chlamydis illius, quæ egregij huius facinoris memoriale esset, clãculum abscidisset: id præclarè gestum quis non dicat? Sic certè à pluribus scriptoribus miris laudibus celebratur. Sed Deo aliter visum: ipse enim, vt est in Iob 38. 36. *Dedit gallo intelligentiam*, vbi pro, *gallo*, Hebræa habet, *cordi*, & rectè cor gallus appellatur, cum ad eius morem dormiẽtem hominem excitare ad pœnitentiam soleat. Ergo cor Dauidis, siue conscientia, qui verus incorruptusque iudex est, illum 6.

subinde momordit, & velut gallus excitauit commissi, tunc leuis licèt sceleris arguens: sic enim textus sacer, 1. Regum 24.6. *Percussit cor suum Dauid, eo quod abscidisset oram chlamydis Saul.* Vbi expressius LXX. *Percussit cor eum*: similiter Pagn. ex Hebr. *Percussit cor Dauid eum*: vt hinc nobis innuatur perfecti viri cordis, cui lex Dei medullitus insideat, esse ob minutissimum quoduis erratum in re licèt leuissima, & pilo simili commissum, grauiter dolere, animumque pulsare: quippe quod adeò generosæ indolis sit, vtpote Dei amore flagrans, vt minimos etiam ictus persentiat, & cauere debeat. Vnde Bern. ser. 1. de Spiritu sancto, vt ostendat, quid Dei charitas per Spiritum sanctum in cordibus iustorum effusa ab illis exigat, quidque etiam in ipsis operetur, hæc inquit elegantissimè: *Quid à te quærit, qui tanta solicitudine te quæsiuit, nisi solicitum ambulare cũ Deo tuo? Hanc solicitudinem non facit, nisi Spiritus sanctus, qui nec minimam paleam intra cordis, quod possidet, habitaculum patitur residere, sed statim igne subtilissimæ circumspectionis exurit, spiritus dulcis, & suauis.*

(1. Reg. 24.6. — LXX. — Pagnin. — Bernard.)

7. Sic equidem Paulus 2. ad Cor. 11. 2. Corinthiis perfectioni incumbentibus ingerebat: *Despondi vos vni viro virginem castam exhibere Christo.* Vbi cum Græcum verbum, pro quo noster vertit, *despondi* (de quo latiùs ad c. 3. v. 12. adnot. 2.) propriè significat, *aptare, agglutinare*, sponsæ rationem in eo videtur Apostolus posuisse, vt Christo intimè coniuncta, & agglutinata sit, ne videlicet vel tantillum per teporem, siue per defectus quãtumcumque minimos ab eo seiungatur, cum ei sit sponso coniuncta, & velut pars parti aptata, qui eam ardentissimè amet. Vnde hanc rationem ad gustum germani sui Nysseni, sic stringit Basil. lib. de vera virgin. *In nulla parte oportet virginem adulteram esse, non lingua, non auribus, non oculo, non alio omninò sensu, imò neque cogitatione, sed corpus quidem velut templum quoddam, aut thalamum sponsi habeat praeparatum.* En fasciculum inter vbera commorantem, nulla iniquitate, nullo membro corporis refrigerante dilectionẽ in Deum: alioquin, nec aptata, nec sponsa censebitur, nimirum, qui aptatur, seu, *adhæret Deo, vnus spiritus fit,* supple, cum eo, 1. ad Cor. 6. 17. sed id qua ratione? Audi Photium ibi: *Totus spiritualis efficitur, neque impuris cupiditatibus tangitur, neque scinditur in partes: sed vni Deo penitus adhæret, eique se totum dedicat, & addicit.* Iam verò sub eadem sponsæ imagine, iisdemque adhærendi, & agglutinandi phrasibus inculcatis, sic monuit Chrys. ho. 8. in 1. epist. ad Corint. *Nõ solum ergo Christo adhæreamus, sed ei etiam agglutinemur. Nam si disiuncti fuerimus, perimus. Nam qui se, inquit, à te elongant, peribunt. Ei ergo agglutinemur, & agglutinemur per facta, & opera. Nam*, qui seruat, *inquit*, mandata mea, ipse in me manet. *Etenim per multa exempla nos vnit. Considera autem. Ipse est caput: nos autem corpus. Inter caput, & corpus non potest vllum esse interstitium. Ipse est fundamentum, nos ædificium. Ipse est vitis: nos palmites. Ipse est sponsus, nos sponsa.* Quæ paulò post sic diffundit: *Hæc omnia indicant vnitatem, nec sinunt aliquid vacuum esse inter medium, ne minimum quidem. Quamobrem hoc parum non est parũ, imò verò est ferè totum. Quando ergo parum deliquerimus, aut etiam pigri, ac socordes fuerimus, ne illud parum negligamus.* Hæc, & alia Chrys.

(2. Ad Cor. 11. 2. — Basil. — 1. Ad Cor. 6. 17. — Phot. — Chrysost.)

8. Sed quam accuratus, ac sedulus præceptorum, quæ dabat, extitit Paulus executor, & custos, qui ne à Christo per has minutas sordes, vel tantillum seiungeretur, omnes se prius tyrannorum, imò gehennæ ipsius pœnas, atq; supplicia libentiùs perpessurum, & cum creaturis omnibus ea de re certaturum animosa hac oratione affirmat ad Rom. 8. 35. *Quis nos separabit à charitate Christi? Tribulatio, an angustia? An fames? An nuditas? An periculum? An persecutio? An gladius?* & statim: *Sed in his omnibus superamus propter eum, qui dilexit nos. Certus sum enim, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque Principatus, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare à charitate Dei.* Vbi expendẽdum est Græcum verbum χωρίσαι, pro quo noster posuit, *separare*, quod non tam omnimodam separationem, quàm qualemcumque, vel leuem disiunctionem inter ea, quæ aptata, & agglutinata sunt, significat: vnde Syriacus legit, *seiungere*; vt appareat egregium illud animi propositum Paulo esse, vt non solum cane, & angue (vt in prouerbio est) sed gehenna ipsa peius timeret qualecumque erratum, quo ipsius in Deum charitas intepesceret, & ab eo tantisper disiungeret. Quod si, vt bene Senec. de consolat. ad Heluiam, c. 17. *Maior est amor, qui pari periculo minus redimit*, egregium diuini Pauli argumentum, id est, quod summo ipse periculo, & damno, minima quæque errata vellet redimere.

(Ad Rom. 8. 35. — Syria. Lect. — Senec.)

9. Est verò tã propriũ animæ igne diuinæ charitatis accensæ minimas peccati sordes præcauere, vt non aliter sponsæ characterem, & gradum quis adipiscatur. Quare Cant. 8. 9. cum Spõsa de germana sua adhuc parua, sed ad spõsæ etiam gradum properante sic Christum consuluisset: *Soror nostra parua, & vbera non habet, quid faciemus sorori nostræ in die, quando alloquenda est?* Id est, quid faciemus, vt soror nostra ad sponsæ etiam culmen pertingat, maturaque tantæ rei censeatur? Quid curabimus in eius bonum? Quod ei salutis mon[ument]um dabimus, vt muneris huius numeros expleat? Ne cum de ea nuptiatum sermo inciderit, ætatis immaturitas, hoc est, perfectionis defectus illi impedimento sit; huic interrogationi sic respondet cœlestis Sponsus: *Si murus est, ædificemus super eum propugnacula argentea: si ostium est, compingamus illud tabulis cedrinis*: vbi, vt in commentariis monui ex Hebræo, supplendum est pronomen, *ei*, hoc modo: *Si murus est ei, ædificemus &c. si ostium est ei, compingamus*, &c. Vt his verbis is sensus insit. Si murum habet, hoc est, Dei legem; cuius obseruantia, vt muro, eoque firmo circũmunita, atque vallata est, ad eum murum adiungere oportet propugnacula argẽtea, id est, peculiarem charitatis affectum, quo magis coarctetur, & coangustetur custodia, vt nimirum nonmodo diuinæ legis terminum non transiliat, sed nec minima quæque errata cõmittat. & velut arx munitissima à quouis peccati telo, vel leui iaculo tuta sit. Firmat id ostij metaphora. Est enim perinde, ac si dicatur, si iusti anima ostium timoris Dei habet, quo aditum peccato claudat, id ostium aliis subinde, atque aliis tabulis magis, ac magis cõmuniri, & roborati oportet. Adstipulatur Hebræũ verbum, *tsur*, quod Vulgatus trãstulit, *compingamus*, à quo vrbes fortissimas, siue in tutissimo loco positas, Hebræi vocant vrbes munitas. Sed tam in murorum propugnaculis, quàm in tabulis fores communientibus præscripta materies obseruanda est, vt enim propugnacula argẽtea, ita tabulæ cedrinæ esse perhibentur, ideo vero argentum ad propugnacula assumi crediderim, quod vt purissimi candoris, & munditiei, ita legis diuinæ, siue perfectissimam puritatem suadentis, siue à Dei seruis ad amussim custoditæ symbolum sit. Ita Psal. 11. 7. *Eloquia Domini, eloquia casta, argentum igne examinatum* (siue, vt vertit Complutensis, *separatum à terra*) *purgatum septuplum*, ergo Christi Spõsa, non tantum muris cincta, sed iis etiam propugnaculis munita esse debet, quæ quamlibet etiam minutissimam

(Cant. 8. 9. — Psal. 11. 7.)

mam sordem, aut inquinamentum excludant. Ad
hæc argentum clariorem inter omnia metalla so-
num emittit. Ideò Dei castra ad tubarum argentea-
Num. 10.2. rum sonum in expeditionem mouebantur, Num.
10.2 quod hisce sponsæ propugnaculis sic accom-
modes, vt significetur quodlibet peccati telũ, quan-
tumuis venia dignum, siue veniale (vt aiunt) non
mediocrem doloris, & pœnitentiæ sonum editu-
rum. Longè aliter, ac vt eis vulgarium hominũ mu-
ris euenit, qui parua hæc errata minime curant, nec
nisi à tormento bellico lethalis peccati percussi, so-
num emittunt; sed & cedri natura, quæ ad fores
Dioscor. communiendas assumitur, eò etiam it, cum hæc ar-
bor, vt à Dioscorid. lib. 1. c. 88. & aliis traditur, im-
putribilis sit naturæ, & quæ cariem, aliosque ver-
miculos non sentiat, nec rimis vllis hiscat, vt docu-
mento sit nullum à Christi spõsis defectibus etiam
leuissimis esse præbendum aditum, sed illis vndique
communiendas, & præcludendas fores esse, quod &
Hebræa vox, *luax*, pro qua noster posuit, tabulis, op-
timè confirmat: significat enim tabulam viridem, &
recenter præcisam, quæ aliis fortior, & solidior est:
Cyprian. *Omnes ergo rimæ* (verba Cyprian. lib. de singul. cler.)
ne dicam portæ claudendæ sunt, ne per vnum foramen
castra omnia penetrentur, & vniuersa componenda sunt
munimenta, ne per modicum non munitum tota ciuitas
Eccl. 19. a. *ruat. Sicut Salomon* (dic tu Ecclesiasticus) *reperit*: qui
spernit modica, paulatim decidet.

10. Equidem cum miseræ vrbis Hierosolymitanæ la-
mentabile excidium, durissimam seruitutem, diras,
Thren. 1. 4. & crudeles robustorum, & nobilium mortes lugu-
bri carmine prosequeretur Ieremias in Threnis; de
Cat. Græ. virginibus in templo nutritis (vt inquit vetus Au-
ctor in Catena Græca) contentus fuit vltimo loco
dicere, c. 1. v. 4. *Virgines eius squalidæ*. Id est nõ præ-
ditæ eo splendore, & ornatu, qui virgines Dei spon-
sas deceret. Vnde de tota Synagoga, seu Ecclesia,
statim concludit: *Et ipsa oppressa amaritudine*, ac si
diceret. Nec valet iam hac ratione vocem emittere
præ amaritudine, quæ fauces premit. Vbi iure dubi-
tes, qui tanti fiat virginum squalor? præ tot Princi-
pum mortibus, seruitute, exilio, tamque turpi Naza-
ræorum ob mœrorem, & morbos deformatione, vt
Thren. 4. 8. eorum facies *denigrata esset super carbones*. Thren. 4.
Nazianz. 8. Sed respondet Nazianz. in orat. de fuco, virginem
alloquens. *Illud velim non ignores, rugam tibi vnam*
turpiorem esse, quam maxima vulnera iis, qui in mun-
do viuunt: nec enim tam notabilem, ac conspicuam in
sordidis, quàm in puris vnius coloris vestibus labes ali-
qua fœditatem habet. Rectè quidem, quod Sponsa
Christo aptata tota pulchra esse debeat, ac proinde
quauis fœditate plus commaculetur, quam maxi-
mis vulneribus sæculares homines.

11. Erat quidem in templo Dei (malo fato:) *Statu-*
Ezech. 8. 3. *tum idolum zeli ad prouocandã æmulationem*. Ezech.
Lect. Heb. 8. 3. siue vt expressius Hebræa: *Vbi erat habitatio*
idoli zeli, zelare facientis Deum. Sed, quodnam? Li-
quet ex Hieron & interpretibus nõ aliud illud esse,
quam Baal, siue Beelzebub, id est, *Deus Musca*.
Quid Musca ne Deũ pungit, & mordet? & ad æmu-
lationem prouocat? Ita planè. Vt enim ipse magna-
nimus, & patientissimus sit, dissimulans peccata ho-
minum; at non potest non commoueri, & ad æmu-
lationem, vel à Musca, hoc est, leui et rato prouocari,
cum hæc idolula in templo suo statuta videt, id est,
cum eius sponsæ, ex præsertim, quæ in altissimo
religionis statu ipsi famulantur, sordibus hisce, licet
minutis, commaculantur; nimirum, *hæ minimæ sordes*
August. (verba sunt Aug. in quinquaginta homiliar. ho. 50.)
nostrum decus exterminant, vt ab illius sponsi spe-
ciosi forma præ filiis hominum castissimis amplexibus
separent. Quare iure, hinc zelo sponsus commoue-
tur; anguste enim diffiniuit zelotypiam Cic. Tusc. Cicer.
4. cum dixit: *Est ægritudo ex eo, quod alter potiatur eo,*
quod ille ipse concupierit. Nam si Arist. credimus, la- Arist.
tius se extendit: sic namque de ea, 2. Rethor. *Tristi-*
tia est, quam quis habet ex iis, quæ sibi deficiunt. Et
verò cum Christus dilexerit Ecclesiam, vt mũdaret
sibi sponsam non habentem maculam, aut rugã, aut
aliquid eiusmodi, meritò quæuis musca eũ pungere
dicatur, cum hæ minimæ sordes spõsæ suæ pulchri-
tudinem exterminent, & ea de causa aliquid ei de-
ficiat ex iis, quæ ipsi sunt debita, cum ea, quæ ipsi
agglutinata, & intimè coniuncta esse debet, hac ra-
tione ab eius amplexibus separetur. Certe, vel ob
verbum indecenter, & impurè prolatum diuinum
spiritum grauius cõmoueri, disertè affirmauit Pau-
lus: cum enim ad Ephes. 4. 29. dixisset: *Omnis sermo* Ad Ephes. 4. 29.
malus ex ore vestro non procedat, subiunxit, *& nolite*
contristare Spiritum sanctum Dei.

Quòd si sponsum ob has minutas sordes (ad no- 12.
strum captum) contristatum, & querulum quasi è
domo sua eliminatum videre velis, audi Cant. 5. 3. Cant. 5. 3.
Aperi mihi soror mea, &c. *quia caput meum plenum*
est rore, & cincinni mei guttis noctium: cum enim nox
arcano sermone peccatum adumbret, quid aliud hæ
guttæ noctium præseferant, quàm minutas has sor-
des, quæ sponsæ pulchritudini non leuiter officiũt?
Sic de se ipso, tepore, & acedia aliquatenus oppres-
so, ac proinde guttas hasce distillante, dixit Dauid
Psal. 118. 28. *Dormitauit anima mea præ tædio*: vbi, & Psal. 118. 28.
pro, *tædio*, Græce est ἀκηδία, *acedia*: hoc est, torpor,
& tepor, vt singillatim explicant Bern. serm. 32. in Bernard.
Cant. & Cassian lib. 10. institut. c. 4. & pro, *dormita-* Cassian.
uit, Hieron. & Ambros. & antiquiores legunt, *distil-* Hieron.
lauit, siue, *stillauit*, magna vicinitate metaphoræ, cum Ambros.
dormitantium nictatio stillationi persimilis sit. Er-
go ab acedia, siue tepore frequentes defectuũ guttæ
stillãt, quæ quidem super sponsi caput (proh dolor!)
decidunt, vt vides, eumque à sponsæ amplexibus
separant, & è communi domo eiiciunt. Sic namque
Salomon Prou. 27. 15: *Tecta perstillantia in die fri-* Prou. 27. 15.
goris, & litigiosa mulier comparantur: vbi LXX. ha- LXX.
bent: *Stillicidia eiiciunt hominem in die hyemali de*
domo sua: similiter & mulier maledica de propria do-
mo. Quæ ob oculos habens Bernard. in serm. de sep- Bernard.
tem donis Spiritus sancti contra septem vitia desi-
diosæ Christi sponsæ sic accommodat. *Triplex in-*
commodum eiicit de domo inhabitantem, fumus, stillici-
dium; & mala vxor: quandò verò hæc deerunt negli-
gentis? Similiter Ambros. in Psalm. 118. serm. 11. præ- Ambros.
mens præfata Cant. verba in hanc sententiam sic
ait: *Vides igitur, quod Deus, & ociosum prouocat, &*
dormientem excitat. Qui enim venit, & ianuam pul-
sat, vult semper intrare, sed in nobis est, quod non semper
ingrediatur, non semper maneat. Et post nonnulla.
Aperi ergo illi, vult introire, vult sponsam inuenire vi-
gilantem. Noli ergo bono amatori facere moras, citò re-
cedit, & tu somno corporis tui videris exclusisse pulsan-
tem: excludis enim cum desidiosus es: & si sobrius sis,
caue, ne negligens sis.

Iam verò, vt doctrinam præced. annot. n. vlt. tra- 13.
ditam, huic etiam applicemus, non est animus affir-
mare, ob quemlibet sponsæ defectum Christũ gra-
uiùs commoueri, & quasi domo eiectum his que-
relis sponsam incendere; sed tunc potissimum, cum
idolum zeli, vel, *statutum*, vel non aliud, quam, *mus-* Ezech. 8. 3.
ca, est; sed quid est esse statutum? Illud opinor, cum
habitualia sunt errata, & quæ non corriguntur, sed
potius amentur: sic enim habent Hebræa, *vbi habi-* Lect. Heb.
tatio idoli: nec caret emphasi illos defectus sub no-
mine idoli argui, vt innuatur ab aliqua in creaturas
affectione

affectione deriuari, siue ipsammet creaturam inordinato affectu adamatam, idolum esse: ab hac ergo impura musca quomodo non mordeatur, & cōpungatur sponsus, qui nullum in amore cōsortium patitur? *Neque enim sponsus ille* (verba sunt Nazianz. orat. de calamit. animæ) *cum anima alienis amoribus irretita consuetudinem habere sustinet*. Equidem sapienter dixit Athanas. lib. de virginitate, affectionem quamlibet, siue curam in creaturis à Christi Sponsa collocatam, ipsi pro marito esse, atque idcirco adulteram iure censeri, audi: *Hoc igitur dico, quod omnis virgo, aut vidua continens, si curam suam collocet in mundanis, eius rei cura illi pro marito est; ipsa enim solicitudo contaminat eius animam, & corpus continentis conspurcat, neque iam sancta est corpore, & spiritu.* Quo sane eunt verba Pauli ad Corinth. n. 7. adducta, quibus sponsam aptatam, & agglutinatā Christo facit, vt totis animi, & voluntatis viribus ipsi adhereat: quod si aliquos in voluntate loculos habeat, Christi consortio idonea non est. Ita Bern. in declamat. super: *Ecce nos reliquimus*, &c. ad fin. *An ex collegio discipulorum reprobari quis poterit, nisi loculos habens? Sunt enim loculi non modo pecuniæ, sed & propriæ voluntatis. Scrutetur proinde vias suas, & studia sua, qui promissam centupli gratiam sibi deesse causatur: nec dubium quin inueniat angulum, & diuersorium, reclinatoriumque, non quidem filij hominis, sed aut foueam vulpis, aut volucris nidum.* Ergo ab statuto idolo iniuria affectus sponsus ab spōsæ amplexibus separatur, nec sine indignatione recedit; audi Hieron. in epist. ad Eustochium. *Vbi in pectore virginali secularium negotiorum cura æstuat, statim velum templi scinditur, sponsus consurgit iratus, & dicit: relinquetur vobis domus vestra deserta.*

Naziang. Athanas. Tertullian. Hieron.

14. Vidisti, quid sit, esse statutum idolum zeli, audi modo similem rationem, cur à musca pungatur, & commoueatur sponsus; vbi meritò ambigas, quare potius à musca, quam ab ape compungi, & ad æmulationem prouocari dicatur, cum apes acriùs musca stimulum admoueat. Plane, quia apes dum pungit stimulum amittit, & emoritur, vnde eos denotat, qui peccata quamuis non leuia, sed quæ acrius quodammodo Deum pungant, committunt; sed post peccatum ea ipsos pœnitudo capit, qua peccato penitus emoriantur; plusque forsan sit, quod in pœnitentia laudes, quam quod accuses in crimine; sub quo sensu accipit August. ea verba Psalm. 17. *Circundederunt me, sicut apes, & exarserunt, sicut ignis in spinis, & in nomine Domini, quia vltus sum in eis*, quasi dicat Propheta, persecutores Christi tā ipsum, quàm ipsius Ecclesiam suppliciis affecisse, stimulisque persecutionum pupugisse, & afflixisse, sed Christum blandissimo affectu vltum fuisse de ipsis: *Quia & ipsi* (inquit ille) *malitia, qua in eis iustos persequebatur extincta, Christiano populo sociati sunt*. Secus verò est in musca, quæ importunum animal cum sit, quamuis sæpius abigatur: iterum tamen, atque iterum mordet. Sic enim inquit Homerus:

August. Homer.

Qua quamuis de pelle viri sit sæpè repulsa,
Assultat morsura tamen.

Vnde effluxit adagium, *muscas depellere*, quod ad exprimendum laborem irritum, & otiosum sumitur: quare eorum defectuum apposita imago est, qui importunè repetuntur, & à quibus Christi sponsa purgare se satis non curat, quod sæpenumero cupiditates sint altius infixæ, siue errata, quæ à cupiditatibus promanent, & cordi hæreant. Sic dixit Bernard. in allegoriis Gotf. Tilm. ad lib. Reg. *Qui affectiones suas interrumpunt, non rumpunt.* Quia videlicet ad horam se ab iis defectibus corrigunt, siue potius separant, post horam ad eos, sicut prius reuertuntur: hæ quidem sordes sunt, quæ nostrum decus ita exterminant, vt ab illius sponsi speciosi forma præ filiis hominum castissimis amplexibus separent. Sed enim cum ipse iterum per sponsæ pœnitentiam ipsi concilietur, illa verò rursus, dum in eadem denuo errata relabitur, ab eius se disiungat amplexibus, non dissimile id existimes, ac Romano illi Mecœnati eueniebat, de quo acutè Senec. epist. 114. *Qui vxorem millies duxit, cum vnam habuerit*: ob cotidiana nimirum iurgia, & mutuas vtriusq; coniugis repulsas, & nouas postmodum amicitias.

Bernard. Senec.

ADNOTATIO IV.

Peculiare sapientiæ opus esse, minima quæque peccata deuitare, ne ab illis ad grauiora deueniatur.

SED cur eximia hæc munditia, & minutatum culparum exterminatio, non charitati solum, sed scientiæ etiam à Paulo adscribatur, ea mihi occurrit ratio: quòd sapientiæ, & quidem maximè munus sit minora pericula fugere, vt maiora securiùs præcaueas, atque ideò, ne in grauissima peccata incidas, minima quæque diligentiùs vitare: est enim id certa lege, siue naturâ (vt ita dicam) comparatum, & diuino etiam oraculo sancitum: *Vt qui spernit modica, paulatim decidat*. Ec. l. 19. 1. Certè de sapiente, & insipiente Salomon, sapiens ipse, & insipiens pro temporum varietate, Eccles. 2. 14. sub hoc sensu dixit: *Sapientis oculi in capite eius, stultus in tenebris ambulat*, quam paræmiam sic sciitè explicauit Martinus del Rio 1. tom. adagio 295. vt capite notentur rerum initia, quasi proprium sapientis sit cum fine initia conferre, & velut ex speculâ, quæ futura sunt, longè ante prospicere, iuxta Terentium: 1.

Eccl. 19. 1. Eccl. 2. 14. Mart. del Rio. Terent.

Isthuc est sapere, non quod ante pedes modo est
Videre, sed etiam illa, quæ futura sunt prospicere.

Habet verò multum venustatis hic dicēdi modus cum allusione ad ipsummet oculorum situm, qui ideò in capite, vt in arce regali velut sapientiæ ministri se gerunt, vt indefessas pro corporis salute excubias agant, nimirum, vt animus peccati insidias præuideat, & sedulâ cogitatione prospiciens à minimis peccatis in grauiora gradum fieri, ipsamet initia caueat, atque fugiat. Porrò Ambros. lib. 6. in Hexam. cap. 9. ex hoc loco benè adstruit, in capite, velut in regiâ arce habitare sapientiam, quæ oculis omnia explorare, & præuidere soleat. Audi: *Sic latronum quoque cauere incursus, sic exploratores in muris, aut turribus aut montis excelsi supercilio esse locatos, vt desuper spectent plana regionum, in quibus insidiæ latronum latere non possint.* Vndè, qui sub hoc sensu in capite oculos non habeat, nec futura prospicere norit, rectè oculos in calcaneo, vt Hebræa paræmia fert, (de qua indidem Rio) habere dicetur. Hæc verò omninò ad rem nostram sic confirmat Chrysost. in Psalm. 6. aucto egregiæ imaginis censu: *Nam si in domo parum aliquid stuppæ accensum viderimus, conturbamur, & tumultum mouemus, non enim attendimus initium, sed ex initio finem considerantes mouemur, & cōcurrimus, vt totum caminum extinguamus. Hoc igne vehementius excedit anima peccatum.* Vides sapientis oculos in capite, vt ex initio finem considerantes minima peccata fugiant, ne in grauiora deueniant.

Ambros. Chrysost.

Hâc sane de causâ, de eo, cui inest Dei timor (qui toties à diuino spiritu, & initium sapientiæ, & consummata sapientia dicitur Iob 28. 28. Prou. 1. 17. & cap. 9. 2.

Iob. 28. 28. Prou. 1. 17. & c. 9. 10. Eccl. 7. 10.

& c.9.10. Eccl. 7.19. cap.9.10.(à Salomone perhibetur Ecclesiast.7.19. *Qui timet Deum, nihil negligit.* Vbi maximè notandum est, non amori solum (vt superiori annotatione vidimus) sed timori etiam singillatim tribui minimis quibusque erratis nolle succumbere. Sed quare? Plane, quod dum graues in Deum offensas quis timet, leues etiam culpas ex sapientiæ præscripto vitare studeat, ne ab his ad grauiores gradū faciat.
Radul. Deut. 32. Vnde Radulphus in alleg. Tilmanni ad ea verba Deut. 32. *Quo modo si vnus fugaret mille: & duo fugarent decem millia*: dum hos numeros sic distribuit, vt vnum Dei timori, duo verò diuino amori tribuat, sic ait: *Ecce qualis præliator timor Dei, qui non solum nequitias, sed etiam negligentias omnes ante se fugare consueuit.*
S. Pachom. Sub quo etiam sensu S. Pachomius in regul. *Super decem millia quoque pædagogorum, magistrorumque doctrinam timor Domini per cogitationes eiusmodi nos erudiet, prudentesque custodiet*: ac si dixerit, ille nos instituet, velut diligens, ac sapiens pædagogus; & minima quæque, quæ ad peccatum manuducant, vitare docebit.

3. Isai. 11. 3. Ita Isai. 11. 3. illud plenissimè de animo Dei timore occupato dicitur: *Et replebit eum spiritus timoris Domini.* Quod si dixeris, ad quid tam magna timoris supellex, quæ totum animum, totum pectus
Bernard. repleat? Respondet Bern. serm. 54. in Cant. *Qui sic timet, nihil negligit, vnde namque negligentia intret in plenitudinem? Alioquin, quod capere adhuc aliquid potest, plenum non est*: ac si dixerit eam esse perfecti timoris Dei rationem, cū nihil omninò negligitur, sed omnia licet leuissima errata præcauentur. Vnde
Idem. idem Bern. tractat. de ordine vitæ, col. vlt. inquit. *Mens Deo dicata sic cauet minora vitia, vt maiora: quia à minimis incipiunt, qui in maxima corruunt.*

4. Psalm. 63. 1. Hinc Vates Psalm. 63.1. sic Deum orat. *A timore inimici eripe animam meam.* Vbi meritò ambigitur, quid sit non solum ab inimico, sed ab eius timore eripi? Dicunt nonnulli sensum esse, fac ne timeam inimicum. Benè, vt ad vers. 18. adnor. 1. latiùs persequor, sed modò ad rem Hilarius ibi sic capit eam locutionem, ac si dixerit Psaltes, non ab inimico, siue à peccato solum, sed ab iis etiam, ex quibus ipsummet timeri aliqua ratione potest, deprecor me
Hilar. eripias. Sic enim Hilarius: *Deus enim non tunc tantùm orandus est, cum, quæ timentur, ingruerint: sed timenda ea sunt, quæ cum cœperint adesse, dominātur: & semper, atque indefessis precibus orandus est, vt nos à timore eorum, quorum dominatum timemus, eripiat.* Id est, ne in ea, quāuis parua incidamus, ex quibus maiora timeri possūt. Vnde facile videas omninò alienum esse ab iis, qui Deum timent, aliquid eorum, quæ ipse præcipit, prætermittere, siue negligenter exequi. Quare ingens illud est inuenire discrimen inter eos, qui sapienter, & velut in arte periti, & illos, qui stultè, aut ad minus velut tyrones Deum timent; quod inter eos, qui nauticæ artis leges, & naturam callent, & illos, qui eam penitus ignorant, reperitur; vt enim hi non prius tempestatem, aut naufragium timent, quam ventis validissimis vndique sese agitari, iactarique sentiant; ita naucleri, & qui marinæ malignitatis gnari sunt, vel cū leuissimum ventum ex iis, quos infestos experiuntur, excitari sentiunt, vel paruam nubeculam aliunde consurgere vident, vehementi timore conceutiuntur: quippe qui certò norunt fore, vt ventus ille ingrauescat, eaque nubes maximæ subinde tempestatis indicium, siue initium sit. Ita prorsus, qui diuini timoris leges ignorant, & velut tyrones Deum verentur, grauem solum diuinæ legis transgressionem pertimescunt, nec prius sibi opportunè timendum censent, quam cum ipsummet lethale peccatum iam pro foribus adest, nulla de leuioribus aliis habita cura: euenit verò sæpè sæpius iis ob timendi imperitiam, siue vt melius dicam stultitiam: (nā, *dementem puto* inquit Senec. epist. 85. *qui mala imminentia* Senec. *non extimescit,*) vt in ipsummet peccatum, quod timere se iactitant, miserè incidant. Ita tam de Iuda proditore, quam de Iudæis Christo necem inferentibus obseruauit Chrysost. cap. 27. Matth. hom. 85. Chrysost. ideò tantum facinus perpetrasse, quòd minora prius peccata, quæ ad illud velut manuducebant, pro nihilo duxerint. Subdit verò: *Vnde ex paruis maxima fiunt, negligentiā nostrā, hoc ipsum quoque corporibus accidere videbis.* Et statim: *Iudæi quoque, nisi putassent inanis gloriæ delictum minimum esse, vsque ad cædem Christi lapsi non fuissent. Hac via omnia scelera fieri videbis.* Secus quidem, qui cum scientia, & sensu, (vt Paulus ait) Deum timent, dum ex minimis etiam erratis, ex ipsisque peccandi initiis magnam sibi timendi occasionem capiunt. Vnde Hieron. (siue ve- Hieron. tus ille sit, siue putatus) virginem Demetriadem sic monet: *Ibi te maximè oportet obseruare peccatum, vbi nasci solet, statimque ad primam tentationis repugnare faciem & malum antequam crescat extinguere,* reddit rationem nostro proposito aptissimam: *Nec enim expectandum est augmentum eius rei, quæ timeri debet à parua.*

Nec ab hoc (nisi me digiti fallunt) longius it vox, 5.
sinceri, qua notanter ad hanc rem Paulus vtitur, ea enim tacitè innuit à quauis insinceritate, siue impuritate totum animum paulatim infici, & commaculari: cum verissimè dixerit non nemo:

Sincerum sit nisi vas, quodcumque infundis, acescit. Horat.

Quod quidem sensum habet communem cum alia sententia eiusdem Apostoli 1. ad Cor. 5. 6. *Modicum* 1. Ad Cor. 5.6. *fermenti totam massam corrumpit.* Vnde dum monet, vt sinceri sint, simul dixisse videtur: nam si modico alicuius labis fermento infecti sitis, futurū quidem est, vt prorsus commaculemini. Quo omninò facit quod de Saule opportunè obseruauit Nazianz. orat. Nazianz. 7. ad patrem suum præsente Basilio, non alia de causa in malitiæ barathrū fuisse delapsum, quàm quod pristini insinceri, prauique affectus nonnihil retinuerit. Audi illum. *Quid de Saule existimamus? Nam & vnctus est, & spiritum percepit, ac tunc spiritualis erat (non enim de eo secus dixerim) atque etiā prophetauit, &c. Quoniam autem spiritui se totum vtendum non præbuit, nec purè, atque integrè, vt oraculum ferebat, in alium virum mutatus est, sed pristini improbitatis fomitis, prauique seminis nonnihil* (alij codices legunt, *scintilla*) *supererat, atque in eo cum spiritu caro confligebat, quid omnes illius calamitates tragica oratione prosequi necesse est?* Pende illa: *Pristini improbitatis fomitis, prauique seminis scintilla.* Quibus non obscure innuitur magnæ sapientiæ esse omnē prauitatis scintillam extinguere, atque vitij semē prorsus obruere, ingentis verò stultitiæ hæc non curare, *finem ex initio*, vt dicebat Chrysost. *non considerantes.* Similia sunt Bernardi verba in declamat. *Est enim interdum videre nonnullos, qui relictis omnibus abrenunciare sæculo disponentes, cum rectè offerre velint, nolunt diuidere rectè, calliditate humana totos sese diuino committere nutui formidantes, sed reseruantes nescio quid fermenti, vt totam massam corrumpat.* Hinc Idem rursus idem Nazianz. in exhort. ad virg.

Nec verò in vitiis, quidquam paruique leuisque
Ponderis esse putes: qui paruis obuius ibit,
Is nunquam præceps scelera in grauiora feretur.

Ac si dixerit; nam qui paruis obuiam non iuerit, in grauiora dubio procul prolabetur.

Parum autem fuerit vnius Saulis exemplum 6.
in huius rei confirmationem proponere, nisi totius

totius Hebraicæ Reipublicæ omnimodam stragem, hac via decurrentem ex peculiaribus Oseæ,& Isaiæ testimoniis ob oculos lectori iecero. Sed, vt illis viam præmuniam, prius quæso consideres,imò admireris, tam dissimiles populi illius status, quales, & ab Isaia, & ab Ezechiele describuntur; sic enim hic cap. 16. 10. sub Domini persona de tota illa Republ. probis moribus instituta, & ad Dei leges, & nutum aptè composita sub pulcherrimæ sponsæ imagine sic ait: *Et vestiui te discoloribus, & calceaui te ianthino,& cinxi te bysso,& indui te subtilibus,& ornaui te ornamento,& dedi armillas in manibus tuis,& torquem circa collum tuum, & dedi inaurem super os tuum,& circulos auribus tuis,& coronam decoris in capite tuo,& ornata es auro,& argento,& vestita es bysso, & polymito, & multis coloribus: similam, & mel,& oleum comedisti,& decora facta es vehementer nimis,& profecisti in regnum.* Hæc omnia Vates tum de puritate, & fide coniugali in Deum, & animo ingenuo,& regio, qui spe cœlestium bonorum, terrena omnia pedibus protereret, & ad omne opus bonum expeditus esset, & alacer; tum etiam de eximiis beneficiis, & dignitate, quibus à à Deo Respublica illa cohonestabatur,omninò accipienda. At ab hoc tam felici statu, ad quem iam subinde populus ille transierit, sic paulò post idem Dominus ostendit: *Fornicata es in nomine tuo, & exposuisti fornicationem tuam omni transeunti, vt eius fieres.* Et post pauca,*& accidit post omnem malitiam tuam va tibi! va tibi! ait Dominus Deus,& ædificasti tibi lupanar, & fecisti tibi prostibulum in cunctis plateis, ad omne caput viæ ædificasti signum prostitutionis tuæ, & abominabilem fecisti decorem tuum, &c.* Ad quem etiam modum perditissimum hunc populi statum latè descripsere Isaias, & Oseas, sic enim ille,capite 1.4. *Væ genti peccatrici,populo graui iniquitate, semini nequam, filiis sceleratis: dereliquerunt Dominum, blasphemauerunt Sanctum Israel, abalienati sunt retrorsum.* Hic vero, capite 4. 1. *Audite verbum Domini filij Israel,quia iudicium Domini cum habitatoribus terræ, non est enim veritas, & non est misericordia, & non est scientia Dei in terra. Maledictum, & mendacium,& homicidium, & furtum inundauerunt: & sanguis sanguinem tetigit:* Ecce tibi tam ingenti discrimine dissimilem populi illius conditionem,vt posset dicere Vates:

Isai.1.4.

Ose 4.1.

Hei mihi qualis erat,quantum mutatus ab illo.

Dum ille,qui antea fidelissimus, Deoque omninò deuotus postmodum peccatis, & flagitiis cernebatur opertus.

Sed iam quonam pacto ab egregia illa sanctitate in hoc nequitiæ barathrum prolapsus est? Num repente scelera hæc immanissima est aggressus? Apage. Bene enim satyrographus:

Nemo repente fuit turpissimus.

Iuuenal.

Chrysost.

Et Chrysost. omninò similiter in cap. 27. Matthæi hom.87.tom.2. *Nemo repente ad extremam improbitatem insiluit.* Ordinem rei elegantibus verbis aliqua licet difficultate impeditis indicauit non semel Oseas: nam in primis de illius populi principibus sic inquit,cap.5.10. *Facti sunt Principes Iuda, quasi assumentes terminum: super eos effundam quasi aquam iram meam:* quibus in verbis sermonem esse de idololatria, in quam tanquam in alienum terminum ingressi fuissent Principes illi,omnes Patres, & interpretes monent: *Transferunt, & mutant terminos meos*(inquit Theod. Antioch.à quo reliqui mutuati sunt)*& iura,& honorem,qui mihi debebatur,in idola transferentes,more eorum, qui contra ius alienum terminos transferunt.* Sed negotium facessit in hac explicatione illa particula, *quasi*: nec enim ait Propheta, *facti sunt assumentes terminum*, sed,*quasi assumentes*, & verò cum explicare volumus hominem quempiam opus nefarium fuisse aggressum; puta latronem,aut homicidam esse,non solemus dicere factus est quasi latro;sed potius factus est latro,factus est homicida: Quid respondeant interpretes, apud ipsos vide, simulque perpende quam facile, quæ afferunt,possint eludi. Ego sanè contra sentio, his in verbis non tam de impietate idololatriæ,qua Principes illi se corruperant(de hac enim toto illo capite, imò tota prophetia egerat Vates) quam de modo, quo ad ipsam deuenerunt, nimirum paulatim,& quasi per minutissimas partes ipsam suscipiẽdo,sermonem esse,eoque ire opportunam similitudinem illius,qui agrum aliquem possidens,eius terminos in vicini prædij spatium furtim dilatare cupit;is enim,vt voti compos euadat,non semel,aut subitò magnam alterius prædij, aut viæ publicæ partem assumit, ne eo modo iniustitiam ipse suam prodat,sed paulatim, & digitatim suum terminum transfert,& in alienum transmittit. Iam verò dum vnius hodie digiti,cras duorum mensuram elucratur,& sic deinceps: post delapsum tandem aliquod temporis spatium non mediocrem alieni fundi partem occupasse deprehenditur,qua sane imagine ad ostendendam nequitiam in principio paruulam, in dies tamen crescentem, & in peius proficientem, donec in nefarium scelus eruperit,nihil à Propheta afferri potuit elegantius. Fuit enim dicere(ita Vellei.Patercul.lib.1.) *A rectis in vitia,à vitiis in praua, à prauis in præcipitia peruenitur.* Ita prorsus monens virginem dicebat Nazianz. orat. 31. *Ne oculus oculum trahat; ne risus risum; ne familiaritas noctem:ne nox interitum,& exitium. Nam quod paulatim*(alij codices habent,*particulatim*) *attrahitur, ac tanquam surripitur, tametsi eam rationem habeat, vt damnum in præsenti minime sentiatur,tamen in vitij summam occurrit.* Vides paulatim,& particulatim, *assumptum*,siue furto occupatum peccati *terminum*? Audi etiam Gregorium Magnum 3. part. pastoral. admonit. 34. *Qui enim minima peccata flere,ac deuitare negligit, a statu iustitiæ,non quidem repente, sed partibus totus cadit.*

Vell Pat.

Nazianz.

Greg. Mag.

Nec obiter omittam;notanter subiecisse Dominum, *super eum effundam quasi aquam iram meam*: 7.
vt quadam similitudine, & proportione peccato supplicium respondeat. Etenim, vt insigne flagitium paulatim, & particulatim attractum in vitij summam occurrit;ita etiam ira diuina, velut aquæ ingens moles,guttatim congeritur,& coalescit: sic dixit Paulus ad Rom.2.5.*Thesaurizas tibi iram*, id est,velut thesaurum paulatim comparas: opportuniùs Beda,inquiens,*guttatim*,iram Dei conflari.Ergo in eos, qui quasi assumentes terminum particulatim grande peccatum attraxerunt;ira Dei guttatim comparata,velut aquæ inundatio, siue torrens multis imbribus,& niue exasperatus cumulatissimè effunditur.

Ad Rom. 2.5.

Quod verò de Principibus prædictis verbis subobscuriùs dixit Oseas, enucleatius subinde de tota Ephraim familia sic expressit.*Calumniam patiens est Ephraim,fractus indicio, quoniam cœpit abire post sordes*: vbi clarius septuaginta,Theophylact.Theodor. & Græci transtulerunt: *Oppressit Ephrem aduersarium suum,conculcauit iudicium,quia cœpit abire post vana.* Sed illic in primis notandum nonnihil antilogiæ ad speciem esse inter has duas lectiones; dum nostra, Ephraim personam patientem,& oppressam,*calumniam* (inquit) *patiens est Ephraim*: LXX. vero ipsam personam agentem, & aduersarium suum opprimentem faciunt: *Oppressit Ephraim* 8.

Osea 5.10.

Theodoret. Antioch.

Osea 5.11.

Ephraim aduersarium suum. Sed ad manum est responsio, sermonem esse de victoria, quam peccator aduersus Dei impulsus, & inspirationes, necnõ contra omnes, quæ ne peccarent, ei occurrebant difficultates, & impedimenta, de lege Dei retulit, eam, vt illiciti voti sui compos euaderet contemnens, & velut pedibus proterens: quod verò ipse victoriam, & egregiũ facinus demens putauit, id apud Deum, qui verus nomẽclator est summa miseria, & casus, calumnia, & iniuria ipsimet Ephraim illata cẽsetur, vt sit sensus, ô miserum Ephraim, qui dũ victorem, & florentem te putas, victus, & oppressus es! Habet autem peculiarem emphasim ille dicendi modus, *oppressit Ephrem aduersarium suum*, quasi in eam improbitatem, & peccandi licentiam insilierit, vt Dei legem pro infestissimo sibi hoste haberet: ita
Theoph. penè Theoph. ibi: *Ephraim planè malam victoriam retulit, etenim vi, veluti hostem deuicit legem meam, quam odit:* quod apertiùs interpretans dixit, *conculcauit iudicium.* Iam ad rem obserua rationem: cur Ephraim tã insigniter improbus euaserit. *Quoniam cœpit abire post sordes,* id est, quia primum in peccati sordibus passum posuit, nec pedem retulit; at, quæ eæ sordes? Minutæ quidem: ita Lxx. *Cœpit abire post vana:* sic enim capio vana ex Isaiæ testimonio statim afferendo. Ergo qui post minimas sordes cœpit abire, nec gradum reuocauit, tandem diuinam legem tanquam hostem auersatur, Deique iudicia cõtem-
Chrysost. nit, & pedibus proterit. Ita Chrys. hom. 12. in ep. ad Ro. col. pen. *Propterea exhortor, inquit, vt caueamus, vel pusilla fugientes mala; nam magna ab his nascũtur: etenim, qui vnoquoque peccato dicere edoctus est, non in hoc positum est salutis momentum, is pedetentim omnia pessumdabit.* Iã verò præfatam expositionem, & to-
Isai. 5. 18. tam sententiam sic confirmat Isai. 5. 18. *Væ, qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis, & sicut vinculum plaustri peccatum;* quæ verba de erratis pusillis, quæ in principio non minus leuia sunt, quam fila vanissima, id est, subtilissima, postmodum verò aliis, & aliis adiunctis euadunt fortia, vt rudentes, & vincula plaustri, quæ fortissima sunt, & durissima. Sic accepit Chaldæus, væ qui incipiunt pusillum peccare, trahentes peccata in funiculis vanitatis, augentur, & crescũt donec fortiora facta sint, & quasi vinculum plaustri peccata. Similem explicationem huius loci inuenies apud Hieron. ibi, & apud Rabb. Akiba in Petr. Galat. dum Hieron. initia peccati cũ aranearum telis, finem verò cum solidissimis vinculis: Rabbinus verò cum filo bõbycino, quod subinde nauticus ru-
Chrysol. dens efficiatur, componunt. Sed illud ad Oseæ gustum omninò est, quod notauit Chrysol. in gradibus illis à Vate descriptis Psal. 1. *Qui non abiit in consilio impiorum, & in via peccatorum non stetit,* &c. Quasi qui cœpit abire post sordes, non sistat vsq; ad summum. Audi illum serm. 44. *Et si natus homo, & mox peccatorum venit in viam, iacet tamen primum; non mox peccati currit in viam, sed vbi cœperit impietatis venena gustare, tunc saporem trahit de pinguedine peccatorum:* ac si diceret eum, qui aliqualẽ peccati gustum cepit, nec statim correctus est, sic subinde peccatis assuefieri, & delectari, vt ad grauiora inhiet, & quo turpiora fuerint, maiorem illi voluptatem, & suauitatem afferant.

9. Et verò pro hac re opportunissimus Prouerb. lo-
Prou. 13. 13. cus, c. 13. v. 13. *Qui detrahit alicui rei, ipse se in futurum obligat, qui autem timet præceptum, in pace ver-*
LXX. *sabitur.* Pro quibus Lxx. reposuerũt. *Contemnẽs rem, contemnetur ab ea; timens autem mandatum, hic sanus erit.* Ex qua translatione, præsertim ex interpretatione Basilij in reg. fusiùs disp. interrog. 4. manifestũ est agi de iis, qui minora peccata contemnentes, in grauiora decidunt: sed est operæ pretium Vulgati verba in hanc sententiam expedere; nam difficultatem continet hæc locutio: *Qui detrahit alicui rei, ipse se in futurum obligat:* vnde variæ illi ab interpretibus explanationes adhibentur. Ego in primis eam orationis partem: *Qui detrahit alicui rei,* omninò capio cum Salazario nostro sic acutè exponẽte, id est, qui Salazar. de re illa, quæ lege cauetur, aut demãdatur, aliquid excipit, quominus totam expleat; sed quid est, *ipse se in futurum obligat?* nolo accipere de obligatione soluendi pœnas in futurum, quòd frigidè, nec ad mentem Lxx. dicatur. Ergo sensus est, qui legis Dei obseruationi aliquid demit, hoc est, minora peccata committit, in alia denuo grauiora, quasi obligatus propendet. Sed quæ hæc necessitas, aut obligatio, quam sibi is imponat? Nõ est sermo de obligatione strictè sumpta, siue de necessitate libertatis, & arbitrij; sed de propensione quadam, & affectione, qua leuibus peccatis assuetus in grauiora præceps labitur, ad eum modũ, quo primum quis in præcipitio gradum ponens vix reuocare se, & pedem referre valet, quin quasi obligatus ad sequentes gressus, ab ipso præcipitio protrahatur: *Non enim ibi consistunt exempla* (verba Velleij Paterc. lib. 1.) *vbi cœperunt, sed* Vell. Pat. *quemlibet in tenuem recepta tramitẽ, latissimè euagandi sibi viam faciunt; & vbi semel rectò deerratum est, in præceps peruenitur.* Equidem Greg. Nazian. orat. 43. Gregor. Nazianz. vbi encæniorũ occasione de interioris hominis renouatione agit, sic enucleatissimè hoc sensu ait: *Si vel tantillũ à ratione deflexeris, ad te ipsum redi, priusquam penitùs excidas, & in mortem proruas, atque ex veteri nouus efficere, animaque encænium celebres:* ac si pro certo ducat Theologus ei, qui semel à rationis præscripto, vel tantillũ deflexit, necesse omnino esse, vel pedẽ referre ad pristinã integritatẽ, & rectitudinẽ se statim recipiendo, vel in certã animæ mortem præcipitẽ ruere; quasi nihil ferè mediũ sit inter primã à virtute deuiationẽ, nisi statim quis ad se redeat, & extremũ casum. Vbi denuo pẽde illud, *in mortem proruas,* quod omninò exprimit sententiã, quã persequimur sub præcipitij imagine; eã verò egregiè illustrat Cic. Tusc. 5. inquiens. *Qui modũ vitio quærit,* Cicer. *similiter facit, vt si posse putet eũ, qui se è Leucade* (promontorium est Acarnaniæ valde præruptum) *præcipitauerit, sustinere se cum velit; vt enim id non potest, sic animus perturbatus, & incitatus, nec cohibere se potest, nec quo in loco vult, insistere omninò.* Et paulò post: *Perturbatus ipse se impellit, vbi semel à ratione discessum est.* Et inferiùs. *Vitia sunt in lubrico, incitataq; semel in procliue labũtur, sustinerique nullo modo possunt.* Adstipulatur Sen. ep. 97. inquiens: *Ad deteriora faciles sumus: quia nec dux potest, nec comes deesse, & res* Senec. *etiam ipsa, sine duce, sine comite procedit; non pronum tantum est iter ad vitia, sed præceps.* Perpende illud: *Res ipsa, sine comite procedit:* id est, nescit gradum sistere, sed à primis ad vltima progreditur. En quid sit, *ipse se in futurum obligat.* Quod si eam obligationem plusculum (sano tamen sensu, vt dictũ est) velis premere: audi Faustũ ex Abbate Lyrinensi Episc. Rhegiens. in instruct. ad Monach. to. 2. Bibl. Vet. Pat. non Faust. Rhe. calamo, sed penicillo hæc ita depingentem. *De his verò, qui dũ primas negligẽtias prætermittunt in alias, atque alias semper incurrunt, ita ait Sapiens.* Peccator adiicit ad peccandum, *Eccl. 3. 29. Videamus quid est* Eccl. 3. 29. *peccator, adiicit ad peccãdum, verbi gratia, cuiuslibet, vt puta, obtrectationis passio si me impugnare cœperit, si non statim me pœnitudo huius vitij cœperit, cras tanta mihi huius vitij facultas veniet, & quadã, vt sic dixerim, suauitas, vt reuocare me ab illo, & continere non possim. Ita enim eueniet, vt qui primo tempore emendare se nolit, incipiat in sequenti, nec velle, nec posse.*

10. *Isai.1.4.* Nec alius subest sensus illis verbis Isai.1.4.superius adductis: *Væ genti peccatrici, populo graui iniquitate*, &c. dum subdit Vates. *Vulnus, & liuor, & plaga tumens, non est circumligata, nec curata medicamine, nec fota oleo.* Nam his verbis rationem videtur reddere, cur ea perditæ plebis vulnera adeo grauia, & periculosa extiterint, nimirũ, quod cũ leuia essent, & parua; nec vittis ligata, nec oleo fota fuerint, id est, quod leuia errata contempta fuerint, & nihili facta, nec illis adhibita pœnitentiæ medicina: atque ideò ad mortem tandem peccauerint: habet enim, si attendis, hãc vim, *olei* metaphora; illud enim non tam ad grauiorum, quàm ad leuissimorũ vulnerum medicinam solet adhiberi: vnde innuit Vates leue priùs, & velut acie punctum illud vulnus fuisse, cui facilis olei medicina; vel alligatio fortè sola satis esset; at enim verò, quod hæc admota non fuerit, in tantam excreuisse perniciem, vt tandem populus ex vulneribus mortuus fuerit. Cui quidem imagini

Chrysost. innixus Chrysost. orat. de anima, tom. 5. & in cap. 1. epist. ad Galat. inquit. *Sicut in corporibus ij, qui vulnera negligũt, febres, & putredinem, & mortem sibi pariunt; ita & in animis, qui ad parua peccata cõniuent, maiora inducunt.* Similiter Senec. epist. 85. huic rei

Senec. intentus: *Adijce nunc, quod ista, quantumuis exigua sint, in maius excedunt: nunquam perniciosa seruant modum, quamuis leuia initia morborum serpunt, & ægra corpora minima interdum mergit accessio.* Addo

Nazianz. Nazianz. in exhort. ad virg. vbi cum dixisset:

Et succo exiguo densatur copia lactis,
Ac lapidem si quis tranquillas iaciet in vndas,
Præclaros turbat latices, mutatque colorem,
Multiplicesq; orbes summa nascuntur in vnda.

Subdit:

Quin etiam paruo liuescit vulnere totum
Corpus, & ingentes subeunt, cruciantque dolores.

Seneca. Sed rursus Sen. in consl. ad Mar. c.1. *Vulnerũ quoque sanitas facilis est, dum à sanguine recentia sũt: vbi corrupta in malum vlcus venerunt, difficilius curantur.*

11. Quò etiam referas ea Christi verba annot. præced. elucidata, *iota vnum, aut vnus apex non præteribit*

Matth.5.18. *à lege, donec omnia fiant.* Matth. 5.18. vbi cum de exactissima diuinæ legis obseruatione sermo sit, vt annot. 2. vidimus, illud modò obseruandum, vt Vulgatum interpretem, Græcum, *iota*; ita Syriacum; Hebræum, *iod*, reposuisse, diuersa vtriusque litteræ significatione, sed eodem omninò sensu: *Iota enim*

Paschas. (verba sunt Paschas. lib. 3. in Matth.) *apud Græcos, sicut decima est in ordine alphabeti, sic decem significat in eorum numero. Iod* verò, vt ibidem idem Paschasius explicat, significat desolationem. Quare tam ex Christi instituto ad accuratam legis custodiam vrgentis, quam ex harum literarum significatione, cum sensum elicias, in minimo quouis præcepto totam quodammodo legem contineri; imò, & totam etiam ex leuium præceptorum transgressione desolatam iri: *dum à minimis incipiũt*, vt monebat Bern. *qui in maxima corruunt*; &, *qui detrahit alicui rei, ipse se in futurum obligat*: eaque de causa dixisse Dominum, iota vnum non esse prætereundum, quod non leuiter timendum sit, ne ad leuium mandatorum transgressionem legis totius dissipatio subsequatur. Firmant hanc cogitationem, quæ sequuntur. *Qui soluerit vnum de mandatis istis minimis, minimus vocabitur in regno cœlorũ*, præsertim iuxta frequentiorem patrum interpretationem, qui regnum cœlorum de æterna beatitudine capiunt: nec enim dixit Christus: qui non seruauerit, aut qui fregerit, sed signatè, *qui soluerit*, adhibita imagine dissoluendi, quæ colligata sunt, iuxta quam nõ secus, ac cum plura vno sunt vinculo colligata, idem est, vnum ac omnia soluere, ita innui videtur, à leuium mandatorum solutione in omnimodam dissolutionem deueniri. In quam sententiam hæc scripsit Chrys. ho. 14. *Chrysost.*
in ep ad Ephes. *Ne dicas nihil est, propterea magnum est malum, quoniam nihil esse videtur, nam quæ nihil esse videntur, facilè contemnuntur, quæ autem contemnuntur, etiam augentur, quæ autem augentur, sunt incurabilia.* Rectè omnino, nã vt citato loco dicebat Plutarc. *Si in id, quod est minimum, semel ingressa fuerit scelerum peruersitas, licentia concessa patrandi ea, ad quæ alioqui sumus propensi, corruere nimirum, & contaminari simul reliqua animi bona necesse est.* *Plutarch.*

Hinc verissimè à Theologis cum D. Thom. 1.2. 12. *S Thom.*
quæst. 88. art. 3. dicitur peccatum veniale dispositionem esse ad mortale, sic ibi rationem Angelico Doctore reddente: *Qui enim peccat venialiter ex genere, prætermittit aliquem ordinem: & ex hoc, quod consuescit voluntatem suam in minoribus debito ordini non subiicere, disponitur ad hoc, quod etiam voluntatem suam non subiiciat ordini vltimi finis, eligendo id, quod est peccatum mortale ex genere.* In quæ verba Caiet. hæc addit: *Quia quasi auersio disponit auersionem, quæ tollit subiectionem voluntatis ad Deum.* *Caiet.*
Vnde ad finem articuli sic monet: *Et hinc habemus, quantum à venialium consuetudine cauendum sit, cum tot modis, & illis periculosis disponant ad mortale, propter quod frequentibus contritionibus, non superficie tenus singula, secundum suas species distinguenda sunt, ne habituatis nobis in illis occurrentes tentationes animos dispositos propinquè ad mortale inueniant.* Hæc omnia, sed præsertim allatam sancti Thomæ rationem, duobus tantum, sed opportunissimis Ecclesiastici verbis confirmo: sic enim ille cap. 23. *Eccl.23.19.*
19. *Assiduitate infatuatus*: quibus bellissimè expressit assuetudinem infatuare mentes, nimirum, vt ea perpetrent, quæ ipsimet homines nisi assiduitate infatuati essent, maximè horrerent, à minimis videlicet ad maxima quæque transitum facientes, quod his illa leuissimè congruerent. Quam sit autem id certum volo discas ex exemplis: quid in matrona leuius, quam naturalem oris colorem fucato nitore adulterare? Quidue grauius, quam totum corpus prostituere, & adulterari? Sed tamen, vel ex nominis communione, ab illo ad hoc itur: sic Am- *Ambros.*
bros. lib. 1. de virginibus: *Hinc illa nascuntur incentiua vitiorum, vt quæsitis coloribus ora depingant, dum viris displicere formidant, vt de adulterio vultus meditentur adulterium castitatis.* Deinde quid minutius, quam minutula surripere? Quid flagitiosius, magisve horrendum, quam pecuniis Christum diuẽdere? At tam leuiter initiatus in hoc barathrum Iudas se proiecit, sic id obseruante Chrysost. hom. *Chrysost.*
83. in Matth. *Sic in Iuda maximum proditionis malum exortum est. Nisi enim puta et parum esse pecuniam inopum surripere, in tantam proteruiam non deuenisset.* Addo, quod magis mireris, Quid leuius? imò vero quid innocentius, quam falsis diis maledicere? Sed sane ne ex assuetudine maledicendi illis, ad maledicendum Deo vero transitus fieret, ipse peculiari lege cauit ne falsis diis malediceretur, Exod. 22.28. vti id obseruauit Cyril. Alex. lib. 19. in Ioan. *Cyrill. Alex.*
c. 19. his verbis: *Nam si quis Deo quamuis falsò maledicat, gradum fecisse videtur, vnde ad Deũ blasphemandũ facilius ascendat, ideò alibi dicitur.* Deos non maledices. Vides quomodo assiduitas infatuet, & à minimis in maxima quæque deueniatur? Audi ergo rursus Faustum Rhegiensem supra citatum sic scite hæc confirmantem: *Verbi gratia superbiæ acquiescere cœpi, regulam violaui, seniorem læsi, iuniorem destruxi: si non statim me pœnituit, grauiter me fuisse præuentum, iam de die in diem libentissimè me rapiet ipsa* *Faust.*

violentia

violentia consuetudinis, & impetus passionis, vt iam nec delinquere me intelligam, nec peccare me sentiam, obscurat enim, atque obruit intellectum delicti assiduitas delinquendi.

13. Iob 4. 11. Quam etiam ad rem signatissimè facit peccatum apud Iob c. 4. 11. formica-leonem, siue myrmicoleonem appellari: vocabulo ex formicæ, & leonis nominibus compacto; nam vbi nos habemus, *tigris periit, eo quod non haberet prædam.* LXX. & Græci patres legunt, *myrmicoleo periit, eo quod non haberet escã.* Sed quæ hæc compositio? siue compactio inter tam diuersa extrema? Potuit ne elegantior chimæra excogitari? Sanè non chimæra, sed natura, nec extremorum diuersitas, sed omnimoda similitudo est: etenim ea est peccati natura, vt à minimis principiis in enormia, & immanissima extrema paulatim excrescẽdo deueniat, id sic excogitante S. Nil. in Ascetico, to. 5. Bibl. vet. Pat. *Cum enim cupiditatum, & vitiorum insidias indicare vellet magnus Iob, ex audacissimo leone, & animalium omnium abiectissimo formica vocabulum composuit: nam impetus cupiditatum ab abiectissimis cogitationibus incipiunt, & formicarum more sensim repunt, paulatim autem in eam crescũt magnitudinem, vt cuilibet non minus, quam leones terrorem, atque periculũ afferant.* Vnde statim sic opportunè monet: *Quamobrem oportet, vt strenuus pugil, tunc cũ cupiditate luctetur, cum accedens veluti formica vilem escam suggerit, nam si leonis magnitudinem, & robur assecuta adoriatur, maxima cum difficultate superabitur.* Et inferiùs: *Pabulum ergo est detrahendum.*

14. Satis quidem id nouerat Dauid, qui cum ardentiùs Bethleemiticam aquam concupiisset, eique ab egregiis belli ducibus non sine ingenti vitæ discrimine esset allata; ipse *noluit bibere.* Quo in loco non nemo dixerit: *Vt quid perditio hæc?* Ita ne sapiẽs Rex singulare suorum obsequiũ pro nihilo habeat? Vel ideò ardenter, rem sibi licitam, & necessariam exoptet, vt adeptam nihil faciat? Promptum ne id è Regum genio, & moribus? Quorum *voluntates* (Sallustius in bello Iugurth.) *vt vehementes, sic mobiles, sæpè ipsæ sibi aduersæ.* Minimè quidem, sed alia sapientis Regis mens, alius animus, qui malo suo expertus, à rectis in vitia, & à minimis in maxima quæque deueniri, eamque cupiditatis naturam esse, vt à minutissima formica in ferocem leonem excrescat, dum sensim repens, quas inuenit escas, indesinenter depascit, à re tam concupita voluit abstinere, ne ab illa licet honesta ad aliam turpem, & improbam concupiscentiam gradum faceret, id sic obseruante Chrysost. hom. 1. in Psalm. 50. *Vides quomodo castigatus de priori concupiscentia, postmodum cautior est factus, & qui corpus adamauerat, & ruerat, aquam desideratam, & necessariam, & sitiens bibere noluit victor sui factus. Victum iam se erubuerat Dauid abstractus, & illectus à concupiscentia sua, noluit proinde se credere desiderio, noluit sibi satisfacere. Timuit latentes insidias: horruit appetitum etiam habitu, & specie vere necessitatis, ne incurreret in deceptionem.*

Sallust. Chrysost.

ADNOTATIO V.

Eam peccati naturam esse, vt continuo, & insensibiliter crescat, eadem vox, sinceri, *manifestat.*

1. 1. Ad Cor. 15. 33. SI vox hæc, *sinceri*, qua Paulus vtitur, consentanea (vt ego reor) est similitudini illi fermenti, de qua 1. ad Corinth. 15. 33. Paulus, *nescitis, quia modicum fermenti totam massam corrumpit*, rectè hinc infertur, quam prona ad peccandum, quamque procliuis ad progrediendum in scelere humana natura sit, vt enim modico fermento grandis massa inficitur, eius gustum, quasi sibi innatũ, ac connaturalem in se tota recipiens, & amplexans, ita cum ex paruis initiis, maxima peccata concipiantur, facile videre est; tum, quam propenso animo ad peccata homines prolabantur, quãque libenter apud se malitiam recipiant: tum vel maximè, quam paucis adiumentis peccatum, siue cupiditas egeat, vt progrediatur, & naturali, (vt ita dicam) modo vsque ad extremã perniciem in dies excrescat, vti dicebat Seneca superius allatus, *res ipsa, sine duce, sine comite procedit*: vnde ea modo exempla afferre placet, in quibus non solum obserues, quomodo à minimis ad maxima quæque deueniatur, sed etiam, quam facili cursu, & quasi id rerum naturis exigentibus, hoc malum eueniat. Senec.

Sic quidem in primis Oseas c. 10. 1. plebẽ illam, quam superius tanto peccatorum sanguine pollutam dixerat, cum vite palmitibus, & fructibus luxuriante ad hunc modum componit: *Vitis frondosa Israel, fructus adaquatus est ei, secundum multitudinem fructus sui multiplicauit altaria, iuxta vbertatem terræ suæ exuberauit simulachris*: quæ verba appositè ad hanc rem, sic legit Theophylactus: *Vitis palmites, ac gemmas proferens Israel fructus eius abundans: iuxta multitudinem fructuum suorum multiplicauit, iuxta bona terra suæ ædificauit columnas*; quæ eò eunt, vt significent peccandi licentiam, & flagitiorum vbertatem, quibus populus ille non secus, ac fertilissima vitis, palmitibus, & racemis onusta abundabat; ita aras, & columnas, explicante Theophylacto: *At qui inseruiens affectibus cuilibet forsan horum altare constituit, exhibens membra sua, serua iniquitati, ad iniquitatem.* Et statim: *Columnas etiam erigit, impermutabilem in quolibet affectu prauum habitum*: vbi iam vides vberrimos, satisque maturos impietatis fructus, peccata nimirum, vt marmoreæ columnæ, & dura, & firmiter fundata; iam obsecro ad tantæ cladis radicem oculos conuertas, ecce illam: *Vitis palmites, ac gemmas proferens Israel*: ergo à gemmis, & calculis illis, quam minimis non sublatis, cũ primum sunt exorti, tam maximi peccatorum partus excreuerunt, maturuerunt, & obduruerunt. Vnde Chrysost. ho. 87. in Matth. *Nam etiamsi ad maiora prima non progrederentur peccata, non esset tamen negligendum; nũc verò per istam iniuriam gradatim semper ascendunt, quapropter omni studio, atque opera funditus principia peccatorum sunt euertenda: non enim vim delicti solum consideres, neque quia paruum sit cogites, sed illud præcipue tene, quia si radicem nõ euulseris, magnum inde peccatum succrescit.* Obserua illud: *Radicem non euulseris*, quasi peccati initium non res emortua, siue immobilis, sed radix viuens continuos peccatorum fructus indesinenter pullulatura sit: Audi etiam Nazianzenum citato loco:

2. Ose. 10. 1.

Theoph.

Chrysost.

Nazianz.

Quisquis, vel tenuem radicem criminis in se
Excipit, innumeros nam paruo tempore ramos,
Hinc, atque hinc extenta solet diffundere radix.

Est huic persimilis, & vterina eiusdem Vatis sententia eodem c. 10. vers. 5. vbi rursus in flagitia plebis sic inuehitur: *Vaccas Betauen coluerunt habitatores Samariæ*; sed obserua difficile illud esse; idolum Samariæ sub vaccarum nomine appellari, cum id in primis non vacca, sed vitulus: deinde non duo, sed vnus tantum fuerit, vt ex eodemmet Vate mõstrum illud passim vitulum appellante, constat. Ita c. 8. 5. *Proiectus est vitulus tuus Samaria.* Et ver. 6. *Quoniam in aranearum telas erit vitulus Samariæ.* Imò verò idolum illud non in totam vituli effigiem, sed in caput tantum vituli fuisse efformatum frequentior patrum opinio, Hieronym. Ruffin. Rupert. Bed. Ambrof.

3. Osea 10. 5. Osea 8. 5. Hieron. Ruffin. Rupert. Beda.

Ambros. August. Riber. Ambros.& August. apud Riberã, est. Quî ergo hoc loco induitur idolum alio sexu, alio numero? Dixeris rationem discriminis ab effectu sumendã; quod cum diutiùs animo vitium aliquod dominatur; adeò eius vires infringit, ac emollit, vt illum è masculo fœmineum reddat. Bene sed enim ego potius crediderim, ideò vitulum, seu caput vituli in vaccam fuisse mutatum, quod dum peccatum caput, hoc est, initium in animum intromittit; nec illud statim *Ps. 137. vers. vlt.* ad petram allisum est, iuxta Psal. 137. ver. vlt. monitum; è vitulo paulatim non tantum in taurum ferocem excrescit, sed etiam in vaccam, quæ nōuos *Chrysost.* quotidie impietatis fœtus pariat. Ita Chrysost. in Ps. 6. *Quando paruam anima perturbationem susceperis,* *S. Ephr.* *ne eam neglexeris, quod parua sit, sed considera quãta mala pariat.* Similiter S. Ephrem serm. Asc etico: *Passiones in anima ex minima causa generantur, & non exterminatæ infinitam quandam pariunt rerum diuinarum, propriaque salutis despicientiã.* Vides vac*Nyssen.* cam nouos fœtus parturientem? Sed pro cap. vituli audi etiam Nyssenum ho. 4. in Ecclesiasten. *Quamobrem caput eius obseruare iubet praeceptor virtutis; initium vitij caput nominans, quo non admisso, id quod restat, est irritum, & inefficax. Qui autem vitij initium admisit, totam in se simul admisit bestiam.*

4. *Chrysost.* Ab hoc non it simile à Chrysost. hom. 5. de pœnit. excitatum, & expeditum dubium: cur videlicet cum primùm impia illa plebs vitulum ab Aaron conflatum adorauit temerè, exclamauit: *Hi sunt dij* *Exod 32. 4.* *tui Israel, qui eduxerunt te de terra Ægypti.* Exodi 32. 4. *Vnus factus est vitulus* (inquit Chrysost.) *& clamat ingratus populus. Hi dij tui Israel: hi dij. Vnum respiciens; respiciens vitulum vnum factum. Quare igitur hi dij?* Subdit Chrysost. *Vt ostendat, quod non modò eum, quem videt, adorat, sed & deorum pluralitatem annuntiat, sententiam interpretatur, non quod videtur, indicat.* Quasi dicat, cum semel à Deo anima aberrat, & idolum aliquod erigit, in præcipiti sanè res est, nec sistet ibi, sed alia deinceps plura apud se obuiis manibus suscipiet.

5. Præuisum sanè, & cautum id antea à Deo peculiari monito (si plebi illi mens nō læua fuisset) dum ante eorum oculos in Ægypto, & primogenita occidere, & Hebræorum limina sanguine linire iussit. *Nyssen.* Sed quorsum? Audi Nyssen. *Primogenitorum nece, & postium per sanguinem custodiã discamus, & illinc primas vitiorum appetitiones tollẽdas, & hinc primum vitiorum aduersùs nos aditum per verum agnum repellendum esse intelligamus. Non enim ingressum percussorem eiicere, sed ne omninò subingrediatur, cauere lex iubet.* Sed quare? Videtur quidem respondere *Senec.* Senec. epist. 116. dum ait: *Non obtinebis, vt desinat, si incipere permiseris: imbecillis est primò omnis affectus; deinde ipse se concitat, & vires dum procedit, parat, excluditur faciliùs, quam expellitur. Ergo intrantibus resistamus, quia faciliùs, vt dixi, non recipiuntur, quam exeunt.* Subdit opportunè: *Aliquatenus, inquis dolere, aliquatenus timere permitte, sed illud aliquatenus longè producitur; nec vbi vis, accipit finem.* Expende hic nonnulla, & illud in primis: *Vires dum procedit, parat*, ac si dicatur, nunquam non crescit vitulus, cum primum caput immisit, ideò omnino præclu*Nazianz.* dendæ fores. Ita Nazianz. orat. in plag. grand. *Ne demus affectibus tempus, nec fores altercationibus reseremus:* id est opprimendum statim peccati semen; aliàs quantum temporis, tantum virium, ac roboris habebit; nam ad famæ morem, *vires adquirit eundo.* Deinde illud, *Nec vbi vis, accipit finem*; quod, vt eo modo intelligẽdum, quo arbitrij facultas salua maneat, ita de suaui quadam vi, quæ animum fortissima blanditie allicit, pellicit, vellicat, frangit, non immeritò capias. Sic diserte S. Nilus in Asc etico: *Quã-* *S. Nilus.* *obrem initio prauis cogitationibus non est patefaciendus aditus ad animum, neque permittendum, vt in Ægyptum reuertatur; illinc enim ad Assyrios vi pertrahitur. Nam si ad tenebrosas immunditiæ angustias animum demiserit cogitatio, vt deinceps à cupiditatibus ad vitia pertrahetur.* Subdit eleganter: *Idcirco legislator voluptati per figuram aditum occludens, serpẽtis caput obseruare iussit, quando & ille calcaneum obseruat.* Quod sic capio, serpentem, cum caput immittit, non tam initium, quam calcaneum, id est, finem intẽdere. Ideo nos admoneri, vt calcaneo, hoc est, prouida finis consideratione, caput, siue initium peccati opprimamus. Quo facit similis Ambrosij super ser- *Ambros.* pentem speculatio, epist. 42. *Non immeritò sanctus Moyses delectationem serpentis figurauit similitudine: prona est enim in ventrem, sicut serpens, nullis eleuata cruribus, sed sinuosò flexu, totius velut corporis sui lubrica:* ac si dixerit, cum primum caput immittit, ferè peracta tota res est, lubricum enim corpus statim in procliue labitur, facilique negotio sese insinuat.

A præfatis verò imaginibus non longius it ignis 6.
similitudo, quam in hanc sententiam versant Patres: etenim, vt vitis, & vaccæ metaphoræ nō solùm ostendant à minimis peccatis in maxima deueniri; sed non secus, ac si naturali cursu, & rerum naturis exigentibus, id euenire, ad eum modum, quo vitulus, & gemmæ vitis, se ipsis, & natura sua crescunt, donec ille in taurum ferocem, siue vaccam parturientem, hæ verò in palmites fructus vberes ferentes euadunt: ita peccatum cum igne compositum ostendit eam eius naturam esse, vt fortius se quotidie armet, & vt ille ignem, ita hoc animam indesinenter depascat. De quo sic disserit in primis Chry- *Chrysost.* sost. orat. aduers. Gẽtil. *Quemadmodum in materiam aridam cadens scintilla, statim accenditur, nec subsistit, donec, quod reliquum est, depascat, fortius se armante incendio, sic & natura peccati procedens vlterius peior semper fit, magisque indomita.* Similia habet hom. 12. in epist. ad Rom. Deinde eandem metaphoram sic versat Nazianz. in tetrasticis: *Nazianz.*

Scintilla magnam parua flammam concitat,
Semenque pestem vipera sæpè attulit,
Id cum scias, & paruulam labem fuge,
Discrimen ingens namque gignit paruula.

Cui cogitationi valde congruit obseruatio Plutar- *Plutarch.* chi in politicis, maxima sæpè sæpiùs incẽdia ex minimis causis initium sumpsisse. Sic enim ille: *Enim verò incẽdia non sæpè de sacris publicisque ædibus initium sumunt, sed sæpè ex domuncula, lucerna parumper neglecta, ingens erumpit flamma, vel ignis sensim conceptus palea: deinde, & fomentis refocillatus mirum in modũ ardere incipit, & primis quibusque correptis, longiùs serpere, & maximam stragem dare; quamobrem Principem ciuitatis, & virũ ciuilem oportet eiusce modi futuræ cladis initia nihilo segnius præuenire.*

Iam sub aquæ similitudine idem sic monet Ec- 7. *Eccl. 25.34.* clesiast 25. 34. *Ne des aquæ tuæ exitum.* Sed quid est *Mart. del Rio.* aquæ exitum dare? Respondet Martinus del Rio ibi: *Monemur nequitiæ omnes rimas obstruere, sicut aquæ nulla rima permittenda.* Certè maximas naues (vt imaginem vsurpem, quam August. epist. 108. & *August. Bonau.* Bonauent. proces. religion. 5. c. 10. latiùs prosequuntur) per paruam rimam eam aquæ molem solent excipere, ob quam necessario naufragium faciant. Quare animam peccati expertem sic cōponit Am- *Ambros.* bros. serm. 4. in Psalm. 118. cum lignis cedrinis, & cupressinis, quæ cariem non sentiunt, de quibus *Cant. 1.* Cant. 1. *Anima ergo corrumpi nescit, quæ florentibus membris viget semper iustitia, cæterarumque virtutum culmina patienti magnanimitate sustentat, & ideò*

non

non defluit, neque deficit; *quia nihil in ea rimosum est, atque remissum, nihil mobile, nihil lubricum.* Vbi vides ideò iustitiæ, & virtutum culmina in anima subsistere, quod nulla in illa rima sit; aliàs ea omnia per rimam casura, & itura in præceps. sic dicebat Senec. epist. 85. *Quomodo oculos maior, & perfecta suffusio excæcat, sic modica turbat; si das aliquos affectus sapienti, impar illis erit ratio, & velut torrente quodam auferetur*: quo mirificè facit ea ratio August. tract. 1. in epist. Ioan. *Ista leuia, quæ dicimus, noli contemnere; si contemnis, quando appendis, expauesce, quando numeras.* Sed cur ad numerum nobis expauescendum? Num, quod ex pluribus venialibus mortale vnum effici queat? Minimè. Sed primùm, quod tot aquæ guttis proxima nauis clades, siue tot peccatis minimis proxima in grauius ruina sit, vt bene sub hoc sensu capit August. S. Thom. 1. 2. q. 88. art. 2. Vnde placet componere hanc Augustini vocem cum illa, quam vafer quidam comicus coram Maximino Imperatore, in eius odium, sic populo malignè, & subobscure dedit apud Iulium Capitolinum; in Maximino. *Elephas grandis est, & occiditur; leo fortis est, & occiditur; tigris fortis est, & occiditur, cauete multos, si singulos nō timetis.* Scitè quidem; vt enim plura mala sigillatim sumpta animosè non expauescas, at non potes non prudenter expauescere, si ea in cumulum congesta videris. Deinde non est cur hunc cumulum non expauescas, quando turpe est pluribus, iisque diuersis defectibus, obnoxium hominem esse: iique summa difficultate ab animo expelli possunt. Vnde Seneca: *Plus potest quæuis mediocrium turba, quam posset vnius magni violentia: habet pecunia cupiditatem, sed modicam; habet ambitionem, sed non concitatam, habet iracundiam, sed placabilem, habet inconstantiam, sed minus vagam, ac mobilem, habet libidinem, non insaniam. Melius cum illo ageretur*: (cautè tamen lege, & intellige) *qui vnum vitium integrum haberet, quam cum eo, qui leuiora quidem, sed omnia.*

8. Quò etiam pertinet hanc callidi hostis nostri artem, & ingenium esse, qui (vt est in prouerbio) *rimam quærit*, qua virus suum guttatim infundat. Ita Nazianz. carmine aduersus diabolum:

Tu minimis primo vitiis in pectora nostra
Influis, ac velut exiguis illaberis vndis.
At simul atque tibi datus est locus, illicò magnus
Irrumpis, rapideque fluis latissimus amnis,
Donec me chaos abripiat, barathrumq; profundum.

Quare sub hoc sensu, atque eamdem versans similitudinem capit Chrysost. id ad Ephes. 4. 27. *Nolite locum dare diabolo*, vt moneat Apostolus omnes ei rimas obstruere, ne prius guttatim, deinde toto impetu, vt torrens rapidus se infundat. Sic enim ille, hom. 14. in epist. ad Ephes. *Quādiu lapides bene compacti sunt, nihilque vacui inter se habent, firmi, & infracti perstant. Si verò, vel foramen acus dumtaxat,* (nota verbum) *quod vtrinque penetret, aut scissura, quæ capilli locum habeat, fieri contigerit, omnia dissoluuntur, ac pereunt. Ita & diabolus, donec compacti quidem, ac benè compositi fuerimus, nihil omninò suorum poterit inferre. Quam primum verò, vel modicum nos relaxare poterit, non aliter, quam quasi quidā torrens, toto impetu infunditur.* Subdit statim: *Nā vbique illi solis dūtaxat initiis opus. Si verò nactus fuerit initium nocendi, omnia sibi ipsi suopte ingenio vestigat, & amplificat.* Ad quem etiam modum Nazianz. orat. 31. virginem sic monet: *Inaccessibilem te ipsam custodi, & verbo, & opere, & vita, & cogitatione, & motu atque impulsione: vndequaque prauus ille spiritus te perscrutatur, atque explorat, vbi feriat, vbi vulneret, num quid nudum, & apertum reperiat, plaga obuiū.* Sic ille eleganter. Quasi virgini ob oculos poneret infe-

Vela zqu. in Epist. ad Philippens.

licis Achabi Regis necem, cui armato, & ad militiæ leges composito (3. Regum 22. 34.) *Vir quidam infixit sagittam inter pulmonem, & stomachum*: vbi Hebræa habent, *inter sunctūras, & loricam*, quod locus ille quantumuis exiguus, non communitus, sed plagæ obuius fuerit. Quare subdit adducta superius verba: *Quod paulatim* (siue *particulatim*) *attrahitur, ac tanquam surripitur, tametsi eam rationem habeat, vt damnum in præsenti minimè sentiatur, tamen in vitiis summum occurrit.*

9. Illud pro coronide non prætereibo, eo exitioso errore homines capi, vt hæc parua errata non curantes, sibi falsa securitate imponant nunquam in maiora delapsuros, vnde in id discrimē, vt pedetentim, & paulatim, ita insensibiliter deueniunt, priusque (vt ita dixerim) illud in se infeliciter experiuntur, quam animum inducant fieri posse, vt tātum ab ipsis malum committatur; quæ omninò sententia subest tritis illis Ecclesiastici verbis, c. 19. 1. *Qui modica spernit, paulatim decidet*; nam ibi pro, *decidet*, rectè iuxta fontem vertit Lectio Tigurina, *sublabetur*, quod verbum valde est obseruatu dignum: eo enim innuitur, eos, qui in grauiora peccata incidunt, adeò sensim, & leniter in ea fuisse lapsos, vt prius quodammodo prostratos se inueniant, quam se casuros credant; inest siquidem hæc vis verbo, *labor*, & suis compositis, eamque præcipuè exprimit verbum, *sublabor*, iuxta morem loquendi Ciceronis: sic enim lib. de amicitia, *serpit deinde res, quæ proclinius ad perniciem, cum semel cœpit, labitur*. ad cuius gustum Laurentius Valla latini sermonis peritissimus: *Labi dicuntur, qui in lubrico imprimentes vestigia ad terram feruntur, non cum ruina sed lentiùs.* Iam sententiam Ecclesiastici sic confirmat Gregor. Magn. lib. 10. cap. 9. *Si curare parua negligimus, insensibiliter seducti, audenter etiam maiora perpetramus.* Pende illud, *insensibiliter seducti*, quasi ea sit paruorum erratorum natura, vt insensibiliter ad maiora nos trahant.

ADNOTATIO VI.

Siue superiorum annotationum appendix, vt earum doctrina in religionum conseruatione, & euersione locum etiam habeat.

1. ADDO dictis, quod plus est, & lectorem forsan in admirationem rapiet, nimirum supra dicta adeò esse vera, vt non modò in priuatis personis, sed etiam in integris familiis, & religionibus maximè locum habeant. Nam vt in illis, si minima præcepta custodiantur, & leuia etiam errata præcauere, & corrigere mos sit, viuidæ, & florentes permanent; ita si minimi excessus negligantur, paulatim dissipantur, & pereunt, donec funditus euertantur, & corruant. Equidem hac ratione ab sponsa notanter Christo dicebatur. Cant. 1. 17. *Tigna domorum nostrarum cedrina, laquearia cupressina*: vt egregias congregationes, & religiones velut digito ostenderet, quæ in viridi obseruantia ideò essent, quod minimos defectus, & errata nō permitterent. Diximus enim annot. 3. num. 9. ex Dioscorid. cedrum imputribilis esse naturæ, & quæ cariem, aliosque vermiculos non sentiat, ac proinde puritatem, & quasi immunitatem ab iis erratis significare; quod & cupressus satis confirmat; cum & semper sit viridis, & folium eius non defluat. Ita Ambros. serm. 4. in Psalm. 118. *Genus hoc arboris nunquam amittit viriditatem suam. Solam hanc arborem ventus*

L 3 *nunquam*

Margin notes (left column): Senec. — August. — S.Thom. — Iul. Capit. — Seneca. — Nazianz. — Ad Ephes. 4.27. — Chrysost. — Nazianz.

Margin notes (right column): 3.Reg 22. 34. — Eccl. 19.1. — Lect. Tig. — Cicer. — Laur. Val. — Gregor. — Cant. 1.17. — Dioscor. — Ambros.

nunquam suo honore dispoliat; sola nunquam veteri exuitur amictu, aut nouo flore vestitur. Vbi tacitè innuitur, tunc domum, siue disciplinam dissipandam, cum trabes, & tigna, quibus ædificium incũbit, cariei, vermiculisque subiacent. Sed id non tacitè dictum ab eodem Salomone Ecclesiast. 10. 18. *In pigritiis humiliabitur contignatio, & in infirmitate* (Lxx. *in segnitio*) *manuum perstillabit domus*: ac si diceret totam domus, familiæ, religionis firmitatem, & robur ex contignatione dependere: nam si hæc rimas agat, stillis, aliisque ventorum, & hyemis iniuriis ingruentibus, aliis videlicet, & aliis erratis, tãdem miserando casu, vsque ad fundamenta corruet. Ita pene Hieron. ad id loci. *Per negligentiam Principum omnis Ecclesiæ corruit altitudo, & ibi vitiorum illecebra sunt, vbi tegmen putabatur esse virtutum.* Porro quamuis Hieron. ad Principum, & Prælatorum negligentias hæc referat, è re etiam nostra id est; cum ipsis potissimum incumbat, hæc minima errata cauere, increpare, corrigere: vt sit, audi signatissimum S. Antonini monumentum 2. par. hist. tit. 15. c. vlt. §. 2. tam Prælatis, quàm religiosis omnibus præ oculis semper habendum. *Præfatæ religiones* (agebat de religionibus adeò antiquatis, & extinctis, vt obliuione etiam obrutæ essent) *quæ cum magno feruore, & vitæ sanctimonia initium habuerunt, minima negligentes paternarum traditionum; in processu temporis paulatim defluxerunt, & exinanitæ sunt vsque ad fundamentum in eis; vota scilicet substantialia.* Vbi obserues velim, tam illud, *minima negligentes*, quàm aduerbium, *paulatim*: vt appareat eandem in tota religione, ac in priuata persona rationem esse, vt à minimis incipiant, qui in maxima corruunt.

(Margin: Eccl. 10. 18. — LXX. — Hieron. — S. Anton.)

2\. Equidem valde his affine est, quod Vates Ioel de Hebraica Repub. vt olim virtutibus florentissima, ita nunc miserè in vitia prostrata, initio vaticinij quasi ex abrupto, sic dixit: *Audite hæc senes, & auribus percipite omnes habitatores terræ, residuum erucæ comedit locusta, & residuum locustæ comedit bruchus.* Sed quis sapiens, & intelliget hæc? audi Cyril. Alexan. & Hieron. de minimis defectibus, siue de cupiditate, cum primum incipit, quæ nisi perimatur, omnem animi virorem, & gratiam ad huius animalculi morem absumit, explicantibus. Sic namque prior: *Increpitæ enim ab initio vitiosæ affectiones sedantur, & comprimuntur. Sin quasi latum, & absque admonitione ad deteriora progressum nactæ fuerint, totam animam per omnia dilaniant, & rationis animaduersionem amplius non patiuntur*: luculentiùs Hieron. *Ego reor erucam esse incipientem in animo passionem, quæ tarda est, & discurrere non potest, & mora ipsa, ac pertinacia ebibit, & exugit omnem virorem: quam si non occiderimus, in nobis crescit, & auolat, & nunc deuorat quidquid attigerit, nunc semesa dimittens, pergit ad alia, reuertensque ad pristinam sedem bruchus efficitur: vt non solum fruges, & folia, & cortices sed & ipsam medullam deuoret tarditate.* Optimè quidem, & quæ familiis illis, siue religionibus, de quibus S. Antoninus agebat, iure aptes: vitiosæ namque cupiditates, & leuia errata non castigata, & increpita, sed contempta, & neglecta mora, ac pertinacia sua religionis virorem, & splendorem in primis exugunt; nihil enim ad religionis ornamentum, & bonam existimationem æquè conducit, ac leuissimarum etiam rerum exacta custodia; certè si religionis alicuius claustra ingressus religiosos non ita modestiæ, ac silentio deditos, & minimorum præceptorum obseruantes videris, vt grauiores eorum defectus non animaduertas, non immeritò dixeris religionem illam non æquè, atque alias florere; ad hæc minimi hi defectus crescunt, & auolant, id est, alas ad maiora quæque sumunt; atque ipsimet religiosi alas, atq; animos à leuibus ad grauia sumentes, ipsam religionis medullam, vota scilicet substantialia, deuorant, & euertunt: id bruchi nomen, & natura benè designat; Hebræum enim vocabulum à quibusdam à verbo significante, *absumere*; ab aliis verò, ab alio verbo, quod non vtcumque, sed sine parsimonia, & misericordia absumere, deriuatur. Et verè omninò immisericordes, & crudeles eos religiosos dixeris, qui speciosam hanc, & pretiosam religionis hæreditatem, quam à patribus suis acceperunt; cupiditatibus, & defectibus ipsi deturpant, & euertunt: sic dicebat Bernard. serm. 3. in dedicat. Eccles. *Omninò proditorem sese nouerit, si quis fortè, quod absit, vitia qualibet in hanc domum conatur inducere, & templum Dei speluncam facere dæmoniorum.* Ne verò existimes Bernardum solum loqui de pessimis, sed de iis, qui à minimis incipientes ad maiora progrediuntur; subdit: *Gratias Deo, non multos hic inuenimus huiuscemodi: sed tamen deprehendimus interdum fortè nonnullos, qui colloquantur hostibus, & paciscantur fœdus cum morte, hoc est, moliantur (quod in eis est) imminuere ordinis disciplinam, intepescere feruorem, turbare pacem, lædere charitatem.* Subdit statim: *Dico autem vobis, quia licet portentur modò, sed portabũt citò graue iudicium, nisi se citius emendauerint, sicut graue damnum moliuntur inferre.* Vis videre graue, imò extremũ damnum? audi Anselm. epist. 6. *Certissimum est, quòd in multis Ecclesiis experimento didici; quia in monasterio, vbi minima districtè custodiuntur; vbi rigor monachorum inuiolabilis perseuerat; ibi pax inter fratres, & in capitulo proclamationes conquiescunt; vbi verò minimi excessus negliguntur; ibi totus ordo paulatim dissipatur, & destruitur.* En quod dicebat Ecclesiastes: *In pigritiis humiliabitur contignatio, & in infirmitate manuum perstillabit domus*: quod nec tigna cedrina, nec laquearia cupressina fuerint, quæ erucas, & vermiculos non gignerent.

(Margin: Ioel. 1. 4. — Cyrill. Alex. — Hieron. — Bernard. — Anselm.)

Nec mihi aliud sonant illa Ezech. verba, c. 13. 10. *Ipse ædificabat parietem; illi autem linebant luto absque paleis.* Vbi cum prior huius orationis pars de Deo populi iustitiam, & virtutem ædificante, ex Hieron. interpretatione accipiatur: sic enim ille. *Deus itaque ædificabat eis per legis mandata, sanctorumque Prophetarum eloquia, & comminationes maceriam*: cohærenter in litura absque paleis populi negligentia in leuioribus præceptis custodiendis intelligitur. Vnde notanda est translatio Lxx. quæ pro, *liniunt absque paleis*, habet, *liniunt stultitia*: quasi non leuis stultitiæ fuerit, hæc leuiora omittere, cum ex ipsis ingens robur, & firmitas toti ædificio adueniat. Similis translatio Aquilæ apud Hieron. *liniunt absque sale*: tum quod iustitia, & virtus, quæ ad grauiora solum attendit, & de minimis præceptis non curat, insulsa valde, & insipida est: tum vel maximè, quia (vt Aquilam capit Hieron.) *Quomodo cibus absque sale nullum habet saporem, ita & lutum absque paleis, quibus firmatur, & stringitur, nihil roboris possit præbere parieti.* Vnde præfatis verbis hæc subiicit Dominus. *Dic ad eos, qui liniunt absque temperatura* (Heb. sine paleis) *quod casurus sit.* Et statim non sine morsu: *Numquid non dicetur vobis, vbi est litura, quam linistis?* Et post pauca; magna emphasi, & pondere: *Et destruam parietem, quem linistis absque temperamento, & adæquabo eum terræ, & reuelabitur fundamentum eius*: cum quibus verbis compone præfata illa S. Antonini. *Paulatim defluxerunt, & exinanitæ sunt vsque ad fundamentum in eis.* 3.

(Margin: Ezech. 13. 10. — Hieron. — LXX. — Aquil. — Hieron.)

Firmitas ergo, & duratio totius ædificij à leuibus minimorum præceptorum paleis sumitur, quæ dum 4.

Tertul. dum prætermittuntur, murus religionis, tamquam male compactus paries, infeliciter ruit. Apto hic similem Tertulliani discursum in Apologet. c. 44. inde multo præstantiorem Christianorum, quàm Gentilium innocentiam efficaciter adstruētis, quòd vt alia non essent Christianis non grauia solum peccata, vt Ethnicis, sed leuia etiam prohiberentur, nec peccati finem ipsi, sed initium etiam cauerent, & plecterent. Audi illum. *De vestris semper æstuat carcer; de vestris semper metalla suspirant; de vestris semper bestiæ saginantur; de vestris semper munerarij noxiorum greges pascunt. Nemo illic Christianus, nisi planè tantum Christianus, aut si aliud, iam non Christianus. Nos ergo soli innocentes? Quid mirum si necesse est? Enim verò necesse est. Innocentiam à Deo edocti, & perfectè eam nouimus, vt à perfecto magistro reuelatā, & fideliter custodimus, vt ab incontemptibili dispectore mandatam.* Diffundit hæc, & statim ad rem nostram. *Atque adeò quid plenius dicere? Non occides; an docere, ne irascaris quidem? Quid perfectius prohibere adulterium, an etiam ab oculorum solitaria concupiscentia arcere? Quid eruditius, de maleficio, an & de maleloquio interdicere? Quid instructius iniuriam non permittere, an nec vicem iniuriæ sinere?* Hæc omnia Tertul. apud quem perpende illud: *enim verò necesse est:* scitè innocentiæ securitatem, & quodammodo necessitatem in minorum rerum custodiâ collocans: quid quod ex hoc etiam monemur, gentilicam iustitiam (vt ita dixerim) imitari, qui minima præcepta non custodiunt.

5. Est quidem è re hac, quod sapientes viri summa semper obseruatione dignum iudicarunt: sæpè sæpius infirmissimos hostes neglectos, seu minima quæque maximarum Rerumpubl. vrbium, imperiorum ruinam attulisse. Ita omninò T. Liu. lib. 1. T. Liu. decad. 3. in hæc verba: *Sæpè contemptus hostis cruentum certamen edidit, & inclyti populi, regesque perleui momento victi sunt.* Hinc Tacitus lib. 4. Annal. post- Tacit. quam longius rationem dederat, cur diuersum à priscis scriptoribus scriptionis modum seruauerit: *Quod illis ingentia solum bella, expugnationes vrbium, fusos, captosque Reges, aut si quando ad interna prauerterent, discordias consulum aduersus tribunos, agrarias, frumentariasque leges plebis, & optimatum certamina commemorare mos fuerit;* ipsum vero plura, quæ parua forsitan, & leuia memoratu videri poterant, non piguerit scribere, sapienter subiicit: *Non tamen sine vsu fuerit introspicere illa primo adspectu leuia, ex quibus magnarum sæpe rerum motus oriuntur.* Quem sensum illud præ omnibus mirificè confirmat, quod in Carthaginis euersione Plinio adnotatum est, ei nimirum vnam tantum ficum à Catone in Senatum adductam occasionem fecisse, quod ex ea recenter ab arbore dempta facile fuerit coniicere propè à Româ Carthaginenses hostes esse. Sic enim Cato apud Plinium: *Interrogo vos, quando hoc pomū demptum putetis ex arbore? Cum inter omnes recentem esse constaret, atqui tertium (inquit) ante diem scitote decerptum Carthagine, tam propè à muris habemus hostē.* Subdit Plinius: *Statimque sumptum est Punicum tertium bellum, quo Carthago deleta est.* Dum vero varias super hoc euentu ratiocinationes conficit, illum tandem nostro instituto sic aptat. *Supra omnia quiddam est, quo nihil equidem duco mirabilius, tantā illam vrbem, & de terrarum orbe per centum viginti annos Vrbis æmulam vnius pomi argumento euersam: quod non Trebia, aut Thrasymenus, non Cannæ busto insignes Romani nominis perficere potuere: non castra Punica ad tertium lapidem vallata, portæque Collina adequitans ipse Annibal, tanto propius Carthaginem Cato pomo admouit.* Similem magnæ rei exitum à parua causâ ortum inuenies apud Liuium lib. 6. decad. 1. Quæ quidem ad magnarum religionum euersionem, & relaxationem, dum nos cum Anselmo, & Antonino referimus, meliori sane iure mirabilius ducimus, verissimum tamen, & indubitatum.

Ad eadem verba, *vt sitis sinceri.*

ADNOTATIO VII.

Proprium iusti, ac sinceri hominis esse rectos sermones loqui.

Nec præteriri debet Cardin. Hugonis explicatio huic loco adhibita, qui sinceritatem, de quâ Paulus, ad verba sancta, & vtilia sic reuocauit, vt illi ex Apostoli mente sinceri dicantur, qui non vanos, inutiles, seu noxios sermones, sed honestos potius, ac rectos, & qui ad ædificationem sint, loquantur. Sanè tàm ad significationem vocis, *sinceri*, quàm ad expressionem virtutis sinceritatis, seu simplicitatis non abire hæc dicuntur. Nam non secus desideres bona verba in homine, qui rectè factis abundat, quam egregia facta in eo, qui pulchros sermones effundit. Constat enim dignitas, seu spiritualis vita animæ, & rectis verbis, & factis: vnde vbi de homine recenter à Deo facto dicitur Gen. 2. 7. *Et factus est homo in animam viuentem.* Chaldæus reposuit: *Et factus est homo in spiritum loquētem:* quasi illud optimè exprimat hominis dignitatem, simulque patefaciat eius animam viuere, cum rectè loquatur. Qua ductus ratione Aponius lib. 1. in Cant. explicās præceptum dilectionis, de quo Deuter. 6. 5. & Mat. 22. 37. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua:* sic ait: *Dicendo, & in tota anima tua sermonis sibi eius singularem laudem sacrauit, de qua dicitur in Propheta:* ego Dominus, gloriam meam sculptilibus non dabo, *quæ sola vtique sermonis obtinet potestatem.* Quasi id egregiæ in Deum dilectionis ab animâ exhibitæ singulare specimen sit, cum rectos sermones, qui ad Dei laudem cedāt, loquitur. Consentanea habet Chrysost. hom. 4 de verbis Isaiæ, hinc hominem à brutis sic discriminās: *Maximè verò beatus est vir amans sermonum spiritualium; hoc nos distinguit à brutis. Non enim nos ab illis separat corporis ratio, neque quod alimur, aut bibimus, neque quod pascimus, aut viuimus; hæc enim nobis omnia cum brutis sunt communia; sed quare distinguitur à brutis homo? Sermone, & ob id animal dicitur, λογικόν, hoc est, sermonis particeps, vt enim aluntur corpora, sic aluntur & animæ; & corpus pane; & anima sermone: proinde si videas hominem vescentem lapide, num illum dixeris esse hominem? Itidem, si quē videris, qui non alatur sermone, sed sermonis, ac rationis inopiâ, nimirum hic, & hominis naturam amisit: siquidem vita declarat hominis nobilitatem.*

1. Card. Hug. — Gen. 2. 7. Chaldæus. — Aponius. Deut. 6. 5. Mat. 22. 37. — Chrysost.

In quem plane sensum dictum reor à Rege Psalte, Psalm. 1. 3. de viro iusto, & omnibus numeris perfecto: *Et erit tanquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructū dabit in tempore suo, & folium eius non defluet, &c.* Vt enim fructum ad cor, siue ad animum, à quo egregia facta dimanant, ita folia ad sancta verba, probosque sermones, non abs re accōmodes. Sic de Samuele dicitur 1. Reg. c. 3. 19. *Non cecidit verbum eius in terrā,* quasi dicat nullus ipsi de terrenis rebus, & qui ad sæculi vanitatem spectaret, sermo fuit. Concinit expositioni, quod de arcana significatione mali Persici ex Ægyptiorum oraculis refert Plut. lib. de Iside, & Osiride. *Plantarum Ægypti præcipuè Deo sacram*

2. Psalm. 1. 3. — 1. Reg. 3. 19. — Plutarch.

sacram Persicam esse referunt, quod fructus eius, cor, linguam amuletur soliũ; nihil enim habere homo potest sermone præsertim de rebus diuinis, diuinius, neq; adminiculũ ad felicitatẽ maius habet. Proinde in penetrale hoc descendenti denuntio: pie, vt sentiat; honestè, vt loquatur. Vbi illud expende: *Nihil homini diuinius*, seu, quod diuinam sibi inditam imaginẽ magis exprimat, esse posse, quàm de rebus diuinis sermonẽ. Hinc cũ Christus pro se, & Petro tributum
Mat. 17. 27. voluit persoluere, Mat. 17. 27. vt suæ simul diuinitatis aliquod specimen daret, staterem, è piscis ore erutum pendit, nimirum, vt Dei verbum, verba Dei
Ambros. daret. Ita pene Ambr. ep. 1. *Bonus sensus Christi, qui statere soluitur, quia statera iustitia est. Hic stater in ore piscis inuenitur, illius piscis, qui ponderat sermones suos, vt igne examinatos proferat.*

3. Gen. 2. 7. Chaldaus. Vnde rursus obserua, quod quamuis sermo ad externum os corporis pertinere videatur, at in hominis formatione non dixisse Moysem. *Factus est homo in corpus loquens*; sed potius, *in spiritum loquentem*: sane, vt innueret non qualemcunque sermonem, sed probum tantum, & rectum ab interiori hominis spiritu, qui Dei spiritu agitur, dimanantem, ad rationẽ hominis pertinere; ideò videas homini animam sub flatus, seu spiritus imagine à Deo fuisse impertitam, vt significetur tunc Dei spiritum in homine permanere, & inhabitare, cum spirituales
Rupert. Mat. 10. 20. sermones loquitur: vndè Rupert. ad ea verba Assertoris, Mat. 10. 20. *Non enim vos estis, qui loquimini, sed spiritus patris vestri, qui loquitur in vobis.* Sic pulchrè exclamat: *Quam dulce, quam præclarum est, ea, quæ loquimur, aut scribimus, talia esse, vt ea prudẽs auditor, siue beneuolus lector nequaquam dignetur adscribere nobis, dicatque*: non enim vos estis, qui loquimini, sed spiritus patris vestri, qui loquitur in vobis. Equidem id signatissimè hominem Dei ductu agitari ostẽdit. Vndè videas Iobũ tot calamitatibus probatum, & examinatum, postremò ipsis in verbis tanquam vltimo, & efficacissimo experimento tentatum, atque simplicem, & rectum potissimũ
Ambros. inuentum, vti expendit Ambr. in exhort. ad Virg. ad fin. *Vicerat sanctus Iob damni dolorem, vicerat, imò excluserat luctus acerbitatem in amissionibus filiorum, vicerat vulnerum asperitates, vibices corporis, adhibentur mulieris tentamenta; & ipsa non sensit. Adhuc amicorum increpationes ad certamen eius vltimum reseruantur, luctatus fuerat cum affectu patrio, luctatus cum dolore corporis, & ægritudine: oportebat eum subire etiam sermonum tentationes.*

3. Genes. 2. Hinc in eo loco Genesis ex lectione Chaldæa expresso, *& factus est homo in spiritum loquentem*, primo aspectu dicas apertam antilogiam reperiri: nam ex Hebræo pro illis verbis, *faciamus hominẽ ad imaginem, & similitudinem nostram*, rectè vertas (vt alibi copiosius tracto) *ad imaginem silentem*; ecce vno ex capite, homo in silentium compositus, faciendus dicitur; ex alio in spiritum loquentem factus perhibetur. Sed rectè quidem, & sine vlla antilogiã, nã homo tam vt à prauis sermonibus abstineat, quam vt rectos indesinenter loquatur à Deo factus est, quasi duplex illi circa sermonem præceptum, alterum negatiuum, affirmatiuũ alterum incũbat. Quæ
Ambros. pulchrè confirmat Ambros. lib. 5. in Lucam, dum verbum Dei clauem oris nostri appellat, quæ labia diuinis sermonibus aperiat; vanis autem & inutilibus claudat. *Ostendit tibi clauem scientiæ, quã os aperire tuum dicens Propheta. Aperi os tuum verbo Dei, verbum Dei clauis oris tui est.* Similiter lib. 9. in Luc. *Sermo habena est, sermo stimulus est.* Hic videlicet ad os diuinis laudibus aperiendum, illa ad retinendum ne in vanos sermones prolabatur. Quare Paulus Ephesios ad loquendum instituens, cap. 4. 29. sic inquit: *Omnis sermo malus de ore vestro nõ procedat sed si quis bonus est, ad ædificationem fidei*: cum quibus Ad Ephes. 4. 29.
verbis scitè composuit Stephanus Cantuar. in alleg. Steph. Cantuar.
Gotfr. Tilm. thuribuli figuram, quod Leuitic. 16. in ministerio Domini esse præscribitur ad Christum sic referẽs. *Thuribulum dicitur lingua Saluatoris igne Spiritus sancti inflammata: thuribulum est inferius clausum, superius perforatum, hoc Paulus exponit dicens*: omnis sermo malus de ore vestro non procedat: *ecce inferius clausum*, sed si quis bonus est ad ædificationem fidei, *ecce superius perforatum.* Hæc Stephan. Ad cuius gustum S. Petr. Damian. apud S. Pet. Da.
eundem Gotfr. ad ea verba Ierem. 2. *Duo mala fecit populus meus.* sic ait. *Otiosis verbis assuetus duplici culpæ videtur obnoxius, qui & diuinas laudes, ad quas de iure tenetur, abijcit, & superflua loquacitati à quã inhibetur, insistit, sicut de quibusdam dicitur*, duo fecit mala populus meus, *qui nimirum derelicto fonte aquæ viuæ, ora sua cisternas faciunt, ex quibus non noui, sed veteris hominis verba proferunt.*

Hominis ergo tunc dignitas, & ad Dei similitudinem imago conspicitur, cum rectos de hoc Deo sermones loquitur. Vnde videris sponsæ cum semel, atque iterum in vrbis vigiles inciderit, non nisi secundò pallium ab illis fuisse ablatum. Sed quare? Sane, quia primũ diuina cũ illis colloquia miscuit, ideoque dum eam de diuinis loquentem audiere quasi Dei sponsam, & quæ eius imaginem ferret, sunt reueriti: postmodum verò; cum nullum ab eius ore de Deo sermonem acceperunt, ac si primã eius faciem non agnoscerent, pallium ei non sine dedecore, & pudore abstulerunt, id sic pendente, & expendente Ambros. serm. 7. in Psalm. 118. *Habuit ergo certamen, sed qua ratione supra non tulerint pallium, hæreo reperire, nisi fortè, quia ibi* (vbi scilicet spoliata pallio non est) *interrogasse se dixit*: nunquid quem diligit anima mea, vidistis? *Quæ Christum loquebatur, nec exuta est pallio, & quem quærebat, inuenit: disce quemadmodum quæratur Christus.* Quod si, & quomodo per vana, & inutilia verba amittatur videre velis, adi Chrys. hom. 17. in epist. ad Ephes. in Morali. 5. Ambros. Chrysost.

6. Est verò ad hanc rem peropportunus locus in eodem Cant. lib. 4. 13. *Emissiones tuæ, paradisus malorum punicorum*: sic aduertas cum Nyss. hom. 9. in Nyssen.
Cant. ex Hebræo legi: *Emissiones ex ore tuo paradisus malorum punicorum*, & cum eodem sic explices: *Sermo tuus, qui per os tuum emittitur, est paradisus malorum punicorum*; ac si dicatur, verba tua paradisum, siue paradisi primæuam innocentiam diuinam imaginem, cœleste opus redolent. Similiter Ambros. lib. de bono mort. cap. 5. *In illo horto sermones boni sunt, alius, qui culpam coerceat, alius, qui iniquitatem corripiat; alius, qui non faciat insolentiam, & velut sepeliat, &c. Est etiam sermo fortior, qui confirmat cor hominis validioribus Scripturæ cœlestis alimentis. Est etiam sermo suasorius, dulcis vt mel, & tamen peccatoris conscientiam in ipsa suauitate compungens. Est etiam feruentioris spiritus sermo, qui inebriat, sicut vinum, & cor hominis lætificat. Est etiam lactis sermo purus, & candidus.* En paradisum voluptatis. Ambros.

Produnt se hinc nonnulla salutis monita, & illud in primis ex thuribuli metaphorã; gratissimum Deo honorem rectis sermonibus deferri, non secùs, ac si suauissimus odor, aut sacratum thus ipsius naribus admoueretur, ita affini metaphora, Cant. 7. 9. de rectis sponsæ sermonibus dicitur: *Guttur tuum, sicut vinum optimum, dignum dilecto meo ad potandum; labijsque, ac dentibus eius ad ruminandum*: quibus Cant. 7. 9.
verbis

Rupert. verbis ex Ruperti, & aliorum interpretatione is est sensus, vt talem, ac tantam Christo suauitatem pia afferre colloquia dicantur, vt non secùs, ac is, qui optimum vinum gustans maioris delectationis gratiâ illud non statim traiicit, sed mandit iterum, ac remandit, & intra os quoad potest, conseruat: ita bonus Dominus non solum ea primum audiés delectetur, sed iterum etiam, atque iterum audita memoriâ verset, & quasi remandat, ac ruminet. Sic

Luc. 24. 16. videas Luc. 24.16. Dominum, qui duobus discipulis in Emaus euntibus, sanctosque inter se sermones miscentibus inuisibiliter prius aderat ex pacto

Mat. 18.23. inito, Matt. 18.19. *Vbi sunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum*: subinde, vt ostenderet quem ipse ex sanctis colloquiis gustum perciperet, visibilem se eis comitem adhæsisse, & quasi bonum illud vinum remanderet, interrogasse. *Qui sunt hi sermones, quos confertis ad inuicem ambulantes?* Et verò cùm illi, quæ de ipso Christo fuerant collocuti subintellecta potius, quam verbis ad longum explicata esse vellet, ille iterum perquisiuit, quæ illa essent? Ne videlicet rectorum sermonum optimum vinum vno haustu ebiberet, sed dentibus, ac labiis magis, ac magis in ore versaret, &

Apon. conseruaret. Hinc, vt initio vidimus, partem præcepti dilectionis referebat Aponius ad rectos hominis sermones, quasi peculiaris Deo honor ipsis deferre-

Ambros. tur. Ambros. verò in Ps. 118. octon. 20. dum ex illis

Isai. 19.13. Matt. 15.8. verbis Isaiæ 19.13. à Christo posteà, Matt. 15.8. repetitis, *populus hic labiis me honorat*: magnum Deo per bona verba honorem deferri elicit, inde Christianos diuinis sermonibus parcentes, sic pulchre increpat: *Et tu Christiane dormis? Cui magister est Christus, & non vereris, ne de te dicatur, populus hic, nec labiis me honorat: Iudæus, vel labijs, tu verò nec labiis.*

8. Monemur hinc etiam, eos, qui prophanos, & inutiles sermones miscent, vno ex capite mutos censendos esse: quippè qui præscriptum linguæ finem, & modum non seruant; ex alio verò ita importunè clamare, vt multum fastidij, & satietatis diuino affe-

Isai 6.5. LXX. rant spiritui; & primum quidem satis innuit Isaias, dum Seraphinos indesinenter Deum laudantes cōspiciens, c. 6.5. inquit, *væ mihi* (siue vt LXX. *ô miser ego*,) *quia tacui*. Sed cur, quove modo tacuisse dicit? Subdit, *quia vir pollutus labiis ego sum*, quasi dicat, quia hucusque bona verba, & quæ ad ædificationem fuerint, locutus non fuerim, modo tacuisse mihi videor, nō secùs, ac si mutus omnino fuissem.

Tertul. Sic mēdicum, & quasi nullum eum sermonem vocauit Tertul. lib. de testim. anim. c. 5. qui de Deo, & eius bonitate non esset. *Nemo Deum, & bonitatem eius, nemo mortem, nemo inferos loquebatur, mendicabat sermo, opinor, imò, nec vllus esse poterat.* In quam

August. Luc. 11. 14. sententiam disertissimè Aug. lib. 1. conf. c. 4. *Væ tacentibus de te, quoniam loquaces muti sunt.* Hinc dæmonium illud, quod Christus Luc. 11.14. eiecisse dicitur, *mutum*, hac ratione appellari mysticè potest; nam litterâ illius loci spectatâ indubitatò constat miserum illum hominem verè mutum à dæmone redditum fuisse, quòd prophanos, & noxios sermones loqueretur, ideò tunc linguæ illius vinculū solutū meritò dicetur, cum rectè loqui cœperit. Ita

Marc. 7.35. Marcus 7.35. *Solutum est vinculum linguæ eius, & loquebatur rectè.* Ita ad id loci Beda. *Ille solus rectè lo-*

Beda. *quitur, qui linguam tactu sapientiæ, quæ est ad loquen-*

Isai 50.4. *dum, mittitur*; vnde audis apud Isai. 50.4. *Dominus dedit mihi linguam eruditam, vt sciam sustētare eum, qui lapsus est verbo.* Quasi dicat ex mente Isaiæ, ea solum de causa homini à Deo linguā datam fuisse, vt ad ædificationem, & bonum proximi loquatur, atque ideò, qui si secùs faxit nihil omnino à muto differre. Quod verò diuino spiritui tædio, atque fa-

Ad Ephes. 4.29. stidio is fit, ita post citata verba ad Ephesios 4. 29. *Omnis sermo malus de ore vestro non procedat: sed is, qui est ad ædificationem fidei*, innuit Paulus: *Et nolite contristare Spiritum Dei, in quo signati estis*; Quæ

Basil. verba in hanc sententiam late expendit Basilius. in reg. interrog. 15. qui post plura ita concludit: *Quam autem perniciosa res sit contristasse Spiritum sanctum, de hoc verò, quid opus est vt dicatur?*

9. Illud tamen ex superioribus manifestius elicitur; ex cuiusque verbis luce clarius apparere, quam sincerus, quam probus ille sit; cum enim cor, & lingua summe inter se sint connexa, hæc illud non potest non prodere: quam quidem sententiam elegantibus imaginibus sæpiùs Scripturæ confirmant: sic enim

Prou. 10.11. in primis Salomon Prou. 10.11. *Vena vitæ os iusti*, vbi venæ metaphorâ, vel ad corporis venam, hoc est, medico sermone pulsum, vel ad aquæ venam, quæ à fonte scaturiente dimanat relatâ illud indicat; os, seu verba recta hominis iusti, quam certissimum interioris vitæ, & diuini spiritus in animo residentis signum esse: non secùs, ac ex aquâ prædulci vel amarâ fons, & ex venâ, seu pulsu corporis vita deprehenditur. Sic prouerbialiter ex sapientum

Senec. consensu dicebat Senec. ep. 114. *Talis hominibus fuit oratio, qualis vita.* Et epist. 115. satis congruenter huic phrasi *sinceri*, de qua Paulus. *Oratio vultus animi est, si circumtonsa est, & fucata, & manufacta, ostendit illum quoque non esse sincerum, & habere aliquid*

Ant. Mel. *fracti.* Similiter Romulus apud Melissam serm. 48. tom. 5. Bibliot. *Vas fictile ictu, & sono; hominem ser-*

1. Ad Cor. 13.11. *mone probari*: Ita expresse Paulus 1. ad Cor. 13.11. *Cum essem paruulus; loquebar vt paruulus; sapiebam vt paruulus; cogitabam vt paruulus.* Vbi vt bene note-

S. Thom. tur à S. Thom. ordine præpostero tria hæc posita. *Nam locutio praexigit iudicium sapientiæ, iudicium verò præsupponit cogitationem rationis.* At non vacat mysterio prius locutionis, quam iudicij, aut cogitationum mentionem ab Apostolo factam, quod vt hæc ordine priora sint, ad cognoscendum quasi de facie hominis animum locutio primum, & potissimum locum habeat, quòd ipsa reliqua omnia ostendat. Vnde dum prius sermonum meminit Paulus, quæ adiunxit, quasi causalem vim habent ad hunc modum; loquebar, vt paruulus, quia sapiebam, vt paruulus, & cogitabam, vt paruulus.

10. Illud vero hanc sinceri animi notam, intimâque cordis cum lingua coniunctionem explicat, quod

Psal. 44.1. Ps. 118.171. Psalm. 44.1. sic de se Vates enunciauit: *Eructauit cor meum verbum bonum.* Similiter Psalm. 118.171. *Eructabunt labia mea hymnum: cum docueris me iustificationes tuas*, vel per particulam causalem extre-

Hieron. mis his verbis, cum Hieron. sic expressis: *Docebis enim me iustificationes tuas.* Quibus in locis aptâ ructationis metaphorâ boni cordis naturam ostendit connaturali, & quasi necessario modo rectum sermonem emittentis, non aliter quam stomachus, qui concoctarum escarum efflationem expromit. Vnde

Ambros. ad ea verba Ps. 118. Ambr. ser. 22. *Non potest quis antea eructare hymnum, nisi didicerit iustitias Dei, & didicerit ab ipso Domino Deo suo.* Sane Græcū verbum ἐξερεύξεται præter ructationem, etiam verborum emanationem, & germinationem significat, vt similibus, & appositis metaphoris, tanquam ab scaturiente fonte; siue etiam à semine, siue radice arboris sermones recti ex intimo pectore dimanare, & erumpere dicantur. Et vero quamuis posteriores hæ similitudines vim prosilientium sermonum pulchre declarent; ructationis me magis similitudo delectat; quod illa præter abundantiam cordis diuinis

iustifica

iustificationibus instructi, illud etiam ostendit vix
in potestate cordis Deo addicti esse, vt de ipsius re-
Hieron. bus non loquatur. Vndè Hieron. in cap. 1. epist. ad
Ephes. Paulum sæpe sæpius, & quo ad speciem su-
perflue, ac extra rem reipsa appositè omninò, & op-
portunè Christi nomen vsurpasse, sic obseruat. *Hoc
autem patiebatur Paulus de nimio amore Christi, vt
eum, quem diligebat, etiam superfluè, & extraordina-
riè nominaret.* Quasi ille, qui Christum in animo
haberet, non secus ac sibi ingestum cibum non
posset non eructare. Similiter in eiusdem Psalm. 44.
decursu dixit Dauid: *diffusa est gratia in labiis tuis
&c.* Vbi sedem gratiæ, quæ alioqui in animo est, nō
abs re in labiis collocauit, quasi idem sanè esset &
cordi gratiam, & labiis inesse: ea enim ratione, quod
in animo commoretur, in labiis etiam necesse est
Paulin. adesse. Ita Florentio Episcopo dicebat Paulin. epist.
30. *Sermo tuus nobis Apostolico sale conditus expressit
saporem gratiæ, quæ tibi data est, & de stillicidiis la-
biorum tuorū gustauimus, quā suauis sit in te Dominus.*

11. A Dauide autem instructus Salomon Prou. 22.
Prou. 22. 17. 17. dixit. *Appone cor ad doctrinam meam, quæ pulchra
erit tibi cum seruaueris eam in ventre tuo, & redun-
Pagnin. dabit in labiis tuis*: vbi ex Hebræo Pagnin. *si custo-
LXX. dieris ea* (verba sapientiæ) *in corde tuo, dirigentur
pariter in labiis tuis.* LXX. verò. *& si immiseris eos in
cor tuum, ædificabunt te simul in tuis labiis.* Vbi tri-
plicem imaginem obserua, redundantiæ, directio-
nis, & ædificationis, quibus sapiens necessariam la-
biorum cum animo, seu corde coniunctionem ad-
struit, & de primâ quidem redundantia à fonte sca-
turiente aquam, quam etiam præfata verba, *diffusa
est gratia in labiis tuis*, videntur exprimere, iam agi-
mus; dum verò sermones in labiis dirigi dicuntur,
rectum à corde ad labia iter esse, demonstratur; æ-
dificandi autem metaphora, quam LXX. vsurpant,
pulchrè innuit, verba bona, quæ à corde procedunt,
in labiis ædificata esse; idest, propriam ibi sedē, vbi
firmiter inhæreant, habere: quod secus illis accidit, à
quorum corde Dei spiritus abest, qui si aliquoties,
vt viros se spirituales simulent, rectos sermones
vsurpare gestiāt, cito illi tanquam res, quę nulli fir-
mo fundamento innitatur, ab eorum ore decidunt.

12. Ergo illi minime sinceri censendi sunt, qui de re-
bus diuinis frequentiùs non loquuntur: est namque
indicio Deum ipsorum cordibus infixum non esse;
aliter enim eructarent *verbum bonum*; & diffusa in
eorum labiis gratia cōspiceretur. Rem sic expressis-
Luc. 6. 44. simè monuit Assertor apud Lucam 6. 44. *Vnaqua-
que enim arbor de fructu suo cognoscitur: neque enim
de spinis colligunt ficus, nec de rubo vindemiant vuam;
bonus homo de bono thesauro suo profert bonum, & ma-
lus homo de malo thesauro profert malum.* Et statim
thesi ad hypothesim reuocata sic infert. *ex abundan-
Luc 6. 45. tia enim cordis os loquitur.* Similiter apud Matt. 12.
Mat. 12. 34. 34. necessariâ argumentatione id confirmans. *Pro-
genies* (inquit) *viperarum quomodo potestis bona lo-
qui cum sitis mali? ex verbis enim tuis iustificaberis,
Basil. & ex verbis tuis condemnaberis.* Ex quo loco Basil.
de verbis ad animū euidentiam fieri, & Chrys. na-
turalem hanc consequentiam esse optimè monent:
sic enim prior in catena S. Thomæ, apud Lucā: *Ver-
bi etiam conditio cor, à quo processit manifestat, eui-
denter ostendens dispositionem præcordiorū nostrorum.*
Chrysost. Chrys. vero hom. 43. in Matt. *Naturalis cōsequentia
est, vt cum intus abundet nequitia, effluant verba ne-
Bern. quam.* Ad quem subinde modum Bern. verba vana,
Clem. Alex. animum vanum, Clem. Alexan. sermones ridiculos,
animum ridiculum ostēdere ex his Assertoris ver-
bis affirmant. *Vanus enim sermo* (inquit Bern. lib. de
inter. dom. c. 43.) *vanæ conscientiæ est index: mores
hominis lingua pandit, & qualis sermo ostenditur, ta-
lis animus comprobatur, quoniam* ex abundantia cor-
dis os loquitur. Similiter Clemens lib. 2. pædagog.
c. 5. *Cum enim verba omnia emanent ex cogitatione,
& ex moribus, fieri non potest, vt verba aliqua emittā-
tur ridicula, quæ non proueniant à moribus ridiculis.
Illud enim*, non est arbor bona, quæ faciat fructus
malos, *sic aptandum est: fructus enim cogitationis est
sermo.* Ab hoc non it illud Eccl. 27. 7. *Rusticatio de* Eccl. 27. 7.
ligno ostendit fructus illius; ex interpretatione enim
Martini del Rio ibi 2. tom. adagiorum, voluit dice- Mart. del Rio.
re, linguam, cor, & animum loquentis ostendere.

13. Equidem huius consequentiæ bonitatem illud
signatissimè confirmat, quod hac potissimum de
causa, quod aliena Christus in se suscepit exsoluen-
da delicta, alienorum etiam delictorum verba simul
susceperit, atque ideo in cruce, sic ad Patrem clama-
uerit, *Deus Deus meus quare me dereliquisti?* quæ
cum valde sint obscura, cum Filius à Patre nūquam
possit non suscipi, & amplecti, sic statim ea apud
Vatem, Ps. 21. 1. explicat, vt ipsorum rationem red- Psal. 21. 1.
dat, *longè à salute mea verba delictorū meorum.* Quæ
omnia sic explicat Ambr. ad finem lib. de Incarnat.
Sacram. *Non capiatur, qui audit*; quare me dereli-
quisti: *sed intelligat, quod secundum carnem ista dicū-
tur, quæ longè à plenitudine diuinitatis aliena sunt;
aliena enim sunt à Deo verba delictorum, quia aliena
sunt & delicta verborum, sed quoniam delicta aliena
suscepi, etiam delictorum alienorum verba suscepi, vt
derelictum me à Patre esse dicam, qui apud Deum
semper sum.* Hæc Ambros. Sed non nimis premen-
da, & emungenda, imo in mysterio, & per exagge-
rationem, siue figuratā locutione dicta, accipienda
sunt. Redeo ad superiora.

Pergit sanè stringere ex præfatā Christi senten- 14.
tia superiorem doctrinam Basil. in breuior. reg. in- Basil.
terrog. 18. vt locum etiam habeat, cum is, qui lo-
quitur, nihil apud se mali in corde habere reputat,
dum enim sic inquirit. *Num illi, qui dum furiose, &
audacter loquitur, & à prælato ex verbis interiorem
animi morbum deprehendente obiurgatur, responderit
nihil mali se habere in corde? fidem facere oporteat an
non?* sic respondet: *Animi vitia non omnia manife-
sta omnibus sunt, ne ipsi quidem illi in quo sunt, vt &
in corpore; vt igitur in corporibus, qui harum rerum
periti sunt signa habeant quædam occultorum, & illius
ipsius, in quibus illi insunt, sensum fallentium morbo-
rum, sic similiter in animo etiam, esto, qui peccat, is
morbum suum ipse non agnoscat; credere tamen Domi-
no debet, qui & ipsi, & cæteris similibus affirmauit
malum hominem de malo thesauro suo, corde videlicet
proferre mala.* Possis vero sententiæ Basilij addere,
non solum veram esse cum is, qui loquitur impro-
bum habere animum simpliciter negat, sed cum id
iureiurando etiam obtestatur. Sic Petro in domo
Principis Sacerdotum, iterum, atque iterum iuranti
se è Christi asseclis non esse, opportunè obiecit an-
cilla ostiaria. *Galilæus es, nam & loquela tua manife-
stum te facit.* Matth. 26. 73. Mat. 26. 73.

15. Egregia autem ad rem præsentem sunt verba
Psalm. 5. 12. *Quoniam non est in ore eorum veritas;* Psal. 5. 12.
*cor eorum vanum est: sepulchrum patens est guttur eo-
rum.* Vbi cum Cassiodoro obserua causalem illam Cassiod.
particulam *quoniam*, ita esse accipiendam, vt ex ore
animus diiudicetur hoc sensu. Quoniā cor eorum
vanum est, ideo non est in ore eorum veritas, siue
quoniam non est in ore eorum veritas, facile depre-
henditur cor eorum vanum esse: vnde pulchrā vsus
similitudine sepulchri non operti grauem odorem
emittentis, manifesteque indicantis cadauer ibi esse,
subdit, *sepulchrum patens est guttur eorum:* quasi dicat

os

os eorum, dum profert sermones improbos, & noxios, euidenter ostendit ipsorum animum nequitiâ, & improbitate plenum esse, à quo verba illa putrida, & fætentia, exhalentur. Quare Paulus citato loco ad Ephes. 4. 29. non sine acumine dixit: *Omnis sermo malus ex ore vestro non procedat:* sed obserua Græcè pro, *malus*, posuisse vocem σαπρός, quæ propriè significat, *putris*, siue, *putridus*, aut vetustate putidus, indicans putridum potius animum, à quo putres sermones profluant. Vnde Ambr. orat. de excessu Satyri, cordis eius puritatê à verbis sic commendat, *Mundus corpore, purior corde, non minus adulterini sermonis opprobrium, quam corporis perhorrescens: non minus ratus pudicitiæ reuerentiam exhibendam integritate verborum, quam corporis castitate.* Pende singula, quia egregia.

Ad Ephes. 4. 29. — Ambros.

16. Ita quidem in pisce illo Matt. 17. 26. apud quem inuentus est nummus, quem ad tributi solutionem Petrus extraxit, scitè considerauit Theoph. auarum, qui nihil aliud habeat in ore, quam pecuniam, aurum, lucra, ac negotiationum modos; id quod ad omnes diuersarum cupiditatum sectatores iure possis accommodare. Sed expende, quod cum vno ex capite nihil sit, quod homines maiori curâ celare studeât, ac animi sui penetralia, & cogitationes, ipsis etiam Angelis inscrutabile cor habere volentes; ex alio nihil illos minus assequi: dum os suum instar patentissimi sepulchri occultissimas, impurissimasque animi sui cogitationes aperientis habent, abscôdissent quidem animum suû si oris sui sepulchrum clauderent: *stultus enim si tacuerit, sapiens reputabitur.* Prou. 17. 28. Vndè Socrates adolescenti cuidam pertinaciter tacenti dixit: *loquere adolescens, vt te videam*; at dû verba vana, & impura loquuntur, apertè interiorem animi faciem retegunt; nam, *viri figura oratione cognoscitur*, vt senarius habet Græcus, & fœtidum animi cadauer omnibus patefaciunt, abundè ostendentes mortuam se Deo vitam agere, nec nouum hominem, sed veterem induisse: vnde, vt superiùs vidimus, dicebat Card. Petrus Damian. illos, qui ociosis verbis postposito verbo vitæ vacabant, ora sua cisternas facere, ex quibus non noui, sed veteris hominis verba proferrent. A quo quidem non it, quod de curiosis, & vanis habet Plutarch. in lib. de curiositate, dum eos, ex affectu ad vana, & noxia audienda, vt de iis postea cum aliis confabulentur, cognosci latè confirmat, ibi inter plura scitè, & prudenter dicta habet. *Nam, vt cucurbitulæ, quod prauissimum est ex carne trahunt, ita curiosorum aures sermones arripiunt peruersissimos, atque adeò quomodo vrbes habent portas nefastas, & tristes, quibus educunt eos, in quos vltimo supplicio animaduertitur, sordesque, & piacula eiiciunt: purum autem, vel sacrum nihil ingreditur, aut transit illac: perinde curiosorum aures boni, vel vrbani nihil: cæterum capitalia dicta permeant, atteruntque, quæ piaculares, & execrabiles narrationes deportant.*

Mat. 17. 26. — Theoph. — Prou. 17. 28. — Petr. Dam. — Plutarch.

17. Hinc Dauid cum illud adeò enixè peteret, vt se de manu filiorum alienorum liberaret. Psal. 143. 8. *Erue me de manu filiorum alienorum*, vt proprium horum characterem describeret; subdit: *Quorum os locutum est vanitatem*, quasi hæc sit prima nota filiorum alienorum, id est, eorum, qui non, *ex Deo, sed ex sanguinibus, & voluntate carnis*, nati sunt, vt non loquantur sermones rectos, sed vanos. Certe Baptista de Assertore nostro, vt naturalem illum, & germanum Dei filium assereret, atque ab alienis filiis discriminaret, dicebat Ioan. 3. 31. & 34. *Qui est de terra, de terra est, & de terra loquitur. Quem enim misit Deus, verba Dei loquitur.* Similiter de legitimis Dei filiis, qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt, per Soph. Dominus, c. 3. 9. *Tunc reddam populis labium electum*: ecce sermones rectos populi peculiaris, sed cur dixit Propheta: *Labium electum*: non vero, *labia electa*, in numero plurali? opinor, vt innueret continuum, & indefessum hâc de re studium nunquam quidem interruptum: sic in scriptura singularis numerus continuam rei exercitationem designat. Ita Ps. 6. 7. vbi nos habemus, *lacrymis meis stratum meum rigabo*, Hebraice est, *lacryma mea*, vt indicet Propheta totû se in lacrymis, & mœrore esse, nec vnquâ fletui parcere. Vnde in hanc sententiam Amb. in Ps. 118. octon. 20. hæc habet: *Noctibus, ac diebus, sine vlla cessatione recensito Scripturas diuinas, quia etsi quid aliud seniorem interrogaueris, nescit, nisi Scriptura diuinæ sermonem resultare; vacat illic sermo de sæculo: sola illic Scriptura contexitur, singulorum sibi per vices ora succedunt, ne quando sacer ille sonus mandatorum cælestium feriatur.* Vt hinc videas nô esse germanam Dei prolem, qui iam de diuinis rebus, iam de terrenis, & prophanis sermones miscent: sunt enim nonnulli, qui dum spirituales se viros simulare gestiunt, rectos loqui sermones student: at, quia *cor illorum vanum est*, nec labium electum habent, sensim in prophanas confabulationes delabuntur. Dicimus Hispane. *Vase les la lengua à lo Griego.* Ita 2. Esdræ 13. de filiis Hebræorum, qui in Babylone, captiuitatis causâ è mulieribus alienigenis nati fuerant, dicitur iuxta linguam populi, & populi loqui solitos: *Vidi Iudæos ducentes mulieres Azotidas, Ammonitidas, & Moabitidas, & filij eorum loquebantur Azotice, & nesciebant loqui Iudaice, & loquebantur iuxta linguam populi, & populi.*

Psal. 143. 8. — Ioan. 3. 31. — Soph. 3. 9. — Psalm. 6. 7. — Ambros. — 2. Esdr. 13.

Ad illa verba. *In diem* CHRISTI.

ADNOTATIO VIII.

Iudicij diem ea potissimum ratione diem Christi appellari, quod in illa cumulatissima suis præmia sit collaturus.

1. DIXIMVS ad vers. 6. extremum iudicij diem appellari à Paulo diem Christi, qua vero ratione, modò discutiendum.

Quod reddendæ rationis cura, & extremi iudicij timor, simulque gehennæ horror deterrere potius, & exagitare, quam præmiorum magnitudo demulcere homines soleat, inde est extremum diem, qui de omnibus sententiam dicent, formidolosum, & terribilem, quam gratum, ac iucundum frequentius à nobis concipi. At enim verò id citra mentem Dei, qui ea potissimum de causa extremum diem, diem suum appellat, quod diuitiarum thesauros in homines tunc effundere decreuerit; nô animas solùm vt ad eum vsque diem, sed corpora etiam immortalibus gaudiis beando. Vnde pie, & Ecclesiastica phrasi Stephanus Cantuar. ad illa verba Oseæ 9. *Quid facietis in die solemni?* in allegoriis Gotfridi Tilman. hac singulari ratione iudicij diem, solemnem diem appellat: subiicit verò: *nota, quod duplex festum solet dici solemnitas, modo quidem simplex quoddam festum est, scilicet in stolâ animæ, sed tunc erit duplex festum, quia boni recipient duplicem stolam, scilicet animæ, & corporis.*

Steph. Cant.

2. Et verò præter illa Christi verba ad hanc rem peropportuna, Ioan. 3. 17. *Non misit Deus filium suum in mundum, vt iudicet mundum, sed vt saluetur mundus per ipsum.* Hac omnino de causa iudicij dies ab ipsomet Domino nuptiale festum appellatur: sic Matth. 15. dum sub variis parabolis, siue imaginibus hic dies illustratur; illa est signatissima, qua animæ

Ioan. 3. 17.

animæ sub imagine virginum sponso ad nuptias venienti, sponsamque domum deducenti occurren-
Luc. 12. 36. tium inducuntur. Sed & Luc. 12. 36. dum huius diei à Domino peculiaris mentio fit, dicitur: *Et vos similes hominibus expectantibus Dominum suũ, quando reuertatur à nuptiis*: vndè nullam hâc Christo lætiorem diem, quod præmia suis largiturus aduenia, esse constat: etenim nuptialis dies præsertim apud Reges, & Principes, omnium gratissimus habetur.
Cant. 3. 11. Sic Cant. 3. 11. cùm dixisset Salomon, *in die desponsationis eius*, subdit, *& in die lætitiæ cordis illius*. Ergo in hac nuptiarum imagine duo sunt ad rem nostram adnotanda; alterum: Christum de electorum felicitate, & gloriâ, ac de re sibi propria hâc die decernere; alterum; supplicia omnia, quæ ea die rectus rerum æstimator, & iudex de reprobis sumpturus est, ab ipsius voto, & intentione, quam longissimè esse, quasi dum ipse pacatissimo ingenio gratantique animo iustis beatitudine afficiendis obuiam eat: reproborum peccata ei ex aduerso procedant, & in ipsius benignitatem incurrant.

3. Et primum quidem sic disertè pronunciat idem Dominus, dum sempiternam gloriam vnicuique
Mat. 25. 21. beatorum decernens, Matth. 25. 21. ait: *Euge serue bone, & fidelis intra in gaudium Domini tui*: vbi expende non dixisse gaudium tuum, quasi beandi hominis gaudium esset, sed, *gaudium Domini tui*, quod nimirum, vt æterna beatitudo electi gaudium, & merces quâ ille sempiterna voluptate afficiatur, sit; at cum longe maiori gaudio, ac incredibili lætitiæ voluptate ipsemet Deus de hominis bono, & felicitate perfundatur; potiori ideò iure Dei, quã ipsius
Theodor. hominis gaudium à Domino nuncupari. Ita Theodoretus ad illud Pauli ad Hebræos 12. 2. de Christo:
Heb. 12. 2. *Proposito sibi gaudio sustinuit crucem*, ait, *seruatoris nostri gaudium est salus hominum*. Similis, imò ea-
Gregor. dem cum hâc, obseruatio Gregorij est, hom. 34. in Euang. in illis verbis pastoris optimi: *Congratulami-*
Luc. 15. *ni mihi, quia inueni ouem, quæ perierat*, adnotantis non de ouis ipsius, sed de suomet bono congratulationem ab amicis deposcere: *Notandum, quod non dicit congratulamini inuentæ oui, sed mihi: quia videlicet eius gaudium est vita nostra, & cum nos cœlis reducimur, solemnitatem lætitiæ eius implemus.*

4. Consona huic & illa gratulatio est de drachma
Luc. 15. 9. perdita indidem à Domino vers. 9. adducta: *Congratulamini mihi, quia inueni drachmam, quam perdideram*: habet verò plusculum opportunitatis ad rem præsentem, ea similitudo, quæ à drachma potius, quam ab aliâ supellectile desumpta est, quòd,
Ambros. vt ibi habet Ambr. li. 5. in Lucam, *in drachma Principis figura est*. Vnde ipse rursus in annotationibus ad caput 32. Exodi acute obseruauit, non denariũ, sed drachmam ad eam similitudinẽ vsurpari, *quia in denario imago Cæsaris est, in drachma Dei*; vt, vel hinc euidentiùs appareat, quanti apud Deum hominis salus fiat, quantamque nostræ cum suis affinitatem res habeant; vt nostrum quidem lucrum ad propria emolumenta ipse reuocet, nimirum, cum ipse in nobis tanquam imago drachmæ insculpta sit, vt si more humano loquamur, simul nobiscum deperdi, simul inueniri, & lucrifieri bonus Dominus dicatur.

5. Est verò ad hanc rem signatissimus locus Sa-
Sap. 4. 18. pient. 4. 18. vbi cum de iusto immatura, sed preciosâ morte à Domino sublato, *ne malitia mutaret intellectum eius*, multis egisset Sapiens; subdit insipientium hac de re existimationem: *Videbunt enim finem sapientis, & non intelligent, quid cogitauerit de illo Deus, & quare munierit illũ Dominus*. Vbi cum pro, *munierit*, Græcè sit, ἠσφαλίσατο, *tutum reddiderit*, siue *securum fecerit*: id est ab instantibus iam iamque imminentibus huius vitæ periculis, & casibus in tutum receperit, quo pene modo, dum Marciam de paracerbo filij interitu consolaretur Seneca, dixis- Senec.
setque: *Cogita animi mille labes, neque enim recta ingenia, qualem in adolescentia spem sui fecerant, vsque in senectutem pertulerunt, sed interuersa plerumque sunt. Aut fera, eoque sæuior luxuria inuasit, & coegit dehonestare speciosa principia, aut in popinam, vẽtremque proiectis, summa illis curarum fuit, quid essent, quid biberent.* Subiicit opportunissime. *Cum ista perspexeris, scies optimè cum his agi, quos natura, quia illos hoc manebat vitæ stipendium*, (idest tam dura infelicis huius militiæ merces) *cito in tutum recepit.*
Valde est obseruatu digna lectio Bibliæ Complu- Bibl. Cōpl.
tensis, quę Græce pro αὐτὸν illum; legit ἑαυτὸν se ipsũ, id est: *Et quare munierit se ipsum Dominus*: pulchra quidem exaggeratione innuens Deum semetipsum tutum, ac securum reddere, cum suos reddit tutos, atque securos. Tanta Dei societas nobiscum, vt imperturbabilis Dei requies; inuulnerabilis felicitas, & vt animose loquar, ipsemet Deus, *quem extra ictũ* Senec.
(Senec. lib. 7. de benef. c. 7.) *sua diuinitas posuit*, periclitari nobiscum, & discrimini obnoxium esse pro nostro captu videatur. Firmat hanc cogitationem ipsemet Dominus, Ier. 6. 26. inquiens. *Filia populi* Ier. 6. 26.
mei accingere cilicio, & conspergere cinere, luctũ vnigeniti fac tibi, planctum amarum, quia repente veniet vastator super nos: vbi iure discedendũ monet Hieronym. à versione LXX. qui pro, *super nos*, reposuerunt, *super vos*, Hebraicis omnibus originibus cõtraeuntibus; diuinoque ingenio, & natura, quæ suorum calamitates suas ducit, nostram lectionem confirmante. Audi Hier. *Licet LXX. verterint*, vastator Hieron.
super vos: *Multo tamen misericordius Deus dixit*, super nos, *vt quidquid super suum venturum est populum, super se quoque venire testetur*: Nec omittam peculiaria à Domino mitissimi huius sensus, ac luctus exhibita in verbis signa fuisse, dum ait: *Luctum vnigeniti*. Quis enim notanter, & singillatim vnigenitum habere, nisi Deus dicitur? Ergo innuit, tenerrimo se de populi sui clade, affectu tangi, ac cõmoueri, ac si quodammodo vnigenitum perdidisset.

Certe in hanc sententiam apud eundem Vatem 6.
dixisse videtur Dominus: *Multiplicatæ sunt mihi vi-* Ier. 15. 8.
duæ eius super arenam maris, Ierem. 15. 8. vbi non possis non ambigere, quid sit multiplicatas ipsimet Domino viduas? Is enim innuitur sensus, ac si viduitas, & orbitas Domino contingeret, multiplicatæ sunt mihi, inquit, ac si diceret mihi factæ sunt viduæ. Me hæc calamitas tangit, ac premit. At id, qui dici opportune queat? Respondet opportunius Paulus ad Rom. 14. 7. *Nemo enim nostrûm sibi viuit,* Ad Rom. 14. 7.
& nemo sibi moritur, siue enim viuimus, Domino viuimus, siue morimur, Domino morimur. Vbi rursus dubites, qui homo sibi non viuat; qui sibi non moriatur? Cum verissime dixerit Tertul. lib. de pallio, cap. 5. Tertul.
Nemo aliis nascitur moriturus sibi. Facilis est respõsio eo ipso, quod sibi homo viuat, sibi moriatur; hoc est, quod certa præmij, siue supplicij merces eum maneat: Deo viuere, qui vitam nostram suas diuitias existimat, Deo mori, mors nostra pro damno est, optima ratione dicatur. Ita Chrys. & Theoph. in ea Chrysost.
verba. Sic enim prior. *Per hæc verba ostendit, quod* Theoph.
vitam nostram diuitias suas, & mortem, damnum æstimet. Non enim nobis ipsis tantum moritur, sed etsi moritur, Domino moritur, mortem verò hic eam, quæ ex fide est, *vocat*. Vides optimâ ratione dictum à Domino? *Multiplicatæ sunt mihi viduæ*; quod qui viuat, Domino viuat; qui moriatur, Domino, qui pro diuitiis vitam nostram habeat, moriatur. Similiter Theophyl. *Dominum habemus, cui curæ nos sumus, qui pro diuitiis vitam hanc nostram ducit, & mortem*

pro

pro damno. En quam certa ratione diem suum, cum appellet, in quo æternam vitam suis est largiturus.

7. Sed id ipsum ipsemet Dominus diuersis in locis
Ier. 15.10. nobis expressit. nam apud Ierem. c. 15. 10. signatissimis locutionibus querulus, & gemebundus ait: *Væ mihi mater mea; non fæneraui, nec fenerauit mihi*
Lect. Tig. *quisquam*, siue vt Tigur. *Nec fænori oberatus sum.*
LXX. Vbi LXX. *non profui, nec profuit mihi quisquã*, Theo-
Theodot. dotio, *non debui, nec debuit mihi quisquam*: vbi cum ex interpretatione Hier. sub Domini personâ dicantur, infinitã emphasim continere videntur: is ne enim Deus est, qui ære alieno premi, cuive humana mor-
Hieronym. talitas prodesse possit? Audi Hier. *Quorum omnium hic sensus est ex personâ Christi*; nõ profui: *Nullus enim tantum voluit accipere, quantum ego tribuere desideraui*; nec profuit mihi quisquam: *Salus enim creatura lucrum est creatoris*; *aut certè*, non debui, nec debuit quisquam: *Nemo enim dedit mihi, quæ ego accipere cupiebam, nec me fecit sibi in aliquo debitorem*, nec debuit mihi quisquam, *quia nolebant à Deo beneficia recipere.* Audis negotiatorem Deum; lucra, & emolumenta; detrimenta etiam, & damna persentientem? Quæ quidem omnia in vnâ hominis salute versantur. Ideò subdit Hieron. *In quibus omnibus perpende ingentem erga nos amorem in nomine fauoris, debiti, & vtilitatis, quibus vtitur hic Deus, cum reuera nullius indigeat vt suum in hominem exprimat affectum, & beneuolentiam.*

8. Deinde extrema vitæ suæ nocte sic inter cænan-
Mat. 26.29. dum suos est Christus allocutus, Matt. 26. 29. *Dico autem vobis, non bibam à modo de hoc genimine vitis vsque in diem illum, cum illud bibã vobiscum nouum in regno Patris mei.* Vbi cum de illo vino, quo bea-
Psal. 35.9. ti *inebriantur ab vbertate domus Dei*, Psalm. 35. 9. sermo sit, quo quidem, tunc etiam temporis ipsemet Christus fruebatur, & (si de carnis glorificatione agatur) quod non multos post dies, plures vero per annos ante Apostolorum gloriã erat bibiturus; magno mysterio, & tenerrimo affectu dictũ appatet: *Non bibam vsque in diem illum, quo bibam vobiscum*: est enim, ac si quodammodo diceret, vix capiam gustum ex mea gloria, donec vos mecũ eius comparticipes videam; Hispane: *No me sabrà bien la gloria, ni harè cuenta; que la tengo, mientras yo no os*
Theophyl. *viere à vosotros en ella.* Ita Theoph. ibi: *Caterum bibere dicitur Christus nobiscum, eo quod nostram vtilitatem, cibum, & potum suum existimat.* Sed id magis,
Cyr. Alex. ac magis diffundit S. Cyril. Alex. lib. 7. in Leuit. benignè, & candidè accipiendus. *Quandiu nos non ita agimus, vt ascendamus ad regnum, non potest ille vinum bibere solus, quod nobiscum se bibere promisit. Est ergo tamdiu in mærore, quandiu nos persistimus in iniquitate*; & post nonnulla: *Expectat ergo, vt conuertamur, vt ipsius imitemur exemplum, vt sequamur vestigia eius, & lætetur nobiscum, & bibat vinum nobiscum in regno Patris sui, &c. Non vult ergo solus in regno Dei bibere vinum, nos expectat. Si enim dixit, donec bibam illud vobiscum: nos sumus igitur, qui vitam nostram negligentes, lætitiam illius demoramur. Expectat nos, vt bibat de generatione vitis huius.*

9. Vrget verò id statim Cyrillus aliã ad hoc institutum opportuna ratione, quod nimirum Christus, noster aduocatus sit. Saluator meus lætari non potest, dum ego in iniquitate permaneo. Quare non potest? quia est aduocatus pro peccatis nostris 1.
1. Ioan. 2.1. Ioan. 2. 1. Quod eo etiam referas, vt gloriam beatorum suam omnino Christus reputet, sicut, & ipsorum causam, cum aduocatum ageret, suam existimabat. Vis videre? Si cum ad causam tuam defendendam aliquem in aduocatum vocasti, atque is tui patrocinio suscepto, iureque in iudicio suggesto, in eius ditionis, aut vrbis iudicem est assumptus; meritò à tuis aduersariis suspectus habetur, & à causæ cognitione reiicitur, quod cum primum causam suscepit, eo ipso eius particeps est factus, suãque non minus, quam tua iudicij euentus intersit. August.
Sed id ab August. audi serm. 219. de temp. vbi eum dixisset. *Quid enim nobis felicius, quam quando venit, quem desideramus? Quando venit quem amamus? Si teneamus* (sic lego; non, *sed*) *quia iudex noster erit, qui modo est aduocatus noster, ipse tunc erit iudex noster.* Subiicit præfatam rationem. *Si haberes causam apud aliquem iudicem agendam, & instrueres aduocatum, esses susceptus ab aduocato, ageret causam tuã, sicut posset, etsi non illam finisset, & audires, illũ in iudicio venturum, quantum gauderes, quia ipse potuit esse iudex tuus, qui fuit paulò ante aduocatus tuus?* Et statim: *Aduocatum enim habemus, & iudicem timeamus? Imò, quia aduocatum præmisimus, securi iudicem venturum speremus.* Ac si diceret, sua interest, suam causam aget, cum nostram egerit.

Quo etiam refero peculiarem locutionem, qua 10.
Dominus vtitur, dum eum, quẽ olim in amicitia habuit, à se tandem si pertinaciùs in scelere durauerit, remouendum fore affirmat. Sic enim Ierem. 22. 24. Ier. 22.24.
Si fuerit Iechonias filius Ioacim Regis Iuda annulus in manu dextera mea, inde euellam eum. Vbi obserues velim verbum, *euello*, quod, vt propriè quidem significat, cum vna res ab illa, cum qua intimã coniunctionem habuit, magna vi, & dolore, (si eius sit capax) disiungitur: ita denotat illud, quod auellitur, nonnihil eius, à quo abstrahitur secum rapere, vt de hoc verbo pulchrè monuit Tertul. de carne Christi, Tertul.
c. 20. cum enim prius dixisset: *Quid auellitur, nisi quod inhæret? Quod infixum, innexum est ei, à quo, vt auferatur, auellitur.* Deinde verbi proprietatem plus premens, subiicit. *Cum quid extraneum extraneo agglutinatur, ita concarnatur, & conuisceratur cum eo, cui agglutinatur, vt cum auellitur, rapiat secum ex corpore aliquid, à quo auellitur, quasi sequelam quandam abrupta vnitatis, & traducis mutui coitus*: vt hinc coniicias; quanto cum dolore, imò, & detrimento (si humano loquamur modo) eum à se Deus proiiciat hominem, quem antea in amore habuit, cum auulsus aliquid ex eo, à quo auellitur, secum rapiat, necesse est.

Hinc verò non solum liquet, propriã sibi vniuscuiusque beati gloriam Deum existimare; sed quod 10.
secundo etiã loco proposuimus supplicia peccatoribus non ex animo, sed diuino ingenio reluctãte, à Deo in hac die decerni; quis enim libẽs mẽbra sibi abscindat, vel partẽ corporis; imò, & animæ, si hæc foret partibilis, auellat? Sed id longius cõfirmare est animus, nec solum ex sponsi cognomine, & lætissima nuptiarum die: cum nunquam Principibus, imo nec Tyrannis, quibus in deliciis erat in humanum genus sæuire, tã truculenta natura, aut tàm peruersus vnquam mos fuerit, vt nuptialem diẽ, ad pœnas de facinorosis sumendas destinarint, sed ex ipsiusmet Domini, tã in electos, quam in reprobos sententiis proferendis, videor etiã id mihi colligere: & ex eo in primis, quod non priùs in reprobos gladiũ vibrarit, sed electis potius præmia distribuerit, sic id obseruante Pasc. li. 11. in Mat. *Quod autẽ prius* Pasch.
eos, qui à dextris sunt, remunerat, benignitas est Saluatoris Dei, quia semper mauult beneficia gratis præstare, quam vindictã peccatorũ etiam debitã rependere.
Quem sanè ad modum Ezec. 9. 4. in strage Solimitanæ vrbis prius de salute suis danda, quã de supplicio de sontibus sumendo Deum consuluisse videas, eaq; de causa antequã sex illos furẽtes iræ suæ ministros in peccatores ferrum distringere sineret, virũ linteis vestitũ præmisit, qui salutari signo, eos in frontibus communiret, qui à cæde immunes esse debebant. Ezech. 9.4.

Polychron. debebant. Ita ibi Polychr. *Nondum supplicium irrogatum esse dicit, sed interim notatos esse innoxios, quod erat differentis punitionem, quoniam ad salutem velox est Dominus, ad punitionem tardus.*

12. Deinde hanc cogitationem confirmat emphatica Regis appellatio, quâ in præmiorum distributione, non verò in reproborum suppliciis singillatim Christus vtitur, & (vt ita dicam) se libens ornat: sic Mat. 25. 34. enim cum de gloria suis danda loquitur, Matt. 25. 34. *Tunc dicet Rex his; qui à dextris eius erunt, venite benedicti Patris mei*, &c. Et v. 40. *Et respondens Rex dicet illis. Amen dico vobis, quando fecistis vni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis*: cum autem de pœnis sumendis sermonem instituit, sic demutat stylum. *Tunc dicet & his, qui à sinistris erunt. Discedite à me*, &c. Et statim. *Tunc respondebit illis, dicens. Quandiu non fecistis vni de minoribus his*, &c. Planè vt innuat, tam regnum, maiestatem, & potentiam sibi innatam, quam externum, quod ostentat ornamentum, & pompam ad benefaciẽdum solum & præmia suis elargienda, non verò ad pœnas irrogandas deseruire, ac tendere: sic dixit Cassiod. li. 11. Cassiod. variar. (quod Principibus altâ mente repostum, infixumque esse deberet) *Summus nimirum ad nocẽdum priuati, ad præstandum iudices*: ô bonum præfectum! Nec longius ab hoc it, Dominum tam singillatim, ac peculiariter omnia iustorum opera recensere, tam luculenter exornare, ac laudibus efferre, reproborum verò demerita breuiùs, & compendiariâ locutione enumerare: qui enim ad electos, Matth. 25. Mat. 25. 36. 36. post alia dixit: *Infirmus, & visitastis me; in carcere eram, & venistis ad me*, ad reprobos sententias colligens, ac verba præcidens, ait num. 43. *Infirmus: & in carcere, & non visitastis me*: cur enim illa longiùs recenseat, hæc vero detruncet, nisi, quia benefaciẽdo, & benedicendo tamquam de re sibi propriâ delectatur; cum vero improperat mœrore (vt ita dicam) contrahitur, quasi id ab eius ingenio sit alienissimũ? Origen. Ita ad hæc verba Matthæi, Orig. & Pasch. Quorum prior: *Et considera, quia loquens ad iustos per singulas species eorum beneficia dinumerat: ad iniustos autem præcidens, infirmus, & in carcere: quoniam misericordis iudicis erat benefacta quidem eorum prædicare, & ampliare, malefacta autem eorum transitoriè memorari, & abbreuiare.* Hæc Origenes, à quo similia de- Pasch. sumpsit Pasch. certè, vt ostendat, primariam sui aduentus causam ad id esse, vt in electos suos cumulatissima dona conferat, nec re solum ipsa, sed verbis honore eos afficiat; de reproborum vero peccatis, ac suppliciis, quasi per transennam, & aliò spectans agat.

13. Origen. Ad hæc diligenter in eandem sententiam obseruauit Origenes tractatu 34. in Matthæum, discrimẽ inter ea verba, quæ electis, & quæ damnatis dicturum se Dominus affirmat: sic enim electis: *Venite benedicti Patris mei*; reprobis verò: *Discedite à me maledicti*: eo videlicet discrimine, vt, qui æterna beatitudine donandi sunt, non tantum, *benedicti*, sed, *benedicti Patris*, appellentur, ij autem, qui æternis addicendi sunt suppliciis, non maledicti patris; sed tantum, *maledicti*, dicantur. *Considerandum est autem, quoniam in sanctis non solum dictum est benedicti, sed cum additamento: non qualemcumque honorem habentes, id est, benedicti non alicuius alterius, nisi Dei patris; è contra autem, quibus dicitur maledicti, non dicitur maledicti patris mei, nam benedictionis quidem ministrator est pater; maledictionis autẽ vnusquisque sibi est author, qui maledictione digna est operatus.* Hæc Origenes, satis quidem ad mentem Patriarchæ Noë, qui Gen. 9. 25. improbo filio Cham Gen. 9. 25. infausta imprecans; probo verò Sem benedictionem impertiens, his verbis est vsus: *Maledictus puer Chanaam; seruus seruorum erit fratribus suis. Benedictus Dominus Deus Sem: sit Chanaam seruus eius; dilatet Deus Iaphet, & sit in tabernaculis Sem.* Vbi notanda structura verborum, quæ præfatum discrimen non obscurè confirmat: cum non ad maledicendum filio Cham, sed ad benedicendum Sem à Patriarcha Deus inuocetur, quod, vt ad benedictionem pronus, & inclinatus, ita maledictionum ministrator ipse non sit, sed improbi potius sibi ipsis maledictionem ministrent. His proximum est illud, quod ad c. 8. Lucæ notauit Ambr. ipsosmet dam- Ambros. natæ conditionis dæmones non prius à Christo in porcos fuisse damnatos, quã ipsimet vltrò tali se se pœnæ subdiderint: *Clementiam Domini debemus aduertere, quod nullum prius ipse condemnat, sed vnusquisque sibi author est pœnæ. Non mittuntur in porcos dæmones, sed ipsi petunt, quia cœlestis luminis claritatem sustinere non poterant.*

Vnde rursus expende ad eum locum, non dixisse Christum reprobos futuros esse, *à sinistris suis*, 14. sed solum, *à sinistris*: cum tamen de electis dixerit futuros, *à dextris suis*, eâ quidem ratione, quod è mente, & animo ipsius, solum esset benignitatis, & liberalitatis dextera vti, reprobi verò, eo reluctante, & inuito sinistram sibi, velut vi, & expugnatione præripuerint. Ita Pasch. ad hæc verba: *Nunquã igi-* Paschas. *tur inuenies, à sinistris eius, vel à sinistris suis stetisse hedos, sed solummodo in sinistris. Primum in Deo, vt dixi, nihil sinistrum est, deinde, quia nec Dei est, quod à sinistris sunt, sed ipsorum, qui se in sinistris malitia sua collocauerunt, nolentes dexterorum sequi vestigia.* Nec hinc discedam, quin hac occasione Paulinum tibi solæcismum retegam: ipse enim ad Rom. 2. 6. scri- ad Rom. 2. 6. bit: *Qui reddet vnicuique secundum opera eius; his quidem, qui secundum patientiam boni operis, gloriã, & honorem: iis autem, qui sunt ex contentione, & non acquiescunt veritati, credunt autem iniquitati, ira, & indignatio*; vbi vides à legibus grammaticis Paulum manifestè deflexisse, cum secùs efflagitante syntaxi, in nominandi casu posuerit: *Ira, & indignatio*, quod quiuis, vel mediocris grammaticus reprehenderit, reponens, *iram, & indignationem*, sicut dixerat, *gloriam, & honorem*, sed artificiosa negligentia hoc artis peccatum libens, multo vero maiori elegantia deuorare voluit Apostolus, vt ostenderet proprium, & naturale Dei esse æterna præmia, vitamque beatam largiri, non verò excandescere, & suppliciis afficere. Quare dum de præmiis agit, ipsum tanquam personam agẽrem clare, & distinctè bonis gloriam, & honorem reddere enunciat; dum autem de peccatorum punitione; alia iræ exercendæ subinducitur persona, ac si id ad Deum minimè spectet. Obseruauit id Photius apud Oecumenium his verbis: Phot. *Considera, quod dicit, bona quidem reddet, vltionem verò non reddet, sed illa reddetur, & ne hoc quidem expresse dixit, sed subintelligendum reliquit, sciens ei proprium esse, quod iustum est saluare; porrò vlcisci, ac punire prouenit à peccatorum obduratione, quod pœnitere nolint, ac conuerti.*

Hinc Ieremias agens de actione punitiuâ, qua 15. Deus de sontibus debitas pœnas reposcit, notan- Iere. 18. 23. ter appellauit eam abusum his verbis, cap. 18. 28. *In tempore furoris tui abutere eis*: ac si apertius dicat, Deum, dum supplicio homines afficit, ingenio, & natura sua, quæ tota ad salutem est, quasi inuitum abuti, nec suo impulsu, & inclinatione ferri. Subsistit verò hic sensus ex verbis Regij Psaltis Psalm. 118. 126. *Tempus faciendi Domi-* Ps. 118. 126. *ne, dissipauerunt legem tuam.* Vbi meritò inquiras quid sit, quod maturo, & vrgente tempore facturus sit Deus, nihil enim singillatim exprimit Propheta, quod faciendum sit: *Tempus* (inquit) *faciendi.*

faciendi. Sed enim,cum omne tempus Domino ad nobis benefaciendum sit opportunum, ita non dubium quidquid ab ipso fit, ad opem nobis ferédam tendere. Vndè Ambros. *Tempus faciendi Domine, hoc est,vt pro nobis crucem ascendas, mortem subeas.* Similiter Cassiod. *Tempus faciendi, id est,vt mundo salutaris appareas, peccata dissoluas, mortem vincas,* &c. At inquis, cur id signatè non expressit Propheta?tanti ne erat pro, *facere*, duabus ad ambiguitatē tollendam additis syllabis substituere, *benefacere*? Respondeo;ideò Vatem noluisse rem magis exprimere,quod minimè id esset opus; cum Dei facere, idem,ac benefacere sit. Ita Cassiodor. ibi: *Hoc est enim Domini facere*,quasi dicat apud homines verbum.*faciendi*,& ad benè, & ad malè faciendum est indifferēs,at in Deo,*facere*,est misericordiā exercere.

Ambros. *Cassiod.*

16. Denique illud in alterutrā è sententiis obserua discrimen, nimirum electis dici: *Possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi*,cum reprobis nō dicantur parata supplicia, sed:*Discedite à me maledicti in ignem aeternum, qui paratus est diabolo, & Angelis eius*, quasi hominibus gaudia solummodo, non verò supplicia parata à Deo sint. Ita Paschas. *Nam regnum non aliis dicitur praeparatum à constitutione mundi,quam iustis, & ideò, quibus paratum est, datur eis, vt sint cum suo Rege Christo: ignis verò aeternus non illis,quibus dicitur,discedite à me maledicti, paratus est; sicut Regnum iustis,sed diabolo,& Angelis eius, quia quantum ad Deum spectat, homines non ad perditionem creauit: sed ad vitam, & gaudiū, vt restauretur numerus eorum, qui in diabolo,& Angelis eius male deperiuerat: ipsi verò peccantes iunxerunt se inobedienti Angelo tenebrarum.* Et verò haec obseruatio omninò è mente Pauli est ad Rom. 9. 23. dicentis: *Sustinuit in multa patientia vasa irae, apta in interitum, vt ostenderet diuitias gloriae suae in vasa misericordiae, quae praeparauit in gloriam*: quo in loco non possum non adnotare vehementer mihi eorum explicationem displicere,qui hinc adstruunt Deum ante vlla peccata, siue scientiā visionis, siue conditionatā praescita ad solam iustitiae suae ostensionem aeternis poenis reprobos destinasse. Sane nō gratis solum ea hinc opinio eruitur,sed eo se tutatur muro, qui supra eam recidat: oppositum enim potius affirmat Paulus,nimirum, ex multa lenitate, & patientia Dei ipsamet vasa irae ex se iam apta ad mortem,quippè quae illam, *manibus, ac verbis*, saepiùs accersierunt (Sapientiae 1.16.) à Deo esse amplius tolerata, & sustentata, vt tandem iustitiae suae veritatem,vimque, ac potestatem suam pleniùs declararet.Ita Chrysost.*Vas irae erat Pharao,hoc est,homo,Dei iram accendens per suam duritiem. Dei enim lenitatem ingentem nactus, melior nequaquam euadebat,sed incorrectus manebat.Itaque illum nō solum irae vas vocauit, sed ad perditionem praeparatum, hoc est, apparatum à se quidem, & suopte ingenio.* Similiter Theophylact. & Oecumen.Sic enim prior: *Factus est vas irae Dei capax, apparatus ad interitum,id est,à seipso, proprioque ingenio aptatum.* Oecumenius verò: *Quod ergo ille non perdat illa vasa omninò manifestum est. Se ipsa enim ad interitum aptauerunt:perdidit tamen illa, postquam se ipsa praepararunt, postquam ad extremum malitiae procurrerunt.* Quem sanè ad modum videas dixisse Ezechiel.c.9. *Appropinquauerunt visitationes vrbis, & vnusquisque vas interfectionis habet in manu sua.* Quae Venerab.Galfrid.in allegor.sub hoc sensu sic capit. *Licet Angeli fuerint,qui Prophetae apparuerūt,ipsa tamen verba hoc videtur innuere,quod homines ipsi singuli,quique se interimunt,iuxta illud,tu tua perditio,sed salus in me est.*

Paschas. *Ad Rom. 9.23.* *Sap. 1.16.* *Chrysost.* *Theophyl. Oecum.* *Ezech. 9.* *Galfrid.*

17. Sed vt illustris Pauli locus illustrior reddatur, notetur in primis vasis similitudo, quā Apostolus vtitur,tàm cum de electis, quam de reprobis agit, illos misericordiae,hos verò irae vasa appellās, quod videlicet alia misericordiā, alia ira sint plena, Deo nimirum misericordiam,vel iram in ea,tanquam in vasa subiecta infundente:multo tamen aliter,atque aliter,dum misericordiam in vasa electa,non modo ex animo, & ex intentione laetus, & gaudens infuderit, praesertim cum ipse, & bona opera praeparauit,*vt in ipsis ambulemus*, ad Ephes. 2. 10. & excitantis,ac praeuenientis, nec non cooperantis gratiae auxilia, donumque demum perseuerantiae, quo tandem vasa illa misericordia plena redderentur, electis suis dederit: sed etiam ea misericordiae munera,quasi ex propria substantia, atque natura in ea vasa transfuderit,cum misericordiae non alia,quam olei metaphora frequentiùs in scripturis adumbretur,eaque sit Christi natura, vt,*oleum effusum*,in vasa videlicet misericordiae praedicetur. Cant. 1. 2. ab hoc verò quam longè abest irae in vasa contumeliae instillatio? ipsam enim reprobi sibi attrahunt,& eliciunt,dum alia,atque alia peccata, quasi vindemiae botros in torculari coniectos,Dei pedibus (qui iustitiam diuinam arcano sermone adumbrant) subiicere, ex quibus ira diuina non sponte scaturiat, ac dimanet,sed expressa,ac veluti coacta diffluat, non cessant; Rem acute notante Olympiod. in catena Graeca,illud Thr. 1. 15. *Torcular calcauit Dominus virgini filiae Sion*, in hunc modum: *Omnia peccata Deus simul colligit,quibus calcatis fecit vinum,de quo Psalm.74.* Calix in manu Domini vini meri, *id est, ira, examinata namque peccata,& quodammodo expressa diuinam distillant iram, qua potantur peccatores.* Vbi vides,quam alienum à Deo fuerit iram hisce vasis praeparare, quippe qui vt à se effundendi oleum, hoc est,benefaciendi causam sumat, ita aliquam nocendi artem non norit,sed eo inuito,& reluctante ex botris peccatorum, tanquam ex materia praesupposita, & à reprobis congesta supplicium exprimatur. Ideò notanter dixit Olympiod. iram diuinam non à Deo,sed ab ipsismet peccatis distillari: *Examinata peccata,& quodammodo expressa diuinam distillant iram.*

Ad Ephes. 2.10. *Cant. 1.2.* *Olympiod. Thre. 1.15.*

Quare modo expende Graecam vocē κατηρτισμένα, 18.
quae bene perpensa significat rem,quae multarum partium compositione constat,suis iam partibus absolutam,& coagmentatam. Imò verò ad Galat.6.1. verbum, καταρτίζω, vsurpauit Paulus pro eo, quod est laxata membra in locum suum restituere; vndè ille in primis se prodit iuxta praedicta sensus, reprobos non destitisse à sua pertinacissima improbitate, donec iustitiae diuinae torcular botris peccatorum replerent, seque omnibus numeris ad suppliciū aptos, atque perfectos, ac veluti omnibus partibus debitis constantes, redderent. Quae videtur fuisse mens Chrys. & Oecumen. ad praefata Pauli verba, dū ille de Pharaone dixit:*Neque ille quidquā omisit eorum,quae illū perderent;omnique venia priuarēt,* hic verò de omnibus reprobis.*seipsa praepararūt* (ad interitum) *postquam ad extremum malitiae procurrerūt.* Deinde,ex hac significatione restituēdi, & coaptandi laxata mēbra in propriū locum;obserua,quā pertinaciter vasa haec Deo ipsorum saluti consulēti repugnauerint. Quid enim aliud indicant illa membra laxata,seu partes prius disiunctae,atque distortae, quas ipsi tandem compositas,& aptatas reddiderūt, quam diuinae benignitatis contentionem, quae illos reluctantes ad poenitentiam saepiùs adducebat? Ad Roman. 2. delens saepe saepius, ac fugās eorum peccata, quae velut membra, & partes ad ipsorum interitum componendum hinc indè confluebant;

Ad Galat. 6.1. *Chrysost. Oecumen.* *Ad Rom. 2.*

Isai. 44. 22. sic conclamante Domino Isai: 44. 22. *Ego sum, qui deleo velut nubem peccata tua*, vbi pro, *deleo*, est verbũ quod propriè significat exsufflare, quasi innuat à se sępe sæpius fugari, ac deleri hominum peccata, quæ, quia multa, & grandia, veluti in nubem densam, & obscurissimam, quæ diuinæ clementiæ radios impediret, coaptabantur. Ergo dum vasa iræ κατηρτισμένα coagmentata, & cõposita dicuntur, manifestè ostẽditur reprobos aduersus hanc Dei benignitatem, quæ partes hasce suæ reprobationis disiungebat, eâ contentione pugnasse, vt membra laxata, hoc est peccata iterum, atque iterum fugata, nouis subinductis flagitiis in locum pristinum restituerint, partesque omnes reprobationis coaptauerint, Deoque vim intulerint, vt de ipsis pœnas
Saluian. reposceret. Qua de re audi egregia hæc Saluian. Massil. lib. 4. de prouident. verba: *Quid querimur, quod Deus durè agat nobiscum? multò nos duriùs cum Deo agimus: exacerbamus quippè Deum impuritatibus nostris, & ad puniendum nos trahimus inuitum: cumque eius natura sit mens Dei, atque maiestas, vt nullâ iracundiæ passione moueatur, tanta tamen in nobis peccatorum exacerbatio est, vt per nos cogatur irasci: vim, vt ita dixerim, facimus pietati suæ, ac manus quodammodo afferimus misericordiæ suæ; cumque eius benignitatis sit, vt velit nobis iugiter parcere, cogitur malis nostris scelera, quæ admittimus, vindicare*; subiicit appositam imaginem: *Ac sicuti illi solent, qui munitissimas vrbes obsident, aut firmissimas arces vrbium capere, & subruere conantur, omnibus absque dubio eas, & telorum, & machinarum generibus oppugnant; ita nos ad expugnandam misericordiam Dei omni peccatorum immanium scelere, quasi omni telorum genere pugnamus.*

19. Nec hinc discedam, quin tàm pro vasis misericordiæ præparatis in gloriam, quàm vasis iræ, à se
Ier. 22. 24. ipsis in interitum aptatis, expendam illa Domini apud Ierem. 22. 24. ad impium Regem Iechoniam verba: *Viuo ego, dicit Dominus, quia si fuerit Iechonias filius Ioacim Regis Iuda annulus in manu dex-*
Hieron. *terâ mea, inde euellam eum*: ibi cum Hieronymo, & reliquis interpretibus obserua, in Hebræo non esse, *Iechonias*, sed *Chonias*, sublatâ primâ syllabâ. Sed quare? Attende arcanum notatu dignum. Iechonias, vt inquit Hier. est vox composita à, *Ia*, quod est nomen Dei, vnde significat, *Dei præparationem*, siue, *à Domino preparatum*, quod quidem illi Principi dum annulus in manu Dei erat, optimè quadrabat; nam cum annulus sponsalium, ac connubij insigne
Tertul. sit, eaque de causâ à Tertulliano pronubus vocetur; ex eo, simulque ex nomine Iechoniæ significabatur, Principem illum, quantum ex Deo erat, voluntate beneplaciti præparatum esse, vt dulcissima cum Domino sponsalia contraheret, atque in die Christi, siue in iudicij die cœlesti sponso ad nuptias venienti, quasi sponsa annulo ornata occurreret; at verò cum ipse improbitate sua gratiam Domini euacuauerit, atque eximio sponsalium munere se reddiderit indignum, magno consilio, atque eleganti energiâ pristinum illud nomen est decurtatum dempto nomine Dei, *Ia*, vt manifestum fiat eum, qui è vase misericordiæ vas contumeliæ se fecit, non à Domino in interitum, sed à seipso præparatũ fuisse: vnde dum, *Chonias*, nõ ab alio, quam ab ipso Domino nominatur, aculeatâ exprobratione compungitur, ac si diceretur; ô te miserum à me olim ad regnum præparatum, nunc verò à te ipso aptatum in interitum, & extremam perditionem.

ADNOTATIO IX.

Iudicij diem, ideò diem Christi à Paulo appellari, quòd in ipso omnia ad Christi iudicis nutum, nulla impiorum habita ratione peragenda sint.

IAM si quis hanc phrasim, *diei Christi*, ad ipsius potius iustitiam vindicatiuam referre malit, 1.
vt dies iudicij, ideo, *dies Christi*, appelletur, quod in ea ipse nõ modo ius dicturus, sed errata omnia vindicaturus sit; sic hac in re philosophari poterit, vt credat allusum à Paulo vndequaque doctissimo ad dies legitimos, necnon ad dies iustos, siue sessionũ: de quibus in iuris prudentia, cui nos aliqualẽ olim operam nauasse non omninò pœnitet, multa dicuntur. Sanè Iuris Consulti in l. 1. de diuersis, & tẽporalibus præscriptionibus, *vtiles dies*, appellant quos Græci ὀργιμαίας vocant, quibus scilicet expe- Budæus.
riundi iuris potestas est, addit Budæus in forens. appellatos fuisse dies legitimos, qui videlicet erant dilationes ordinariæ, in quibus pro se, suáque causa dicere licebat. Contra verò, *dies sessionum*, aut, *dies iusti*, dicebantur, in quibus sedebat iudex pro tribunali, eratque tempus faciendi iudicati, de quo vide Duaren. lib. 2. disputat. cap. 16. & Cuiac. obser- Duaren.
uation. lib. 2. cap. 18. Ergo hinc dicas omne vitæ Cuiac.
nostræ tempus esse dies vtiles, siue legitimos, siue dilationes, & inducias, in quibus experiundi iuris, placendi Deo, placandi eius iram, pœnitentiæ, reconciliationis, misericordiæ, gratiæ, beneficentiæ obtinendæ potestas est, vnde in Scriptura, *dies hominis: tempus nostrum: humanus dies*, appellentur; sic Genesis 5. 4. & sequentibus dicitur, *dies Adam:* Genes. 5. 4.
dies Seth: *dies Enoch*, &c. Iob. 7. 6. *dies mei velocius* Iob. 7. 6.
transierunt, & v. 16. *nihil sunt dies mei*, & cap. 8. 9. *dies nostri sunt super terram:* & passim in eo libro. Similiter Christus, Ioan. 7. 6. *Tempus vestrum semper est paratum.* Quod tam auide arripiunt libidinosi, & delicatuli, vt adinuicem suggerant; *Non prætereat nos flos temporis.* Sap. 2. 7. similiter sunt plures in sa- Sap. 2. 7.
cris literis locutiones. Planè quo in toto vitæ nostræ curriculo ad manũ nobis Dei gratia, & auxilium sit, quo veniam de peccatis, gratiam, & gloriam possimus promereri. At verò iudicij dies, qui dies iustus, siue sessionum est, cum veniens Christus in maiestate sua sedebit pro tribunali, iudicaturus viuos, & mortuos, meritò dici diem Christi, quod tunc non experiundi iuris, sed faciendi iudicati tẽpus sit, cum nimirum, nihil tunc à nobis ad promerendam veniam, aut obtinendam gratiam præstari possit, sed omnia ab vno Christo, siue in præmium, siue in pœnam sint perficienda, atque ille, qui ad illum vsque diem tacuit, siluit, dissimulauit non secus, ac si in omnes vitæ nostræ dies nihil iuris haberet, tunc vt parturiens locuturus, dissipaturus, & qui simul absorbeat, sit. Videtur hæc omnia præstrinxisse Petr. Chrysol. serm. 42. dum ait. *Hæc est* Chrysol.
Christi magna, larga, sola misericordia, quæ iudicium omne in diem reseruauit vnum, & homini totum tempus ad pœnitentiæ deputauit inducias. A quo non it Tertul. lib. de spectac. c. 30. *In proximo est aduentus* Tertul.
Domini, iam indubitati, iam superbi, iam triumphantis, id est, omnia superantis, super omnium vitas, animas discernentis, iudicantis, imperantis; & de rebellibus gloriosum triumphum agentis.

2. Et verò hac de causa veniebat mihi in mentem,
diẽ iudicij Iob 19. 25. *Nouissimũ diem*, appellari non Iob 19. 25.
solum,

solùm, quà omnium vltimus, & postremus: sed etiam, quod noua tunc omnia, & vsque ad id tempus humanis oculis nunquam visa conspicienda sint. Id quod si per singulas eius diei circunstantias excurras, planum quidem fiet. Nam vt vita præsens, vel ea de causa, dies hominis appellari potest, quod omnes ei creaturæ sint subditæ, omnia
Psal.8.8. *Sap.10.2.* ipsius imperio subiiciantur, Ps. 8. 8. *Omnia subiecisti sub pedibus eius.* Sap. 10. 2. *Dedit illi virtutem continendi omnia:* vbi pro *virtutem*, Græcè est, ἰσχὺν, *fortitudinem, vim, robur, potentiam:* pro *continendi*, verò, κρατῆσαι *dominandi, superandi, vincendi*: quasi dicat Salomon factam hominià Deo potestatem dominandi, superandi, vincendi creaturas omnes, ita iudicij dies opportune dicetur, *dies Christi*, quod omnia illi homine derelicto ad vindictam de pecca-
Sap.16.24. toribus sumendam inseruient, sic Sap. 16. 24. *Creatura enim tibi factori deseruiens, exardescit in tormē-*
Et c.5.21. *tū aduersus iniustos.* Et eodem lib. c. 5. 21. *Et pugnabit cum eo orbis terrarum contra insensatos:* Sic videas solem conuersum in tenebras, lunam in sanguinē,
Mat.24.29. & stellas retrahentes lumen suum; Matth. 24. 29. quasi hæc omnia ad seruiendum homini per certū, & determinatum tempus cōducta, die iam hominis finità eius dominatum, & iugum à suis ceruicibus excutiant, & de peccatore, qui iniustissimo dominatu illis abusus est, debitas reposcant pœnas, transacti obsequij mercedem vsuris exigentes.

5. Sed deinde illud etiam considera hodiernum diem, ideo etiam diem hominis appellari, quod ipse quæcunque admisit flagitia, simulationum inuolucris contecta, & obducta habeat, id enim frequens est hominum votum, quod apud Lyricum expressit non nemo.

——*Pulchra Lauerna,*
Da mihi fallere, da iustum, sanctumque videri.
Noctem peccatis, & fraudibus obiice nubem.

Sed & Deus hominis famæ, honorisque percupidus, non modo illa, ac si non videret, conniuenti pupillà dissimulat, sed & peculiari præcepto præscribit, ne quæ proximi nostri scimus, delicta reuelemus. Quò facit primum illud à Deo nuditati primorum parentum excogitatum integumentū, cum illis graui peccati pudore suffusis manu sua sartoris
Gen.3.21. more: *Fecit tunicas pelliceas.* Gen. 3. 21. quibus patens ipsorum nuditas tegeretur, scelerisque admissi, quæ extabant expressa vestigia delerentur: vbi ex-
Chald. Paraph. pendi debet Chaldaicæ Paraphrasis translatio, quæ habet: *Et fecit Dominus Deus Adæ, & vxori eius vestimenta honoris super cutem carnis suæ, & induit eos.* Ac si diceret, cum ipsi miserè nudati, pudori, ludibrio, & ignominiæ essent expositi, bonus Dominus de eorum verecūdia sollicitus, honorifica illis à semetipso confecta vestimenta tribuit, quibus pristinus pudor, & turpitudo in gloriam verteretur. Quē etiam ad modū prodigo illo filio ad patris domum nudo, spoliatoque redeunte, eius nuditatem benignus illius pater nec ad vnum temporis momētum passus est; sed *accurrens cecidit super collum eius, &*
Luc.15.20. *osculatus est eum.* Luc. 15. 20. Sane vt illi; *Scapulis*
Chrysol. *suis*, ne eius pateret ignominia, obumbraret, sic Chrys. ser. 3. *Pater peccata filij redemit osculo, clausit amplexu, ne nudaret pater filij crimina, pater filium ne fœdaret. Pater sic curat sibi vulnera, ne filio cicatricē, næuum filio ne relinquat, beati, inquit, quorum remissæ*
Psalm.31. *sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata.* Psal. 31. Ad hæc statim ad seruos exclamauit: *cito proferte stolam primam, & induite illum*; ad quæ verba citato loco Chrys. *A seruis ante vestiri voluit filium, quam videri:* iam ne aliqua demum pristinæ nuditatis manerent vestigia, calceamenta pedibus afferri iussit. *Ne* (Chrysol.) *vel in pede remaneret de-*

formitas nuditatis. Rem auget, quod & proprium amictum super peccatoris nuditatē expandere consueuerit Dominus, ne curiosis aliorum oculis perspici possit, Ezech. 16. 5. & 8. *Proiecta es super faciem* *Ezech.16.5.& 8.*
terræ in abiectione animæ tuæ: & transiui per te, & vidi te, & expandi amictum meū super te, & operui ignominiam tuam. Ac si diceret; malui tuæ quam meæ nuditatis rationem habere; ideo meum tibi amictum commodaui, & diligenter vndequaque extensum expandi: *Ne vel in pede remaneret deformitas nuditatis.*

At enim verò, vt dies hominis, eius peccata contegit, & celat, ita dies Christi, ea omnia vndique reuelabit, & luce ipsâ clariora mundo, Angelis, & hominibus patefaciet, sic dixit eleganter Paulus 2. ad Corinth. 5. 10. *Omnes enim nos manifestari oportet ante tribunal Christi:* Vbi perperam aliqui codices legunt, *assistemus*, siue *adstabimus*, hanc sententiam cum illa ad Roman. 14. 10. *Omnes stabimus ante tribunal Christi*, confundentes, cum plus sit, *manifestari*, Græco præsertim fonte spectato, quam, *stare*: Ergo Græce est, φανερωθῆναι, quod propriè vertas, *lucidos*, siue *vitreos reddi*: Deo nimirum iudice, vt alibi idem Apostolus ait, illuminante *Abscondita tenebrarum*, & manifestante occultissima *consilia cordium*, 1. ad Cor. 4. 5. sub quo sensu sic expressit præfatum locum Tertull. lib. de resurrect. carn. cap. 43. *Omnes enim manifestari nos oportet ante tribunal Christi, si omnes, & totos, si totos, & interiores, & exteriores, id est, tam animas, quam & corpora.* Pende illud: *Totos, interiores, & exteriores*, ac si dicat pellucidos, siue pellucentes reddet. Hispane significantius: *Boluerlos ha lo de dentro à fuera.* Nec dubium quin loquatur Apostolus de omnimoda peccatorum manifestatione à Deo, nō tam sibi, qui ab initio omnia nouit, sed toti orbi, & Angelis, & hominibus faciēda: vndè ita explicat ea verba Lyra: *Iudi tum apparebit omnibus iustum, singulis videntibus omnia bona, & mala aliorum:* Sed aduersus peccantium impudentiam, sic vrget illa Theodor. *Sufficit autem hoc, & ad eos, qui mala sua non sentiunt, admonendos, vt suorum peccatorum vulneribus medeamur, vt nōn ea fiant manifesta omnibus.* Sed & Orig. hom. 14. in Ierem. hæc habet opportuna in hanc sententiam. *Nudabitur pectoris mei conscientia, & aperto corde videbuntur literæ peccatorū, quæ stylo ferreo in vngue adamantino scripta sunt, atque vniuersa spectantium multitudo leget in pectore meo signatas imagines peccatorum.* 4. *2. ad Cor. 5.10.* *Ad Rom. 14.10.* *1. Cor. 4. 5.* *Tertul.* *Lyra.* *Theodoret.* *Origen.*

5. *Ps 49.19.* Præfatam cogitationem, & diei Christi acceptionem egregie confirmat Dauid Psal. 49. 19 vbi enim ex Domini persona dixisset. *Tu verò odisti disciplinam, proiecisti sermones meos retrorsum, si videbas furem currebas cum eo, & cum adulteris portionē tuam ponebas. Os tuum abundauit malitia, & lingua tua cōcinnabat dolos, &c. hæc fecisti, & tacui.* Subiicit emphatice, *Arguam, & statuam contra faciem tuam.* Vbi in primis ex frequentiori Patrum, & interpretum expositione sermo est de die iudicij. Deinde verbum illud, *statuam*; necnon Hebraicum, *Ebhercbach*, & Græcum, συντάξω, militaria, siue etiam forēsia sunt, imagine sumptà, vel ab acie aduersus hostē instructà, vel à rationibus, siue accusationibus, quas in iudicio aduersarius conficit, vt causa rei obruatur, vnde Hieron. legit, *proponam*, August. *instituam*; alij, *ordinabo.* Sed quid rogo ob oculos peccatoris Deus est in iudicio instituturus, siue vt aciē ordinaturus? Variant exēplaria, & interpretes. Alij Dei legem, vel sermones intelligunt, qui vt modo à peccatore proiecti, & post tergū positi dicuntur, ita tūc ob oculos ad terrorem & dolorē proponētur, vt ex præterito corū contemptu fortissima accusandi, & puniendi *Hieron.* *August.*

ratio consurgat. Alij de ipsiusmet Dei personâ accipiunt, vt nimirum suppleatur ibi pronomen *me*, ac si dicat Deus, ego aduersus te, meipsum vt aciem instruam atque proponam, vt meis viribus in te dimicem. Alij suppleri malunt, *iudicium*, vndè & legunt, *ordinabo in oculis tuis iudicium*, vt sensus sit, tribunal aduersum te proponam plenumque iudicium, in quo accusatores, testes, carnifices, & supplicia ipsa imminentia reperiantur, ordinabo. Paulo Chald. aliter Chaldæus; *praparabo gehennam in futuro saculo coram te*. Tandem Hier. Aug. Theod. Cassiod. Arnob. subintelligere malunt *faciem tuam*, siue peccata tua, & singillatim Hier. *Proponam te ante oculos tuos*. Et Aug. *Constituam te ante faciem tuam*. Cernis dic̃ Christi? dum ipse qui nunc tacuisse, & velut cõniuenti pupilla peccata vidisse se dicit, tunc exercitum, & copias in iudicio aduersus peccatorem ex ipsius peccatis potissimum conflabit, & instituet, atque illa, velut horribilem aciem ex aduerso stare faciet, vt in eum acriter irruant. Quis inde timor, tremor, horror, quantusvè dolor, & cruciatus? Audi Cassiod. *Per hanc sententiam futuri iudicij cognoscimus qualitatem, quod omnis peccator ante se videbit stare, quod se putabat obliuionis beneficio praterisse. Horror immensus, formido inastimabilis.* Sed id luculentiùs sic pendit Chrysost. hom 48. ad popul. *Si nostrum cuiusquam aliquod occultum crimen hoc ipso die in medium delatum, huic modo consessui innotesceret, nonne fieret, vt ille interire, ac in terram sibi potius dehiscere, quam tam multos peccati sui testes habere mallet? Quid igitur nobis tunc fiet miseris, cum omnia vniuerso orbi palam facta in tam aperto, tamque illustri theatro denudata hominum nobis partim cognitorum, partim incognitorum oculis subiicientur?*

Hieron. August. Theodor. Cassiod. Arnob. Cassiod. Chrysost.

6. Ille quidem. *Venient in cogitatione peccatorum suorum timidi* (verba sunt Salomon. Sap. 4. 20.) *& traducent illos ex aduerso iniquitates eorum*. Ac si diceret, ipsi ad iudicium timore, ac metu perculsi accedent, at cum omnes iniquitates suas ex aduerso velut aciem ordinatam, in ipsos irruentem coarguẽtes, cõuincentesque (id omne significat Græcum verbum, pro quo noster posuit, *traducent*) conspexerint incredibili pudore, & mentis consternatione afficientur. Diffundamus hæc paululum, si placet. Quæ apud nos, *maxima peccantium pœna*? Respondet sapienter Senec. ep. 97. *peccasse*. Sed quare? *Quia coarguit illos conscientia, & ipsos sibi ostendit*. Ac si diceret, quod tam obscura, tetra, atque etiam horribilis peccatoris, siue peccati facies sit, vt nequeat maius excogitari tormentum, quam in ipsam oculos figere. Applaudit propriâ edoctus experientiâ Dauid, Psal. 37. 4. *Non est pax ossibus meis à facie peccatorum meorum*, obserua emphaticam locutionem, quâ plus aliquid horroris faciei peccatorum, quam faciei iræ Dei videtur tribuere; cum hæc carnem solum affligere; illa verò terrifico vultu, ossa ipsa, quæ & interiora, & firmiora sunt torquere, & exagitare videantur, nec torquere solũ, atque exagitare, sed dirã etiam necem inferre. Ob quid enim aliud existimas, Ananiam, & Sapphiram subito interitu ad Petri pedes corruisse? Actuum 5. 5. Num quod Petrus eam fuerit illis pœnam imprecatus, aut aliquo alio modo simili mortis auctor fuerit? Minime, vt Orig. hom. 18. in Matt. & Greg. lib. 1. Regist. ep. 24. Hier. in ep. ad Demetr. & alij permulti affirmãt; sed quod grauiter eos increpans, perfidiæ probrum, & faciem viuis coloribus ob oculos proposuerit, cuius turpitudinem ipsi non ferentes, præ timore, & dolore exanimati sunt; ita citato loco Orig. *Puto autem, quoniam audiens Ananias hac verba, ideo cadẽs expirauit, quoniam non sustinuit argutionem Petri, sed cruciatus in se adeò est punitus, vt etiã expiraret.*

Sap. 4. 20. Senec. Psalm. 37. 4. Act. 5. 5. Origen. Hieron. Origen.

Ergo modo considera, quo horrore non concutientur? quibus furiis non exagitabuntur? qua animi consternatione non corruent, qui non vnius flagitij, sed cunctorum, nec à Petro depictam, sed à Dei sapientiâ ad viuum propositam faciem contẽplantes, ab his tam diris monstris circumdatos, & obsessos se viderint. Audi August. lib. Meditat. cap. 4. præferocium horum militum exercitum sic depingentem, & extimescentem. *Noui quia manifestus venies, noui, quia non semper silebis, cum in circuitu tuo ignis exardescet, & in conspectu tuo tempestas valida, cum aduocaueris cœlum desuper, & terram, discernere populum tuum, & ecce coram tot millibus hominum nudabuntur iniquitates mea Cum iam intersim sauo illi discrimini, torquet me conscientia, cruciant cordis arcana, coarctat auaritia, accusat superbia, consumit inuidia, inflammat concupiscentia, infestat luxuria, dehonestat gula, ebrietas confutat, detractio lacerat, ambitio supplantat, rapacitas obiurgat, discordia dissipat, ira perturbat, leuitas dissoluit, torpor opprimit, hypocrisis fallit, adulatio frangit, fauor attollit, calumnia pungit. Ecce liberator meus de gentibus iracundis, ecce cum quibus vixi à die natiuitatis mea, quibus studui, & quibus fidem seruaui, ipsa me, qua dilexeram studio damnant, qua laudaueram vituperant.* Hactenus August. August.

Grauissimum quidem supplicium, nec nisi ab iratissimo Deo proueniens; sic enim ipse Ezec. 7. 9. 7.
Immittam furorem meum in te, & non parcet oculus meus, nec miserebor, sed vias tuas ponam super te, & abominationes tua in medio tui erunt. Vides tunc maximè Dei furorem conspici, misericordiæque viam intercludi, cum hominis abominationes ipsi ob oculos, in opprobrium proponuntur. Nunc Chaldei versio, quæ pro *statuam ante faciem tuam*, habet *praparabo gehennam in futuro saculo coram te*, opportunè cum aliis lectionibus consentiens occurrit. Ea enim huius cruciatus acerbitas est, vt non nisi cum gehenna valeat componi, imò verò grauiorem gehennalibus suppliciis pœnam esse sic affirmat Basil. in Psalm. 33. *Qui male fecerint, in probrum, & confusionem resurgent: in se ipsis turpitudinem, & formas eorum, qua peccarunt conspicient es impressas. Erit certè confusionis eiusmodi impressio istis tanto plus horrori, quam vel ipsa tenebra, aut ignis aternus, quod in eã aternum victuri sunt peccatores, semper ob oculos versantes vestigia illa peccati in carne admissi, quasi nota cuiuspiam tincta, nec vlla aspergine eluibilis in memoria anima perpetuo duratura.* Hæc Basil. Sed vt horribilis ista confusio omni ex parte insuperabilis sit, subiicit supradictis verbis Salomon. *Tunc stabunt iusti in magna constantia aduersus eos, qui se angustiauerunt.* Et statim. *Videntes turbabuntur timore horribili.* Quod si inquiras. Quodnam tunc bellum iusti peccatoribus sunt illaturi, cum eorum ingenium non militare, & ferox, sed mite, & pacificum sit: illud opportunè potest responderi, hoc bellum, nihil esse, quam ipsasmet egregias sanctorum virtutes, & præclara facta, quæ ex aduerso posita, fœda peccatorum ora acrius pungunt, dum turpiora inde crimina ostendunt. Sic Euseb. Lugdunensis homil. de Ascens. in hæc verba. *Qui dies ille? qua trepidatio? qua terra, & cæli spectatio erit, cum inter aliorum praclara gesta, & illustria merita, aliorum probra, & dedecora proferentur? & quid grauius, quid intolerabilius, quam si illo tempore malorum ignominia reuelatur, quo bonorum gloria manifestabitur? Multo enim inuidiosior, & damnabilior erit causa criminum sub assistentium comparatione virtutum? Quid erit terroris? quid miseria? quid mœroris, quando sub illo admirabili Apostolorum Martyrumque concilio, sub illo Angelorum sydereo, ac præfulgente consessu, cum rubore*

Ezech. 7. 9. D. Basil. Sap. 5. 1. Euseb.

bere, veterum delictorum diuersis tetra maculis anima producetur?

8. Quid ergo tunc, dum se ipsos ante se tam horrenda facie statutos viderint; pro se, vel in se miseri peccatores agere molientur? Docet id Ezech. 6. 9. *Displicebunt sibimet super malis, quæ fecerunt.* Sed obserua Hebræum verbũ, *qut*; propriè enim significat, *dissecari, stimulari*, præ dolore, & tædio. Vnde effectum ex hac ortum causa pensitantes, benè reposuerunt LXX. *Et cædent facies suas.* Præ dolore quidem, præ furore, præ rabie. Sed *ô sera veritatis agnitio*, vt inquit Cypr. ad Demetr. *ô alieno tempore missa suspiria*: vt ait Basil. reg. 261. nec enim miser homo cognouisti, *quæ ad pacem* tibi in die tua, vnde in *die Christi*, in die nouissimo, hæc nũquam audita nouitas conspicietur, vt cassa, & inutilis peccatorum pœnitudo sit. Qui enim ad primam peccatoris lacrymam modò propitius adest, pacem, & beneficia allaturus, ipsomet ad Ezechiam dicẽte, Isai. 38. 5. *Audiui orationem tuam, & vidi lacrymam tuam*; sic enim habent Hebræi codices, vbi nostri reponunt: *lacrymas tuas*, imò verò, qui ad suorum lacrymas lacrymati, & ipse consueuit, Ioann. 11. 35. & super confractione populi sui; confractus etiam esse dicitur, Iere. 8. 21. tunc ab his lacrymis, & dolore adeò non placabitur, aut commouebitur, vt potius dolentes, & plangentes ipse insultans irrideat, sic Dei sapientia minitante, Prouerb. 1. 25. *Despexistis omne consilium meum, & increpationes meas neglexistis. Ego quoque in interitu vestro ridebo, & subsannabo vos.* Verè quidem appellauit Paulus nouissimam iudicij tubam. Ita enim 1. ad Corinth. 15. 52. *In nouissima tuba*, quando tam nouum ab eo sonum, quem aliæ modò tubæ emittunt, editura est. Quò enim nunc omnes Dei tubæ, & voces eũt, nisi vt homini diem iubilæi, & annũ remissionis annuncient? non secus, ac ante Iericunthinæ vrbis excidium bonus Dominus præscripsit, Iosue 6. 3. *Sacerdotes tollant septem buccinas, quarum vsus est in iubilæo, & præcedant arcam fœderis, septiesque circuibitis ciuitatem.* Ita videris dixisse eundem Dominum, Isai. 58. 1. *Quasi tuba, exalta vocem tuam, & annuncia populo meo scelera eorum*, vbi notetur verbum, *annuncia*, præsertim vt est in originibus, quod rem lætam, & vtilem nunciare significat, quasi is tubæ sonus sit, qui peccatoribus vice belli pacem, & bona, si ad Deum redire velint, annunciet. Ergo tunc, *nouissima tuba*, quæ pacem repellat, sæuumque & æternũ bellum denunciet. Sed meritò quidem tam insolens, & nouus in die Christi tubæ sonus, quando & *nouissima* iudicij tuba, etiam dicitur, quòd tot prius tubæ antecesserint, sic enim Hier. ep. 142. *Quando tuba nouissima dicitur, vtique & aliæ antecesserunt*, nimirum, quæ ad pacem Dei nomine inuitarent, qui vsque ad defatigationem rogasse, & veniam obtulisse dicitur, Iere. 15. 6. *Laboraui rogans.* Sed enim, *despexistis omne cõsilium meum, ego quoque in interitu vestro ridebo.* Vbi illud quidem interrogare placet, quis tunc tã forti animo, cuiq; æs triplex circa pectus sit, inueniri possit, qui hanc Dei irrisionem & exprobrationem sustinere valeat? Audi Philonem lib. de temulentia, de Deo, & eius sapientia, sic loquentem. *Horum igitur parentum accusationem quis ferre possit? imò ne mediocrem quidem comminationem, aut leuissimam incusatiunculam? nam ne donorum quidem largitatis quisquam capax est, ac fortasse ne mundus hic quidem, sed quasi parua lacuna influente magno gratiarũ Dei fonte celerrime repleta supereffluit: & qui beneficia non possumus excipere, vltrices vires ferre poterimus?* Sed quã pie, quam salubriter hic nos adhortatur Chrys. ho. 19. in Gen. *Pœnitẽtia enim prius, quam pœna inferatur tempus habet, & ineffabilem vim. Proinde obsecro, cum adhuc efficax est mirificum hoc pharmacum, commoda, & fructus inde percipiamus; & cum adhuc sumus in præsenti vita, pœnitentiæ medicamen non aspernemur, scientes liquidò, quod nihil tunc nobis pœnitudo proderit, cum solutum fuerit spectaculum, & tempus certaminum ablatum.*

Nec minor nouitas, quæ superiori est affinis: nimirum, vt in hoc die, qui nulla ex parte dies hominis, ex omni verò, dies Christi est, nulla peccatori salutis spes supersit: sed illum omnia ad desperationem sollicitent, & vrgeant; hoc quid vnquam magis nouum, & insusitatum fuit? nã modo, quid frequentius, quam hominem, quantumuis sordibus opertum ad bene sperandum sic animare? *Consolamini, cõsolamini popule meus, dicit Deus vester, loquimini ad cor Ierusalem, & aduocate eam*, Isai. 40. 1. vel apud eundem Vatem, c. 35. 4. *Dicite pusillanimis. Cõfortamini, & nolite timere. Ecce Deus vester vltionem adducet retributionis, Deus ipse veniet, & saluabit vos*, at tunc nihil horum insonabit. Quid ergo? Respondet Isai. 13. 6. *Vlulate, quia prope est dies Domini; quia vastitas à Domino veniet*: vbi Cyril. Alex. *Desperantes, cum in vos ira Dei sit armata*; ac si diceret, iã omnia vestra, vosq; desperationi tradite, ecce Deus vester veniet, nec inermis vt saluet, sed armatus grauique succensus ira, vt puniat vos. Hæc ob oculos habens Chrys. præfata hom. 19. in Gen. sic grauiter admonet. *Memores nunc estote, quod terribili illo die, & iudicium illud non poterit deprauari, & vnusquisque nostrum ob peccata desperabit, videntes ante oculos terribilia illa tormenta, & ineuitabiles pœnas, nullam inde habiturus vtilitatem, tempore destitutus.* 9.

Dicis: Quid? nonne vt in peccatores ira Dei sit armata; ideo *obliuiscetur misereri Deus, aut continebit in ira misericordias suas?* Psal. 76. 9. Nonne, *cum iratus fueris, misericordiæ recordaberis?* Habach. 3. 3. Sed respondeo id in die hominis, non vero in die Christi locum habere, hic enim iræ solum, non misericordiæ dies est. Ita videas in parabola inuitantis ad nuptias; primum induci hominem, qui inuitet, & alliciat, donaque sua distribuat, sic enim Matth. c. 22. 2. *Simile factum est regnum cælorum homini Regi, qui fecit nuptias filio suo*: deinde cum de pœna ingratis inferenda agitur, nullam hominis mentionem fieri, sed illo silentio presso, Regẽ à quo humanitas exulare solet, sic introduci vers. 6. *Rex autem cum audisset, iratus est.* Sanè, vt argumento sit Deum in die hominis humanissimum cum homine esse; at in die Christi veluti humanitatem exuens Regis personam, cuius ira nuntij mortis sumere: id sic adnotante ibi Paschasio. *Introducitur primum Rex, & homo, quando inuitat ad nuptias, & agit opera clementiæ. Tunc siquidem appositum est nomen hominis; nunc, quando ad vltionem festinat, homo benè tacetur, & Rex tantum dicitur, & iratus introducitur, quia ira Regis nuntius mortis.* 10.

Parum est autem Deum tunc, nullo modo erga peccatores misericordia vti; nisi ipsa etiam misericordia iustitiæ, & seueritatis partes agat, quæ insignis huius diei nouitas est. Sic quidem à se visum id fuisse refert Ioannes c. 15. 7. *Et vnum de quatuor animalibus dedit septem Angelis septem phialas aureas plenas iracundiæ Dei viuentis.* Sed obserua duo: alterum, in scriptura, *vnum*, significare primum, ita Marc. 16. 2. dicitur. *Vna Sabbathorum*, pro prima Sabbathorum, & alibi: alterum, apud Ezechielem, c. 1. 10. quatuor hæc animalia recensentem, primum animal; hominem, apud Ioann. verò Apoc. 4. 7. leonem esse: in singulis vero animalibus Christum designari, frequens Gregorij, & aliorum in Ezechiel. expositio 11.

Marginalia: Ezech. 6. 9. — LXX. — Cyprian. Basil. — Isai. 38. 5. — Ioan. 11. 35. — Iere. 8. 21. — Prou. 1. 25. — 1. ad Cor. 15. 52. — Iosue 6. 3. — Isai. 58. 1. — Hieron. — Iere. 15. 6. — Phil. — Chrysost. — Isai. 40. 1. — Isai. 35. 4. — Isai. 13. 6. — Cyr. Alex. — Chrysost. — Psal. 76. 9. — Hab. 3. 3. — Matth. 22. 2. — Paschas. — Apoc. 15. 7. — Marc. 16. 2. — Ezec. 1. 10. — Apoc. 4. 7. — Gregor.

expositio est. Si verò dubites quonam modo tam dissimilis numerandi modus subsistat? vel quî leo, & homo idem sint? siue, quod huius loci magis est proprium, quomodo ab hominis persona, & mittere non sit prorsus alienum phialas iracundiæ Dei vltoribus Angelis fundendas tradere? Ad manum est responsio, in die iræ, Christum qua hominem esse, qui iram suam in peccatores profuse effundat, hoc est Christi humanitatem, & benignitatem, qua homines in eorum diebus ad pœnitentiam adducebat, tunc eius iram plus plus acuere, atque accendere, vt tantæ ingratitudinis, iniuriæ debitas pœnas reposcat. Sic id Apostolo commonente ad Rom. 2.

Ad Rom. 2.4. 4 *Ignoras, quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Secundum autem duritiam tuam, & impœnitens cor, thesaurizas tibi iram in die iræ.* Vides iræ cumulum, atque thesaurum, ex spretæ bonitatis diuinæ iniuria consurgentem?

12. Ex his quidem præmissis, illa tam terribilis, & nouissima iudicij conclusio subinfertur, vt infelicissimos peccatores Christus damnet, & in ignem, huncque æternum, & inextinguibilem damnet. Sed enim: *Non mihi si lingua centum sint, oraque centum, Ferrea vox,* supplicij huius pondus, vel mediocriter exprimere possim. Verum non omittam signatissima Domini apud Ezechiel. c. 7. verba, quæ huic nocti prælucent, & tantis tenebris facem inferût, cum enim dixisset, vt num. 9. vidimus: *Non parcet oculus meus, nec miserebor, sed vias tuas ponam super te*, &c. subiicit. *Et scietis, quia ego sum Dominus percutiens.* Nihil opinor diem iræ sic de facie notum reddit, nihil incredibilem pœnarum grauitatem sic ostendit, ac hic locus; si tantisper expendatur, *scietis*, inquit; nimirum infelicissima tanti mali experientia edocti, *quod ego sum Dominus percutiens*; hoc est eum, qui vos percutit, non alium, quam Dominum, ac Deum esse. Proh dolor! Proh inexplicabilis supplicij grauitas! quando ex eo, velut arguméto à posteriori facto, Dei iustitia, & potentia indaganda est. Pende id tecum: ego mihi hanc argumentationem sic conficio. Si ad benignitatem, & humanitatem Dei declarandam non minori arguméto opus fuit, quam vt ipsemet Deus è cœlesti fastigio descendens, exinaniret sese, forma serui assumpta, sic namque *apparuit benignitas, & humanitas Saluatoris nostri Dei* ad Titum 3. 4. Deinde, si ad misericordiæ suæ firmitatem ostendendam, altitudinem cœli à terra velut basim columnæ subiiciens, nobis posuit ob oculos, dicente Psalmista Psalm. 105. 11. *Secundum altitudinem cœli à terra corroborauit misericordiam suam super timentes se*: in quæ verba Theodor. *Humana mens, nec cœlo sublimiorem mensuram, nec ortu, & occasu longinquius interuallum inuenit*: subdit Basilius. *Si remotiora inter se spatia, & interualla, quam hæc sunt, inuenisset, omnino illa in medium adduxisset, ad hoc contendens, vt diuinæ bonitatis infinitam amplitudinem, ac latitudinem ostenderet.* Adde si vt in hac vita aliquod nobis suæ suauitatis, atque dulcedinis specimen daret, ipsemet se se nobis in cibum, & potum manducandum, atque bibendum apposuit, quod aliter tantæ suauitatis gustum capere humanus animus non posset. Vnde Sapientiæ 16. 21. de Eucharistia propheticè dicitur. *Substantiam enim tuam, & dulcedinem tuam, quam in filios habes, ostendebas.* Quæ iam quæso pœnarum, tormentorum, suppliciorum, & acerbitatum moles erit opus? vt hinc Deum percutientem, & cruciantem possimus deprehendere; percutientem inquam Deum, qui nimirum in percutiendo, Deum se, ac Dominum, omnipotentem esse ostendat. Ita præfato loco Isai. 13. 6. *Quasi vastitas à Domino veniet*: vbi Pagnin. *Veluti ab omnipotente veniet*, id est, quæ vastatorem, Deum, omnipotentem esse ostendat, vt Ioann. 1. 14. dicitur: *Gloriam quasi vnigeniti à Patre.* Aduoco rursus Philonis iam citati verba: *& qui beneficia non possumus excipere, vltrices vires ferre poterimus?* Nec vlterius pergo, quod hæc profundam meditationem potius, quam frigida, & inania verba efflagitent.

Marginal notes (left column): Ezech. 7. — Ad Tit. 3. 4. — Psalm. 105. 11. — Theodoret. — Basil. — Sap. 16. 21. — Isai. 13. 6. — Ioan. 1. 14.

VERSVS XI.

Repleti fructu iustitiæ per Iesum Christum in gloriam, & laudem Dei.

COMMENTARIVS.

En charitatis magis, ac magis crescentis munus: vt animam, *fructu iustitiæ* vel (vt Græca, καρπῶν, & Syriaca habent) *fructibus iustitiæ* impleant, sed quid intelligit Paulus per fructus iustitiæ? Chrysost. & cum eo Græci de eleemosynis accipiunt; quod P. Iustinianus, & ad Pauli mentem, & ad Scripturæ consuetudinem, in qua eleemosynæ iustitiæ nomine appellantur, esse affirmat. Anselmus ad mercedem retulit, quæ pro bonis operibus in cœlis recipitur. Neutrum verò contextui cohærere videtur, cum oratio à superioribus pendeat, sitque velut clausula profectuum, quos in Philippensibus Paulus exoptabat, ac proinde effectum ex ipso studio proficiendi subsecutum denotet. Aptius ergo bifariam (paululum discrepante sententia) hæc verba exponas. 1.

Primò, vt hi iustitiæ fructus significent omnes actiones studiosas cuiusuis virtutis, tam quæ in internis erga Deum, quàm quæ in externis rebus versantur, quæ quidem meritò fructus iustitiæ dicuntur quia à iustitia, velut ab arbore procedunt, sicut ad Ephes. 5. 9. dixit Paulus: *Fructus lucis est in omni bonitate, & iustitia, & veritate, probantes quid sit beneplacitum Deo.* Et ad Galat. 5. 22. *Fructus autem spiritus est charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas* Nonnulla autem allusio in his verbis sub hoc sensu acceptis esse videtur ad eam Ezechielis visionem, cap. 47. 12. in qua ad ripam torrentis plures, eæque pulcherrimæ arbores, quæ fructibus plenæ essent, ipsi commonstratæ sunt: *Et super torrentem orietur in ripis eius ex vtraque parte omne lignum pomiferum, non defluet folium ex eo, & non deficiet fructus eius, per singulos menses afferet primitiua, quia aqua eius de sanctuario egredientur.* Quæ mihi non aliter sapiunt, quam si dicat vates vidisse se in spiritu Philippenses, aliosque Christi asseclas repletos fructibus iustitiæ per Iesum Christum, id est, bonis operibus florentes, ad quæ Christi gratia, & meritis (quæ aquæ sunt de sanctuario egredientes) adiuuantur. 2.

Secundò sumi possunt, *fructus iustitiæ*, pro pace, tranquillitate, & gaudio animæ, quæ ab ipsa iustitia velut fructus pullulant: nam vt Iacobus ait, cap. 3. 18. *Fructus iustitiæ in pace seminantur facientibus bonum* id est, amatores iustitiæ, qui eam velut terram colunt, & operantur, in summa animi tranquillitate, & gaudio bonorum operum fructus colligent. Sic etiam ad Hebr. 12. 11. dixit Paulus: *Omnis autem disciplina in præsenti quidem videtur non esse gaudij, sed mœroris, postea autem fructum pacatissimum exercitatis per eam reddet iustitiæ*: vbi lectio Syriaca: *fructus pacis datura est illis.* Vt verò probabilis hic sensus 3.

Marginal notes (right column): Chrysost. — Anselm. — Ad Ephes. 5. 9. — Ad Gal. 5. 22. — Ezech. 47. 12. — Iacob. 3. 18. — Ad Heb. 12. 11.

sensus sit,non tam proprium huius loci,quàm priorem esse crediderim.

4. Ergo vt priorem explicationem persequar,duo in illa examinare placet. Alterum, quid in Philippensibus Paulus exoptet, dum eos nonnisi repletos,siue impletos(iuxta Græcam vocem, πεπληρωμένοι)iustitiæ fructibus esse cupit:deinde quare ipsa bona opera,fructuum nomine appellarit. Et,quoad primum attinet,non leuem difficultatem, siue acumen,(à quo interpretes punctos non fuisse vehementer miror) is dicendi modus continet. Quis enim bonis operibus impleri, siue repleri queat? cum numquam possit quis ita esse perfectus,& iustitiæ fructibus abundans, siue repletus, quin plus plus capere possit(de quo ad cap.3.vers. 13. multis Deo bene iuuante agemus.) Quis ergo huius plenitudinis sensus sit? Respondeo;plenum iustitia dici in primis posse,qui nulli crimini, quod iustitiam, siue charitatem grauius lædat,fuerit obnoxius : sic

Psalm. 138. 16. videas dixisse Vatem Psal.138.16.*Dies formabuntur, & nemo in eis*;pro quibus Hilarius ibi reponit:*Die replebuntur*.Quid verò sit, *die repleri*, ita explicat:

Hilar. *Die replebuntur,id est,vero lumine, lux enim Christi est,non tam ignorantia nocte detenti,neque tenebris huius sæculi cæci,sed veritatis luce illuminati, & die repleti,quod autem repletum est, nihil præter id,ex quo repletum est,recipit.Nox enim in eum,qui die plenus est, non penetrat, & qui die repletus est,tantum in se habet:& ideo ait,die replebuntur,& nemo in his. Nemo in his erit præter diem,quo repleti sunt,non pecuniæ æstus,non voluptatum stimulus, non ambitionis ardor, non odiorum malignitas,inuidia aculeus,non conuitiorum furor,non superbiæ amentia;non cætera, quæ diaboli sunt,arma,atque virtutes,sed lux vera,sed dies sola,qua repleti sunt.*

5. Deinde,magis ad rem,iustitiæ fructibus,tunc repletum dixeris, cum eam quis bonorum operum mensuram habet,quam diuinæ gratiæ auxiliis,quibus operatur,spectatis,habere potest,nimirum,dum ipsis vtitur,quantum vti par est, sub eo sensu, quo

1. ad Cor. 15.10. Paulus 1.ad Cor.15.10.dixit.*Gratia Dei in me vacua non fuit*. Quo ire videtur fructuum metaphora ; est enim allusio ad arbores plenas fructibus:ita idem-

Ad Rom. 15.14. met dixit ad Roman.15.14.*Pleni estis dilectione,repleti omni scientia*. Vbi pro *dilectione*, Chrysostomus,& Græci legunt, *bonitate*, idque de virtute in

Act. 9.36. vniuersum explicant.Sic etiam apud Acta 9. 36.de Tabita dixit Lucas : *Hæc erat plena operibus bonis, & eleemosynis,quas faciebat*. Quibus locis satis apparet non eum esse sensum,vt fideles illi adeo pleni essent iustitia,& bonis operibus, vt iustiores adhuc,& perfectiores esse,ac pluribus subinde operibus bonis abundare non possent:sed quod strenue respondendo gratiæ Dei eam vacuam non haberent ,sed tanquam arbores frugiferæ fructibus iu-

Lect. Syr. stitiæ pleni essent , quod & Syriaca lectio in Actis probat,quæ pro *plena operibus bonis*, habet,*hæc diues operibus bonis*.

6. Omnino autem ad Pauli gustum Apostolorum

2. Petr. 1.8. Princeps locutus videtur,2.epist.c.1. 8. dum singillatim iustitiæ species sic recensens:*Ministrate in fide vestra virtutem ; in virtute autem scientiam ; in scientia autem abstinentiam;in abstinentia autem patientiam;in patientia autem pietatem;in pietate autem amorem fraternitatis ; in amore autem fraternitatis charitatem*.Subdit : *Hæc enim si vobiscum adsint, & superent,non vacuos , nec sine fructu vos constituent in Domini nostri Iesu Christi cognitione*. Quod perinde fuit , ac si diceret , nec minor quidem , quam hæc virtutum seges vobis necessaria est , vt Christiano nomini , & vocationi , qua ad perfectissimam vitæ rationem Deus vos allicit respondeatis , alias vacui eritis fructuum abundantia , quam à vobis exigit Dominus.Sanè licet ibi pro voce , *vacuos*,sit ἀργοὺς, quod *otiosos* sonat,tamen si vocis proprietatem spectes,vt bene ibi notauit Lorinus, non solum signi- Lorin.
ficat eum , qui vacat ab opere , sed etiam illum,qui id,cuius facultatem habet , non exercet , nec iuxta illius quãtitatem operatur. Adstipulatur huic signi-
ficationi verbum *superent*, quod non cum Glossa,& Gloss. Beda.
Beda ad sonum vocis potius , quam ad sensum respicientibus de victoria tentationum est accipiendum,sed potius de virtutum abundantia , & incremento,vt ex Græco fonte omnino constat , ex quo legas,*& exuberent*, vt sit sensus , non quascumque virtutes,sed egregias,quæque internis , & externis actibus abundent prærequiri, vt repleti fructibus iustitiæ esse dicamur.

Nec longius ab hoc it illud Pauli 2.ad Timoth. 7. 1. Ad Tim. 4.5.
4. 5. *Ministerium tuum imple*, vt enim Græcè sit, τὴν διακονίαν σου πληροφόρησον,quod ab Erasmo,& aliis vertitur : *facito plenam fidem* , simpliciùs tamen noster interpres posuit,*imple* : id est, perfice,& omnibus numeris absolutum reddito tuum ministerium, plene,ac perfectè eius partes explendo , sicuti Hispane,dicitur,*Llenar el puesto*, quando munus , quo fungimur , perfectè exequimur , sæpiusque in negantem partem vsurpatur , *no llena el puesto* , cum quis suo muneri impar,aut non satis instructus esse
videtur,eo modo , quo de Galba apud Tacit.lib.1. Corn. Tac.
histor.dicitur : *Omnium consensu capax imperij , nisi
imperasset*. Sub quo sensu Sardicensi Antistiti plu- Apoc. 3.2.
res ex interpretibus dictum volunt,Apocalypſ.3.2. *Non inuenio opera tua plena coram Deo meo* , vt sit sensus,non plene satisfacis Episcopali muneri , nec opera personæ,ac dignitati tuæ æquè congruunt , ac
si diceretur ei , quod de eodem Galba citato loco Corn. Tac.
Tacitus. *Ipsi medium ingenium , magis extra vitia, quam cum virtutibus*.Sed si dicam,quod sentio,hæc expositio plena mihi non videtur. Ea enim illius Episcopi erant opera,quæ nec priuatæ vlli personæ ex æquo responderent , cum lethalibus ipse criminibus esset obnoxius , vt meliores expositores ibi adnotarunt. Vnde eo loco opera plena potius significare arbitror , non habere eam bonitatem, quam præseferunt , iuxta id quod præcedenti versu dixerat , *nomen habes , quod viuas , & mortuus es*, quod & illa verba (*coram Deo meo*) bene confirmant:est enim sensus, & si plena videantur coram hominibus,at coram Deo , qui intuetur cor, plena non sunt.

Per Iesum Christum.

GRÆCI codices variant , alij namque legunt, 8.
πεπληρωμένοι καρπῶν τῶν διὰ Ἰησοῦ χριστοῦ , *repleti fructibus,qui sunt per Iesum Christum*,alij verò in singulari,*repleti fructu,qui est per Iesum Christum*,sed in hoc Græca omnia exemplaria inter se consentiunt, vt voci fructus præfixus sit articulus ille , τῶν , qui denotat fructus hosce per Christum nobis aduenire.Nolo enim assentiri iis,qui existimant,eo articulo fructus hosce à reliquis distingui ; iustitiam scilicet Christianorum à iustitia gentium , siue Iudæorum,quòd infideles licet virtutem sibi videantur vindicare , ipsorum tamen virtus , quippe quæ non vera,& perfecta,sed fucata potius,siue ementita sit,non fiat per Iesum Christum,siue vt ipsi inquiunt,propter Iesum Christum,sed ob inanis gloriæ cupiditatem,Christianorum autem virtus,propter gloriam Dei exerceatur ; hæc enim explicandi ratio ab instituto Pauli omnino videtur aliena;cum ipse,

ipse, vt à Chrysostomo, Anselmo, & pene omnibus interpretibus capitur, eam his verbis veritatem adstruat, qua omnia nostra merita per Christum, eiusque gratiam nobis aduenire credimus. Vnde rectè
Erasm. vertit Erasmus: *Impleti fructu iustitiæ, qui contingit per Iesum Christum*, vel ad verbum, *impleti fructibus iustitiæ, qui per Iesum Christum* supple, dantur.

9. Sunt verò, qui hoc loco quam longissimam suscipiant disputationem de bonis omnibus supernaturalibus, quæ nobis suo sanguine Christus acquisiuit, remissionem nimirum peccati tum originalis, tum actualis; primam etiam gratiam sanantem naturam à lapsu peccati, tandem cœlestis beatitudinis præmia, quasi de his omnibus Paulus hîc agat sub
Chrysol. eo sensu, quo Chrysol. serm. 16. occasione Dæmo-
Matth. 8. 28. num, de quibus inquit Matth. 8. 28. *Occurrerunt ei duo Dæmonia habentes, sæui nimis, ita vt nemo posset transire per viam illam:* has Dei gratias, nonnisi per Christum nobis obtigisse, sic pulchrè affirmat. *Videtis, quia Dæmones venientibus ad Christum præcluse ant viam, transitum denegarant: est etenim Dæmonum ista cura, ne ad Deum possint homines reditum inuenire, non enim aliter possunt homines possidere, nisi eos ab Auctoris sui societate subducant. Hinc est, quod Christus factus est via, vt ad viã per viam, ad Deum, per Deum venientibus obsistere vis Dæmonum non valeret.* Verissima quidem doctrina, cum ea omnia Dei munera, & gratiæ ita omnibus sufficienter, vt loquuntur scholastici, Christus Dominus commeruerit, vt sine eius merito non potuerint obtineri, & quibus efficaciter dantur, nonnisi propter Christum dantur efficaciter. Verum enim vero nescio, quanta huius loci opportunitate hæc dicantur; solum enim videtur Paulus loqui de iis bonis, quæ à nobis per Dei gratiam proficiscuntur, ea namque solummodo iusta similitudine dicuntur fructus iustitiæ, quibus repleri, est in nostra potestate.

In gloriam, & laudem Dei.

10. DE vocibus moneo, pro *gloriam*, Græcè esse, δόξαν, id est, in sententiam, opinionem, existimationem, famam, honorem; quando quis digne sentit de Deo, ac digne cum aliis de eo loquitur. Pro *laudem*, Græce posuit Paulus, ἔπαινον, *laudem, laudationem*: vnde etiam oratio, quæ habetur in laudem alicuius, eo nomine appellatur, dictum laudatorium, aut oratio laudatoria, atque ideo plus est laus, quam gloria, quia laus gloriam complectitur, & supponit, & à gloria in laudem progressus fit.

11. Circa sensum frequens Patrum, & interpretum expositio est, monere Paulum Philippenses his verbis, eam fructuum iustitiæ conditionem esse, vt ad Dei honorem, & gloriam sic vndique referantur, vt tam à sua, quam à Pauli, alteriusve spiritualis magistri laude oculos omnino quis amoueat. Quasi dicat; cupio equidem vos fructibus iustitiæ repleri, ita tamen, vt nec vos in ipsis glorificemini, nec ego in vobis; sed Deus solum, qui vitalis fructuum dator est, laudetur, & glorificetur in opere suo. Sic
Chrysost. Chrysost. *Stultum quippe fuerit si iustitiam non propter Christum, & per ipsum operati fueritis. Non vt ego*, inquit, *laudem capiam, sed vt Deus glorificetur.*
Anselm. Similiter Anselmus, *Vt inde glorificetur, & laudetur Deus, qui vos ita fructificare facit: non vt vos inde vanam gloriam capiatis, quasi per vos talia facientes.* Expediens quidem Philippensibus monitum, cum enim eos non lateret, aliis à vera religione discedentibus, egregios se in illa profectus fecisse, cauendum erat, ne illis cõtingeret, quod Lucifero, & An-
Ezech. 28. 12. gelis eius, quibus dicitur Ezechiel. 28. 12. *Tu signaculum similitudinis, plenus sapientia, & perfectus decore, &c. & eleuatũ est cor tuum in decore tuo, &c.* Simplicior tamen, & Græcis vocibus congruentior ille exponendi modus esse videtur, vt his verbis non tam de inani gloria fugienda discipulos Paulus commonefaciat, quam affirmet, & obtestetur egregia ipsorum opera non mediocrem laudem, & externam gloriam Deo parere; vt grandi hac Dei honoris illecebra eorum animos permulceat, & ad nouos progressus indesinenter faciendos calcar admoueat. Sic accepit hæc verba Theodoretus: *Sinceram quidem fidem seruastis Deo, fructum iustitiæ offerentes, & efficientes, vt ipse laudaretur ab omnibus, hoc enim dixit in laudem, & gloriam Dei.* Nec dissentit Theodor.
Theophylactus, vt Chrysostomi interpres, & vmbra esse soleat, dum ait: *in gloriam autem Dei hoc cedet, non in meam docentis hæc.* Nam hæc verba effectum potius subsecutum ex ipsis bonis operibus, quam scopum in illis præhabitum, siue finem optatum significant. Similiter etiam Primasius, imo & Anselmus eandem etiam expositionem sic subinde adhibet; *vt inde perpetualiter laudetur, & glorificetur Deus, & dicatur mirabilis Deus in sanctis suis.* Libet verò vtramque expositionem adnotationibus illustrare. Theoph. Primas. Anselm.

ADNOTATIO I.

Non vnius, aut alterius, sed omnium virtutum studium à Christi asseclis exigi.

EST hoc Christiani hominis munus, esseque id debet studium, ac scopus, vt ad Dei obsequium vires omnes, neruosque contẽdat; nec sit cõtentus, si aliquẽ huius, vel alterius virtutis fructũ habeat, nisi omnium etiam fructibus abundare repleríque studeat; vt in mysticis illis arboribus ad ripam fluminis consitis, & Ezechieli citato loco ostensis, cernere est; eæ enim indesinenter nouos fructus afferre perhibentur; id verò quid aliud significare dixeris, quam ex præscripto Regij Vatis Psalm. 1. 2. voluntatem habere in lege Dei; & dum in ea die, ac nocte iustus meditatur, vberrimos virtutum fructus indesinenter ferre? vt de ipsis potiori iure dicas, id quod de arboribus in hortis Alcinoi Regis consitis, sic fabulatus est Homerus lib. 2. Odysseæ. 1. Ezech. 47. 10. Psalm. 1. 2. Homer.

Ex his fructus numquam perit, nec deficit,
Hyeme, aut æstate, toto anno durans, sed sane semper,
Zephyrus spirans hæc quidem crescere facit, alia
autem maturescere:
Pyrus post pyrum senescit, malumque post malum.
Porro post vuam vua, ficus autem post ficum.

Sed opportunius id nobis sub Sponsæ persona Salomon, Cantic. 1. 15. sic breui expressit: *Lectulus noster floridus.* Quod si in hac virtutum imagine flores pro fructibus repositos causeris, audi ipsammet sapientiam, hoc est, virtutem, atque sanctitatem dicẽtem. *Flores mei, fructus honoris, & honestatis.* Ecclesiastici 24. 23. ac si dicerit, fructus bonorum temporalium, flores solùm esse, qui ad punctum temporis marcescant; flores verò virtutis, veros esse, ac indeficientes fructus: sed de hoc adnot. seq. vberior redibit sermo, nunc ad lectulum. Emphasim quidem habet, animum siue conscientiam ab sponsa non horti, aut campi flores germinãtis, sed lectuli potius, seu thalami floribus conspersi metaphora adumbrari: nam illud, vt floribus congruentius, ita proposito videbatur accommodatius. At enim verò, mirificè subsistit locutio, ea enim non solum innuitur; 2. Cant. 1. 15.

innuitur; omnium virtutum floribus ornatam animam esse debere, sed etiam ipsarum actibus indesinenter incumbendum, quod vt succisi flores cito marcescunt, atque ideo alij, & alij continuò substituendi sunt, vt thalamus semper redoleat; ita virtutum fructus nouis fructibus tuendi, & protegendi sint; ne vitorem, & odorem suum amittant. Sed id luculentius tradit ad id loci Bernard. serm. 47. in Cantic. vbi dum hoc obseruat discrimen inter agri, & thalami flores. *Et in campo quidem, & in horto oritur flos, in thalamo autem minime; redolet, & lucet in eo, non tamen erectus, & stans, vt in horto, vel in campo, sed plane iacens, tanquam qui illatus sit, non innatus*; hinc sic consulit. *Propterea, & necesse est sanè præparare frequenter, & recentiores semper apponere flores; quod diu odorem suum minimè retineant, nec decorem, quod si lectulus respersus floribus, conscientia est bonis referta operibus, vides certe, vt similitudo sequitur, nequaquam sufficere, semel, aut secundo operari, quod bonum est, nisi incessanter addas noua prioribus.* Subdit rationem, *Alioquin tacet, & marcet flos boni operis, atque in breui omnis ex eo nitor exterminatur, & vigor, si non aliis, atque aliis superectis pietatis actibus continuo reparetur.* Hæc Bernard. quæ tam iis Pauli verbis: *repleti fructibus iustitiæ*, quam illis Dauidis de beato viro: *Et erit tanquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo, & folium eius non defluet*, appositè congruunt.

(Bernard. — Psalm. 1.3.)

3. Sanè ea potissimum de causa, vt bonis operibus indesinẽter repleremur, ab Assertore nostro è Dæmonis potestate nos erutos, sic confirmat Paulus ad Ephes. 2.10. ipsius enim sumus factura, creati in Christo Iesu in operibus bonis, quæ præparauit, vt in ipsis ambulemus. Vbi præter obseruationem vocis, πλήρωμα, quam supra ad præcedentia verba, *vt sitis sinceri*, adduximus, quæque huic proposito non minus congruit, facile colliges his verbis Paulum innuere nos esse Dei figmentum, siue compositionem ornatam, quæ vt numeris omnibus absoluta, ac perfecta sit, præclaris virtutum omnium operibus constare debeamus, non secus, ac de Dauide virtutum omnium ornamento perillustri dixit eleganter Ambros. lib. 1. offic. cap. 22. *David etiam fortis in bello, patiens in aduersis, in Ierusalem pacificus, in victoria mansuetus, in peccato dolens, in senectute prouidus, rerum modos, vices temporum per singularum sonos seruauit atatum, vt mihi videar non minus viuendi genere, quam canendi suauitate praedulci, immortalem Deo sui fudisse cantilenam.* En pulchrum carmen, siue accuratum figmentum, quale esse debet is, qui Dei manibus creatus, Christique sanguine redemptus est. Quò facit, quod obseruauit Cyrill. Alexan. lib. 9. in Leuit. non quodcumque incensum, siue thymiama, sed quod aliis aromatibus esset compositum, Deo offerri. Sic enim Leuit. 16. 12. *Hauriens manu compositum thymiama in incensum*: pro quibus verbis ex LXX. sic legit Cyrill. *Implebit manus suas incenso compositionis minuto.* Sed quare respondit: *Quia non est vna sola species operum, sed ex iustitia, ex pietate, ex continentia, ex prudentia, & omnibus huiusemodi virtutibus componitur hoc, quod placet Deo.* Porrò si M. Tull. orat. pro Deiotaro, de virtutum corona, qua Principem decorari oportet, scite dixit. *Frugi hominem dici, non habet multum laudis in Rege, fortem, iustum seuerum, grauem, magnanimum, largum, beneficum, liberalem; hæ sunt regiæ laudes*; quanto potiori iure in Christi asseclis, qui 1. Petr. 2. *Gens sancta, regale sacerdotium* dicuntur, locum id habet, vt meritò dixeris, frugi hominem dici, non habet multum laudis in Christi discipulo; sed impletum, atque repletum omnibus iustitiæ fructibus esse, hæ sunt Christiani laudes.

(Ad Ephes. 2.10. — D. Ambros. — D. Cyrill. Alexan. — Leu. 16.12. — LXX. — M. Tull. — 1. Petr. 2.)

4. Sed præfatam sententiam clarius hauries ex fonte in illis verbis. *Creati in operibus bonis*: Græcam enim præpositionem, ἐπὶ, pro qua interpres posuit, *in*, rectè & iuxta vsum magnorum auctorum (vt obseruauit P. Cornelius) vertas, *ad*, ideoque Augustinus legit, *creati ad opera bona*, Ambros. *in opera bona*: quasi dicat Paulus ad id non creatos modo, sed redemptos à Deo fuisse, vt fructibus iustitiæ repleremur, atque ideo si malo fato id à nobis præstitum non fuerit, vacuos quidem (iuxta Diui Petri phrasim, de qua in expositione litteræ, quæque his optime illustratur) & incompositos censeri debere, vt vacuum, id est, non plenè constantem versum dicimus, cui vnum tantum iota, aut vnus apex, qui syllabas mensurat, deest. Vnde sic vrgent hæc verba Chrysost. *Non iubet, vt vnum operemur, sed vt omnia, quomodo enim nobis sunt quinque sensus, & omnibus ad id, quod oportet, vtẽdum est, ita etiam omnibus virtutibus: si quis autem sit modestus, & temperans; sit autem immisericors; aut misericors quidem, sed auarus, aut ab alienis quidem abstineat sed suis non impertiat, frustra sunt omnia: non enim sufficit vna virtus, vt cum fiducia sistamur ad tribunal Christi, sed multa varia, & omnis generis, atque adeò omni virtute est opus.* Bene omnino; ex corporis sensibus, quibus ad res externas indesinenter vtimur, omnimodam virtutum exercitationem adstruens, vt nimirum, & animæ sui etiam sensus, nec breui numero definiti sint, quibus perfectioni incumbat. Et verò Gregor. Nyssen. hom. 2. in Hexamer. dum elucidat illa Domini ad primos parentes verba: *Replete terram*, Genes. 1.28. sic censet, vt spiritualiter de terra corporis nostri accipienda sint, quæ per singulos corporis sensus, virtutum actionum repleri debeat. Audi illum. *Carnem vobis ad ministrandum datam, bonis actionibus replete. Repleatur oculus earum rerum aspectu, quæ rectæ sunt. Repleatur manus operibus bonis. Repleantur itidem pedes ad visendos pauperes, & ad ea, quæ oportet, exequenda proficiscentes: omnia denique membra nostra repleantur obseruatione mandatorum Dei, Hoc significat ea vox*, replete. Hæc Nyssen. ac si explicaret Pauli verba: *Repleti fructibus iustitiæ.* Hac quidem ratione bonum senem Tobiam videris, non sine sensu, & dolore cæcitatis: Quod si dubites, cur homo rectus, & ad Dei leges, & nutum compositus, de temporalis visus orbitate doleat? Sic enim ille, Tobiæ 5.12. *Quale gaudium erit mihi, qui in tenebris sedeo, & lumen cæli non video*? prudenter occurrit Ambros. lib. de Tobia. *Fraudari magis se doluit obsequiorum, quam oculorum munere, nec cæcitatem pœnam, sed impedimentum putabat.*

(August. Ambros. — Chrysost. — Nyssen. Gen. 1.28. — Tobiæ 5.12. — Ambros.)

5. Iam verò sub hoc sensu dixit Iacobus, cap. 1.4. *Vt sitis perfecti, & integri, & in nullo deficientes*, quæ ferme ad verbum ex Græco legas: *Vt sitis omnibus iustitiæ membris constantes, & in nulla eius parte diminuti*: Nam Græca vox, ὁλόκληροι, quæ respondet voci, *perfecti*, de iis dicitur, qui omnibus mẽbris, seu partibus constant: sicut & altera, λειπόμενοι, pro qua posuit Vulgatus, *deficientes*, quæ non solum significat eum, qui labori, aut tentationi succumbit, sed cui ad integritatem aliquid deest. Vnde in voce, *integri*, allusio est ad corporis humani integritatem, cui si aliquod membrum desit, turpe, & indecorum est. Dum verò ait Apostolus: *In nullo deficientes*, memoriam refricat adagij satis triti, bonum ex integra causa, malum ex quocumque defectu; quasi Christiani hominis perfectio, & pulchritudo omnium virtutum splendore constare debeat. Ita aliò respiciens de humana pulchritudine pulchrè dixit Senec-

(Iacob c. 1.4.)

Senec. Senec. epist. 33. *Non est formosa mulier, cuius crus laudatur, & brachium, sed illa, cuius vniuersa facies admirationem singulis partibus abstulit.* Et sensu ad
Cassiod. mores apto sub persona Theodorici Regis, Cassiodor. lib. 2. variar. epist. 18. *Quia sic omnia grata redduntur, si in nulla parte peccetur. Res vna subtracta cuncta deformat, & totum deesse creditur, vbi vel minima querela asperitas commouetur.* In quam sententiam opportune pendit Hieronym. epist. 14. de laude vir-
1 ad Cor. 7. 14. ginitat. tom. 9. verba Pauli 1 ad Corinth. 7. 14. *Vt sit sancta corpore, & spiritu*, quasi ad sanctitatem omnia virtutum ornamenta, siue omnium membrorum, & internarum facultatum puritas prærequiratur,
Hieron. sic enim ille. *Non dixit, vt sit sancta membro, aut corpore tantum, sed vt sit sancta corpore, & spiritu. Membrum enim vna corporis pars est, corpus verò omnium compago est membrorum. Cum ergo dixit, vt sit sancta corpore, omnibus membris eam sanctificari debere testatur, quia non proderit sanctificatio cæterorum membrorum, si inueniatur in vno corruptio.* Hæc ille, & alia.

6. Adsimiles sunt Patriarchæ Noe, & patientissimi Iob apud Scripturam laudationes, quas apposite
Gen. 6. 9. persequitur, & exornat Chrysostom. Etenim Gen. 6. 9. de Noe sic habetur. *Noe vir iustus, atque perfectus.* Quod non secus est accipiendum, ac id Iacobi, *vt sitis perfecti*; nimirum, vt ipse omnibus virtutis membris, siue partibus constaret; eoque spirituali decore, atque pulchritudine esset conspicuus, vt vniuersa facies admirationem singulis partibus adi-
Chrysost. meret. Ita Chrysost hom. 23. in Genes. *Perfectus dicitur Noe, nihil enim intermisit, in nullo claudicauit; non in hoc benefaciebat, in illo verò peccabat, sed in omni virtute perfectus erat, qua illum pollere congrue-*
Iob 1. 1. LXX. *bat.* De sancto verò Iob, vbi nos initio libri habemus: *Erat vir simplex, ac rectus*, LXX. legunt, *iustus*: quod Chrysostom. in catena Græca in Iob, quam noster Comitolus latinitate donauit, non de iustitia, quæ peculiaris virtus est, sed de ea, quæ omnes virtutis partes complectitur, & à qua homo integer, & perfectus quoad animum dicitur, sic accipit. *Non ea Iobus iustitiæ præstabat, quæ vnam aliquam firmam virtutis, sed quæ omnem, ac solidam complecteretur, neque sic ab vna quadam re mala abstinebat, vt ad aliam adhæresceret.* Subdit pulchram imaginem. *Nam ipsi pondus iustum dicimus, quod vbique & in cunctis rebus æqualitatem tuetur, non si aurum quidem iustè, plumbum verò secus librauerit. Verum illud iustum est pondus, quod materiæ cuiuis æqualitatem præstat, æquamque mensuram. Non aliter Iobus iustus erat, cuius semper fuit in omni vita æqualitas. Nec enim in pecuniis tantum æqualitatem retinuit, sed etiam in rebus aliis omnibus nusquam à modo, mensuraque recedens.* Hæc Chrysost. Sed hac de re plura habet hom. 65. in Matth. sapienter confirmans omnes ad salutem virtutes necessarias esse, adeo vt vel vnius particula omissa magnum discrimen afferat. Vide, sis, illum.

7. Chrysost. Theoph. Nec in citato loco ad Ephes. vacat mysterio verbum, *ambulemus*, præsertim si obserues Chrysost. Theophyl. Græcos legere, περιπατήσωμεν, quod non solum ambulare, sed etiam circumambulare significat, vt inde appareat, quam debeat esse indefessum studium. quod in bonorum operum exercitatione adhiberi oportet, vt quasi in perpetuo motu, siue potiùs in continuo circulo bene operandi indesinēter discurramus; & vnius honestæ actionis finis, alterius non minus egregiæ principium sit; non se-
Senec. cus ac de cupiditatibus dixit Senec. epist. 19. *Qualem dicimus esse seriem causarum, ex quibus nectitur fatum, talem & cupiditatum, altera ex fine alterius nascitur.* Cui cogitationi scitè aptat Ambrosius, quod Genes. 8. 22. post diluuium sic pollicitus est Gen. 8. 22.
Dominus: *Semen, & messis, hyems, & æstas, die, ac nocte non requiescent*, dum, *semen*, pro principio operum, *messem*, verò pro fine sic accipit. *Ergo semper in eadem recursurum, dum in hoc mundo est genus huma-* Ambros.
num, memorat, vt cum incipiat annus, finiatur, cum finitur, incipiat, non medio mundus tempore resoluatur. Ita & mens, quando aliquid videtur incipere, ad finem Nyssen.
vsque contendat, & operis sui terminū quærat; Quando finit aliquod opus, nō quasi consummato opere finiatur, Ambros.
sed in alia recurrat opera, & semper incrementa virtutis exerceat. Huc faciunt, quæ Nyss. citata hom. 2. Nyssen.
in Hexamer. affert in ea verba. *Crescite, & multiplicamini*, Genes. 1. 28. necnon, quæ meditatur August. Gen. 1. 28.
in Psalm. 137. pendens illud. *Multiplicabis in anima* August.
mea virtutem. Vide vtrumque.

8. Acres quidem stimulos hæc illis admouent, qui in feracissimo Ecclesiæ campo velut arbores consiti, nec alio quam sanguinis Christi imbre irrigati de iustitiæ fructibus in dies proferendis parum curant, hoc solum contenti (& ò vtinam!) quod lethalibus criminibus non succumbant. Quibus non leuem scrupulum, nec mediocrem timorem iniiciunt
Ambrosius ac Bernard. dum enim prior in c. 3. Luc. de Ambros.
ficulnea, quam Paterfamilias iussit succidi, agit, & Bernard.
Synagogæ accommodat, sic vlterius pergit: *Quod de Iudæis dictum, omnibus cauendum, & nobis maximè, ne fœcundum Ecclesiæ locum vacui meritis occupemus, qui quasi malogranata benedicti fructus ferre debemus, inter nos fructus pudoris, fructus coniunctionis, fructus mutuæ charitatis, & amoris sub vno vtero Ecclesiæ matris inclusi, ne aura noceat, ne grando decutiat, ne æstus cupiditatis exurat, ne humoris imber eli-*
dat. Acrius id persequitur, imò & plangit Bernard. Bernard.
serm. 1. in Psalm. *Qui habitat*, his verbis: *Nunc verò, quod non sine dolore loquimur, aut videmus, sunt aliqui, qui in conuersionis initio satis timorati, & solliciti sunt, donec initium aliquod conuersionis acceperint, & cum multo magis desiderare debuerant iuxta illud*, qui edunt me, adhuc esurient: *Incipiunt sic agere, ac si dicant, vt quid ei seruiamus, vltra quando iam habemus, quod daturus est?* Subdit emphaticè: *O homo, si scires, quam parum est quod habes, & hoc ipsum, quam cito perdes, si non seruauerit ille, qui dedit.* Ac si iuxta ea, quæ initio adnotationis admonebat, tepidis hisce modo ingerat, opus quidem esse Dei thalamum omni florum, siue virtutum genere redolere, nec sufficere semel, & iterum flores apponere, nisi alij, atque alij denuo indesinenter inserantur, ne priores marcescant.

9. Proh dolor! in bonorum terrestrium negotiatione, quam longe alia ratio est. Etenim acerbis, & noxiis infelicium arborum sæculi fructibus impleri, repleríque vehementius exoptant homines, atque vt id obtineant, nullum non lapidem mouet. Quid enim aliud frequentius vident oculi nostri, quam
seruos mundi: *Repletos* (verba sunt Pauli ad Rom. Ad Rom. 1. 26.
1. 26.) *omni iniquitate, malitia, fornicatione, auaritia, nequitia, plenos inuidia, homicidio, contentione, dolo, malignitate*: quod & miser ille homo, à quo Iesus dæmonium mutum eiecisse dicitur, adumbrare videas, dum totus à dæmone possessus, & repletus erat, quin oculi, aures, lingua, reliquiue sensus vaca-
rent, Lucæ 11. 14. vnde Paschas. lib. 5. in Matth. sic Luc. 11. 14.
de eo ait. *Plenus denique dæmonio, quia membra ipsius* Paschas.
spiritu immundo repleta erant. Similiter impiam illam Babylonem, matrem fornicationum, plenam nominibus blasphemiæ vidisse se Ioannes testatur,
Apocal. 17. 3. Ad quem etiam modum Vates Psal. Apoc. 17. 3.
16. 14. *A paucis de terra diuide eos in vita eorum, de* Psal. 16. 14.
absconditis

abſconditis tuis adimpletus eſt venter eorum. Vbi lectio Tigurina. *A mortalibus huic ſaculo addictis, qui partem ſuam in hac vita expetunt, & de tuo penu imples ventrem eorum.* Vbi bene mundani homines, ij inquam, quos paſſim offendimus, & circum fora, palatia, ne dicam, & circa Eccleſias ambulant, tum huic ſæculo addicti, vel quaſi toto animi conatu, & impetu ei adhærentes, vel quaſi ad illud damnati; tum etiam de abſconditis ventrem ſuum adimplere cupientes, inducuntur. Sanè quaſi non ſufficiat ipſis omne, quod Deus in ſuperficie terræ liberaliter appoſuit, niſi &, quæ in abdita terræ, tamquam noxia, & perniciem afferentia, vt bonus pater, texit, ipſi in interitum ſuum inueſtigare, & indefatigato ardore extrahere conentur, vt ventrem, quem ſatiare nequeunt (nam, *venter impiorum inſaturabilis,* Prouerb. 13. 25.) ſaltem impleant, & repleant. Ita ibi Euſebius Græcus apud Agellium. *Nam ſi qua ſunt in hoc ſaculo, & hac mortali vita, qua expetantur, & repoſita, & abſcondita putentur habuerunt, ipſi certè, & aurum & argentum, & omnia terra metalla exquiſierunt, lapides etiam varios pretioſos, & præclaros ſcrutati ſunt.* Quo in loco appoſitè quærunt, ſimulatque iraſcuntur Seneca, & Plinius: quorum prior epiſt. 110. *Ab hac* (inquit) *diuina contemplatione abductum animum in ſordida, & humilia pertraximus, vt auaritia ſeruiret, vt relicto mundo terminiſque eius, & dominis cuncta verſantibus, terram rimaretur, & quæreret, quid ex illa mali effoderet, non contentus oblatis. Quidquid nobis bono futurum erat, Deus, & parens noſter in proximo poſuit, non expectauit inquiſitionem noſtram, vltro dedit, nocitura altiſſime preſſit, nihil niſi de nobis queri poſſumus, ea, quibus periremus, nolente rerum natura, & abſcondente, protulimus.* Similiter Plinius in proœmio lib. 33. in quo de metallorum natura diſſerit. *Imus in viſcera eius, & in ſede manium opes quærimus, tāquam parum benigna, fertilique qua qua calcatur. Inter minimum remediorum cauſas ſcrutamur, quoto enim cuique fodiendi cauſa medicina eſt, quamquam & hæc ſumma ſui parte tribuit, vt minime parca, facilisque in omnibus, qua proſunt: illa nos premunt, illa nos ad inferos agunt, quæ occultauit, atque demerſit, illa, quæ naſcuntur, vt repente mens ad inane euolans reputet, quæ deinde futura ſit, finis ſeculis omnibus exhauriendi eam, quouſque penetret auaritia.* At enim, vt id grauiter dolendum ſit; hoc quidem grauius; ad hæc tam abdita, tam inutilia, tam caduca, tam noxia; tāto ardore inhiare homines, donec repleantur; ad illa verò, quæ ad animum ſpectant, ad illa, inquam, tam vera, tam ſolida, tam cœleſtia, tam diuina, tanta cunctatione, torpore, ignauia, & oſcitatione accedere, vt iure dixerit Bernard. ſerm. de miſeria humana. *Mirum eſt de te homo miſer, quod ad mala ſis totus auidus, totus promptus, totus facilis, totus ſapiens, & totus ſollicitus: ad bona autem es totus durus, totus piger, totus tepidus, totus ſtultus, totus incredulus, & rebellis.*

[Margin: Lect. Tig. — Prou. 13. 25. — Euſeb. — Senec. — Plin. — Bernard.]

10. Ferebat quidem horum typum homo ille, qui Lucæ 6. 6. habebat manum dexteram aridam, & Chriſto ſanandus oblatus dicitur; nimirum cum dextra manus, vt verſ. 9. adnotat. 5. numer. 12. ex Patribus vidimus, ſignificet charitatem, ſiue facultatem ad bona exercenda, emphaſim habet dextram manum aridam, ſiniſtram verò ſanam habere: eſt enim, ac ſi diceretur eſſe plures, qui vno ex capite ad bona opera aridas, & impeditas manus, ad res verò ſæculi parandas, ſanas, promptas, & faciles habeant; cum tamen hæ non, niſi ſumma difficultate, & labore obtineantur: illa verò facili negotio, Deo ſemper bene fauente parentur. Vnde ſub Domini perſona Auguſtinus in Pſalm. 18. *Iubet auaritia, vt mare tranſeas, & obtemperas, iubet, vt te ventis, procelliſque committas: iubeo ego, vt ante oſtium tuum. ex eo quod habes, des pauperi. Piger es ad faciendum ante te opus bonum, & ſtrenuus es ad tranſeundum mare.* Querebatur Pomonæ nomine Plinius, plus ab hominibus terræ fruges, quam arborum fructus fieri, cum hi non humi ſiti, ſed vt à cœlo aduenientes, ita cœlo proximiores, quique hominem ad eos manum porrigentem cogerent, vt cœlum ſpectaret; deinde, cum & ſuauiores, & faciliori negotio parabiles terrenis frugibus ſint. *Plurimum inquit* (verba Plinij) *hominum voluptatis ex me eſt, ego ſuccum vini, liquorem olei gigno. Ego palmas, & poma, totque varietates: neque vt tellus omnia per labores: aranda tauris, terenda areis, deinde ſaxis, vt quando, quantove opere cibi fiant. At ex me parata omnia, nec curuo aranda aratro, nec cura laboranda, ſed ſeſe porrigentia vltro. Et ſi pigeat attingere etiam cadentia*; ſic ille. Quid ſi cauſam fructuum iuſtitiæ ageret? Quanto meliori iure queri poſſet? cum hi infinito interuallo terrenis bonis pretioſiores, & in hominum manus vltro inclinati, & ſi pigeat attingere cadentes; at ex terra omnia per labores, & pericula, imò per grande periculum ad maius periculum, ferenda enim ſunt terrena bona, aranda, colenda, & quod peius eſt, infami cultu adoranda, & per mille indignitates (quas alibi perſequor) vix obtinenda: & tamen ad illos, tam ſuaues, tamque maturos fructus colligendos, arida ſemper manus, ad has verò quiſquilias ſoluta, & prompta ſit.

[Margin: Luc. 6. 6. — Auguſt. — Plin.]

Ita quidem de Ephraim conquerebatur Oſeas cap 4. 19. *Ligauit eum ſpiritus in alis ſuis*, vbi cum mira eius ad malum promptitudo, & celeritas denotetur, quippe cui Vates tum alas ad peccandum, facilitatem ſcilicet, auiditatem, animos, vires, & animum proiectiſsimum, tum etiam ventum impellentem quo celerius volaret, aſsignauit. Vnde Lxx. quos Græci ſequuntur, legunt: *Turbo ſpiritus tu es in alis eius*; mirum videri poteſt, ligatum ſimul & impeditum eſſe, dici: *Ligauit eum ſpiritus.* Volas ocyor vento, & ligatus es? impellit te magna violentia turbo, & immotus teneris? ita omnino. Nam iubente auaritia, vt mare tranſeas, & ventis te, ac procellis committas, obtemperas; & ventos ventis leuior inſequeris, iubet Deus, vt pauperi ante te iacenti eleemoſynam tribuas, ſacrum audias, operibus miſericordiæ, honeſtis, facilibus, æternam mercedem afferentibus inuigiles, & ligatus, ac immobilis es, aridam ad id manum habens. Ita Hieron. ibi: *Immundus ſpiritus ligauit Iſraelem in alis ſuis, & eum liberè volitare non patitur.* 12.

[Margin: Oſee 4. 19. — LXX. — Hieron.]

Affinem habenti manum aridam, languidum illum exiſtimo, qui Ioann. 5. 5. circa piſcinam iacebat, & *erat ibi triginta & octo annos, habens in infirmitate ſua*: Nec longius quidem, quam duobus (vt aiunt) digitis à ſalute, & remedio. Vbi obſerua ex Patrum, & interpretum ſententia eum ægrotum paralyſis ægritudine laborare: hunc verò morbum non ita concipias, ac ſi artus, & nerui contrahantur, ſecus enim eſt, quippe qui à medicis eſſe dicitur diſſolutio neruorum, quæ gignitur ab humore frigido, & craſſo neruos plus æquo humectante, & laxante, vnde Tertullian. in Apologet. agens de Chriſti miraculis, dixit: *Quum ille verbo dæmonia excuteret, leproſos mundaret, paralyticos reſtringeret.* Benè paralyſis ſanitatem explicans, quæ tunc aduenit, cum nerui diſſoluti, & plus iuſto laxiores reſtringuntur. Sed ſimul aduerte ab hoc morbo non totum hominem, ſed alterum tantum corporis latus corripi: ideo à Græcis dicitur 13.

[Margin: Ioann. 5. 5. — Tertull.]

Velazqu. in Epiſt. ad Philippenſ.

N hemiplexia,

hemiplexia, quod in alteram corporis partem malum id incubet. En ergo homines, de quibus loquimur, qui vna ex parte ad bona temporalia procuranda plus iusto laxiores, & promptiores sint, qui lucri causa per mare, per terras, per ignes ad Indos currant; pro ambitione, siue dominatione, mille labores, & indignitates seruiliter pati non recusent: at pro Dei gratia, & perfectione obtinenda, nec pedem efferant; sed, *ibi*; hoc est iuxta Sacramenta, iuxta Christi præcepta, iuxta virtutes, siue iustitiæ fructus, sese vltro porrigentes, & si pigeat attingere, etiam cadentes infeliciter iacere velint.

Clem. Alexan. De his sic Clemens Alexand. lib. 2. Pædagog. cap. 12. *Aurum Gryphes custodiunt, à mari teguntur margaritæ: vos autem curam superuacaneam ponitis in iis, quæ non oportet. Ecce totum cœlum est apertum, & Deum non quæritis. Absconsum est aurum, & lapides, ij apud nos scrutantur, qui sunt damnati capitis.* Scitè pertinacem solicitudinem eorum, qui sæculo addicti velut damnati, de absconditis adimplere ventrem indesinenter procurant. Sed

Philo. luculentius Philo in lib. *Quod omnis probus sit liber.* sic hæc diffundit. *Nos verò si qua cura esset mutationis in melius, deberemus vestigare latebras eorum, & orare suppliciter, vt efferatam vitam nostram ad mitiorem statum reducant. Nunc verò pecuniæ causa scrutamur intima quæque aperimus terræ venas duras, & refractarias, metallarij puteos effodiunt, in planis, atque montanis quærendo aurum, argentum, cuprum, ferrum, cæteras species; vanitas fastum colens pro numine profunda maris penetrat, quærens varia lapillorum pretiosorum genera, vel saxis latentibus adnata, vel ostreis, & ob hoc ipsum pretiosiora quantum oculi deliciis, aut luxu corrupti iudicant: at prudentiæ, temperantiæ, fortitudinis, iustitiæque causa nemo peregrinatur, ne in peruiis quidem regionibus, & hospitalibus.* Et statim fructuum metaphoram, quam persequimur ingerens subdit: *Quamuis non habeamus opus virtutem in longinquas, aut transmarinas regiones petere, cuius radices author naturæ in proximo deposuit, sicut ille sapiens Iudæorum legislator testatur dicens*, in ore tuo, in corde tuo, in manibus tuis: *subinnuens dicta, facta, consiliaque, quæ omnia cultura indigent.* En iustitiæ fructus in ore, in corde, in manibus adnascẽtes contemnuntur, despiciuntur, & pro nihilo habentur, & res vanissimæ vltra Oceanum quæruntur, inuestigantur, & è latebris eruuntur.

14. Sed paralyticum hunc bellè vetus ille populus exprimit, quem eandem ob culpam diuersa ratione arguunt Vates Isai. & Ierem. ille enim grauem, & plumbeum, hic verò velocissimum, &

Isai. 1. 4. Euro ocyorem appellant. Sic prior cap. 1. 4. *Væ*

Iere. 2. 23. *genti peccatrici, populo graui iniquitate*: vbi Hebraicè est, *populo grauato.* Ierem. autem cap. 2. 23. *Vide vias tuas in conualle, scito quid feceris: cursor leuis explicans vias suas* (Hebraic. *Dromedaria leuis capiens vias suas.*) *Onager assuetus in solitudine, in desiderio animæ suæ attraxit ventum amoris sui.*

LXX. Lxx. *Spiritu portabatur.* Quid? idem grauis, & leuis, plumbeus, & vento ocyor esse possit? Ita sanè: est enim paralysis, quæ in alterum tantum latus incubat, & qui ad res animæ grauatus, & immobilis terræ torpens hæret; ad explendas corporis cupiditates spiritu portatur, onagro, aquila, & vento leuior: *Pedes enim eorum ad malum currunt*, Pro-

Prou. 1. 16. uerb. 1. 16. qui ad eleemosynam erogandam nummum non habet, ad ludum, meretrices, insanosque sumptus diues est, & in iis prodigè patrimonium diffundit. Sed enim non abs re dixeris, id non tam vnius, quam vtriusque lateris malum esse. *Pari*

Nazianz. *enim in vitio sunt*, (verba Nazianz. orat. in S. Bapt.) *promptitudo ad vitium, & procrastinatio ad virtutem.* Nec aliter depingit populum illum Ezechiel

cap. 16. 30. inquiens. *In quo mundabo cor tuum, ait Dominus, cum facias omnia opera hæc mulieris meretricis, & procacis!* Vbi Rabb. Dauid legit. *Quam debile, & abscissum est cor tuum?* Chaldæus verò. *Quam fortis sunt malitia cordis tui!* Vides cor debile, & forte, abscissum, & robustum? nimirum, quod ad bonum nihil eo debilius, & fractius, ad malum maximè forte, & robustum sit. Vnde vtramque lectionem sic expressit Bibl. Tigur. *O quam impotens est cor tuum, dicit Dominus Deus, cum facias omnia ista flagitia meretricis præpotentis!* En impotens, & præpotens cor, cui ad flagitia gigantæum robur, ad virtutem nulla vis, nullus spiritus sit. Qua de re ita significantissimè Gregor. Magn. lib. 19. Moral. c. 16. *Omnes huius sæculi dilectores in terrenis rebus fortes sunt, in cœlestibus debiles. Nam pro temporali gloria, vsque ad mortem desudare appetunt, & pro spe perpetua, ne parum quidem in labore subsistunt: pro terrenis lucris, qualibet iniurias tolerant, & pro cœlesti mercede vel tenuissimi verbi ferre contumelias recusant. Terreno iudici toto etiam die assistere fortes sunt, in oratione verò coram Domino vel vnius horæ momento lassantur.* Hæc Gregorius, quibus nihil explicatius dici potuit.

Ezech. 16. 30. — Rabbi David. — Chald. — Tigur. — Gregor.

Ab hoc longius non it castum Iosephum dignum virtutis, imò & Regis virtutum symbolum ab Ismaelitis viginti argenteis emptum, Genes. 37. 28. Iesum verò, cuius ille imaginem gerebat, triginta argenteis à Iuda Principibus sacerdotum diuenditum, Matth. 26. 15. Vbi si discriminis rationem perquiras, opportunè respondet Ambrosius lib. 3. de Spiritu Sanct. *Viginti aureis emunt Ismaelitæ, triginta Iudæi; ad sacrilegium perfidi largiores, quam ad salutem fideles sunt.* Id sic persequitur Hieronym. in epist. ad Demetriad. (si tamen is Hieronymus, & non potius alius, non adeò bonæ notæ scriptor, vt suspicatur Card. Bellarm.) *Considerare pudet quantus sit feruor in sæculo, literarum ardor ætate prorsus non extinguitur, imo vt sæcularis auctoris vtar sententia, ipsa magis ætate inflammatur, diuitiarum amor insatiabilis est, expleri nescit horum cupido; celerem habitura res finem sine fine quæruntur, nos diuinam sapientiam, cœlestes diuitias, immortales honores pigra quadam dissimulatione negligimus.* Consentanea vide in Bernard. ep. 341. Vt hæc tibi proponam è Chrysost. hom. 2. de verb. Isai. tom. 1. *Homo vrinator nullam aliam ob causam audet se ipsum in profundum aquarum demittere, quam propter margaritas bellorum causam, & tu vt accipias thesaurum deficere nescium, plantesque vineam in anima tua, non sustines æstum, neque sudorem: non vides illos, qui sedent in theatro, quomodo sudent, nudoque capite solis radium excipiãt, quo fiant captiui mortis, quo scorti mancipia? Ad exitium illi laborant, & tu ad salutem segnis, ac remissus es?* Possis etiam hic aptare grauatos somno Passionis nocte discipulorum oculos; cum Iudas, vt auaritiæ inseruiret, peruigil, & insomnis erat. Vnde scitè Drogo de Sacram. Dom. Pass. *Quam vigiles oculos habes auaritia!* Nec dimittenda Senecæ querela lib. 7. natur. quæst. c. 32. *Nequitia omnes operam damus: huic oculi nostri, huic manus seruiunt. Ad sapientiam quis accedit? Quis dignam iudicat, nisi quam in transitu nouerit? Quis philosophiam, aut vllum liberale respicit studium, nisi cum ludi intercalantur, cum aliquis pluuius interuenit dies, quem perdere licet?*

15. — Gen. 37. 28. — Matth. 26. 15. — Ambros. — Hieron. — Bernard. — Chrysost. — Drog. — Seneca.

Vt verò hæc in vniuersum verissima sint, peculiariter tamen eos pungũt, qui postquam peccato, & concupiscentiis ardentissimo studio, inexplebili auiditate, pertinacissimo obsequio ancillati fuerint, dum 16.

dum ad bonam frugem se recipiunt tepide, ignaue, & oscitanter Deo, atque virtuti se dedunt. Quos sic
Bernard. increpat Bernard. citata epist. 341. *Erubescat anima conuersa ad Dominum minori affectu sectari iustitiam, quam iniquitatem antea sectaretur; est enim causa quoque valde dissimilis:* stipêdium quippe peccati mors; fructus autem spiritus vita æterna. *Pudeat proinde negligentius nunc in vitam, quam prius in mortem ire, & minori studio salutis adquirere, quam perditionis*
Tertull. *augmentum.* Sed vt breuius, ita vehementius Tertul. in Scorp. aduers. Gnosticos, c. 5. Fideles ad martyrium sic animans. *Quid grauatur pati nunc homo ex remedio, quod non est tunc grauatus pati ex vitio? Displicet occidi in salutem, cui non displicuit occidi in perditionem? Nauseabit ad antidotum, qui hiauit ad venenum?* Scitè quidem, nec potest supra, præsertim si sensum, & voces tecum expendas. At enim verò, vt ad excusationes paratissimi sumus, carnis imbecillitatem humanamque fragilitatem obtendimus.
Idem. Sed repugnat iterum Tertull. lib. 1. ad vxorem, c. 4. his verbis: *Carnem legimus infirmam, & hinc nobis adulamur impensius, legimus tamen, & spiritum firmum. Nam in vno sensu vtrumque positum est. Caro terrena materia est, spiritus verò cœlestis. Cur ergo ad excusationes proniores, quæ in nobis infirma sunt, opponimus; quæ verò fortiora non tuemur? Cur cœlestibus terrena non cedant? Si spiritus carne fortior, quia & generosior, nostra culpa infirmiora sectamur.* Hactenus
Ad Rom. 6. 19. pungit Tertull. Porro ad Rom. 6. 19. Paulus non acerbum, & durum, sed valde potius indulgentem, atque benignum exactorem se nobis exhibere putauit, cum ea nos contentione, & alacritate Dei obsequio inseruire, ac iniquitati aliquando ancillati sumus, ita suadebat. *Humanum dico propter infirmitatem carnis vestræ: Sicut enim exhibuistis membra vestra seruire immunditiæ, & iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibete membra vestra seruire iustitiæ in sanctificationem.* Cuius loci accipe egregium
Chrysost. Chrysost. commentarium hom. 12. ad Rom. *Quis tandem eo vsque miser, & vsque infelici sydere natus esse queat, vt nec studij quidem tantumdem Christi, quantum peccati, ac diaboli seruituti impendat?*

ADNOTATIO II.

Iustitiæ actiones, fructus esse honoris, & honestatis: peccata verò, ac res sæculi non fructus, sed mortua opera esse.

1. Ad Galat. 5. 19. & 22. ACCVRATISSIMA locutione Paulus ad Galat. 5. 19. & 22. virtutis, & peccati actiones describens, has, *opera*, illas *fructus*, nuncupauit. *Manifesta* (inquit) *sunt opera carnis, fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, idolorum seruitus, veneficia, &c. Fructus autem Spiritus est charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas*, &c. Sed cur mutauit stylum, nec vtrasque actiones, vel operum, vel fructuum nomine nuncupauit? Equidem quod peccata, eaque omnia, quæ ad peccatum spectant, fructuum nomine indignissima sint; sunt enim res steriles, infœcundæ, fœtidæ, & vt semel dicam cum
Ad Hebr. 6. 1. eodem Paulo ad Hebr. 6. 1. opera mortua; virtutes verò, earumque actus, fructus sint suaues, solidi, indeficientes, qui possessori lætitiam, honorem, & quod maius est, æternam vitam ingenerent. Ita ad
Hieron. id loci Hieron. *Sed & illud eleganter, quod in carne opera posuit, fructus in spiritu, quia vitia in semetipsa finiuntur, & pereunt; virtutes frugibus pullulant, & redundant.* Luculentius verò, fructuum imagi-

Vlazqu. in Epist. ad Philippens.

nem virtutibus aptatam sic elucidauit Philo, lib. Philo. quod omnis probus sit liber. *Qui otium, vt noxium fugientes, ad laborem se applicant, velut generosarum plantarum cultores, continua cura precelsas virtutum stirpes educant, in æthera immortales, viuentesque perpetuo ferentes felicitatis fructum, nunquam interiturum, quandoquidem iuxta quorundam opinionem, non tam felicitatem afferunt, quam ipsæ sunt felicitas. Et vt Moyses vocare solet composito vocabulo, ὁλοκαρπώματα. Quasi dicas frugem solidam, siquidem terrestres plantæ interdum nullum fructum suo cultori afferunt, at quæ inseruntur in anima, totæ quantæ sunt, in fructus abeunt prudentiæ, iustitiæ, fortitudinis, temperantiæ.*

Sed hæc pensiculatius edisserenda sunt. Quare 2. quidquid in arborum fructibus vtile & delectabile reperitur, vide quam apta ratione iustitiæ fructibus accommodetur. Nam si tibi, vt Euæ, occurrat pomum: *Bonum ad vescendum, & pulchrum oculis, aspectuque delectabile:* siue (vt legit Nyssen. orat. in Quadrag. Martyr.) *& maturum*, scito hanc virtutis imaginem esse. Quid enim ipsa in primis pulchrius? Quid speciosius? Fecit quidem Dominus lucem, *& vidit, quod esset bona.* Genes. 1. 4. Sed vnde bona? aut quare peculiari eam laude non ornauit? Sed visu contentus, inde bonam commendauit? Planè, quod lux virtutis imago sit, hæc verò non indiget laudibus, aut laudatore, sed oculis solum, ac visu; nam cum ipsa summe pulchra, & speciosa sit; videre eam, laudare est. Ita hac de re Ambros. lib. 1. Hexamer. c. 9. *Nec, quod ignorabat, vidit, nec id, quod nesciebat ante, aut non viderat, comprobauit: sed bonorum operum proprium est, vt externo commendatore non egeant, sed gratiam suam, cum videntur, ipsa testentur. Plus est, quod probatur aspectu, quam quod sermone laudatur. Suo enim vtitur testimonio, non alieno suffragio.* Similia huc intentus dixit Seneca disertissimè, lib. 4. de benefic. c. 16. *Alia fortasse minus dignitatem suam præferunt; & an sint honesta, interprete egent, hoc expositum est, pulchriusque, quam vt splendor eius dubie ac parum luceat.* Et c. 17. *Placet suapte natura, adeoque gratiosa virtus est, vt insitum sit, etiam malis probare meliora:* Et paulò post. *Maximum hoc habemus naturæ meritum, quod virtus in omnium animos lumen suum præmittit, etiam qui non sequuntur illam, vident.* Voluit dicere, adeò est pulchra, vt etiam ipsis, qui non amant, imò & viuendi modo oderunt, non possit non eius species, & venustas effulgere.

Genes. 3. 6. Nyssen. Ambros. Senec.

Iam si ad sublimitatem, honestatem, & gloriam 3. fructuum iustitiæ attendas, occurrit Salomon Sapient. 3. 15. inquiens: *Bonorum laborum gloriosus est fructus, & quæ non concidat radix sapientiæ.* Sed quid est, *gloriosus fructus?* Primo equidem dignitatem, & gloriam, quam virtus natura habet, indicauit sapiens. Vnde Ambrosius lib. 3. Hexamer. cap. 13. Ambros. ipsam cum palma, optima ratione composuit, nihil enim ipsa erectius, nihil gloriosius, quæ vinci nescit, & manus victricis ornatus est. Vis videre gloriosum fructum; palmamque stantem, & erectam? aspice Rachelem, quæ coram parente suo nequeat assurgere, sed honorifice sedeat, ipse verò seruiliter pedibus stet. Genes. 31. 35. Ne verò existi- Gen. 31. 35. mes paternam pietatem læsam fuisse, animaduerte illam virtutis; hunc verò perfidiæ specimen gerere, vnde virtus sit, licet in paupere abiectæque sortis homine sit, in filio, aut seruo, magnifice tamquam superior sedere: vitium verò, tamquam subditus, & inferior; miserique rei personam agens, humiliter & submisse stare debet. Audi Ambros. lib. de Iacob, & vita beat. cap. 5. *Nemo credat paterna* Ambros.

pietatis læsam esse reuerentiam, quod stante patre sedit. causa agebatur religionis, fides debuit habere sedem iudicij, & quasi rea stare perfidia. Vidisti palmam sublimem, & erectam, vide iam victoria potitam, & triumphantem. Dabat execrandis idolis sacrificalem operam impius Ieroboam splendido stipatus comitatu, regioque ornatus satellitio, & armata pompa, cum ei Dei, & virtutis nomine

3.Reg.13.2. occurrit Propheta, 3. Reg. 13. 2. vt nudus, atque inermis, & infimæ conditionis homo, cum illo certamen iniret. Ergo ipsum ad bellum minacibus verbis, egregiis signis prouocauit. Arripuit ferox Rex furoris impatiens certamen cum Propheta, extendit contra ipsum manum; En manum virtutis, Regisque, & vitij manus, in prælio consertas. Quæ iam vincet? certe manus Regis, vt vel ad plagam Vati inferendam erat extenta, siue intenta, vel ad egregiam aliquam aliam iniuriam eleuata. Continuo arefacta manus virtuti dedit.

S.Nilus. Rem sic pulchrè expendente S. Nilo in Ascetico. *Reprehendebat olim Regem Propheta, quod iniquè ageret exercitu stipatum vniuerso, qui cum ea reprehensione irritatus, manum aduersus Prophetam extendisset, neque illum cepit, & manum ad se aridam retrahere non potuit: erat inter virtutem, & potentiam regiam certamen: & victoria virtutis fuit. Non pugnabat Propheta, & virtus repulit bellum. Cessabat pugnator, & virtus bellum perficiebat. Milites Regis erant certaminis præfecti, & manus fletis, virtutique victoriam adiudicauit.*

4. Deinde, gloriosum bonorum laborum fructum tuum eo referas, quod virtutis bonus semper odor, præclaraque de illa fama sit. Vnde Ecclesiastici 24.

Eccl.14.23. 23. *Ego quasi vitis fructificaui suauitatem odoris, & flores mei fructus honoris, & honestatis*, siue vt habet

Lect. Tig. Lectio Tigur. *Ego quasi vitis odoram emisi gratiam, & flores mei fructus gloriæ sunt, & diuitiarum* (de quo nos alibi) tum vel maximè, quod *æternum gloriæ pondus operatur in nobis*, 2. ad Corinth. 4. 17. Sanè, qui

2.Ad Cor. 4.17. palma virtutis potitus fuerit, non minus quam ad ipsum Dei consessum ascendit, dicente Domino

Apoc.3.21. Apocalyps. 3. 21. *Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo, sicut & ego vici, & sedi cum Patre meo in throno eius.* Quare sponsa ita animosè proloquitur,

Cant.7.8. Cant. 7. 8. *Ascendam in palmam, & apprehendam fructus eius*: siue vt Ambros. lib. 3. Hexamer. c. 13.

LXX. legit, ex LXX. *Et tenebo altitudines eius*, fructus virtutis in palmæ altitudine, & celsitate; hoc est, in quadam vt ita dicam supremæ celsitudinis, siue diuini throni pia æmulatione recensens, ita indidem

Ambros. Ambros. *Vnde Ecclesia ait.* Dixi Ascendam in palmam, tenebo altitudines eius. *Quæ eminentiam videns Verbi, & sperans, quod ad eius altitudinem possit ascendere, & scientiæ summitatem dicit.* Ascendam in palmam, *vt omnia inferiora relinquat, & ad superiora contendat, ad brauium Christi, vt suaues eius fructus carpat, & gustet.* Addit Ambr. quod è re nostra maximè est. *Suauis enim virtutis est fructus*, vt non modo in futura, sed in præsenti etiam vita magna animi iucunditas, atque id gaudium, quod cœlestem beatitudinem redoleat, ac sapiat ex virtute percipiatur.

Bernard. De quo sic Bern. epist. 114. *Re vera illud verum, & solum est gaudium, quod non de creatura, sed de Creatore percipitur, & quod cum possederis, nemo tollet à te. Cui comparata omnis aliunde iucunditas, mæror est: omnis suauitas, dolor est: omne dulce, amarum: omne decorum, fœdum: omne postremò quodcumque aliud delectare possit, molestum.* Sed ea de re multis egimus ad vers. 1. adnot. 6. multis etiam agemus Deo dante ad c. 4. Modò non omittam præclaros hos lætitiæ fructus nunquam in animo senescere, sed viuidos, atque florentes in animo perdurare; nam Tullio li. Tull.
de senectute teste. *Conscientia benè actæ vitæ, multorumque benefactorum recordatio iucundissima est.*

Ad hæc iustitiæ fructus iusta similitudine cum 5.
fructibus arboris vitæ componuntur, quod vt illi vegetiorem valetudinem, & productiorem vitā iis, qui ipsis vescuntur, afferant, ne videlicet immaturi, sed tamquam *aceruus tritici in tempore suo*; vel vt Græca habent, *sicut seges suo tempore demessa*, sepulchrum ingrediantur Iob 5. 26. Ita disertissimè Salo- Iob 5.26.
mon, Prou. 11. 30. *Fructus iusti lignum vitæ, & qui* Prou.11.30. LXX.
suscipit animas, sapiens est. Vbi LXX. in vtramque partem sententiam enucleatius versantes sic reponunt. *De fructu iustitiæ, nascitur arbor vitæ*; auferuntur autem intempestiuæ animæ iniquorum, ac si, allusione ad lignum facta diceret sapiens, iustitiæ fructus temporalis vitæ spatia iusto producere, iniustitiam verò peccatoris vitam detruncare. Qui quidem sensus inesse videtur illis verbis, Psal. 114. 6. *Pretiosa in* Psal.114.6.
conspectu Domini mors sanctorum eius. Vt enim aliæ expositiones reddantur; illa dubio procul germanior est, ideo iustorum mortem pretiosam apud Deum esse, quod ab eo ipsorum vita multum æstimetur, nec nisi magno sibi persoluto pretio, martyrij videlicet, aut præseruationis, siue immunitatis à culpa, diem siue horam eius decutret; sicuti Luc. 7. Luc.7.2.
2. de seruo Centurionis dicitur: *Erat ei seruus pretiosus*, id est, quem multum æstimabat, atque in magno pretio habebat. Ita Nicol. de Lyra, ibi: *Pretiosa* Nicol. de Lyra.
in conspectu Domini, id est, non de facili permittit eos mori sicut res pretiosa non contemnitur de facili. Quam quidem sententiam satis confirmat, quod sensu opposito de peccatoribus dicitur, Psal. 43. 12. *Vendidi-* Psal.43.12.
sti populum tuum sine pretio, & non fuit multitudo in commutationibus eorum: hoc est, non modo non multum eos æstimasti, siue qui vendentium mos est, licitantibus pretia auxisti, sed neque permutationem vllam pro ipsorum capitibus postulasti, ac si ea pro nihilo duceres. Ita ibi Theodor. in Cat. Græc. *Tam-* Theodor.
quam inutiles, & viles seruos, prauos enim, ac mancos seruos solemus sine pretio tradere; atque eorum emissionem lucro putare, sic & tu nos inimicis nostris tradidisti. Vaticinio consentit historia. Nam de Iudæis Roma in exilium expulsis, inquit Corn. Tacit. lib. Corn. Tac.
2. Annal. *Et si interissent ob asperitatem cœli, vile damnum*, id est, pro nihilo eorum siue vitam, siue mortem esse faciendam.

Nec deest fructibus his proficua, & salutaris vm- 6.
bra, quæ sibi adhærentes protegat, vimque vitalem infundat; sic enim de Petro, Act. 5. 15. *Vt veniente* Act.5.15.
Petro saltem vmbra illius obumbraret quemquam illorum, & liberarentur ab infirmitatibus suis, vt nimirum aliter ac sæculi arbores, quarum vmbra exitialis, & vt Plinij verbis lib. 17. c. 12. vtar, *nouerca* est Plin.
iusti, cæterorum parentes, & veluti tutelares Angeli sint; ita quidem impio Regi Israel, quem bonus Rex Iosaphat obumbrata, dixit Elisæus 4. Reg. 3. 14. *Vi-* 4.Reg.3.14.
uit Dominus exercituum, in cuius conspectu sto, quod si non vultum Iosaphat Regis Iuda erubescerem, non attendissem quidem te, neque respexissem. Ostendens non posse eius voto, quem adeò vilem habebat, vt neque dignaretur aspectu, non satisfacere, ob Regis Iosaphat vmbram, quem vt Deo placitum maximè reuerebatur. Certe hac ratione profugis Leuitarum ciuitates in asylum dabātur, & cum sacratis viris, profani omnium existimatione cohabitabant, vt argumento esset, inquit Philo lib. de sacrific. Phil.
Abel, & Cain. *Bonum virum, mali esse redemptionem.* Nec aliud sibi vult Dominus, dum Matth. 5. 45. Matth.5.45.
de Patre suo, ait: *Qui solem suum oriri facit super bonos, & malos, & pluit super iustos, & iniustos.*

Sic

Auct.ope. imperf. Sic, id pensitante Auct. oper. imperf. apud Chrysost. hom. 13 *Cautè posuit dicens,* super iustos, & iniustos, *non super iniustos, vt iustos. Quia omnia bona Deus non propter omnes homines, dat super terram, sed propter paucos sanctos. Contentus est enim magis, vt peccatores contra meritum suum bonis Dei fruantur, quam vt iusti contra meritum suum à bonis eius fraudentur.*

7. En iustitiæ actiones, vt bono quidem aspectu, sapore, odore, salubriq; vmbra præditas, ita fructuum nomine omni ex parte dignas. Vide iam an eadem peccati operum conditio sit? an potius optima ratione, *opera*, à Paulo appellentur, quod, vt dicebat Hieronymus, vitia in semetipsis finiantur, ac pereat, nec aliquid veri, ac solidi, quod duret, sed nec quod tantisper satiare animum possit, ex ipsis supersit. Sed id emphaticè Romanos admonebat Paulus; sic eos Ad Rom. 6.21. c. 6. 21. blande suggillans. *Quem ergo fructum habuistis tunc in illis, in quibus nunc erubescitis? nam finis illorum mors est.* Quo in loco maximè obseruanda est particula, *tunc*, quæ hunc illis verbis sensum reddit, quod nullus nunc vobis ex præteritis erratis, nisi amarissimus pudoris fructus remanserit, qui manibus siue ori potius suffusus inhæreat, satis est perspicuum, sed nulla vos deinde bonæ in futurum spei oblectatione, tunc posse refoueri etiam noui, cum vestri cursus finis mors, & quidē æterna esset; ergo ad id totum me conuerto, vt à vobis petam, quem tunc haberetis, *fructum, & emolumentum* (sic habet ibi lectio Syriaca) cum in ipsis carnis operibus tanto conatu, atque labore insudabatis? Quasi dicat, percipiebatis ne aliquid sinceri? aut solidi fructus honoris? bonæ existimationis? aut alterius dotis ex iis, quæ hominem, vel felicem, vel meliorē reddunt? degustabatis, vel leuem puræ, ac liquidæ voluptatis particulam? An verò mercedem aliquam, vel saltem calceamenta pro impenso à vobis obsequio peccatum repēdit? Minime; in reditu siquidem vestro opus fuit, vt bonus Pater calceamenta pedibus exhiberet. Luc. 15. 22. vt appareat, *Quam pauper qui ditatus* (verba Chrysolog. ser. 3.) *abscesseras, & de tota substantia calceamenta in pedibus non reportat.* Ergo nihil omnino emolumenti, fructus nullus, nulla vtilitas, nec veri gaudij gutta vlla vobis tunc affuit, sed vani prorsus, & irriti labores vestri, atque conatus erant. Expressit hæc omnia, & neruosiora alia, quæ acutior quisque excogitabit magna emphasi, magna vi Paulus, dum præfatæ interrogationi tacendo respondet, id quod ibi sic expendit Theodor. *Vos dicite emolumenta peccati, imò verò est potius superuacaneum id interrogare: etenim vos tacentes acceptum damnum confitemini, namque pudore suffundimini.* Similiter ad ea verba Prosper lib. 1. de vocat. gent. *Incipiūt ad perpetuam gloriam proficere per fidem, qui vix ad temporalem vanæ laudis poterant peruenire mercedem.* Sed dum ruboris meminit Paulus, peccati illis effigiem viuaci penicillo ob oculos posuit; Hic enim vnus peccati fructus, ideoque proprium illius signum, siue character est. Ita Greg. Nyss. tract. 1. in Psal. cum de voluptatum, ac rerum sæculi inanitate longius disseruisset, subinde ex pudore à peccato in homine relicto, eius fœditatem venatoria imagine, sic pulchre venatur. *Huius autem vni spectri vnicum vestigium relinquitur, post recessionem pudor, alta, & indelebilis eis impressa nota, per quæ transiit; possibile, vt sit venatorum more, & arte ex ipsis vestigiis fera naturam cognoscere: etenim illi, quando fera manifesta non est, vestigio eam cognoscunt; si igitur aper, aut leo propriis vestigiis agnoscitur, consequens est, vt & voluptatis natura in impresso à se vestigio elucescat. Atqui vestigium eius pudor est, ergo, & ipsa quæ imprimit animo huiusmodi notam, vel ipsemet pudor fuerit, vel certe causa effectrix pudoris.* Nec minus ad Pauli mentem, imò & cum ipso sensum, & verba communia habens Senec. lib. de tranquill. animi, c. 11. fine, ita monet. *Proximum ab his erit, ne aut in superuacuis, aut ex superuacuo laboremus, id est ne, aut quæ non possumus consequi, concupiscamus, aut adepti; cupiditatem vanitatum nostrarum serò post multum pudorem intelligamus, id est, ne aut labor irritus sine effectu sit, aut effectus labore indignus, fere enim ex his tristitia sequitur, si, aut non successit, aut successus pudet.* Seneca.

Luc. 15. 22. Chrysol. — Theodor. — Prosper. — Greg. Nyss.

8. Apto his opportuna Sapientiæ verba c. 3. 11. vbi tam de laboribus, quos impij, vt suis concupiscentiis satisfaciant, pertinaciter perferunt, quam de ministeriis, rebus gestis, siue muneribus, quæ obeunt, agens Salomon, inutile opus, & sine fructu id omne sic appellat: *Vacua est spes illorum, & labores eorum sine fructu, & inutilia opera eorum:* quasi dixerit eam infelicissimam sortem laboribus, conatibus, consiliis, & facinoribus impiorum obuenire, vt tam prædulci beatitudinis spe, quam fructu aliquo, qui hoc nomine censendus sit, omnino careant. Porro, si Græca lectio consulatur, ea omnia includunt voces, quæ nominibus fructus, & operum respondent: nam vox, κόποι, pro qua noster posuit, *labores*, propriè significat lassitudines, defatigationes, molestias ex laboribus; ἔργα, verò, id est, *opera*, aptissimè referas ad facinora, & res gestas, vt facta bellica, ministeria, negotia, munia, & ea in primis, quæ ardua sunt: iam verò de laboribus ait Sapiens esse, ἀόνητοι, id est, sine pretio, & vt explicatiùs dicam sine fruitione, quibus videlicet nec vti, nec frui commode quis posit, ac si diceret, *cosa sin iugo, ni substancia;* de operibus verò, siue rebus gestis esse, ἄχρηστα, ad nullam rem vtilia, siue quæ nulli vsui præoptato sint. O bellè igitur collocatos, exantlatosque labores! Vnde Ambros. lib. 1. de interpellat. Iob, c. 3. premens illa verba; *Et sicut mercenarij dies eius:* sic ait. *Fabula est illud, non veritas: denique fabula peccantium otiosa:* Sed quî otiosa? Repugnat Seneca sæpe citatus. *Vacat pudicitia; libido occupatissima est.* Ita quidem; nec abnuit Ambr. occupatissimam, & laboriosissimam hanc peccatorum fabulam, sed de fructu, quo omnino careat, imò verò pro quo dolorem, & laborem habeant, agens, otiosam vocat, vt de subiicit: *non habes fructum, sed gemitum.* Sap. 3.11. Ambros. Senec.

9. Applaudit sibi ipsi Salomon Ecclesiast. 1. 3. inquiens: *Quid habet amplius homo de vniuerso labore suo, quo laborat sub sole?* Sed illustris locus, vtcumque sumptus ex singularum vocum disquisitione expensus multo illustrior redditur; præstringam, quæ ibi latius docui, & illud in primis nimis angustam huius sententiæ expositionem esse, quæ à Paraphraste, & Hieronymo adhibetur, vt verbū, *habet*, idē ibi sit, ac *habebit*, quasi non ad præsentis, sed ad futuræ vitæ tempus referatur, ac si dicatur. Quid reliquum est homini postquam mortuus fuerit de omni labore, quem in res terrenas insumit? Esto enim à Salomonis mente non sit hic sensus omnino alienus, plenè tamen non satisfacit eius instituto ostendendi vanitatem, & inanitatem rerum sæculi, quod ibi persequitur. Pendo nunc singulas voces: & primum, licet ordine inuerso, illud: *sub sole;* cum Gregor. Neocæsar. & Olympiod. vt omnia, & quæcumque in sæculo habētur pretiosa, & magna comprehendat, sic enim Olympiod. *Omnes homines sub eodem sole versamur, eorum verò qui laborant, alij quidem vires intendūt suas ob ea, quæ solem supereminent, vt cœleste regnum in hæreditatem accipiant, alij verò ob ea laborant, quæ sunt sub sole, vt inanem scilicet gloriam, vel pecunias, dignitatemve acquirant.* Deinde Eccl. 1.3. Greg. Neo. Olymp.

scito voce illa, *homo*, sine alio additamento sumpta, significare Salomonem, non plebeium quempiam, aut vulgarem hominem, sed virum Principem, Dynastam, aut Regem potentissimum, phrasi Hebræa, quam alibi obseruo. Præterea tam nomini, *labor*, quam verbo, *laboro*, in Hebræo respondet nomen, *hhamal*, & ab eo eiusdem terminationis verbum, quod significat laborem molestissimum, qui opprimat, & defatiget, absque vllo leuamine, non solum corpus, sed etiam animum, nec cum tãtùm, qui suscipit, sed alios etiam: extenditur enim huius vocis significatio ad laborem, quem quis aliis fecisset: vt indicet sapiens laborem sæcularium hominum, & Principum virorum in comparandis bonis terrenis, non ipsos solum, sed alios etiam defatigare, & premere, amicos nimirũ, familiares, socios, seruos, imò,

Num.22,28. & iumenta ipsa, quæ si possent exclamarent non secus, ac asina Balaam, Num. 22. 28. *Quid feci tibi? cur percutis me? ecce iam tertio?* Nec animantia solum, sed inanimes etiam creaturas, terram, montes, aera, mare; & hoc quidem has gemebundum voces

Isai.23.4. edere, ait Isai. 23. 4. *Erubesce Sidon, ait mare, fortitudo maris, dicens. Non parturiui, & non peperi, &*

Ambros. *non enutriui iuuenes.* Quæ sic explicat Ambros. lib. de Elia cap. 19. *Cedit tibi pelagus, & mare inquietudinem tuam ferre non potest, toties recurrentibus mercatoribus exaratum. Tanquam fatigati elementi vox ista dicentis est.* Erubesce Sidon. *Hoc est meos fluctus negotiator arguis, cum sis ipse fluctibus inquietior, & erubesce, vel pudore, quoniam periculo non moueris, verecundiores venti sunt, quam vestræ cupiditates, illi habent otia sua, numquam vestra quærendi studia feriantur, & cum otiosa tempestas est, nunquam vestra sunt nauigia.* Nec mare solum, sed ventos etiam, montes, terramque easdem voces aliquando dare potuisse, cum ab insanissimo Xerxe copias in Græciam traiicere parante, mare compedibus vinctum,

Iuuen. venti flagellati, montes terebrati, ac perfossi sunt; sic inquit Iuuenalis.

In Corum, atque Eurum solitus sæuire flagellis,
Barbarus Æolio numquam hoc in carcere passos,
Ipsum compedibus, qui vinxerat Enosigæum.

Cicer. Et Cicer. lib. 2. de finibus. *Xerxes tantis classibus Hellesponto iuncto, Athoue perfosso maria ambulauit, terramque nauigauit.*

Nec prætereo circa hunc laborem stultorũ duo annotatione digna. Alterum, epitheton illud, *vniuersum*, in Hebræo non solum significare omne, aut totum; sed etiã, *eximium, magnum, curiosum*: est enim, *col*, à verbo, *calal absoluere, consummare, perficere*: vt non solum indicet Salomon multiplicem laborem,

Nyssen. id est, nullis hominum laboribus parcere, quo sibi bona terrena comparet, vt accepisse videtur Nyssenus ibi, dum ait, *in vnoquoque eorum* (id est diuitiis, honoribus, &c.) *multos labores tolerant homines*: sed etiam laborem curiosum, eximium, totis neruis impensum, quo, homo ille opus suum, vndequaque perfectum, & numeris omnibus absolutum, cona-

Greg. Neocæsar. tur efficere. Quo respexit Gregor. Neocæsariens. ibi dum dixit; *Quæ homines humi reptantes corporibus, & animis perficere contendunt.* Nota verba: humi reptare; & non corpore solum, sed animo etiam ipso totisque eius potentiis, perficere, hoc est, rem omnibus numeris absolutam reddere. Alterum illa geminatione verbi, & nominis *laborandi*, rem magnopere amplificari. Nam simpliciter dicere potuisset. Quid habet amplius homo de vniuerso labore suo sub sole? dum verò addidit, *labore laborat*, indicat laborem importunum, diuturnum, non interruptum. Denique expendo vocem *amplius*, ex qua potissimum vis, atque venustas sententiæ subsistit, quæ ex Hebræo, & Græco fonte, & pluribus Latinæ etiam versionis exemplis, quæ passim occurrunt, non solum significat, id quod transacta operatione remanet, sed etiam quod excellit, seu præstat: vnde plures vertunt, *quæ excellentia est homini de vniuerso labore suo*, ac si dicatur cum Paulo, quem fructum habet homo de vniuerso labore suo, &c.

Ex iis ecce tibi germanum, & nostro instituto opportunissimum huius loci sensum, vt dicat Salo- 10.
mon. Esto is, qui laborat sub sole in bonis terrenis, diuitiis, honoribus, voluptatibus sibi comparandis omnium sit mortalium potẽtissimus, nec vllis ea de causa, siue suimet, siue suorum familiarium, seruorum, bestiarum, elementorum, montium, marium: *Omnisque creatura, quæ ingemiscat, & parturiat, vsque adhuc*, ingentibus, diuturnis, siue etiam æternis laboribus parcat, quid quæso, post tam ingentes labores exantlatos amplius, siue præstantius, aut excellẽtius, quàm ipsummet laborem, quo tam vehementer attritus, & defatigatus est, habet? Nihil omnino; labor ergo impense positus, & defatigatio ipsa molestissima, tota erit laboris, & defatigationis merces, hic omnis fructus, & prouentus erit: nimirum, vt per grande periculum, ad maius periculum; per grandem laborem, ad maiorem, siue ipsummet laborem perueniant, iuxta veterem parœmiam: *Cum multum laborauimus, iidem vt antea sumus.* Ita Gregor. Neocæsariensis, dum ait: *Nemo est qui vtilitatem vllam iis annexam dicere possit, quæ homines humi reptantes, & corporibus, & animis perficere contendunt.* Ita ille. Ad cuius gustum fructus similitudine, quam persequimur expressa, Isidorus Clarius. Neocæs. Isid. Clar.
Quem stabilem fructum referet homo, etiam si multis modis se torqueat in hoc, vt fructum aliquem inueniat? Adstipulatur Nyssenus tract. 1. in Psalmos, his Nyssen.
elegantibus verbis. *Non enim est fruitionis illius, & voluptatis, vtpote quæ momento temporis fit, vt delectationem illam asseruare, & recondere possint, quam omni ope comparare conantur, sed instar fallacium phantasmatum, cum teneri à voluptatum amatoribus creditur, derepente euanescit, & in nihilum recidit.* Hæc Nyssenus ibi: hom. verò 4. in Ecclesiastem premens hæc verba pulchram in hanc sententiam apponit imaginem; ab eo, qui manu in aqua scribat, qui frustra insudet, oleumque & operam perdat, petitam: vide illum, vt ego opportunissima hæc Ambrosij Ambros.
verba tibi appingam serm. 8. in Psalm. 118. *Quantumlibet fines suos extendant, & terra deficit, & mare includit insanas cupiditates, pendunt tributa maiora; quam fructus sunt.*

Bene quidem est hæc non ab homine exiguæ for- 11.
tis, aut infimæ conditionis, sed à Rege potentissimo, & qui rẽ omnino esset expertus dici. Forsan enim, cum tibi prodigum illum ad bonam frugem se recipientem, nullo fructu, nullo successu rebus sæculi incumbentem ob oculos ieci, dixeris mihi; non multum te id exemplar stringere; cum ille, & mediocris fortunæ homo fuerit, & qui rem ad extremum vsque persecutus nõ sit, sed ab humanis contentionibus medio in itinere pedem retulerit. Sed enim, vt hunc tibi scrupulum omnino eiiciam; quæ Salomon calamo, penicillo ego depicta apponam. Animaduerte igitur Absalonem, quo quid elegantius? *Porro sicut Absalon vir non erat pulchrior in omni Israel.* 2. Reg. 14. 25. Quis illustrior? Regis 2. Reg. 14. 25.
enim filius, & regni hæres: quis populi fauore potentior? qui ad nutum ducebat corda vniuersi Israel: quis belli copiis, & militaribus consiliariis instructior? Ergo mundi equum ascendat, & vsque ad extremum, peragat curriculum, laboret, defatigetur,

defatigetur, defatiget etiam, & opprimat suos milites, famulos, seruos, bestias, iumenta, terramque vniuersam premat, & belli strepitu gemere faciat. Ad rē. *Quid habet amplius homo de vniuerso labore suo, quo laborat sub sole?* Vis scire? Audi Scripturam, rem prius in imagine, subinde verò in historiâ tibi proponentem. Quid enim totius Absalonitici successus historiam melius adumbret, quā aurea illa, & splendens cæsaries, quam ipse tantâ curâ, & studio alebat, quæque à fœminis Ierosolymitanis tanti fiebat, vt magno impendio emerent, quò resectis capillis, pro suis vterentur. En naturæ, atque elegantiæ, necnon curæ, & studij pullulantes partus. Sed horum partuum quis fructus? *Semel in anno tondebatur, quia grauabat eum cæsaries*, deponere inuitus, & reluctante ingenio cogebatur, quod illius ponderi sustinendo par non esset; vides laboris sui fructum? pro inani elegantiæ affectatione, totius anni molestiam sustinere. Sed hæc in figura contingebant tam ei; quam suis sectatoribus: quæ enim ornamenta dignitatis, & lumina videntur, reapse impedimenta, molestiæ, pondera, eaque importabilia, & vt latissimè ad c.3.vers.8. tracto, *speciosa supplicia* sunt. Ita
Paulin. de hâc comâ agens Paulinus epist.4. *Lumen etenim impiorum, tenebra; honor, vmbra; celsitudo, transitus; caput, zabulus, & ideo coma pondus est.* Benè quidem; quid enim diaboli ornamenta, quam tormenta, cruces, & pondera sint? Sed quis capillorum finis? quis comæ solaribus radiis non dissimilis euentus? *Ad-*
1.Reg.18.9. *hæsit caput eius quercui.* 2. Reg. 18.9. Adeoque arboris ramis implexa cæsaries est, vt ex ipsa suspensus permanserit. Quid? amati, & tanto pretio habiti capilli pro fune illi suspendium fuere? ita planè;
Chrysost. sic Chrysostomus in Psalm. 7. *Capilli, & comæ eum alligarunt, & pro fune quidem coma, pro ligno autem arbor extitit.* Hæc omnia ad historiam transfer.

12. Laborauit infelix adolescens tàm vario, atque multiplici, quam infami labore, vt regni gloriam, & pompam assequeretur; comparauit sibi currus, & equites, & omnem instructum militarem, captauit populum seruilibus blāditiis: nam, *eum accederet ad eum homo, vt salutaret illum, extendebat manū suam,*
2.Reg.15.3. *& apprehendens, osculabatur eum.* 2. Reg. 15.3. ad
Corn.Tac. eum prorsus modum, quo Otho, apud Tacit. lib. 1. histor. *Nec deerat Otho protendens manus adorare vulgus, iacere oscula, & omnia seruiliter pro dominatione.* Denique obsequentes sibi animos ad coniu-
Chrysost. rationem impellit, & vt inquit Chrysost. hom. 1. de Absalon. *Vnius patricida furor tot millia insanire compellit, vnius dementia dementes efficit multos.* Ergo hostile patri bellum mouet, regnum turbat, & vt voti compos euadat, scelera sceleribus tuetur. Quid iam inde? *Quid amplius habet homo de vniuerso la-*
2.Reg.18.9. *bore suo?* Siue, vt cum Paulo dicam. *Quem fructum habuistis?* Audi. *Adhæsit caput eius quercui, & illo suspenso inter cœlum, & terram; mulus, cui insederat, pertrāsiuit.* Vide hinc, quæso, hominē tam pertinaciter mundi rebus inhærentem, & illinc fallaciā muli, siue mundi in maiori discrimine deserentis, atque transeuntis. Ita quidem cōsiderauit Absalonem
Drog. Drogo de Sacram. Domin. Pass. inquiens. *Pendet Absalon per comam capitis sui, & mulus, cui insederat transijt, quia mundus transit, & concupiscētia eius.* Sed acutius Chrysost. in Psalm.3. dum illum ex arbore suspensum videt; germanum hunc, iniustitiæ fructum esse, sic meditatur, *tanquam fructus pendebat ex arbore* Ac si diceret. En iniustitiæ fructum; suspendia, tristitias, mæstitudines, infames exitus.

13. Videtur mihi quidem hæc omnia præstrinxisse
Osea 8.7. Oseas c.8.7. dum inquit. *Ventum seminabunt, & turbinem metent*; vbi apposita imagine à vento intra terræ viscera incluso, qui terræ motus efficit, & turbines ciet, pulchrè ostendit non irritos solum, & inanes peccatorum conatus, sed noxios etiam, & molestiarum plenos esse, nec aliam mundi agricolas: nisi, *miseram* (vt est in Prouerbio) *messem metere*; quippe qui ventum, siue res venti, pompas, inquam, & gloriam mundi serentes, suspendia sibi, & mærores, necnon infelicem etiam negotiorum, & vitæ exitum sibi comparat, non secus quidem, ac aranea, quæ vt retia captandis muscis intexat, se ipsam misere interficit: ita Bern. de cōuers. ad clericos. *Quid* Bernard.
mirum, si propriam non sentiat anima læsionem, quæ sui ipsius oblita, & penitus absens sibi, in longinquā profecta est regionem? Erit autem cum in semetipsam reuersa cognoscat, quam crudeliter misera venationis obtentu euiscerauit semetipsam. Neque enim id sentire poterat, dum vilem muscarum prædam desiderio captans insatiabili, aranearum instar ex visceribus proprijs intexere retia videretur. Sed de hac araneæ telâ statim redibit sermo. Modo Oseę imagini adiunge Ierem. verba c.14.22. *Numquid sunt in sculptili-* Ier.14.22.
bus gentium, qui pluant; aut cœli possunt dare imbres? Ac si dixerit. Num ex mundi idolis, ac rebus alia, quam miseriarum messis sperari potest? habent ne ipsa vim, aut efficacitatem, vt vel tenuem saltem lætitiæ guttam dare queant? Minime. Turbinem quidem, & grandinem, quibus omnia perdant, dare omnino possunt, & de facto dant; at puræ, ac liquidæ voluptatis nullum vnquam reddidere fructum.

Sed ne infelicem illum suspensum, vt perduel- 14.
lem, bonis omnibus spoliemus, & regio ea fisco adscribamus. Habuit enim aliquid *amplius*, & excellens, *de vniuerso labore suo.* Quid? Narrat facer textus hunc in modum (2.Reg.18.18.) *Absalon erexe-* 2 Reg.18.18.
rat sibi titulum, cū adhuc viueret, qui est in valle regis; dixerat enim non habeo filium; & hoc erit monimentum nominis mei, vocauitque titulum nomine suo, & appellatur Manus Absalon, vsque ad hanc diem. En vniuersi laboris sui fructum: *Titulum sepulchri.* Vidit ne? an odoratus est id Seneca? lib. de breuit. vitę, Senec.
cap.19. inquiens. *Cum videris itaque prætextam sæpe iam sumptam, cum celebre in foro nomen, nō inuideris; ista damno vitæ parantur, vt vnus ab illis numeretur annus, omnes annos suos conterent; quosdam cum in summum ambitionis eniterentur, inter prima luctantes ætas reliquit, quosdam cum in consummationem dignitatis per mille indignitates erepsissēt, misera subiit cogitatio, ipsos laborasse in titulum sepulchri.* Voluit dicere, laborasse illos, hoc vno fructu, vt sepulchro ipsorum nomina, adeptique ab illis honores inscriberentur: iam verò, quid aliud hoc est, quam laborare in ventum, vti dixit Ecclesiastes cap.5.12. *Quid* Eccl.5.12.
ergo prodest, & quod laborauit in ventum? O magnum & egregium fructum! *Manus Absalon, vsque ad hanc diem:* & bene quidem *manus*, vt hac phrasi, & ingens ille, ac diuturnus Absalonis labor, & tota laboris merces, & fructus indicetur; vt enim manus, exercitum, & copias, vt apud Varron. lib. 4. *Venit* Ter. Varro.
cum manu; necnon consilium, consultationem, decreta, machinationes, 2.Reg.14.19. *Manus Ioab te-* 2.Reg.14.19.
cum est in omnibus istis. Et Actuū 4. 28. *Manus tua,* Act.4.28.
& consilium tuum; prætereà conatum vehementem, atque virilem, Prou.31.16. *Manum suam misit ad* Prou.31.19.
fortia: ita etiam fructum Hebraicè significat, vox enim, *Caphaph*, proprie est curuari, & inde dicitur ramus fructu onustus, & curuus, sic Iob 15.32. *Ma-* Iob 15.32.
nus eius arescent. LXX. *Ramus eius non condensabi-* LXX.
tur. Quis ergo exitus atque fructus, tot consiliorum, machinationum, matutinarum salutationum, conatuum, bellorum, tumultuum? *Manus Absalon*, siue titulus sepulchri.

Adsimilis Prouerb. 10.4. sententia est. *Qui nititur*

 mendaciis,

mendaciis, pascit ventos; idem & sequitur aues volantes. Quibus in verbis non vnus tantum sæculi amatoribus aculeus infigitur; cum & extrema rei difficultas, & acerbitas, necnon summa inutilitas, nullusque omnino prouentus eâ imagine significetur. Sed obserua, aliam vim inesse in scripturâ huic phrasi, *ventos pascere*, ac illi, *à vento pasci*, de
Ier. 22. 22. qua apud Ieremiam 22. 22. *Omnes pastores tuos pascet ventus*: nam apud Prophetam metaphora sumitur ab eo, qui vento velut cibo vesceretur, apud Salomonem verò ab arte pastoritiâ, ac si quis ventos ad pastum duceret, vt ex Græco verbo *ποιμάνει*, apertè constat. Vnde, vt illa phrasi, inanis, & ridiculus victus denotatur, ita hâc significatur negotium valde operosum, & molestum. Hinc ex Salomonis sententia, illud in primis elicitur, eos, qui hæc sæcularia bona sectantur, rem non minus difficilem, ac laboriosam suscipere, ac si quis ventos pecudũ more pascere, ac regere conaretur. Pende obsecro similitudinis elegantiam, atque vt melius expendas, meditare quid humanis viribus, & conatibus quãtumuis ij sese extendant, ac explicent difficilius, ac operosius offerri queat? Nam si dum obscurissimo in antro tenentur inclusi, vt cohiberi, vtcunque, nec sine ingenti murmure, ac periculo possint, opus fuisse fortissimis vinculis, ac durissimis compedibus, eleganter confinxit Poeta ad hunc modum, Æneid. 1.

Virgil.

Hoc vasto Rex Æolus antro,
Luctantes ventos, tempestatesque sonoras,
Imperio premit, ac vinclis, & carcere frenat.
Illi indignantes magno cum murmure montis
Circum claustra fremunt.

Quod ergo ingenium? Quæ vires? Quæ tandem potentia, ac robur sufficiat ad ducenda pro libito hâc, atque illac, velut agnos hæc furentissima monstra, sibi inuicem, vndequaque aduersantia, & in mutuum flatum irruentia? vel audi, quid subiiciat Maro.

Ni faciat, maria, ac terras, cœlumque profundum,
Quippe ferant, rapidi secum, verrántque per auras.

Et vero, vt appareat, quam iusta comparatio sit, quid aliud, vel ambitioso cuilibet omnes vmbras gloriæ consectanti, & magnifica munera appetenti, & petenti; vel homini insanis amoribus implicato eueniat, contemplemur. Nam ille dum inter principes familiares, dum inter eorum etiam optimatum famulos, dum inter inferiores tandem ministros versatur, minorē ne laborem subit, aut faciliorem sibi prouinciam assumit, quam si furentes ventos medium in campum educens eos pascere, ac domare
D. Cyprian. vellet? Audi Cyprian. epist. 2. *Quippe illum vides, qui amictu clariore conspicuus fulgere sibi videtur in purpura, quibus sordibus emit, vt fulgeat? quos arrogantium fastus prius pertulit? quas superbas fores matutinus salutator obsedit?* Iam hic, Veneris miles otiatur ne vel vno temporis puncto; vel omnes potius molestiarum, afflictionum, irarum, desperationumque furiæ in eum irruunt? Dicat ipse apud Comicum.

Iactor, crucior, agitor, stimulor, versor,
In amoris rota miser: exanimor, feror, deferor,
Distrahor, diripior: ita nullam mentē animi habeo,
Vbi sum, ibi non sum, vbi non sum, ibi est animus.

16. Sed quis iam pastoritij huius muneris fructus? quæ vtilitas? Ad victum quidem suum pastores tondent pecus, vt lana se operiant, gaudent fœtuum etiam prouentibus. Quod ergo ex his subsidiis pastores ventorum percipiunt? Succurrit illis lac? an lana? viuunt certe ventorum victu, operiuntur ventorum pallio, inanes persequuntur opes; assequuntur au-
Isai 41. 29. rem, & apprehendunt venti res. Ita Isaiæ 41. 29. *Ecce omnes iniusti, & vana opera eorum, ventus, & inane simulachra eorum*, id est, ea, quæ ipsi maximè colunt, nullius momenti res sunt, sed mera vanitas, à qua nullus vnquam possit sperari fructus; & eodē tenore sententiæ, cap. 59. 6. *Telas araneæ texuerunt,* Isai. 59. 6.
telæ eorum non erunt in vestimentum, neque operientur operibus suis: opera eorum, opera inutilia, & opus iniquitatis in manibus eorum: pende quæso, pulchram araneæ imaginem, quæ Absalonem, necnon omnes pastores ventorum, velut in speculo ostendit. Quis enim vel magis ductus, vel tam assiduus, quam araneæ labor in sua telâ ordiendâ, & peragenda est? dum in illam suamet viscera, vitamque diffundit: at quis iam huius telæ vsus? *Non erunt in vestimētum, neque operientur operibus suis*, idest, fructũ nullum, nullam vtilitatem ex vniuerso labore suo percipient. Ita Ambr. in Psalm. 39. sic versans hæc verba, Ambros.
Cum videris aliquos studere facultatibus ampliandis, cumulandis potestatibus, affectando decori, dices illud Isaiæ: telam araneæ texuerunt, quæ diuturna esse non potest: arguti sibi, & industrij omnes viri videtur; quid argutius? quid sollicitius aranea? quæ operi suo diebus, ac noctibus semper intendit, neque vllo sumptu, vllave impensa conficit vestimentum, sed vanum est omne quod fecerit. Et lib. 1. offic. c. 49. Huic metaphoræ, eam quam persequimur inanitatis fructuum adiungens. *Quid ergo vane araneam texis, quæ inanis, & sine fructu est, & tamquam casses suspendis inutiles diuitiarum copias, quæ etsi fluant, nihil prosunt, imò exuunt te imagine Dei, & induunt imaginem terreni.* Hæc Ambrosius.

Accinit Oseas cap. 4. 18. vbi de Ephraim idololatriam auidè sectante, sic inquit: *Ligauit eum spiritus in alis eius*; sed obserua id loci à pluribus Hebræorum inuersa serie sermonis sic efferri: *Ligauit ventum in alis suis*; quæ Aben Ezra, Leo Iudas, & Dauid Kimhi Iunior sic exponunt: perinde egit in idololatriâ sua Ephraim, atque homo, qui ventum in pallio suo, seu alis ligaret. qui postea vestem explicās, nihil in ea inuenit, sic Ephraim ex cultu idolorum sperabat commodum, nihil tamen boni cōsecutus fuit. Opportunè hæc quidem ad labores, & studia, sæcularium hominum exprimendos dicuntur, hic enim è negotiatione, ille ex voluptatibus, & concupiscentiis, alius ex præfecturâ, & Magistratu fructum, commodumque percipere sperant, qui tamen post plures defatigationes, atque labores, dum pallium in quo thesaurum congesserant suum, explicant, nihil nisi ventum excutiunt; ac opportunissimè hic locus à Paraphraste Chaldæo de Magnatibus, & Dynastis ad hunc modum capitur. *Opera Magnatum illorum, haud recta sunt, quemadmodum constrictus non potest teneri ventus in ala*, vt nimirum, quò maiores esse, ac maiora opera, & munera Magnates hi sibi agere videantur, eo infructuosiora, & inutiliora eorum studia sint, qui ex omnibus conatibus, & laboribus non nisi ventum implicēt, explicent, & dum ingenti dolore, gemitu parturiunt montes, nascatur ridiculus mus. Nec omittam, quod ad id loci monuit Theodoretus, hæc Aulicos maximè tangere. *In aulis Principum vitam agentes attentis animis Osea dicta excipite.* Sed de miseris his chamæleontibus copiosior nobis statim redibit sermo.

17. Osee 4. 18.
Aben Ezra. Leo Iud. Dauid Kimhi.
Paraphr. Chald.
Theodor.

Ne verò à fructuum imagine discedamus, in hanc sententiam Ierem. 2. 20. *Sub omni ligno frondoso tu prosternebaris meretrix*: vbi & fructũ, & obsequium obseruare placet. Certè, & imago meretricis, quæ *sicut stercus in via*. Eccl. 9. 10. & se se prosternendi phrasis signatissimè exprimunt illud Senecæ, *Cum in consummationem dignitatis per mille indignates erepsissent.* Quid enim summissius? quid vilius? 18.
Iere. 2. 20.
Eccl. 9. 10.

vilius? abiectius, & turpius quid? quam ambitiosi erga potentiorem? nam. *Ambitiosus, vt dominetur* Ambros. *aliis*(Ambros.lib.in Luc.)*prius seruit; curuatur obsequio, vt honore donetur, & dum vult esse sublimis, fit demissus, ac tenuis:* libidinosi erga vilem muliercu- Senec. lam? Etenim, *dabo consularem*(Senec.epist.47.)*aniculæ seruientem, dabo ancillulæ diuitem:* Ditescere cõcupiscentis erga omnes, qui censum augere valent, officia, atque obsequia? Sed quo fructu blandiuntur hæ arbores? frondibus tantum: Id enim significat Vates inquiens, *sub ligno frondoso*, sic id ibi adno- Theodoret. tante Theodoreto: *Quasi eos deos colerent, à quibus nullum posset sperari emolumẽtum, demonstrat, inquiẽs, nullum esse quæstum. Caret enim fructu plantæ in deos efformatæ.* Porrò, si alicubi, maximè hic locum habet Græca paræmia, Κυπαρίττου καρποὺς, *Cyparissi fructus*, de promissionibus magnificè factis, reapse verò inutilibus vsurpari solita; sic namque à Plinio, lib. Plin. 16.cap.33. huius arboris natura describitur; *Natu morosa, fructu superuacua, baccis torua, folio amara, odore violenta, ac ne vmbrâ quidem gratiosa.* Quæ his sæculi plantis vndequaque quadrant, vt expendenti patebit.

9.19. Huc it, in vno temporis momento omnia mundi regna, atque eorum gloriam, & pompas Christo à dæmone ostensa, ac in vilissimæ adorationis præ- Luc.4.5. mium promissa fuisse, Lucæ 4.5. ideo enim signatè in puncto temporis gloria mundi ostensa dicitur, quod, quæ in temporis puncto frangi, amittique potest: nam, *momento mare vertitur, eodem die vbi na-* Senec. *uigia luserunt, sorbentur*, vt alibi dixit Senec.epist.4. fructum quietis, & gaudij in momento dare non valeat; Quid enim nisi nugatoria res, & deceptorio modo, siue ludo (Hispane, *Juego de masicoral*) facta, Ambros. in momento fructum edere possit? Audi Ambros. lib.4. in Lucam: *Docemur hic inanis ambitionis flabra despicere, quòd omnis dignitas sæcularis diabolicæ subiaceat potestati, ad vsum fragilis, & inanis ad fructum.* Benè quidem ad fructum inanis, quod ad eum producendum nullas intrinsecus vires habeat. Ita Osee 8.7. LXX. Osee 8.7. *Culmus stans non est in eo, germen non faciet farinam*, vbi LXX. *Manipulus non habens vires, vt faciat farinam.* Allusione factâ ad spicam, quæ aeris inclementiâ percussa euanuit; ac post tot labores à misero agricola susceptos nullum ei prouentum reddidit, quod vt ad speciem integra, & matura; intus tamen inanis sit, ac proinde.

Perit labor irritus anni.

Ita ibi Ruffinus. *Apud te nihil fertilitatis, firmitatisque remanebit, vt solet in culmo, cuius proceritas per aliquam aeris ruinam ad spica plenitudinem non creuerit; ita igitur, & tu nihil emolumenti de tuis laboribus consequeris, nec vlla cultura respondebit industriæ.*

10. Nec in his Cyparissi fructibus vmbra, & odor prætereunda sunt; sed cum blandâ, ac nutrici virtutis vmbrâ, noxiam, & exitialem vmbram fructuum iniustitiæ, & cum suauissimo illius odore, violentum huius odorem conferre placet. Et vt ab vmbrâ incipiam, quam sæculum, sæculique Principes blãdiuntur, vt sub ea mundi dilectores requiescant, videre mihi eos videor, dum Ionam prope mœnia regiæ vrbis Niniues à solis radiis sub hederæ vmbra quiescentem, hilaremque contemplor: Sic namque Iona 4.6. Ionæ 4.6. *Et praparauit Dominus Deus hederam, & ascendit super caput Ionæ, vt esset vmbra super caput eius, & protegeret eum: laborauerat enim, & lætatus est est Ionas super hederâ, lætitia magna.* Quæ sic accõmodo. Pergit in curiam fugitiuus aliquis à facie Dei; Ionas, qui sæculo quam Deo adhęrere mauult; blanditur illi vmbra è Principibus non nemo: forsan, & Rex ipse vmbrã efficit; quam lætus ille tunc, & exultans sub hac hedera requiescit? Sed ô miseram tutelam! cum hedera in primis, arborem, quam arctius complectitur, certius enecet, & arescere faciat, vt alibi ex Seneca, & annot. 4. huius versus ex Nilo tracto; deinde cum ea Cyparissi vmbra, *ne gratiosa quidem* sit; Vndè Hebræi plures pro hedera reponunt, *colocynthidem*. LXX. *cucurbitam*; hi vt LXX. vanissimam, illi vt summe amaram rem significent. Quot enim mærores, quas animi perturbationes, & morsus Aulici hi Chamæleontes, qui apud Principes plurimum valent, taciti perferunt, dum felicissimi, & lætissimi ab omnibus habentur, & estò non perferrent, quid hac vmbra, siue gratia, quæ pluma leuior, & si ad animum respicias Scylla, & Charybdi periculosior, vanius, & inutilius est? Ostendit id nobis ipsamet Chamæleontis natura à Tertulliano Tertul. lib.de pallio, cap.3. sic depicta: *Caput, & alia bestiola versiculum de mediocribus oppido, sed nomen grande, Chamæleontem qui audieris haud ante gnarus, iam timebis aliud amplius cum leone. At cum offenderis apud vineam ferme sub pampino totum, ridebis illico audaciam, & graciam nominis, quippe nec succus est corpori, qui minutioribus multo licet.* Bellissimè ad rem nostram, nam qui Chamæleontes hos ignarus audierit, eorumque potentes nouerit, beatissimos, & reliquis hominibus multo excellentiores, & natura ipsa velut præstantiori existimabit; at cum viderit sub hac non nutrici, sed nouerca vmbra delitescẽtes, pristinam opinionem cum risu abiiciet: quippe qui norit, nec succum illum lætitiæ, & quietis, qui cuilibet mediocris fortis homini non abest, illis inter varias suspicionum, timorum, irarum curas fluctuantibus omnino deesse. Quòd si hæc à Salomone, qui Aulicos etiam suos regio more protexit, & pauit, testata videre velis, audi Prouerb. 22. 11. Prou. 22.11. *Qui diligit cordis munditiam, propter gratiam labiorum suorum habebit amicum Regem.* Vbi multo aliter LXX. *Diligit Dominus sancta corda, accepti sunt* LXX. *ei omnes immaculati; labiis pascit Rex*, quasi illud inter Dei, & Regum aulicos intercedat discrimen, quod suos Deus vera dilectione prosequatur, ac proinde viuo illos, ac perenni gramine pascat, quo semper saturi sint, dicente Vate Psalm. 22.1. *Domi-* Psal.22.1. *nus regit me*, (Hieronym. *pascit me*) *nihil mihi dee-* Hieron. *rit:* Regibus vero, qui familiares suos in apparatu potius, quam in amicitia habent, ille mos sit, vt verbis solum, & magnificis aliquando promissionibus ad effectum nunquam perductis, eos pascant.

11. Ad hæc dum ipsi harum spinarum aculeos obtundere, & consopire curantes, sub hederæ vmbra ad horam lætari gestiunt. *Parauit Deus vermẽ ascẽ-* Iona 4.7. *su diluculi in crastinum, & percussit hederam, & exaruit. Et cum prius fuisset Sol, præcepit Dominus vento calido, & vrenti, & percussit Sol super caput Ionæ, & æstuabat; & petiuit animæ suæ, vt moreretur, & dixit: Melius est mihi mori, quam viuere:* Ionæ 4.7. hoc est (vt in accommodatitio hoc sensu persistamus) leuis detractionis, siue rumoris ad Principem perlati occasione, totus ille vmbræ, seu gratiæ blandientis viror exarescit, & loco blandæ, & demulcentis auræ, regiæ irę æstus, feruorque succedit, qui lethalia in ipsum fulmina iaciat: nam, *indignatio Regis, nuncij mortis.* Benè enim ad rem præsentem Prou. dixit non nemo.

Iuuen.
Nam si quid facilem instillauit in aurem,
Exiguum de natura, patriaque veneno,
Limine submoueor; perierunt tempora longi
Seruitij.

Vel si mauis, sic hæc deflecte; vt vermis hederam percutiens mors sit, quæ Principem, vmbram efficientem rapiat, in cuius occasu nouus Pharao, siue oriens

oriens Sol super familiarium prædecessoris sui capita percutiat, & in eas angustias redigat, vt non immerito, vt Ionas, exclamet. *Melius est mihi mori,*
Iere. 17. 5. *quam viuere.* Ieremias cap. 17. 5. intonet. *Maledictus homo, qui confidit in homine, & ponit carnem brachium suum, & à Domino recedit cor eius. Erit enim quasi myrica in deserto, & non videbit, cum venerit bonum: sed habitabit in siccitate in deserto, in terra salsuginis, & inhabitabili. Benedictus vir, qui confidit in Domino, & erit Dominus fiducia eius, & non timebit, cum venerit æstus, & erit folium eius viride, & in tempore siccitatis non erit solicitum, nec aliquando desinet facere fructum.* En vmbram sæculi; Cyparissi vmbram. En fructus iniustitiæ, hederæ siue potius cucurbitæ fructus! Abi ergo, sectare cucurbitarum vmbram, & cucurbitis onustus diuesque euades.

32. Gustasti Cyparissi fructum, requieuisti sub eius vmbrâ; odore iam fruere, *odore violenta*, ait Plinius. Sed quâ ratione? Scies si titulum sepulchri, in quē totis neruis laborarunt, legeris: Cum enim ipsi hoc vno fructu labores susceperint, vt eorum nomina sepulchris inscripta permaneant, quid credis honoris, aut felicis memoriæ inde fore consecuturos? illud quidemmet, quod insani illi, qui cæcâ temeritate turrim Babel in cœlum pertingentem ædificare aggressi, hoc vno prætextu: *celebremus nomen*
Gen. 11. 4. *nostrum*, Genes. 11. 4. pro nominis celebritate, & gloria æternum dedecus, & infamiam cōsecuti sunt.
Chrysostom. Ita horum occasione ad rem nostram Chrys. hom. 30. in Genes. *Sunt multi etiam hodie, qui illos imitantur, & talibus operibus celebrari volunt; alij splendidas domus ædificant, & lauacra, & porticus, quorum si aliquem rogaueris, quare ita laboret tam miser, tantosque pecuniarum faciat sumptus? nihil aliud audies, quam hæc verba, vt immortalem seruet memoriam, & audiat, quod illius est hæc domus, hic ager. Sed hoc non est tam laudem, quam crimen sibi parare; nam statim ad hæc coniungentur plurimarum contumeliarum verba. Domus hæc huius est; huius auari, huius rapacis, huius viduarum, atque orphanorum spoliatoris; igitur hoc non est memoriam assequi; sed perpetuis obijci criminibus, & etiam post mortem infamari, & peccatorum linguas acuere in blasphemiam.* Hæc ille verissime.

33. Vt hinc animaduertas mitius cum illis agi, qui etsi laborauerint *in titulum sepulchri*, vt nimirum immortalis eorum asseruetur memoria, frustra in hoc insudasse deprehendātur, cum citissime eorum nomina in obliuionem eant, quantumuis splendidas domus, & palatia, quæ orbis miracula esse videantur extruxerint, sic de auctoribus septem mi-
Plin. raculorum orbis dixit Plinius li. 36. cap. 12. *Obliteratis tanta vanitatis auctoribus*; & paulo post; *Vestigia ædificationis nulla extant.* Quorum quidē egregium gerit typum impia illa Iezabel, quæ, vt quæsitis coloribus ad gloriam aucupandam ora depinxerit, de fenestra tamen proiecta, & ad sepulchrum pene statim requisita, nullum sui, nisi summitatum vtriusque manus, & caluariæ vestigium reliquit. Sic
4. Reg. 9. 35. 4. Reg. 9. 35. *Cumque issent, vt sepelirent eam, non inuenerunt nisi caluariam, & pedes, & summas manus.*
Drog. Hæc ad nostrum institutum scitè expendente Drogon. de Domin. Passion. Sacram. vbi cum Iezabelem, fornicationum matrem, idolorum cultricem, auaritiæ artificem appellarit, & de turri Babel proiectam dixerit, hæc subdit: *Hæc sanè est impiorum sepultura; hæc digna retributio, quod ex eis non nisi manuum summitates, hoc est, operum vix extrema vestigia remanent; & caluaries, qui erat locus superbiæ spoliatus capillorum gloria; quia* vidi impium superexaltatum, & eleuatum, sicut cedros Libani, & transiui, & ecce non erat, & quæsiui, & non est inuentus locus eius. Psalm. 36. 35. *Hæc est caluaries* Psal. 36. 35.
Iezabel, quæ vestita erat decore meretricio, & perunxerat oculos suos stibio. Sed de his satis: cōferat quæso lector iustitiæ fructus cum fructibus impietatis, & cum odore odorem, vmbramque cum vmbra. Iam ad alia.

ADNOTATIO III.

Nullum in nobis iustitiæ fructum à nobis, nisi per Christi gratiam esse posse.

ECCE præter superius dicta ad versic. 6. alte- 1.
rum, idque luculentissimum Pauli testimonium, quo præuenientis, & adiuuantis gratiæ auxilia adstruantur, & confirmentur; dum enim præcedentibus verbis fructus metaphoram vsurpauit, in his: *per Iesum Christum*; satis innuit, quod eleganter P. Salmeron animaduertit, omnes nos na- Salmer.
tura nostra oleastros, arborésque syluestres esse, qui nisi Christo insiti simus; bonos, & proficuos iustitiæ fructus perferre nequaquam valeamus, cum ab ipso incrementum nobis omne contingat. Vndè quod hic Paulus ait, illud ipsum est, quod apud Ioan. 15. Ioan. 15. 4.
4. expressissim è Assertor nos docuit (ad quem sanè locum videtur hic Paulus allusisse) *Sicut palmes non potest ferre fructum à semetipso, nisi manserit in vite, ita vos, nisi in me manseritis: ego sum vitis, vos palmites, qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum, quia sine me nihil potestis facere.* Ad quæ verba videndi sunt Maldonatus, & Toletus, ne lectorem citationibus Augustini, qui aduersus Pelagium sæpe sæpius hunc locum vrget, grauemus: non est tamen prætereundus Ambrosij, seu Prosperi commentarius, epist. 84. quia ad hæc etiam Pauli ver- Prosp.
ba videtur alludere; *Nonne conuincitur palmes elatus, quod omni fertilitate vacuatur, si vitis vbertate non alitur? Quis enim sine auxilio gratiæ fructus potest afferre iustitiæ? aut qui audet dicere se à Christo non diuidi, qui Christum in se diffitetur operari?*

Sunt autem huic sententiæ, & fructuum imagi- 2.
ni duæ aliæ eiusdem Pauli persimiles: altera 1. Co- 1. Ad Cor.
rint. 3. 7. *Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus.* Quæ verba bene 3. 7.
explicantur ex iis, quæ in hanc sententiam sic ait Petrus Damianus serm. 1. de Spiritu Sancto. *Sicut* Petr. Dam.
arbor si sine gestantis succi humore deseritur, protinus exsiccatur. Sic & anima nostra, nisi Spiritus sancti gratia fuerit rore perfusa, funditus arefacta ad nullius sanctæ operationis germen poterit esse fœcunda; Ille enim, mentibus lumen ingerit, desiderium excitat, vires infundit. Illustrat siquidem, vt videamus, prouocat vt velimus, roborat, vt bona, quæ volumus, implere valeamus. Breuius Clem. Alex. lib. 2. strom. Clem. Alex.
cap. 10. *Agrum esse hunc mundum, nos verò diuina irrigatos gratia herbam esse, attonderi morte, sed rursus rursum exoriri resurrectione.* A quo quidem sensu non longe iuit Hebræus Philo lib. 1. allegoriar. dum Phil.
fontem illum, qui Genes. 2. 6. paradisum irrigare dicitur, intellectui humano accommodat, cœlestem vero pluuiam, sine qua, *inanis, & vacua*, terra perdurat, diuinam opem significare in hunc mo- Gen. 2. 6.
dum affirmat: *Intellectum dicit terræ fontem, sensus verò faciem eius: fontis autem modo intellectus sensum quemque rigat: nisi autem Deus plueret, & rigaret sensibile, ne compluta quidem res sensibilis vlla esset vtilitas.*

Altera Apostoli ea de re sententia est, ad Ga- 3.
latas

Ad Galat. 6.8. latas 6.8. dum de horum fructuum satione agens, inquit. *Qui seminat in carne sua, de carne & metet corruptionem, qui autem seminat in spiritu, de spiritu metet vitam aeternam.* Vbi pende artificiosam Pauli orationem, ingensque discrimen, quod inter carnis, & spiritus sementem posuit, quod illa tota à ferente sit: ideo ait, *qui seminat in carne sua:* hæc verò, non ab eo solum, qui exterius seminat, sed à diuino potissimum spiritu peragatur, quare non dixit, qui seminat in spiritu suo, sicut dixerat, *in carne suâ*, sed solum, *in spiritu*, ad Dei potius, quam ad hominis spiritum sermonem conuertens: vt ad id loci obseruauit Hieronym. his verbis: Hieron. *Illud etiam pariter obseruandum, quod qui seminat in carne, cum additamẽto suæ carnis ponitur: qui autem seminat in spiritu, non dicitur in spiritu suo, sed simpliciter*, in spiritu: *Qui enim bona seminat, non in suo quippiam, sed in Dei spiritu seminat, de quo & vitam est messurus aeternam.*

4. Vt verò Pauli verbis, quibus iustitiæ fructus, *per Christum*, nobis aduenire affirmat, omnino hæream; vide hunc Dei spiritum, in quo semetem bonorum operum facimus, à Christo in terras allatum apud Luc. 12.46. Lucam, 12.46. *Ignem veni mittere in terram, & quid volo, nisi vt accendatur?* hæc enim verba diuini de spiritus igne omnes pene Patres apud Maldonat. intelligunt: cuius rei vaticinium Ezech. 10.2. in- Ezech. 10. 2. uenies, dum vir lineis vestitus, hoc est Christus futurus ex meliorum expositorum interpretatione, prunas ignis, quas eius manus, quam maxime capere poterat, desumens in terramque ad conflagrandos homines effundens inducitur. Sic enim ibi: *Et dixit ad virum, qui indutus erat lineis: Ingredere in medio rotarum, quæ sunt subtus Cherubim, & imple manum tuam prunis ignis, quæ sunt inter Cherubim, & effunde super ciuitatem:* vbi cernere est, quam aliter post Christi aduentum, & ante ipsum diuinus hic ignis fidelium animis communicetur: nec enim priscis temporibus, ita large, & quasi plenâ manu, sed ad mensuram conferebatur spiritus: ita Eliæ (3. 3. Reg. 19. 12. Reg. 19.12.) *Vt sibilus auræ tenuis*, Dominus ostensus dicitur: at verò post Christum, & *per Christum*, absque mensura *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.* Ad Ad Rom. 5.5 Act. 10.45. Rom. 5.5. Similiter Actuum 10.45. *In nationes gratia Spiritus sancti effusa est.* Vnde non iam sub auræ tenuis spiritu, vt olim Eliæ occurrit; sed sub spiritu vehementi, qui totam domum simul concuteret, & repleret, in die Pentecostes aduenisse, refert Act. 2.2. Luc. Actuum 2. 2. nimirum, vt *per Christum*, non tenuem, & exiguam, sed copiosissimam potius, & vberrimam segetem in hoc vehementi spiritu homines seminarent, & quando ipsa eorum domus cœlesti Spiritu replebatur, replerentur & ipsi *fructibus iustitiæ per Iesum Christum.*

4. Ambros. Redeo ad fructuum similitudinem, quam Ambrosius in ea verba Psalm. 118. *Bonus es tu*, inde confirmat, quod Christus arborem bonam, ex quâ boni virtutum fructus pullulant, se se in Euangelio Luc. 6.43. Mat. 7.16. appellarit, Luc. 6.43. Matth. 7.16. Sic namque ille: *Proprium Dei est, vt bonus sit, denique in Euangelio habes, quia* arbor bona bonos fructus facit: *fructus eius Angeli sunt, fructus eius homines sunt, hoc est rationabiles, sancti, si Domini præcepta custodiunt: fructus eius sunt hi, qui nascuntur in terris: fructus eius sunt virtutes hominum: merito ergo arbor bona bonos fructus facit.* Quod quidem fuit in causa, vt dum Spõ- Cant. 1.17. sa, Cant. 1.17. Christũ allocuta dixit, *Lectulus noster floridus;* ipse velut eius dicendi modum corrigens subdiderit. *Ego flos campi*, ac si diceret à se potissimum flores, siue fructus iustitiæ nasci, & pullulare, ita ad hæc verba Bern. serm. 47. in Cant. hunc in Bernard. modum. *Ad hoc respicere puto, quod sponsa de respersis lectulum floribus commendarat. Ne enim sibi flores adscriberet illos, quibus lectulus decoratus, & venustatus thalamus videbatur, infert sponsus se esse florẽ campi, nec de thalamo sane prodire flores, sed de campo, & suo munere, & participatione fieri, quod retinet, & quod redolet.* Vnde illud legitime infert. *Saluberrime admonemur & ex hoc loco, quia nequaquam gloriari oportet, & si quis gloriatur, in Domino glorietur.* At enim verò hæc eleganter diffundit, & explicat Gregor. hom. 6. in Ezechiel. vt enim paululum Gregor. Bernardi imaginem immutet, at sub eodem omnino sensu fructuum pullulationem, & ortum diuinæ gratiæ adscribendum monet. Dum enim versans id Genes. 27. 27. *Ecce odor filij mei, sicut odor* Gen. 27.27. *agri pleni, cui benedixit Dominus*, fructus iustitiæ ad hunc modum descripsisset. *Ager est hic mundus, vt in Euangelio ait veritas, & quia Ecclesia per electos suos in vniuerso mundo virtutibus redolet; odor filij, odor est agri pleni. Aliter namque olet flos vuæ, quia magna est virtus, & opinio prædicatorum, qui inebriãt mentes audientium: aliter flos oliuæ, quia suaue est opus misericordiæ, quæ more olei refouet, & lucet: aliter flos rosæ, quia mira est fragrantia, quæ rutilat, & redolet ex cruore Martyrum: aliter flos lilij, quia candida vita carnis est de incorruptione virginitatis: aliter flos violæ, quia magna virtus humilium, qui ex desiderio vltima loca tenentes, per humilitatem se à terra in altum subleuant, & cœlestis regni purpuram in mente seruant: aliter redolet spica, cum ad maturitatem perducitur, quia bonorum operum perfectio ad satietatem eorum, qui iustitiam esuriunt, præparatur.* Sic tandem subiungit: *sed quia ager hic has virtutes ex semetipso non habet, adiungitur*, cui benedixit Dominus. Sic Gregor. in quam sententiam adhuc expendi possent, quæ indidem sequuntur. *Det tibi Deus de rore cœli*, quandoquidem, nisi Dominus roris sui benignitatem dederit, terra nostra non dabit fructum suum. Aliter namque nobis euenit, ac ostreis, Plaut. de quibus Comicus in Capt.

Suo sibi succo viuunt, ros si non cadit.

Nos nisi ros cadat, nec aliis, nec nobis ipsis viuemus. Vndè Chrysostom. huc intentus, sic elegan- Chrysost. ter pendit Christi verba ad Samaritanam, Ioann. 4. Ioan. 4.10. 10. *Ego dedissem tibi aquam viuam*, vt spiritus diuini gratia instar aquæ flores, fructusque in plantis pullulare facientis sit. *Quia sicut aqua de cœlo descendens nutrit, ac viuificat, cumque vnius sit speciei, vario modo operatur, dealbans in lilio, rubricans in rosa, purpurissans in viola, dulcorans in ficu, amaricans in absinthio: ita diuinus quoque spiritus de cœlo descendens, nutrit, ac viuificat animã: cumque vnus sit, variis operationibus gratiam diuidit, ac virtutem.*

Equidem diuina institutione iam admonita, 5. edoctaque sponsa, dum cœlestem sponsum ad degustandos horti fructus inuitat, tam hos quam illum non suam, sed eius rem esse, sic affirmat. Cant. Cant. 5.1. 5.1. *Veniat dilectus meus in hortum suum, & comedat* Phil. Carp. *fructus pomorum suorum:* ad quæ verba Philo Carpathius. *Propterea in hortum suum vocatur sponsus à sponsa ad suos fructus edendos, vt ostendat nihil inter se habere disiunctum, nihil separatum, nihil dissonum, instar vnius sanctissimi paris amicorum; vtque illud nos salutariter admoneat, omnia bona nostra ex ipsius gratia prouenire, nihilque boni sponsæ inesse, quod non ab ipsius sponsi largissimo bonorum omnium fonte emanarit, id quod ipse per se testatur, cum ait*, sine me nihil potestis facere; *& illud Iacobi:* omne datum optimum, & omne donum perfectum superne est descendens à Patre luminum. Hæc Philo. Similiter,

&

Ambrof. & Ambrof. lib. de bono mortis cap. 5. *Quanto hoc pulchrius, quod anima ornata virtutum floribus hortus sit, vel in se paradisum habeat germinantem, in quem hortum inuitat verbum Dei descendere, vt anima illa Verbi imbre cœlestis, & eius copiis irrigata fructificet.*

6. Vt verò per Christi gratiam fructus iustitiæ pullulant, & crescunt, ita ab eo etiam maturantur, qui operatur velle, & perficere (c. 2. verf. 13.) Vnde, vbi nos
Isai. 52.7. Isai. 52.7. legimus. *Quam pulchri super montes pedes annunciantis, & prædicantis pacem, annunciantis bonum*, quæ de Christo dubio procul ac-
Ambrof. cipienda sunt, Ambr. ep. 11. legit: *Tanquam maturitas in montibus.* Vt sensus sit, non nisi à Christo iustitiæ fructibus maturitatem, perfectionémque aduenisse: *Nihil enim ad perfectum adduxit lex*: ad
Ad Hebr. 7.19. Hebr. 7. 19. Quare LXX. magna emphasi reposue-
LXX. runt; *tanquam hora in montibus*; & quidem cum Græca vox ὡραῖον, metaphorice sumatur pro pulchritudine tantum, non dicitur Christum vltimam maturitatis, siue opportunitatis horam, ac proinde florem, & pulchritudinem iis fructibus attulisse, vt non solum non acerbi, sed potius maturi, perfecti, & cum suo flore, vt dicitur, sint. Adde, hic, & fructus permanentes, & arbores stantes dici debere, ita qui-
Psal. 133. 2. dem de Dei seruis dixit Vates Psalm. 133. 2. *Qui*
Matth. 8. 6. *statis in domo Domini*, de suo verò seruo Centurio,
Chrysol. Matth. 8. 6. *Domine puer meus iacet.* Vbi dum acutè inquit Chrysolog. serm. 15. cur qui Christum appellarat Dominum, dixit puerum suimet esse? *puer meus*, cum eo ipso, quod Christus Centurionis Dominus esset, necessariâ ratione pueri Dominus etiã esset futurus, nam quidquid seruus habet, Domini est. Sic pulchrè respondet sub personâ Centurionis. *Meum dico, quia iacet, si tuus esset Domine, non iaceret: probat hoc propheta cum dicit.* Ecce nunc benedicite Dominum omnes serui Domini, qui statis in domo Domini; *qui statis, non iacetis, ait, stant serui tui, hominum serui iacent.* Ac si diceret, iacent serui
Psal. 59. 13. hominum, quia *vana salus hominum*, Psalm. 59. 13. stant serui tui, quia *in te*, faciunt, *virtutem*; & in te
Ioan. 15. 4. sicut palmites in vite manent, Ioan. 15. 4. Ad quem
Bernard. etiam modum Bernard. serm. 43. in Cant. sic clamat, & monet. *O tener, & delicate flos! increduli, & subuersores sunt tecum, vide quomodo cautè ambules inter spinas: plenus est mundus spinis, in terrâ sunt, in aere sunt, in carne tua sunt; versari in his, & minime lædi, diuina potentia est, & non virtutis tuæ.* Hoc est ex Deo pendes, ab eo stas, atque subsistis.

Sed inquis, si non nisi in Dei spiritu seminantur, vegetantur, crescunt, perficiuntur fructus iustitiæ: quis arboris influxus? quod meritum? quæ laus erit? Respondeo, ita quidem hos fructus à Dei gratiâ pullulare, & crescere, vt suus etiam arbori in illos influxus, hoc est libero hominis arbitrio gratiam Dei subsequenti, supersit. Vnde sub hoc sensu in
Cant. 2. 13. illis verbis, Cant. 2. 13. *Vineæ florentes dederunt odo-*
Origen. *rem suum*, sic acutè expendit Origenes pronomen illud, *suum*, ad hunc modum: *Non sine causa puto, quod non dixit odorem dederunt, sed odorem*, suum, *vt ostenderet inesse vnicuique animæ arbitrij libertatem, quâ possit agere omne, quod bonum est. Sed quia hoc naturæ bonum præuaricationis occasione debilitatum, vel ad ignominiam, vel ad lasciuiam fuerat inflexum, vbi per gratiam reparatur, & per doctrinã verbi Dei restituitur, odorem reddit sine dubio illum, quem primus conditor Deus indiderat, sed peccati culpâ subtraxerat.* Verum enim verò, vt appareat bonũ hunc fructuum iustitiæ odorem, ita ab Sponsa iure, *suum*, dici, vt tamen primitus cœlestis sponsi à quo dimanat sit, obserua similia eiusdem sponsæ verba,

Cant. 1. 12. *Cum esset Rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum.* Vbi LXX. apud Origen. homil. 2. Cant. 1. 12. LXX.
ex quatuor, rem religiosè pensitantes reposuerunt, *odorem eius*, vt innuerent, tum ab sponso potissimum bonum illum odorem prouenire, tum etiam præ Dei gratiâ pene nihil esse, quod nobis ipsis possimus tribuere; imò ipsi totum adscribendum fore: vndè præfato loco Origenes: *velut superato suo* Origen.
odore pre fragrantia sponsi, ipsius mihi detulit suauitatem. Similiter Ambrof. lib. 5. de Sacrament. cap. 3. premens præfata verba Cant. 5. 2. *Comedat fructus pomorum suorum*: siue vt ipse legit: *pomiferarum suarum*; Sic inquit. *Lignum aridum factus fuerat in Adam, sed nunc per gratiam Christum pomifera arbor pullulasti*, id est, ab eo fructum, & odorem habes, à quo habes ad incipiendum, & perficiendum auxilium; nam ex te, *perditio tua.*

E quâ etiam re est in eodem Canticorum libro, 7.
dum non semel pulchræ faciei sponsæ partes laudantur, illud subiici: *absque eo quod intrinsecus latet:* quasi id extra rationem laudum sponsæ ponendum sit, nec vllam inde gloriam adscribi oporteat. Sic enim cap. 4. 1. *Oculi tui columbarum, absque eo quod* Cant. 4. 1.
intrinsecus latet, & verf. 3. *Sicut fragmen mali punici,* & 3. & c. 6.
ita gena tua, absque eo quod intrinsecus latet, & cap. 7.
6. 7. *Sicut cortex mali punici gena tua, absque occultis tuis*: siue vt alij codices habent, *absque eo quod intrinsecus latet.* At quid id tandem est, quod latet intrinsecus? Planè, ipsorummet bonorum operum origo, & fons gratiæ, à qua omnis operandi potestas, facultasque dimanat, sic rem interpretante S. Pas- Paschaf.
chasio in commentariis Psalm. 44. illa verba: *Omnis gloria eius filiæ Regis ab intus.* sicque explicante: *Ex quo nulli dubium quod omnis gloria Ecclesiæ, vel pulchritudo animæ intrinsecus est, vbi habitus virtutum cœlesti sapientia illustratur, & rennitescit integritas charitatis, & ideo ab intus, in quo Deus est, sicut origo est virtutum, & fons bonitatis, ita omnis gloria exinde, & claritas fructificatur, & crescit foris, vnde dicitur*, Cant. 6. 7. sicut cortex mali punici genæ tuę, absque eo quod intrinsecus latet: *Quia in genis, quod exterius rubet ab intus nascitur, vt rubeat ex eo quod interius viuit, & viget.* Hæc Paschasius. Ita ergo animi dotes, & virtutum ornamenta sponsę laudari debent, vt ipsa non nisi, *in Domino*, à quo intus hæc virtutum seges pullulat, glorietur. Sed minuctur ne hinc sponsæ decor, & pulchritudo? extenuabitur hac ratione meritorum ipsius dignitas? Audi Magnum Leonem serm. 8. de Epiphan. *Quis illic* Leo Mag.
præsentem non intelligit maiestatem, vbi veram videt apparere virtutem? quæ vtique sine Deo nulla est, nec proprietatem obtinet dignitatis, nisi spiritu sui vrgeretur auctoris. Audi Prosper. epist. 84. inter epist. Amb. Prosp.
Nec potest demeritis suis perdere, quorum causas, atque profectus non in se, sed in suo auctore constituit; dignum quippe est, vt imago Dei Deo splendeat, & inde pulchra, vnde sit compta, dicens, signatum est super nos lumen vultus tui Domine; ac si dixerit Prosper, inde potissimum sponsæ pulchritudinem, & oculorum, ac genarum venustatem desumi, quod hæc ad Dei similitudinem formata, ipsomet interius animante, & spiritum tribuente, sint.

Iugulat ergo Paulus his verbis insanam tum M. 8.
Tullij, tum Metelli, & aliorum gentilium opinio- M. Tull.
nem temerè asserentium, bonorum operum fru- Metell.
ctus non tam Deo, quam humanæ industriæ adscribendos esse. Equidem sub hac eâdem, quam persequimur fructuum metaphora eum errorem sic propinauit Cicer. lib. 3. de natura Deorum. *Atque hoc quidẽ omnes mortales sic habent, externas cõmoditates, vineta, segetes, oliueta, vbertatem frugum, & fructuum omnem,*

omnem denique commoditatem, prosperitatemque vitæ à Diis se habere: virtutem autem nemo vnquam acceptam à Deo retulit; nimirum rectè; propter virtutem enim iure laudamur, & in virtute certè gloriamur, quod non contingeret, si donum à Deo, non à nobis haberemus. Hæc ille, insanissime quasi futiles arborum fructus, poma, pyra, nuces, & cęteræ huius generis quisquiliæ magno dono à Deo Optimo Maximo nobis adueniant; veri tamen virtutum fructus à nobis ipsis sint, sed eâdem etiam stultitiâ imbutus Metellus, Deum non auctorem virtutis, sed approbatorem dumtaxat, apud Agellium lib.1.c.6. his verbis facit. *Dij immortales plurimum possunt, sed non plus velle nobis debent, quam parentes: at parentes, si pergunt liberi errare, bonis exhæredant. Quid ergo nos à Diis immortalibus diutius expectemus, nisi malis rationibus finem facimus? iisdem Deos propitios æquum est, qui sibi aduersarij non sunt.* Cordate quidem, & sanè loquutus hactenus erat, & moribus satis accommodate, sed vide quomodo statim insaniat, subiungens. *Dij immortales virtutem approbare, non adhibere debent.* Hæc ille, nec minus stulte Lyricus hæc effutit.

Hec satis est orare Iouem, qui donat, & aufert,
Det vitam, det opes; æquum mi animũ ipse parabo.

Fulgent. Prosper. Hos autem amentes optime, & Fulgentius, & Prosper pluribus in locis confutant: ille præsertim ep.6. ad Theodorum, de conuers. cap.5. & 6. hic verò citata epist.84. luculenter asserentes, multo peius superbiæ genus esse cum sibi homines de virtute, quasi propriâ industria adepta, quam de diuitiis, & honoribus blandiuntur.

9. Verum enim verò parum fuit, quod Tullium, & Metellum Catholici Patres, nisi Hebræus Philo Christianæ fidei expers, & Gentilis etiam Seneca manifestè confutarent: ille siquidem tum iusto, sapientique viro accommodat columnam illã, quam Deo vero dedicauit Iacob, & ad eam rem expendit

Gen. 31.13. Phil. ea Domini verba, Gen.31.13. *Vnxisti lapidem*: pro quibus ipse legit: *Vnxisti mihi columnam lapideam,* sic ait: *Caue autem putes vnctum Deo lapidem, sed totum de Deo flante in anima, id quod incredibiliter eam vngit, confirmatque addendo menti robur insuperabile.* Ita Philo. Cui, vide, quomodo adstipuletur

Senec. Senec. epist.41. vbi sapientem illum hominẽ, quem ipse sibi somniabat, describens, inquit. *Vis isthuc diuina descendit, animum excellẽtem, moderatum, omnia tamquam minora transeuntem, quidquid timemus, optamusque ridentem, cœlestis potentia agitat. Non potest res tanta sine adminiculo numinis stare.* Hæc optime Senec. ac si diceret, cum Chrysologo supra citato. *Si tuus esset Domine, non taceret: stant serui tui, hominum seruus iacet.* Aut cum Bernard. *Versa-*

Bernard. *ri in his, & minime lædi, diuina potentia est, & non virtutis tuæ.*

Ad ea verba: *Ad gloriam, & laudem Dei.*

ADNOTATIO IV.

Vnum nobis scopum Dei gloriam in omnibus operibus præfigendum.

1. August. Cite de diuitiis temporalibus dixit alicubi August. serm.3. de verb. Dom. c.9. *Omne granum, omne pomum, omne frumentum, omne lignum habet vermem suum; alius est vermis mali, alius pyri, alius fabæ, alius tritici; vermis diuitiarum superbia.* Quod quidem spiritualibus etiam diuitiis, siue fructibus iustitiæ, de quibus hoc versu Paulus iure accommodes: inest enim illis suus elationis siue inanis gloriæ, vermis. Sic magnus ille Prophetes Elias egregiis operibus assuetus non dubitabat dicere, solum se esse, qui Deo famularetur. 3. Regum. 3.Reg.19.14.

19.14. *Zelo zelatus sum pro Domino Deo exercituum, quia dereliquerunt pactum tuum filij Israel, altaria tua destruxerunt, & Prophetas tuos occiderunt gladio, & derelictus sum ego solus.* Vbi benè obseruauit Eucherius, non aliunde, quam de præclarorũ Eucher. operum magnitudine tantisper elatum Eliam, vt se solum Dei obsequio deditum putaret. Quare vel obiter attende, quid indidem vers. 18. Dominus, vt eius elationem comprimeret, responderit. *Reliqui mihi in Israel septem millia virorum, quorum genua non sunt incuruata ante Baal;* nimirum, vt elatæ Eliæ cogitationi, qua solum se esse existimabat, non minus, quam ingentem multitudinem septem millium egregiorum hominum sincero sibi animo famulantium Dominus opponeret, vti ad id loci sic expendit Rabbanus. *Hinc est, quod voce Dei ad Eliam so-* Rabban. *lum se existimantem, dicitur:* reliqui mihi septem millia virorum, *vt dum non solum se remansisse cognosceret, elationis gloriam, quæ ei de singularitate surgebat, inclinaret.* Redeo ad vermem fructuum iustitiæ, qui eos penitus corrodit, de quo sic Nilus orat. S.Nilus. 7. aduersus vitia. *Hedera sic arborem complectitur, vt cum altius se sustulerit, radicem eius arefaciat inanis gloria: sic iuxta virtutes nascitur, vt non recedat priusquam vim illarum exciderit.* Ergo ne fructibus bonorum operum, quæ Philippenses ex Pauli voto, & præscripto præclarè agerent, malignus hic elationis, siue inanis gloriæ vermis innasceretur, vel etiam ne ea bona opera segniter, & oscitanter, sine peculi[ari] ad Dei honorem, & gloriam respectu gerer[ent,] opportune suggerit Apostolus, *in laudem [&] gloriam Dei,* ac si dicat, huc vester animus, & [in]tentio tendat, hic vestris oculis præfigatur [sco]pus, vt quidquid boni agitis, in Dei honorem, & [la]udem sedulo referatis, vt vel saltem iustitiæ [fru]ctus, fructus etiã vester censeatur. Ita quide[m] distinxit Bernar. serm. de Bernard. Sancto Benedicto, in[te]r arbores infructuosas, & arbores facientes fr[uc]tum non suum, quod illæ operibus bonis d[es]tituantur, hæ verò: *hypocritæ sint cum Simone C[yr]enæo portantes crucem non suam, qui religiosa intentione carentes angariantur, & quæ non amant amore gloriæ, quam desiderant, facere compelluntur.*

Erit quidem opportunior locus ad cap.2. vers.4. 2. vbi singillatim aduersus inanem gloriam dimicetur; nunc nonnulla, quæ tam huic animi candori, à quo bona opera debent proficisci, quam peculiari illi studio referendi omnia ad Dei honorem communia sint, afferamus. Et verò id egregiè nobis ostendit præclarum illud Mariæ Magdalenæ facinus, cum Matt.26.6. & Ioan.12.3. in domo Simo- Matt. 26 6. nis pretioso vnguẽto Christum inunxit, non aliun- Ioan. 12 3. de, quam à capite vnctionem incipiens, videlicet, vt in eius honorem peculiari studio, opus initiaret; ita ad id Matthæi Paschasius. *Quia nisi à capite vnguen-* Paschas. *tum hoc defluxerit, nihil in corpore prodesse potest. Si autem omnia quæcumque gerimus, ad laudem Dei proficiunt, & ad Christi gloriam quodlibet opus refertur, tunc vnguento pretioso vngimus caput Christi.* Vndè, si aduertis illud, singulariter in præclaro illo facto, in toto terrarum orbe commendatum iri testatus est Dominus, quod non alia de causa, quam in ipsius honorem perfecerit, sic enim apud Matth. *Vbicumque prædicatum fuerit hoc Euangelium in toto mundo, dicetur, & quod hæc fecit in memoriam eius.* Vbi pende non dictum à Domino fuisse, in toto mũdo facinus hoc prædicabitur, sed potius vbicumque hoc facinus prædicabitur, notum etiam omnibus erit,

non alio animo, & conſilio Mariam permotam, quam vt peculiari me honore afficeret: quaſi duo in gratiam Mariæ Magdalenæ inique à Iuda increpatæ Chriſtus ſit pollicitus: alterum egregium illud facinus numquam ſilentio inuoluendum *Regum namque multorum* (inquit Chryſoſtom.) *& ducum victoriæ ſilentur, & multi, qui ciuitates conſtruxerunt, & gentes multas ſeruituti ſubegerunt, neque ex auditu, neque ex nomine ſunt cogniti, quoniam autem hac mulier oleum effudit in domo leproſi cuiuſdam duodecim viris præſentibus, hoc omnes concinunt per orbem terrarum: & tempus tantum pertranſiit, & memoria eius, quod factum eſt, non eſt labefactata.* Alterum illud opus, non vt imperfectum, vti Iudas criminabatur, ſed vt numeris omnibus abſolutiſſimum, quippe quod ſolummodo in Chriſti honorē factum fuiſſet, in toto terrarum orbe prædicandum: vbi vnius Iudę murmurationi, & ſiniſtro ea de re iudicio totius orbis terrarum defenſionem, & laudem bonus Dominus oppoſuit, aſſerens non vtcumque hoc in eo facinus prædicandum, ſed vt notum ſimul omnibus ſit à recta intētione placendi Deo fuiſſe profectum.

Chryſoſt.

3. Ambroſ. His egregia illa Ambroſij ſententia lib. 1. officior. cap. 30. applaudit. *Affectus tuus nomen imponit operi tuo. Quomodo à te proficiſcitur, ſic æſtimatur. Vides quam moralem iudicem habeas; te conſulit, quomodo opus tuum ſuſcipiat, mentem tuam prius interrogat.* Pende illud, *nomen imponit operi*, hoc eſt, ab effectu ſumit naturam, inde habet, vt ſit, ſiue potius quid ſit. Quod ſi id velut penicillo delineatum videre velis, coniice oculos, & in pulcherrimum omnium virtutis facinus, & in flagitium omnium flagitioſiſſimum, & aduertes hoc ab illo, non niſi intentione, & [illegible]fectu diſcriminari, ſolumque affectum nomen operi [illegible]ponere. Quod cæterà vtrumque opus certo quoda[illegible]do par ſit. Quis enim dubitet incomparabile illu[illegible]iuinæ charitatis opus, pignuſque fuiſſe, cum ſumm[illegible] Pater dilectiſſimum Filium pro nobis, id eſt, pro mil[illegible] homuncionibus in mortem infenſiſſimis inimicis tra[illegible]dit? O inexhauſtum amoris pelagus! Deinde nem[illegible]inficiabitur, grauiſſimum omnium crimen fuiſſe, [illegible]eſſimo mercatore Iudâ eundem Dei Filium tradi: at [illegible]rumque opus, ſi extrinſecus inſpiciatur, idem vndiqu[illegible] eſſe videtur. Tradidit enim Pater Filium, tradidit etiam Iudas; tradidit ille in mortem, tradidit & hic; Chriſti ergo traditio, & à Iudâ omnium peſſimo, & à Deo Optimo Maximo æquè quoad effectum ad exitum eſt perducta; *Proprio enim filio Deus non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum*: ad Rom. 8. 32. proprio etiam magiſtro Iudas non pepercit, ſed in mortem etiam Iudæis tradidit; at quia idem effectus ab affectu omnino diſcrepante ortum duxit (Pater ſiquidem flagrantiori amoris æſtu, quam Abraham filio ſuo non pepercit, & ipſe quidem filius perfectius dicto obſequens, quam Iſaac, non aliis, quam charitatis vinculis alligatus, ſe ipſum etiam in mortem pro nobis tradidit; Iudas autem argenti lucro ineſcatus traditionem perfecit) Deo quidem Patri, & Chriſto, quantas capere maximas noſtri pectoris anguſtiæ poſſunt, indeſinenter agimus gratias: Iudam verò perpetuò odimus, & deteſtamur: Deum ob eam filij ſui traditionem, optimum, & benigniſſimum dicimus: Iudam ob eam magiſtri traditionem mercatorem peſſimum, immaniſſimum, & fœdiſſimum monſtrum, funeſtum animal ex omnium ſcelerum importunitate cōcretum appellamus, diuerſo nimirum vtriuſque affectu diuerſum, imò contrarium nomen eidem quoad ſpeciem operi imponente. Nec noſtrum id, ſed Auguſtini potius acumen eſt tract. 7. in epiſtolam Ioann. his verbis. *Facta eſt traditio à Patre, facta eſt traditio à Filio, facta eſt traditio à Iuda. Vna res facta eſt. Sed qua res diſcernit Patrem tradentem filium: ſe ipſum filium tradentem, & Iudam diſcipulum tradentem magiſtrum ſuum? Quia hoc fecit Pater, & filius in charitate, fecit autem hoc Iudas in proditione. Videtis, quia non quid faciat homo conſiderandum eſt, ſed quo animo, & voluntate faciat.* Et poſt pauca: *Deus cogitauit ſalutem noſtram, qua redempti ſumus, Iudas cogitauit pretium, quo vendidit Dominum: Filius ipſe cogitauit pretium, quod dedit pro nobis; Iudas cogitauit pretium, quod accepit vt venderet. Diuerſa ergo intentio diuerſa facta fecit. Cum ſit vna res, ex diuerſis eam intentionibus ſi metiamur, vnum amandum; alterum damnandum; vnum glorificandum, alterum deteſtandum inuenimus.* Hactenus ex Auguſtin. ſimilia habet in Pſalm. 93.

Ad Rom. 8.32.

Auguſt.

Vidiſti, quomodo boni, ſeu mali nomen operi affectus imponat? Recteque ab eodem Ambr. lib. 5. in Luc. occaſione verborum Chriſti, Matth. 7. 16. *Numquid colligunt de ſpinis vuas*, dictum, eam animæ, ac vuarum naturam eſſe, quod vt illæ, *proxima terra corrumpitur, in ſuperioribus maturatur*: Nimirum, quod terreno affectu ducta, opera ſua deprauet, ac perdat, ſpirituali verò, ac pura intentione virtutis actiones mirè perficiat, atque conſummet. Vide iam, quomodo cœleſtis, ſiue humanæ actionis nomen hinc conſurgat: parum promiſi; magnificentius addo; ex toto in Deum affectu diuinam iam vitam oriri. Sic ſanè de Chriſto, ad Roman. 6. 10. dixit Paulus: *Quod autem mortuus eſt peccato, mortuus eſt ſemel: quod autem viuit, viuit Deo.* Vbi ex communiori interpretatione is dicendi modus; *Viuit Deo*, idē eſt, ac *propter Dei gloriam*, vt Deum perpetuò laudet, & celebret, ſicut illud, *mortuus eſt peccato*, idem eſt, ac propter peccatum. Sed nunc obſerua egregiam expoſitionem Petri Chryſologi ſerm. 75. ſic accipientis id, *viuit Deo*, vt idem ſit ac *viuit Deus*; ita enim ille. *Quod autem viuit, viuit Deo, hoc eſt, viuit Deus.* Vbi habes eam propoſitionem, *viuit Deo*, ſeu propter Deum, ſenſum communem habere cum hâc, *viuit Deus*, nimirum, vt ſit ſenſus viuere in Dei gloriam, eſſe viuere, vt Deum; ſcitum quidem eſt illud Auguſt. *Si terram amas, terra es; ſi cœlum amas, cœlum es*: adde modo, ſi Deum amas, & ad ipſius gloriam viuis, Deus quodammodo es. Nec ab hoc multum it illud Pauli 1. ad Corinth. 6. 16. *Qui adhæret Domino, vnus ſpiritus eſt*, ſupple, *cum eo*: vt habet Syriaca lectio: *Qui ſe adiungit Domino noſtro, fit cum eo vnus ſpiritus.*

4. Ambr. Matt. 7.16.

Ad Rom. 6.10.

Chryſol.

1. Ad Cor. 6.16.

Hinc Apoſtolus 1. ad Corinth. 10. & ad Coloſſ. 3. 17. omnia in laudem Dei facienda monet. Sed quæ tandem? *Siue manducatis ſiue bibitis, ſiue aliud quid facitis.* Vbi ita Theodoret. *Omnia comprehendit, & ſedere, & ambulare, & diſſerere, & miſereri, & docere: vnus ſit eis ſcopus Dei gloria.* Vbi vidēs eamet opera, quæ vel indifferentia, vel noſtris vſibus, & commoditatibus neceſſaria ſunt, in Dei gloriam relata; non indifferentia, & humana, ſed iuſta, ſancta, atque diuina eſſe. Vndè huc intentus ſic inquit Auguſtin. tract. 7. in epiſt. Ioan. *Semel ergo breue præceptum tibi præcipitur, dilige, & quod vis fac: ſiue taceas, dilectione taceas: ſiue clames, dilectione clames: ſiue emendes, dilectione emendes: ſiue pareas, dilectione pareas. Radix ſit intus dilectionis, non poteſt de iſta radice niſi bonum exiſtere.* Hæc Auguſt. Nempe ea eſt rectæ intentionis præſtantia, vt opus transferat, & cōmutet, nec mâducare, aut bibere, aut ſedere, ſed Deum diligere, & ei obſequium præſtare dicendus ſit, qui in Dei laudem manducat, aut bibit, vnuſque

5. 1. Ad Cor. 10. Ad Coloſ. 3.17.

Theodor.

Auguſt.

vnusque ei scopus est Dei gloria: Nec latuit id quodammodo Senecam, dum epist. 118. perfectum bonum sic diffiniuit: *perfectum bonum est, cuius contactu alia quoque bona fiunt*; & ep. 118. de bonis adiaphoris, siue indifferentibus agens. *Quod erit in illis tunc bonum? Benè eligi*, hoc est, rectà intentione, & animo ad bonum finem dirigi. (Senec.)

6. Certè Iacob dum pro Rachele, quam amabat, obtinenda Patris gregem seruaret, non ipsi Patri, sed Racheli suæ, cuius amore id præstabat, pecora seruare sic dicitur; Oseæ, 12. 12. *Fugit Israel in regionem Syriæ, & seruiuit Israel in vxorem, & in vxorem seruauit.* Vbi LXX. expressiùs, *Et seruiuit Israel in vxore, & vxori custodiuit.* Ad quem quidem modum verus Dei amator sic se quibuslibet in rebus, siue operibus gerit, vt quidquid externa rerum facies alio inclinet, non nisi vni Deo, & in eius signatè honorem operetur. Vndè Bern. serm. de obedient. & patient. *Deo* (inquit) quodammodo insulsa, nostra obedientia, seu patientia est, nisi *omnium, quæ agimus, & patimur, ipse sit causa*, ac si diceret, vt bonæ ex se eæ obedientiæ, & patiẽtiæ actiones sint, ac, vt Deo vndique placeant, eiusque gustui, ac palato congruant, opus quidem est hoc diuini honoris, & gloriæ præ oculis habiti condimento aspergi. Vt hinc non tam ridere, quam dolere sit, plures inueniri homines tam propriæ laudis auidos, vt si quod Deo placiturum opus construant, si tẽplum ædificent, si calicem donent, si sacram vestem Ecclesiæ vsibus assignent, non aliò hæc, quam ad proprium honorem, & laudem referant, dum ea omnia sexcentis sui nominis inscriptionibus, præconiis, & nobilitatis suæ insignibus opplent. Sanè eum id video, video autem cottidie, videor mihi audire Dominum dicentem, Matth. 6. 23. *Si ergo lumen, quod in te est, tenebræ sunt, ipsæ tenebræ quantæ erunt?* Nec ab hoc multum distat, quod plangit Augustinus vix quæri in Ecclesia Iesum propter Iesum: dum enim ipse, tract. 25. in Ioan. explicat illa verba, c. 6. *Non quia vidistis signa, sed quia manducastis ex panibus:* Sic ait. *Quam multi non quærunt Iesum, nisi vt faciat illis bene secundum tempus? alius negotium habet, quærit intercessionem clericorum; alius premitur à potentiore, fugit ad Ecclesiam; alius pro se vult interuenire apud eum, apud quem parum valet. Ille sic, ille sic: impletur cottidie talibus Ecclesia. Vix quæritur Iesus propter Iesum.* En virtutis scopulos. Ecce bonorum operum naufragia. *Iactat enim atrociter mare nauigantes.* (verba sunt Pomponij Melæ lib. 3. de situ orbis, c. 1.) *si aliò ventus, aliò vnda præcipitat*, id est, vt ego accommodo, si aliò opus, aliò intentio spectet. (Osee 12. 12. — LXX. — Bernard. — Matt. 6. 23. — August. — Pomp. Mel.)

7. Huc refero, quod Athenæo obseruatum est, olim apud Lacedæmonios ex Lycurgi præscripto non nisi ea, quæ exigui pretij essent Diis sacrificari; duplici de causa, nec male quidem perpensa, & excogitatà, altera, ne diuites, quibus ingens ad manum opum copia, pinguiorque esset victima nimia fastu super tenuiores se efferrent; pauperesque ac exigui homines ab aris, & diuino cultu amouerentur, siue absterrerẽtur; altera ne hominis in Deum obsequiũ ex censu, aut victima, sed ex intentione, & animo potissimum penderetur, vt dum externis rebus inniti homines non possent, maior hinc pietas, & ardentius in Deum studium consurgeret. Videtur sane id desumptum ex sacris. Nam dũ Exod. 25. 4. ex Dei oraculo ad tabernaculi structuram tum aurum, purpura, coccusque bis tinctus, byssus, & alia pretiosiora, tum pili caprarum indiscriminatim petebantur, illud omnibus pro comperto erat, Deo non tam munera, quam affectum placere, nec bonum opus ex munere, sed ex intentione spectari, atque ideo non minus Deo placiturum, qui recto studio viles caprarum pilos, quam qui aurum, & purpurã offerret, id quod ad hunc modum obseruauit Nazianz. orat. ad Iulian. *Cum Moses olim tabernaculum illud, cœlesti tabernaculo figurà respondens, in terrà figeret, omnes quod cuique denuntiatum fuerat, conferebant. Quin etiam suapte sponte alij aurum, alij argentum, alij gemmas pretiosas ad superhumeralis ornatum ferebant: mulieres partim coccinum contextum, partim purpuram, partim arietum pelles rubro colore tinctas, partim caprarum pilos, rem vilissimam. Alij, vt quisque fortasse aliquid habebat, ad opus tabernaculi afferebant, nec quisquam ab hac collatione immunis, ne pauperrimi quidem* (intercido nõnulla:) *Atque illud pulcherrimum, humanissimumque censendum est, quod Deus munificentiam, non oblatæ rei pretio, & dignitate, sed offerentis affectu, & facultate metitur.* Plane, quia vt dicebat Ambros. supra citatus: *Affectus diuitem collationem, aut pauperem facit, & pretium rebus imponit.* Vnde idemmet Nazianz. orat. 40. in S. Bapt. *Nihil apud Deum magnum est, quod non pauper quoque donare possit, vt ne hac quoque in re tenuiores propellantur, vt qui non habeant, quomodo cum locupletibus certent.* (Athen. — Exod. 25. 4. — Nazianz. — Ambr. — Nazianz.)

8. Quod si aduertis, huc pene tota Filij Dei exinanitionis œconomia, præsertim verò minimi facta venditio, it; ne videlicet tenuiores homines Regem potentissimũ, & maximũ tractare, sibique coëmere nõ auderẽt; sed Dei filio, homine egeno, ac mendico facto, & vili pretio vendito, omnes de eo possidẽdo decertarent. Audi Ambrosium lib. de virginis instit. cap. 13. *Ideo pauper factus est Dominus cum diues esset, vt omnes emant.* Vndè vilis, ac fœda, necnon inuidiæ plena fuit Iudæ cogitatio, dum in vnguento illo à Magdalena effuso, quod Christi sanguinem figurabat, ipsummet Dominum trecentis denariis æstimauit, Ioan. 12. 5. vt pretij magnitudine homines à fide deterreret: ita idem Ambros. lib. 3. de Spiritu sancto, cap. 18. *Carius æstimabat Dominici corporis passionem, vt omnes à fide, pretij enormitate reuocaret, ideoque Dominus gratis se obtulit, ne quem reuocaret à Christo paupertatis necessitas.* In quam sententiam obserua, quid de Iudà infeliciter postmodum pœnitente dixerit, Matth. 27. 3. *Pœnitentiâ ductus retulit triginta argenteos principibus sacerdotum.* Pulchrè ad pœnitentiam argenteos numerans, ac si diceret sub illius persona. Peccaui pretium augens, & carius æstimans, en ipse minoris vendi voluit; non trecenti, sed triginta denarij sunt, quibus ab omnibus facili negotio emi potest. Numerate, videbitis rem ita se habere. (Ambr. — Ioan. 12. 5. — Ambros. — Matt. 27. 3.)

9. Subest verò hic sensus illis verbis, Cant. 4. 9. *Vulnerasti cor meum soror mea sponsa, in vno oculorum tuorum, & in vno crine colli tui*; accipitur enim ibi, vnus oculus, pro vno aspectu, vt instrumentum pro eius operatione capi solet. Sic Matth. 6. 22. *Si oculus tuus simplex fuerit*, vndè hæc est sententia, non modo præcipuis animi tui dotibus, sed vel vno tuo aspectu, vnoue crine colli tui, qui minimũ est corporis ornamentum, me vulnerasti, sanè vt significet omnia iustorum bona opera, & vel minimas ipsas cogitationes, eo quod iustorum sint gratissimas Deo esse: at enim verò vnius oculi, & vnius crinis speciatim meminit, vt in oculo quidem rectam intentionem, in crine verò colli cogitationem de re quantumuis minima significaret; atque ideo sumpta imagine ex sagittario altero oculo scopum aspiciente, ne si aspectus oberret, & in varia diffundatur, ipse etiam aberret à scopo; nemo enim nesciat directius oculo vno quam vtroque cerni, (Cant. 4. 9. — Matt. 6. 22.)

cerni, rationem reddente Aristot. in problem. vndè
Arist. Lucian. etiam Lucian. in Icaromenip. *Nam & fabros sæpe vidisse videor altero oculo melius ad amussim ligna dirigentes*: sensus est, vbi recta est intentio, vnusque Dei scopus, Dei gloria, tûc quodcumque opus, qualecumque verbum, qualemcumque cogitationem vulnerare cor sponsi. Vt verò hic vnus oculus spōsæ, quasi oculus sagittarij est, ita vnus crinis colli
Rabbi Dauid. pro sagitta, ac cor sponsi pro scopo sumitur: ita videtur intelligere R. Dauid, dum ait: *Vno crine veluti sagitta.* Hęc mirifice confirmant viduarum exempla: quarum altera modico victu pauit Eliam; altera duo minuta in gazophylacium misit. Vtriusque autem studium, & puram intentionem bene pen-
Ambr. Chrysost. dunt Ambrof. lib. de viduis, & Chrysost. homil. 42. in Genes.

10\. Nec omittam dicere; hæc vt in virtutibus, & iustitiæ fructibus, ita & in malis operibus locum ha-
Luc. 11. 17. bere, vt malo etiam operi peioris nomen tribuat affectus. Sic Luc. 11. 17. Iudæis de Christo murmurantibus, & impiâ oratione dicentibus: *In Beelzebub principe dæmoniorum eiicit dæmonia*: inquit Lucas:
Lect. Syr. *Ipse autem, vt vidit cogitationes eorum, dixit eis, &c.* Vbi lectio Syriaca. *Iesu qui sciebat cogitationes eorum.* Vbi iure interroges, nōne satis superque erat, tam impia eorum audisse verba? Quid ergo fuit opus ad cogitationes recurrere? Plane, quod non plene cognoscatur, pendatúrque peccatū, nisi prius affectus, in quem tendat, & finis cognoscantur: nec enim vllum est flagitiū, quod ex intētione non crescat, vel decrescat. Respondet ergo potiùs Dominus cogitationibus, quam verbis, quod hæc vt excusabiliora essent, si ab ignorantia, aut errore intellectus proficiscerētur, ita pessimum illis inerat virus ex intentione, hoc est ex inuidiâ, & maligno affectu, quo Christi opera criminari, & denigrare studebant. His illud applaudit, quod pluribus ex Christi discipulis egregium Mariæ Magdalenæ erga Christum officium in domo Simonis increpantibus, vt ex
Matt. 26. 8. Ioan. 12. 4. Matt. 26. 8. constat, Ioannes cap. 12. 4. Iudam solum huius criminis arguerit, alios silentio premens, simul & excusans. Sed quare? dixeris rationem forsan fuisse, quod Iudas dux fuerit, & primus, qui malo suo exemplo aliis viam criminandi patefecerit, & mulieri pertinacius obstiterit. Sed illud magis ad rem esse videtur, quod cum Paschasio adnotandum est, ideo Apostolos excusari, Iudam condemnari, quod illi bono animo ex pauperum amore, hic verò ex furandi studio malignè, & temerè fa-
Paschas. ctum criminaretur. Ita Paschasius: *Potest & aliter dici quòd Apostoli verè nescientes adhuc Sacramenta Dei, propter pauperes indignati sunt, Iudas autē solummodo propter lucra, vnde & mussitatio eius ab Euangelista cum crimine ponitur, quod non curam pauperum habuerit, sed quia fur erat, & latro.* Sic Pasch.

ADNOTATIO V.

Iustitiæ opera ad gloriam Dei cedere; iustos diuinitatis, siue Dei interpretes esse.

1\. VEnio ad id, quod potissimum ē Pauli mente est, opera nimirum bona, siue iustitiæ fructus non mediocrem Deo gloriam (externam intelligis) parere. Cuius argumenti plura sunt Pauli & sacro-
1. ad Cor. 6. 10. 2. ad Thess. 1. 12. rum scriptorum testimonia, sic dixit ille, 1. ad Corinth. 6. 20. *Glorificate & portate Deum in corpore vestro*, & 2. ad Thessalonic. 1. 12. *Vt clarificetur nomen Domini nostri Iesu Christi in vobis*, & Christus

Dominus Matt. 5. 16. *Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificēt Patrem vestrum, qui in cœlis est*, & Ioan. 15. 8. *In hoc clarificatus est Pater meus, vt fructum plurimum afferatis, & efficiamini mei discipuli.* Sic etiam Petrus ep. 1. c. 2. 9. *Vos autem genus electum, gens sancta, populus acquisitionis, vt virtutes annuncietis eius, qui de tenebris vos vocauit in admirabile lumen suum*, & c. 4. 11. *Si quis loquitur, quasi sermones Dei: si quis ministrat, tanquam ex virtute, quam administrat Deus, vt in omnibus honorificetur Deus per Iesum Christum.* Eò etiam it id Zachariæ 10. 3. *Posuit eos, quasi equum gloriæ in prælio.* Sed hæc vel pensiculatius explicanda, vel cum aliis componenda, nonnulla etiam iis testimonia subiicienda sunt. Matt. 5. 16. Ioan 15. 8. 1. Petr. 2. 9. & c. 4. 11. Zach. 10. 3.

Vndè primo pende præfata Petri verba: *Vt virtutes annuncietis eius.* Sed quas? Referunt nonnulli ex interpretibus ad Dei virtutes, quæ in ipso sunt, sapientiam nimirum, bonitatem, iustitiam, misericordiam, & alias plures, siue innumerabiles; Alij ad Dei virtutes iustis diuinitus inditas, quas illi nō tam vocibus, quam vita, & operibus exprimunt, atque hinc Deum mirificis laudibus affici necesse est. Ego vtrumque indicatum opinor ab Apostolo, vt videlicet fideles egregiâ morum conuersatione, præclarisque virtutum operibus inuisibiles Dei virtutes patefaciant, eumque hominibus velut de facie cognitum reddant: est namque hæc hominis ad Dei imaginem efformati dignitas, hæc præstātia, vt dum in ipso ex Dei imagine, *expressa est*, (verba sunt Gregor. Nysseni de opificio hominis) *omnis honesti species, omnis virtus, omnis sapientia*, Deum vitæ probitate exprimat, & diuinarum virtutum fidum interpretem agat. Ita Ambrof. in Psal. 118. octonar. 10. *Grande homo, & pretiosum vir misericors; & vere magnus est, qui diuini operis interpres est; & imitator Dei.* Hæc Ambrof. cum allusione ad ca. 20. 6. Prou. vbi ex lectione LXX. habetur. *Magnum homo, & pretiosum vir misericors.* En iustum Dei interpretem, dum eius virtutes vitæ probitate annunciat, atque patefacit. Quare vero Deum non interpretetur, qui ad eius imaginem efformatus est: non secus, ac Regis imago ad viuum depicta Regem, quem non vidimus, nobis interpretatur, & ob oculos de facie agnoscendum proponit. Vndè disertissime S. Maximus Centuria 5. capitum Oeconomicorum, c. 74. tom. 5. Bibliot. Veter. Pat. *Ferunt Deum, & hominem se mutuò demonstrare, tantumque humanitate dictum Deum homini se similem hominis exhibere, quantum homo charitate pollens, Deo se diuinum præstitit; & tantum animo hominem ad id, quod cognitu dictum est, à Deo rapi, quantum homo Deum natura inuisibilem per virtutes patefecerit.* Hæc Maximus. Quę licet sub alio sensu à nobis alibi expendantur; hunc etiam, quem persequimur, apposite adstruunt. 2. Nyssen. Ambr. D. Maxi.

Confirmo hæc ex simili Isaiæ testimonio c. 43. 21. ad quod allusum reor à Petro, vbi de eadē Christiana Ecclesia, de qua singillatim Petrus loquebatur, sic ait. *Populum istum formaui mihi, laudem meā narrabit*, vbi LXX. *populum meum quem acquisiui, vt virtutes meas narret*: vbi primo vide manifestam allusionem Petri dicentis: *Populus acquisitionis, vt virtutes eius annuncietis.* Deinde pende illud, *formaui mihi*, id est, ad meam formam, ad meam agendi rationem, ad meam similitudinem, ad me ipsum exprimendum, & manifestandum, vnde subdit, *vt virtutes meas enarret*, siue *laudem meam narrabit*; hoc est, vt dū virtutes meas moribus suis exprimit, mirificis ego ab omnibus laudibus extollar. Vbi obiter nota eum, qui virtutibus inuigilat, Deum quodammodo fieri, quando quod Dei proprium, 3. Isai. 43. 21.

&

& eximium est, exprimit: Ita de Moyse virtutum
Chrysol. studioso Chrysol. ser. 43. *Homini Deitatis deferunt hac honorem. Hinc est, quod sit horum suffragio Moyses Deus, & ad triumphos suos militare sibi omnia mandas elementa.*

4. Exod. 3. 6. Hinc iam intelliges, cur Deus vno de nomine à Moyse interrogatus, duo simul vnica responsione patefecerit. Exod. 3. 6. dum enim inquisisset famulus. *Si dixerint mihi, quod est nomen eius? quid dicam eis?* Sic respondit Dominus. *Ego sum qui sum, sic dices filiis Israel. Qui est, misit me ad vos. Dixitque iterum Deus ad Moysem. Hæc dices filiis Israel: Dominus Deus patrum vestrorum, Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob misit me ad vos. Hoc nomen mihi est in æternum, & hoc memoriale meum in*
Rupert. *generatione, & generationem.* Ad quæ verba Rupertus lib. 1. in Exod. cap. 14. *Ad vnam percunctationem duo reddidit, duo, inquã, nomina sua deprompsit. Quorum alterum scilicet, ego sum qui sum, naturæ est; alterum gratiæ, vel dignationis, videlicet Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacob.* Sed inquis, cur se-
Nicol. de Lyra. cundum hoc nomen addidit? Respondet Lyra: *Ac si diceret, si quærunt secundo de nomine mittentis te: Respondebis; Dominus Deus Patrum vestrorum, Deus Abraham, &c.* Quod sic capio, ac si ex persona Domini dixerit: si me ex primo naturæ meæ nomine: *Ego sum qui sum*, non nouerint, subiicies illis secundum, *Deus Abraham, Deus Isaac, &c.* Quasi primi nominis interpretamentum, & explicationem. Nimirum, quia vt dicebat Maximus; Deus, & homo se mutuo demonstrant, iustusque Deum naturâ inuisibilem per virtutes patefacit; quippe qui Ambrosio auctore eius interpres, & imitator est. Vt vel hinc appareat, quam fuerit à Dei sensu alienus, quamque nescierit Dei humanitatem, & hominis
Lucian. diuinitatem pensitare impius ille Lucianus Sophista, cum pietatis aliquando personam, quæ malè illi hærebat, induens dicebat in imaginibus. *Neque enim perinde tantis incrementis hominis virtus augetur Dei comparati, quam Dei magnitudo imminuitur ad id, quod vilius est inæqualiter deriuata.* Quem eo
Vellei. Paterc. prior increpasse videtur Velleius Patercul. lib. 1. Rom. hist. inquiens: *Negare virtutem diuinitatis participem esse, impium simul, atque ingenerosum.*

Ad Hebr. 11. 16. Theodor. At sic clamat Paulus ad Hebr. 11. 16. inquiens. *Ideo non confunditur Deus vocari Deus eorum.* Vbi Theodoretus: *Opportune posuit illud. Non erubescit. Virtutum enim Deus, & Angelorum Dominus, & cœli, & terræ opifex interrogatus. Quod est tibi nomen, aliis relictis, dixit: Ego sum Deus Abrahã, Deus Isaac, & Deus Iacob. Hoc nomen mihi est in æternum.* Voluit dicere Apostolus, & eius interpres Theodoretus, minimè Deum erubuisse, naturam suã ex iustorum virtutibus manifestare, seque velut de facie agnoscendum in egregiorum operum Abrahami, Isaaci, & Iacobi speculo potius, quam in pulcherrima cœli, terræque mole apponere, quod suã opportunissimè illum ostendant. Ita citato loco Rupertus. *Propter digne nominandam fidem illorum, vel obedientiam illorum, in qua peregrinos, & hospites se esse confessi sunt super terram, meliorem expectantes patriam, id est, cœlestem, ideo inquit Apostolus*; Non confunditur Deus eorum vocari Deus, ac si diceret. Quia horum Patrum fides, obedientia, puritas, & incontaminatissimus animus Dei puritatem, à quo origenem, & exemplar accipiebant, mirificè repræsentabant.

5. Huc facit is Pauli locus ad Corint. 6. 20. *Glorifi-*
1. ad Cor. 6. 20. *cate, & portate Deum in corpore vestro*: vt enim penitior eius explicatio alibi tradenda (si Deus dederit) à me sit, ipsamet verborum superficies, prædictam sententiam cõfirmat. Nec enim id solum vult Paulus, quod inquit ibi Theod. *Oportet ergo vos, & per* Theodor.
corpus, & per animam ipsum glorificare, illa facientes, & dicentes, quæ omnes linguas ad laudandum, bonisque verbis prosequendum moueant. Sed profundiori sensu ad eam vitæ puritatem & perfectionem fideles vrget, ex quâ, velut ex imagine, infinita Dei sanctitas, & ipsius vt ita dixerim, facies hominibus innotescat. Sub quo sensu enucleatius dixit, 1. ad Corinth. 15. 49. *Vt sicut portauimus imaginem terreni,* 1. ad Cor. 15. 49.
portemus imaginem cœlestis. Quare obserua, pro vnâ eademque re à Paulo fuisse positum, *glorificare Deum*; & *portare Deum*, quod eius imago dum viuis virtutum coloribus delineatur, gloriose resplédeat. Vndè Origenes animose dixit, Deum de bonis Origen.
iusti operibus, non secus, ac pater de filio generosa eius facinora imitante, & referente se iactare. Audi illum hom. 1. in Ps. 36. ea verba: *Et educet quasi lumen iustitiam tuam*, sic elucidantem. *Tuam iustitiã quam tu egisti in occulto, & reuelasti eam soli Deo, hãc producet sicut lumen Deus, & ostendet te iustum illuminatum sole iustitiæ, cœlo & terræ, & omnibus, qui in cœlo sunt, ostendet lumen iustitiæ tuæ, & (si ita dici oportet) iactabit se de te, tanquam de filio, tanquam qui acceperis spiritum adoptionis.* Didicit, opinor, hęc Orig. à magistro suo Clemente Alexand. lib. Stro- Clem. Alex.
matum dicente. *Vna est ab omnibus præcipua gratiæ relatio, ea facere, quæ Deo sunt optima. Nam tamquam proprij fœtus, & in aliquo cognati effectus magister, & seruator accipit vtilitates, & correctiones hominum ad propriam gratiam, & honorem.*

Congruunt his eæ Scripturæ locutiones, in quibus à nobis Deum exaltari, magnificarique dicitur, 6.
sic namque Maria Lucæ 1. 46. *Magnificat anima* Luc. 1. 46.
mea Dominum. Regius verò Psaltes, Ps. 29. 1. *Exaltabo te Domine, quoniam suscepisti me.* Et verò si in- Psal. 29. 1.
quiras, qui fieri possit, vt Dominus, qui nec augmé- Origen.
tum, nec decrementum potest accipere; & quod est, est; à Maria magnificari dicatur: sic respondet Origenes hom. 8. in Lucam. *Si consideremus Dominum Saluatorem imaginem esse inuisibilis Dei, & videam animam meam factam ad imaginem conditoris, vt imago esset imaginis: tunc videbo, quoniam in exemplum eorum qui solent imagines pingere, & vno verbi causa vultu Regis accepto ad principalem similitudinem exprimendam artis industriam commendare, vnusquisque nostrum ad imaginem Christi formãs animam suã, aut maiorem, aut minorem ponit imaginem, vel obsoletam, vel sordidam, aut claram, atque lucentem, & splendentem ad effigiem imaginis principalis. Quando igitur grandem fecero imaginem imaginis, id est, animam meam, & magnificauero eam opere, cogitatione, & sermone, tunc imago Dei grandis efficitur, & ipse Dominus, cuius imago est, in nostra anima magnificatur.* Hactenus Origenes. Ad cuius etiam gustum præfata Dauidis verba pendit Basilius, sic pri- D. Basil.
mum inquirés. *Quomodo is, qui in altissimis habitat, exaltatur ab iis, qui humilem sortiti locũ sunt? Si enim Deus in cœlo sursum, & tu in terra deorsum, quonam pacto Deum queas exaltare?* Respondet verò. *An quod forte ab iis dicitur exaltari, qui quæ magna, & quæ nihil Deum dedeceant, intellectu, & cogitatione apprehendunt, & vitam omnem ad vnius Dei gloriam componunt? Qui igitur ad beatitudinem cum scientia properat, Deum exaltat.*

Ab hoc non eunt ea Cant. verba, cap. 4. 11. *Odor* 7.
vestimentorum tuorum, sicut odor thuris Quis enim Cant. 4. 11.
nesciat, thus diuinitatem præseferre? cum & illud Christo, quà Deo ex Patrum consensione Magi obtulerint, & Plinio teste lib. 12. cap. 14. in thure Plin.
diis omnes gentes sacrificent. Ergo, inquit sponsus

iustorum opera, & virtutes diuinitatis odorem efflare, ita vt per ipsos eximia Dei sanctitas, atque puritas hominibus innotescat. Ita quidem dixit Paulus
2. Ad Cor. 2.14. 2.ad Cor.2.14. *Deo autē gratias, quia semper triumphat nos in Christo Iesu, & odorem notitiæ suæ manifestat per nos in omni loco. Quia Christi bonus odor sumus.* Ac si dixerit, licet Deus naturâ inuisibilis, Christusque vnguētum, vt suauissimum, ita in cœlis reconditum sit, at odore suo, hoc est nostra vita, & conuersatione. (Nam nos Christi odor, & velut halitus, & respiratio sumus) se prodit, & manifestat, notitiamque sui, quâ animos ad se alliciat, vbique diffundit. O miram hominis dignitatem! ipse Deum interpretatur, manifestat, & diuinitatis fragrantiam prodit, & quod vix mente concipi, & sermone explicari potest, triumphorum ipsius instrumentum, & velut manus est.

8\. Matth.6.9. Sed & huc etiam spectat ea Dominicæ orationis
August. petitio. *Sanctificetur nomen tuum.* Matth.6.9. Nam
Hieron. tunc Dei nomen sanctificari dicitur ex Augustini
Nyssen. lib.2. de serm. Domini, Hieronymi in commenta-
Chrysost. riis, Nysseni lib. de orat. Dominica, orat.3. Chryso-
Theoph. stomi, Theophylacti, & Euthymij interpretatione:
Euthym. cum tanquam sanctum colitur, & honoratur. Nam *non sic petitur* (verba sunt Augustini.) *Sanctificetur nomen tuum, quasi nō sit sanctū nomen Dei, sed vt sanctum habeatur ab hominibus, id est, ita illis innotescat Deus, vt non existiment aliquid sanctum, quod magis offendere timeant.* Sic August. Sed qui id fit? Audi
Pasch. Paschasium hoc ex præfatis Mariæ verbis, *Magnificat anima mea Dominum,* sic apposite explicantis. *Sic sanctificatur à nobis, sicuti & magnificatur à nobis. Hinc quoque virgo Maria gratanti animo canit: Magnificat anima mea Dominum, non quod magnus, & excelsus Dominus nullam habens consummationem, maior, minorve esse possit, sed quia dū nos in eo crescimus, ille in nobis, quasi magnificatur, ac si dicamus, Pater sanctificetur nomen tuum, vt tales simus, qui sanctificationem tuam non modo intelligere, verum capere valeamus, quatenus tu ex nostra conuersatione spirituali sanctus appareas.* Hæc Pasch. Quæ sic
Ezech.20. 40. confirmat ipsemet Dominus, Ezech.20.40. vbi cum dixisset: *In terra in qua placebunt mihi, & ibi quæram primitias vestras, in odorem suauitatis suscipiam vos:* subiicit: *Et sanctificabor in vobis, in oculis nationum:*
Prado. id est, vt bene explicat Prado, vestra viuendi ratio, & institutum plus, quam humanum meam bonitatem, & sanctitatem longius prædicabunt, quam egregia illa portenta Ægyptiacæ redēptionis, transitus Maris Rubri, & alia id genus potuerunt vmquam commendare. Sed hæc citato loco penficu-
Nyssen. latius elucidat Nyssenus: dum enim dixisset: *Porro caput omnium bonorum est si per meam vitam nomen Dei glorificetur:* post nonnulla sic ait. *Quis autem adeò est ferus, & rationis expers, qui si inter eos, qui Deo crediderunt, videat vitam puram, quæ per virtutem exigatur, ab omnibus peccati inquinamentis vacuam, atque puram, ab omni suspicione mali alienam, temperantia claram, prudentia grauem, fortem, & firmam aduersus affectuum, & perturbationum impetus, & incursus, corporis voluptatibus nullo modo mollem: & effœminatam à deliciis, à torpore & ignauia, à tumore fastus quam maximè remotam, temporalibus facultatibus, & reliquo sæculari cultu, quantum necessitas desideret vtentem, summo pede terram stringentem,* (præstringo sententiam) *quis igitur si talem videat, nomen, quod ab eiusmodi vita inuocetur non glorificet?* Hæc & alia, quæ dolens omisi, Nyssenus.

9\. Iam verò vt fructus iustitiæ, siue bona iustorum opera ad gloriam, & laudem Dei cedunt, atque illis Deus magnificati, & exaltari, ipsiusque nomen vt sanctum coli, & honorari dicitur: ita improba hominum facta, atque flagitia probro, atque dedecori, Deo quodam modo esse, & per illa & ipsum quasi decrescere, ac humiliari, & sanctum eius nomen, ac gloria obscurati atque fœdari, à præfatis Patribus dici consueuit. Nam præfato loco Basi- D. Basil.
lius, cum dixisset Deum ab iis exaltari, qui vitam omnem ad vnius Dei gloriam componunt, subdit. *Qui viam ingreditur huic oppositam, quod nefas quidem sit dicere, quantum hic Deum in se ipso humiliet.* Origen.
Similiter Origenes post citata verba in id Virginis; *Magnificat anima mea Dominum;* addit. *Et quomodo crescit Dominus in nostra imagine, sic si peccatores fuerimus, minuitur, atque decrescit.* Eodem modo Cle- Clem. Alexand.
mens Alexandrinus illis verbis. *Magister, & seruator accipit vtilitates, & correctiones hominum ad propriam gratiam, & honorem;* hæc subiicit. *Sicut etiam damna, & offensiones, quas accipiunt ij, qui ipsi crediderunt, tamquam ingrati animi in se admissa crimina, propriaque probra, & dedecora existimat. Quod enim aliud probrum, ac dedecus Deum attinget?* Hæc Clemens. Ad cuius mentem Basilius de se ipso, sic ait, reg. 2. ex fusius disputatis. *Quæ omnia quandocumque mecum ipse considero, terribilis me quidam cum mentis consternatione horror inuadit, metuentem videlicet, ne si aliud agendo in rebus futilibus, ac vanis animum occupauero, à Dei charitate defectus, Christo dedecori sim.*

Huius argumenti plures sunt Scripturæ locutio- 10.
nes, vt Ezech.36.20. *Ingressi sunt ad gentes, ad quas* Ezech.36. 20.
introierunt, & polluerunt nomen sanctum meum, cum diceretur de eis. Populus Domini iste est, & de terra eius egressi sunt. Vndè statim subdit Dominus, *Et peperci* (dolens fui, tuue duelo) *nomini sancto meo, quod polluerat domus Israel in gentibus. Idcirco dices domui Israel, sed propter nomen sanctum meum, quod polluistis in gentibus, ad quas intrastis: & sanctificabo nomen meum magnum, quod pollutum est inter gentes.* Quæ omnia alibi latius explico. Similis est locutio Isai.52.5.
Isai. 52.5. Paulo etiam adducta ad Roman. 2. 24. Ad Rom. 2. 24.
Dominatores eius inique agunt, & iugiter tota die nomen Dei blasphematur, siue vt dictâ orat.3. libri de
oratione Dominica legit Nyssenus: *male audit inter* Nyssen.
gentes. Sic verò eum locum pendit Chrys. hom.14. Chrysost.
cum presbyter esset designatus. *Mala bestia est peccatum, non quidem in conserua corpora malum proferens, sed in ipsam Domini gloriam effundēs malitiam.* Propter vos, inquit, nomen meum cōuitiis afficitur
inter gentes. Sic ille. Similiter Nyssenus citato lo- Nyssen.
co. *Audiui, inquit, alicubi sacram Scripturam condemnantem eos, qui in causa sunt, vt Deo obtrectetur.* Væ, inquit, propter quos nomen meum male audit inter gentes. *Hoc autem tale est. Quivo dum sermoni veritatis crediderunt; eorum, qui fidem mystery acceperunt, vitam inspiciunt, & obseruant. Cum igitur nomen quidem fidei in aliquibus fuerit, vita verò nomini quasi obloquatur, & repugnet, quippe, vel per auaritiam simulachrorū cultui dedita, vel ebrietatum, & comessationum turpitudine fœdata, & more suis in luto luxuria immersa: statim in promptu infidelium sermo est, non in voluntatem, & institutum eorum, qui hoc sæculo, facultatibusque male vtuntur, sed in mysterium, quasi talia facere doceat, criminationem vertens.* Hæc & alia Nyss. ibi, ad cuius gustum, sed acriori morsu
Saluian. post multa in hanc sententiam, sic ait, lib.4. Saluian.
de Prouid. *Magna videlicet nobis prærogatiua de nomine Christianitatis blandiri possumus, quia ita agimus, & viuimus, vt hoc ipsum, quod Christianus populus esse dicimur, opprobrium Christi esse videamur.*

Oritur hinc nonnihil lucis obscuris Genes. 11.
verbis, c. 6.6. dum de Deo præ hominum peccatis Gen.6.6.
irato,

iratο,& velut tædio,ac dolore affecto, inquit Moses, *tactus dolore cordis intrinsecus*; vbi non id solum, negotium facessit, quod Deus tactus dolore cordis dicatur, cum nullum ipse ab homine nocumentum
Iob 35. 6. possit recipere, nam, *si peccaueris*, vt est apud Iob 35. 6. *quid nocebis ei*? Sed hoc etiam difficultatem auget, quod signatè dolore *intrinsecus*, dicatur affectus. Quid enim Deo intrinsecus possit aduenire? cum
Senec. nec *iniuriam Deo* (ipsomet gentili Seneca teste lib. 7. de benef.) *Sacrilegus possit facere, quem extra ictum diuinitas posuit*. Quid ergo aduerbio hoc significa-
August. tur? Forsan respondeat aliquis ex Augustino lib. 1. de decem Chord. c. 10 hæc sic pertractante. *Dicis, vnde iniuriam facio Deo, quia corrumpo me ipsum? Vnde facit tibi iniuriam, quia voluerit fortè lapidare tuam tabulam pictam, in qua tabula imago tua est, in domo tua inaniter posita ad vanum honorem tuum, nec sentiens, nec loquens, nec videns? Si quis illam lapidet, nonne in te esse contumeliam factam attendis? cum verò imaginem Dei, quod es tu, corruperis in te, non attendis, cuius imaginem violasti?* Bene quidem, sed hæc non omnino explicant illum dicendi modum: *tactus dolore intrinsecus*: cum iniuria tabulæ facta extrinseca prototypo sit. Ergo opportunius dixerit locutionem hanc, figuratam quidem, sed valde accuratam ad exprimendum præfatum Ambrosij, & Maximi sensum; hominem Dei interpretem, & explicatorem esse. Ea enim innuitur, peccatum, dum Dei imaginē in homine disturbat, ipsummet Deum probro afficere, cum ex imaginis deturpatione non possit non in prototypo peculiare dedecus refundi. Quam ad rem obseruanda est Hebræa lectio, quæ habet: *Dolore affectus erga cor suum*. Videlicet erga verbum suum, & natiuam bonitatis suæ imaginem, quod cum sit *in sinu Patris*, iure eius cor dicitur,
Ioan. 1. 18. Ioan. 1. 18. Ita signate Chaldæus reponens. *Pœnituit eum in verbo suo*. En, quid figurate sit: *tactus dolore cordis intrinsecus*, nimirum; non ea solū de causa doluit, quod homo se ipsum corrupisset, sed quod inde diuinæ imagini, siue Dei filio, ad cuius imaginem fuerat homo formatus, illa in hominum existimatione afficeretur ignominia. quod ex eius imagine expensus alius ab eo, qui infinitè sanctus, &
Nyssen. perfectus est, conciperetur. Ita omnino Greg. Nyss. in epist. de Profes. Christ. ad Harmon. his verbis. *Ponatur aliquis esse, qui artem pingendi profiteatur; atque huic imperari à Magistratu vt iis, qui procul habitant, Regis imaginem sculpat: si igitur turpem aliquam, & deformem speciem in tabula sculptam, imaginem Regis indecoram eam formam nominauerit; an non verisimile esset, indignaturam esse potestatem, quod pulchritudo principalis propter malam illam picturam vituperetur inter ignotos? Qualis enim in imagine species ostenditur, talem etiam formam principalem existimari, necesse est. Quocirca qualem vitam, quam iuxta imitationem Dei traduci, creditum est inter nos, viderit is, qui nondum mysterij rationem acceperit, tale nostrum quoque numen esse, existimabit*. Hæc, & multo plura in hanc rem Nyssen. Ex quibus non omnino abs re aliquis dixerit, tam homini proprium esse, ratione diuinæ imaginis, virtuti incumbere, vt peccatum non ideo malum, quia prohibitum; sed prohibitum, quia malum, & rationali naturæ dissonum sit. Verum id ad scholasticas disputationes spectat.

12. Ad Hebr. 6. 4. Sed & hinc intelliges, sub quo sensu Paulus ad Hebr. 6. 4. dixerit eos, qui prolapsi sunt, rursus crucifigere sibimet Filium Dei, & ostētui habere, nempe qui publice in peccata prolabuntur (sic enim capiendum est verbum, *prolapsi*, ac si dicatur, palam in peccata lapsi, siue qui in peccatorum sordibus aperto capite volutantur: habet enim eam vim præpositio, *pro*, simplici verbo adiuncta, vt in *profero, propono, proclamo*, & id genus aliis videre est) in causa sunt, vt Christus apud infideles blasphemetur, & ignominia afficiatur, non secus, ac cruci suffixus incredulorum blasphemiis, & opprobriis erat expositus. Adde ex publicis peccatis denuo à nobis Christum peccatoris imaginem perferentem quodammodo concipi, vti dixit Paulus 2. ad Corinth. 2. Ad Cor. 5. 21.
5. 21. *Qui non nouerat peccatum, pro nobis peccatum fecit*. Quam ad rem sic cum Christo crucifixo opportune locutus est Drogo, de Domin. Passion. Sa- Drog.
cram. *Fecisti ergo mihi de corpore tuo speculum animæ meæ. Nesciebam contumelias, & terrores, & colaphi-* Iob 6.
zantem me incessanter Sathanam, nisi viderem artem medicinæ tuæ, similia similibus curantem, & appendentem in statera. Hinc calamitatem tuam, illinc ini- Isai 50.
quitatem meam. Dedisti corpus tuum percutientibus, & genas tuas vellentibus, faciem tuam non auertisti à conspuentibus in te. Vt alapæ tuæ alapas meas remo- Psalm. 68.
ueant, & flagella flagellis expientur, & opprobria exprobrantium, quæ ceciderunt super te, auferant à me opprobrium sempiternum. Vel dicito illos rursus sibimet Filium Dei crucifigere; quòd quæ ipse tanto studio, tanto labore, & dolore in corpore suo damnauit, nam *de peccato damnauit peccatum in carne*, ad Rom. 8. 3. iterum approbent, atque confirment, & Ad Ro. 8. 3.
quæ ipse probauit, vituperent: ipsumque quasi frustra cruci fuisse suffixum, si non verbis, at vita & moribus testentur. Quæ verò Christo acerbior crux? quæ grauior ignominia?

Quam grauis autem (verba Saluian. lib. 4. de 13. Saluian.
Prou.) *ac singularis piaculi malum sit nomen Diuinitatis in blasphemiam gentibus dare, etiam Dauid beatissimi edocemur exemplo, qui cum per suffragia iustitiarum suarum æternam pro offensionibus suis pœnam per vnam tantum confessionem meruit euadere; huius tamen criminis veniam* (de temporali pœna intellige) *nec per pœnitentiam patrocinantem potuit impetrare. Nam cum ei errores proprios confitenti Nathan Propheta dixisset*, 2. Reg. 12. 13. Transtulit Deus 2. Reg. 12. 13.
peccatum tuum, non morieris, *subdidit statim*: verumtamen, quia blasphemare fecisti inimicos nomen Domini, propter verbum hoc, filius, qui ex te natus est, morietur. Ita ille. Quæ statim sic eleganter exornat. *Et quid post hæc deposito, scilicet, diademate, proiectis gemmis, exutis purpuris, remota omni splendoris regij dignitate, eum pro his omnibus, solitarius, gemens, clausus, sacco squalidus, fletu madidus, cinere sordidatus, vitam paruuli sui tot lamentationum suffragiis peteret, & piissimum Deum tanta precum ambitione pulsaret, sic rogans, & obsecrans obtinere non potuit, cum tamen quod fortissimum petentibus adiumentum est, & impetraturum se, quod sic à Deo peteret, credidisset*.

VERSVS XII.

Scire autem volo vos fratres, quoniam quæ circa me sunt, magis ad profectum venerunt Euangelij.

COMMENTARIVS.

SATIS clara, & conspicua sententia, qua Philippenses Paulus de suis rebus cer- 1.
tiores reddens affirmat tantum abesse, vt carcer, ac vincula ipsius Euangelicæ prædicationis cursum retardauerint, vt maximo potius Christianæ rei emolumento fuerint; inest enim

enim hæc vis illi aduerbio, *magis*, vt aduerfatiuæ rationem habeat, idemque fit, ac potius: ac fi dicat Paulus, potius ad profectum, quam ad detrimentum venerunt. Monet autem difcipulos ea de re Apoftolus, tum vt ipfos confoletur: apparet enim (ait Chryfoftomus) ob Pauli carcerem turbatos fuiffe, veritos Euangelij profectum eam ob caufam impediendum, ac pauciores deinceps Chrifto nomina daturos, fiue etiam eos, qui iam dediffent, pedem relaturos: tum etiam vt illos in Chriftiana fide confirmet, & fuo exemplo ad perfectam charitatem, & laborum tolerantiam promoueat. Vbi opportunè à Chryfoftomo, & Græcis egregia Pauli charitas, & morum comitas, & affabilitas adnotatur, dum in apice Apoftolatus conftitutus tam comiter, & vrbanè, tamque familiariter cum difcipulis de rerum fuarum ftatu agat. Vt verò id Paulo maximè dignum, ita & ipfi valde familiare. Quid enim in eius epiftolis, fi myfteria excipias, frequentius inuenias, quam huius affabilitatis, & comitatis perpétua figna? Sic Doctor, & magifter gentium focium fe omnibus adiungit, fic omnium fe feruum facit. Vnde hac epiftola, c. 2. 1. *Si qua focietas fpiritus*, & ad Philemon. verf. 9. *Si ergo habes me focium*. Et 1. ad Corinth. 9. 19. *Cum liber effem ex omnibus, omnium me feruum feci, &c. factus fum infirmis infirmus.*

Chryfoft. — *Inf. c. 2. 1. Ad Philemon. v. 9. 1. Ad Cor. 9. 19.*

2\. Nec folum ab egregia Pauli charitate, fed ab ipfius etiam dignitate, & munere blanda hæc confuetudo, & affabilitas ortum ducit: vnde Principibus viris eam maximè commendat Ambrofius, & Seneca, quod ad cumulum dilectionis illis comparandum mirificè faciat: fic enim ille lib. 1. offic. c. 7. de Moyfe verba faciens: *Quam miti fermone poft iniuriam appellabat populum, folabatur in laboribus, deliniebat oraculis, fouebat operibus, & cum Deo conftanter loqueretur, homines tamen humili, & grata appellatione affabatur.* Obferua illud, *cum Deo conftanter loqueretur*, vt nimirum Principes, & Dynaftæ conftantiam, atque feueritatem, non nifi erga maiores, aut fibi æquales oftendant, cum fubditis verò humaniffimè fe gerant. Sed pergit Ambrof. de Dauide. *Quid eius imitator fanctus Dauid, electus ex omnibus ad plebem regendam, quam mitis, & blandus, humilis fpiritu, fedulus corde, facilis affatu? Ante regnum fe pro omnibus offerebat, rex cum omnibus æquabat fuam militiam, & partiebatur* (fic lego, non patiebatur) *laborem, vt iuuenis; ad regnum etiam inuitus peteretur, refiftens cogeretur, fenex, ne prælio intereffet, à fuis rogaretur, quod mallent omnes pro illo periclitari, quam illum pro omnibus.* Similiter Senec. affabilitatem magnis viris cum inferioribus, nec non Dominis cum fuis met feruis, fic contulit, epift. 47. *Hæc præcepti mei fumma eft, fic cum inferiore viuas, quemadmodum tecum fuperiorem velles viuere, viue cum feruo clementer, comiter quoque, & in fermonem admitte, & in confilium, & in conuictum.* Et poft pauca. *Quid ergo? omnes feruos admonebo menfæ meæ: non magis, quam omnes liberos: erras fi exiftimas, me quofdam quafi fordidioris operæ reiecturum, vt puta illum mulionem, & illum bubulcum, non minifteriis illos æftimabo, fed moribus; fibi quifque dat mores, minifteria cafus affignat, quidam cœnent tecum, quia digni funt, quidam vt fint, fi quid enim in illis ex fordida conuerfatione feruile eft, honeftiorum conuictus excutiet.* Hæc ex Senecæ epiftolæ excerpta; vide, quæ intermittuntur, quæ plura funt, nec minus apta huic propofito. Ad quem etiam modum M. Tull. 2. offic. fcribit prudétiffimos Principes alios eiufdem fortis, quos bene vellent fedulo monuiffe, vt fe militibus, & fubditis familiares exhiberent. *Extant* (inquit) *epiftolæ Philippi ad Alexandrum, & Antipatri ad Caffandrum, Antigoni ad Philippum filium trium prudentiffimorum, quibus præcipiunt, vt oratione benigna multitudinis animos ad beneuolentiam alliciant, militefque blando appellando fermone deliniant.* Similiter apud Iofeph. lib. 8. Antiq. cap. 3. feniores Roboami confiliarij ftulto illi Principi fuadebant, vt comiter, & liberaliter cum populo ageret, & pofito tantifper regio faftu ad multitudinis gratiam fe accommodaret, vt vel hac arte capti homines illum amarent, quod natura ita comparatum fit, vt fubiecti delectentur regibus manfuetis, & de fuo faftigio nonnihil fe demittentibus. Adfimilis Plutarch mens, lib. de doct. Principum, vbi illos cum Deo in hanc fentétiam fic componit. *Qui Dei reuerens, iuftitiam tuetur, hoc eft Dei rationem geftat, nempe intellectum, non fceptrum, aut fulmen, aut tridentem, qua fpecie fe ipfos nonnulli fingunt, ac pingunt; ftultitiam fuam, quod videantur inacceffi, reddentes inuidiofam. Offenditur enim Deus iis, qui tonitrua, fulmina, radiorum iaculationes imitantur, delectatur autem iis, qui fuam æmulantes virtutem femet in honeftate, & humanitate reddunt adfimiles.* Ita Plutarch. Dixerat etiam paulò ante de illis, qui ab hac regia via deflectunt. *Plerique Reges, ac Principes parum cordati ftatuarios imperitos imitantur, qui credunt coloffos magnos, & amplos videri, fi tibiis vehementer diductis, fi latè diftentos, & hiantes finxerint. Nam hi quoque grauitate vocis, toruitate vultus, ac morum truculentia, fugaque confuetudinis humanæ maieftatem, & auctoritatem imperij fibi videntur imitari, nihil prorfus à colofforum fignis difcrepantes, qui cum foris heroicam ac diuinam quandam fpeciem præferant, intus pleni funt terra, lapide, plumbo.*

Ambrof. — *Seneca.* — *M. Tull.* — *Iofeph.* — *Plutarch.* — *Plutarch.*

Quæ circa me funt.

3\. NOTATV deinde digna ea periphrafis, qua vinculorum, & tribulationum fuarum meminit Paulus dicens, *quæ circa me funt*, pro quibus Ambrofius, & qui Græciffimi videri volunt, fenfu eofu eodem legunt, *quæ mihi acciderunt*, quo dicendi modo innuere videtur Apoftolus, labores, & vincula, eaque omnia, quæ ad corpus fpectant, fiue profpera illa, fiue aduerfa fint, nullo modo intra ipfum verfari, nec in eius animo cõfidere; fed circa ipfum, hoc eft, extra ipfum effe. Quem quidem dicendi modum etiam vfurpauit Sen. ep. 41. vt ea, quæ homini fortuito adueniunt, honores fcilicet, opes, & corporis formam, extra vera hominis bona computaret, fic enim ibi: *Nemo gloriari, nifi fuo debet, vitem laudamus, fi fructu palmites onerat, fi ipfa ad terram pondere eorum, quæ tulit adminicula deducit, nam quis huic illam præferet vitem, cui aurea vua, aurea folia dependent? Propria virtus eft, in vite fertilitas: in homine quoque id laudandum eft, quod ipfius eft; familiam formofam habet, & domum pulchram, multum fert, multum fœnerat, nihil eorum in ipfo eft, fed circa ipfum.* Ita ille. Similes ergo phrafes, fimiles dicendi modi Paulo, & Senecæ funt, dum hic bona, quæ vera bona non funt, Apoftolus verò mala, quæ in malis numerari non debent, extra hominem ponunt, multo tamen animofior, fortiorque Pauli locutio eft, quanto aduerfa hominum animos fortius pulfare, eofque frequentius deterrere, & infringere videmus. Sed de hoc alibi.

Ambrof. — *Senec.*

ADNOTATIO vnica.

Ecclefiam perfecutionibus crefcere.

1\. LIQVIDO ex his Pauli verbis conftat, rem Chriftianam tribulationibus magis proficere, maiorefque

maioresque fructuum prouentus Ecclesiæ segetem persecutionibus afferre. Tractauit hoc argumētum florida eruditione Iustinianus omnino videndus, ad egregia verò Clementis, Tertulliani, Nazianzeni, Hilarij, Ambrosij, Chrysostomi, Leonis, Theodoreti, & Bernardi testimonia, quæ ipse occupauit, nonnulla alia, vel ex iisdem Patribus, vel ex aliis adiungere, lectori opinor non erit omnino ingratum.

Iustin.

Et in primis ad hunc Pauli locum allusum, quis dixerit in illis Canticorum verbis, cap. 8. 8. *Soror nostra parua, & vbera non habet, quid faciemus sorori nostræ in die, quando alloquenda est?* Sic enim capit Rupertus eum diem, in quo Ecclesia *alloquenda est*, vt sermo sit de prima Christianæ Ecclesiæ persecutione sub Nerone, cum nimirum eius iussu, rationem suæ fidei, tam coram ferocissimo Principe, quam coram ipsius magistratibus Christiani reddere compulsi sunt; quæ quidem eo tempore, eaque ratione, & modo acta esse, quo Paulus hoc versu præscribit, indubitatum est. Sed nunc obserua, ita ibi de Ecclesia, quæ hoc fidei examen non subierat, dici *paruam esse*, quæ vbera non haberet, vt simul innuatur, tunc denique magnam futuram, plurimosque filios procreaturam, & lactaturam, cū primum persecutiones, & martyria passa fuerit. Quare ad ea verba, *vbera non habet*, in primis nota ex Honorio in id Cant. 4. 10. *Quam pulchræ sunt mammæ tuæ*, illud inter mammas, & vbera intercedere discrimen, quod mammæ de puellis, lac non habentibus, sed quæ habiles ad habendum sint: vbera verò de mulieribus, quæ lac iam habeant, eoque nomine ab vbertate appellentur, dici soleant: deinde pende lac ex puriori sanguine fieri, vt philosophi, & medici tradunt. Ergo tunc, *mammæ*, Ecclesiæ, in *vbera* conuertuntur, id est, tunc ipsa quam plurimos Deo filios gignit, & lactat, cum purissimum pro Christo sanguinem fundit: qui enim venis inclusus sanguis fœcundus non erat, pro Christo effusus lactescit, nouumque Ecclesiæ fœtum nutrit. Nec aliud mihi significare videtur, quod de nostro Paulo cum sanguinem pro Christo profudit Ecclesiasticæ tradunt historiç, nimirum ex illius ceruicibus præcisis vbertem pro sanguine venam lactis fluxisse, qua plurimos Deo filios, & ipsum in primis carnificem, qui illius caput absciderat, enutriret. Quod præ aliis ita luculenter retulit Ambros. serm. 68. de natal. Apost. Petr. & Pauli. *De Pauli vero ceruice, cum eam persecutor gladio percussisset, dicitur fluxisse lactis magis vnda, quam sanguinis, & mirum in modum sanctum Apostolum baptismi gratia in ipsa cæde extitisse splendidum potius, quam cruentum.* Simile quid in egregiæ virginis, & martyris Catharinæ actis perhibetur, & lac pro sanguine profudisse, & virginem martyrio fœcundam, ingentem filiorum numerum, singillatim verò quinquaginta Philosophos, qui prius, vt illam à Christiana fide dimouerent, ab Imperatore fuerant accersiti, Christo peperisse, vnde non ineleganter de ea nescio quis cecinit.

Cant 8. 8.

Rupert.

Honor.

Ambros.

Quinquaginta simul natos virgo vnica lactat
Vulnere, quis fluxus vberis vberior?

Isai. 60. 16. Vt vel hinc non incongruenter in hunc sensum capias illud, Isai. 60. 16. *Mamilla Regum lactaberis*: quibus enim potiori iure Regum nomen adscribas, quam Paulo, & egregiis Christi confessoribus, qui proprij sanguinis purpura resplendent?

2.
Cant. 2. 2. Chald. Paraphr.

Quam ad rem denuò expende eam Paraphrasis Chaldæi versionem illius loci, Cant. 2. 2. *Sicut lilium inter spinas*, hoc libro pluries repetitam. *Comparata sum rosæ, quæ germinat inter spinas, à quibus perforantur, & rumpuntur folia eius.* Vbi ideo Ecclesia germinare, siue in germina excrescere dicitur, quia vndique ab spinis persecutionum laceratur, & proprio sanguine rubescit. Ita Chrysost. serm. in Iuuentin. & Maxim. M M. *Enim verò, sicut plantæ rigatæ magis crescunt, ita & fides nostra oppugnata magis floret, & seditione agitata incrementa maiora sumit, neque horti aquis irrigati ita germinant, & fœcundi sunt.* Ita ibi, & homil. de ferendis opprobriis, & conuersione Pauli, to. 3. *Orsus est in discipulos, radicem prædicationis volens eximere, verum discipuli non erant radix prædicationis, sed Christus: quanto plures excidebant, tanto plures, & maiores pullulabant. Eiectus est Stephanus, & pullulauit Paulus, & illi, qui per Paulum crediderunt.*

Chrysost.

3.
Psal. 140. 7.

Illustrat hanc sententiam Regius Vates, Psalm. 140. 7. inquiens. *Audient verba mea, quoniam potuerunt, sicut crassitudo terræ erupta est super terram*, Pende singula, & in primis causalem illam, quamuis proprius spectet ad adnot. 1. vers. 14. *Quoniam potuerunt.* Sed obserua Augustinum, & alios legisse ibi: *præualuerunt.* Alios ex Hebræo, *quoniam dulcificata*, vel, *peculiari gratia condita.* Aquilam, *benè culta, parataque sunt*, veterem interpretem apud Chrysost. *Quia munita erant satellitibus.* Tandem alios. *Quoniam speciosa facta sunt.* Vbi in primis vides, ideo audita ab hominibus Dei verba, & in eorum cordibus præualuisse, quod quæ antea insulsa, indecora, amara, & infirma hominibus videbantur; postea decora, dulcia, firma, & manu valida armata, necnon etiam peculiari gratiæ suauitate condita reddita fuerint. At vnde is lepos, suauitas, & fortitudo? Audi August. *Merito audistis verba eius. Quoniam præualuerunt. Ducebantur, & occidebantur, cadebant, & stabant. Et quid est factum de tot mortibus Martyrum, nisi vt ipsa verba præualerent, & tamquam irrigata terra sanguine testium Christi, pullularet vbique seges Ecclesiæ?* Ergo à Martyrum sanguine prædicationi decor, & suauitas; imò armata manus, & fortitudo, vt rebelles sibi hostes debellaret. Sed ad segetis imaginem accommodatissima sunt, quæ sequuntur. *Sicut crassitudo terræ erupta est super terram*, pro quibus Quinta editio reposuit, *vt qui bene colit, & fodit in terra*: vt sit sensus. *Nisi granum cadens in terram, mortuum fuerit, ipsum solum manet: si autem mortuum fuerit, multum fructum affert.* At enim verò peculiaris venustas, & vis imagini, quam noster Vulgatus vsurpauit, inest, quam sic versat indidem August. *Et quid factum est de mortibus sanctorum? sicut crassitudo terræ disrupta est super terram. Quid est crassitudo terræ? nouimus crassitudinem terræ contemptibilia quæque esse: quæ sunt quasi contemptibilia hominibus, fœcundant terram. Nam dictum est in quodam Psalmo, iacuisse mortes sanctorum, & non fuit, qui sepeliret, sed illæ omnes mortes factæ sunt crassitudo terræ. Quomodo accipit terra quandam pinguedinem de rebus contemptibilibus, & abiectis: sic ex eo, quod contempsit hic mundus, accipit crassitudinem terræ, vt inde seges Ecclesiæ feracius pullularet:* vbi, quis non clamet ad Deum, atque exclamet cum Cassiod. lib. de anima, cap. 19. *Vere omnipotens, qui & ipsas miserias fecisti potentes.*

Aug.
Lect. Heb.
Aquil.
Chrysost.

August.

Q. Editio.
Ioan. 10. 24.

August.

Cassiod.

Similis locus apud Daniel. 8. 12. vbi de Rege Antiocho ferocissimè in Dei populum sæuiente, inquit: *Robur autem datum est ei contra iuge sacrificium, & prosternetur veritas in terra, & faciet, & prosperabitur:* vbi rectè id obseruante Maldonat. extrema hæc verba: *faciet, & prosperabitur*, in Hebræo fœminini sunt generis, ac proinde iuxta literam vix valeant ad Antiochum, (præter quam in accommodato sensu de prosperitate humanū animum eneruante, quem alibi persequor) sed ad veritatem potius referri, vt sit sensus, fore, vt veritas in terram deiecta 4.

Dan. 8. 12.

Maldon.

deiecta habeat se ad modum seminis, quod inde fructum faciat, & magis multiplicetur, sicut fœnum græcum, quod pedibus protritum felicius prouenit. Apto hic verba Prosperi lib. 2. de vocat. Gent. cap. 5. de ipsis Pauli temporibus sic scribentis: *Fremebant Gentes, irascebantur Populi, sæuiebant Reges, & Potestates; contradicebant superstitiones, & totius mundi reluctabantur errores, sed de resistentibus furentibus, persequentibus, populum suum Christus augebat, & per vincula, ac supplicia, mortesque sanctorum roborabatur fides, vincebat veritas, perque vniuersum mundum Dominici agri segetis multiplicabatur vbertas.* En veritatem prostratam, atque in terram deiectam, prosperatam, ac victoriam obtinentem. (Prosper.)

5. Sed in præfato Danielis testimonio rursus expendo verbum illud, *faciet*, pro quo ponendum videbatur, *patietur*, cum de veritate in terram prostrata, & calcata sermo sit: sed appositè eam tolerantiam, non tam passionem, quam actionem appellauit Vates, indicans, tunc facere, viresque potissimum exercere veritatem, & fidem, cum persecutionem patitur. A quo non it flammæ metaphora à Chrysost. & Cyprian. vsurpata. Quorum prior hom. 16. ad populum, sic exclamat. *O miraculum serui vincti, Dominus crucifixus & prædicatio quotidie crescit, & per quæ putabatur opera prohiberi, per hæc accensa est.* Similiter Cyprian. lib. de laudib. Martyrij. *Mors quippe integriorem facit, mors magis deducit ad gloriam. Sic quotiescumque latent stipulis distenta imbribus frumenta, turgescunt fœcundæ messes, coguntur æstate, sic quoties ferro vitis abscinditur, erumpentibus pampinis melius vua vestitur. Nam in augmentum prouenturi temporis, quidquid iniuria sua proficit. Flammas quippe plerumque agris iuuit immittere, quo calore vagantis incendij cæca terræ spiramenta laxentur; iuuit leues stipulas crepitanti igne torrere, vt se in altius granida seges tollere parturientibus culmis densior arista valeat florere. Igitur talis, & Martyrij casus, postmodum fructus est.* (Chrysost.) (D. Cypr.)

6. Quam sanè ad rem illud etiam facit, quod de Luna, quæ Ecclesiæ imago esse dicitur Cant. 6. 9. sic inquit Ecclesiasticus, cap. 43. 7. *A Luna signum diei festi.* Sed quare? subdit: *Luminare, quod minuitur in consummatione*, hoc est, vt clarius habet Lectio Tigurina: *Luce decrescente donec deficiat.* En signum diei festi. Sed vnde locus? Addit Sapiens, *Crescens mirabiliter in consummatione.* Vbi Glossa: *Ecclesia in persecutione videtur minui, sed in parte clarescit, crescit enim mirabiliter in consummatione.* Sed elegantius Ambros. lib. 4. in Hexam. cap. 2. de Ecclesia, inquiens. *Videtur sicut Luna deficere, & non deficit, obumbrari enim potest, deficere non potest, quæ aliquorum quidem persecutionibus discernitur, non minuitur; vt Martyrum confessionibus impleatur, & effusi pro Christo sanguinis clarificata victoriis, maius deuotionis ac fidei suæ toto orbe lumen effundat.* Et eod. lib. cap. 8. *Ecclesia sicut Luna defectus habet, & ortus frequentes, sed defectibus suis creuit, & iis meruit amplificari, dum persecutionibus minuitur, & confessorum martyriis coronatur.* (Cant. 6. 9.) (Eccl. 43. 7.) (Lect. Tigur.) (Gloss.) (Ambros.)

7. Nec latebat id ipsosmet hostes, qui dubij, & hæsitantes de Apostolis post inflicta sibi vulnera ardentius, & maiori prouentu Christum annunciantibus dicebant. *Quid faciemus hominibus istis?* Actuum 4. 16. ac si dicerent, inquit Chrysost. hom. 7. de laudib. Pauli; *per quæ enim eos opprimere volumus, per ea ipsa prouehimus.* Vnde statim Chrysostom. *Quæ putabantur impedimenta prædicationis, fortia erant auxilia.* Aptanda his, quæ habet Origen. homil. 9. in Exodum, dum huic rei accommodat id Exod. 1. 12. de filiis Israel à barbaro Rege hostiliter oppressis. *Quantoque opprimebat eos, tantò magis multiplicabantur, & crescebant.* Et quæ Hieronym. in cap. 27. Ezechiel. lectori videnda. Ego hæc ex Lucifero Calaritano, dum lib. *Moriendum esse pro Dei Filio*, in Constantium Imperatorem in Catholicos sæuientem grauiter inuehitur, minime omittam. *Aduertis? quomodo caduca dominatio tua, quanto contra nos sæuire dignatur, tanto ea iudicetur esse infirma, contemptibilis, inanis, debilis, & abiecta: furore enim, & scelere concitata manus tua ad perimendum nos, quoties præualuit, toties nos creuisse, & magis, atque magis victores extitisse meminimus.* Ergo, *aduersus Ecclesiam* (Bernard. serm. 29. in Cant.) *pugnatum est hostili animo, damno vtili.* Hæc tu, vel alicui signatè religioni, vel personæ, & animæ potissimum etiam accommodes. (Act. 4. 16.) (Chrysost.) (Origen.) (Exod. 1. 12.) (Hieron.) (Lucifer.) (Bernard.)

VERSVS XIII.

Ita vt vincula mea manifesta fierent in Christo in omni prætorio, & in cæteris omnibus.

COMMENTARIVS.

Tria circa hæc verba, in quibus Paulus modum, quo res Christiana per vincula sua profecerit designat, examinanda occurrunt. Primum, quid significet cum ait: vincula sua manifesta fuisse. Deinde dubites, quo sensu accipiendum sit illud, *in Christo*, vel quibus cum verbis coniungendum? Tandem quid prætorij nomine significetur?

Quoad primum concors expositio interpretum est illis verbis: *manifesta fierent*, significare Paulum, occasione vinculorum, in quæ ob Christi fidem fuerat coniectus, in Regiam Neronis aulam Euangelij famam illatam esse, quasi rei Christianæ profectum in eo ponat, quod Euangelij notitia non modo plebeculam, & vulgus, sed etiam ad Cæsaris & ipsius familiarium, necnon & Romanorum Magistratuum aures percurrerit, non leui quodam rumusculo, sed adeo ingenti, vt nisi obdurato animo essent, facile sibi potuerint persuadere, vera omnia, quæ de Christo enunciabantur, esse. 1.

In Christo.

Censet Iustinianus posse hæc coniungi, vel (traiectione quadam tolerabili) cum vinculis, vt sit sensus, vincula in Christo, id est, quibus propter Christum constringor. vt ad Ephesios 4. 1. *Ego vinctus in Domino*, in quod etiam inclinant Anselmus, Theophylactus, Estius, Cornelius, & alij: vel cum præcedentibus, *manifesta fierent*, vno, & altero sensu; primo vt idem sit, ac Christi consilio, & prouidentia; quæ fuit etiam explicatio Theophylacti. Secundo, vt significetur ad Christi gloriam. 2. (Iustinian.) (Ad Ephes. 4. 1.) (Anselm.) (Theoph.) (Estius.) (Cornel.)

In omni prætorio.

Præter Ambrosianum; qui omnino aberrauit ab scopo, dum per prætorium intellexit Iudaismum, & id *in cæteris omnibus*, ad omnes gentiū Ecclesias retulit, omnes pene interpretes Chrysostomum secuti de aula Neronis exponunt, iuxta vsum loquendi Græcorum, vt inquit Iustinian. Conatur verò Sedulius peculiarem afferre rationem, cur 3. (Ambros.) (Chrysost.) (Sedul.)

cur aulæ regum prætorij nomine appellentur his verbis. *In domibus regum vbi prætores esse solent.* At enim verò Latini etiam absolute sub aulæ significatione nullo ad prætores respectu, frequentiùs eam vocem vsurpant. Sic enim de Augusto Sueton. cap. 72. *Ampla, & operosa prætoria grauabantur, & neptis quidem suæ Iuliæ profusè ab ea structa, etiam diruit ad solum.* Vbi Iuliæ prætoria, in quibus non est, cur prætores essent, palatia vocantur. Adde Hieronymi locum lib. 1. aduers. Iouin. Diogenis dolium, sic lepidè prætorium, hoc est, aulam, siue Regiam ædem appellantis. *Cumque se contorqueret in dolio, volubilem se habere domum iocabatur, & se cum temporibus immutantem. Frigore enim dolij os vertebat in meridiem, æstate ad septemtrionem, & vtcumque se Sol inclinauerat, Diogenis simul prætorium vertebatur.* Sed hac de re multi multa habent, illud ego non omittam, quod prætorium aulam significare maximè confirmat, nempe, eum, qui Græcis est, ἔπαρχος αὐλῆς, id est, Præfectus aulæ, à Latinis Præfectum prætorij appellari. Similiter ea verba, *in cæteris omnibus*, de locis, & vicis vrbis Romæ communiter accipiuntur, quamuis nonnulli, quod in Græco non sit præpositio, *in*, malint ad personas referre; & quod mireris, vtrique auctores pro sua opinione citant Chrysostomum. Sed rectè inquit Iustinianus Chrysostomum apertissimè docere iis verbis vniuersam vrbem Romanam designari.

4. Sunt quidem hæc omnia valde probabilia, iuxta quæ illud obserua tam serò ad aures Principum res sanctas, & salutares deuenire, quam citò eorum nuntia deferri, quæ ad peccandum illiciunt, vt in Herode, & in Abimelech facile vtrumque est videre: Iam enim Christus Ierosolymam, & Iudæam pene infinitis, iisque quæsitissimis signis impleuerat, cum Matthæus, cap. 14. 1. vt rem omnino recentem, inquit, *In illo tempore audiuit Herodes tetrarcha famam Iesu*; contendentibus verò inter se interpretibus, quid fuerit in causa, quod ipse tam sero Christi res audierit, optimè respondent Chrysostom. & Theophylact. quia res bonæ, & sanctæ sero ad domos, & aures Principum perueniunt. Contrà verò vix Ægyptum cum pulchra vxore sua Sara ingressus Abraham fuerat, cum Pharaoni formosissimam fœminam ad eius vrbem aduentasse delatum est. Sic enim Genes. 12. 14. *Cum itaque ingressus esset Abram Ægyptum, Ægyptij mulierem, quod esset pulchra nimis, & nunciauerunt principes Pharaoni, & laudauerunt eam apud illum*: percurrerat ergo Christi fama iam diu Romanam vrbem, vt ex historiis Ecclesiasticis, necnon ex epistola, quam multò ante ad Romanos Paulus scripserat, liquido constat, & tamen ad Neronis, & eius familiarium aures felicissimum hoc nuntium non peruenerat.

Sueton. Hieron. Matt. 14. 1. Gen. 12. 14.

5. Sed si verum fateor, in præfato explicandi modo non plene quiescit animus, quod hæc verba sic exposita non benè cum sequentibus hæreant: subdit namque quasi in ipsorum confirmationem Apostolus, *& plures è fratribus confidentes vinculis meis auderent sine timore verbum Dei loqui* Quæ videntur innuere efficaciorem aliam causam, à qua proueniret noua illa Christianorum fidentia, & ausus, quam esset nuda manifestatio Euangelij in aula Cæsaris, vtputa egregius aliquis ex illa manifestatione effectus subsecutus. Quare non reticebo, quod circa Græcum fontem animus suggerit, non displiciturum fortassis alicui.

6. Alius ergo se prodit horum verborum sensus ex Græca lectione petitus, nam pro voce, *manifesta*, Græce est, φανερὰς, quæ vox, quamuis etiam significet, quod manifestum est, at sæpius metaphoricè accipitur pro *re clara, celebri*, & *illustri*, à φάνος, id est, *lucidus*, & *splendidus*, φάος, enim, & φῶς, sunt lumen, & lux, à quibus forsan Hispane dicitur, *Farol*; in qua significatione, cum Paulus ait, vincula sua manifesta esse, non tam videtur loquutus de causa vinculorum, quæ tunc Principi, & magistratibus innotuerit, quam de splendore, & luce, qui ob Pauli constantiam vinculis eius obuenerit; quasi dicat, tantum abest, vt aliquid Euangelio ob mea vincula deperierit, vt ipsa potius splendorem illi, & lucem dederint. Sane cum Paulus Imperatori, & ipsius ministris ob Christianam fidem sisteretur, sic se gessit, ita intrepide, & animosè Euangelium enunciauit, adeò sapienter, & enucleatè, tamquam potestatem habens de ipso rationem reddidit, tam fortiter, & audacter iudicibus, & ipsi Cæsari flagella, ignes, gladios, & mortes minitantibus respondit, *quia oportet magis obedire Deo, quam hominibus*. Denique tam alacri, & libenti animo vinculorum ignominiam, & molestiam pertulit, vt nonnullos è Cæsaris domo in Christi fidem traduxerit, cunctos in admirationem rapuerit. Hac autem tam egregia constantia, tam eximiaque fortitudine in summis procellis vinculorum, minarum, suppliciorum, & mortium impendentium, quidni vincula Pauli illustrissima, & celeberrima fierent?

Græc. lect.

En quæ mihi succurrebat explicatio huius loci, quam si probares, eadem opinione, siue errore ductus deberes explicare, nec extra mentem, & vsum Pauli illud, *in Christo*, vt idem esset, ac *per Christum*: siue per Christi gratiam, vt velit Paulus, eam claritatem, celebritatem, & splendorem suorum vinculorum, non ab ipsius meritis, aut virtute, sed à Christi gratia, & auxilio dimanasse. Hæc quominus determinato affectu omnino amplector illud in causa est, quod non omnino congruunt cum voce, *manifesta*, quam Vulgatus posuit, nisi aliquantò duriuscule eandem in illâ, quam in Græco metaphoram latere velis. Optio lectori datur, quam maluerit, eligat. Nos ex vtraque expositione aliqua deducamus. 7.

ADNOTATIO I.

Quanta libertate, & fortitudine rationem fidei coram Nerone Paulus reddiderit.

FORTISSIMVM plane, ac adamantinum Pauli animum ostendunt præfata verba. Multis enim ipsi tunc temporis, vt de re Christianâ pro dignitate rationem redderet, erat opus. Illud in primis, vt ingenti ore loqueretur, nec enim quæuis vox, nisi robustissima Neronis aures potuisset penetrare; is namque Principibus mos est, vt qui libidinis, aut fraudum suarum ministros auribus adiungunt, & agglutinant, quò melius sibi venenum improbitatis instillent, sanctos, & bonos viros, non nisi eminùs, ac de longinquo loquentes audire velint. Ita id adnotauit August. lib. 2. quæst. in Exod. quæst. 16. ad illa verba Moysi ad Deum, Exodi 6. 12. *Quomodo audiet Pharao, præsertim cum incircumcisus sim labiis?* Vbi ipse Græcos codices secutus, legit: *Ecce ego gracili voce sum*; quæ sic opportunè explicat: *An fortè regius fastus non permittebat eos de proximo loqui?* Facit illud Iacobi 2. 2. *Si introierit in conuentum vestrum vir annulum habens in veste candida, introierit autem pauper in sordido habitu, & intendatis in eum, qui indutus est veste pulchra, & dixeritis ei, tu sede hic bene, pauperi autem dicatis, tu sta* 1.

August. Exod. 6. 12. Iacob. 2.

illic,

illic, *&c.* Vbi similiter obserua non mediocrem etiam modestiam, & animi demissionem Euangelico Doctori, ac concionatori opus esse, cui coram Principibus non sedere, sed humiliter stare præscribitur. Ei enim, qui indutus est veste pulchra dicitur. *Tu sede hic bene*, pauperi autem: *Tu sta illic.* Ita
Prou. 1. 20. LXX. quidem, Prouerb. 1. 20. vbi dicitur. *Sapientia foris prædicat, in plateis dat vocem suam:* Lxx. addunt: *& in portis Dynastarum astat.* Ecce sapientiam, *stantem illic*, ad eum planè modum, quo Regius Vates Deo
Psalm. 5. 5. se adstiturum dicebat, Psalm. 5. 5. *Mane astabo tibi.* Nec enim secus tractari, se Dynastæ à religiosis viris sinunt, quam à seruis suis Deus, atque ideo, vt
Ezech. 30. 13. alibi tracto, apud Ezech. 30. 13. *Optimates populorum*; appellantur, *idola*, ac *simulachra*. Sed enim si verum fateor, bene quidem, & comiter cum Doctoribus, & diuini verbi præconibus ageretur, si vt Deus cum suis: ita Principes cum illis se gererent. Nam Dei quidem serui, ipsimet Deo, concionatores vero, & Ministri Euangelij non ipsis principibus, & Dynastis, sed illorum portis, & cancellis adstare dicūtur, si fortè illis facultas sit introrsum ingrediendi. Vt videas quam magna illis patientia, quam perdura tolerandi consuetudo sit pernecessaria. Sic So-
Lucian. phista Lucianus non sophisticè, sed verè virtutem ad Palatij fores excubantem, continuoque, sed frustrà pulsantem facit, dum Rex Iuppiter de aqua cucurbitis diuidenda, & lite inter papiliones, & vespas de numero alarum componenda serio, multumque ac diu cogitat.

2. Sed enim, deinde tum animo terrenarum rerum amoris experte, tum fronte forti, & libera, vt de testimoniis Dei in conspectu regum loquens non confunderetur, Paulo fuit opus. Nimirum, vt Regiam maiestatem, potentiam, honores, diuitias, & sæculi pompas nihili faceret, quominus Christi Euangelium nō fucatum, sed purum putum annun-
Prou. 25. 26. ciaret, sic monente Salomone Prou. 25. 26. *Fons turbatus pede, & vena corrupta iustus cadens coram impio.* Quæ eò potissimum spectare crediderim phrasi illa, *cadendi*, ex Hebræo perpensa, vt proposita similitudine fontis, qui limpidissimam aquam fundat, in quem si aliqua prægrandis bestia pedem mittat, omnino turbatur, & sordibus, & puluere ita commiscetur, vt impuram iam, & sordidam aquam reddat, moneat Salomon concionatorem, & Doctorem, qui magnam fortunam sæcularium Principum admiretur, & in pretio habeat, pristinam doctrinæ puritatem, & loquendi libertatem, vtpote, cuius oculi externa sæculi claritate præstringantur, non retinere, sed salubrem deinceps doctrinam in turpem adulationem commutare, vel blandis ser-
Hilar. monibus, & lenociniis delinire. Ita quidem Hilar. in Psalm. 14. dum elucidans ea verba, *Ad nihilum deductus est in conspectu eius malignus*, hanc spiritus libertatem exigens, dixisset. *Non oportet humilitatem carere constantia, & libertas Dei à nobis in ea, quam omnibus debemus seruitute, retinenda est, ne ad potentiarum impetus terreamur, ne ad maleuolorum arbitria cedamus*, subdit. *Interdum enim etiam regibus iniqua poscentibus turpi adulatione famulamur, & vitiis alienis conscientia nostra infirmitate blandimur.*
Phil. Hinc optime Philo lib. Quis rer. diuin. sit hæres: *Sunt profectò admiranda virtutes, vel fiducia, vel sermonis libertas aduersus præstantiores, quando res eam postulat.*

3. Equidem hac ratione Isaias semetipsum, tamquam polluta labia habentem grauiter reprehen-
Isaia 6. 5. dit, inquiens, cap. 6. 5. *Væ mihi, quia tacui: quia vir pollutus labiis ego sum.* Sed cur sanctus Propheta
Gloss. inter. pollutus labiis dicatur? Respondet Gloss. Interlinear. *Quia Oziam, & alios libere non reprehendi ideo cum Angelis Deum laudare non merui, & timeo ne dicatur mihi. Quare tu enarras iustitias meas* Psalm. Psal. 49. 16.
49. 16. Sed enim, cum postmodum diuina visione confirmatus vates, & ignito calculo mundatus, ad leges Euangelici concionatoris se composuit, adeò Regis Manasses maiestatem, imò amicitiam, & consanguinitatem despexit, vt tandiu egregia animi libertate in obiurgatione idololatræ Regis perdurauerit; quamdiu ab ipso ferocissimo rege, atroci feritate à capite per aures dissectus, ad increpationem non vnus, sed duplex extiterit, vti de ipso ita eleganter inquit S. Zen. Veronens. serm. de Martyrio S. Zen.
Isai. fine. *Propheta tamen egregius, & illustris inter resupinatos sectores, & pendulos, tamdiu immobili & inconcusso corporis durauit statu, quamdiu duo esse inciperent, qui figuras gentium (idola) cum suo persecutore damnarent.*

Præterea, cui non videatur difficile, Neronem 4.
in suamet aula facie ad faciem conuenire, ipsumque non modo falsæ religionis, sed grauissimorum etiam criminum arguere; cum veritas idem, ac arcus apud Dauidem sit, Psalm. enim 59. 6. vbi nos Psal. 59. 6.
habemus: *Vt fugiant à facie arcus*: Hebræi legunt, *à facie veritatis.* Si inquiras, quid inde discriminis veritatem annunciantI, siue quæ veritatis cum arcu similitudo sit? Respondebo ideo veritatem cum arcu componi, quod vt commode dum longius, & in tuto sumus, ita magno discrimine coram, & è vicino veritas denunciatur; sic arcu secure, ac iucunde in longinquum sagittas mittimus, timide verò, & periculosè in scopum prope positum iacimus, cum resilire telum soleat, & sagittarium repercutere. Nec apud Nerones tantum id verum est. Certè cum monachus quidam martyrij amore succensus ad Soldanum abiisset, ab eo rogatus quorsum venisset? Respōdit: vt mortem inueniam veritatem tibi prædicando; tunc Soldanus, ito ad Principes tuos prædicare illis veritatem; & mortem, quam apud me quæris, apud illos inuenies. Refert id Mart. del Rio, Martin. del
tom. 2. Adag. ad cap. 9. Ecclesiastes, ex Michaele de Rio.
Palario: addit verò de suo, post Soldani dictum. *Nimis verè.*

Hinc Moysi ituro ad concionandum corā Pha- 5.
raone, illud in primis præcipitur, Exod. 3. 5. vt cal- Exod. 3. 5. Ambros.
ceamentum soluat, hoc est, Ambros. interprete lib. 7. in Luc. vt mortis metum abiiciat (sunt enim calceamenta mortis typus, quippe quæ ex pellibus animalium mortuorum fiant) ac concionandi munus à Deo sibi iniunctum animosè, & fidenter aggrediatur. Planè quasi ij, qui ad Reges sunt verba facturi, vt vni litent veritati, morti sese deuotos existimare oporteat. Nam si eorum minæ sunt extimescendæ, actum quidem erit de Euangelica veritate, & disciplina, vti Cornelio his verbis dicebat
Cyprian. ep. 3. *Quod si ita res est, frater, vt nequissimorum timeatur audacia, vt quod mali iure, atque æquitate non possunt, temeritate, atque desperatione perficiant, actum est de Episcopatus vigore, & de Ecclesiæ gubernandi sublimi, ac diuina potestate, nec Christiani vltra, aut durare, aut esse possumus, si ad hoc ventum est, vt perditorum minas, atque insidias pertimescamus.* Cyprian.
Vnde rursus Hilarius præfato loco magis premens Hilar.
illud Vatis. *Ad nihilum deductus est in conspectu eius malignus*, vt maligni nomine is significetur, qui noxium se, & hostem fore cōminatur, nihili tamen de ipso, & de eius minis curandum esse, sic monet: *Oportet istiusmodi hominem apud nos non alicuius sed nullius esse iudicij, vt sit nobis abolitus, interemptus, spiritalia enim tractantē, & cœlestia continentem decet humana nequitia despicere monita, & animo sublimi, & excelso*

& excelso istiusmodi maleuolentiæ, tamquam nullius opinari.

6. Vides difficultates, pericula, scopulos, Syrtes, hinc Scyllam, illinc Charibdim regiis cõcinnatoribus imminentes? at enim verò nihil hæc omnia obfuere, quominus Euangelium cum omni fiducia, & in apertione oris Paulus prædicaret, Imperatoresque Romanæ Reipubl. religionem, ac Numina publicè in ipsamet Neronis aulâ conuelleret. Sanè is Apostoli mos erat, vt dum de priuatis eius rebus ageretur, obmutesceret, omnesque, quæ ipsi imponerentur, calumnias, siue quæ ab aduersariis inferrentur, iniurias, & vulnera patientissime ferret; at verò dum religionis diuinique honoris causa tractaretur, vehementius excandesceret, magnâque libertate, & animositate loqueretur, ad eum quidem modum, quo sibi formabat Ezechielem Dominus, cum illum ad prophetandum suo nomine mitteret, faciem nimirum illi ex adamante, siue etiam ex magnete (vt ad cap. 2. vers. 21. adnotat. 1. ex Marino Brixiano trado) & ex silice compactam tribuens, *vt adamantem, & vt silicem dedi faciem suam.* Ezech. 3. 9. Atquam dissimilis naturæ hi lapides sunt? Quid enim adamante perfectius patientiæ symbolum, vt Cyprianus ad martyres pendit? quantumuis enim percutiatur, & obtundatur, perfert, silet, nullumque non tolerantiæ signum edit. Quod si pro adamante legas magnetem, non erit inelegantior mansuetudinis, ac mitissimi ingenij significatio. Quid enim hoc lapide indulgentius? quid blandius? qui vel ipsum ferrum ad se allicit, & amplectitur? At quam aliter silex se habet, quam citò primo ictu excandescit, quantum ardet, quam flammantes scintillas spirat? Quî ergo sibi hæc Vatis facies constet? Sanè, vt hæc nobis documento sint quam aliter Dei minister se habere debeat, dum diuina negotia, ac cum propria sua tractat, vt videlicet cum iniuriis, contumeliis afficitur, qua priuatus est, v.g. quà Paulus sileat, obmutescat, & *in silentio, ac spe*, fortitudo eius sit: at cum in iis, quæ ad Dei cultum, & honorem spectant, lacessitur, prosiliat in medium, firmis lateribus respondeat, excandescat, scintillas emittat, adstantesque illuminare, atque etiam inflammare contendat.

Ezech. 3. 9. *Cyprian.*

7. *Matt. 5. 13.* Nec alia quidem salis significatio, cui Christus Apostolos, ac ministros suos, Matth. 5. 13. comparauit, esse videtur. Quid enim sale in aquam, aut in cibum immisso, cui vsui aptus natus est, mitius, aut mollius? cum ibi liquefiat, & deliniatur; at si ipsum in ignem coniicias, quid illo fortius, & iratius? qui ingenti strepitu edito, ne saliat, salit, in faciem resistit, ac minas intentat. Ab hoc non longe it, quod Gregor. Nazianz. orat. 31. dicebat, inde sibi omnino persuasum legitimum pro Christo bellum gerere, quod ad illius morem pugnaret iam miti, ac pacato ingenio, iam forti, firmoque animo pro rerum exigentia veræ doctrinæ auxilium præbendo. Sic enim ille. *Verum nos pro Christo bellum gerere, hoc argumento planum facitamus, quod secundum Christum, qui mitis, ac pacatus est, atque infirmitates nostras portauit, dimicamus. Nam nec in vera doctrina detrimentum paci studemus, nonnihil de animorum contentione remittentes, vt facilitatis, & mansuetudinis famam colligamus (non enim quod bonum est male aucupamur,) & rursum pacem colimus, legitime pugnantes, atque intra limites nostros, spiritusque regulam nosmet continentes.*

Nazianz.

8. Qua quidem de causa tam Apostoli, quam Euangelici ministri in scripturis duplici scutorum, & boum imagine significantur; priori quidem dum labores, & persecutiones perferunt, egregiumque in illis reddunt testimonium: sic 1. Regum 2. 8. vbi nos legimus: *Domini enim sunt cardines terræ*, ex Hebræo verti potest: *scuta terræ*, nec dubium, quin de Apostolis sermo sit; posteriori verò, vt Christianam messem colunt, & aratro prædicationis Ecclesiæ campos proscindunt. Sed nunc obserua, quam diuerso metalli genere vtrumque Apostolorum symbolum in templo constructum fuerit. Erant enim scuta aurea; boues vero ænei; ingenti hoc inter ea metalla discrimine, quod aurum, vt obseruãt interpretes, præsertim Galfridus in allegoriis Tilmani ad libros Regum *percussum silet*, æs verò ita sonorum est, vt clarissimas voces edere dicas; quæ eo fane eunt, vt significetur Dei ministros in propriis iniuriis non secus, ac scuta aurea patienter silere ad eius exemplum, *qui cum malediceretur, non comminabatur*: 1. Petr. 2. 23. in Dei verò causa ingentes voces, atque mugitus, vt ænei boues emittere. Ita sub persona Basilij, eum Præfecto colloquentis Gregor. Nazianz. oration. de laudib. Basilij. *Nam cæteris quidem in rebus, ô præfecte, mansueti, & placidi sumus, atque omnium abiectissimi, quemadmodum hoc nobis lege præscriptum est, ac non dicam aduersus tantum imperatorem, sed ne aduersus plebeium quidem quemquam, & infimi ordinis hominem supercilium attollimus. Verum vbi Deus nobis periclitatur, ac proponitur, tum demum alia omnia pro nihilo putantes ipsum solum intuemur. Ignis autem, & gladius, & bestiæ, & vngulæ carnem lacerantes voluptati nobis potius sunt, quam terrori.* Sic apud Greg. Basilius.

1. Reg. 2. 8. *3. Reg. 7. 19.* *3. Reg. 14. 16.* *1. Pet. 2. 23.*

9. Quo eunt Pauli monita ad Timotheum, & ad Titum. *Nemo adolescentiam tuam contemnat.* 1. ad Timoth. 4. 12. *Nemo te contemnat.* ad Titum, c. 2. 15. vt nimirum, qui concionatoris, siue Doctoris officium suscipit, ita se gerat, vt despici, aut contemni se non sinat; vnde Chrysost. hom. 13. eum interrogasset. *Sed vbi modestia, aut mansuetudo Sacerdotis eluceat*, si semper in honore sit, neque contemptui pateat? sic respondet. *In his quidem, quæ ad se pertinent, si contemnatur, constantissime ferat: ita enim per patientiam virtus prædicationis ostenditur. Verum in his, quæ aliorum tangunt salutem, contemptus omnino non pateat: id quippe nõ mansuetudinis est, sed stultitiæ. Nam si quidẽ iniurias in se, si maledicta, si insidias vlcisci velit, recte omnino culpabitur. Verum vbi alienæ salutis negotium agitur, imperio omnino vtatur, atque ex culmine auctoritatis, ne quid noxium immineat gregi, summa cura prouideat, neque enim hoc in loco mansuetudine, sed auctoritate opus est vti, ne Ecclesiæ vtilitas pereat.* Hactenus ex Chrysostomo. Quæ omnia Ambrosius egregiis duabus epistolis ad Imperatorem Theodosium, nimirum 28. & 29. inter eius epistolas mitifice cõfirmat. Vide totas, vt ego solum excerpam efficacissimam rationem, qua diuini Verbi præcones, dum suo munere funguntur, tutari se, ac protegere opportune possunt. Est hæc. *Habemus, & nos, cui displicere plus periculi sit, præsertim cum eit imperatoribus non displiceat, suo quemque fungi munere, & patienter audiatis vnumquemque pro suo suggerentem officio, imò corripiatis, si non vtatur militia suæ ordine. Quod si in iis libenter accipitis, qui vobis militant, num hoc in Sacerdotibus potest molestum videri, cum id loquamur, non quod volumus, sed quod iubemur. Scis enim lectum.* Matth. 10. 19. Cum steteritis ante reges, & præsides, nolite cogitare, quid loquamini, dabitur enim vobis in illa hora, quid loquamini, non enim vos estis, qui loquimini, sed spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis.

1. Ad Tim. 4. 12. *Ad Titum c. 2. 15.* *Chrysost.* *Ambros.* *Matth. 10. 19.*

10. En igitur Paulum tum egregia animi fortitudine, & dicendi libertate præditum; mortisque metu, & terrore carentem, tum etiam vas electionis ad

prædicandum Dei nomen coram gentibus,& regibus, Doctorem nationum, lyram Spiritus sancti, Euangelij tubam,os orbi sufficiens,rugitum leonis nostri,vt ex Patribus alibi videro. Quis iam eius in Neronis aula prædicationis fructus?quis Euangelij profectus? quæ de infidelitate victoria, & triumphus? Num ad huius tubæ sonum illa idololatriæ mœnia velut Hiericunthini muri corruerunt?ad huius lyræ concentum viui lapides in ædificium spirituale, & templum sanctum Domino congregati sunt?Respondeo:vt spem quidem fuerit mētita seges,siue licet sementi fructus non plenè respondetit, adhuc non omnino inanis Pauli in aula prædicatio fuit:nam primum hæc Apostoli apologia maiores suis discipulis spiritus,& animos dedit, vt ad eius exemplum Christi Euangelium palam, & intrepidè Romæ diuulgarent:deinde non potest non in rei Christianæ lucro maior hæc Christi notitia, quæ Regiam Neronis peruasit,poni,cum nonnulli ex Principis familiaribus Christo nomen dederint, quod satis innuit Apostolus cap.4.23.inquiens. *Salutant vos omnes fratres,maximè, qui de domo Cæsaris sunt.* Sed cur(inquis)aliqui solum,nec omnes aulici Christo crediderunt?Cur lumini,splendidoque iubari reliqui rebelles extitere? Quare tota Neronis aula ad huius tubæ sonum castra non mouit? Peremptoria responsio. Quia illos non traxit Pater. Nouit Dominus,qui sunt eius. Sed enim,si humano more loqui licet,& externis coniecturis,quæ renuentium voluntates prodant, agenda res sit; en duas, quæ mihi succurrunt, huius nouitatis rationes.

ADNOTATIO II.

Aulicismum ad rem Christianæ perfectionis non satis idoneum fuisse.

1. DICAT in primis non nemo, non esse multum mirandum,paucos solummodo ex domesticis, & familiaribus Neronis, Christi fidem recepisse, cum aulicæ vitæ institutum ad Euangelium suscipiendum, eiusque monita amplexanda parum adiumenti,impedimenti plurimum suapte natura afferat;quasi non tantum de humana, sed de diuina etiam fide, illud Tragici in Agamemnone vsurpari possit. *Sen. Trag.*

Non intrat inquam regium limen fides.

Equidem,nescio sub quo tam diro,ac pestilenti climate degunt aulici, vt à bono in malum facillimo negotio; à malo in bonum vix, aut ne vix quidem mutari soleant. Ita de aula dixit absolutissimè Bernard.lib. 4. de Considerat.ad Eugen. *Plures in ea defecisse bonos, quam malos profecisse probauimus.* Quid?imperium ne inibi pro libito exercet peccatum?aut virus suum execrabilis aliquis euomit serpens,quo pij gressus impediantur?Annuit Nazianz. orat.40. aulicum quendam sic ab aula deterrens. *Quid tibi cum Cæsare,& Cæsaris rebus?atque ita fuge, vt non antea conquiescas, quam eò perueneris, vbi nec peccatum est,nec infuscatio,nec serpens in via mordens, pioſque tuos gressus impediens:* Ac si apertè dixerit,in Cæsare,& Cæsaris rebus; in aula, & aulæ negotiis peccati infuscationem,& serpentis morsum, atque piorum gressuum impedimentum esse. Quod si ea de re exempla desideres;audi de Vitellio Tacitum, lib.5.annal. *Regendis prouinciis prisca virtute egit, unde regressus, & formidine Caij Cæsaris, familiaritate Claudij turpe in seruitium mutatus, exemplar apud posteros adulatorij decoris habetur: cesseruntque prima postremis, & bona iuuenta senectus flagitiosa obliterauit.* Audi, & quæ de Tito Iunio idem met scriptor sic ait. *Proconsulatu Galliam Narbonensem senere, integreque rexit; mox Galba amicitia in abruptum tractus, audax, callidus, promptus, & prout animum intendisset, prauus, aut industrius eadem vi.*

Bernard. *Nazianz.* *Corn. Tac.* *Idem.*

Sed hæc minora,& nullius momenti sunt, audi iam quod mireris, & stupeas, non Vitellium, aut Iunium, siue ex ethnicis quemlibet alium, sed ex Apostolis vnum,eumque qui cæterorum Princeps, & Ecclesiæ columen,& culmen erat,cum primum (malo fato) in aula pedem posuit, velut à serpente ibi latitante percussum, siue à peccati impetu, velut rapidissimum flumen decurrente in immanissimum perfidæ negationis, periuriique iterum, atque iterum repetiti facinus fuisse prolapsum. Ita quidem Ambros.lib. 10.in Lucam,opportune hinc ad Petri lapsum extenuandum sic ansam arripiens. *Vbi tamen negat Petrus? non in monte, non in templo, non in sua domo,sed in prætorio Iudæorum,in domo Principis Sacerdotum, ibi negat, vbi veritas non est, ibi negat,vbi Christus captus; vbi Christus ligatus.* Ac si dixerit: quid mirum ibi Petrum lapsum, vbi tot peccati illecebræ, & incentiua sunt? Dixit id etiam totidem verbis Paschas. lib.12.in cap. 26. Matth. Sed post illa, hæc addit. *Non erat in atriis Domini, de quibus canitur in Psalm.* Stantes erant pedes nostri in atriis tuis Ierusalem; *Neque,*in atriis domus Dei nostri; *sed in atriis Caiphæ, & in domo eius, in qua Iesus vinctus tenetur, & ideo in ea non agnoscitur, quia in ea nullus erat, qui lucem videret: erat quidem in ea ignis ardens, sed malè consumens, qui nec frigus pellebat mentis,nec fugabat tenebras noctis,sed inflammabat ad facinus ardore impietatis.* Vidisti aulæ faciem,& naturam? Iure ergo dixit Bernard. *Plures in ea defecisse bonos, quam malos profecisse probauimus.* 2.

Ambros. *Paschas.* *Bernard.*

Quare compone obsecro Petrum Christi Apostolum,& Ecclesiæ columnam, in domo Principis vix pedibus stantem, cum latrone antea flagitiosissimo ad Christi dexteram cruci suffixo; vt videas latronem extra aulam,Petrum; Petrum in aulâ latronē fuisse,dum latro Petri munus totâ fidei animositate antea dicentis:*Tu es Christus filius Dei vini*, Matth. 16.16.intrepide suscipiēs,Christum Deum, ac Dominum confessus est;inquiens, Lucæ 23.42. *Domine memento mei, cum veneris in regnum tuum*, Petrus verò latro factus,Christo diuinitatem modo surripuit,ipsum,aperto ore, hominem sic appellans. *Quia nescio hominem istum, quem dicitis.* Marc. 14. 71.Tanta crucis,quæ Christianorum sedes,præ aulâ præstantia est!Sed id accipe à Drogone de Domin. Passion. Sacram. *In te beatissime Confessor de totius mundi sterilitate,fides reliquias collegit Christus:tu fugientibus discipulis, & Petro negante socius, & comes passionis eius fieri, gauisus es:tu Petrus in cruce fuisti, & Petrus in domo Caiphæ latro. Tamdiu hic Petrus latro fuit, quamdiu intus latitans Christum foris negauit,& ideo Petrum præcessisti in paradisum.*Hinc Nazianz.aulicis, pro egregio eius iudicio, semper infensus,illos Deo magnâ ex parte infidos,sic pronūciauit orat. 32. coram centum, & quinquaginta episcopis habita.*Valete imperatores,& palatia,atque omnes imperatoris famuli,& cubicularij:siquidem imperatori fideles,haud quaquam certum habeo;Deo autem magna ex parte infidi.* Quod ergo superſit Petro remedium,vt ad bonam frugem,& fidem se recipiat? Ab aulâ quidem maturus, & instantaneus discessus. *Egressus foras*, inquit Luc. capit. 22.62. 3.

Matt.16.16. *Luc.23.42.* *Marc.14.71.* *Drog.* *Nazianz.* *Luc. 22. 6*

fleuit

Paschas. *fleuit amare.* Ad quæ verba Paschaſ. citato loco. *Videte fratres,quod ſæpe dico,quia omnia,& loca, & tempora plena ſunt myſterijs: nam in atrio Pontificis ſedens,non poterat,non dico ſtare in fide,verum nec poſt lapſum agere pœnitentiam.* Noſce iam aulam, & aulicos,Petri

----crimine ab vno,

Diſce omnes,

Petr.Dam. Simulque vide,quam prudenter Sanct. Petrus Damianus epiſt. 4. Deſiderium quendam, qui monachus cum eſſet,curiæ tamen intereſſe,& aulicorum familiaritatem ſibi parere, quam in cellula commorari malebat, ita admoneret. *Ego itaque Epiſcopatu dimiſſo, me quidem velut arenis expoſitum gaudeo: ſed te mundi turbinibus adhuc atteri, ac inter biantes pelagi fluctuare voragines non ſine fraterna compaſſione ſuſpiro. Errat pater,errat,qui confidit, ſe ſimul monachum eſſe,& curiæ deſeruire.*

4\. Cant.1.6. Hinc equidem ſub Eccleſiæ perſona,ſponſa florentis fortunæ inſidias declinare ſtudens, dum ab ſponſo perquirit, Cantic. 1. 6. *Indica mihi vbi paſcas, vbi cubes in meridie:* hoc eſt, vbi te pacis, & proſperitatis tempore inuenire poſſim, vt ad cap. 4. verſ. 12. adnotat. 1. fuſius explico, hanc pro re optata obtinenda rationem conficit: *ne vagari incipiam poſt greges ſodalium tuorum.* Vbi dum merito ambigitur, nec inter expoſitores conuenit,qui ij ſodales, ſiue ſodalium greges ſint, perplacet mihi explicatio, quam reddebat P. Alcazar, dum collato ſtudio in eius libri interpretationem operam nauaremus, vt ea periphraſi Principes, & Dynaſtæ, vel quia Dei vices gerunt, vti eos ſic admonebat Nazianzen. orat. 27. *Orbis vniuerſus manui veſtræ ſubiectus eſt, diademate paruo, atque exiguo panno retentus: ſupera ſolius Dei ſunt; infera autem etiam veſtra ſunt, ſubditis veſtris deos vos præbete; liceat enim audacius aliquid dicere.* Vel ob faſtum, & elationem, quâ ſe ac ſi Deo ſuppares velut idola confingunt, ac tractari volunt, vt ex Ezech. 39. 13. iuncta tranſlatione LXX. ſæpius dixi, intelligantur, qui pace, & tranquillitate perfruente Eccleſia, ſpiritualibus viris magnopere fauentes, ad ſuam familiaritatem, atque conuictum eos euocabant. At enim verò ipſorum aulas ingredi, multo magis timebat, imò horrebat ſponſa, quam tyrannorum carceres, equuleos, ignes, gladios, ideo ait, *ne vagari incipiam,*id eſt, ne in certum interitum, & præcipitium ruam. Ita quidem præfato loco Petr. Damian. Deſiderio illi, quem ab aulæ amplexibus vix poterat auellere, ſuggerebat: *Vndis erutus ſanus eſt piſcis, non vt ſibi viuat, ſed vt alios paſcat: vocamur, attrahimur, ſed vt alijs viuamus, moriamur nobis: amat venator ceruum, ſed vt ſibi faciat cibum, perſequitur capras, lepuſculos inſequitur, ſed vt ipſe benè ſit, illa nihil ſint: amant, & homines nos, ſed non nobis; ſibimet diligunt; in ſuas nos vertere delicias concupiſcunt.* Hæc Petr. Damian. quæ ex penitiori præfati loci explicatione, verbo vagandi, & phraſi *gregum* innixa, quam minime poſtea prætermittemus, optimè confirmantur.

P. Alcaz. Nazianz. Petr.Dam.

5\. Galen. Subſiſtit quidem ea expoſitio, atque hæc ſponſæ doctrinæ ex iis, quæ non quiuis è Patribus Eccleſiæ, ſed Gentilis Galenus, non iam corpori, ſed animo curationem afferens in lib. de dignoſcendis, curandiſque animi morbis, capit. 2. in hanc rem ſcripſit. Porrò cum ea potiſſimum indidem ipſius mens ſit, vt idoneum virum eligamus,qui noſtra nos peccata perdoceat,& obiurget, cùm ſit certum plurimum nos peccare, etiam ſi nos errare non credamus; quis ad id aptus ſit futurus, inde primum dignoſcendum cenſet, ſi aulas principum frequentare, deinde ſi ipſos primarios viros ſalutare, & ſe illis comitem exhibere ſoleat nec ne: pro comperto habens aulicum hominem minime veracem, ſed omnibus in plurimum vitiorum maculis notatum eſſe futurum. Do tibi integrum Galeni locum. *Vbi ad illum propius acceſſeris, vt de illo poſſis ferre indicium, num ſit talis, qualis eſſe perhibetur, huiuſmodi periculum fac. Primum ſi videas ab homine, & diuitum, & apprimè potentum, aut etiam principum, ac tyrannorum ædes frequentari, pro comperto habeto, te fruſtra audiuiſſe hominem, omnia vera dicere ſolere: (obſequia quippe iſtiuſmodi mendacium ſequi conſueuit;) deinde ſiue id genus hominum ſalutantem, ſiue illis ſe ipſum comitem exhibentem,conuiuiis ve illorum,ac cœnis interentem conſpicias. Quiſquis enim huiuſce generis vitam ſibi ipſi ſequendam propoſuit,non ſolum,non verax eſſe conſueuit, ſed etiam omnem malitiam habere neceſſario, quippe qui aut pecuniarum, aut principatus, aut gloriæ, aut honorum ſit cupidus, & vel aliquibus horum ſeorſum, vel omnibus ſimul inſidietur.* Vbi illud mirifice rem auget,quod ipſamet Principum ſalutatio ſuſpecta, & inuidioſa Galeno fuerit. Sanè quaſi aula, & quæ ad aulam ſpectant ſapienti viro, tamquam peſtis, quæ halitum inficiat, vel vt res anathemati obnoxia habenda ſint.

6\. Sed modo forſan,nec ſine ſenſu, aut ſtomacho inquiris, ecquid ergo aula, quam Scyllâ, & Charybdi perículoſiorem facis? Diffinio primò, Peccatum. Diffinio ſecundò: *Omne quod eſt in mundo,concupiſcentia carnis, concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ.* Diffinio tertio,Mundus ipſe, ſiue homines mũdo toti addicti. Iam ad ſingula. Equidem Paulus ad Hebr. 10. 25. vt innueret, quâ ductus ratione Moyſes regiam Pharaonis aulã ſponte deſeruerit,vt ſe Dei caſtris adiungeret, inquit. *Maluit affligi cum populo Dei,quam temporalis peccati habere iucunditatem.* Vbi pulchrâ periphraſi aulicam vitam, quam Moſes deſpexit, temporale peccatum appellauit: ita ferè Theophyl.& Theodor. per peccatum enim hic vitam agere cum impiis,ille verò regiarum deliciarum communicationem,& participationem intelligunt. Quod ſi hæc velis diffundere, & peccatum, per omnes aulæ partes, & angulos diffuſum, & ſe ſe extendens videre, audi Lucianum in Palinuro, ſic aulam deſcribentem. *Attolle poſtea altius oculos, & atria Principum perſcrutare: quam non videbis ibi aſſentatorum exaltationem? ſpeculatorum acceptionem? militum audaciam? fœneratorum voracitatem? quæſtorum improbitatem? quam non potentum hominum in tenuiores vim, atque inſolentiam? quas non concuſſiones? quas non populationes? quos non innocentes accuſari, criminari, carcerari, proſcribi?* Hæc ibi; & in Icaro Menippo poſt plura iis ſimilia,quæ libens omitto,ſubiicit; *atque his ferme conſimilia tum in Lybia,tum apud Scythas,ac Thraces in Regiis geri licebat cernere, nempe adulterantes, occidentes, inſidiantes, rapientes, peierantes, trepidantes, nonnullos ab intimis amicis prodi.* Eſt ne bona aulæ diffinitio, quam ex Paulo dedimus? Ne vero tibi blandiaris id in Regiis Lybiæ,aut Scythiæ reperiri, & ab homine maledico pro libito depingi, accipe à Bernard. lib.4.de conſiderat. Aulicorum,& Curialium Eugenij Pontificis depictã imaginem ad hunc modum. *Experire,nouerim ne & ego vel aliquatenus mores gentis. Ante omnia ſapientes ſunt, vt faciant mala,bonum autem facere neſciunt. Hi inuiſi terræ,& cœlo vtrique iniecère manus impij in Deum, temerarij in ſancta,ſeditioſi in inuicem,æmuli in vicinos,inhumani in extraneos,quos neminem amantes amat nemo,*

Ad Hebr. 10.25. Theoph. Theodor. Lucian. Bernard.

& cum timeri affectent ab hominibus, omnes timeant,
necesse est. Hi sunt, qui subesse non sustinent, præesse
non norunt: superioribus infideles, inferioribus impor-
tabiles: hi inuerecundi ad petendum, ad negandum
frontosi: hi importuni, vt accipiant, inquieti donec ac-
cipiant, ingrati vbi acceperint: Docuerunt linguam
suam grandia loqui, cum operentur exigua; largissimi
promissores, & parcissimi exhibitores, blandissimi adu-
latores, & mordacissimi detractores simplicissimi dissi-
mulatores, & malignissimi proditores. O viuacissimum
Bernardi penicillum!

7. Ps.104.30. Confirmat verò præfatam Regiæ Pharaonis dif-
finitionem illud Vatis Psalm. 104. 30. de eadem-
met aula. *Edidit terra eorum ranas in penetralibus*
regum ipsorum: vbi non solum ad magnitudinem
miraculi notanter dicitur, ipsammet terram aqua-
Apollina. ticas genuisse ranas, vt ex Apollinari ibi adnota-
runt interpretes, sed emphaticè, & in mysterio
asseritur; eam ranarum plagam propriam regiæ
aulæ rem esse, atque ideo ab ipsismet Regum,
Niceph. siue Regiarum (Nicephorus enim, & alij ex an-
tiquis pro, *regum*, legunt, *regiarum)* penetralibus,
vt natiuum fœtum, & partum editas, & procrea-
tas fuisse. Quare pende imprimis verbum, *edi-*
LXX. *dit*, sicut & Hebraicum, *sciarats*: pro quo LXX.
Exod. 8. 3. hac etiam de re reposuerunt, *eructabit*;
quæ vt singillatim in huius solum plagæ descri-
ptione ponuntur, ita propriè significant fœtum,
siue fructum, qui ex ipsismet visceribus funditur:
Columel. Cicer. sic apud Columel. & Cicer. campi, herbas: arbo-
res, frondes, & fructus edere, apud Horat. etiam,
Mecœnas atauis, editus, *regibus*, id est, ab illis geni-
tus, & procreatus, dicitur, quæ verbo, *eructo*, for-
tiori ratione aptantur, iuxta ea, quæ de ipso ad
vers. 10. adnotat. 7. num. 10. diximus. Sed iam
vt naturalem hunc aulæ fœtum, quem ipsa edere,
Nyssen. & eructare soleat, consideres, adi Gregor. Nyssen.
lib. de vita Moysis pro Bernardo, & Luciano supe-
rius adductis fideiubentem, dum ranas homines
peccatorum sordibus vndequaque commacula-
tos significare ita affirmat. *Sic pro ranarum quoque*
specie deformi, atque loquaci, cui dubia vita (nam &
aquaticum, & terrestre id animal est,) cuius saltus re-
pens, cuius aspectus turpissimus, cuius è corpore into-
lerabilis fœtor emittitur: quod domos, lectulosque,
ipsaque penetralia Ægyptiorum sordidat varios ma-
litiæ, corruptionisque fœtus, qui ex fœtido hominum
corde, quasi ex putrido limo nascuntur, intelligimus.
Hæc & alia subinde afferenda Nyssen. Quibus sanè
opportunè ad rem nostram suffragatur somnium
Daniel.4. illud Nabuchodonosori Regi per quietem obla-
tum, Daniel. 4. cum vt & semetipsum, & aulicos
suos contemplaretur, ac velut de facie nosceret, vi-
dere sibi videbatur, ingentem, & robustam arbo-
rem, cui densa foliorum luxuries, magnaque bac-
carum vbertas esset, queque sic patulis explicaretur
ramis, vt tum in ipsis omnes penè volucres non
modo garrire, & cantillare, sed nidos etiam suos
commodè possent construere, tum etiam variæ bel-
luæ opportunum perfugium haberent. En aulam
graphicè depictam: vel coniice in primis ex fructu,
nimio potius, quam pulchro, vt bene notat Hieron.
quippe, qui quercinus, aut syluestris alterius arbo-
Ad Philip. cap.3. ris, vt suspicatur Maldonat. belluarum palato, id est
iis, *qui terrena sapiunt*, (vt ibi videro) accommoda-
tus. Vt verò in belluis omne vitiorum, siue vitioso-
rum genus, bellua enim rapax, auaritia est, bellua
turpis, & fœda, libido est, bellua immanis, ira est,
crudelitas est; bellua subdola, simulatio est; bellua
belluarum superbia est: ita in volucribus innatæ
aulicorum proprietates, adulatio, garrulitas, men-
dacia, siue conficta verba, &, quò tandem omnia
ipsorum vota eunt, ambitio, significantur: ita penè
Nicol. de Lyra, ibi: *Per volucres intelliguntur garru-* Nicol. de Lyra.
li, & mendaces ad alta tendentes, quia tales solent esse
principibus laterales. Vides aulam idem, ac pecca-
tum esse?

Sed primæ huic aulæ diffinitioni, quin à Regia 8.
Pharaonis ranas eructante discedamus, secundam
iam aptemus, quæ singillatim ostendat, quam esset
importuna Neronis aula ad Christi Euangelium
suscipiendum. Equidem Apoc. 16. 13. dum sub va- Apoc.16.13.
riis ænigmatibus de insigni Euangelij apud Roma-
nos profectu (vt omnium optimè interpretatur
Magister meus Ludou. del Alcazar) Ioanes egisset,
subdit; grauissimum tunc Religioni à tribus spi-
ritibus immundis in modum ranarum indictum
bellum fuisse: *Et vidi de ore draconis, & de ore bestiæ,*
& de ore pseudoprophetæ spiritus tres immundos in
modum ranarum. Sunt enim spiritus dæmoniorum fa-
cientes signa. Vbi acutissimè Alcazar, immundorum Alcazar.
spirituum ab illis monstris prodeuntium phrasi, siue
ranarum similitudine, pessimum mundi, dæmonis,
ac carnis sermonem significari existimat; ego verò
paululum ab ipso discedens potius crediderim illo
ænigmate denotari, omne quod est in mundo, con-
cupiscentiam scilicet carnis; concupiscentiam ocu-
lorum; & superbiam vitæ, quæ cum Euangelio 1.Ioan.2.16.
semper, & vbilibet, Romæ præsertim acriter decer-
tarunt, donec egregium de illis Fides nostra trium-
phum egit. Nam *hac est victoria, quæ vincit mundum,*
fides nostra. 1. Ioann. 5. 4. En igitur ipsamet in aula 1.Ioan.5.4.
Neronis impedimenta ad suscipiendam Euangelij
doctrinam, cum primum illa oriretur, quæ postmo-
dum cum adulta esset, ipsi non leuiter obstitere. Edit
enim continuò sed maximè Neronis tempore, *terra*
eorum ranas in penetralibus Regum ipsorum; hoc est,
vigent in aula pessimæ istæ Sorores mundi filiæ li-
bido, auaritia, atque superbia. Extat pro me locu-
ples testis, siue bonus fideiussor Sophonius Tigel-
linus aulicorum Neronis dux, & antesignanus,
quem Cornel. Tacit. lib. 14. Annal. à Nerone ex Corn.Tac.
intimis libidinibus in familiarem assumptum affir-
mat, & lib. 1. historiar. ita depingit. *Sophonius Tigel-*
linus obscuris parentibus, fœda pueritia, impudica se-
necta, præfecturam vigilum, & prætorij, & alia præmia
virtutum, quia velocius erat vitiis adeptus, crudelita-
tem mox; deinde auaritiam, & virilia scelera exer-
cuit. Tigellini verò vestigiis reliquos Neronis au-
licos institisse, illud persuadet, quod eodem lib. 14.
Annal. inquit idem Tacitus: *Deterrimus quisque,* Idem.
quorum non alia Regia fœcundior extitit.

Quod si iam singulas harum ranas ab aula editas 9.
videre velis: de prima, hoc est de carnis concupi-
scentia audi Dominum Matth. 11. 8. *Nonne, qui* Matt.11.8.
mollibus vestiuntur, in domibus regum sunt? Quæ, vt
simpliciter de externa vestium mollitie à Chrysost. Chrysost.
& aliis; nec abs re de omni vitiorum genere con-
formiter ad superius dicta à Hieron. dum ait. *Qui*
autem adulatores sunt, & sectantur lucra, & quærunt Hieron.
diuitias, & delitiis affluunt, & mollibus vestiuntur, isti
in domibus regum sunt. De libidine, & concupiscen-
tia carnis ab Hilario accipiuntur ad hunc modum;
Vestem habitum corporis quo induitur anima signifi-
cat, quod luxu, ac lasciuiis mollescant, & statim: *Er-*
go vestis mollibus, id est, ij quibus per luxum fluida, &
dissoluta sunt corpora. His adiunge, quæ de ranarum
symbolo præfato loco subiicit Nyssen. Quæ eò Nyssen.
magis opportuna sunt, quo iuxta ea, quæ inidem
de ranis ad Pharaonem dicuntur, nimirum: *Ascen-*
dent, & ingredientur domum tuam, & cubicu-
lum lectuli tui, & super stratum tuum, &c. *& in*
furnos

furnos tuos, & in reliquias ciborum tuorum. Ostēdunt aulam, libidinem vndequaque exhalantem, & per omnes sensuum portas sese ingerentem. Audi. *Hæc immunda ranarum multitudo domos eorum, qui Ægyptiacè, id est, vitiosè viuere malunt, habitat, in mensis eorum abundat, in lectulis assidet, in abditis eorū omnibus, atque reconditis rebus inuenitur;* quæ paulò post sic accommodat. *Nam & in muris, & in aulis diuersa ad luxuriam animi pictura, & in vasis sculptura impressa nequitiam prædicant, quibus cogitatio ad cupiditates suas reuocatur, vituperosi spectaculi visione ad animam vsque passionum æstu perueniente.* Hęc & alia plura Nyssenus, quæ ostendunt visum, auditum, gustum, tactum aulicorum in libidine esse. Nec verò illis olfactus desiit: reuoca in memoriam, quæ in expositione literæ, num. 4. de aulicis Pharaonis, ex Genes. 12.15. afferebam: *Et nunciauerunt principes Pharoni, & laudauerunt eam apud illum.* Sanè tamquam venatici canes olfactu deprehendētes Saram, & eius pulchritudinem inuestigantes: *Vt aulicorum hominum*, inquit Lippoman. ibi: *studia discas, qui tantopere laudauerunt regi, per omnia regum moribus se attemperantibus illis, qui in domibus regum sunt.* Ergo, *qui mollibus vestiuntur, in domibus regum sunt*, & hac veluti nota à cœlestibus mundani aulici discriminantur, vt non immeritò Principum aulæ dixeris, quod Hieron. Iouinian. lib. 2. *Quoscunque formosos, quoscunque calamistratos, quos crine composito, quos rubentibus buccis videro, de tuo armento sunt, imò inter tuos sues grunniunt; de nostro grege tristes, pallidi, sordidati, & quasi peregrini huius sæculi.*

Exod. 8. 3. · Gen. 12. 15. · Lippom. · Hieron.

10\. Sed vide iam secundam, quam aula edit ranam, superiori quidem affinem, siue etiam germanam, nimirum concupiscētiam oculorum; nam vt sciè M. Tull. lib. 2. de oratore, *auaritiam si tollere vultis, mater eius est tollenda luxuries*; & pro Sext. Roscio; *in vrbe luxuries creatur, ex luxuria auaritia existat necesse est.* Rana siquidem auarissimæ voracitatis, siue voracis auaritiæ opportunum est symbolum, teste Conrad. Gesner. vt damnatæ memoriæ auctore, ita rerum naturaliū diligenti scriptore, lib. 4. de Aquatilibus. Et verò hæc lues, tam Neronis, quam reliquos Romanorum Imperatorum aulicos, totos à vertice, vsque ad talos solita est induere. Sic & auaritiæ Sophonij Tigellini singillatim meminit Tacitus, vt paulo ante vidimus, & auiditatem aulicorum Galbæ, qui Neroni in principatu successit, tam suo, quam Othonis nomine incusauit, idem scriptor lib. 1. histor. vbi ita in primis: *Afferebant venalia cuncta præpotentes liberti seruorum manus subitis auidæ, & tamquam apud senem festinantes*; deinde Othonem, sic exercitum alloquentem facit. *Septem à Neronis fine menses sunt, & iam plus rapuit Hycelus, quā quod Polycletus, & Vatinij Ægij, & alij parauerunt.* Similia de Claudij Imperatoris aulicis maxima quæq; munera vili pretio diuendentibus inuenies apud Xiphilinum lib. 6. Vt hinc non omnino abs re Romanorum Cæsarum aulæ per allegoriam accommodes celebratissimum Ezechielis currum, pennatis animalibus leone, boue, homine & aquila vectum, Ezech. cap. 1. 5. quæ egregias quatuor virtutes cardinales (vt aiunt) iustitiam, prudentiam, fortitudinem, atque temperantiam mirifice adumbrant, vt ad hunc modum interpretatur Ambros. lib. 3. de virgin. *Prudentia enim rationis humana est. Fortitudo vim quandam ferocientis virtutis habet, mortisque contemptum. Temperantia sacrata vinculo charitatis, mysteriorumque contemplatione cœlestium negligit corporis voluptates. Iustitia in alto quodam suggestu locata videt, exploratque omnia, quæ aliis potius nata, quam sibi, non tam suas vtilitates, quam publica emolumenta*

M. Tull. · Corn. Tac. · Xiphilin. · Ezech. 1. 5. · Ambros.

Velazqu. in Epist. ad Philippens.

rimatur. Quamuis enim ea animalia tum citato cursu, imo & pernicissimo volatu, tum rectà ad eam partem, ad quam mittebantur ferri dicantur; at simul etiam videris, sub alis quibus erant instructa, humanas illis subesse manus, sic enim Vates vers. 8. *Et manus hominis sub pennis eorum in quatuor partibus.* Ad quem quidem modum, licet eorum Cæsarum aulas, regnique gubernationem, recto aliquoties cursu, & ad prudentiæ, & iustitiæ leges ferri videretur, sed speciosum potius, ac fucatum, quam verum, & naturalem eum nitorem esse dixeris; nam sub illis in altum se subleuantibus pennis; sub iis, inquam, sublimium rationum prætextibus, secretæ hominum manus ad munera accipienda auidæ, imò verò ad omne ius, atque iustitiam pretio transigendam paratæ inueniebantur, & vt dicebat Tacitus; *Subitis auidæ, & tamquam apud senem festinantes.* Quare meliori opinor iure de Neronis aulicis, quàm de diis gentilium capias illud Aristophanis in concionatricibus sic reddentis rationem, cur ipsi supinas semper haberent manus.

Ezech. 1. 8. · Aristoph.

Nam cum precamur, largiantur vt bona,
Manum supinam porrigentes stant, velut
Nihil daturi, sed recepturi magis.

Nec est omittendum, quod ad præfatum Ezechiel. locum adnotauit Maldon. nimirum non quatuor solum cuilibet illorum animali, vt alij interpretes volunt, sed sedecim subesse manus, vt iuxta præfatam allegoriam mirifice adumbrentur Iuliani apostatæ aulici, quos pulchrè Nazianz. orat. 4. quæ est 2. in Iulian. Centimanos appellauit ad hunc modū. *Atque hæc, vt maxima, atque grauissima illius crimina sermone amplexus sum, non alioqui nescius duobus, aut tribus aulicis adulatoribus, eique impietate paribus (alios enim consultò prætereo) tantam impietatis mercedem persolutam esse, vt nulla res obstitura fuerit, quominus ipsi breui terras omnes, & maria Romano imperio subiecta expilarent, nisi fœcundior rebus exitus maturius contigisset; adeò latrociniis, & auaritia priores illos Centimanos vincebant.* Vbi illud obiter, sed maximè adnotandum est, quam falsa opinione Romani illi Principes, sibi blandirentur, cœlestes se pennas ad bonam regni gubernationem, non humanas manus ad munera accipienda habere; cum ipsi dum gubernationis curru veherentur, non modò proprias à muneribus manus excutere, sed subditorum etiam cohibere deberent. Id Ambros. lib. 4. in Luc. occasione Giezi famuli Elisæi, qui à Naaman Syro acceptæ salutis pretium exegit, sic adnotante. *Non enim satis est, si lucrum ipse non quæras, familiæ quoque tuæ cohibendæ manus sunt.* Quod sanè, vel ob charitatem in suosmet familiares debuissent præstare Principes; ne illorum manus seriò ab ipsis nō cohibitæ, à plebe postmodum per risum, & ignominiam extenderentur. Nosti iam quid Ruffino (qui apud imperatorem plurimum gratiâ valuit) post infamem exitum acciderit; turpiter nimirum eius corpore trucidato, atque discerpto, ferox vulgus infelicis aulici præcisam dextram per vrbem circumferens; per iocum, & ludum, iam quasi ad aperiendum inhiantem aperiebat, iam quasi prædam apprehenderet comprimebat, vt ex his Claudiani versibus lib. 2. in Ruffin. ad fin. apparet.

Maldon. · Nazianz. · Ambros. · Claud.

Dextera, quin etiam ludo concessa vagatur,
Æra petens, pœnasque animi persoluit auari,
Terribili lucro, vinosque imitata retentus,
Cogitur adductis digitos inflectere neruis.

11\. Sed id magis ad nostrum institutum est; hoc vnum auaritiæ vitium aulicorum Neronis familiare, vt alia omnia deessent magnum Euangelicæ doctrinæ suscipiendæ impedimentum, atque offendiculum

esse. Fuerit enim multo facilius solis cursum reprimere, & hac illac pro arbitrio regere, quam auaritiæ manus retinere. Sin minus, vide inclytum belli ducem Iosue Soli suadentem, imperantem, & in medio cœli ipsum configentem, Iosue 10. 13. & in auaro Achan monendo frustra insudantem, Iosue 7. 1. de quo sic pulchrè Ambros. lib. 2. officior. c. 26. *Itaque Iesus Naue, qui potuit Solem sistere, ne procederet, auaritiam hominum non potuit sistere, ne serperet. Ad vocem eius Sol stetit, auaritia non stetit. Sole itaque stante conficit Iesus triumphum, auaritia procedente pene amisit victoriam.* Certe, si rem perpendis, inter omnia Christi miracula non Lazari suscitatio, non oculi cœco dati, nō vox Patris de cœlo delapsa, nec gloriosa ipsius in monte transfiguratio adeò eminent, ac auarissimi nummularij amatis pecuniarum mēsis euersis, ab ipso è templo eiecti, nec in rabiem acti ei resistentes, Matth. 21. 12. Ita id quidem existimauit Hieronymus ibi, his verbis. *Plerique arbitrantur maximum esse signorum, quod & Lazarus suscitatus est, quod cæcus ex vtero lumen acceperit, quod ad Iordanem vox audita sit Patris, quod transfiguratus in monte gloriā ostenderit triumphantis. Mihi inter omnia signa, quæ fecit, hoc videtur mirabilius esse, quod vnus homo, & illo tempore contemptibilis, & in tantum vilis, vt postea crucifigeretur Scribis, & Pharisæis contra se sæuientibus, & videntibus lucra sua destrui; potuerit ad vnius flagelli verbera totam eiicere multitudinem.* Vides non quæuis miracula, sed quæ inter omnia signa sunt signatissima, vix ad auaros permouendos sufficere? Non ergo minus mirandum auarissimos aulicos videntes lucra sua destrui, Euangelio paupertatem suadenti non credidisse.

12\. Quod si auaritiæ, aulicorum ambitionem, quæ *cunctis affectibus* (Tacit. lib. 15. Annal.) *flagrantior est*, adiunxeris, omnem procul dubio admirationem depones, dicente ad Pharisæos Christo Domino, Ioan. 5. 44. *Quomodo vos potestis credere, qui gloriam ab inuicem accipitis, & gloriam, quæ à solo Deo est, non quæritis?* Vbi fidem in Christum, & gloriæ cupiditatem inter se pugnare, manifestè adstruit. Ita ibi Cyrill. lib. 3. in Ioann. cap. 7. *Hac inanis gloriæ cupiditate optimæ rei, fidei videlicet in eum iacturam illos facere, ostendit.* Quod si prius Solem sistere facias, quam auaro opum contemptum suaseris; scito etiam facilius te Solem è cœlis deducturum, & in manibus gestaturum, quam ambitiosis hominibus humilitatem persuadere valeas. Quam ad rem sic opportunissimè locutus est Lactant. lib. 8. in princ. *Qui amore potentiæ inflammati omne studium suum ad honores adquirendos contulerunt, nec si Solem ipsum gestaremus in manibus, fidem commodabunt ei doctrinæ, quæ illos iubet omni potentia, & honore contempto humiles viuere.* Hanc verò pestem, insitam, siue innatam aulicis esse, nemo nescit, quorum quisque tum personam, & ingenium Butidij gerit, apud Tacit. lib. 3. Annalium de eo dicentem. *Butidium artibus honestis copiosum, & si rectum iter perageret, ad clarissima quæque iturum festinatio stimulabat, dum æquales, deinde superiores, postremo suasmet ipse spes anteire parat:* tum etiam appositè lepidum illum ranæ apologum exprimit, quem sic scripsit Horatius lib. 2. Satyr. 3.

Absentis ranæ pullis vituli pede pressis,
Vnus vbi effugit, matri denarrat, vt ingens
Bellua cognatos eliserit. Illa rogare
Quanta ne? num tandem se inflans sic magna fuisset,
Maior dimidio? num tanto? cum magis, atque
Se magis inflaret, non si te ruperis, inquit,
Par eris; hæc à te non multum abludit imago.

Ita quidem de aulicis Iulij Cæsaris dixit Seneca, lib. 3. de ira; c. 30. adeò inexplebiles spes habuisse, vt non minus eorum quilibet concupisceret, quam quod omnes simul. *Diuum Iulium* (inquit) *plures amici confecerunt, quam inimici, quorum non expleuerat spes inexplebiles; voluit ille quidem, neque enim quisquam liberalius victoria vsus est, ex qua nihil sibi vindicauit, nisi dispensandi potestatem, sed quemadmodum sufficere tam improbis desideriis posset, cum tantum omnes concupiscerent, quantum vnus?* Certe de illis verissime Tragicus in Hercul. Oet. act. 2.

Cupit hic regi proximus ipsi,
Clarus claras ire per auras,
Vrit miserum gloria pectus.

Sic inquit de Pallante Tacit. lib. 13. annal. *Velut arbitrum regni agebat.* Quare Nazianz. orat. de Episcop. quæ vltima inter eius opera, iam versibus, iam soluta oratione excusa est, dum longius eos describit, ait: *paruis leones, rerum potientibus canes.* Et bene quidem leones multiplici de causa, sed ob illam potissimum, quod in Principis gratia neminē socium habere velint, ad eum modum quo de leone dixit Basil. hom. 9. in Hexam. *Vita illi solitaria, expers societatis ad ea, quæ genus subeunt.* Vnde in aulicum quendam detractorem, & inuidum (vtrumque pro more suo,) qui vngues sibi corrodere solebat, sic non nemo lepide lusit.

Quæsiui bene millies, quid esset,
Cum corroderet vndequaque cunctos,
Cur vngues etiam suos soleret
Zoilus rodere dentibus caninis?
Et mysterion esse grande vidi,
Nil vult crescere Zoilus extra se ipsum.

Quam sit verò, cunctis affectibus hæc gloriæ, siue regiæ gratiæ cupido in aulicis hominibus flagrantior, ex eo disces, quod aulicum Hiel, quo Regis Achab gratiam adipisceretur, siue ardore retinendæ, vt nouum ipsi vinculum adiiceret impiè, & immaniter perpetrasse, Regum narrat historia lib. 3. c. 16. 34. Etenim stante imprecatione, & comminatione prophetica egregij bellorum Dei ducis Iosue super reædificatione vrbis Iericho, vt qui eam instaurare auderet, omnibus orbaretur filiis, sic enim vir Dei, eius spiritu plenus proclamauerat Iosue 6. 26. *Maledictus vir coram Domino, qui suscitauerit, & ædificauerit ciuitatē Iericho; in primogenito suo fundamenta illius iaciat, & in nouissimo liberorum ponat portas eius.* Eam vrbem rursus ædificare, & restituere ausus est Hiel. Sic enim ibi sacer textus. *In diebus eius* (Achab) *ædificauit Hiel de Bethel, Iericho*, nec impune id iuxta Iosue imprecationem fecisse, sic statim adnotat scriptor. *In Abiram primitiuo suo fundauit eam, & in Segub nouissimo suo posuit portas eius iuxta verbum Domini, quod locutus est in manu Iosue.* Vbi si quis inquirat; qui tanta audacia, atque temeritas in humanum animum cadere potuerit, vt pro nihilo duceret tam diram imprecationem, præsertim cum ex morte primogeniti, & aliorum, qui vt in vrbis instauratione progrediebatur, successiue interibant, nimis veram, ac certam experiretur? Respondet Rupert. cap. 20. in lib. Iosue, ambitionem in causa fuisse, quæ vel Dei monitis fidem non haberet, vel nominis claritatem filiorum vitæ præponeret. *Mira ambitione pertinaciam fulciēte, vt ambiendo conditoris nomen, totum cum affectu perderet genitoris honorem.* Opportunius verò noster Serarius ad id loci ad aulicorum ingenium retulit, qui dum regium fauorem insigni aliquo facinore, vel promereri, vel retinere student, nihil aliud aspiciūt, nihil eos moratur, ad omnia oculos claudunt; pudorē, decus, filios, posteritatem, alia omnia, regia gratia viliora habentes. Vnde non sine morsu pro illis verbis.

In

Chald. *In Abiram primitiuo suo fundauit eam*, Chaldæus reposuit. *Occidit Abiram primogenitum suum, quando cæpit fundare eam.* Ac si dixerit, non ignarum mali ipsi imminentis, sed scientem, atque prudentem, non secus, ac si propriis manibus primogenitum interfecisset, nefarium illud opus aggressum. Vt videas, quam opportune inquit Tacit. citato loco. *Dominationis ius fratre, & filio potius*, sed id tu non de iure, sed de iniuria dixeris. Abi iam, & suadeto Neronianis aulicis fidem Christi.

14. Sed enim, cur aulicam ambitionẽ Christum suscepturam sperares, quę ipsi vitam ademit, & in crucem tulit? Nonne Aulicus Tiberij Pilatus calumniarum, & inuidiæ Iudæorum impatiens, eousque impiis illorum conatibus restitit, donec vocem illã maligno astu plenam audiuit. *Si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris.* Ioann. 19. 12. Aliqualem quidem iudici timorem iniecerant Iudæi illis verbis. *Nos legem habemus, & secundum legem debet mori.* Sed iniectum eiecerunt, addentes, *quia Filium Dei se fecit.* Ioan. 19. 8. subdit enim Ioannes: *Cum ergo audisset Pilatus hunc sermonem, magis timuit.* Vbi emphasim habet aduerbium illud, *magis*; ac si dicatur, timuit prius legem, quam ei obiiciebant, sed cum Filium Dei audiuit, *magis timuit*, occidere illum, quam Iudæorum legem transgredi, ita ibi August. *Pilatus eorum legem non timuit, vt occideret, sed magis filium Dei timuit, ne occideret.* At enim verò egregius hic Præsidis timor apparuit, sed subito euanuit; *nam maiorem timorem* (verba sunt Aug.) *se ingerere putauerunt Iudæi Pilato, vt occideret Christum, quam vbi dixerunt: Nos legem habemus, & secundum legem debet mori, quia Filium Dei se fecit.* Ita quidem, qui eousque non mediocre integritatis specimen dederat Christum incolumem dimittere non semel tentans; dum de Cæsaris gratia admonetur, non tam nutans, quam omnino succumbens, nulla interposita mora Christum statim cruci, & neci addicit. Sic enim Ioann. vers. 13. *Pilatus autem cum audisset hos sermones, adduxit foras Iesum, & sedit pro tribunali.* Ad quæ verba Cardin. Tolet. *Succumbit Pilatus huic oppositioni, & quem timor innocentiæ, & diuinitatis Christi ab eius damnatione hucusque auerterant, & retraxerant, mundanus timor impellit; magisque Cæsarem, quam Deum reuerens, iniquo, & impio iudicio consentit; cumque egressus esset è prætorio, vt Iesum liberaret, mutatâ iam propter Cæsarem non opinione, sed voluntate, Iesum foras extra prætorium, vbi manserat, damnandum adduci facit, & plus potuerunt sermones hi de Cæsare apud eũ, quam illi quos etiam audierat, & timuerat, quod Filius Dei esset.* Hæc optimè Tolet. Quę verò subiicit, vt ab eo candidè dicta, ita aulicos (vt opinor) parum stringent. Addit enim. *Quærat ergo Pilatus premium suum à Cæsare, non à Deo, cui illum prætulit tanta, & tam apertè cognita impietate:* Nam qui aulico ingenio plus timuit, ne leuem aliquam in Cæsarem offensam contraheret, quam ne Dei filium interficeret, dubium non est à Cæsare potius, quam à Deo præmium concupiscere, & Regiam gratiam diuinæ omnimode præferre. Iam verò, qui de Neronianæ aulæ ambitione agimus, cur ab Hiele ad Pilatũ iuimus? cum tot ibi domestica nobis succurrant exempla? Nonne Annæus Serenus, quo fœdam Principis gratiam securius retineret, viam illius libidinibus velo obducto communiebat? Audi Tacit. lib. 13. *Ex eius familiaribus Annæus Serenus simulatione amoris aduersus eandem libertam primas adolescentis cupidines velauerat, præbueratque nomen, vt quæ Princeps furtim muliercula tribuebat, ille palam largiretur.* Nonne, quod plus est, apud eundem scriptorem eod. lib. Otho ratam suæ Sabinæ Poppeæ formam, coram Nerone celebrabat, vt illo eius amoribus capto, & nouo vinculo Othoni deuincto, firmiorem ipse sibi Regiam gratiam redderet? Iam ne vllum sit flagitium, quo Neronis aulici eius amicitiam fulcire non tentauerint, hæc de ipsius matre, seq. lib. inquit Tacit. *Tradit Cluuius ardore retinendæ Agrippinam potentiæ, eousque prouectam, vt medio diei, cum id temporis Nero, per vinum, & epulas incalesceret, efferre se sæpius temulento comptam, & incæsto paratam.* Proh facinus Neroniana aula dignum! Sileo alia tacenda, quæ loquitur Tacit. ibi, & lib. 12.

Ioan. 19. 12. Ioan. 19. 8. August. Card. Tol. Corn. Tac.

Prodit se iam aulæ extrema diffinitio, quæ illam, mundum, siue homines mundo addictos facit. Quò quidem videtur respexisse sponsa, cum dicebat: *Ne vagari incipiam post greges sodalium tuorum.* Vbi primo pende phrasim vagandi, quâ innuitur aulicorum vitam vagam, & errabundam, siue inanem, & nullius frugis esse: Quid? otiosi ne sunt? imò verò occupatissimi, sed iis quidem in rebus, quæ & nullius momenti sint, & ipsorum nihil intersint; cum nec suæ sint. Quoad primum; aperit id apprimè, quod de ranis citato loco dicebat Nyssen. *Saltus humi repens*: quòd sublimiores ipsorum cogitatus, & affectus, quibus in altum se efferre, & super aliorum capita incedere studenr, terreni sint, lutei sint, & pro cœlesti scopo, qui ipsis inesse debuerat, in caducarum rerum cœnum, limumque vergant. De secundo, audi Senec. lib. de breuit. vit. c. 19. *Omnium quidem occupatorum conditio misera est, eorum tamen miserrima, qui nec suis quidem occupationibus laborant, ad alienum dormiunt somnum, ad alienum ambulant gradum, ad alienum comedunt appetitum; amare, & odisse, res omnium liberrimas iubentur; hi si velint scire, quam breuis ipsorum vita sit, cogitẽt ex quota parte, sua sit.* Deinde obserua sensum, sub quo Principum aulicos, greges appellet; non quidem, quòd ignari, vel insipientes, velut greges sint; qui enim ipsis, ad malum præsertim, callidiores? vti dicebat Bernard. *Sapientes sunt, vt faciant mala*; nec etiam, quod plebeij, aut vulgares, quamuis bene alicubi Seneca, vulgus non purpurâ discernat; sed quod terrenis bonis velut greges pascuis addicti, nihil aliud curent, cogitent, in memoriam adducãt; & aulæ rebus, ac Principum gratiâ, siue adepta, siue concupita, velut alto sopore ebrij, aut nimia ebrietate sopiti oculos, nec tantillum ad cœlestia subleuent, imo nec ad ea, quæ ad proximos, siue subditos spectant, paulisper demittant. Vndè scitè dixit Nazianz. aulicorum ingenium esse, de mortalibus, ac caducis rebus, tanquam de æternis, & numquã perituris iudicare, quasi ita in illis animum, mentem, & cogitationes omnes suas collocent, vt aliud nihil cupiant, siue sperent. Sic enim ille orat. 27. *Aulici, proceres, ac sublimibus thronis, & dignitatibus insignes, ne ob potentiam magnopere animos efferatis; nec de mortalibus rebus, tamquam immortalibus cogitetis:* plane quasi in Principum gratia, & sæculi flore, ac pompâ, omnia vota sua fixa, siue defossa habeant; hucque totus ipsorum impetus currat. Vndè idem Diuus eos, quasi rectis monitis non satis obtemperantes, sic rursus adhortatur, orat. 43. *Proceres potentiorem timete, qui sublimibus soliis insidetis, sublimiorem. Ne quid admireris, quod non permaneat; ne contemnas, quod certum, & stabile sit, ne quidquã arctius constringas, quod cum manibus tenetur, effluit.* O verè sapiẽs, & opportunum aulicis monitũ! qui res plumâ leuiores, ac si æternum gloriæ pondus esset, toto nisu apprehendunt; æternum gloriæ pondus, ac si pluma foret ab animis, & mentibus abire sinunt.

15. Nyssenus. Senec. Nazianz. Idem.

16. Fert id aulæ natura duplici de causa; altera, quia speciosa pompa, & splendore animum percellit, cerebrum mouet, & quasi de statu deiicit suo. Vndè Isid. Pelus. Isidor. Pelus. lib. 1. epist. 36. cum Antiocho imperatoris ministro, qui tantum apud ipsum gratia valebat, vt omnia imperij munia pro suo arbitratu moderaretur, hæc salutaria suggessisset. *Quoniam non modo imperatoris minister es, sed ipsum etiam arbitratu tuo, ac libito moderaris, in id omni studio, & diligentia incumbe, vt iustitiam in morbum prolapsam, imò vt rectius loquar, iam extremos spiritus edentem confirmes, vt iustum tribunal tibi placidum, ac benignum inuenias*: subiicit disertissimè, *etiam si nunc ipsius tibi non crebro in mentem venit, immodica videlicet rerum humanarum pompæ admiratione perculso* Nec ea solum quæ abdita, & nostris oculis nō sunt subiecta, ex aulicorum mente, atque memoria elabuntur, quin cœlestium pondus, & vis eorum animum feriant, sed eamet, quæ heri conspexere, & propriis manibus tractarunt, ne dicam eos, quorum ope, & industria ad regium fauorem peruenerunt, sic perpetuæ obliuioni mandant, ac si nunquam in cogitationem susceperirint; sin minus conice oculos in Gen. 40. 9. pincernam illum Pharaonis, de quo Genes. 40. 9. quem cum Iosephus optimè prius de eo meritus summissius exorasset. *Memento mei, vt suggeras Pharaoni, vt educat me de isto carcere*; ipse duos annos benefactoris sui, ac si eum, nec de facie nosset, oblitus est. Dum verò Patres tantæ huius, tamque fœdæ obliuionis varias perquirunt causas, Ambrosius, non aliam, quam ipsammet aulæ naturam, in quā omnes, pincernæ, siue vini præpositi, hoc est, aulæ rebus ita occupati, ac si nulla ipsis mens, nullus sensus, nisi ad res suas procurandas sit: sic enim Ambros. ille lib. de Ioseph. cap. 6. *Scis nempe tunc temporis hunc fuisse sermonem, sed obtusas habebas aures fastu potentiæ, & vini ebrius non audiebas verba sobrietatis.*

17. Altera quia ad Principum voluntatem, & nutum se totos tam animo, quam sensibus omnibus componunt, ac fingunt; qui verò hominibus placet, Ad Gal. 1. 10. seruus Christi esse, non potest. ad Galat. 1. 10. Vrget Petr Dam. quidem hanc rationem S. Petr. Damian. opusc. 22. contr. cler. aulicos, vbi ipsorum mores ad Principum potius, quam ad Christi gustum compositos sic describit. *Iam vero quis ambigat eum, cum datur occasio, fauorabilibus Dominum suum verbis oblinire, vt eum blanda possit adulatione mulcere, vtque eius animum capiat, quod sibi magis placeat, callidus obseruator explorat. Oculis gliscit, gestibus innuit, festiuitatem sereni cordis ore prætendit: pendet ad nutum, vt sic herile præceptum, tamquam per sibyllinum os Phœbi præstoletur oraculum: ire iubetur, euolat: stare præcipitur, silicem repræsentat: si dominus feruet, iste sudat; si ille æstum, hic cauma conqueritur: at si vel leuiter frigeat, hic necesse est, tremefactus visceribus obtorpescat: si ille dormire vult, hic acediatur: si satur est, hic ructare compellitur; sicque non suus nihil aliud loquitur, nisi quod illi placere suspicatur.* Apto hic totam Gregor. Nazianz. Nazianz. quam supra prælibaui sententiam, siue aulicorum descriptionem: quæ illos, vt mundo addictos, ita à Dei legibus aberrantes, sic facit. *Sunt enim infeliciores quidam, miseranda, & abominanda vita ludibria; quod fidem attinet, vtramque in partem parati, colentes temporum, non Dei leges, Euripi doctrinâ hinc, inde fluctuantes, ramorum flexus adulatores; dulcia mulierum venena; paruis leones, at rerum potientibus canes: cuiuslibet mensæ ingeniosi peruestigatores: potentium fores, non doctorū hominum quærentes: quod gratum aliis est habentes in pretio, non quod vtile, quo malos, etiam proximos suos efficiant.* Do tibi totum locum expendendum, vt ego solum obseruem priora verba, quæ ad rem nostram sunt: *colentes temporum, non Dei leges*: hoc est, pro temporis opportunitate, non pro Dei obsequio res suas ducentes; vti de Licinio Mutiano dicebat Tacit. lib. 1. histor. *Bonis, malisque artibus mixtus: nimiæ voluptates cum vacaret, quoties expedierat, magnæ virtutes:* Similiter de aulicis Galbæ eod. lib. *Intimi libertorum, seruorumque corruptius, quam in priuata domo habiti aulā Neronis, & luxum, adulteria matrimonia, cæterasque regnorum libidines auido talium si auderet, vt sua ostentantes, quiescenti, vt aliena exprobrabant.* Nimirum ad gustum Principis se totos componentes, colentesque temporis, & Fortunæ faciem, vt ab eâ, ac si verus Deus esset, suam beatitudinem expectent, iuxta illud Satyrici.

Te facimus, Fortuna Deam, cœloque locamus. Iuuen.

Sanè vt hæc illis Domini imprecatio immineat apud Isai. 65. 11. *Væ qui ponitis Fortunæ mensam*: Isai. 65. 11 præsertim si cum Symmacho, & aliis ex Hebræo Symmach. legas. *Væ qui ponitis mensam absque me*; vt nimirum dū Hebræa vox, pro qua Noster reposuit, *Fortunæ*, æquè significat, *absque me*, id nobis innuatur idem esse Fortunam colere, ac Deum non colere; siue eos qui se totos Mundo, & Fortunæ dedunt, & temporum leges colunt, Deum à se quodammodo proiicere, & in eius locum Fortunam subrogare.

Sed ad Nazianzeni mentem dum ait: *quod ad fidem attinet, vtramque in partem parati*, illud opportunius est; aulicos Dei obsequium, prout suis commoditatibus inseruit ducere; nec nisi cum ipsis expedit, virtutem colere, & Dei seruos reuereri, in diuersum subinde pro temporis opportunitate transituri; ita apud illos variatur quotidie iudicium. Co- 18.
gitationem aperio adducto exēplo ex 4. Reg. 9. 11. 4. Reg. 9. 11. vbi cum ex Dei præscripto venisset Dei famulus ad vngendum Iehu in Regem; secretóque apud ipsos peracta res fuisset, aulici his verbis Iehu allocuti dicuntur. *Quid venit insanus iste ad te?* Sed enim cum Iehu vnctum ab ipso se in Regem affirmasset, statim: *Festinauerunt, & vnusquisque tollens pallium suum, posuerunt sub pedibus eius in similitudinem tribunalis, & cecinerunt tuba, atque dixerunt: Regnauit Iehu.* Vides in vnomet temporis puncto eundemmet hominem aulicis & insanum, & Dei os, siue oraculum fuisse? *Quid venit*, inquiunt, *insanus iste ad te?* Cur insanus? Planè, quod Dei seruum esse, habitu, & conuersatione præseferret: Mundo enim Dei obsequium, & seruitus stultitia est. Sed cur iam rogo, ô viri Principes, insani hominis testimonio tantam habetis fidem, vt illi potestatem à Deo factam vngendi Iehu in Regem credatis? Causa in promptu est, quia ex insano, & amente, hominem prudentissimum, & diuino numine afflatum subita mutatione effici, è re ipsorum erat. Ab hoc non it Genes. 40. 16. Iosephum ab illo Pharaonis aulico, Gen. 40. 16. qui erat magister pistorum, sapientem somniorum interpretem æstimatum fuisse, cum pincernæ somnium enodauit, sic enim ibi: *Videns pistorum magister, quod prudenter somnium dissoluisset, ait, ego vidi somnium.* Quod si inquiras qua ratione, quibusve ductus coniecturis prudentiam interpretandi deprehenderit, cum res sub lite esset, nec aliquod tunc futuræ veritatis specimen appareret? Respondebo, inde aulico prudentem visum fuisse, quod rem in bonum omen acceperit, lætaque de gratiâ Pharaonis, & gradu pristino recuperando, qualia ipse sibi volebat, & sperabat, annunciauerit. Vndè, cum pro lætis lethalia denunciauit, nullam ab ipso prudentiæ Iosephi mentionem factam constat.

Hæc cum ita sint, desine mirari, Neronis aulicos auaros,

auaros, libidinosos, inanis gloriæ cupidos, colentes temporum, non Dei leges. Paulo non credidisse, nec Christi Euangelium suscepisse: cum id ipsorum commoditatibus, præsertimque ad Regiam gratiam aucupandam, siue retinendam minimè expediret, vt iam tracto: plura de aulâ modo mittens, siue in commodiorem locum transmittens.

ADNOTATIO III.

Malum Principis exemplum efficacissimum ad nocendum subditus esse.

1. SVBIICIO iam tibi alteram rationem, cur Neroniani aulici Euangelio credere noluerint; (loquimur de externis coniecturis, non de diuinis iudiciis, cur hunc potius, quam illum discernat; *quis enim cognouit sensum Domini?*) nimirum, quod Nero ipse non crediderit, credituri forsan illi, si ipse credidisset, eo modo, quo Ioan. 4. 38. de regulo in Christum credente dicitur. *Credidit ipse, & domus eius tota.* Certum namque est illud Tragici in Thyeste. Ioan. 4. 38. Sen Trag.

Rex vult honesta? nemo non eadem volet.

Certo tamen certius est, multò valentius, & efficacius malum Principis exemplum, quam bonum esse, vt subditi in eius imitationem currant, sane cum *Princeps velut anima Reipub.* (Pli. in Panegyr.) *aut quasi corporis caput, vnde totius corporis vita, motus, sensusque pendet*, sit, nonnumquam continget, vt eo benè valente, aliquod ex membris ægrotet; certè humano capite sanitatem obtinente, alia corporis membra ægritudine laborare, infrequens non est; at, *Vt in corporibus* (idem Plin. lib. 4. epist.) *sic in imperio grauissimus est morbus, qui à capite diffunditur in catera membra*: Est enim verissima paræmia. *Piscis à capite fœtet*, id est, à capite reliquum corpus morbum contrahit, atque inficitur: ita disertè Saluian. lib. 7. de Prouid. & gubernat. Dei, *Morbido enim capite nihil sanum est; neque vllum omnino membrum officio suo fungitur, vbi quod est principale non constat*: & statim: *Dominus, quasi corporis sui caput est, & vita eius cunctis quasi norma viuendi. Pessimumque est hoc in hoc negotio, quod libentius omnes deteriora sectantur, & facilius mala institutio damnat bonos, quam bona emendat malos.* Adstipulatur eodem sensu Nazianz. in Apolog. inquiens. *Neque enim vel indelebilem tincturam pannus, vel fætidum, aut suauem odorem res admota ita facilè contrahunt, vel exitialis quidam vapor tam facilè in aere animantia occupat, quod quidem & pestis est, & appellatur, quam subditi Antistitis improbitate celerrimè impleri solēt; & quidem multò faciliùs, quam virtute.* Pende imagines, quibus insuperabilem vim mali potius, quam boni Principis exemplum ostendit Theologus. Vndè ipsi sic adstipulatur Isid. lib. 3. sent. cap. 30. *Sicut nonnulli bonorum principum Deo placita facta sequuntur, ita facile multi praua eorum exempla sectantur.* Notetur discrimen inter boni, & praui exempli efficacitatem, quod hoc, *multos*, & *facile*, ad se alliciat: illud verò, *nonnullos*, solum, nullâ facilitatis factâ mentione. Quare sic subdit Isid. *Nonnulli autem sicut prompti sunt sequi Reges in malum, sic pigri sunt imitari illos in bonum.* Nec latuit id improbum Imperatorem Tiberium, qui bonum se simulans, rectaque ac salutaria consilia principibus viris præbens, apud Tacit. lib. 3. Annal. dicebat: *Et cum rectè factorum sibi quisque gratiam trahant, vnius inuidia ab omnibus peccatur.* Plin. Saluian. Naziànz. S. Isidor. Corn. Tac.

2. Hinc Paulus sic notantissimè præscribebat Timotheo epist. 1. cap. 2. 2. *Obsecro primum omnium fieri obsecrationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro Regibus, & omnibus, qui in sublimitate sunt.* Vbi si attendis; peculiare his verbis studium, anxiamque sollicitudinem ostendit Apostolus, dum tot modis pro regibus, orandum, & obsecrandum esse præscribit. Sed quare? subdit: *Vt quietam, & tranquillam vitam agamus in omni pietate, & castitate.* Ad quæ verba, illud in primis videtur obseruandum non dixisse Apostolum, vt quietam, & tranquillam vitam ipsi agāt, sed potius, vt nos *agamus*, non modo innuens, populi rectitudinem à rectâ viuendi ratione Principum, & Dynastarum dependere, eo modo quo dixit Fulgentius epist. 6. ad Theod. *Ita fit, vt qui sunt in seculi culmine constituti, aut plurimos secum perdant, aut secum multos in via salutis acquirant.* Et Tacit. lib. 4. Annal. *Ita nati sunt, vt bona, malaque eorum ad Rempubl. pertineant.* Sed peculiari emphasi monens, ad hanc vitæ probitatem nobis comparandam compendio vsuros, si eam nostris Principibus precibus à Deo impetrauerimus, non aliter, ac Plutarch. in libello cum Principibus esse philosophandum dicebat: *Etenim medicus, qui egregius sit, libentius oculum curauerit, qui multis prospicit, & excubat pro multis; philosophus item respiciet maiori charitate animum, quem pro multis sollicitum videbit, & cuius partes sunt, multis intelligentem, multis sapientem, & iustum esse:* Et post pauca: *Si philosophi oratio manum iniecerit homini vni priuato, qui capitur otio, circumscribatque se ipso, sicut centro, & spatio geometrico vtilitatibus corpori seruientibus, hic non prosemmat in alios, verum postquam tranquillum illum reddiderit, & pacatum; emarcescit, exolescitque: quod si virum in magistratu positum, politicum, & negotiosum pupugerit, eique infuderit virtutem, hic multis per vnū profecerit.* Quam ad rem sic optimè Ambros. lib. 2. Apolog de Dauid, cap. 11. *Illud aduertimus quòd Regum lapsus pœna populorum sit; sicut enim eorum virtute seruamur: ita etiam errore periclitamur; vnde optandum est nobis, vt regem gloriosum, atque perfectum habere possimus.* Ac si diceret; aliter, quid nobis superest, nisi sepulchrum? nam vnius inuidia ab omnibus peccatur. Ita quidem hostis nostri ea ars est, Principes potissimum in errorem inducere, vt compendiaria viâ subditorum animas perdat. Quò retulit per allegoriam Stephan. Cantuar. in alleg. Gotfrid. ad lib. 1. Reg. quod indidem c. 31. 9. de capite Saul præciso, & per circuitum adducto dicitur, his verbis. *Caput minorum illi non præciderunt, nec miserunt per circuitum, vt annunciaretur. Ad hoc enim tendit malignus spiritus, vt peccatum maiorum diuulgetur, vt sic minores eorum peccent exemplo.* Vndè obiter noueris, quid sit in causâ, quod in domo Principis occultum nihil, aut clausum sit, vti ad Trajanum dicebat Plinius. *Habet hoc primum magna fortuna, quod nihil tutum, nihil occultum esse patitur: principum vero non modo domus, sed cubicula ipsa, intimosque secessus recludit, omniaque arcana noscenda fama proponit, atque explicat*; nimirum præstant id indefessa cura maligni spiritus, hac atque illac principum peccata diuulgantes, vt subditos ad peccandum efficacius alliciant. 1. Ad Tim. 2. 2. Fulgent. Corn. Tac. Plutarch. Ambr. Steph Cät. 1 Reg. 31. 9. Plin. Iun.

Deinde notandum, non dictum à Paulo, vt quietam, & tranquillam vitam agatis, sed potius, vt *agamus in omni pietate*: semetipsum hac norma, & mensura remetiens; quasi ipsamet Pauli, & eximiorum virorum sanctitas, atque iustitia à principum virorum iustitia dependeat, infallibilemque cum illa connexionem habeat. Vnde signatissimè Regius Vates Psalm. 124. 3. dicebat. *Quia non relinquet* 3. Psal. 124. 3.

Dominus

Dominus virgam peccatorum super sortem iustorum. Hoc est minime patietur Dominus terram, in quâ iusti,& sancti degunt, impiorum hominum imperio regi. Sed quare? *Vt non extendant iusti ad impietatem manus suas.* Voluit dicere; ne iustos etiam, & egregiæ sanctitatis viros mali Principis exemplum post se trahat. Tantum enim Principis exempla ad sui imitationem valent, vt non modo mobili vulgo, sed ipsismet sanctis obiecta, eos permotura,& euersura sint. Hinc dum de Principibus, & sacerdotibus dicta existimant Theodor. & Cyrill. Alexand. illa
Osea 4. 19. Oseæ verba cap. 4. 19. *Ligauit eum spiritus in alis*
LXX. *suis*, siue vt LXX. habent. *Turbo spiritus tu es in alis*
Theodor. *suis.* Hic illis sensus subesse videtur, vt non solum
Cyr. Ale. subditos ad peccatum suopte nutu iam volantes, Principes malis exemplis, velut vehemens turbo, ad celerius volandum violentiâ suâ impellant, & currētibus calcaria admoueant, sed etiam ipsosmet, qui virtuti incumbebant, & ad bonum volare consueuerant, reflans hic turbo disturbet, & ad virtutem alas confringat. Hispane dixeris: *No se le leuantan las alas para el bien.*

4. Sed illud nostro instituto, in his Pauli verbis opportunissimum est, quod de Principibus, & Dynastis locutus, illâ vsus periphrasi fuerit; *pro omnibus, qui in sublimitate sunt.* Vbi eos cum funambulis, qui per sublimem funem incedentes, vel leui quidem lapsu in summo vitæ discrimine versantur, componere videtur; tum quod maiorum res maiori periculo,& animæ,& corporis sint obnoxiæ; esset enim optima ars principatus (vt dixit non nemo) si descensum haberet; tum vel maximè, quod non solum grauiora peccata, vt in priuatis personis euenit, sed leuiora etiam, non leue sibi, & aliis detrimentum
Nazianz. pariant. Id quod docuit Nazianz. in Apolog. *Quemadmodum in sublimi, & pendulo fune gradientibus in hanc, vel illam partem deflectere minime est tutum, nec enim parua inclinatio paruum periculum affert, verum eorum salus in æquilibrio posita est: ad eum quoque modum vtramuis in partem quispiam, siue ob vitæ improbitatem, siue ob imperitiam propenderit, tum ipsi, tum iis, quibus præest imminet, ne in peccatum prolabantur.*

5. Accinit illustris locus apud Isai. 5. 14. vbi totam
Isai. 5. 14. plebem infelicissimâ sorte ad inferos ruentem ea potissimum de causa, quod Principes improbi extiterint, sic facit. *Propterea dilatauit infernus animam suam,& aperuit os suum, absque vllo termino, & descendent fortes eius & populus eius,& sublimes, gloriosique eius ad eum.* Audis infernum præ deuorandorum multitudine, os illud vastissimum magis, ac magis aperientem, ac dilatantem? Iam vt tot hominum ruinam ab improbo vnius Principis exemplo
Cyr. Alex. ortum ducere videas, obserua Cyril. Alexand. secutum LXX. pro *gloriosi eius*, reponere, *pestes*, siue *pestilentes eius*, vt innuat Propheta totam plebis cladem à Principe aduenisse, cuius pessima exempla non secus, ac pestis dira contagione in proxima quæque serpserint. Ita indidem Cyr. *Typi quippe,& exemplaria fuerunt aliis vitæ execrabilis, quos sacrum oraculum alicubi affatur.* Laqueus facti estis specu-
Osea 5. 1. lationi,& velut rete expansum super Thabor, &c. *Vides ne, quo pacto laqueus,& pedica reliquis fuerint? nimirum Præfectorum probitatē, vel etiam socordiam imitari, plerumque consueuerunt subditi. Itaque ceu auctores,& causa interitus,& sibi ipsis, & aliis omnibus primi descendunt; & præcipites ibunt ad inferos diuina ira ante alios quodammodo in ipsos insiliente. Punientur verò, non quia diuites,& nobiles, sed quia pestes, id est labes,& lues tum sui ipsorum, vt dixi, tum gregis vniuersi.* Notetur pestis imago, quæ Principem,& morbo affectum,& in alios simul infundentem, aliter quidem, ac priuatis accidit, qui sibi solum ægrotant, sibi pereunt, pulchrè ostendit, eo modo quo dixit Tullius, lib. 3. de legibus: *Perniciose merentur de Repub. vitiosi Principes, qui non solum vitia concipiunt ipsi, sed ea infundunt in ciuitatem: neque solum obsunt, quod illi ipsi corrumpuntur, sed etiam, quod corrumpunt; plusque exemplo, quam peccato nocent.* M. Tull.
Et August. lib. de Pastoribus: *Parum est, quod mali pastores oues languentes,& infirmas,& errantes,& perditas non curant, etiam istas fortes, & pingues necant.* August.
Vide reliqua, quæ opportuna sunt. Vt ego obseruem pulchrè improbos Principes appellatos à Cyrillo, *Typos, & exemplaria vitæ execrabilis*, quasi subditis forma peccandi,& ad malum via, quæ ipsos antea lateret; ipsi sint. Quam ad rem sic opportunè loquitur Isidor. lib. 3. sent. c. 50. *Ideo Principem non* Isidor.
oportet delinquere, ne formam peccandi faciat peccati eius impunita licentia. Nam Rex, qui ruit in vitia, cito viam ostendit erroris. Pende illud: *ne formam peccandi faciat*, quasi à peccato principis subditorum cōscientia veluti materia à forma informetur, quod ipse non solum vitia concipiat, sed etiam infundat.

Hic cum de iustissima damnatione famosæ illius 6.
meretricis Babyloniæ dicitur, Apocal. 18. 3. *Quia de* Apoc. 18. 3.
irâ fornicationis eius biberunt omnes gentes, & reges terræ cum illa fornicati sunt, sic censer accipiendam causalem illam Rupertus, vt per hysteron proteron sit sensus, ideo de ira fornicationis eius bibisse Rupert.
omnes gentes, quia reges terræ cum illa fornicati sunt: ita enim ille: *Causa summa: totum fornicationis opprobrium Regibus imputatur.* Sanè quasi ipsi, proxenetæ,& duces, qui exemplo suo, subditorum voluptatibus lenocinentur; & ad obsecundandum libidinibus blandæ illecebræ,& incentiua sint. Quam ad rem signatissima sunt Isaiæ verba, cap. 43. 27. Isai. 43. 17.
Pater tuus primus peccauit,& interpretes tui præuaricati sunt in me. Verum notetur, tā in Hebræo, quam Lect. Heb.
apud LXX. pro, *interpretes*, esse, *principes*. Si verò LXX.
inquiras, quid principi cum interprete sit, vt Vulgatus reponere voluerit interpretes? Respondebo egregiè se ipsum in hac translatione gessisse, explicantem nobis, quod munus Princeps obeat, cū peccat, nimirum viam erroris subditis ostendere, vt dicebat Isidorus, eisque suadere, vt apertis tibiis ad malum ferantur. Certè dum subditus bonum Principem nactus est, non palam, sed subobscurè cum iniquitate loquitur, nec ei satis fidit, sed quasi illius verba non teneat, intimos sensus aperire recusat; at principe peccante, typumque & formam peccandi gerente, proprio iam, & amico idiomate cum illa sermones conferit, seque ad inuicem tenent, & familiariter tractant: In summa totum fornicationis opprobrium regibus imputatur. Ita citato loco Augustin. *An frustra dictum est seruo Dei, in omnibus* August.
te ipsum præbe exemplum bonorum operum, & forma esto fidelibus? Attendendo enim ouis fortis etiam plerumque præpositum suum malè viuentem, incipit dicere in corde suo, si præpositus meus sic viuit, quis ego sum, qui non faciam, quod ille facit? Ecce occidit ouem fortem. Deinde obserua ex grauiorum interpretum expositione patrem ibi significare Adamum, à quo posteri originariam labem acceperunt; vt dum vides principes simul cum Adamo coniungi, tamquam peccatorum populi causam coniicias nescio quam originalem maculam, quam in subditos princeps, tamquam caput refundat, vti dicebat Tullius: *Qui* Tull.
non solum vitia concipiunt ipsi, sed ea infundunt in ciuitatem.

Vt verò ab Isaia improbi principes pestium no- 7.
mine, ita ab Ezechiele, arietes, hoc est bellicæ illæ machinæ,

machinæ, quæ vrbium muros labefactant, & dissipant, eleganter appellantur, dum enim cap. 4. Ierosolymitana vrbs cingi obsidione iubetur, sic sibi præ-
Ezech. 4. scriptum inquit Vates. *Pone arietes in gyro*, vbi in Hebræo, vt bene ibi notat Prado, ea vox est, quæ, tam arietes, machinas scilicet ad euertenda, ac solo æquanda vrbium mænia, quam duces, & principes significat, vt argumento sit Principem improbum idem omnino, ac ferreus aries, qui subditorum virtutes oppugnet, & expugnet, esse. Vnde sic plange-
Bernard. bat, & clamabat ad Dominum Bernard. serm. 1. in conuers. Pauli. *Heu, heu Domine Deus, quia ipsi sunt in persecutione tua primi, qui videntur in Ecclesia tua primatum diligere, gerere principatum. Arcem Sion occupauerunt, apprehenderunt munitiones, & vniuersam deinceps liberè, & potestatiue tradunt incendio ciuitatem; misera eorum conuersatio, plebis tuæ miserabilis subuersio est.* Ac si diceret, extremum id malum esse, quando ab ipsismet vrbis custodibus, qui pro eius salute indefessas excubias agere deberent, id enim Principis munus est, miserè ipsa subuertitur, & dissipatur. Sub quo sensu dixisse videtur Dauid,
Psal. 54. 12. Psalm. 54. 12. *Ascendit super muros eius iniquitas, & labor in medio eius, & iniustitia, & non defecit de plateis eius vsura, & dolus*, vbi dum prauum ducem, seu Principem sub tragicâ iniquitatis personâ velut stationarium militem excubias circum mœnia agentem eleganter inducit, scitè infert nullum vitiis obseratum ostium, omnem virtuti, ac pietati interclusum aditum esse; ideoque ea in vrbe vitia, & peccata, instar senatorum, ac illustrium ciuium quietam, & pacatam vitam in publicis plateis age-
Agell. re, vnde sic ibi exclamat Agellius. O felicem scilicet vrbem, cui tales custodes ad muros positi sunt, & eiusmodi muris septa, ne virtuti, & paci pateat aditus, quæ adeò indefessis peruigilibus, & custodibus tenetur, vt die ac nocte peruigilent, neque tantillum quieti concedant.

8. Inest verò alia non minus elegans iis verbis ima-
Hieron. go, præsertim in lectione Hieronymi, quæ habet: *peruersitas*, siue, *prauitates in medio eius.* Videtur enim Principis iniquitas cum puncto centrico, à quo omnes lineæ deriuantur, componi: quasi eius prauitas, atque peruersitas, omnium peruersitatum subditorum causa, & origo sit; nam vt scite dixit ille.

Falsa regula prima
Horat. *Omnia mendose fieri, & distorta necesse est.*
Mat. 26. 60. Vis videre mendosa omnia? audi Matt. cap. 26. 60. in Christi passione dicentem: *cum multi falsi testes accessissent.* Quod si ad centricum punctum, vnde istæ prauæ lineæ deducantur, velis recurrere, dixerat ipse prius, vers. 59. *Principes autem sacerdotum, & omne concilium quærebant falsum testimonium contra*
Paschas. *Iesum.* Notauit id Paschasius ibi, his verbis. *Miser populus, cuius Principes iniqui sunt, & quorum seniores peruersi, quia multi falsi testes in eorum nunquam desunt conciliis; nam Princeps, qui libenter audit mendacia, omnes ministros habebit impios.* Quo quidem facit imago illa arboris proceræ magnitudinis, subter quam omnia animantia, & belluæ habitabant;
Dan. 4. 18. sub qua Regis Nabuchodonosoris aulam à Daniele describi, adnotat, præced. vidimus. Etenim improbi illi homines, siue belluæ, adulatores, ambitiosi, rapaces, omnique vitiorum lue infecti non nisi eius arboris, siue Regis vmbra protecti, eius fructibus, id est, exemplis victitantes, & animati, animi sui, conceptus, & partus, flagitia, inquam, & crimina edebant, sic dixit de vrbanis militibus Neronis, cuius
Corn. Tac. causa hæc scribimus, Tacit. lib. 1. histor. *Atque ita quatuordecim annos a Nerone assuefactos, vt haud minus vitia Principum amarent, quam olim virtutes verebantur.* Adeò eos exitialis arboris vmbra, & fructus alebant.

Hinc intelliges, cur ægritudinem, qua ad mortem 9.
ægrotauit Ezechias, 4. Reg. 20. 1. Isai. 38. 1. quā Cy- 4 Reg. 20. 1. Isai 38. 1.
rill. Alexand. in Isai. læuum vlcus, & pessimum, alij Cyr. Ale.
lethalem morbum appellant, Chaldæus Paraphra- Bibl. Reg.
stes lepram fuisse dixerit: Etenim Isai. 38. 20. vbi Chald.
Vulgatus habet, *super vulnus*, Regia verò: *super inflammationem.* Chaldæus legit, *super scabiem.* In qua versione meritò ambigas lethalem morbum, lepram fuisse, quid enim lentæ ægritudini, & citatissimæ morti? Quare non abs re dixeris; Chaldæum non tam appellasse lepram, regium illum morbum, qui reapse lepra fuerit, quàm vt in mysterio nobis innueret; quamcumque ægritudinem regiam; lepram, hoc est, contagiosum malum, quod subditos simul inficiat, atque corrumpat, esse. Nam, *Si quis de populo deuiat*, (verba Bernard.) *solus perit, verum* Bernard.
Principis error multos inuoluit, & tantis obest, quantis præest ipse. Hæc illud confirmat, quod Rege Ozia infami illa tum corporis, tum animi leprâ laborante, & contra Dei præscriptum non extra vrbem, sed in Ierusalem degente, sua Deus populo responsa, & oracula denegarit, vt satis liquet ex illis Isai. verbis, Isai. 6. 1.
cap. 6. 1. *In anno quo mortuus est Ozias, vidi Dominum &c.* quasi omnes Ierosolymitanos diuinis responsis, & prophetarum admonitione indignos iudicaret, vt benè obseruat ibi Cyrill. Sed quare? Sanè, Cyr. Ale.
quod rege lepra infecto, & inter subditos degente, omnes simul leprosi, atque corrupti censendi fuerint, cum regia ægritudo in subditos pestis instar grassetur. Apto hic quę Chrysost. homil. 33. in epist. Chrysost.
ad Hebr. habet, cum enim ad commendationem Principatus dixisset, non aliter populo sine Principe euenire, ac choro sine coryphæo; phalangi sine duce; naui sine nauclero, gregi sine pastore; postmodum subiicit grauius multo malum esse, quando ipse Princeps malus existit. Quod quidem difficile esse dixeris, præsertim si propriæ voluntatis virus, atque perniciem expertus es: quid enim peius possit homini accidere, quam sibi ipsi relinqui? num ab alio, quam à se ipso (vt alibi idem Chrysostom. latè confirmat) quis læditur? aut peritior ad sibi nocendum excogitari artifex valeat? Sed ad manum est responsio, malum quidem, & exitiosum, vtrumque esse; at enim verò inter hæc duo mala illud interesse discrimen, quod, vt sine gubernatore nauis, sine pastore grex, homo sine Principe, & Prælato feratur, vt velit, aut forte fortuna ad caulam grex, ad portum nauis illa applicuerit, subditus verò à prauo Principe ductus in certum interitum, cui vlla vix remedij spes subsit, ruit. Ita indidem Chrys. *Ille qui-* Chrysost.
dem (qui sine gubernatore sibi est relictus) *saluatus est sæpe numero plerumque etiam in periculis decidit. Ille autem modis omnibus pericula subiturus est, dum ad foueas, & ruinas impellitur.* Quo facit illud Ischomachi apud Xenophontem. *Improbi domini* Ischomac.
seruos probos, & fruges memini me nouisse.

Præfatæ Chaldæi versioni adstipulari videtur Sa- 10.
lomon Prouerb. 25. 5. inquiens: *Aufer iniquitatem* Prou. 25. 5.
à vultu regis, & iustitia firmabitur thronus eius. Vbi dum statim occurrit dubium, cur regis iniquitatem in vultu, & non potius in manibus, quibus ipsa hærere videtur: vt de se dixit Iob cap. 31. 7. *Si manibus meis adhæsit macula*, considerauerit Salomon; forsan dixeris: rationem esse, quod hoc sit inter Principis, & priuatorum errata discrimen, quod hæc velut maculæ in corpore, illa verò in facie, vbi magis cōspicuæ, & inuisæ sunt considerantur: sic dixit Plu- Plutarch.
tarch. in præcept. politic. *Quomodo enim in facie lentigo,*

lentigo, & verrucæ magis sunt, quam notæ, mutilationes, & cicatrices reliqui corporis odiosa, sic exigua peccata quando apparent in Principum, & politicorum vitiis, magna propter existimationem, quam de Magistratu, ac Republ. habet vulgus, vt de re magnifica, quæ omni vacare vitio, & delicto debeat, videntur. Ego verò potius crediderim, caussam fuisse, quod sapiens, subditos in facie Regis, tamquam in speculo se intuentes, & ad eius nutus se componentes consideret; hinc enim est ipsos pro facie Principis faciem suam sumere, & speculo infecto, maculas sibi etiam haurire, ideo ait: *Iustitia firmabitur thronus eius.* Ac si ex regis iniquitate subditi omnes, iniqui, ac proinde instabilis, & exitio obnoxius regius thronus futurus sit. Nam Senec. Trag. in Thyeste auctore. *Senec. Trag.*

Vbi non est pudor,
Nec cura iuris, sanctitas, fides, pietas,
Instabile regnum est.

Osee 5. 1. Cyr. Ale. Concinit Salomon Oseas cap. 5. 1 à Cyril. Alexand. num. 5. citatus. *Domus Regis auscultate, quia vobis iudicium est, quoniam laqueus facti estis speculationi, & sicut rete expansum super Thabor.* Quæ verba dum suo loco tractat idem Cyril. sic explicat, vt Principes laqueus speculationi, hoc est, populo in faciem eorum speculanti, & ab ea maculas, & peccata sumenti, fuerint: sic enim Cyril. *Architecti erroris erant reges, proinde ad illos ait.* Laqueus facti estis speculationi. *Speculantur enim ipsi, & inspiciunt subditos, aut etiam inspiciuntur à subditis, & quo Dominis visum fuerit, eò subditos auertunt, qui voluntatem Principum sequuntur. Fuistis igitur, vt laqueus multitudini, quæ vos speculatur.*

11. Fuit quidem id in causa, quod dum Regi Dauidi denunciatum est, egregium belli ducem Abner impiis Ioabi manibus occubuisse, 2. Reg. 3. 28. ipse tùc Rex prudentissimè exclamarit. *Mundus ego sum, & regnum meum apud Dominum, vsque in sempiternum à sanguine Abner.* *2. Reg. 3. 28.* Vbi si regi in primis angustum animum obiiciat non nemo; quod anticipata excusatione se ipsum non accusatus purgarit, facilè occurres in crimine à ministro Regis commisso non potuisse non timeri auctoritatem regiã intercedere; ac proinde non gratis se excusasse. Quid quod, *quilibet nostrum* (verba Senec. lib. 1 de Clem. c. 15.) *debuisset aduersus opiniones malignas satis fiducia habere in bona conscientia: principes multa debent famæ etiam dare.* *Senec.* Sic Augusto dicebat vxor Liuia apud Dionem. *Oportet vos nihil mali facere videri: nam priuatis quidem hominibus satis est nihil delinquere; principibus ne quidem suspectis esse licet.* *Dio Cass.* Sed enim illud opportunius inquiras, cur non se solum Dauid, sed totum etiam regnum à criminis suspicione liberare voluerit? id enim frustra præstitum videtur. Vt quid enim regnum in vnius hominis, innocentis præsertim, & strenui ducis necem conspirasset? Sed respondeo, nõ sine causa hoc factum à Dauide, etenim eo semetipsum excusante, regnum etiam suum eadem ductus ratione excusare debuit; rege enim in Abner sæuiente vix vllus subditorum esse posset, qui à culpa censeretur immunis. Sanè dum faciem Principis sequebantur, vt in ea, tamquam in speculo se intuerentur, cædis à rege patratæ maculam ipsos etiam hausisse præsumi potuit. *Nam quid aliud agant subditi* (Lactantius lib. de iustit. c. 9.) *quando Principum imitatio pars obsequij sit: & quoniam mores, ac vitia regis imitari, genus obsequij iudicatur, quid mirum si abijciant subditi pietatem, ne exprobrare regi scelus videantur, si ipse viuant?* *Lactant.*

12. Quæ hucusque diximus ad vulgaria huius rei sensa spectant, illud iam peculiariter obserues, hunc subditorum ad premenda principum vestigia impulsum, licet ab ipsis expressus, & veluti coactus, & vi extortus videatur, adeo non esse coactum, vt maximè spontaneus, & ex ipsismet voluntatis visceribus ortus sit: nec enim reluctantes, & inuiti ad pessimum principis exemplum se subditi fingunt, sed libentes potius atque alacres palam, & aperto capite ipsorum flagitia quasi egregia facinora imitaturiũt. Quare rursus expende tam verba illa Isaiæ 43. 27. *Interpretes tui, siue Principes tui præuaricati sunt in me,* quam id Ps. 124. 3. *Non relinquet Dominus virgam peccatorum super sortem iustorum, vt non extendant iusti ad iniquitatem manus suas.* *Isai. 43. 7.* *Psal. 124 3.* Et verò apud Isaiam pro principes, siue interpretes, apposite legas ex Hebræo *dulces*, siue *melliti*; quod eo sensu capio, vt omnem peccati acerbitatem, pungentisque conscientiæ remorsus à subditis peccãtes reges tollant; quod omnis peccati amaritudo regij exempli melle, ac dulcedine condiatur, atque dulcescat; ac proinde non clanculum, & verecundè, sed aperta frõte peccare. Significat id quidem phrasis extendendi manus ad iniquitatem, quam vsurpauit Dauid: nam, vt bene monent Agellius ibi, & Ribera, & Montanus in id Oseæ 7. 5. *Extendit manum suam cum illusoribus*; extendere manus in Scriptura non tam denotat rem vtcumque facere, sed liberè, aperte, nullo metu, nullo pudore prohibente aggredi, vt magis iam mireris ex sententia Psalmographi eam regij exempli vim, & efficacitatem, siue dulcem illecebrãm, aut illecebrosam dulcedinem esse; vt non modo pessimi quique; qui ad malum iam animum adiecerant, sed ipsimet probi & iusti ad iniquitatem manus extendant, siue nulla verecũdiã, ac remorsu iustitiam proculcent, & peccatum amplexentur. *Agell.* Sic dixit de idololatris Athan. orat. aduers. idola: *Cum enim videant suos deos istiusmodi rebus oblectari, statim eos eisdem delictis æmulati sunt, egregium facinus arbitrati, si exempla eorum, quos summos censebant, imitarentur.* *Athanas.* Et similiter de populo Israelitico summã alacritate iniquis Roboami iussis obtemperante Ioseph. lib. 8. antiquit. *Quandoquidem ea est natura rerum humanarum, vt cum principũ, ac magistratuum moribus, etiam subditi deprauentur, quorum modestia ceu norma corrigi debebant, & pro virtutibus vitia sequantur; sicut sub Roboamo contigit; populo leges, ac pietatem egregiè contemnente*; pende in Athanasio: *egregium facinus arbitrati*; in Iosepho: *pietatem egregie contemnente.* *Ioseph.* Quæ regij exempli dulcedinem, quã subditi inescantur, mirificè ostendunt.

13. Sed ille huic instituto opportunissimus locus est Oseæ 7. 4. vbi agens Vates de immanissimo idololatriæ crimine, ad quod populus ex Hieroboami Regis exemplo impegit, Principem tum fermento, tum etiam pistori; populum verò, & massæ fermentum auidissimè excipienti, & clibano ad suscipiendos panes succenso: sic comparat *Omnes adulterantes, quasi clibanus succensus à coquente, quieuit paululum ciuitas à commixtione fermenti, donec fermentaret totum*; & vers. 6. *Quia applicuerunt quasi clibanum cor suum, cum insidiaretur eis, tota nocte dormiuit coquens eos.* *Osee 7. 4.* Pulchræ quidem ad hanc rem imagines; clibanus namque ardentissimam cupiditatem, animumque ad scelus omnino pronum, atque procliuem ex Regis exemplo redditum: massa verò naturalem quandam, cum ipso affinitatem, & veluti materiæ ad formam appetitum ostendunt, vt appareat quanto calore, sicut ab igne clibanus, imò suauitate, & gustu, sicut à fermento massa; ad peccata Principis imitanda subditi inflammentur. Vndè obserua illa verba. *Quieuit paululum ciuitas à commixtione fermenti, donec fermentaretur totum*; quæ

Lect. Tig. quæ ex Hebræo bene transfert Tigurina sub personâ regis. *Qui quiescit, nec excitat, posteaquam subegit pastam, donec sit plene fermentata.* Sic verò explicat Hieron. Hieronym. quasi opus regi fuerit tantisper ab hoc negotio supersedere, ne nimis vrgere, & vi potius, quam exemplo, quod multo efficacius & valentius est, rem perficere videretur. Corn. Tac. Certè *obsequium in principem, & æmulandi amor*, (Tacit. lib. 3. histor.) *validiora, quam pœna ex legibus*, ita etiam de militibus Othonis, qui ipsum, & viui, & morientes æmulati sunt, dixit scriptor. *Quidam militum iuxta rogum Othonis interficere se, non noxa ob metum, sed* Nazianz. *amulatione decoris, & charitate principis.* Hinc Nazianz. impium Iulianum negantem se in Christianos publico edicto sæuire, optime reuincit, quod aliquando se iactando dixerit: *Quid enim graue si vna manu gentilis decem Galilaos*, (sic enim apostata appellabat Christianos) *interfecerit*? cum regium quidem exemplum omni edicto, legeve scripta firmius, ac fortius esset. Ita enim Greg. orat. 3. quæ est 1. in Iulian. *Hæc vero an non perspicua crudelitas? an non persecutionis edictum, & quidem iis, quæ publicè proponuntur multo expressius, & formidabilius? Quid enim interest? periculum Christianis edicas, atque promulges, atque Christianorum persecutoribus delectari præ te feras. Velle etenim imperatoris lex est non scripta, imperij, & potentia patrocinio septa, & quidem scriptis legibus, quæ potentia non fulciuntur, longe firmior, atque valentior.* Pacat. Ad quem etiam modum Pacatus in panegyrico ad Theodosium, *blandissimè iubetur exemplo.*

14. Adsimilis Ieremiæ locus, cap. 23. 10. *Adulteris* Iere. 23.10. *repleta est terra*: Et statim: *factus est cursus eorum malus, & fortitudo eorum dissimilis.* Indicans his verbis Propheta tum ingentem peccantium multitudinem, tum etiam quam libentes, & proni in peccata ferrentur; hoc enim denotant illæ phrases, *cursus*, & *fortitudo*: prior enim alacritatem, & celeritatem: posterior impetum siue pondus inclinati animi significat, sic de propensione, & promptitu- Senec. dine animi dixit alicubi Seneca: *felix qui ad meliora hunc impetum dedit.* Sed quænam mali huius cursus; & dissimilis fortitudinis ab ea, quam populus antea habere consueuit occasio, & causa? Subdit Ieremias, *Propheta namque, & Sacerdos polluti sunt, & in domo mea inueni malum eorum.* Vides originem tam velocis, & expediti ad malum cursus? quod videlicet populus ad principum gradum ambularent, se seque ad eorum similitudinem componerent. Quod si ad primum mobile cæteros motus, & cursus velis reuocare, audi quid præced. c. vers. Iere. 22.17. 17. de Sellum improbo rege dixerit Vates. *Tui verò oculi, & cor ad auaritiam, & sanguinem innocentem fundendum, & ad calumniam, & ad cursum mali operis.* En primariam mali cursus populi rationem; malus cursus Regis, à quo tota pernicies, & intemperantia subditorum decurrit. At enim verò pro hac locutione Ieremiæ obserua discrimen, quod inter bonum, ac improbum Principis exemplum, dum vtrumque subditos ad imitationem allicit, interce- Isaia 2.2. dit. Certè Isaiæ 2.2. de gentibus ad Christum concurrentibus dicitur, *& fluent ad eum omnes gentes.* Vbi aliquod negotium facessit, fluendi metaphora, quæ facilem, & expeditum cursum denotat; cum tamen immediate ante dixerit Propheta: *Erit præparatus mons Domini in vertice montium*; arduam, & difficilem viam, montis imagine significans, qui ergo ad montem fluere, & non potius pedibus, ac manibus reptare gentes dicentur? Retuli cap. 1. versic. 1. adnotat. 6. num. 3. ad vim mutuæ conspirationis, & societatis, dū plures ad bonum communi gressu currunt; modo ad bonum Principum exemplum potiùs referre placet. Porrò in Scriptura Reges, appellantur fluuij, vt Abacuch 3. 3. 10. Abac. 3.10. *fluuios scindes terra*, ex Hieronym. & aliorum ex- Hieron. positione, nec non Ecclesiast. 4. 32. *Noli resistere* Eccl. 4.32. *contra faciem potentis, nec coneris contra ictum fluuij.* Cui concinit id Satyrici de Crispo morem gerente Domitiano, Satyr. 4.

Ille igitur numquam direxit brachia contra Iuuen.
Torrentem.

Ex quâ quidem phrasi, & locutio fluendi optimè subsistit, & quonam modo ardua virtutis semita planior, faciliorque reddatur, coniicitur, quo enim fluuius decurrit, parui etiam riuuli, quos ille secum rapit, nulla difficultate confluunt; nam quæ se offerunt obstacula, fluuius suo impetu superat: imò hinc colligas plus difficultatis ei, qui Principis ductum non sequatur, imminere, quippe qui aduersus præfatum Ecclesiastici monitum, cap. 4. 32. cōtra ictum fluuij conetur. Sed enim si aduertis, hæc cliuum, siue ascensum à Principis imitatione non omnino remouent; nam, vt ad montem fluere gentes, ostendant, at montem, cliuum, difficultatemve non vndique tollunt, sed leniunt, & dirigunt; in mali verò Principis exemplo secus quidem est, nam ipsius sequaces summâ celeritate, alacritate, totoque impetu currunt: *Factus est cursus eorum malus, & fortitudo dissimilis.* Non enim per montem fluere, siue ascendere, sed à monte decurrere dicuntur. Ita Na- Nazianz. zianzen. orat. de se ipso ad Episcop. ad fin. ol; et. *Tacitè clamamus, etiam si non videamur loqui, sic ceratum habemus Antistitem, nemo quid laboris suscipiat, mali euadite; hoc maximè compendiarium est, & optimum; nimirum ipsius Antistitis factum pro lege ducitur. Etenim vix aliquis omni à Doctoribus adhibita vi propendet ad meliora. Quod si aut formam, aut exēplum habeat improbum, captus est; similis est riuo per decliuia decurrenti.* Ita de militibus Neronis dicebat Tacit. num. 8. *Non minus vitia Principis amarent,* Corn. Tac. *quam olim virtutes verebantur*: vitiis Principū, amorem & inclinationem, virtutibus verò reuerentiam, & metum subditorum tribuens. Nec omittam in præfatis verbis Ieremiæ obseruare; cur populi fortitudinem appellauerit dissimilem: sanè id liquet ex verbis, quæ cap. 22. immediatè præcesserant illis. Ier. 22.16. *Tui vero oculi, & cor ad auaritiam.* Nimirum: *Iudicauit causam pauperis* (loquitur de Iosiâ patre Sellum) *& egeni in bonum suum, &c.* Rege enim iusto, populus etiam iustus, & benè formatus fortitudinē, & impetum ad meliora dabat; post modum verò Principe improbo, *fortitudo eorum dissimilis* fuit.

15. Iam ex dictis coniice, quam male de populis mereantur mali principes, quamque magnę iræ Dei sint obnoxij, qui salute, & vita, optimis moribus, & exemplis subditis danda, mille illis criminum vulnera, & sæpius æternam mortem infligunt. Sanè hoc Regia exigit dignitas, atque id Principum munus est, vt optima gubernandi ratione, sed potissimum, *forma facti gregis*, exemplo subditos ad 1. Petr. 5.3. Deum alliciant, & virtutibus siue diuina imagine consignent. Sic dicitur Iechonias: *annulus in manu dextera Dei*; Ierem. 22. 24. & de Salathiel: *ponam* Iere. 22.24. *te quasi signaculum.* Aggæi 2.24. vt, ex antiquo mo- Agg. 2.24. re, Principibus familiari, consignandi, suo nomine, & imagine, quæ summam vim, & pondus habere volunt, notum sit principes Dei annulos esse: tum quia optima viuendi ratione peculiarem ei honorem deferant, vt ex annulo equestris, & nobilis ordo dignoscitur, tum vel maximè, quod Deus mediis ipsis, subditorum animos tamquam signatorio annulo sua effigie consignet. Quid verò ab

improbis Principibus magis fuerit alienum? cum pro virtutibus, & Dei imagine dæmonis effigiem, quæ vitiis inserta est, subditis imprimant. Hinc grauis illa Dei querimonia apud Oseam, cap. 5. 1. quam supra versabat Cyrillus Alexandrin. *Vobis iudicium est, quia laqueus facti estis speculationi, & sicut rete expansum super Thabor.* In quæ verba Hieronym. *Speculatores, & Principes vos constitui, vt populum regeretis errantem, vos autem facti estis laqueus, & non tam speculatores, quam venatores appellandi.* Proh facinus! Qui defendere debebatis, offenditis? quorum munus erat prospicere, interficitis? ab iis mors oritur, à quibus vita inspiranda erat? Ergo, *potentes potenter tormenta patientur.* Sapient. 6. 7. Quare? quia non pro suis tantum, sed pro subditorum peccatis, quæ malo exemplo in eos infuderunt, plectendi sunt. Sic Gregor. 3. part. pastor. admonit. 5. *Scire etenim Prælati debent, quia si peruersa vnquam perpetrant, tot mortibus digni sunt, quot ad subditos suos perditionis exempla transmittunt.*

(Marginalia: Osea 5. 1. — Cyr. Alex. — Hieron. — Sapien. 6. 7. — Gregor.)

16. Quod si futuræ vitæ supplicia, & minæ Principes minus mouent, quod præsentia futuris, & visibilia iis, quæ non videntur, longo interuallo anteferant; hoc etiam norint; malos Principes non in alio solum sæculo, sed in hac etiam vita grauissimis pœnis, & vitæ ipsius iactura, quam ipsi tantopere amãt, à Deo puniri, peculiarique ipsi curæ esse, spatia viuendi illis decurtare; ne subditis prauis exemplis magis noceant. Significat id quidem comminatio facta Iechoniæ citat. loco Ierem. *Si fuerit Iechonias filius Ioachim regis Iuda annulus in manu dextera mea, inde euellam eum:* obserua hæc extrema, *inde:* id est, è regno: *euellam*, hoc est, violenter excutiam; & vi à regia sede remouebo. Firmat id visio Danielis cap. 4. 11. quam non semel tractauimus, de Nabuchodonosore sub imagine arboris; subter quam quæuis animantia commodum haberẽt perfugium; volucresque nidos suos pro pullorum fœtura conficerent: nam vix hæc Vati ostensa sunt; cum à vigili Dei nuncio ad vigiles alios spiritus acri, & plena voce conclamatum, affirmat. *Succidite arborem, & præcidite ramos eius, excutite folia eius, & dispergite fructus eius: fugiant bestiæ, quæ subter eam sunt; & volucres de ramis eius:* & post nonnulla: *in sententia vigilum decretum est, & sermo sanctorum, & petitio.* Vbi vides à peruigilibus spiritibus petita, obtẽta, atque executioni mandata arboris excisio, hoc est, Principis à regia sede expulsio. Sed qui hi vigiles sint, scire oportet. Respondet ibi S. Thom. non alios, quam custodes Angelos esse. At, quæ hæc custodiendi, & protegendi ratio? qui ad custodiam, & salutem hominum sunt deputati; perniciem, & exitium regi afferant? Ita quidem; non quod eorum animus fuerit regi exitium machinari, sed cum eorum munus sit continuò inuigilare, ne animæ ipsorum fidei commissæ aliquid detrimenti capiant, simulque animaduerterent sub improbi illius Principis vmbra subditos degere, prauisque ipsius exemplis vesci, ac criminum fomenta reperire, vt debito officio satisfacerent, non potuerunt non obnixiùs postulare noxiam illam arborem excindi, vt malo Principis exemplo amoto ad bonam subinde frugem subditi se reciperent.

(Marginalia: Ier. 22. 24. — Dan. 4. 11. — S. Thom.)

17. Placet verò, componere arborẽ hanc nullâ cunctatione excissam cum ficu illa, Lucæ 13. 8. excidenda: est enim è re nostra discrimen inter iudicium in vtramque prolatum; nam vt in arbore regem adumbrante nullæ pro eius incolumitate interuenerunt preces, nulla interiecta est mora, quin prolata sententia executioni mandaretur; ita pro ficu colonus intercessit, vnum ad minus à Domino annum impetrans, quo fossa circa illam terra omnique adhibito remedio, aliqua ferendi fructum superesset spes. *Domine, dimitte illam & hoc anno, vsque dum fodiam circa illã, & mittam stercora.* Quid? humanior ne rusticus hic colonus, quam cœlestes illi spiritus sunt? Absit. Quid? sperari de priuato pœnitentia potuit? de Principe non potuit? Non opinor. Ergo crediderim benignius cum ficu, hoc est, cum priuato, quam cum rege actum esse, quod ille sibi soli, hic verò pluribus perniciem afferret; vnde vt ibi dubia salus, cui opera ferre æquum erat, ita hic certa ruina, cui prouideri omnimodis debebatur, apparebat. Subsistit hæc ratio ex vtriusque loci verbis: nam pro ficu excindenda, illa solum affertur causa, *Vt quid terram occupat?* id est, quare sustineatur res nullius frugis, & terræ inutile pōdus? at cum arbori huic proceræ magnitudinis excidium denunciatur, illud pro ratione dicitur: *Fugiant bestiæ, quæ sub ea sunt, & volucres de ramis eius*, ac si dicatur, ideo succidi, vt subditi ab eius vmbra, & imitatione fugiant. Confirmat hæc omnia supplicium de superbo Rege Ozia contra ius, fasque sacerdotale sibi munus præripiente à Deo sumptum, 2. Paralipom. cap. 26. 19. Nam statim, *orta est lepra in fronte eius.* Sed pro: *orta est*. LXX. quos sequitur Chrysost. homil. 4. de verbis Isai. habent: *effloruit lepra:* non mediocri emphasi: vt enim alicui subobscura videatur locutio, quod lepra fœtere potius, quam florere videatur, at valde est consentanea consuetudini Scripturæ, in qua supplicium celeriter sumptum, & quasi ante tempus maturum florere dicitur. Sic Ezech. 7. 10. de excidio iam iam imminente: *floruit virga:* & Ierem. 1. 11. eodem sensu: *virgam vigilantem*: (Hebraice: *amygdalinam*, hoc est, cito, & maturè florentem:) *ego video*, ac si inibi dicatur, citius Deum de improbo rege, quam de priuata alia persona sumpsisse supplicium, vt vel hoc modo subditorum imitationem, & peccata pœnæ terrore iniecto intercideret. Quo quidem facit, regi in fronte potius, quam alio in loco, pœnam irrogatam; vt quando is subditorum mos est, vt faciem Principis, velut solem, à quo colorentur, aut speculum, in quo se intueantur, requirunt, itidem ibi supplicia, quibus ab eorum imitatione deterreantur, aspiciant, & vbi peccandi, ibi cauendi, & metuendi exempla sumant, pœnâ velut viua lege aduersus Principis exemplum conclamante. Ita citato loco Chrys. *Effloruit lepra non alio in loco quam in fronte, vt facies præseferat vindictam, vt tanquam in columna litera essent impressa.* Et paulò post: *Ceu lex posita est velut in sublimi loco, dicens. Nolite facere talia, ne patiamini similia: extat lex viua, & frons vocem edit tuba clariorem.* Sic ille. Iam, cur Nero ipse non crediderit, inuestigemus.

(Marginalia: Luc. 13. 8. — 2. Par. 26. 19 — Chrysost. LXX. — Ezech. 7. 10. Ierem. 1. 11 — Chrysost.)

ADNOTATIO IV.

Sæpius Principibus suos familiares impedimento esse, quominus Deo obtemperent, suoque munere rectè fungantur.

1\. ERGO Regia Neronis Deo non credidit, quod Nero ipse non crediderit. Sed cur is non credidit? (Nõ loquimur de potissima illa ratione, quod non fuerit tractus à Patre.) Tertullianus in Apologetico, capitul. 21. eam de imperatore Tiberio rationem adfert, quæ Neroni non minus congruere videtur. *Sed, & Cæsares credidissent super Christo, si aut Cæsares non essent sæculo necessarij, aut*

(Marginalia: Tertull.)

aut si Christiani potuissent esse Cæsares. Ac si diceret: Credidissent Cæsares Apostolorũ monitis,si Christianus,& sæculum inter se conuenirent; id est, si Christiana fides ea pateretur vitia, quibus Cæsares ita erant addicti,vt ab illis vix diuelli possent. Sed vt benè Neroni,omni vitiorum sorde commaculato hæc ratio aptetur;peculiarem ego aliam ex ipsius familiaribus affero; Nimirum ipsos maximo illi impedimento fuisse, quominus Euangelium susciperet. Sanè, vt Neroni cum omnibus egregiis viris apertæ inimicitiæ,& exitiale odium fuit:ita semper turpissimi quique homunciones,lenones, mimi,histriones, magi, ac venefici non modo in deliciis,& amicitia, sed ab intimis ipsius consiliis erant; nam præter Galuiam Crispinillam, quam magistram libidinum Neronis,appellat Tacit.lib.1.histor.& Sophonium Tigellinum à nobis ex eodem Tacito,adnotat.2. descriptum, quem sibi familiarem ex intimis libidinibus assumpsisse, affirmat idem scriptor lib.14.Annal. & Simonem Magum, tàm peculiari odio, quàm ipsiusmet execrabilis vitæ improbitate,in Christianum nomen valde infensum; nullam vnquam alicuius Principis aulam tot deterrimorum familiarium fœcundiorem exstitisse, sic apud eundem Tacitum testatum inuenies, lib.14. Annal. *Cunctanti Neroni in oppidis Campaniæ,quonam modo vrbem ingrederetur, an obsequium Senatus,an studia plebis reperiret anxio;contra deterrimus quisque,quorum non alia Regia fæcundior exstitit.* Hos autem amicos,consiliarios,magistros cum habuerit Nero, qui fieri posset vt Christianam disciplinam susciperet? Equidem ita res euenit, vt quemadmodum subditi, flexibiles in quamuis partem à Principe ducuntur, ita Principes in vtramuis partem à suis familiaribus flectantur, atque hàc, illacque iuxta ipsorum mores circumagantur: vndè animose dixeris, totum salutis, siue exitij Principis,ac proinde regni totius momentum in hoc aulicorum, siue familiarium Principis cardine verti.

Corn. Tac.

2. Certè cum in Thabor Vnigenito suo summus Pater aulam instituit, atque ipsum multa egregij Principis documenta mundo dare voluit, illos ei familiares,& consiliarios signatè adiunxit,qui legis diuinæ, & zeli gloriæ Dei typum præseferrent, Moysem videlicet,& Eliam:non quidem quod ipsis Christus,Dei virtus,atque sapientia, opus haberet, sed vt inde Principes moneret, omnia ab ipsis consultatione habita cum iis familiaribus; qui Dei legem,& gloriam præ oculis habeant peragenda esse.

Marc. 9.2. At quale tunc regnum? qualis Regni gubernatio erit? Disce ex Christi aulà,vbi nihil ad priuata cõmoda,nihil ad propriam vtilitatem, sed omnia ad regni bonum, & subditorum emolumenta ducuntur. *Loquebantur*, enim eius aulici, *cum illo,& dicebant excessum eius, quem completurus erat in Ierusalem.* Luc.9.31. nimirum Christo,non nisi Dei gloriam,& mundi salutem ob oculos proponẽtes.Dum verò Petrus extra chorum saltans de propria adstãtium vtilitate loquutus est,tamquam, *nesciens, quid diceret*,reiicitur.En ergo rectè dispositum regnum, en mundum redemptum, atque saluatum, cum ij consiliarij Principis inducuntur,qui legem,zelumque legis secum ferant. Nec aliud quidem mihi sapit illud Regij Vatis, Psal.118.24.*Consilium meum iustificationes tuæ:* nam in Hebræo est *: Viri consilij mei iustificationes tuæ.* Quod bifariam interpretor: primò cum Gregor. Nazianz. orat.27. vt ipsæmet diuinę iustificationes,consiliarij loco Dauidi essent. Sic namque Greg.*Neque enim tibi magis,quam mihi ipsi viuo, atque in omnibus rebus consiliary loco rationem, Deique iustificationes habes*: deinde, vt ij

Luc.9.31.

Ps.118.24.

Nazianz.

Velazqu.in Epist. ad Philippens.

essent Dauidis familiares, & consiliarij, qui velut viua,& animata lex à rationis præscripto nunquam discederent,sub quo quidem sensu, Psalm. 100.6. cum à familiarium suorum numero reiecisset homines praui cordis,præuaricantes,malignos, superbos,detrahentes,subiecit: *Ambulans in via immaculata hic mihi ministrabat.* Et verò quales Dauidis consiliarij,& familiares, talem regni administrationem,totiusque populi probitatem fuisse, abundè ex scriptura apparet. Psal. 100. 6.

Potest etiam in hanc sententiam capi id Salomonis monitum, adnotat. præced. allatum: *Aufer impietatem de vultu Regis,& firmabitur iustitiâ thronus eius.* Prouerb. 25.5. Nam vt modo in verbis Dauidis: *Viri consilij mei iustificationes tuæ*, iustificationis nomine eos consiliarios, qui velut animata lex essent, intelligebam, ita hic non aliter accipio à vultu Regis impietatem auferẽdam,quam iniquos familiares, & consiliarios à facie Regis (nam cor Principis oculos sequitur) remouendos, vt regius thronus iustitia firmus, omniaque pacata, & rectè composita sint. Vbi maximè est notandum, omnia, quæ ad Regem, regnumque spectant,ad regios familiares solummodo deuolui, quasi ab iis hæc omnino dependeant. Porro id ita erat persuasum Diodoro Siculo,de fab.antiq.lib.2. de Thebaida,vt dicere non dubitarit. *Rarò potentes rerum mali euadunt,vbi desunt suarum cupiditatum ministri.* Nimirum Principis genium, tum quod publicæ ipsum rei cura,amorque sollicitat,nec non quod iustæ laudis,gloriæque sit auidũ; tum vel maximè,quod peculiari diuini prouidentia Numinis regatur,ad bonum fertur, nec tam facilè à vero, rectoque itinere abit,dum à familiaribus,& domesticis non corrumpitur.Vnde Ambrosius; quãuis Theodosij Imperatoris acre ingenium, tantisperque vehemẽtem impetum nosset,multo minus hinc,quã à familiarium suorum consiliis metuebat; ideo Imperatori scribens, epist. 28. id ab ipso enixius postulat,vt animi sui motus,quamuis acres,& viuidos sibimet potius, quam aliis regendos, & gubernandos committat. *Vtinam,si nemo mitigat,nullus accendat, libenter cum natura impetum committo tibi; ipse te reuocas, & pietatis studio vincis impetum naturæ.* Et bene quidem, quod quamuis à vehementi Principis ingenio non posset non timeri; plus tamen ab improbis familiaribus iure metuendum esset. Nam vt scite apud Cornel. Tacit. lib.2. histor. Otho de Galbæ familiaribus dicebat; *Minore auaritia,aut licentia grassatus esset Titus Vinius si ipse imperasset; nunc & subiectos nos habet tamquam suos, & viles,vt alienos*; ac si diceret:si ipse proprius,ac legitimus Princeps foret,non posset non res,bonaque subditorum, quorum amor eius animum necessariò vrgeret, tantisper procurare;nunc verò potentia ad imperandum, & depopulandum vtitur, regium verò animum ad prospiciendum, & consulendum subditis non assumit,sed vt alienos,&,qui eius non intersint,illos reputat. Ambrosij voto fidem faciunt,quæ de Theodosij imperio olim florẽtissimo,sic affirmauit Card. Baron. tom. 6. Annal. ad annum Christi 446. *Ita planè Theodosij imperium pro arbitrio aulicorum, non pro ratione consilij ministratum interijt, tantaque moles corruit.* Ergo, *aufer impietatem de vultu Regis,& firmabitur iustitia thronus eius.* 3.

Prou.25.5.

Diodor.

Ambros.

Corn. Tac.

Baronius.

Ergo,vt malus Princeps,subditorum exitium,& pestis est,vt adnotat. præced. vidimus, ita improbi aulici,pestis, & exitiũ Principum sunt. Ita signatissimè de Rege Ieroboam, ac familiaribus suis, animabus populi insidias molientibus dixit Oseas capit. 7. 5. *Extendit manum suam cum illusoribus.* 4.

Oseæ 7.5.

Sed qui? & quare illusores? Non dubium agi de familiaribus regis, vt ex contextu liquet, quos iure illusores appellat, quia dum Regi turpia, quantumuis dulcia, grataque illa sint cōsulunt, nihil melius, Senec. quam illudere illi, & iniuriam facere videntur. *Mōstrabo tibi* (aiebat Seneca lib. de benefic. cap. 30.) *cuius rei inopia laborent magna fastigia, quid omnia possidentibus desit, scilicet ille, qui verum dicat, & hominem inter mentientes stupentem, ipsaque consuetudine blanda audiendi ad ignorantiam veri perductum vindicet à consensu, concentuque falsorum. Non vides, quemadmodum illos in praeceps agat extincta libertas, & fides in obsequium seruile summissa, dum nemo ex animi sui sententia suadet, dissuadetque, sed adulandi certamen est, & vnum amicorum omnium officium, vna contentio, quis blandissimè fallat.* Ergo aulici adulatores, illusores, quia falsi, & fallentes. Sed obserua, pro LXX. Cyr. Ale. *illusoribus*, apud LXX. & S. Cyrill. Alexandr. esse, *pestibus*, vt manifestè appareat, improbos Regum familiares pestes ipsorum esse, quod eorum animos corrumpant, ac perdant. Apponam tibi insigne huius doctrinæ, huiusque Principis exemplum.

5. 3. Reg. 13. 1. Extendebat manum suam cum pestibus suis ad impia sacrificia Ieroboam, 3. Reg. 13. 1. cum egregius Dei prophetes sic impio regi in faciem restitit, iam diras intorquens minas: iam signa, & quæ ipsi Principi salutaria forent ostendens, vt ad eius documenta, & voces regis animus delinitus ab impietate pedem referre, & ad bonam frugem se reciperet pararet. Quid tum? Occurrit quidem ex aduerso pestis, occurrit inquam aulicus, qui regis animum pene sanum rursus inficeret, atque corrumperet. Nec enim existimes frustra subinde inferre scriptorem sacrum, non multo post vafrum quendam senem malignis, hoc est, aulicis artibus virum Dei decepisse, vt aduersus Dei præscriptum cibum inibi sumeret. Erat namque is, intimus Regis familiaris, qui pro more aulicorum sacris canibus gregem Dei custodientibus, & pro ipsius gloriâ elatrantibus frustum panis inijcientium, quo vel eos mutos reddant, vel fidem ipsorum sermonibus subtrahant, sanctum illum prophetem in interitum adduxit, vt nimirum totam rem ex hoc euentu Princeps pensitans, diuinis vocibus, ad quas antea tremefactus, & compunctus fuerat, fidem denegaret, & obstinato animo in impietate permaneret. Ita enucleatissimè ad id loci ex antiquis Hebræorum Glossa ibi. traditionibus. sic monuit Glossa: *Prophetes iste pseudopropheta princeps erat Sacerdotum, & valde à rege colebatur, tamquam diuinus, timens autem ne per sermonem viri Dei. Rex à cultura idolorum recederet, & se tamquam maleficum interficeret, excogitauit, vt virum Dei deciperet, satis astutè agens, vt dum transgrederetur praeceptum Dei, illius iram incurreret; sicut postea fecit cum magis homini, quam Deo credidit, ac per hoc monstrarentur esse falsa, quæ praedixit, sicque regi persuadere posset, sicut fecit: audiens autem Rex euentum, putauit irrita, quæ vir Dei dixerat, & non declinauit à via sua mala.* Hæc Glossa: quæ non leuiter confirmantur ex iis, quæ immediatè post relatam viri Dei mortem subiungit Scriptura; *Post verba hæc non est reuersus Ieroboam de via sua pessima:* Sanè quasi huius obstinati animi causa, non alia, quam aulici illius suasio fuerit.

7. His illud affine est, quod, vt Reges, qui, vt supra vidimus, à diuino Numine ad bonum deducuntur; portæ virtutis, quibus subditi eorum exemplo permoti intrant; ita Regum familiares harum portarum vectes, qui ipsas obserent, & aduersus eos, qui ingredi conantur, muniant, esse dicuntur: sed vt appareat totum in hac cardine, regis, regnique momentum verti, vide quid dicatur à Rege Psalte Psalm. 23. 7. *Attollite portas principes vestras, & eleuamini portæ aeternales, & introibit Rex gloriæ.* Psal. 23. 7.
Quibus verbis Caietano interprete hic subest sensus, Caietan.
Reges, ac Principes portas esse, quibus ad vniuersum populum ingreditur Christus, sic enim ille. *Portarum nomine, quibus ingrediatur ad populos Christus, Principes, & primates appellantur, quibus credentibus alij credunt, quibus non credentibus, alij non credunt.* En Principes, portas, quibus siue ad virtutem populus, siue ad populum Christus, eodem sensu, ingrediantur. Iam vt illos, portas, ita aulicos portarum vectes esse, sic confirmat Ier. Thren. Thren. 2. 9.
2. 9. *Defixæ sunt in terra portæ eius, perdidit, & contriuit vectes eius.* Harum enim imaginum statim, ipsemet interpretem agens, vt adnotarunt S. Thom. S Thom.
Rupert. & Paschas. subdit. *Regem, ac principes eius.* Rupert.
Sic enim Rupert. *Quasi quæreres, quas portas in terra defixit, quos vectes perdidit, & contriuit? Regem eius, & principes eius in gentibus.* Ergo Principes, siue Regum familiares, vectes, quibus oppositū, ac portis subest ministerium: illæ enim virtuti locum, atque aditum faciunt hi verò portas obserant, & cōmuniunt, non ea solum de causa, quod regem, suis commoditatibus addictum sic claudant, vt ab aliis semoueant; vti Lampridius in Seuero, de quibusdam aulicis ipsi maximè inuisis sic dicebat; *Quippe qui à populo, etiam amicissimum Principem semouent, qui internuncij sunt aliud, quam respondetur, sæpe referentes, claudentes Principem suum, & ante omnia agentes, ne quid sciat*: sed etiam, quod magis cum Principis fortunâ, quam cum persona loqui assueti (vt dicebat ad Pisonem Galba, apud Tacit. lib. 1. Corn. Tac.
histor.) non quod Principem deceat, sed quod eius cupiditatibus, quas ipsi peruigili oculo rimantur, magis arrideat, sæpius suggerentes ipsasque prauis voluptatibus subiectis titillantes, à rectæ rationis tramite auertant: pessime quidem in veram amicitiam peccantes, cuius lydius lapis, qui amicum ab adulatore discernat, is est, vt supra vers. 9. adnot. 1. num. 3. ex Plutarcho vidimus, quod hic brutæ, & Plutarch.
cupiditatibus addictæ hominis parti: ille verò ei, quæ honestati, ac virtuti obtemperat se accommodent.

Quam quidem ad rem bene adnotauit Philo lib. 8.
de Ioseph, Aulicum illum in carcerem coniectum, Phil. Gen. 40. 16.
& damnatum, Genes. 40. 16 notanter appellari magistrum pistorum, siue coquorum, quippe qui non honestiora, & quæ regni vtilitati magis consentanea, sed quæ gratiora, & palato suauiora suggerere, & condire soleret; & verò bonum familiarem, medici potius, quam coqui munus erga Principem exercere debere, vtriusque assignato discrimine, sic inibi confirmat Philo. *Quid autem inter medicos, & coquos intersit, quis non videat? illi quidquid ad sanitatem conducit, etiam si ingratum videatur, solum magno apparant studio; hi contra suauia curant, vtilia negligunt.* Sed & sanctum Iosephum, quem egregium Pharaonis magistrum, medicumque fuisse constat, quâ tamen parte aulicus erat, tātisper Principis gustui in annona Ægyptiis populis diuidenda se accommodasse, ac nonnihil salis ex heri sui Putipharis ministerio desumpsisse, sic videtur innuere Cassiod. lib. 12. var. ep. 28. *Quale fuit, rogo, tunc miseris viuere, quibus acerba subuentio libertatem suam videbatur adimere, vbi non minus ingemuit liberatus, quam potuit flere captiuus? Credo virum sanctum hac necessitate constrictum, vt & auaro principi satisfaceret, & periclitanti populo subueniret.*

Illos verò aulicos; egregios coquos, imò & coquorum magistros dixeris, qui hoc versu non semel nobis

Gen. 12.14. nobis occurrerunt, ex Gen. 12.14. nunciantes Pharaoni formosam Saram ad eius vrbem appulisse, illiusque pulchritudinem suis coloribus exornantes: *Et nunciauerunt Principes Pharaoni, & laudauerunt eam apud illum, & sublata est mulier in domum Pha-* Chrysost. *raonis.* Vbi Chrysostom. *Ecce quomodo lenonis egere officium in Regis gratiam, auferendo iusti vxorē.* Quem Pereyr. imitatus sic inibi eleganter noster Pereyra. *Ecce tibi, quale sit ingenium, & quale officium aulicorum quorundam apud Principes: nempe adulari, placitura iis tantum suggerere, obsecundare libidini, lenocinari voluptatibus, quin etiam vitia eorum speciosis virtutum nominibus honorare, ac decorare, & maleficia, vt egregia facinora prædicare.* Et quidem si Princeps hic, idem est cum illo Abimelech, de quo similis refer- Gen. 20. 2. Hug. Vict. tur historia, Gen. 20. 2. vt Hugoni Victorino in adnotationibus in Genes. & aliis placet, inuenies illum rectum, & simplicem, & vt iustitiæ amantem à Deo commendatum, ab aulicis verò suis mirifice deceptum. Persimiles his aulici Holofernis erant, Iudith 10. 16. qui cum venienti Iudith occurrissent: *Duxerunt illam ad tabernaculum Holofernis, annunciantes eam,* Iudith 10. 16. vbi obseruatu est dignum verbum illud, *annunciantes:* propriè enim significat rem faustam, & felicem nunciare. Sanè quasi ij coqui cibum apprimè paratum, & conditum heri sui gustui 3. Reg. 21. 7. adferrent. Quem etiam ad modum, 3. Reg. 21. 7. videas Achab ab impia vxore suâ velut à profluuio abreptum, eiusque blandâ suggestione interficientem simul, ac deprædantem innocentem Naboth, & quidem dum illi virus suum serpens instillabat, sic Ambros. occurrebat Ambros. lib. de Nabuth. cap. 9. *Non audias illam Iezabel, quæ est quoddam profluuium vanitatis, dicentem. Ego tibi dabo vineam, quam desideras:* ac si diceret, caue ab illa, quæ desideriis tuis inseruit, & gustui apta subministrat.

10. Osea 5. 1. Iam hos coquos, siue vectes illa Oseæ verba grauiter compungunt, cap. 5. 1. *Domus Regis auscultate, quia vobis iudicium est, quoniam laqueus facti estis speculationi, & sicut rete expansum super Thabor.* Vt Cyr. Ale. Hieronym. enim à Cyrill. & Hieronym. quod supra vidimus, de Principibus ipsis accipiantur, quasi laqueus, & scandalum populo fuerint, at non minus literaliter; imò verò aptius, & magis consequēter de Regiis familiaribus accipi possunt; nec enim *domus Regis,* tam propriè ipsum regem, quam eius aulicos designat: hi ergo laqueus Principi speculanti (sic enim inibi speculationem capiebat Cyrill.) siue bonæ Reip. gubernationi, facti perhibētur, quod pro vtilibus, siue honestis, suauia solum, & delectabilia Principi suaderent: facem ipsius cupiditatibus adhibentes; portamque, quâ Deus ad populum erat ingressurus, aduersus Deum & virtutes obserantes: vis exempla 2. Par. 22. 2. ex Scriptura? Audi de Ochozia, 2. Paral. 22. 2. *Ingressus est per vias domus Achab; ipsi enim fuerūt consiliarij post mortem patris sui in interitum eius:* & paulo ante; *mater enim eius impulit eum, vt impie ageret:* LXX. vbi LXX. *quia mater eius fuit illi consultrix:* similiter de Rege Ioas cum primum regnum suscepit, 2. 2. Paral. 24. 17. Paralip. 24. 17. *Quia ingressi sunt Principes Iuda, & adorauerunt Regem, qui delinitus eorum obsequiis adquieuit eis, & dereliquerunt templum Domini Dei sui, & patrum suorum, & seruierunt lucis, & sculptilibus.* Vides domum Regis, ipsi laqueum factam? siue aulicos, vt vectes Regis portam contra virtutē communientes?. Consentanea quidem sunt, quæ de aulicis, Pharaoni falsis signis, ne diuinis mandatis ob- Exod. 7. 12. temperaret, suadentibus, Exod. 7. 12. nec non Isaiæ Isai. 19. 11. 19. 11. alteri Pharaoni insipiens consilium danti- 3. Reg. 12. 10. bus, & 3. Reg. 12. 10. Roboamo etiam, pessimè in 2. Reg. 19. 21. eius ruinâ, & exitiū consulentibus, & 2. Reg. 19. 21.

Dauidem ad exercenda in Semei clementia retrahentibus, Danielis verò 6. 12. Datium ad perden- Dan. 6. 12. dum Danielem miris artibus impellentibus, habentur: vide illa, & sexcenta, quæ in libris sacris occurrunt. Quibus adde, quæ de Galba bono alioquin Imperatore, (vt supra vidimus) Cornel. Tacit. Sue- Corn. Tac. tonio similis, lib. 1. histor. scribit: nam post bonas dotes quæ ipsi inerant, longius enumeratas, sic ait: *Neque enim ad hanc formam cætera erant. Inualidum senem Titus Vinius, & Cornelius Laco alter deterrimus mortalium, alter ignauissimus odio flagitiorum onerabant, contemptu inertiæ destruebant:* ad quē modum de Cæsare ob familiares suos Pop. Rom. inuiso Plutarch. in Cæsar. *Fuit præterea eius suggillatio* Plutarch. *Dolabellæ furor, Amintij auaritia, ebrietas Antonij, & Cornificius sector Pompeij domum eius mutans, quasi non satis amplam, hæc enim Populum Romanum mordebant.* A quo non it, quod de eodem Cæsare comiter & vrbane senatui ad se venienti assurgere volente; à Cornelio autem Balbo egregio adulatore magna senatus offensione prohibito, refert Sueto- Sueton. nius in Cæsar. c. 28. Sed quis rogo, eundem Principem ad imperium inuadendum instigabat, ardentesque eius cupiditati faces admouebat? Audi Curium apud Lucanum. Lucan.

Quod tam lenta tuas tenuit patientia vires,
Conquerimur: deerat ne tibi fiducia nostri?
Dum manet hic calidus spumantia corpora sanguis,
Et dum pila valent fortes torquere lacerti:
Degenerem patiere togam, regnumque senatus?

Peius verò illud, quod Plutarch. in Comm. ad Prin- Plutarch. cip. indoctum de Anaxarcho Alexandri familiari refert, qui, Magnum illum insanum ob feralem impetum, quo in Clitum sibi antea amicissimum sæuierat, se se iustissimè discrucianten, sic immanius, & atrociùs deliniebat. *Nescis assessorem Iouis, deorumque iustitiam, & fas esse? qui quidquid factum à Dominante fuerit, id ius, & fas sit.* Tandem apud Lampridium in Commodo plures disciplinarum Lamprid. magistros præ aulicis institutoribus nihil illi Principi profuisse, sic testatum inuenies. *Sed tot disciplinarum magistri nihil ei profuerunt: tantum valet, aut ingenij vis, aut eorum, qui in aulâ institutores habentur.* Abstineo ab eruditione externa, & facile parabili.

Concludam si dixero, Deum, cum Principi cui- 11. piam maximè irascitur, non hostes ferocissimos non horribiles plagas, non diras mortes: sed blandissimos aulicos in eius perniciem immittere, siue potius permittere. Firmat id historia ex 3. Reg. 22. 19. pe- 3. Reg. 22. 19. tita: Deo enim regi Achab infenso, cædemque ipsi inferre moliente, ac de eâ cum iræ suæ ministris (re nobis humano modo significata) deliberāte, is inter plures aptior vindictę sumēdę modus à spiritu nequam à sinistris eius assistente (vt bene adnotauit Hieronym. in cap. 2. Ioel.) propositus est, si Re- Hieron. gem suis vatibus (ij enim regij aulici, & consiliarij erant, vt ibi obseruat Abulensis) egregie illi adu- Abulens. lantibus, egregiè mentientibus fidem facere permitteret; rem totam ipsi Principi, illustri hac prosopopæia Micheâ Prophetâ sic aperiente. *Vidi Dominum sedentem super solium suum, & omnem exercitum cœli assistentem ei à dextris, & à sinistris, & ait Dominus. Quis decipiet Achab regem Israel, vt ascendat, & cadat in Ramoth Galaad? & dixit vnus verba huiuscemodi, & alius aliter: egressus est autem spiritus, & stetit coram Domino, & ait: Ego decipiam illum. Cui locutus est Dominus, in quo? & ille ait, egrediar, & ero spiritus mendax in ore omnium prophetarum eius; & dixit Dominus: decipiet, & præualebis, egredere: & fac ita.* Eñ tibi indubitatum Regum interitum,

Senec. ac præcipitium, *ubi aures superbas* (Senec. lib. 2. de irâ, cap. 21.) *assentatorum turba circumsletit. Tibi enim ille respondeat: non pro fastigio te tuo metiris; ipse te proijcis, & alia quibus vix sane, & ab initio bene fundata mentes restiterint.* Vide eundem lib. 6. de benef. cap. 31.

12. Iam verò, qui mutuò se scabunt, mutuò etiam se perdunt, sanè multiplici historia, longaque experiētia docemur, plures Principum familiares, qui eos à virtutis tramite pessimis exemplis, atque consiliis abduxerunt, ab iisdemmet regibus non aula tantum exterminatos, sed grauissimis etiam suppliciis affectos, vt merito illis eueniat, quod prouinciæ

Isid. Pelus. Cappadociæ imprecabatur S. Isidor. Pelusiot. lib. 1. epist. 483. nimirum, non ab alio, quam à quopiam eius alumno regi, ac gubernari. *Quo congruam educationis suæ mercedem nutrici suæ persoluat, pro eo lacte, quod ab ea suxit, venenum*; quod fortasse vna cum lacte traxit, ei vicissim bibendum porrigens.

ADNOTATIO V.

Iudicium in reos non nisi mature, & magna cunctatione ferendum.

1. QVvm dicat Paulus se de Christi doctrina non solum in Regia Neronis aula, sed etiam in reliquis Romanæ vrbis pretoriis rationem reddidisse, manifestè liquet, pluries distinctis temporibus iudices de sua causa egisse; quod & longum temporis spatium, quo in carcere Apostolus detentus est, satis confirmat. Duæ hinc nobis viæ, & quidem inter se valde diuersæ occurrunt, quibus possimus incedere; altera arguendi iniustitiæ Neronem, qui innocentissimum Paulum tot prætoribus sisti iusserit, cum illum quam primum absoluere debuisset; altera è contra laudandi ipsummet Cæsarem, quod non præcipiti irâ, sed re maturius, & apud varios ministros discussa causam Pauli tractauerit. Crediderit certè, qui voluerit, errasse Neronem hac in re, & quod ferale ipsius ingenium erat, nullius bonæ rei prætextu fuisse adductum, atqui iam non leuiter Neronem incusauimus; pulchro hoc errore modo duci oblectamur, vt in ferocissimum etiam Principem eâ vtamur clementia, qua in meliorem partem id interpretemur: vt enim Chrysostom. homil.

Chrysost. 3. de Lazaro, tom. 3. in illa verba Abraham ad diuitem epulonem, *recepisti bona in vita tua*; summam vim verbi *recepisti*, expendens, quod digna factis accipere significat, obseruauit: nullus ferè tam perditus homo fuerit, in quo laudabile aliquod opus aliquando non inueneris. *Hæc vox* recepisti, (inquit Chrysost.) *debiti cuiusdam significationem habet, eo quod recipit aliquis, quæ debebantur. Proinde si diues iste scelestus, ac scelerosus, & inhumanus fuit, quamobrem non dicit ille cepisti, sed* recepisti bona tua, *quasi iure illi competerent, quasi deberentur? Quid igitur? videlicet hinc discimus, quod etiam si qui sunt scelerosi ad extremam improbitatis lineam deuecti, tamen frequenter vnum aliquod, duove, aut tria benefacta sunt operati.* Subdit de iudice iniquitatis, de quo apud

Luc. 18. 2. Lucam 18. *Quo nihil scelestius, nihil inhumanius, nihil magis impium, quippe qui nec Deum metuebat, nec homines verebatur, & tamen cum tam improbis esset moribus fecit boni quiddam, miseratus viduam ipsi negotium facessentem, annuens postulanti officium, præstansque, quod petebatur, cohibitis qui illam afficiebant iniuria.* Ecce etiam Neronem iudicem iniquitatis, quo quid inhumanius? quid magis impium? Hoc tamen non obfuit, quominus aliquod ipse bonum opus fecerit, Deo præcipue eius animum in Pauli gratiam deliniente, & ad humanitatis leges deducente. Quid quod princeps ille fuerat olim clementissimus, & capitis sententiam in reos non nisi magna cunctatione, imò & vehementi dolore ferre consueuerat, vt ex Taciti, ac Suetonij scriptis, multoque magis ex initio librorum Senecæ de clementiâ, conspicuum fit; vnde non mirum, si aliquod adhuc in ipso humanitatis vestigium, ac scintilla remanserit.

Vt vt id fit, vel didicit, vel debuit discere hunc in iudiciis ferendis modum Nero à suo præceptore, 2.
cuius doctrina de clementia, vt gratissima hominibus, ita laudatissima, & magno iudicio tradita censeri debet. Is ergo, lib. 2. natural. quæstio. c. 42. dum Senec.
in primis sic refert veterum Philosophorum placitum, tres Ioui manubias assignans: *Prima, vt aiunt, monet, & placata est, & ipsius Iouis consilio mittitur. Secundam mittit quidem Iuppiter, sed ex consilij sententia. Duodecim enim deos aduocat; hoc flumen boni aliquid aliquando facit; sed tunc, non aliter quoque, quam & noceat: ne prodest quidem impune. Tertiam manubiam idem Iuppiter mittit, sed adhibitis in consilium diis, quos superiores, & inuolutos vocant, quæ vastat, & includit, & mutat statum, priuatum vtique in publicum, quem inuenit*, paulò post ita perquirit. *Quare ergo id fulmen, quod solus Iuppiter mittit, placabile est? perniciosum id de quo deliberauit, & quod aliis quoque diis auctoribus misit.* Respondet vero: *Quia Iouem, id est Regem, prodesse etiam solum oportet, nocere, non nisi cum pluribus visum est.* Hinc ita infert. *Discant hoc ij, quicunque magnam potentiam inter homines adepti sunt, sine consilio nec fulmen quidem à Ioue mitti: aduocent, considerent multorum sententias, placita temperent, & hoc sibi proponant, vbi aliquid percuti debet, nec Ioui quidem suum satis esse consilium.* Hæc ex Seneca. Cui opportunè adstipulatur Plutarchus in commentario ad Principem in- Plutarch.
doctum aureis hisce verbis. *Quare magni est discriminis, quæ non decet, hæc velle facere eum, qui quæ velit, possit.*

Vt semel est dictum, semel est res ipsa peracta.

Quando enim cursum peruersitas à libero arbitrio volucrem est mutuata, tunc animi motum impellit, omnem iram vertit in cædem, amorem in stuprum, auiditatem in bonorum publicationem, vt semel est dictum, simul actum est de illo, qui offendit; si suspicio est, occidit delatos. At quomodo fulgur, docent physici, posterius, quam tonitru elidi, vt post vulnus exsilire sanguinem, sed conspici prius, quod fragorem excipiat, cum occurrat lumini visus: Ita præuertunt supplicia in imperiis accusationes, & damnationes probationes præcurrunt.

Illic enim ira iam nequit resistere,

Vt littorali fluctui dens anchoræ.

Nisi prædita pondere mens constringat, & reprimat licentiam. Subiicit statim elegantem imaginem ad mathematicæ artis acumina satis accuratè compositam, vt animaduerteret, qui norit. *Imitante Principe solem, qui quando euectus in plaga Boreali in fastigium euasit sublimitatis, quam minime incitatur cursu lentiore in tuto consistens.*

Quod si horum sapientum placita opere expres- 3.
sa velis conspicere; quodque de Ioue fulmina mittente fabulabantur antiqui, fidei penicillo de Dei veri benignitate delineatum, audi inprimis ipsummet Dominum locustam, & bruchum appellantem magnam suam virtutem, Ioel 2. 25. *Locusta, bru-* Ioel 2. 25.
chus, & rubigo, & eruca, fortitudo mea magna, quam misi in vos. Quod quamuis tam plenis, quam indoctis buccis rideant hæretici apud Cyril. Alex. ibi, egregium hunc sensum habet, Deum magnam

suam

suam virtutem,& maiestatem ostendere,cum pœnas de peccatoribus sumpturus, quam minimè incitatur,cursu lentiore procedens, & quasi guttatim iram fundens,punctimque percutiens , id sic ad id
Ambros. loci obseruante Ambros.lib.3.Hexam.cap.16. *Nec miretur aliquis , si in virgultis magnam Dei dixi esse virtutem. Siquidem magnam suam virtutem in locustis esse dixit,& brucho , eo quod diuina maiestatis offensa magno moderamine sterilitatis Iudaicæ,atque inopia solueretur.* Vides solem in plaga Boreali minime incitatum ? cursuque lentiore , magno scilicet moderamine procedentem;imo vero hinc magnam sui virtutem,& fastigium nobis ostendentem,& ob oculos ponentem.

4. Sed deinde vide quanta cunctatione ad mortem flagitiosissimo Cain sceleris conuicto infligendam Dominus accesserit,dum illomet sponte neci se ad-
Gen.1.14. dicente illis verbis,Genes.1. 14. *Et nunc quicumque inuenerit me,occidet me.* Dominus respondit: *Nequaquam,sed omnis,qui occiderit Cain,septuplum pu-*
Ambros. *nietur.* Ad quæ verba Ambros. libro 2. de Abel,& Cain,capit.10. *Cum parricidium esset admissum,hoc est,scelerum principatus,vbi peccatum obrepsit,statim & lex diuina mansuetudinis prorogari debuit , ne si continuò vindicatum esset in reum , homines quoque in iudicando nullam patientiam , moderationemque seruarent,sed statim reos supplicio darent. Diuina autem sententia prouidentia huiusmodi est , vt magnanimitatem,& patientiam doceret iudices, ne quis praeproperè raperetur studio vindictæ , & ipsa deliberationis immaturitate puniret innoxium , aut pœnam acerbaret irati.*

5. Ad hæc, ad iudicium in infamem illam Sodomam prolatum oculos conuerte. Quæ enim tunc consultationes ? quæ non accuratæ inquisitiones lentissima ad ferendam sententiam interiecta mora ? quæ non subinde nouæ deliberationes iteratò habitæ præcesserunt ? Nam in primis, non nisi sub trium Angelorum specie ad iudicium Dominus
Gen.18. 16. accessit , Genes. 18. 16. *Cum ergo surrexissent inde viri,direxerunt oculos contra Sodomam*,nempe,tunc explicare voluit vnus Dominus diuinas personas, quò magis eius consilium,& consultatio elucesceret. Deinde,vt collega,vel allegatus,(Hispane dicimus , *Assessor*)ad ferendum iudicium accersitur Abrahamus;subdit enim:*Dixitque Dominus. Num celare potero Abraham , quæ gesturus sum* ? prætereea quam accuratissime iterum,atque iterum, inquiritur , & exploratur crimen : *Dixit itaque Dominus. Clamor Sodomorum & Gomorrhæ multiplicatus est, & peccatum eorum aggrauatum est nimis. Descendam,& videbo vtrum clamorem,qui venit ad me opere compleuerint,an non est ita , vt sciam. Conuerterunt se inde,& abierunt Sodomam.*Non vides Solem euectum in plaga Boreali,quam minimè incitatum ; vt dicebat Plutarchus , cursu lentiore in tuto consistentem ? *Descendam*,inquit,*& videbo.* Sed audi in
Chrysost. hæc verba Patres,sic enim Chrysostom. homil.42. in Genes. *Per verbum crassius docere nos vult , quod opus sit magna diligentia,& non auditu solo peccatores condemnandi sunt , neque sententia ferenda , nisi cum*
Ambros. *probatio præcedat.* Similiter Ambros. *Non ignorabat Deus peccata Sodomorum , sed propter te instruendum verba huiusmodi loquebatur, vt tu propius scruteris eorum commissa,in quos vindicandum arbitraris.* Descendam,*inquit*,& videbo,vt sciam , *etiam tu descende cum cura,descende indaginis studio,ne quid sit quod fallat,aut lateat absentem , vt oculis facinus de-*
Gregor. *prehendas.*Eadem habet Greg.lib.17.Moral.c.29.ad
Salu. quem etiam modum Saluian. Massilienf. lib. 1. de Prouident. tenorem iudicij in blasphemo ex Dei præscripto damnando, Leuit. 24. 11. sic expendit. Leu.24.11.
Primum qui peccauerat comprehensus est. Secundo, quasi ad tribunal adductus.Tertio accusatus,deinde in carcerem missus. Postremo cœlestis iudicij auctoritate punitus : porro autem non punitus tantum,sed punitus sub testimonio,vt damnare scilicet videretur reum iustitia,non potestas.

Iam vt appareat , veritatem nostræ disciplinæ in 6.
eximiis de Deo facinoribus enunciandis , nullatenus confictis Ethnicorum de diis suis cogitationibus cedere;lector,qui Senecam ex Philosophorum sententia dicentem , audiuit , Iouem non mittere fulmen perniciosum , sine deliberatione cum aliis diis:audiat iam scripturam affirmantem Dominum à Domino,hoc est,Filium à Patre tradita in Sodomam fulmina iecisse , quasi supplicium non sine deliberatione,& totius sanctissimæ Trinitatis consilio sumptum sit. Genes. 19. 24. *Igitur Dominus* Gen.19. 24.
pluit super Sodomã,& Gomorrham sulphur , & ignem à Domino de cœlo,vide eius loci interpretes. Adde vero verba Sardicensis Synodi,apud Hilarium lib. Conc. Sard.
de Synodis. *Si quis*,pluit Dominus à Domino , *non de Filio,& de Patre intelligat , sed ipsum à se pluisse dicat ; Anathema sit. Pluit enim Dominus Filius à Domino Patre*,& post nonnulla,*Neque enim descendit in Sodomam,sine Patris voluntate , neque pluit ex sese,sed à Domino,auctoritate scilicet Patris.*Nec minorem illud in hanc rem emphasim habet , quod ignem iam tandem aliquando iacturus,non fulgura iaculari , sed ignem pluere notantissimè dicatur. *Igitur Dominus pluit super Sodomam,& Gomorrham sulphur,& ignem*:Certè dixerit non nemo,has inter se voces non benè hærere,cum nec pluuia , & ignis inter se conspirent; ignis enim rapidus , subitoque consumens descẽdit,imò præceps cadit;pluuia verò placide,& leniter defluit. Sed enim cum egregium hoc Dei iudicis ingenium sit,vt non rapide,ac citato cursu,sed lente,ac cunctanter pœnas irroget,mirificè subsistit locutio,atque ideo ignem pluere;non verò iaculari Dominus dicitur,quod ignis vim , atque impetum retardet , atque cohibeat , ne supplicium rapidum,& præceps,vt ignis,sed vt *pluuia,& sicut stillicidia distillantia super terram*,descendat.Simile quid obseruauit Stephanus Cantuar. in illud Steph. Cant.
Exod.9.23.*Pluitque Dominus grandinem.* Sed id ad cap.2.vers.27.vbi de misericordia iustitiæ commiscenda agimus,opportunius afferemus.

Nec minus appositam hanc ad rem emphasim 7.
habet periphrasis illa , qua Deum pœnas infligentem,sic expressit Iob 6. 9. *Soluat manum suam , &* Iob 6.9.
succidat me,vbi Deus ad supplicium ferendum manus habere colligatas inducitur,vt significetur,nonnisi magna cunctatione , & lento iudicandi modo sententiam fore laturum.Eadem esse videtur locutio Dauidis,Psalm.34.4. *Effunde frameam , & con-* Psal.34.4.
clude aduersus eos,qui persequuntur me:vbi Symma- Symmach.
chus legit ; *denuda lanceam* : indicans Dei gladium non strictum, nec nudatam lanceam , sed coopertam,& alligatam in armamentario esse. Quare obserua affine quid apud Romanos : virgæ enim, siue fasces,quas Prætor ante se ad puniendum gestabat, vinculis adstrictæ,& colligatæ erant,ne temere, & repentino iræ calore perciti,ipsis vteretur.Ita Plu- Plutarch.
tarch.in Problemat. *Quid est , quod Prætorum virgæ securibus alligata præferuntur ? An signum est , non oportere magistratus iracundiam promptam , ac dissolutam esse ? An virgarum dissolutio mora , & tarditate iram frangit , & impetum moderatur ?* Similiter Cassiod.
Cassiodor. lib. 6. variar. epistol. 1. *Hinc est , quod etiam fasces,atque secures tanta potestati præcepta sunt illigari,vt cum tardius soluerentur , moram delibera-*

tionis acciperent, si de cæde, aut nece hominis aliquid censuissent.

8. Adsimilis Ierem. locus Threnor. 3. 13. *Misit in* Thren.4.13. *renibus meis filias pharetræ suæ*, vbi pulchra similitudine supplicia à Deo illata, fœmineos prægnantis pharetræ partus appellat: tum, quod prius in decreto Dei, veluti in sinu sint clausa, quasi in pharetra sagittæ; postea verò, dum executioni mãdantur, eiiciantur, & prodeant: vti ibi adnotauit Hieronym. Hieron. tum vel maximè, quod non prius scelera vltum Deus eat, quin veluti supplicio prægnans, maturatum illud, & longo temporis spatio decoctum, nec sine gemitibus, & grauibus parturientis doloribus enitatur; secus quidem quam homines, quorum, *venenatis grauida sagittis pharetra*, plerumque abortit, immaturosque suppliciorum fœtus emittit. Quod verò Vulgatus Hebræum fontem, quam Græcum secutus, filias pharetræ supplicia maluit appellare, indicans partum hunc sinistrum, & infaustum (si humano more loquamur,) & præter intentionem Dei esse. Nã tunc gaudium matri inest, Ioan. 16. 21. cum *peperit puerum, quia natus est homo in mundum*, Iere.18.23. Ioann. 16. 21. eò spectat, vbi ex illis verbis, Ierem. 18. 23. *in tempore furoris tui abutere eis*; non tam Dei vsum, quam abusum, hoc est, rem alienam ab eius conditione, & natura esse, supplicia de peccatoribus sumere tractauimus. Vide vers. 10. adnotat. 8. num. 15.

9. Vide iam aliam supremi iudicis sententiam simili Dan.5.26. cunctatione, & maturitate expressam, Daniel. 5. 25. vbi cum à Balthasare Rege debitas vellet pœnas exigere, manusque articulos ad eius faciem immitteret, qui vltimam necessitatem, simulque supplicij rationem denuntiarent; maxima cum lenitate, & cunctatione eam sentẽtiam latam fuisse Daniel. qui ad lethale decretum exponendum fuerat accersitus sic expressit. *Hæc est autem scriptura, quæ digesta est, Mane, Thecel, Phares*, id est, *numerus, appensio, & di-* Theodor. *uisio.* Vbi sic Theod. *Docuit autem per hæc, non solum illum, sed nos ipsos etiam propheta, nihil esse, quod apud eum non ponderetur, quin etiam misericordiam, ac diuinam lenitatem mensura quadam, & pondere hominibus adhiberi.* Sed ego malim expendere illud, *digesta est*: nec enim gratis positum reor verbum, *digero*, quod quamuis etiam significet ordino, at aptissime hic interpreteris, vt sit idem, ac cõcoquo, sumpta translatione à digestione cibi, quæ in stomacho 1.Reg.1.14. fit, eo modo quo 1. Reg. 1. 14. dixit Heli ad Annam: Cicer. *Digere paulisper vinum, quo mades*, & Cicer. ad Atticum lib. 4. *Stomachus concaluit, vt digerat multa cruda facilius.* Iuxta quam significationem is se prodit eius loci sensus, Deum iudicium illud nõ crudum, nec indigestum, hoc est, non tumultuarie, & subito tulisse, sed ea cunctatione, & concoctione, quæ omnes æquitatis, & lenitatis numeros expleret. Qua quidem imagine, id nobis simul innuitur, sentẽtiam subito prolatam, quantumuis iusta appareat, crudam tamen, nec ad legem æquitatis digestam censeri debere. Hinc sapienter sub ipsamet narrationis serie Corn.Tac. adnotatum est à Cornel. Tacito lib. 1. histor. nocentissimos reos Cingonium Varronem, & Petronium Turpilianum, quorum alter proditionis socius, quid immanius? alter Neronis dux, quid fœdius? dum ab imperatore Galba inauditi, ac indefensi, iuris ordine prætermisso, vltimo supplicio affecti fuere, non secus, ac insontes, & innocentes à populo habitos fuisse. Audi. *Tardum Galbæ iter, & cruentum interfectis Cingonio Varrone consule designato, & Petronio Turpiliano consulari; ille, vt Nymphidij socius, hic, vt dux Neronis inauditi, atque indefensi, velut innocentes perierant.*

Accinit appositus Isaiæ locus cap. 1. 17. vbi inter 10. alia Dei monita ad eius amicitiam conciliandam Isa.1.17. necessaria, illud est valde singulare: *Subuenite oppresso*: sed obserua Hebræa pensiculatè examinata sic legi posse. *Fermentate iudicium*, siue etiam *beatum dicite iudicem fermentantem iudicium.* Pulchra imagine à massa desumpta, cui dum immiscetur fermentum, tam ab ea subigenda, quam in furnum subinde iniicienda, donec fermenti gustum, ac virtutem recipiat, supersedendum est. Iudices admonet Dominus, ne debita examinum, probationum, accuratæ considerationis, & consultissimæ deliberationis spatia in ferendis iudiciis prætermittant, lento semper gradu ad necem hominis gradientes. Ita quidem humanos iudices describebat Basil. Basil. epist. 79. inquiens. *Si enim qui rerum in hoc mundo potiuntur, quando facinorosum aliquem morti sunt adiudicaturi, cortinas obducunt, & expertissimos quosque ad causæ tractationem aduocant, multumque temporis insumunt; nunc legis rigorem contuentes, nunc naturæ communionem suspicientes, multumque ingemiscentes, ac iudicandi necessitatem deplorantes, nemini non manifestum faciunt, quod non ex propria libidine, sed ex necessario legis ministerio condemnationis inferant sententiam.* Vbi scitè Basilius potissimas iudicis partes, præsertim illas, quæ ipsum non præferocem, & humanæ naturæ communione expertem, sed humanum, & legum ductui subditum ostendunt ad cunctationem retulit. Ad quem omnino modum dixit Publius. Publius.

Prope est, vt libenter damnet, qui cito.

Certè de iudice, qui sapientiam in vxorem nactus est, Prouerb. 31. 23. dixit Salomon: *Nobilis in portis* Prou.31.23. *vir eius*, id est, cum tribunal ad exercenda iudicia (phrasi satis nota in Scriptura) ascendit, sed quid est, nobilem tunc esse? explicuit Bibl. Complut. pro *nobilis*, reponens, *circumspectus*. Sanè quasi ad iudicis dignitatem, & ornamentum sedatus hic animus, lentusque, ac circumspectus, vndique procedendi modus maximè conducant: nec humanitatis solum, sed sapientiæ etiam id munus sit.

Sed in præfata Isaiæ locutione adhuc sunt duo, 11. quæ obserues: Alterum singillatim à Domino fermenti mentionem fieri, cum allusione ad primam hominis conditionem, qui non ex quauis materia, siue massa, sed ex terra manibus Dei subacta, & (vt opportunè inquit Ioseph. lib. 1. antiquit.) *materia* Ioseph. *veluti fermentata*, confictus est, vt inde moneantur iudices, iniquum & contra naturam esse, vt is, cuius materia tam accurata, tamque fermentata, & opportuni temporis spatio, Deo auctore, decocta est, iudicio non fermentato, & lenta maturitate decocto, sed subita, & tumultuaria celeritate morti destinetur, & quem Deus vtraque manu finxit, atque composuit, vno veluti digitulo homo destruat, ac dissipet. Ergo iudex, qui in Dei opus sententiam fers: *Recogitato tum illi Deum* (verba Tertullian. Tertull. lib. de Resurrect. carn. cap. 6.) *occupatum, ac deditum, manu, sensu, opere, consilio, sapientia, prouidentia, & ipsa in primis adfectione lineamenta ductabat.* Ne alius à Deo conditore, in homine euertendo sis. Equidem huic rationi subnixus, quamuis consiliorum Dei, tunc non planè gnarus Domino dicebat Iob, cap. 10. *Manus tuæ fecerunt me, & plasmauerunt* Iob 10.8. *me totum in circuitu, & sic repente præcipitas me?* Ex verbo enim plasmare, quod Hebraice est, rem ornatè, polítè, & omnibus numeris absolutam perficere, affabrè, & artificiose elaborare, necnon ex latino præcipitare, atque etiam ex Hebræo, *balagh*, deglutire, siue vno haustu absorbere, is resultat sensus, quem persequimur, ac si dixerit Iob: Num quem

quem tanto artificio, sapientia, subtilitate elaboratissimo opere fabrefecisti, repente vno ictu præcipitabis, absorbebis, & ad nihilum rediges: ideo quidem initio capitis, num. 2. dixerat. *Indica mihi, cur me ita iudices*: non enim ibi de Dei iudicio declinando, sed de indaganda ratione, cur præter Dei morem, qui lento semper gradu, omnibusque modis causa examinata ad iudicium ferendum accedit, tanta celeritate duplicatas illi plagas infligeret, sermo esse videtur.

12. Equidem barbaris, & agrestibus hominibus lentus in iudicando processus, magnaque cunctatio, accuratumque examen præmissum prætermissa non sunt; *Iona 1.8.* Ionæ enim, cap. 1. 8. adhuc cum Vates ille reus esse dignoscitur, non statim ab iis hominibus, qui Deum, scriptasque leges ignorabant in mare deiicitur, sed modis omnibus de illo quæstio habetur, eius patria, genus, ac religio singillatim examinantur, si forte aliqua eripiendi illum à morte, ansa reperiatur, sic ibi id pendente Theophylact. *Theoph.* *Intuere hic barbarorum hominum æquitatem; non enim statim, vt agnouerunt, Ionam esse auctorem turbinis, & tempestatis maris, agrestibus in illum moribus ferebantur; cæterum blandè, & mansuete interrogant, cuius causa malum hoc, id est, afflictio ista, ex quo peccato à te commisso super nos venit? percontantur autem, vt vbi didicerint delictum, experiantur expiare, & emendare.* Congruunt his, quæ Lucianus lib. de non temerè credendo calumniæ, ex omnium legislatorum, & sapientum placito iudices commonens, sic in hanc sententiam ait. *Ea sanè extrema est iniuria, vel optimorum legislatorum iudicio, Solonis, & Draconis, qui iureiurando senatum Atheniensem adstrinxere, vt pari benignitate, gratiaque tam reum, quam actorem iudex audiat; nec alterius causam honestiorem intelligat: scelestum, & crudele iudicium esse, si quid statuatur, antequam cum accusatione comparata sit defensio.* Et post pauca afferens Græci poetæ versus.

Nec nisi librato dirimat sententia litem,
Parte quid ex vtraque queat examine causa.

Subdit. *Nimirum Vates intelligebat, ex omnibus nullam esse neque grauiorem, neque audaciorem iniuriam, quam indicta causa quemquam mortalium damnare.*

Iustissima quidem ira in infrugiferam ficum dominus vineæ excanduisse dicitur, apud Lucam 13. *Luc. 13. 7.* 7. quod tres annos expectata nullum fructum tulerit, sed terram frustra, & inaniter occuparit: ideo sapienter, iustè, imò non sine magna cunctatione post tot patientiæ, & expectationis moras in illam sententiam tulit, inquiens. *Succide ergo illam.* Sed enim, scitè illi etiam prudens colonus suggessit. *Dimitte illam & hoc anno, vsque dum fodiam circa illam, & mittam stercora si quidem fecerit fructum; sin autem in futuro succides eam.* Quæ sic effert Maldonatus ibi: *Maldon.* *Quasi dicat: ad succidendum eam satis est temporis.* *Iuuen.* Planè ac si exprimeret illud Iuuenal. Satyr. 6.

Nulla vnquam de morte hominis cunctatio lōga est.

A quo non iuit egregia hæc Regij cuiusdam senatoris ad eum, qui appellationem misero reo denegandam instabat. *Que priessa ay en matar à vn hombre?* Omnino ad mentem Senecæ *Seneca.* sapienter admonentis, lib. 2. de ira. *Dandum est semper tempus: Veritatem enim dies aperit; potest pœna dilata exigi, non potest exacta reuocari.* Sed id monitum iam prius *Dion. Cass.* Augusto Mecœnas dederat apud Dionem lib. 52. vbi post plura sic ex eius persona inquit: *Ideoque non temerè fides est adhibenda, sed omnia accuratè examinanda. Quod si enim tardius fidem adhibueris, nullo tuo magno id fiet damno: festinando autem fieri potest, vt peccatum aliquod irreparabile admittas.* Vnde quidem colligo in præfato Isaiæ loco 1. 17. Hebræam illam lectionem: *firmentate iudicium*, cum nostra Vulgat: *subuenite oppresso*, omnino consentire; cum nullum auxilium reo, præsertim si innocens sit, opportunius ferri possit, quam si aliquantulum moræ in iudicio ponatur, vt, vel veritas elucescat, vel calore, siue impetu iudicis iam composito, sedato animo ad ferendam sententiam accedat. Hac de causa scitè sui æui magnates, qui leuissimis de causis, nulla mora, nullo deliberandi adhibito spatio, siue etiam defensionis relicto loco miseros seruos in crucem agebant, sic carpit citato loco Satyrographus.

Pone crucem seruo: meruit quo crimine seruus *Iuuen.*
Supplicium? quis testis adest? quis detulit? &c.
O demens ita seruus homo est? nil fecerit esto,
Hoc volo, sic iubeo; sit pro ratione voluntas.

Sub quo sensu Sophonias cap. 3. 3. *Principes eius* *Soph. 3. 3.* *in medio eius leones rugientes, iudices eorum lupi vespere*; quamuis enim de rapacitate, & auaritia, quæ illius æui principibus valde familiaris erat, simulque de impetu, quem in omnium bona iudices faciebant, nullum sibi accipiendi finem statuentes, frequentius accipiantur: opportunius credo cò reuocabis, vt significent, quam præcipiti iræ æstu potius, quam iustitiæ zelo ad indefensos reos cōdemnandos, non secus, ac leo præ ferocia rugiens, vel lupus, qui famem, vsque ad vesperam tolerata, summa tunc, quam capit prædam, rabie, totam deuorat, nullis reliquiis in crastinum relictis, ferrentur. Vnde addit Propheta, *non relinquebant in mane*; hoc est, subito, ac repentino animi motu causa non satis excussa, nec fermentata sententiam proferebant. Quo quid magis contra iustitiæ leges? Certè impio *Nazianz.* Iuliano Nazianzenus non tam crudelitatem, siue iniquitatem in iudicando, quam celeritatem, & citatissimum cursum sic obiicit, orat. 4. quæ est 2. in Iulianum. *Quid causarum immutationes, inflexionesque commemorem, quæ plerumque interiecta dumtaxat vna nocte commutabantur, atque conuertebantur?* Aliter quidem magnus ille Theodosius, qui hortatu Ambrosij legem tulit, ne sententiæ in reos, nisi post diem tricesimum executioni mandarentur, sic *Euseb.* id referente Eusebio, lib. 11. Ecclesiast. histor. cap. 17. *Is lege sanxit, vt sententia Principum super animaduersione prolata in diem tricesimum ab executoribus differrentur, quo locus misericordiæ, vel si ita res tulisset, pœnitentiæ non periret.* Certè ea solum de causa, quod ad ferendam sententiam si præceps sit iudex, non immunem à crimine futurum vetus illud verbum Mimi dictitat, *in iudicando criminosa* *Publius.* *est celeritas.*

Qua quidem celeritate, siue potius leonino impetu innocentissimi Assertoris nostri iudicium ab iniquis iudicibus absolutum fuisse, ac si testis oculatus fuisset, sic refert Isaias, cap. 53. *De angustia, &* *Isai 53. 8.* *de iudicio sublatus est*, quæ LXX. quos Lucas Actor. *LXX.* 8. 32. probauit, verterunt: *In humilitate iudicium* *Act. 8. 32.* *eius sublatum est*, hoc est, præ humilitate, & submissione animi, quam ante præsidem Christus exhibuit, totum iudicij ordinem inuersum, & semiacta causæ cognitione in crucem actum fuisse, vti exponunt hæc verba Tertullian. *Tertull.* lib. aduers. Iudæos, cap. *Chrysost.* 13. & Chrysost. orat. 3. aduers. Iud. tom. 5. sic enim prior. *Hic Pilato interrogante, nihil locutus est, in humilitate enim iudicium sublatum est.* Enucleatius Chrysostom. *Post hæc exponens iniquitatem perpetratam, ait: In deiectione iudicium eius sublatum est, nemo tum illi iuxta iuris rationem de illo suffragium tulit; sed falsa potius aduersus illum recipiebant testimonia.*

monia. Quod si illud: *in humilitate*, non tam ad silentium, & modestiam Christi, quam ad extremam humilis sortis, & conditionis speciem referas, melius subsistit sententia, vt sensus sit de Christo, tanquam de homine abiectæ sortis, cuius vita, & fortuna nihili ducitur, ac proinde nulla interiecta mora, nec adhibita deliberatione, aut vlla defensione admissa ad supplicium fertur, actum fuisse, vt superiùs apud Iuuenalem, de seruo nulla dilatione interposita in crucem agendo dicebat feralis ingenij hera.

Iuuen. *O demens ita seruus homo est? nil fecerit esto.*
Hoc volo, sic iubeo, &c.

Ac si dicat, ea cunctatio, quæ in morte hominis longa non est, in seruo, qui quod vilis conditionis sit, homo esse non videtur, locum non habet; certe Christus Dominus, quæ eius stupenda modestia est, de se ipso per Prophetam, Psalm. 21. 7. enunciauit: *Ego autem sum vermis, & non homo, &c.* Psal. 21. 7.

ADNOTATIO VI.

Principes per se ipsos Regni gubernationi, & negotiorum expeditioni interesse debere.

HÆREMVS in Neronis salebra; qui iterum laudandus, culpandus iterum occurrit. Laudandus quidem, quod & imperij gubernationi, tot licet familiaribus, inter quos boni etiam nonnulli, vt Seneca, & Burrus; stipatus, & iudiciorum cognitionibus per se ipsum interesset, vt apparet in Paulo coram illo causæ suæ rationem reddente; sed non minus etiam culpandus, quod prophanus ipse Princeps de rebus fidei, quæ ab eius professione tam longe aberant, ac si proptius earum iudex esset, omnimodam cognitionem susciperet. Duo hæc hac, & sequenti adnotatione breuiter persequemur.

1\. Corn. Tac. Quoad primum; bene quidem verum est, scitè illud à Tiberio, apud Cornel. Tacitum, lib. 3. Annal. dictum fuisse. *Non Ædilis, aut Prætoris, aut Consulis partes sustineo, maius aliquid, & excelsius à Principe postulatur.* Sed & illud etiam est maximè verum, non debere Principem à rerum cognitione, & negotiorum expeditione ita supersedere, vt omnia iustitiæ, & regiæ auctoritatis munia ministrorum curæ, atque fidei omnino committat; cum hinc potissimum bene imperandi difficultas consurgat: sic enim solitum dicere Diocletianum Imperatorem testatur Vopiscus in Aureliano. *Nihil est difficilius, quam bene imperare. Colligunt se quatuor, vel quinque, atque vnum consilium ad decipiendum Imperatorem capiunt; dicunt, quid probandum sit. Imperator, qui domi clausus est, vera non nouit, cogitur hoc tantum scire, quod illi loquuntur. Facit iudices, quos non oportet, amouet à Republ. quos debeat obtinere. Quid multa? Vt Diocletianus ipse dicebat, bonus, cautus, optimus venditur Imperator.* Vnde de eodem Tiberio Tacitus, lib. 1. Annalium. *Nec Patrum* (inquit) *cognitionibus satiatus, iudiciis assidebat in cornu tribunalis, ne prætorem curuli depelleret, multaque eo coram aduersus ambitum, & potentium preces constituta.* Et lib. 4. *At Tiberius nihil intermissa rerum cura negotia pro solatiis accipiens, ius ciuium, preces sociorum tractabat.* Vopisc. Corn. Tac.

2\. Quare inter hos scopulos, perfectæ gubernationis typum in Apostolorum Principe reperias. Cuius vnius inter omnes Apostolos vmbra, vt bene probat Cardin. Baron. tom. 1. Annalium, morbos depellebat, Actuum 5. 15. *Vt veniente Petro, saltem vmbra illius obumbraret quemquam illorum, & liberarentur ab infirmitatibus suis.* Vt duo inde moneamur, Alterum; Petri solummodo munus perpetuum in Ecclesia indesinenter futurum, per successores nimirum suos, Christi Vicarios, quibus æqua, ac ipsi Petro virtus, atque potestas foret, exercendum; alterum, posse, atque debere Principem ministros, vicariosque sui habere, quibus, & negotia committat, & potestatem ipse suam in eorum administratione impertiatur, ne quod à Iethro Moysi sapienter est dictum (Exod. 18. 18.) stulto se ipsum labore conficiat, atque consumat; verum enim verò accipiēdum hoc ad eum modum esse, vt vmbra, corpus, nō corpus vmbram persequatur, id est, vt ministri Principis ductum sequantur, non verò ipsorum voluntati se Princeps accommodet; deinde vt sic ab vmbra, siue à ministro munera obeantur, & administrentur, vt ipsemet Princeps, & negotiorum eorumdem, & gubernationis ipsius, quæ per ministros suos geritur, maiori ex parte particeps sit; vt tam ministris ipsis, quam populis innotescat, nihil in regni administratione insigne, vtramque in partem futurum, quod Principem lateat, siue quod, ipso auspice, & moderatore non fiat. Exigit id quidem Regia dignitas, exigit Regis nomen, exigit & Dei imitatio, quem in mundo Principes repræsentant, vt nimirum ipse solus Rex, solus regens, atque imperans sit, dū ab illo omnia, velut vmbræ à corpore, velut aquæ à fonte, dimanant: hinc enim vnum Deum, non plures sic inferebat Tertul. lib. aduers. Hermog. c. 17. *Vnici Dei status hanc regulam vindicat: non aliter vnici, nisi quia solius: non aliter solius, nisi quia nihil cum illo: sic & primus erit, quia omnia post illum: sic omnia post illum, quia omnia ab illo.* En vnum, & solum Deum, vt inde Rex vnus, & solus dignoscatur, *quia nihil cum illo*, & sic, *omnia post illum, omnia ab illo.* Baron. Act. 5. 15. Exod. 18. 18. Tertullian.

3\. Ambros. Quò referes cum Ambrosio lib. 3. de fide non dictum eidem Petro à Domino fuisse. Tibi dabo homines pro libito regendos, siue regna mundi ad tuum placitum gubernanda; sed potius, *tibi dabo claues regni cœlorum.* Matth. 16. 19. hoc est certam dispensandi, gubernandique iuxta meam voluntatem, atque præscriptum rationem, (id enim clauis imago significat) ita tamen, vt penes me ipsa potissimum potestas maneat, approbaturus quidem, ratumque habiturus, quodcumque gesseris. Sed audi Ambrosium breui hæc omnia sic præstringentem. *Videto distantiam; seruus aperit, Dominus largitur; iste per se, ille per Christum; famulus claues accipit; Dominus ordinat potestates; aliud ius donantis, aliud dispensantis obsequium est*: ac si diceret, ministro non nisi ministrare; domino verò largiri, ordinare, donare, & imperare conuenit, alias confusa omnia, & iniquè disposita fuerint. ita omnino Ierem. 51. 46. *Iniquitas in terra.* Quæ? *Dominator super dominatorem*: hoc est, Rex in regni administratione priuato subditus; priuatus verò regi præpositus, ita Martin. del Rio in Thren. cap. 5. vers. 8. Exprimit verò hanc cogitationem Ammiani Marcellini morsus, dum de Eusebio Cōstantij Imperatoris familiari verba faciens; ipsum vt Principem, & rerum dominum; Constantium verò, vt familiaris sui ministrum, qui apud illum gratia valeret, sic inducit; *Mercari, quam plures nitebantur Eusebij fauorem, cubiculi tunc præpositum, apud quem, si vera dici debent, plura Constantius potuit.* Bene illud: *si vera dici debent*, hoc est, si non externa rerum facies, sed ipsissima veritas attendatur. O rem præposteram! Mat. 16. 19. Iere 51. 46. Mart. del Rio Ammian.

4\. Videas quidem iuxta præfatam Ambrosij obseruationem in ipsa hominis formatione obseruatum, sancitum

Gen. 1. 26. sancitumque fuisse. Nam dicente Domino, Gen. 2. 26. *Faciamus hominē ad imaginem, & similitudinem nostram*, subdidit: *& præsit piscibus maris, & volatilibus cœli.* Vnde quidem Basilius, & alij Patres existimarunt ratione imaginis diuinæ habere hominem, vt præsit, ac dominetur cunctis animantibus. *Non dixit,* (inquit ille homil. 10. in Hexameron.) *faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram, & vescatur ligno fructifero. Quæ concernunt carnem, secundas obtinent. Nam primas sibi asserit primogenia præsidendi auctoritas attributa animæ. Nobis enim principio statim conditionis delatum est in cætera ius imperij. Animal itaque es, ô homo, imperio natū.* Præest ergo creaturis homo, qua imago Dei est. Sed obserua tunc primum Deo à Moyse Domini nomen inditum fuisse, cum homo ab ipso formatus est, vt ex Tertull. lib. aduersus Hermogenem dicente: *exinde Dominus, qui retro Deus tantum,* Augustino, & Anastasio Synaita alibi expendo. Sed quare? Aliam ibi rationem reddimus, eam nunc accipe, vt tacitè admoneretur homo, non adeò absolutè ipsi rerum dominium à Deo fuisse traditum, vt peculiari earum cura, prouidentia, & gubernatione se Deus abdicauerit, imò verò tunc potissimum nouo Deum imperij genere illarum incipere dominari, vt ad ipsum (ita me explico) in appellationis gradu, quod aiunt, si ab homine iniuriam paterentur, esset recursus.

Basil.

Tertull.

5. Sic ergo cum suis administris, & vicariis Principes se gerere oportet, vt cum ipsismet Principibus Deus se gerit, qui tum ab illis minutissimam munerum suorum rationem exigit, dicente Salomone, Sapient. 6. 9. *Fortioribus autem fortior instat scrutatio* (sic enim habetur Græce non, *cruciatio*, vt nostra habent, quamuis in idem fortè recidat,) tum ipsorummet regnorum, quorum gubernationem, & curam illis commisit peculiarem, ipse etiam curam gerit. Vt quid enim pudeat Deum ea subinde curare, quæ primitus fecit? vt aduersus hæreticos diuinam prouidentiam euertentes, inquit Ambrosius, lib. 1. officiorum, cap. 13. *Quis deserat, & destituat, quod ipse condendum putauit? Si iniuria est regere, nonne est maior iniuria fecisse? cum aliquid non fecisse nulla iniustitia sit: non curare, quæ feceris, summa inclementia.* Quæ Principibus sæpius ad hunc modum ingerenda, & inculcanda essent: si iniuria non est, populorum Regem esse; cur eosdemmet populos regere, & eorum res indefessa diligentia curare iniuria erit? Certè, cum non acceptare regnum, nulla iniustitia sit; non curare, quæ acceperis summa inclementia est. Hinc ab omnibus qui pleno pectore sapiunt, principum omnium pessimus Sardanapalus fuisse creditur, non quod dirus, aut ferox, aut alienarum opum inuasor, ac prædo fuerit, sed quod regni res, ac si illius minimè interesset, non curaret. Audi Dionem Chrysostom. orat. 62. de Regno. *Quoniam Sardanapalus ille omnibus decantatus habebat Ninum, habebat & Babylonem, ciuitatum, quæ olim fuerunt maximæ, parebantque illi omnes gentes in altero habitantes continente vsque ad terras inhabitabiles, quas dicunt: regnum autem ad eum nihil pertinebat non magis, quam ad aliquem è mortuis iam fœtidis: consultare, aut iudicare, aut exercitum ducere, neque volebat, neque poterat.* En infamiæ summam.

Sapien. 6. 9.

Ambros.

Dio Chrys.

6. Hinc Romani Principes Reipublicæ gubernationi adeò singillatim attendebant, vt quamuis suis administris vitæ, necisque ius in iudiciis exercendis conferrent; attamen in capitalium criminum sententiis, tum reorum nomen subscribendum: tum etiam, qua ex causa in eos animaduerteretur, sibi reseruarent, vti ex Seneca initio libri 2. de Clementia, & ex Ammiano Marcellino lib. 30. dilucide apparet: prior enim cum ipso Nerone verba miscens, sic ait: *Animaduersurus in latrones duos Burrus, præfectus tuus, vir egregius, & tibi Principi natus, exigebat à te, scriberes, in quos, & ex qua causa animaduerti velles. Hoc sæpe dilatum, vt aliquando fieret, instabat.* Similiter Ammianus agens de sæuiore Valentiniani natura. *Et ita erat effusior ad nocendum, vt nullum aliquando damnatorum capitis eriperet morte, subscriptionis elogio leni; cum id etiam Principes interdum fecerint sæuissimi.* Imò verò, & de Tiberio scribit rursus Cornelius lib. 4. Annal. aliquando dum cognitionibus senatus interesset, accusatusque apud illum Syluanus prætor fuisset, quod coniugem in præceps iecerit; isque respondisset, vxorem sponte mortem sumpsisse, ipsum non cunctanter perrexisse in domum, cubiculumque visitasse, cumque in eo reluctantis, & impulsæ vestigia adnotasset, ad senatum retulisse.

Senec.
Ammian.

Corn. Tac.

Sed prodeamus ab vmbra ad lucem, solemque iustitiæ consideres velim, non è solio suo gubernationem, salutem, curationem, institutionem, ministris suis committentem, sed se ipso hæc omnia miseris homuncionibus administrantem; nec verbis solum, aut imperio ea perficientem, sed in ægrotorum ædes per proprios pedes sæpe sæpius aduentantem cum suauissima illa voce: *Ego veniam, & curabo eum.* Matth. 8. 7. Adde auriculam Malcho non verbo, sed manu, & opere in horto restituentem. Sed nonne inquis opportunius tunc esset verbo solum, & imperio sanare, quò euidentius diuinitatis suæ specimen redderet, & rerum omnium Creator, & Dominus cognosceretur? Minimè quidem; non enim tam conspicuè ex imperio, & voce, quam ex ipsamet operatione, qua res suas immediatè curat, & tractat, Creator, & Dominus esse agnoscitur. Audi Ambros. lib. 10. in cap. 22. Lucæ. *Iubere potuit, sed maluit operari, vt cognoscamus, ipsum esse, qui è limo terræ corporis membra nostri variis apta formauit officiis, & infuso vigore mentis animauit.* 7.

Matth. 8. 7.

Ambros.

Iam si administri Principum, & familiares ij, qui plurimum apud ipsos gratia valent, quo rerum omnium potiantur, & velut arbitros regni agant, ipsis obtrudant, non decere regiam Principis maiestatem labori, & vigiliis incumbere, sed à negotiis supersedendo otiari, dicere, iubere: speciosum id Principes dolum, egregiumque mendacium, imò verò hæreticam calumniam, & fraudem existiment. Ita quidem hæreticum Hermogenem asserentem elegantissimam hanc mundi molem nulla cura, nullo adhibito consilio, sed neque operatione aliqua; sed solo tantum visu, sicut animus à decore vulneratus, aut ferrum à magnete attractum, fortuitò expressam à Deo fuisse, his verbis præsenti instituto opportunis confutabat Tertullian. lib. aduersus Hermogenem, c. 45. *Noli ita Deo adulari, vt velis illum solo visu, & solo accessu tot, & tantas substantias protulisse, & nō propriis viribus instituisse, sic enim Ieremias commendat: Deus faciens terram in valentia sua, parans orbem in intelligentia sua, & suo sensu extendit cœlos. Hæ sunt vires eius, quibus enixus totum hoc condidit. Maior est gloria eius si laborauit. Denique septimo die requieuit ab operibus. Vtrumque suo more.* Sic Tertullian. vbi obserua primo metaphoram parturiendi illis in verbis: *Enixus totum hoc condidit.* Deinde pende illa verba. *Maior est gloria eius si laborauit;* inde duo colliges. Alterū eam apud Deum condendi, gubernandique mūdum rationem esse, vt illi totus incumbat, & quem mēte concepit; operatione parturiat, ac formet. Vnde subiungit 8.

Tertullian.

Tertullian.

Tertullian. *Vides ergo quemadmodũ operatione Deus vniuersa constituit, valentia facientis terram, intelligentia parantis orbem, & sensu extendentis cœlum, non adparentis solum, & appropinquantis, sed adhibentis tantos animi sui nisus, Sophiam, Valentiam, Sensum, Sermonem, Spiritum, Virtutem.* Vnde sic Ambros. (Ambros.) lib. 2. in Lucam, c. de Baptismo Christi. *Ad hominem venitur, & manus ipsas quodammodo statuit tibi Propheta Dei laborantis ostendere. Plus nescio quid in his intelligere, cum lego opera Dei laborata me cogunt.* Alterum: tam longè abesse, vt id Deo dedecori sit, vt magnam potius inde gloriam, honoremque aucupetur: *Maior est gloria eius si laborauit.* Vt norit Princeps negotia Reipubl. ab ipso non tractanda, & peragenda solum, sed parturienda etiam, hoc est, magno labore curanda, & perficienda; eumque ipsi laborem, rem omnium gloriosissimam, & pulcherrimam fore.

9. Huc refero Saulem, cum primum à Deo, Israelis regnum accepit, missum à Samuele ad patris pecus inueniendum in Rachelis sepulchrum fuisse, 1. (1. Reg. 10. 2.) Reg. 10. 2. non ea solum de causa, vt nouitius Rex cristas submitteret, & de humana mortalitate admoneretur; sed etiam vt notum sibi foret debere se ad Rachelis exemplum in filiorum parturitione (Gen. 35. 18.) animam exhalantis, Genes. 35. 18. effingere, vt summa nimirum cura, & accurato labore in regni ad- (Themist.) ministratione se gereret, nec aliter sibi negotia tractanda, expedienda putaret. Certe Themistius Euphrada, orat. 6. eum, qui verè Rex dicendus sit, non inde dignoscendum censet, quod aureas Aquilas, aut Dracones subtiliter contextos in signis ferat, siue quod humi defixos habens oculos sollicitè rimetur, vnde nam aurum, & argentum comparet; *Sed quod eius animus sursum erectus, & in moderatorem rerum omnium, ac Principem Deum intentus sit, indidemque gubernatus, atque administratus quæcumque potest, ad terreni, inferiorisque regni vtilitatem hauriat.*

ADNOTATIO VII.

Principes, & Magistratus sæculares, spirituali iurisdictioni nullatenus immiscendos: sed quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ Dei Deo ab illis reddenda esse.

1. AVDAVIMUS quidem Neronem, quod causarum cognitioni, & expeditioni negotiorum per se ipsum incumberet, sed enim si rem singillatim expenderis, plus fuerit, quod in eius cura vituperes, quam quod laude dignum censeas: *lumen*, siquidem, quod in eo vides, *tenebræ sunt*: Quid enim à luce magis alienum? quidve obscurius? aut caliginosius? quam sæcularem Principem, imò verò profanum, & impurum hominem de fidei, ac religionis causa iudicium ferre? Equidem cum non multo ante tempore Gallioni Achaiæ Præsidi, qui Senecæ Neronis præceptoris germanus frater erat, Paulus, & Sosthenes sisterentur, vt de Christiana religione rationem redderent, Gallio Iudæis illos accusantibus absolutè respondit. *Si quidem esset iniquum aliquid, aut facinus pessimum, ô viri Iudæi, rectè vos sustinerem. Si vero quæstiones sunt de verbo, & nominibus, & lege vestra, vos ipsi videritis: iudex ego horum esse* (Act. 18. 14.) *nolo.* Actuum 18. 14. Ad quæ verba videndi Chrysostom. & Hugo, non leuiter laudantes Gallionis iudicium, qui in suo se officio ita continuerit, vt quæ ad religionis statum spectabant, ad aliud tribu- (Ambros.) nal deferri vellet. *Sed allegatur* (verba Ambr. ep. 33.) *Imperatori licere omnia; ipsius esse vniuersa.* Respondeo: *noli te grauare imperator, vt putes, te in ea, quæ diuina sunt, imperiale aliquod ius habere, noli te extollere, sed si vis diutius imperare, esto Deo subditus; scriptum est,* quæ Dei Deo, quæ Cæsaris Cæsari. *Ad imperatorem palatia pertinẽt, ad sacerdotem Ecclesiæ, publicorum tibi mœnium ius cõmissum est, nõ sacrorum.*

Sed vt videas, non gratis dictum, lumen quod in 2.
Nerone erat, tenebras esse; luminarium mundi ordinem in memoriam reuoca, sic enim Moses, Gen. (Gen. 1. 16.) 1. 16. *Fecit Deus duo luminaria magna; luminare maius, vt præesset diei, & luminare minus, vt præesset no-* (Aelred.) *cti.* Quid hæc sibi velint, accipe à S. Aelredo, serm. 10. *Sunt & in sancta Ecclesia firmamento à Domino creata duo magna luminaria, Sacerdotiũ, & Regnum; Rex, & Episcopus; Princeps, & Clericus: dies spiritalia: nox significat sæcularia. Itaque luminare maius Sacerdotium, vt præsit diei, id est, spiritualibus; luminare minus Regnum, vt præsit nocti, id est, sæcularibus.* Hinc illud facile quiuis inferat, prorsus contra rationem, rerumque naturam esse, vt Luna diei, nocti Sol præsit. Sic pergit Aelred. *Contra naturam proinde est, si Sol nocti, si præsit Luna diei; si Princeps ad spiritalia Sacramenta conficienda se inferat, si Sacerdos sæcularium negotiorum tenebris conscientiæ suæ serenum obnubilet.* Vnde sic pulchrè statim exclamat. *O quàm benè conueniebant hæc duo luminaria! quàm splendidè ex hoc spirituali firmamento lucebant! quam optimè inter dies, & menses, & tempora, & annos distinguebant! Rex scilicet, & Sacerdos in suis se gradibus continentes?* Ergo si in suis se gradibus non contineant, & proprium deserant ordinem, non lucere, sed tenebras offundere; hoc est, non virtutem iustitiæ, & zelum secundum scientiam habere, sed in ipsam iustitiam peccare videbuntur. Scitè enim dixit Petrus Abb. Cellens. lib. cap. 13. *De castris virtutum eiicitur virtus, quæ præter ordinem euagatur, perdit enim virtutis nomen, quæ egreditur ordinem; virtus igitur non est, si ordinata non est.* (Pet. Cellens.)

Certè ipsimet Soli, vt parens totius lucis sit, mo- 3.
dus tamen lucendi singillatim est appositus, ne fines suos egressus, in alterius ditionem sese intromitteret: dicente Vate Psal. 18. 5. *In sole posuit tabernacu-* (Psal. 18. 5.) *lum suum,* quæ ex Hebræo ad verbum leguntur: *Soli posuit tabernaculum suum,* & vt ad cap. 2. vers. 4. adnotat. 1. ex Agellio, & aliis refero, eum sensum habent, Soli à Deo tegmen noctis, intra quod se abscondat, assignatum fuisse, vt suus etiam lucendi splendor Lunæ deferatur. Quod si primario luminari, & qui lucis fons est, definite interdicitur, ne Lunæ regno, siue sphæræ præiudicet, hoc est, si Sacerdori, & Episcopo in suo se gradu continere præscribitur: quãto fortiori iure à ratione erit alienum, Lunam in Solem leges ferre, & spiritualibus temporalia præiudicare? Pupugit hæc ratio ipsummet omnium iudicum pessimum Pilatum, qui, dum ad eius tribunal sisteretur Dei filius, ipseque ab illo calore disputationis subitò percontatus fuisset quid veritas? hoc est participatio veritatis diuinæ (vt interpretatur Nicolaus de Lyra) esset? subinde animaduertens rem eam esse, quæ sæcularis iurisdictionis terminos egrederetur, quæstione intercepta, non est ausus expectare responsum. Sic id referente (Ioan. 18. 38.) Ioann. c. 18. 38. *Dicit ei Pilatus. Quid est veritas? &* (Nicol. de Lyra.) *cum hoc dixisset, iterum exiuit ad Iudæos,* & ad hunc modum expendente ibi Lyra. *Huius quæstionis Pilatus non expectauit responsionem, quia erat de regno spirituali, vt visum est: ipse autem non habebat se intromittere, nisi de temporalibus, & ideo hoc aduertens dimissam illius quæstionis prosecutionem.*

Sed, vt hunc Lunæ modum impositum, atque 4.
seruatum

seruatum videris, attende Christum Dominum, Ioann.2.14. vendentes oues, & boues, & cathedrarios nummularios, non modo eiecisse, sed etiam propria manu, flagello facto, verberasse. *Et cum fecisset quasi flagellum de funiculis, omnes eiecit de templo*, vbi bene à Chrysostom. homil. 22. Cyrill. lib. 2. cap. 28. Anaclet. epist. 2. ad Episcop. Italiæ, Pio Primo, epist. 1. Iulio, epist. ad Orient. Episcop. adnotatur, flagellum non tam propter animalia inde abigenda, quam vt homines supplicio afficeret, à Domino correptum. Vbi si inquiras, cur Dei filius, qui non venit, *vt iudicet mundum, sed vt saluetur mundus per ipsum*, quique hominibus plagas, & supplicia etiã per iræ suæ ministros inferre grauiter fert; propria tunc manu homines illos percutere, & flagellare, quod ab eius maiestate, & inclinatione videbatur alienum? præsertim cum id muneris alicui ex discipulis facile potuerit demandare, non recusauerit? Respondent præfati Pontifices Anacletus, Pius, & Iulius causam esse, quod negotiatores illi sacerdotes fuerint; atque ideo non à Christi discipulis, qui tunc sacris non erant initiati, sed ab ipsomet Domino æquum fuit iudicari; tanta Lunæ à Solis sphæra distinctio, & separatio est. Nec omittenda Anacleti verba. *Vnde liquet, quod summi Sacerdotes, id est Episcopi, à Deo sunt iudicandi, non ab humanis, aut praua vitæ hominibus lacerandi, sed potius ab omnibus fidelibus portandi, ipso Domino exemplum dante, quando per se ipsum, & non per alium vendentes, & ementes eiecit de templo, & mensas nummulariorum, & cathedras vendentium proprio euertit flagello, & eiecit de templo, & sicut alibi ait.* Deus stetit in Synagoga deorum, in medio autem deos decernit: *& alibi:* Ego dixi dij estis, & filij excelsi omnes: *Nullus enim (vt reor) inuenitur inter nos, qui velit suum seruum ab alio, quam à se iudicari.* Hæc Pōtifex. Ad quæ quidem videtur allusum à Constantino verè Magno Imperatore, cum nonnullis Nicenæ synodi Episcopis, coram illo causas suas discutere volētibus, pia, regiaque voce respondit. *Ite, & inter vos caussas discutite, quia dignum non est, vt iudicemus deos.* Qua sanè in re mirum in modum prisci nostrates Reges excelluerunt, dum ab Ecclesiastici ordinis, & spiritualium negotiorum cognitione tamdiu abfuerint, vt potius suamet temporalis Regni negotia ad Episcopos decernenda deferrent, ita de Eruigio Rege memoriæ proditum est in Annalib. Cæsar. Baronij, tom. 8. ad annum Christi 683. his verbis. *His, & alijs auditis, & recitatis, quæ ad firmandam Catholicam fidem spectare viderentur, tredecim à Patribus sanctis sunt canones, tum de iis, quæ Rex ab eis decerni petierat, tum de alijs causis Ecclesiasticis. In quibus planè eluxit modestia Regis, cum per Episcopos sanciri vellet, quæ Regij viderentur esse iuris, nempe de restituendis in pristinos honores, & bona, qui sectati tyrannum fuissent, & alia huiusmodi, vt nihil magis cupere viderentur ipsi Reges, quam cuilibet quæque negotia ad Episcopale forum deferre.* O pulchram Lunam! non modo in suo se gradu continentem, sed mutuatum sibi à Sole lumen, & à Sacerdotio regiam dignitatem dimanantem sapienter agnoscentem!

Ioan.2.14. Chrysost. Cyrill. Anacl. Pius PP. Iulius PP. Anaclet. Baron.

5. Quod si aduertis, peculiaris quidem hæc Christianorum Principum nota, atque character est. Nam de Romanis imperatoribus Christi fidem non recipientibus, illud signatissimè dixit Tertullian. in Apolog. c. 21. *Sed & Cæsares credidissent super Christo, si aut Cæsares non essent sæculo necessarij, aut si & Christiani potuissent esse Cæsares.* Quæ verba vt alibi alio adduxerim, nunc penitius explicare placet, quod interprete indigeant. Nam cur Cæsar, & Christianus in vnum conspirare non poterant? Num propter elationem, & fastum? Sed ab hoc non omnes Christiani Principes immunes omnino sunt. Num propter vitæ improbitatem, luxum, & vitia regibus familiaria? scilicet omnes Christiani reges probi, ac pudici sunt. Cur ergo inter Cæsarem, & fidem Christi discordia? Crediderim omnino eam esse rationem, quod Cæsares simul Pontifices Maximi essent; & de rebus, ac personis sacris iudicium ferrent. Quem quidem honorem adeo illi mordicus retinebant, vt principatū potius, quam Pontificatum exuere mallent. Audi valde peculiare Cypriani hâc de re testimonium epist. ad Antonian. vbi de Decio Imperatore S. Cornelio infenso, sic ait. *Cum multò patientius, & tolerabilius audiret leuari aduersus se æmulum Principem, quam constitui Romæ æmulum Sacerdotem.* Ideo ergo Cæsares non Christiani, quia sacris se rebus immiscebant, ideo nostrates Reges Christianissimi, quod ab illis manus suas continent: sumant hinc igitur Christianitatis notam, & characterem fideles Principes, mundo manifestum faciant, posse Christianum esse Cæsarem, dum, *quæ sunt Cæsaris, Cæsari, & quæ Dei, Deo reddit.* Vnde si indubitata sunt, quæ indidem scribit Baronius, non possunt non lacrymas à nostris oculis extorquere. Subdit enim. *Vnde magis lector deplores nostra miserrima tempora, quibus nihil sollicitius, vigilantius, ac vehementius Præsides prouinciarum agant, quam vt Ecclesiasticum tribunal solitarium reddentes causas Ecclesiasticas in sæculare iudicium, quibusuis prætextibus trahant.* Viderint hi, an ad ipsos loquatur Paulus ad Roman. 14. 4. *Tu quis es, qui iudicas alienum seruum? Domino suo stat, aut cadit.* Quæ verba premens citato loco Anacletus, ait: *Nullus enim, vt reor, inuenitur inter nos, qui velit suum seruum ab alio, quam à se iudicari. Quod si præsumptum fuerit, aut multa ipse indignatione irascitur, aut potius vltionem quærit super eum: si vero hoc inter homines agitur, quid putatis faciet Deus deorum, & Dominus dominantium, qui vltionem suorum promisit nō differre seruorum?* Ita Anacletus, qui paulo post in hanc sententiam afferens Domini verba apud Zachar. cap. 2. 8. *Qui vos tangit, tangit pupillam oculi mei;* subiicit. *Nam si aliquis nunc in malum, oculos alicuius Principis, incipit tractare, manifestè reus Maiestatis iudicatur, & infamis efficitur, aut potius capitali sententiæ subiacet.* Vnde salubri monito ita concludit. *Quapropter oportet omnes ab his cauere, vt non solum non facere, sed nec facientibus consentire, quia non solum qui faciunt, damnantur, sed qui consentiunt facientibus.*

Tertullian. Cyprian. Baron. Ad Rom. 14.4. Anaclet. Zachar.2.8.

6. Sed & viderint etiam, an rursus cum illis Paulus agat, cum ad Galat. 1. 8. inquit. *Sed licet nos, aut Angelus de cœlo euangelizet vobis, præter quam quod euangelizauimus vobis, anathema sit.* Vbi si duo hæc negotium tibi facessant, cur Angelū de cœlo, quasi errori, ac peccato obnoxium reddere videatur Paulus; necnon vt id fit, cur ipse cœlestem spiritum iudicare, imò damnare non dubitet? Respondebo, dubium non esse, quin hæc per exaggerationem dicta, & ad nostrum dicendi modum, ac si esset possibile, quod reapse fieri nequit, accipienda esse; iuxta quæ pulchrè subsistit sensus, ac sententia Pauli, vt Angelus, qui muneris sui fines egressus, Ecclesiastica dogmata sibi non commissa tractare vellet, & errandi periculo, & Pauli anathemati iusta de causa esset obnoxius. Ita disertissimè accepit hæc verba S. Proclus Constantinopol. in epist. ad Armen. de fide, Antonio Agellio Episcop. interprete, tom. 5. Biblioth. Veter. Patr. nouiter excusæ ad hunc modum. *In ministrandi namque ordine locatus est Angelus, non dogmata præscribendi; & periculosum sanè est, non in eo quemque ordine consistere, in quo locatus est, sed ea, quæ supra naturam suam sunt, aggredi.*

Ad Gal.1.8. S.Procl.

Itaque si quid ausus natura suæ afferat authoritatem, prædicationis nouitas ne recipiatur. Optimè quidem, nam quidni errandi periculo fuerit obnoxius, qui non commissa sibi munia, atque negotia, & ea præsertim, quæ superioris status, ac conditionis sint, non secus, ac sibi propria curet, tractet, disponat? Ambros. Certè, vt alibi ex Ambrosio lib. de paradiso moneo, ille inter omnes serpenti dolus, quo primum parentem deciperet, opportunior visus est, si illum ad ea, quæ natura, & conditione sua maiora essent, appetenda pelliceret. Vt verò errori, ita supplicio ab eo inferendo, cuius ditionem, siue iurisdictionem temeraret, merito ille subderetur; atque ideo iure Paulus eum, qui in suo ordine non consisteret, sed naturæ suæ auctoritate nixus, quæ supra conditionem suam sunt affectaret, iusto anathemate damnarit. Vnde rectè illud animaduertit Proclus: *naturæ suæ afferat auctoritatem:* ac si dixerit. Nihil ad hæc interest excellentissimæ, siue sublimioris naturæ, sed proprij gradus, & muneris auctoritatem adlegare. *Ad imperatorem,* enim, *palatia pertinent, ad Sacerdotem Ecclesia.*

7. Quid ad hæc, quæso, Angliæ Luna non modo in solem, siue in sacerdotium leges ferens, sed etiam supplicia inferens, responderit? Subiacebit ne meritissimo Pauli anathemati? aut gratis suũ excidium, ruinamque timebit? cum ipsismet Sybaritis barbaris, & vitiosis hominibus illud fuerit oraculum redditum, apud Athenæum, lib. 12. cap. 6.

Semper eris felix venerans gens numina diuûm.
Donec plus superis fueris venerata virum quem,
Intima seditio, tunc, & tibi prælia surgent.

Videor quidem miseram hanc, & infelicem tragœdiam in prophano Rege Saule adumbratam, siue graphicè videre depictam. Cum enim ipse sacerdotem Samuelem in suam sententiam pertrahere, atque ad suum passum ambulare vellet, illeque Regi constantius obluctaretur; prophanam tunc Saul manum in vestem eius iniecit, vt sibi, vellet, nollet, morem gereret. Sic enim habetur 1. 1. Reg. 15. 27. Reg. 15. 27. *Et conuersus est Samuel, vt abiret, ille autem apprehendit summitatem pallij eius.* Sed quid tum? Discissa quidem Prophetæ vestis est cum acri hoc dicterio ab eo in regem iacto. *Scidit Dominus regnum Israel à te hodie, & tradidit illud proximo tuo meliori te.* Ita planè res euenit, dum infelix ille Henricus, qui simul, & tyrannus, & Reipublicæ ardens amator fuisse fertur, vt illicitis, ac infaustis amoribus potiretur, Romanum Pontificem in suam sententiam pertrahere, atque ad suum gradum ambulare contendens, ab Ecclesiæ pallio, & communione regnum suum miserè tandem discidit, & lacero schismate diuulsit. At timeat quidem, & vehementer timeat, ne scissuræ huic, & illa succedat: *Scidit Dominus regnum à te hodie, & tradidit illud proximo tuo meliori te,* præsertim cum animæ interfectorum, propter verbum Dei, subtus altare clament voce magna. *Vsquequo Domine (sanctus, & verus) non indicas, & non vindicas sanguinem nostrum?* Apoc. 6. 9. Apocalypſ. 6. 9. Equidem dum præfata in Saulem sententia lata tantisper Dominus ab executione supersederet; tunc tandem ad vindictam sumendam velocissimè accessit, cum impius rex in Sacerdotem Abimelech, totamque sacerdotalem familiam, quod Dauidi esurienti panes dederint, barbara crudelitate sæuiens, omnes ad vnum interfici iussit, 1. Reg. 1. Reg. 22. 18. 22. 18. Vnde tunc temporis Dauid iis, qui se, vt in alienas terras diffugeret, quo ferocissimi Regis iram declinaret, admonebant, sic diuini consilij non Psal. 10. 1. ignarus respondit, Psalm. 10. 1. *Quomodo dicitis animæ meæ: transmigra in montes sicut passer. Quoniam ecce peccatores intenderunt arcum, parauerunt sagittas suas in pharetra, vt sagittent in obscuro rectos corde. Quoniam, quæ perfecisti, destruxerunt?* vbi dum extrema verba à Rabb. Salomon. de nece Sacerdotum capta, ad hunc modum leguntur. Rabb. Sal. *Quoniam per manus vestras occisi sunt Sacerdotes, qui sunt fundamenta mundi;* illud innuere videtur Vates, non esse cur ipse Saulem fugeret, aut timeret, cum ille, sacerdotibus occisis, suammet ruinam, & excidium moliretur, ac in certum interitum per proprios pedes iret, regni nimirum basibus, & fundamentis sublatis.

Illud certè in Anglia nostris iam oculis subiectum, quod bonus imperator Basilius Porphyrogenitus de lege quadam aduersus Ecclesiæ immunitatem à prædecessore Phoca lata dixit, apud Balsamonem in Nomo-Canone Photij in commentario Canonis primi, synodi Constantinopolitanæ 2. quam nos octauam appellamus. 8. Balsamon. *Ex quo lex ista robur habuit, nihil boni penitus in hodiernum vsque diem vitæ nostræ contigit, sed potius è contrario nullum omnino genus calamitatum defuit.* O si iam tandem intra suum se gradum Luna hæc contineret, & Soli subdita mutuatum ab ipso lumen in maximum sui bonum, & orbis totius gaudium agnosceret, & fateretur!

VERSVS XIV.

Et plures è fratribus in Domino confidentes vinculis meis, abundantius auderent sine timore verbum Dei loqui.

COMMENTARIVS.

FRATRES appellans Paulus Christianos, siue Iudæi illi, siue gentiles essent, addidit *in Domino*, ne videretur solum loqui de fratribus secundum carnem. Pro, *confidentes vinculis meis*, Græce est, πεποιθότας τοῖς δεσμοῖς μου, quæ ad verbum vertas, *freti vinculis meis*, siue, *persuasi vinculis meis*, sicut Erasmus, & alij reddiderunt. Erasm. Pro abundantius verò περισσοτέρως, id est, *vberius*; dicas ad rem Hispane, *mas larga, y cumplidamente,* id est, non timidè, non parce, non strictim, quantum ad tempus, locum, personas, sed magna fiducia, libertate, & dicendi copia. Vnde Tertullian. lib. 5. contra Marcion. legit, *audentius.* Tertull. Est ergo sensus reliquos Christicolas, præsertim Sacerdotes, & ministros magnos sumpsisse animos à præclara Christi confessione, quam protulit Paulus, vt videlicet deinceps intrepide, & maiori fiducia, non clanculum, aut in angulis Romæ, sed palam in foris, in comitiis, atque etiam pro rostris Christi Euangelium prædicarent. Versat præclarè hanc Pauli sententiam Clemens Alexand. lib. 4. Stromat. ex ea eruens, martyria ad eximium Euangelij profectum maximè conducere, dum Christiani per ipsa magis confirmantur; Ethnici vero, vel ad fidem deducuntur, vel insigni afficiuntur stupore. Cle. Alex. Vnde duo hic opportune tractari possunt. Alterum, quam efficaces sint tribulationes, ac vincula ad Christi fidem persuadendam. Alterum quanta fiducia, siue quam ingenti ore Dei verbum prædicari, eiusque negotia pertractari debeant.

ADNO

ADNOTATIO I.

Nihil efficacius Christi fidem, virtutemque suadere, quam labores pro ipsa toleratos.

1. AGEMVS Deo dante ad ea verba, cap.4. *Quæ audistis, & vidistis in me*, de vi, & efficacitate exempli, multis commonentes breuius, ac facilius per illud, quam per verba iter esse. Eò me nunc totum conuerto, vt affirmem signatissimè, id ex mente Pauli in tribulationibus, & laboribus æquo animo pro Christi fide, & amore toleratis locum habere. Certè illa verba, *confidentes in vinculis meis*: eam in Græco fonte peculiarem emphasim habent, vt inde possis legere, *persuasi vinculis meis*, quasi vinculis sua etiam lingua sit, quæ Christi religionem sublatissima voce proloquatur, & ad eam amplectendam efficacius permoueat. Est quidem hic sensus Paulo pluribus in locis familiaris. Appingam nonnulla. Et hac in primis ab ipso mẽte dictum reor, 2. ad Corinth. 1.4. *Siue autem tribulamur, pro vestra exhortatione, & salute* (supple, *est*:) subest enim sensus, ea potissimum de causa prouisum à Deo fuisse, tot illum tribulationibus, & laboribus premi, vt ex egregia eius tolerantia, & fideles ad Christi imitationem, & infideles ad Christianam fidem efficacius commouerentur, ac si dixerit, non mutæ meæ tribulationes, sed maximè vocales, & sonoræ sunt, quippe quæ exhortatoriam vim ad virtutem suspiciendam habent. Quo quidem facit, aureas illas murænulas (Cantic. 1.10.) quæ vt vers. 7. adnotat. 2. num. 10. vidimus, stigmata, quæ in corpore suo Paulus se portare iactabat, ad Galat. 6.17. hoc est inflictorum sibi vulnerum vibices, ac cicatrices; *vermiculatas argento*; siue cum notis, aut punctis argenti esse, perhiberi. Sanè argentum inter omnia metalla clariorem, viuidioremque sonum reddit, vnde ea similitudine innuitur vinculis, verberibus, & afflictionibus ob Christi fidem à Paulo toleratis disertissimam inesse linguam, quæ Christianam religionem plenius, efficaciusque suadeat. Quare ad prædicta verba: *Stigmata Domini Iesu in corpore meo porto*, sic opportunissime scripsit Chrysostom. *Sed quam ob causam hoc dicit? quouis sermone, quauis, inquit, voce clarius per hæc me purgõ. Hæc namque vocem tuba sublimiorem emittunt aduersus eos, qui mihi contradicunt, prædicantque me simulare dogma, & ad placandum homines aliquid dicere, etenim si quis militem videret ex acie cruentatum prodiisse, innumeris vulneribus saucium, num posset illum ignauiæ, proditionisue damnare, argumenta fortitudinis in ipso corpore gestantem? De me quoque igitur, inquit, similiter iudicate, animumque meum qui velit cognoscere, spectet vulnera, quæ certiorem exhibent probationem, quam hæc verba, quam epistola.*

2. Quem quidem ad modum, cum signorum Apostolici muneris & argumentorum idẽ Paulus mentionem fecit, priori loco patientiæ, qua mala tolerauerat, quam prodigiorum, & rerum mirabilium à se gestarum voluit comminisci: sic namque, 2. ad Corinth. 2.12. *Signa Apostolatus mei facta sunt super vos in omni patientia, in signis, & virtutibus, & prodigiis*; quasi diceret, hinc primum mei Apostolatus, & veritatis fidei, quam vobis prædico, argumentum accipite, quod plures pro Christo labores, & tribulationes pertulerim, sic ferè obseruauit ad ea verba Theodoret. *Rectè signis tolerantiam præposuit, mentis enim rectè facta sunt multo præstantiora*: posset quidem addere, & ad mouendum efficaciora: ita omnino Cyprian. siue quisquis auctor fuit libri grauis, & eruditi de duplici martyrio. *Quamquam omnis piorum vita martyrio suo glorificat Deum, & Christum filium eius, nullum tamen est illustrius testimonium apud homines, quam sanguinis, hoc est vitæ propter Deum contemptæ, & mortis fortiter toleratæ*; *reddiderunt & miracula testimonium diuinæ potentiæ, præsertim apud incredulos, nam his propriè data sunt signa, quemadmodum scribit Beatus Apostolus, sed semper efficacius fuit sanguinis profusi testimonium.* Quo refero Christum, vt cruci suffixum, ipsomet apud Ioann. 3.14. interprete in æneo illo serpente à Moyse in deserto exaltato fuisse figuratum: in qua similitudine pende, non cum viuo, nec alterius materiæ, nisi æris, serpente Christum cruci suffixum componi, tum vt passionis acerbitas, cruciatuumque magnitudo, quos non nisi is, qui æneus esset, posset perferre, graphice ostenderentur; etenim Iob, tot ærumnis perferendis imparem se agnoscẽs, dicebat, cap. 6.12. *Nec fortitudo lapidum fortitudo mea, nec caro mea ænea est*; tum vel maximè, vt innueretur pleniores, & efficaciores voces sola patientia sua editurum: æris siquidem natura, vt indidem obseruat Rupertus, valde sonora est, vnde clarius, & plenius silentio mortem obeundo, quam sublatissimis antea prædicationis vocibus eius diuinitas concrepabat.

3. Adstipulatur huic cogitationi Origenes, homil. 8. in Ierem. dum ea impiorum Christi hostium verba: *Venite, mittamus lignum in panem eius, & eradamus eum de terra viuentium*; sic premit, vt inde colligat, adeò eos falsam spem fefellisse: vt ex ligno in panem, hoc est, ex cruce in doctrinam Christi immissa, clarior potius ipsa, ac luculentior in fines orbis terræ dimanarit. Audi illum. *Cum enim verbo Iesu, & disciplinæ eius coniungitur Magistri crucifixio, in panem lignum mittitur, & illi quidem insidiantes dicunt.* Venite, mittamus lignum in panem eius: *Ego verò admirabile quiddam inferam, lignum missum in panem eius, panem fecit meliorem: exemplum accipe de lege Moysi, sicut lignum, quod missum est in amaram aquam, fecit dulcem: sic lignum Passionis Christi missum in doctrinam eius, fecit panem illius dulciorem. Ante enim, quam immitteretur lignum in panem eius, quando tantummodo panis erat, & non erat lignum, in vniuersam terram non exierat sonus eius. Postea verò, quum assumpsit fortitudinem per lignum, tunc in vniuersum orbem Passionis eius disseminatus est sermo.* Hæc Origenes. Vide à nobis dicta vers. 12. adnot. vnic. num. 3.

4. Nec alio quidem sensu dixisse videtur Sapiens, Prouerb. 19.11. *Doctrina viri per patientiam noscitur*: est enim sensus: ex patientia hominis in aduersitatibus, & laboribus, optimè perspici qualis, siue quam vera ea doctrina, quam tradit, sit, ita Nicol. de Lyra. ibi: *Potest hoc propriè exponi de doctrina Apostolorum, & aliorum Doctorum in primitiua Ecclesia, cuius veritas apparebat per patientiam, quia non reformidabant mori pro ipsa.* Similiter Beda. *Doctrina Ecclesiastica per patientiam doctorum quam sit perfecta, monstratur, quia dum magis afflictionibus, & morti corpus subdere, quam à docẽdo cessare voluerunt, ostendebant, quantum esset salutaris, quam tanta constantia defensare curabant.* In quam sententiam Tertullian. in Apolog. cap. vltim. ad fin. Romanos ad hunc modum disertissimè alloquitur. *Multi apud vos ad tolerantiam doloris, & mortis hortantur, vt Cicero in Tusculanis, vt Seneca in fortuitis, vt Diogenes, vt Pyrrhon, vt Callinicus; nec tamen tantos inueniunt verba discipulos, quantos Christiani factis docendo.*

[Marginalia: 2. Ad Cor. 1.4. — Cant. 1.10. — Ad Gal 6.17. — Chrysost. — 2. Ad Cor. 2.10. — Theodor. — Cyprian. — Ioan. 3.14. — Iob 6.12. — Rupert. — Origen. Iere. 11.19. — Prou. 19.11. — Lyra. — Beda. — Tertullian.]

Illa ipsa obstinatio, quam exprobratis, magistra est. Quis enim non contemplatione concutitur, ad requirendum, quid intus in re sit? Quis non vbi requisiuit, accedit: Vbi accedit, pati exoptat, vt totam Dei gratiam redimat? Vbi quamuis germanior alius sensus extremis hisce verbis reddi possit; placet etiam sic capere, vt patientia, & cruciatuum tolerantia Dei gratiam, hoc est, vitæ puritatem, atque virtutes diuina gratia adeptas à falsis ethnicorum calumniis Christiani redimerent. Pro quo præclarè fideiubet glo- Iustin. riosus Christi martyr Iustinus, dum se egregiis martyrum exemplis ad Christi fidem adductũ sic scri- Niceph. bit, tam in Apologia, quam apud Nicephorum, lib. 3. Ecclesiast. hist. c. 26. *Ego quidem, qui Platonicis delectarer disciplinis, cum Christianos calumniosè deferri audirem, viderem que eos impauidos, interritosque esse ad mortem, & quæcumque horrenda mortalibus videntur, consideraui ipse mecum fieri omnino non posse, vt illi ira, flagitiis, deliciisque viuerent. Quotus enim quisque voluptatis consectator, & libidinosus, quique humanarum carnium dapibus delectetur, bono sibi mortem esse putet, vt per eam cupiditatibus, deliciisque suis priuetur, & potius illud agat, vt semper hanc vitam viuat magistratusque, & leges fallat; nedum se ipsum ad cædem offerat?* Vides sanctam Christianorum conuersationem ab impiis Gentilium scommatibus, atque calumniis vna patientia redemptã? Con- Lactant. sentanea sunt, quæ Lactant. lib. 5. diuin. inst. c. 13. ad hunc modum habet. *Cum ab ortu Solis vsque ad occasum lex diuina suscepta sit, & omnis sexus, omnis ætas, gens, & regio, vnitis, & paribus animis Deo seruiant, eadem sit vbique patientia, idem contemptus mortis; intelligere debuerunt aliquid in ea esse rationis, quod non sine causa vsque ad mortem defendatur.*

5. 2. Ad Tim. 4. 2. Superioribus Pauli testimoniis illud est persimile, 2. ad Timoth. 4. 2. Vbi grauissima illum obtestatione vrgens, vt muneris sibi impositi omnes partes expleret, inquit: *Prædica verbum, insta opportune, importune, argue, obsecra, increpa.* Sed quo id modo præstandum? Quibus artibus arguendi, obiurgandi, increpandi tempestiue, & intempestiue homines sunt? Subiicit Paulus, *in omni patientia, & doctrina*: vbi quamuis videam vocem illam, *patientia*, ab interpretibus iuxta Græcam significationem pro lenitate, seu magnanimitate, quæ doctrinæ disseminandæ adhiberi debet, sumi: malim ego tamen Vulgatæ innixus, de patientia, & laborum tolerãtia, quæ doctrinam debeat antecedere, accipere: id enim simplicius iuxta vocum significationem, & structuram esse videtur. Vnde duo ibi expende: Alterum in Christi Euangelio, & lege diuina promulgandis potiores partes patientiæ, quam doctrinæ Apostolum detulisse, patientiamque se ipsa efficaceius prædicare, instare, increpare, arguere, obsecrare, non quidem Tertullian. audientes, sed videntes. Certe Tertull. lib. de præscript. aduersus hæret. c. 36. dum de Christiana fide à Ioanne Apostolo Euangelista educata, & disseminata, & modis omnibus aucta disserit, sic in harum rerum œconomia se gerit, vt illam aqua signari, Sancto Spiritu vestiri, Eucharistia pasci; martyrio autem suaderi affirmet. Tanta patientiæ vis, tam vocalis illi fortitudo, & bona latera insunt. Sed audi illum. *Legem, & Prophetas cum Euangelicis, & Apostolicis litteris miscet, & inde potat fidem, aqua signat, Sancto Spiritu vestit, Eucharistia pascit, martyrio exhortatur.* Vbi vides potiores quidem ad persuadendam fidem martyrio partes, quam aliis Sancti Spiritus charismatibus deferri. Alterum est Apostolum, cum præmiserit, *opportunè, importunè* Dei verbum prædicandum, subinde affirmasse, patientia & doctrina id præstari oportere. Vbi si singula singulis sint tribuenda, patientiæ, opportunitatem ad prædicandum, persuadendum, atque mouendum; doctrinæ verò absque patientia intempestiuitatem adscribi dixeris. Id quod sic confirmat Chrysost. homil. 8. Chrysost. in Genes. *Nec sic nos inducit in veritatis viam: nam neque tam considerantur ea, quæ à nobis dicuntur, quam quæ à nobis aguntur. Et vt scias rem ita se habere, licet infinities tantum philosophemur verbis, & de patientia disseramus, & cum tempus fuerit eam operibus non demonstremus, non tantum proderunt verba, quantum nocebunt opera.* Similia habet orat. de S. Babila M. siue contr. Gentil.

Hinc capies, sub quo sensu dixerit Apostolorum 6.
Princeps, epist. 1. c. 3. 1. *Mulieres subditæ sint viris* 1. Petr. 3. 1. *suis, vt, & si qui non credunt verbo, per mulierum conuersationem, sine verbo lucrifiant.* Ibi enim ad Christianarum mulierum patientiam, qua infidelium, & ferocium maritorum afflictiones, & duriorem tractationem humili, atque summisso animo ob Christianam Religionem sufferebant, videtur Petrus allusisse, cæteras inde mulieres ad illarum imitationem exhortãs; quasi plus huic modestæ subiectioni, & patientiæ, quam externæ prædicationi Euangelij fidat, immò verò quasi adstruat iis ethnicis, qui velut ægroti incurabiles præ duritia sua videbantur, hoc vnum superesse remedium omni doctrina, & signis efficacius, si inter eos degerent, qui labores patienter perferrent. Vnde Tertull. lib. ad Sca- Tertullian. pul. in fin. *Quisque enim tantam tolerantiam spectans, vt aliquo scrupulo percussus, & inquirere accenditur, quid sit in causa, & vbi cognouerit veritatem, & ipse statim sequitur.* Quam sanè doctrinam plures ex annalibus Ecclesiasticis petitæ historiæ confirmant. Surius. Vide Laurent. Surium ad diem 16. Martij, scribentem egregiam Abrahami patientiam integrum Christo oppidum lucrifecisse.

Applaudit huic rei illud, Cantic. 4. 4. *Turris Da-* 7.
uid collum tuum, quæ ædificata est cum propugnaculis, Cant. 4. 4 *mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium.* Quæ verba licet de efficacitate boni exempli alibi expendam, modo, ad ibi dicta nonnihil addi potest. Et verò cum pro illis verbis. *Quæ ædificata est cum propugnaculis*, doctissimi Hebræorum legunt, *quæ structa est ad docendum*, siue *ad disciplinas*, siue etiam, *ad suspendendum ora.* Is videtur esse sensus, Ecclesiam ad fidem Christianam, & virtutes omnes perdocendas Sanctorum exempla pro gymnasio habere, quæ fidelibus, & infidelibus ob oculos obiiciat. Sed ad rem nostram obserua, clypeorum metaphora, propriè patientiæ virtutem, qua dura, & aduersa pro Christo tolerãtur, significari, iusta enim similitudine, cum clypeo patientia componitur, dum ille omnes gladiorum ictus, omnem bellatoris impetum, omnia denique tela, quæ ab aduersariis intorquentur, & suscipit, & tolerat nullo impatientiæ, aut querimoniæ sono edito, vt de aureis templi scutis superius ad vers. 13. adnot. 1. n. 8. diximus. Vnde Tertullian. lib. de Patientia, cap. 14. Tertull. Iobi tolerantiam sic expressit: *Itaque operarius ille victoria Dei, retusis omnibus iaculis tentationum, lorica, clypeoque patientiæ.* Ecce ergo Ecclesiæ doctrinam per laborum patientiam cõspicuam, ecce ipsius linguam, quæ clarius & efficacius Christianam religionem, & perfectionem suadet. Quare Clem. Cle. Alex. Alex. lib. 4. Strom. martyria non tam exempla, quàm exemplaria, eaque gloriosè sanctificata, sic appellauit. *Martyria sunt exemplaria conuersionis gloriosè sanctificata*, hoc est, quæ sanctam atque gloriosam nostram fidem ostendant, & quibus ipsa gloriose de infidelitate, & peccato triumphat. Certè Gregor. Nazianzen. orat. 28. in laudem Cypriani, Nazianz. Martyres,

Martyres veritatis præconia, & vitæ institutionem sic appellat. *Cum tot inquam tantaque habeamus, non minus tamen ad vitam rectè instituendam nobis vtilitatis afferunt Martyres; holocausta ratione prædita, victima perfecta, oblationes Deo grata, veritatis praconia, mendacij professiones, legis qua spirituali modo intelligitur expletio, erroris oppressio, vitij infectatio, peccati diluuium, mundi lustratio.* Hæc ibi Greg. Omnia vt in hanc rem opportuna, ita obseruatu dignissima, illud præsertim, peccati diluuium, innuens, alias virtutes, siue virtutum exempla, velut ex æquo cum peccato pugnare; at Martyrum patientiam ipsum tanto interuallo superare, vt ab ipsa vndequaque oppressum, & submersum, minime caput efferre audeat. Similiter oratione de laudib. Basilij in eandem sententiam de se ipso, sic inquit; *Ego quidem cum martyrum encomia lego, corpus aspernor, & cum iis, qui laudibus efferuntur animo versor, atque ad certamen excitor.* Vides quantum loquantur, & vociferentur, quantum moueant, quantum incitent ad virtutis studium labores pro Christi gloria perpessi? Adde Leonem, serm. 6. de Epiphan. vbi cum dixisset: *Cruenta impietate in Dei populum saeuiebant, quasi ad maximam gloriam suam pertinere ducerent, si de terris nomen Christianum auferrent, nescientes Ecclesiam Dei per furorem sua crudelitatis augeri*, reddit rationem, *quando in supplicijs, & mortibus beatorum Martyrum, qui putabantur minui, multiplicabantur exemplo.* Vbi totum Christianæ rei prouentum scitè ad Martyrum exempla refert Leo, quod illis homines ad Christianam fidem amplexandam, maximè incitarentur.

Leo Magn.

8. Nec alio sensu hoc eodem c. versu 27. dixit Apostolus: *Tantum digne Euangelio Christi conuersamini, vt siue cum venero, & videro vos, siue absens audiam de vobis, quòd statis in vno spiritu, vnanimes collaborantes fidei Euangelij.* Vbi vides quonam modo ex Apostoli præscripto, pro fide, quæ vt ibi inquit Ambrosius, velut in palæstra, ac lucta est, vt ipsa aduersus hostes nouos subinde progressus faciat, sit dimicandum. Sed simul pende Græcum verbum, *συναθλοῦντες*, pro quo noster posuit, *collaborantes*, propriè etiam significare, *labores perferre*, quasi tunc egregiè pro fide Euangelij fideles dimicent, tunc illam ab hostibus tueantur, tunc magis commendent, cum patiēter pro illa dura quæque tolerāt. Vnde præfato loco Lactantius. *Nam cum videat vulgus dilacerati homines varijs tormentorum generibus, & inter fatigatos carnifices inuictam tenere patientiam; existimant id, quod res est, nec consensum tam multorum, nec perseuerantiam morientium vanam esse, nec ipsam patientiam sine Deo cruciatus tantos posse superare.* Similiter Hieron. epist. 150. ad Hedibiam, q. 11. *Cum enim quis viderit tanta perseuerantia stare Martyrem, atque torqueri, & in suis cruciatibus gloriari, odor notitia Dei disseminatur in gentes, & subit tacita cogitatio, quod nisi verum esset Euangeliū, nunquam sanguine defenderetur:* En Martyres collaborātes fidei Euangelij, auxiliantemq; ipsi, dum in palæstra est, manū afferentes!

Ad Philip. c. 1. 27.

Ambros.

Lactant.

D. Hieron.

9. Apto hic, quod alibi aliud agens tetigi ex lib. 2. Machab. c. 7. 10. de egregio adolescente, cui, dum ob fidei confessionem ferox tyrannus linguam amputari iussit, ipse non linguam solum, sed manus etiam præscindendas exhibuit; planè, vt tyrannum doceret, hoc Dei militum proprium esse, vt fidei in palæstra laboranti manibus, hoc est, patientiæ operibus potius, quam lingua, ac verbis opem ferant. ac si verè verus hic miles dixerit, quod falso falsus apud Comicum dicebat,

2. Mach. 7. 10.

Ne expectetis spectatores, meas dū pugnas prædicem.
Manibus, duellis prædicare soleo, non in sermonibus.
Vela zqu. in Epist. ad Philippens.

Ita omnino Ambros. lib. 2. de Iacob, c. 11. sub inclyti huius Martyris persona, sic inquiens. *Abscinde linguam, sed non abscindes constantiam, non virtutem auferes, non rationem obliterabis, non eripies testimonium veritatis. Quid verba damus? loquaciora sunt vulnera, satis iam Deum sermone laudaui, nunc passione laudemus.* Pende illud: *loquaciora sunt vulnera*, vbi pleniorem, & elegantiorem sermonem manibus, siue vulneribus, quam linguæ tribuit Ambros. Ad quem etiam modum in Psalm 48. in principio, dum sic capit verba Psalm. 23. *Domini est terra, & plenitudo orbis terrarum, & qui habitant in eo*, vt sermo sit de Ecclesia à Domino benè fundata, & stabilita, eam ex sequentibus reddit rationem; *quia ipse super maria fundauit eum, & super flumina præparauit eum.* Vt nimirum in laboribus, & aduersitatibus, tanquam super firmissimis fundamentis stabiliatur: *In tribulationibus fundatur Ecclesia, in tempestatibus, & procellis, in sollicitudinibus, & in mœrore; in rebus aduersis, & in fluminibus præparatur.* Quod si ab Ambrosio petas, quare in his tribulationum fluminibus Ecclesia præparetur, & stabiliatur? Respondet statim: *Audi dicentem: Eleuauerunt flumina Domine, eleuauerunt flumina vocem suam.* Psalm. 92. 4. ac si diceret: Quia his fluminibus disertissima lingua, grandior, ac plenior vox ad Euangelium disseminandum, & persuadendum subest.

Ambros.

Idem.

Psal. 23. 1.

Psal. 92. 4.

Illud iam ex prædictis inferas: à diuini verbi præconibus singillatim exigi, vt non antea suggestum conscendant, quam tribulationibus, & multa laborum perpessione exagitati fuerint. Nimirum, quia vt patientia duris, ita & munus docendi gaudet patientia, non ea solùm ratione, quod ipsam doctrinam à prædicatore traditam magis conspicuam, ac præclaram, tolerantia reddat, siue quod per patientiam omnimoda doctrinæ veritas innotescat, vt superius dicebat Salomon: *Doctrina viri per patientiam noscitur:* Ad cuius mentem Senec. epist. 20. cum citasset illud Epicuri: *Magnificentior mihi crede sermo tuus in grabato videbitur, & in panno, non enim dicentur tantum illa, sed probabuntur*, statim de suo addit: *Ego certe aliter audio, quæ dicit Demetrius noster, cum illum vidi nudum, quanto minus, quam stramentis incubantem? tunc enim non præceptor veri, sed testis est:* Sed multo magis, quòd post labores, & tribulationes virilius, atque sapientius in Euangelicæ prædicationis munere concionatores se gerant. Ita Psalm. 91. 16. de diuini verbi præconibus, quos magnam filiorum spiritualium prolem producturos, ac procreaturos affirmauerat Propheta, illis verbis: *Adhuc multiplicabuntur in senecta vberi*, subdit, *& bene patientes erunt, vt annuncient*, quæ (quantumuis Græca vox clamet) nolo accipere iuxta crassam aliquorum expositionem de bonis lateribus, seu robusta corporis complexione, quæ prædicatoribus opportuna sit; sed potius de multa laborum perpessione, qua Dei ministri valentioribus lateribus affecti, aptiores ad prædicandum redduntur, vt affirmet Propheta esse id prædicatori Euangelico pernecessarium, vt opportunè, & fructuosè munus suum obeat. Ita Greg. lib. 35. Mor. c. 16. *Bene patientes sunt, vt annuncient, quia cœlestia prædicantes tanto robustius aduersa tolerant, quanto & per tolerantiam suam animarum commoda locupletius reportant.* Hæc quidem, bona prædicatoris complexio, constitutio, affectio, habitudo, hæc bona latera. Quare Ambros. de Iob, infinitis pene calamitatibus affecto, cap. 2. enarrationum in Iob, pulchrè ait. *Iob in stercore mysteria loquitur, fortioresque erant sermones ægri hominis, quam illorum, qui non ægrotabant: & quid dicam fortiorem inuentum cæteris?*

10.

Senec.

Psal. 91. 16.

D. Gregor.

Ambros.

fortior æger, quam cum sanus esset seipso inuentus est.

11. Nec alia quidem ratione, dum concionandi munus Isaiæ delatum est, eius labia candenti calculo exusta sunt, tum, ne frigidè, ac remissè, sed ardenter, & magna vi Dei verba prædicaret; tum etiam, vt ad permouendos auditorum animos certa secum patientiæ indicia, insigniaque deferret. Similiter, & Ezechieli ad prædicandū ituro, silicis simul, & adamantis facies à Domino impertitur. Quid autem hæc sibi velint, & quomodo secum dissidentes hi lapides cohæreant, supra vidimus. addo modo, ideo cum silice vatem fuisse compositum, vt innueretur, ipsi ad scintillas, quibus auditores in Dei amorem inflammaret, emittendas, ictibus laborum opus esse; non secus, ac vt à silice ignem extundas, ipsum iterum, atque iterum ferro terere necesse est, alias latitans in eo ignis torpescit. Qua de re vide 3. Reg. 20.35. vbi egregius Dei minister non alia de causa, quam vt Regem Achab ad pœnitentiam excitaret, ex Dei præscripto alteri iussit, vt graue sibi in facie vulnus infligeret, vt nimirum plaga sanguinem scaturiente Dei verba regi ardentius enunciaret, similiter Actuum 9.15. dum ad Apostolicum docendi omnes gentes munus Paulus assumitur, inde vas electum ad prædicandum futurus dicitur, quòd multa laborum, & tribulationum perpessione exagitandus esset: *Vas electionis est mihi iste, vt portet nomen meum coram gentibus, & Regibus, & filiis Israel:* sed quare? *ego enim ostendam illi, quanta oporteat eum pro nomine meo pati*; quasi à laborum patientia certa bene obeundi muneris gnome desumatur. Hinc illum à prædicandi munere ignominiosè reiectum videas, qui labores fugitabat. Sic enim Dauid Psalm. 49.16. *Peccatori autem dixit Deus: quare tu enarras iustitias meas, & assumis testamētum meum per os tuum?* Vbi non prætermittenda Hebræa lectio, ex qua acrior, & vehementior hæc obiurgatio ad hunc modum insurgit. *Quid tibi cum ènarrandis iustitiis meis?* Ac si dicat, quid à meis iustificationibus annunciandis magis alienum, quam os tuum? Sed quare? *Tu vero odisti disciplinam.* Sed quam? correctionem certè per tribulationes, & res aduersas, vt cum Augustino plures ex Latinis interpretantur: vt ea vox sumitur Ierem. 2. 30. *Frustra percussi filios vestros, disciplinam non receperunt.* Et ad Hebr. 12. 11. *Omnis autem disciplina in præsenti quidem videtur non esse gaudij, sed mœroris.* Quasi ei mollem vitam, & à laboribus abhorrentem obiiciens, Dominus dicat, iuxta Augustinum: *Quando parco, cantas, & laudas; quando castigo, murmuras: quasi quando parco sim Deus tuus, & quando non parco, non sim Deus tuus: ego quos amo arguo, & castigo, tu verò odisti eruditionem.* Vel, quod ad præsens institutum opportunius videtur, quid affine homini suis commoditatibus dedito, cum prædicatione meæ legis? ergo vt tu acerbe odisti disciplinam, & labores; ita tu mihi ad prædicationis munus inuisus, & ineptus es.

Isai. 6. — 3. Reg. 20. 35. — Act. 9. 15. — Psal. 49. 16. — Iere. 2. 30. — Ad Hebr. 12. 11. — August.

ADNOTATIO II.

Bonitatem causæ, Religionis & virtutis id exigere, vt summa libertate, ac erecto animo de ea agatur.

1. BEne obseruant interpretes, ideo Paulum dixisse, fratres qui Romæ erant, ipsius vinculis magis animatos siue persuasos, vberius, vel (vt legit Tertullianus lib. 5. contr. Marc. cap. 20.) *audentius*, verbum Dei disseminare cæpisse. Nimirum, licet innueret non omnino timidè Euangelium ab illis ante prædicatum, sed tamen ex Pauli exemplo maiores vires, atque animos sumpsisse, vt animosè iam & fortiter Christi fidem Romæ annunciarent, magno quidem rei Christianæ profectu, atque decore. Exigit namque Euangelicæ fidei, siue etiam virtutis, ac veritatis causa, vt cum de ea agitur, omnis ignauus rubor, aut subrustica verecundia procul amandetur. Ita dixit Tertullianus, lib. aduersus Valentinianos, cap. 1. fin. *Nihil veritas erubescit, nisi solummodo abscondi, quia nec pudebit vllum aures ei dedere.* Quò potissimum spectat ex interpretatione Fulgentij, lib. 1. ad Thrasimundum, cap. 1. grauissima illa Christi comminatio, Lucæ 9.26. *Qui me erubuerit, & meos sermones, hunc filius hominis erubescet, cum venerit in maiestate sua.* Sic namque eleganter Fulgentius. *Nec immerito talis seruus, & abiicitur, & punitur, qui vno eodemque silentio firmat errorem, qui terrore, seu torpore possessus silendo non adstruit veritatem: Dominicam quoque gloriam, qui non firmauerit, euacuat, & diuinam contumeliam, qui non confutarit, accumulat. Plerumque miles ignauus regia castra somnolento torpore depressus oppugnat.* Reddit scite rationem Tertullian. lib. aduersus Gnostic. *Sciebat enim à confusione formari negationem; mentis statum in fronte consistere.* Equidem Ambros. lib. 10. in Lucam, dum piè in Petrum inclinatus singulis negationis eius verbis sanum sensum reddere conatur, nimirum, vt dum prima voce interrogatus respondit: *Non noui illum*, Matth. 26. 72. de perfecta diuinitatis notitia capi possit. *Temerarium quippe erat, vt diceret quia nouerat eum, quem mens humana non potest comprehendere.* Deinde cum an ex discipulis eius esset percontatus affirmauit, *Non sum.* Ioan. 18. 18. ad sui potius, quam ad Christi notitiam spectaret. *Maluit, videlicet se negare, quam Christum,* Tandem cum tertio interrogatus dixit: *Nescio, quid dicas.* Matth. 26. 70. Iudæorum sacrilegia respexerit: *Hoc est sacrilegia vestra nescio.* Postmodum animaduertens debuisse Petrum, absque vllis ambagibus clara, & aperta voce Christum confiteri, ab illo excusando sic discedit. *Sed nos excusamus, Dominus ipse non excusauit. Non enim satis est inuoluta responsio confitentis Iesum, sed aperta confessio. Quid prodest verba inuoluere, si videri vis denegasse?*

Tertull. — Fulgent. — Luc. 9. 26. — Tertul. — D. Ambr. — Matth. 26. 72. — Ioan. 18. 18. — Matth. 26. 70.

2. Hinc Paulus, priusquam Romam aduentasset, non ignarus Christi apud Romanos fidem loco exitiabilis superstitionis (sic eam vocat Cornel. Tacitus. lib. 15. Annalium) haberi, simulque imperatorem præferocem, superbos Magistratus, Oratores, & Doctores elatos, qui soli se scire crederent, inibi esse; ad ipsos ita scripsit Roman. 1. 16. *Quod in me promptum est, & vobis, qui Romæ estis euangelizare.* Vbi emphaticè posuit Apostolus: *& vobis qui Romæ estis*, vt innueret, minimè ipsum pudore afficiendum, etiam si Romæ coram Imperatoribus, Principibus, Magistratibus, & Consulibus de Christi fide dissereret; cum sic esset bonitati suæ causæ subnixus, vt erecto potius, & forti animo præ omnibus illis, quæ à Romanis magni æstimabantur, Christus ab ipso annunciandus esset; ita fere Oecumenius, ibi: *Quia cristas erigebant Romani ob multa, quibus cæteris præstantiores erant, puta diuitias, potentiam, & sapientiam; vos quidem in his, inquit, efferimini; ego autem Deum in medio vestri prædicaturus accedam, nec me huius pudet. Quam ob rem? Quia potentia Dei est ad salutem suscipientium.* Quod si hic inquiras; cur potius dixerit Paulus: *Non erubesco*: quàm non timeo: cum timor maius, ac

Tertullian. — Corn. Tac. — Ad Ro. 1. 16. — Oecumen.

ac fortius impedimentum pudore sit: vndè Apo-
stolo posset quis dicere, si non erubescis, at times,
Tolet. ideo Romam non venis: benè respondet ibi Card.
Toletus, Paulum iis verbis, de laudibus Euangelij
potius, quam de suis cogitasse, ideo pudoris, non
timoris meminit. Certè si aduertis, aliò pudoris, aliò
timoris causa spectat, aliundeque vnaquęque sumi-
tur; pudoris scilicet ab ipso Euangelio, res ad spe-
ciem incredibiles suadente, contemptibiles monen-
te, asperas præscribente: timoris verò, non ab Euan-
gelicâ doctrinâ, sed à persecutore externo, qui di-
ras mortis minas intorquebat. Hinc qui timorem de
Euangelio prædicando negaret se habere, seipsum
potius, animumque suum fortem, & intrepidum,
quam ipsam Euangelij doctrinam commendaret,
qui vero affirmat, se ob eam nullo modo pudefieri;
illam maximè laudat, & exornat. Vndè id sibi vult
Paulus his verbis. Quamuis noua hæc doctrina
videatur, quamuis incredibilia ad speciem doceat,
quamuis dura præcipiat, quamuis exitiabilis tandem
superstitio à Romanis nominetur; adeò est sancta,
iusta, rationi consentanea, adeò magnifica, & splen-
dida promittit, egregiaque de Deo sensa habet, vt
minimè erubescam coram Romanis Principibus,
& sapientibus, totoque terrarum orbe eam prædi-
Mat. 10. 27. care. Nec aliò spectat id Christi monitum, Matth.
10. 27. *Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine,
& quod in aure auditis, prædicate super tecta.* Quid
enim fuerit, Christi doctrinam in lumine, & super
tecta prædicare, nisi illam non clanculum, & furti-
uè, sed palam, fidenter, animoque erecto, atque cō-
stanti, vt omnium optimā, ac saluberrimā, omnibus
Hilar. annunciare? Ita ibi Hil. Can. 10. *Id quod à se dictū est,
cum libertate fidei, & confessionis vult esse loquendum:
idcirco quæ in tenebris dicta sunt, prædicari iussit in lu-
mine, vt quæ secreto aurium commissa sunt, super te-
cta, id est, excelso loquentium præconio audiantur. Con-
stanter enim Dei ingerenda cognitio est, & profundum
doctrinæ Euangelicæ secretum lumine prædicationis
Apostolicæ reuelandum.*

3. Nec ministros solum Euangelicos, sed fideles
omnes hæc tangunt, vt Christi disciplinam, & cru-
cem libere, & absque pudore vllo profiteantur, ver-
S. Thom. bisque, ac moribus animose retineant. Vndè tam in
baptismo, vt ad id loci ad Roman. inquit S. Thom.
quam in confirmationis sacramento, vt indidem ex
Concil. Florent. obseruat Iustinianus, crucis signo
in fronte, vbi verecūdiæ sedes est, fideles inungun-
tur, videlicet, vt malum pudorem abstergant, &
Christianam disciplinam, crucisque ignominiam
pro ornamento, & honore habeant. Vbi illud acu-
tè à Tertull. excogitatum est, consultissime à Deo
decretum fuisse, vt crucis dedecus, & humilitatem
absque vllo pudore homines deuorarent, publice-
que profiterentur, vt hac quasi impudentiâ Fidei
pro impudentia idololatriæ, qua ligna & lapides
sine aliquo verecundiæ velo antea coluerant, Deo
ad iustitiæ cōmutatiuæ leges satisfacerent: sic enim
Tertull. ille lib. 5. contr. Marc. cap. 21. *Vt quoniam homo non
erubuerat lapidem, & lignum adorans, eadem constan-
tia non confusus de Christo pro impudentia idololatriæ
satis Deo faceret per impudentiam Fidei.* Ac si dice-
ret, ideo Christum crucis mortem delegisse, quæ
gentibus in salutis remedium proposita, stultitia esse
1. Ad Cor. 1. 23. videretur, 1. ad Cor. 1. 23. vt ligni crucis cultus, at-
que confessio ligneorum Numinum impudenti
adorationi ex æquo respondens talionem red-
deret.

4. Iam verò hac de causa, magna, & clara voce fides
loqui consueuit; ideoque à Ioanne vox magna tan-
Apoc. 1. 10. quam tubæ, sic audita dicitur, Apocalyps. 1. 10. *Au-
diui post me vocem magnam tamquam tubæ dicentis.
Quod vides, scribe in libro.* Quid? auditus ne sensum
ob cœli inclementiam in exilio Ioannes perdiderat,
cui tubæ vocem insonare, opus fuit? Minimè: sed
ea quidem fidei, & veritatis vox erat, quæ non ali-
ter, nisi ingenti ore, forti pectore, bonisque lateribus
loqui didicit. Ita ibi Rupertus. *Quia veritas fidei* Rupert.
*non amat angulos; non in occulto, sed palam omni mun-
do loqui desiderat: rectè non per qualemcumque vo-
cem, sed per vocem tubæ magnam, id quod dictum est,
significari decebat.* Et quidem rectè, quia ea verita-
tis natura est, vt quemadmodum dicebat Tertull. Tertull.
Nihil erubescat, nisi abscondi: tuncque bonitatem
suæ causæ maximè commendet, cum palam se
ostendere, & in lucem prodire cupit.

Hinc sapientiæ, & iustitiæ magna etiam vox esse 5.
perhibetur: Ita enim apud Dauidem iustus; apud
Salomonem sapientia, siue, *in toto corde*, siue, *magna
voce*, clamare dicuntur: sic enim Propheta sæpius,
præsertim Psalm. 118. 145. *Clamaui in toto corde.* Ps. 118. 145.
Sic sapiens Prouerb. 1. 20. *Sapientia foris prædicat, in* Prou. 1. 20.
plateis dat vocem suam. Et Prouerb. 8. 1. *Numquid
non sapientia clamitat, & prudentia dat vocem suam?
In summis excelsisque verticibus supra viā, &c.* Quæ Ambros.
omnia monumenta sic in hanc rem pendit Ambr. in
Ps. 118. *Magna vox iustitiæ, magna est castitatis, per
quā & mortui loquuntur, nec solum loquūtur, sed etiā,
sicut Abel clamant; at vero in iusti anima, nec viuens
clamat, quia mortua est*: & post pauca: *Denique sa-
pientia cum altissima prædicatione conuocat ad crate-
rem, dicens.* Relinquite insipientiam, & quærite sa-
pientiam. *Magnæ sublimitatis, magnæ vocis hæc præ-
dicatio est, quæ stultis sapientiam pollicetur. Et Iesus
Dominus clamabat, Ioann. 7. 37.* Si quis sitit, veniat Ioan. 7. 37.
ad me, *& voce verè magna clamabat, qui vocabat
homines ad regnum cælorum, ad illum venerabilem
potum, quo vitæ æternæ fructus infunditur.* Hactenus
Ambrosius, pulchrè adstruens magnam iustitiæ, &
sapientiæ vocem esse, tum ex magnificentia eorum,
quæ promittit, tum ex certitudine, & veritate eo-
rum, quæ adstruit.

Quâ quidem emphasi adnotatum videtur Da- 6.
niel 13. 24. innocentissimam Susannam à peruersis Dan. 13. 24.
senibus falso criminis accusatam, grandi voce ex-
clamasse in veritatis, & innocentiæ suæ testimo-
nium; vt enim clamasse etiam senes perhibeantur,
at ipsa non clamasse solum; sed voce magna excla-
masse dicitur, sic enim ibi: *Et exclamauit voce ma-
gna Susanna; clamauerunt autem & senes aduersus
eam*; plane quasi vnius delicatæ fœminæ vox, duo-
rum virorum vocem absorberet, id quod hunc in
modum sic ibi adnotauit Hieronymus. *Magna vox* Hieron.
*erat non aeris percussione, & clamore faucium, sed pu-
dicitiæ magnitudine, per quam clamabat ad Domi-
num. Vnde & sancta Scriptura in exclamatione senio-
rum non apposuit magnam vocem.* Et statim. *Cordis
affectus, & mentis pura confessio, & bonum conscientiæ
vocem eius fecerant clariorem.* Perficit hanc cogita-
tionem Ambrosius, dum ex grandi hoc clamore, Ambros.
Susannam è rea iudicum suorum iudicem, & in
eos se veræ censuræ potestate præpotentem sic fa-
cit, lib. 1. de fuga sæculi, c. 9. *Denique cum morte
damnaretur* (Susanna) *exclamauit quasi iudex reo-
rum arbitra calumniantium, & innocentiæ conscientiæ
auctoritate diuinam sibi in iudicium accersiuit cogni-
tionem, non timore mortis percita, sed arguentis censuræ
potestate præcelsa.*

Nec latuit id gentilem Centurionem, qui Mar- 7.
ci 15. 39. ex ingenti clamore, quem Christus ani- Mar. 15. 39.
mam agens, tam coram inimicis suis grauiter in-
sultantibus, quam in ipsamet mortis facie edidit;

eius innocentiam, diuinamque virtutem deprehendit: sic enim Marcus: *Videns autem Centurio, qui ex aduerso stabat, quia sic clamans expirasset, ait: Vere hic homo Filius Dei erat.* Quæ verba sic elucidauit Theophylactus: *Videns autem Centurio, quod tam potenter, & tanquam Dominus mortis expirasset:* vbi acute clamorem ad potentiã, & maiestatem Christi retulit, quasi in illo ipsius innocentia, causæque, quam agebat bonitas, maximè eluceret. Ad quem quidem modum de eodemmet Domino libere loquente, & tanquam is, qui potestatem habebat prædicante; nec non vice versã de Iudæis subdolè agentibus, & malignis artibus deditis, sic sapienter
Chrysol. Chrysologus, serm. 31. *Bonitas virtutum mater, malitia origo vitiorum, virtutes comitatur gloria, inhæret vitijs cognata confusio, sicut vitia teguntur dolis, ita illustrantur libertate virtutes. Hinc est quod Christus virtutum lux agebat libere, loquebatur pure, præstabat vt Deus, potiebatur vt parens, vt Dominus arguebat: Iudæi vero viperinum germen genitricis mors, genitoris occisio* (perstringo sententiam) *submittebant capita, adulabantur lingua, vulnera dabant dolis, blasphemiꝗ venena fundebant.* En virtutis, & vitij discrimen; illa lucem, simplicitatem, elatam vocem: hoc tenebras, dolos, summissa capita, ac voces amant.

8. Ad Ephes. 6.18. Quò etiam ire videtur illud Pauli ad Ephesios 6.18. *Vigilantis in omni instantia, & obsecratione pro omnibus sanctis, & pro me, vt detur mihi sermo in apertione oris mei cum fiducia, notum facere Euangelium:*
Hieronym. vbi bene obseruat Hieronymus, eã fiduciam, non nisi à vitæ probitate aduenire, sic inquiens: *Hunc confidentia sermonem ei dumtaxat conuenire, qui non habuerit cor se reprehendens.* Sed non ita opportunè explicat eam phrasim, *in apertione oris*, dum ait, Hebraismum esse, scripturis familiarem, quasi dixerit Paulus: *Aperiantur thesauri, & abscondita à sæculis sacramenta*; Sanè is dicendi modus ad eam fiduciam, & libertatem in dicendo quam exoptabat Apostolus spectat; idemque est, ac si dixisset; vt non submissè, ac mussitanter, sed ingenti, siue pleno ore de Dei sacramentis agam. Sic quidem Seneca Pauli familiaris, quique sensa, & verba cum ipso communia habere solet, vt alibi dixisse memini, de Demetrio Philosopho fortiter, & magno animo oblatas sibi à Principe pecunias contemnente
Senec. dixit, lib. 7. de benefic. c. 11. *Ingenti ore ab illo dici audiui, cum miraretur dementiam eius, quod se putaret tanti posse mutari, si tentare me constituerat, toto illi fui experiendus imperio.* Hæc Seneca. Apud quem ingens os, aperto ori, siue apertioni oris Pauli respondet: Vtraque vero phrasis egregiam loquendi libertatem, atque fiduciam à magnifico pectore ortam, qualem, eum, qui de diuinis rebus agit, habere decet, præsefert.

9. Ergo magna vox iustitiæ, magna castitatis, exclamat voce magna Susanna, ingenti, ac pleno ore, seu in apertione oris fides, veritas, innocentia loquuntur; est ne iam diabolo, mundo, carni idem loquendi mos? Exclamabunt ne voce magna, cum sua nobis bona, & munera promittunt? Loquentur ne in apertione oris? Minime quidem, cum hoc vnum potius horum impostorum studium sit, submissa, atque suppressã voce loqui, & res suas clanculum agere, nec in publicum prodire, vel ad morem illius
Corn. Tac. impudicæ Sabinæ Poppææ, de qua Tacitus, lib. 13. Annalium: *Rarus in publicum egressus, idque velata parte oris, ne satiaret aspectum:* vel ad modum præstigiatorum Ægypti magicis artibus Pharaonem decipientium simul, & indurantium, qui cantiones, ac veneficia, eaque diaboli miracula, secreto, & in silentio perficiebant: sic enim illis, Exodi 7. 11. Exod. 7.11.
Vocauit autem Pharao sapientes, & maleficos; & fecerunt etiam ipsi per incantationes Ægyptiacas, & arcana quædam similiter. Ex quidem sunt mundi artes; bona sua non in publicum edere, non palam proponere, non dare omnium oculis conspicienda, sed rem totam secretò, & mussitando transigere: hæc diaboli miracula, quæ per arcana quædã fraudulentis suasionibus perficiuntur. Sic mendacij artes veritati, ac simplicitati oppositas depinxit Tertullianus lib. aduersus Valentian. cap. 1. vt in late- Tertull.
brarum, & tenebrarum cardine totæ versarentur. *Abscondat itaque sese serpens, quantum potest, totamque prudentiam in latebrarum ambagibus torqueat, alte habitet, in cæca detrudatur, per anfractus seriem suam euoluat, tortuose procedat, nec semel totus lucifuga bestia. Nostra columba domus, simplex etiam in editis semper, & apertis, & ad lucem, amat figuram Spiritus sancti, orientem Christi figuram.* Pende illud: *Totam prudẽtiam in latebrarum ambagibus torqueat:* nec non, *nec semel totus lucifuga bestia*: quibus benè adstruit tantum serpentinis astibus lucem obesse, vt eum semel totum vidisse, deprehendisse sit. Sic dixit alicubi Seneca. *Tenue est mendacium, perlucet,* Senec.
si diligenter inspexeris. Vndè post pauca subdit idem Tertull. *Denique hunc primum congressionis cuneum* Tertull.
armauimus detectorem, & designatorem totius conscientiæ illorum, primamque hanc victoriam auspicamur, quia quod tanto impendio absconditur, etiam solummodo demonstrare, destruere est. Hæc ille. Ad cuius gustum Cassiodorus, lib. de Anima, ad finem, dum à Cassiod.
Deo efflagitat, vt se à fraudulentis dæmonis insidiis eripiat, sic ait. *Nosti enim, quam feraliter lubricus anguis illabitur, squammis repentibus minutatim corpus esse sollicitat, & ne eius intelligatur aduentus, fixum non habet impressa varicatione vestigium.* Pulchrè quidem in hanc rem. Sed obserua contectum impressæ varicationis aculeum. Nam varicare, seu præuaricare vtrinque, siue ex vtraque parte stare est, tracta significatione à cruribus extrorsum extortis, atque ideo à se ipsis, quam longissime distantibus. Ait ergo Cassiodorus, id dæmonis ingenium, eas artes esse, vt nunquam palam se prodat; nec semper demulcere, semperve terrere soleat, sed vtrinque, & sub luce maligna se ostendat, vt eius vestigia firmiter deprehendi non valeant.

Huc mirifice facit, quod Eugenium Pontificem 10.
Bernard. lib. 4. de consideratione, ad finem, mone- Bernard.
bat, nimirum, vt dum apud se fidelem, & prudentem virum toti familiæ præpositum haberet, susurratas aduersus illum delationes non susciperet. *Clandestinas, & susurratas delationes non recipias aduersus eum, magis autem detractiones censueris.* Sed quare? Subiicit rationem. *Hanc velim generalem constituas regulam, vt omnem, qui palam veretur dicere, quod in aure locutus est, suspectum habeas.* Sic Bernardus suspecta nobis hac ratione mundi officia, bonaque, resque reddens. Nam huius impostoris, siue etiam noxiæ concupiscentiæ, aut peccati linguam, sic submisse, & mellitis vocibus quo simplices, & incautos decipiat, loquentem facit Salomon, Prouerb. 2. 16. *Vt eruaris à muliere aliena,* Prou. 2.16.
& ab extranea, quæ mollit sermones suos. Et c. 6. 24. & c. 9. 24.
24. *Vt custodiant te à muliere mala, & à blanda lingua extraneæ.* Cur blanda lingua? Cur molliti, mellitique sermones? Nimirum, vt res suas prius persuadeat, quam demonstret: sic dixit de hæreticis præfato loco Tertullianus, non prius dogmata sua Tertull.
discipulis proponere, quam discipulos, qui propria iam ipsorum supellex essent, haberent. *Nec discipulis quidem proprijs ante committunt, quam suos fecerint;*

fecerint: habent artificium, quo prius persuadeant, quam edoceant: veritas autem docendo persuadet, non suadendo docet. Ita ille.

VERSVS XV.

Quidam quidem, & propter inuidiam, & contentionem: quidam autem & propter bonam voluntatem Christum prædicant.

VERSVS XVI.

Quidam ex charitate scientes, quoniam in defensionem Euangelij positus sum.

VERSVS XVII.

Quidam autem ex contentione Christum annunciant non sincere, existimantes pressuram se suscitare vinculis meis.

COMMENTARIVS.

1. PLVRA sunt in his versibus, in quibus non modo interpretes, sed ipsa etiam exemplaria, tam in modo appingendi hos versus, quam in scriptione, & expressione sententiarum variant. Nam in primis versus 16. & 17. inuerso ordine leguntur in codicibus græcis. Vnde putat Iustinianus perturbate à Vulgato fuisse translatos. Deinde ex lectione Vulgati, & Erasmi, & multo magis ex versione Tertull. lib. 5. contr. Marc. c. 20. quatuor prædicatorum genera à Paulo posita videntur; dum quater vocem illam, *quidam*, assumit: cui lectioni ita adstipulatur Ambrosianus codex. *Alij enim ex bona voluntate hoc agebant, ad gloriam Dei solius: Alij vero charitate incitati Apostoli certi de tuitione Dei: sic iterum è contra alia duo genera ponit, quæ non sincere animo prædicabant: Quidam enim inuidentes Apostolo, contentione hoc agebant. Alij verò astutiâ:* Tertulliani lectio, & explicatio rem magis exaggerat, dum maiorem adhuc prædicatorum varietatem sic astruit: *Cum prædicationis enumerat varietatem, quod alij ex fiducia vinculorum eius audentius sermonem enunciarent; Alij per inuidiam, & contentionem; quidam vero & per sermonis existimationem; plerique ex dilectione, nonnulli ex æmulatione, iam aliqui ex simultate Christum prædicarent*, sic effert hunc Pauli locum Tertull. addit verò statim de suo: *Erat vtique vel hic locus taxandæ ipsius prædicationis de diuersitate sententiæ, quæ tantam efficeret etiam animorũ varietatem.* Quòd si inquiras, quorsum hanc Prædicatorum varietatem Paulus enumeret? Respondet Iustinianus, ideo fecisse Apostolum, vt hinc incipiat Philippenses commonere, ne facile cuiusuis diuini verbi præconi aures præbeant, cum neque omnes eodem studio tenerentur, neque omnes recta, prout oporteret, contenderent.

Iustin. Erasm. Tertull. Ambros. Tertull. Iustin.

2. Deinde variè accipitur apud interpretes illud ex versu 16. *Quoniam in defensionem Euangelij positus sum.* Nam Chrysost. & Græci de diuina prædestinatione, & vocatione Pauli ad Apostolicum munus, de quo in die iudicij rationem erat redditurus, accipiunt, eo sensu, quo 2. ad Timoth. 3. 11. dixit: *In quo positus sum prædicator, & Apostolus, & magister gentium.* Ac si dicat Paulus, fratres illos, qui ipsi in carcere detento vicariam operam in promulgando Euangelio commodabant, eius causam mirifice defendere, cum ea ratione, quod Euangelicæ prædicationis cura ipsi esset commissa, non perfunctoriè, aut leuiter tanti ab eo muneris ratio in die iudicij exigenda esset. Audi Chrysost. *Quid est, in defensionem? iussus sum, inquit, prædicare, etiam rationem daturus sum, defensionemque obiturus pro opere isto, quod in mandatis accepi: itaque, vt facilis sit defensio, adiuuant me.* Contra verò Ambrosius, defensionem non ad Paulum aduersus Dei iudicium, sed ad Deum respectu Pauli, & Euangelij videtur referre, dum ait; *incitati charitate, certi de tuitione Dei.* Reliqui tamen latini Patres, & interpretes hanc defensionem de ipsa apologia, & testimonio, quod Paulus Euangelio Christi reddebat, sic accipiunt, vt illi Pauli coadiutores Euangelicam doctrinam diuino ardore inflammati promulgarent, ne egregio illius defensore Paulo vinculis impedito detrimentum acciperet.

Chrys. 2. Ad Tim. 3. 11. Chrysost. Ambr.

Maior tamen est controuersia, qui tandem illi fuerint, qui ex inuidia, & contentione Christum annuntiarent? Gentiles, Iudæi, Hæretici, an demum Christiani? Nec non, quæ illis in hoc negotio mẽs? quis animus esset? Chrysostom. & Theophylact. de gentibus acceperunt, qui stupenda fingendi arte Christum prędicarent, vt ex percrebrescente Euangelij fama vehementius inflammatus Nero, vltimo supplicio Paulum afficeret, sic accipiunt. *Quoniam in vinculis detinebatur Paulus, vehemens bellum multi infidelium apud Regem excitatum cupientes; Christum & ipsi prædicabant, vt accita regis ira, tanquam ob prædicationem latius disseminatam omnis furor, & commotio in caput ipsius Pauli redundaret;* Subdit post nonnulla: *O crudelitatem! O diabolicam energiam! vinctum videbant, & tamen adhuc inuidebant; auctas volebant eius calamitates, maiorique regis iræ obnoxium facere.* Similiter Theophylact. *Cum comprehensus esset Paulus, haud pauci infidelium annunciabant etiam Christum, volentes ad maiorem iram accendere Neronem, vt eò celerius Paulum è medio tolleret, veluti prædicatione vbique per eum dispersa, & vndique disseminata;* Hæc Patres; vt magis mirer esse nonnullos interpretes, qui affirment Chrysostomum, & Theophylactum de hæreticis id explicare, cum ipsi infidelium nomen, quo in suis semper scriptis ethnicos compellant, non vero hæreticorum vsurpent, vsurpaturi certe de more, si de ipsis sermonem consererent. Pater Iustinianus, vt probabilem hanc Chrysostomi opinionem censeat, eò tamen inclinat, vt hi inuidi, & contentiosi non alij, quam Iudæi pro ipsorum consuetudine fuerint, qui ea ratione vitæ Pauli insidiarentur. Alij præterea interpretes eam simulationem, & insidias hæreticis, præsertim Simonianis, quos similibus verbis in epistola ad Philippenses, Ignatius martyr perstringit, adscribunt. Cui verò ex iis sententię adstipuletur Ambr. non satis ex eo liquet, sic enim scribit. *Alij verò astutia simulationis Christum annunciabant; vt possent seditiones excitare Apostolo, quasi auctori huius sectæ, qui multos aggregauerat suæ conspirationi; maior enim inuidia crescebat Apostolo, quando ex latere eius multi videbantur docere.* Quæ licet de improba simulatione, & perfidia æmulorum Pauli manifesta sint, de ipsorum tamen conditione, seu religione nihil definiunt. 3.

Chrysost. Theophyl. P. Iustin. S. Ign. M.

Iam Christianos tandem ex Iudæis oriundos, ambitiosos tamen, & mercenarios hos Pauli æmulatores 4.

Corn. Anselm. latores fuisse ex Anselmo censet Cornelius; sed, vt verum fatear, Anselmus, quamuis hæc de Christianis accipiat, eos tamen esse, qui à Iudæis ortum ducerent non meminit, sic enim sub persona Pauli loquitur. *Ideo autem dixi plures è fratribus in Domino confidentes annunciare ob mea vincula verbum Dei, & non omnes ita faciunt, alij enim ex ipsis sunt mercenarij; alij filij. Nam quidam quidem, id est, mercenarij prædicant Christum, etiam propter inuidiam, & contentionem, quia inuident gloriæ meæ, & contendunt illam sibi vsurpare, cupientes esse famosi, & honorabiles apud homines, sicut erant Apostoli;* Ita Anselm. Nihil singillatim de Christianis ex Iudæis ortis indicans, immò vero huic interpretationi non omnino subnixus paulò post subobscure ad *Ambr.* modum Ambrosij, sic inquit; *Vel ex contentione, id est, ex priuato odio inde genito, quod aliquando mecum contenderunt, & confutati sunt, & ne viderentur esse correcti adiungo, quia non sincere, id est; non puro animo, sed malitia infecti prædicant, existimantes hoc modo se suscitare, id est, commouere pressuram vinculis meis, id est, vt ego vinctus opprimar aduersis, scilicet, vt dum Nero, & ministri eius viderint Romæ tot prædicatores Euangelij, existiment me causam eorum esse, & maiora mihi tormenta, vel etiam mortem inferant, & tali intentione salutem, quam ipsi non habent, prædicant aliis; consulentesque terrenis cupiditatibus suis regnum cœlorum annunciant habentes in pectore falsitatem in lingua veritatem.* Hæc Anselm. ex quibus eius mentem vix valeas eruere; dum enim ait, *aliquando mecum contenderunt, & confutati sunt,* de infidelibus in vniuersũ, siue ij ethnici, siue hæretici, aut tandem Iudæi sint, qui cum Apostolo de religione Christi disputauerint, & ab eo fuerint cõuicti, videtur loqui, quo etiam ire videtur quod ait, necem ipsi eos machinatos fuisse, & falsitatem in pectore, & veritatem in ore habere; sed cum subdat, terrenarum illos cupiditatum causa regnum cœlorum annuntiare; de mercenariis potius, & infidis Christi ministris sermo illi esse videtur, nisi in ea forsan sententia Anselmus sit, vt non duo, sed quatuor prædicatorum genera iuxta superius dicta, in his verbis subintelligenda esse existimet.

5. Debui, & hos tres versus simul explicandos suscipere, ne minutatim, sed semel, tota Pauli sententia percipiatur; & omnes etiam quæ illis ab interpretibus expositiones afferuntur adducere; vt lector, quod maluerit apud se statuat, nec ea desideret, quæ multo fortassis meliora erunt, quam quæ nos sumus allaturi. Ego igitur in ea sum sententia, vt existimem Paulum nulla alia occasione, nisi vt Philippenses, iuxta dicta versu 14. de iis quæ circa ipsum erant certiores redderet, de his germanis, aut spuriis Euangelij ministris sermonem facere. Deinde non nisi duo prædicatorum genera enu-*Græca, & Syr. Lectio.* merare, vt in fonte Græco, & Syriaco manifestè apparet; Græce enim non habetur, *quidam ex charitate, quidam autem ex contentione;* sed οἱ μὲν ἐξ ἀγάπης, id est, *hi quidem, qui ex charitate:* similiter Syriace. *Quippe qui,* &c. Deinde statim eodem modo, οἱ μὲν ἐξ ἐριθείας: id est, *hi autem qui ex contentione.* Syriace, similiter, *illi autem qui per contentionem.* Quibus in verbis, vt animaduertenti facilè constabit, eademmet duo prædicatorum genera, de quibus antea egerat, luculentius explicat, vt horũ trium versuum sensus sit; quidam ad prædicandum prodierunt inuidentes mihi gloriam, quam ex prædicatione Euangelij consecutus sum, mecumque de laudibus humanis contendere, ac decertare volentes, vt hac ratione honore, & opinione hominum mihi præferantur: Quidam rursus bono animo, rectâque intentione, ac studio diuinæ gloriæ, & salutis proximorum prædicationis munus obeunt; & hi quidem qui ex charitate moti sunt, ideo potissimum Euangelij disseminandi curam vberius susceperunt, scientes, *quoniam* (Hispaneque) *in defensionem Euangelij positus sum,* id est, creditum mihi à Deo munus prædicandi, & defendendi Euangelium esse, nec id à me propter vincula quibus constringor præstari posse. Qui autem ex contentione prædicant; non syncere, οὐχ ἁγνῶς, non pure, non recta intentione, vt Deo gloriam deferant, & proximis prosint, sed inanis gloriæ gratia, & studio augendi laborem meum id faciunt: existimant enim pressuram, θλῖψιν, *afflictionem,* se suscitare, ἐπιφέρειν, *addere,* vinculis meis, id est, hac ratione se augere labores meos, quasi ego dolore magno afficiendus sim, si mihi opinione populi præferantur; aut si non sim ego solus, qui Romæ Christum prædicare videar.

Ex his, quæ simpliciora, & textui aptiora esse videntur, illud nisi ego me fallo, non obscure subinfertur hos prædicatores, nec Gentiles, nec Hæreticos, nec tandem Iudæos, qui ficta prædicatione necem Paulo machinarentur, grauius Neronem, qui Christianos, vt sibi perniciosissimos oderat in illum irritantes fuisse. Nam præterquam, quod dum isti inuidiam Apostolo concitare volebant, sibimet ipsis cruciatus, & mortem parabant: quandoquidem in omnes Christianos, vt inquit Tertullian. in Apolog. Cæsariano gladio Nero ferociebat; si id sane Romæ euenisset, nulla ratione ab illius æui scriptoribus fuisset prætermissum; cum id, tam vehemens inimicorum fidei in ipsam odium, declararet, quam Euangelium, quod ab iis malignis artibus palmam retulisset mirifice commendaret; & tamen nullum huius rei vestigium in Ecclesiasticis historiis, & annalibus reperitur: Num & illud, vt omnes silentio premerent in suo Apolog. Tertull. pene illis temporibus vicinus Gentibus, Iudæis, & Hæreticis valde infensus reticuisset? 6. *Tertull.*

Quid quod si attente inspiciatur Pauli contextus non difficile ex eo deprehenditur de iisdem fratribus, *in Domino,* de quibus dixit occasione suorum vinculorum animatos fuisse ad verbum Dei vberius disseminandum, sermonem modo facere, dum penitiùs explicat non eadem omnes sinceritate, & recto animo id munus suscepisse, sed alios charitate, alios inuidia fuisse permotos; quod præter Augustini monumenta, quæ mox afferam, egregio hoc Cypriani testimonio, epist. 73. ad Iubaianum confirmo; *Quod enim quidam dicunt, quasi ad hæreticorum suffragium pertineat, quod dixerit Apostolus Paulus:* Verumtamen omnimodo, siue per occasionem, siue per veritatem Christus annuntietur: *Inuenimus hoc quoque ad eorum patrocinium, qui hæreticis suffragantur, & plaudunt nihil posse proficere. Neque enim de Hæreticis, aut de eorum baptismo loquebatur in epistola sua Paulus, vt aliquid quod ad hanc rem pertineat, posuisse ostendatur: loquebatur de fratribus, siue inordinatè, & contra Ecclesiasticã disciplinam ambulantibus, siue Euangelicam veritatem de Dei timore seruantibus, & quosdam ex eis posuit verbum Domini constanter, atque intrepidè locutos, quosdã verò in inuidia, & dissensione versatos; quosdã seruasse circa se beneuolam charitatem, aliquos verò habuisse maleuolam dissensionẽ: sed tamen patiẽter omnia se sustinere, dummodo, siue in veritate, siue per occasionem nomen Christi, quod Paulus prædicabat, ad plurimorum notitiam perueniret, & noua adhuc, ac rudis sermonis seminatio loquentium prædicatione crebresceret. Porro aliud est eos, qui intus in Ecclesia sunt de* 7. *Cyprian.*

nomine Christi loqui: aliud est eos, qui foris sunt, & contra Ecclesiam faciunt in nomine Christi baptizare. Hæc luculentissime pro nostra sententia Cyprianus.

8. Ad hæc; tum vox illa, *non sincerè*, tum ea quæ Paulus subdit. *Quid enim? Dum omnimodo siue per occasionem, siue per veritatem Christus annuntietur, & in hoc gaudeo, sed, & gaudebo:* præfatam de gentibus, Iudæis, & Hæreticis expositionem conuellunt. Nec enim gentiles, siue Hæreticos, aut perfidos Iudæos inde solum Apostolus argueret: quod non syncere, hoc est, non simpliciter, aut (vt sępius vertit August. locis statim citandis) *non caste*, quod intentionem tantum alio, quam à Dei gloria procuranda detortam, denotat, verbum Dei promulgarent. Similiter cum fieri nequaquam posset, quin Euangelium ab ethnicis, vel Hæreticis prædicatum, mille erroribus, & absurditatibus permixtum esset, nullatenus de tali Euangelicæ doctrinæ disseminatione gaudere Paulus potuisset, immò verò maxima id illum tristitia afficere, vt ad hunc modum argumentatur August. lib. 2. contra epistol. Parmen. cap. 11. *Nunquid permitteret eos Christum prædicare, cum Euangelij veritatem, non veraci cordis castitate prædicarent? Numquid de talium prædicatione gauderet, nisi sciret, quod illis quidem perniciosum esset rem castam non castè annunciare: illis autem salubre, qui bona, & vera per eos, audientes proficerent ad salutem? Nam vbi non Christus, qui veritas est, sed falsitas, & mendacium prædicatur, apertissime prohibet ad Galatas, dicens.* Si quis vobis euangelizauerit præter id quod accepistis, anathema sit. *Item ad Timotheum*, sicut rogaui te, *inquit*, vt sustineres Ephesi, cum irem in Macedoniam, vt denunciares quibusdam, ne aliter docerent. *Illos autem inuidiosos, contentiosos, contumaces, non castos, occasionem quærentes faciendæ suæ malæ voluntatis: quia sic eorum fictionem fugerat Spiritus sanctus, vt eorum non desereret ministerium, quo per eos Christus prædicabatur, non solum permittit, vt faciant, sed & gaudet, quia faciunt.* Hæc August. qui eandem horum verborum expositionem sæpius inculcat, vide de verbis Domini, serm. 49. & lib. 4. de doctr. Christ. cap. 27. & præfatione in Psal. 115. & tract. 50. in Ioann. signatissimè verò lib. 22. contra Faustum, cap. 48. id sic confirmat. *Hoc amore gloriæ corrupti erant, quos Paulus Apostolus notat, quod per inuidiam, & contentionem non castè Christum annunciarent: Quibus tamen prædicantibus gaudet Apostolus, sciens fieri posse, vt dum illi sectantur humanæ gloriæ cupiditatem, tamen his auditis fideles nascerentur: non ex eorum inuida cupiditate, qua se volebant, vel æquari, vel anteponi Apostolicæ gloriæ, sed per Euangelium, quod etiam si non castè, tamen annunciabant, vt de malo illorum Deus operaretur bonum.*

August.

Augustin.

9. Nec tamen ideo pertinaciùs repugnauerim, Græcorum explicationem, de Gentilibus, aut Iudæis, qui eo consilio Euangelium annunciarent, vt Neronem in Paulum magis exacerbarent; probabilem esse, præsertim, cum tam Anselmo, & aliis Latinis Patribus, quam recentioribus interpretibus frequentius placuerit. Nec illa hos auctores argumentatio nimium stringet, quod eadem opera mortem sibi illi accerserent: Nam præter aliam rationem ex inuidiæ visceribus petitam, quam in annotationibus persequar; eorum forsan animus erat, vt cum de religione Christiana apud iudices accusarentur, præuaricatione, & proditione causæ, impunes abirent.

ADNOTATIO I.

Quam sit ferale, quamque ab hominis conditione abhorreat inuidiæ flagitium.

Nix, si verum fateor, alius ab hoc mihi in sacra paginâ succurrit locus, qui inuidiæ feritatem peruersamque naturam, tam ad viuum ob oculos ponat, & quasi de facie cognoscendam offerat: nec dissentiet, vt opinor, lector, si rem perpenderit. Erat quidem Paulus ob Christi Euangelium in dura vincula coniectus, sistebatur cottidie Neronis iudicibus, & quod caput est, obiiciebatur non semel ipsi leoni, Cæsariano tunc gladio in Christianos ferocienti; imminebant singulis momentis Paulo supplicia, ipsaque mors non vno haustu ebibenda, sed pluribus cruciatibus persentienda. Indictum illi bellum, & sæuum odium à Gentilibus, à Iudæis, ab Hæreticis, ab ipso demum Cæsare erat. Quid tum Christiani facerent? Quonam modo, *fratres in Domino*, Paulo de quo tota Ecclesia optime merita erat, opem modis omnibus, etiam cum propriæ vitæ discrimine afferre dubitarent? Quæ ergo tunc in Paulum pietas? Quod officium? Audi. *Quidam propter inuidiam, & contentionem Christum prædicant, existimantes pressuram se suscitare vinculis meis.* Adeò Paulo vinculis adstricto, & vndique laboranti, non miserebantur, nec subueniebant, vt potius rem arduam, qualis erat Euangelij prædicatio inuidia permoti libenter susciperent, quò (vt illi putabant) Paulus magis affligeretur, nec aliquale illi de laude Euangelici muneris solatium remaneret. Ita Chrysost. exclamans. *Tribulationi tribulationem superinducunt. O crudelitatem! O diabolicam energiam! Vinctum videbant, & in carcerem coniectum, & tamē adhuc inuidebant. Auctas volebant illius calamitates, maiorique iræ regis obnoxium factum.* Exclamo etiam ego ad rem præsentem cum Cassiod. lib. 2. variar. Epist. 19. *Proh dolor! pietas in auibus inuenitur, quæ ab humana conditione deseritur; vultur ipse, cui vita est cadauer alienum, tantæ magnitudinis corpus, nec exiguis alitibus probatur infestum, sed magis accipitrem vitam plumigerarum auium persequentem à lis cadit, ore dilanias, totoque suo pondere periclitantibus subuenire: At homines parcere nequeunt, cuius se genus esse cognoscunt!* Quæ ad increpandos hos Pauli æmulos, & sæuissimos hostes iure accommodes, quando Paulo in vnguibus accipitris, præferocis inquam Neronis, periclitanti, non modo non subueniebant, sed maiores in illum vexationes, & afflictiones excitare conabantur. 1.

Chrysost.

Cassiod.

Quis verò iam non miretur, quantum à propria conditione, & humana natura inuidi homines desciscant? cum nullus apud eos humanitatis sensus sit. Certè si hominis conditionem, & formationem speculeris, peculiari quidem illum modo, ad Dei nimirum imaginem, nec ex quauis terra (quod alibi persequor) sed ex ea quæ cœli in se rore, & pluuia susceptis blanda, fermentata, & tractabilis foret, factum fuisse inuenies: nam, *non omnis caro eadem caro, sed alia hominum, & alia pecorum*, 1. ad Cor. 15. 39. Hæc autem eò tunt, vt nouerit homo illud naturæ suæ, quæ diuinæ similis existit, maximè consentaneum esse, si proximis suis indesinenter benefacere, & opem ferre studeat: sic dixit Naz. orat. ad ciues timore percussos. *Nihil tam diuinum habet homo, quam beneficentiam.* Cui sic adstipulatur Imperator Antoninus Philosophus in libro, quem de se scripsit lib. 2. *Hominis natura conueniens esse, vt omnium hominum curam gerat.* Addit Satyrographus, 2.

1. Ad Cor. 15. 39.

Iuuen. plius, tam esse id hominis proprium, vt hâc solum ratione à brutis discriminetur. Sic enim ille Satyra 15.

——— Quis enim bonus, ac face dignus
Arcana, qualem Cereris vult esse sacerdos,
Vlla aliena sibi credat mala? separat hac nos,
A grege mutorum.

3. En hominis germanam naturam, à belluino ingenio vndique discriminatam! Sed num ipse, prout eam à Deo accepit, seruare studet? num iam inter hominem, & feram aliquod intercedit discrimen? immò potius, à feris humanitate non vincitur? est ne lupus, lupo alteri lupus? & tamen homo
Plin. homini lupus, equidem, *Cætera animantia.* (Plinius lib. 7. nat. hist. initio) *in suo genere probè degunt: congregari videmus, & stare contra dissimilia: leonum feritas inter se non dimicat, serpentum morsus non petit serpentes; ne maris quidem bellua, ac pisces, nisi in diuersa genera sæuiunt; at hercule homini plurima ex homine sunt mala:* Et quid inquam lupus? lupis
Senec. quidem, & feris omnibus ferocius est. Ita Senec. ep. 107. humanæ vitæ pericula, & miserias recensens: *Et fera (inquit) nobis loco occurret: & homo perniciosior feris omnibus.* Sed gratis quidem, & inaniter queror, hominem feris omnibus perniciosiorem existere, qui dæmonibus malignitate, & nocendi cupiditate longè antecellit: nec enim hæc desperata monstra se ipsa inuicem exagitant, non lites, aut bella in se cient. Vnde videas, ad humanæ malignitatis virus exprimendum, non apponi homini in Scripturâ dæmonis nomen, sed potius ipsimet dæmoni (quod rem plus plus auget) humanam
Mat. 13. 18. naturam adscribi. Ita quidem Matth. 13. 18 dum ab Assertore sub parabola seminantis zizania, mali dæmonis in Ecclesiam odium, & detestabilis sæuitia describitur, vt debitum tantæ rei pondus reddatur, dicitur: *inimicus homo hoc fecit.* Inimicus homo? nonne potius inimicus dæmon hoc fecit? Ita quidem; at enim verò tanta is malignitate, tantoque nocendi studio se gessit, vt semetipsum superasse, & à dæmone in hominem transiisse videatur. Ergo dæmon, cum pessimus inuenitur, cum fraudulentas artes, inuidentiam, odium, rabiem, explicat, non tygris, aut ferox bellua, sed *inimicus homo*, dicitur, tam equidem, vt res ad amussim exprimatur, quam vt dæmon in peccati pœnam hominis nomine feriretur: ita rerum versa facies, & conditio est, vt homo in feram, & in dæmonem transierit, immò verò dæmon cum maxime immitis, & malignus est, in hominem commutatus inueniatur.

4. Quam etiam ad rem spectare videtur, quod in celebri supplicio de Ierosolymitanâ vrbe sumpto,
Ezec. 9. 11. quod Ezech. 9. 11. dicitur, cum enim de innocentium salute, priusquam de sontium pœna Dominus sollicitus, viro cuidam lineis vestito, è cuius zona scriptoris pendebat atramentarium, singillatim præscripserit, vt virorum lugentium (qui à cæde futuri erant immunes) frontibus signum Thau inscriberet; deinde sex aliis viris, quorum manus mortiferis telis erant armatæ, in mandatis dederit, vt in reliquos vrbis incolas indiscriminatim sæuirent: re tandem iuxta præscriptum vnicuique datum peracta; illum tantummodo (vti obseruatum indidem
Hieron. à Hieronymo est) qui lugentium frontes salutifero signo consignauerat, non verò sex alios, qui cædem miserandam perfecerant, ad Dominum rediisse, vt datas sibi partes expleuisse denunciaret, inuenies. Sed quare? Sanè, quia de strage homini ab alio homine inferenda, minime dubitandum erat, aliquid ab iis esse prætermittendum, qui ad malum inferendum paratissimi, & expeditissimi sunt; ideo opus non fuit, vt ad iudicem ipsi denuo redirent, quo cædis patratæ fidem facerent: at verò de salute hominibus, ab alio homine danda, non erat, cur non timeretur, rem aliter, quam à Deo fuerat præscripta, fuisse perfectam: vnde non gratis, sed consultissime adnotatur; rediisse virum illum, vt Deum, qui de suorum salute (more humano) anxius inducitur, certiorem redderet, immò verò hac omnino de causâ, ille solum inter Dei ministros more publici tabellarij, scriptoris atramentarium ad zonam habere dicitur, vt dubiæ rei (adeò malignitatis suspectus est homo) signatissimis testimoniis fidem publicam faceret.

Hæc si alicubi vera, in inuidis hominibus vero 5.
veriora sunt, de quibus, non modo est certum, quod dixit Gregor. lib. 5. Moral. c. 34. *Quamuis per omne* Gregor.
vitium, quod perpetratur, humano cordi antiqui hostis virus infunditur, in hac tamen nequitia tota sua viscera serpens concutit, & imprimendæ malitiæ pestem mo-
uet: Sed illud etiam, quod addit Chrysost. inuidos Chrysostom.
feris omnibus, & ipsismet dæmonibus, à quibus virus susceperunt deteriores, & virulentiores esse. Audi illum homil. 44. ad popul. Antioch. *Inuidi peiores sunt feris, dæmonibus autem pares, & forte deteriores, nam feræ esca indigentes, vel à nobis irritatæ aduersus nos armantur: Inuidi verò beneficiis allecti benemeritos maleficiis prosecuti sunt. Dæmones quoque licet contra nos bellum exerceant impacatum, consortibus tamen generis non insidiantur. Vnde Iudæis Christus os occlusit, cum eum in Beelzebub eiicere dæmonia calumniarentur. Inuidi verò, neque naturæ communionem reueriti sunt, neque sibi pepercerunt.* Pro his sanè Patribus, Pauli æmuli siue hostes abundè fidei iubent, penes quos peiores inuidiæ proprietates obserues velim. Nam iuxta Chrysostomi, & frequentiorem Patrum sententiam inflammato studio Neronem in Paulum vehementius incendere satagebant, vt clarissimum illud mundi iubar sæua morte de medio tollerent: Sed qua de causa? quo sibi proposito fine? quave suis rebus obiecta vtilitate? subiicio singula.

Erat Paulus Euangelij tuba, disseminabat Christi 6.
fidem magno rei Christianæ emolumento, fortissime se coram Nerone gesserat: inuexerat adhuc vinctus Christi veri Dei in Regiam aulam notitiam: fulgebat denique Romæ splendidius stellis firmamenti. Ecce igitur causam, ob quam inuidorum iudicio ad mortem Paulus peccauerit; nimirum, peruersissima hæc inuidiæ natura est, vt virtutem, bonitatem, splendoremque ac lucem oderit, & implacabiles in hæc iras exerceat, vndè Ambr. lib. 2. offic. Ambr.
cap. 30. dum hâc ratione inuidum ab aliis peccatoribus discriminat, intolerabiliorem omnibus sic diffinit: *Inter improbum, & inuidum hoc interest: Improbus suo delectatur bono; inuidus torquetur alieno: ille diligit mala, hic bona odit, vt prope tolerabilior sit, qui sibi vult benè, quam male omnibus.* A quo non it
imago Nysseni lib. de vitâ Moysis inuidos cũ miluis componentis, qui fœtidis cadaueribus pasci, & Nyssen.
delectari, vnguentorum autem suaueolentia emori dicuntur. *Hanc qui habet (inquit) non suis malis, sed alienis bonis infelix est, miluis similis, quos cadaueribus pasci, & pretioso vnguento emori aiunt.*

Sic quidem videas Magistrum vitæ, cum octo 7.
beatitudines suo ordine digessisset, Matth. 5. 10. in Mat. 5. 10.
supremo tandem culmine eos, qui persecutionem propter iustitiam patiuntur, collocasse: sic operi fastigium imponens: *Beati, qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum*: Quid? Præfertur ne hæc patientia charitati?
& puri

& puritati cordis? Non opinor. Quare ergo fastigium tenet? Sanè, quia si non formaliter, vt aiunt, at arguitiuè hinc potissimum hominis perfectio deprehenditur; cui enim maxime inuidetur, is dubio procul omnibus melior esse solet. Ita S. Chromatius (S. Chromat.) concion. 1. de Beatit. his verbis. *Non est dubium fratres, quia bono facto comes est semper inuidia. Nam saluâ persecutorum crudelitate; vbi caperis rigidam tenere iustitiam, insolentiam repercutere, incredulos ad pacem Domini conuocare, vbi caperis denique à mũdanis hominibus, & erroneis discrepare, statim persecutiones oriuntur: necesse est surgant odia, emulatio laceret.* Est ergo Christi sensus, optimum illos totius probitatis specimen date, quibus magis inuidetur. *Sicut enim cantharides maxime adultu iam frugibus* (Plutarch.) (verba Plutarch. in libello de inuidiâ) *& rosis florentibus incumbunt, ita inuidia maximè adoritur bonos, & ad virtutem proficientes, atque gloriam.* Hinc (Greg. Na.) Gregorius Nazianzenus cum Constantinopolitana sede se sponte abdicasset, & de successore in sui locum subrogando, qui tanto muneri esset idoneus, electores admoneret, id illis ad optimum quemque dignoscendum experimentum dabat, si inuidiæ potiùs, quam communi gratiæ foret obnoxius. Sic enim ille orat. 32. *Quem igitur tibi substituemus? dicet aliquis. Videbit sibi Dominus pastorem ad prafecturam, quemadmodum ouem vidit ad holocaustum: hoc vnum requiro, vt ex eorum numero sim, qui aliis inuidia sim, non miserationi*: Ac si dixerit: Cantharides vobis lætiora frumenta, & floridiores rosas indicabunt. *Est sanè* (M. Tull.) (Tullius pro Cornel.) *huius sæculi labes quædam, & macula, virtuti inuidere.* Vndè apud Plutarch. præfato loco. *Itaque* (Plutarch.) *Themistocles dicebat, se adolescentem nullum splendidum fecisse facinus: nondum enim sibi fuisse inuisum.*

8. Vndè facile eâ perplexitate animum liberabis, (Exod. 4. 21.) quæ ipsum coquit, cum Exod. 4. 21. audis Dominum dicentem: *Ego indurabo cor Pharaonis.* Negotium enim hæc locutio facessit: nam quî is, *cuius* (Abac. 1. 13.) *mundi sunt oculi, ne videat malum*, Abac. 1. 13. cor hominis indurare, & velut incudem malleum respuentem reddere dici possit? Num ipse potenti manu qualitatem aliquam, qua velut trabali clauo homo affixus expedire se nequeat, imprimet? Apage. Vt quid enim contra folium, quod vento rapitur, sic ostendat potentiam suam? Ergo eo modo Pharaonis, & Ægyptiorum cor indurasse Deus dicitur, qui adeò cum Dei bonitate non pugnet, vt ab ea potius defluat, nimirum, Israelitis affluenter benefaciendo, bonisque eos omnibus exornando. En obdurationem Pharaonis, qui dum (Senec.) ex illis erat, de quibus Seneca, epist. 92. *Quorum nemo tam lætus est suo, quam tristis alieno*; Vitio suo, diuinam bonitatem ad malignitatis suæ naturam traducens, iis maximè inuidere, & bellum inferre cœpit, quos maioribus à Deo beneficiis affici videbat, id sic latius explicante Ruperto lib. 1. in (Rupert.) Exod. cap. 21. *Nec enim aliter iuxta Psalmistam:* Conuertit cor eorum, vt odirent populum eius: *nisi dum benedicit, & multiplicat populum suum, cor eorum inuidens profecit, immò conuersum est in asperum odium. Est autem inuidia, vel odij proprium, vt quanto eis, quibus inuidetur, maiora conferuntur beneficia, tanto magis ipsa inuidia, vel odium confirmetur: siquidem quò amplius explendescit, cui inuidetur, tantò magis induresicit, atque vritur inuidus.* Sed totam hanc rem elegantissime persequitur Gregor. (Nyssen.) Nyssen. lib. de beatitud. orat. 7. vbi postquam inuidum sic graphicè depinxit, vt de facie agnosci facilè possit, inquiens: *Quæ enim desperatorum lethalia signa sunt, ea sæpenumero in eo, qui inuidia contabescit, existunt: oculi aridi inter palpebras tabidas, & extenuatas recedentes, supercilium contractum, ossa loco carnium translucentia.* Hæc subiicit in præfatam sententiam: *At quænam morbi causa est? quod frater nimirum, vel propinquus, & necessarius, vel vicinus in animi tranquillitate, vel lætitia viuit. O nouas iniurias! Crimini dare, quòd non aduersa fortuna conflictetur ille, cuius rebus secundis dolet: non ex eo quòd ipse ab eo acceperit aliquid incommodi iniuriam æstimans, sed quod ille, sine cuiusquam iniuria ex animi sui sententia viuat, & in rebus secundis versetur:* Vnde statim sic cum eo agit. *Quid passus es infelix? libenter dixerim ad eum; qua accepta iniuria extabescis? acerbis oculis successus prosperos inuidens vicini? Quid habes, quod de eo conquerarìs? Quod crimini des? Si ille corpore decorus? si eloquentia ornatus? si genere superior est? si aliquo magistratu inito splendidus, ac magnificus in dignitate conspicitur* (præcido sententiam) *Cur hæc tibi, tanquam cuspides telorum in cor incidunt? Complodis palmas? digitos complicas? Cogitationibus angeris? ex intimis præcordiis dolorem significantia ducis suspiria?* Hæc & multo plura Nyssenus, quæ lector non omittat.

Scilicet; id præscriptum ab Apostolo ad Rom. 9.
(Ad Rom. 12. 15.) 12. 15. *Gaudere cum gaudentibus: flere cum flentibus.* Et 1. ad Cor. 12. 26. *Et si quid patitur vnum* (1. Ad Cor. 12. 26.) *membrum, compatiuntur omnia membra: siue glorietur vnum membrum, congaudent omnia membra*: scilicet, ita monitum à Patribus Concilij Sardicensis, (Conc. Sar.) qui Alexandrinæ Ecclesiæ fideles sic consolabantur: *Compatimur enim fratribus nostris patientibus, & eorum passiones, nostras arbitramur, & nostras lacrymas cum vestris commiscuimus*: Proh peruersitatem! Apostolicis monitis præpostere, & in peruersum obedimus: Ita in verba ad Roman. Hieronymus: (D. Hieron.) *Hoc ait Apostolus, vt si quid patitur vnum membrum, compatiantur alia membra, sicut Iob ait, si non ingemui, cum viderem homines in necessitate: nos autem iam peruerso modo: flemus cum gaudentibus, & gaudemus cum flentibus: si quis enim laudatus fuerit, contristamur; si quis ceciderit, exultamus.* En quo peruenerint fraternitatis, & propinquitatis iura! En, *fratres in Domino*, cum Paulo vincto, & flente gaudentes, cum gaudente, & glorioso flentes, & contristatos. Pulchrè Saluianus Massil. (Saluian.) lib. 5. de Prouid. *Quis hoc est animo, quo vocatur? quis tam propinquus corde, quam sanguine? in quo non liuidus maleuolentiæ zelus ardet? cuius non sensum liuor inuasit? Cui non prosperitas aliena supplicium est? Quis non bonum alterius, malum suum credit? Cui ita sufficiat felicitas sua, vt etiam alium velit esse felicem? Nouum, & inæstimabile, nunc in pluribus malum est: parum alicui est si ipse sit felix, nisi alter fuerit infelix.* Hæc ille. Accipe exemplum inimici illius hominis, qui citato Matthæi loco in agro Dominicæ messis superseminauit zizania. Sed quo sibi laboris proposito fructu? qua sibi obiecta messis spe? hac vna quidem, vt messis, cui inuidebat, periret: En totam inuidiæ mercedem! emolumentum! felicitatem in aliena infelicitate collocatam! Ita Chrysolog. serm. 77. *Venit inimicus, & superseminauit zizania. Vt quid? Vt periret Dominica messis: &* (Chrysol.) *hoc ad lucrum quid pertinebat inimici? nisi quod inuidiæ spiritus hominum damnum, suum computat lucrum, & quod perierit hominibus, hoc se æstimat acquisisse.* Sic ille.

Rediit tandem patris domum prodigus ille adolescens, Lucæ 15. 20. cumque à patre suauissimo 16. (Luc. 15. 20.) esset exceptus hospitio; liuoris zelo frater non germanus cœpit ardere, & tam in fratrem, quam in parentem maledicta congerere. Sed quid fratri obiecerit,

obieceerit, audi: *Filius tuus hic, qui deuorauit substantiam suam cum meretricibus:* At ô bone, quid inde, si substantiam prodegit, non tuam, sed suam potius: si hæc iniuria, non tua, sed ipsiusmet, est: Ad hæc: quid inuidiæ cum auaritiâ? Vt verò ex inuidiâ auaritia oriatur, quid tibi fratris substantia interest? Occurrit Chrysol. *Et quando inuidus non auarus, quando quidquid habet alter, se computat perdidisse.* Persimilis operariorum vineæ lis, & querela erat, Matth. 20. 12. dicentium. *Hi nouissimi vna hora fecerunt, & pares illos nobis fecisti, qui portauimus pondus diei, & æstus:* quibus paterfamilias, ita candide satisfacere conabatur. *Amice non facio tibi iniuriam: nonne ex denario conuenisti mecum? Tolle quod tuum est, & vade: volo autem, & huic nouissimo dare, sicut & tibi:* Benè quidem, nisi cum homine liuoris æstu percito ageretur: at huic hinc iniuriæ causa, & occasio nascitur, nec enim illi satis est; quod suum est, accepisse, & felicem esse, nisi frater minus acceperit, & infelix sit, cum alienam prosperitatem pro supplicio habet, tantumque sibi ademptum existimet, quantum alter fuerit lucratus. Ita ibi Hieron. *Non tam ipse plus accipere, quam alium nihil accipere desideras.* Luculentius Chrysost. siue Auctor oper. imperfect. *Ergo illi non dolebant quasi fraudati de mercede sua, sed quia illi amplius quam merebantur acceperant: hoc enim est proprium inuidiæ, quando alteri aliquid additur, sic dolent inuidi, quasi illis sit aliquid subductum, quod illi est additum, vt puta, si viderit fieri aliquem ditiorem, putat inuidus se pauperem factum; si alter sapientior fuerit factus, ita dolet quasi ipse sit insipiens.* His bellè concinit, quod de Magno Alexandro dicebat Curtius lib. 6. *Is vinci quidem hostes voluerat: Antipatrum vicisse, ne tacitus quidem indignabatur; suæ demptum gloriæ existimans, quidquid cessisset alienæ.*

11. Suboritur hinc nonnihil lucis obscuris Iobi ad Deum verbis, cap. 10. 6. *Nunquid sicut dies hominis, dies tui, & anni tui sicut humana sunt tempora, vt quæras iniquitatem meam, & peccatum meum scruteris?* Vbi non facile ab interpretibus redditur ratio, cur ex disparilitate dierum hominis, ac Dei eam argumentationem conficiat Iob, contendens non esse, cur Deus eius peccata tam solicitè scrutetur. Mihi alias expositiones non repudianti illa maximè arridebat, *dies hominis*, &, *humana tempora*, ibi pro humana felicitate phrasi in scripturis vsitata accipi, vt Ierem. 17. 17. *diem hominis non desideraui:* & 1. ad Cor. 4. 3. *pro minimo est, vt à vobis iudicer, aut ab humano die:* Vnde is resultat sensus, vt adstruat Iob decorum Deo non esse, si ad morem hominum, quibus prosperitas aliena supplicium est, felicitatem suam in aliorum miseriis, & infelicitate collocet: ac si dixerit, num beatitudo tua hominum felicitatem æmulatur, quibus parum est si ipsi sint felices, nisi alter fuerit infelix: vt hac ratione peccata mea inuestigare, & ob ipsa me perdere velis? Apage. Alia enim tua ab humana felicitas: illa enim sibi metipsi, hæc verò non tam sibi, quam alienæ infelicitati nititur. Nec enim tam læti sunt suo, quam tristes alieno; suæ demptum gloriæ existimantes, quidquid cesserit alienæ.

12. Inde verò deterior inuidiæ, siue horum Pauli æmulorum causa redditur, quod non solum bonum in vniuersum, sed vt in ipsos etiam inclinatum, & rebus ipsorum inseruiens oderint, immò verò, quod hac de causa maximè insectentur. Quis enim dubitare possit plura in eos Paulum beneficia contulisse, optimeque illos de eo meritos fuisse, qui communis omnium pater, maxime verò fidelium, qui Romæ degebant, esset: certe ipsamet blandissima compellatio, qua, *fratres in Domino*, eos vocat, id aperte ostendit: & tamen hinc ad benefactorem maiori odio prosequendum accedebantur. En inuidiam omnium hostium pessimam, liuoréque omni inimicitia duriorem. Hostes enim beneficiis emolliuntur; odium amore superatur, at inuidia benefactis accenditur, & charitate, velut. ignis iniecto sibi oleo magis inflammatur. Ita Basil. hom. 11. quæ est de inuidia. *Genus est inimicitiæ intractabile quidem, & admodum insuperabile: nam cum beneficentia eos, qui alioqui sunt infesti reddat mitiores; malignum tamen, & inuidiam magis irritat, atque ad odium acuit: quantoque magis fortuna crescit, tanto ille maiori premitur dolore, atque luctu: eis verò, quibus deuincti beneficiis existunt maximis, non solum se gratos esse reddendo, non cogitant, sed animo magnopere aduersantur.* Sed quare? nimirum, quia quo plus inuido is, cui inuidetur, benefecerit, eò eius bonitas, & splendor, qui inuidi oculos ferit, magis elucescit. Inuidebat Dauidi Saul, atque ad necem illum insequebatur: Quid tunc vt regium sedaret animum inuidiæque morbo remedium adhiberet bonus Dauid faceret? Equidem cum nosset eius citharâ animum Saulis refocillari, *Psallebat manu sua, sicut per singulos dies.* 1. Reg. 18. 10. si hac beneficentiâ delinitus ab inuidendo desisteret: Sed quid tunc inuidus? Sanabatur? immò potius in rabiem, & furorem agebatur. Audi quid statim subiiciat sacer textus: *Tenebatque Saul lanceam, & misit eam putans, quod configere posset David cum pariete.* Vide quantum inuido medicina profecerit. At enim verò, vt ille ab inuidia, ita denuo à beneficentia non destitit Dauid, sed leuioribus remediis, siue beneficiis maiora addens, plura in bello facinora pro Saule fortiter gessit; vitæ discrimini in eius obsequium passim se obiiciens. Sic enim eodem cap. vers. 27. *Et post paucos dies surgens Dauid, & abiit cum viris, qui sub ipso erant, & percussit ex Philisthiim ducentos viros, & attulit eorum præputia, & annumerauit ea regi.* Credideris iam efficacem inuidiæ adhibitam medicinam; cohibitumque omnino, ac oppressum morbum: rursus audi, quid capitis sequen. initio dicatur. *Locutus est autem Saul ad Ionatham filium suum, & ad omnes seruos, vt occiderent Dauid.* Vbi sic exclamat Chrysostom. homilia 46. in Genes. *O excellentem insaniam. O stuporis magnitudinem! eum, qui vitam sibi seruarat, & omnem suum exercitum ab alienigena Goliath furore liberauerat, vt hostem despexit, & immemor beneficij ab affectione vincebatur, sed mente sua obtenebratus ab inuidia, perinde ac ab ebrietate quadam benefactorem, vt hostem spectabat.* Ita ille.

Sed hæc minora sunt. Coniice quæso oculos in Redemptorem mundi Iudæis primum ob diuinas virtutes, & signa mediocriter infensum; post modum verò ob beneficiorum magnitudinem, quæ ferreos animos perdomare, & cereos reddere debuerant ad mortē conquisitus, & hac vna de causa in concilio dānatus; quod, *multa signa*, hoc est multa illis beneficia faceret, Ioan. 11. 47. id optime expedente citato loco Basilio, ad hunc modū. *Quamobrem tantis est petitus insidiis? ob magna eius prodigia. Quænam hæc erant? salus supplicum, ac miserorū, pascebantur esurientes, & qui pascebat, oppugnabatur: reuiuiscebant mortui, & auctor vitæ inuidiam sustinebat: dæmones fugabantur, & qui eis imperabat, insidiis petebatur: leprosi curabantur, claudi ambulabant, surdi audiebant, cæci videbant, & is, qui hæc beneficia conferebat, fugabatur.* Pende extremum hoc verbum, quo innuit Basilius ipsamet dona, & beneficia inuido

Margin notes: Chrysol. — Matt. 20. 12. — D. Hieron. — Auct. ope. imperfe. — Q. Curtius. — Iob 10. 6. — Iere. 17. 17. — 1. Ad Cor. 4. 3. — Basil. — 1. Reg. 18. 10. — 1. Reg. 19. 27. — 1. Reg 19. 1. — Chrysost. — 13. — Ioan. 11. 47. — D. Basil.

inuido collata, ei maximè inuisa, & odiosa esse: ideoque illum omnimodo contendere benefactorem fugare, ac procul remouere, quasi ab ipsô grauiter lædatur, & vulneretur.

14. Et verò, id inuidiæ in bonitatem odium, ea auersatio est, vt non modo inuidi affectum, & voluntatem, sed, quod plus est, intellectum ipsum corrumpat, mentisque aciem obnubilet, ne virtutis lux, quam ij etiam, qui non sequuntur, videat, inuido affulgeat; sic de Eli obscurâ locutione dicitur. 1.Reg.3.2. *Oculi eius caligauerant, nec poterat videre lucernam Dei, antequam extingueretur.* Quod, vt alibi ad prælatos, & magistratus referam, qui nō prius debita sui muneris momenta, ac pondus expendunt, quam ipsamet officij sui lucerna in hac vita extincta illius apud Deum iudicem rationem in futuro sæculo reddant; modò cum Vener. Stephano Cantuariensi in alleg. Gotfridi Tilmāni ad eum locum de inuidis placet accipere, qui, vt inquit lyricus, virtutem incolumem oderunt, nec prius ipsis alienæ virtutis lux splendet, quam mortis tenebris obscuretur. Sic enim Stephanus: *Multi modò sunt tales, vt Eli, qui nunquam laudabunt probitatem in alio, nisi post mortem*: Ita quidem cum Christus Dominus egregias virtutes, & signa exerceret; ab hominibus, non eum insigni aliquo illius æui viro, sed cum antiquioribus, qui iam obiissent componebatur: Interrogante enim ipso Matth.16.13. *Quem dicunt homines esse Filium hominis?* Sic responsum est: *alij Ioannem Baptistam, aly autem Eliam; aly verò Ieremiam, aut vnum ex prophetis.* Quod si inquiras, cur nullus ex præsentibus occurrerit, cui similis esse Christus perhibeatur: siue etiam cur tunc vt diuini, & egregiæ virtutis viri Ioannes, Elias, & Ieremias haberentur, qui dum in viuis erant, *ludibria, & verbera experti, insuper & vincula, & carceres; lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, in occisione gladij mortui sunt?* Ad Hebr.11.36. facilis est respōsio, non prius ab inuidis lucernam Dei conspici, quam extinguatur. Sed tunc quorsum vident, & laudant? Sanè, non vt extinctum laudibus, sed, vt viuentes mærore afficiant. Sic inducit Basil. citat. hom. inuidum in aliorum calamitatibus crudeli pietate misereri se simulantem, non vt dolentis animum leniat, sed vt ex iacturæ refricata memoria dolorem augeat: *Se dolere ostendit, non humanitate, aut charitate motus, verbis priora collaudans, sed grauiorem proximo calamitatem ex horum memoria, ac desiderio faciens: puerum filium post mortem extollit, verbis ornat, quā fuerit formosus, quam ingeniosus, quamque ad omnia accommodus, cum viuo ne linguæ quidem rectum vsum dedisset.* A quo non multum dissidet, quod de Augusto refert Seneca lib.6. de benef.c.32. solitum in quocumque tristi euentu Agrippam, & Mecœnatē iam extinctos laudare, inquientē. *Horum nihil mihi accidisset, si aut Agrippa, aut Mecœnas vixissent,* subdit Seneca. *Quid putem defuisse similes qui assumerentur, an ipsius vitium fuisse, qui maluit queri, quā quærere? Regalis ingenij mos est, in præsentium contumeliam amissa laudare.* Reddit verò appositam aliā præfatæ doctrinæ rationem Velleius Patercul. dum egregium Caij Sentij Consulis facinus commendaret: eum enim dixisset. *Quod ego factum cuilibet veterum Consulum gloriæ comparandū reor, nisi quod naturaliter audita visis laudamus libentius, & præsentia inuidiā præterita veneratione prosequimur;* Scitè subdit: *& his nos obrui, illis instrui credimus.* Sic Velleius.

(1.Reg.3.2. — Steph. Cant. — Mat.16.13 — Ad Hebr. 11.36. — Basil. — Senec. — Vell Pat.)

15. Ex iis iā facilè inferas, quam sit Deo inuisa hæc inuidiæ pestis, quippe quæ, *pugna in Deum*, vt Basilius iam citatus inquit, *magistra est.* Certè, vt omittā ipsam eā ratione aduersus Deū pugnare, quòd eos, qui virtute, & aliis donis ab eo exornati sunt, impugnet; quod sic probat Chrysost. hom. 53. ad pop. *Quid mali factum est, quod splendidus frater, & illustris est, & probabilis? Non itaque coronari fuit opus, & gaudere, atque Deum glorificare, quod membrum tuum est splendidum, & illustre; sed doles, quod Deus glorificetur? vides quò tendat impugnatio: sed non quod Deus inquis, sed quod frater clarificatur, at per hunc ad Deum gloria redundat, igitur, & impugnatio tua;* ex eo potissimum ipsi bellum inferre, & repugnare dixeris, quod bonitatem, & bonum quod Deus est, adeò auersetur, & oderit: Vnde diuinus spiritus, qui totius bonitatis fons est, inuidi mentem quasi sibi maximè infensam omnino derelinquere, signatissimè dicitur. Audi S.Marcial. epist. c.7. *Nulla sit in vobis inuidia: per hanc enim Spiritus sanctus mentem derelinquit: recedente autem Spiritu sancto à tabernaculo mentis, euacuatur homo dulcedine, & impletur omni amaritudine, nullusque locus est ei in cœlo, qui alienum se fecit à bonitate.* Pende Marcialis testimonium. Non dubium quidem sanctum Spiritum disciplinæ effugere fictum, & auferre se à cogitationibus, quæ sunt sine intellectu, & corripi à superueniente iniquitate, Sap.1.5. sicut & illud vero verius est, nihil inquinatum in cœlestem Ierusalem intrare posse, Apoc.21.27. at enimvero peculiariter, & inuidi mentem à diuino spiritu derelinqui; & nullum ei in cœlo locum esse dixit Marcialis, quod inuidia cum bonitatis fonte, qui diuinus Spiritus est, & cum boni totius domicilio, cœlesti scilicet beatitudine ex diametro pugnet. Vt enim alterius culpæ maculam (dato impossibili) inibi residere posse mens valeret concipere; at inuidiæ in cœlo locum facere cogitatio humana nequaquam potest.

(Basil. — Chrysost. — S. Marcia. — Sap.1.5. — Apoc.21.27)

16. His adde inuidos hæc de causa extra omnia Christi beneficia, miracula, patriæ communionem, immo, & ipsammet mundi redemptionem quodammodo esse; tanta inter Deum & inuidiam pugna, & contentio est. Sic videas; Christum quæ passim, & vbique in vrbibus, in oppidis, in viis, & medio itinere signa, & miracula edebat, in patria sua, ac si manus illi adstrictæ, & colligatæ essent, nihil huiusmodi perficientem. Sic enim ipse Lucæ 4.23. *Vtique dicetis mihi, quanta audiuimus facta in Capharnaum? fac & hic in patria tua. Amen dico vobis quia nemo Propheta acceptus est in patria sua.* Sed quare? nimirum ob conciuium inuidiam. Audi Ambros. *Aspernator enim Dominus inuidorum est, & ab ijs, qui diuina beneficia in aliis persequuntur, miracula suæ potestatis auertit.* Subdit statim eleganter, *Videte igitur, quid mali inuidia afferat, indigna propter inuidiam patria iudicatur, in qua ciuis operetur, quæ digna fuit, in qua filius Dei nasceretur.* Iam si inuidiam à Christi meritis, & passione, exortem videre velis, audi ipsammet sub inuidi fratris personâ ad patrem dicentem: *Nunquam dedisti mihi hædum, vt cum amicis epularer.* Lucæ 15. 29. Quæ sic scitè capit idem Ambros. lib.7. in Lucam. *Non enim pro inuidia, sed pro venia mundi, agnus est immolatus.* Sed iam quem sibi fructum ex odio in Paulum eius æmuli essent consecuturi videamus.

(Luc.4.23. — Ambr. — Luc.15.29. — D.Ambr.)

ADNOTATIO II.

Inuidum, sæuissimum suimet tortorem, & carnificem esse.

1. ILLVD pulchrè à Basilio, & Nazianzeno adnotatum est, pessimum inuidiæ vitium, solum inter alia omnia æquissimum simul,

& iustissimum esse: sed quare? Planè, quia cum, apud quem hospitium, siue domicilium habet, grauiter exagitat, nec culpam sine pœnâ vllo modo esse patitur, quin illam seuerissimè plectat, & cruciet. Sic enim Basil. orat. 10. de inuidia, & odio. *Vnicum tamen ei inest bonum, nempe quod nocumento sit illi ipsi, qui eâ æstuat, quodque cor eius magis exedat, quam rubigo ferrum.* Et præfata homil. 11. de inuidia; *Illud autem in hoc modo laudauerit quispiam, quod inuidus quantò in proximum vehementius mouetur, tanto sibimet maius parit incommodum; quemadmodum sagitta magna vi emissa, si in durum aliquid, ac respuens inciderint, in emittentem facile redeunt, sic inuidia proximis tristitiam nequaquam affert, tantum inuidenti officit.* Nec minus opportunè Naz. orat. 27. inquiens. *Vtinam ex hominum vita liuor interiret, inuidorum tabes, venenum eorum, qui eo laborant, solus ex omnibus affectibus iniquissimus simul, & æquissimus: illud, quia bonis omnibus infestus est: hoc, quia dominos suos exest, & conficit.* At hæc sensa supplicij modo graphice descripto: sic etiam expressit Chrysolog. serm. 172. *Omnia quidem vitia ad suorum semper intendunt, & prosiliunt læsionem, sed suos semper amplius inuidia consumit, inuidia suorum carnifex semper existit, extendit sensus, torquet animos, discruciat mentes, corda corrumpit, & quid plura? hanc qui receperit, sua sustinet sine fine supplicia, quia in se domesticum semper diligit habere tortorem.* Sed enim, vt opportuna hæc sint, non ita rem exhauriunt, vt vnicum Gregor. Neocæsar. verbum in c. 4. Ecclesiastes inuidiam, *œstrum dæmonis*, appellantis; quod videlicet eum, cui insit, tam acriter, & ardenter pungat, inflammet, discruciet, vt mœrorem acerbissimum nullo solatio mitigabilem afferat.

Basil.

Nazianz.

Chrysolog.

Greg. Neocæsar.

2. Hæc illud firmat; quod in prodigi parabola singillatim obserues, Luc. 15. 25. nimirum cum inibi trium personarum mentio fiat, nempe patris familias; filiique, qui bona prodegit, necnon inuidi eius fratris: hunc vnum notanter seniorem appellari, cũ nec ipsiusmet pater, senex appelletur. Quid? parente ne suo, à quo vitæ initium sumpserat, senior esse poterat? Ita quidem; nam vt ætate senior non esset, at inuidiæ ęgritudine imbecillior, & quasi senio magis confectus, morti vicinior erat. Ita ibi Ambr. lib. 7. in Lucam: *Ideo senior dicitur, quod cito aliquis per inuidiam consenescat*: ad quem modum Chrys. hom. 61. in Genes. *Vbi inuidus captus ab hoc morbo fuerit, contra suam ipsius salutem facit omnia.* Luculentiùs verò Chrysolog. dum inuidiam non vni, aut alteri corporis membro, sed ipsimet cordi, à quo totius valetudinis, ac viuendi causa desumitur, lethalẽ morbum afferre, sic ait: *Inuidia intestinus hostis, non carnis quatit muros: non elidit septa membrorum, sed in ipsam cordis arietat arcem: & antequam viscera sentiant, ipsam dominam corporis animã prædo capit, & adducit exclusam.* Hæc quis neget? Sed illud firmius, & opportunius, quod adnot. præced. dicebat S. Marcialis: *per hanc enim Spiritus sanctus mentem derelinquit, recedente autem Spiritu sancto à tabernaculo mentis, euacuatur homo dulcedine, & impletur omni amaritudine.* En efficacem ægritudinis, senectutis, & omnium morborum causam, discessum nimirum Spiritus sancti, qui hominis cor, animus, & vita est, à tabernaculo mentis inuidi: succedunt enim statim tristitia, amaritudo, senectus, mors.

Luc. 15. 25.

Ambros.

Chrysost.

Chrysolog.

S. Marc.

3. Vt hæc magis euoluam, redeo ad illam Chrysologi sententiam. *Hanc qui recipit, sua sustinet sine fine supplicia.* Et verò quæ inuidiæ infelicitas est, quocumque se vertat, magis se cruciat. *Quia in se domesticum semper diligit habere tortorem:* Hęc enim eius artes, hæ proprietates sunt, de aliorum infelicitate gaudere, de felicitate tristari: Vide ergo quomodo suo ingenio, suismet votis ad sui perniciem, & supplicium vtatur. Nam vt illud omittam, nihil tristius, infelicius nihil esse, quam propriam felicitatem, & requiem proximi infelicitati, & ruinæ subnixam habere: dixit enim verissimè Plautus. Plautus.

Inuidere, alij bene esse, tibi malè esse, miseria est.

Qui inuident egent, illi quibus inuidetur rem habẽt.

Ad hæc quo pacto requiescat, qui (Basilius:) *Vnam tantum mali requiem exspectat, si quando cui inuideat, ruentem forte aspiciat?* Vt vt id sit, non potest etiam non eamet ratione cruciari; quod malignam hanc auiditatem nunquam possit explere; & quo magis alienis malis pascitur, eò magis auida, & ieiuna fit. Ita Aug. versans ea verba Psalm. 100 6. *Superbo oculo, & insatiabili corde cum hoc non edebam:* vbi cum dixisset. *Si superbus est, inuidus est, aliter esse non potest, & si inuidus est, malis alienis pascitur.* Vndè dicit Apost. ad Galat. 5. 15. si mordetis, & comeditis, videte ne ab inuicem consumamini. Subiicit statim. *Nec se satiant gaudendo de malis alienis, quia insatiabili corde sunt.* Verum enim vero aliter omnino res euenit; nec inuidia aliquando voti compos euadit: nam vt scitè dixit Cyprian. lib. de zelo, & liuore: *Calamitas sine remedio est, odisse felicem:* Deo, nimirum, pro iis, quibus inuidetur, aperte pugnante. Audi Chrysost. homil. 18. quæ est de inuidia, to. 6. *Quanto enim magis inuides, tanto maiora bona ei, cui inuides procuras. Deus enim est, qui omnia inspicit, ac si iniuria videat affici eum, qui iniuriam nulli infert, magis extollit, clarumque reddit, atque hunc in modum te castigat.* Sic ibi, vide similia hom. 46. in Gen.

Basil.

Aug.

Ad Gal. 5. 15.

Cyprian.

Chrysost.

Quod si videre velis, quomodo suis se telis inuidia confodiat, adi Genes. cap. 37. 35. vbi de Iacob ob filium Iosephum (vt ipse putabat) mortuum vehementer dolente, nec præsenti omnium filiorum corona animum suum tantisper deliniente, sic dicitur; *Congregatisque cunctis liberis, vt lenirent patris dolorem, noluit consolationẽ recipere: sed ait: Descendam ad filium meum lugens in infernum.* Sed obserua, nullam aliam ob causam, mortem Iosepho fratres machinatos fuisse, quam quod à patre supra omnes filios amaretur, Genes. 26. 36. vnde ad necem illam inferendam, hanc ipsi ratiocinationem secum cõficiebant; si Iosephum de medio tollimus, totum in nos amorem parens noster collocabit: Iam vide, quam aliter ipsis rem euenerit, dum omnes simul ad consolationem patri adhibendam parati eius dolorem lenire, aut mitigare non valuere: *noluit consolationem recipere.* Ergo solus Ioseph adhuc cum exstinctus creditur parentis animum occupat: solus illi nulla reliquorum habita ratione in delitiis est: *Descendam ad filium meum lugens in infernum.* Vides commeritum inuidiæ supplicium? dum qui eâ periti, non aliter morbo mederi voluerunt, nisi Iosephum obscurando, & è viuis auferendo; inde verò morbum multo magis auxerunt, acriores inuidiæ stimulos persentientes, cum ardentiorem parentis charitatem in vnum Iosephũ, huncque mortuum, quam in semetipsos vndecim, & viuos experti fuerint. Id Chrysost. hom. 61. in Genes. ad præfata verba. *Noluit consolationem recipere:* Sic obseruante; *Opinor, & hoc illis aliam fuisse plagam: videbant enim quod pater tantum, tamque feruentem amorem declarabat erga eum, qui non aderat, immò & putabatur à bestiis discerptus; & maiori tabescebant inuidia:* Sed cur maiori? Sanè, quòd cũ Ioseph in viuis erat, dignius dulci eius præsẽtia, & suauissimis moribus patris animus sustẽtabatur; postmodum verò, non iam ipse, sed illius vmbra, & recordatio totum paternum

4. Gen. 37. 35.

Gen. 26. 36.

Chrysost.

paternum animum occupabat;& omnium filiorum
præſentiæ longiſſimo interuallo anteferebatur. En
inuidiæ fructum,profectum.

5. Apta iam hæc Pauli æmulis, nec alium à præ-
fato exitum videbis: dum ipſemet eorum artes, &
machinationes ad Apoſtolum magis affligendum,
atque premendum vberem illi indeſinentis gaudij
materiam pepererunt: ſic enim ipſe verſ.ſeq. *Quid*
enim? dum omni modo,ſiue per occaſionem,ſiue per ve-
ritatem Chriſtus annuncietur, & in hoc gaudeo,ſed &
gaudebo. Sed illud ad noſtrum inſtitutum rem au-
get,quod (vt in commentario ex Chryſoſt. & alio-
rum Patrum ſententiâ vidimus) non niſi cum in-
genti ipſorum diſcrimine, & detrimento vincula,
& labores Paulo aggrauare potuiſſent,cum in ipſos
primum Nero,vtpote, qui Chriſtum recentius an-
nunciarent, mortis ſententiam eſſet laturus. Sed
Sen.Trag. hæc ipſiſſima inuidiæ natura, & vox eſt apud Tra-
Chryſoſt. gicum. *Pelopis domus ruat, vel in me: dummodo in*
fratrem meum. Vndè Chryſoſt.homil.44.ad popul.
inuidos cum furioſis ſe ipſos propriis gladiis con-
fodientibus,ſic componit. *Sicut furentes ſæpenumero*
gladios in ſe conuertunt, iidem & inuidi propriam
negligunt ſalutem. In quam ſententiam obſeruat
Auguſt. Auguſt.lib.1.de Ciuit.Dei,cap.23.Catonem à Cæ-
ſare v[illegible], ſemetipſum crudeliter interfeciſſe, vt
eam Cæſari gloriam præriperet,quam regia illi cle-
mentia parcendo,erat conſecuturus.

6. Videas id etiam apprimè delineatum in dæmone
miſerum illum hominem torquente, qui in fœtidis
Luc.8.27. mortuorum monumentis habitabat, Lucæ 8. 27.
Nam ſi (nec abs re) quiuis dubitauerit, cur dirus
carnifex fœtidum illud, & tenebroſum domici-
lium, præ tot Regum, ac Principum palatiis, quæ
ipſi ad manum erant, & in quibus obuiis manibus
Chryſol. exciperetur,eligere maluerit? Reſpondet Chryſol.
ſerm. 17. id inuidiæ ingenium eſſe, quæ propriam
negligit ſalutem,& vitam,dummodo ei,cui inuidet,
noceat: *Prædæ miſerius prædo ſaginabatur incluſus,*
nec facientem,ſed patientem miſerabilis exponit inui-
dia. Pulchrè; patitur enim inuidia, non facit, cru-
ciat ſe prius, vt alium ſubinde cruciare tentet:per-
dere,ac deiicere ſe non dubitat,vt alterum poſtmo-
Cyprian. dum deiiciat: ita de eodem primo inuido Cyprian.
lib.de zelo, & liuore: *Ille Angelica maieſtate ſub-*
nixus: ille Deo acceptus, & charus poſtquam hominem
ad imaginem Dei factum conſpexit,in Zelum maleuolo
liuore prorupit, non prius alterum deiiciens inſtinctu
zeli, quam ipſe zelo ante deiectus:captiuus antequam
capiens: perditus antequam perdens, dum ſtimulante
liuore homini gratiam datæ immortalitatis eripit, ipſe
quoque id quod prius fuerat, amiſit. Hæc Cyprianus.
Paulin. Similia habet Paulinus epiſt.4. A quibus illud non
it, non latuiſſe zizaniorum ſeminatorem adeo ſibi
noxiam meſſem fore meſſurum, vt ſimul cum ipſo
ad pœnæ cumulum faſciculi eſſent comburendi,
nec tamen ideo ab infelici ſatione deſtitiſſe, quod
Chryſol. aliis interitum ſperabat eſſe allaturam. Ita Chry-
ſolog. ſerm.97. *Manent ergo laboris ſui fructum be-*
nefacientem; manent & nequitia ſuæ pœna fraudan-
tem; illi triticum ad horreum cœleſte portabant: tu
mihi zizaniorum tuorum portabis faſciculos ad ge-
D.Greg. *hennam.* Sic Chryſolog. Ad quem modum Gregor.
Magn.3.p.paſtor. admonitione 12. *Quia ipſe ma-*
lignus Spiritus cœlum perdidit, condito ad hoc homini
inuidit, & damnationem ſuam perditus adhuc alios
perdendo cumulauit.

7. Inimico huic non multum diſſimiles,inuidi Pha-
riſæi extiterunt, de quibus ſic inquit Chriſtus Lu-
Luc.11.52. cæ 11. 52. *Væ vobis legiſperitis, quia tuliſtis clauem*
ſcientiæ; ipſi non introiſtis, & eos, qui introibāt, pro-
Vel a Zaqu.in Epiſt. ad Philippenſ.
hibuiſtis; hoc eſt, qui ne alij i[illegible]rent; tanto vos
metipſos ingreſſu etiam excludere voluiſtis, ſic id
explicante Chryſolog.ſer.17[illegible] *ergo quem-* Chryſol.
admodum dum ecluſit alios, [illegible] inuidio-
ſus excluſit, acceperat claues [illegible] non vt clau-
deret, ſed vt intrare deſider[illegible], ſed ne
intraret alter,ipſe permanere foris [illegible] per liuorem.
Ita Chryſolog. Quia verò literatorum mentionem
feci,illud quamuis minoris momenti,non omittam
eſſe nonnullos,vel doctos,vel ſemidoctos,qui dum
amicos ſapienter, atque eleganter legentes,concio-
nantes, diſſerentes audiunt,ne illis gratum fecerint
ſi plauſu, ſi riſu, ſi manu, vel aliquo oris geſtu au-
dita excipiant, in pertinaciſſimum ſilentium com-
poſiti ſe ipſos potius diſcruciare malunt.Huius qui-
dem æui, ſed & veteris etiam importunus mos, à
Plinio Iuniore, lib.6. epiſtol. 17. occaſione quo- Plin.Iun.
rumdam ſapientum, qui audito diſertiſſimo amici
libello, nec verbum in eius laudem dixerunt, ſic
reprehenſus. *Non labra diduxerunt; non mouerunt*
manum; non denique aſſurrexerunt,ſaltem laſſitudine
ſedendi. Quæ tanta ſapientia? quæ immò pigritia,ar-
rogantia,ſiniſteritas, ac potius amentia, in hoc totum
diem impendere, vt offendas? vt inimicum relinquas,
ad quem tanquam amiciſſimus veneris? Diſertior ipſe
eſt; tanto magis ne inuideris. Prudenter quidem.

ADNOTATIO III.

Pauli in obiurgando moderatio,& comitas; inui-
dorum maligna concordia, mali-
gnius acumen.

RELEGO præfatæ meſſis ſpicas; tam ſcilicet
pretioſa virtutum grana, quarum egregium
erga ſuos æmulos ſpecimen Paulus dabat, quam
aculeatas,& hoſtiles ipſorum ariſtas; peruerſa vide-
licet acumina,quæ in ipſum inuidia exacuebat,ſiue
acutas lanceas, in cœlum ab inuidis armata manu
intortas; immò verò ſtipulas, quæ fomentum eſ-
ſent per quod exurerentur; vt de Cain dixit Chry- Chryſol.
ſolog.ſerm.109.

Et in Paulo quidem duo obſeruo; primum erga 1.
inuidiam ſtrenuè,ac prudenter ſe geſſiſſe,dū ipſam,
nunquam irritauit,aut laceſſiuit,ſua inaniter iactās,
vel aliorum oculis exponens: non enim ignorabat
ipſe, quod familiarem ſuum Senecam non latuit, Senec.
epiſt.105. *Sic verò inuidiam effugies, ſi te non ingeſſe-*
ris oculis, ſi bona tua non iactaueris, ſi ſcieris in ſinu
gaudere: quid namque ipſo modeſtius, & ſubmiſ-
ſius? aut quis adeò ſciuit in ſuo ſinu gaudere? De
Bruto quidem Romanæ vrbis liberatore dixit Li- Liu.
uius. *Neque in animo ſuo quidquam regi timendum,*
neque in fortuna concupiſcendum relinquere ſtatuit;
contemptuque tutus eſſe: quod ſanè egregiè præſtitit
Paulus, nihil in ſe, quod aliis timori, aut cupidini
eſſe poſſet relinquens; nec contemptu ſolum, ſed
vinculis, & perſecutionibus gaudens. At, inquis,
concionabatur magnâ hominum frequentia, &
plauſu. Quid verò mirum ſi inde naſceretur inui-
dia? Fateor quidem id ita eſſe; ſed quid aliud face-
ret Apoſtolus? Væ illi ſi non euangelizaret! 1.ad Co- 1.ad Cor.
rinth. 9. 16. Sanè ſi aduertis eadem penè inui- 9.16.
diæ, atque ſcandali ratio eſt; nec omnia, quæ in-
uidiam pariunt, præcidenda mihi, ſiue cohibenda
ſunt,ſed ea ſolum,quę nulla vrgente neceſſitate ex-
cuſare poſſum. Certè ſi tuæ me diuitiæ premunt,
gratia qua apud Principem vales me inflamm[illegible], ſi
ingenij tui flos, & acumen inuidiam in me [illegible]citat,

iniquus fueris, & mei inuidiæ criminis reus, si hæc frustra, & inaniter me præsente iactaueris; vndè Paulus de Doctore, ingenio pugnace, & contentioso, qui aliis non acquiescit, sed vt ingenij copiam faciat, æternas quæstiones mouet, & à disputando
1.ad Tim.6. 4. non cessat, dixit 1.ad Timoth.6.4. *Superbus est, nihil sciens, sed languens circa quæstiones, & pugnas verborum, ex quibus oriuntur inuidiæ, contentiones*: Vbi superbum quæstiones agitantem, ex quibus oriuntur inuidiæ, pulchrè, & languentem appellauit; quasi hominem imbecilli animi mentisque parum firmę, qui ab amore gloriæ de statu deiectus, vndè etiam nihil scire dixit, quod licet plurimum sciret, attamen nesciret vti scientia, cum ea ad excitandam inuidiam in aliis abuteretur.

2. Gen.37.10. Viderat Ioseph celebre illud somnium Solis, Lunæ, & stellarum adorantium se, Gen. 37.10. quod dum patri, & fratribus suis narrauit; à patre vna ex parte increpatus, ex alia reueritus, & in pretio habitus est: sic enim ibi: *Increpauit eum pater suus, & dixit. Quid sibi vult hoc somnium, quod vidisti*, &c. Et statim: *Inuidebant ei igitur fratres sui, pater verò rem tacitus considerabat.* Vbi illud merito ambigitur, cur à patre rem considerante, & futura præuidente, filius vt vani somnij auctor obiurgaretur?
Chrysost. Respondet tamen Chrysost. hom.61. in Gen. non vt somniorum inuentorem à patre increpatum, sed vt parum cautum, & nimium simplicem, qui inuidia fratrum exagitatus nesciret inuidiæ occasionem diuertere, sed eam incaute lacesseret, & iam accensam inflammaret, *Sciens pater* (inquit Chrys.) *quod fratres inuidebant ei, propter hoc increpauit puerũ, & diiudicauit etiam ipse somniũ, & conectãs à Deo reuelatione ei factũ obseruabat verbum.* Et rectè quidem: debuerat enim innocẽs adolescẽtis pungentes antea inuidiæ stimulos obtundere, celans quidquid in fortuna concupiscendum haberet, & somnum potius, quam somnium ostentare: ita quidem callidus
Corn. Tac. ille Salustius Crispus apud Tacit. lib.3. Annalium. *Cui quo vigor animi ingentibus negotiis par suberat, eò magis, vt inuidiam amoliretur somnum, & inertiam ostentabat.*

3. Verum enim verò, vt hæc quæ inaniter iacto, celare, & opprimere debeo, ne inuidum te extimulent, & crucient, ita quæ à me Deus exigit, & quæ in eius obsequium recta intentione exequor non est, cur omittam; aut reprimam. Extat in ipsismet
Tertull. inuidiæ natalibus, siue incunabulis, vt inquit Tertull. lib. de patient. cap. 5. *Inuidiæ infantis quodammodo incunabula*, appositum exemplum. Quis enim fraternæ Caini inuidiæ innocentem exposuit Abelem? Num eius voluntas? an verò Dei obsequium? immò ipsummet cœlum. Certè cum vterque germanus sua Deo sacrificia, inæqualia tamen offerrent, Abel enim de primis, ac melioribus gregis sui prouentibus, Cain verò de obuiis quibusque messis suæ frugibus; non hoc fratri inuidebat Cain, quod pretiosiora obtulisset, immò verò cum risu accipiebat, quod qui pinguiorem agnum sibi posset reseruare, in sacrificium sponte combureret, sed illud ei ad inuidendum stimulauit: *quod respexit Do-*
Gen.4.4. *minus ad Abel, & ad munera eius*, Genes. 4.4. siue vt Theodotio legit, *inflammauit Dominus super Abel.* Quæ ergo in Abel culpa? Quidve aliud faceret? Ergo id inuidiæ discrimen, atque periculum, Cui nos cœlum exponit, tergiuersandum non est, sed animose potius suscipiendum.

4. Sed hac de re opportunissimè nos assertor admonuit, dum hinc ab egregiis operibus quæ quod mundi salus esset, non poterat non operari, licet æmulos suos ad inuidiam prouocarent, non cessabat, illinc vero eorum operum rationem ad suum munus, Parentisque summi obedientiam sapienter deuoluebat. Sic enim Ioan.9.4. cœcum à natiuitate in Ioan.9.4.
Sabbato (vt ex Theodoro Mopsuest. obseruat Maldon.) curaturus, quod ei apud Pharisæos inuidiam excitabat, prius factum excusans, dicebat: *Me oportet operari opera eius, qui misit me.* Sed quare non dixit, opera mea? Respondet August. ibi: quod pa- August.
trem potius, quã se ipsum honorare voluerit. Benè: sed cur patris nomen reticuit, & ea periphrasi est vsus? *eius qui misit me.* Ergo optimè respondet dubio Maldonat. *potius dixit, opera eius, qui misit me;* Maldon.
quam opera Patris, vt obligationem faciendi miracula ipso missionis nomine declararet. Certè dum statim vnctum iam, & semicuratum cœcum ad aquas Siloe misit, inquiens. *Vade, lauare in natatoria Siloe (quod interpretatur, Missus)* ipsasmet aquas, quibus perfecit miraculum, quasi in confirmationem suæ missionis accersit, & in testes aduocat, vt à luto inuidiæ mundus omnino, & purus esse videretur, cum ea ratione, quod missus à patre foret, egregium illud opus perfecisset.

Venio ad alterum, quod è Pauli re, & commen- 5.
datione est: nempe tam modeste, tam parce, tam vrbane æmulos suos obiurgare: nam præter quam quod neminem nominat, vt bonæ eorum existimationi consuleret: obserua semel tantum inuidiæ fecisse mentionem; aiens: *Quidam quidem, & propter inuidiam, & contentionem*: cum tamen iterum, atque iterum sermonem de illis subinde fecerit, vers.17. & 18. At enim verò sic inibi se gessit, sic præfatam inuidiæ increpationem temperauit, vt proximum non inuidiæ, & contentionis simul; sed contentionis solum meminerit; pro illis verbis. *Quidam propter inuidiam, & contentionem*, tantummodo reponens. *Quidam autem ex contentione:* deinde verò, & *contentionis*, etiam oblitus; *per occasionem*, Christum ab iis annunciari dixit, qui per inuidiam, & contentionem annunciabant. Sic enim ait. *Quid enim? Dum omni modo, siue per occasionem, siue per veritatem Christus annuncietur:* Ita quidem vel tam cito propriæ offensæ est oblitus, vel priorum inuidorum cognomentum, siue increpationem lenire voluit, ne asper, aut amarus aliquo modo videretur. Sic sanè cum seruo nequam bonus Dominus contendens, Matthæi 25.26. cum ab eo audiisset. *Scio,* Mat.2.
quia homo durus es, metis vbi non seminas, & congregas vbi non spargis, atque vt ex eius ore illum iudicaret, ipsamet illius verba repetere opus habuerit; hæc solum inquit: *Serue male, & piger sciebas, quia meto vbi non seminaui, & congrego non sparsa*; at quare illi non exprobrauit ea verba, *durus es*; cum duriora aliis fuerint? Respondet Paschasius lib.11. in Matth. *Quia non confitetur se durum esse, sicut ille* Paschas.
arbitrans calumniabatur. Quia non ex sua natura est, vt seuerus, aut durus dicatur, sed quia ille misericordia Dei abusus est ad negligentiam, & non ad conuersionem suam. Benè; sed si ad rem vrgens ideo potissimum conuitiatori obiicienda, & exprobranda hæc erant. Quare opportunius dixeris, ideo à Domino non fuisse repetita; vel quia quã Princeps, Regiæque naturæ esset, in tam exigua temporis mora qualis ab audito ad increpationem intercessit, iniuriæ immemor iam erat; vel quia qua prudentissimus medicus non censuit ad viuum omnia fore resecanda, sed alia dum reprehenderet obiicienda; alia, & hæc potissimum, quæ magis mordent, reticenda, vt increpatio omnibus numeris absoluta, atque ornata esset: *adhortationem*, enim, *benignitate* Basilius epistol. 1. *clementia, aut man-* Basil.
suetudinis opinio colligenda est. Nusquam acerbum se præbere

præbere conuenit, etiam si obiurgatione opus sit. Qua de
Greg. Magn. re sic loquitur Gregor. Magn. lib. 15. Moral. cap. 12.
Cunctis rectoribus vtraque summopere sunt tenenda, vt nec disciplina vigore benignitatem mansuetudinis, nec cursum in mansuetudine districtionem non deserant disciplinæ. Regat ergo disciplina vigor mansuetudinem, & mansuetudo ornet vigorem. Pende hæc extrema, *mansuetudo ornet vigorem*; est enim vigor, siue increpatio inornata, & incondita, cui aliquod mansuetudinis signum non subest, maximè verò cum à Prælato omnia errata increpantur, omnes eorum circumstantiæ, quæ grauant, expenduntur, nihil reticetur, dissimulatur nihil.

6. Mirum quidem est, nusquam nobis præscribi, ne multum casti, sobrij, aut misericordes simus,
Eccl. 7. 17. cum tamen de iustitia à Salomone Ecclesiast. 7. 17. moneamur. *Noli esse multum iustus.* Sed qua ratione? Iustitiæ solum pulcherrimæ omnium virtuti, &
Ambros. qua *nihil splendidius*, vt ait Ambros. ad Horontianum, modus adhibeatur? Equidem quia eius decor, atque splendor ex hoc potissimum modo, atque moderatione consurgit. Ita Ambrosius, lib. 1. de Pœnit. c. 1. *Salomon ait*; Noli esse iustus nimium. *Debet enim iustitiam temperare moderatio. Nam quomodo se tibi curandum præbeat, quem fastidio dedas, qui contemptui se, non compassioni medico suo putet futurum?*
Ferrand. Sed omnino ad rem Ferrandus Diaconus, Reg. 6. Parænetici ad Reginum Comitem, tom. 5. Biblioth. Veter. Patr. *Esto iustus, vt corripias inquietos, noli esse multum iustus, vt consoleris pusillanimes, & patiens sis ad omnes. O quanta dissimulanda sunt! quanta toleranda! quanta leuiter attingenda!* Bene omnino; sin minus recurre ad exemplar. Ferebatur Christus
Matth. 8. 23. cum discipulis in naui, Matth. 8. 23. cum graui exorta tempestate, *ipse dormiebat*; non simulatè, vt dixerunt nonnulli, aut casu, vt alij; sed naturali quidem somno voluntariè accersito. At quare tunc? præsertim cum scriptum sit: *Ecce non dormitabit, ne-*
Psal. 120. 4. *que dormiet, qui custodit Israel*, Psalm. 120. 4. Sanè vt discipulorum diffidentiam conniuenti oculo
Chrysol. tantisper dissimularet. Sic Chrysolog. serm. 21. *Videte quemadmodum Dei oculi clauduntur, ne videant eos, vt vindicent, qui delinquunt*; Auerte faciem tuam à peccatis meis. Sic ille. Ergo multa à Prælato dum increpat dissimulanda, multa leuiter attingenda.

7. Disceptabat cum Patre familias inuidus ille, ac
Matth. 20. 13. contentiosus operarius, Matth. 20. 13. cur tantum nouissimis, quantum primis daret; cum verò ipse eam optimo iure rationem reddere posset, qua importunum illius os obstrueretur, quod nouissimi vna hora non minus, quam primi toto die laborauissent, quia verò hæc ratio tam illius, quam aliorum, qui primi venerant negligentiam oblique notabat, ea ipse nullo modo vti voluit, malens nonnihil, sibi obiiciendum relinquere, quod res suas pro libito duceret, quam subditos pudore suffundere, nec ipsorum negligentiam dissimulare, vt be-
Maldon. nè ibi ex Chrysostomo adnotauit Maldonat. Cuius
Luc. 13. 8. etiam egregia illa obseruatio est apud Lucam, cap. 13. 8. Domino vineæ colono suo imperanti, vt ficum infructuosam præcideret, bonum colonum respondisse. *Domine dimitte illam, & hoc anno, vsque dum fodiam circa illam, & mittam stercora.* Vbi apparet
Maldon. adeò illum de ficu excusanda curasse, vt maluerit in se ipsum culpam conijcere. *Exprimit*, inquit, *affectum, & diligentiam boni coloni: non libenter plantas scindit, non libenter perdit: & quod fructum ficus non tulerit, culpam in se potius, quam in illam conijcit, quod fortasse ante non benè coluerit.* Sic ille. Sed illud quidem ad hanc rem multo expressius est, quod de
Gregor. drachma perdita, hoc est, (inquit Greg. Magn. hom. 34. in Euang.) *Homo, qui conditus ad imaginem Dei fuerat, peccando à similitudine sui creatoris recessit*, sub persona mulieris habentis drachmas decem, dixit Dominus. *Congratulamini mihi, quia inueni drachmam, quam perdideram.* Certè drachma ista eadem cum oue perdita erat, vt ibi monent Patres, & hæc quidem non renuebat fateri, *Erraui sicut ouis quæ periit.* Psalm. 118. 176. & tamen bonus pastor sibi Ps. 118. 176.
potius culpam assignat, quam illius erratum traducat, inquiens, *quam perdideram*, quasi suæ incuriæ non ouis vitio id fuerit deputandum.

Hæc in Paulo erga suos æmulos fuerunt adnotanda: Iam inuidorum artes, & ingenium videamus; 8.
duo etiam circa hæc obseruo. Alterum, inuidiam hîc sua iura perdidisse, & in se ipsam arietasse, quis enim non miretur plures eiusdem muneris, & officij ministros, & liuoris labe infectos in vnum ad inuidendum & perdẽdum Paulum conspirasse? Nonne figulus figulo inuidet? ergo & illi ipsi mutuo sibi inuiderent? mutuis etiam odiis dissiderent? Quî ergo vnus illis animus, vna mens aduersus Paulum erat? Huc quidem inuidiæ vis, & impetus peruenit, vt à se ipsa migret, quo sibi ipsi constet. Sic videas nonnullos è Ioannis discipulis, vno cum Pharisæis agmine facto ad Christum accessisse, vt illi, quod non ieiunaret obiicerent. *Accesserunt* (inquit Matth. 9. 14.) *ad eum discipuli Ioannis dicentes. Quare nos, & Pharisæi ieiunamus frequenter, discipuli autem tui non ieiunant?* At quid Ioannis scholæ cum Pharisæorum doctrina? quidve commune his cum illis esset, vt vno nomine hanc causam susciperent? Matt. 9. 14.
Seite Chrysol. serm. 32. *Et cum discipulis Ioannis, quæ societas Pharisæis? nisi quod iunxerat inuidia, quos disiunxerat disciplina; hîc iam sua perdit iura zelus, iungit, disiungere consuetus.* Ad quem modum de Chrysol.
hæreticis dicebat Tertull. lib. de præscript. c. 41. *Nihil enim interest illis diuersa tractãtibus, dum ad vnius veritatis expugnationem conspirent.* Sed id Nazianz. Tertull.
orat. 5. de Theologia pulchra imagine itineris, siue Nazianz.
fluuij, qui iam in varias venas discissus fluit; iam in se reuersus totus confluit, ad hunc modum illustrauit. *Nam quod in viis, & fluuiis comperire licet, vt quæ in diuersum tendentia scindantur, eadem in se ipsa reuertantur, confluantque, hoc ipsum, & hic præ impietatis pietate contingit; nimirum, vt qui alibi dissident, eidem in alijs inter se conueniant, vt quâ parte consentiant, quaue inter se pugnent, hoc verò ad amussim cognoscere non possis.* Hæc Nazianz.

Qua quidem in re Principum Aulici mirificè 9.
excellunt: nihil enim frequentius fuerit, quam cum de aliquo è gratia Principis deturbando, aulâque pellẽdo agitur omnes tunc inter se se Aulicos conspirare, & studia vnanimiter conferre. Sed qui? illi sanemet, qui implacabiles inter se inimicitias, & odia exercent ad pristinas simultates subinde redituri, cum primum iniqui illius voti compotes euaserint: ita quidem de Saule, & eius ministris, siue vt alij volunt de Absalone, & ipsius familiaribus, quod eodem recidit, quando ij omnes, quâ Aulici eiusdem farinæ erant conquerebatur Vates, Psal. 61. 4. Psal. 61. 4.
Quo vsque irruitis in hominem? interficitis vniuersi vos, tanquam parieti inclinato, & maceriæ depulsæ? Vbi dum sub eleganti similitudine parietis inclinati, & in ruinam propendentis status Aulici, qui in gratia Principis vacillare, & sensim labi conspicitur, in quem omnes pro virili irruentes vndique impellunt, describitur: emphasim habent tum verbum, *irruitis*, quod ex Hebræo legas, *congregamini*: quo mutua studia, & animorum consensio denotatur, tum illud *vniuersi vos*, vt dicere videatur, vos qui ad inuicem animo, & voluntate dissidetis, vos quos

iam pridem ego noui mutuis odiis ardenter flagrare, nunc cum de me, ex principatu, exturbando agitur, vniuersi coniuratis, & vnanimi consensu ad meam cædem, & ruinam concurritis. Sed non erit opinor longa hæc non vestra concordia: me enim aula exterminato vestras subinde artes mutuo alter in alterius perniciem exercebitis. *Qui eatenus concordes esse consueuistis* (Nazianzeni verba) *quatenus iisdem affectionibus indulgetis.* Nazianz.

10. Nec minus dignum obseruatu, illud alterum, quod dixi de Pauli æmulis, est, non alia videlicet ratione Paulo bellum inferre, quam quæ ipsi ad speciem valde honorifica esset, dum ex eius parte ad Christi Euangelium disseminandum constituere se atque stare vellent, vt maior Pauli fama, & rumor Romæ percrebresceret, atq; illius notitia omnium; præcipuè verò Principum animos peruaderet, vt qui prius auditores illi, & famam (quis dubitet?) eripere tentauerant, nec potuerant liuoris in dies flamma crescente egregiam laudem, & famam ad maiorem ipsius perniciem modò conciliarent. Quem sanè ad modum, (si aduertis) cum Assertore nostro Principes Sacerdotum inuidia perciti, se gesserunt: nam qui prius vt fidem illi, ac opinionem detraherent, vix vllum ab eo miraculum fieri credebant; ideoque suggerebant; *Magister, volumus à te signum videre.* Matth. 12. 38. Sanè ac si nullum vnquam vidissent; postea cum iis artibus proficere desperarent, in contrariam partem inclinati, infinita penè miraculorũ multitudine ipsum onerabant: sic enim in concilio ad necem Domino inferendam clamabant, *hic homo multa signa facit?* Ioann. 11. 47. Similiter, qui asseclas illi prius denegabant dicentes. *Numquid ex principibus aliquis credidit in eũ?* Ioan. 7. 48. deinceps multo ei plures quam haberet, sic tribuebant. *Ecce totus mundus post eum abit.* Ioann. 11. 10. Quid? iam nullum ei signum, iam multa datis? iam discipulos quos habet aufertis, iam quos, nec habet tribuiris? Ita planè: vt ad eum perdendum, quantum prius ipsi ex signis, & ex auditoribus malignè detraxerant, inuidiæ artibus subinde instructi malignius restituant. Sic dicebat Seneca lib. 4. natural. quæst. in proœmio. *Cum omnia caneris per ornamenta feriet.*

(Matth. 12. 38. — Ioan. 11. 47. — Ioan. 7. 48. — Ioan. 11. 10. — Senec.)

11. Polyb. Quod si ad aulam redeam, Polybij exemplo rem tibi ob oculos ponam. Narrat is igitur lib. 4. de Apelle quodam Philippi Aulico, qui egregius calumniarum sartor erat, conuictum sæpius falsitatis in criminationibus quas congesserat aduersus Aratum, qui apud Principem plurimum valebat, non ideo à consueto officio destitisse, sed nouo suscepto criminandi genere Taurionem quendam quem deiicere volebat, miris apud Philippum laudibus extulisse, dignissimum affirmans, qui cum rege ipso in castris atque acie ageret. Sed quo fine? Planè vt per ornamenta feriret, nempe, vt subdolè Principem in metum, ac inuidiam ne fortior, ac melior, ac proinde regno potior à suis haberetur, excitaret, non secus, ac 1. Reg. 18. 8. cum Saul Ierosolymitanarum puellarum canticum audiuit: *Percussit Saul mille, & Dauid decem millia*: metu, & liuore occupatus subintulit: *dederunt Dauid decem millia, & mihi mille dederunt. Quid ei superest, nisi solum Regnum?* Necnon, vt Tiberius, qui quamuis improbos odisset; non tamen ideo optimos in familiares adsumebat, quia *ab optimis* (inquit Tacitus lib. 1. Annalium) *periculum sibi; à pessimis dedecus publicum metuebat.* Vnde subdit Polybius: *Nouus enim calumniæ modus repertus iste, non culpantes, sed laudantes lædere, atque euertere alios.* Sic ille.

(1. Reg. 18. 8. — Tacit.)

12. Nec semel hoc mucrone percussus fuit Dauid, qui vt paulò ante vidimus de aulicis Saul querebatur: *Interficitis vniuersi vos, tamquam parieti inclinato, & maceriæ depulsæ.* Psal. 61. 4. vbi in Hebræo parietis imago in recto est, *tamquam paries inclinatus, & maceria depulsa*: sub hoc sensu; hæ iam vestræ artes sunt, hic vester modus tendendi insidias, quod cum me munire, ac protegere tanquam paries videmini, tunc non secus ac cadentis muri ruina me obruere, ac opprimere nitimini. Deinde verò apud Regem Achis, 1. Regum. 21. 11. Nam cum ad illum Principem ipse confugisset; regni Satrapæ metuentes ne regiæ gratiæ partem illis adimeret, sic ei in Regis auribus insidias tetenderunt. *Numquid non iste est Dauid Rex terræ? nonne huic cantabant per choros dicentes: percussit Saul mille, & Dauid decem millia?* Pupugit verò Dauidem aulæ artium gnauiter peritum huius laudationis acumen, & vt ille Salustius Crispus. *Vt inuidiam amoliretur, somnum, & inertiam ostentabat.* Ita ipse, vt eas aulicorum insidias declinaret, ad simulationem delapsus est: sic enim ibi. *Posuit autem Dauid sermones istos in corde suo, & timuit valde à facie Achis Regis Geth: & immutauit os suum, coram eis, & collabebatur inter manus eorum, & impingebat in ostia portæ, defluebantque saliuæ eius in barbam, &c.* Vbi vides quam verè Ausonius.

Stultitiam simulare loco prudentia summa est.

(Psal. 61. 4. — 1. Reg. 21. 11.)

VERSVS XVIII.

Quid enim? Dum omni modo, siue per occasionem, siue per veritatem Christus annuncietur: & in hoc gaudeo, sed & gaudebo.

COMMENTARIVS.

Quid enim?

AC si dixerit Paulus: cur id dolore me afficiat? Vel vt capit Theophyl. quid mihi curæ est; quod alij, me præsertim impedito, Christum Romæ annuntient? 1. Theoph.

Dum omni modo.

GRÆCE particula, *dum*, paulò significantius habetur: est enim, πλὴν, *quin potius*: vt vertit Ambros. illud verò, *omni modo*, ab aliquibus vel ad verbum gaudeo, vel ad alterum verbum, opto, aut cupio, quod suppleri debeat, hoc modo refertur: quin potius omnimodo gaudeo, vel opto, quòd Christus annũtietur. Simplicius autem accipias pro quouis modo, siue vtcumque, sic cum sequentibus, *siue per occasionem, siue per veritatem Christus annuncietur*, connectendo: quocumque modo Christus Romæ prædicetur, siue per causationem, & prætextum, siue etiam sincerè, & candidè, plurimum gaudebo. D. Ambros.

Per occasionem.

GRÆCE est, προφάσει, quæ vox pro ficta causa, vel saltim pro speciosa, & fictitia, qua aliquis factum suum excusare conatur, vt in plurimum accipitur, Latini dicunt prætextum, & colorem, siue etiam speciem, & obtentum, aut velamentum; quod nimirum facto alicui obtenditur, prætenditur, aut prætexitur; 2.

prætexitur; quomodo aliquid fieri dicimus sub prætextu pietatis, aut religionis, cum re vera minimè ea de causa fiat. Inde Tertullian. lib. 5. contr. Marcion. cap. 20. legit causationem hoc modo: *Nihil mea siue causatione siue veritate Christus annuntiaretur.* Subdit de suo; *quia vnus annuntiabatur, siue ex causatione siue veritate fidei.* Certè à Græca illa voce deriuatur verbum, προφασίζομαι, fingo causas, causificor, causor, seu tergiuersor causando, & prætexendo aliquid, vnde rectissimè Paulus illi voci ex diametro opposuit, *Veritatem*; vt vel hinc appareat rectè monuisse Theophylact. alienum omnino à Pauli mente eum sensum esse, quem quidam stolidi his verbis dederunt, quasi significaret Apostolus, nihil sibi curæ esse, vera ne, an falsa sub Christi nomine docerentur. Scilicet à se ipso Paulus desciuerat, qui ad Galatas 5.12. vehementer exoptabat illos à fidelium communione abscindi, & à prædicandi munere penitus remoueri, qui Galatas conturbabant, doctrinam erroribus permixtam sub prætextu Euãgelij illis tradentes. *Vtinam* (inquit) *& abscindantur, qui vos conturbant.* Ergo de intentione, siue scopo laudis humanæ, quem sibi illi præfigebant, dum veram Christi fidem annunciabant, loquitur Paulus, vt benè ibi Theoph. monet. Nimis tamen subtile mihi videtur, quod subdit: consulto à Paulo non dictum fuisse Christum annuntiari: sed Christus annuntietur, quasi hoc specimen tantum recitationem, & enarrationem: illud verò legis sanctionem, & præscriptum significet.

Tertullian. *Theoph.* *Ad Gal. 5. 12.* *Theoph.*

Gaudeo, sed & gaudebo.

FAcilis iam huius versus sententia est, errant & vehementer errant, qui sibi persuadent inde me dolore affici, quod non sim ego solus, à quo Christi Euangelium diuulgetur, cum potius quomodocumque Christi nomen, & laus percrebrescat, & hominum ora, & animos eius occupet fama, ego ex animo gaudebo, & perpetua indesinenter afficiar voluptate.

3. Sed quæ hæc gaudij materies? qui enim sanctissimus vir de Christi annunciatione peruerso animo à suis æmulis facta gaudere poterat? Non quidem lætabatur Paulus de simulatione, aut sinistra intentione, qua mali illi operarij ad gloriam, & famam suam oculos detorquentes Christi negotium se agere prætexebant, sed potius de bono effectu; prædicatione videlicet & propagatione Christiani nominis, quæ ex prauo ipsorum consilio oriebatur. Notum est enim ex iis, quæ prima secundæ de voluntate antecedente, ac subsequente dicuntur, gaudere nos posse de opere malo in indiuiduo ea ratione, qua ex genere suo, vel ex aliqua circunstantia bonum est: sic enim de ingeniosa industria, qua in furando vti solebat, qui olim furabatur licitè, is gaudeat. Sed enim in Paulo non honesta solum, sed quæ honestissima, & pulcherrima excogitari valeant, considerare debes. Vnde illud potius pende, quanta magnanimitate, quanto diuini amoris æstu pericula, & mortem Paulus contemneret, dum modo res Christiana proficeret, & Christi nomen in ore omnium versaretur. Scitè quidem, ac si audiisset Rachelem ad virum suum exclamantem: *Da mihi liberos, alioquin moriar.* Genes. 30. 1. Dixit Plin. lib. 17. c. 12. *Ea est natura, vt parere malit, quam viuere*: sed id meliori iure Paulo spirituales filios Deo parere percupienti possis accommodare. Ea namque eius natura erat, vt parere mallet, quam viuere. Vbi simul aduerte cum P. Iustiniano, quam sit ab Apostolica mente, & exemplis alienum, vt Christi ministri, tanquam hostes insectentur, quos bono suo fato fidos in Dei negotio socios, & in Christiana militia strenuos commilitones sortiûtur. Nam si illi diuinæ gloriæ, & salutis proximorum scopum collimare student, quid gratius, aut iucundius habere possint, quam plures sibi socios dari, qui eos in capteura piscium adiuuent? Certè Paulus, cui solum Dei gloria ob oculos erat, ipsorummet hostium in se furentium odium cõtemnebat, dum modo Christus annũciaretur. Vade ergo tu quisquis ministrum Dei te iactitas, & fac similiter, saltem ne prodas te non tam Christi, quam tuam gloriam quæritare, vel certè ne tibi soli innixus cadas, aut iam lapsus non habeas erigentem te, nonne hac de causa magister vitæ *cœpit mittere discipulos binos*? Marci 6. 7. Audi Chrysol. serm. 170. *Binos mittebat, ne destituta singularitas aut negaret vt Petrus, aut fugeret, vt Ioãnes. Cito cadit fragilitas humana, quæ de se superbe confisa socios despicit, non vult habere collegam, dicente Scriptura.* Et væ vni cum ceciderit, & non est secundus, qui erigat eum. *Quantum autem alter alterius roboretur auxilio, eadem Scriptura testatur, cum dicit.* Frater qui adiuuatur à fratre, quasi ciuitas munita. Sic Chrysol.

Gen. 30. 1. *Plin.* *Marc. 6. 7.* *Chrysol.* *Eccl. 4. 10.* *Prou. 18. 19.*

Denique peruersis his Christi ministris, qui sibi ipsis inutiles, imò, & noxij, aliis tamen suis ministeriis proficui, & salutares erant, quales hodierna etiam die plures inueniuntur, bellè quadrat quod de Peripateticis Philosophis dixisse fertur Cleanthes, apud Diogenem Laertium in Cleanthe, idem eis accidere, quod lyris, quæ bene sonant, hominesque oblectant, se ipsas tamen non audiunt. Quod forsan ob oculos habebat. Seneca, dum Lucillum concionatorem formans, monitaque quæ populo daret mittens, simul admonebat, vt se ipsum prius audiret: Sic enim epist. 88. *Hæc aliis dic, vt dum dicis audias; ipse scribe, vt dum scripseris legas, omnia ad sedandam rabiem affectuum referens: Vnde non vt plus aliis scias, sed vt melius.* Sed id potius est, accipere à Gregorio homilia 21. in Ezechiel. vbi cum Euangelicum concionatorem cum illis mensis, quæ apud Ezechielem dicuntur habere labia, quæ intrinsecus reflectantur, composuisset, subiicit: *O Doctor, ecce iam mensa es, iam vasa portas, iam in vasis fidelibus pondus holocausti, & victimæ sustines, sed intus reflecte labium, id est, ad cor reuoca sermonem, audi quod dicis, operare quod prædicas.* Misera sanè ministrorum Dei sors, & multis lacrymis deflenda, quam ex Machario Ægyptio, homilia 28. tom. 2. Biblioth. conferre possis cum Iudæis, qui versantes assidue scripturas, vt ex iis Deum cognoscerent, veritatem, hoc est, Dei filium non receperunt, & aliis eandem hæreditatem tradiderunt: *ita qui sermones spirituales aliis enarrant, cum ipsi verbum cum virtute non possideant, aliis tradunt hæreditatem.* Siue propius cum illis populi scribis, & sapientibus, qui Magos per scripturarum doctrinam, & interpretationem ad Messiæ cognitionem, & Christi præsepium manu duxerunt ipsis misero facto in tenebris manentibus; vel cum fabricatoribus arcæ Noe, qui aliis perfugium ab aquis diluuij construentes, sibi ipsis parare nescierunt. Vel cum Eleazaro illo fortissimo Machabææ gentis, qui Elephantum hostilis exercitus interfecit, ab ipsa verò bestia oppressus est, sic enim isti aliena vitia occidunt, propriis tamen succumbunt, vel tandem eum magno illo consiliario Achitophel, de cuius prudentia, & cõsiliis ita loquitur sacer textus, 2. Reg. 13. 23. *Consilium Achitophel, quod dabat in diebus illis, quasi quis consuleret Deum, sic erat omne consilium Achitophel, & cum esset cum Dauid, & cum esset cum Absalom*; is verò, qui aliis

4. *Diog. Laer.* *Seneca.* *Gregor.* *Machar.* *2. Reg. 13. 23.*

aliis monita salutis dabat, sibi tam pessimè consuluit, vt leui de causa derelicto exercitu Absalom, abierit in domum suam, *& disposita domo sua* (vbi Hebræa habent: *dedit præcepta familiæ suæ*; nec enim tunc temporis bene aliis consulere est oblitus) sibi ipsi vitam abstulerit: hæc optime confirmat Græca paræmia, quam vsurpat Plutarchus, lib. de dignoscendo adulatore ab amico, & probat Gregorius Nazianz. in Apologetico, *Aliorum medicus*: dicta de iis, qui Achitopheli similes aliis sapiunt, nō sibi. Vnde Græcus poeta vetus, inquit: *Aliis medetur ipse vlceribus scatens.* Plutarch.

VERSVS XIX.

Scio enim, quia hoc mihi proueniet ad salutem per vestram orationem, & subministrationem spiritus Iesu Christi.

VERSVS XX.

Secundum expectationem, & spem meam, quia in nullo confundar. Sed in omni fiducia, sicut semper, & nunc magnificabitur Christus in corpore meo, siue per vitam, siue per mortem.

COMMENTARIVS.

1. PARVM moræ in horum versuum explicatione ponendum erat, nisi anceps esset de qua salute, spirituali ne, an corporali Paulo sermo sit, quod quidem tantum abest, vt ex contextu possit aperiri, vt ex ipsomet potius obscurius reddatur. De corporis salute Paulum non loqui, duo suadent: Alterum; quod subdat Paulus: *Secundum expectationem, & spem meam*, quæ vehemens desiderium, & ardentem expectationem denotant (vt mox videbimus:) non videtur autem, aut Paulum decere, vt vitam temporalem tam ardenter desideret, aut textui congruere; cum statim mortem sibi in optatis esse non semel affirmet Apostolus. Alterum; quod non appareat quo pacto ad Pauli vincula dissoluenda, illa æmulorum ipsius inuidentia, & odium conducere possit.

2. Sed enim; ne de salute spirituali intelligamus Paulum, ipsamet orationis series, & assumptæ ab ipso rationes videntur flagitare, nam præter quam, quod frigescit oratio si dicat Paulus, scire se tribulationes patienter toleratas ad æternam salutem maxime conducere, præsertim si adsint fidelium orationes, quod quis quæso posset ignorare? Ea quæ in Paulo sequuntur: *Secundum expectationem, & spem meam, quia in nullo confundar*, non bene cum iis cohærent; maius enim siue potius aliquid noui ea Pauli expectatio portendit, quam vt profectum sibi spiritualem (de quo nulli poterat esse dubium) tribulationes, & persecutiones parerent.

3. Plures antiqui Patres Ambrosius, Anselmus, Primasius, & recentiores omnes interpretes Iustinianus, Cornelius, Estius, Paulum de salute animæ capiunt, vt his verbis affirmet nouam deinde gaudij materiam ex vehementi illo odio, & inuidentia æmulorum sibi oriri: si quidem certo sit persuasus fore, vt id omne ad profectum spiritualem, & maiorem gloriæ occasionem sibi cederet, præsertim si ei, & Philippenses suis orationibus suffragari, & Christus Iesus suum spiritum subministrare non desisterent, vnde quod subdit Paulus: *Secundum expectationem, & spem meam, quia in nullo confundar*: vt superiorum rationem à Paulo assumptam acceperūt: quasi dicat eam, iam pridem spem, atque fiduciam animo conceptam retinere, vt verendum sibi non sit, ne aliquo tempore, aut occasione in Euangelio disseminando, & Christi cruce prædicanda pudore suffundatur, immò potiùs solita constantia, & dicendi libertate Christi nomen, & gloriam magnificè à se amplificandam, siue vitam pro ipso, summa alacritate profundendo, siue si diutius ipsi viuendum sit, Christi fidem vbique promulgando. Quæ Syriacus sic expressit: *Scio enim hæc mihi ad salutem cessura per deprecationem vestram, & per donationem spiritus Ieschua Meschico: quemadmodum spero, & expecto nulla in re me pudefactum iri; sed aperto vultu, sicut, & semper ita, & nunc magnificabitur Meschicho in corpore meo, siue per vitam, siue per mortem.* Syriac.

4. Probabiliter hæc dicuntur: sed vtcumque consentanea sint verbis Pauli; adhuc illud ego in lectore iudicium aurium requiro, quo pendat frigidè hic aptari eam doctrinam de profectu per tribulationes, Paulumque velut rem nouam tanta asseueratione dixisse, scire se eas æmulorum suorum molestias ad profectum animæ profuturas maximè fidelium orationibus, sibi suffragantibus, & copiosa spiritus Iesu Christi subministratione. Quare multò probabilius, & magis ad mentem, & contextum Pauli de salute corporea hæc accipias cum Chrysostomo, & Græcis. Quamuis enim prædictam etiam explicationem prius ille probasset: postea tamen re vndique prospecta, de salute corporea Paulum apertissimè intellexit ad hunc modum: *Sanè illud ad salutem liberationem intelligit, quasi dicat quantum attinet ad præsens, primum hoc periculum effugiam:* nam de illo dicit 2. ad Timoth. 4. in prima defensione mea nemo mihi adfuit, non imputetur illis, sed Dominus mihi adstitit, & corroborauit me: *hoc itaque iam prophetice prædicit.* Similiter Theophyl. & Theodor. quorum prior. *Ait ergo spero me firmiter conseruatum iri: salutem autem etiam liberationem à Neronis crudelitate intelligens: vt enim primum periculum, quasi sic, & imminens effugiam,* eodem modo Theodoretus sub persona Pauli: *Etenim, quæ ex his oriuntur pericula, ea mihi salutem conciliant: vestris scilicet orationibus adiuuantibus, & diuino spiritu gratiam mihi suppeditante: ea enim fretus scio me ea quæ sunt molesta, & difficilia superaturum* Similia habent Oecumen. & Photius. Theoph. Theodor. Theodor.

5. Vnde hæc superioribus sic hærent; dixerat Paulus ad eum scopum ipsius hostes netuos omnes contendere, vt pressuram suscitarent vinculis eius; subdit modo: vel ex eo capite, certò sibi persuadere (iuxta firmissimam expectationem, & spem animo suo infixam) à vinculis fore absoluendum: præsertim accedentibus orationibus Philippensium, & peculiari subministratione spiritus Iesu Christi; quasi bene ipsum iuuante Numine nullo sit modo timendum ne, coram Imperatore, & eius magistratibus fidei Christianæ causam acturus, aliter quam magna virtute, atque sapiētia tam egregium Euangelicæ veritati testimonium redditurus sit, vt eo iudices, vel permoti, vel fracti, non possint, non ipsum à vinculis illæsum abire permittere. Hic (si aliquid valui conijcere) Pauli sensus est: iuxta quem, & propria singulis vocibus vis, & multo mollior contextus facies redditur, dum sic componitur: scio, quod hoc mihi proueniet ad salutem,

& liberta

& liberationem, secundum expectationem, & spem meam, per orationem vestram, & subministrationem spiritus, quia in nullo confundar, &c. sed modo singulæ phrases expendendæ, singulis etiam difficultatibus occurrendum.

Secundum expectationem, & spem meam.

6. De voce, ἀποκαραδοκίαν, vt bene monent interpretes, significare expectationem solicitam cum anxietate animi, nec sine peculiari gestu corporis exercendo, nimirum, caput ad prospiciendum eminus, id quod expectatur: ita non satis ab aliquibus explicatur, quare expectationi addiderit Apostolus spem. Sanè quod aliqui affirmant, spem hic nihil aliud ab expectatione distinctum, immo verò, vt aliis videtur minus aliquid significare, nullo modo mihi probatur: sicut nec illud, quod meliores auctores affirmarunt, inuerso hæc ordine accipienda, vt expectatio ab spe; non spes ab expectatione oriatur: vt omittam abs re omnino esse discrimen inter has voces à magnis viris inuentum, vt expectatio ad ea, quæ per alios: spes autem ad ea, quæ per nosmetipsos obtinere nitimur referatur. Certe dum Paulus expectationi spem subiecit, amplificatione, eaque non leui, sed quæ peculiarem habet energiam, vsus est, plus enim spes quam expectatio innuit, vt enim expectatio desiderium quoddam, tum vehemens, tum ob incertitudinem solicitum præsefert, ita spes bonum illud, vt futurum nobis pollicetur. Vndè spes expectationis fructus esse solet, qui enim tædio non afficitur dum expectat, & reexpectat, hi dulci illâ spe, quæ animum delinit, & refouet tandem perfruitur. Ita ad Roman. 5. 4. inquit Paulus: *Tribulatio patientiam operatur: patientia probationem: probatio vero spem.* Vbi vides spem fructum esse probationis, siue etiam expectationis: quid enim aliud expectatio, quam probatio est? subdit verò Apostolus: *spes autem non confundit*: dixerat verò eodem ipsomet c. n. 2. eodem sensu: *gloriamur in spe gloria filiorum Dei.* Et similiter eadem ep. c. 12. 12. *spe gaudentes*: & c. 15. 4. *per patientiam, & consolationem scripturarum spem habeamus*: quibus in locis, & aliis pluribus, qui possent adduci, facile videre est, spem plus aliquid, quam expectationem denotare, dum illi gaudium, & gloria subest: Sic etiam dixit Senec. *dulcissimas spes.* Significat ergo hic Paulus, & expectasse Domini auxilium, & ab ea expectatione peculiarem spem animo concepisse à vinculis fore liberandum.

Ad Rom. 5. 4. — Ad Rom. 5. 2. — Ad Rom. 12. 12. — Ad Rom. 15. 4. — Senec.

7. Sed inquis: numquid vt spes hæc Paulo digna esset, ita ne etiam illa tam vehemens, & anxia expectatio salutis corporeæ, Apostoli animum deceret? Num deinde contextui, ex quo liquet Paulum dissolutionem sui corporis, potius, quam solutionem vinculorum concupiscere, aptari hæc poterunt? Ita sanè, imò & Pauli charitas, & dignitas, necnon & ipse contextus hæc suadent. Dedeceret quidem fortissimum Paulum, cui plusquam triplex circa pectus æs erat, sui causa, aut mortem refugere, aut solutionem à vinculis pusillo animo ardenter expectare: quin potius iniquius tunc secum ageret, cui multo melius esset mortem oppetere, & optatissimâ coronâ perfrui: at dum ipse, qui non sibi, sed Christo viuebat, aut moriebatur, proprio lucro, & commoditate neglectâ, ob solius Dei gloriam, & proximorum salutem, cui tunc temporis pernecessarius erat, solutionem vinculorum vehementi animi desiderio, vt rem optatissimam, expectabat, egregium sanè facinus, & Paulo dignum perficiebat. Dixit enim Senec. ep. 104. & verissimè dixit: *Interdum etiam si premunt causæ, spiritus in honorem suorum, vel cum tormento reuocandus, & ipso ore retinendus est cum bono viro viuendum sit, non quandiu iuuat, sed quandiu oportet. Ille, qui non vxorem, non amicum tanti putat, vt diutius in vita commoretur, qui perseuerat mori delicatus est. Hoc quoque imperet sibi animus, vbi vtilitas suorum exigit, nec tantum si vult mori, sed si cœpit intermittat, & suis se commendet.* Quem etiam ad modum suauis Plinius lib. 1. epist. 22. cum ex fortis, ac egregij viri Aristhenis vitam, vt suorum gratiam nolentis deserere, sensu dixisset. *Dandum enim precibus vxoris, dandum filiæ lacrymis, dandum etiam nobis amicis, ne spes nostras, si modò non essent inanes, voluntaria morte desereret.* Subiicit de suo. *Id ego arduum in primis, & præcipua laude dignum puto. Nam impetu quodam, & instinctu procurrere ad mortem, commune cum multis: deliberare verò, & causas eius expendere, vt quæ suaserit ratio vitæ, mortisque consilium suscipere, vel ponere, ingentis est animi.* Vides aliquoties delicatam rem, non fortem esse mori, fortem, & non delicatam esse, viuere? adde, pulchrè etiam à Tullio lib. 1. offic. admonitum. *Animus paratus ad periculum si sua cupiditate, non vtilitate communi impellitur, audaciæ potius nomen habeat, quam fortitudinis.* Iam hæc omnia è mente Pauli deprompta esse ostendamus: sic quidem ipse à n. 23. *Desiderium habens dissolui, & esse cum Christo, multo magis melius: permanere autem in carne, necessarium propter vos: & hoc confidens, scio, quia manebo, & permanebo omnibus vobis, ad profectum vestrum, & gaudium fidei, vt gratulatio vestra abundet in Christo Iesu in me, per meum aduentum iterum ad vos:* Quid clarius? quid præclarius à Paulo dici potuit? Ecce quomodo illum deceat, & maximè deceat percupidâ expectatione, seu ardenti animi desiderio inhiantium more respectu salutis corporeæ affici, quando ipsam non propter suas cōmoditates, sed vt in Dei obsequium impenderet, exoptabat: ecce etiam quomodo apertissime dicat Paulus spe rare, imò pro certo habere se ad fidei propagationem à vinculis absoluendum, tam diuque inter viuos superstitem futurum, vt ipsius rursus præsentiâ, atque conspectu Philippenses perfrui possent: vndè dum reapse à vinculis absolutus abiuit, singularem erga Deum animi gratitudinem ostendisse, constat ex 2. ad Timoth. 4. 17. sic enim ibi. *In primâ mea defensione nemo mihi affuit, sed omnes me dereliquerunt: non illis imputetur. Dominus autem mihi astitit, & confortauit me, vt per me prædicatio impleatur, & audiant omnes gentes: & liberatus sum de ore leonis.* Vides Paulum voti, quod hic innuit, compotem factum?

Senec. — Plin. — Tull. — 2. ad Tim. 4. 17.

8. At, inquit Iustinianus, se neque diuinando quidem assequi posse, quo modo inuidentia, & odium æmulorum Pauli ad ipsum vinculis liberandum possit conducere: sed in primis respondere ei possumus ex dictis adnot. præced. ex Chrysost. hom. 46. in Genes. Illud ijs, quibus inuidetur peculiare inesse bonum, vt subsidiarium habeant Dei auxilium, & gratiam: inuidos autem ab omnibus superari, vnde vel ex ipsa horum inuidentia iure suæ liberationis spem sumere Apostolum. Certe cum iustis potentiores calumniantur, Deum pro afflictis spondere, fideiussoremque se præbere Regius Vates affirmat, Psalm. 118. vers. 122. dum enim dixisset: *Non tradas me calumniantibus me*; calumniantes appellans eos, qui potentia innixi ementito aliquo iuris colore vim afferre infirmioribus, eosque honore, & bonis spoliare procurant; subiicit: *suscipe seruum tuum in bonum: non calumnientur me superbi*, vbi pro *suscipe*, Symmachus, & Aquila, necnon

Chrysost. — Ps. 118. 122.

necnon Hieronymus reddiderunt: *fideiube*, qua moris Dei conscius Propheta dicat, ecce calumniatores bonis euertere, & vita me spoliare volunt, fideiussorem ergo pro me te interpone, vt irritis illorum conatibus ego abeam immunis. Quæ quidem sub persona Pauli videntur fuisse dicta.

9. Sed deinde, vt Iustiniano fiat satis, aliam huic similem expeditissimamque responsionem ad manum habemus: nihil nimirum certius Paulo, nihil magis persuasum, quam tunc Deum opem suam, & auxilium indubitato præstiturum, cum omnia humana adiumenta deficiunt, & res quo maioribus impugnationibus petita, implicatioribusque difficultatibus implexa est, eò humanis oculis desperationi magis obnoxia videtur. Qua de re in Iustiniani gratiam integram huic cogitationi annotationem dabimus.

Per vestram orationem, & subministrationem spiritus Iesu Christi.

10. NIsi ego vehementer erro, non intelligit Paulus per *subministrationem spiritus Iesu Christi*, gratiam diuini Spiritus, vt ab interpretibus capitur pro auxilio diuino large sumpto, quo ad egregia facta perficienda compotes reddimur iuxta hunc frequentem loquendi modum perficiam id diuino mihi afflante numine, vel si Deus mihi opem tulerit. Moueor, quia cum millies Apostolus in suis epistolis de hoc communi Dei auxilio fuerit locutus, nunquam similem dicendi modum vsurpauit. Deinde, quia subministratio spiritus Iesu Christi aliquid aliud prodit, quam gratiam Dei, aut Spiritus sancti. Ergo allusum opinor hac phrasi à Paulo ad illa verba Assertoris nostri, Matthæi 10. 19. *Cum steteritis ante reges, & præsides nolite cogitare, quomodo, aut quid loquamini: dabitur enim vobis in illa hora, quid loquamini: non enim vos estis, qui loquimini, sed spiritus patris vestri, qui loquitur in vobis*: Et Lucæ 21. 15. *Ego dabo vobis os, & sapientiam, cui non poterunt resistere, nec contradicere omnes aduersarij vestri.* Vnde Act. 6. 10. de Stephano de Christiana religione in concilio rationem reddente, inquit Lucas, *Et non poterant resistere sapientiæ, & spiritui, qui loquebatur*, quasi huic promissioni Christi Domini mirifice fidens Paulus speret, abunde sibi suppeditandum hunc spiritum Iesu Christi, quo non solum intrepide, sed magna etiam sapientia eam rerum fidei rationem sit redditurus, qua iudices suos permoueat innocentem se esse, temereque propter inuidiam, & odium Iudæorum, non ob aliquod flagitium Paulo indignum in vincula fuisse coniectum. Ad quam cogitationem facit in epist. 2. ad Timoth. 4. 16. vbi de solutione ab his vinculis loquitur Paulus, vt supra ex Chrysostomo vidimus, sic peculiariter meminisse ab omnibus se derelictum, à Deo tamen corroboratum fuisse: *Omnes me dereliquerunt, non illis imputetur, Dominus autem mihi astitit, & confortauit me*, quæ verba eadem esse censeo cum his, *per subministrationem spiritus Iesu Christi*: nam verbum, *astitit*, Græce est, ἐνεδυνάμωσε, fortem, & constantem reddidit, siue, *corroborauit*, vt legit Syriacus, quod proculdubio ad constantiam, & virtutem, qua Neroni, & omnibus aduersariis satisfecit, omnino referendum est.

Matth. 10. 19.

Luc. 21. 15.

Act. 6. 10.

2. ad Tim. 4. 16.

Syriac.

11. Hinc apparet, quo sensu dicat Apostolus, *quia non confundar*: vbi in fonte, vt omnes Græci Patres, & Erasmus vertunt, est: *pudefiam*, quod Hispanè significantius exprimas, *No me empacharè*, à qua significatione non dissidet Hebræum verbum, quod Græco, & Latinò correspondet: est enim confundi, siue perplexum esse. Quasi dicat Paulus minimè vereor ne rubore, metu, aut perplexitate aliqua occupandus sim, dum Neroni rursus sistar: vnde rectè verbo, *confundar*, opponit fiduciam Græcè, παῤῥησίαν, libertatem, constantiam, qua fortiter, & strenue, tanquam potestatem habens in conspectu Regum erat locuturus. Ergo dum inquit Paulus, *quia in nullo confundar*, non est sumenda illa vocula, *quia*, quasi Hebræorum more ornatus causa sit posita, vt nonnulli autumant, sed tanquam vera causalis, & fidentiæ Pauli confirmatio, vt ex bonitate suæ causæ, & libertate, qua Deo bene adiuuante de ea rationem erat redditurus, inferat vinculorum suorum solutionem.

Erasm.

Sicut & semper, & nunc.

EMPHATICE dictum, *sicut semper, & nunc*, vt significaret eadem fortitudine, & libertate Euangelium à se fore prædicandum, cum se vinctum, ac morti obnoxium videbat, ac dum sospes, & incolumis esset, nulla propriæ salutis ratione habita. Quo sensu Act. 20. 23. ad Asiaticos Episcopos dicebat: *Spiritus sanctus per omnes ciuitates mihi protestatur dicens, quoniam vincula, & tribulationes me manent, sed nihil horum vereor, nec facio animam pretiosiorem, quam me: dummodo consummem cursum meum, & testimonium verbi, quod accepi à Domino Iesu, testificari Euangelium gratiæ Dei*: Dum autem vitæ, & mortis mentionem facit Apostolus, quamuis de vita, & morte propriè sumptis accipi possit, forsan etiam iuxta phrasim Scripturæ, vitæ nomine reliqua bona, quæ corpoream vitam felicem reddere existimantur; mortis verò vocabulo cætera mala, quæ morte minora sunt, eamque vel antecedunt, vel subsequuntur comprehendit. Act. 20. 23.

Magnificabitur Christus in corpore meo.

OPPORTVNE elucidat hæc verba Photius in hunc modum: *Semper in Paulo magnificabatur Christus, & quando ipsum tradebat, vt vinculis ac flagellis misere affligeretur, & quando educebat eum, ac liberabat: per illud namque confirmabatur, viresque sumebat prædicatio: dum hi qui Pauli vincula, & afflictiones intuebantur, id apud se cogitabant, quod nisi diuina esset, ac verissima eius prædicatio, nequaquam gaudens innumeris se ipsum exponeret malis, quum liceret cessando liberari: ideo meritò magnificabatur Christus confirmato Euangelio. Rursus dum extrahebat, ac eripiebat ipsum è periculis, etiam inde magnificabatur. Nisi enim diuina quadam, & super hominem esset gratia, quæ Paulum liberaret, quomodo soluta fuissent vincula? Testimonium ita fiebat Christus Paulo, ex eo quod è periculis liberabat, rursumque Paulus, ex eo quod constans erat in afflictionibus testimonium fiebat prædicationi: & vtroque modo Christus magnificabatur.* Ita Photius. 12. Photius.

Hæc circa ista verba: *Sed cum omni libertate, vt semper ita, & nunc quoque magnificabitur Christus in corpore meo, siue per vitam, siue per mortem*, diximus attemperando stylum ad superiorem explicationem, siue perfrequentiori Latinorum interpretum sententia, siue etiam ad mentem Græcorum Patrum, quorum interpretationem probabiliorem existimamus: verum ipsi Græci Patres, tum magis exprimentes 13.

exprimentes illud, *in nullo*, tum cohærentius præcedentibus ea verba sic capiunt, quasi magnificum, & gloriosum Deo ex Pauli mente futurum sit, si ille vinculis absoluatur: ita Theophylactus, & Oecumenius, quorum prior sic habet: *Isti dolo suo putarunt sese me in pericula, & mortem coniecturos, non succedet autem eis conatus, sed in fiducia, hoc est palam, & irrefragabiliter magnificabitur Christus in corpore meo, hoc est, tantisper dum viuo, corpus hoc circumferens, non enim moriar:* Oecumen. verò: *Illi per hoc, quod Christum ex contentione prædicabant, arbitrabantur ipsum tollere, id autem non ita erit, inquit, sed magnificabitur Christus in corpore meo, vt qui semper me eripiat, atque redimat, prout ipsi moris est. Deinde vbi prima defensione absolutus, rursus tentus esset, etiam in hoc magnificatur, ait, Christus, siue per vitam, quoniam eripuit me de ore Neronis, siue per mortem, quoniam vires mihi præstitit, vt despicerem mortem. Hoc autem dicit, non tamquam confestim moriturus, sed ipsos confortans, ne vbi hoc accideret, turbarentur.*

Theoph.

Oecum.

14. Sed si verum fateor, illud ego maximè vellem, quò mollius hæc verba cum præcedentibus adnecterentur, vt ab illa aduersatiua, *sed*, noua Pauli oratio inciperet, qua vt indicet non esse sui causa huic vitæ nimis addictum, in vtrumque se paratum ostendat, siue ad mortem alacriter obeundam, siue etiam ad viuendum, vt Euangelium Christi vbique gentium disseminet, hoc sensu: sed quidquid sit de mea salute, quam spero, in quouis rerum euentu, Christus in meo corpore magnificus sanè, & gloriosus cõspicietur. Quomodolibet hæc sumas, egregiè hic Pauli patientia, patientiæque virtus elucet, vt de ipsa merito hæc dixerit Chrysostom. serm. 1. de Ioseph. tom. 1. *Gaude patientia, & exulta, quia vbique secura es, & vbique illæsa; si tentaris, proficis; si humiliaris, erigeris; si pugnas, vincis; si occideris, coronaris; in seruitute libera, in periculo tuta, in custodia læta: te potentes honorant, suscipiunt Principes; magnates exquirunt, tibi boni parent, mali inuident, celant æmuli, inimici succumbunt.* Hæc Chrysostomus. Omnia Pauli instituto opportuna.

Chrysost.

ADNOTATIO Vnica.

Tunc Deum potissimum ad opem nobis ferendam præsto esse, cum omnia humana vndique deficiunt auxilia.

1. EXplico, atque confirmo tibi hanc Pauli expectationem, & spem, quam de vitæ incolumitate, & vinculorum solutione inter tot difficultates, & angustias, vndequaque prementes habebat, non tam ex egregia illius indole, & ingenti animi fortitudine, nam: *Magna indolis signum est* (Florus lib. 4. cap. 8.) *sperare semper*: & vt benè Othoni suggerebat apud Tacit. lib. 2. histor. Plotius Firmus: *Fortes, & strenuos etiam contra Fortunam insistere spei timidos, & ignauos ad desperationem formidine properare*; quippe cum fortes sciuerint, *sæpe maiori fortunæ* (Senec. epist. 91.) *locum fecisse iniuriam*; quam ex verissima à iustis de Dei Prouidentia concepta opinione; tunc nimirum ad opem ferendam præsto esse, cum omnia vndique auxilia desunt humana, atque inde ipsum incipere, vbi mundus deficit. Ita quidem Dauid Psalm. 118. 147. dicebat, *in verba tua supersperaui*: Nota verbum; nec enim latum vnguem dissidet ab expectatione, & spe de qua Paulus hic, quid enim, *supersperare*, sit, quam expectationi spem, siue spei

I Florus. Corn. Tac.

Senec.

Ps. 118. 147.

nouam spem adiicere? Sic de Græco verbo, ἐπήλπισα, quod huic respondet, censuit Ambros. ibi. *Ad sperandum semper crescere, & spem spei adiungere*: at quæ causa, & occasio Dauidi sperandi, & supersperandi? Disce ex titulo siue ex litera Hebræa illis verbis in titulum superposita: est enim, *Coph*, quæ, *conclusionem*, id est, extremam animi vndequaque oppressi angustiam significat. Ita id pensitante Ambros. serm. 19. *Concluditur namque vnusquisque tumescentibus visceribus, internisue faucibus, cum intercluso spiritus commeatu, spirandi, ac respirandi commercia coarctantur.* En supersperandi, & proficiendi in spem materiem, & causam cum humana omnia deficiunt, cum vndique mæror, dolor, & angustia non secus, ac cum omnis respirationis aditus præcluditur. Hispane significanter dicitur. *Quando llega el agua à la boca.* Audi Ambros. *Iustus semper sperat, & in aduersis positus, & frequentibus afflictus ærumnis, desperare non nouit, sed quo grauiora tolerauit, magis sperat, & sperandi sumit profectum.* Aptemus hæc Paulo, detinebatur in carcere, constringebatur vinculis, erant illi hostes acerbissimi, & immanes; accusatores vehementes, & acres, qui potentiam, & auctoritatem excellentem in iudicium afferrent; iudices iratissimi, &, quo nihil supra, Princeps Nero, isque publicis, & priuatis rationibus infenso, & inimico in eum animo; & tamen spectationem habebat Paulus fore, vt à vinculis, & periculis absolutus abiret; at cum ipsimet fideles, & amici prodita eius causa atque fide, hostili impetu eum persequi, & vexare cœperunt, tunc vndique conclusus, & velut spirandi, & respirandi commerciis coarctatis, fidentiori animo sperandi sumens profectum, spem spei adiunxit, inquiens, *secundum expectationem, & spem meam.*

Ambros.

Ambros.

Similis eiusdem Regij Vatis sensus Psalm. 26. 3. *Si consistant aduersus me castra, non timebit cor meum: si exurgat aduersus me prælium, in hoc ego sperabo:* Sed quid est, *in hoc*? Dicet non nemo, esse idem, ac in Deo; nec abs re, cum ex ipsa belli occasione sperandi ansam arripiat: sed significantius id explicat Hebræa lectio, ex qua constat pronomen hoc referri ad ipsummet prælium. Vnde Cyprianus in exhortatione ad martyres, cap. 10. diserte legit, *in illud sperabo*, vt apertissime dicat Dauid, se ad Dei auxilium, & munimẽtum sperandum, incolumemque fore sibi persuadendum ex ipso belli discrimine, & periculo moueri, quod bene norit, tũc Deum ad opem ferendam præsto esse, cum maior difficultas, discrimen, periculumque ingruerit. Ergo si consistant aduersum me castra, & vndique periculis cinctum me videro, tunc ab ipso vitæ discrimine, ad vitam, & incolumitatem sperandam erigar, firmiorique animo ero, quo infirmior viribus, & discrimini superando magis impar videar. Nec prætereunda gradatio, qua in spe ex maiori discrimine se proficere innuit. Nam cum dixit: *Si consistant aduersum me castra*, hoc est, si mihi denuntietur bellum, & copiæ in me instruantur, solum dixit, *non timebit cor meum.* Cum verò vlterius pergens addidit; *Si exurgat aduersus me prælium*, id est, si acies in me iam iam irrumpat, & districtos in me gladios videro, adiecit, *in hoc ego sperabo.* Ex maiori, & magis vrgente periculo spem, speique incrementum concipiens. Ita pene Cyprian. citato loco: *in ipso magis bello spem nostram consistere.* Firmat hanc cogitationem Gregorius lib. 31. Moral. cap. 17. sub hoc sensu accipiens, quæ de equo ad buccinæ sonum exultante, & hinniente arcana locutione dicitur Iob 39. *Vt audierit buccinam, dicit vah*, his verbis. *Equus ergo audita buccina vah dicit, quia*

2. Psal. 26. 3.

Heb. Lect.

Cyprian.

Cyprian. Gregor.

videlicet prœliator Dei, cum vim tentationis incumbere conspicit, vtilitatem supernæ dispensationis considerans, ex ipsa validius aduersitate confidit.

3. Erat hicinet non patienti solum, sed prudenti
Iob 13. 15. etiam Iob sensus, cum 13. 15. dicebat. *Etiam si me occiderit, in eo sperabo.* Sed obserua in Hebræo ex lectione Pagnini, pro primis verbis esse. *Ecce occidet me*, vbi mortem ipsam terribilium terribilissimum pro spei fundaméto, & indice vitæ, sumere videtur. Nec mediocrem emphasim habet particula, *ecce*, quæ ex præsenti discrimine, salutem; ex morte ipsa vitam prodeuntem, velut penicillo ob oculos ponere videtur. Quare iterum præfato loco Ambro-
Ambros. sius. *Iob tot grauatus incommodorum acerbitatibus, pio spem cumulabat affectu, discretam à piis asserens causam impiorum, quorum lumen extinguitur, lux autem secundum Salomonem semper iustis: vnde colligitur, quia semper in verba Dei sperat, & spem adiicit spei. Quod euidentius expressit Isaias, dicens.* Tribulationem super tribulationem, spem super spem. Ita Ambrosius apposite hæc verba Isaiæ in sensus sui confirmationem afferés, iis enim manifestè adstruit Propheta, eandem iustis spei, ac tribulationis, & angustiæ mensuram esse: vt hac crescente, illa crescat; hac decrescente, illa minuatur.

4. Sed redeo ad Vatem eodem loco, dicta sic rur-
Psal.26.10. sus confirmantem, Psal. 26. 10. *Quoniam pater meus, & mater mea dereliquerunt me, Dominus autem assumpsit me.* Vbi obseruanda, atque premenda causalis illa, *Quoniam*, sub hoc sensu; quoniam ab iis, qui maximi necessarij mei erant, & quos vice parentum habebam desertus, & veluti infans ab immanibus paréribus in platea expositus, & proiectus omni ope destitutus sum, certum, & indubitatum mihi est, Deum me in suam tutelam, & perfugium recepturum. Sed obserua verbum illud, *assumpsit*, Hebraicè esse in futuro, *Iaasephenî*, *assumet*, *colliget*,
Pagnin. Eugubin. vti Pagninus, & Eugubinus transtulere: Vulgatum verò nostrum, ad hanc certam, & securam Vatis cófidentiam omnino exprimendam eleganter pro futuro reposuisse præteritum, quasi ab spe ad rem nulla interponeretur mora, sed, *dictum factum*, vt est in Prouerbio. Nec despiciéda Hebræorum traditio, cuius meminit Eugubinus, Deum pacto quodam, seu promissione obstrinxisse sese parentum vice extremè indigentibus futurum, si bona fide, & vitæ probitate ad eum conuolent, & in ipsius tutelam se recipiant. Huic verborum Dauidis expositioni adiunge Græcam parœmiam, θεὸς ἀπὸ μηχανῆς, *Deus de machina*, qua innuitur Deum in desperatis rebus maximè conspici, atque tunc subito auxilium ferre, cum aliquem omni ope humana destitutum videt.
Psal.67.5. Qua sane de causa orphanorum pater, & viduarum iudex appellari singillatim vult, ne parentes, & mariti ob amatorum pignorum discrimen martyrium subire recusarent, ex hac Dei appellatione certo sibi persuadentes, tunc filiis, & vxoribus indubiè Deum affuturum, cum humana illis auxilia vndi-
Lactant. que defuissent. Sed audi ea de re Lactant. lib. 6. cap. 12. *Deus cuius perpetua clementia est, idcirco viduas, pupillosque defendi, ac foueri iubet, ne quis respectu, ac miseratione pignorum suorum retardetur, quominus mortem pro fide, iustitiaque suscipiat, sed incunctanter, ac fortiter subeat, cum sciat se charos suos Deo relinquere, nec his vnquam præsidium defuturum.* Sic Lactant.

5. Mira quidem, & eò magis, quo pensiculatius inspicitur, currus Ezechielis structura est, subtilisque eius speculatio; ea verò germanior expositio esse creditur, quæ illum belli currum captiuitatem Israelis comminántem, facit. Sed enim, dum pleraque, quæ in eo conspiciuntur, minas, & terrorem incutiunt, obserua, rotam in medio rotæ circumuolui. Ezechiel. 1. 16. & c. 10. 10. Sanè vt innueretur in- Ezech. 1. 16. Et c. 10. 10.
tra eandemmet rotam, quæ Dei populum in Babylonem captiuum ducebat, aliam simul inuerso cursu circumuolui rotam, quæ retroactis spei passibus, illummet sospitem, ab exilio in Ierusalem reuocaret: audi Iustinum Martyrem, quæst. 44. ad finem: Iust Mart.
Ostendit eis Propheta rotam in rota, eis enuncians Iudæorum in captiuitatem abductionem, & reductionem ad sua. Nimirum, vt in medio, siue vt potius dicam in corde ipso, ac visceribus tribulationis (etenim medium in scripturis pro corde sumitur, vt monet Orig. hom. 2. in Ierem.) bene nobis sperandum sit Origen.
de salute, incolumitate, & in integrum restitutione, quasi ab ipso medio seu corde rotæ tribulationis, progignatur rota vitæ, & salutis, ac spes prosperitatis: ita Apollinaris, ibi. *Rota ad rotam significat, tum* Apollina.
iudicia, tum misericordiam, quæ à Deo successiue, & quasi per orbem procedunt. Equidem, quod prophanus ethnicis vocibus & sensu dixit.

Qui rapitur fatis, quid præter fata requirit? Ouid. lib. 2. de Pont. eleg. 2.
Sæpe creat molles aspera spina rosas.

Si Christiano sensu, & aptis verbis dicatur; maximè hic locum habet, vt nimirum, qui à rota diuinæ prouidentiæ, per labores, & tribulationes duci, & circumrotari se experitur, nihil vltra, præter hanc ipsam rotam requirat, cum ab illa, veluti mollis rosa ab aspera spina, vitæ, & incolumitatis rota progignatur.

Quod si rotas hasce inseparabili vnione conne- 6.
xas videre velis: audi Ieremiam, Threnor. 9. 9. Vbi Thren. 3. 9.
de istamet captiuitate verba faciens, ita extremæ calamitatis, & oppressionis meminit, vt inde animos ad sperandum, & supersperandum sumeret; sic enim ait (ac si conclusionem, & vndique prementem angustiam, de qua Ambros. n. 1. exprimeret.) *Conclusit vias meas lapidibus quadris, semitas meas subuertit.* Voluit enim sub captiuæ ciuitatis nomine dicere, ita vallatum, & circumscriptum se esse firmissimo ex lapidibus quadratis muro opposito, vt omnes ei aditus ad effugiendum impediti; omnes viæ obstructæ fuerint; dicunt Hispanè: *Le han tomado todos los passos.* Quod ergo effugij ostium, aut spes sit? Certe adhuc in tam arcta custodia, & velut ineuitabili obsidione patens ei ad bene sperandum ostium relictum est; his enim verbis in editione Romana
Lxx. interpretum, præfigitur litera, *Daleth*, quæ Be- LXX. Beda.
da interprete significat *ostium*; vt manifestè appareat, ipsammet conclusionem, & humanæ opis inopiam, ostium ad sperandum esse. Sic ipsemet Dominus Osee, c. 21. 15. *Dabo ei vallem Achor*, (id est, Osee 21. 15.
conturbationis) ad aperiendam spem; siue vt Hebræa habent, *in ostium spei*: Sed quare? Nimirum, quia vt tunc Deus opportune auxilium præbens gloriosusque suorum protector conspicitur. Ita ipsi ex hac auxilij opportunitate non possunt, non animos sumere ad sperandum. Nec dubium, quin tunc potissimum auxiliaris Dei manus, & sapientia resplendeat, cum desperatis vndique rebus accurrit, & viis omnibus lapidibus quadris conclusis, semitisque subuersis, ostium ad effugium præbet. Hinc sane vbi Isai. 52. 7. dicitur. *Quam pulchri super mon-* Isai. 52. 7.
tes pedes annunciantis, & prædicantis pacem. Tertull. Tertullian.
de Christo capiens lib. 5. contra Marc. cap. 2. legit. *Quam tempestiui pedes*, hoc est, quanta opportunitate accurrentes. Nam si postmodum aduenisset, nullus iam deperdita re auxilio locus, si antea verò præbuisset opem, nec suorum patientia, fidaque expectatio, nec ipsius in auxiliando sapientia, potétiaque eluceret, *tempestiui*, ergo Dei, *pedes*, ideoque à Vulgato,

à Vulgato,*pulchri*, ac *speciosi*, iure appellati; inest enim huic tempestiuitati peculiaris decor, & pulchritudo,quod quidem, non possum, non tibi ab omnino dissimili re desumpto exemplo,à simili cõfirmare, is enim etiam dæmonis in arte periti tentandi,& oppugnandi mos est:grauissimum enim telum,quod in Iobum volebat intorquere;vxoris nimirum ad desperandum suasionem Iob 2.9.non in
Iob 2. 9. ipso laborum initio,cum animus ad resistẽdum fortis,sed cum nimia dolorum anxietate penè oppressus videbatur, opportunè iecit: id sic considerante
Chrysost. Chrysost.hom.28.in 1.ad Corinth.*Diabolus aduersus Iob non perditis bobus,neque asinis,neque camelis; neque domo diruta,neque filiis ruina obrutis, hac vsus est fallacia,sed tacet adhuc,& cessat considerata athletæ fortitudine,sed cum vermiũ fons scaturiebat, & cum putrida cutis deficiebat, & consumpta carnes saniem grauiter fœtentem efflabant. En cum diutius is esset,hac calamitate conflictus,tunc vxorem subornat, nam si in calamitatis principio accessisset, non sane eum inuenisset ita eneruatum,neque ita posset exprobrare calamitatem,& tanta loqui audacia: nunc autem cum videret ob temporis longitudinem, & sanitatis quam cupidissimum,&c.tunc accedit, & ait, quousque consumeris? Grauis rhetor ad decipiendum eos, qui inconsultiores sunt;*Oppugnauit ergo dæmon opportunè?& non propugnauit opportunius Deus? Grauis ille rhetor ad decipiendum?nec hic tempestiuus auxiliator ad saluandum?

7. Huc mirificè facit arcana illa Dei cum Iacob lu-
Gen.32.24. cta Gen.32.24.alibi à nobis expensa;in qua id peculiariter modo pende, vna ex parte luctantem Deum nihil prætermittere ex iis omnibus, quæ Iacobum in summum luctæ discrimen abducere, atque ipsum ad terram deiicere possent: Nam in primis:*luctabatur cum eo*;hoc est,modis omnibus toto nisu hac illac impellebat, agitabat, circumrotabat, omnes luctæ artes,numeros,nodos,nexus,supplan-
Heb lect. LXX. Symmach. Aquil. tationes formasque exercens,hæc omnia Hebræum verbum,*Ieabec*,significat,vnde LXX. vertunt. *Luctabatur, quasi palæstrita in palæstra.* Symmach. & Aquila,*versabat,& tactabat se cum illo.* Alij,*luctabatur intorquendo se conandoque vi deiicere.* Deinde, quod rem auget,vt in maius discrimen,immò,vt in certam ruinam reuocaret:*Videns,quod eum superare non posset;tetigit*(Heb.*percussit*)*neruum eius,& emarcuit*, quod penè fuit luctæ metas egredi, & velut acuto ferro,(vt est in Prouerbio) litẽ velle dirimere;ex alia verò parte,non alio consilio hæc omnia à Deo fuisse tentata,nisi vt Iacob victor euaderet,sic
Sap.10.12. enim Sap.10.12.*Certamen forte dedit illi, vt vinceret*, eaque de causa talibus, ac tantis auxiliis eum firmasse,ac communiisse,vt in omnibus luctæ nodis, ac supplantationibus, ac tandem in summo ruendi periculo firmiter constiterit,& aduersus luctantem
Oseas 12.3. præualuerit;Sic enim Oseas 12. 3. *Et in fortitudine sua directus est cum Angelo,& inualuit ad Angelum, & confortatus est.* Quæ sic capio, ac si diceret, quò Angelus maiores exerebat vires;robustiorem se exhibebat Iacob,omnes illius nodos, & nexus noua subinde firmitate dissoluens:cum verò in summum discrimen est adductus,ita vt in terram dubio procul deiiciendus videretur, tunc peculiariter *confortatus est*,vnde iure dixeris Deum potius secum fuisse colluctatum,dum nodis, nodos; & supplantationi robur,atque industriam;& infirmitati vires, ac fortitudinem opponebat; quid ergo hæc sibi volunt? aut cur tam acris oppugnatio fuerit? cum non tam oppugnari expugnatio, quam victoria intenderetur?Sanè,vt & eò gloriosius vincens,quò difficilior fuerat conflictus,& auxiliator opportunior, & be-

neuolentior,quò res ad id est reducta discrimen,vt omnis penè salutis spes iam defecisse videretur; vt hinc planè discas in maiori discrimine magis, ac firmius in Deum sperare.

Redeo ad Threnos,vbi de supradicta captiuitate, 8.
eodem c.3.n.52.53.sic ait Propheta:*Venatione ceperunt me quasi auẽ inimici mei gratis,lapsa est in lacum vita mea,& posuerunt lapidẽ super me.* Thre. 3.52. 53.
Vbi de se ipso, vel figuratè de captiuitate populi, inquit Vates ab hostibus suis in lacum, siue arctissimum carcerem, qui puteum,siue sepulchrum referret,(id omne significat Hebræa vox,*Bor*)demissum,& laci siue putei ori ingens oppositum fuisse saxum; ne qua ipsi ad libertatem via,nec ad spẽ rima vlla pateret;quid tum? iterum,ad mysticas, & arcanæ significationis plenas litteras eamus. Apponit ergo his duobus versibus Ieremias,litteram,*Sade*,quæ vt monet S.Paschasius ibi,vertitur,*consolatio*,& *iustitia*.Planè,quasi Paschas.
Deus quodammodo ex iustitiæ ratione; nimirum, vel ex promissione,& pacto conuento de quo supra n. 40. vel vt diuinum ingenium patefaciat. Nam *Deus de Machina*,consolationem,& opem afflictis, & desperatis rebus sit allaturus. Vnde ibi Paschasius. *Post lacrymarum diuisiones, post graues torrentium fletus,post amaritudinem tanti doloris,post formidinem immensi discriminis, post laqueos contritionis, post apertionem,& insultationem oris inimicorum,satis opportune*,Consolatio,*siue*,Sade,*litera antecessit.* Apponam tibi duplex exemplum;alterum è lib.1. Reg. c.23.27.petitum. Vbi Dauid ita à militibus Saulis vndequaque obsessus, & coronæ in modum erat cinctus,vt nulla spei relicta porta,nec rima videretur. Audi; *Porro Dauid desperabat se posse euadere à facie Saul;itaque Saul, & viri eius in modum coronæ cingebant Dauid,& viros eius, vt caperent eos.* Sed quid tunc?reclusum ne ostium,vt euaderet?ita quidem, nec ostium modò, sed totus campus peruius factus est.Nam in eo tẽporis momento,siue in tanto salutis discrimine. *Nuncius venit ad Saul dicens. Festina,& veni,quoniam infuderunt se Philisthiim super terram.* Vt in comperto sit tunc maxime Deum adesse,vbi humanæ vndique desunt vires, nec aliquid præstare valet nostra solertia. Nec mysterio carere existimo,quæ inibi subiiciuntur.*Propter hoc vocauerunt locum illum petram diuidentem.* Nõ enim eam huius rationem esse existimo, quod petra illa, siue præruptum, in medio castrorum interiecta, vtrumque diuideret;vel quod ibi à Dauide diuisus fuerit Saul;sed potius,quod petra salutis, siue lapis adiutorij,hoc est,Deus Saluator, qui his cognominibus gaudet;auxiliarem manum Dauidi tulerit,& à morte,ac discrimine diuiserit,& incolumem reddiderit.Alterum tibi reddo exemplum in tribus illis egregiæ indolis pueris, in fornacem ardentem immissis,Dan.3.23.de quibus iure dixeris,venatione,quasi aues captos, lapsamque in lacum eorũ vitam appositumque lapidem super eos. Quid enim minus erat,manibus,pedibusque vinctos in medias succensæ fornacis flammas iniici,regiis semper ministris fornacem plus plus incendentibus, & quod maximum erat,Rege eos,& ignem magis,ac magis inflammante,sed enim tunc illis, *consolatio*, eaque insignis à Deo est adhibita: *Angelus enim Domini descendit cum Azaria, & sociis eius in fornacem, & excussit flammam ignis de fornace,& fecit medium fornacis, quasi ventum roris flantem, & non tetigit eos omnino ignis,neque contristauit,nec quidquam molestiæ intulit.*Quæ ob oculos habens Tertul. in Scorpiac. Tertull.
c.4.sic exclamat.*O martyrium,& sine passione perfectum!satis passi,satis exusti sunt, quos propterea Deus texit,ne potestatem eius mentiri viderentur*: id est,ne

1.Reg.23. 27. Dan.3.23.

frustra Deum potentem, & opportunum auxiliatorem credidisse viderentur. Ergo vbi maius discrimen, certior consolatio; semperque præsens auxiliaris Dei manus, & tutela, iis qui in eo bene sperare didicerunt: eaque de causa, non prius vult accurrere, quam ori laci saxum sit oppositum; nimirum, hoc Dei ingenium, hæc conditio, vt adiutor in necessitatibus sit.

9. Subiicio tibi alterum exemplum, vel huic persimile, vel quod grauiores habeat circunstantias, profundioris laci, grauioris saxi eius ori oppositi, ardentioris fornacis, insanioris Regis, sibi flagrantiorem ignem spirantis: nimirum cum Gen. 12. 19. pulcherrima Sara ab Ægyptio, atque ideo profusioris, & intemperatioris libidinis, & à Rege, quibus vt appetentior, ita insuperabilior voluntas, & pro lege, & iure, cupido, atque potentia est, rapta per vim, & in domum eius sublata. En fornacem, regiam libidinem? en lacum, siue puteum? regis domum; adiice saxum ori putei oppositum, execrabile impudentis hominis ardens lectum. Vide modò, *medium fornacis, quasi ventum roris flantem*, dum opportuno tunc morbo à Deo Princeps correptus Saram intactam abire permisit. *Ægrotatio enim* (verba Theodoreti in Caten. in Gen.) *appetitionem Regis hebetauit, & venator intra retia sua captam habens prædam, quam maxime optabat, præda tamen frui non potuit.* Ad quid opus fuerit in tot, tamque varia discrimina Saram descendere? nonne opportunius foret anticipata medicina regiam libidinem coercere? nec Saram in concupiscentiæ domum, & in lectum incontinentiam exhalans incidere permittere. Id alius dixerit ab eo, qui norit, quam sit Deus in ope ferenda opportunus, quamque velit angustias superinducere, vt auxiliaris eius tempestiuitas, & in suos beneuolētia, atque tutela appareat. Audi Chrysost. hom. 22. in Gen. *Mulier præfulgida forma cum viro Ægyptio, & Rege, & sic insano, & incontinenter affecto cōcubans, intacta egreditur; seruata castitate sua. Talia sunt enim, quæ à Deo dispensantur; rara semper, & admirabilia, & quando apud homines desperatum est, tunc potentiam, & sapientiam suam Deus declarat.* Adiūgo quæ de B. Agnete, in spurcitiæ domum, siue in lupanar ab impio, & impuro Magistratu damnata: sic scripsit S. Maximus. *Vbi ei diabolus corruptionis præparauerat ignominiam, illic eam percipere fecit Dominus coronam suæ virginitatis, & palmam; hoc est, in suis sedibus hostes vincere, captiuam ductam virginem ad penetralia regis libidinū, ipsum Regem à virgine, quam captiuarat, vinctum, & victum cum virginis triumpho exire.* Pergit multis, ex quibus colligas, *tribulationem, super tribulationem spem, super spem.* Quod iustis extremè indigentibus Deus præstò sit, tuncque eius ingenium magis se prodat, cum maiori discrimini obuiam venit.

10. Statuerat apud se Christus Lazarum ad vitam reuocare, & hoc quidem animo, *mansit in eodem loco* (vbi absens erat) *duobus diebus*, Ioan. 11. 6. nimirum, vt cum ad defuncti sepulchrum accederet, inueniret eum, iam quatuor dies in monumento habentem. Quid? Eratne id è re miraculi? vel corruptio, putredo, fœtor ad suscitandum Lazarum adiumento erant? Equidem, vt ad rem nihil conduceret, immò si humanis oculis rem inspicias, obstare dixeris; ad sui operis perfectionem, non leuiter conducere existimauit, vt tunc ipse diuinum numen, & ingenium velut Deus de machina ostenderet, inde incipiens, vbi mundus desperatis rebus defecisset. Ita Chrysol. serm. 63. *Videtis quemadmodum dat locum morti; licentiam dat sepulchro; corruptioni posse permittit; negat nihil putredini; nihil fœtori. Atque vt tartarus rapiat, trahat, habeat, admittit, atque agit, vt humana spes tota pereat, & tota vis humanæ desperationis accedat, quatenus quod facturus est, diuinum sit, non humanum.* Vide similia verba, serm. 33. occasione fœminæ, quæ sanguinis fluxum patiebatur.

Hine melius coniicies, cur ad sanctissimam Virginem in nuptiis Cana pro conuiuantibus vinum à filio efflagitantem, ipse responderit. *Nondum venit hora mea.* Ioan. 2. 4. Nondum venit? Quare tunc non venit? quandoquidem pene statim, & quasi post temporis momentum venit? ita ne Deus tempori addictus, & veluti ligatus sit? vt in hoc temporis momento, quasi operi suo minus opportuno nolit operari? in sequēti verò, vt in hora sua operetur? in quo ergo hæc illa hora melior, & congruentior? Sanè quod vinum tunc temporis, vel penitus non defecerat; vt putat Aug. serm. 41. de tempore, vel defectus à Domino domus, & ministris nō animaduerteretur, vt inquit Chrysost. hom. 21. in Ioan. illa ergo Christi hora ad opem ferendam, cum nihil omnino vini esset; idque ministris innotesceret, vt tunc diuina opportunè succurrerent, cum humana penitus defecissent. Vnde merito hanc Dominus, *horam suam*, opportunumque subueniendi tempus, dixit: cum ad eas homines redacti essent angustias, vt de humana consolatione desperarent. A qua quidem obseruatione non iuit Irenæus lib. 3. aduers. hæres. Vbi cum dixisset: *Nihil enim incomptum, atque intempestiuum apud eum*, addit, *Propter hoc properante Maria ad admirabile vini signum, & ante tempus volente participare compendij poculo, Dominus repellit eius festinationem dicens.* Quid mihi, & tibi est mulier? nondum venit hora mea, *expectans eam horam, quæ est à Patre præcognita.* Sic Irenæus. 11.

12. Adsimilis est obseruatio Chrysologi de tempore, quo Dei Verbum carnem suscipere dignatum est. *Quid est*, (inquit ille) *quod tēpore Regis nefandi Deus descendit ad terras? miscetur diuinitas carni? fit terreno corpori cæleste commercium? Quid est?* Respondet verò: *Herodes alienæ gentis, gentis Iudæorum regnum inuasit, libertatem sustulit; prophanauit Sancta, quidquid erat cultus, quidquid ordinis aboleuit. Meritò ergo genti sanctæ, quia humana defecerant, humana succurrunt, & eo tempore adest Deus ipse, cui homo deerat.* Chrysologo applaudit Chrysostom. hom. 16. in Acta, ad eundem modum pendens, Moysem, qui Israeliticum populum, è barbari Regis tyrannide vindicaturus erat, tunc opportunè natum fuisse cum seuerior in populum ingrueret persecutio, vt Deus velut è machina opem ferens conspiceretur. Audi: *Hoc mirabile, quod futurus præfectus non ante hoc, nec post hoc tempus nascitur, sed in ipso medio persecutionis furore, & nascitur, & educatur. Nam cum humana spem omnem negant, tunc diuina dispensatio clarè fulget.* Sic ille.

13. Videas hinc non tam simplicem narrationem, quam efficacissimam orationem continere ea Paralytici ad piscinam iacentis, Ioan. 5. 7. ad Christum verba: *Hominem non habeo*, ac si diceret; en horam tuam, en tempus faciendi Domine, ades enim Deus, cui homo deest. Et quando humana omnem spem negant, tunc diuina dispensatio clarè fulget. Hac quidem ratione, Ioann. cap. 9. 1. cum visum cæco à Christo redditum retulit, minimè prætereundum censuit illum à natiuitate cæcum fuisse. Sed quare? plus minusve, qui secus cæcus est videt? Nō opinor, sed multo plus est cœcum à natiuitate, quam eum, qui iam natus cæcus fit, curare, hic enim ab homine forsan sanari poterit: ille verò nonnisi à Deo, vnde meritò id Ioannes expressit, vt appareret, eam à Christo curationem signate suscipi, quæ ab homine perfici

Gen. 12. 19. — Theodor. — Chrysost. — S. Max. — Ioan. 11. 6. — Chrysol. — Ioan. 2. 4. — August. — Chrysost. — Iren. — Chrysol. — Chrysost. — Ioan. 5. 7. — Ioan. 9. 1.

D. Ambros. perfici non posset. Id sic notante Ambros. serm. 75. *Vt cognoscas, quia quod iste sanatur, qui à generatione cœcus est, non artis est, sed potestatis; donauit enim Dominus sanitatem, non medicinam exercuit. Eos enim sanauit Dominus Iesus, quos nemo curaret.* A quo non Hieron. longe it, quod notauit Hieronym. ad c. 38. Isai. fine, tunc peculiariter Deum consolationem populo fuisse pollicitum, cum Rex Ezechias, cui vni communis publicæ rei cura incumbebat, propria tantum vtilitate, & commodo rem metitus de pace suis solummodo diebus futura lætabatur. *Propterea Ezechiam Dei sermonibus non probatum, qui in sequentibus loquitur.* Consolamini, consolamini popule meus, dicit Deus vester: *Vt pro quibus ille non rogauerat, Domini clementia consoletur.* Nec prætereunda emphasis illa blandæ appellationis, *popule meus*, qua innuitur tunc peculiariter sub Dei protectione, & tutela populum deuenisse, cum ab hominibus destitutus fuit.

VERSVS XXI.

Mihi viuere Christus est: & mori lucrum.

COMMENTARIVS.

1\. ERRequens Græcorum, Latinorumque Patrum, ac recentiorum interpretum expositio huius loci est, vt affirmet Paulus Christum sibi vitam, hoc est, vitæ, rerumque omnium loco esse, quod præ illo mundum, vitam, salutem, opes, & quæcunque ad humanam vitam spectant, adeò contemneret, ac si ab hac vita absens omnino esset, atque hinc fieri, vt mors quæ illum cum Christo erat repositura, non posset, non ab ipso pro lucro, eoque maximo duci. Ita Chrysost. Theophyl. Theodor. Oecum. Anselm. Nyssen. hom. 15. in Cant. Greg Magnus lib. 18. Moral. c. 19. Vverric. Abb. serm. de Purificat. Virg. & illis prior Origen. hom. 7. in lib. Iudicum, & ex recentioribus Iustinia. & alij. Nec omittenda Patrum verba, quod egregia sint. Et verò Chrysost. post multa, quæ in hanc sententiam mira elegantia effundit: sic hæc explicat. *Nos hanc vitam viuimus, qui nihil non illius gratia facimus; ille vero hac non viuebat, nihilque eorum, quæ hic sunt ex animo quærebat. Quomodo igitur viuebat? ad eum modum, & nos de quibusdam dicimus, mihi non adest ille, quando nihil eorum faciunt, quæ me concernunt.* Similiter Theophyl. *Nouam quandam vitam viuo, & Christus est mihi omnia, & spiritus, & vita, & lumen. Hic autem naturalem vitam Paulus non reiicit, sed vitam, quæ peccato dedita est huius mundi impostura accommodantem sese: Christum autem confitetur sibi esse vitam, quemadmodum & in alio loco dicit.* In fide viuo filij Dei: ad Galat. 2. 20. Nec aliter Anselm. *Quod ego, inquit, viuo, Christus est, non habeo vitam, nisi Christum, non viuo veterem hominem, sed nouum, qui totam meam vitam innouauit.* Quo autem modo præcedentibus hæc sententia hæreat: sic rursus explicat Chrysost. *Quasi dicat etiam moriendo non moriar, eo quod vitam habeo in me ipso: tum verò demum me occiderint, si per metum, & terrorem animo meo fidem potuerint excutere, donec verò Christus in me fuerit, etiam si mors ingruerit, viuam.* Cum sequentibus verò verbis sic hæc nectit Theophyl. *Mori autem lucrum est, quia tunc apertius cum ipso versabor; lucrum itaque mihi prabebunt festinantes me ex huiusmodi vita eiicere, Christo, qui est vita mea, me*

(Margin: Chrysost. Theoph. Theodor. Oecumen. Anselm. Vverric. Gre Mag. Nyssen. Origen. — Ad Galat. 2. 20. — Chrysost. — Theoph.)

adlegantes. Et eodem modo Anselmus. *Mori est mihi lucrum: pro terrenis cœlestia, pro temporalibus accipiam æterna.* Hæc Patres in commentariis. Quorum vestigia premens Vverricus sic etiam explicat, Vverric. & præcedentibus, ac sequentibus nectit hæc verba. *Septimus ornatus thalami Sion est sapientia, qui conuenit iis, qui intellectualibus oculis æterna complectuntur, quorum conuersatio in cœlis est, qui cupiunt dissolui, & esse cum Christo, in quorum persona dicebat Apostolus.* Mihi viuere Christus est, & mori lucrum, *quasi diceret, vt Christum magnificem, Christo volo viuere tantum, & Christus est præmium mortis meæ.*

Ab iis non longius eunt, quæ Origenes, & Gregor. Nyssen. habent: ille enim hom. 2. in Iudices, 2. Origen. elucidans illa verba, cap. 2. 8. *mortuus est Iosue:* sic illis hæc adnectit. *Quia, quæ de Iesu Naue dicuntur,* Iudic. 2. 8. *ad Dominum Iesum referuntur, ideo videndum est, quomodo de ipso dici conueniat, quoniam defunctus Iesus: ego arbitror secundum Scripturæ auctoritatem, hoc loquens, quod in quibusdam viuit Iesus, in quibusdam verò defunctus est: in Paulo viuit Iesus, & in illis omnibus, qui dicere possunt: mihi enim viuere Christus est, & mori lucrum.* Quid verò ex Origenis mente sit, Christum in Paulo viuere, ipse dum explicat, quid sit defunctum in aliis esse, sic aperit: *Sed & tu ipse considera apud te, si quando de auaritia cogitas, & cupis aliena diripere, numquid potes dicere, quia viuit Christus in me? aut si de stupro cogitas, si furore exagitaris; si liuore succenderis; si inuidia stimularis; si temulentia debaccharis; si superbia extolleris; si crudelitate grassaris, numquid potes in his omnibus dicere, quia viuit Christus in me?* Hæc Origenes: quasi ex eius interpretatione Christum in Paulo viuere, siue eius vitam esse, idem omnino, ac peccato mori sit. Luculentius verò, & opportuniùs hunc locum versat Nyssenus homil. 15. in Nyssen. Cant. componens illum cum sponsæ verbis. *Ego dilecto meo, & dilectus meus mihi.* Cant. 6. 2. ad hunc Cant. 6. 2. modum. *Atque has voces Paulus imitatur clarissimè, cum ait, se Deo viuendo mortuum mundo factum esse, solumque Christum in se viuere. Nam cum dicit:* mihi vita Christus*: tantum non clamat iis verbis nullam in se ipsa affectionem humanam, crassamque viuere, non voluptatem, non dolorem, non iram, non metum, non timiditatem, non trepidationem, non fastum, non audaciam, non iniuriarum tenacem memoriam, non inuidiam, non adfectionem animi ad vindictam, non auaritiam, non honoris, non gloriæ libidinem, non quidquam eorum, quæ animum quadam erga se affectione polluunt; sed solus, inquit, ille mihi superest, qui nihil est horum. Etenim abrasis, quasi poliendo vniuersis, quæ ipsius in naturam non cadunt, nihil in me habeo, quod non in ipso sit, eaque de causa vita Christus est, vel vt sponsa loquitur.* Meus est cognatus meus, & ipsius ego sum. Hæc Gregor. Nyssen. vide similia Gre. Magn. apud Magnum, lib. 18 Moral. c. 19. explicantem id Iob cap. 7. 15. *Elegit suspendium anima mea, & mortem vita mea.*

Venerabilis quidem, quia tot Patrum authoritate 3. fulcitur, atque ideo etiam probabilis superior expositio est: sed in ea iure desideres, non satis explicari eam phrasim: *mihi viuere Christus est*, cui alia quidem videtur inesse sententia ab illa: *viuit in me Christus*, seu soli Christo viuo, cum verborum structura aliò eat, præsertim in Græco fonte, vbi verbo, ζῆν, hoc est, *viuere* præcedit articulus, τὸ, qui Lect. Græ. licet Latinè non soleat exprimi, Hispanè tamen peculiari energiâ, sic efferas, *el viuir:* vnde sic opportunè legeris, *mihi hoc quod est viuere*, &c. Quid quod? Hæc verba iuxta præfatam explicationem non bene congruunt cum illis; *& mori lucrum*, inter quæ

ob illam coniunctionem,&,nonnulla antithesis esse videtur,atque ideo de naturali,non de spirituali vita accipienda sunt. Pupugit id Iustinianum; vnde hunc potius sensum sibi probatum fore dixit, nisi duriorem quandam verborum traiectionem contineret;*siue viuam,siue moriar, Christus mihi pro lucro est*,siue, *pro Christo, & in Christo, & viuere, & mori,maximum mihi lucrum est*, sed hoc duriori interpretamento offensus, nec sibi satis fidens, quæ magna egregij viri modestia est, à frequentiori expositione noluit recedere. Sed enim hancmet verborum transpositionem, quæ durior Iustiniano visa est, nullo negotio, vt suauiorem, textuique omnino hærentem deuorarunt Cornelius,& Estius: sic namque hæc verba ille explicat, & cum superioribus connectit: in omni fiducia magnificabo Christum in corpore meo, siue per vitam, siue per mortem. Vt nimirum constanter pro Christo viuam,& fidem eius prædicem, vel pro eius gloria martyrium subeam; mihi namque Christus, & in morte, & in vita lucrum est, ideo nec mori timeo, nec viuere recuso, quod tam in vita, quam in morte Christo seruiam, Christo vniar: similiter Estius inquiens: *Ostendit seu vitam, seu mortem sibi cessuram ad salutem; nam inquit mea vita Christus est, id est, vitam meam Christo, & Euangelio consecraui.* Nullum quidem hi interpretes pro sua explicatione auctorem afferunt, sed ad hunc etiam modum inuenies interpretatum fuisse hunc locum Theodoretum, his verbis; *Sunt vtraque mihi conducibilia, & vita, & mors: nam & vitam Christi legibus exorno, & mortem propter ipsum libenter suscipio.* Ita ille.

4. Verum enim verò, quamuis acutè excogitatus, & contextui aptatus hic sensus sit, rectè de ipso monuit Iustinianus duriorem verborum traiectionem continere, atque Atticæ potius elegantiæ, quam Paulinæ menti congruere. Quare si in priori illa tot Patrum explicatione non acquiescimus, non est cur tam ancipiti fundamento adnitamur. Vnde ille mihi legitimus, ac simplicissimus huius loci sensus videtur, quem ipsa Vulgata lectio paulisper considerata præsefert, vt nimirum, dum Paulus inquit: *Mihi viuere Christus est*: perinde sit,ac si dicat,mihi ratio ob quam viuo,siue amo vitam, illa vna est,quia ita placet Christo; hæc eius voluntas est, aliàs nullo modo libenter victurus; ac si apertius dicat, viuo libenter, quia Christus vult,ideo cum ipsi placuerit mihi vitam abrumpere, maximum percipiam lucrum, Hispane: *Viuo, porque assi lo quiere Christo, que por lo que a mi toca, tendrè à grangeria,y ganancia la muerte.* Ita omnino Ambros. lib.de bono mortis,cap.2.his verbis: *Quid igitur tantopere vitam istam desideramus,in qua quanto diutius fuerit, tanto maiori oneratur sarcina peccatorum, vnde egregiè Apostolus ait,* mihi viuere Christus est,& mori lucrum: *aliud ad necessitatem vitæ referens, aliud ad mortis vtilitatem: Christus enim Rex noster est,& ideo,quod Rex iubet deserere non possumus,& contemnere.* Et post nonnulla: *Viuere ergo sancto,Christus est, & mori lucrum; quasi seruus enim non refugit vitæ obsequium, & quasi sapiens lucrum mortis amplectitur.* Hæc Ambros. expressissimè pro hac explicatione, vt prorsus ignorem, quo iure ab aliis pro altera sententia afferatur, cum Ambrosij mens, & verba eò eant, vt ostendat, ideo Paulum hanc vitam viuere,siue patienter ferre, quod Christus,penes quem omne vitæ necisque ius sit, velit, iubeatque eum viuere, ipseque tanquam seruus Domino, Imperatori miles hac illi in re obsequatur:cum Ambros.etiam ex parte videtur consentire Primasius dum ait; *nulla iam hic mihi voluntas viuendi est,nisi vt corpus Ecclesiæ ædificem exemplo meo: lucrum maximum computans sæcularibus laqueis non teneri*;quamuis enim illam vocem:*Christus*, ad spiritualem profectum corporis ipsius referat, at verbum, *viuere*, de voluntate, seu appetitu viuendi, quod nos præcipuè intendimus, accipit. Ergo sic cum præcedentibus hæc Pauli verba adnectuntur; dixerat: *siue per vitam,siue per mortem Christus magnificabitur in corpore meo*:quibus verbis ostenderat, se paratissimum esse mortem pro Christo oppetere; addit modo,tantum se à nimia vitæ cupiditate, seu à mortis metu abesse,vt nullam ex hac vita delectationem percipiat, atque ideo quod ad se attinet, mortem potius exoptare. Nam,*mihi*(inquit)*viuere Christus est*,id est,nulla iam ratio,ob quam libenter viuam præter Christi voluntatem mihi succurrit, cum vita,eaque omnia,quæ vitam amabilem,& iucundam reddunt,nulla me voluptate afficiant.

Illud in hac sententia Pauli sensum habet communem cum priori illa interpretatione, quòd vt in illa Paulus non sibi,nec huius sæculi rebus,sed omnino ad Dei nutum viuere dicebatur,ita in hac nullatenus alicui temporali bono,nec ipsimet vitæ implexus,aut illigatus esse asseritur,cum totam rationem amplectendi hanc vitam ex Christi voluntate desumat; non tamen ideo eadem hæc cum illa explicatione censenda est, cum iuxta illam de spirituali,iuxta hanc verò de corporea vita, Paulo sermo sit, vnde illa sententia huius, quam dedimus consectaria,vel cum ea connexa censeri debet. 5.

Præclara ergo Pauli æquanimitas omnimodaque eius voluntatis cum Dei nutu conformitas ex his verbis elicitur,qui fortes suas in Dei manus,totamque viuendi,moriendique rationem in diuinum placitum deuolueret, cumque libens ipse mortem obiret, vel ex eo, quod caducam hanc, milleque ærumnis obnoxiam vitam,cum beata,& æterna sibi iam diu ardenter concupita commutaret, nihilominus, vt Dei se nutui omnino subiiceret, diuturniorem vitam agere patientissime vellet. Vnde his etiam verbis valde opportuna sunt, quæ habet Augustinus tract.9.in 1.epist.Ioann. rom.9.ad ea verba, quæ paulò post subiicit Apostolus: *Desiderium habens dissolui, & esse cum Christo*, dum duo iustorum genera, quorum alij cum patientia moriantur; perfectiores verò alij cum patientia viuant:sic eleganter describit. *Sunt homines,qui cum patientia moriuntur:Sunt autem quidam perfecti,qui cum patientia viuunt: quid dixi? qui adhuc desiderat istam vitam, quando illi venerit dies mortis, patienter tolerat mortem,luctatur aduersum se,vt sequatur voluntatem Dei, & hoc potius agit animo, quod elegit Deus, non quod elegit voluntas humana, & ex desiderio vitæ præsentis fit lucta cum morte,& adhibet patientiam, & fortitudinem,vt æquo animo moriatur,iste patienter moritur: qui autem desiderat,sicut dicit Apostolus, Philippens. 1.* dissolui, & esse cum Christo:*non patienter moritur, sed patienter viuit, delectabiliter moritur, vide Apostolum patienter viuentem, id est, cum patientia hic non amare vitam,sed tolerare:* dissolui, *inquit*,& esse cum Christo, multo magis optimum: manere autem in carne,necessarium propter vos. Hactenus August. 6.

Mori lucrum.

Licit ex his verbis Iustinianus mortem minimè ab Apostolo habendam pro lucro fuisse, nisi iustorum animæ cum primum omni labe purgantur ad immortalis Dei conspectum veherentur, vnde

vndè ex hoc loco ad confirmandum fidei dogma, quod præscribit animas electorum post criminum purgationem in cœlum euolare, & ante iudicij diem Deum date videre ansam sumit. Verum hæc vt summo fidei calculo probentur, & à Iustiniano florida sanctorum Patrum eruditione pertractentur, nondum si verum fateor,perspexi,quantâ præsentis loci opportunitate differantur; nam præter quam,quod hoc fidei dogma,ex verbis, quæ paulo post subiicit Paulus: *Desiderium habens dissolui, & esse cum Christo*,vbi liquido affirmat ad sui tabernaculi dissolutionem immediatè subsequi esse cum Christo, & eius suauissimo complexu delectari, multo firmius stabilitur; certa quidem omnino (quantumuis ex fide nobis non constaret electorum animas ante iudicij diem Dei beatitudine perfrui) & antiquorum Patrum,simulque ethnicorum sapientium calculo probata illa sententia est, quæ mortem, vel ex eo solùm, quod miseriarum huius vitæ dulcis meta, placidusque finis sit, in lucro eoque maximo ponendam censet. Vnde Cyprianus sermon. 4. de Mortalitate post longam ea de re dissertationem, cum dixisset. *Hoc nos ostendamus esse,quod credimus, vt neque charorum lugeamus excessum,& cum accessionis propriæ dies venerit,incunctanter, & libenter ad Dominum ipso vocante veniamus.* Subiicit opportunè: *Quod cum semper fuerit faciendum Dei seruis, nunc fieri multò magis debet corruente iam mundo, & malorum infestantium turbinibus obsesso, vt qui cernimus cœpisse iam grauia, & scimus imminere grauiora,lucrum maximum computemus si istinc velocius recedamus.* Quare non ideo solum, quod certissima suæ beatitudinis spe refoueretur, sed quod miserias etiam, & pericula vitæ huius optime nosset, & quod plus est, quod licet sanctissimus, venialibus tamen erratis adhuc esset obnoxius, Paulo dignam vocem existimo: *mori lucrum*, vt ex his verbis opportunè præfato loco, sic elicuit Ambros. *Quasi sapiens lucrum mortis amplectitur, lucrum est euasisse incrementa peccati, lucrum fugisse deteriora,& ad meliora transisse.* Similiter Cyprian. dicto serm. 4. de Mortalitate. *Memor beatus Paulus in epistolâ sua ponit, & dicit:* mihi viuere Christus, & mori lucrum: *Lucrum maximum computans, iam sæculi laqueis non teneri, iam nullis peccatis, & vitiis carnis obnoxium fieri, exemptum pressuris angentibus, & venenatis diaboli faucibus liberatum.* Hæc Cyprianus. A quo pene eadem mutuo accepisse Primasium,sic videas: *Nulla hic iam voluntas viuendi est,nisi vt corpus eius ædificem exemplo meo, lucrum maximum computans iam sæcularibus laqueis non teneri, iam nullis peccatis, & vitiis carnis obnoxium fieri, quod post hanc vitam sine dubio est futurum.* Sed hæc latius in adnotationibus prosequemur. Nec contentus ero si nostram solum expositionem exornem,nisi etiam, quæ circa Patrum interpretationem adnotanda videntur,attulero.

Cyprian. | Ambros. | Cyprian. | Primas.

ADNOTATIO I.

Pauli æquanimitas,& omnimoda cum Dei voluntate consensio expenditur.

1. Chrysost. PVLCHRE dixit de Paulo Chrysost. serm. in commemorat. S. Pauli. *Vt missum ferrum in ignem totum profectò ignis efficitur; sic Paulus charitate succensus totus factus est charitas.* Vndè quidquid carnis, quidquid naturalis concupiscentiæ, denique quidquid sui esset, ardore charitatis ita combussit, atque consumpsit, vt in ipso Deus omnia in omnibus esset. Vis videre? *Mihi viuere Christus est,& mori lucrum*, sed aptare oportet, quæ post modum subiicit: *Desiderium habens dissolui, & esse cum Christo, multo magis melius: permanere autem in carne,necessarium propter vos.* Quę quidem omnia eò eunt,vt exprimant, Paulum totum factum charitatem, quippe qui nihil,nisi Deum amet, nihil optet, nihil velit, non salutem, non vitam, non mortem, non ipsam denique beatitudinem, sed illud omnino, quod Deus velit, siue in vita, siue in morte, siue in terrâ, siue in cœlo. Et verò quin eximiæ, & perfectissimæ coapostoli Petri sanctitati aliquid derogem,aut Paulum illi aliqua ex parte præferam,sed vt in hac Pauli ęquanimitate,& summa cum Dei voluntate consensione ostendenda me expliccm; obserua Christi ad Petrum verba, Ioan. 21. 18. *Cum autem senueris,extendes manus tuas, & alius te cinget, & ducet quò tu non vis*: subdit Ioan. *Hoc autem dixit significans, qua morte clarificaturus esset Deum.* At quid est? *ducet, quo tu non vis*? num Petrus pro Christo mortem oppetere recusauit? Imò verò ad eam ipse manus extendit, quî ergo hæc sibi constent? *extendes manus tuas*, supple ad mortem, & *ducet quo tu non vis*: id est,ad mortem? Respondet August. in hæc verba, tractat. 123. in Ioan. *Hinc infirmitatis affectus, quo nemo vult mori, vsque adeò naturalis est, vt eum beato Petro, neque senectus auferre potuerit*: nec mirum: nam Seneca teste,epist. 12. *Senectus plena est voluptatis. Gratissima sunt poma cum fugiunt.* Inerat igitur Petro naturalis vitæ amor; sed quem Christi charitas qua ardentius flagrabat, comprimeret: ideò ad eammet mortem,quam naturaliter nollet,manus lubens extendebat. Ioan. 21. 18 | August. | Senec.

2. Nec alia quidem charitatis lucta, illa esse videtur; cum Dei filius in horto Gethsemani, Patrem orans dicebat: *Pater mi, si possibile est, transeat à me calix iste: Verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu.* Matth. 26. 39. Etenim priorem illam voluntatem: *transeat à me calix iste*; quam nostræ infirmitatis affectus ab eo assumptus depromps erat (inceperat enim tunc, *pauere, & tædere*;) Dei statim charitas efficaciter absumebat, & ad se trahebat, subdens: *Veruntamen non sicut ego volo*; ac si diceret,nolo idipsum, quod volo; siue illud charitate amplector, & volo, quod naturali affectu nollem. Nam vt mortem naturaliter modo pertimescam, alia mihi superest voluntas, qua illam arctissimè complector: *In capite*, enim, *libri scriptum est de me,vt facerem voluntatem tuam, Deus meus volui.* Psalm. 39. En charitatis munus, & ingenium, quæ,vt inquit Bern. serm. 83. in Cant. *Vbi venerit omnes in se transfert,& captiuat affectus*; adeò enim timori mortem refugienti non cedit,vt illum potius captiuet,& ad se transferat. Hæc iam Paulo accommoda,sed obserua duo: alterum vix illi naturalem vitæ affectum inesse: *Mihi enim*, inquit, *viuere Christus est*; hoc est,ratio ob quam viuo,siue vitam amo,non à me ipso,sed à Christo id ita volente desumo. Certè Pauli infirmitatem Christus in suum transfigurauit affectum, vt ipsius fortitudine Paulus indueretur: *Minus enim nobis contulisset*,(Ambrosius lib. 10. in Luc.) *nisi nostrum etiam suscepisset affectum.* Quare minus? Quod suam ille fortitudinem in permutationem nobis non dedisset. Alterum eam esse perfectionem, & charitatem Pauli, vt dum aliud desiderio, aliud determinata voluntate ex charitate complectitur: illud non tam viuendi, quam moriendi, ideoque fruendi desiderium fuerit: etenim dum affectus suos velut in Mat. 26. 39. | Psalm. 39. | Bernard. | D. Ambr.

trutina suspendit, potioresque charitati partes defert, non viuendi, sed moriendi voluntatem (adeò illum vitæ amor non detinebat, adeò Christo erat confixus, atque mundus illi crucifixus, & ipse mundo) comprimit, & absumit; nec tam caducam hanc, & terrenam vitam, quam veram illam, atque cœlestem charitati postponit. At enim verò quomodocumque se res habeant, tam viuere, quam mori, tam hic, quam ibi esse Christo Paulus est: viuit, quia Deus vult, moritur, quod ita placeat Deo; ideo neque ex se ipso, aut sibi ipsi viuit, aut moritur; aut hoc magis, quam illud velle videtur, sed quod Deo absolutè placuerit.

3. Sub quo quidem sensu ad Galat. 2.20. cum dixisset. *Viuo autem, iam non ego: viuit verò in me Christus:* hoc est, ab ipso vitæ rationem, & modum haurio, dum ad ipsius nutum me compono; subdit: *quod autem viuo in carne, in fide viuo Filij Dei.* Vbi iure ambigitur, quid vitæ corporeæ fides præstet, vt ab illa subsistat? Dum verò plures his verbis adhibentur expositiones, sic capienda censet Chrys. hom. 34. in Genes. vt sit sensus, quamuis in carne viuam, sic tamen me gero, ac si fide viuerem; exigit, nimirum, fides, vt inuisibilia visibilibus præferantur; atque illa nobis sint certissima, hæc verò, quæ sub oculos cadunt, falsa iudicemus, vt ad hunc modum Paulus terrena omnia, & oculis subiecta bona, vt falsa repudians, cœlestibus tantummodo inhæreret. *Vide animam ignitam, vide mentem alatam, vide rationem incensam Dei amore; non enim inquit putetis me facere aliquid huius vitæ causa, nam licet carne vestitus sim, necessitatibusque carnis alligatus: in fide tamen viuo, quæ est in Christum, despiciens omnia præsentia, & spe, quæ in illum est, omnia prætercurrens intentam in cœlum mentem habeo.* Sic Chrys. Ad cuius gustum Paulin. epist. 4. illud ad Galat. 6. 14. *Mihi mundus crucifixus est:* sic effert; *Mihi non amanti diuitias, non honorem sæculi, non amanti quæ propria sunt, sed quæ sunt Christi, non amanti quæ videntur; sed quæ non videntur.* Sed enim ad nostram rem obserua, id esse proprium fidei, vt Deo innitatur; eaque omnino ratione hoc pro certo habeat, illud falsum reputet, quod huius, non illius ipse auctor sit. Quo sanè modo Paulus in fide viuebat Filij Dei, dum vitam, mortem, & quidquid ad hæc pertinent, eâ solum ratione amplectebatur, quod Deus amplectenda, vel non amplectenda præscriberet.

4. Iure quidem hinc à Paulo dictum inueneris, 2. ad Corinth. 11.22. *Semen Abrahæ sunt, & ego:* quippe Abraham mirificæ huius æquanimitatis egregium extitit exemplar. *Credidit, enim Abraham Deo,* Gen. 15. 16. ad Rom. 4. 18. atque ita credidit, vt eadem mentis æqualitate, eodem animi tenore, eadem facie, ac colore vultus, & terribilium sibi terribilissimum; & quod reapse suauissimum foret, ex Dei præscripto aggrederetur: sic enim ad immolandum charissimum sibi filium accessit, ac si ab immolatione supersederet; sic verò ab eo iugulando supersedit, ac si ad ipsum trucidandū accederet: Id quod & facilè ex textu sacro elicies, Genes. 22. cap. & sic eleganter monuit S. Zeno Veron. M. serm. de Abraham: *Eo ferro mactauit arietem, quo filium percutere iam parabat; à filio ad agnum transtulit dexteram semper lætatus, & gaudens. Nec mutatus est vultus eius, cum esset victima commutata, cum tanta lætitia arietem obtulit, cum quanta obtulerat & filium:* Reddit rationem: *vbi enim fides fuit, non erat dolor.* Pende illud: *Nec mutatus est vultus eius:* O pectus tam in se adamantinum, & triplici ære munitum; quam cereum in Dei obsequium! Ita ne? vel timor, vel gaudium colorem excutere non valuere? nec in ruborem pallor est commutatus? Minime; *vbi enim fides fuit, non erat dolor:* non erat pallor, non rubor, sed eadem vultus serenitas, & frontis æqualitas. Sanè vt de vultus colore, ac rubore, dixit Senec. epist. 11. *Nihil aduersus hæc sapientia promittit, nihil proficit, sui iuris sunt, in iussa veniunt, in iussa discedunt:* placidissima tamen animi tranquillitas externum quoduis accidens velut alter olympus arcebat.

5. Ad hæc illud obserua, quod post Angeli orationem iubentis à sacrificando filio extentam manum referre, immediatè subiicitur, nimirum: *Leuauit Abraham oculos suos, viditque post tergum arietem inter vepres hærentem.* Nam negotium facessit leuasse illum oculos ad videndum ea, quæ & post tergum, & infra ipsius oculos erant subiecta. Sed si attendis, duplici verbo vtitur Scriptura, nec ad videndum arietem oculos leuasse, sed leuasse primum oculos, deinde arietem vidisse affirmat: planè, vt ostendat non prius ab immolando filio manū mentemque retraxisse, quam leuando ad Deum oculos testaretur, æquè se in vtrumque ob Dei obsequium esse paratū, & vt antea ad sacrificium perficiendum oculos leuauerat (sic enim vers. 4. *Eleuatis oculis vidit locum procul,*) indicans illius Deum auctorem esse, cuius ipse ductum sequeretur: ita modo eodem faciei habitu obtestatur, non nisi ex Dei præscripto à morte filio inferenda cessare; nec alium denuo animum, alium vultum, colorem alium habere. Imitabatur hanc animi firmitatem Chrysost. qui à suis æmulis, & præsertim ab Augusta exagitatus, damnatusque in exilium, sic suos alloquebatur, hom. 11. ex variis, tom. 5. *Christus mecum est, quem timebo? etiam si fluctus insurgat, etiam si totum pelagus aduersus me conturbetur, etiam si Principum furor: omnia mihi illa araneæ erunt, & araneis fragiliora, & nisi propter fragilitatem vestram hodie non dubitarem ire, quo vellent; semper enim dico: Domine voluntas tua fiat, non quod ille vult, vel ille, sed quod tu vis; tua voluntas mihi turris fortissima, & petra stabilis, & baculus fidus: si tu vis permanere mecum, hic habeo gratiam: si non vis, similem refero gratiam.*

6. Ita quidem videas egregios illos iuuenes, quibus atrocissimam mortem ferox Rex minitabatur ni eius statuam colerent, addita illa temeraria, & sacrilega voce: *Et quis est Deus, qui eripiet vos de manu mea?* Daniel. 3. 15. sic ei respondisse: *Ecce enim Deus noster, quem colimus potest eripere nos de camino ignis ardentis,* &c. *Quod si noluerit, notum sit tibi Rex quod Deos tuos non colimus.* Vbi maximè notanda responsionis prudentia dum vno ex capite affirmant, posse Deum ex omni periculo, & malo eos liberare: ex alio verò, reapse liberaturum, nec affirmant, nec exoptant, aut petunt; sed dum diuinam voluntatem non nouere, totum vitæ, mortisque momentum diuino arbitrio committunt, id sic ibi sub eorum persona considerante Theodoreto. *Ne ab his quidem malis temerè liberari petimus, sed ipsi omnem nostri gubernationem, & prouidentiam permittimus; & eius, quod futurum est ignari gubernatori nostro quocumque illi libuerit, nauem dirigendam committimus:* Et statim: *Cum sapiens sit, ei rerum nostrarum moderationem committimus, quamlibet iudicij eius sententiam, tamquam meliorem, nobisque vtiliorem libenter accepturi.* Pende singula: sed illa potissimum; *quocumque illi libuerit, nauem dirigendam committimus:* ac si dixerint, ad illum gubernare, iubere, omniaque pro libito disponere spectat, nobis obsequij gloria relicta est. Erat equidem, & hæc mens Nazianzeno; nam cum grauiter dolens quod morbi

Ad Galat. 2.20. — Chrysost. — Paulin. Ad Galat 6. 14. — 2. Ad Cor. 11.22. — Gen. 15.16. Ad Rom. 4. 18. — Gen. 22. D Zen. — Senec. — Gen. 22. 13. — Chrysost. — Dan. 3.15. — Theodoret. — Nazianz.

morbi grauitate impeditus sacra facere, & Passionibus Christi in Missæ sacrificio miscere nequiret, dixisset in Carm. ad diabol. in morbo.

Nec prorsus me sperne Pater, nec frange labore,
Nec me merge malis, nec mihi frena nega.
Punge precor stimulo, non hastâ: nec vel onustum
Immodice, aut vacuum me maris vnda ferat.

Rursus in se reuersus, ac se ipsum accusans, quod modum diuinæ voluntati imponere videretur; sic tandem orationem concludit.

At quid ego leges statuo tibi maxime diuûm?
Sum tuus: vt libeat me bone Christe rege.

Senec. A quo quidem sensu non longè ire videtur Seneca ep. 98. cum allatis ad muniendum animi robur in aduersis illis Virgilij verbis. *Dijs aliter visum*: subiicit: *immò me hercule, vt carmen fortius, ac iustius petam, quo animum tuum magis fulcias, hoc dicito quoties aliquid aliter, quam cogitabas euenerit: Dij melius.* Ita ibi, & epist. 107. *Imperetur æqualitas animo, & sine querela mortalitatis tributa pendamus. Hiems frigora adducit? algendum est. Æstus calores infert? æstuandum est. Intemperies cœli valetudinem tentat? ægrotandum est:* & post pauca: *Malus miles est, qui Imperatorem sequitur gemens.*

7. Obseruaui ad vers. 1. not. 2. n. 5. ex Chrysost. illa
Ps. 110.2. verba Psalm. 110.2. *Magna opera Domini, exquisita in omnes voluntates eius*, à nonnullis legi: *parata:* siue: *præparata in omnes voluntates eius:* Quæ modo sic capio, vt ad rationem operum Domini pertinear, ad omnem Dei voluntatem exequendã, siue in vtrumque hoc videlicet, vel contrarium potentia quadam obediẽtiali, vt meliores Theologi loquuntur, æque parata, & præparata esse, id quod inibi, sic
Chrysost. exornat Chrysost. *Non solum ea peragunt ad quæ constituta sunt, sed etiam si iusserit contraria, hic quo-*
Exod. 14. *que magna est obedientia. Iussit mari, & non solum non inundauit, quod est eius proprium officium, sed stratis suis fluctibus, vel petra firmius, & stabilius traiecit po-*
Dan. 3. & 6. *pulum Iudæorum: Fornax non solum non ardebat, sed rorem etiam præbebat sibilantem; feræ non solum non deuorabant, sed etiam Danieli erant loco satellitum.*
Iona. *Cete non solum non deuorauit, sed etiam saluum conseruauit depositum.* Hoc ergo operum, siue seruorum Dei propositum debet esse, vt ad salutem, & ad ægritudinem, ad honorem, & ad infamiam, ad vitam, & ad mortem eadem animi alacritate, & promptitudine parati sint. Adde: perfectam staturam siue magnitudinem seruorum Dei hinc desumi, siue è re magnitudinis ipsorum esse, vt ad Dei volũtatem, & nutum hac, illac voluantur, & circumrotentur: ideo dicebat Vates: *Magna opera Domini*, &c. hoc est, opera Domini, quæ magna sunt, siue vt debitæ magnitudinis specimen edant, præparata sunt in
Ezec. 1.18. omnes voluntates eius: Sic videas rotas illas Ezechieli ostensas, de quibus ipse c. 1.18. *Statura quoque erat rotis, & altitudo, & horribilis aspectus*; appellatas,
Eze. 10.13. *volubiles*: Ezechiel. 10. 13. quod in vtramuis partem, siue ante, & retro, ductum spiritus sequentes deuoluerentur. Dum verò rotæ currus gloriæ Dei tantæ altitudinis esse inducuntur, vt magnitudini vehiculi, proceritati quadrigæ (vt ibi notat Prado)
Prad. magnificentiæ solij, & aurigæ dignitati responderent, simul innuitur maiestatem, & magnitudinem Dei, non alios decere seruos, quam qui præcelsæ essent staturæ, & altitudinis, quam ad obediendum submitterent. Vndè quidem Bern. de cœlestis regni incolis, quos propter celsitudinem, montes: ob promptitudinem verò ad ductum Dei sequendum, oues appellat, sic pulchrè ait serm. 53. in Cantic.
Bernard. *Pleni quippe Deo, celsi meritis, cumulati virtutibus, nihilominus tamen erectos vertices tota, & humili obedientia submittunt, & inclinant, illius supereminentis imperio maiestatis, tanquam oues mansuetissimæ ad nutum sui pastoris per omnia ambulantes, & sequentes eum quocumque ierit.* En beatorum incessum. Vndè elicias, velim, illam in hac miseriarum sede opportunissimam beatitudinis imitationem esse, cum homo ad Dei nutum tam in aduersis, quam in prosperis se componit, & in vtrumque paratus est. Qua de re aurea hæc, & osculo digna, dixit bonus Philosophus Epictetus apud Arrian. lib. 3. dissert. Epictet.
cap. 26. *Constitui, & conformaui voluntatem meam diuinæ: vult me febricitare? Et ego volo: aliquid aggredi? volo: potiri? volo: non potiri? nolo: mori? volo.* Inde sic infert: *Quis iam prohibere me, aut cogere voluntatem potest, non magis, quam ipsum Deum?* Bene omnino, nam qui Deo vndequaque subditus, nec nisi quod illi placet vult: & instar Dei est, & extra telorum iactum, atque humanæ violentiæ impetum se constituit.

Quæ verò ethnicus Epictetus dixit, sic in sacris 8.
confirmantur, vt homo ad Dei leges, & nutum in aduersis compositus, nec ab ipso Deo superari posse dicatur: Sic enim Gen. 32. 25. de Deo cum Iacob Gen. 32.25.
tota nocte, hoc est, in tribulatione (quæ noctis phrasi significatur, vt Patres passim monent, præsertim Ambr. ser. 7. in Psal. 118.) luctante. *Qui cum* Ambros.
videret, quod eum superare non posset, &c. Pende verba, quæ ipsa luctæ nocte obscuriora dixeris: Quid enim imbellis, imò imbecillimi homuncionis vires, si eum insuperabili, & stupendo Dei robore cõponantur prævalere possint? Cur ergo non superet? obruat? opprimat? Vis dicam? Quia Deus Deum non superat. Equidem cum Deus hominem exercet, & per tribulationes probat, luctatur cum eo, eumque ad speciem velle deiicere videtur; sed cum ipse illius gratia munitus firmiter se tenet, nec ab eius præscripto, mente, & voluntate discedit, idem quodammodo cum eo fit. Nam, *Qui adhæret Deo, vnus spiritus est* (Syriacè) *fit*, supple, cum eo. 1. ad 1. Ad Cor.
Cor. 6.17. ergo qui Deum oppugnatorem, idem & 6.17.
Deum propugnatorem, & subsidiarium, & ad eius etiam voluntatem formatum habet, iam cum Deus probando, & exercendo, potentior, quam auxiliando, & salutem impertiendo non sit, immò verò ipse, Deus saluos faciendi, siue Deus ad salutes, qui videlicet diuinitatis signum notamque penes beneficentiam constitutam habeat necessaria ratione concluditur eum, qui ipsi adhæret adeò superandum non fore, vt à lucta, è Iacob Israel, hoc est, *præualens Deo*, siue vt alij volunt: *dominans Deo*, euadat.

Hinc iam pusillos, atque degeneres; & vt pro- 9.
prius dixerim muliebres hominum animos placet arguere, qui aliter ab illis, de quibus superius dicebar August. *Sunt homines, qui cum patientia moriun-* August.
tur, sunt quidam perfecti, qui cum patientia viuunt: Nec patienter quidem moriuntur: nec patienter viuunt. Quos vtroque ex capite sapienter reprehendunt Cyprianus, & Hilarius, hic impatienter viuentes; ille ægre, & grauatim morientes. Audi vtrumque. *Si quid aduersi accidit* (inquit Hilar. in id Psal. D. Hilar.
118. iustus es Domine, & rectum iudicium tuum.) *prona in Deum querela est. Deum enim inter damna sua auarus accusat, Deo cum inuidia fletuum suorum orbatus irascitur, Deo iniustitiam, qui ad confessionis gloriam persecutionibus probatur, exprobrat: vniuersorum stultissima hæc querela est, cum iniustitiæ Deum per impatientiam impij doloris accusant: & idcirco Propheta subijcit: dicens.* Tabescere me fecit zelus tuus, qui obliti sunt verborum tuorũ inimici mei. Iam Cypr. serm. 4. de Mortalitate. *Hoc nitimur, &* Cyprian.
reluctamur, & peruicacium more seruorum ad conspectum Domini cum tristitia, & mœrore perducimur, exeuntes istinc necessitatis vinculo, non obsequio voluntatis.

tatis; & volumus ab eo pramiis cœlestibus honorari, ad quem venimus inuiti? Senec. Quòd si integram Senecæ fidem tribuis, videas ipsum tam verbis, quam exemplo his Patribus consentientem, epist. 96. *Non feram me quo die aliquid ferre non potero. Male valeo? pars fati est: familia decubuit? fœnus offendit? domus crepuit? damna, vulnera, labores, metus incurrerunt? solet fieri, hoc parum est, debuit fieri: decernuntur ista, non accidunt: si quid credis mihi intimos affectus meos tibi cum maximè detego, in omnibus, quæ aduersa videntur, & dura sic formatus sum, non parco Deo, sed assentior: ex animo illum, non quia necesse est sequor. Nihil vnquam mihi incidet, quod tristis excipiam, quod malo vultu, nullum tributum inuitus conferam.* Ita Seneca.

Ambr. Sed multo melius Ambros. orat. de Fide Resurr. pendens regiam Dauidis æquanimitatem in teneri infantis, tenerrime dilecti morte; quam illis verbis 2. Reg. 12. expressit, 2. Reg. 12. *Ego ibo ad eum, ipse non reuertetur ad me*: sic exclamat. *O miram patientiam seruientis, vt nemo sibi aduersi aliquid accidisse indignè ferat, & contra meritum suum se queratur afflictum! Quis enim tu es, qui de tuo merito ante pronuncies? Cur præuenire desideras cognitorem? Cur eripis sententiam iudicaturo? Nec sanctis istud permissum est, nec à sanctis impune vnquam est vsurpatum.* Vide reliqua.

10. Vt verò videas hos Deo renitentes, & obluctantes pusillo, & muliebri animo esse: audi, quid defuncto Lazaro, Christo Martha locuta, siue oblo- Ioa. 11. 21. cuta fuerit, Ioan. 11. 21. *Domine si fuisses hic, frater meus non fuisset mortuus.* Audin? *Si fuisses hic:* ac si tacitè (reuerenter tamen, non inficior) reprehenderit Dominum, quod seriùs, quàm oportebat, Cyril. aduenerit, vt ex Cyrillo, & Ruperto inibi obseruat Rupert. Maldon. Maldonat. Et verò itidem pene omnes facimus, adeò intemperanter de aduersis dolemus, & nostrorum mortes tam immodicè flemus, vt quod dicebat Hilarius, iniustitiæ Deum per impatientiam impij doloris accusare videamur. O diros mortalium sensus, qui Deum reprehendere auderis, & de Cyprian. illo emendando potius, quam de vestris excessibus corrigendis cogitatis! Bene rursus Cyprianus. *Meminisse debemus, voluntatem nos, non nostram, sed Dei facere debere, secundùm quod Deus nos cottidie iussit orare: Quàm præposterum est, quamque peruersum, vt cum Dei voluntatem fieri postulemus; quando euocat nos, & accersit de hoc mundo Deus, non statim voluntatis ex imperio pareamus.* Senec. Acrius Senec. epist. 98. *Hic est magnus animus, qui se Deo tradit; at contra ille pusillus, & degener qui obluctatur, & de ordine mundi male existimat, & emendare mauult Deum, quam se.* Ita ille.

11. Est verò ad hanc rem opportunus locus Ezech. Ezec. 8. 14. 8. 14. Vbi cum Vati ab Oraculo demonstrati essent septuaginta ex primoribus ciuitatis viri, qui ante execrandas idolorum picturas ambitioso cultu thura supplices adolerent; ecce denuo clamantem Dominum ad Prophetam: *Adhuc conuersus videbis abominationes maiores, quas isti faciunt.* At maiorane superesse possunt monstra? Fœdius ne aliquid humanis oculis obiici potest? Ita certè. Audi; *Et introduxit me per ostium portæ domus Domini, quod respiciebat ad Aquilonem, & ecce ibi mulieres sedebant plangentes Adonidem*; vides abominationes maiores, quas, *isti*, in mulieres conuersi faciunt? dum idola adhuc extincta, & à Deo benignissimo Patre ad ipsorum salutem, è manibus extorta subinde adorant, & muliebri animo immodicissime deflent: sanè, quòd pusillo, & degeneri animo, obluctantes de ordine mundi, vt dicebat Seneca, male existimant, & cum Deo quasi de iure contendentes, emendare malunt ipsum, quam se. Quam alia mens Senec. Gentili Demetrio! apud Senecam cum Deo, sic piè, & vrbanè decertanti. *Hoc vnum dij immortales de vobis queri possum, quod non ante mihi voluntatem vestram notam fecistis, prior enim ad ista venissem, ad quæ nunc vocatus adsum, vultis liberos sumere? illos vobis sustollite; vultis aliquam partem corporis? sumite; non magnam rem promitto, cito totum relinquam; vultis spiritum? Quidni? nullam moram faciam, quominus recipiatis, quod dedistis: à volente feretis, quidquid petieritis: Quid ergo est? maluissem offerre, quam tradere; quid opus fuit auferre? accipere potuistis; sed ne nunc quidem auferetis, quia nihil eripitur nisi renitenti. Nihil cogor, nihil patior inuitus, nec seruio Deo, sed assentior*: Hactenus sub persona Demetrij Seneca, qui indidem de bonis viris dixerat: *Impendunt, & impenduntur, volentes quidem; non trahuntur à fortuna, sequuntur, illam exæquant gradu; si scissent, antecessissent.* Sed meliora inuenies apud Ambr. serm. 7. Ambr. in Psalm. 118. sub hoc sensu explicantem sponsæ verba Cant. 3. 1. *In lectulo meo per noctes quæsiui,* Cant. 3. 1. *quem diligit anima mea.* Vide illum.

ADNOTATIO II.

Christum apud eum viuere, qui sibi non viuit.

SED vt superiorem Patrum expositionem etiam 1. elucidemus, illustris Pauli iuxta ipsam sensus illustrior redditur ex illis eiusdem Apostoli verbis ad Gal. 2. 20. *Viuit in me Christus*, & c. 6. 14. *Mihi* Ad Galat. 2. 20. *mundus crucifixus est*, quæ cum his, *Mihi viuere* Et c. 6. 14. *Christus est*, componunt. & expendunt, & quidem Bernard. Bernard. serm. 7. de Quadragesi. sic ea capit, ac si diceret. *Ad alia quidem omnia mortuus sum, non attendo, non curo, si qua verò sunt Christi, hæc viuum inueniunt, & paratum.* Similiter Nyssen. in expositione Nyssen. literæ num. 2. adductus: hinc bene hæc inter se cohærent, vt siquidem mundo mortuus, cruci que suffixus Paulus sit, nec alia ipsi, nisi, *in cœlis conuersatio*, esset (ad Philip. 3. 20.) Christus apud ipsum non Ad Philip. 3. 20. modo mortuus non sit, vt explicabat Origenes, sed vt cordis inquilinus viuat, propriamque sedem, & domicilium in quo inhabitet, habeat. Pulchrè enim dixit Nazianz. Carm. 8. quod est de virt. hum. Nazianz.

Namque salutifero templum tunc denique Christo
Condimus, æthereum cum mens cita fertur ad axem.

Consentit quidem ipsemet Dominus, Leuit. 26. 12. Leu. 26. 12. inquiens. *Quoniam inhabitabo in illis, & inambulabo inter eos:* Vbi emphasim habet, Dominum non solum inhabitare, sed inambulare in fideli pectore, tanquam in laxa & magnifica domo, signatè polliceri. Vndè Hieron. in Psalm. 133. sic premit hæc ver- Hieron. ba. *Vide anima sancta, quam grandis sit: inhabitabo, inquit, sed fieri potest, vt aliquis angustè inhabitet:* Inhabitabo, & deambulabo in eis: *Vbicumque deambulat vtique lata domus est.* Similiter Ambr. serm. 7. Ambros. in Psalm. 118. *Alij queruntur de sui ruris angustiis, in te Deo est ampla possessio, in quo deambulare se dicit, hoc est, laxa spatia habitationis inueniens, qui terram includit manu, sic enim scriptum est*, Isai. 40. Quis mensus est manu aquam, & cœlum palmo, & vniuersam terram clausa manu: *Cui mundus angustus est, tu ei ampla es domus.* Ita Ambros.

Sed inquis quî fieri possit, vt homo exilis, & 2. minutula res, ampla Deo habitatio sit? nonne terra, vt defuncto Christo pararet sepulturam, de suo loco mota est? vt tanto hospiti spatiosiorem sinum, & habitationem exhiberet? rem ita obseruante Hilar. Hilario, Can. 33. in Matth. *Mouetur terra, capax enim huius mortui esse non poterat.* Terra igitur, quanta quanta est, defuncti Christi capax non fit, ideoque mouetur, & à semetipsa desciscit; & putabimus

tabimus hominem ad habitaculum Deo viuenti præparandum, per quod deambulet, atque expatietur suffectūrum? Ita sanè, si homo terram imitetur; atque vt illa moueatur, & à terrâ terrenisque curis obuiam Christo exeat. Vnde huc intentus opportunissimè fideles monebat Ambrosf. lib. 7. in Lucam, (Ambros.) vt ad morem Iacobi, & Ioannis filij tonitrui efficerentur. Sed quonam modo? Audi. *Esto filius tonitrui. Dices, quomodo possum esse filius tonitrui? Potes esse, si te terrena non moueant, sed ipse potius ea quæ terrena sunt, mentis tuæ virtute concutias. Tremat te terra, non capiat; vereatur caro potestatem animi tui, & concussa subdatur.* Benè quidem: *tremat te terra, non capiat*, ne videlicet terrenis subditus, siue illigatus, imò nec iis locum faciens, sed illa procul amouens amplissimum Deo habitaculum in corde tuo præpares: sed hanc ad rem, sic luculenter loquitur Bernard. in alleg. Gotfrid. Tilm. ad cap. 6. Ierem. (D Bernard.) *O quanta illi animæ latitudo? quanta & meritorum prærogatiua? quæ diuinam in se præsentiam, & digna inuenitur suscipere, & suscipiēs capere? Quid illa, cui & spatia suppetunt deambulatoria ad opus maiestatis? non est profectò intricata forensibus causis, curisue sæcularibus, nec ventri, & luxuriæ dedita; nec curiosa spectandi, seu cupida omnino dominandi, vel etiam timida dominatus: oportet namque primo his omnibus vacuam esse animam, vt cœlum fiat, atque habitatio Dei: sed & odio, siue inuidia, aut rancori, minime prorsus indulgendum.* Ita ille.

3. Expressit id apposita locutione Regius Vates, Psal. 60. 2. (Psal. 60. 2.) inquiens: *à finibus terræ ad te clamaui, dum anxiaretur cor meum.* Sed ibi iure ambigas, quomodo Dauid à finibus terræ, quos ipse nunquam inuisit, clamare dicatur? Num enim aliquando ipsum apud Indos, & Sinas, siue etiam apud Septentrionas commoratum audisti? Equidem adeò non habitauit vnquam in finibus terræ, vt potius, *in medio terræ*: (hæc enim Iudææ regio, ipsomet attestante Psalm. 73. 13.) (Psal. 73. 13.) degerit. Porrò, arcana est, & figurata Prophetæ locutio, sub qua corpus suum, siue potius terrenam substantiam, terram appellās, innuit, à semetipso quodammodo exiisse, & carnalibus desideriis renunciasse, vt amplius, laxiusque in animo suo Deo habitaculum præpararet: vti ad ea verba sic considerauit Hilarius: (Hilar.) *Non hic extima solitudinum, aut contigua Oceani incolebat, quia à terræ finibus anxio corde clamabat; sed sciens se in carne quidem, quæ terra est degentem iam in fine carnis habitare: dum secundum Apostolum: Habitans in corpore peregrinatur à Domino: dum viuens iam non sibi viuit, sed viuit in eo Christus.* Sic Hilar. (2. Ad Cor. 5. 6. Ad Rom. 14. 7. Ad Gal. 2. 20.)

4. Sub quo quidem sensu dicebat idem Vates, Psal. 131. 18. (Ps. 131. 18.) *Paraui lucernam Christo meo*, hoc est, vt Domino in corde meo locum facerem, corpus & animum à terrenis sordibus, & impedimentis mundare studui, non secus, ac is, qui lucernam cupit accendere, vt oleo locum faciat, quidquid aliud sit foras mittit. Ita Ambr. Octon. 14. in Psalm. 118. (Ambros.) *Corpus suum, quod erat ante limosum, & cœno hæreditariæ colluuionis obstructum, vt oleum spirituale recipere possit, Christo parauit, vt luceat.* Vndè idemmet Dominus ad Iudæos hunc diuinæ sapientiæ locum terrenis cupiditatibus impedientibus dicebat, Ioan. 8. 37. (Ioan. 8. 37.) *Sermo meus non capit in vobis.* Sed cur non capiat? Num loci spatij commensuratur? & spirituale dimensionem accipit? aut Deus penetrare, aut illabi quo velit non valeat? Denique & huic rationi, sic illi, quæ ipsorum maligna subtilitas erat, obuiam ire possent: si sermo tuus in nobis non capit; tua, non nostra culpa est. At enim vero his omnibus, sic respondet gentilis Senec. epistol. 88. (Senec.) *Magna, & spatiosa res est sapiētia, vacuo illi loco opus est.* Et post nonnulla: *Hæc tam multa, & tam magna, vt habere possint liberum hospitium, superuacua ex animo tollenda sunt. Non dabit se in has angustias virtus: laxum spatium res magna desiderat: expellantur omnia: totum pectus illi vacet.* Vndè Syriaca lectio (Syr. Lect.) Christi verba sic expressit: *Sermoni meo capiendo non sufficitis*: ac si diceret: vestra quidem, hæc non mea culpa est; quippe qui pectus terrenis sordibus, & impedimentis plenum, animūque, vt bonis sęculi addictum, ita cœlestium incapacem habetis. *Angusta enim peccantium sunt corda* (Hilar. in Psal. 118. (D. Hilar.) premens præfata verba, & inambulabo in eis:) *Et hospitio Deum mens polluta non recipit. Patulum enim domicilium inconceptibili Deo opus est: & idcirco in amplitudine propheta ambulat.* Sic ille.

5. Vndè rursus Psalm. 118. 112. (Ps. 118. 112.) aiebat Dauid: *Inclinaui cor meum ad faciendas iustificationes tuas.* Sed obserua Hilarium, (Hilar.) & alios, verbo omnino opposito legere, *declinaui cor meum*, quæ malè inter se conuenire dixeris, nam si in Deum cor inclinat, qui declinat? si declinat, non potest inclinare. Subsistit tamen vtraque lectio, & altera alteri manum dat, & se mutuo explicant. Etenim vt cor ad faciendas iustificationes, & in Dei habitaculum inclinetur, necesse est, vt à se ipso, à naturæ concupiscentiis, ab amore sæculi prius declinet, aliter enim sermo Dei non capiet in eo, siue ipsum diuino sermoni capiendo non sufficiet. Id sic ibi obseruante Hilario: (Idem.) *Cor suum ipse declinat, & ex natura humanæ peccatis in obedientiam Dei inflectit. Natura quidem, & origo carnis sua eum detinebat: sed voluntas, & religio cor eius ex eo, in quo manebat originis vitio, ad iustificationum opera declinat.* Firmat hæc egregia Salomonis sententia, Ecclesiastes 10. 2. (Eccl. 10. 2.) *Cor sapientis in dextera eius, & cor stulti in sinistra eius.* Vbi ex Hebræo verti potest; vti & LXX. (LXX.) legerunt. *Cor sapientis ad dexteram, & cor stulti ad sinistram*: Supple propendet, inclinat. Sed negotium aliquale facessit, eam in fauorem sapientis metaphoram vsurpatam à Salomone, quæ rerum naturis, & cordis humani conditioni contraria sit; laudat enim sapientis cor, quòd ad dexteram inclinet, cum certo sciamus, ipsum ad læuum latus propendere, vt Anatomici docent, & Galenus, lib. de Anat. viu. p. 1. cap. 1. sic fatetur. (Galen.) *Cordis declinatio aliquantulū est ad sinistram partem, vt amplificet locum hepati.* Et 7. de Anat. adm. *Motus cordis indicat, quasi in parte sinistra potius collocatū sit:* Sed quidem elegans subsistit Salomonis sententia: nam cum dextera in sacris pro veris animæ bonis: sinistra pro temporalibus, & caducis (vt ibi monent Hieronym. & Gregor. Neocæsar. (Hieron. Greg. Neocæsar.) quibus præiuit Paraphrastes Chaldæus) sumantur: & si opportunius loquaris, dextera semitam spiritus, sinistra carnis viam significent; ille tantum modo ex Salomonis sententia diuinæ sapientiæ habitaculum præparasse dicitur, qui carni, & concupiscentiis, vitæque secundum naturalem nobis ex veteri homine insitam propensionem vim affert, sinistros contra spiritum ex carne motus comprimens, voluntatisque affectus ad spiritus leges, & normam inflectens; ille verò stultus, qui carnem sequitur, naturæque ac genio indulget. Vndè vt in Deum cor nostrum inclinet, à se ipse declinet necesse est.

6. Qua quidem mente prædita sic suspirabat Sponsa, Cant. 8. 1. (Cant. 8. 1.) *Quis det te fratrem meum sugentem vbera matris meæ, vt inueniam te foris, & deosculer te?* Vbi primum expendo Hebræam lectionem, (Heb Lect.) quæ pro primis verbis habet. *Quis det te vti fratrem mihi?* hoc est, vt fraterno amore, qui omnium est

est maximus, me complectaris. Deinde placet dubitare; quid sit *inueniam te foris*: vbi enim Deus foras exeat? Quod si ab sponsa foris quærendus, & inueniendus dicatur; magis ambigo, cum anima sub persona sponsæ aptius intus, siue in penetralibus Deum quærere inducatur: Occurrit tamen dubio
Ambros. Ambros. lib. de Isaac, & animâ, cap. 8. sic hæc capiens, vt anima foras à se ipsa, hoc est, à propria voluntate, & terrenis affectibus exeat, vt bono hospiti locum faciat. Ita enim ille: *Bona anima, quæ foris est, vt Verbum intus sit; illa extra corpus, vt Verbum habitet in nobis.* En Deum vti fratrem animæ, si illi amplum spatium vbi inhabitet intra te præpa-
LXX. rasti. Vndè LXX. sic reddunt: *Inueniens te foris, osculabor te; & quidem non spernent me*, ac si dicatur, si hoc modo foris, & extra corpus fuero; non dubitabo tecum familiarissimè agere, quin ab iis, qui pleno pectore sapiunt spernar.

7. Sed præfata Leuitici verba in hanc sententiam
2. Ad Cor. 6.16. censu aucto adduxit Paulus, 2. ad Cor. 6.16. vbi incontaminatissimam puritatem à fidelibus exigens, ipsos Dei viui templum, ex his verbis sic appellat. *Vos enim estis templum Dei viui, sicut dicit Dominus, quoniam inhabitabo in illis, & inambulabo inter eos.* Est autem templi imago in hanc rem maximè obseruanda. Videtur enim à Paulo allusum ad miram illam Salomonici templi fabricam, quod significantissimè ad Dei habitationem constructum dicitur. In quo illud inprimis velim obserues, pauimentum
3. Reg. 6. 30. fuisse auro contectum: sic enim 3. Reg. 6. 30. *Sed & pauimentum domus texit auro intrinsecus, & extrinsecus*: nimirum, vt Dei pedibus inibi inhabitantis, & inambulantis, non nisi charitatis aurum respondeat: vndè in encæniis, quod dedicationis
Ioa. 10. 23. festum erat, notanter inquit Ioannes cap. 10. 23. *Et ambulabat Iesus in templo in porticu Salomonis*: sed quare non tam existere, seu stare, quam ambulare
Ambr. dicatur? respondet Ambros. lib. 3. de Spirit. sanct. cap. 18. *In porticu Salomonis deambulat, dedicationis, vt legimus, die, hoc est, in pectore sapientis, atque pacifici deambulat Christus, eius sibi dedicaturus affectus.* Ac si dixerit, ideo deambulat, & per totam porticum expatiatur, vt totum sibi animum vendicet, omnesque eius affectus sibi dedicet. Quò etiam refertas cardines ostiorum templi ex auro, arcana hac
3 Reg. 7. 50. significatione fuisse, 3. Reg. 7. 50. vt Domino templi sui introitum, & exitum custodiente, cuncta illius oratio, & operatio, cura, deliberatio, studium ab ipso semper incipiat, & per ipsum, & ad eius gloriam cæpta finiatur; ad eum quidem modum, quo Noe tam ad arcæ ingressum, quam ad egressum diuinum nutum attendit, & expectauit, quia
Ambr. *iustus* (inquit Ambr. lib. de Noe, & arca, cap. 21.) *nihil sibi arrogat, sed totum se committit diuino imperio*: & verò adeò ligatum se hâc lege profiteba-
Augustin. tur Augustin. lib. 10. confess. cap. 1. vt ipsummet suæ respirationis cardinem ex auro construxerit, vni Deo respirans. *Flagrasti* (inquit) *& duxi spiritum, & anhelo tibi.* Nec aliud quidem præseferre videtur lapis ille, *magnus valde*, Christi sepulchro
Marc. 16. 4. impositus, Marc. 16. 4. nam Hilario auctore, Can.
Hilar. 33. in Matth. de eo monemur, ne in cordis nostri penetrale, quod totum vnus Iesus occupare debet, alienam, seu sæcularem aliam curam ingredi sinamus. Sic enim ille. *Et quia nihil est, quod præter eum oporteat in pectora nostra penetrare, lapis ostio aduoluitur, vt quia nullus antea in nos diuinæ cognitionis auctor fuerat illatus, nullus absque eo postea infe-*
Basil. *ratur.* Lege similia in Basilio in reg. fus. disputat. cap. 5.

8. Pergit vero Paulus, & externa etiam corporis membra templum Dei facit, 1. ad Corinth. 6. 9. in- 1 Ad Cor. 6.9.
quiens. *An nescitis, quoniam membra vestra templum sunt Spiritus sancti, qui in vobis est?* Videlicet, vt non solum animus, internæque ipsius facultates, ac potentiæ, sed externi simul sensus, & membra Deo vacent, vt in illis viuat, inhabitet, & obambulet. Vndè Tertullian. lib. de cult. fœmin. cap. 1. scitè huic Tertull.
templo pudicitiam æedituam apposuit, quæ per externas portas, siue fenestras, nec minimas sordes ingredi permitteret. *Nam cum nos omnes templū simus Dei, illato in nos, & consecrato Spiritu sancto, eius templi æditua, & antistes pudicitia est, quæ nihil immundum, nec prophanum inferri sinat; ne Deus ille, qui inhabitat, inquinatam sedem offensus derelinquat.* Equidem hæc doctrina sanctissimo Parenti meo, S. Ignat.
adeò perplacuit, vt in societatis regulas transmiserit, atque his verbis ea nos de re in Constit. 3. part. cap. 1. §. 4. admonuerit: *Omnes diligentissimè curent portas sensuum suorum, oculorum præcipuè, aurium, & linguæ ab omni inordinatione custodire, ac se in pace, & vera humilitate interna conseruare: & eam in silentio, cum id obseruandum est, cum autem loquendum in circumspectione, & ædificatione verborum, & modestia vultus, ac maturitate incessus, motuumque omnium, sine vllo impatientiæ, aut superbiæ signo exhibere.* Hæc prudentissimus institutor noster, quæ eò mihi magis placent, quòd non vnam tantum æedituam, sed plures, ac rigidiores custodes singulis huius templi ianuis præscribat, ne aliquâ earum minutissimum quoduis erratum egrediatur, aut ingrediatur; vel leuis cogitatio, aut motus in templo Dei, qui de Deo ipso non sit, aliquomodo inueniatur.

Quod si attendis, huc eunt, tam palmæ in Salo- 9.
monici templi parietibus insculptæ, quàm cruces in Christianis ædibus cum consecrantur depictæ. Vtraque enim imago egregias denotat victorias, quas de concupiscentiis: *quæ militant in membris* nostris, Iacob 4. 1. reportamus, vt apud nos Christus Iacob 4. 1.
viuat. Certè Abbas Isai. orat. 16. de Gaudio animæ, Abb. Isai.
cum dixisset: *Crux enim Iesu, est omnium cupiditatum, donec eas deleueris, insectatio*, Subiicit: *Itaque beatus Apostolus, qui eas contriuerat, audebat dicere*; cum Christo confixus sum, viuo autem, iam non ego: viuit autem in me Christus: *In illis igitur, qui* Ad Galat. 2.10.
cupiditates destruxerunt, viuit Christus. Erat quidem Nazianz.
& hic Gregorij Nazianz. sensus orat. 25. fideles inde Dei viui templa compellantis, quod victimæ, sacrificia, & holocausta per concupiscentiarum, nimirum, abnegationem, essent. Sic enim ibi. *Hi domos habent, nos hospitem; hi templa, nos Deum: idque præterea, quod viua viuentis Dei templa sumus, victimæ viuæ; holocausta ratione prædita, sacrificia perfecta*: En cruces, en palmas parietibus templi insculptas; en inquam victorias, atque trophæa in membris nostris de noxiis concupiscentiis reportata, vt viuat in nobis Christus.

Videas hinc, Christum, vt in aliquorum animis 10.
viuus sit, eo modo quo hæc Pauli verba capiebat Origenes, at in ipsis non viuere, siue eorum municipem, & hospitem esse; esto enim inibi inhabitet, sed non ita magnificè, & auguste, vt per animum, per interiores facultates, per externa membra commode versari, expatiari, atque inambulare possit; ita quidem de Israelitica plebe Dei monitis non plene acquiescente, sed iam hæc, iam illa concupiscente, dixit Dauid Psalm. 77. 46. *Et conuersi sunt,* Psal. 77. 46.
& tentauerunt Deum, & Sanctum Israel exacerbauerunt Vbi pro, *exacerbauerunt*, Hebraice est: *Situach*, id est, *signauerunt*: Definitum terminum statuerunt, siue fines illi, quos non egrederetur circumscripserunt. Sane, sic plures cum Deo se gerunt: parant

parant quidem illi hoſpitium: ſed adeò arctum, & anguſtum, vt carcerem potius appelles; volunt, vt apud ſe viuat, ſiue potius, vt viuus ſit, dum grauius in ipſum non peccant, at nolunt ipſum per ſenſus, per membra, per oculos, aures, linguam expatiari; quod his pro libito non pro Dei obſequio vti volunt. Accinit apposita ipſiuſmet in hominis animo
Zach. 11.8. inhabitātis hoſpitis, hâc de re locutio, apud Zachar. c. 11. 8. *Et contracta eſt anima mea in eis; ſiquidem & anima eorum variauit in me.* Quibus verbis præter explicationem verſ. 6. adnot. 4. n. 3. illis datam hunc modo ſenſum reddo, vt de humani cordis an-
11. guſtiis eius municeps, ac hoſpes ita conqueratur, ac ſi dixerit, adeo ei anguſtum in illorum animis habitaculum eſſe, vt in arctum, & quaſi in exiguum domus angulum redactus ſit: Hebræum enim verbum pro quo noſter poſuit, *contracta eſt*, vt bene ibi notat Ribera, ſignificat, coanguſtare, conſtringere, cogere.
11. Sed cur contractus, ſiue coanguſtatus, & in arctum redactus Dominus ſit? *Siquidem anima eorum variauit in me.* Quomodo variauit? Hebraicè
Pſ. 118. 28. eſt, *tædio affecta eſt in me.* Quid verò id fuerit, explicat nobis Dauid, Pſalm. 118. 28. inquiens: *Dormitauit anima mea præ tædio*: vbi, & pro, *tædio*, Græcam vocem ſignificare, *acediam*, hoc eſt, torporem,
D. Hieron. Amoroſ. ſiue teporem; & pro, *dormitauit*, Hieronymum, & Ambroſium legere, *ſtillauit, ſiue diſtillauit*: quod ad minora ſit errata referendum, latius dixi verſ. 11. adnot. 2. num. 12. Sed hanc Dauidis explicationem,
Cant 5. 2. ſic ſub Sponſi perſona cōfirmat Salomon, Cant. 5. 2. *Aperi mihi ſoror mea, amica mea, colūba mea, immaculata mea, quia caput meum eſt plenū rore, & cincinni mei guttis noctium*. vbi ſic inquiras; qui vna ex parte tam familiaribus nominibus ſponſam appellet Dominus? ex alia verò ad eius fores excubans, capite, & cincinnis, nocturnis guttis madefactis; ac ſi ab interiori ſponſæ penetrali abſens, & eliminatus ſit inducatur: quæ non benè inter ſe cohærere dixeris; reſpondebo: viuum quidem in corde ſponſæ Chriſtum eſſe; id enim tam blandæ appellationes oſtendunt; at enim verò in totam animi domū non omnino ſuſceptum, nec ab ſponſā in penetrale cordis admiſſum, quippe quæ, & à feruore in ſponſum
Ariſtotel. tepefacta (id enim imago roris ſignificat; nam cum is Ariſtot. auctore lib. 3. met. ſum. 3. c. 1. non niſi iis temporibus, in quibus tranquilla, & temperata nox eſt, videlicet, quando nec vehemens frigus, nec magni æſtus ſunt, decidat, eos denotat, qui nec ob graue peccatum frigidi, nec ob ardentiorem charitatem feruentes, ſed tepidi, ac negligentes ſunt) & leuioribus erratis obnoxia fuerit, vnde non poteſt non conqueri ſponſus, & ab animā efflagitare, vt ſic eum intus recipiat, vt per totam domum expatiari,
Ambroſ. & obambulare poſſit. Quo faciunt Ambroſij verba præfato loco à nobis adducta: *Noli ergo bono amatori facere moras, cito recedit, & tu ſomno corporis tui videris excluſiſſe pulſantem: excludis enim cum deſidioſus es, & ſi ſobrius ſis, caue ne negligens ſis.* Nec aliter Chryſoſtom. ſerm. de Natiuitate Domini, ex variis in Lucam. *Nec enim ſponſus inuenitur à dormientibus, neque ſe coniungit, niſi vigilantibus.* Sed hæc id melius confirmat, quod toto corde, tota anima, tota
Deut. 6. 5. mente Deus diligendus præſcribatur Deuter. 6. 5. Quid autem hæc tam exacta, & accurata diligendi
Ven. Bald. formula ſibi velit, ſic explicat Venerab. Balduin. in allegor. Gotfr. Tilm. vt Dei amor non ad cordis limen conſiſtere, ſed omnes illius cellulas (multas enim illud, multos etiam angulos noſcitur habere,) peruadere dicatur, vt ab illis noxias omnes concupiſcentias, & ſordes; (nam vbi angulus, ibi ſordes)

Velazqu. in Epiſt. ad Philippenſ.

eiiciat. Et verò ſponſi monitis omnino acquieuit ſponſa. Sic enim inibi verſ. 6. *Anima mea liquefacta eſt, vt locutus eſt.* Id, quid fuerit, ſic pulchrè explicat Ambroſ. lib. de Iſaac, cap. 6. *Denique ſtatim* Ambroſ.
alius profectus verbi tranſeuntis, quia exiuit anima in verbo eius, hoc eſt, verbum eius ſecuta, exiuit de corpore, eleuans ſe de eius habitaculo, & peregrinam ſe faciens ei, vt adeſſet Deo, & eſſet ciuis Sanctorum. En amplum Deo habitaculum.

ADNOTATIO III.

Non aliter ad mortem obeundam aptè quemquam cenſeri diſpoſitum, niſi cum in eius animo mundus aruit, & contemptui habetur.

ILLVD deinde in præfatā Patrum expoſitione 1.
pulchrè hęret, quod Paulus, & humana omnia opes, ſalutem, vitam, & quidquid ad ipſam ſpectat faſtidire, ac contemptui habere, & mortem, vt lucrum æſtimare, dicatur: nimirum illa potiſſimum moriendi opportunitas, ſiue ad obeundam mortem optima diſpoſitio eſt; cum procul ab animo terrena omnia pulſa, & repulſa ſunt: tum quia vt
ſcitè Bernard. ſerm. 2. in die SS. Petr. & Paul. *Omnino neceſſe eſt vitæ præſentis finem futuræ cohærere principio, nec ibi tolerabilis diſſimilitudo eſt*: ſubdit aptam imaginem: *Sicut enim ſi quis duo ſibi (vt ita dixerim) cinctoria conſuere, aut colligare voluerit, minus de reliquis partibus curans, ipſa quæ ſibi copulanda ſunt capita vniformiter parat, ne diſſideant à ſe ipſis:* Tum etiam, quod ad mortis amaritudinem conſopiendam opus quidem eſt, vt terrena prius ab animo expellantur; atque amara nobis, & acerba fiant; notum eſt enim, duo inter ſe commixta amara, acrem, ac mordacem qualitatem mutuo attemperare, ſuamque amaritudinem infringere. Quā ſanè de cauſa in Chriſto Domino ſingillatim, obſeruauit Ioannes cap. 19. 30. acetum ante mor- Ioan. 19 30.
tem ebibiſſe: eoque hauſto pronunciaſſe: *Conſummatum eſt*: ſiue vt legit Syriacus: *Ecce conſummatum eſt.* Sanè, vt diuinum illud viuendi, moriendique exemplar, nos admoneret, humanarum rerum contemptum, nauſeam, & amaritudinem, morti præire debere, vt perfecti, & conſummati ad mortem obeundam, eſſe videamur.

Videas hinc fidelem, ac pium regem Ezechiam, 2.
ab impio, & gentili Agag in Stoico ſenſu non perſentiendi mortis aculeos pene ſuperatum; dum ille de obitu ſuo certior redditus: *fleuit fletu magno* 4. 4. Reg. 20. 3.
Reg. 20. 3. adeoque grauem mortem cenſuit, vt omnis ſuperioris vitæ annos, gloriam, & felicitatem eorum nihil ſibi lenimenti ad præſentiam mortis afferre, imò verò cum amaritudine, & morſu in memoriam redire dixerit illis verbis à Hieronym. Hieron.
ſub hoc ſenſu acceptis. *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ:* hic vero per proprios pedes gaudens, & hilaris inceſſu, ac pompâ regia ad mortem iuit: etenim vbi nos, 1. Reg. 15. 1. Reg 15. 32.
32. habemus: *Et oblatus eſt ei Agag pinguiſſimus tremens.* Alij apud Vatabl. legunt, *gradu, & inceſſu* Vatabl.
regio, ac ſuperbo. Alij: *gaudens, & hilaris, quod ſcilicet præferret mortem vitæ.* Vndè etiam ſtatim, pro illis Vulgati verbis: *Et dixit Agag: Siccine ſeparat amara* Lect. Tig.
mors? Lectio Tigurina vertit: *Profectò receſſit amaror mortis*: Quod ſi inquiras, qui perſonarum rerumque conditio, & facies adeò mutata fuerit? vt ethnicus, & prophanus princeps, ac ſi Stoicus, aut Chriſtianus foret, mortem contemneret; pius vero

V & fidelis

& fidelis Rex tantum ex ea dolorem, & acerbitatem perciperet, facile erit ex ipsiusmet sensu, & verbis respondere. *Ecce in pace amaritudo mea amarissima.* Isai. 38. 17. siue vt legit Pagnin.
Isai. 38. 17. *Ecce dum essem in pace amaritudo mihi, amaritudo fuit:* hoc est; cum me florenté, & regiis opibus, ac deliciis fruentem mors occuparet, non potuit non maximam mihi acerbitatem, & dolorem afferre. Nimirum, non tantum mors, sed ipsa etiam mortis *memoria*, ama-
Eccl. 41. 1. rissima est *homini habenti pacem in substantia sua:* At enim verò cum Agag regno, opibus, & libertate spoliatum se videret, vitæ amaritudine, mortis acerbitatem, & dolorem oppressit; iureque mortis amarorem, quem habens pacem in substantia sua persensisset, à se iam recessisse exclamauit. Hinc ethnici, qui fideles ad mortem paratissimos videbant, Christianam disciplinam humano consilio pensitantes, non alia de causa ipsos voluptatibus renunciare existimabant, nisi vt hac ratione acerbitatem mortis sine morsu, & dolore transigerent. Vt his
Tertull. verbis tradit Tertull. lib. de spectac. cap. 1. *Sunt qui existiment Christianum (expeditum mortis genus) ad hanc obstinationem abdicatione voluptatum erudiri, qua facilius vitam contemnant amputatis, quasi retinaculis eius, ne desiderent, quam iam supernacuam sibi fecerint.* Vt verò id ille reiiciat, quod non humano consilio, sed diuino præscripto definitum sit mortem contemnere, at præfatam consecutionem, siue illatiuam vim de abdicandis voluptatibus ad non persentiendam mortem, sic approbat. *Quamquam si ita esset tam apto consilio, tanta obstinatio disciplina debebat obsequium:* Nimirum, vt inuenerit modum non dolendi in morte, repudiatis voluptatibus.

3. Nec longius ab hoc it Christi monitum, Matth.
Mat. 24. 20. 24. 20. *Vt non fiat fuga vestra in hieme vel Sabbato.* Sed quid? opportunior ne ad vitæ discessum Martis, aut Iouis dies? Non opinor, sed figurata, & ænigmatica, hæc locutio est, allusione ex numero septenario facta ad captiuitatem Babylonicam, quæ septuaginta annos durauit, vt inde moneamur optandum nobis, orandumque à Deo esse, ne mors nobis Babylonicæ captiuitatis seruitute detentis; peccatorum videlicet; & concupiscentiarum la-
Ambros. queis irretitis nobis occurrat. Ita pene Ambr. lib. 10. in Luc. his verbis: *Et quia septuaginta annis populus in captiuitate durauit, tunc violata religio, obtrita libertas, pudicitia vulnerata. Ergo tunc tibi emigrandum ex hac vita, quando virtutes vigent, vitia captiua sunt; non quando captiua est anima, & vigor eius, & virtus vacat, & corporis peccata dominantur.* Bene quidem; sed id etiam ad honores, magistratus, diuitias, delitiasque extendas velim, ne tibi tunc ex hac vita migrãdum sit, quando his laqueis teneris: nonne sub his dominis captiua est anima? nonne etiam si de Babyloniæ meretricis, de magnæ illius inquam belluæ, (curiam, aulamque intelligo) calice biberit, oppressa ipsius libertas, vigor, & virtus vacans erit?

4. Equidem dum Isaias, cap. 24. 14. ex frequentiori
Isai. 24. 14. Patrum expositione de iudicij die, siue de iustorum morte agit, opportunam nauigantium similitudinem, qui marinis fluctibus, & periculis diu iactati, portum, quem tot laborum finem esse conspiciunt, lætis canticis salutant, sic vsurpat. *Hi leuabunt vocem suam, atque laudabunt cum glorificatus fuerit Dominus, hinnient de mari:* In quæ verba opportune adnotat Gasp. Sanchez mortem vt iustis lætam, ita filiis huius sæculi valde esse amaram, quod hi velut pisces sint, qui in mari velut in proprio regno, ludunt, & dominantur, extracti verò ad littus palpitent, & tremant, vt in pisce illo immani, qui dum erat in flumine bonum Tobiam deuorare volebat, in arenam tamen extractus palpitauit ante pedes illius, & exenteratus est, Tobiæ 6. 2. iusti autem Tob. 6. 2.
velut nauigantes se habeant, qui cum in aquis nati non sint, nec in aquis viuant, in mari quidem nauseant, & iactantur, in portu verò lętantur. & canunt, ergo placida, ac dulcis iustorum mors post huius maris iactationem, & amaritudinem; *pessima*, verò, & amaritudine plena, *peccatorum*, qui velut pisces in aquis immersi vitam dulcem, ac iucundam agunt, imò, & sanctos sæpius deuorare student. Ecce enim in pace amaritudo eorum amarissima. Hæc sic expressit S. Ephrem, serm. 3. de compunct. D. Ephrem.
tom. 1. *Intellige, ô anima, institutum tuum, Deique vocationem: non enim liberum animum cunctis rebus terrenis liberatum contristat, angitque migrationis hora, sed mors hominem desidia torpentem, & peccatorem contristat; contristat remissum ac negligentem, & quæ Deo placet omittentem. Contristat multa possidentem, qui curis, & negotiis sæcularibus suam deuinxit animam.* Hæc Ephrem.

Redeo ad Christi exemplum: ita quidem acetum 5.
ante mortem ebibit, hoc est, rerum omnium, vitæque despicientiam habuit, vt nõ modo per proprios pedes mortis auidus ad mortem iuerit, vt ad c. 2. v. 8. adnot. 1. latius tracto, sed etiam mortuus iam noua quadam ratione ad mortem aduenerit. Etenim, quod ante crucis mortem, aliam iam ipse mortem obierit, illud suadere videtur, quod ab ipso asseueranter dictum fuerit; tribus diebus, & tribus noctibus se vita functum in corde terræ futurum: sic enim Matth. 12. 40. *Sicut enim fuit Ionas* Mat. 12. 40.
in ventre ceti tribus diebus, & tribus noctibus, sic erit filius hominis in corde terræ, tribus diebus, & tribus noctibus: Cum tamen in sepulchro, nec tribus integris noctibus, nec trium etiam noctium partibus, (quod synecdochem, quam ad hũc locum explicãdum nonnulli inducunt, videtur repellere) Dominus manserit: ab hora enim, quã in cruce animam egit, vsque ad primam Sabbati, cum in vitam rediit, duæ solum intercesserunt noctes, tertiæ verò nec minima quidem pars. Ergo vt nodum soluas, conijce oculos in Eucharistiæ institutioné, in qua Christus in victimam, & in cibum se ipsum dedit; victima verò non nisi morte perficitur. Eamque forte vim habet fractum à se ipso panem, Matth. 26. 26. Mat. 26. 26.
quasi victima ad sacrificandi ritum, tunc perficeretur. Nec nostra hæc, sed Greg. Nysseni obseruatio Nyssen.
est, orat. 1. de Christi Resurrect. vbi præfatam de triduo mortis Christi, quæstionem luculenter tractans cum dixisset *Quod si reipsa præfinitum horum dierum numerum plane vis perspicere (neque enim illi parum deest, si post horam nonam parasceue tempus consideres, qua quidem hora Dominus Patris manibus spiritum commendauit) paulisper attende, & fortasse, quod quæris inuenies:* hæc postmodum subiicit. *Qui enim potestate sua cuncta disponit, non ex proditione sibi impendentem necessitatem, non Iudæorum quasi prædonum impetum, non inquam Pilati sententiam expectat, vt eorum malitia sit communis hominum salutis principium, & causa: sed consilio suo anteuertit, & arcano sacrificij genere, quod ab hominibus cerni non poterat, se ipsum pro nobis hostiam offert, & victimam immolat, Sacerdos simul existens, & agnus Dei, ille, qui mundi peccatum tollit. Quando id præstitit? cum corpus suum discipulis congregatis edendum, & sanguinem bibẽdum præbuit, tunc apertè declarauit agni sacrificium iã esse perfectum. Nam victima corpus non est ad edendum idoneum si animatum sit. Quare cum corpus edendum, & sanguinem bibendum discipulis exhibuit, iam arcana, & nõ aspectabili ratione corpus erat immolatum,*

vt ipsius

vt ipsius mysterium peragentis potestati collibuerat. Et anima in illis erat, in quibus eadem ipsa potestas illam deposuit, simulque cum diuina virtute, quæ cum illa erat coniuncta, in ea regione cordis versata est. Hæc & alia in hanc rem Nyssenus.

6. Iam verò huc spectat ænigmatica illa Christi Luc. 11.35. admonitio apud Lucam 11. 35. *Sint lumbi vestri præcincti*; vt enim eò potissimum Christi verba eant, vt nos moneat, paratos semper ad sui aduentum, hoc est, ad horam mortis esse debere, at ipsa etiam phrasi, siue similitudine, quam vsurpat præcingendi vestes, (nam illis oblongis æui illius homines vtebantur) simul de modo, quo illum expectare oporteat, nempe, vt à terrenarum rerum amore, & curâ immunes, & expediti simus, nos instituit. Vnde iis verbis hunc sensum reddidit Tertull. lib. 4. Tertull. con. Marc. c. 9. *Succingere debemus lumbos, id est, expediti esse ab impedimentis lacinosæ vitæ, & implicitæ:* ac si dicat, expediti esse debemus ab impedimentis earum rerum, quæ humi repunt, & laqueos nobis iniiciunt, & implicant, vt vocanti Christo facilè occurrere valeamus. Quòd si magna paruis componere fas est, placet hanc Christi sententiam, cum eâ Tullij Tusc. prima, dissimili licet verbo, persimili M. Tull. sensu expressa: *Discingamus nos à corporibus: id est, consuescamus mori; hoc & dum erimus in terris, erit illi cœlesti vitæ simile; & eum illuc ex his vinculis emissi fuerimus, minus tardabitur cursus animorum.* Opportunè; sed opportunissimè Ambros. lib. de Fide Ambros. Resurrect. in hanc sententiam pertrahens Pauli verba, quæ persequimur. *Mihi viuere Christus est; & mors lucrum*, ad hunc modum. *Quid est Christus, nisi mors corporis, spiritus vita? & ideo commoriamur cum eo, vt viuamus cum eo. Sit quidam cottidianus vsus in nobis affectusque moriendi, vt per illam, quam diximus, segregationem à corporis voluptatibus anima nostra se discat extrahere, & tanquam in sublimi locata, quò terrenæ adire libidines, & eam sibi glutinare non possint, suscipiat mortis imaginem, ne pœnam mortis incurrat.* Hæc Ambros.

7. Sed ea Christi verba: *Similes hominibus expectantibus Dominum suum, quando reuertatur à nuptijs*, sub hoc sensu accepta optimè cōfirmantur ab illis eiusdem Domini, Oseæ 11. 7. *Pendebit populus meus ad* Osee 11.7. *reditum meum*; si tamen pendas verbum, *pendere*, quod à terra eleuari, vel ad minus suspenso pede inibi esse significat, monens inde Dominus à terrenis curis omnino expeditos, & liberos, & velut hæc inferiora non tangentes, eos esse debere, qui morti apti, & maturi censendi sunt. Vndè ea verba ita egregiè à venerabili Vverrico in alleg. Gotfr. Tilm. Vverric. explicantur. *Pulchrè omnino, & propriè pendebit: tanquam inter cœlum, & terram, vt licet adhuc apprehendere cœlestia non valeat, non velit tamen tangere terrena. Et si aliquando tangit, non nisi summis articulis, id est, extremis partibus animæ, propter necessitatem corruptionis nostræ, cui seruire cogimur, quamdiu vanitati subiecta est creatura non volens. Vulgo dicitur male expectat, qui pendet. Ego autem dico: Feliciter expectat, qui sic pendet. Quam ob rem elegit hoc suspendium anima mea, & in ipso suspendio mortem ossa mea, vt perseueranter in cruce ista pendere merear, donec immortar.* Hæc ille.

8. Ad hæc quæ sequuntur in Luca, *vt cum venerit, & pulsauerit, confestim aperiant ei*; ad hanc etiā rem Cant. 5.5. pertinere, similis Cant. locus suadet, cap. 5. 5. vbi Christo ad Sponsæ ianuam pulsante, sic ipsum illa excepisse dicitur: *Surrexi, vt aperirem dilecto meo;* Nyssen. *manus meæ stillauerunt myrrham*: In quæ verba Nyssen. hom. 13. in Cant. cum dixisset: *Myrrham mortis esse symbolum nemo est qui ambigat*, subiicit post plura in hanc sententiam. *Pulchrè ergo ait sponsa, quia manus ipsius myrrham, id est, mortem distillant cum aperuit ostium Deo.* Ergo cum venerit Dominus, & pulsauerit ianuam, statim aperit, qui mortificatas habet affectiones, vt ipsammet mortem in manibus habere, & cum ea occurrere videatur. Similiter Ambr. lib. de Isaac, & anima, c. 6. *Surrexit aperire, & opera eius, & facta mortificata sunt mundo.* Ambros. *Talis enim debet esse anima, quæ verbum est receptura, vt moriatur mundo, & consepeliatur in Christo.* Ad quam etiam rem pertinet, id quod suo sensu dixit Senec. ep. 26. *Vna est catena, quæ nos alligatos tenet,* Senec. *amor vitæ, qui vt non est abiiciendus, ita minuendus est, vt si quando res exiget, nihil nos detineat, nec impediat quominus parati simus, quod quandoque faciendum est, statim facere.* Ita quidem Greg. Naz. sub persona Basilij Modestum Præfectum immodestè illi mortem Nazianz. minitantem alloquebatur. *Mors porrò beneficij loco mihi erit, citius enim me ad Deum transmittet, cui viuo, & munere meo fungor, maximaque ex parte mortem obij, & ad quam iam pridem propero.* Pende illud: *Maxima ex parte mortem obij*, ac si diceret se mortui cum morte ipsa in manibus obuiam ire, & mortuum iam mundo consepeliendum in Christo.

Nec alio quidem videtur respexisse Elias è vita 9. discessurus, 4. Reg. 2. 13. dum currum conscendens 4. Reg. 2. 13. palliū quo operiebatur à se abiecit. Num timuit, ne ab igneo curru flammâreque apparatu cōbureretur? Quid reliquis Eliæ vestibus pepercit ignis, & cōbureret pallium? Ergo indicauit Propheta terrena hæc ad vitæ discessum impedimento esse, ac proinde ex animo ea proiici oportere. Ita Hieron. Epist. 34. ad D. Hieron. Iulianum, his verbis, *Vnde & Elias ad cœlorum regna festinans non potest ire cum pallio, sed mundi in mundo vestimenta dimittit.* Et verò si benè aduertis, ille, non tam à se pallium proiecisse, quam labi permisisse, siue illud labens non animaduertisse dicitur: sic enim 4. Regum 2. 13. *Et leuauit pallium* 4. Reg. 2. 13. *Eliæ, quod ceciderat ei*: & versu sequenti: *Et pallio Eliæ, quod ceciderat ei*, vbi emphaticè iterato sermone adnotatur, decidisse ipsummet palliū ab Elia, non curante, imò nec attendente; vt argumento esset tantum abesse, vt Elias, quæ mundi erant curaret, vt nec eorum ipse meminerit, quippe qui nec tunc pallium se habere animaduerterit.

Adstipulatur huic cogitationi Ambros. lib. 3. de 10. Virginibus, vbi explicans illa Sponsæ quærentis D. Ambr. Christum verba, Cant. 5. *Tulerunt pallium meum*, Cantic. 5. opportunè ait: *Bene tollitur ei pallium, quæ ad Christum propinquat, vt Deum visura mundo corde gradiatur.* Similiter lib. de Isaac, & anima, c. 6. *Quia sine integumento quis in illam cœlestem ciuitatem debet introire, nulla deferens secum operimenta fucorum; ne qua anima exuuias secum vehat carnalis illecebræ, & concupiscentiam corporalem:* quasi necessario consilio pallium, id est, rerum temporalium cura ab illa anima debeat auferri, quæ Dei conspectui proxima, siue morti vicina est: in quam sententiam aurea hæc scripsit verba Gentilis Plinius Iun. epist. 5. ad Plin. Iun. Maxim. lib. 5. *Proinde dum suppetit vita, enitamur, vt mors, quam paucissima, quæ abolere possit inueniat.* Bellissimè quidem, ac si dixerit ante mortem, enitamur mori, vt morti mors, imò verò veraci vitæ, vera vita succedat. Ita quidem se gessisse S. Cæsarij parentes, sic commemorat Nazianz. orat. 10. *Ambo* Nazianz. *humani, misericordes, multa tineis, & latronibus, & mundi principi eripientes, ab incolatu ad habitationem se se transferentes.* Ac si diceret, eorum studiū fuisse terrena despicere, & omittere, siue potius in cœlum transmittere, atque ita paulatim è vita hāc discedere, ad patriam festinantes. His omnino aptanda

Saluian. sunt, quæ Saluianus de omnimoda temporalium rerum renunciatione, à Christi discipulis ante mortem facienda, sic dixit. *Vt more hominum commigrantium prius ad locum habitaculi destinati res suas trãsferant, quam se ipsos: scilicet, vt cum ea, quæ ad se pertinent vniuersa transtulerint, tum ipsi in plenam, ac refertam bonis immortalibus domum, præmissa rerum omnium facultate commigrent securi, absque dubio, nihil sibi postea defuturum, qui exituri de habitaculo vili, & contemptibili, ac iam iamque ruituro, nihil illic de suo penitus reliquerint, quod periret.*

11\. Equidem ad Martyrium pro Christo subeundum iam pridem hoc animo fuisse paratos Nereum, Achilleum, atque Domitillam, sic testatur Greg. Magn. hom. 28. in Euang. *Sancti isti, ad quorum tumbam consistimus, florentem mundum mentis despectu calcauerunt: erat tunc vita longa, salus continua, opulentia in rebus fœcunditas in propagine, tranquillitas in diuturna pace: & tamen cum in se ipso floreret, iam in eorum cordibus mundus aruerat.* Benè quidem, *aruerat*, vt mors non paucissima, sed nulla, quæ abolere posset inueniret. Simili etiam rerum humanarum despicientia affectam matrem suam Monicam, dum apud ostia Tiberina, non longè esset à morte, sic scribit Aug. lib. 9. confess. cap. 10. *Tu scis Domine, cum eo die, quo talia loqueremur, & mundus iste inter verba nobis vilescebat, cum delectationibus suis.* Subdit statim eadem verba, quæ hora prandij sanctissima fœmina terrenum cibum fastidiens, ita dicebat: *Fili, quantum ad me attinet, nulla re iam delector in hac vita.* Sic beata illa anima, sponsum manibus stillantibus myrrham susceptura.

Gregor. Aug.

12\. Sed ea quidem de re, egregium est testimonium, quod bono Principi Valentiniano reddidit Ambr. orat. in eius obitu, pulchrè illi accommodans ea, Cant. 7. 1. verba. *Quam pulchri sunt gressus tui in calceamentis filia Principis*, obseruans, *gressus*, ibi, significare, cursum vitæ, qui se ipso ad mortem properat: calceamenta verò, tam corporis delicias, quam omnia sæculi bona, quæ quantumuis in se florerent, at in Valentiniani animo iam aruissent, ac velut calceamenta pedibus subiecta essent. *Speciosa es enim* (inquit Ambros. cum egregia illa anima colloquens.) *in processu; habitasti in corpore, tanquam calceamento eo vsa, non vt inuolucro.* Hinc ad rem infert: minime illi acerbum, siue difficile fuisse mori, qui corpus ea facilitate, qua Moyses calceamenta posset exsoluere.

Ambros. Cant. 7. 1.

13\. Et vt è meis ego etiam, inter hæc exempla aliquod proferam, opportunè nobis Edmundus Campianus, illustris Christi martyr in die, qua hæc scribimus, quæ illa est; quæ cœlo ipsum adscripsit, occurret: Is enim, cum patibulum iam ipsum, quod palmam ei reddidit, præ oculis haberet, iis ex Paulo 1. ad Cor. 4. 9. verbis assumptis, pene infinitam populi multitudinem adstantem, allocutus dicitur: *Spectaculum facti sumus Deo, & Angelis, & hominibus*: sed sanctissimum martyrem iure interroges, cur à Paulo bona fide verba mutuatus, ea ipse mutauerit? cum pro voce, *Mundus*, quam ibi Paulus sic posuit: *Spectaculum facti sumus mundo, & Angelis, & hominibus*, ipse substituerit, *Deo*: dicens, *spectaculum facti sumus Deo, & Angelis, & hominibus.* An vir sapientissimus, & in sacris literis exercitatissimus, verba Pauli non nouerat? an ea illi vox facilè memoria exciderat, quę eadem pene cum suomet Edmundi nomine, vel ei maxime affinis esset? minimè quidem: sed ostendere voluit Edmundus, sic se iam esse in mundo, quasi è mundo non esset, vnde ab eius animo ita iam pulsum, siue abrasum, atque eius in locum Deum subrogatum, vt, *nec memor*, nominis mundi fuerit, *per labia* sua, Psalm. 15. 4.

1\. Ad Cor. 4. 9.

Psalm. 15. 4.

14\. Monemur hinc equidem, quotquot mundi incolæ inuenimur, cuiusuis ætatis, cuiusuis conditionis simus, mundum ipsum, quantũuis florentem cõtemptui habere, & ab animis nostris procul pellere, vt nimirum, simus *Similes hominibus expectantibus Dominum suum, quando reuertatur à nuptiis, vt cum venerit, & pulsauerit, confestim aperiant ei*: Ea etenim humanæ vitæ conditio est, vt quod monuit Prosper lib. 1. de vocat. gent. c. 8. *Eius principium, mortis exordiũ sit, nec prius incipiat ætas nostra augeri, quam minui, cui si quid adiicitur spatij temporalis, non ad hoc accedit, vt maneat, sed in hoc transit, vt pereat.* Vndè opportunè dicebat Xist. lib. de Castit. *Mors incerta metuenda est, quia iam ex eo quisque mori potest, quo capit & viuere*: Similiter Gregor. Nyssen. orat. aduersus eos, qui differunt baptismum. *Sed dices tu, qui es iuuenis, nondum consenui. Noli ergo decipi. Non definitur mors certo tempore ætatis, neque timet eos, qui sunt in ipso flore ætatis; in solos autem senes obtinet dominatum. Vides enim, quo mortui efferuntur feretrum, quam inæqualiter, & vt contingit omnem fert ætatem, hodie senem, cras florentem, & elegantem adolescentem, paulò post eum, cui cœperat apparere lanugo; rursus hominem robustum, & valentem viribus, & rursus vetulam simul, & virginem.* Subdit scitè. *Non magno euenit negotio, vt inaniatur vter spiritu, si os parum fuerit apertum; neque est difficile hominem momento temporis animam emittere.* Verum enim verò, senes, & ætate prouectos acriùs id monitum pungit: possunt enim iuuenes cito, & quauis die mori, at senes non possunt diu viuere: ita S. Cle. Rom. epist. 5. *Incertum est enim etiam iuuenibus vita tempus, senibus autem iam nec incertum est: non enim dubitatur, quin quantumcumque, quod putatur superesse, breue sit.* In quam sententiam rursus præfato loco Nyssen. *Caput iam canescit? prope est æstas vitæ: in nos forte falx acuitur, & timeo, vt nobis dormientibus, & in vna spe occupatis repente accedat messor terribilis.*

D. Prosp. S. Xist. Nyssen. S. Cle. Ro.

15\. Hic notanter ab Isaia dicitur, eum, qui ætate ingrauescente ad occasum vergit, à terrenis curis expeditum, ea solum, quæ ad occasum, & mortem attinent cogitare, nec de figendis tentoriis, sed de eorum potius funibus dissoluendis agere: sic enim Vates, c. 13. 20. *Non ponet in ea tentoria Arabs*, cum enim, *Arabs*, interpretetur, *Occidens*, sic cepit hunc locum venerabilis Guillielmus in allegoriis Gotfridi Tilmãni. *Arabs, Occidens interpretatur: In carnalium deliciarum consideratione affectum non figit quisquis se tanquam in occidente constitutum agnoscit, nec corpus suum casso labore reuocare studebit ad ortũ, quod cottidie declinare conspicit ad occasum.* Imò verò hac de causa omnia ab eo nihili fiet. Ita quidẽ egregius vir Mar. Castritius apud Valer. lib. 6. c. 2. Caio Carboni Cõsuli iubenti, vt sibi obsides è Placentinis darentur, atque insuper minitanti se gladios habere, respondit: *Et ego annos*; vndè (addit Valer.) *Carbonis ira, quia materiam sæuiendi perquam exiguam habebat paruulum vitæ tẽpus ablatura, in se ipsa collapsa est*: Simile Pisistrato tyrãno Solon senex responsum dedit; sciscitãti enim illi; *qua tãdem re fretus sibi tam audacter resisteret?* ipse (referẽte Tul. li. de senect.) respondit, *Senectute.* Equidem cum alias inutilis; imò sæpius noxius speculorum vsus sit: *Pingit enim* (Zeno Vero. ser. de pudicitia) *se in se ipsam* (fœmina:) *& lenocinante vario magistri medicaminis fuco, vultum suum vultibus vestit alienis, hoc futura, non quod natura præstitit, sed quod ei ad examen speculi arbitrium temporale dictauerit, nunc emendat, nunc delet quas amauerat species, nunc subijcit alias, nunc*

Isai. 13. 20. Guilliel. Val. Max. Cicer. Tull. Zen. Ver.

parturit

Senec. *parturit nouas*: Hæc tamen ratione Senecæ specula placuerunt, quòd dum in illis, & iuuenis & senex se intuentur; ille ex flore formæ tempus discendi, & laborandi deprehenderet; hic verò ex vultus maturitate, ea quæ canis essent indigna reiiceret, & de morte solum cogitaret. Audi: *Inuenta sunt specula, vt homo ipse se nosceret: multa ex hoc consecuta; primo sui notitia, deinde, & ad consilium quædam: formosus, vt vitaret infamiam, deformis, vt sciret, redimendum esse virtutibus, quidquid corpori deesset; iuuenis, vt flore ætatis admoneretur illud tempus esse discendi, & fortia audendi; senex, vt indecora canis deponeret, & de morte aliquid cogitaret.* Hæc Seneca lib. 1. natural. quæst. cap. 17.

16. Sed proh dolor! ea est humanarum mentium cœcitas, siue inueteratus, imò nobis ingenitus mundi amor, vt quo ipse ingrauescente ætate ad occasum nobis magis vergit, eò ardentius indefatigato, casso tamen labore, ad ortum reuocare studeamus. Incassumque cor nostrum, tunc manenter figimus, cum fugit illud, quod amamus: vnde Greg. Mag. præfato loco Gregorius: *Ecce mundus in se ipso aruit, & adhuc in cordibus nostris floret. Vbique mors, vbique luctus, vbique desolatio, vndique percutimur, vndique amaritudinibus replemur: & tamen cæca mente carnalis cõcupiscentiæ ipsas eius amaritudines amamus, fugientem sequimur, labenti inhæremus.* Acrius Saluian. verò Saluian. Massil. lib. 5. de Prouid. agens de excidio Treuerensi. *Lugubre est referre, quæ vidimus, senes honoratos, decrepitos Christianos, imminente iam admodum excidio ciuitatis, gulæ, ac lasciuiæ seruientes. Quid primum accusandum est, quod honorati? an quod senes? an quod Christiani? an quod periclitantes? Quis enim hoc fieri posse credat, vel in securitate, à senibus? vel in discrimine à pueris? vel vnquam à Christianis?* Sic ille.

17. Esse verò hanc amentiam omnium inconsideratissimam, nouissimumque errorem primo peiorem, illud demonstrat, quod ab eo stolidiora animantia, & quæ omnium sint indociliora procul eant. Mu-Plin. res enim, qui Plinio auctore, lib. 10. cap. 45. inter omnia animalia nihil discunt, cum domus, quam inhabitant futuram ruinam sentiunt, tum maturâ fuga damnose subducere solent, sic id obseruante Ælian. Ælian. lib. 1. pag. 3. *Cum domus aliqua consenuit, & ruinam minatur, mures primi sentiunt, & relictis suis cauernis, & pristinis habitationibus, quantum contendere pedibus valent, fugiunt, aliudque domicilium quærunt.* O pudorem! O hominum summam inconsiderantiam! ô stolidissimam amentiam! Præsentimus frequenter, vel morbo, vel senectute, quæ morbus, & ipsa est, nullaque medicina superabilis, imminere corporis, & domus huius terrestris 2. Ad Cor. 5. 5. resolutionem, vt loquitur Paul. 2. ad Corinth. 5. 5. neque tamen tunc temporis firmiorem illam, Ad Hebr. 8. 2. hoc est cœlestem, (de qua idem ad Hebræos 8. 2.) quærimus, sed fugientem sequimur, labenti inhæremus. Hos sic sapienter exagitat Senec. lib. de Senec. Breuit. vitæ, cap. 20. *Lex à quinquagesimo anno militem non cogit, à sexagesimo Senatorem non citat, difficilius homines à se otium impetrant, quam à lege interim dum rapiuntur, & rapiunt, dum alter alterius quietem rumpit, dum mutuò sunt miseri: vita est sine fructu, sine voluptate, sine vllo profectu animi: nemo in conspicuo mortem habet, nemo non procul spes intendit.* Sic ille verissimè. Sic illi frequentissimè.

Ad ea verba: *Mori lucrum.*

ADNOTATIO IV.

Optimum vitæ bonum, mortem esse.

QVAM alius rerum nomenclator Deus ab homine, sapiens etiam ab insipiente est! Equi- 1.
dem dum in aliorum nominum impositione mundus multa peccat, in mortis appellatione turpissime errat; ipsam enim iacturam, damnum, laborem, supplicium, & terribilium omnium terribilissimum, ipsomet Philosophiæ principe auctore, indesinenter appellat, dum interim oppositam huic iniens viam diuinus Spiritus lucrum, requiem, remedium, atque leuamen, egregiumque, ac singulare præmium esse, constanter asserit, Paulo in primis clamante: *Mori lucrum.* Quem ob oculos habens Nazianz. sensaque, & verba communia coniun- Nazianz.
gens, orat. 38. de morte, sic censet, vt illa beneficij loco à Deo homini in pœnarum leuamen data fuerit. Audi illum: *Postquam autem diaboli inuidia, & mulieris [illegible], quem vt mollior passa est, & vt ad persua[illegible] accommodatior admonuit (ô infirmitatem me[illegible] eam enim duco primi parentis [illegible] accepti mandati oblitus ab acerbo illo [illegible]. atque hic quoque tamen mortem, & [illegible] elucratur, ne malum immortale sit, [illegible] in misericordiam cessit: sic enim Deum supplicia inferre censeo.* Expende dicendi modum Pauli sensui consentaneum, *mortem elucratur*, ac si diceret, id tanto infelicitatis cumulo peccanti homini feliciter cessisse, vt ad tot laborum, miseriarum suppliciorum, quæ remedium, mortem, quæ hæc omnia piâ manu præcideret, à Deo benignissimo iudice, qui suppliciis beneficia intexeret, obtineret. Retinuit hunc etiam sensum, eandemque phrasim Tertull. lib. de testimonio animæ, c. 4. Tertull.
delicatulos, qui mortem grauius timent, sic coarguens. *Nam etsi dicere potes, ideo mortem timeri, non vt aliquid minantem, sed vt commodum vitæ amputantem, atquin cum & incommoda longè plura vitæ, pariter excedat, ea lucratione, grauioris partis metum diluit; nec iam timenda est amissio bonorum, quæ altero bono, id est, incommodorum parte pensatur.* Subdit eleganter. *Non est timendum, quod nos liberat ab omni timendo:* Ergo, *mori lucrum*, quòd cum ea huius vitæ conditio sit, quæ *plus aloes, quàm mellis habeat*, vt est in Prouerbio, *ea lucratione grauioris partis metum diluit.* Vndè Ambr. serm. in Ambros.
cap. 7. Iob, tom. 2. *Tantis (inquit) malis hæc vita repleta est, vt comparatione eius mors remedium esse putetur, non pœna: nam ideo Deus breuem illam fecit, vt molestiæ eius, quia prosperitate non poterant, temporis exiguitate finirentur.* Obserua illud: *prosperitate non poterant.* Quare? Quia infinitæ ærumnæ, molestiæ, dolores parua oblectatiuncula (Nam quantula nostra voluptas?) leniti non possunt.

Sed id non difficilè colligas ex verbis Domini 2.
ad Adam, Genes. 3. 16. *Quia audisti vocem vxoris* Gen. 3. 16.
tuæ, &c. *maledicta terra in opere tuo: spinas, & tribulos germinabit tibi. In sudore vultus tui vesceris pane tuo, donec reuertaris in terram, de qua sumptus es:* Nam si aduertis, vita hic in pœnam; mors in remedium data est; vis signa vitæ, signa etiam pœnæ deprehendere? Pende verborũ seriem, atque structurã, nec dictum fuisse: *Quia* audisti vocem vxoris tuæ, reuerteris in terram, sed potius spinas, & tribulos germinabit tibi, donec reuertaris in terram, hoc est,

est,in pœnam peccati viues, vitæque spinas, videlicet, labores, afflictiones, lacrymas, dolores, *nihil,* Chrysost. enim, *habet hæc vita,nisi lacrymas*: (Chrysost.hom. 21.ad pop.) *& opprobria, & conuitia, & tristitias,& negligentias, & labores, & morbos, & senectutem, & peccata, & mortem*; colliges, donec tui misertus mortem dulcem tot miseriarum metam tibi dedero. Ambros. Accipe hæc ab Ambros. lib. de Fide Resurrect. disertissimè asserta: vbi cum præfata Genes. verba attulisset,hæc subiicit. *Habes pœnarum ferias, quia aduersus spinas sæculi huius, & sollicitudines mundi, voluptatesque diuitiarum,quæ verbum excludunt,pœnam includunt, mors pro remedio data est, quasi finis malorum. Non enim dixit: Quoniam audisti vocem mulieris, reuerteris in terram, hæc enim esset pœnalis sententia, quemadmodum est illa.* Maledicta terra spinas,& tribulos germinabit tibi; *sed dixit*: Manducabis panem tuum in sudore, donec reuertaris in terram: *Vides mortem magis metam esse nostrarum pœnarum,quæ cursus huius vitæ inciditur?* Sic Ambr. Vide eundem serm.in c.7. Iob, tom.2. & lib.2. de Abel, c. 10. & lib. de bon. mort. cap. 2. vt quam Plin. simillima ego,ex Plinio, & Seneca appingam. Sic enim prior lib.8.cap.21. *Hoc primum quisque in remediis animi sui habeat,ex omnibus bonis, quæ homini tribuit natura, nullum esse melius tempestiuâ* Senec. *morte.* Quem etiam ad modum Seneca in consolatione ad Marc.cap.19.& 20. dum huius vitæ spinas,& labores,singillatim recensuit, mortem, vnicum illorum remedium, sic facit: *Excessit filius tuus terminos intra quos seruitur: excepit illum magna,& æterna pax; non paupertatis metu,non diuitiarum cura, non libidinis per voluptatem animos carpentis stimulis incessitur, non inuidia felicitatis alienæ tangitur, nec sua premitur, nec conuitiis quidem vllis verecundæ aures verberantur,nulla publica clades conspicitur, nulla priuata; non sollicitus futuri pendet ex euentu semper in deteriora pendenti: tandem ibi consistit,vndè nihil eum pellat,vndè nihil terreat.* Hæc ille,& multo plura.

3. Nazianz. Hæc ita se habere,verissiméque dixisse Nazianz. sic Deum inferre supplicia, vt pœna in misericordiam cedat; illud signatissime firmat, quod Adamum post peccatum è paradiso Dominus eiecerit. Sed quare? num vt à tantis illis deliciis exularet? Imò verò,ne malis miser assuetus arboris vitæ fructum decerperet, cuius esu immortalis euaderet, Hilar. opportunoque mortis remedio priuaretur. Ita Hilarius in Psal.68. his verbis. *Non pepercerat autem primo illi de terra limo Adæ, quem de paradiso post culpam, ne lignum vitæ attingens in æternitatem pœnæ* Rupert. Gen. 3. 22. *maneret;eiecit.* Similia habet Rup. lib.3. comment. in Genes. cap. 30. acutè sub hoc sensu premens ea Domini verba,Genes.3.22. *Ne fortè sumat.* Vt illis innuatur Deum,nō tam temerariis Adæ ausis,quam eius ignorationi, qui lignum vitæ non agnosceret, prouidisse. Audi: *Ille namque*, forte. *fecisse quid,& inuenisse dicitur, qui in conscientia non habuit esse in loco,vel in re hoc ipsum, quod consequitur, velutti, qui terram vertit, serere volens, nec aliud intendens, & thesaurum inuenit:dixit autem Deus:* Ne fortè mittat manum suam: *tamen certus, quod non scienter mitteret,licet quasi dubitans,vel sollicitus velut homo, ne casu id eueniret.* Ac si diceret, Deum humano more induci sollicitum, ne Adamus fortè fortuna in arborem vitæ,quam non nouerat, incideret, atque inscius, & imprudens de illius fructu sumeret, nam si illam ipse pernosset, minime verendum esset,tam cæca temeritate ferri,vt æternitatem pœnæ sponte vellet subire.

4. Rupert. Nec prætereundum,quod inibi subiicit Rupert. adeò apud ipsos ethnicos hoc de morte iudicium inualuisse, vt traditione de manu in manū ad ipsos delata affirmarint, Æsculapium à diis fuisse fulminatum, quod herbarum medicaminibus mortuum quendam suscitarit,videlicet, ne deinceps homines in se ipsos inhumani eam artem addiscerent, per quam ęternis vitę miseriis fierent obnoxij.Sic enim Rupert. *Sed vsque hodie medici pro commendatione artis,non fabulosum, sed verum illud fuisse contēdunt, quod in libris Gentilium legitur, Æsculapium medicaminibus herbarum suscitasse mortuum,& ob hoc illum fuisse fulminatum,videlicet,ne addiscerent homines artem,per quam effugerent vtile sibi mortis edictū.* Commentum quidem,sed subtile,& sapiētum sententiis,rerumque naturæ cōsentaneum. Scitè enim de ingressu,atque exitu hominis obseruauit Plinius Plin. lib.7.c.8. *Ritu naturæ capite hominem gigni, mos est, pedibus efferri.* Voluit dicere,capite hominem nasci, & è matris vtero prosilire,pedibus verò ad sepulturam ferri: sanè, vt vita, casus siue in infinitas pene miserias,& mala præcipitium; mors verò discessus, iterque ad patriam,&quietem sit. Vis videre casum, & præcipitium? Audi Amb.orat.de obitu Theodo- D. Amb. sij docentem, *quos naufragos in hanc vitam quidam natura fluctus expuerit*: quasi dixerit, primum in hanc vitā ingressum nihilo melius,quam miserum, & infelix naufragium, ipsamque vitam non magis, quam vile sputum æstimandam esse:audi Senecam Senec. in consolat.ad Polyb.cap.28. *Si velis credere altius veritatem intuentibus, omnis vita supplicium est. In hoc profundum, inquietumque proiecti mare, alternis æstibus reciprocum,& modò alleuans nos subitis incrementis, modo maioribus damnis deserens, assiduèque iactans,numquam stabili consistimus loco:pendemus,& fluctuamus, & alter in alterum illidimur, & aliquando naufragium facimus,semper timemus.* Vis iam videre discessum & fugam à tot malis, & in naufragio portū? Audi eundem statim subiicientem. *In hoc tam procelloso, & in omnes tempestates exposito mari nauigantibus nullus portus,nisi mortis est:* Audi etiam Nazianz. orat. 19. *Atque habitatio peregrinatione* Nazianz. *melior, & præstantior: quodque nauigantibus tranquillus portus est,hoc iis,qui huius vitæ procellis agitantur migratio ad alteram vitam.* Sed audi potius S. Ma- S. Max. ximum Centur.5.c.76.tom.5.Biblior. Vet.Patr.de morte sic viuacissime disserentem. *Non puto iustum esse huius vitæ mortem appellare,sed recessum à morte, separationem à corruptione,liberationem à seruitute, à turbatione quietem, bellorum ablationem, tenebrarum subductionem,remissionem laborum,feruoris tranquillitatem,velamentum pudoris,affectionum fugam,& vt in summa dicam,omnium consummationem malorum.* Hæc Maximus verissimè. Ergo nō omnino abs re ab ethnicis confictum iure illum fulminandum, qui mortuum suscitaret, quippe qui naufrago portū, cadenti manum, in tenebris degenti lucem, seruituti addicto liberationem, bellanti pacem. omnibusque ærumnis confecto quietem,& leuamen denegaret? Hinc, & magnus poëta lib.12. Æneid. Iuthurnam, Virgil. deam se, ac proinde immortalem deplorantem, & de Ioue conquerentem,sic inducit.

Quò vitam dedit æternam? cur mortis adempta est
Conditio? possem tantos finire dolores.

Senec. Et Seneca citato loco ad Marciam,ad hunc modum sapienter, & fortiter exclamat. *O ignaros malorum suorum, quibus non mors, vt optimum naturæ inuentum laudatur! quæ siue felicitatem includit,siue calamitatē repellit,siue satietatem, aut lassitudinem senis terminat,siue iuuenile æuum dum meliora sperantur in flore deducit, siue pueritatem ante duriores gradus reuocat, omnibus finis, multis remedium, quibusdam votum,*

votum, de nullis melius merita, quam de his ad quos venit, antequam inuocaretur. Bene illud. *O ignaros malorum suorum!* ac si diceret, (quod alio intentus
M. Tull. in Antonium dicebat Tullius. *Miserum te si id intelligis, miseriorem si non intelligis.*) O pectora amore vitæ adeò excæcata, vt propria damna, quibus indesinenter vrgentur, non sentiant! O durissimam hominis cutem, quam tot spinæ, atque stimuli pungentes non perforant! Ad quem modum Gregor.
Gregor. hom. 39. in Ezech. *Quid est, quod in hac vita libeat fratres mei? & si talem mundum diligamus, non iam gaudia, sed vulnera amamus.* Similiter Cyprian. serm.
Cyprian. 4. de mortalitate. *Quæ cæcitas animi, quæve dementia est amare pressuras, & pœnas, & lacrymas mundi?*
Nazianz. Vnde Nazianzen. orat. 10. quæ est funebris in laudem Cæsarij, cum dixisset. *Quantum nos anteuertit Cæsarius? Quamdiu adhuc eius discessu angemur? Nonne ad eandem sedem properamus?* Subdit. *Nonne ex paucis iis diebus, qui restant, hoc solum lucrifaciemus, vt plura mala partim videamus, partim patiamur, partim etiam fortasse faciamus?* En lucrum vitæ pro lucro quietis, leuaminis, & remedij, quod est in morte.

5\. Equidem apud Hebræos ille loquendi modus Christo Domino, etiam probatus inualuit; quo
Ad Hebr. 2. 9. pro, *obire diem*, dicant gustare mortem, (ita ad Hebræos 2. 9. de Christo dixit Paulus, *vt gratia Dei*
Iustin. *pro omnibus gustaret mortem.* Vbi Iustinian. sic capit gustare mortem, vt sit idem, ac, ex ea gaudium, ac
Matth. 16. 28. lætitiam percipere: & de discipulis Christus, Matth.
Ioan. 8. 52. 16. 28. *Sunt de hic stantibus, qui non gustabunt mortem.* Similis est locutio, Ioann. 8. 52.) vt significarent iis, qui malorum suorum non sunt ignari, mortem gustui potius, atque delectationi, quam amaritudini esse, ad eum modum, quo apud eundem Paulum eadem epist. cap. 6. 4. dicitur gustari donum, quod ex dono non leuis percipiatur gustus, atque lætitia. Quidni? Nonne gustus, & gaudium ex parentibus, & amicis? at mors benignus parens, indulgens mater, dulcis frater, & soror est: ita quidem
Iob 17. 14. dicebat Iob cap. 17. 14. *Putredini dixi. Pater meus es, mater mea, & soror mea, vermibus.* Ad quæ verba
Origen. Origen. *Vt pueri consolatores habent parentes, sic ego mortem, & putredinem.* Nonne etiam ex somno gustum, & requiem fatigatus percipias? Sed mors, somnus est; defuncto siquidem Lazaro, veritas di-
Ioan. 11. 11. xit: *Lazarus, amicus noster, dormit.* Ioann. 11. 11.
Ambros. Quem locum sic premit Ambros. lib. de bon. mort. cap. 8. *Somnum scriptura nuncupat mortem, sicut est illud:* Lazarus, amicus noster, dormit, sed vado, vt à somno suscitem eum. *Somnus autem bonus, quoniam quies est, sicut scriptum est.* Ego dormiui, & requieui, & surrexi, quoniam Dominus suscepit me, Psalm.
Psal. 3. 6. 3. 6. *Dulcis igitur quies mortis.* Ad hæc: quæ maior requies? quod solatium? quam grauissimo, & vndique premente onere leuari? Id verò proprium munus mortis, genuinum est nomen, vt oneris excussio sit. Certè in lucem edito Noe, hoc nomen, quod, *requiem* sonat, sortitus est, quòd per diluuium, & mortem quietem, atque à malis prementibus liberationem, & cessationem esset allaturus: sic enim de
Gen. 5. 29. eius patre futurorum præscio dicitur, Genes. 5. 29. *Vocauitque nomen eius Noe, dicens. Iste consolabitur nos ab operibus, & laboribus manuum nostrarum in terra, cui maledixit Dominus:* hoc est, hic mortem nobis afferet, & per eam pungentes spinas, quas vita hæc profert obtundet, nosque ab onere Ætna
Chrysost. grauiore exonerabit. Ita inibi Chrysostom. homil. 21. in Genes. *Quietem autem vocat, generalem illum interitum post multos annos futurum: sicut & Iob dicit mors viro quies.* Et post pauca: *Liberabit nos, inquit, ab omnibus malis prementibus.* Similiter Ambros. Ambros.
lib. 2. de bono mort. cap. 2. *Itaque si plena oneris vita, vtique finis eius alleuamentum est.* Sanè cum Cano Iulio egregio viro ferox Caligula vltimam necessitatem denunciaret; alacer ipse, & gratus respondit: *Gratias ago optime Princeps.* Dum verò hæc vox obscura aliquibus visa est, sic eam explicauit
Seneca, lib. de tranquil. anim. c. 14. *Tanquam libertatem libenter accepit.* Vide inibi Iust. Lips. Seneca.

Vidisti mortem, lucrum, remedium, consolationem, & requiem esse, adde modo singillatim præ- 6.
mij loco à Deo dari, eximiumque ipsius donum esse. Id quod vt alia omittam, ipsamet priorum fratrum, Abelis, videlicet, & Cain, historia satis confirmat. Sed vtriusque prius in Deum obsequia, necnon Dei in vtrumque placitum obserua: Equidem, *Abel* (vt Augustin. verbis vtar, lib. 1. de mirab. script. August.
cap. 3.) *totius humana iustitia princeps fuit.* Et vt inquit Ioseph. lib. 1. antiq. cap. 3. *Iustitiam colebat, &* Ioseph.
omnibus suis actionibus Deum præsentem ratus, virtuti operam dabat. Sed quis Cain? ille certè, *ex maligno erat, & opera eius maligna erant.* 1. Ioann. 3. 12. Et 1. Ioan. 3. 12.
vero pro vtriusque ingenio, dispar Deo oblatum sacrificium fuit. Etenim *Abel obtulit ex primogenitis ouium, & ex adipibus eorum id est, quæ præstantiora, elegantioraque haberentur,* vt inquit Cyrill. Alexand. lib. 2. in Genesim, (& vt Cyprian. de orat. Do- Cypr.
min.) *Pacificus, & iustus dum Deo sacrificat innocenter, docuit & cæteros, quando ad altare munus offerunt, sic venire cum Dei timore, cum simplici corde, cum lege iustitia, cum concordia pace.* Quid Cain? respondet S. Cyrill. Alex. citato loco. *Magna cum* Cyr. Alex.
negligentia offerebat, quæ enim ex tempestiuis frugibus excellentiores essent suis deliciis reseruabat, quæ verò deteriores haberentur, Deo maximo offerre non erubescebat. En dissimiles fratres; dissimilia merita Deo auctore, & interprete. Nam, *respexit Dominus ad* Gen. 4. 4.
Abel, & ad munera eius; ad Cain verò, & ad munera illius non respexit. Vbi peculiarem emphasim aliæ translationes habent: sic enim Chaldæus: *Suscepit* Chald.
Dominus cum beneplacito Abel, & munus eius. Sym- Symmac.
machus, *Delectatus est Dominus,* &c. Aquila: *Consola-* Aquil.
tionem accepit. Theodot. *Inflammauit Dominus super Abel, &c.* Id est, igne de cœlo misso Abelis sa- Theodot.
crificium probauit, & acceptauit, vel vt ego interpretor, exarsit Dominus amore Abelis, idque peculiari signo demonstrauit. Iam ergo, quod tandem magnum, & excellens præmium ex sua oblatione, necnon ex insigni sanctitate consecutus est Abel, quo ab iniquo fratre, ad cuius munera, nec *respexit,* Dominus: vbi LXX. *non aduertit,* quasi indigna Dei LXX.
oculis, & obseruatione essent, discerneretur? Respondeo; præmij loco à Deo mortem accepit, qua vitæ onus excuteret, & à laboribus requiem, à vinculis liberationem, à naufragio portum reciperet.
Ita notanter Ambros. lib. 2. de Abel, & Cain, cap. Ambros.
10. his verbis: *Redarguuntur itaque hoc loco, qui vnicam hanc vitam putant esse, quæ sit in hoc sæculo (omnia plena lapsus, plena mœroris sunt,) & redarguuntur simplici serie gestorum. Ecce enim iustus, innocens, pius propter gratiam deuotionis odia fratris incurrens, immaturus adhuc aus sublatus est parricidio; & iniquus, sceleratus, impius, etiam fraterna cæde pollutus longæuam duxit ætatem, duxit vxorem, posteritatem reliquit, vrbes condidit; & hoc meruit permissione diuina.* En Abelem morte, vt insigni præmio decoratum! Pende illud in Ambrosij verbis. *Redar-* Idem
guuntur simplici serie gestorum. Ac si dicat, non aliis argumentis, aut rationibus, sed ipsamet historia, & facti specie id satis apparet. Quid enim Abeli innocenti, sancto, Deique amico, nisi quod illi melius

esset, & virtutis suæ præmium existeret, obuenire posset? Sic alibi obseruauit idem Ambros. dixisse
Psal. 115. 6. Vatem, Psalm. 115. 6. Pretiosam sanctorum mortem potius, quam vitam esse, quod mors egregiæ
Ambros. vitæ præmium sit: sic enim Ambros. lib. 1. de Fide Resurrect. *Mortem maluit præferre, quam vitam, ipsa mors Martyrum vitæ præmium est.*

7. Vt verò Abelem morte, vt præmio affectum, sic etiam Cainum ipsamet vita mulctatum, vides: *Hoc*, inquit Ambros. *meruit permissione diuina*: meruit enim impius, rusticusque colonus, acres vitæ spinas serere, metere, sibique colligere, meruit naufragium indesinenter pati, meruit intolerando onere premi,
Ambros. & defatigari. Quare subdit Ambros. *Nonne in his apertè vox Dei clamat? Erratis, qui putatis hic esse omnem viuendi gratiam. Non intelligitis, non aduertitis senectutem hanc, miseriarum esse veteranam, processionemque ætatis, ærumnarum stipendia, & Scyllæo quodam vsu circumsonari nos cottidianis naufragiis, tundi fluctibus, in scopulosis habitaculis degere, & in his delectari, sicut illud non tam æternum animal, quam immortale malum? Ergo. & isti Cain longæuitas indulta, vindicta est.* Quod si & Abelis nomen attendis, ex ipsomet præfatam rationem firmabis. Duplex enim ipsi redditur significatio; altera, vt sit idem, ac *quid hoc*? altera, *luctus vanitas*. Ergo Abel, *defunctus adhuc loquitur*, monens, *quid hoc*, quidquid in vita est, nisi, *luctus*, & dolor. Præstat igitur mori, quamuis non statim cœlesti beatitudine refoueat, vt luctu, & mœrore liberet. Fuit verò apud Romanos Brutus quidam Caino, vitam percupide amanti adsimilis, qui morti damnatus cum infelix vitæ momentum summo dedecore emisset, tandem iussus præbere ceruicem, dixit. *Præbebo; ita viuam.* Ad quam vo-
Senec. cem sic exclamauit Senec. epist. 82. *O hominem dignum, qui vita dederetur*! ac si diceret, non debuit tam stolidus, tam brutus homo, minori, aliaue, quam diuturnioris vitæ pœna affici.

8. Dicat non nemo: si mortem, quam mos est, damnum, iacturam, dolorem, & supplicium appellare; lucrum, remedium, leuamen, & beneficium vocas, quid restat, nisi vt nomina ipsa confundas, & mortem vitam, vitam verò mortem appelles? Sed quidni? Certè, si quæ diximus, vera sunt, id etiam haud difficile confirmant. Cur enim impius parricida vitæ addiceretur, ni ipsa vita, mors, nec vna, sed multiplex esset? ille siquidem cum se mortis reum agnouit, ab ea se liberari existimabat, si à nemine occideretur, vnde queribundus dicebat. *Ecce eiicis me hodie à facie terræ, & à facie tua abscondar, omnis igi-*
Gen 4. 14. *tur, qui inuenerit me, occidet me*, Genes. 4. 14. ac si sortem suam dolens pœnæ à Domino veniam postularet. At enim verò rectus, sapiensque iudex, qui rerum naturas melius nouerat, sic illi annuit, vt plurimas, pro vna, mortes vitæ admixtas in pœnam da-
Ambros. ret. Audi Ambros. citato loco. *Nec tamen magna concedit Deus: sed in eo ipso imprudentiam insipientis vlciscitur, qui cum esset perpetuis suppliciis obnoxius, non remitti sibi pœnam poposcit, sed vitam corporis huius seruandam putauit, in qua plus ærumnæ, quam voluptatis; mors enim vna est in secessione animæ, & corporis, & in fine istius vitæ, quæ simul, vt venit, omnes corporis dolores auferre, non augere consueuit; metus verò, qui hanc vitam viuentibus frequenter ingruunt, mœstitia, dolores, gemitus, diuersique cruciatus grauantium, & ægritudinum vulnera plurimas etiam mortes generi humano inferunt.*

9. Sed id non à posteriori (vt aiunt) sed à priori confirmare placet. Certè Paulus dum vitæ, mortisque
2. Ad Cor. 5. 6. & 8. mentionem fecit, 2. ad Cor. 5. 6. & 8. rerum potius veritate, quam vsu loquendi punctus, solita vitæ, mortisque vocabula fastidiens, sic se explicuit: *Scientes, quoniam dum sumus in corpore, peregrinamur à Domino.* En periphrasim qua vitam tuam indicauit: & statim, vt mortem, quam tu vocas, aperiret. *Audemus* (inquit) *& bonam voluntatem habemus magis peregrinari à corpore, & præsentes esse ad Dominum.* Ex quibus, dubio procul, liquet, commutari debere vitæ, mortisque nomina. Nam viuendi, & moriendi ratio à Dei præsentia, vel absentia sumi debet. Sic enim Ioan. c. 1. 3. iuxta August. & plurium Patrum Ioan 1. 3. August.
dispunctionem: *Quod factum est, in ipso vita erat*; hoc est, quidquid viuit, & spirat, nonnisi ab ipso vitam haurit: ergo dum peregrinaris à Domino, viuens mortuus es: Contra verò dum illi præsens ades, etiamsi mori videaris, re vera vitam viuis. Videtur quidem id inibi sic attigisse Theophylact. *Apostoli* Theoph.
autem aduerte prudentiam, quomodo vitæ, ac mortis tacitè expressit nomen: eum alteram versari erga Dominum dixerit, alteram ab eo longè peregrinari, vt nemo à præsenti hac pendeat vita, vt quæ à Domino ipso diuertat. Ita Theophylact. A qua quidem cogitatione non iuit Nazianzen. orat. 19. de parentis sui Nazianz.
excessu matrem sic consolatus. *Vita quippe, & mors, tametsi plurimum inter se dissidere videantur; inter se tamen quodammodo immeant, atque altera in alterius locum subit. Illa enim à corruptione, matre nostra, incipiens, ac per corruptionem, hoc est, perpetuum eius, quod præsens est excessum, gradiens, in corruptionem tandem, hoc est, in huius vitæ finem desinit: hæc autem, quæ præsentibus malis liberat, atque etiam sæpe ad supernam vitam traducit, haud scio an propriè mors appellari queat, vtpotè nomine magis, quam re formidabilis.* Ergo, si propriè loquendum, mors, vitalis; vita, mortalis est: illa siquidem ad vitam, hæc ad mortem ducit; illa tota corrumpens, hæc corrupta innouans, viuidumque splendorem impertiens. Audi D. Bern.
iam tandem Bernard. serm. vlt. in Psalm. Qui habitat. *Hæc enim vita, qua viuimus, magis mors est, nec simpliciter vita, sed vita mortalis. Moritur homo dicimus, quando morti certissimè appropinquat. Quid vero agimus ex quo primum incipimus viuere, nisi morti appropinquare, & incipere mori?* Hæc Bernard.

ADNOTATIO V.

Mortem maximum lucrum esse, quod peccata præcidat, & à peccandi periculo remoueat.

IN potissimam rationem, cur Paulus dixerit: 1.
Mori lucrum, nimirum: *Lucrum maximum computans, iam sæcularibus laqueis non teneri, iam nullis peccatis, & vitiis carnis obnoxium fieri*: vt dicebant Primasius, & Cyprianus in expositione litteræ adducti: Sanè, quantus quantus sit Paulus, non aliter à Deo fuit confictus, quam egregium illud patientiæ exemplar Iob, qui Domino dicebat. *Memento, quæso, quod sicut lutum feceris me, &c. pelle, &* Iob 10. 9. & 11.
carnibus vestisti me, ossibus, & neruis compegisti me, Iob 10. 9. & 11. hoc est, reuoca, obsecro, in memoriam, vt mei miserearis, & erratis veniam des, humanum animum, generosum quidem, & penè diuinum cœno, & luto mortalis huius corporis, à quo aliquando non infici non possit, vndique circundatum, atque eius necessitatibus ita obnoxium, & quasi alligatum, & subditum, vt vix animi intentio queat subsistere, quin hinc detineatur, illinc laxetur, ita Ambros. lib. de bono mort. cap. 3. his verbis:
Multas occupationes nobis corporis huius necessitas Ambros.
ingerit,

gignit, atque vsu inuehit, quibus impeditur animæ vigor, & reuocatur intentio; vnde de se pulchrè dicit sanctus Iob 10. Memento, quia sicut lutum me finxisti: *si ergo lutum est corpus, oblinit nos vtique, non diluit, & coinquinat animam inquinamento intemperantiæ.* Corium, & carnem me (*inquit*) induisti ossibus, & neruis intexuisti: *Ligatur utique, & distenditur anima nostra istius corporis neruis, & ideo interdum rigescit, sæpe curuatur: & addidit*, induxisti super me tentationes: *quid enim est aliud hæc vita nisi plena laqueorum? Inter laqueos ambulamus, inter plurimas versamur tentationes.* Hæc Ambros. Quæ priùs, ac si hunc Iobi commentarium legisset, sic notanter expressit Senec. in consolat. ad Marc. c. 24. *Imago duntaxat filij tui periit, & effigies non simillima; ipse quidem æternus, meliorisque nunc status est, despoliatus oneribus alienis, & sibi relictus: Hæc quæ vides ossa circumuoluta neruis, & obductam cutem, vultumque, & ministras manus, & cætera, quibus inuoluti sumus, vincula animorum tenebræque sunt. Obruitur his animus offuscatur, inficitur, arcetur à veris, & suis, in falsa coniectus.* Senec.

2. Quare, vehementiori huius considerationis impetu abreptus sub iugo, ac seruitute peccati, secundum carnem gemens, & ad libertatem anhelans; exclamat Paulus ad Rom. 7. 24. *Infelix ego homo! quis me liberabit de corpore mortis huius?* Ad Rom. 7. 24. vbi magis ad rem Syriaca lectio habet, (quo etiam modo Græca verti possunt) *de corpore isto mortis: corpus mortis*, appellans, non tam quod mortale sit, quam quod mortale ex peccato Adæ redditum, peccati affectibus, ac ipsi peccato obnoxium fuerit: Ita ibi Theophyl. *Nam postquam illud ex Adæ præuaricatione patibile redditum, simul, & eò redactum est, vt facile queat à delicto compreh.ēdi.* Theoph. Vel si phrasim Hebræam velis premere, qua vir mortis, aut filius mortis dicitur, qui morti addictus, & damnatus est; acrior est sensus, vt ea sint peccandi pericula, & laquei, vt corpus peccato, quasi destinatum, vel damnatum sit. Quid hæc sibi velint ex Cypriano disces, serm. 4. de mortalit. sic monente. *Cum auaritia nobis, cum impudicitia, cum ira, cum ambitione congressio est, cum carnalibus vitiis, cum illecebris sæcularibus assidua, iugis, & molesta luctatio est. Obsessa mens hominis, & vndique Zabuli infestatione vallata vix occurrit singulis, vix resistit: si auaritia prostrata est, exurgit libido; si libido compressa est, succedit ambitio; si ambitio cōtempta est, ira exasperat, inflat superbia, vinolentia inuitat, inuidia concordiam rumpit; amicitiam zelus abscindit; cogeris maledicere, quod lex diuina prohibet; compelleris iurare, quod non licet.* Cyprian. En corpus mortis, siue peccatis obnoxium, & quasi damnatum. Adstipulatur Ambros. orat. de Fide Resurrect. inquiens. Ambros. *Quid nobis miserius? qui tanquam spoliati, ac nudi projicimur in hanc vitam corpore fragili, corde lubrico, imbecillo animo, anxij ad sollicitudinem, desidiosi ad laborem, proni ad voluptates.* Iam hinc sic infert statim Cyprianus. Cyprian. *Tot persecutiones animus cottidie patitur, tot periculis pectus vrgetur, & delectat hic inter Zabuli gladios diu stare? cum magis concupiscendum sit, & optandum, ad Christum subueniente velocius morte properare.* Ergo, vt Paulus exclamat. *Infelix ego homo! quis me liberabit de corpore mortis huius?* Ita Hieron. Hieron. epist. 22. ex his verbis à pluribus ardenter, nimiumque hanc vitam amantibus: sic inquit. *Sāctus Apostolus, vas electionis, & separatus in Euangelium Christi, &c. post nuditatem ieiunia, famem, carceres, flagella, supplicia in semetipsum reuersus exclamat; infelix ego homo, &c. tu te putas securum esse debere?* Iam verò Ambros. vbi supra premens ea Pauli verba, sic ait. Ambros. *Infelix ego homo, nisi remedium quæram. Sed quod remedium? Gratia Dei per Iesum Christum. Habemus medicum, sequamur remedium. Remedium nostrum Christi gratia; & corpus mortis, corpus est nostrum. Ergo peregrinemur à corpore, ne peregrinemur à Christo, nec deseramus iura naturæ, sed dona gratiæ præoptemus.* Dissolui, & esse cum Christo multo melius. Hæc ille.

Simile quidem egregij illius Simeonis votum erat, qui Christo in vlnas, velut mortis suæ pignore accepto. (Coniice quam ingens bonum mors sit, cuius ipsa vita vitarum pignus est) alacer, & lætus clamauit. *Nunc dimittis seruum tuum Domine, secundum verbum tuum in pace.* Lucæ 2. 29. At, siste bone senex: Quid? Ita ne Regem nuper aduenientem decet, morti seruum addicere? Alia quidem Principum conditio, aliud munus est: hi enim carceres reserant, compeditos absoluunt, ad necem damnatos liberant, & vel solus ipsorum aspectus salutaris est: Cur ergo ex principis omnium maximi præsentia tu ad mortem ibis? Eritne tantæ expectationis hæc digna merces? Ita quidem; ita omnino: nec enim (inquiet ille) carceri, exilio, aut morti me addico, imò potius è carcere, è laqueis, è vinculis, è seruitute, è morte, è periculis inquam peccandi liberari volo; ideo dimitti posco, vt quasi liber, & expeditus abeam: Ita Ambros. lib. de bono mort. cap. 2. *Ita dimitti petit, quasi à vinculis quibusdam ad libertatem æstimaret; sunt enim velut vincula quædam corporis huius, & quod est grauius vincula tentationum, quæ nos alligant, & ad iniuriam captiuitatis adstringunt quadam lege peccati.* Similiter Cyprianus, perpendens illud: *in pace*: his verbis. *Probans scilicet, & cōtestans, tunc esse seruis Dei pacem, tunc liberam, & tranquillam quietem, quando de istis mundi turbinibus extracti sedis, & securitatis æternæ portum petimus, quando expuncta hac morte ad immortalitatem venimus.* 3. Luc. 2. 29. Ambros. Cypr.

Cogit verò molesta hæc corporis sarcina rursus exclamare Paulum, 2. ad Corint. 5. 4. *Nam, & qui sumus in hoc tabernaculo ingemiscimus grauati*: seu vt legit Syriacus: *ingemiscimus ob eius onus*: Quale verò respondet Seneca sensa, & verba communia afferens epist. 65. *Corpus hoc, animi pondus, & pœna est. premente illo vrgetur, in vinculis est*: Nimirum; *Corpus, quod corrumpitur aggrauat animam, & terrena inhabitatio deprimit sensum multa* (Græcè *magna*) *cogitantem*. Sap. 9. 15. Vis videre aggrauatum, & depressum? Audi Vatem, Psal. 37. 5. *Iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, & sicut onus graue grauatæ sunt super me*; & statim: *Miser factus sum, & curuatus sum vsque in finem.* Vnde Chrysol. serm. 44. cum acutè obseruasset non dictum ab eodem Vate, Psal. 1. 1. Beatus vir, qui non venit in viam peccatorum, sed potius, *non stetit*: quod: *nemo in viam non venit peccatorum, in qua nos lex ipsa naturæ perducit, & mortis*, hæc subiicit: *Istis ponderibus impeditus flebat Propheta, dicens.* Iniquitates meæ superposuerunt caput meum, & sicut onus graue, &c. *& quia toto vitæ tempore eas ferebat, exclamat*: Miser factus sum, & curuatus sum. Ad quem etiam modum Bernard. epist. 144. sic cum suis Clarevallensibus conquerebatur. *Huic accessit & speciale, (quod pene impatientem me reddit,) vt cogar viuere sine vobis, longa molestia, & tædiosa expectatio, vanitati huic occupanti omnia, tamdiu manere subiectum; fæculenti corporis horrido circumdari carcere, & mortis vinculis, funiqae peccatorum nec dum absolui, &c.* Meritò ergo inquit Ambros. de fide Resurr. *Beata igitur mors, quæ culpæ refuga, Domino dedita à mortali nos separat, immortali nos consecrat.* Hæc, & alia Ambros. 4. 2. Ad Cor. 5. 4. Syriac. Senec. Sap. 9. 15. Psal. 37. 5. Psal. 1. 1. Chrysol. D. Bernard. Ambros.

Eadem erat Regio Vati mens, nec alia quidem verba: cum Psalm. 119. 5. non sine gemitu dicebat. *Heu mihi, quia incolatus meus prolōgatus est, habitaui* 5. Psal. 119. 5.

cum

cum habitantibus Cedar: siue vt est in Hebræo: *habito cum tabernaculis, seu tentoriis Cedar*. Vbi sumpta metaphora à Cedarenorum, & Arabum vita, quæ & molestissima, & innumeris erat obnoxia periculis, quippe qui in tentoriis degentes, nec vllis mœnibus cincti, aut ædificiis muniti, tam cœli inclementiis, soli, frigori, pluuiis, quam hostium incursionibus patebant obnoxij: ad hæc in voce, *Cedar*, quæ tenebras significat, indicās caliginem, & obscuritatem, quam mundus, caro, & concupiscentiæ menti offundunt: (*fascinatio enim nugacitatis obscurat bona, & inconstantia concupiscentiæ transuertit sensum*. Sap. 4. 12.) maximo in discrimine indesinenter se versari ostendit. Vnde Nazianz. orat. 10. in laud. Cæsarij premēs hæc verba, mortales vitæ addictos sic increpat: *Non ea quæ oculis cernuntur obiiciemus, nō ad ea quæ mente, & intelligentia comprehenduntur oculos conuertemus? non, si quid etiam mœroris concipiendum, idcirco potius mœrorem suscipiemus, quod incolatus noster prolongetur (Dauidis illius instar tenebrarum tabernacula, & afflictionis locum, & profundi limum, & mortis vmbram res huius vitæ appellantes,) quod in sepulchris iis, quæ circumferimus diutius hæreamus, quod vt homines peccati morte moriamur, cum dij facti simus*. En vitæ huius pericula sanctos ipsos, & qui Deum vitæ probitate referant, in discrimen adducentia. Quod verò nonnisi periculi suspicione, ac timore ductus eo in loco dicebat Vates, alibi vt damnū à se reapse contractum lacrymatur, sic enim Psalm. 55. 9. *Deus vitam meam annunciaui tibi: posuisti lacrymas meas in conspectu tuo*. Vbi si dubites, cur vno ex capite vitam suam annūciet, vt quid faustum, & gloriosum, quippe Vates, Rex, & quod est caput, Dei seruus existebat; ex alio verò lacrymarum mentionem faciat? Respondebo. Quia videlicet habitans in tabernaculis Cedar, vt homo moreretur, qui velut vnus è diis factus esset; vel ad minus tot, tam grauiaque discrimina pateretur, vt ab iis nonnisi multa lacrymarum vi erui posset: ita omnino Ambros. in Psal. 37. *Non enim quasi innocentem vitam annunciat: vbi lacrymæ funduntur, quæ solent legationem suscipere pro delictis: nisi forte sic intelligamus, quod etsi innocens quisquam sit, securus esse nō possit, cui sint aduersus grauissimos hostes cotidiana certamina, & ideo licet læta sit conscientia, tamen pugna lacrymabilis*. Ita ille.

6. Equidem hac potissimum de causa, vt peccato finis imponeretur, Deum benignissimo parentis affectu primum hominem ab esu ligni vitæ procul remouisse, vt mors, quæ peccatum præcideret, feliciter subintraret, sic ad ea verba Genes. 3. 22. *Nunc ergo ne fortè mittat manum suam, & sumat etiam de ligno vitæ, & comedat, & viuat in æternum*: affirmat Chrysost. hom. 18. in Genes. *Ne nunc, & lignum quod vitam præbet continuam attingere audeat peccaturus perpetuò, fatuus fueris hinc ipsum eiecit: ita vt magis fuerit prouidentiæ, indignationis illa eiectio*. Monuit idem S. Cyril. Alex. lib. 3. cont. Iulian. sed aucto cēsu, dum ex morte peccatori homini concessa, peccāri Angelo denegata, eximiam Dei erga hominem dilectionem, siue electionem; superborum verò spirituum odium, & reprobationem elicit, ipse etenim impio Imperatori Iuliano nobis obiicienti, Moysem referentem Deum Adamo fructum arboris vitæ interdixisse, ipsum, vel malignum, vel inuidum facere, qui homini perpetuam vitam sine causa ademerit, sic respondet. *Neque inuidiæ, vel inuidentia opus erat, sicut ausus est dicere, quod prohibuerit eum, ne comedat de ligno vitæ, vt ne viuat in æternum. Admirabilis autem; & in isto prouidentiæ modus esset apud eos, qui sapiunt. Non oportebat enim eos, qui semel diuinis legibus ventrisque erant victi voluptatibus, & in tantam postea miseriam deducti, vt & in ipso corpore propter peccati legem languerent, malum perpetuò in hoc mundo seruare, & sicut immundi spiritus longam, & exosissimam Deo sanctissimo degere vitam*. Ita Cyrill. Ecce mortem, pulchrum beneficium, quo Deus homines à dæmonibus discriminauit; dum his, quia sibi inuisis, & qui in odio apud ipsum essent mortem seuerè denegauit; illis verò, vt amicis, & vnicè dilectis benignè, & liberaliter cōcessit. Sanè, vt cum hominibus tamquam cum vasis in honorem, cum dæmonibus autem, cum vasis in contumeliam se gereret. Sic enim de morte censuit Nyssen. orat. in funere Pulcheriæ. *Neque enim aliud quidquam est in hominibus mors, nisi vitiositatis expiatio. Quandoquidem enim natura nostra à Deo summæ rerum veluti vas quoddam bonorum capax ab initio condita est, sed ab inimico animarum nostrarum per fraudem nobis vitio affuso bonum, locum non habuit: idcirco ne vitiositas nobis inhærens perpetuo duraret prouidentia meliori, morte vas ad tempus dissoluitur, vt vbi vitiositas effluxerit, reformetur genus humanum, atque integrum ac purum à permixtione vitiositatis in pristinum vitæ statum restituatur*. Vides homines vasa in honorem per mortem purgata, ac munda, dæmones verò vasa in contumeliam immunditia, & sordibus peccatorum perpetuo plena exosissimam Deo sanctissimo degentes vitam.

Vnde facilè intelliges, quī hæc tā prouida mortis superinductio à Deo facta stare possit, cum pulcherrima illa eiusdem Domini asseueratione apud Ezechiel. 18. 23. *Viuo ego, nolo mortem peccatoris, sed magis vt conuertatur, & viuat*. Nec enim bene inter se videntur hærere, vt hinc à ligno vitæ arceatur homo, ea potissimum ratione, ne viuat in æternum; aliūde verò Deus affirmet, nolle se peccatoris mortem, sed potius, vt conuertatur, & quam longissimè viuat. Equidem ex prædicta ratione sic acutè hæc componit Ambros. lib. de bono mortis, c. 4. vt affirmet, vel eadē causa mortem fuisse superinductam, vt præcideretur, ac cessaret culpa cum illa præcisa, noua eaque æterna per resurrectionem vita subsequatur, quæ dum ab omni peccati labe est aliena, veræ vitæ nomen sortitur. Audi ipsum. *Passus est Dominus subintrare mortem, vt culpa cessaret, sed ne iterum natura finis esset, in morte data est resurrectio mortuorum, vt per mortem culpa deficeret, per resurrectionem autem restitueretur natura*. Ecce tibi quomodo non pugnet, Deum tum mortem, tum etiam vitam peccatoris velle. 7.

8. Ille verò huic instituto opportunissimus locus est Sapient. 4. 10. vbi de eo, qui Deo maximè gratus extitit, signatissimè dicitur immatura à Deo morte in rectè transactæ vitæ præmium fuisse præreptum, ne peccandi periculis maneret expositus. Audi. *Placens Deo factus est dilectus, & viuens inter peccatores trāslatus est. Raptus est, ne malitia mutaret intellectum eius, aut ne fictio deciperet animam illius*. Et statim. *Placita enim erat Deo anima illius, propter hoc properauit illum educere de medio iniquitatum*. Vbi primo expende causalem illam, *propter hoc*, quæ rationem meriti inferunt, vti hac epist. cap. 2. vers. 9. de Christo Domino corporis sui gloriam, & nominis exaltationem ob Passionis, & mortis præclara merita obtinente dixit Paulus: *Propter quod, & Deus exaltauit illum*. Vt inibi aduersus Caluinum ex Patribus confirmo. Deinde obserua, non dictum à Salomone; quia malitia mutatura esset intellectū eius, aut fictio deceptura, sed ne mutaret, ne deciperet; (video ex hac obseruatione, non immerito hūc locum eam opinionem, quæ ad plures Theologiæ nodos dissoluendos scientiam conditionatam feliciter adstruit;

[Margin notes: Sap. 4. 12. — Nazianz. — Psal. 55. 9. — Ambros. — Gen. 3. 22. — Chrysost. — Cyr. Alex. — Nyssen. — Ezec. 18. 23. — D. Ambr. — Sap. 4. 10. — Ad Philip. 2. 9.]

adstruit; sed egregia sententia, quæ tum in scripturis frequens, & apud Patres perpetuis testimoniis repetita, tum à Theologis necessaria argumẽtatione concluditur, ancipiti hoc fundamento cur egeat?) vt innuatur, non ob aliquod iusti illius præuisum futurum peccatum, sed solum ob peccandi pericula, & humanæ vitæ lubricum, insigni Dei benignitate, & largitate immatura eum morte fuisse præuẽtum: adeò malum est viuere: adeo lucrum est mori: Ita quidem tractauit hæc verba tam ex proprio, quam
Aug. ex Cypriani sensu August. lib. 1. de prædest. Sanct. c. 14. tom. 7. his verbis. Raptus est ne malitia mutaret intellectum eius. *Dictum est secundum pericula vitæ huius, non secundum præscientiam Dei, qui hoc præsciuit, quod futurum erat, non quod non futurũ erat; id est, quod ei mortem immaturam fuerat largiturus, vt tentationum subtraheretur incerto; non quod peccaturus esset, qui mansurus in tentatione non esset, de hac*
Iob 7. 1. *quippe vita legitur in Iob.* Numquid non tentatio est vita hominis super terram? Ita ibi: & post nonnulla. *Certe beatissimum Cyprianum disputasse constat*: (subaudi de huius loci sensu, vt ex verbis August. initio illius capitis fit manifestum,) *vt celerioris mortis beneficium commendaret, à peccatorum periculis eos eripi, qui hanc vitam finiunt, in qua peccari potest.* Pende illa August. *vt tentationum subtraheretur incerto*, necnon hæc Cypriani: *in qua peccari potest*; vt videas, quid de vitæ huius discrimine, quid de mortis lucro senserint Patres, nempe ea solum ratione, quod in hac vita peccari possit; (& verò quis non potest? immò, quis non peccat?) egregium Dei donum maximumque lucrum, mortem esse.

9. Vbi placet aduocare ea, Psalm. 115.5. verba: *Pre-*
Psal. 115.5. *tiosa in conspectu Domini mors Sanctorum eius*; iuxta eam expositionem à nobis datam, vers. 11. adnot. 2. num. 5. vt suorum vitam tanti Deus faciat, vt nec vnicum illius punctum decurtari sinat, nisi ingens pro eo pretium ipsi persoluatur: cui cogitationi etiam adiungo emphaticè à Deo Moysi dictũ fuisse:
Deut. 32. 49. *Ascende in montem, & morere in monte.* Deuter. 32. 49. quod iustorum mors nonnisi ob altissimas rationes, quæ in magnam Dei gloriam, & moriẽtium vtilitatem cedant, ob quas non casus, sed ascensus dicatur, à Domino dispensetur: ex quibus legitimè inferas, quam anceps, quamque aleæ plena hæc vita sit, quantique à Deo fiat, extra telorum iactum suos esse; quando hac solum de causa pretiosam sibique charissimam illorum vitam liberaliter diffundat, atque immature eos tollere non renuat. Et quidem merito: quantumcumque enim pro securitate pendas; parum est, nunquam verò satis plena securitas, vbi periclitatum fuerit. Applaudit his Isa-
Isai. 57. 1. ias, c. 57. 1. inquiens: *à facie malitiæ collectus est iustus*; quæ non de vno, aut altero, sed generaliter de iustis
D.Thom. accipiuntur à Sanct. Thom. Adamo, & aliis ibi, vt is
Adamus. Dei mos sit, amicos suos ob peccatorum discrimina ad se citius colligere: sed obserua pulchrum dicendi modum: *A facie iniquitatis*; plus enim est: *à facie iniquitatis*, quam ab ipsa iniquitate colligere; hac enim locutione significaretur, mortuum fuisse, ne peccaret; illa verò, ne peccandi periculo maneret obnoxius: & vt ita dixerim, ne peccatum de facie nosset, ne videret, ne audiret: sanè peccatum basiliscus est, qui non contactu solum, sed afflatu etiam nocet, ideo ab eius facie merito colligitur iustus.

10. Huc facit Regius Vates, Psalm. 33.8. vbi de Deo
Psal. 33. 8. auxiliarem semper manum suis præstante, inquit: *Immittet Angelus Domini in circuitu timentium eum*;
Bibl. Compl. siue vt Biblia Complut. habet: *Castrametabitur Angelus Domini*, &c. quod propriè significat Græcum verbum, παρεμβαλεῖ: est enim, quasi tentoriis dispositis collocari, siue castra, & stationes habere, quare sẽsus est: immittet Dominus Angelos: (species enim siue genus vnitatis numero, vt benè ibi notat Agel- Agell.
lius, in Scriptura significari solet) propugnatores, qui in circuitu timentium eũ indefessas excubias agant, vnde ex his verbis Basilius ibi, Cyrill. Alex. lib. 4. de Basil. Cyrill. Alex.
adorat. Isidor. de vocat. gent. c. 10. Hieron. pluribus in locis, & alij Patres, & interpretes dogma de An- Isidor.
gelorum custodia indubitato colligũt. At quod iam Hieron.
Angelicæ huius custodiæ munus? Subdit Vates: *& eripiet eos*: vbi maximè adnotari debet Hebraicæ coniugationis vis. Certè licet Hebræum verbũ ibi positum in coniugatione, *Kal*, solum significet, vtcunque remouere, aut transponere; at in, *Piel*, non simpliciter, sed magno cum impetu, & violentia remouere indicat: vt innuat Dauid propugnatores Angelos, vt suo muneri satisfaciant sæpius commissos sibi clientes impetu, & vi, hinc illic, id est, ex hac in aliam vitam transponere. Sed quæ hæc custodia? Quisue custodiendi, & excubandi pro suis modus? Dicat non nemo ad interfectores potius Angelos, quam ad custodes id pertinere, nec excubias ad protegendum, sed ad insidiandum appellet. At enim verò hæc firmissima tutela, fidissima custodia hæc, quæ Dei seruos à facie peccati, ab incerto tentationum, à vita in qua peccari potest, à periculis denique peccandi immunes reddit. Vnde præfato loco Salomon, vbi de immatura iusti morte egit, subiicit de insipientibus: *Videbunt enim finem sapientis, &* Sap. 4. 17.
non intelligent, quid cogitauerit de illo Deus, & quare munierit illum Altissimus. Vbi omissa corruptissima lectione, quam habent nonnulli Codices, quæ in Complutenses etiam, & Regios irrepsit, pro, *munierit*, reponentes, *minuerit*; benè iusti mors tutela siue protectio, & tutamentum ab hoste appellatur, & verò Græcum verbũ, ἠσφαλίσατο, propriè significat securum reddere eum, qui in lubrico, & infido loco (talis quidem mundi situs) pedem vix firmare valet. Ergo egregij doni loco: *Immittet Angelus Domini in circuitu timentium eum, & eripiet eos.*

Hinc quidem, & dies mortis, diei natiuitatis; & 11.
mortui, viuentibus à Salomone longo interuallò anteferuntur, Ecclesiastes 7.2. & c.4.2. quia videli- Eccles. 7. 2. & cap. 4. 2.
cet mortui extra stadium, siue periculum peccandi iam sint, vt interpretes exponunt, & Ambros. toto Ambros.
lib. de bon. mort. Vnde Olympiod. in priorem Salo- Olympiod.
monis locum. *Natalitius dies in turbulentum vitæ huius pelagus nos inducit, vbi draco latibulum suum posuit; transitus verò dies è stadio nos abducit.* Ac si dixerit: vide vnius præ alio præstantiam, quando natiuitatis dies omnibus ærumnis, & quod caput est peccandi periculis, & dæmonis fraudibus, ac proinde æternæ morti nos exponit; dies verò mortis, è tanto discrimine nos eximit. Ad quem etiam mo- Origen.
dum Origenes in id Iob 3.3. *pereat dies in qua natus sum*; scite obseruat non morte, aut mortis nunciis, Iob 3. 3.
ægritudinibus, scilicet, & doloribus, sed potius diei natiuitatis Iobum indignabundũ maledixisse, quod hæc tentationibus, & peccandi discrimini reddiderit obnoxium: Quare Iobi verba cum præfatis Salomonis; ita componit. *Non maledicatur dies mortis, nec dies finis, nec dies exitus de hoc sæculo, est namque confirmatio, & requies, & dolorum omnium transitus, ac depositio; dies natiuitatis omnium tribulationum, & angustiarum, dolorum quoque, ac miseriarum omnium, nihilominus peccatorum & impietatum initium est, atque introitus: merito maledictus dies in quo natus sum, quia melior est dies mortis, die natiuitatis.* Confirmant id Christi lacrymæ in resurrectione Lazari vbertim fusæ, Ioan. 11. 35. nam dum meritò ambigi- Ioan. 11. 35.
tur, cur sapientissimus Dominus cum flebat, quem

continuo suscitare vellet, Isidorus Pelusiota lib. 2. epist. 173. acutè respondet: non ideo lacrymatum, quod mortuus fuerit, sed potius quod ad declarandam gloriam suam à loco quietis in quo erat, ad stadium, & palæstram ancipitis periculi plenam, & à placido portu, in quem incolumis peruenerat, ad altum, & tempestatibus æstuans mare reuocaret: audi illum. *Saluatoris amicus* (Lazarus) *erat; amicus porro cum esset omnino, vel probus erat; nec enim puro, & labis omnis experti iustitiæ charus fuisset, nisi iustus extitisset. Deus enim non fauore, sed iudicio ad amandum duci solet; cum autem iustitia præditus esset, atque ex huius vitæ stadio* (sic lego: non *studio*, vt Codices mendosè habent) *cum laude, atque gloria excessisset, non est dubium quin in requie, & honore esset. Quoniam igitur ob suam gloriam à morte ad vitam excitaturus esset, collacrymauit; his propemodum verbis vtens: eum qui portum iam appulerat, rursus ad fluctus, & procellas voco, eum qui iam coronam consecutus erat, ad certamina rursum duco.* Hæc Isidor.

Isid. Pelus.

12. Quæ hactenus diximus ad communia sapientum omnium sensa pertinent; illud alicui admirationi forsan erit, & inter parerga siue etiam paradoxa computabit; mortem non modo iustis, quod à peccandi periculis eos remoueat, sed peccatoribus etiam, ac reprobis hominibus in lucro ponendam esse, quod peccatorum telà illis præcidat; sed enim, adeò non est paradoxa, vt plurium Patrum calculo hæc sententia probetur: nam in primis Ambros. serm. 18. in Psalm. 118. & lib. de bon. mort. c. 7. sub hoc sensu capit citata Ecclesiastes verba cap. 7. 2. *Et laudaui magis mortuos, quam viuentes.* Sic enim priori loco. *Pœna enim corrigit, & emendat errantem; si talis est, qui emendari non queat, aufertur è medio, ne grauiora committat: mortuus enim, iam nescit errare, ideoque Ecclesiastes ait,* & laudaui ego mortuos magis, quam viuentes, & optimum iudicaui supra hos, eum, qui nondum natus est, qui non vidit hoc opus malum, *mortuus præfertur viuenti, quia peccare desiuit;* &c. Et lib. de bono mortis, cap. 7. luculentius eadem Ecclesiast. verba pertractans, post alia inquit: *Non, quod amara sit mors, sed quod impio amara, & tamen amarior vita, quam mors; grauius est enim, ad peccatum viuere, quam in peccato mori, quia impius in quantum viuit, peccatum auget; si moriatur, peccare desinit.* Similiter Bernard. serm. de nimia fallacia præsentis vitæ, vbi de ea sic ait. *Modò enim se breuem esse causatur; modo simulat longiorem, cum peccare delectat adhuc, gemit altius pro breuitate sua, nec breuitas ipsa, sed gemitus fallax, quod id memoret cum mœrore, vnde magis oportuerat gratulari, siquidem bonum est ei, si sic agere perseuerat, vt flagitiis eius, quibus voluntas modum non ponit, vel necessitas finem ponat; expedit ei, qui semper in anima moritur, vt corpore citius moriatur.* Vnde in peccatorum etiam morte gaudendum hac ratione esse, sic docet Chrysost. serm. 8. in hanc epist. *Gaudeamus igitur & nos cum iustum viderimus interiisse, vel potius quando aliquem etiam ex desperatis. Nam ille quidem discedit, laborum suorum mercedem accepturus; hic vero quippiam de peccatorum suorum numero detraxit.* Sed enim ne aliquis occurreret inquiens peccatorem si diutius vixisset, vitam fortè mutaturum fore, sic scientia conditionata instructus animosè respondet Chrysostom. *Sed fortasse inquis viuens vitam mutasset suam? At non illum rapuisset Deus, si vitam esset mutaturus.* Hæc Chrysost.

Ambros.

Eccl. 7. 2.

D. Bernard.

Chrysost.

Idem.

13. Hæc illa Vatis imprecatio firmat Psalm. 54. 16. *Veniat mors super illos, & descendant in infernum viuentes:* vbi si attendis, non mortem, sed vitam in grauissimam scelerum suorum pœnam prophetico potius ore, quam amaro animo, & vindictæ studioso criminosis illis denunciat. Quare obserua Hebræum verbum, *iesi*, quod plures significationes mutuo sibi manus dantes habet. Primum enim significat, *obliuisci*: quare appositè verteris: *obliuiscatur mors illorum*: deinde eam vim habet, ac *decipere*: vnde rectè legas, *decipiat mors illos.* At peccator felicem hunc errorem, & deceptionem putet, si mors illius obliuiscatur. Sed talis animi nebulas, atque caliginem propriissima verbi significatio arguit, est enim fœnerari, siue in fœnore collocare, aut ad vsuram dare, atque ideo optima erit lectio; *fœneretur mors super illos*: Hispanè, *carguè vsuras.* Is ergo erit sensus, vt sumpta metaphora à fœneratore, qui pecuniam, quam ad vsuram dat, non statim, sed cum fœnore redditam, & multiplicatam curat exigere, imò verò ad τόκου τόκον: id est, fœnorum fœnora, vt adagiali locutione inquit Aristophan. inauidus, semper anhelat, donec omnem debitoris substantiam sugat, & absumat. Vnde Psalm. 109. 11. *Scrutetur fœnerator omnem substantiam eius:* Hebraicè. *Illaqueet fœnerator omnia, quæ* (sunt) *ei*, acerbum hoc peccatorum supplicium exprimit Dauid, cum ad pœnarum cumulum sic viuere permittuntur, vt spatium vitæ, quod super eos mors fœneratur, conduplicato subinde eorum supplicio recipiat. Cui sensui bene sequens hemistichium sub duplici sensu congruere ostenderem, si vacaret. Sed pro sententia sic pulchrè Ambros. lib. 2. de Abel, & Cain, cap. 10. *Nam si nocentes moriuntur, qui gradum à peccatis reuocare noluerint, vel inuiti tamen finem non naturæ, sed culpæ adipiscuntur, ne plura delinquant, quibus vita fœnus est delictorum.*

Psal. 54. 16.

Heb. Lect.

Aristoph.

Ps. 109. 11.

Ambros.

Do tibi in huius doctrinæ exempla, insignes peccatores Pharaonem, & Cain; super quos dire mors vitæ spatia fœnerata est: nam ad illum sic inquit Exod. 9. 16. *Idcirco posui te, vt ostendam in te fortitudinem meam.* Sed obserua LXX. legere: *Propter hoc conseruatus es:* In Hebræo verò, vt Pagnin. & alij transferunt, esse, *stare te feci*, hoc est, vt Vatabl. explicat, non ilico te exterminaui cum morti iam esses addictus: vt sensus sit dilatum Pharaoni viuendi spatium, mortemque ipsi ad fœnus datam, vt cum vsuris ab eo subinde exigeretur. Nec alium quidem, quam Paulum huius cogitationis auctorem habemus, sic legentem, & explicantem hæc verba ad Roman. 9. 17. *Dicit enim scriptura Pharaoni. Quia in hoc ipsum excitaui te*, siue vt alij Codices apud Ambros. habent, *suscitaui te*: planè quasi is qui mortalitatem explere iam debuisset, vitæ redditus in pœnam sit, vt vita deinceps fœnus illi pœnarum foret: Ita inibi Ambros. his verbis. *Suscitatus autem dictus est, quia cum apud Deum mortuus esset, modicum tempus accepit, vt viuere videretur; vt esset in cuius pœna, & vario tormentorum genere, vsque ad mortem, omnes qui sine Deo erant, metu territi, hunc solum Deum esse cum admiratione maxima faterentur, à quo hæ vindictæ fiunt.* 14.

Exod. 9. 16. LXX. Pagnin.

Ad Rom. 9. 17.

D. Ambros.

Simile Cain subiuit iudicium, is enim sceleris conuictus, ad mortem sese vltro damnauit illis verbis: *Omnis igitur, qui inuenerit me occidet me.* Genes. 4. 14. ac si dixerit. Actum est iam de me, ego me morti dedo: at Deus. *Nequaquam ita fiet: sed omnis qui occiderit Cain, septuplum punietur*: ac si diceret. O nequam, ad mortis compendium vis confugere? Minimè ita erit, sed vt te morti, ita ego in flagitij pœnam vitæ te damno, vt mortis fœnora persoluas Ita inibi Ambros. lib. de Abel, & Cain, cap. 10. *Ergo & isti Cain longæuitas indulta, vindicta est; eò quod vixit in metu, & prolixum spatium multo cucurrit, & infructuoso labore, qua pœna nihil grauius, quam* 15.

Gen 4. 14.

vt

vt quis ipse sibi maiorum causa pœnarum sit. Hæc ex
Hierō. Ambros. Similiter Hieron. epist. 125. ad Damasc. quæst. 1. ad hunc modum. *Verum Deus nolens cum compendio mortis finire cruciatus, nec tradens pœnæ qua ipse se damnat, ait: non sic, sed viues vsque ad septimam generationem, & conscientia tua igne torqueberis, ita vt quicumque te occiderit, aut in septima generatione, aut septimo te liberet cruciatu: non quod ipse qui occiderit Cain, septem vltionibus subiiciendus sit, sed quod septem vindictas, quæ in Cain tanto tempore incurrerunt, soluat interfector occidens eum, qui vita fuerat derelictus ad pœnam.* Hæc de Cain Patres. Cōtra verò de iis, qui diluuio submersi perierunt, sic
Chrysost. sub Domini persona inquit Chrysost. *Nam, quia video vlcera eorum incurabilia, sistere volo malitiæ fluenta, vt ne grauioribus pœnis obnoxios se faciant.*

16. Ezech. 24. 9. Quam etiam ad rem spectare videtur grauissima illa Dei comminatio, Ezechiel. 24. 9. *Væ ciuitati sanguinum, cuius ego grandem faciam pyram.* Siue vt LXX. *Magnificabo torrem*, seu titionem, hoc est, multiplicabo ligna, vt sensus sit. Væ infelici peccatori, quem longa vitæ spatia consumere permitto, ipse enim peccata peccatis accumulat, ego supplicia suppliciis, & igni ligna subiicio. Dum tamen, quæ stultissimorum peccatorum miserrima cōditio esse solet, ipsi de longæuitate, & quod omnia ex animi sententia eueniant, quam maximè lætantur ad in-
Tertullian. star dæmonum, de quibus scitè Tertullian. in Apologet. cap. 27. *Desperata conditio eorum ex prædam-*
Philo. *natione solatium reputat, fruendæ interim malignitati de pœnæ mora.* Vbi libet exclamare cum Philone, lib. de confus. linguar. *O infinitam, & immensam miseriam! omnia quæcumque aggredietur mens dementissima succedunt ex sententia, nec magnus, nec paruus conatus frustrabitur vllus, vltro negotiis animæ occurrentibus, & sese præbentibus. Hæc sunt animæ viduatæ indicia, peccantis absque impedimentis omnibus.* Nimirum, ij omnes prosperi euentus, ea vota, & conatus non frustrati, ligna quidem & titiones sunt, quibus grandis, atque magnifica construitur pyra.
Eccl. 47. 31. Equidem Ecclesiastici 47. 31. de populo in scelera, atque flagitia prolapso dicitur; *plurima redundauerunt peccata ipsorum*, &c. *vsque dum perueniret ad illos defensio.* Sed quæ defensio? Noueris ex transla-
Tigurin. tione Tigurinæ, quæ habet, *donec indignatio inuasit eos, & vltio.* Quid? indignari, & vlcisci, defendere est? Ita planè; quia opportuna vltio suoque tempore reddita mors peccatorem à pœnarum fœnoribus, & vsuris defendit.

Iam verò mortem maximum lucrum esse, quod *dissolui, & esse cum Christo multo melius*, vt inquit Paulus, vers. 23. ibi propriam sedem habet: inde pete.

VERSVS XXII.

Quod si viuere in carne hic mihi fructus operis est, & quid eligam ignoro.

COMMENTARIVS.

1. Obscura, & impedita sententia, obscurior, & impeditior, vt Iustinianus monuit, interpretum expositionibus reddita, non secus, ac de ægrotis dixit
Plin. Plinius: *Plus illis periculi à medico, quam à morbo.* Quare ne vel lectorem, vel me ipsum impedirem, eum solummodo sensum, quem magis germanum esse reor, omnibus aliis omissis mallem afferre; sed cum debitor omnibus sim, frequentiores saltem interpretationes, vel inuitus referre cogor.

Ea ergo Erasmo, & aliis melioris notæ auctoribus huius loci videtur esse sententia, in qua verbum *contingat*, aut aliud huic simile ad hunc modum suppleri debeat, quod si adhuc mihi viuere contingat, ea certè res ad fructum operis, seu laboris mei, quem Euangelij causa subiturus sum cedet; quod perindè est, ac si dicat, quod si in carne permaneam, non dubito quin prædicatione mea, multos sim Christo lucrifacturus. Verum hunc explicandi modum cum stomacho reiiciunt Iusti- Iustinian. Cornel.
nianus, & Cornelius, quod perperam in eo suppleatur verbum, *contingat*. Nec ab illis dissentio, quamuis, si verum fatear, plus mihi expositionis auctor, quam expositio ipsa displiceat, sunt enim mihi infaustæ vt plurimum, & molestæ Erasmi interpretationes. 2.

Aliter Theophylactus, & Oecumenius, qui dum 3. Theoph. Oecum.
accipiunt illud: *Quod si*: vt sit idem, ac, *quandoquidem*, sic exponunt; quandoquidem Ecclesiæ operæpretium est me viuere, hinc dubito, quid eligam, mortemne? an vitam? Sed hæc interpretatio, nec Latino in primis, nec Græco idiomati respondet, nam Græce est: εἰ δὲ: quod teneris vertere: *si autem.* Deinde male hæret cum illa coniunctione, *&*, quæ Græcè etiam habetur, manet enim suspensa, imò manca oratio si dicas; quandoquidem operæpretium viuere in carne, & quid eligam ignoro. Qua quidem ratione, illorum etiam expositio conuellitur, qui rursus; *quod si*, accipiunt, pro, *vtrum*, siue, *an*, vt hic sit sensus, vtrum mihi in carne permanere operæpretium est, & quid eligam, &c. Manifestè enim eam sententiam diluit coniunctio, *&*, video quidem à Græcis interpretibus id incommodum facili negotio deuorari, dum verba Apostoli suo sensui accommodantes, nullam illius particulæ mentionem faciunt, quo tamen iure eam de medio tollant non video, cum omnes libri retineant, & suum illi ius, suamque significationem seruari oporteat.

Cornelius dum hos, & alios dicendi modos, & 4. Cornel.
refert, & reiicit, nouum alium inuenit, cum quo quidem si ad acuta venias, nihilo illum reiectis meliorem inueneris. Ait enim supplendum esse per ellipsim ex versu præcedenti, *mori lucrum*, vt sensus sit, si viuere in carne est operæ pretium; & ex alia parte mori mihi lucrum est, quid ex his duobus eligam, ignoro? Quæ ex eo putat Cornelius, apposite dici, quod Apostolus de electione, quæ nonnisi inter duo intercedit, manifestè loquatur, vnde dum alterum solum ponit, alterum ex superiori versu supplendum videtur reliquisse. Addit Cornelius eo modo solere loqui homines dubios, & perplexos, qui vnum voce exprimunt, alterum quod mente retinent, intelligendum relinquunt. Sed quāuis hæc interpretatio non placeat, ea quidem ratione, quod plus, nec meliori sane iure, quam in expositione Erasmi suppleri velit, attamen non potest non laudari in ea solertia occurrendi huic tacitæ obiectioni; dum eum nobis perplexorum, & hæsitātium hominum morem ingerit Cornelius; qui præ affectus vehementia alia incidant, multa subticeant, & sæpius verba non verbis, sed dolori annectant. Quæ quidem doctrina ad quasuis verborum difficultates superandas satis videtur opportuna.

Melior ergo interpretandi ratio est, quæ Chry- 5. Chrysost. Anselm. Iustin.
sostomo primum; & Anselmo, postea Iustiniano, & pluribus aliis perplacuit, vt sensus sit, si in carne permanere, siue superuiuere vestri causa operæ pre-

tium sit, tanti vestram vtilitatem facio, vt quid eligam, vix queam statuere, quasi dicat, adeò meam vtilitatem proximorum commodo non præfero, vt quamquam nihil mihi gratius morte posset accidere, si qua tamé spes maioris vtilitatis ex diuturniore vita mea affulgeat, perplexus hæream, quam in partem propendeam. Ita ex Chrysostomo Iustinianus, aliquanto expressius Anselmus hoc modo. *Quod id est, sed si hic in hac præsenti vita viuere in carne, est mihi fructus operis, id est, fructuosum, & vtile opus, dum multos Deo per prædicationem adquirere non cesso, quandiu viuo: tunc etiam ignoro, quid eligam, mori, scilicet, an viuere.* Hæc superioribus ita cohærent; dixerat Paulus, se mortem in optatis, & in lucro habere, poterat ei aliquis obiicere; at Paule vita tua Ecclesiæ valde vtilis, ac proficua est, cur communes eius rationes tua vtilitate posteriores habes? tunc Paulus; si vita mea vtilis Ecclesiæ esse potest; iam hoc me remoratur; iam dubium me id reddit, vt vtrum vitam, ac mortem eligam, plane ignorem.

Montan. Paulò aliter hæc explicat Montanus his verbis. *Quod si aliquis fructus percipitur mihi ex actionibus, operibusque meis, interim dum viuo in carne, ideoque me viuere expediat, huius rei consilium, & iudicium ego non statuo, neque quid magis optem ignoro.*

6. Benè hæc omnia dicuntur, illud vnum non nihil obstrepit, adhuc non exprimi coniunctionem illam, &, quod enim latentem quandam energiam in hoc explicandi modo illi inesse dicit Iustinianus, adeò est verum, vt omnino me lateat. Verum in ea ego semper sententia fui, vt in harum vocularum disquisitione, non ita scrupulosius sit hærendum, cum de sensu, & sententia alias apposita, & iuxta contextum subsistente constat; est enim multo æquius sententiæ, ac sensui has particulas submittere, quam è contra, & de apicibus, vt aiunt, digladiari.

7. At enim verò ne in re vsque adeò obscura, & diuinationi exposita aliquid maneat intentatum; mea etiam inuenta lectori probanda, aut reiicienda placet apponere; & quidem bifariam hæc interpretor: vno modo; quod si viuere in carne aliqua de causa optandum, siue in lucro ponendum mihi est; *hic* (Græcè, τοῦτο, *hoc*) *mihi*, hoc est, quæ mea est sententia, quidquid de aliorum mente sit, non aliud est, quam fructus operis, id est, fructus, quem adipiscor ex bono, & sancto opere, quo laboro in laudem, & gloriam Dei, dum Euangelium magno studio disseminare contendo. Altero: sumendo vocem, *opus*, pro labore; non longe à significatione Græca, & Latina, siquidem Græcè, ἔργον, denotat quid operosum, & difficile: & ἐν γὰρ πονοῦμαι, sumitur pro contendo, laboro, deinde Latinè dicimus ex Marone.

Hoc opus, hic labor est.

1. Ad Tim. 3.1. Ita etiam 1. Timoth. 3. 1. dixit Paulus, *qui Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat*, hoc est, operosam rem, multisque laboribus obnoxiam: *bueva carga, buen trabajo se dessea, bien tendrá en que entender.* Vt velit Paulus eum sibi fructum ex vita hac corporea solum comparare, quod in ea labores ferre, & perferre possit, & tribulationum, atq; ærumnarum, quibus ipse maxime gaudebat, & oblectabatur, sit capax; quasi dicat, quod si mihi aliqua de causa optandum esset viuere, hoc quidem est potissimum, quod vita hæc corporea, fœcunda mihi seges patientiæ sit; nisi enim in carne viuerem, capax laborum esse non possem. Dicam significantius Hispanè: *El fructo de mi viuir, lo que saco de viuir, es el padecer.* Vbi placet notare simili phrasi, ac verborum serie diuersam sententiam, sic dixisse

Senec. Senecam epist. 117. *Deos vitam roga, & salutem, si mori placuit, hic mortis est fructus, optare desinere.*

Vtrouis autem modo hæc sumantur, à sequentibus, *& quid eligam, ignoro*, sensu distinguenda, & illis hoc modo aptáda sunt, & hinc quidem est, vt ignorem, quid mihi eligam. Certè hæsitantium, & rationes expendentium proprium id est, vt dum prius confuse vtraque momenta proposuerint, coniunctionem illam, &, sensu dato vsurpent, vt singillatim singulis rationibus suum pondus tribuant. Sic Hispanè, qui duas res indistinctè proposuit, à quibus materiam dubitandi sumat, dum vltimam retulit, subiicit. *Y de aqui es, que vengo a estar confusso sobre que me escoja.* His quidem mirifice hærent, quæ sequuntur, *coarctor autem è duobus*: vbi ex lectione Augustini inferius adducenda, *coarctor enim è duobus*, hæc, & à præcedentibus pendere, & ea singillatim exprimere manifestè constat. Nec me latet in iis explicationibus posse in me alios interpretes nónulla retorquere ex iis, quæ ego aliis interpretationibus obieci, sed, vt id æquo iure facerent, nec mihi effugium ad manum esset; hic certe mihi fructus est, quod quæ dixi, & cohærentiora superioribus, & omnino consentanea eorum explicationi, quam ipsis dedimus, sunt, ad hæc ea interpretum conditio est, vt exprimamus id Persij. 8. August.

Cedimus inque vicem præbemus crura sagittis.

Denique si intimum meum sensum aperio, vix ex dictis aliquid placet, nec melius quidquam video, & opportunè sileo.

Illud requirit hic Guillielmus Estius, quomodo Paulus ignorare se dicat, vtrum eligat, & è duobus coarctari; cum tamen continuò affirmet, alterú esse multo melius, nempe esse cum Christo, quam superuiuere exulando ab illo? Etenim vbi constat alterum esse multo melius, non deliberatur ancipiti consilio, cum omnis in eligendo perplexitas, aut hæsitatio de medio tunc auferatur. Respondet. Bene verum esse vnum præ alio per se consideratú multo melius Apostolo videri, esse videlicet cum Christo, quod longe præstantius est, quam esse absentem ab illo. At si alterum, nempe permanere in carne iuxta circunstantias maioris obsequij Dei, & vtilitatis Ecclesiæ consideretur, melius quidem alio videri poterat, atque hinc iusta dubitandi ratio Apostolo oboriebatur. Sed id facile videre erat, illud potius difficillimum, cur Paulus vndique sanctus, & perfectus perspecto maiori obsequio diuino, & proximorum ex diuturniore vita sua bono subsecuto, animi tamen pendeat, vtrum id, an verò mortem eligat, imò verò addat desiderium se habere dissolutionis suæ, cum omnino propendere deberet, absque vlla dubitatione, in id quod cedebat in maiorem Dei gloriam. Sed eam dubitationem commodius ad sequentia verba dissoluemus. 9. Estius.

Iam hæc absolueram, cum bono fato incidi in peculiarem lectionem, & explicationem huic loco ab Irenæo, lib. 5. c. 12. adhibitam. Quæ non longius ab iis, quæ diximus ire videtur: sic enim in primis legit. *Fructus autem operis spiritus, est carnis salus.* Quæ verba ad hunc modum versat, & exponit: *Sed & ipse Apostolus ille existens, qui in vulua plasmatus erat, & de vtero exierat, scribebat nobis, & viuere in carne fructus operis esse confessus est, in epistola quæ est ad Philippenses, dicens*, fructus autem operis spiritus, est carnis salus. *Quis enim alius apparens fructus eius est, qui non apparet spiritus, quam maturam efficere carnem, & capacem incorruptelæ? Si igitur viuere in carne*, hic mihi fructus operis est, *non vtique substantiam contemnebat carnis, in eo quod diceret*, spoliantes vos veterem hominem, cum operibus eius: *Sed spoliationem pristinæ nostræ conuersationis manifestante* 10. Iren.

manifestauit eam, quæ veterascit, & corrumpitur: & propter hoc intulit. Et induentes nouum hominem, eum qui renouatur in agnitionem secundum imaginem eius, qui creauit eum. Hactenus Irenæus. Vbi vides,quam aliter à nobis legerit,quamque obscurè fuerit locutus. Sed enim ex eius mente eò mihi videntur ire verba Pauli, vt hic humanæ carni ex operibus spiritus fructus obueniat, quod illa quæ rectis actionibus destituta,velut acerbum pomum cœlesti erat importuna conuiuio,per exercitationem bonorum operum, ac præcipuè laborum ad incorruptionem, & gloriam maturescat. Hæc sensum communem cum nostra explicandi ratione dubio procul habent. Sed Irenæi mentem tum in adnotationibus,tum etiam ad cap. 2. vers. 8.adnot. 1.vbi de Christi exaltatione, & gloria, accuratius persequemur.

ADNOTATIO Vnica.

Virtutem tribulationibus maturari,ac perfici.

1. AGAM multis si Deus dederit tum ad lib. Sapient. cap. 3. tum etiam ad versum 29. huius capitis de virtutum incremento, siue virtutis profectu,qui per labores,& tribulationes fit, modò ex præfata Pauli mente illud pensiculatius prosequar, quòd eodem etiam recidit, nimirum valde imperfectam, & veluti crudam siue immaturam, & indigestam eam virtutem esse, quam tribulationum labor non decoxit,maturauit, perfecit. Ita S. Zeno Veron.episc.& M.serm.de Psalm. 89. [D.Zen. M.] cum de profectu,qui per tribulationes fit,dixisset; *Plorat feliciter vitis purgata materia,de homine loto felicius manant doctrinæ cælestis diuina fluenta. Ruptis oculis, & spiritualiter patefactis præcedentibus foliis fructus sequela sese commendat;similiter Christianus monitis diuinis præcinentibus obsecundando,in quibus æterna fructus est vitæ,& defenditur pariter, & nutritur:* statim subiicit,*vi tempestatis solis,atque imbris ad maturitatem cogitur:* Ac si diceret,quamuis in virtute folia, flores fructusque iam sint, at maturitas iis nonnisi à tribulationibus aduenit. [Luc.19.] Sic videas Zachæum statura pusillum,vt in virtute profectum faceret in sycomorum figuratè ascendisse, *vt arbor bona* (verba Ambros.lib.8.in Luc.) [Ambros.] *fructus bonos faceret.* Sed cur signatè sycomori Lucas mentionem fecit? refero ad huius arboris naturam,cuius fructus,vt prædulcis,ita sine scalpello, & ferreis vnguibus non maturescit.Sic enim de ea Plinius lib. 13.cap.7. [Plin.] *Pomum est non ramis,sed caudice ipso,idque ipsum ficus est prædulcis sine granis interioribus, perquam fœcundo prouentu, scalpendo tamen ferreis vnguibus, aliter non maturescit.* Nec alio sensu, eadem autem arboris imagine,Senec.lib.de Prouid. cap.4. [Senec.] *Quid miraris bonos viros,vt confirmentur concuti? non est arbor solida, nec fortis, nisi in quam frequens ventus incursat: ipsa enim vexatione constringitur, & radices certius figit: fragiles sunt, quæ in aprica valle creuerunt.* Ita ille.

2. [Matth.13.27.] Sic videas Matth.13.27.dum in agro Dominicæ messis zizania superseminata; hoc est, praui homines bonis admixti dicuntur, qui August.in Psalm. 54.teste,ideo inter eos viuunt,*vt per illos boni exerceantur*; atque ea de re paterfamilias à seruis interrogatur:*Vis,imus,colligimus zizaniam*,sic ipsum respondere:*Sinite vtraque crescere vsque ad messem,ne forte euellentes zizaniam,eradicetis simul & triticum.* Vbi apparet,non solum tritici incrementum, & ad messem vsque maturitatē,sed ipsius etiam radicē, à qua spica,granumque pullulat, in illo exercitio, & persecutionibus, quas aduersus iustos improbi mouent,à Domino eo loco poni,vt ab illis rei frumentariæ prouentus, & segetum læta vbertas proueniat,aliàs marceat sine aduersario virtus. [Cyprian.] Vnde Cyprian. lib.de bono patientiæ: *Tolle(inquit)charitati patientiam,& desolata non durat: tolle sustinendi, tolerandique substantiam, & nullis radicibus, ac viribus perseuerat. Apostolus denique, cum de charitate loqueretur,* 1.Corinth.13.4. [1.Ad Cor. 13.4.] *Tolerantiam illi, & patientiam iunxit, ostendit inde illam perseuerare tenaciter posse, quod norit omnia sustinere.* Vides radices virtuti à tolerantia.

3. Applaudunt Christi verba, Luc. 8. 15. [Luc.8.15.] *In corde bono,& optimo audientes,verbum retinent,& fructum afferunt in patientia:*Quæ nolo accipere, ac si dicatur: fructus patientiæ afferunt; sed potius media patientia,siue per patientiæ munus,fructus,hoc est, virtutes ferunt. [Gregor.] Ita planè Gregor. homil. 15. in Euang. his verbis. *Sic vua calcibus tunditur, & in vini saporem liquatur. Sic oliua contusionibus expressa,amurcam suam deserit,& in olei liquorem pinguescit; sic per trituram areæ à paleis grana separantur,& ad horreum purgata perueniunt. Quisquis ergo appetit plenè vitia vincere,studeat humiliter purgationis suæ flagella tolerare:vt tanto post ad iudicem mundior veniat, quanto nunc eius rubiginem ignis tribulationis purgat.* Quam ad rem benè intulerit per allegoriam Stephan. Cantuar. [Steph. Cant.] in allegor. Gosfridi in Genes. Deboram nutricem fuisse Rebeccæ, Gen.35.8. [Gen.35.8.] quod Debora interpretetur, *Apis*: apis verò ob aculeum, & mel,tribulationem significet, quæ pungit carnem,& animum vngit,Rebecca autem denotet patientiam; ergo tribulatio nutrix patientiæ: *Nam tribulatio conseruat patientiam, vnde dicitur,tribulatio patientiam operatur.*

4. Quæ quidem videtur esse mens Salomonis,Cāt. 3.6. [Cant.3.6.] iusti,ac perfecti viri animum,cum virgula fumi ex aromatibus myrrhæ, & thuris componentis: cum virgula inquam non vtcumque sumpta,sed accensa,exusta, & ex incendio fumante, vt innuatur animam, absque tribulationis igne marcidam, ac velut emortuam esse, at verò cum labore aduritur, nouam veluti vitam accipere, & suauissimum virtutis emittere odorem, certè vt virgulæ aromata dum non accenduntur,marcida, & veluti emortua sunt,at verò cum ardent sic spirant,vt viuere videātur,sic virtus igne tribulationis non probata, & accensa, languida est,ac remissa, at si vt virgula flagrat,reuiuiscit,floret, spirat, splendensque conspicitur, proditque se in omnem sui speciem, ac formam. [Ambros.] Ita omnino Ambros. lib. 7. in cap. 13. Lucæ,de sanctis martyribus,Felice,Nabore, & sociis, ad hunc modum dicebat: *Granum sinapis, martyres nostri sunt,habebant odorem fidei, sed latebant, venit persecutio,arma posuerunt,colla flexerunt,contriti gladio per totius terminos mundi gratiam sui spirauere martyrii.* [Senec.] Nec alio sensu Senec. lib. de Prouident. cap. 2. *Marcet sine aduersario virtus.* Et epist. 67. *Hoc loco mihi Demetrius occurrit, qui vitam securam, & sine vllis fortunæ incursionibus mare mortuum vocat. Nihil habere,ad quod exciteris,ad quod te concites,cuius denuntiatione,& incursu firmitatem animi tui tentes, sed in otio inconcusso iacere, non est tranquillitas, malacia est.* Ita ille sumpta à mari similitudine, cui malaciam nauigantes inesse dicunt, cum sine ventis,ac pene sine motu est. [Lactant.] A quo non it Lactant.lib.6.c.17. *Sicut aqua quidem semper tacens, & quieta, insalubris, & magis turbida est, sic animus inmotus, & torpens, inutilis est, etiam sibi.*

Pelagi.in Epist. ad Philippens.

Quod si videre velis animum sine tribulatione ma-
1. Ad Tim. 3. 12. re mortuum esse: Audi Apostolum 2. ad Timoth. 3. 12. *Omnes qui piè volunt viuere in Christo, persecutionem patiuntur.* Obserua regulam ad viuendum in Christo, nempe persecutionem pati; aliàs, mors succeder, sic id obseruante Stephano Cantuar. loco
Steph. Cant. nuper citato: vbi de Debora mortua, hoc est, de tribulatione; inquit, *hæc mortua est, imò debet viua dici, quia viuos reddit. Vnde omnes, qui pie volunt viuere in Christo, persecutionem patiuntur.* Sic ille.

5. Naziani. Equidem sub hoc sensu capio, quæ Gregor. Nazianzen. in carmine de laudibus virginitatis, ad hunc modum scripsit.

pietatis namque sepulta
In nobis scintilla latet, velut igneus ardor,
Inclusus saxis.

Etenim, vt imago subsistat, sensus est, eam virtutis naturam, ac ignis silice inclusi esse: nam vt hunc inde extundas, ferro saxum terere, atque conterere opus est, ita vt virtutis scintilla in te latitans, & torpens accendatur, & confoueatur, continuis ferri, id est, tribulationis ictibus, excuti necesse est. Vnde
Ambros. Ambros. serm. 1. de grano sinapis, dum illud cum B. Laurentio componit, sic ait. *Granum sinapis cum teritur, accenditur: Laurentius cum patitur, inflammatur; illud feruorem attritionis suæ euomit, hic ignem plurima vexatione suspirat.* Sed Nazianz. sensum
Marc. Ere. sic opportunè expressit Marc. Eremita, de lege spirit. cap. 66. tom. 5. Bibl. *Ne dicas te virtutis possessorem esse citra afflictionem, nec enim probari potest propter requiem, & tranquillitatis otium.* Consentit
Seneca. Senec. lib. de Prouident. cap. 4. *Gubernatorem in tempestate, in acie militem intelligas. Vnde possum scire, quantum aduersus paupertatem tibi animi sit, si diuitiis diffluis? Vnde possum scire quantum aduersus ignominiam, & infamiam, odiumque populare constantia habeas si inter plausus senescis? si te inexpugnabilis, & inclinatione quadam mentium pronus fauor sequitur? Vndè scio, quam æquo animo laturus sis orbitatem si quoscumque sustulisti vides? Audiui te cum alios consolareris, tunc conspexissem, si te ipse consolatus esses, si dolere vetuisses.* En virtutis scintillam latentem, donec labore excutiatur: Qua de re ita luculentissimè Hebræus Philo, lib. de sacrificio Abel, & Cain. *Labor inter præcipua bona numerandus bellum cum voluptate gerit perpetuum. Hunc enim si verum dicendum est, omnis felicitatis, omnisque virtutis principium Deus declarauit, sine quo nihil honestum apud mortales esse inuenies.* Expende illud, *omnis virtutis principium*, ex quo tribulationem, Dei vicariam, à quo bona cuncta procedunt, esse constat. Addit ve-
Philo. rò Philo pulchram lucis imaginem, quæ id itidem nobis ob oculos ponat. *Nā sicut sine luce videre non possumus, quia nec colores, nec oculi ad videndum sufficiunt, hanc enim ceu vinculum natura præparauit, quò coaptaretur colori oculus: nam in tenebris neuter suam vim exerit: eodem modo anima oculus nullam virtutis actionem potest attrectare, nisi à labore, seu luce adiutus, hic enim inter mentem, & bonum, quod mens desiderat, medius illud, vna ex parte, hanc ex altera trahens ad se, vtraque manu amicitiam, concordiamque conciliat, atque ita bona perfecta efficit.* Hæc Philo.

6. Eccl. 27. 6. Firmat hæc Ecclesiast. cap. 27. 6. inquiens, *Vasa figuli probat fornax, & homines iustos tentatio tribulationis.* Vbi non tantum innuitur, homines vt vasa testacea ab igne examinari, vasa enim non tam conijciūtur in ignem, vt explorentur, quam vt concoquantur, & solidentur. Sed is potius sensus est eos, qui in ignem tribulationum conijciuntur; mutationem siue profectum accipere in vtramque partem; non secus ac vas testaceum, quod si integrum sit, excoquitur, & solidatur; si improbum, calore crepat, & frangitur: atque ideo homines, si boni sint, depurari roborarique, si verò infideles, & improbi, deteriorari, & frangi: sub quo sensu August. ad id D. August.
Psalm. 65. *Igne nos examinasti:* sic ait, *Vas, quod in igne formatum est, aquam non timet, si autem solidatum igne non fuerit, tamquam lutum aqua soluetur.* Vnde ex Græco ibi fonte legas. *Vasa figuli exercet fornax.* Lect. Græ.
Quod visus est audisse Seneca cum dixit li. de Pro- Senec.
uid. c. 4. *Hos itaque Deus, quos probat, quos amat, indurat, recognoscit, exercet.* Sed aptius, & luculentius Tertull. Martyres in carcere detentos, sic alloqui- Tertull.
tur, c. 3. lib. ad Martyr. *Epistates vester Christus Iesus, qui vos spiritu vnxit, & ad scamma produxit, voluit vos ante diem agonis ad duriorem tractationem, à liberiori conditione seponere, vt vires corroborarentur in vobis, nempe cum & athletæ segregantur ad strictiorem disciplinam, vt robori ædificando vacent.* Et statim: *Coguntur, cruciantur, fatigantur, quanto plus in exercitationibus laborauerunt, tanto plus de victoria sperant, & illi (inquit Apostolus,) vt coronam cor-* 1. Ad Cor. 9. 25.
ruptibilem consequantur, nos æternam consecuturi, carcerem nobis pro palæstra interpretemur, vt ad stadium tribunalis bene exercitati incommodis omnibus producamur. Quia virtus duritia exstruitur, mollitia verò destruitur. Hactenus Tertullianus, optime adstruens virtutem ex tribulationibus, & laboribus, quasi illis firmetur, & perficiatur. Cum quo rursus sensum communem habet Seneca lib. de Pro- Senec.
uid. c. 2. inquiens. *Patrium habet Deus aduersus bonos viros animum, & illos fortiter amat; vt operibus doloribus, ac damnis exagitentur, & verum colligant robur; languent per inertiam saginata, nec labore tantum, sed mole, & in ipso sui onere deficiunt.*

Adsimilis Salomonis sententia Sapientiæ 3. 6. 7.
Tamquam aurum in fornace probauit illos. Quam vt Sap. 3. 6.
ibi ad profectum, qui per tribulationes fit latius persequar, hic non possum non addere, his verbis, etiam innui virtutem, vt perficiatur, nō secus tribulatione indigere, ac aurum igne, quo excoquitur, & depuratur. Vnde de illo, sic eleganter Tertull. lib. Tertullian.
de habit. mulieb. cap. 5. *Nomen terræ in igne reliquit, atque exinde de tormentis in ornamenta, de suppliciis in delicias, de ignominiis in honores metalli refuga mutantur.* Ac si diceret, donec ignis non accedit, non aurum, & res pretiosa, sed terra sordibus admixta, est: at cum igne excoquitur, inde aurum purum, & pretiosum prodit. Sic quidem virtuti euenit, quæ nisi tribulatione excoquatur, inculta, rudis, & imperfecta est. In quam sententiam bene pēdit Chry- Chrysost.
sost. in Catena Græca in Iob, ea verba Domini post primam Iobi tentationem. *Non considerasti seruum meum Iob, quod non sit ei similis in terra vir simplex, & rectus.* Iob 2. 3. pro quibus ipse Chrysost. ex LXX. Iob 2. 3.
legit. *Non est ei similis, simplex, ac purus,* quasi in igne LXX.
tribulationis excoctus, terræ sordes reliquerit. Audi illum. *Ne te verbum prætereat, illud potius obserua ex ea, quæ antegressa est testificatione, nunquam simplicem, & purum appellatum esse, cuius nominis etsi antea non est facta mentio, nunc nihilominus innocentiæ, atque integritatis coronam ei impartitur, quandoquidem, mala fuerat cum gratiarum actione perpessus.* Vides aurum, terræ nomen in igne relinquens?

Hinc intelliges, cur Deus, qui præsciebat primum 8.
hominem, si tentationi exponeretur, in peccatum fore lapsurum, tentari permiserit, itane Deus pretiosum manuum suarum opus paruipendat, & periculis exponat? Equidem, vt viderit Deus hominem si tentationi foret obnoxius, peccaturum esse; ita etiam vidit, posse illum per liberum arbitrium

tentationem

tentationem superare: sic verò de virtute per tentationem non probata, & examinata iudicauit, vt non multum laudis haberet, peneque non differre hominem non tentatum, nec labore examinatum ab eo, cui nulla, aut saltem exigua virtus esset. Ita ferè August. lib. 11. de Gen. ad literam, cap. 4. probatus S. Thomæ 2.2. quæst. 165. art. 1. ad 2. his verbis. *Non mihi videtur magna laudis futurum fuisse hominem, si propterea posset bene viuere, quia nemo male viuere suaderet, cum & in natura posse, & in potestate habeat, velle non consentire suadenti.* Ita quidem scitè dicebat Seneca ex sententia Demetrij, vitam securam, & sine vllis fortunæ incursionibus mare mortuum esse: sed opportuniùs S. Diadochus de perfection. spirit. cap. 94. *Sicut in cera, nisi multum tepefacta, & mollita sit, non potest sigillum imprimi, sic nec in homine sigillum virtutis Dei imprimi potest, nisi ex laboribus, & infirmitatibus probetur, idcirco Dominus beato Paulo dixit.* Sufficit tibi gratia mea; nam virtus in infirmitate perficitur. Sed de hoc Pauli testimonio, quod Diadochus affert, statim redibit sermo. Nunc audi Lactant. lib. 5. diuinar. institr. cap. 23. *Quomodo enim potest imperator militum suorum probare virtutem, nisi habuerit hostem?* Deinde Cassiodorum lib. 1. variar. ad præsens institutum commodè dicentem. *Accipitres ipsi, quorum victus semper ex præda est, fœtus suos nouitate marcentes, nidis proturbant, ne ad molle otium consuescant, alis verberant, immorantes cogunt pullos teneros ad volatum, vt tales debeant existere, de quibus possit materna pietas præsumere.* Ergo Deus iure permisit hominem tentari, atque exerceri, ac nouitate marcentem nido proturbari, ne ad molle otium consuesceret: quæ enim magna laus esset, si propterea posset bene viuere, quod nemo male viuere suaderet?

August. *D. Thom.* *Senec.* *S. Diadoc.* *Lactant.* *Cassiod.*

9. Adstipulatur Regius Vates, Psalm. 65. 14. inquiens. *Reddam tibi vota mea, quæ distinxerunt labia mea, & locutum est os meum in tribulatione mea.* Quod si scire velis, quæ hæc vota in tribulatione emissa fuerint. Subiicit. *Holocausta medullata offeram tibi.* Sanè, quasi medulla, & perfectio à tribulatione virtuti adueniat, alias imperfecta ipsa, & superficialis futura. Ita ibi August. *Quam dulcis est sæpe tribulatio! quam necessaria tibi! Quid ibi locutum est os ipsius in tribulatione sua? Holocausta medullata offeram tibi. Quid est medullata? intus teneam charitatem tuam, non erit in superficie, in medullis meis erit, quod diligo te. Nihil enim interius medullis nostris: interiora ossa sunt carne, medulla interiores sunt ipsis ossibus:* quasi dicat; charitatem tribulatione firmari, altioresque in animo radices agere. Sub quo sensu accipias cum Hilario in Psalm. 1. ea Domini verba ad Abraham, non parcentem vnigenito suo propter Deum. *Nunc cognoui quod timeas Deum,* Genes. 22. 12. Nam aliquale negotium facessit interpretibus is loquendi modus, *nunc cognoui*, quasi antea non satis perspectus Deo Abrahami timor esset. Cui dubio sic respondet Hilarius: *Non ignorabat vtique Abrahæ fidem, quam illi de generando Isaac credenti ad iustitiam deputauerat, sed qui magnum timoris sui dederat filium offerendo documentum, nunc cognoscitur, nunc probatur, nunc dignus est, qui non ignoretur.* Quæ sic volo capere, quasi sensus sit Abrahami charitatem tunc perfectam, Deoque probatam fuisse cum illa tribulatione firmata, & solidata fuit; ac si his illi verbis diceretur. Nunc toto orbi innotescet, non in superficie, sed in medullis tibi esse charitatem meam, quæ in fornace tribulationis cocta, & probata est: Nã, qui prius diceret. *Vnde scio, quo animo laturus sis orbitatẽ, si quẽcumq; sustulisti videri* iure iã dixerit, fortè tibi animũ, & æs triplex circa pectus esse, *qui non pepercisti vnigenito propter me.*

Ps. 65. 14. *August.* *Hilar.* *Gen. 22. 12.*

10. Sed illud præ omnibus in hanc rem opportunum Pauli testimonium est, 2. ad Corinth. 12. 7. *Datus est mihi stimulus carnis meæ, Angelus Sathanæ, qui me colaphizet. Propter quod ter Dominum rogaui, vt discederet à me, & dixit mihi: Sufficit tibi gratia mea, nam virtus in infirmitate perficitur.* Quæ verba in primis, vt alibi monui ex Chrysostom. Theophyl. Theodoret. Oecumen. Anselm. & Beda ibi, necnon ex August. in Psalm. 130. Saluian. lib. 1. de Prouident. Cyprian. de mortalit. Basil. in reg. fusius disp. cap. vlt. Hieronym. in cap. 4. ad Galat. de Pauli tribulationibus, & aduersitatibus omnino accipienda sunt: Deinde quamuis à nonnullis ex Patribus, & interpretibus, *virtus*, ibi pro habitu virtutis studioso, non omnino abs re sumatur, at Græcæ voci, *δυνάμις*, hæc significatio non bene quadrat, propriè enim significat fortitudinem, & animi robur, vnde is sensus huic loco subest, Pauli fortitudinem, & interiores animi vires, tribulationibus, & laboribus plus plus firmari, ac perfici, atque ideo minimè ipsi expediens fuisse, vt hic eius carni impactus stimulus, quo maiores in virtute faciebat progressus, auferretur. Ita pene componit hæc Pauli verba cum illis, Psalm. 21. 3. *Et non ad insipientiam mihi.* August. in id Psalm. *Clamauit Paulus, vt auferretur ab eo stimulus carnis, & non est exauditus, vt auferretur, & dictum est ei:* Sufficit tibi gratia mea, nam virtus in infirmitate perficitur. *Ergo non est exauditus, sed non ad insipientiam, sed ad sapientiam, vt intelligat homo medicum esse Deum, & tribulationem medicamentum esse ad salutem, non pœnam ad damnationem; sub medicamento positus vreris, secaris, clamas, non audit medicus ad voluntatem, sed audit ad sanitatem.* Expressius Saluian. lib. 1. de Prouident. ex his verbis sic inferens, *Nequaquam ergo vobis dolenda est hæc afflictio infirmitatum, quam intelligimus matrem esse virtutum.* Sed quod magis mireris, ethnicus Seneca, ac si Pauli esset interpres eadem pene sensa, & verba sic affert lib. de Prouid. cap. 4. *Nolite obsecro expauescere, ea quæ Deus immortalis velut stimulos adhibet animis: calamitas virtutis occasio est*, confer hæc, *velut stimulos adhibet animis*, cum illis Pauli: *datus est mihi stimulus*, vt videas tribulationum profectum; sunt enim stimuli, qui euntes, currere, & currentes cursum intendere cogant. Vnde Angelum Sathanæ Paulum colaphizantem; colaphizatum potius, & stimulis suis compunctum videas. Ita quidem Athanas. serm. de Passione, & cruce Domini, cum egisset de aculeis spinarũ in Christi capite obtusis, scitè de dæmone subiicit: *In spinas, quasi in stimulos calcitrauit, magis pungebatur, quam pungebat.* Sanè hac Dei institutione eruditus Apostolus inibi subiicit: *Propter quod placeo mihi in infirmitatibus, in contumeliis, in necessitatibus, in persecutionibus, in angustiis pro Christo: cum enim infirmor, tunc potens sum*, id est, quia cum prædictis tribulationibus subiicior, tunc Dei gratia me fulciente non modo superior illis fio, sed etiam potentior, & robustior in posterum euado. Vnde iure Paulo accommodes, quæ de fabuloso Hercule sic differit sapiens Epictetus, apud Arrian. lib. 1. dissert. 6. *In quem virum euasisse putas Herculem, nisi leo talis extitisset, & Hydra, & Ceruus, & Aper, & iniusti quidam homines, ac feri, quos ille expulit, ac expugnauit? nonne stragulis inuolutus dormisset: Itaque primum non factus fuisset Hercules in talibus deliciis, & otio stertens per omnem ætatem. Deinde vt factus esset, quæ fuisset illius vtilitas? Quis vsus brachiorum eius, quis tanti roboris? Quis tolerantia, & animi generosi, nisi tales constrictiones eum ad talia certamina excitassent, atque*

2. Ad Cor. 12. 7. *Chrysost.* *Theoph.* *Theodor.* *Oecum.* *Anselm.* *Beda.* *August.* *Saluian.* *Cyprian.* *Basil.* *D. Hieron.* *Psal. 21. 3.* *Senec.* *Athanas.* *Epictet.*

exercuissent. Sed redeo ad Sathanam colaphizarum.

11. Experiuit quidem ille Iobum; expetiuit etiam Petrum, *vt cribraret*, illos, *sicut triticum*, Iob 1.11.& Luc.22.31. Quid de Petro? cribrauit, tentauit, oppugnauit, imò & tunc expugnauit. Quid inde? Cribrauit quidem triticum, & nescius quid ageret, inanis gloriolæ, & inflationis paleas, quas Petrus antea habebat exsufflans, triticum, purum, & solidum reddidit. Audi Ambros. in Psalm. 43. *Incidit in tentationes, quadam locutus est quasi palearum plena. Sed locutus est verbo, vt fundatior esset affectu. Denique fleuit, & paleas suas lauit, & illis tentationibus meruit, vt pro se Christus interueniret. Quanto maius est patrocinium, quam perturbationis illius tentamentum? Et ideo plus, quam passus est acquisiuit. Acquisiuit enim Christum sibi patrocinantem. Cogitur autem, & aduersarius sanctos Domini ad sua damna tentare. Dum enim tentat meliores reddit.* Hæc Ambros. Quid de Iob tot laborum, & infirmitatum tentationibus vexato, & exagitato? Equidem post priorem cum dæmone initam pugnam firmior in virtute, fortior, atque robustior euasit. Vnde Ambros. lib. 1. de Pœnitent. c. 13. pulchrè componit illud Pauli 1. ad Corinth. 5. 5. *Tradidi huiusmodi hominem Sathanæ in interitum carnis, vt spiritus saluus sit:* cum verbis Domini ad Sathan, Iob 2. 6. *Ecce in manu tua est*, pro quibus ipse secutus Lxx. legit: *Ecce trado tibi eum*, ad hunc modum, *magna potestas; magna gratia, quæ imperat diabolo, vt se ipse destruat, se enim destruxit, cum hominem quem tentando supplantare studet, ex infirmo fortiorem reddit, quia dum carnem debilitat, mentem eius corroborat. Ægritudo enim carnis peccatum repellit: luxuria autem carnis culpam adolet. Illuditur ergo diabolus, vt se ipse morsu suo vulneret, & contra se armet, quem debilitandum putauit. Sic & sanctum Iob magis armauit, postquam vulnerauit.* Vides diabolum illusum, & colaphizatum dum iustorum virtus, & fortitudo tribulationibus firmatur, atque perficitur?

Iob 1.11. Luc 22.31. — Ambros. — Idem. — 1. Ad Cor. 5.5.

12. Vnde intelliges, cur post hunc congressum, & initum cum Iob certamen, cum dæmonem ad prælium rursum Deus euocaret, ipse nonnisi alligatus, & à bonis Angelis vi adductus ad Domini conspectum venerit, qui ad primum quidem cum eo certamen obeundum ipse antea volens libensque sese obtulerat. Sic enim Iob 2. 1. dicitur. *Factum est autem, cum quadam die venissent filij Dei, & starent coram Domino, venisset quoque Sathan inter eos:* vbi pro, *inter eos*: & Lxx habent: *in medio eorum.* Quod S. Iulianus vetus scriptor in Catena Græca, quam noster Comitolus latinitate donauit, sic explicat. *Venit in medio eorum, quasi captus, nam illum pudebat, & fugam meditabatur.* Sed quare? Certè, quia Iobi patientiam, & virtutis per labores profectum expertus, imparem se iam ad manus cum eo conferendas agnoscebat, atque ideo hoc illi bonum inuidens eum rursus tentare recusabat: quare opus quidem fuit vt à Domino de profectu egregij illius viri sollicito ad illum denuo oppugnandum cogeretur. *Cogitur*, namque, vt dicebat Ambros. *aduersarius sanctos Domini ad sua damna tentare, dum enim tentat meliores reddit.*

Iob 2. 1. — LXX. — S. Iulian.

13. Est hic sensus, nec dissimilis imago ab ea, quam ex Paulo hac adnotat. persequimur, his Cantic. verbis, cap. 4. 16. *Surge Aquilo, veni Auster, perfla hortum meum, & fluent aromata illius*, cuius in loci explicatione dum non conuenit inter Patres, aliis ab aliis (nec vna solum via) dissidentibus: ego multum probo Cassiod. Bedæ, Alcuin. Haymonis, & aliorum expositionem, qui hos ventos non capiunt, quasi alter alteri succedat, & afflictiones, atque dolores, quos prior Christianæ Ecclesiæ inflixerat, posterior, vel eripiat, vel leniat; sed qui potius flare simul iubeantur, quod ipsi cum floribus, & fructibus arborum, (quod ex humanioribus literis est notissimum) acre, & continuum bellum gerant. Ita Paschas. lib. 5. in Matth. citans hæc verba, subdit: *Quia profectò idem ventus eius, qui ab Aquilone se posuit semper signat frigus infidelitatis, quod excitat contra Christi Ecclesiam.* Ergo hæc verba permissionem indicant Sathanæ factam, vt Ecclesiam, & exterioribus tentationum luctis vexet, vt dum persecutionum malis exercetur, & subdolis delinimentis, ac blanditiis probatur, pulcherrimarum virtutum aromata, quæ secunda fortuna, & prosperitatis tempore constricta, & quasi impedita erant, large iam effluant, suauissimumque Deo, & hominibus odorem spirent. Quo it Nazianzeni discursus de arbore illa in fabulis decantata, quæ ferri domitrix, & victrix fit: sic enim ille in oratione cum reuerteretur ex agro. *Arbor quadam est fabulosa, quæ excisa magis germinat, & contra ferrum decertat, & si quid mirabilius in re mirabiliori dicere oportet, morte viuit, & abscissa pullulat; necnon consumpta augetur. Hæc referunt fabulæ, & arbusti illius natura talis est. Mihi autem manifestè videtur, tale quid philosophum esse, qui per afflictiones clarescit, & ex grauibus materiam facit virtutis, ac in aduersis gloriatur.* Ad quem modum Chrysost. hom. 13. in Matth. *Idcirco accepisti arma, non vt otieris, sed vt pugnes, & fortior, & ipso prorsus ferro valentior tentationum exercitationibus reddaris.*

Cant. 4 16. — Cassiod. Beda. Alcuin. Haymon. — Paschas. — Nazianz. — Chrysost.

Porro de palmitibus, qui manent in vite, & ferunt fructum monuit Dominus, à Patre, egregio vineæ cultore purgandos esse, id est, inutiles eorum extremitates resecandas fore, *vt fructum plus afferant*, vt ea metaphora innuat (vt Græci Patres, Chrysostomus, Theophylactus, & Euthymius, consentiente etiam Gregorio Magno, apud Patrem Maldonatum explicant,) eos qui iustitiam colunt, aduersitatibus rerumque corporalium iactura exercendos esse, vt magis exculta eorum virtus maiores in dies fructus ferat. Quæ quidem explicandi ratio, vel ea ratione apta videtur, quod iis quæ in contrariam sententiam de vinea perfida à Domino alibi dicta sunt, mirifice congruant, nimirum; *non putabitur, & non fodietur.* Isai. 5. 6. hoc est, iam nec à falce, nec à ligone petetur, sed luxurians sarmentis in ambitiosum foliorum apparatum diffluet. Quod de iis, quos ad explendas voluptates carnis Deus abire sinit, qui vt alibi diximus velut pingues hostiæ bonis huius sæculi saginantur ad victimam, bene explicat Basilius; in quem sensum hæc opportunè Ambros. lib. de interpellat. Iob, cap. 2. *Bonus huic* (bono scilicet) *semper est Deus: qui nouit quo tempore metat. Et ideo, quasi bonus agricola hic arat agrum suum quodā rigidioris abstinentiæ vomere, hic exstirpat quadam falce virtutum amputatrice vitiorum, hic stercorat humiliando vsque ad terram, sciens, quia Deus de terra suscitat inopem, & de stercore erigit pauperem.* En agrum vitemque virtutis, cui seuerus vomer rigidaque falx ad culturam necessariæ sint. Vt hinc videas, quam rusticum, & stultum rusticorum votum sit mel apud Galenum à Deo exoptantium, & petentium, sic enim ille lib. 3. de potest. nutriment. *Rusticorum votum est, ô Iuppiter plue mel.* Secus quidem sapientes, qui à Deo fel potius, & calamitates exposcunt: ita quidem Angelus Politianus l. 1. epist. ad Picum hanc sapientis in Tragædia vocem citat. *O Iuppiter plue calamitates.* 14.

Ioan. 15. 2. — Chrysost. Theoph. Euthym. Maldon. — Isai. 5 6. — D. Basil. Ambros. — Galen. — Ang. Pol.

VERSVS

VERSVS XXIII.

Coarctor autem è duobus: desiderium habens dissolui, & esse cum Christo, multo magis melius.

VERSVS XXIV.

Permanere autem in carne, necessarium propter vos.

COMMENTARIVS.

Coarctor autem è duobus.

1. GRæca habent: *συνέχομαι ἐκ τῶν δύο, constringor ex his duobus*: hoc est: pro his duobus, vel etiam, inter hæc duo. Vnde interpres, vt assolet, Græcam phrasim imitatus est satis opportuno verbo, & sensu, ac si dicat; detineor, ac in arctum redactum me inuenio, quia in diuersa trahor, & quasi scindor, duo me hinc, & inde tenent, vt nesciam, quid mihi eligendum sit. Sed quæ iam hæc duo sunt, inter quæ dum eligere nescit, constrictus teneatur? Augustinus lib. 3. de Doctrina Christiana, cap. 2. docet ambiguam hic esse distinctionem; bifariamque hæc capi posse: vno modo, coarctor desiderium habens duarum rerum, quarum vna est dissolui, & esse cum Christo, altera permanere in carne propter vos; alio modo: coarctor inter hæc duo: primum quod habeam desiderium explendi mortalitatem, & esse cum Christo. Alterum quod videam necessarium esse permanere in carne ad vestram vtilitatem. Facili autem negotio priori sensui hunc posteriorem sic præfert August. *Habebat desiderium moriendi, manendi autem in vita non erat illi desiderium, sed necessitas.* Moueri autem se dicit August. quod statim sequatur: *multo enim magis melius*, vrgens in hunc sensum illam particulam, *enim*, quasi ea exprimatur causa desiderij dicti: Hæc tamen ratio hodierna tempestate non subsistit; cum in omnibus Codicibus Latinis, & Græcis, quos præ manibus habemus, ea particula desideretur. Imò, & de sui æui libris etiam præfato loco conqueritur Aug. à quibusdam interpretibus fuisse abrasam, vt suo sensui textum Apostoli melius accommodarent. *D. Aug.* *August.*

2. Sed quidquid de Codicibus vitiatis, aut nō vitiatis sit, sensus quem August. probat, verior omnino est, imò hoc amplius censeo, illum solummodo verum esse: Quod ex Græco apertè patet; non enim ait, ἐπιθυμίαν ἔχων ἀναλῦσαι, vbi eadem esse poterat ambiguitas, quæ apud nos; sed εἰς τὸ ἀναλῦσαι: *desiderium habens in dissolui*, (vbi obiter animaduerte emphasim particulæ, *in*) &c. *permanere autem in carne*, &c. Et sanè vt exprimeretur prior sensus dicendum fuisset, *desiderium habens in dissolui, & esse cum Christo; & in permanere in carne*, quod videam esse necessarium propter vos: at non est ita, sed duo inter quæ coarctari se ait, hæc sunt. Alterū: desiderium migrandi ad Christum. Alterum: necessitas proximorum. Equidem structura sermonis, id etiam demonstrat, nam vt opportunè verbo; *dissolui*, opposuit verbum, *permanere*: ita desiderio necessitatem; sicut obseruauit Anselm. ad hunc modum: *Cum enim è duobus coarcter., alterius habeo desiderium, & alterius necessitatem desiderium, scilicet, dissolui, & esse cum Christo in cœlestibus; necessitatem verò, manere in carne propter aliorum salutem.* Sic ille. *Anselm.*

Desiderium habens.

3. ESurgit hic ea alibi indicata difficultas, quomodo Apostolus, qui illud solum optare debebat, quod ad maiorem Dei gloriam cederet, dicere potuerit: desiderium se habere hinc potius migrandi ad viuendum cum Christo? Video à Patribus, & interpretibus hanc dubitationem prætermissam. Verum ex sensu quem his verbis ipsi reddunt, non erit difficile ex eorum mente respondere, Apostolum, vel ex ea ratione affirmare ancipiti consilij lance deliberandum sibi esse inter hæc duo, quibus constringebatur; quod nimirum vna ex parte, id quod suis rationibus erat vtile, voluptati siue naturali desiderio optandum, & amplectendum obiiciebatur, seseque insinuabat: ex alia verò, Ecclesiæ necessitas, & vtilitas animo, mentique obuersaretur. Vndè dum inquit desiderium se habere exeundi iam hac vita, solum videtur proponere, quod leui oculo, siue primo aspectu proprio commodo intentus ex sua opinione eligeret. Quod quidem desideriū dum maturius examinat, sic in trutina suspendit, & cum Ecclesiæ vtilitate componit, incunctanter comprimit: suisque rationibus neglectis ad maius Dei obsequium propendet. Minimè ergo bonum Pauli desiderium fruendi Christo cum maiori diuini nominis gloria pugnat, cum tandem illud ab Apostolo submittatur, & subiiciatur lōgoque interuallo postponatur communi Ecclesiæ vtilitati. Vndè Anselm. *Ecce Paulus (vt dictum est) non quod sibi melius est, sed quod multis expedit, idest, manere in carne eligit propter charitatem, quæ maior est omnibus alijs virtutibus. Prius enim ambigens dixerat, quid eligam ignoro: sed postea deliberans victus est charitate discipulorum, & permanere se omnibus illis, dicit. Ac si dicat, necesse est me propter vos manere in carne.* Ita Anselmus. Quæ quidem doctrina ex propria significatione Græcæ vocis, ἐπιθυμία: pro qua noster posuit, *desiderium*, satis manifestè elicitur: propriè enim significat cupiditatem, quæ nos inuadit alicuius rei. Inde Cicero alicubi eam vertit, *libidinem*: alij, *auiditatem*, seu cupiditatem naturalem. Vndè frequentius à Patribus pro his verbis: *desiderium habens*: legitur: *cupio dissolui.* Apparet igitur hic significare desiderium, & cupiditatem rei conuenientis ipsi cupido, & desideranti, quæ cupiditas actus est amoris concupiscentiæ, liciti tamen, & defæcati, vndè Pauli sensus hic est, quod ego tamquam vtile mihi possem cupere, mea tantum vtilitate spectata, quodque mea magis interest, illud est vt dissoluar, & sim cum Christo, &c. *Anselm.* *Cicer.*

Dissolui.

4. ELegantissima locutio; ideò à Patribus sæpius repetita, & variè explicata, & expensa. Tertul. enim lib. de patient. c. 9. & lib. 1. ad vxor. c. 5. lib. de spectac. c. 18. pro *dissolui*, legit, *recipi*. Hier. lib. contra Ruffin. *reuerti*, Chrysost. & Græci, *migrari*: Quin etiam Græcum verbum, ἀναλῦσαι, cum mediæ significationis sit, actiuè hic sumi potest, & quidem eleganter, vt Iustinianus, & Corn. monent; nā apud Græcos ad rem nauticam spectat, eoque significatur cum nautæ ex portu recedentes soluunt rudentes; sed enim eò etiam referri solet, cum viatores, præsertim milites, tabernaculorum, seu tentoriorum, in quibus ad breue tempus commorati sunt, funes dissoluunt. Vbi in primis vide quomodo Paulus non se censeat ciuem huius mundi, sed peregrinum *Tertull.* *D. Hieron.* *Chrysost.* *Iustin.* *Corn.*

regrinum potius, & exulem, qui in cœlis proprium habeat domicilium, & municipatum, vt hac ep. c. 3. 20. inquit: *Nostra conuersatio*, seu vt vertit Tert. lib. de corona militis, c. 13. *noster municipatus*: siue, *nostra ciuitas*, (vt legit Athan. serm. in illud; *profecti in pagum*) *in cœlis est*: vndè ad cœlestem patriam non tam proficisci, quam reuertere, atque ea de causa lætissimum se abire significat. Quare Tertul. ex his verbis fideles ad mortem cum gaudio, & voluptate suscipiendã, sic monet præfato c. 28. de spectaculis. *Tu mihi metas, & scenas, & puluerem, & arenam suspiras. Dicas velim. Non possumus viuere sine voluptate, qui mori cum voluptate debebimus? Nam quod est aliud votum nostrum, quam quod & Apostoli: exire de sæculo:* & recipi *apud Dominum*: quo pene sensu ab Apostolo dubio procul, edoctus dixit Sen. epist. 120. *Maximum inquam mi Lucili argumentum est animi ab altiori venientis sede, si hæc in quibus versatur humilia iudicat, & angusta: si exire non metuit: scit enim quò exiturus sit, qui vnde venerit, meminit.* Sed & Plinius portus imaginem sic expressit, lib. 25. c. 3. *Ea vitæ conditio est, vt mori plerumque etiam optimus portus sit.* Multo autem luculentius Cypr. de mortalitate prædictas pene omnes imagines præstringens, hanc rem ita persequitur: *Considerandum est (fratres dilectissimi) & identidem cogitandum, renunciasse nos mundo, & tanquam hospites, & peregrinos istic interim degere. Amplectamur diem, qui assignat singulos domicilio suo, qui nos isthinc ereptos, & laqueis sæcularibus exsolutos paradiso restituit, & regno cœlesti. Quis non peregre constitutus properaret in patriã regredi? Quis non ad suos nauigare festinans ventum prosperum cupidius optaret, vt velociter charos liceret amplecti: patriam nostram paradisum computamus; parentes Patriarchas habere iam cœpimus. Quid nõ properamus, & currimus, vt patriam nostram videre, vt parentes salutare possimus?* Hæc Cypr. & multo plura in hanc sententiam. Nec nostris quidem solum hęc lux oborta, qua mortem reditum siue migrationem ad patriam esse cognoscerent, cũ gentilis Apuleius, & ipse Epicuri de grege porcus, de sapiente sic disseruit. *Ille diem mortis suæ propitius, nec inuitus expectat, quod de animi immortalitate cõfidat: Nam vinculis liberata corporis sapientis anima, remigrat ad deos, pro merito vitæ, purius, castiusve transactæ, hoc ipso se deorum conditioni conciliat.* Sic Gentilis, lib. de Philosophia, pag. 168.

Ad Philip. 3. 20. — Tertull. — Athanas. — Tertullian. — Senec. — Plin. — Cyprian. — Apul.

5. Prædicto verò sensui ille etiã est subnixus, mortem ab Apostolo dissolutionis nomine, velut rem tum concupitam, tum factu valde facilem appellari: Quamuis enim dum ipse ait, cupere se dissolui, aliquo modo etiam significet suam velut in carcere animam detineri, vt expẽdit Greg. li. 5. Moral. c. 40. sic versans hæc verba: *Bene Paulus æterna desiderans, sed tamen adhuc corruptionis suæ sarcinam portans vinctus clamat*, cupio dissolui, & esse cũ Christo. *Dissolui enim non quæreret, nisi se procul dubio vinctũ videret.* Ad quem etiam modum Aug. in Psal. 118. conc. 10. in illa verba. *Adhæsit pauimẽto anima mea*, dum pauimentum siue pro corpore, siue pro terra sumit, Vatis verba elucidans, sic ait. *An ex hoc intelligere debemus, quantumlibet quisque proficiat in iustificationibus Domini, habere eum mortalis carnis affectum circa ista terrena, in quibus vita humana tentatio est super terram, & ab hac morte si perseueranter proficit, cotidie reuiuiscere, viuificante illo, cuius gratia homo noster renouatur de die in diem. Nam & illud Apostolus cum diceret*, 2. Cor. 5. 8. quandiu sumus in corpore peregrinamur à Domino, *& concupiscebat* dissolui, & esse cum Christo, *adhæserat pauimento anima eius.* Sic Aug. Certè Temisthius, apud Stobæum, serm. 119 corpus à Græcis vinculum, vitamque nostram, quasi vocabulo à vi deducto (quod Latinæ etiam voci quadrat,) sic affirmat. *Corpus Græci δέμας, dicunt, tamquam in eo anima, δέδεμαι, hoc est illigata sit præter suam. Nihil enim vi retinetur in eo, vbi esse natum est, aut vinciri debet, ideoque & vocabulo à vi deducto vitam nominarunt.* Verum enim verò longè manifestius indicat Apostolus se non nimis adstrictum carnis nexibus, sed leuiter alligatum esse, quippe qui viuendo in carne, non secundum carnẽ militaret, sed corpore in seruitutem redacto ab eo iam migrare, & longius peregrinari consueuerat. Vndè satis accõmodatè ad præsentem locum, sic scripsit Gentilis Senec. lib. de vita beata. *Et qui ad virtutem tendit, etiamsi multum processit, opus est tamen aliqua fortunæ indulgentia adhuc inter humana luctanti, dum nodum illum dissoluit, & omne vinculum mortale. Quid ergo interest? Quod alij alligati sunt, alij adducti, alij districti quoque, hic qui ad superiora progressus est, & se altius extulit laxam catenam trahit, nondum liber, iam tamen pro libero.* Hęc ethnic. Vndè nulla difficultate, nullo dolore animi, omni procul repugnantia, & renitentia migrandum hinc sibi esse monet Paulus; non quidem ea ratione, quod grandis ætate, & dierum plenus moreretur, sicut de senum morte dixit Sophocles alicubi.

Greg. — D. August. — 2. Cor. 5. 8. — Temisth. — Senec. — Sopho. l.

Pulsu leui iacent vetusta corpora.

Et Seneca epist. 31. de Basso Aufidio: *Non dubitare autem se, quin senilis anima in primis labris esset, nec magna vi distraheretur à corpore*, sed ea potissimum de causa, quod nec vitæ addictus, nec mundi rebus vllo modo implexus, aut irretitus esset, sed corpori adeò leuiter ligatus, vt illi mors nihil aliud, quam facilis quædam, leuis, seu laxi nodi solutio esset futura. Sub quo sensu tumulo egregij viri, & vt verissimè dicam clarissimi Martyris Thomæ Mori, non nemo scitè ludens in vocibus, sic inscribebat.

Senec.

Viator hic Mori est nihil.

6. Eadem verò cum Paulo sententia, imò eadem omnino metaphora eius collega Apostolorũ Princeps de sua etiam morte dixit, ep. 2. c. 1. 14. *Velox est depositio tabernaculi mei.* Vbi præter tentorij siue tabernaculi similitudinem, cuius funes cum alio demigratur (sensu his Pauli verbis dato) soluuntur; pende dixisse Petrum, *velociter*, nulla, scilicet, difficultate, aut repugnantia, (huc enim Græca vox it) migrationem faciendam; vel ex eo quod tabernacula, seu tentoria nulla in terris iacta fundamenta ad modũ domus, nullas radices instar arboris, actas habeant, sed hastas, seu paxillos leuiter humi defixos, qui nullo negotio deducantur, vnde ad ea verba sic opportune Glossa: *Pulchrè non mortem, sed depositionem vocat: sic enim est famulis Dei carnis retinacula eruere, sicut positis in expeditione prostrato hoste ad patriam redire.* A quo non longe it pulchra vestis similitudo, quam affert Chrys. hom. 5. in c. 2. ad Hebræos, dum monet, tam facile à nobis corpus, quàm vestimentum exui debere. *Cum tanta* (inquit) *alacritate proprium sanguinẽ effundamus pro Christo, cum quanta aquam quis effundit, & cum tanta facilitate carnem exuere debemus, cum quanta vestimentum exuimus.* Adsimili etiam qua Paulus locutione vsus est, vt superius vidimus, sanctus ille Simeon, Luc. 2. 29. dum humani generis Assertore conspecto clamauit: *Nunc dimittis seruum tuum*, vbi Græce, pro, *dimittis*, est: *soluis*, siue, *dissoluis*, quasi non inuitus è vita extraheretur, sed dimissus sponte abiret. Vnde Ambr. lib. de bon. mort. c. 2. sic explicat hæc verba; *quasi necessitate teneretur in hac vita, non voluntate, ita dimitti petit, quasi à vinculis quibusdam ad libertatem festinaret.* Ita ille.

2. Pet. 1. 14. — Gloss. — Chrysost. — Luc. 2. 29. — Ambros.

Quare

7. Quare huic phraſi diſſoluendi, quâ Paulus mortem ſuam ſignificat, crediderim opponi illam, *repetendi*, quæ eſt apud Luc. 12. 20. *Stulte hac nocte animam tuam repetent à te*: ea ſiquidem, vt Theoph. & alij ibi obſeruarunt, innuitur, impium illum inuitum moriturum; ab eoque renuente & reluctante animam auferendam. Vnde Cyprian. lib. de orat. Dominica, ſic per verbum, *expoſtulo*, expreſſit hunc locum: *anima tua expoſtulatur à te*: & quidem quamuis doctiſſimus Maldon. non ſatis firmam eam obſeruationem exiſtimet, quaſi non inſit verbo illi ea vis, illud certè pro Theophylacto ex Iſaia facit c. 58. 3. *Et omnes debitores veſtros repetitis*. Vbi dubio procul de pecuniis à miſeris debitoribus inuitis, ſummo iure ſiue etiam iniuria, & vi repetitis, & exactis ſermo eſt. Vndè LXX. pro, *repetitis*: reddiderunt: *affligitis*. Sed præſtat iam audire Theoph. *Obſerua item, & verbum, repetent. Angeli enim ſicut crudeles tributorum exactores, & terribiles tuam repetent animam, te etiam inuito, vtpote propter vitæ præſentis immodicum amorem obluctante. Nam à iuſto non repetitur anima, ſed ille gaudens & exſultans commendat Deo Patri ſpiritum, neque mortem ægre fert, corpore enim circumamictus eſt, vt onere quod leuiter deponit. Peccator verò qui animam carni ſubdidit corporis nimium affectus, etiam illam fecit carnem, indiuiſam eam habere vult, idcirco dicitur ab eo repetita, ſicut ab inobediente quodam debitore, qui traditur crudelibus exactoribus*. Sub quo etiam ſenſu Senec. lib. de breuit. vitæ, c. 11. dixit. *Iam verò cum illos aliqua imbecillitas mortalitatis admonet, quemadmodum pauentes moriuntur, non tanquam exeant de vita, ſed tanquam extrahantur*. Vndè Greg. Nazianz. orat. 10. ita enucleatiſſimè tam peccatorum, quam iuſtorum mortem deſcripſit, & hanc ſibi optauit. *Et quidem (Domine) ſuſcipe ob metum tuum paratos, & non turbatos, neque in extremo die terga vertentes, atque inuito animo, quemadmodum ſolent, qui mundo, & carni addicti ſunt, hinc abſtractos, & auulſos, ſed promptè, & alacriter ad beatam illam, & longæuam vitam proficiſcentes*. Hæc Nazianz.

Luc. 12. 20. Theophyl. Cyprian. Iſai. 58. 3. LXX. Theophyl. Senec. Nazianz.

8. Sic videtis ſignatè à Domino morientibus præſcribi; vt *ſimiles*, ſint, *hominibus exſpectantibus Dominum ſuum quando reuertatur à nuptiis*, Luc. 12. 36. vt videlicet alacres, & læti ipſi occurrant. Habet enim peculiarem emphaſim exſpectare Dominum, nec timoris mentionem fieri: certè vt tota hominis vita ad timorem Dei data eſt, ita in morte non tam timendus, quam ſperandus præſcribitur, imò verò illius vitæ timoris germanus fructus; hæc mortis ſpes eſt: ſic dixit Sapiens, Prou. 14. 32. *In malitia ſua expelletur impius: ſperat autem iuſtus in morte ſua*: Vbi Chaldæus habet, *& qui ſperat quod moriturus eſt*. Quod ſic capio. & qui mortem non timet, ſed ſperat, iuſtè, & probe vixiſſe, oſtendit. Ineſt verò priori hemiſtichio huic inſtituto opportuna antitheſis, ex Hebræo verbo; *Iidache*, quod vt Ianſenius monet, propriè ſignificat, *impelli, agitari*: vnde ſenſus eſt: Improbum in morte metu, & deſperatione agitari, & impelli, quòd vita improbe acta, tunc potiſſimum animo obuerſetur. Vnde Ambr. lib. de bon. mort. c. 8. *Mortis metus non ad mortē referēdus eſt, ſed ad vitam*. Scite, quia mors ex ſe ipſa, vel bona vt vidimus, vel indifferens eſt, & ideo ei ſolum timenda, qui ob peccata ſeuerum, quod in morte exercetur, iudicium timet. Vnde Tertul. de teſtim. anim. c. 4. *Si times vita decedere, quia optimam noſti, certè mortem timere non debes, quam malam neſcis. At cum times, ſcis malam. Non ſcires autem malam, quia nec timeres, ſi non ſcires aliquid eſſe poſt mortem, quod eam malam faciat, vt timeas*: voluit dicere, non timere niſi pœnam peccatis tuis reſpondentem præuidiſſes.

Luc. 12. 36. Prou. 14. 32. Chald. Ianſen. Ambroſ. Tertul.

Hæc ita erant perſuaſa Anaſtaſio Nicæno, vt ex hoc timore, peſſimum damnationis omen pene manifeſtè deſumeret: ſic enim ipſe in quæſtionibus in Scripturam ex Diodocho de perfect. ſpirit. c. 100. *Oportet autem Deum amantes orare, vt extra omnem metum tunc inueniamur: Nam qui nunc inuenitur in metu, tunc eſt perſpicuum, quod abibit ad tartareos Principes*. Hæc & plura in hanc ſententiam ibi, benigne tamen, & caute accipienda. Anaſt. Nicæn.

Nec omittam in his verbis Pauli iuxta noſtrum Vulgatum ſpectatis non dixiſſe, *ſoluere*, ſeu, *diſſoluere*, eâ phraſi, quâ nos vſurpamus, *Deſſeo morirme*; ſed potius, *diſſolui*, ſcilicet à Deo, quaſi rem totam ad ſupremum gubernatorem deferret. Sic Tullius, lib. de ſomnio Scipionis, dixit: *Animus piis omnibus retinendus eſt in cuſtodia corporis, nec iniuſſu eius à quo ille eſt nobis datus, ex hominum vita migrandum eſt*. 9. Tull.

Quod ſi phraſim diſſoluendi iuxta ſuperius dicta acceptam non tam ad animum Pauli à rebus ſæculi liberum, ac expeditum, quam ad communem humanæ vitæ naturam malis referre, eo quidē dicendi modo innuitur fragilitas humanæ conditionis, dum vita morti adeò eſt proxima, atque vicina, vt (quod Senec. in conſolatione ad Marciam, c. 11. nauigationis ad hanc rem ſimilitudinem verſans, & ad nauem quaſſam, rimoſamque reſpiciens, quæ ſola iactatione vehementiore ſoluatur, opportunè dixit:) *Iactatu, non tempeſtate magna, vt diſſiperis eſt opus: vbicumque arietaueris, ſolueris*. Expendunt id pulchrè Ambroſ. & idemmet gentilis Sen. dū ille lib. 5. in Luc. ad illa Chriſti verba. *Nemo mittit vinum nouum in vtres veteres*. Luc. 5. 37. ſic ait: *Fragilitas humanæ conditionis aperitur, cum corpora noſtra exuuiis animalium defunctorum comparantur*. Senec. verò epiſt. 118. ipſaſmet humanæ vitæ cauſas, vias mortis eſſe, ſic monuit. *Hæc nempe ſunt alimēta quibus hic mundus adminiſtratur, aqua, terra, ſpiritus, omnia iſta tàm cauſæ viuendi ſunt, quàm via mortis*. Et præfato loco ad Marciam. *Nunquid enim vt concidat, res magni molimenti eſt? Odor illi ſapórque, & laſſitudo, & vigilia, & humor, & cibus, & ſine quibus viuere nō poteſt, mortifera ſunt*. Quo omnino facit alia eiuſdem Ambroſij conſideratio in filio viduæ Naim, qui *defunctus efferebatur*, Luc. 7. 12. dum illum, vitâ functum, & feretro vectum ſignificare exiſtimat populum iuniorem adhuc viuentem, & lucis, vitæque flore quâ iunior eſt, porientem, *qui mortuus in loculo materialibus quatuor ad ſepulchrū ferebatur elementis*. Ecce quod dicebat Seneca, elementa ipſa tàm eſſe vias mortis, quàm viuendi cauſas. Sed & in eandem ſententiam egregie idemmet Philoſophus dixit: *Iam eundem ſpiritum dum trahimus expuimus*. 10. Senec. Ambroſ. Luc. 5. 37. Senec. Ambr. Luc. 7. 12.

Monent etiam nōnulli auctores hic, non dixiſſe Paulum: *Deſiderium habens reſolui*, ſed *diſſolui*. Quia verbo, *reſolui* (inquiunt) ſignificatur reſolutio in *elementa, quibus conſtamus, reſolui enim tantum ſignificat interire, & interitum*. Hanc tamen obſeruationem minimè probo. Nam præter quam quod ea ſignificatio verbi reſolui, valde propria eſt Græci verbi, ἀναλῦσαι: ſic enim libri quos Ariſtoteles, *de priori analyſi*, conſcripſit, Latinè ſub titulo, *de priori reſolutione* circunferuntur, diſertiſſimè idemmet Paulus, 2. ad Cor. 4. 6. mortem ſuam appellauit reſolutionem, inquiens: *tempus reſolutionis meæ inſtat*, ad quæ verba prædicti auctores, ſui quidem non ſatis memores, optimè expendunt, mortem non eſſe interitum, ſed reſolutionem hominis, quâ corpus terræ, quaſi matri; anima Deo, quaſi patri reddatur. Sed aliâ vtrobique ratione opinor, Paulū potuiſſe vſurpare verbum, *reſolui*, nimirum, vt innueret mortem ſuam ſacrificium Deo gratiſſimum eſſe, non tàm 11. 2. Ad Cor. 4. 6.

interi

interfectoris gladio more victimarum, quæ in externo altari mactabantur, quam ardentissima charitate ad modum pretiosissimi aromatis quod in altari thymiamatis combustum in suauissimum dissoluebatur, siue resoluebatur odorem, Deo ab ipso Paulo offerendum.

12. Illud tandem in his verbis placuit adnotare, diuinius quid innui à Paulo, dum inquit: *Desiderium habens dissolui*: nimirum, adeò potiores illum partes animæ, quã corpori deferre, vt velle videatur ipsam quasi totum ipsum Paulum esse, atque ideo non dicere desiderans animam meã dissolui, & esse cum Christo; sed potius me dissolui; ac si dicat, idem ferè vtrumque est, vel me totum, vel animã meam dissolui; tàm non curabat corpus suum; quem etiam
2. Ad Cor. 5.8. gustum habere videntur ea verba, 2. ad Cor. 5. 8. superius adducta: *Audemus, & bonam voluntatem habemus magis peregrinari à corpore.* Inualuit hinc sanè, & re, & verbis is mos apud sanctos, & egregios viros, vt corpus suum, quasi alienum quiddã à se, ac extraneum censerent: id quod disertis verbis, & luculentioribus
Basil. vitæ exemplis Basil. & ipsius frater Nyssen. tradiderunt. Basilij quidem proprius locus
D. Doroth. memoriã excidit: sed pro me S. Dorotheus fideiubet, qui hanc Basil. mentem fuisse, sic affirmat doctrina 23. *Aliud enim nos sumus (ait Basilius) aliud vostra: aliud quæ circa nos. Nos sumus mens, & anima: nostrũ est corpus: circa nos sunt passiones, & alia huiuscemodi.*
Nyssen. Similiter Nyssenus in oratione in verba Genesis.
2. Ad Cor. 4. 16. *Faciamus hominem*: vbi dum affert id Pauli 2. ad Corinth. 4. 16. *Licet is, qui foris est noster homo corrumpatur: tamen is, qui intus est renouatur de die in diem*: Sic inquit: *Duplices quodam modo sumus: ego sum ille, qui intus est homo, quæ verò sunt extrinsecus, non ego illa sum, sed illa sunt mea: nec ego sum manus; sed ratio, quæ in animo est.* Et post nonnulla: *Siquidẽ homo proprie animo censetur.* Consentanea habet
Chrysost. Chrys. hom. 8. in epist. ad Coloss. Applaudit Aristot.
Aristotel. lib. 10. Ethic. c. 7. inquiens. *Diuinum quidquam est mens cum homine comparata, quando etiam videtur quisque illud ipsum esse, siquidem id sit, quod est in nobis optimum, quodque principatum obtinet.* Subdit statim: *siquidem est homo hæc pars maximè.* Peregrinum quid ergo Paulo corpus: magis verò peregrina, extranea magis hæc doctrina iis videbitur, quibus (vt dixit nescio quis) corpus voluptati, anima oneri est.

Et esse cum Christo.

13. Opportunius & solidius ex his verbis, vt superius monui, adstruitur animas sanctorum ante generalem resurrectionem clara Dei visione
Anselm. frui: Ita Anselmus. *Quia perfectorum iustorum animæ mox, vt huius carnis claustra exeunt, in cœlestibus se-*
D. Ambr. *dibus recipiuntur.* Ita etiam Ambrosius lib. de bono mortis c. 3. *Denique, & in Apostolo docuimus lectum*: dissolui, & cum Christo esse multo melius: *solutio autem ista, quid aliud agit, nisi vt corpus resoluatur, & quiescat, anima autem conuertatur in requiem suam, & sit libera? Quæ si pia est, cum Christo futura sit.* Similiter alij Patres Latini, & Græci ad hæc verba: &
Cyr. Alex. Cyrill. Alex. lib. 11. in Ioan. cap. 36. dum illa Christi
Luc. 23. 46. verba: *In manus tuas commendo spiritum meum*, Lucæ 23. 46. ad hunc modum pendit. *Tradidit enim animam suã in manibus genitoris, vt ab illa, & per illam facto initio certam huius rei spem habeamus, firmiter credentes in manibus Dei, nos post mortem futuros, vitamque multo meliorem, ac perpetuo cum Christo victuros, ideo enim Paulus desiderabat resolui, & esse cum Christo.* Ita Cyril. Vt vel hinc appareat necessitatio in bonum sensum accipi debere, quæ aliquanto obscurius aliis in locis Græci tradiderũt, vt bene aduertit Estius hic. Addit ipse, & cum eo alij interpretes, eamdem sententiam, his etiam verbis esse, ac illis, 2. ad Corinth. 5. 8. *Audemus, & bonam* 2. Ad Cor. 5. 8.
voluntatem habemus magis peregrinari à corpore, & præsentes esse ad Dominum; ad quæ verba videantur interpretes.

Necessarium propter vos.

Ambigas de sensu huius necessitatis: Nam 14.
quã ratione Paulo id necessarium fuerit? Respondeo primò, tã voce Græca, ἀναγκαιότερον, quam Latina significari vtile; & ita sensus est, vtilius est permanere in carne, & diuturniorem vitam agere, si non quã mea interest, saltẽ propter maius vestrum bonum. Nec ab hac significatione absunt, qui legũt è Græco, *magis necessarium*, nam cum illud, *magis*, ad præcedentia respiciat, apparet eodem sensu, *necessarium*, esse accipiendum, sub quo de sua morte dixerat Apostolus, rem sibi valde vtilem, & opportunam esse. Deinde respondeo eam Pauli in Deum charitatem esse, atque ita diuinæ illum voluntati esse addictum, vt eo ipso, quod in maiorem Dei gloriam, seu Ecclesiæ vtilitatem aliquid cedere videret, sibi quasi necessarium, & nullo modo omittendum duceret. Equidem vt viri sancti rem putant, & dicunt sibi factu impossibilẽ lethale aliquod peccatũ committere, vt de Iosepho nobis constat, Gen. 39. 9. im- Gen. 39. 9.
puram heram pellicientem illum ad adulterij facinus, sic alloquente: *Quomodo possum hoc malum facere, & peccare in Deum meum?* Ita etiam censent quasi necessarium, quod in maius Dei obsequium cedit, amplecti; necessarium inquam ex hypothesi eximiæ ipsorum sanctitatis, & feruentissimæ dilectionis in Deum. Vide 1. Ioan. 3. 9. *Omnis qui natus* 1. Ioan. 3. 9.
est ex Deo peccatum non facit, quoniam semen ipsius in eo manet, & non potest peccare, quoniam ex Deo natus est: Quibus verbis, vt aliæ dentur expositiones, illam tu reddito, vt sit sensus, qui filius Dei est, vt tantæ dignitati respondeat, seu quia filius Dei est, peccare nequit, aliàs filius Dei non esset. Quomodo etiam Senec. lib. 6. de benef. c. 21. ait. *Vir bonus non* Senec.
potest non facere, quod facit, non erit bonus, nisi fecerit quod debet: Et ep. 120. dum depingit hominem perfectum, cui in habitum, & morem virtus ierat, sic inquit: *Præterea idem erat semper, & in omni actu, par sibi, tam non consilio bonus, sed more eo perductus, vt non tantum rectè facere posset, sed nisi facere non posset.* Ita ille.

Ad hæc egregium suæ in Philippenses charitatis 15.
specimen præbet Apostolus, dum ait: *propter vos*, quasi eorum profectus pluris ab ipso, quam huius lucis vsura, & quod plus est, quã cœleste gaudium fiat. Vndè Greg. hom. 15. in Ezec. mysticas illas tha- Greger.
lami mensuras, quibus vno calamo in lõgum, & vno in latum mẽsurabatur, charitati in Deum, & in proximum accommodans hæc, & superiora Pauli verba, sic eleganter elucidat. *Pensemus ergo qualis thalamus Pauli mens fuerat, qui dicebat*: Mihi viuere Christus est, & mori lucrum: *Omnipotenti Deo in quantum se amore coniunxerat, qui sibi vitã Christum tantummodo, & mori lucrum esse deputabat? Hinc est, quod iterum dicit.* Desiderium habens dissolui, & cum Christo esse multo magis melius: *Sed ecce, qui dissolui desiderat, quo amore languebat, videamus, quæ interim differre te conspicimus, fulcite, quæso, floribus non requiris? quærit plane*; *nam sequitur*, permanere autem in carne necessarium propter vos: *& proficientibus discipulis dicit: Quæ enim est nostra spes, aut gaudium, aut corona gloriæ.* Hactenus Gregorius. Di- Senec.
dicisse quidem à Paulo subtilissimum hoc dilectionis acumen videri potest Seneca epist. 104. vbi post verba

verba à nobis ad verſ. 19. & 20. in expoſitione literæ, num. 7. adducta huic loco peropportuna: hæc Pauli ſenſui, & verbis conſentanea, ideo optima, & elegantiſſima habet. *Ingentis animi eſt, aliena cauſa ad vitam reuerti, quod magni viri ſæpe fecerunt. Sed & hoc quoque ſumma humanitatis exiſtimo, ſenectutem ſuam, cuius maximus fructus eſt ſecurior ſui tutela, & vitæ vſus animoſior, attentiùs conſeruare, ſi ſcias alicui tuorum eſſe dulce, vtile, optabile.* Hæc Seneca, quę pro commentario verborum Pauli eſſe poſſunt. Hinc Baſil. ep. 67. ad Eccleſiam Ancyræ, hunc Pauli locum vrgens ſanctum quendam Antiſtitem anxie percupientem *diſſolui, & eſſe cum Chriſto*, pia indignatione increpaſſe, ſic fatetur. *O quoties animum meum (accuſabo enim me ipſum,) nonnihil contra hunc virum indignationis ſubijt, quod totus hoc deſiderio tenebatur, vt diſſolueretur, & eſſet cum Chriſto, nec hoc pluris faciebat, vt diutius propter nos in carne maneret: cuinam deinceps Eccleſiarum curam imponemus?* Sic ille. Baſil.

ADNOTATIO I.

Mortem maximum lucrum eſſe, quod diſſolui, & eſſe cum Chriſto multo melius.

1. Naziana. PULCHRE Nazianz. orat. 19. in obitu parentis ſui; ſic matris Nonnæ conſolationem ſuſcipiendam cenſebat, ſi de duobus mundis, *hoc eſt, de præſenti, ac fluxo, & fragili, & de eo, qui animo, & mente intelligitur, ac manet*, ſermo inſtitueretur: *vt alterius quidem impoſturam, & perturbationem, atque inconſtantiam, ac velut in vndis ſurſum deorſumque iactationem contemnamus: ad alterum autem, qui firmus, & ſtabilis, ac diuinus ſemperque ſui ſimilis eſt, atque omni perturbatione, & confuſione vacat totos nos adiungamus.* Ex hac enim diſſertatione illud effici ſtatim oſtendit, vt *ij, qui prius exceſſerint, minus nobis mæroris attulerint, imò etiam lætitia nos affecerint*, cum, *habitatio peregrinatione melior, & præſtantior ſit; quodque nauigātibus tranquillus portus eſt, hoc ijs, qui huius vitæ procellis agitantur, migratio ad alteram vitam exiſtat; aut etiam quemadmodum, qui longum iter priores confecerunt, minus difficultatis, ac moleſtiæ habent, quam qui adhuc iter faciunt, & in labore verſantur: ita tolerabilior, & melior eorum conditio ſit, qui ad illud hoſpitium iam peruenerunt, quam qui ſinuoſum adhuc, & præceps huius vitæ iter emetiuntur.* Quę ob oculos habens Ambr. in oratione de exceſſu Satyri, ſic fidelium conditionem ethnicorum ſolatiis longiſſimo interuallo anteponebat. *Habent gentiles ſolatia ſua, quia mortem requiem malorum omniū exiſtimant, nos verò, vt erectiores præmio, ita etiam patientiores ſolatio eſſe debemus; non enim amitti, ſed præmitti videntur, quos non abſumpta mors, ſed æternitas receptura eſt.* Ergo fidelium mors non niſi ab iis, qui futurorum *ſpem non habent*, qui falſa pro veris, pro cœleſtibus terrena amplectuntur, lugeri debet; cum non tam mors, quam migratio ad vitam, ad portum, ad domicilium, ad cœleſtē domum & habitationem ſit. Ita quidem Hieron. epiſt. 25. ad Paulam Chriſtianorum lacrymas in charorū mortibus incredulitate pleniſſimas appellat, eaque ratione ſic grauius obiurgat. *Deteſtandæ ſunt iſtæ lacrymæ plenæ ſacrilegio, incredulitate pleniſſimæ, quæ non habent modum, quæ vſque ad vicinam mortis accedunt. Vlulas, & exclamitas, & quaſi quibuſdam facibus accenſa quantū in te eſt, tui ſemper homicida es. Sed ad talem clemens ingreditur Ieſus, & dicit. Quid ploras? non eſt mortua puella, ſed dormit. Irrideant circumſtantes: iſta infidelitas Iudæorū eſt.* Ac ſi dixerit; videris non credere, aliam eſſe vitam, aliam beatitudinem, quæ fideles vita hac functos excipit, Ambr. Hieron.

& coronat: aliàs, cur ad morem ſenſumque infidelium tam atrociter fleres? *Vacat dolor mortis, vacat & impatientia doloris*, inquit Tertullianus lib. de Patient. cap. 9. *Cur enim doleas, ſi periſſe non credis?* Hinc ſeuere Cyprianus ſerm. 4. de mortal. *fidei præuaricatores ſumus, ſimulata ficta, fucata videntur eſſe, quæ dicimus.* Sed pergit Tertull. & huic rationi ſubnixus tales lacrymas male defunctis ominari, ſic ait. *Cæterum impatientia in huiuſmodi, & ſpei noſtræ male ominatur, & fidem præuaricatur.* Bene; *male ominatur*, quaſi is defuncti ſtatus ſit, qui lacrymas ob damnationem, non gaudia ob cœleſte regnum exigat. Tertull. Cyprian. Tertull.

Audierat beatus Iob tot rerum aduerſarum nuncia, quin verbum loqueretur vllum; ſed cum filiorum fata audiuit, ſtatim adorato Domino ingentes ei gratias egit, inquiens. *Sicut Domino placuit, ita factum eſt: ſit nomen Domini benedictum*, Iob 2. 21. Sed quare? Num quia grauiorem aduerſitatem alacrius excipere, & maiori gratitudine compenſare expediebat? Ita forſan: at aliter exiſtimat Nyſſen. ad beneficium, nimirum, filiis collatum referendum, dū à labore ad requiem tranſlati fuiſſent. Sic enim ipſe ex eius perſona, orat. in funere Pulcherię. *Bonus cum ſit, bene conſulit. Sapiens cum ſit, quid vtile ſit, nouit. Sicut Domino viſum eſt, ac placuit (placuit autem recte prorſus, quicquid placuit) ita etiam fecit. Sit nomen Domini benedictum.* Pergit de ſuo Nyſſen. *Vides quanta celſitudo animi magnitudinis athletæ ſit? tempeſtatem afflictionis tranſtulit ad ſtudium rerum conſiderationis, & contemplationis. Nouerat enim exactè, quod vera vita per ſpem repoſita, atque recondita ſit: præſens verò vita veluti ſemen futuræ ſit. Longè autem præſentibus præſtant, ac potiora ſunt, ea, quæ expectantur, atque ſperantur, quantum differt ſpica à grano vnde enaſcitur: præſens vita proportionem habet, atque aſſimilatur ad granum: futura verò vita per pulchritudinem ſpicæ oſtenditur, ac deſignatur*, &c. *Ad hæc reſpiciens Iob gratulatur filiis ob felicitatem, vt qui citius vitæ vinculis exſoluti, atque exempti eſſent.* 2. Iob 2. 21. Nyſſen.

3. Vndè quidem intelliges, cur duplicata omnia, quæ amiſerat, eidem patientiſſimo viro in egregiæ tolerantiæ mercedem Domino reddente filiorum numerum non duplicauerit. Sic enim Iob 41. 10. *Et addidit Dominus omnia, quæ fuerant Iob duplicia*, &c. *& facta ſunt ei quatuordecim millia ouium, & ſex millia camelorum, & millia iuga boum, & mille aſinæ.* En duplicia pro iis, quæ antea habuerat. Iam de filiis: *& fuerunt ei ſeptem filij, & tres filiæ.* Idem omnino, ac prius, numerus: Iob 1. 2. Quid? Victusne gratitudine à Iob Deus fuerit, dum ille in grauiore aduerſitate magis gratus, ac pius erga Deum; Deus verò in pretioſiore ſupellectile reddenda minus liberalis apparet? Vel tanti ne ab homine ſapientiſſimo ouium, & camelorum greges, quanti chariſſima filiorum pignora fierent? Minimè; ſed opus quidem eſt, vt rationes legitimę ſupputentur; nec aliter in ouibus, ac camelis, quam in liberorum reddenda mercede Dominum ſe geſſiſſe exiſtimes: Etenim, vt ante calamitatem ſeptē illi millia ouium fuerant; poſt illam verò quatuordecim, ita etiam ante afflictionem ſeptem illi filij, & tres filiæ: poſtea quatuordecim filij & ſex filiæ fuerunt. Sanè prius exſtincti liberi extra rationem non ſunt ponendi, cum vel ea potiſſimum ratione hoſpites, & Deo viuentes cenſeri debeant: Id ad hunc modum obſeruante Nyſſenō præfata orat. in funere Pulcheriæ. *Cuius rei argumento eſt, quod cum promiſiſſet Deus duplum omnium eorum, quæ adempta eſſent reſtituturum ſe, in omnibus aliis duplicata reſtitutione, ſolorum liberorum duplicationem non requiſiuit. Sed decem ſoli pro totidem amiſſis dati ſunt. Nam quoniam animæ hominum* Iob 41. 10. Iob 1. 2. Greg. Nyſſ.

hominum in perpetuum permanent, idcirco alterum tantum, quantum amiserat, recipit. Quòd ad liberos attinet, qui post nati sunt, cum prius natis vnà connumerantur, quasi omnes Deo viuant, ac temporaria mors vita defunctis nihil, quo minus sint impedimento sit. Quare idem Diuus in oratione consolatoria in funere egregiæ imperatricis Placillæ, sic opportunè loquitur: *Saluum, fratres, est bonum, quod quærimus, saluum est, & non periit. Imo verò minus dixi, quam veritas habet. Non modo enim saluum bonum est, verum etiam est in sublimioribus, quam prius. Imperatricem quæris? In palatio domicilium habet*: Ac si dixerit: Nunc verè Regina existit, nunc dignum palatium habet: pro caducis honoribus, æternos; pro terrestri domo, cœlestem & verè regiam aulam sortita. Ita post pauca: *Pro his verò quid? Impatibilitas, & malorum incommodorumque vacuitas, beatitudo, ab omni malo alienatio, Angelorum consuetudo, inuisibilium contemplatio, societas cum Deo, lætitia finem non habens. Numquid igitur mœrere conuenit de regina edoctos, quæ quibus commutauerit?*

4. Quadrat ergo morti exitus nomen à Salomone
Sap. 3. 2. ei redditum, Sap. 3. 2. & cap. 7. 6. sic enim priori lo-
& cap. 7. 6. co de sanctorum morte: *Æstimata est afflictio, exitus illorum*, posteriori verò generali oratione. *Vnus ergo introitus est omnibus ad vitam, & similis exitus*: vtrobique verò pro, *exitus*, Græcè est, ἔξοδος, *exodus*, emphaticum vocabulum, nec nisi ad illustria quæque describenda solemne; vt plures verò speciosi eius vsus sint, duo ad rem videntur opportuniores; alter, cum primariæ fœminæ egregio comitatu, & pompa in publicum ex suo gynæceo egrediuntur: hic enim egressus, *exodus*, appellatur. Cui significationi obiter, tamquam vterinam adiungo, *exortum solis*, qui signatè eodem vocabulo exprimitur (proportionem, ac similitudinem ipsæ totis viribus quærunt, tu inde facilè inuenies:) alter cum recensentur militares copiæ, siue milites expediti excurrunt, seu erumpunt, vndè ab egressione Hebræorum ex Ægypto, quæ illustris excursio, instructâ acie, erectis signis, sublatis vexillis in manu forti, ac brachio extento, armisque instructo fuit,
Exod. 14. 8. (sic namque Exod. 14. 8. *At illi egressi erant in manu excelsa*: siue vt Chaldæus habet: *capite aperto*: id est, non clam, vt fugientes, sed palam, confidéter, atque gloriosè) Moysi liber, in quo hæc egressio narratur, *Exodus*, dicitur. Ergo hinc iustorum mors insignis lætitiæ, atque gloriæ occasio fuerit, nec mors, sed discessus à morte (vt ad vers. 2. adnot. 3. ex Maximo dicebamus) appellanda est, quippe tunc anima, quam ornatam monilibus Dominus concupierat, obuiam sponso (Matth. 25. 1.) splendens, at-
Mat. 25. 1. que pulcherrima, eximia, & egregia facie visenda exit; non aliter quidem quam Sol à densissimis obscuræ noctis tenebris erumpens, atque exoriens, cuius pulchritudinem, atque decorem humanus non valet penicillus exprimere; vel vt illustris in expeditione miles aureis armis instructus.

Ardet apex capiti, cristisque à vertice flamma
Funditur, & vastos vmbo vomit aureus ignes.

Basil. Ita Basilius, sponsæ imaginem elucidans, hom. 17. in Psal. 115. ea Vatis verba. *Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum eius*, sic premit. *Pretiosi ab auaris dicuntur lapilli quidam floridis interspersi, & sublucentes coloribus, re autem vera pretiosa est mors sanctorum eius, cum videlicet anima, ab omni inquinamento carnis emancipata, ac libertati reddita nullam in se retinens maculam, aut rugam, duris proprietate ab omnibus probata, insignita corona iustitiæ, perque hæc omnia admirabiles decore virtutis interlucens domino suo, atque omnium iudici se præsentarit, lapide omni pretioso longè rutilantior.* Similiter Chrys. hom. 21. in
Chrysost.

Acta Apost. vtramque solis exorientis, & militis, gloriosè accincti similitudinem versans. *Domo sua relicta pergit anima, ad suum festinans maritum, & dominum, & tu luges? Vadit ad aliam lucem, soluitur quasi à vinculo quodam, & quasi à certamine egreditur. Nescis, quod sicut Sol mundus ascendit, ita & anima relinquens corpus cum pura conscientia, fulget clare?* Vides gloriosum morientis exitum? Ex præfato ergo sapientis loco à voce transeamus ad rem: *æstimata est* (inquit) *afflictio, exitus illorum*, hoc est, summus ipsorum honor, & dignitas, incredibile gaudiũ, egregiusque triumphus, afflicta, & confracta res ab aliis est æstimata: sed à quibus? haud ab aliis, quam ab insipientibus: sic dixerat immediatè: *Visi sunt oculis insipientium mori.* Benè quidem tam absurdum errorem, nec ipsis gẽtilibus, nisi insipientibus adscripsit. Etenim ethnicus Cicero Tusc. 1. di- M. Tull.
cebat. *Mors est quadam migratio, commutatioque vitæ, quæ in claris viris, vel fœminis dux in cœlum solet esse.*
Et Temisth. apud Stobæum, serm. 117. *Probabile est* Temisth.
animam veluti à vinculo corporis, quod expirauit solutam, tum demum verè respirantem seseque recreantem Deo sociari, & ab eo pendere: Et post nonnulla, *Mirabilis quædam lux occurrit, aut loci puri, aut amæna prata defunctos excipiunt, in quibus voces, choreæ, & venerabiles de rebus sacris narrationes resonant: illic homo iam perfectus, initiatus, sui iuris factus, & liber coronatus obambulans sacra celebrat, & conuersatur cum viris sanctis, purisque, prophanam in terra, & impuram turbam inspiciens, quæ in profundo cœno, & caligine à se ipsa conculcatur, & compellitur*, &c.

Hinc opportunè Iob 14. 14. de morte verba fa- 5.
ciens aiebat: *Expecto donec veniat immutatio mea:* Iob 14. 14.
opportunius Paulus 2. ad Tim. 4. 6. ait. *Tempus reso-* 2. ad Tim. 4. 6.
lutionis meæ instat: Sed in vtriusque loci lectione, est quod obserues; nam apud Iob, sic legit Symmachus: Symmac.
Expecto donec veniat sancta natiuitas mea: Pulchrè mortem, natiuitatem appellans, non eam, quæ nos in hanc vitam peccatis obnoxiam, doloribus, & miseriis plenissimam inducit: sed sanctam, quæ veræ vitæ, veræ felicitati mortalitatis fæce purgata immortales reddat. Vndè citato loco Basilius. *Itaque pre-* Basil.
tiosa est mors, non item pretiosa natiuitas; nam teste Apostolo 1. ad Cor. 15. Seminatur in ignobilitate, surgit in gloria, seminatur in corruptione, surgit in incorruptione. *Mihi sanè confer mortem cum natiuitate, eumque definito lugere, qui huic ignobilitati subducitur:* Ac si diceret; hæc germana natiuitas, quæ gloriam incorruptionemque parit, non illa, quę corruptionem, & infamiam. Applaudit Senec. epist. 102. Senec.
Proinde intrepidus horam illam decretoriam prospice, non est animo suprema, sed corpori. Detrahetur tibi hæc circumiecta nouissimũ velamẽtum tui, cutis: detrahetur caro, & suffusus sanguis, discurrensque per totum; detrahentur ossa, neruique, firmamenta fluidorum, ac labentium, dies iste, quem tanquam extremum reformidas æterni natalis est. Depone onus, quid cunctaris? Ad quem etiam modum verba Pauli sic legit Cyprian. Cyprian.
lib. 2. epist. 9. *Tempus instat assumptionis meæ*; id est, tempus, quo à nænijs, & miseriis vitæ huius abductus ad regium illud tribunal cælesteque regnum assumat, atque promoueat. Quare indidem Basilius. *Nihil est, quod cunctemini, ò homines, illustre hoc, & honestum adire certamen, nec mortem perhorrere: neque enim ea est corruptio, sed vitæ occasio, non omnimodo deletio, sed ad honorem pretij ingentis transcensio.* Sed hic clamat, & plangit Chrys. hom. 4. in epist. Chrysost.
ad Hebræos, his verbis. *Sed compellor gemere amarissime, vbi nos Christus extulit, ibi nos ipsi deijcimus.* Nota illud, *vbi nos Christus extulit*: quia dies mortis, dies assumptionis, atque exaltationis est. Pergit Chrysost. *Cum video enim luctus in plateis, & lamenta*

lamentationes super exeuntes de hac vita, & vlulationes, credite mihi confundor. Ad hoc, vt hanc amputemus pessimam consuetudinem, in exequiis defunctorum ista sunt lampades festiuæ. Nonne sicut athletas eas producimus? Quid etiam hymni? Nonne, vt Deum glorificemus, & ei gratias agamus? quoniam iam coronauit discedentem, quoniam à laboribus liberauit, apud se habens? Nonne propter hoc Psalmi, & Hymni? omnia ista gaudentium sunt. Sic Chrysost.

6. Huius quidem (nostræ inquam) inscitiæ, qua mortem timemus, dolemus, tergiuersamur, ratio-
Nyssen. nem sic absolutissimè reddidit Nyssenus in exordio orationis de mortuis. *Qui necessarium naturæ nostræ ordinem in iis, qui è vita discedunt, calamitatem existimant, & eos, qui ex hoc mundo migrant ad cælestem patriam dolore, & lacrymis prosequuntur, non videntur mihi huiusce vitæ conditionem considerasse, sed ita affecti esse, vt plerique è vulgo, qui consuetudine quadam homine indigna quæcumque illis adsunt; vt bona diligunt, qualiacumque illa sint.* Ita ille. Bene, *vt plerique è vulgo*: bene: *consuetudine quadam homine indigna*: optime: *qualiacumque illa sint*, ac si dicat Nyssenus: O quam vulgares, imò verò belluinæ naturæ ij sunt, qui nec consilio, aut mente, sed impetu, ac externa rerum facie ducti futurorum obliti, præsentibus tantum rebus; & quæ hæ sunt? miseræ, ærumnosæ, & mille doloribus immixtæ; sunt addicti; mentis aciem, nec tantillum ad propriam dignitatem, & supernum domicilium erigentes: vnde non aliter de morte, quam de magna quadam calamitate censent, cum re vera tota ipsi humana felicitas, & beatitudo innitatur. *Felix Nepo-*
Hiero. Heli. *tianus* (aiebat Hieronym. Heliodoro defuncti patruo,) *qui hæc non vidit, felix, qui hæc non audit. Nos miseri, qui aut patimur, aut patientes fratres nostros tanta perspicimus, & tamen viuere volumus, eosque, qui his carent, flendos potius, quam beatos putamus.*
Ad Philip. 3.18. Sed vt ad Nyssenum redeam, expressit sane Pauli mentem hac eadem epist. c. 3. 18. non tam verbis, quam lacrymis hunc errorem sic describentis. *Multi enim ambulant, quos sæpe dicebam nobis, nunc autem, & flens dico, inimicos crucis Christi. Quorum finis interitus, quorum Deus venter est, qui terrena sapiunt. Nostra autem conuersatio* (*municipatus*, vt
Tertull. legit Tertull. lib. de coron. milit. cap. 13.) *in cælis est; vndè etiam Saluatorem exspectamus Dominum nostrum Iesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ.* Quod perinde fuit, ac si diceret, esse quã plurimos, de terrenis & caducis rebus, vt de immortalibus cogitantes, eas tam auide cõplectentes, vt cælestibus, ad quæ non nisi per mortẽ itur, renuntiasse videantur. Contra verò Apostolum eosque qui ipsius partes sequuntur, dum non huius mundi, sed cælestis patriæ municipes, ac domiciliarios se censent, auidissima ad mortem spe inhiare, à qua ipsorum assumptio, & ad regnum translatio dependet. Sic
Cypr. dicebat Cypr. lib. seu ser. 4. de mortalit. *Considerandum est fratres charissimi, & identidem cogitandum, renuntiasse nos mundo, & tamquam hospites, & peregrinos hic interim degere. Amplectamur diem, qui assignat singulos domicilio suo, qui nos hinc ereptos, & laqueis sæcularibus exutos paradiso restituit, & regno*
Bernard. *cælesti.* Vnde Bern. epist. 254. ad Guarinum. *Vt quid enim metuat veterani domicilij ruinas, qui fabricam spiritualem videt in die; in sublime consurgere, proficere in æternitatem? Certus namque est, quod si terrena domus huius habitationis dissoluatur, quod æternã habet in cælis.* Sed dum Paulus, *iis qui terrena sapiunt*, pulchra antithesi deposuit suam in cœlis conuersationem, & domicilium, necnon Saluatoris aduentum ad reformandum corpus humilitatis nostræ deprauatum eorum gustum tacitè pessimamque mentem reprehendit, qui florem pro fructu, viam pro termino, terram pro cœlo habeat. Certè corpus flos est, à quo morte interueniente pulcherrimus beatitudinis erumpat fructus. O ergo insanum, qui fructus oblitus in flore totus conquiescat. Sed id accipe à Nyssen. orat. de mortuis. *Est enim præsens* Greg. Nyss.
vita, tamquam via quædam nos ducens ad id quod speramus, vt in arboribus videmus: in quibus cum fructus à flore principium ducat, per ipsum florem eò progreditur, vt fructus fiat, licet flos non sit fructus. Et ipsæ segetes, quæ ex seminibus proueniunt, non statim spicam ostentant, sed herba primum enascitur, deinde culmus herba corrupta consurgit, tum in summa spica granum perficitur. Hæc Nyssen.

Qua sanè ratione, dum bonorum impiorumque 7.
series, ac generatio in Genesi recensetur, Gen. 4. 18. Gen. 4. 18.
emphaticè improbi ab Henoch ortum, probi verò in Henoch finem accipere dicuntur: Quid? idem ne vtrisque ortus ac occasus? aut inde improbi incipiant, vnde iusti finiunt? siue iustorum finis persimilis iniustorum principio fuerit? Nihil horum ita se habet: sed contra omnino dissimilis, & toto cœlo diuersus vtriusque ortus, ac occasus esse perhibetur: Etenim si ad vocis Henoch significationem attendas, idem est, ac *dedicatio*: vnde grande illud ibi mysterium latet; iustos inde potissimum ab iniustis discriminari, quod hi in principio huic mortali vitæ, atque eius bonis, ac pompis se dedicent, & addicant, *quorum Deus venter est, qui terrena sapiunt*, illi verò non nisi in morte futuris bonis dedicentur, cum ipsorum conuersatio, & municipatus in cœlis sit; ita ad id loci Stephan. Cantuariens. in allegoriis Gotfrid. Tilmãni. *In generatione malorum* Steph. Cant.
primum ponitur Henoch, id est, dedicatio, quia mali hic volunt dedicari: sed boni in futuro: in bonorum Henoch, quia in fine dedicabuntur.

Accinit his Ecclesiæ fundamentum; quod, si at- 8.
tendis, nullum aliud, quam sepulchrum est, certè de mortua Rachel, firmissimam super eius sepulchrum columnam Christianæ Ecclesiæ typum, quę *columna est, in firmamentum veritatis*, 1. ad Timoth. 1. Ad Tim. 3.15.
3.15. constituit Iacob, Gen. 35. 19. *Mortua est autem* Gen. 35.
Rachel, & sepulta est in via quæ ducit Ephratam, hæc est Bethlem. Erexitque Iacob titulum super sepulchrum eius. Hic est titulus monumenti Rachel, vsque in præsentem diem. Sed obserua apud Ambrosium vtro- Ambros.
bique pro titulo legi columnam, ac de Ecclesia ad hunc modum explicari lib. 2. de Iacob, c. 7. *Ibi sepulta est Rachel in via Ephrata, hæc est Bethlem. Ibi etiam columnam statuit Iacob supra monumentum eius. Quanta mysteria, quia ibi est Ecclesia Dei:* & post pauca: *Competenter etiam columna statuitur supra monumentum Rachel, quia Ecclesia est columna, & fundamentum veritatis*: Sed ô nouum fundamenti genus! Ita ne firma res mors fuerit, cui tota Ecclesiæ moles incumbat? Ita sanè: quia vt boni tunc dedicantur, ita morti innituntur, in ea sperant vt in flore suo fructus, certè si alij terreno innixa fuisset fundamento, honoribus, præclaro sanguini, diuitiis, miserè corruisset; dicente Seneca ep. 98. *Fragilibus in-* Senec.
nititur qui aduentitio lætus est: Ergo, vt veræ sempiternæque felicitatis sit compos, morti subnixa sit. Quo facit Prou. 9. 1. de diuina sapientia dici. *Sapien-* Prou. 9. 1.
tia ædificauit sibi domum: excidit columnas septem: Vbi maxime obseruanda est tam LXX. Cypriani Cyprian. Ambros.
ep. ad Cæcil. & lib. 2. con. Iudæos, & Ambros. lib. 1. de fide, cap. 7. quam Paraphrast. Chaldæi lectio: illi enim Patres, pro, *excidit*: legunt, *subdidit*; Chaldæus verò *statuit*: Complutensis, *fulsit*, vbi

excisionem siue mortem, idem, ac firmamentum, siue stabilimentum, atque eleuationem esse: tuncque columnas, & Ecclesiæ firmitudini (quod mirifice facit cum iis, quæ vers. 12. adnotat. vnica diximus,) & sui ipsarum stabilitati aptari cum in morte exciduntur, aperte asseritur.

9\. Equidem in celebratissimi templi Salomonis, (quod Christianæ Ecclesiæ symbolum, ac figuram esse millies ex Patribus vidimus) ædificatione, atque structura illud singillatim obseruauit Scriptura, non nisi ex pretiosis lapidibus substratum fuisse fundamentum: sic enim 3. Reg. 5. 17. *Præcepit Rex, vt tollerent lapides grandes, lapides pretiosos in fundamentum templi.* Vbi dixerit non nemo: *Vt quid perditio hæc?* præsertim cum de parietibus, qui oculis hominum ad venustatem, & pulchritudinem proponuntur, nihil tale signatè dicatur? Sed cum mortem, atque sepulchrum, Ecclesiæ fundamentum nouerimus, ad manum est responsio, rectum hunc, atque perfectum ædificandi modum esse, cum, *pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum eius*, disponitur, cum vni morti tota vita militat, cum vna ipsa in pretio habetur: *non contemplantibus nobis, quæ videntur* (2. ad Corint. 4. 18.) *sed quæ non videntur. Quæ enim videntur, temporalia sunt, quæ autem non videntur, æterna.* Quâ quidem ratione nulla parietum templi, quod pretiosis lapidibus constructi sint (quamuis de Regia Salomonis id peculiariter dicatur 3. Reg. 7. 9) mentio fit; quod apud Christianos nullius pretij fuerit præsens vita, nisi vt morti inseruit, quippe qui in morte sperent, morti innitantur, non contemplantibus, quæ videntur, sed quæ non videntur. Quæ? cœlestes quidem parietes, qui huic pretioso fundamento vno, atque eodem elaboratissimo opere mutuo respondente adnectuntur: ita enim Apocalyps. 21. 18. *Et erat structura muri eius ex lapide iaspide: ipsa verò ciuitas aurum mundum.* Vides parietes substrato fundamento ex lapidibus pretiosis incumbentes?

(3. Reg. 5. 17. — Psal. 115. — 2. Ad Cor. 4. 18. — 3 Reg. 7. 9. — Apoc. 21. 18.)

10\. Firmat hæc Paulus, sic monens Timotheum epist. 1. cap. 6. 17. *Diuitibus huius seculi præcipe non sublime sapere, neque sperare in incerto diuitiarum, sed in Deo viuo, &c. Bene agere, diuites fieri in bonis operibus facile tribuere: communicare, thesaurizare sibi fundamentum bonum in futurum, vt apprehendant veram vitam:* Obserua illud: *Thesaurizare sibi fundamentum bonum*: Nimirum, vt pretiosis parietibus respondeat. Vndè ibi Theophyl. *Vbicumque bona iacta sunt fundamenta, eodem tuto poterit moles quæque imponi, & inædificari, quod velis, cumque & virtutis, & futuri sæculi bona firmiora sint, & stabilia, eò & fundamentum commeminit.* Sed quale hoc? Capiunt plerique de ipsismet operibus bonis; repugnante quidem orationis serie: vnde vel cum Theodoreto de ipsomet cœlesti beatitudinis thesauro, vel quod magis placet, de pretioso mortis fundamento, cui superimponatur gloriosæ vrbis murus, atque fastigium capi debet, vt simul his verbis peruersum sæcularium hominum ædificandi modum carpere videatur Paulus, qui dum ea solum, *quæ videntur*, contemplantur, visibilium domorum, palatiorum, diuitiarum, reliquorumque mundi bonorum, ac pomparum ædificationes aggrediuntur, nihil de fundamento cœlesti beatitudini substernendo curantes. Quos quidem ita insectabatur Nazianzen. orat. 25. *Fecisti tibi duplices, & triplices contignationes; (agnosce Scripturæ verba) domum statilem fenestris distinctam: at hæc nondum fide mea sublimiora sunt; nec cœlis ad quos tendo.* Ergo bonum sibi fundamentum thesaurizanti, *Dissolui, & esse cum Christo multo magis melius.*

(1. Ad Tim. 6. 17. — Theophyl. — Nazianz.)

ADNOTATIO III.

Potiora Prælatis, atque Principibus subditorum bona, quam propria esse debere.

Non nostra, sed Gregorij Nazianzeni in hæc verba adnotatio est, sic enim ea elucidat in Apologetico: *Ille nunc ex hac vita discessum exoptat, ac delibatur, nunc propter suos magis necessarium esse censet in carne permanere: non enim quod suum est quærit, sed quod filiorum, quos per Euangelium genuit. Hic enim spiritualis omnis imperij finis est, vbique priuata vtilitate neglecta, commodis aliorum consulere.* Hæc Nazianz. Equidem de Paulo, quem prophetico intuitu Christi sponsum appellauit Salomon, Cant. 6. 3. sic inibi cælestis sponsus. *Pulchra es amica mea, suauis, & decora, sicut Ierusalem*: Sed obserua à LXX. hæc ita reddi, atque dispungi. *Pulchra es proxima mea, sicut beneplacitum* (siue vt Nyssen. hom. 15. in Cant. *sicut beneuolentia*) *decora sicut Ierusalem.* At quid est sponsam, sicut beneplacitum pulchram dici? Respondet ibi Nyssen. beneplaciti, siue beneuolentiæ nomine Dei filium significari, atque adeo hunc esse sensum, *vsque adeò animam in sublime euectam esse præclaro conscendendi conatu, vt iam ad ipsa Domini miracula enitatur.* Sed quare? Quidve creaturæ cum creatore, discipulo cum magistro, scintillæ cum solis lancea commune fuerit? Illud quidem, vt sicut inde potissimum Dei Filius pulcher, atque decorus nobis apparuit, cum nostri causa exinaniuit semetipsum formam serui accipiens, sic namque Bernard. serm. 46. in Cant. *Quam mihi decorus es, Domine mi, in ipsa tui huius positione decoris: etenim vbi te exinaniuisti, vbi naturalibus radijs lumen indeficiens exuisti, ibi pietas magis emicuit, ibi charitas plus effulsit, ibi amplius gratia radiauit.* Ita Paulus, dum cœlestem habitationem saluti proximorum postponit, ad eius similitudinem se se confingat, diuinamque pulchritudinem imitetur. Sed hæc elegantius ad hunc modum ibidē tradidit Nyssen. *Nam si Deus ille in altissimis, qui est in sinibus Patris declaranda in homines beneuolentiæ causa sanguini, & carni miscetur, vt in terra pax nostra nasceretur, planum est illam, quæ ad hanc beneuolentiam conformauit suam pulchritudinem, præclaris operibus suis Christum imitari, quippe quæ alius hoc sit, quod Christus humano generi fuit: quemadmodum & Paulus imitator ille Christi faciebat, se ipsum à vita velut exterminans, vt cum calamitate sua salutem Israelis commutaret. Sic enim ait.* Optarim anathema esse à Christo pro fratribus meis, cognatis meis secundum carnem: *Eaque de causa dici ad eum non inepte posset, quod hic ad sponsam dicitur. Talis est animi tui pulchritudo, qualis fuit Domini erga nos beneuolentia, qui se ipsum exinaniuit sumpta serui forma, & se ipsum dedit pretium pro mundi vita, & propter nos inops factus est, cum diues esset, vt nos in ipsius morte viueremus, in ipsius inopia diuitias consequeremur, in forma seruitutis ipsius regnaremus.* Hactenus Nyssenus. 1.

(Cantic. 6. 3. — Greg. Nyss. — D. Bern. — Nyssen. — Ad Rom 9. 3.)

Sed inquis, qui poterunt ea, quæ in præfato Salomonis loco sequuntur, *decora sicut Ierusalem*: Paulo adaptari? quæ enim ipsius ad Ierusalem proportio? Sanè plusquam magna; at opus est, vt terrenæ Ierusalem oblitus, ad cœlestem animum erigas; & de ea quidem sic inquit Ioann. Apocal. 21. 2. *Vidi* 2.

(Apoc. 21. 2.)

Vidi sanctam ciuitatem Ierusalem nouam descendentem de cœlo à Deo, sicut sponsam ornatam viro suo: & audiui vocem magnam de throno, dicentem: Ecce tabernaculum Dei cum hominibus: Vbi ipsummet cœlorum regnum sub pulcherrimæ sponsæ persona, quæ sponsi amore capta ei obuiam eat, hominum salutem eam auide, atque ardenter expetere inducitur, vt ad eam procurandam eorumque animos alliciendos propriam veluti sedem relinquat, & è cœlo terra fiat; vel quia cælestes *spiritus administratory sunt, in ministerium missi propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis*: ad Hebr. 1. 14. Vel quod caput est, quod ipsemet Angelorum Dominus descendat ad terras, vt suorum in Eucharistia cibus fiat, vel quia cælestis beatitudo vltro se animis ingerit, eos orans, atque obtestans, vt affectu, & moribus ad eam contendant; quem sanè ad modum diuinus Paulus, *desiderium habens dissolui, & esse cum Christo*, ab ipsomet cœlorum regno videbatur descendere, vt fratrum saluti consuleret, vt minister gentium fieret: ad Coloss. 1. 23. vt paruulis in Christo lac conferret, 1. ad Cor. 3. 2. *Vt omnibus omnia factus, omnes faceret saluos*, 1. ad Cor. 9. 22. Vt in proximorum bonum, salutem, vitam, sanguinem; imò verò suammet beatitudinem profunderet: vndè 2. ad Cor. 12. 15. vt grauissimè, ita signatissime ait. *Non quæro, quæ vestra sunt, sed vos; nec enim debent filij parentibus thesaurizare, sed parentes filijs: ego autem libentissimè impendam, & superimpendar ipse pro animabus vestris.* Id est, vt explicat Anselmus. *Tanto enim affectu charitatis erga vos moueor, quod non inuitus, sed libentissimè impendam vobis, vel carnalia, vel spiritualia bona, & post omnia si opus fuerit, ego ipse superimpendar pro animabus vestris, vt moriar pro salute animarum vestrarum.* Sane, quod hic spiritualis omnis imperij finis sit, (vt dicebat Nazianz.) vbique priuata vtilitate neglecta, commodis aliorum consulere. Vndè Eugenium Pontificem ex his verbis, sic monebat Bernard. lib. 3. de consideratione. *Praes, & singulariter: ad quid? Eget, tibi dico, consideratione: numquid vt de subditis crescas? Nequaquam, sed vt ipsi de te. Principem te constituerunt; sed sibi, non tibi; alioqui quo pacto te reputas superiorem his, à quibus beneficium mendicas? Audi Dominum, Lucæ 22.* Qui potestatem habent super eos, benefici vocantur. *At istud de his, qui foris sunt. Quid ad nos? Tu id mendaciter dixeris, si non tam beneficus esse, quam beneficiis praeesse intendas. Parui deiectique animi est, de subditis non profectum quærere subditorum, sed quæstum proprium, in summo præsertim omnium nihil turpius. Quam pulchrè magister gentium parentes filijs, non filios parentibus debere censuit thesaurizare.* &c. Hæc, & alia multa Bernard. ibi. Similiter Auctor oper. imp. in Matth. hom. 35. *Principes Ecclesiæ fiunt, vt seruiant minoribus suis, & ministrent eis quæcunque acceperunt à Christo, vt suas vtilitates negligant, & illorum procurent, vt si opus fuerit, neque mori recusent pro salute inferiorum suorum, sicut Apostolus dicit, 2. ad Corinth. 12. 15.* Ego autem impendar, & superimpendar pro animabus vestris. Sic ille.

Ad Hebr. 1. 14. — Ad Coloss. 1. 23. — 1. Ad Cor. 3. 2. — 1. Ad Cor. 9. 22. — 2. Ad Cor. 12. 15. — Bernard. — Auct. oper. imperfect.

3. Hinc idem Apostolus, 1. ad Cor. 9. 19. muneris sui rationem exprimens, ait. *Nam cum liber essem ex omnibus, omnium me seruum feci, vt plures lucrifacerem*, ac si diceret; cum essem iunior, ambulabam vbi volebam; cum autem Apostolatus mei rationem consensui, alius cingit me, & ducit, quo ego non volo, hoc est eam vitæ rationem institui, vt iam non sim mei iuris, sed seruus plurium, imò omnium. Sanè, quod id muneris ratio id præcise exposcat; vel ipsomet prophano, & præferoce Imperatore Tiberio attestante, dum apud Suetonium in Tiberio his verbis Senatum alloquitur. *Dixi, & nunc, & sæpe aliàs, Patres conscripti, bonum, & salutarem Principem, quem vos tanta, & tam libera potestate instruxistis, Senatui seruire debere, & vniuersis ciuibus sæpe, & plerumque etiam singulis; neque id dixisse me pœnitet, & bonos, & æquos, & fauentes vos habui dominos, & adhuc habeo.* Certe Cant. 3. 8. de Prælatis, ac ministris Ecclesiæ agens Salomon, inquit: *Omnes tenentes gladios, & ad bella doctissimi*: Vbi non dubium, quin gladius munus, quod ipsi exercent, tanquam eius insigne significet: sic enim dixit Paulus ad Roman. 13. 4. *Vis autem non timere potestatem? Bonum fac, &c. Si autem male feceris, time: non enim sine causa gladium portat.* Iam obserua in Hebræo propriè non esse, *tenentes gladios*, in actiua significatione, sed potius in passiua; *tenti*: possessi: siue apprehensi à gladiis. Vt inde quidem moneantur Principes, ac Prælati, non munerum dominos, sed multo magis seruos ipsos esse, quippe qui ea non ad se suasque commoditates pertrahere, sed se ipsos potius in munerum obsequium valetudine omnique commoditate, ipsaque si opus fuerit, vitæ incolumitate posthabita impendere & superimpendere debeant. Ita Chrysost. siue Auctor operis imperfect. in Matth. hom. 35. *Ipsi honores in Christo prima quidem facie videntur honores, re vera autem non sunt honores diuersi, sed sunt diuersa ministeria, vt puta honor oculi videtur, quia illuminat corpus, sed ipse honor illuminandi, non est ei honor, sed ministerium eius, & pedum humilitas esse videtur, quia baiulant corpus, sed ipsa humilitas baiulationis non est eorum contemptio, sed ministerium eorum*: ac si diceret cum M. Tull. orat. pro Deiot. *Vt seruitus in dominatione, dominatio in seruitute sit.* Ita de Principe Seneca in consol. ad Polyb. *Omnium somnos illius vigilantia defendit, omnium otium illius labor, omnium delicias illius industria, omnium vacationem illius occupatio.*

1. Ad Cor. 9. 19. — Sueton. — Cant. 3. 8. — Ad Rom. 13. 4. — Auct. ope. imperfect. — M. Tull. — Senec.

4. Quod si attendis, id ipsum significatur in nostra Vulgati translatione, dum subditur. *Vniuscuiusque ensis super femur suum*: Nam dum femoris nomine carnis illecebras, delectationes, ac voluptates, Patres & expositores ibi intelligunt, is resultat sensus, muneris gladium omnes Prælati commoditates, & cupiditates resecare, & amputare debere, vt qui, si priuatus fuisset, sibi suisque rebus indulgere, suaque negotia curare posset, Præses siue Prætor factus, nihil minus, quam suas commoditates, & lucra spectet. Sic dixit M. Tull. orat. pro Flacco. *Non debuit cum Prætor esset, suum negotium agere.* Benè: *cum Prætor esset*: Tunc enim alius à se, qui, non sibi, sed aliis debet consulere. Sed audi eâ de re Bernard. sermon. 12. in Cant. *O quæcumque es anima sic affecta, sic imbuta rore misericordiæ, sic affluens pietatis visceribus, sic te omnibus omnia faciens, sic facta ipsa tibi, tanquam vas perditum, vt cæteris præstò, vbique semper occurras, atque succurras, sic denique mortua tibi, vt viuas omnibus.* Verum Ambrosij verba, & sensa magis meum animum feriunt; dum imminentia Reipub. pericula, germani sui Satyri, quem vnice diligebat morte, redempta fuisse, sic sibi gratulatur in orat. de excessu Satyri. *Nihil habeo quod querar, sed habeo in quo Deo gratias agam, quia semper optaui, vt si qua perturbationes, vel Ecclesiam, vel me manerent, in me potius, ac in meam reciderent domum. Deo igitur gratias, quia in hoc omnium metu cũ omnia motibus sint suspecta barbaricis, communem dolorem priuato dolore transegi, & in me conuersum est, quidquid timebamus omnes*: & post pauca: *Nihil quidem habui in rebus humanis tãto fratre pretiosius, nihil amabilius,*

Tull. — Bernard. — Ambros.

nihil charius, sed præstant priuatis publica. Sic ille.

5. Huc quidem argutus ille Apologus facit, de quo Iudicum 9. 8. vbi cum arbores indictis comitiis de nouo sibi Rege deligendo cogitassent, è toto arborum genere prius oliuæ, deinde ficui, tandem viti, quod hæ inter omnes alias fructu, vtilitate, ac suauitate excellerent, regia potestas delata est. Sed dum electores summa id consensione censent; ipsis aliter visum; sceptrum enim regiumque sibi oblatum diadema singulæ pertinaciter recusarunt. At

Iudic. 9. 8. qua de causa? respondet oliua. *Numquid possum deserere pinguedinem meam, qua & dij vtuntur, & homines, & venire vt inter ligna promouear?* Similiter ficus. *Numquid possum deserere dulcedinem meam fructusque suauissimos, & ire vt inter cætera ligna promouear?* Nec alio modo vitis. *Numquid possum deserere vinum meum, quod lætificat Deum, & homines, & inter cætera ligna promoueri?* Sed quæ hæc excusationis ratio, quæue consecutio fuerit? Sanè indicare, eos, qui vno ex capite optimè calleant, quid ratio muneris à Prælato exigat, ne videlicet Prætor factus suum negotium agat, sed tamquam vas sibi perditum cæteris præsto semper occurrat, suisque voluptatibus mortuus, aliis omnibus viuat: ex alio verò ita suis sint rebus, ac commoditatibus addicti, vt de ipsis relinquendis non cogitent. Vndè ne munus subeant, cui rectè nequeant satisfacere, malle id omnino repudiare, quam propriam vtilitatem, quietem, ac commoditatem relinquere; id namque sonat illud: *Numquid possum deserere pinguedinem meam, dulcedinem meam, vinum seu lætitiam meam?* quasi dicant: eo enim ipso, quod in Principes promouerentur, nostræ omnino pinguedini, seu commoditati, & dulcedini, ac lætitiæ renunciare teneremur: sic enim

D. Bernard. verissimè scripsit Bernard. sermon. 53. in Cantic. *Etenim is qui aliis præest in solicitudine, vix vnquam vel raro securè vacat sibi, dum semper timet sui penuriam facere subditis, & non placere Deo, quod communi vtilitati propriam præfert quietem, & contemplationis dulcedinem.* Similiter Seneca in consolatione ad Polybium vbi, vt ipsius lacrymas licet iustissimas prohiberet, muneris publici ratio-

Senec. nem, quo ille fungebatur, ita inculcat: *Multa tibi non licent, quæ humilibus, & in angulo iacentibus licent. Magna seruitus est magna fortuna. Non licet tibi quidquam arbitrio tuo facere: audienda sunt tot hominum millia, tot disponendi libelli: tantus rerum ex orbe toto accurrentium congestus,* &c. *Non licet tibi inquam flere, vt multos flentes audire possis, vt periclitantium, & ad misericordiam mitissimi Cæsaris peruenire cupientium lacrymæ possint, tibi tuæ assiccandæ sunt.* Ita Seneca. Quasi ex eius mente multo plus à Principe alienis affectibus, plus alienis lacrymis, plus alienis negotiis, & curis, quam propriis dandum sit.

S. Nil. Quæ omnia ad rem præsentem sic præstrinxit Sanctus Nilus in Ascetico. *Quemadmodum enim oliua, ficus, & vitis lignorum vitæ recusarunt imperium, quod magis fructibus suis lætarentur, quam eiusmodi dignitate; ita qui fructum aliquem in se virtutis aspiciunt, vtilitatemque sentiunt, licet vocentur ad imperium, illi commoda sua semper anteponent.*

6. Sed viuum placet apponere exemplum, quod arborum sensa apprimè explicet. Ad Episcopale Cyrenes fastigium postulatus Synesius, illud omni ope eiurare contendebat, ea potissimum ratione ductus, quod à ludis, quibus ab ineunte ætate delectabatur, necnon ab vxore, quam vnicè diligebat (vbi obiter obserua efficax argumentum aduersus hæreticos contendentes, priscos Ecclesiæ Episcopos simul fuisse coniugatos, cum hinc constet nullo modo licuisse post assumptionem ad Episcopatum cum vxoribus degere) seiungi nollet; ad hæc quod negotiorum multitudinem fastidiret, sibique quam aliis vacare vellet. Audi illum: *Duobus hisce tempus identidem distinguo,* Synes. *ludo, atque studiis. At cum in studiis occupor, tum mihi vni deditus sum, in diuinis præsertim: In ludendo verò maximè omnibus expositus. Scis enim me, cum à libris oculos auocaui, ad omne ludorum genus esse propensum. Ciuilis porro curæ, ac sollicitudinis, & naturæ, & studio penitus sum expers. At Episcopum diuinum esse hominem oportet, vtpote qui ab omni ludo peræque, atque Deus ipse, alienus, & inexorabilis esse debeat: qui quo vitæ suæ propositum teneat, ab innumerabilibus oculis custoditur, quorum aut nulla, aut perexigua vtilitas est, nisi ita sit factus quispiam, vt & ad mæstitiam sit compositus, & ad nullam voluptatem infringi, atque emolliri possit. In iis autem quæ ad Deum pertinent, non ille sibi vni vacans, sed communissimus omnium esse debeat, vt qui legum doctor sit, & quæ legibus consentanea sunt loquatur. Necesse verò est ipsum tam multa vnum negotia sustinere, quam multa cæteri simul omnes.* Hæc ibi, & post nonnulla velut ficus, dulcedinem suam fructusque suauissimos relinquere renuens, subdit. *Mihi igitur, & Deus ipse, & lex, & sacra Theophili manus vxorem dedit. Quare hoc omnibus prædico, ac testor, neque me ab ea prorsus seiungi velle, neque adulteri instar cum ea clanculum consuescere. Alterum enim nequaquam pium est; alterum illicitum. Sed hoc vtique cupiam, ac precabor, plurimos mihi, & quam optimos esse liberos.* Tandem verò non secus ac vitis, lætitias, ac delectatiunculas suas sic retinet. *Hoc vnum ego non dissimulabo. Cum ludendi appetens sim (vtpote cui iam inde à pueritia armorum, atque equorum immoderatum studium probro datum fuerit) mærore quidem afficiar; quomodo enim charissimos mihi canes venationis expertes intueri potero? vel arcus à teredinibus exesos?* En arborum excusationem graphicè depictam.

Certè eadem de principatu sententia, vt eius ra- 7.
tione propria commoda contemnerentur, Filio Dei
erat sed quæ ipsius humanitas, benignita , cha-
ritas fuit, ea excusatione minime vi voluit:i nò ve-
rò propriam pinguedinem, dulcedinem, glc riæque
suauissimos fructus libentissimè derelinque is, se-
metipsum sponte exinaniuit, vt nos replet t: vn-
dè Paulus 2. ad Corinthior. 8. 9. *Scitis gratiam* 2. Ad Cor. 8. 9.
Domini nostri Iesu Christi, quoniam propter vos ege-
nus factus est, cum esset diues, vt illius inopia vos diuites
uites essetis. In quæ verba sic exclamat Atha as. ser- Athanas.
mon. in Euangel. de cruce & Passion. *O oulente*
Saluator, & re vera Rex, tu pauper fuisti vt nos
tua paupertate ditesceremus. Sic ille. Pend illud,
re vera Rex, tacite innuens eos reapse Re es esse,
qui suorum commoditatem propriis ration ous an-
teponunt, illos verò qui secus faciunt, no veros,
sed nomine tenus Principes esse. Sane, vt n n pau-
ca Christi exempla in hanc rem alibi exp dendа
transmiserim, illud modo non differam, ap Ioan. Ioan. 11. 7.
11. 7. vbi eum à Iudæorum furore, qui saer gas in
ipsum manus iniicere volebant se subduxit t, pau-
lò post dum ei Lazari ægritudo renunciat est, in
Ierusalem, imò in furentes hostes suos perg re non
dubitauit, inquiens; *Eamus in Iudæam iteru : Cum*
verò non omnino abs re discipuli ei ob istent.
Rabbi, nunc quærebant te Iudæi la idare & ite-
rum vadis illuc? Ac si dicerent: cur qui init corum
iram

iram heri prudenter declinasti, hodie in idem periculum te conijcere, & quasi per proprios pedes ad mortem ire non dubitas? ipse regalibus verbis respondit. *Nonne duodecim horæ sunt diei?* quibus verbis hunc subesse sensum dixeris. Nonne vbi duodecim diei horæ sunt; dispares etiam occasiones erunt? cum alia rerum facies in momento vertatur, quasi dicat: ita quidem est; heri prudentia id efflagitante, quæ vetat sine causa periculis interesse, à furentium hostium præsentia me subduxisse; sed hodie eadem discrimina muneris mei ratione impellente adire teneor, cùm de vita subditi mei agatur. Principem enim multò magis subditorum bonum, quam propriæ lucis vsura vrgere debet. Ergo in hoc discrimine, tum propriæ, tum subditorū vitæ, vt videlicet pro illa maneam; pro hac eam, eundi vrget necessitas, vt meis consulam: manendi non vrget, vt mihi ipsi prospiciam, & meam vitam asseruem. Quod si in tanta claritate Solis scintilla potest habere momentum, si vana veris, sacris prophana vllo modo componere fas sit. Audi etiam egregias Magni Pompeij voces abunde ostendentis potiorem patriæ salutem, & incolumitatem, quam propriam vitam sibi esse: properans enim ad Romanā vrbem, vt rei frumentariæ inopiâ laboranti opem ferret, cum nauim conscendens nauclerus ob exortam tempestatem nauigationem dissuaderet, non leue vitæ discrimen imminere affirmans, ita exclamasse fertur: *Vt nauigemus vrget necessitas, vt viuamus non vrget.* O Regium animum! O magno Pōpeio dignas voces! Adiungo, quas iam moriturus cum vita ipsa fudit Otho, è malo subdito, egregius Imperator apud Xiphilinum. *Faciam vt omnes intelligant, quem Imperatorem elegeritis, qui non vos pro se, sed se pro vobis dedit.* Xiphilin.

8. Sed ad præfatum arborum Apologū redire placet; totamque rem ad exitum perducere. Ergo pergit ibi auctor Apologi Ioatham arbores grauiter iratas aduersus eas, quæ si principatum susciperent, rectè in eo se gessissent, rhamnum arborum pessimam ad regnum postulasse; qui quidem tantæ dignitatis delatione maximè delectatus, delatam sibi potestatem incunctanter arripuit. Cur verò rhamnus pessimus omnium ad regnum, siue (quæ Apologi mens est) pessimi Principis typus esset futurus; ipsamet eius arbusculæ natura satis ostendit: nam in primis sterilis sibi, & infrugifera; aliis aspera, & aculeata est, (sic enim rhamnum diffinit Nyssenus in Psalm. 57. *Specie inter spinas omnium difficillima,* & August. indidem, *densissima quadam spina esse dicuntur.*) Vndè S. Nilus loco citato. *Rhamnus vero arbor infructifera, & spinosa suscepit imperium, quæ nec propriam, nec subiectorum pinguedinem habet.* Ad hæc alienæ supellectilis maximè appetens, & rapax est: vndè Hieronymus in cap. 2. Aggæi. *Rhamnus spinosus frutex, & arbuscula, sentibus vncinisque contexta, quæ teneat, quidquid attigerit.* Ita ille, mutuatus opinor à Plauto, qui de spinis, ait; *quod tetigere illico rapiunt: si eas ereptum scindunt.* Vnde hac de causa falsæ amicitiæ, quæ vtilitatis causa, vt frequentius euenit, ineatur, appositum symbolum spinam esse dixeris: etenim coniunctionis prætextu eius vestem, qui sibi adhæreat, prendit, ac sibi retinet. Quod si rhamnum imperantem videre velis: audi Dominum, Osee 8. 4. non sine graui animi sensu dicentem: *Ipsi regnauerunt, & non ex me: principes extiterunt, & non cognoui.* Dum verò paulò inferius, quid sit; *regnare non ex Deo*, latius, & à priori tibi explico, contentus esto lectione LXX. rem satis exponentium dum reponunt. *Sibimet ipsis regnauerunt:*

Iudic 9. 14. — Nyssen. — August. — D. Hieron. — Plaut. — Osee 8. 4. — LXX.

hoc est, longissimè à præscripto Dei, & recta gubernandi ratione, dum munera non ad subditorum vtilitatem, sed ad propria commoda reuocabant, non secus, ac si officium propria ipsorum supellex suis vsibus, commoditati, delectationi, & gustui destinata esset. Tales quidem in calamitosis Antichristi temporibus (Vtinam tunc solum, nec modo mysterium iam operetur iniquitatis! 2. ad Thessalonic. 2. 7.) Reges, & Principes futuros mysticè denunciatum est à Ioele, cap. 2. 31. dicente. *Sol conuertetur in tenebras, & Luna in sanguinem.* Etenim cum Sol sacerdotij; Luna verò regni temporalis ex accommodatione S. Aelredi, sermone 10. cuius meminimus versic. 13. adnot. 8. imagines sint; id sub ea locutione innuitur, fore, vt Principes, qui prodesse magis aliis, quam præesse cupere debent, sua tunc non subditorum bona (imò, & subditorum, vt sua faciant) quærentes, & curantes, auaritiæ, & exactionibus inuigilent. Audi Aelredum citato loco, vbi cum dixisset. *Quæ quidem tunc suo lumine resplendebat, quando ad noctis huius, iniquitatis scilicet, & iniustitiæ tenebras depellendas, Reges, & Principes, & bonis erant consolationi, & malis terrori: Patres orphanorum, & iudices viduarum; defensores Ecclesiarum, & propulsores iniuriarum, superiores potestate, sed humilitate inferiores: prodesse magis, quam præesse cupientes. Talis fuit Constantinus, talis ille primus Theodosius, & alij multi.* Postea subdit. *Tunc autem Luna conuertetur in sanguinem, cum manus principum plenæ sanguine fuerint, exactionibus, & vectigalibus, effundentes viscera misericordiæ, iustificantes impium pro muneribus, & iustitiam iusti auferentes ab eo, sic populo, quasi præda abutentes, tyranni non Reges, destructores pauperum, non consultores præferentes.* Ita ille.

2. ad Thess. 2. 7. — Ioel 2. 31. — S. Aelred.

Sed iam, quid est? *Ipsi regnauerunt, & non ex me*: Alij aliter. Ego vt Vulgatum cum lectione LXX. conciliem, crediderim esse; non ex mea forma, siue ex meo gubernandi charactere, quippe qui non mihi, sed meis regno; nec à meis subditis humeris portari, sed ipsos ego potius vehere, & portare soleo. Ita quidem ad Hebr. 1. 3. dixit Paulus. *Qui cum sit splendor gloriæ, & figura substantiæ eius, portansque omnia verbo virtutis suæ*: vbi Græcè pro *portans*: est, φέρων, quod propriè significat gubernare, moderari, quomodo legunt Chrysostom. & Græci; vnde Erasmus nihil portare sciens, ridet, risu ipse dignus, Vulgati translationem, qui reposuerit, *portare*. Sed (vt ipsi, quæ Marcioni Tertullian. lib. 2. capit. 25. aptem.) *Stulte, qui tantum argumentum diuinæ Maiestatis, & humanæ instructionis naso agis.* Equidem vt Paulus Græçe tantum voluerit significare gubernationem Dei; Vulgatus sensu retento ipsummet gubernandi modum, & formam, optimi interpretis partes agens, apprime explicare voluit; quod non aliter suos moderetur Deus, atque guberner, quam portando, atque vehendo, vel ipsomet gentili Seneca teste, qui epist. 31. cum dixisset: *Tutum iter est, iucundum est, ad quod natura te instruxit: dedit tibi illa, quæ si non deserueris, par Deo surges: parem autem Deo pecunia non faciet, Deus nihil habet, &c. Non turba seruorum lecticam tuam per itinera vrbana, ac peregrina portantium:* Subiicit. *Deus ille maximus, potentissimusque ipse vehit omnia.* Sed habemus firmiorē propheticum sermonem Isaiæ enim 46. 1. grauiter de Israelitis execrando idolorum cultui deditis conqueritur Dominus, quod ponderosissima, ac molestissima idola, quæ non nisi humanis humeris ingenti miserorum

9. — Ad Hebr. 1. 3. — Tertull. — Senec. — Isai. 46. 1.

defatigatione, ac labore geſtari conſueuerant, in veri Dei locum ſufficerent, ac pro Deo vero haberent; cum id ab eius natura, & conditione adeo fuerit alienum, vt humeris potius ipſe ſuis, imò & ventre ipſo ſubditos geſtet, ac ferat: ita ſiquidem Propheta: *Confractus eſt Bel, contritus eſt Nebo: facta ſunt ſimulachra eorum beſtiis, & iumentis: onera veſtra graui pondere, vſque ad laſſitudinem contabuerunt, & contrita ſunt ſimul. Non potuerunt ſaluare portantem. Audite me domus Iacob, & omne reſiduum domus Iſrael, qui portamini à meo vtero, qui geſtamini à mea vulua, vſque ad ſenectam ego ipſe, & vſque ad canos ego portabo; ego feci, & ego feram: ego portabo, & ego ſaluabo. Cui aſſimilaſtis me, & adæquaſtis, & comparaſtis me, & feciſtis ſimilem?* Ac ſi his verbis bonus Dominus dixerit: cum tantum inter me, & ethnicorum deos interſit, vt illi ſupplicum ſuorum humeros graui pondere fatigent, ac frangant; ego verò è contra amatores meos non aliter, quam mater fœtum in vtero geſtem, & foueam: Cui illorum ſimilem me eſſe putaſtis? æquaſtis, & comparaſtis me? hoc eſt, O pectora cæca, quæ meam naturam alioqui benigniſſimam, & ad ferenda hominum onera pronam ignorantiæ veſtræ penicillo inacceſſam, & inuidioſam reddidiſtis! Nec longè ab hac ſententia abit illa Plutarchi lib. de doctrina Principum. *Offenditur enim Deus iis, qui tonitrua, fulmina, radiorum iaculationes imitantur; delectatur autem iis, qui ſuam æmulantes virtutem, ſemet in honeſtate, ac in humanitate reddunt adſimiles.*

Plutarch.

10. Iſai. 9. 7. Nec diſſimilis eiuſdem Prophetæ locutio de Chriſto Domino, cap. 9. 7. *Factus eſt principatus eius ſuper humerum eius.* Id eſt, qui non vt falſorum numinum ſimulachra, aut tyranni ſeruorum ſuorum humeris ferri, ac geſtari ſe ſinet; ſed ſuis ipſe potius tam regni pondus, quam ſubditos imponet. Ita venerabilis Drogo in ſerm. de Sacramento Dominicæ Paſſionis. *Ecce imperium tuum ſuper humerũ tuum, portas portantem te: qui portat crucẽ tuam, portat gloriam tuam, qui portat gloriã tuam, portat te, portantem autẽ te tu portas ſuper humerum tuum, quia imperium tuum ſuper humerum tuum*: Sub quo etiã ſenſu eodem ſerm. elucidat illa Eliſæi ad Eliã verba, 4. Reg. 2. 13. *Pater mi, pater mi, currus Iſrael, & auriga eius,* hunc in modum. *O vox affectuoſa*, currus Iſrael, & auriga eius; *portas, & regis, ſuſtines, & gubernas*: ac ſi dicat, is gubernationis tuæ modus, & ordo eſt, vt more currus portes, ac feras, quos gubernas; nec aliter regas, quam eorum infirmitates portando, & humeris ſuſtinendo. Hęc in ſemetipſo ad viuum depinxit Chryſoſtom. hom. 13. ad pop. ardenter exoptans pro ſuis ſe laborare, & bene mereri ſi fieri poſſet, vt ipſi abſque labore præmia conſequerentur. *Vtinam poſſet fieri, vt ego pro vobis omnibus bene mererer, & meritorum brauia vos caperetis. Sicut igitur mater filium febricitantèm cernens, dolenti, & ardenti aſſiſtens, lugens ægrotanti dicit filio. Vtinam fili febrem ego ſuſciperè poſſem, & in me flammam attrahere: ſic profectò & ego dico nunc: Vtinam poſſibile eſſet me pro vobis laborantem omnibus rectè agere.* O egregium currum, & aurigam!

Drog. 4. Reg. 2. 13. Chryſoſt.

11. Ad Rom. 15. 1. Caietan. Ad quem quidem modum dicebat Paul. ad Roman. 15. 1. *Debemus nos firmiores imbecillitates infirmorum ſuſtinere, & non nobis placere:* vbi bene illud adnotauit Caietan. ea Pauli verba non tam exhortatoria, aut quæ conſilium ſuggerant, quam admonitoria debiti, & obligationis eſſe, quibus munerum rationem legemque exponat, qua firmiores, ſiue potentiores (potentiam enim Græca vox ſonat) ſubditorum, ac minorum commodis, & bono conſulere, etiam cum propriæ quietis, & commodi iactura debeant: id enim ſignificant illa verba, *& non nobis placere*, quæ ex Græco bene vertas: *& non nobis indulgere*, vt videatur dixiſſe Apoſtolus: non ea nobis de cauſa maior nobis præ aliis ſtatus, aut potentia data eſt, vt noſtris commoditatibus proſpiciamus, ſed vt infirmiorum onera portemus. Certe reuocaturus Dominus Lazarum ad vitam, cum omnia, quæ ad miraculum ſpectarent, ipſe propria virtute, & operatione perfeciſſet, lapidem tamen ſepulchro appoſitum auferri à diſcipulis ſingillatim voluit. *Tollite*, inquit, *lapidem*, Ioann. 11. 39. At nonne eadem vox, quæ animam à longinquis alterius mundi oris aduocabat, quæ fœtenti corpori priſtinas vires, & robur ſuggerebat, lapidem ſimul cum maiori plauſu miraculi poterat remouere? Ita ſanè. Verumenim verò, quamuis ſigni magnitudini tantiſper Dominus detraheret, eam tamen occaſionem monendi Prælatos noluit prætermittere; debere illos infirmiorum onera ſuſtinere, nec ſubditis vitam, ſalutemque à Prælato ſibi indulgente, adhiberi poſſe. Ita pene Ambroſ. lib. 2. de Pœnitentia, cap. 7. *Poterat tacita vi operationis occultæ transferre ſaxum ſepulchri, ſed hominibus iuſſit, vt remouerent lapidem, in typo quod nobis donaret, vt leuaremus delictorum onera, moles quaſdam reorum.* Pende illud, *nobis donaret, vt leuaremus onera*: Bene quidem, ea enim natura eſt huius doni, nimirum, Regni, Præfecturæ, Epiſcopatus, vt onus ſit; nempe vt aliorum onera Prælatus leuet, atque ſuſtineat: & verè donum, quod diuinum ingenium, *portans omnia verbo virtutis ſuæ*, quam maximè referat. Cuius quidem rei opportuniſſimum typum præſeferunt boues illi, peluim ad ſordium ablutionem in templo ſuſtinentes, 3. Reg. 7. 25. & 44. Sed illud ibi maiorem emphaſim habet, ſic boues pelui ſuſtinendæ eſſe ſubiectos, vt non modo ſubditorum onera ſuſtinere, ſed nonnihil etiam ſordium inde percipere, patienter ferre debeant. Audi S. Nilum in Aſcetico: *Boues autem ſub pelui declarant eos, qui ſubeunt onus eiuſmodi, nihil reſpuere, aut auerſari debere, ſed & onera, & ſordes inferiorum perferre, quoad ſine periculo fieri poſſit. Qui enim aliorum actiones puras eſt effecturus, is quin aliquam ipſe ſordem contrahat, vix fieri poteſt. Siquidem & peluis emundans eorum, qui lauantur manus, ſordes illorum ipſa ſuſcipit.* Ita Nilus.

Ioan. 11. 39. Ambroſ. 3. Reg. 7. 25. & 44. S. Nil.

Equidem cum Petro iuſſerit Dominus, vt ſtaterem in ore piſcis inuentum tam pro ipſo, quam pro ſe vectigalium exactoribus perſolueret: ſic enim Matth. 17. 22. *Sumens da eis pro me, & te*: non leue conſurgit dubium; cur ſingillatim Chriſtus, ac Petrus, non verò alij diſcipuli tributa pendant? Dum verò alij ad peculiare amoris ſignum Petro exhibitum referunt, ego potius crediderim ad Petri officium, & munus eſſe reiiciendũ, quod proprium Prælatorum ſit ſubditorum onera ferre, ac pro ipſis debita tributa perſoluere. Quod quidem ita fuit perſuaſum Bernardo, vt in ſermone 1. de Sancto Andrea pulchrè conſideret grauiſſimam illam Chriſti in horto Gethſemani triſtitiam, & anxietatem, tædium, pauorem, timorem, vt à diuina ipſius fortitudine alieniſſima, ita humanæ infirmitatis ægritudines, ac tributa eſſe, quæ bonus Princeps pro ſubditis voluerit perſoluere, vt ipſi ab aliis immunes redderentur: nam vt Principem indoctum monuit Plutarch. *Re verà enim Reges pro ſubditis timent, at tyranni ſubditos.* Sed audi Bernar. *Agnoſco in duce belli puſillanimorum trepidationem: agnoſco ægroti vocem in medico: agnoſco infirmantem gallinam cum pullis: conſidero charitatem, ſtupeo miſerationem, expaueſco dignationem*: & poſt pauca. *Quid*

12.

Bernard.

magnum

magnum fuerat Domine Iesu, si accedente hora propter quam veneras, intrepidus stares, tamquam qui potestatem habebas ponendi animam tuam, & nemo eam tollebat à te? An non longè gloriosius fuit, quandoquidem totum propter nos agebatur, vt non modò passio corporis, sed etiam cordis affectio pro nobis faceret: & quos viuificabat mors tua, tua nihilominus, & trepidatio robustos, & mæstitia latos, & tadium alacres, & turbatio quietos faceret, & desolatio consolatos? Obserua illa, *an non gloriosius fuit?* Sed cui gloriosius? Dei filio, an nobis? Nobis quidem, sed multo magis Dei filio. Quid enim Principi gloriosius, quid illustrius fuerit, quam subditorum onera, & ægritudines perferre, & mortalitatis tributa pro ipsis exoluere? Ad quem etiam modum Ambrosius, lib. 10. in Lucam: *Nusquam magis pietatem Domini, maiestatemque admiror, quam cum susceptam in illo ad tempus video infirmitatem meam; minus enim mihi contulerat, nisi meum suscepisset affectum. Ergo pro me doluit, qui pro se nihil habuit, quod doleret:* vbi pende illud, *nusquam magis maiestatem Dei admiror*, &c. quasi id maiestatis sit proprium, imò verò nihil ita proprium, nihil ipsa adeò dignum. Sed luculentiùs idem Ambros. lib. 2. de Fide, cap. 3. componens illa Assertoris nostri verba, Ioann. 12. 27. *Anima mea turbata est*: cum illis Petri ad ipsum Dominum, Ioann. 13. 37. *Animam pro te ponam*: hunc in modum. *Petrus dixit, animam meam pro te ponam, & Christus dixit: anima mea turbatur. Vtrumque verum est, & plenum vtrumque rationis, quod & ille, qui est inferior, non timet; & ille, qui superior est, gerit timentis affectum.* Opportunè: quia qua superior est, infirmiorum onera, & imbecillitates sustinet. Persimilis est conciliatio, quam adhibet Augustin. tractat. 52. in Ioann. citatis verbis Ioann. *Anima mea turbata est*: & illis, quæ postmodum subiecit Dominus, vers. 26. *Qui mihi ministrat, me sequatur*: dum enim sic subdubitat. *Quid est hoc, quomodo sequi iubes animam meam, si turbari video animam tuam? quomodo sufferam, quod graue tanta firmitas sentit? quale fundamentum quæram, si petra succumbit?* Ita respondet, *Sed videor mihi audire in cogitatione mea respondentem mihi Dominum meum, & quodammodo dicentem, magis sequeris, quia sic me interpono, audisti ad te vocem fortitudinis meæ, audi in me vocem infirmitatis tuæ. Vires suggero, vt curras, nec reprimo, quod acceleras; sed transfero in me, quod trepidas, & substerno quò transeas.* En subditi infirmitates, & onera, in dorsum Principis, qui verè Princeps sit, translata. Qua sanè de causa, vt risu dignum fuerit, Ægyptios crocodilum, vt Deum adorare, non contemnenda eorum in hoc errore consideratio, videlicet, quod hæc bellua dorsum durissimum, ventrem vero maximè mollem habeat: illud quidem, quod patientiæ est symbolum ad subditorum onera perferenda; hunc verò ad indulgentissimum matris affectum in suos exhibendum; ad eum modum, quo de Pontifice summo dicebat ad Hebr. 5. 2. Paulus. *Qui condolere possit iis, qui ignorant, & errant, quoniam & ipse circumdatus est infirmitate*: Et de se ipso ad Galat. 4. 19. *Filioli quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis.* Quid hoc dorso durius? Quid hoc ventre mollius?

Ambros. | Idem. Ioan. 12. 27. | Ioan. 13. 37. | August. | Ad Heb. 5. 2. | Ad Gal. 4. 19.

13. Vnde coniicies, quid fuerit in causa, quod cum Adamus è luto fuerit formatus, Eua non ita, sed ex ipsius Adami costa fuerit educta. Quid? artifici ad manum puluis non erat? Quid? nobilior materies infirmiori vasculo debuit excogitari? Neutrum quidem: sed vt Adamo, qui Euæ caput, ac princeps erat futurus, manifestum foret, subditos à prælatis, non modo vt rem propriam amandos, sed etiam ipsorum vitam, commoditates, ac reliqua bona, è Principis costis educenda esse, debereque illum subditorum vtilitatibus propriis expensis, multoque labore indesinenter prospicere. Ita quidem dicebat Synesius, orat. de regno: *Quam qui felicissimam (fortunam) Dei beneficio est adeptus, cuique in prima ætate, magni Regis appellationem concessit, eum nullum non laborem perferre oportet; & ab omni vita commoditate separari, ac somni parcissimi, solicitudinum autem plurimarum esse participem, si quis regis nomen non immeritò sibi velit obtinere*, vbi vlterius obserua; quod quamuis ea costæ iactura ad Euæ formationem extractæ à Domino Adæ fuerit resarcienda (erat enim tanto indignum opifice, vt in suo opere perficiendo creaturæ debitor maneret) at operæpretium fuisse, vt non in eadem, sed in alia specie debitum illi persolueretur, carnem videlicet pro costa Domino substituente: sic enim habes, Genes. 2. 21. *Tulit vnam de costis eius, & repleuit carnem pro ea.* Vnde quidem effectum est, vt alia Adami, alia Euæ: siue alia prælati, alia subditi structura remanserit, dum hic maiori ossium duritie, ille verò ampliori carnis mollitie, & lenitate constaret: Sane, vt ad subditi duritiem, ad importunitatem, ad querelas, & ad ipsius imbecillitates, & molestias perferendas plus benignitatis, & humanitatis, quæ per carnem optime exprimitur, in Principe respondeat: *Debemus enim nos firmiores imbecillitates infirmorum sustinere, & non nobis placere.*

Gen 2. 21. | Synes. | Gen. 2. 21.

14. Deprecabatur Regem Roboamum Israelitica plebs, tributorum, ac vectigalium pondere confracta, vt nonnihil leuaminis, ac respirationis ipsi afferret: *Pater tuus* (inquiunt) *durissimum iugum imposuit nobis; tu itaque nunc imminue paululum de imperio patris tui durissimo, & de iugo grauissimo, quod imposuit nobis, & seruiemus tibi.* 3. Reg. 12. 4. Quid ad hæc Princeps respondit? Audi: *Minimus digitus meus grossior est dorso patris mei.* Bene quidem hinc speres. Quid enim fecerit, qui plus carnis se habere cognoscit, quam subditorum misereri? quidve polliceatur digitus paterno dorso grossior? nisi dorsum multo grandius, ac fortius, quam patris dorsum fuisset, vt maiora, atque grauiora subditorum onera perferret? at nō sic mortalium insipientissimus subintulit, sed contra: *Pater meus posuit super vos iugum graue, ego autem addam super iugum vestrum; Pater meus cecidit vos flagellis; ego autem cædam vos scorpionibus*, qua sanè consecutione nihil insanius, nihil ineptius, aut magis extra rem: cum vel ob eammet rationem, quod plus in se carnis agnosceret, plus humanitatis, & benignitatis sibi inesse debere, admoneretur, ad eum modum, quo de Pontifice superius intulit Paulus, ad Hebr. 5. 2. *Qui condolere possit iis, qui ignorant, & errant, quoniam & ipse circumdatus est infirmitate*: Vbi lectio Syriaca pro, *condolere*, posuit, *demittere se*: imagine, vt apparet, ab iis, qui ad aliquod pondus leuandum, & perferendum se deiiciunt sumpta, monens Apostolus ab ipsa se circumdante, & vndique contegente infirmitate, hoc est, humanitate admoneri Prælatum, vt suis indulgeat, eorumque infirmitates ferat. Aliter quidem, quam Roboam, cēsebat Theodoricus Rex, apud Cassiod. lib. 5. variarum; qui sic se bono, ac gaudiis populorum, putabat deuinctum, vt interdum etiam desipere expediens iudicaret, vt lætitiæ populi morem gereret, sic enim ibi. *Quapropter largiamur expensas, non semper ex iudicio demus: expedit interdum desipere, vt populi possimus desiderata gaudia continere.* Hæc ille.

3. Reg. 12. 4. | Ad Heb. 5. 2. | Cassiod.

15. Sed iam, & iis omnibus, quæ hucusque diximus, & quæ mittimus vel in alium locum transmittimus,

timus, vsus, & consuetudo non leuiter aduersantur: subditos enim potius, quam Principes hodierna iam tempestate venerarentur Ægyptij, quod vt ventrem mollem ad pietatem, & indulgentem in Reges suos affectum, ita dorsum durissimum ad ipsorum onera perferenda, & tributa pro ipsis persoluenda habeant. Nec deesse quidem huic consuetudini peculiaris è sacra pagina auctoritas petita videtur.
4 Reg. 9. 13. Certè 4. Reg. 9. 13. cum primum Iehu ab Elisæo ex Dei præscripto in Regem est designatus, omnes quotquot aderant, vt sese illi subditos profiterentur, regiumque ius, & potestatem agnoscerent, proprium sibimet ipsis pallium ex humeris detraxerunt, vt regius ex illis thronus excelsius consurgeret: sic enim ibi: *Festinauerunt itaque, & vnusquisque tollens pallium suum posuerunt sub pedibus eius in similitudinem tribunalis*: id autem, quid significet? nisi Principibus, atque Dynastis in omnia quæ subditorum sunt; imò, & in singulorum pallium ius esse, quæ ab ipsis petere, & repetere aliquandiu possint?

16. Vera procul dubio sententia, legitimusque eius loci sensus, si tamen aliquid interius latens introspiciatur attentius; nempe in Hebræo esse: *Et tulerunt vnusquisque vestimentum suum, & posuerunt subter eum super tribunal*, seu *fastigium*, vbi verbum, quod tribunali respondet, propriè significat, *osseum*; quod prædictum Principum ius enucleatissime explicat, Nempe Principi ad subditorum bona, imò ad proprium vniuscuiusque pallium ius esse, dum tamen id ad ossa vel Principis, vel Regni, cui præest contegenda, & confouenda necessarium videatur. Nec antea Princeps pauperum sudorem, & pallia sibi vendicet, quam ipse, vt aiunt, vix ossibus hæreat, iuxta phrasim, quam de homine extremè indigente dicimus: *Està en los huessos*, cum videlicet ea, quæ ad necessarios vsus vitæ, dignitatis, & debiti splendoris opus habet, non suppetunt; tunc enim ad ossa tegenda non modo à subditis suppeditandæ pecuniæ, sed ipsamet pallia sponte offerenda, sin minus ab ipsis auferenda sunt: est tamen operæ pretium, attentissima prius à Principibus consideratione expendi, ne ea, quæ subditorum sunt, non tam ad ossa cooperienda, quam ad carnem confouendam, ad desideria inquam carnis explenda, ad superfluos sumptus, ad itinera non necessaria, & id genus alia
3 Reg. 11. 20. assumant. Sanè 3. Reg. 11. 20. vt Ahias Propheta Israeliticum regnum, qua ad regem pertinet, ænigmaticè describeret, pallij imagine est vsus, ea quidem innuens Principem regno suo operiendum; hoc est, ad ea quæ sibi sint necessaria, & ad honestum splendorem ipso vti debere: vnde illud Principibus omnino cauendum, ne subditorum pallia, & pauperum sudorem, in priuatorum hominum (priuatorum dixi, nec me pœnitet) inuidiosam vtilitatem, & nimias diuitias conuertant, ne quod di-
Saluian. Massiliens. xit Saluianus Massiliensis à nobis alibi adductus: *Vnius hominis ornamentum, totius orbis excidium sit.*

17. Nec videri id debet Principibus ingratum, & odiosum, imò vtilissimum, & necessarium; vt enim hac ratione summa rerum dominatione non potiantur, nec regnum adeo vtile, & fructuosum sibi habeant, habebunt tamen proculdubio solidius il-
Nic. Oresf. lud, ac diuturnius: ita Nicolaus Oresmius Lexouiensis Antistes, lib. de mutatione monetarum appositum ex Aristotele affert responsum, præclari Lacedæmoniorum Regis Theopompi, qui cum grauia tributa à prædecessoribus regnô imposita libens ipse remisisset, atque ea de causa eius vxor non sine lacrymis obiiceret, turpe videri regnum minoris emolumenti filiis tradere, quam ipse susceplisset à patre, sapienter respondit, *sed trado diuturnius*; subdit Nicolaus: *O diuinum oraculum, ô quanti ponderis verbum, & in palatiis regiis, litteris aureis depingendum!* trado, inquit, diuturnius, *at si diceret, plus auxi regnum duratione temporis, quam sit diminutum moderatione potestatis. Ecce plus quam Salomon hic. Nam si Roboam à patre suo Salomone regnum sic compositum recepisset, & tenuisset, nunquam decem de duodecim tribubus perdidisset, nec sibi improperatum fuisset, Ecclesiastici* 47. Profanasti semen tuum inducere iracundiam ad liberos tuos, & Eccl. 47. 21.
incitari stultitiam tuam, vt faceres imperium bipartitum. Hactenus ille.

VERSVS XXV.

Et hoc confidens scio, quia manebo, & permanebo omnibus vobis ad profectum vestrum, & gaudium fidei.

VERSVS XXVI.

Vt gratulatio vestra abundet in Christo Iesu in me, per meum aduentum iterum ad vos.

COMMENTARIVS.

Vide dicta ad vers. 19. & 20. Sed deinde 1.
obserua perperam legisse Erasmum, *&* Erasm.
hoc certo scio: quasi verbum, *scio*, construendum sit cum pronomine, *hoc*. Melius Mon- Montan.
tanus, & alij interpretes vertunt, *& hoc confisus scio*. vt sensus sit, cum vno ex capite hoc, (id est, necessarium esse vobis vitam meam) confidam siue persuasum habeam, (id etiam propriè significat Græcum verbum: πεποιθὼς:) ex alio verò satis mihi sit notum, quam maximè Deus vestram sanctitatem desideret; *scio*, hoc est pro certo habeo, seu vehementer mihi persuadeo, quia (Hispanè, *que*) *manebo, & permanebo*: diutius scilicet mihi viuendum, & vna vobiscum commorandum esse, vt maiores in dies in Christiana disciplina progressus faciatis.

Gaudium fidei.

Perinde id ab interpretibus accipitur, ac si 2.
posuerit Paulus, *fidem*, pro fidelibus omnibus, qui eius opera Christianam religionem subinde erant suscepturi. Crediderim tamen eo dicendi modo positum, quo de fide vt de re rationis, & gaudij participe Paulus loquatur, quasi ipsa ob timorem de ipsius morte, doloremque ob eius vincula, & tribulationes, semiextincta esset: subinde verò nuntio de illius incolumitate, & salute accepto velut ad nouam vitam, & lucem reuocetur; vel etiam, *gaudium fidei*, posuit Apostolus pro Christianæ religionis incremento, quæ tota à suo fundamento fides dicitur in Scripturis, vt sæpius dixi.

Gratulatio vestra abundet in Christo.

Cvm pro gratulatione Græce sit, καύχημα, quæ 3.
vox, *gloriationem*, significat, Iustinianus sic ac- Iustin.
cipit, vt velit Paulus Philippensium de ipsius salute, & incolumitate gratulationem, non qualemcunque futuram,

futuram,ſed eam, quæ ſimul cum magna ipſorum gloria coniuncta ſit, quod ipſi vitæ ſubſidia Paulo in carcere detento ſubminiſtrarint. Aliter verò alij interpretantur,ac ſi dicat, vt gloriatio, qua non in vobis quaſi viribus veſtris eam perfectionem fueritis aſſecuti,ſed *in Chriſto Ieſu*; cui eam debetis, *in me*,hoc eſt,mea induſtria,& me miniſtro gloriamini,ea inquam gloriatio, *abundet*, ſiue ſit copioſior medio aduentu meo ad vos. Neutrum tamen mihi placet: illud, quia nimis ſimpliciter dictum; hoc, quia nimis artificioſe compoſitum. Vnde melius Græci gratulationem,ſiue gloriationem paſſiue ſumunt,qua Paulus de profectu ſpirituali Philippenſium in Chriſto oblectetur,vt ſit ſenſus, vt ego copioſius, & abundantius mihi ipſi gratulari, & gloriari in Chriſto poſſim,cum ad vos reuerſus videro quantum in Chriſtiana diſciplina profeceritis.

4. *Chryſoſt.* *Theoph.* Quid ergo? Reuerſus eſt iterum Paulus Philippos? Verba hæc videntur indicare, & in eam ſentētiam iuit Chryſoſtomus cum ſuis,dempto Theophylacto, qui hærere videtur. Alij tamen contra exiſtimant, hac potiſſimum ratione ducti, quod credant, epiſtolam hanc è poſterioribus vinculis fuiſſe conſcriptam.Mihi in re omnino ancipiti,quæque coniecturis ſolum agitur (eiuſmodi enim ea omnia,quæ ad hiſtoriam pertinent,ſunt)nunquam facile fuit certum aliquid pronunciare. Si verò quæſtionis nodus inde pendeat è primis ne,an è ſecundis vinculis hæc fuerit epiſtola conſcripta; mihi ex dictis verſ.19.& 20.ſolutio expeditiſsima eſt: omnino enim ex Pauli verbis inibi expenſis mihi perſuaſum duxi, è priori captiuitate fuiſſe conſcriptam,& in hanc ſententiam maior, meliorque interpretum pars inclinat. Vide Baron.tom.1.Annal. ad ann.Chriſti.60.§.1. *Baron.*

5. *Ad Rom. 15.24.* *Mart Ro.* *Beda.* *Ado.* Illud etiam mihi ſatis probabile, Paulum poſtquam ex iis vinculis ſolutus eſt, in Hiſpaniam noſtram,vt ipſemet ad Rom.15.24.& 25. fuerat pollicitus, aduenſſe. Quod præter Martyrologium Romanum, die 22. Martij, atque Bedæ Kalend. Aprilis,& Adonem in Chronico ad annum Chriſti 59.omnes pene Patres tradiderunt: Græci in primis;Theodoretus in hæc verba, & in 2. ad Timotheum vltimo,Chryſoſt.hom.7.de laudibus Pauli, & hom.79.in Matth.& præf. in epiſt. ad Hebræos, Cyrill.Ieroſolym.Catecheſ.17. Epiphan.hæreſi 26. Sophron.Ieroſolym.ſerm. de natali Apoſtol. Hippolyt. lib. de 72. diſcipul. & lib. de duodecim Apoſtolis, qui in Biblioth. Card.Sirleti aſſeruabatur:cuius ſic meminit in hanc ſententiam Baron.in adnot.ad Martyrol.Roman.die xxij.Martij. *Extſtat in Bibliotheca Card. Sirleti libellus Hippolyti Martyr.de duodecim Apoſtolis, quo firmiter auctor aſſerit ſanctum Paulum prædicaſſe Euangelium in Hiſpania.* Similiter Latini.Gregor.lib.31.Moral. cap.22. Hieronym.in cap.11.Iſaiæ,Iſid. Hiſpalenſis lib. de vita, & obitu ſanctorum,cap.71.Et verò pro hac ſententia,& omnis antiquitas eſt, & res ipſa pro ſe loquitur. Quis enim credat Apoſtolum,qui totius orbis terrarum Sol,communiſque Pater erat,omnes Aſiæ angulos perluſtraſſe, græculoſque quoſuis Euangelicis inſtitutis imbuiſſe, Hiſpaniam verò, quæ adeò præcipua totius orbis,præpotenſque,ac maximi in omnes partes momenti portio eſt, & in qua Chriſtiana in poſterum religio potiorem, commodiorem,& ſempiternam(vti omnis, qui bene credit,ſperat)erat requiem habitura, benigniſsimo aſpectu, ſalutarique faciei ſuæ influxu defraudaſſe? Credat qui volet: ego in rem Pauli dignitati non conſentaneam animum nunquam induceam meum. Quid quod non pauca nobis eaque præclara tantæ felicitatis indicia remanſerunt: etenim Tortoſæ in Catalania Paulum fuiſſe, atque illi ciuitati Ruffum, Simonis Cyrenæi filium Epiſcopum præfeciſſe,conſtans illius Eccleſiæ traditio eſt;de qua vide Doctorem Antonium Beuter lib.1.cap.23.inde *Ant. Beut.* verò Hiſpaniæ interiora,Caſtellamque noſtram diuinum hoc iubar penetraſſe ſimilis Vianenſis oppidi iuxta Lucronienſem vrbem traditio egregiis veſtigiis munita confirmat. Ferunt enim Vianenſes notitia de manu in manum conſtanter ad hæc tempora perlata, inſigne inibi Dianæ oraculum, ad quod vndique Hiſpani è Cantabria, præſertim ad impia ſacrificia Idolis offerenda confluebant, extitiſſe; dumque eam dæmonis arcem oppugnandam expugnandamque ſibi Paulus ſuſcepiſſet,Baſilicam in honorem S. Michaelis Archangeli in mediocri quodam cliuo ad Septemtrionalem plagam prope Vianam ædificaſſe. Quæ tanti fundatoris manum ſemper agnoſcens,ad hodierna etiam tempora duret. Addunt maiorum ſuorum incuria, dum non ſemel ea Baſilica reædificata eſt, demolitum fuiſſe non exiguum lapidem, in quo hæc erat inſcriptio.

Saulus præco crucis fuit nobis primordia lucis.

Auctor eſt Dominus Ioannes de Amiax in lib. an- *Ioann. de Amiax.* tiquitatum Epiſcopatus Calaguritani typis excuſo Pompilonæ, anno. 1608. diſcurrēt ſecundo, vbi etiam plures Vianenſes teſtatur agnouiſſe, qui affirmarent tractaſſe ſe,& cognouiſſe eos, qui vetuſtiſsimam illam inſcriptionem vidiſſent, ſæpiuſque legiſſent.

Hinc non poteſt non videri alicui creditu difficile, Paulum ex Hiſpania in Macedoniam iterum rediiſſe,cum & ab oriente tam longe eſſet diſsitus, & Epheſum, & ad alias Aſiæ vrbes non rediiſſe conſtet ex iis,quæ ipſe ad Aſiaticos Epiſcopos, qui ad eum videndum confluxerant;dixit Actuum 20. 25. *Et nunc ecce ſcio, quia amplius non videbitis faciem meam vos omnes, per quos tranſiui prædicans regnum Dei.* Quis enim crediderit Paulum Macedoniam iterum peragraſſe, nec deuotiſsimas ſibi vrbes inuiſiſſe? Incertus ergo Pauli ad Philippenſes reditus;nec aliud,ex his verbis,conuinci poteſt: dum enim dicit Apoſtolus, ſcire ſe manſurum, & permanſurum ad conuiuendum Philippenſibus, ſuum aduentum ad illos inculcans, non loquitur de notitia, quam ipſe ex diuina reuelatione haberet, ſed de probabili ſolum coniectura, quæ licet moralem certitudinem ſibi faceret, deludi tamen poſſet,vt de verbo Græco,οἶδα, pro quo noſter poſuit,*ſcio*,iam ſupra ad verſum 6.monuimus,& quidem,quæ Paulus ſtatim ſubdit,*ſiue cum venero, & videro vos,ſiue abſens audiam de vobis*:nihil certi hac de re ipſum polliceri, ſed coniecturali ſententia, ſiue fiducia loqui indicant. 6. *Act.20.25.*

VERSVS XXVII.

Tantum digne Euangelio Chriſti conuerſamini: vt ſiue cum venero,& videro vos, ſiue abſens audiam de vobis, quia ſtatis in vno ſpiritu vnanimes,collaborantes fidei Euangelij.

COMMENTARIVS.

Tantum.

BENE monent Græca ſcholia aliquid hic ſubaudiendum eſſe, quod orationem expleat. 1. *Græc ſch.* Quid verò? Reſpondet Iuſtinianus, vt videlicet ſiue

siue vos præsens intuear, siue de vobis absens audiam, &c. Verum id non est aliquid subaudire, sed verba huc illinc transponere, atque inde tollere, vbi commodiorem sedem habent. Vnde hæc abrupta locutio, eò potius tendere videtur, vt tam curam de rebus, & salute Pauli conceptam, quam solicitam de suo aduentu expectationem, (hæc enim duo præcedentibus verbis in Philippensium animis excitarat) nunc moderetur, siue etiam comprimat, & omnem illorum sollicitudinem, omneque desiderium ad vitæ integritatem transferat, est ergo sensus, ac si dicat: sed omnem iam de me, meisque rebus curam abiicite, & ad dignam Euangelij conuersationem neruos omnes contendite.

In vno spiritu vnanimes.

2. GRÆCE: *In vno spiritu, vna anima.* Vnde non satis liquet, an vox *anima* cum præcedentibus, an cum sequentibus componenda sit. Syriaca lectio, Theophylact. & plures benè ad præcedentia referunt, vt idem id sit, atque illud Lucæ Actuum 4. 32. *Multitudinis credentium erat cor vnum, & anima vna.* Displicuit tamen id Estio, ex eo solum, quod nulla inter has voces intercedat coniunctio, vnde mauult animam à spiritu seiungere, hoc sensu, vt de vobis audiam, quod perseueretis in vno spiritu, id est, concordes, quodque sitis vno animo, & studio collaborantes fidei. Sed leuior sane ea ratio fuit, quam quæ virum doctum permoueret, cum frequentissimè tam in Scriptura, quam apud omnes scriptores coniunctio vocum subaudiri soleat. Sed nec illam hic Syriacus omisit, dum legit, *quod statis in vno spiritu vnâque animâ.* Et quidem dum minutæ voculæ scrupulus Estium remoratur, ipse non aduertit, quod scrupulosis plerumque euenit, durius se aliquid, & magis timendum deuorare, siquidem à Vulgatæ dispunctione recedit, quæ nullo apposito commate inter spiritum, & animam post vocem, *vnanimes*, illud appingit hoc modo: *quia statis in vno spiritu vnanimes, collaborantes*, &c. Vnde ex ipsius etiam mente Syriaci, & Theophylacti sensus omnino subsistit.

(Margin: Syriac. Theoph. — Act. 4. 32. — Estius.)

3. Sed cur Paulus vtrumque coniunxit *spiritum*, & *animam*, cum synonymæ hæ voces sint? Respondent optimè ferè omnes interpretes, ideò fecisse Paulum, vt Philippenses non solum de animorum, & voluntatum coniunctione, & vnitate, sed de doctrinæ etiam, & sententiarum consensione admoneret, mutuam ab illis charitatem, & eandem mentem efflagitans. Sed cum hæ voces, quas Paulus vsurpat, vtranque partem animi promiscuè significent; disquiri etiam potest, sub quâ ab Apostolo, voluntas; sub quâ mens significetur. Estius, quamuis existimet, necesse non esse inter spiritum, & animam distinguere, addit tamen, quod si distinguendum sit, non incommode spiritus ad intellectum, & anima ad voluntatem referetur. Alij contra existimant, spiritum ad animorum vnitatem, animam verò ad intellectuum consensionem referri, quod æquius sit, vt perfectior animæ pars, qui intellectus est, totius animæ nomen sibi vendicet; leuius aristâ dubium: dixeris cum Poëta.

(Margin: Estius.)

Non nostrum inter vos tantas componere lites,
Et vitula tu dignus, & hic.

Collaborantes.

4. GRÆCE, συναθλοῦντες, *simul certantes*, tamquam strenui milites. At quis est is, cum quo simul certaturi erant? Estius ad ipsummet Paulum refert, quasi dicat; vna nobiscum certantes. Melius Chrysostomus, & Græci ad ipsosmet Philippenses, qui vna omnes, velut *castrorum acies ordinata*, pro fide dimicarent, *non enim inter se pugnabant*, (inquit Chrysost.) *sed quod vult Paulus, hoc est, mutuum, inquit, vobis auxilium afferte, dum fides Euangelij in certamine versatur*: Eodem modo Theophyl. & Anselm. sic enim ille; *Vos mutuo adiuuantes in certamine, quod pro fide sumitur.* Anselmus verò: *simul omnes totis viribus laborantes ad implendum ea, quæ fides Euangelica exigit.* Optime vero omnium Ambrosius; *Certantes simul cum fide ipsa, qua velut in palæstra sit*, quæ etiam mens citatis Græcorum verbis inest. Sanè, vt religio subsistat, vtrumque necesse est; & lucta defendentium fidem, & quod ea lucta, & dimicatio à pluribus vnà pugnātibus, suscipiatur.

(Margin: Estius. — Chrysost. — Theoph. Anselm. — Ambros.)

Sed quale tandem auxilium fidei decertanti cum hostibus Philippenses erant allaturi? duplex opinor ex mente Pauli; alterum probitatis morum, integritatisque vitæ alterum: doctrinæ vnanimi consensione traditæ mutuâ charitate, & animorum coniunctione ornatæ. Vtrumque enim fidei defensio prærequirit: & de primo, id quidem innuit Apostolus, dum ait: *digne Euangelio conuersamini*, à quibus verbis sequentia dependent, & maior ipsorum explicatio sunt. Vnde confer hæc verba cum illis Petri epistola 1. cap. 2. 12. *Conuersationem vestram inter gentes habentes bonam; vt in eo, quod detractant de vobis, tamquam de malefactoribus, ex bonis operibus vos considerantes, glorificent Deum in die visitationis:* & cum iis, quæ post nonnulla subiicit; *Quia sic est voluntas Dei, vt benefacientes obmutescere faciatis imprudentium hominum ignorantiam*, denique cum illis cap. 3. 15. *Dominum autem Christum sanctificate in cordibus vestris, parati semper ad satisfactionem omni poscenti vos rationem de ea, quæ in vobis est spe, sed cum modestia, & timore conscientiam habentes bonam, vt in eo, quod detrahunt vobis, confundantur, qui calumniantur vestram bonam in Christo conuersationem.* In quibus omnibus apparet, ethnicos Christianis falsa frequentius crimina obiecisse, vt Christianæ religionis candorem denigrarent, vt Tertul. in Apologetico, & August. lib. 1. de consensu Euangelist. cap. 9. & sequentibus, longius persequuntur; eaque de causa fidelibus vitæ integritatem tantopere ab Apostolis commendari, vt præclarorum operum luce, tenebræ quas ethnici Euangelio offundebant, diffugerent, ipsique accusatores factis potius, quam verbis conuicti obgannire cessarent. Vnde pulchrè dixit Petrus: *obmutescere faciatis imprudentium hominum ignorantiam:* vbi pro: *obmutescere:* Græce est φιμοῦν, quod proprius vertas; *camo siue capistro obstringere, & occludere os:* eo sensu, quo Deuter. 25. 1. & 1. Corinth. 9. 9. dicitur: *Non alligabis os boui trituranti*, siue vt Ambros. in 1. ad Timoth. 5. legit, *non infrænabis os*, vnde Syriacus ad id loci Petri, sic legit. *Quia sic est voluntas Dei, vt per bona opera vestra obturetis os stultorum illorum, qui non norunt Deum.* Quasi nullum frænum ad maledicas impiorum hominum linguas cohibendas aptius fortiusque fuerit, quam innocens fidelium conuersatio, præclaraque vita, & quidem optimum præ omnibus modum dimicandi pro fide Christiana hunc reapse extitisse, multis confirmat Euseb. lib. 4. histor. cap. 7. & lib. 5. cap. 1. & sequentibus. Quod adeò est verum, vt impius ille Iulianus dum Sacerdotem Idolorum per epistolam monuit, vt vehementius curaret ethnicos virtutem colere, illam potissimam rationem subiunxerit, Christianam religionem hac ratione mirificè floruisse, ac propagatam fuisse. Sanè in hanc sententiam hæc accommo

(Margin: 5. — 1. Pet. 2. 12. — 1. Pet. 3. 15. — Tertullian. D. August. — Deut. 25. 1. 1. Ad Cor. 9. 9. Ambrosius. Syriac. — Euseb.)

Chrysost. accommodatissime scripsit Chrysost. hom. 3. in epist.1.ad Corinth. *Sic eos prosternamus* (de ethnicis loquitur,) *& aduersus illos pugnemus, & ante verba per vitam eos perterreamus. Hæc est enim magna pugna. Hæc est ratiocinatio aduersus quam contradici non potest, quæ fit per facta. Nam etsi per verba millies philosophemur, non exhibeamus autem vitam illis meliorem, nullum est lucrum, non enim attendunt ea, quæ dicuntur, sed examinant ea, quæ gerimus, & dicunt, tu prior pare tuis verbis, & tunc hortare alios.* Hæc & plura ibi Chrysost.

ADNOTATIO I.

Quam arcta fidelium concordia esse debeat.

1. QVÆ vel Patres, vel ethnici de veræ amicitiæ, & charitatis natura scitè, & floridè variis sententiis, & imaginibus tradidere, amicitiam diffinientes, vt sit omnium tam diuinarum, quam humanarum rerum cum beneuolentia, & charitate consensio, vti habet Aug. epist. 155. ad Marcian. vel vt Plato in Lyside, vt vnus fiat è pluribus, à quo similia mutuati sunt Aristot. lib. 2. magn. moral. cap. 13. & Senec. epist. 109. vno hoc verbo, *vnanimes*, expressit Apostolus, quod si expenderis, quidquid aliud addideris, superfluet; *cum enim voluerimus impensè amicum dicere* (inquit citatus Aristot.) *vna mea, & huius anima est, dicere solemus.* Bene quidem cum, *impensè*, dicere volumus; nihil enim vltra cogitare valemus, quam, *vnam animam*, (vt ipsemet Philosophus interrogatus respondit) *in duobus corporibus inclusam.* Vnde Christus sub Dauidis persona, vt intimam, quam cum proditore contraxerat amicitiam, declararet, hanc phrasim vsurpans, sic questus est Psalm. 54. 14. *Tu vero homo vnanimis*: Quæ verba versans Ambros. lib. 3. de offic. cap. 16. *Qui est vnanimis, ipse amicus est, quod vnitas animorum in amicis sit*: & paulo ante. *Quid est enim amicus, nisi consors amoris, ad quem animum tuum adiungas, atque applices, & ita misceas, vt vnum velis fieri ex duobus, cui te, tanquam alteri tibi, committas.* Sed hinc illud acutè infert, notanter hoc nomine à Christo Iudam increpatum, vt simul ostenderet, illum se simul lædere, qui vnanimem sibi læderet, certè vel vt hac ratione à proditione executioni mandanda deterreret, vel vt de illa, quod proditoris damnum potius, quam suum esset, doleret. *Itaque ad acerbandam peccati inuidiam non dixit. Tu verò seruus meus, Apostolus meus; sed vnanimis meus, hoc est, non meus, sed tuus proditor es, qui vnanimem prodidisti.*

(Margin: August. Plato. Aristot. Senec. Psal. 54. 14. Ambros.)

2. Fuit hic Christi orationis sensus, atque scopus, apud Ioann. 17. 12. *Pater sancte serua eos in nomine tuo, quos dedisti mihi, vt sint vnum, sicut & nos*, & vers. 20. *Vt omnes vnum sint, sicut tu Pater in me, & ego in te*: & vers. 22. *vt sint vnum, sicut & nos vnum sumus*, quæ de animorum vnitate, & omnimoda voluntatum coniunctione ab Ambros. August. Theophyl. Euthym. Leontio, & vtroque Theodoro apud Mald. explicantur, eaque sic premit Cyrill. Alexand. ibi. *Charitatis, pacis, & concordiæ vinculum petit, quod ad tantam spiritualem credentes vnionem perducat, vt naturalis, consubstantialisque in Patre, Filio, atque Spiritu Sancto vnionis similitudinem imitetur.* Vbi maxime obseruanda huius petitionis grauitas, miraque omnimodæ vnitatis descriptio; vt enim in sacrosancta Triade, vno ex capite vera personarum discretio, atque distinctio est, vt Pater, non sit Filius, nec Filius, Spiritus Sanctus; nec Spiritus sanctus, sit Pater, aut Filius; ex alio verò, tam vna, atque eadem trium personarum natura est, vt totus in Patre Filius, totusque in Verbo Pater, totusque, & in Patre, & Filio, Spiritus diuinus; vnus idemque tribus personis intellectus; vna eademque voluntas; vna sapientia, & charitas; vna denique eademque bonorum omnium, pro indiuiso, communio sit, vt merito dixerit Nazianz. orat. 1. de pace. *Trinitas siquidem illis; Deus vnus est, & esse creditur, non minus propter concordiam, quam propter substantiæ identitatem.* Ita in Christi discipulis numero quidem distinctis, ac in diuersis corporibus viuentibus, vna quodammodo anima, vna voluntas, vnus amor, idem sensus, iudicium, atque sententia, idemque bonorum omnium reperiatur consortium. Hanc autem veræ amicitiæ legem, hoc Dei ingenium esse, illud etiam conuincit, quod Matth. 5. 23. sacrificaturo præscribatur, vt si à proximo dissideat, priùs de satisfactione illi exhibenda, vel de iniuria etiam condonanda, quam de sacrificij absolutione, & perfectione cogitet; sed quare? respondet Chrysost. ibi. *Nemo enim inter duos inimicos potest esse fidelis amicus amborum, ideo & Deus non vult esse amicus fidelium, quandiu inter se fuerint inimici.* Si inquiras: Cur inter duos inimicos fidelis amicus esse quis nequeat? Respondebo, quod ad germanæ amicitiæ rationem idem velle, idem nolle, idem spiritus, eadem mens, atque sententia prærequiritur; hæc vero omnimoda vnitas nonnisi inter consona esse possit, qui enim fiat, vt cum iis, qui adinuicem dissident vnus mente, & animo esse valeam? Rectè namque dixit Synesius eandem amicorum, atque linearum rationem esse, quæ vni tertio eædem, siue diuersæ; sunt eædem, siue diuersæ inter se.

(Margin: Ioan. 17. 12. Ambros. August. Theoph. Euthym. Leont. Theodor. Cyrill. Alex. Nazianz. Matt. 5. 23. Chrysost.)

3. Iam verò Christi orationis effectum, vberemque ab illa satione messem, audi Actuum 4. 32. *Multitudinis credentium erat cor vnum, & anima vna; nec quisquam eorum, quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat.* Quæ nonnihil emphasis habent apud Cypr. lib. 3. testimon. ad Quir. c. 3. *Turba autem eorum, qui crediderunt, anima, ac mente vna agebant, nec fuit inter illos discrimen vllum*; vides efficaciam orationis Christi? *Vt sint vnum sicut & nos*, quando, vt in Deo personarum solum, non voluntatis, aut bonorum distinctio est, ita Christiani omnes anima vna, eademque mente absque vllo discrimine agebant, eademque illis conditio; eadem bonorum sors inerat. Certe cum personarum indiuiduatio non à corpore solum, sed magis ab anima, quæ multo nobilior est, desumatur, non rectè dixeris multos, vbi vnus tantummodo animus multis his subest, eosque animat, & mouet. Quare, vt ex his verbis sapienter elicit Origenes, hom. vnica in lib. Reg. ad ea verba, *fuit vnus vir*; iusti omnes vnus tantum dici debent, sic enim ille. *De iustis autem non solum per singulos vnus dicitur, verum & omnes competenter vnus dicuntur, & cur non omnes vnus dicantur? quorum cor, & anima vna esse describitur? Vnam semper omnes sapientiam meditantur, vnum sapiunt, vnum sentiunt, vnum Deum venerantur, vnum Dominum Iesum Christum confitentur, vno spiritu Dei replentur.* Ita Origen. Addit Paschasius totam Ecclesiam, prout à Christo redemptam, atque sibi electam, vnius nomine censeri; dum enim lib. 12. in Matth. ad illa verba Matth. 27. 48. *Continuo currens vnus ex eis, acceptam spongiam impleuit aceto*; subtiliter considerat id acetum Christo exhibitum, & ab eo ebibitum humanæ redemptionis typum fuisse, ideoque alium Euangelistam post similia verba addidisse sub persona Christi: *Consummatum est*: Ioann. 19. 30. *Quia consummata*

(Margin: Act. 4. 32. Cyprian. Origen. Paschas. Mat. 27. 48. Ioan. 19. 30.)

Paschas. *consummata in eo sunt omnia*, (verba Paschasij,) *eò quod assumpta mortalitate nostra impletum esset mysterium*, *vt ipse in cruce per se portaret omnia nostræ corruptionis vulnera.* Subdit notanter ab Euangelista dictum, vnum fuisse, qui Christo acetum porrigeret, vt innueretur, omnes, qui sub Christi Ecclesia congregantur, atque eius redemptionis participes efficiuntur, adeò coniunctos, & vnitos inter se esse, vt vnus numero esse videantur: *Et ideo* (ait Paschasius,) *vnus est, qui accurrit nesciens sacramentum*, *& impleuit magnum mysterium, in quo compleantur omnia, quoniam iste vnus vnitas est eorum omnium*, *quorum acerbitatem*, *& corruptionem euacuauit Dominus.* Similiter Drogo serm. de Sacram. Dom. Pass. *Quis est ille vnus ex militibus? nisi forte ille, qui tunicam tuam inconsutilem sorte accepit*; *ipsa est nimirum vnitas fidelium, quæ tibi soli militat, cuius lancea prædicationis cunctis credentibus latus tuum aperuit.* Ita Drogo.

Drog.

4\. Videtur quidem huc facere, tam peculiaris, tamque disertis verbis Sanctissimæ Triadis inuocatio in fidelium baptismo facta; certe vt solers ille, ac industrius Iacob, quo laboris à se tandiu impensi mercedem consequeretur, virgas siue totas albas, siue etiam variegatas pro concupiti à se fœtus similitudine, pecoribus bibétibus, simulque progignentibus in lintribus, & aquæductibus obiiciebat; ita in Christiani hominis regeneratione, vt Triadi Sanctissimæ similis euadat, sacrosanctum ipsius nomen super illum inuocari: sic censet Ambros. lib. 2. de Iacob, cap. 4. *Qui sibi gregem multarum præstantiumque virtutum splendore fulgentem Euangelicæ prædicationis ministerio colligebat*, *vt potaturis ouibus virgam styracinam*, *& nucinam*, *& de platano proponeret in canalibus*, *quo concupiscentes beatissimæ Trinitatis præfigurata mysteria*, *haud quaquam decolores fœtus piæ mentis conceptione formarent.* Id verò, cui quæso rei aptius, quam mutuæ dilectioni accommodes? vt dum ex aqua fidelis quis renascitur, purissimam illam vnitatem, & ineffabilem concordiam, qua Trinitas Deus vnus est (vt dicebat Nazianzenus) æmuletur, vt multitudinis credentium cor vnum, & anima vna, eademque sortis facies, & ingeniorum color sit. Hinc August. lib. 19. de Ciuit. Dei, cap. 12. scitè dixit, superbum, dum consortem habere non vult, sed singularis, solitariusque esse, peruerse Deum imitari, quippe qui nihil minus, quam Deum exprimat, cum ipse, vt in essentia vnus, ita in personis omnimoda æqualitate similibus, & perfectissima concordia coniunctis, trinus sit: quare qui Deo similis euadere cupit, non sibi solitarius, sed arctissima cum fratribus animi, ac mentis vnitate coniunctus esse debet.

Genes.

Ambros.

August.

5\. Ad Galat. 3. 27. Hac mente imbutus Paulus ad Galat. 3. 27. dicebat. *Quicumque in Christo baptizati estis*, *Christum induistis*: *non est Iudæus*, *nec Græcus*; *non est seruus*, *nec liber*: *non est masculus*, *nec fœmina*: *omnes enim vos vnum estis in Christo Iesu.* Benè ex omni nationum, personarum, sexuumque distinctione, rem vnam faciens, vt quemadmodum dicebat Lucas apud Cyprianum: *Nec fuit inter illos discrimen vllum.* Vnde in ea Pauli verba Hieronym. *Cum quis semel Christum indutus fuerit*, *& missus in flammam Spiritus sancti ardore canduerit*, *non intelligitur aurum sit, an argentum*, *quamdiu calor massam sic possidet, vnus igneus color est*, *& omnis diuersitas generis, conditionis, & corporum aufertur istiusmodi vestimento.* Sed vt illustria Hieronymi verba illustriora reddas, obserua, quod apud Clementem Alexandrinum lib. 5. Stromatum, de hominibus affirmet Plato: *Deus dum fingeret*, *quicumque quidem ex vobis erant apti ad imperium*, *aurum eis commiscuit in generatione, & ideo sunt præstantissimi*, *& maximi pretij*, *quicumque erant auxiliatores*, *argentum*; *ferrum autem, & æs, & agricolis, & aliis opificibus*, vbi vides, quam hominum, ac conditionum diuersitatem, ij, qui Christi charitatem non nouerant, adstruant, vt videlicet alij ab aliis non secus, ac aurum à ferro discriminentur. Hinc ergo Christianæ disciplinæ discrimen sumitur, dum mutuæ dilectionis flamma fideles omnes, quamuis alij ab aliis, non secus, ac aurum ab ære, & à ferro argentum dignitate, & sapientia sint dissimiles, eiusdem prorsus conditionis, ac coloris efficiat, vt nec nobilis ab ignobili, nec sapiens ab indocto, non aliter, quam aurum ab ære, dum ab igne in fornace candescunt, discerni valeant. Quem in modum Chrysostom. in ea Abrahami ad Loth verba, Genes. 13. 8. *Ne sit iurgium inter me, & te*: *fratres enim sumus*, egregiam Patriarchæ charitatem sic pendit. *Vide insignem modestiam, vide sublimem Philosophiam Patriarchæ*; *ætate*, *& dignitate senior iuuenem fratris filium fratrem appellat*, *& in eandem, in qua ipse erat*, *dignitatem euehit*, *nihilque minus ipsi*, *quàm sibi tribuit.* Hæc Chrysostomus.

Hieron.

Clem. Ale.

Chrysost. Gen. 13. 8.

Quod si attendis, tamdiu hæc signatissimè prænuntiata fuerant, Psalm. 86. 4. qui ad litteram de Ecclesia Christiana est, ibi enim cum dixisset Dauid: *Gloriosa dicta sunt de te ciuitas Dei*, subdit. *Ecce alienigenæ, & Tyrus*, *& populus Æthiopum*, *hi fuerunt illic*, quasi diceret: Ecce Ecclesiam constantem non ex vnius, aut alterius regionis, sed ex omnium orbis plagarum hominibus, conditionum, sexuum, morum, colorum denique diuersitate præditis, dum alij candidiores niue, alij carbonibus nigriores, alij principes, alij serui, alij litteratissimi, alij omnino rudes, & idiotæ sunt: verum enim verò ita ij omnes charitatis, dilectionisque vinculis sibi copulantur, vt omnes eiusdem coloris, eiusdemque conditionis, imò vnus etiam homo esse videantur. Quare subdit Regius Vates: *Numquid Sion dicet*, *homo*, *& homo natus est in ea*; ac si diceret: num è tanta hominum diuersitate numerus, & non vnitas resultet? cum vna ipsorum anima, atque mens sit charitatis flamma albos, nigrosque, aurum, & argentum eiusdem coloris præditos reddente. Quare hinc sumas velim efficax ad dignoscendam Christianam charitatem argumentum. Sanè si inter animos eam distinctionem videris, qua alius aurum præ ferro; alius argentum præ plumbo, alius album præ nigro se faciat, atque iactet; scito extra Christianam fornacem, quæ concolores reddit, illos esse: vnde Chrysostomus homil. 33. in 1. ad Corinth. dilectionis fraternæ præscriptam formam verbis illis Leuitici 19. 18. & Matth. 22. 39. *Diliges proximum tuum, sicut te ipsum*, ad hunc modum expendit, *De Deo ex toto corde*, *inquit*, *de proximo sicut te ipsum*, *quod illo quidem nihilo est minus*; *equidem si sincerè charitas obseruaretur, non seruus, non liber, non magistratus, non subditus*, *non diues*, *non pauper, non magnus, non paruus, sed ne diabolus quidem ipse cognitus vnquam fuisset.* Ita ille. Quò referas tam celebre, quam tritum Philosophi illius dictum, qui dicente apud illum diuite amicitiam magnam cum tenui quodam, & paupere se habere, sic ipsum redarguit, si amicus es, quomodo tu diues, & ille pauper? 6. Psal. 86. 4.

Chrysost.

Leu. 19. 18. Matth. 22. 39.

Erat quidem Salomonis templi pauimentum pretiosis, diuersi tamen generis, & conditionis lapidibus constructum, qui quidem auro extrinsecus contegebantur. Sic enim habetur 3. Reg. 6. 30. *Sed & pauimentum domus texit auro intrinsecus*, *& extrinsecus.* 7. 3. Reg. 6. 30.

extrinsecus. Quare? Quid enim pretiosos lapides auro contegas, nisi vt perdas? sanè illa omnia in figura disponebantur, egregiumque id monitum inibi innuitur, eam esse charitatis naturam, quæ æqualitatem inter omnes lapides faciat: *ne vnus aduersus alterum infletur*. 1. ad Corinth. 4. 6. quasi maioris pretij splendidiorisque coloris, excellentioris videlicet conditionis, aut ingenij clariorisve sanguinis sit, id sic considerante venerabili Hugone, ad ea verba in allegoriis Gotfridi Tilmanni: *Est autem mysticum pauimentum humilis concordia fratrum, qui spirituali fraternitate sub monasterij regula humiliter se ipsos prosternunt, calcandos etiam persequentibus concordi societate; ne in dispositione pauimenti scientia, quæ inflat inter fratres inæqualitatis offendiculum ponat: ne in aliquo nobilitas generis scrupulum faciat elationis: ne is qui de sæculo ad monasterium aliquid attulit, remissior in labore, paratior in habitu, delicatior in victu, honoratior præ cæteris esse velit; sed ordinatis fratribus in pauimento beniuolæ subiectionis, detur vnicuique, sicut opus fuerit, iuxta constitutum Apostolicæ dispensationis*. Hæc Hugo.

1. Ad Cor. 4. 6.

Hugo.

8. Nec prætereunda illa vnanimitatis primitiuorum Christicolarum particula; *nec quisquam eorum, quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat*; sed cur non diceret si possidebat? Quod non suo solum, sed fratrum etiam nomine possideret. Vnde non magis ipsius, quam illorum, dici deberet. Ita quidem gentilis Seneca dicebat, lib. de vita beata. *Ego terras omnium, tamquam meas videbo, meas, tamquam omnium*. Verius verò sanctus Iob capite 31. 17. *Si comedi buccellam meam solus, & non comedit pupillus ex ea*: vbi notanter buccellæ meminit, vt innueret, nihil sibi vni diuisum esse, quando ipsamet buccella, quæ indiuisibilis esse videtur, pro indiuiso ab eo possidebatur, vt partem illius fratri diuideret. Hinc Petrus cum torrente voluptatis Dei in Thabor inebriatus, dixisset: *Domine bonum est nos hic esse*; non leuiter à Luca est increpatus, ac si nesciisset, quid diceret: *nesciens*, (inquit cap. 9. 33.) *quid diceret*. Sed quam ob causam bonum ei non fuerit inibi permanere, vbi Dominus esset? respondet Paschasius lib. 8. in Matth. *Et hoc, vt dixi, mendacium est, quia si sic bonum esset, vtique in eo permansissent loco, nec tamen aliis subuenisset, non dico generi humano, sed nec ipsis coapostolis, qui cum eo ad eundem locum non ascenderant. Neque enim de his aliquid cogitare videtur Petrus, in quibus charitas quam maximè commendabatur*; ac si diceret, mendaciter bonum illud appellatum, quod sibi soli, non fratribus Petrus vellet, quippe qui gloriæ buccellam solus comedere non debuisset, quin illis etiam eam communicaret.

Senec.

Iob 31. 17.

Luc. 9. 33.

D. Paschas.

9. Hic iam non solum vides, quam arcto charitatis vinculo fideles se inuicem copulare, mutuoque diligere teneantur, vt eiusdem omnino coloris sint, sed quomodo etiam omnes quotquot tandem illi sint, *vnanimes, vnoque spiritu*, (vt inquit Paulus,) seu *vnum*, effecti, vt Christus, siue vt Lucas, *vno corde, vnaque anima*, præditi esse debeant, vt iam non è duobus solum, quod gentilium axioma monebat, sed è pluribus, imò ex omnibus, nullius exceptione facta, vnus fiat. Equidem cum ex Dei præscripto ad tabernaculi structuram Israelitica plebs, quidquid necessarium erat offerret, singulis tam pro sui status conditione, quam ad peculiare ministerium res quaslibet opportunè reddentibus, Principes ad rationale, & superhumerale Sacerdotis, in quo numerosissimus ille populus per tribus suas singillatim conscribendus erat, onychinos lapides obtulisse feruntur, Exod. 35. 37. Sed cur hos potius quam alios? Crediderim causam fuisse, quod eximiæ concordiæ, qua Deus maximè delectatur, præclaram imaginem præseferrent, sic enim onychem describit Plinius lib. 37. cap. 6. *Veram autem onychem plurimas, variasque cum lacteis zonis habere venas, omnium in transitu colore inenarrabili, & in vnum redeunte concentum suauitate grata*. Vides pacis, & vnionis inter multos symbolum? dum plurimæ, ac variæ diuersi sanguinis venæ grata suauitate in vnum concentum redeunt, sic se inuicem amplexantes, & lacteis zonis constringentes, non secus, ac si idem lac suxissent, eiusdem conditionis, coloris, animi, sensusque esse videantur. Hinc bene expensum est ab Augustino lib. 6. quæst. in Iosue, tom. 4. vno Acham præceptum Domini transgrediente totum fuisse populum flagellatum. Quod ob arctissimam societatem, qua quilibet è populo aliis omnibus copulatus, & adstrictus erat, idem cum omnibus, atque ideo cum transgressore esse censetur. *Ostenditur* (inquit) *quam connexa sit in populi societate ipsa vniuersitas, vt non in seipsis singuli, sed etiam tamquam partes in toto existimentur*.

Exo. 35. 37.

Plin.

D. August.

Equidem cum ad Hebr. 12. 15. totam Hebræorum Ecclesiam commonefaceret Paulus, dicebat, *contemplantes ne quis desit gratiæ Dei*, vbi aliquis dubitauerit; cur diuersis numeris vsus Apostolus, cum de vnius salute agat, omnes ad contemplationem, & considerationem aduocauerit? sufficeret enim dicere, contemplare ne desis gratiæ Dei; aut si omnes essent admonendi, illud videbatur dicendum, contemplantes ne excidatis, aut desitis gratiæ Dei. Sed respondemus emphaticè Apostolum de vnius tantum salute, aut casu omnes admonere voluisse, quod priuata cuiusuis sors, totius multitudinis negotium sit; quod non in seipsis singuli, sed tamquam partes in toto existimentur. En charitatis naturam. Nec substat hic quidem, quæ sinum adeò habet expansum, vt non præsentes solum, quotquot ij fuerint, siue etiam præteritos, qui de te bene mereri potuerint, sed ipsosmet denique futuros homines, quos nec de facie noscere possis respiciat, & amplexetur: ita Diuos illos Martyres apud Nazianzenum orat. 3. quæ est prima in Iulianum, egregie pro futuris Martyribus à Iuliano postmodum mactandis decertantes vidimus ad vers. 8. adnotat. 1. numer. 11. Ad hæc non iam Petrus, qui de præsentibus sociis curam amiserat, sed bonus etiam Rex Ezechias acriter à suis, Hieronymo teste, ad caput 39. Isaiæ reprehenditur, quod Propheta Dei nutu minas Regi prius intentatas in ipsius posteros transmittente, ipse de futurorum salute, & bonis minus solicitus responderit: *Bonus sermo quem locutus es. Sit pax, & veritas in diebus meis*, 4. Reg. 20. 19. addideris, *nesciens quid diceret*: cur enim bonum ei verbum videretur, quod futuris foret exitiale?

10. Ad Hebr. 12. 15.

Nazianz.

4. Reg. 20. 19.

ADNOTATIO II.

Propriam, ac peculiarem Christianæ disciplinæ defensionem ex mutua charitate desumi.

BENE Paulus discipulos, *vnanimes*, ac *vno spiritu fidei collabrantes*, esse monuit; quod nullum 1.

nullum sit validius pro Christiana Religione aduersus eam impetentes telum, quam mutua fidelium charitas, & animorum coniunctio; vnde Christus, mirum dictu, ipsam tam ad veritatis Christianæ fidei, quam ad suæ diuinitatis & mysteriorum assumptæ à se carnis confirmationem, vt lydium lapidem, sic proposuit apud Ioann. 17. 8. *Non pro eis autem rogo, sed & pro eis, qui credituri sunt per verbum eorum in me, vt omnes vnum sint, sicut tu Pater in me, & ego in te, vt & ipsi in nobis vnum sint, vt credat mundus, quia tu me misisti.* Emphatica, atque grauissima sententia, quæ mutuam fidelium charitatem non solum cum signis, atque prodigiis, sed cum Vatibus, atque Apostolis, cum illustribus Martyriis, quæ pro fide egregij Christi Confessores libentissime obierant, sed cum ipsamet diuina attestatione componere videtur, vt credat mundus, quia tu me misisti: ac si hinc potissimum tantæ rei, nempe filij Dei ad terras aduentus efficax argumentum desumendum sit. Ita Theophylactus sub Christi persona: *Etenim à concordia discipulorum ego Doctor comprobor, quod à Deo exiuerim.* Sed quare? subdit Chrysostom. homil. 81. in Ioann. *Quia pacis est Deus: si ergo quæ ex iis didicerunt, seruauerunt, à discipulis magistrum auditores intelligent; si dissentient, non inuenient Dei pacis esse discipulos, si non ero pacificus, à te missum non confitebuntur.* Ita Chrysostom. ac si dixerit: quia cum Deus pax sit, quique omnia ad pacem, & vnionem referat, non poterit non Dei verbum, atque filius haberi, qui Dei nomine ad pacem adhortetur.

Ioann. 17. 8. Theoph. Chrysost.

2. Quare non ea solum vis subest illis eiusdem Assertoris verbis, Ioann. 13. 35. *In hoc cognoscent omnes, quod discipuli mei eritis, si dilectionem habueritis adinuicem*, vt ipsis innuatur, mutuam dilectionem peculiarem notam, & characterem discipulorum Christi, quo ab aliis hominibus agnoscantur, esse: possent enim & peculiari alio charactere tam Christi discipuli, quàm hoc eodem alterius Antesignani discipuli dignosci: sed quod potissimum est à concordia asseclarum Christi, patefaciendum mundo illos non humano, sed diuino spiritu instructos, atque Dei veri discipulos esse: sic ad illa verba idem Chrysostom. homil. 71. inquiens: *Dilectionis eos signo notat, quid tandem? Quoniam vel hæc maximè sanctorum hominum est indicium; etenim omnis virtutis fundamentum est, propter hanc in primis omnes salutem consequuntur, hoc est, inquit esse discipulum. Sic ab omnibus laudem consequemini, cum viderint vos meam imitantes dilectionem*, subdit statim. *Sed cur non potius miracula hoc ostendunt? minime. Atqui miracula orbem terrarum allexerunt, sed cum dilectio præcessisset, aliter nulla secum essent miracula: hoc enim quam primum eos, & bonos reddit, & benignos, quod scilicet vnus erat animus omnibus. Quod si variæ fuissent sententiæ, omnia perdidissent, neque illos dumtaxat, sed omnes, qui postmodum credituri erant admonet. Nam & nunc nihil gentiles perturbat, quam quod nulla est charitas, sed & signa non fieri accusant; non tamen itidem.* Hæc verissimè à Chrysostomo dicta fuisse illud conuincit, quod grauissimum Origeni, aliisque illius æui Doctoribus negotium facesserit impius ille Celsus Christianæ Religioni fidem, atque existimationem detrahere contendens, quod eius asseclæ, non itidem vt prius concordes, atque coniuncti essent; sic enim ipse apud Origenem libro tertio contra Celsum. *Postquam latè sparsi sunt (Christiani) iterum, atque iterum scissos singulis suas factiones sibi parantibus, & vt in multitudine dissona aliis alios redarguentibus, nec iam quidquam præter nomen eis commune superesse.* Hactenus impius ille apud Origenem, ô vtinam falsò dictum!

Ioan. 13. 35. Chrysost. Origen.

3. Sed in præfatis Christi verbis, apud Ioann. 17. 8. *Vt cognoscat mundus, quia tu me misisti*, plus est, quod obserues, nimirum, charitatem tam præclaram, ac necessariam virtutem hominibus esse, vt non possit non res Deo digna existimari, ea potissimum de causa Verbum Dei carnem factum fuisse, vt homines mutuo pacis, & amicitiæ nexu deuinciret, vbi vides tantum charitati præ aliis virtutibus Dominum tribuere, vt eam potissimum pro sui aduentus dignitate fideiubere velit. Quare perinde sunt capienda præfata verba, ac si dixerit Assertor, vt aliis rationibus, ac testimoniis nequeant increduli reuinci, maxime fuisse expediens, vt à te in mundum mitterer, at ex mutua hominum concordia inde subsecuta non poterunt non animum inducere, opus Deo dignum fuisse meum in terram aduentum; vnde Chrysostom. homil. 27. in epistol. ad Roman. sic componit hæc verba cum illis, ad Roman. 15. 6. *Vt vnanimes vno ore honorificetis Deum, & Patrem Domini nostri Iesu Christi; propter quod suscipite inuicem, sicut Christus suscepit vos*, vt ex fidelium vnione non mediocris gloria Deo accedat, quasi hinc eius diuinitas, dignitas, atque aduentus opportunitas maximè comprobetur. *Nam ex hoc potissima gloria Deo accedit, quod in vnum complicamur, & concludimur.* Vnde sic infert: *Itaque si quando in gratia nonnihil dolens à fratre dissentis, animo perpendens, quod iram dimittens Dominum tuum hoc pacto glorificas, etsi non propter fratrem, propter hoc tamen ipsum reconciliare, imò verò propter hoc præcipuè. Nam & Christus hoc sursum, & deorsum versans, & ad Patrem disserens dicebat, in hoc cognoscent omnes, quod tu me miseris, si vnum fuerint.* Hæc Chrysost.

Ioan. 17. 8. Chrysost. Ad Rom. 15. 6.

4. Illa verò signatissima verba sunt, quæ postmodum Christus subdidit eodem capite 17. Ioann. numer. 22. *Et ego claritatem, quam dedisti mihi, dedi eis, vt sint vnum, sicut & nos vnum sumus*, quibus nihil in hanc rem dici potuit illustrius; sed obserua primum, claritatem ibi dupliciter à Patribus explicari, nam Chrysostom. Theophylact. & Euthym. de illa capiunt, quam Christus sibi ex egregia doctrina, & tot signorum, atque prodigiorum effectione comparauerat, quam etiam discipulis communem fecit, cum eadem, ac ipse effecisset, & maiora cum res postulauerit miracula faciendi potestatem tradiderit; Cyrillus verò, atque Leontius de diuino honore, qui humanæ Christi naturæ aduenit, vt ille homo, qui Deus erat, ad dexteram Patris sederet, intelligunt: cuius quidem ipse discipulos suos participes reddere voluerit, dum in augustissimo Eucharistiæ Sacramento per corporis sui communicationem, vnum secum corpus effecit. Deinde similiter obserues particulam, *vt*, bifariam capi posse; vno modo, vt denotet causam finalem, siue medium in finem ordinatum hoc sensu, ideo claritatem, quam dedisti mihi dedi eis, vt hac ratione, & via sint vnum; altero: vti capit Theophyl. vt simplicem referendi vim habeat, ac si dicatur; hanc claritatem dedi eis, vt sint vnum. Et verò sub priori sensu vides totam doctrinæ, & miraculorum suppellectilem, & quod plus est, ipsummet Christi corpus, & diuinitatē vni charitati militare, & tamquam medium

Ioan. 17. 22. Chrysost. Theoph. Euthym.

medium in finem singillatim referri, ac si dixerit Christus, ea illis de causa tot mysteria aperui, tam egregiamque faciendi miracula potestatem dedi, ad hæc, meum ipsis corpus, & sanguinem communicaui, vt tot beneficiis, mediisque adducti, *sint vnum.* Sanè vt inde fiat manifestum ablata charitate reliqua omnia, non aliter, ac media sublato fine otiosa reddi. Quod tunc potissimum locum habet, cum de aliis ad fidem adducendis agitur; tunc enim non secus fit, ac si aliquem adhortatus fueris, vt illustre aliquod palatium ingrediatur, quod lapidibus inter se disiunctis, & dissidentibus
August. ruinam minetur. Audi Augustin. sermon. 9. in anniuersar. Eccles. tom. 10. vbi cum dixisset, *Domum Dei fideles non faciunt, nisi quando charitate compaginantur*, sapienter subdit: *Ligna ista, & lapides, si non sibi certo ordine coharerent, nemo huc intraret. Denique quando vides in aliqua fabrica lapides, & ligna bene sibi coharere, securus intras, ruinam non times.* Ita Augustin. Sanè quasi mutua dilectio ianua fuerit, qua ethnici frequentius, magnaque animi fiducia ad fidem ingrediantur. Qua-
Drog. re Drogo citato præced. adnotat. loco dum lanceam, qua Christi latus à milite fuit apertum ad Euangelij prædicationem, quæ ab vnitate fidelium oritur, referret; subdit. *Hac est illa lancea, quam Abacuc Propheta fulgurantem hastã nominat.* Quippe de iis, quibus ex infidelitatis tenebris emergentibus: *Lux orta est*, inquit Vates: *in luce sagittarum tuarum ibunt; in splendore fulgurantis hasta tua.*
Abac. 3. 11. Abac. 3. 11. Quod si posteriori sensu præfatam sumis particulam, nihil præclarius charitate, & in qua diuinitas ad alliciendos hominũm animos
Theoph. magis splendeat deprehenderis. Audi Theophylact. *Qualem gloriam, seu claritatem daturum esse dicit? eam, qua per dogmata, & per signa, & doctrinas, & aliam quoque gloriam, concordia scilicet*, vt sint vnum, *ista enim gloria maior est, quam qua signorum. Nam sicut & Deum admiramur, quia non est seditio, neque pugna in natura eius, & maxima ista gloria est, ita & illi inquit hoc loco à concordia, dico fiant clari.* Ita Theophyl.

5. Hinc iam Christianæ Ecclesiæ vexillum, aciei instructio, belli robur, iniectus hostibus timor, ipsa denique de illis reportata victoria in mutuã
Cant. 2. 4. charitate percensentur. Vide singula Cantic. 2. 4. sub Ecclesiæ persona; sic à Salomone dicitur: *ordinauit in me charitatem*, vbi primo obserua, pro his verbis, ex Hebræo legi, *vexillum eius super me charitas*; deinde vexilli eleuationem in Scriptura, in ea præsertim significatione vsurpari, vt
Isa. 5. 26. designetur bellum hostibus indicendum. Ita Isai. 5. 26. *Eleuauit signum in nationibus procul, & sibila-*
Ier. 51. 27. *bit ad eum de finibus terra*, & Ierem. 51. 27. *Leuate signum in terrã, clangite buccinã in gentibus, sanctificate super eam gentes.* Vlterius compone hæc
Ioan. 13. 35. verba cum illis Assertoris nostri Ioann. 13. 35. paulò ante citatis, *in hoc cognoscent omnes, quod discipuli mei eritis, si dilectionem habueritis ad inuicem*, quibus charitatis vexillum in discipulis suis eleuari, atque inde agnosci sub illius eos signis militare signatè affirmat. Quare hinc tandem ille sensus elicitur, charitate, mutuâque dilectione bellum fidei hostibus indici, ab ipsâque efficacissimum Euangelicæ veritatis argumentum desumi. Quo
Cant. 7. 1. sensu eodem lib. cap. 7. dicitur. *Quid videbis in Sulamite, nisi choros castrorum?* Quæ cum de Eccle-
Ambros. Phil. Theodor. siã ex Ambrosij oratione de obitu Valentiniani, & Philonis Antistitis, Theodoreti, & aliorum expositione dicantur; simulque notum sit Sulamitem significare pacificam, vt omnes communiter expli-

cant, is se huius loci sensus prodit. Quid aliud pax, atque Ecclesiæ concordia, quam acies aduersus eius hostes instructa est? Ita Tertullianus in libro Tertull.
ad martyres de ipsorum concordia, & mutua dilectione. *Pax vestra bellum est illi*, nempe diabolo.

Sed qualis ex hac acie terror? quæ animi con- 6.
sternatio hostibus adueniat, ea capitis 6. 3. verba Cant. 6. 3. & 9.
indicant: *Pulchra es amica mea, suauis, & decora, sicut Ierusalem; terribilis vt castrorum acies ordinata*, & iterum eodem capite, versu 9. *Qua est ista, qua progreditur quasi aurora consurgens, pulchra vt Luna, electa vt sol, terribilis vt castrorum acies ordinata?* Quibus in verbis dum Ecclesia ex interpretatione Gregorij Magni, Philonis, Cassiodori, Bedæ, & alio- Greg. Mag. Phil. Carp. Cassiod. Beda.
rum pulchra, splendens, atque decora ob speciales virtutes castitatis, despicientiæ rerum sæculi, vel contemplationis asseritur; necnon dum auroræ, Lunæ, ac Soli comparatur propter singula ipsius membra, iuxta illud 1. Corinth. 15. 41. *Alia* 1. Ad Cor. 15. 41.
claritas Solis, alia claritas Luna, & alia claritas stellarum, sic & resurrectio mortuorum, robur tamen, & fortitudinem aduersus hostes, nonnisi ex vnitate, & animorum coniunctione dicitur accipere. Ita Gregor. *Quid est, quod sancta Ecclesia ab hostibus suis, vt castrorum acies sit timenda? non enim à magno intellectu vacat ista comparatio, & idcirco est subtiliter intuenda: scimus enim & constat, quia castrorum acies tunc hostibus terribilis ostenditur, quando ita fuerit constipata, atque densata, vt in nullo loco interrupta videatur. Nam si ita disponitur, vt locus vacuus, per quem hostis possit ingredi, dimittatur: profectò iam suis hostibus terribilis non est. Et nos ergo cum contra malignos spiritus spiritualis certaminis aciem ponimus, summopere necesse est, vt per charitatem semper vniti, atque constricti, nunquam interrupti per discordiam inueniamur, quia etsi qualibet bona in nobis opera fuerint, si charitas desit, per malum discordia locus aperitur in acie: vnde ad feriendum hostis valeat intrare.* Hactenus ille.

Fauet lectio LXX. quæ habet: *stupor, vt ordinata*: 7. LXX.
est enim sensus ideo hostibus formidinem, ac stuporem obiicis, quia ordinata, & vnita es; vel potius talem hostibus iniicis stuporem, qualem iniicere oportet aciem, quæ vnita, & ordinata est. At cur stupor à charitate potius, quam à miraculis, quorum proprium est stuporem afferre, adueniet? Audi Chrysostom. hom. 33. in 1. ad Corinth. *Nam etsi* Chrysost.
sexcenta quidem miracula edant, dum dissident inter se, ridiculi cateris erunt: quemadmodum etiam si nullum signum edant, diligant autem se se verè, suspiciendi inuictique omnibus mortalibus permanebunt. Nam & Paulum eam ob rem miramur, magis autem, quam ob mortuos suscitatos, lepraue mundatas. Stupenda vox est, quis infirmatur, & ego non infirmor? quis offenditur, & ego non vror? Sexcenta mihi narra miracula, nullum huic aquiparandum adduces. Notetur illud, *Stupenda vox est*, quasi charitatis vox aptior, quam vlla alia, fortitudinis, iustitiæ, alteriusve virtutis ad stuporem, metumque hostibus iniiciendum sit. Sed stupendam hanc vocem sic elucidat S. Paschas. lib. 1. in Thren. Paschas. Thren. 1. 12.
dum illam sub iis verbis Vatis cap. 1. 12. *O vos omnes, qui transitis per viam, attendite, & videte, si est dolor sicut dolor meus.* Sic sibi videtur audire. *Videte quaso dolorem meum, quia iuxta exemplar, quod mihi ostensum est, volui filios, quot genus producere, & compaginari, sed ipsi obseruantes, vel spernentes, aut languentes pauci sunt, qui expediunt iter, pro quibus in diuersa rapior, infirmor cum infirmantibus, & vror cum scandalizatis, fio Iudais tamquam*

Iudaeis, & omnibus omnia sum factus, nec tamen queo ad meliora vniuersos prouehere. Idcirco lugeo indesinenter etiam eos, qui peccauerunt, & non egerunt poenitentiam. Distendor solicitudine multa omnium Ecclesiarum Dei, & gaudeo cum gaudentibus, fleo etiam cum flentibus. Quò facit ille ethnicorum rumor, cuius meminit in Apolog. Tertullian. c. 39. cum egregiam hanc fidelium charitatem, qua alter pro altero mortem oppetere cupiebat, animaduertentes mussitabant: *Vide vt inuicem se diligant; & vt pro alterutro mori sint parati.* En stupor, vt ordinatę. Subiicio Antistitis Philonis inibi verba: *Nec mirum, vt enim hostes cum hostibus pugnaturi dum sese rite cogunt, ac muniunt, nullumque aditum irrumpendi hostibus relinquunt; non modo metui sunt hostibus, seque facile tuentur, ac liberant, verum etiam facto agmine hostes ipsos plerumque superant, ac perdunt. Ita Christi sponsa, fideliũ multitudo, & sancta quaque anima dum contra malignos spiritus, ac nequam vigilantissimè, ac strenuè certare non cessat, pacis charitate vallata, atque munita, non solum inexpugnabilis est prorsus, verum etiam terrorem hostibus incutit, ac fugam; sibique met salutem parat sempiternumque triumphum.* Hæc Philo. Consentanea habet Chrysost. ad illud ad Ephesios 4. *Nolite locum dare diabolo*, & Bernard. serm. 41. de modo bene viuendi.

Tertullian. Phil. Carp. Chrysost. D. Bernard.

8. Adduxerat Balac Pseudoprophetam Balaam ad diram Israeliticæ plebi maledictionem inferendam, qui quidem cum ad id facinus peragendum properaret; ab egregia populi concordia stupefactus, & perterritus: (videbat enim *Israel in tentoriis commorantem per tribus suas*, Numer. 24. 2.) non modo à maledictione cessauit, sed copiosam illi benedictionem est impertitus, inquiens. *Quomodo maledicam, cui non maledixit Deus? Qua ratione detester, quem Dominus non detestatur? De summis silicibus videbo eum, & de collibus considerabo illum.* Cur de summis silicibus, & collibus? Quod inde totam *aciem ordinatam*, & mira consensione stipatam conspiceret: vnde callidus Balac, hãc benedictionis pro maledictione causam esse animaduertens; Vati suggerebat, Num. 23. 13. *Veni mecum in alterum locum, vnde partem Israel videas, & totum videre non possis, inde maledicito ei*: ac si diceret, si te tanta populi concordia à maledicendo deterret, inde eum aspicito, vnde non tibi, vt acies ordinata, sed vt pars dissita occurrat. Demens, qui animorum coniunctionem loci obiectione celari, impedirive posse credebat. Quare minime ab incepto desistens Balaam dicebat. *Dominus Deus eius cum eo est: & clangor victoria regis cum illo. Deus eduxit eum de Ægypto, cuius fortitudo similis est rhinocerotis.* Numer. 23. 21. vbi ex Hebr. & Lxx. constat fortitudinem rhinocerotis ad populum esse referendam, sic enim Hebr. *Sicut fortitudo vnicornis est ei.* Similiter Lxx. *Sicut gloria vnicornis ei*; & quidem cornu rhinocerotis regnum Christi ob vnitatem adumbrare rectè ibi monitum ab Origene. Sed inde illud facile est subinferre totam ipsi fortitudinem, ac robur ab vnitate, & coniunctione aduenire: Ita quidem August. in Psalm. 121. ea Vatis verba: *Fiat pax in virtute tua*, sic versans. *O Ierusalem, quæ ædificaris vt ciuitas, cuius participatio tua in id ipsum: fiat pax in virtute tua, fiat pax in dilectione tua, quia virtus tua, dilectio tua.* Vide similia apud eundem in id Psal. 41. 14. *Ponite corda vestra in virtute eius.*

Num. 24. 2. Nu. 23. 13. Num 23. 21. Psal. 41. 14.

9. Iam clangorem victoriæ, vt dicebat Balaam, audire est operæpretium: Nam *si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re, quamcunque petierint*, (dicebat Dei filius, Matth. 19. 14.) *fiet illis a Patre meo.* Sed quæ iam ea res fuerit? Ipsa certe mundanæ, siue diabolicæ arcis euersio: Nonne, *populo vociferante*, (siue vt Lxx. habent,) *iubilante, & clangentibus tubis*, Hiericunthini *muri illico corruerunt*? Iosue 6. 20. à concordia nimirum fortius, atque valentius, quam à validissimis arietibus, aut fortissimis tormentis bellicis oppugnati, atque expugnati. Audi Origenem homil. 6. in Iosue, ac occasione id Psalm. 88. 16. *Beatus populus, qui scit iubilationem.* ad hunc modum elucidantem, & tam cum præfatis Saluatoris verbis, quam cum euersione vrbis Ierico componentem. *Non dixit, beatus populus, qui operatur iustitiam, vel beatus populus, qui scit mysteria, vel qui scit cæli, & terræ, & siderum rationem, sed* beatus, *inquit*, populus, qui scit iubilationem, *in aliis timor Dei beatum facit, sed vnum tantummodo hominem facit beatum, sic enim dicit*, beatus vir, qui timet Dominum: *Alibi, etiam plures fiunt beati, sicut pauperes spiritu, vel mansueti, vel pacifici, vel mundo corde; hic nescio, quæ causa beatitudinis indicatur, vt vniuersum pariter populum faciat beatum, qui tamen scierit iubilationem, vnde mihi iubilatio videtur indicare quendam concordiæ, & vnanimitatis affectum, qui si incidat in duos, vel tres Christi discipulos, omnia quæcumque petierint in nomine Saluatoris, præstat eis Pater calestis.* Hæc Origenes. His adiunge in veste summi Sacerdotis ex Hieronymi expositione in epist. ad Fabiolam tom. 3. malogranata adumbrare Ecclesiæ filios mutua inter se animorum consensione concordes, iuxta id Actuum 3. 5. *multitudinis credentium erat cor vnum, & anima vna.* Quis verò nesciat hunc inter omnes arborum fructus illustrem victoriæ coronam obtinere?

Mat. 19. 14. Iosue 6. 20. Origen. Ps. 88. 16. Hieron. Act. 3. 5.

10. Exiuit ad singulare certamen cum Goliath egregius adolescens Dauid, imbellis cum robustissimo gigante, inermis cum armato, fidens Deo, cum eo, qui suis diis, simulque suis viribus nitebatur, vt manifesta imago foret Christiani populi cum gentili imperio gigantæisque imperatoribus dimicantis. Dum vero validissimam monstrum illud in Dauidem hastam intorquet; quinque sibi ille deligit limpidissimos lapides ad occurrendum ei, quorum primum dum iacit, gigantem gloriose prosternit, atque deuincit. Sed cur, qui in vno tantum victoriam erat consecututus, quinque sibi assumpsit? vel cur, qui quinque assumpsit, non totidem, sed vno solùm Goliath deiecit? Respondet August. in Psalm. 143. *Quinque lapides tulit Dauid contra gigantem: vnum misit, quia vnitas vincit, plenitudo enim legis est charitas.* Hinc feralem illam C. Caligulæ immanissimi Imperatoris vocem, vnicam Pop. Romano ceruicem exoptantis, quo vno ictu illam facile præcideret. *Vtinam vnam ceruicem haberetis!* sic nescio quis in Phalarim illum acutè retorsit.

1. Reg. 17. 14. August.

Vnica si populo ceruix, foret vnicus ictus.
Caligas Cæsar: fortior illa foret.

11. Ex iis iam facilè inferas, quam male de Christiana Religione fideles ij mereantur, qui alterna dissidia, & iras inter se exercent. Vnde citata Pauli verba ad Rom. 15. 6. *Suscipite inuicem, sicut Christus suscepit vos in honorem Dei*; sic premit Ambros. *Suscipite vos inuicem in honorem Dei, id est, ne nomē Dei in vobis assumptum euacuetur; multum enim religioni detrahitur ex discordia eorum, qui sub vno militant Christiano nomine.* Pende duo in verbo, *euacuetur*. Alterum Christiani hominis vitam, absque mutua charitate, vacuum nomen sine re esse. Alterum; ea nos contentione, & studio mutuæ dilectioni studere, atque operam nauare debere, vt quemadmodum in naturalibus, ne vacuum detur, exquisitas, & præter suam naturam, conditionem, ac statum operationes elementa exercent; ita multam nobis ipsis vim

Ad Rom. 15. 6. Ambros.

vim inferre, & de iure ſtatuque noſtro remittere debeamus, ne nomen Dei in nobis aſſumptum euacuetur; noxiumque hoc vacuum in ſpiritualibus detur. Similiter Theophyl. *Si diſſenſiones oriantur, in cauſa ſunt, cur Chriſto maledicatur. Nam Græci Chriſtianos animaduertentes inter ſe diſſentire, & ſeditiones agere, fidem accuſant.* Ita quidem apud Cornel. Tacit. lib. 1. hiſtor. diſcordes milites ab hoſtium affectu, & voto componere, ac ſedare ſtudebat Imperator Otho, his verbis: *Si Vitellio, & ſatellitibus eius eligendi facultas detur, quem nobis animum, quas mentes imprecentur? quid aliud, quam ſeditionem, & diſcordiam optabunt?* Ita ille: prius verò Græciæ Rex, apud Homerum Iliad. α.

Tempo. | Corn. Tac. | Homer.

Certe ridebit Priamus, Priamique propago,
Atque alij Troes gaudebunt gaudia magna,
Hæc inter vos ſi certamina turpia noſſent.

Phil. Carp. Quare præfato loco in Cant. Philo Carpathius de Chriſti ſponſa Eccleſia, ita ſubdit. *At ſi diſſentire miſera, (quod Deus auertat) ſecum ipſa cœperit, vel ſeditione diſcindi: heu! facile expugnatur ab hoſte, miſerrimeque truncatur, & in æternam prædam crudeliſſimè adducitur.*

12. Nazianz. Eſt verò pro tota hac re opportuniſſimus Gregor. Nazianz. locus orat. 32. Vbi dum de mutuis fidelium diſſidiis grauiter conqueritur, ab ipſis ſubinde fieri, vt aduerſus Eccleſiæ hoſtes ſecure pugnari nequeat, pulchra hac imagine infert. *Quod ſi etiam nauclerus, & quidem peritiſſimus eſſem, atque hinc effuſum mare in nos ſæuiret, ac circum nauem æſtuaret, hinc graui ſeditione vectores laborarent, aliique de alia re contenderent, atque & ſibi ipſis mutuò, & fluctibus obſtreperent, quandiu tandem ipſe obluctari poſſem ad gubernacula ſedens, vt ſimul, & cum mari, & cum vectoribus pugnarem, atque ex duplici tempeſtate nauem ſine periculo eriperem.* Subdit ſapientiſſimè. *Quibus etenim omni ratione connitentibus, & adiuuantibus, ſalutem tamen conſequi difficile eſſet, iiſdem inter ſe diſſidentibus, & confligentibus, qui tandem fieri poſſet, vt nauis peſſum non iret?* Ita Nazianz.

VERSVS XXVIII.

Et in nullo terreamini ab aduerſariis: quæ illis eſt cauſa perditionis, vobis autem ſalutis, & hoc à Deo.

COMMENTARIVS.

OPPORTVNE Philippenſes mutua animorum, ac iudiciorum conſenſione coniunctos, ac munitos monet Apoſtolus, ne aduerſariorum minas, machinationes, & intentata ſupplicia pertimeſcant.

Terreamini.

1. Ambroſ. Chryſoſt. AMBROS. vertit, *non paueſcentes*: Alij, *non tumultuantes*, Chryſoſt. *ne conſternemini*; quæ omnia eo eunt, vt ſignificetur aduerſariorum conatus, nonniſi inania terriculamenta eſſe, quibus fidelium conſtantiam minime labefactari oporteat, vnde Chryſoſt. *Rectè dixit*, conſternemini, *nam talia, quæ ab inimicis fiunt, territant duntaxat. Nulla igitur in re inquit, quidquid tandem eueniat, ſiue ſint pericula, ſiue inſidiæ. Hoc enim eſt rectè, ac ſolide perſiſtentium, nam illi nihil poſſunt, niſi terrere tantum.*

Velazqu. in Epiſt. ad Philippenſ.

Quum ergo poſſibile eſſet terrimeri ipſos, vtpote innumera mala Paulum pati videntes, non dico inquit ne fluctuetis, ſed ne terreamini, imò vehementer illos contemnite. Hæc ille. Ad quem ſanè modum dicebat Senec. epiſt. 74. *Quemadmodum aues etiam inanis fundæ ſonitus territat, ita nos non ad ictum tantum exagitamur, ſed ad crepitum.* Luculentius verò epiſt. 110. *Non eſt quod quidquam timendum putes: Vana ſunt iſta, quæ nos mouent, nemo noſtrum, quid veri eſſet, excuſſit, ſed metum alter alteri tradidit: nemo auſus eſt ad id quo perturbatur accedere, & naturam, ac modum timoris ſui noſſe: itaque res falſa, & inanis habet adhuc fidem, quia non coarguitur. Tanti putemus oculos intendere; iam apparebit, quam breuia, quam incerta, quam tuta timeantur. Talis eſt animorum noſtrorum confuſio, qualis Lucretio viſa eſt.* Senec.

Nam veluti pueri trepidant, atque omnia cæcis
In tenebris metuunt; ita nos in luce timemus.

Quid ergo? non omni puero ſtultiores ſumus, qui in luce timemus? Sed falſum eſt Lucreti: non timemus in luce, omnia nobis fecimus tenebras, nihil videmus, nec quid noceat, nec quid expediat. Hæc Seneca opportunè, ac verè.

Cauſa perditionis.

GRÆCE eſt, ἐνδειξις, propriè, *oſtenſio*, à verbo, ἐνδείκνυμι, quod idem eſt, ac *deferre, accuſare, poſtulare in iudicio*, contra eum, qui circa publica ſcelus aliquod admiſerit. Vnde hoc loco, ſic poſitum videtur, vt ſignificet, vel iudicium ipſum, in quo quis, cum primum oſtenditur iudici, vt reus læſæ Reipubl. damnatur, vel oſtenſionem, aut indicationem damnationis, quæ ex cauſa ipſa deſumitur. Id adnotat. 2. magis elucidabitur. 2.

Et hoc à Deo.

BIFARIAM interpretor: vno modo; ac ſi dicat Apoſtolus: & hoc diſcrimen inter illos perdendos, & vos ſaluandos non temere, & caſu, aut à vobis præcipue, ſed à Deo prouenief, iuſto id iudicio diſponente: alio modo, & elegantius, vt pronomen, *hoc*, ad id ſolum, quod extremo loco poſitum eſt, nempe, *vobis autem ſalutis*, relatum, hunc efficiat ſenſum, quod hoc ad veſtram ſalutem cedat, à Deo eſt; illud vero, quod ij, qui vobis aduerſantur, ſibi interitum pariant, ab ipſis eſt. Habet verò prior ſententia ſenſum communem cum iis, quæ de Balaam ſuopte ingenio exoptante maledictionem Dei populo infligere, à Deo tamen ad benedicendum illi, compulſo, ſic inquit Philo, lib. de confuſione linguarum. *Certè augurem illum, & prodigiorum procuratorem vanis coniecturis ſtudentem (vanus enim interpretatur Balaam) lex ait populo videnti maledixiſſe, quamuis in verbis eius erat fauſta precatio, nimirum, non reſpectu dictorum eius, quæ diuina prouidentia recudebat in quandam meliorem monetam, ſed mentis ipſius, cui noxia magis obuerſabantur, quam vtilia.* Ecce tribulationes, & mala in meliorem ſalutis, & gloriæ monetam recuſa. 3. | Philo.

ADNOTATIO I.

Tentationibus, ac difficultatibus, quæ ſeſe in virtute offerunt non ſegniter, ſed magna alacritate, & impetu repugnandum.

QVÆ Chryſoſtom. in expoſitione literæ monebat, nempe inimicorum inſidias duntaxat 1.

 territare,

territare, ideoque vehementer contemni oportere; iis etiam difficultatibus, quæ ſe nobis in via virtutis offerunt, optime aptantur. Sanè cum inter noſtrum animum, & dæmonis tentationem, ſiue virtutis laborem ſingulare bellum intercedat, nō mediocriter ad palmam referendam intereſt, excelſo animo ad certamen deſcendere, & in aduerſarium, tamquam in infirmiorem, & imbecilliorem irruere.
S. Io Clim. Mouit id luculenter Climacus in ſcala ſpirituali gradu primo, vbi cum dixiſſet: *Odioſum ſane periculique pleniſſimum eſt, ab ipſo ſtatim conflictus congreſſu flacceſcere luctantem; eſt enim futuræ necis non obſcurum argumentum.* Subdit opportune, *Cum gaudio, & ſine metu ad egregium illud certamen accingamur, inimicos noſtros nulla ratione formidantes: intuentur enim illi, etſi non videantur à nobis, animarum noſtrarum vultus: & ſi illos viderint formidine contrahi, vel immutari, contra nos acerbius armantur: intelligunt enim verſutiſſimi timorem noſtrum. Magno igitur animo aduerſus illos arma accipiamus: contra eum enim, qui alacriter pugnat, nullus oppugnando præualet.*
Hieron. Hæc Climacus, nec diſſimilia Hieronymus ep. ad Demetriad. Vnde quidem ad hunc præliandi habitum, quem exigit Climacus, belli ducem, & principem videas compoſitum, qui cum iam tandem moriturus pergeret in Ieruſalem, vt acerbiſſimam pro hominum ſalute mortem obiret, aduerſus inſurgentes hinc inde difficultates faciem ſuam
Luc 9. 51. ſignatè obfirmaſſe ſic dicitur Luc. 9. 51. *Factum eſt autem, cum complerentur dies aſſumptionis eius, & ipſe faciem ſuam firmauit, vt iret in Ieruſalem:* ſiue
Syr. Lect. vt habet Syriaca lectio, *preparauit vultum ſuum:* Vbi ſi inquiras: quid fuerit, *firmare*, ſiue, *preparare*
Caiet. *faciem*, reſpondet Caiet. *Magnanimitatem, quam demonſtrabat Chriſtus, etiam exterius volendo ire in Ieruſalem, deſcribit Euangeliſta à firmitate faciei; prætendebat enim etiam in facie, animi conſtantiam, &*
Maldon. *magnitudinem:* At opportunius occurrit Maldonat. dum obſeruat, *firmare faciem*, eſſe Hebraiſmum, quo firmum animi propoſitum pertinaxque ira ſignificatur, (cuius phraſis conſpicua ipſe, ex Leuit.
Leu. 17.19. 17.19. Prouerb. 21.29. Ezech. 4. 3. deducit exem-
Prou. 21.29. Ezech. 4. 3. pla,) atque ideo ſumi metaphoram ex taurorum conſuetudine, qui cum obſtinati aliquem aggrediuntur, vultum conſtanter obfirmant. Vnde Hiſpane dictum, *encarar.* Planè, vt aduerſus callidiſſimi hoſtis artes, qui animarum vultus intuetur, vt ſi illos formidine contrahi, vel immutari viderit, acerbius in ipſos armetur, prudens, ac veteranus miles tam corporis, quam animæ vultum firmaret, magno videlicet, & erecto animo, hoſtem, pericula, difficultateſque contemnens, vnde de eodem met
Apoc. 6. 2. Ambroſ. diuino pugnatore, Apocal. 6. 2. iuxta Ambroſij in Pſalm. 40. & aliorum expoſitionem, dicitur, *exiuit vincens, vt vinceret:* Sed qua ratione vincere ad vincendum dicitur? Primum, quod dum aliquem egregia alacritate, & minaci vultu ad legeſque militaris diſciplinæ optimè compoſitum, palæſtram ingredi videmus, cum plauſu dicimus, hic victor euadit. Deinde exire vincens, vt vinceret, dicitur, quod hoſtis timore debellato, eoque animi robore, & habitu, qui ei metum incuteret, ad certamen deſcenderet. Sic Magnum Conſtantinum in pugna aduerſus Maxentium quaſi de periculo tutum, & de victoria certum ex prima irruptione in hoſtes
Nazar. facit Nazarius in Panegyr. ad Conſtantin. *Inuadis primus aciem, ſolus irrumpis; obumbrant euntem telorum irriti ictus, ſonat ictibus vmbo.* Ita ille.

2.
Pſal 63. 1. Pſal. 90. 5. Hinc Regius Vates opportunè clamabat: *A timore inimici eripe animam meam:* Pſalm. 63. 1. & Pſalm. 90. 5. *Non timebis à timore nocturno.* Sed nonne breuius dixiſſet? eripe ab inimico animā meam: Dixiſſet, ſed alio ſenſu; qui Dauidicæ ſapientiæ non cōgrueret: cur enim ipſe ab inimico, cum quo egregiè decertaret, eripi petiiſſet? Benè ergo: *à timore inimici:* quod vt homini ad perfectionem tendenti maxime expediat, inimici tentationes, & oppugnationes perferre: *marcet enim ſine aduerſario virtus;* ita inimicum oppugnantem, ſiue prælij difficultatem non timere, maximè oportet. Expendit id acute ad Pſalm. 90. verba Bernard. inibi ſerm. 6. Bernard.
inquiens: *Benè autem dicitur non timendum à timore nocturno, & non dicitur à nocte: quia non ipſa afflictio tentatio eſt, ſed magis timor ipſius; nam & omnes laboramus, cum tamen non omnes inde tentemur, & qui tentantur multo magis futura pœna, quam præſentis dolore læduntur.* Cui etiam ſententiæ ita diſerte ſubſcribit Senec. epiſt. 13. *Plura ſunt, quæ* Senec.
nos terrent, quam premunt, & ſæpius opinione, quam re laboramus: Et poſt nonnulla; ſumpta ſimilitudine à bello, quod ſæpius non tam reapſe, quam rumore falſo ſparſo, & clamoribus celebrato confici ſolet, id ita confirmat: *Plerumque ſuſpicionibus laboramus, & illudit nobis illa, quæ conficere bellum ſolet, fama, multo autem magis ſingulos conficit: ita eſt mi Lucili, cito accedimus opinioni, non coarguimus: illa quæ nos in metum adducunt, nec excutimus, ſed trepidamus, & ſic vertimus terga, quemadmodum illi quos puluis motus, fuga pecorum exuit caſtris, aut quos aliqua fabula ſine auctore ſparſa conterruit.* Bene igitur, inquit Dauid, non ab inimico, ſed à timore inimici, nec à bello, ſed à timore belli me eripe. Quippe.

Peior eſt bello, timor ipſe belli.

Sic neſcio quæ, apud neſcio quem dicebat.

Quando ego non timui grauiora pericula veris.

Quò facit prudens Plinij Iunioris obſeruatio in Plin. Iun.
longiſſimo itinere, quod Imperator Traianus pedes confecit, dum inquit: *Initium laboris mirer an finem? multum eſt, quod perſeueraſti; plus tamen, quod non timuiſti, ne perſeuerare non poſſes.* Scitè, quia plus fuit, timorem laboris, quam laborem ipſum non timere.

Et verò in hoc cardine totum prælij, atque 3.
ideo ſalutis momentum verti, tam Ioannes, quam Salomon diſertè confirmant; ſic enim prior ſub Angeli perſona poſt cæleſtia præmia iuſtis elargienda, demonſtrata, Apoc. 21. 8. *Timidis autem,* Apoc. 21. 8.
& incredulis, & execratis, & homicidis, & fornicatoribus, & veneficis, & idololatris, & omnibus mendacibus pars illorū erit in ſtagno ardenti igne, & ſulphure. Vbi duo dubites; alterum, cur timidi damnentur, quæ enim lethalis peccati ſpecies, timor eſt? alterum; quare timidi, non modo coniungantur cum incredulis, & execratis, & omni vitiorum lue infectis, ſed eorum omnium duces, & anteſignani habeantur? Vt ſatisfaciam obſeruo, pro *timidis:* Grecè eſſe, δειλοῖς: hoc eſt, *ignauis:* ſiue labori cedentibus: nam, *fortitudini* (Tull. 2. de inuent.) *contraria eſt* Tull.
ignauia: Iam reſpondet Salomon, Prou. 18. 8. *Pigrum deiicit timor: animæ autem effæminatorum eſurient.* En cauſam ob quam timidi damnentur. Quia videlicet, prius ignaui, & pigri, & hac ratione à timore proſtrati, atque deiecti. Eſt verò notandus dicendi Prou. 18. 8.
modus; neque enim dixit ſapiens, deiicit labor, ſed potius timor laboris; nam ſi non timeret, ſed audenter accederet, nequaquam deiiceretur: *per animi enim promptitudinem, & alacritatem* (Chryſoſt. in Chryſoſt.
Pſalm 49.) *via patet ad operationem.* Quare opportunè ſubdit indidē Salomon. *Qui mollis, & diſſolutus eſt in opere ſuo, frater eſt ſua opera diſſipantis:* ſiue vt habet Tigur. *Qui friget in opere ſuo, frater eſt eius,* Lect. Tigur.
qui

qui dissipat: ac si diceret, qui frigidè, & ignaue tentationi occurrit, inter prostratos, & mortuos computari iam potest; ideoque timidi cum incredulis, & execratis, velut eorum fratres coniunguntur, imò verò illis præeunt, quod ab hoc timore, & ignauiâ, omnia hæc criminum, & flagitiorum mala ortum ducant. Vndè sic opportunè fideles admonebat S. Cyr. Ierof. Cyrill. Ierof. catech. 2. *Si neglectè susceperis concupiscentiæ incitationem per ratiocinationes, radices in te figet, & mentem tuam ligabit, & te detrahet in foueam malorum. Sed forte dices: fidelis sum, non me apprehendet concupiscentia, etiam si aliquid concupiuero obscurius. An ignoras, quod etiam in petra radix agitur, & sæpe manet?* Ac si diceret cum Fabiano Philosopho, Senec. apud Senec. lib. de breu. vitæ, cap. 10. *Contra affectus impetu, non subtilitate pugnandum, nec minutis vulneribus, sed incursu auertendam aciem: suggillationem enim retundi debere, non vellicari.* Quam quidem ad rem vide, quam accommodate hæc scripserit Dio Chrys. Dio Chrysost. in Dog. *Si quis labores contemptum suscipiat promptoque animo ad eos accedat, haud magnam aduersus eum vim habituri sunt; at si pedem referat ab ijsque se remoueat, maiores omnino, ac vehementiores videbuntur*: subiicit aptam similitudinem: *Hoc porro etiam in igne contingere videmus: etenim si magno cum impetu in eum ascenderis, protinus extingues: si autem timidè, atque ignauè, vehementer te ipsum exures.* Hæc Dio. Nec aliter M. Tull. M. Tull. Tuscul. 2. inquiens, *Vt enim onera contentis corporibus facile feruntur, remissis, opprimunt; simillime animus intensione sua pressum depellit omnem ponderum, remissione autem sic vrgetur, vt se nequeat extollere.*

4. 1. Ad Cor. 10. 13. Act. 5. 3. Inest quidem hic sensus illis Pauli verbis 1. ad Corint. 10. 13. *Tentatio non vos apprehendat*; nec non his Petri Ananiâ grauiter increpantis, Actuum 5. 3. *Anania cur tentauit Sathanas cor tuum mentiri te Spiritui sancto?* Etenim ex proprietate verbi, *apprehendo*, quod magna contentione, & impetu alium aggredi, seu manum in eum iniicere significat, vt 1. 1. Reg. 17. 35. Reg. 17. 35. de Dauide leones dilacerante. *Apprehendebam mentum eorum, & suffocabam eos*, signate monet Paulus, tam strenuè, & alacriter aduersus tentationes oppugnantes esse repugnandum, vt ipsæ potius absterritæ discedant, quam animos ex ignauia nostra sumentes tam proxime ad nos possint accedere, vt manum nobis iniicere, siue nos firmiter Cyprian. apprehendere valeant. Ita dicebat Cyprian. lib. de zelo, & liuore. *Quamobrem contra omnes diaboli, vel fallaces insidias, vel apertas minas stare debet instructus animus, & armatus, tam paratus semper ad repugnandum, quam est ad impugnandum paratus.* Quem quidem ad modum, Petri verba capienda sunt. Nam etsi huic interrogationi. *Cur tentauit Sathanas cor tuum?* aliquis dixerit, ab ipso Sathana id prius fuisse perquirendum: quis enim de animo Sathanæ in tentando, nisi ipsemet Sathanas possit rationẽ reddere? Attamen rectè subsistit Petri locutio, & increpatio: est enim sensus, ac si dixerit, cur apprehendit te tentatio? dum enim animæ tuæ vultum formidine, & ignauia contractum vidit, à torpore tuo vires, atque animos sumẽs, & acerbius armatus, & fortiùs te aggressus fuit. Nec alia opinor sapien-Eccl. 31. 27. tis mens, Eccles. 31. 27. admonentis: *In omnibus operibus tuis esto velox; & omnis infirmitas non occurret tibi*; est enim Græce, pro, *velox*: ἐντρεχὴς, *strenuus*, *alacer*: quod de strenuitate animi, qui tam sit ad repugnandum, quam hostis ad impugnandum paratus, potius quam de externa corporis desidia, à qua plures oriantur morbi (vt aliqui volunt) præstat accipere, cũ Diuinus spiritus animę pręcepta potiùs dare, quam Hippocratis personam induere soleat.

Vndè monemur, promptitudinem, & alacritatem in spirituali certamine cum aduersariis timorem incutere, vt occurrere, seu de proximo accedere, non audeant: contrà verò animi ignauiam ruinæ hominem obnoxium reddere, dum aduersarium ad occurrendum, siue ad irruendum animat.

Compones hinc verba ad speciem diffidentia, 5. quæ de diabolo bellum in nos mouente Petrus, & Iacobus dixerunt. Sic enim ille ep. 1. cap. 5. 8. *Vigilate, quia aduersarius vester diabolus, tanquam leo rugiens circuit, quærens quem deuoret*: Iacobus vero, 1. Pet. 5. 8. cap. 4. 7. *Resistite diabolo, & fugiet à vobis*: Vbi vi- Iacob 4. 7. des à Petro leonem rugientem, à Iacobo fugacem belluam appellari. Qui ergo hæc congruunt? Aperio ex natura crocodili, quem sic depingit Seneca Senec. lib. 4. quæst. natural. *Fugax animal, audacissimum timido.* Ecce diaboli naturam, & artes ab Apostolis descriptas: est quidem leo rugiens, vt inquit Petrus, dum ipse primò bellum mouet, & imbellem aduersarium lacessit, ad morem crocodili audacissimi timido; ideo subdit, *quærens quem deuoret*, id est, dum ipse quærit, & aggreditur; sed simul, *fugax animal*, si viriliter, vt Iacobus monet, ei resistas. Ad quem sane modum hæc loca videtur composuisse Bern. serm. 13. in Psal. *Qui habitat*, vbi post allata Petri verba hæc subdit. *Rugire iste potest, ferire non potest.* D. Bern. *Rugiat quantum vult, tantum non fugiat ouis Christi. Quanta minatur, quanta exaggerat, quanta intentat. Non simus bestiæ, vt nos prosternat vacuus ille rugitus. Sic enim perhibent, qui talia curiosius vestigauerunt, ad rugitum leonis nullam bestiam stare posse, ne eam quidem, quæ aduersus ictum eius tota animositate repugnat: & plerumque superat ferientem, quæ non sustinet rugientem*: Vndè statim sic concludit. *Verè bestia, verè rationis expers, qui tam pusillanimis est, vt solo timore cedat, qui sola futuri exaggeratione laboris victus, ante conflictum non telo, sed tuba prosternitur. Nondum restitistis vsque ad sanguinem, ait strenuus ille dux, qui leonis huius nouerat vanum esse rugitum. Et alius quidam*: Resistite (*inquit*) diabolo, & fugiet à vobis. Ita ibi Bern. & serm. 14. *Nam de leone quidem manifestum est, quod nisi ad ianuam timoris terrificos non dat rugitus.* Ita quidem audax, & temerarius, militem, cum quo congrederetur nesciens ad tentandum Dominum primum accessit, & panes, vt ieiunantem à proposito dimoueret, obtulit: subindeque à Christi lenitate, & mansuetudine importunè vires sumens, & in pinaculum templi asportauit, & ab eo, vt rerum Dominus adorari impudenter expetiit. At vbi Christus vocem efferens à se excussit cum acri illo dicterio: *Vade Sathana*, Matth. 4. 10. tunc recessit diabolus, Lucæ 4. Matt. 4. 10. 13. id est, probro affectus aufugit. Vndè Ambros. in Lucam lib. 4. *Vides ergo diabolum ipsum non esse in* Luc. 4. 13. Ambros. *studio pertinacem, cedere vera solere virtuti; & si inuidere non desinat, tamen instare formidat, quia frequentius refugit triumphari.* Sic ille.

Dixi vers. 10. adnot. 4. num. 13. dæmonem apud 6. Iob 4. 11. iuxta lectionem LXX. appellari Myrmi- Iob 4. 11. LXX. coleonem, vocabulo composito ex formica, & leone, reddidique huius cognomenti rationem ibi ex S. Nilo; nunc aliam afferre placet ex Greg. lib. 5. Mor. cap. 17. huic proposito peropportunam, videlicet, quod formicis, hoc est, ignauis, & desidibus leo; fortibus vero, & strenuis formica fit: *Formicis enim*, inquit Gregor. *leo est, volatilibus formica, quia* Greg. Mag. *nimirum antiquus hostis, sicut contra consentientes fortis est, ita contra resistentes debilis: si enim eius suggestionibus assẽsus prabetur, quasi leo tolerari nequaquam potest, si autem resistitur, quasi formica atteritur. Aliis ergo leo est, aliis formica, quia crudelitatem illius*

carnales mentes vix tolerant, spirituales verò infirmitatem illam pede virtutis calcant. Hæc quidem ita se
Marc. 5. 9. habere illud conuincit, quod (Marc. 5. 9. & Luc. 8.
Luc. 8. 30. 30.) vnum solummodo hominem legio dæmonum, plus videlicet, quam sex millia, fuerint aggressa: hos quidni formicas dixeris, qui nisi agmine facto præualere nequeunt? O quanta celeritate fugissent, si miser ille fortis in fide restitisset! Hæc & alia ob-
Chrysol. seruante S. Petr. Chrys. serm. 17. in ea Christi interrogatione. *Quod est tibi nomen?* his verbis. *Christi interrogatio nostram ignorantiam sic depellit, nobis aperit, quod latebat: ad vnum legio? euidens est desidia militis, si deserat aciem, si gressum retrahat, si confligere pertimescat, vbi vnum numeroso hoste fortiorem peruidet esse captiuum: ad præsentiam Regis isti quid sunt? qui vnum, & nec dum tyronem caperent; tot cohortis suæ agmine conuenerunt? Vbi essent, si vexillum iam crucis, si Christi signa vidissent? Age Christiane, incede securus, manus tanta, & tam multa, quæ sic metuit inermem, procul fugiet, si videat, si sentiat, si cognoscat*
Tertull. *armatum.* Hæc Chrysol. Monuerat hæc acrius Tertul. in Apolog. cap. 27. vbi eum prius dixisset. *Ille, scilicet, spiritus dæmoniaca, & Angelicæ paraturæ, qui noster ob diuortium æmulus, & ob Dei gratiam inuidus de mentibus nostris apud nos præliatur occulta inspiratione:* paulò post subdit: *Et tamen apprehensi subiguntur, & conditioni suæ succidunt, & quos de longinquo oppugnant, de proximo obsecrant.* Inde sic infert. *Itaque cum vice rebellantium ergastulorum, siue carcerum, vel metallorum, vel ob hoc genus pœnalis seruitutis erumpunt aduersus nos, in quorum potestate sunt (certi, & impares se esse, & hoc magis perditos) ingratis resistimus, vt æquales*: hoc est, (vt acutè ex-
Cerda. plicat doctissimus Cerda) gratis, & præter nostrum decorem, vt æquales resistimus, cum non sit inter seruos, & dominos æqua pugna, ideo fustuario potius, quam telo debuissemus cum illis agere.

8. Sunt etiam ad instar dæmonis omnes virtutis difficultates, atque labores, Myrmicoleones, quos si animosè, & strenuè fueris aggressus, *pede virtutis* calcabis; sin autem ignauè, & timidè susceperis; quasi leones tolerare nequaquam poteris. Ita quidem inducit Salomon, Prou. 22. 13. pigrum dicentem. *Leo est foris, in medio platearum occidendus sum:*
Prou. 26. 13. & Prou. 26. 13. *Leo est in via, & leæna in itineribus.* En è formicis leones ignauia siue timore immanissimas sibi belluas, hoc est, ingentes difficultates con-
Senec. fingente, & contra se ipsum armante: sic dicebat Seneca. *Itaque res falsa, & inanis habet adhuc fidem, quia non coarguitur. Tanti putemus oculos intendere; iam apparebit, quam breuia, quam incerta, quam tuta*
Epictet. *timeantur.* Et disertissimus Epictetus apud Arrian. lib. 2. dissert. cap. 1. *Cæterum nos idem, quod cerui facimus, qui dum exterriti fugiunt pinnas*, (alij vertunt, *volucrum infestationem*) *alio se vertunt, & quasi ad secura loca in ipsa retia concedunt, atque ita pereunt, permutantes non timenda timendis.* Porro dum à
Soph. 2. 14. Sophonia, cap. 2. 14. euersa ciuitas describitur, sic inibi sigillatim ericius dicitur commorari; *onocrotalus, & ericius in liminibus eius morabuntur.* Sed quare ericius? Crediderim ob rationem, quæ ei parœmiæ locum fecit: *erinacius differt partum.* Nimirum, hoc animalculum, quia proles, qua grauidatur leuiculos habet aculeos, eaque de causa nonnullam pariendi difficultatem ingerit, primas illas punctiunculas ferre timens, partum non aggreditur, sed in dies differt: quò fit, vt duriores quotidie aculei facti grauiorem illi partum reddant, donec hæc tandem difficultas vitam ei adimat, ipsaque mors obstetrix in partu fit. Qua quidem imagine piger, &
ignauus pulchrè designatur, qui vt inquit Seneca Senec.
epist. 94. *sibi obstat*: dum ad primam difficultatis faciem clamat. *In medio platearum occidendus sum*: id est, vt optimè Beda: *Non valeo tentationibus resistere,* Beda.
sed in principiis boni propositi vincor inceptis, vnde, & robur sibi quotidie minuit, & partus difficultatem plus plus auget, donec tandem filij, vsque ad partum accedant, *& virtus parienti* nō sit, Isai. 37. 3. Isai. 37. 3.

8. A quo non longius it remissus ille, atque ignauus Zaram nisus, Gen. 38. 27. nam cum in ipso natiui- Gen. 38. 27.
tatis suæ ortu prius fratre Phares manum protulisset, eam postmodum timide retraxit, locumque germano fecit, vt prior natus primogenituræ ei munus auferret. Quod quamuis ij, qui ad vulgi morem sapiunt, inter egregia facinora apponant, quòd in magnis tentare sat sit, nec immodica laus, magnis ausis excidere: alij verò ad vitæ huius ærumnosissimas miserias subtiliùs accōmodent, quas cū primū in hac mundi aura infantulus persenserit, sapienter refugerit, malens intra matris vterum denuo recludi; potius tamen est, vt eum Paschasio ita ad præsens institutum referamus, vt paruulus ille ignauum hominum genus designet, difficultates exiguas, & communes formidantium, quos timor deiicit, ipsique oneri miserè succumbunt, & cedunt permutantes non timenda timendis, & cœlesti primogenitura se abdicantes. Ita quidem Paschasius lib. 1. Paschas.
in Matth. *Vtinam cum ad hoc opus manum pratendit perfectè natus exisset, & non illo manum retrahente alter maceriam incidisset.* Pende illud, *perfectè natus exiisset*: id est, rem perfecto, & magno animo aggrederetur. Vnde nato Phares obstetrix exclamauit: *Quare diuisa est propter te maceria?* Quæ verba sic transtulit Chaldæus. *Quam multa tibi fortitudo est,* Chald.
vt praualueris? ac si dixerit, tu ob egregiam fortitudinem præualuisti, ille quia segnis, & ignauus primogenituræ iure se priuauit.

9. Iam si leones non secus, ac formicas pede virtutis calcatos videre velis: audi Ecclesiasticum de Eccles. 47. 3.
Dauide, cap. 47. 3. *Cum leonibus lusit, quasi cum agnis,* & preme verbum, *lusit*, quo innuitur ipsi non tam belli, quam ludi occasionem ferocissimos leones fuisse. Sed quare? Quia *apprehendebat mentum eo-* 1. Reg. 17.
rum; magno videlicet, & excelso animo eos aggre- 35.
diens. Similiter Sapient. 10. 12. de Iacob cum An- Sap. 10. 12.
gelo Dei vices gerente strenuè colluctante dicitur. *Certamen forte dedit illi, vt vinceret*: vbi Græcè, pro, *certamen*, est ἀγῶνα, quod ad certamina ludicra, & festiua solet referri. Quod si dubites, qui certamen vna ex parte forte, ex alia ludicrum esse potuerit? Respondebo; illud quidem ex se forte, & arduum exstitisse, ea tamen animi contentione à Iacob fuisse susceptum, vt tota difficultatis moles, grauecque belli pondus ei facile cesserit, atque res ludicra inter athletæ manus fortiter dimicantis redderetur. Sane cum Paulus, quæuis pericula, & difficultates sic lacessens, ad Rom. 8. 35. *Quis nos separabit à cha-* Ad Rom.
ritate Christi? tribulatio? an angustia? an fames? an 8. 35.
nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius? (sicut scriptum est, quia propter te mortificamur tota die, æstimati sumus sicut oues occisionis,) subiiciebat, *in his omnibus superamus propter eum, qui dilexit nos.* Ideo tanta ab ipso dignitate, & maiestate superata, & protrita dixeris, quod ipse quæuis supplicia, atque tormenta magna animi fortitudine prior aggrederetur, tamquam nihili faceret. Vnde Chrys. hom. 2. Chrysost.
de laudib. Paul. *Sic despiciebat vniuersa, quæ cernimus, vt solet herba iam putrefacta contemni. Tyrannos verò ipsos, ac populos spirantes furorem, velut esse quosdam culices existimabat. Mortem vero, & cruciatus, & mille supplicia, quasi ludum putabat esse puerorum,*

dummodo

dummodo propter Christum aliquid sustineret. Sic Chrysost.

10. Quam ad rem pende signatissima verba, quæ de Abrahamo filium suum iugulare tentante, inquit Gen. 22.10. Scriptura, Genes. 22. 10. *Extendit manum suam, & arripuit gladium.* Quid? inerat illi cum armato, & fortissimo hoste, & non potius cum tenerrimo filio manibus, pedibusque ligatis bellum? Cur ergo necesse fuit gladium arripere? impetu videlicet, & ardenti conatu; & non magis vtcumque sumere, siue accipere. Sanè, quia ibimet plures vndequaque difficultates, velut armati hostes Abrahamum circumdabant; illum enim in primis ipsamet Domini Gen. 22. 2. verba acriter pungebant, Genes. 22. 2. *Tolle filium tuum vnigenitum, quem diligis Isaac*: siue vt legunt LXX. L X X. *Tolle filium tuum dilectum, quem dilexisti Isaac*, quæ ad hanc rem sic pendit Origenes hom. Origen. 8. in Genesim. *Vide tentationis pondus: charis, ac dulcibus appellationibus iterum, ac sæpè repetitis paterni suscitantur affectus, vt amoris euigilante memoria ad immolandum filium paterna dextera retardaretur, & vt aduersus fidem animi tota carnis militia repugnaret.* Ad hæc: cum cædem patraturus accede- Gen. 22. 7. ret, sic à filio compellabatur: *Pater mi*, Genes. 22. 7. Chrysost. Quod pendens Chrysost. hom. 47. in Genesim: *Sufficiebat* (inquit) *hoc verbum ad lancinanda iusti huius* Ambros. *viscera*: Similiter Ambrosius, lib. 1. de Abraham, cap. 8. *Pietatis vocabulis patris affectus, & fluctibus quibusdam hinc, atque hinc tunditur: filius vocat patrem; pater nominat filium, vt ipso verborum sono se recognoscat pater. Quam impossibile est, vt ferire possit, cuius se vulneri subijcere optaret!* Vides aduersus Abrahami fidem totam carnis militiam repugnantem? vides quot tormenta, quot mortes acerbæ, acres, lentæ eius fortitudinem expugnare contendant? Ergo vt totam hanc carnis militiam prosternat, atque proculcet: *Extendit manum, & arripuit gladium*, vt immolaret filium suum, *arripuit*, inquit, cum impetu, ac violentia, vt indicaret Scriptura, qua fortitudine aduersus illas omnes difficultates vultum Patriarcha obfirmauerit, tantumque abfuisse, vt ab illis apprehenderetur, vt eas potius ingenti animi magnanimitate deuicerit, & velut formicas pede virtutis calcauerit. Vndè huc intentus S. Zen. S. Zeno Veron. serm. 1. de Abraham, sic ait: *Ecce sub vinculis iacet filius adstrictus. Vbi sunt lacrymæ? Vbi dolor qui in humanis casibus versari consueuit? In tantis filij casibus lætatur, & gaudet, & se Dominum promeruisse triumphat.* Pende extremum verbũ: *triumphat*: eo enim innuitur, adsuisse omnes illas difficultates, vt bellum Patriarchæ mouerent; quas tamen ipse viriliter prostrauerit. Quare non sine causa cum diuinitus à cæde remouetur, duplici illum Gen. 22. 11. Angelus voce appellat. *Abraham Abraham*, Genes. 22. 11. ne vna tantum eius impetum retardare forsan non sufficeret. Ita Chrysost. *Geminatione vsus est,* Chrysost. *vt superetur impetus iusti, & quasi per vocem detineatur iusti dextera iam tendens ad pueri cædem.* Similiter Ambros. *Repetiuit vocem tanquam verius, ne* Ambros. *præueniretur studio deuotionis, & vna vox impetum ferientis reuocare non posset.* Planè egregiam hanc fortitudinis partem esse, pericula non modo non timere, sed illis potius obuiam ire, sic pulchrè Senec. Senec. epist. 67. *Nonne fortitudo optabilis est? atqui pericula contemnit, & prouocat: pulcherrima pars eius maximéque mirabilis illa est, non cedere ignibus, obuiam ire vulneribus; interdum tela ne vitare quidem, sed pectore excipere.* Vndè germanum Abrahæ semen di- 2. Machab. xeris fortissimos illos fratres Machabæos, qui cum pœnis, & suppliciis ita decertabant, vt acriora, ac acerbiora requirerent, & cunctationem grauius incusarent. Sic enim illos ad tyrannum loquentes facit Nazianz. orat. de SS. Machabæis: *Multarum tu* Nazianz. *quidem rerum terrorem nobis inijcere tentas, verum ad plura parati sumus: quid nobis vir superbe, atque insolens ministris tuis facies? Quos cruciatus inferes? nihil est his hominibus fortius, qui ad quoduis perferendum prompto, & alacri sunt animo. Quid cunctamini carnifices? Quid moras nectitis? vbi gladij? vbi vincula? festinationem requiro: ignis maior accendatur, acriores bestiæ magisque æstuosæ producantur, exquisitiora tormenta proferantur: sint omnia regia, & magnifica.* Hæc Greg. Nazianz.

ADNOTATIO II.

Eos qui Dei seruos affligunt, sibimet ipsis interitum afferre.

Agit hac de re satis eleganter, & erudite Iu- 1. stinian. in hæc verba optimis rationibus, & exemplis ab omnibus pene sæculis petitis ostẽdens, quam fuerit ethnicis exitiosum Dei seruos affligere; cum Deus inde grauiter exacerbatus debitas ipsis è vestigio pœnas rependerit. Iis verò, quæ ipse floridè affert, nonnulla rudiori licet calamo placet adiungere. Sanè id mihi in primis sapit illud Prouerb. 20. Prou. 20. 26. 26. *Dissipat impios Rex sapiens, & incuruat super eos fornicem*: siue vt Hebræa habent: *& redire facit super eos rotam*: vt enim non abs re à Beda, & Ian- Beda. senio accipiatur de egregio triumpho, quem in die Iansen. iudicij de suis hostibus Christus gloriose est relaturus, vel de victoriis, quas Christiani Imperatores de tyrannis Ecclesiam infestantibus reportarunt: opportunius credo capies de supplicio, quod de Christiani nominis hostibus magna tandem sapientia Deus sumere consueuit, omnia eorum machinamenta, & artes in eorummet capita reiiciens. Quare in phrasi incuruandi fornicem, obserua elegantem imaginem cuniculorum, qui sub terra ad suffodienda vrbium mœnia fiunt, quos si obsessi detegunt; eo modo res disponunt, vt in machinantium caput doli recidant. Sanè hoc ea locutio denotat, cum & fornix quodcumque opus concameratum significet, & cuniculi ad modum fornicis fiant; & quidquid de hoc sit pro huius imaginis sensu, Hebræa: *Et redire, seu reuoluere faciet super eos rotam*, valde sunt expressa: constat enim, vt omnes pene interpretes ibi affirmant, in voce Hebræa allusum esse, vel ad ferrata carpenta: quibus victores antiquitus deuictos hostes conterere, & serrare solebant, vt non obscure indicatur 2. Regum 8. 2. vel ad rotas 2. Reg. 8. 2. plaustri, quibus, vt olim triturare erat mos, atque ideo grauis per eas afflictio exprimebatur, vt Isai. Isai. 28. 27. 28. 27. *Non in perpetuum triturans triturabit illum, neque vexabit eum rota plaustri, nec vngulis suis comminuet eum.* Ergo dum dicitur, *& redire*; seu *reuoluere faciet super eos rotam*, sensus est, Deum suppliciorum rotam, quam impij aduersus iustos vertere vellent, super illos tandem reuertere, propriis eorum machinationibus, & consiliis in ipsorum capita reductis, vt suæ iimet necis artifices esse videantur, ad eum modum, quo de Perillo tormentorum artifice, qui proprio periit inuento, dixit Claudianus, lib. 1. in Eutrop. Claudian.

Quam bene dispositum terris, vt dignus iniqui
Fructus consilij primis auctoribus instet,
Sic opifex tauri tormentorumque repertor,
Qui funesta nouo fabricauerat ara dolori,
Primus inexpertum, Siculo cogente tyranno,
Sensit opus, docuitque suum mugire iuuencum.

Congruit

2. Congruit verò huic explicationi Græca vox, τροχὸν, quæ ibi rotæ respondet: ipsa etenim Græci significant tum instrumentum vltimi supplicij, tum etiam equuleū, siue aliud genus machinæ, qua iudices in quæstionibus ad veritatē à flagitiosis eruendam vtuntur, vt sensus, isque appositus sit, Deum dum vltimo supplicio, eoque manifestissimo impios, qui Sanctos suos persequuntur, afficit, veritatem Christianæ disciplinæ ab eis velut equuleo eruere, tum quia suæ necis exemplo omnibus palam fit, illas ab ipsis iratum Deum pœnas ob impietatem in suos exegisse; tum vel maximè, quod & ipsimet, vel inuiti ea de causa pœnas se sustinere confiteantur. Cuius quidem rei egregia sunt exempla, quæ adducit Tertullian. lib. aduersus Scapulam, cap. 3. his verbis: *Possumus æque & exitus quorumdam præsidum tibi proponere, qui in fine vitæ suæ recordati sunt deliquisse, quod vexassent Christianos. Vigelius Saturninus, qui primus hic gladium in nos egit, lumina amisit; Claudius Herminianus in Cappadocia cum indignè ferens vxorem suam ad hanc sectam transisse, Christianos crudeliter tractasset, solusque in prætorio suo vastatus peste cum viuus vermibus ebullisset, nemo sciat, aiebat, ne se gaudeant Christiani. Postea cognito errore suo, quod tormentis quosdam à proposito suo excidere fecisset, pene Christianus decessit. Cæcilius Capella in illo exitu* (id est excidio) *Bizantino, Christiani gaudete, exclamauit.* Hæc & alia Tertullian. Tertull.

3. Nec minus apposita ad hanc rem sunt, quæ immediate ante dixerat Salomon num. 25. *Ruina est homini deuorare sanctos*: siue vt vertit Pagninus, *laqueus est homini deglutire sanctificatum*: vbi phrasi deuorādi, siue deglutiendi nemo addubitet significari vexationem, atque persecutionem, quam impij in iustos exercent, sumpta metaphora à validioribus & potentioribus feris, quæ infirmiores pro præda habent: sic vetus verbum. *Pisces minutos magnus comest.* Vide Prouerb. 1. 12. *Deglutiamus sicut infernus viuentem.* Iam quomodo ruina sit homini sanctorum cibum sibi ingerere, sic monet Dominus Zachariæ 12. 2. *Ecce ego ponam Ierusalem superliminare crapulæ*, pro quibus verbis Sanctes Pagninus reddidit: *Ecce pono Ierusalem calicem soporiferum omnibus populis*: Alij verò significantius apud Vatablum. *Ecce pono Ierusalem calicem veneni.* Vt ex ipsius interpretatione sit sensus: *Qui persequuntur Ecclesiam morientur, vt qui exhausto poculo veneni derepente cadunt.* Vides quid sit deuorare Sanctos ipsorumque sanguinem bibere? Nihil sanè melius, quam lethalem cibum ingerere, aut veneni calicem, quo subito moriaris, perpotare. Ruina ergo est homini Dei amicos lædere, quia nimirum incuruat ipse super lædentes fornicem, rediteque facit super eos rotam. Prou. 20. 25. Prou. 1. 12. Zach. 12. 2. Pagnin. Vatabl.

4. Verum prædicta Pagnini translatio: *Laqueus est homini deglutire sanctificatum*: eidem fornicis siue cuniculorum metaphoræ opportunissima est, si perfidi proditoris Iudæ, tum infames artes, tum infelicissimum exitum consideres: machinabatur ille Christi proditionem, Deique sanctum deuorare gestiebat, imò apud se intinctum panem, quasi tormentarium puluerem incluserat: iam vero vt facinus perficeret, cuniculo facē applicuit cum in traditionis signum, ori suo Christi faciem charitate ardentem deosculandam admouit. Reciderunt tamen doli in caput eius, & incuruauit Rex super eum fornicem, nam igne ad intestina perlato, flammisque in arcto quærentibus exitum sublatus in altum: *crepuit medius, & diffusa sunt viscera eius.* Id sub hac pene similitudine considerante Ambrosio in Psalm. 39. Nam cum sub persona Christi præmisisset: *Ego osculum non nego, ipse videris, qui violaueris osculi sanctitatē*, subiicit. *Nec immerito grauiore telo tantæ dignationis percussus est Iudas, quam si eum fulmine percussisset.* Ita Ambrosius. Estne laqueus homini deglutire sanctificatum? Ambros.

5. Appellabat Ioannes, Lucæ 3. 7. Iudæos, & hunc Iudæorum coryphæum Iudam *genimina viperarum*: Sed quare? num ea solum ratione, quod vipetatum, vt inquit Hilar. Canon. 10. in Matth. hoc est, venenatas haberēt linguas? at, modo etiam vipereum est hac ratione hominum genus: & *sibi habent propriarum venena linguarum hi, quibus nihil placet*, vt aiebat Aurelianus apud Trebellium in Zenobia. Quid ergo? *Quia per hoc, quod bonis inuident eosque persequuntur*, (Gregor. homil. 20. in Euangel.) *patrum suorum carnalium vias sequentes, quasi venenati filij de venenatis parentibus nati sunt.* Benè; sed id non solum viperæ, sed cuiusuis venenati serpentis proprium est. Pergit Chrysostom. hom. 12. in Matth. & quod viperæ solum congruit, sic affert. *Ferunt viperam, marem coeundo necare, cuius semen excrescens perimit matrem, & sic prodit in lucem scisso parentis vtero in vindictam quodammodo parentis genitoris, itaque parricida est proles vipera. Tales erant Iudæi, qui patres spirituales eorum, atque doctores occidebant.* En viperæ ingenium; sed dum non vndequaque cum Iudæorum conditione, & euentu à Chrysostom. componitur, sic dubio plenissime satisfacit Chrysologus, vt Synagoga vipera dicatur, quod Christo sponso, atque parente ore Iudæ interfecto, Christianæ Ecclesiæ fœtum conceperit, qui tamen postea matris viscera disruperit, eaque ratione dum Christo necē machinata est, sui ipsiusmet dirus carnifex exstiterit. Audi eum aureo decursu hæc omnia sic explicantem, ac diffundentem. *Vipera conceptus sui tempore intra os suum receptum caput coniugis refertur abscindere, vt per cruenta oscula, non fœtum concipiat illa, sed crimen, ac sic carnifices sceleris sui pariat filios, vindicta ordine non natura; nam genimina patris concepta de cæde, sanguinis antequam lactis exigunt nutrimentum; & vltionem petunt matris: namque vterum vipera dicuntur exscindere, & scelestum conceptus sui domicilium, adhuc immaturis visceribus maturo furore confringere, vt hoc sit illis viuere, matrem suam, matrem quæ illos tales genuit, non videre. Progenies viperarum Synagogam, eiusque filios tales fuisse demonstrat, ad quam Christus affectu coniugis cum venisset, dicente Ioanne,* qui sponsam habet, sponsus est: *inter amplexus, & oscula cruenta Iudæ, Christi caput est expetitum, & ore petitum, cum dicitur*: Crucifige, crucifige, *vnde pignora sanguine concepta, tanto mox ad matris armantur interitum, vt disrupto Synagogæ vtero, ad vocem Ioannis concurrerent, & regenerarentur ad Dei progeniem.* Hæc ille. Luc. 3. 7. Hilar. Trebell. Gregor. Chrysost. Chrysolog.

6. Hæc quidem ob oculos habere videbatur Vates, Psalm. 7. 15. vbi cum dixisset: *Ecce parturijt iniustitiam, concepit dolorem, & peperit iniquitatem*: hoc est, iniquitatis pœnam phrasi in scripturis vsitatissimā, sese statim sic explicat, *Lacum aperuit, & effodit eum, & incidit in foueam, quam fecit: Conuertetur dolor eius in caput eius, & in verticem ipsius iniquitas eius descendet.* Vnde ad hæc verba Chrysostom. *Non enim talis partus, qualis est in mulieribus, sed quemadmodum in viperis, vterum discerpunt, & latera dilaniantes, fœtus procedunt, ita etiam in fraudibus, & iniustitia.* Hæc Chrysostom. Plura etiam in hanc sententiam afferēs ad ea verba, vt hinc videaris bene quidem, sed non omnino plene, locutum Senec. dum libr. de vita beat. cap. 27. sub Socratis persona Psal. 7. 15. Chrysost.

persona eos, qui meliores se calumniantur, & vexant, sic affatur. *Cum in cœlum insanitis, non modo sacrilegium facitis, sed operam perditis*; debuisset enim addere, & in certum interitum ruitis, necem vobismet ipsis machinantes. Nam quæ in cœlum tela iacitis, super vestamet capita directè recidere necesse est. *Conuertetur enim dolor eius in caput eius, & in verticem ipsius iniquitas eius descendet.* Vis videre
Ezech. 3. 8. dolorem in caput eius conuersum? Equidem Ezec. 3. 8. hanc sibi à Deo datam frontem Vates dicebat, quæ durior, & valentior faciebus eorum, qui secum decertarent, esset; imò verò, quæ & adamante, & silice constaret: Sanè, vt qui Prophetæ iniuriam inferre, & quasi fronte in ipsum vellent irruere, dum fortiorem, atque duriorem eius frontem experirentur, grauiter se ipsos conuulnerarent, & dum silicem vellent percutere, scintillas ab eo excuterent, quibus repentino incendio absumerentur,
Dan. 3. 48. ad eum plane modum, quo Daniel. 3. 48. Ministri Regis Nabuchodonosor fornacem ad Dei seruos comburendos incendentes, ab igne ab eis subiecto, atque ideo à se ipsis conflagrati sunt. Certè iimet, qui dicunt: *Insidiemur sanguini, abscondamus*
Prou. 1. 11. *tendiculas contra insontem frustra*, Prouerb. 1. 11. Salomone indidem auctore, vers. 18. *Ipsi quoque contra sanguinem suum insidiantur, & moliuntur fraudes contra animas suas.*

7. Isai. 3. 9. Applaudit Isai. cap. 3. 9 inquiens: *Væ animæ illorum, quoniam reddita sunt eis mala*: vel vt habent
Lect. Heb. Hebræa: *Quoniam reddiderunt sibi ipsis malum*, vbi non dixit mala impiis inflicta, sed reddita potius, quod ipsimet sui exitij artifices, & inuentores extiterint. Sed quomodo? addunt id LXX. quorum
LXX. Tertull. Cyprian. lectio Tertulliano, Cypriano, & antiquis Patribus omnino probatur: *Væ animæ illorum, quoniam consiliati sunt consilium pessimum contra semetipsos dicentes, alligemus iustum, quoniam inutilis est nobis.* En originem veteris paræmiæ, *malum consilium consultori pessimum*: vides mala, quæ impij iustis infligunt, super ipsorum capita tandem recidere? Audi
Athan. iam hæc, quæ opportunissimè scripsit Athanasius in Euangelium de Passione, & cruce Domini. *Cæca enim malitia est, & animi prauitas, vt quæ non intelligat ipsam suas contra se manus acuere, veluti si quis serpentem manu apprehendat, vt alteri inijciat, quod fieri non potest, quin ipse prius mordeatur; aut si quis ignem manu sumat, vt hostem lædat, interim non animaduertat, seipsum comburi. Ita ipsa malitia contra sui vsurpatores militat, eosque qui ipsam tenent, magis quam illos in quos noxam parat, consauciat: ita quo-*
Exod. 14. 28. *que Pharao volens capere, captus est, & exorsus persequi, persecutionem passus est, & necem moliens, sub-*
1. Reg. 17. 51. *mersus est. Ita & Goliath, quibus armis Dauidem inuadebat, detruncatus est, & spoliare destinans, spoliatus est.* Hactenus ex Athanasio: iis verò exemplis, quæ
Num. 23. 11. affert, illud etiam non abs re adnectas, quod Num. 23. 11. habetur, dum impio Rege Balac Pseudoprophetam Balaam, vt Dei populo malediceret aduocante, ille è contrario plenam, ac felicissimam impartitus est ei benedictionem, Principe vero reclamante. *Vt maledice res inimicis meis vocaui te, & tu è contrario benedicis eis.* Firmus ille in eadem sententia persistens respondebat, num. 20. *Ad benedicendum adductus sum, benedictionem prohibere non valeo.* Vbi obserua illud: *adductus sum*, quod Regi stomachum vehementer mouebat; cum ad maledicendum potius dato pretio illum accersiisset. At enim verò subsistit Balaam locutio: *Ad benedicendum adductus sum*: ac si diceret. Noli tergiuersari, tu ipse me adduxisti. Nam quod aduersus Dei seruos impij machinantur, ipsis est causa perditionis, iustis vero salutis: *& hoc à Deo.*

Iam verò vt Græcam vocem, ἐνδειξις, id est, *ostensio*, quam posuit Paulus, rursus premam, adiungo 8.
persimilem eiusdem sententiam, 2. ad Thessalonic. 2. ad Thess.
1. à vers. 4. *Ita vt nos ipsi in nobis gloriemur in Eccle-* 14.
siis Dei pro patientia vestra, & fide, & omnibus persecutionibus vestris, & tribulationibus, quas sustinetis in exemplum iusti iudicij Dei, pro quo & patimini: si tamen iustum est apud Deum retribuere tribulationem iis, qui vos tribulant; & vobis, qui tribulamini requiem nobiscum in reuelatione Domini Iesu de cœlo: vbi præter alia, quæ alibi obseruaui, nota illud, *in exemplum iusti iudicij Dei*, quòd sic explanat Ambros. Ambros.
ibi: *Ipsa enim pressura exempla sunt futurorum meritorum in iis, qui patiuntur ad gloriam, in illis autem, qui persequuntur, ad perditionem.* At quid est sanctorum tribulationes, *exempla futurorum meritorum*; siue, *in exemplum iusti iudicij Dei* esse? Equidē dum id ab interpretibus ambigitur, simulque horū verborum, *in exemplum iusti iudicij Dei*, cum his: *si tamen iustum est apud Deum retribuere tribulationem his, qui vos tribulant*: nexus desideratur, de quo vide commentatores, illa meum subibat animum cogitatio, vt vellet Paulus, Deum qui suapte natura mitissimus est, & ingenium ad salutes, non ad supplicia pronum habeat, quique, vt ita dixerim, puniendi artem non norit, dum in ea semper inuitus se exercet; ab ipsismet impiis seruos suos affligentes, ad eos plectendos, & diuexandos doceatur & instituatur. Cui cogitationi id fauet in Græca voce, ἐνδειγμα, pro qua noster posuit, *exemplum*, adnotare ibi interpretes, præter *ostensionem*, & *declarationem*, significare etiam, *documentum*, ac si dixerit Paulus. Nostis quid hostes vestri faciant? Deum quidem instituunt, atque exempla, & documēta ei reddunt, quomodo ipsos acerbissimè puniat, & quem ipsi maxime præsentiunt dolorem, reddat. Ita omnino apud Zachariam Dominus, cap. 2. 8. *Qui enim teti-* Zach. 2. 8.
gerit vos, tangit pupillam oculi mei: sed obserua LXX. LXX.
valde dissimiliter ibi transtulisse, pro *pupillam oculi mei*, reponentes, *pupillam oculi eius.* At quæ hæc diuersitas? aut qui cohæreat, vt impiorū oculi, idem, ac oculi Dei sint? Concilio in hunc modum, vt Vulgati lectio impiorum conatus, & mala, sanctis, *in exemplum iusti iudicij*, illata indicet: LXX. verò ostendant quomodo id documentum à Deo sumatur, & tribulationem iis, qui suos tribulant retribuat; siue redire faciat super eos totam: ac si à Deo dicatur, quia ipsi tangunt pupillam oculi mei, siue quod mihi gratissimum, & amantissimum est, ego ipsorum pupillas, hoc est, ea quæ ipsis in maximo pretio, & deliciis sunt, tangam, & lædam; ita ibi
Cyrillus Alexandrin. *Semper persecutoribus Ecclesiæ* Cyr. Alex.
conatus ipsorum in caput reciderunt, & tangunt suammet pupillam. Firmat id egregius Tertulliani locus, Tertull.
lib. 1. ad Scapulam, cap. 3. vbi cum dixisset: *Absit, vt indignè feramus, ea nos pati, quæ optamus, aut vltionem à vobis aliquam machinemur, quam à Deo expectamus; tamen doleamus necesse est, quod nulla ciuitas impunè latura sit sanguinis nostri effusionē*: subiicit opportune: *Siquidem sub Hilariano præside cum de areis sepulturarum nostrarum adclamassent: areæ non sint, areæ ipsorum non fuerunt. Messes enim suas non egerunt.* Ecce Deum ex impiorum exemplis addiscentem, pupillas ipsorum compungere. Nec pigebit addere appositum huic cogitationi exemplum ex vita Sanctissimi P. N. Ignatij petitum. Nam cum is in suo perfectionis tyrocinio Compluti Dei nomine peteret eleemosynam, nobilis quidam, & prædiues homo, cui sancti viri modestia non adeò placebat, graui cum stomacho, atque elata in multorum præsentia voce. *Malè ego incendio peream*, inquit, *nisi hic meretur incendium.* Quid? dedit ne ille

Deo

Deo documenta amburendi Ignatium, an ipsummet, qui incendium imprecabatur? Audi Historiam Societatis à Nicolao Orlandino conscriptam, lib. 1.
Nic. Orlād. num. 59. *Dictum factum. Nuncius eodem die perfertur, natum Carolo Quinto Cæsari filium. Cuius natalem dum tota Hispania, pro seque priuatim, ac publice Complutenses de more festis ignibus gratulantur, ille; quem dixi nobilis adium suarum turri conscensa, ibique illapsa forte scintilla in pyreum puluerem, quem ad illam celebritatem multum subuexerat, miserrimo incendio conflagrauit, conditionem fideliter implens, quam sibi tulerat, si mentiretur; eodemque se, & mentitum igne demonstrans, & temerarij mendacij pœnas exoluens.* Hæc ibi, quæ superius dicta mirificè confirmant, qua sanè de causa, vt aliæ non essent, dicebat Cyprianus, seruos Dei à tyrannis afflictos patientes reddi, dum de diuina protectione, & vindicta non possunt non esse securi. Vndè sic Demetrianum admonebat.
Cyprian. *Lædere seruos Dei, & Christi persecutionibus tuis desine, quos læsos vltio diuina defendit, inde est enim, quod nemo nostrum quando apprehenditur, reluctatur, nec se aduersus iniustam violentiam vestram, quamuis nimius, & copiosus noster sit populus, vlciscitur. Patientes facit de secutura vltione securitas, nocentibus innocentes cedunt, insontes pœnis, & cruciatibus acquiescunt, certi, & fidentes, quod inultum non remaneat, quodcumque perpetimur*: & post nonnulla. *Documentum recentis rei satis est, quod sic celeriter, quodque in tanta celeritate sic granditer nuper secuta defensio est, ruinis Regum, iacturis opum, dispendio militum, diminutione castrorum. Nec hoc casu accidisse aliquis existimet, aut fuisse fortuitum putet, cum iam pridem Scriptura diuina posuerit, & dixerit*: Mihi vindictam, ego retribuam, dicit Dominus. Hactenus Cyprian.
Ad Rom. 12.19.

9. Obiiciebat Christianæ Religioni, siue Deo legislatori hæreticus Marcion, quod in sumendis de sontibus pœnis debitos iustitiæ fines egrederetur,
Exod. 20.5. Tertull. cum parentum peccata in tertiam & quartam generationem visitaturum se ipse comminetur, Exod. 20. 5. Cui calumniæ dum sapientissimus Tertull. multis modis efficaciter satisfacit, lib. 2. cont. Marc. cap. 15. Illud tandem acutè adnotauit, cum puniendi modum non ad Christianæ Ecclesiæ filios, sed ad Iudaicum populum spectare, quod ipsum ab illo Dominus didicerit; cum præuidit in Christum succlamantem: *Sanguis eius super nos, & super libe-*
Mat. 27.25. *ros nostros*, Matth. 27. 25. Sic enim Tertull. *Quamquam si Euangelium veritatis accipias, ad quos pertineat sententia reddentis in filios patrum delicta cognosces: ad illos scilicet, qui hanc vltro sibi sententiam fuerant irrogaturi.* Sanguis illius super capita nostra, & filiorum nostrorum. *Hoc itaque omnis prouidentia Dei censuit, quod iam audierat.* Hæc ille. Ostendunt ergo homines Deo puniendi documenta.

10. Hinc quidem eo etiam sensu videri potest Paulus dixisse, *quæ illis est ostensio perditionis*, vt qui antea grauia in Deum peccata commiserant, sed ob benignam Dei dissimulationem, quasi absconditi, & operti ne punirentur, erant, cum primum iustis iniuriam intulerunt, inopertos, & patentes Dei oculis, & seueros eius iudicio se ipsos exhibuerint: ad
Osee 6.8. quam cogitationem facit pulcher locus apud Oseā, cap. 6. 8. *Galaad ciuitas operantium idolum supplantata sanguine.* Vbi cum constet, exprobrari à Deo illi ciuitati, quod idolum aliquod in veri Dei contemptum erexerit: meritò ambigitur, quid significent illa verba: *supplantata sanguine.* Et sanè quam-
Ribera. uis Ribera, tum supplendo ex Hebræo propositionem, *à*, tum nomine sanguinis intelligendo iniurias, & cædes ciuibus illatas, non omnino abs re id acceperit, ac si dicat Propheta, cito propter sanguinem in te effusum supplantaberis, & vsque ad terram deiicieris, sicut cadit ille, quem alter supplantat. Alia tamen proculdubio Prophetæ mens esse videtur, qui & hæc verba cum præcedentibus de industria connectit, & supplantationem, ac sanguinem in vnam metaphoram coire indicat. Ergo obserua verbum Hebræum, quod respondet Latino, *supplantare*, esse idem cum eo, quod Iob 37. 4. vbi noster reponit, *inuestigabitur*: habetur; quare pro- Iob 37. 4.
priissime accipies, supplantari, pro inuestigari, iuxta quam significationem optime subsistit, sibique cohæret metaphora, dum ciuitas illa sanguine supplantata, hoc est, inuestigata dicitur, eo modo quo per sanguinem guttatim humi effusum inuestigari, inuenirique à iudice solent homicidæ; ipsæ nāque sanguinis guttæ à iudice animaduersæ, tum ad illum, vt vindicet exclamant, tum ipsum ad locum vbi homicida absconditus delitescit, solent manuducere. Ecce ergo tibi sensum Prophetæ, idololatriam illius vrbis cum proximorum cæde coniungentis, ea nimirum de causa, vt indicet, iniurias ciuibus illatas effecisse, vt Deus grauissimas offensiones ab idololatris acceptas, quas voluntaria obliuione obtriuisse videbatur, acerbo supplicio vindicaret: effusus siquidem suorum sanguis ad Deum clamans eum in vrbem idolorum cultricem, quasi manuduxit, vt ab ipsa pro idololatria pœnas exigeret, vbi apparet, quam patiens propriarum iniuriarum, quamque suorum amans Deus sit, qui idololatris tandiu conniuere videatur, quousque per sanguinem effusum, hoc est, propter iniurias suis illatas coactus est inquirere, & inuestigare, & tandem sontes propter vtrumque scelus supplicio afficere.

Huius vero explicationis egregiam nobis confirmationem Achabi offert historia: ille enim, qui 11.
à Deo in regnum euectus perfidè à beneficentissimo Domino aufugit, & idololatræ vxori commixtus, sceleratissimoque idolorum cultu pollutus diuinæ maiestatis læsæ flagitium perpetrauit, non prius à Domino vt perduellis increpatus, supplicioque affectus est, quam bono Naboth iniurius, ipsius sanguine supplantatus fuerit. Nam cum primum illum interfecit, sic ad eum sub Dei persona Elias, 3. Reg. 21. 19. *Occidisti, & possedisti, & post hæc ad-* 3. Reg. 21. 19.
des: hæc dicit Dominus, in loco hoc, in quo linxerunt canes sanguinem Naboth, lambent quoque sanguinem tuum: ecce ego inducam super te malum, & demetam posteriora tua, & interficiam de Achab mingentem ad parietem, & clausum, & vltimum in Israel, & dabo domū tuam, sicut domū Ieroboam, filij Nabat, & sicut domum Baasa, filij Abia, quia egisti vt me ad iracundiam prouocares, & peccare fecisti Israel: vbi lectio
Hebræa: *propter irritationem qua irritasti, & peccare fecisti Israel*: similiter LXX. *pro exacerbationibus quibus exacerbasti, & peccare fecisti Israel*: Quibus Lect. Heb. LXX.
verbis manifestus de idololatria, qua impius ille, & se, & populum infecerat, ac Deum exacerbauerat sermo est. Cur ergo modo ad puniendum flagitium flagitiosissimum, tot retro annis perpetratū, quodque obliuione iam videbatur deletum, Dominus accedit? Sanè, quia innocens Naboth sanguis ab Achab effusus, Deum non tantum ad illum vindicandum, sed ad flagitia in suam etiam personam commissa supplicio afficienda manuduxit, ideo non ipse solum Achab, quæ quidem pœna ob Naboth mortem ad æqualitatem erat, sed ipsius etiam filij, nec minus quidem quam septuaginta neci addicuntur. Vt verò videas ipsosmet homines se Deo iudici puniendos ostendere, siue cum de illis puniendis admonere, debitumque supplicij modum demonstrare.

demonstrare. Audi quid de filiorum Achab capiti-
4.Reg.10.7. bus obtruncatis dicat Scriptura, 4.Reg.10.7. *Tulerunt filios regis, & occiderunt septuaginta viros, & posuerunt capita eorum in cophinis, & miserunt ad eum in Iezrael.* Pende illud: *in cophinis:* Quid? erantne arborum fructus? aut vuarum botri? ita quidem, vt enim ad suas delicias vuarum botros è Naboth vinea contra ius, fasque Achab sibi deferebat, ita filiorum ipsius capita in cophinis supplicij causa deferri voluit Dominus, id sic acutè consideran-
Chrysost. te Chrysost. hom. de Adam, Sodomitis, & Achab, tom. 1. *Et vide quomodo retributio peccato par sit; filij inquit Achab,* (4. Reg. 10. 7.) *erant septuaginta viri, & occiderunt septuaginta, & posuerunt capita eorum in corbes, & miserunt in Iezrael. Profecto iustus es Domine, & rectum iudicium tuum: in Iezrael Naboth occisus est, & in eundem locum occidentis genus occisum missum est in sportis. Achab Nabutha peccauit botris aliquibus in corbes coniectis.* Hæc ille.

12. Firmant id etiam tot illæ, tamque diræ plagæ, quibus Pharaonem, & Ægyptum Dominus percussit: quò enim tanti supplicij grauitas erat, nisi ad immanem, atque infamem Regis, Regnique idololatriam puniendam? Adi Tertullian. lib. 2. cont. Mar-
Tertull. cionem, cap. 14. primum affirmantem fœdissimam superstitionem: *Decemplici castigatione percussam:* deinde dicentem, *Indurat cor Pharaonis, sed meruerat in exitium subministrari, qui iam negauerat Deum,* &c. *Qua Ægyptius olim Deo, reus fuerat gentilis idololatria, ibidem & crocodilum citius colens, quam Deum viuum.* At enim vero cum ad sumendum de ipso supplicium Dominus accessit, quâ ratione permotus venerit, sic ipse aperuit Exod. 3. 7. *Vidi af-*
Exod.3.7. *flictionem populo mei in Ægypto, & clamorem eius audiui propter duritiam eorum, qui præsunt operibus, & sciens dolorem eius descendi, vt liberem eum de manibus Ægyptiorum.* Vbi nihil de propriis iniuriis, nulla ipsarum mentio facta est. Quid ergò? alia ne de causa Dominus venit, & alia se aduenire simulat? Minimè, sed ad suorum iniurias vindicandas accedens, eas quæ sibi olim fuerant illatæ, quasi fortuito reperiens in earum auctorem sanguine supplantatum animaduertit. Nec est omnino prætereundum pœnas has Ægypto irrogatas, quas iure capitalia supplicia, & diras mortes direxis, peculia-
Exod.9.14. ri vocabulo plagas appellari, Exod. 9. 14. Vt videlicet plagis illis responderent, quibus præpositos filiorum Israel duri exactores Pharaonis mulctabant,
Tertull. dum *Scapulas suas scribæ eorum* (Tertull. lib. 2. cont. Marc. cap. 20.) *apud subsellia sua ostenderent, flagellorum contumeliosa atrocitate laceratas.* Vt videas à plagis, & verberibus Dei seruis ab impiis inflictis Deum admoneri, docerique ad verbera, & plagas iniquis persecutoribus inferendas.

13. Illud vero multò peculiarius, & quod lectori maiorem afferat admirationem, è pharetra etiam
Idem. eiusdem Tertull. depromitur: superbum Angelum ideo tam grandem Dei iram commeruisse, irreuocabileque sui flagitij supplicium subiisse, quod præter immane primum elationis facinus, hominem postea læsurus, & à iustitiæ tramite deturbaturus visus fuerit: non quod diuini ingenij sit, ob futura peccata anticipata pœna aliquem punire, sed quod illum, qui iam superbiæ reus erat, non prius debito supplicio affecerit, quam hominis damnum eius suasione incurrendum præuiderit. Quod quidem
Ezech.28.13. inuentum ex illis Ezech. verbis, cap. 28. 13. *Tu signaculum similitudinis plenus sapientia, & perfectus decore: in delicijs paradisi Dei fuisti,* &c. *Tu Cherub extentus, & protegens, & posui te in monte sancto Dei, in medio lapidum ignitorum ambulasti: perfectus in viis tuis, donec inuenta est iniquitas in te:* conatur Tertullian. elicere, dum pro extremis verbis: *donec inuenta est iniquitas in te:* Sic legit: *donec inuenta sunt læsura tua,* quæ suæ cogitationi sic accommodat: Tertull.
Ex quo enim, inquit, *apparuerunt læsura tua, illi eas reputans, quibus scilicet læsit hominem electum à Dei obsequio.* Sic ille. Cuius quidem mens, vt subsistat, nec ab iis dissentiat, quæ de lapsu Angeli ante hominis conditionem docent Patres, non dubium quin sit, vt proposui, capienda, vt expendenti constabit. Vbi obiter animaduerte, quam sit Deo antiquius hominem diligere, suoque præsidio tegere, cum præuisam ante eius conditionem ipsi inferendam iniuriam tanto supplicio ratione dicta vltus fuerit.

Sed & illud etiam ad hanc rem facit, quòd Chri- 14.
sto ad prandium à Simone inuitato, Lucæ 7. 37. Luc.7.37.
nec ab eo comiter, & pro dignitate tractato, dum vrbanitatis officia conuiuis exhiberi solita ipse Domino superbè denegauit: non enim pedes antequam ad mensam accumberet lauari ei præcepit; cum esset id apud Iudæos valde frequens; nec salutationis causa, quod æui illius consuetudo ferebat, osculum dedit; similiter nec sacrum ipsius caput inungi curauit, cum orientales in suis conuiuiis pretiosis vti vnguentis de more haberent: hos tamen omnes vrbanitatis defectus tandiu dissimulandos, silentioque premendos bonus Dominus duxit, quandiu Magdalena domum conuiuij ingressa à superbissimo Pharisæo impudicitiæ, ac pristinarum sordium notata fuit: etenim tunc, vt piam fœminam à tam importunis calumniis vindicaret, suas etiam iniurias, quas antea reticuerat, in medium proferre, atque singillatim ad hunc modum persequi voluit: *Intraui in domum tuam, aquam pedibus meis non dedisti,* &c. *Osculum mihi non dedisti: Oleo caput meum non vnxisti,* &c. Sed cur modo? Num hæc antea non fuerant à Domino animaduersa? Ita quidem, sed vt viderit, at pro ingenij lenitate dissimulauerat, omiserat, oblitus fuerat: verum cum in Magdalenam peccatum est, ab eius iniuriis manuductus, ad suas etiam vindicandas accessit. Quare nonnihil emphasis in hanc rem habere videtur, quod peculiariter à Luca adnotatum est, Dominum, quo illas querimonias Magdalenæ causa mouere se significaret, ad ipsam, dum cum Simone loqueretur, vultum conuertisse: *Conuersus ad mulierem dixit Simoni,* &c. Simile quid obserues in simili eiusdem mulieris facto, Matth. Matt.26.6.
26. 6. & Ioann. 12. 6. Cum nimirum in caput Ioan.12.6.
Christi pretiosum ipsa vnguentum effundente, præclarumque id facinus Iuda criminante, & obiurgante; non modo malignus proditoris animus detectus ab Euangelista est, sed ipsa simul eius rapacitas, & furta ad illud vsque tempus contecta; & quæ nisi hæc se obtulisset occasio, sempiterno forsan inuoluerentur silentio, omnibus patefacta, & in lucem prolata sunt: Sic enim Ioannes: *Hoc autem dixit, non quia de egenis pertinebat ad eum, sed quia fur erat: & loculos habens, ea quæ mittebantur, portabat:* vbi vides Iudæ in Christum, & eius res familiares delicta non antea obiurgata, & infamiæ supplicio affecta, quam ipse sanctæ illi mulieri infensus fuerit: tunc enim non id tantum in eam commissum crimen, sed illa etiam omnia, quorum antea reus extiterat, detecta, & vindicata fuerunt.

Vel Azqu. in Epist. ad Philippens.

VERSVS XXIX.

Quia vobis donatum est pro Christo non solum, vt in eum credatis, sed vt etiam pro illo patiamini.

COMMENTARIVS.

1. TRIBVLATIONVM, ac laborum, qui pro fide tolerantur, pretium, ac donum rursus Paulus commemorat; ac si diceret, vt inquit Anselmus: *Vobis donatum est quasi premium pro Christo, quem diligitis, non solum, vt in eum credatis, sed etiam, vt pro illo patiamini ad cumulum gloriæ*: Sub quo verò sensu capiendum sit illud, *pro Christo*, Græcè, ὑπὲρ χριστοῦ: non satis liquet. Plures nec malæ notæ auctores ad verbum, *patiamini*, per hyperbaton sic referunt, vt reliquis parenthesi conclusis hæc sententia subsit: vobis donatum est pro Christo pati, & non solum vt in eum credatis: siue explicatius; siquidem à Deo vobis donatum est, non solum, vt credatis in Christum, verum etiam, vt pro Christo patiamini. Quo quidem modo visus est explicare Ambros. his verbis. *Quamquam Dei gratiam extollat in omnibus, ad laudem tamen illorum proficit, quod dicit, quia Deus illis concessit pati pro Christo. Ideo dicit*: pro Christo donatum est vobis: *vt à Patre Deo donatum sit diligentibus Christum, vt ad augmentum meritorum suorum patiantur pro Christo.* Si obiicias id, *in illo*. quod in hac expositione redundat, dicunt esse pleonasmum, more Hebræo, vt Psal. 104. 26. *Aaron quem elegit ipsum*: & Psal. 67. 17. *Mons in quo beneplacitum est Deo habitare in eo*: Marci 1. 7. *Venit fortior post me, cuius non sum dignus procumbens soluere corrigiam calceamentorum eius.*

Anselm. — Ps. 104. 26. — Psal. 67. 17. — Marc. 1. 7.

2. Hæc nisi magis exprimantur, siue emunguntur, negari non potest probabiliter dici, quamuis nonnihil obstrepat, tot hyperbata, & pleonasmos obtrudere: Addunt vero Adamus & alij id, quod vt ego alia facile deuorem, non ita stomacho meo facere potest, vt concoquam, nempe hinc à Paulo subinferri; fidem, & cæteras dispositiones ad gratiam non donari nobis ex meritis Christi, sed ex gratia Dei, qua homines ad fidem trahantur Christi merita præueniente. Quæ quidem opinio, præterquā quod huic loco valde est importuna. Quid enim generalis Pauli locutio de dono fidei, ac tribulationum à Deo fidelibus datarum huic inuento iuuerit? Pluribus Scripturæ locutionibus, & apertissimis Patrum testimoniis repugnare videtur: certè Christus humano generi, & ostium, & fons, & radix, & sol iustitiæ esse dicitur, Ioan. 10. 7. Zach. 13. 1. Apocal. 22. 16. Malach. 4. 2. vt vero ab ostio introitus, à fonte aqua, à radice succus, & vita, à sole vero omnimoda lux dimanat; ita ante ostium ingrediendi facultas vndique intercluditur, sine fonte, sole aut radice nulla aquæ lucis, aut vitalis succi spes superest; de quo vide Iustinian. erudite, vt assolet, differentem.

Adam. — Ioan 10. 7. — Zach. 13. 1. — Apo. 21. 16. — Malac. 4. 2.

3. Ergo nihil est necesse hyperbata, & pleonasmos in his verbis agnoscere; sed ex plurium expositorum consensu, nec renuente Græca præpositione, de Christi meritis, ob quæ, & fidei, & tribulationum donum fidelibus obueniat, accipere: ita singillatim Anselm. inquiens; *pro Christo, idest, pro merito Christi, qui vsque ad mortem crucis obediuit.* Aug. vero lib. de prædest. sanct. c. 2. cum aduersus Pelagium, sic attulisset hunc Pauli locum. *Quisquis igitur hanc damnabilem vult ex omni parte vitare sententiam, veraciter intelligat dictum, quod Apostolus ait.* Vobis donatum est pro Christo non solum, vt in eum credatis, verum etiam, vt patiamini pro eo. *Vtrumque enim ostendit Dei donum, quia vtrumque dixit esse donatum.* Subiicit post nonnulla de eodem Paulo. *Donatum quippe illi erat à Christo, non solum vt crederet in eum, verum etiam, vt pateretur pro eo.* Dixi Græcam præpositionem, ὑπὲρ, hunc sensum non respuere; quod commodissimè verti possit, *in gratiam*, aut, *causa Christi*: siue, *propter Christum*: imò etiam, & *per Christum*, quod tantopere displicuit Estio. Vt pluribus ex Herodiano, Homero, & Nazian. exemplis adductis confirmat Henricus Steph. in Thesauro: adi illum.

Anselm. — August. — Estius. — Henr. Step.

In eum.

SANQVAM in finem vltimum relati, & consecrati. Colligitur verò phrasi credendi in Christum, significari etiam dilectionem, & reliquas actiones supernaturales, quæ sunt sine passione affligente, quibus opponit passiones, dum subdit: *Sed vt etiam pro illo patiamini.*

VERSVS XXX.

Idem certamen habentes, quale & vidistis in me, & nunc audistis de me.

COMMENTARIVS.

Vidistis.

NAM vt testatur Lucas, Actuum 16. 23. Philippis seditione in Paulum, & Syllam commota virgis cæsi, & in carcerem missi sunt. Act. 16. 23.

Audistis.

LOQVITVR de vinculis, aliisque laboribus, quos Romæ patiebatur.

De me.

GRÆCE, ἐν ἐμοὶ, Erasmus. *in me*: supple exerceri. Idem est sensus: solum notandum, ἐν, interdum accipi pro, εἰς, idest, *in*, habente accusatiuum. Et vicissim εἰς, pro, ἐν: vtrumque variis ethnicorum exemplis ipse non Christianus Henricus Stephanus confirmat; vide si voles, atque ea etiam, quæ diximus præfato vers. 7. in expositione illorum verborum, *socios gaudij mei omnes vos esse.*

Erasm. — Stephan.

ADNOTATIO I.

Augustissimum, ac pene diuinum esse, tribulationes pro Christo pati.

NON modo ostendunt Pauli verba tribulationes, ac vincula pro Christo tolerata donum Dei, ipsiusmet Christi meritis comparatum esse, sed id donum, quo nihil maius, ac illustrius valeat excogitari, & (si ita loqui fas sit) quod nescio quid diuinitatis habere videatur: nam si attendis, emphaticè hoc donandi verbo vsus est hic Apostolus; quo externam diuinitatis gloriam, diuinique nominis claritatem ob Passionem & mortem Christi donatam à summo Patre fuisse, affirmauit cap. 2. vers. 9. *donauit illi nomen, quod est super omne nomen.* Ne vero plus in verbis, quam rebus hærere videamur, obserua in hanc rem, adeò esse excellens eorum, qui pro fide patiuntur fastigium, vt in eorum societatem, & numerum se Dei Filius adiungat. Nonne ita à Daniele 3. 92. assertum? 1.

rum? sub Regis persona dicente: *Ecce ego video quatuor viros solutos, & ambulantes in medio ignis, & species quarti similis Filio Dei*: Ita sane: Equidem tribulationum, & laborum tanta dignitas, tātus honor est, vt vel hominem (si fas est dicere) quasi Deo supparem, siue Dei collegam; vel Deum, quo tanto splendore fulgeat, hominē faciat, ita notante Chrysost. ser. de tribus pueris tom. 1. *O quibus te incorrupta fides triumphis extendis. Adest tibi amica maiestas vt innocentia liberetur. Patitur se Deus cum pueris in supplicio numerari.* Pende phrasim, *numerari*, perinde enim est, ac si dicatur Deum cum tribus illis numerum facere, seu quaternarium complere. Quod quidem non nisi de iis, quæ eiusdem rationis sunt, siue quæ quandam seruant æqualitatis proportionem dici solet. Firmat verò hanc obseruationem Methodius M. apud Theod. dialog 1. dilucide affirmans, ea inter alias de causa Dei Filium hominem factum, vt martyrij corona insignitus splendidissime refulgeret. Sic enim ille. *Adeò enim admirabile, & tanto studio expetendum est martyrium, quod ipse Dominus Iesus Christus Filius Dei, se id honorare testatus sit, non rapinam arbitratus se esse æqualem Deo, vt etiam hoc dono hominem ad quem descendit, coronaret.* En Deum cum pueris non tam in supplicio, quā in corona, & decore, martyrij causa numeratū.

Chrysost.

S. Meth.

2. Ita quidem dicebat Paulus ad Hebræos 2. 9. *Videmus Iesum propter passionem mortis, gloria, & honore coronatum*: subdens, *Decebat enim eum, propter quem omnia, & per quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat, auctorem salutis eorum per passionem consummare.* Quæ de externa gloria Dei Filio ex crucis dignitate adquisita esse accipienda, supra vidimus vers. 7. adnot. 2. num. 7. & inferiùs inculcabimus c. 2. vers. 9. adn. 4. Modo illud placet adiūgere Græcum verbum, τελειῶσαι, quod passiua significatione ab Athan. lib. de Incarn. Verbi, & alibi sic vertitur, *passionibus consummari*, à Naz. orat. de Machab. & aliis bonæ notæ scriptoribus sumi pro *consecrari*. Ex quibus is resultat sensus, Christum crucem, ac mortem dono Patris accepisse, vt inde Deus (in hominum existimatione) haberetur. Sane verbum, *consecro*, diuinitatem tribuere significat: sub quo sensu dixit M. Tull. lib. 1. de natur. deor. *Belluam nullam nisi ob aliquam vtilitatem, quam ex ea caperent, consecrasse*: hoc est, in deorum numerum retulisse: *irridentur Ægyptij*. Vnde quidem martyrij, & laborum eximium donū dignoscitur; sic enim de martyribus inquit Cypr. ep. 81. *Iterum vbi loquitur scriptura diuina de tormentis, quæ martyres Dei consecrant.* Quid? deos ne, aut diuinos faciunt? Audi Naz. orat. 25. de fidelibus ab hæreticis diuexatis, & afflictis; eaque ratione ipsos quantumuis florentes infinito interuallo superantibus. *Hi domos habent, nos hospitem: hi templa, nos Deum: idque præterea, quod viua viuentis Dei templa sumus, victimæ viuæ, holocausta ratione prædita, sacrificia perfecta, dij demque Trinitatis adoratæ beneficio.* Ergo tribulationes, ac tormenta martyres Dei consecrant, & quidquid in illis humanum erat abradentes diuinos quodammodo efficiunt. Ita de B. Laurentio serm. 3. dicebat Aug. *Tali incendio beata consecrata sunt viscera, non condēnata.* Quo facit illustrissimi Theodoti martyris sensus, apud Greg. Naz grauiter ferentis, aliquas solum corporis sui partes, non omnes, nec totum se se pro Christo cruciari: *Carnifices etiam ipsos accusaret* (inquit Greg.) *vt contumeliosos, nec totum corpus decorantes, sed aliquid confessum, profanumque relinquentes, eosque ne huic parcerent, hortaretur.* Sed & ipse Gentilis Seneca lib. de Prouidentia, cap. 2. hanc etiam sententiam, & phrasim, sic vsurpat. *Mors illos*

Ad Heb. 2. 9.

Athanas. Nazianz.

M. Tull.

Cyprian.

Nazianz.

D. Aug.

Greg. Naz.

Senec.

consecrat, quorum exitum & qui timent, laudant.

Redeo ad Dei Filium. Sanè non abs re eum quis dum ad hæc ima descendit compoluerit, cum homine illo negotiatore quærente bonas margaritas, *qui inuenta vna pretiosa abijt, & vendidit omnia, quæ habuit, & emit eam*, Matth. 13. 46. siue vt emphaticè legitur in Syriaco: *Cum inuenisset margaritam vnam pretiosissimi pretij, abijt, vendidit quæcumque habebat, ac sibi comparauit eam.* Quæ enim alia pretiosissimi pretij margarita Christo fuerit, quā ignominiarum, dolorum, crucis, mortisque perpessio, pro qua ipse cœlestia bona profundere non dubitauerit, vt hac margarita regiū diadema condecoraret. Ita omnino Magnus Leo, ser. 3. de Pass. c. 4. *Venerat enim in hunc mūdum diues, atque misericors negotiator cœli, & commutatione mirabili inierat commercium salutare, nostra accipiens, & sua tribuens; pro contumelijs honorem, pro doloribus salutem, pro morte dans vitam*: Vides hominem, imò Deum negotiatorem? *negotiator cœli*; qui de laboribus, ac ignominiis tam altè sensērit, vt sua pro iis tribuerit, & pro morte vitam, eamque vitam, quæ vere vitalis esset, dederit. Sed quare? Audi Bern. ser. 2. de Ascens. *Cum per naturam diuinitatis non haberet, quò cresceret, vel ascenderet, quia vltra Deum nihil est; per descensum quomodo cresceret, inuenit.* Ac si diceret, vt negotiator cœli, pretiosissimi pretij margaritam sibi compararet. Similiter Hilar. can. 4. in Matt. *Ipsa virtutum cœlestium Domino ad incrementum gloriæ, & maxillas palmis, & flagris scapulas offerente.* Opportunè, *ad incrementum gloriæ*: quasi hinc nostro captu siue in hominum existimatione is, qui summe excelsus est, *cresceret*; nouamque gloriam pristinæ adiungeret.

3.

Matt 13. 46.

S. Leo.

D. Bern.

Hilar.

Vidisti Deum hominem factum? Vt bonus negotiator euadens pretiosam laborū margaritam sibi compararet? Vide iam hominem Dei vestigia prementem, hac etiam pretiosa margarita non fraudatum. Equidem cum Greg. Naz. præfata orat. 25. cum de Ecclesiæ hostibus ferocientibus, exultantibus, ac triumphum agentibus; simulque de fidelibus afflictis, ac contumeliis affectis verba faceret; sic vtrorumque bona ad calculos reducebat. *Hi populos habent, nos Angelos; hi temeritatem, & audaciā, nos fidem; hi minas, nos orationes: hi quod percutiunt, nos quod ferimus: hi aurum, & argentum, nos repurgatam doctrinam.* pro omnibus quidē bonis, bonus Theologus, vt bonus negotiator, qui *inuenta vna pretiosa margarita vendit omnia, quæ habet, & emit eam* laborum, & iniuriatū tolerantiam computans. Sed quid sibi voluit, cum dixit: *hi populos habent, nos Angelos*? Id quidem, quod vt illi præ Fortunæ suæ flore rerum omnium potirentur; ac populos sibi subditos facerent; ita qui pro fide, ac Christo labores perferrent, quasi hinc diuini quodammodo effecti, Angelos, vt famulos sibi ministrantes haberent. Quò facit speciosus Tertull. locus, lib. de cultu fœm. cap. 13. vbi, cum ferrum martyriis destinatum auro ornamentorum sic prætulisset: *Cæterum tēpora (christianorum semper, & nunc, vel maxime non auro sed ferro transiguntur*: subiicit; *stolæ martyriorum præparantur, Angelis baiulis sustinentur.* Ecce Angelos martyribus inseruientes, famulantes, atque eorum ministeriis addictos, atque mancipatos. Sed hæc non nihil adhuc premere, siue expendere ad incrementum gloriæ eorum, quibus donatum est pro Christo pati operæ pretium est.

4.

Greg. Naz.

Tertull.

Cum ad vnum Christi verbum verus ille Israelita Nathanael eum Dei Filium confessus fuisset, vt maiora ipse diuinitatis suæ signa ab illo in posterum vid. nda promitteret, inquit: *Maius his videbis. Amen, amen dico vobis, videbitis cœlum apertum, &* 5.

Angelos Dei ascendentes, & descendentes supra filium
Ioan. 1. 51. *hominis*, Ioann. 1. 51. Quo in loco dum merito à Patribus ambigitur, quando id fuerit impletum, bene
Chrysost. Theophyl. Euthym. D. Thom. Chrysost. Theophyl. Euth. S. Thomas, & alij ad Passionis, & Resurrectionis tempus referunt, quod Christo in horto Gethsemani preces ad Patrem fundenti apparuerit *Angelus confortans eum*, Lucæ
Luc. 22. 43. 22. 43. Et post resurrectionem duo Angeli visi in
Luc. 24. 4. sepulchro fuerint, qui sacram Anastasim discipulis, ac mulieribus testarentur, Lucæ 24. 4. Quam quidem sententiam eo libentius amplector, quod iuxta illam impeditus ille nodus Angelorum ascendentium, & descendentium supra filium hominis, qui male interpretes torquet, quod Angelorum infra Christum descensum agnoscant, ascensum non ferant, commode dissoluatur. Equidem vt Angeli ascendentes, & descendentes idem sint, ac Christo vt Domino ministrantes, emphasim habet phrasis ascendentium, præsertim si ad Angelum Passionis tempore Christum confortantem cum Patribus referas, ea enim ratione officium illud Christo debuit Angelus persoluere, quod ipse qua homo paulò
Ad Heb. 2. 7. minus ab Angelis minoratus fuisset, ad Heb. 2. 7. Ea enim magnitudinis lex est, vt quo quis alio vel scrupulari differentia maior fuerit, eò illi in laboribus opem, atque leuamen ferre debeat (quod c. 2.
Ad Rom. 15. 1. vers. 21. adnot. 2 ex verbis Pauli ad Rom. 15. 1. latius diffundimus.) En ergo Angelos non solum descendentes, sed etiam ascendentes, siue quodammodo, vt superiores Christo ministrantes. Iam hæc quorsum inquies: Sanè, vt aperiam; tanto in honore apud Deum eos esse, qui labores, & tribulationes pro Christo perpetiuntur, vt non secus, ac ipse de suis dixit: maiora illos quam ipsemet si opus fuerit miracula effecturos; maiorem etiam quodammodo, ac sibi honorem contulerit, dum Angelos non ascendentes, & descendentes supra illos, sed descendentes solummodo, & ingenti summissione ipsis ministrantes esse voluerit cum *stola martyriorum preparantur: Angelis baiulis sustinentur.* Quod si proprietatem vocis, *baiulus*, exprimas, quæ inferioris
Plaut. ministerij famulū significat, vti sic expressit Plaut. in Asinaria. *Ego baiulabo, tu, vt decet dominum, ante me ito inanis*: Illud subinde inferas, tam esse excelsum, atque sublime pro Christo pati, vt ipsimet superni spiritus, baiuli quodammodo, & inferioris notæ ministri præ martyribus haberi: siue illis in quibusuis mysteriis, quamuis infimis, & abiectis ministrare, & inseruire gestiant, & gaudeant. Tantæ molis, & gloriæ est, persecutionem, & tormenta pro Christo perpeti.

6. Hinc videas, non antea excelsum, vereque regiū sponsæ Christi nomen animam sortiri, quam tribulationes, & afflictiones eius causa tolerauerit; sic
Cant. 8. 8. namque Cant. 8. 8. de sororcula nondum matrimonio matura, inquit sponsa: *Soror nostra parua, & vbera non habet: quid faciemus sorori nostræ in die qua alloquenda est?* hoc est, cum à Nerone, & aliis tyrannis (vt ex Ruperto vidimus vers. 12. adno. vnica, n. 1.) primum persecutionum impetū sustineat, pro quo facit lectio Rabb. Salomonis: *In die quo gentes consilia agitabunt de ea dolenda.* Sed simul obserua eadem allocutionis phrasi sponsalium tempus, quo dum de puella viro collocanda agitur, in eius ætatem, mores, dotem inquiritur, denotari; vbi vides eundem esse tribulationibus perferendis; ac sponsalibus cum Christo contrahendis destinatū diem, siue idem esse labores pro eo perpeti, ac ipsi matri-
Nazianz. monio iungi. Vndè Naz. orat. 28. de anima Deo dedita, sic inquit. *Calumnijs premetur, orabit: percutietur in dexteram maxillam, prabebit & alteram, tertiam etiā si haberet obiecturus, quò magis ad lenitatem persecutorem erudiat, opere docens, quod sermone non potest: probris impetetur; & Christus quoque; afflictionis societate ornabitur.* Pende hæc extrema, quibus animam probris affectam Christi sociam, & sponsam adstruit, ac proinde eius ornamentorum, & gloriæ communione gaudentem. Optimè sanè hæc nouerat præclara virgo, & martyr Secunda, quæ (vt eius Acta testantur) cum sororem Ruffinam iudicis iussu flagellis cædi videret, sacra in ipsum indignatione commota, sic eum affata est. *Quid est quod sororem meam honore, me afficis ignominia? iube ambas simul cædi, quæ simul Christum Deum confitemur.* Pulchrè: perinde enim fuit, ac si diceret: cur sororem meam, vt Christi sponsam, me vt paruulam tractas? illi regios honores defers, me vt famulam siue ancillam parui facis? Adsimili verò oratione egregiū septem Machabæorum iuuenum primogenitū Regem alloquenté, sic facit Naz. orat. de Machabæis: Idem.
Primogenitus ego sum, primum me cōsecra, ignis maior accendatur; acriores bestiæ magisque actuosa producātur; exquisitiora tormenta proferantur; sint omnia regia, & magnifica: Ac si diceret, serua mihi primogenituræ ius, illius enim merito ad sublimiores honoris gradus, ad acriores videlicet tormentorum pugnas, & difficiliora certamina euchendus sum: aliter inique mecum egeris.

Non leue quidem illud censetur dubium, cur 7.
Christus Dominus, qui discipulos sic monuit. *Qui te percusserit in maxillam, præbe ei & alteram*, Luc. 6. 29. Luc 6. 29.
Matth. 5. 44. Cum postea passionis tempore ab im- Mat. 5. 44.
pio satellite colaphus illi fuerit impactus, alteram maxillam obuertisse non dicatur? Et vero, cum benè à Patribus, & interpretibus respondeatur, minime fuisse expediens, carnifici maxillam alteram offerre, imò nec alapam, quam pertulit Dominus, etsi iniuriarum patientissimus, silentio præterire, ne videretur agnoscere, se, vt criminabatur, indecenter respondisse Pontifici, illud non nemo malit dicere, voluisse Christum maiorem hanc suæ sponsæ deferre gloriam, vt ipsa Euangelico consilio docta, vtramque maxillam percutienti libenter præbens ornatior, & gloriosior quodammodo videretur; est enim hic viris mos, vt ab vxoribus pulchritudine, & ornamentis excelli, non modo patiantur, sed etiam gaudeant, atque procurent: atque ideo Dominū, qui vt dicebat Hilarius, *ad incrementum gloriæ*, maxillam Hilar.
alapæ dedit, pulchritudinis spōsæ suæ percupidum illam alapa in vtraque inflicta maxilla magis ornatam, ac florentem ad maius quodammodo incrementum gloriæ esse voluisse. Vndè ipsa dicebat,
Cāt. 1. 4. *Nigra sum, sed formosa.* Quare nigra? Quia Cant. 1. 4.
facies alapis liuida, & obscurata erat. At enim verò:
Est nigredo persecutionis. (Bernard. ser. 28. in Cant.) Bernard.
quæ pro summo ornamento habetur. Ita ibi; sermone verò 26. nigredinis huius pulchritudinem luculentius premens, & Paulo aptans, hæc subiicit. *Porrò* Idem.
hunc in eo sapientiæ iustitiæque candorem, nigredo illa exterior de præsentia corporis infirma, de laboribus plurimis, de ieiuniis, ac vigilijs multis, aut operabatur, aut promerebatur: Ideoque, & quod nigrum est Pauli, speciosum est omni ornatu extrinseco, omni etiam regio cultu: Non comparabitur ei quantalibet pulchritudo carnis, non cutis vtique nitida, & arsura, non facies colorata vicina putredini, non vestis pretiosa obnoxia vetustati; non auri species, splendorve gemmarum, seu quæque talia, quæ omnia sunt ad corruptionem. Hactenus Bernard. Vis videre ornamenti huius decus, & claritatem? Audi Dionys. de Dionys.
diuinis nominib. cap. 8. affirmantem iustos ex tribulationum decore, ac pulchritudine Angelis suppares.

suppares quodammodo reddi. Sic enim ille. *An verò non tunc magis Angelicis appropinquant viri sancti virtutibus, dum pressuras, casusque varios honestâ gratia tolerant.* Sic ille. Supra hominem iure reputans virtutis amore dura tolerantem, vtpote qui refugientis naturæ, à duris auersæ, ad blanda pronæ propensionem victrici pede calcans euehitur in sublime, Angelicaque virtutis puritate spiritibus angelicis sociatur.

6. Nissen. Hinc scitè composuit Nyssenus hom. 12. in Cant. sponsam pro Christo vulneratam, & afflictam cum petra illa spirituali, & mystica, de qua Paulus 1. ad Corinth. 10. 4. *Petra autem erat Christus*: quasi ad hanc sublimitatem per laborum tolerantiam fuerit euecta. Audi, *virgam verberantem sponte sua recipit, mutatur saxum illud: de quo Vates ait, Psalm. 77. 20. percussit saxum, & fluxerunt aquæ. Viden? quantam ad sublimitatem sponsa peruenerit; eam nimirum ob causam percussa, velut à Mose rupes illa feriebatur, vt ad similitudinem illius, & ipsa verbum Dei de vulnere, imbris instar effusum pro sitientibus aquis, quasi quandam scaturiginem emittat.* Quod si ea Gregorij verba premas: *& ipsa verbum Dei de vulnere emittat*: Sponsam primum cũ beatissima Deipara Christum parturiente (quo quid illustrius?) componas: deinde denuo adhærens iis Petri verbis vers. 7. adnotat. 2. num. 2. & aliis in hanc rem expensis. *Quod est honoris, gloriæ, & virtutis Dei, & qui est, eius spiritus super vos requiescit*, de ipsa diuinitatem, certo quodam modo æmulari, & (ni diuinitas omnibus vndique numeris infinite absoluta existeret,) quod in diuinitate sublimius, & excelsius mens nostra confingeret, non omnino abs re dixeris. Quid enim in Deo animus noster adeò reueretur, & attollit, quam verbum gignere quod eius naturam exprimat, candorque lucis æternæ, diuinæque substantiæ imago sit? Quid verò de sponsa pro Dei honore vulnerata, inquit Gregorius? *& ipsa verbum Dei de vulnere emittat*: hoc est, Dei sapientiam, & fortitudinem imitetur.

1. Ad Cor. 10.4.

Ps. 77. 20.

7. Ad Rom. 9. 22. Cum ad Roman. 9. 22. dixerit de Deo Apostolus: *Sustinuit in multa patientia vasa iræ apta in interitum: vt ostenderet diuitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ.* Meritò ambigitur, quonam modo, Dei erga malos patientia ad electorum gloriam pertineat? Num quia dum Deus malos tolerat, quàm sit electorum amans, ostendit? differt enim ab improbis debitas sæpius pœnas Deus exposcere, ne dum iusti peccatoribus sunt permixti, aliquid propter ipsos detrimenti patiantur: sic Deo dicebat Abraham, Genesis 18. 25. *Absit à te, vt rem hanc facias, & occidas iustum cum impio, fiatque iustus, sicut impius, non est hoc tuum*, & huic sententiæ subscribens ipsemet paterfamilias seruos suos admonebat, Matth. 13. 29. *Ne forte colligentes zizania eradicetis simul & triticum.* Vel ideo Deum malos sustinere dixeris, vt iustis, quam misericors ipse sit melius innotescat, proprium namque iustorum est, bene perpendere patientiam, & misericordiam Dei. Aut eam forsan rationem afferes, quod ex malis bonos filios, atque nepotes videat Deus orituros, in quos ipse suæ bonitatis diuitias effundere, vt perfectissimam vitæ rationem teneant, statuerit ad eum modum, quo de terrenis bonis dicebat gentilis Senec. lib. 4. de benef. cap. 32. *Deos videre est, vt alios indulgentius tractent propter parentes auosque, alios propter futuram nepotum pronepotumque, ac longè sequentium posterorum indolem. Nota est enim illis operis sui series. Omnium illis rerum per manus suas iturarum scientia in aperto semper est: nobis ex abdito subit.*

Gen. 18. 25.

Matt. 13. 29.

Senec.

Velazqu. in Epist. ad Philippens.

Et quæ repentina putamus, illis prouisa veniunt, ac familiaria. Sint hi reges, quia maiores eorum non fuerunt, quia pro summo imperio habuerunt iustitiam, abstinentiam, quia non Rempub. sibi, sed se Reipub. dicauerũt. Regnent hi, quia vir bonus quidam proauus eorum fuit. Vel tandem, ea de causa improbos à Deo sustineri credideris, quod illos ad pœnitentiam expectet, velitque in eos, qui se ad bonam frugem receperint, benignitatis suæ opes profundere. Bene quidem hæc omnia dicuntur, sed mihi ea multæ huius patientiæ diuinæ propter electorum gloriam potissima, & Pauli contextui congruentior se offert ratio, quod sicut ex duritia, ac sæuitia Pharaonis, de qua Paulo sermo inciderat, effectum est vt Israeliticus populus ex Ægypto gloriosior euaderet, sic tyranni, & persecutores Ecclesiæ, dum in ipsam ferociter sæuientes per patientiam à Deo sustinentur, illustrissimas victoriæ palmas atque coronas electis contexunt, & imponunt: nam, *malus* (teste August. in Psalm. 63.) *aut ideo viuit, vt corrigatur, aut vt bonus per eum exerceatur*: sic dicebat Ambros. lib. 4. in Lucam: *Tolle martyrum certamina, tulisti coronas: tolle cruciatus, tulisti beatitudines. Nonne tentatio Ioseph virtutis est consecratio? Nonne iniuria carceris corona est castitatis?* Iam iuxta hanc explicandi rationem pende epitheton à Paulo tribulationibus redditum: dum ait, *diuitias gloriæ suæ*, ac si ipsamet Dei gloriâ, quæ vndique eadem, sibique æqualis est, aliquid gloriosius, & illustrius liceat confingere, quod laborum patientiæ conueniat. Sed de hoc signatè præfata adnotat. 2. vers. 7. August. Ambros.

Iam inquiris: quid cum tanta gloria, & ornamento, tribulationes, & labores habeant commune? adeo ne est honorificum verbera, & contumelias, quibus vilissimos seruos, & infames homines obnoxios sæpius videmus perferre? Respondet Chrys. orat. 1. cont. Iudæos: *Ob id martyres amamus, nõ quod crucientur, sed quod non ob malefacta puniantur, prædonibus raduntur latera, & monumentorum perfossoribus, maleficisque; idem patiuntur & martyres. facta quidem sunt eadem, cæterum causa cur hæc fiant, non est eadem.* Similiter August. epist. 61. *Quid laudas pœnam, & non ostendis causam? Beati, ait Dominus, qui persecutionem patiuntur, adde propter iustitiam, & separasti latrones, separasti maleficos, separasti adulteros, separasti impios, separasti hæreticos. Tales persecutionem patiuntur, sed non propter iustitiam.* Hæc ibi August. & epist. 48. *Occiderunt impij Prophetas; occiderunt impios & Prophetæ. Flagellauerunt Iudæi Christum, Iudæos flagellauit & Christus. Traditi sunt Apostoli ab hominibus potestati humanæ, tradiderunt & Apostoli homines potestati Sathanæ. In his omnibus, quid attenditur, nisi quis eorum pro veritate, quis pro iniquitate?* Et epist. 50. *Nam & Agar persecutionem passa est à Sara, & illa sancta erat, quæ faciebat; & illa iniqua, quæ patiebatur. Numquid & huic persecutioni, quam passa est Agar, comparandus est sanctus Dauid, quem persecutus est iniquus Saul? Valde vtique distat, non quia patiebatur, sed quia propter iustitiam patiebatur. Et ipse Dominus cum latronibus crucifixus est, sed quos passio iungebat, causa separabat.* Ergo non ij beati, quibus præscriptum, sed quibus donatum est, vt non pro delictis suis, aut pro honoribus suis, vt diaboli martyribus euenit, sed pro Christo tribulationem patiantur: illis enim in supplicium, his in præmium, atque coronam illis, vt eorum impietas traducatur, his vt ipsorum fortitudo, magnanimitas, constantia, virtusque innotescat, atque illustrior fiat, labores, ac pœnæ inferuntur: Ita dicebat Anselmus hic: 8. Chrysost. Augustin. Anselm.

Vobis donatum est, quasi præmium pro Christo, quem diligitis, non solum vt in eum credatis, sed etiam vt pro illo patiamini, ad cumulum gloriæ: Et Ambros. *Ad*
Ambros. *laudem illorum proficit, quod dicit, quia Deus illis concessit pati pro Christo. Non enim concedit, & donat, nisi amatoribus Christi, vt ad augmentum meritorum*
Senec. *suorum patiantur pro Christo*: Ita quidem Senec. lib. de Prouident. cap. 4. hanc interrogationem. *Quare Deus optimum quemque, aut mala valetudine, aut aliis incommodis afficit?* cum hac scite componit. *Quare in castris quoque periculosa fortissimis imperantur? Dux lectissimos mittit, qui nocturnis hostes aggrediantur insidiis, aut explorent iter, aut præsidium loco deiiciant. Nemo eorum qui exeunt, dicit.* Malè de me Imperator meruit: *sed*, bene iudicauit. *Idem dicant quicumque iubentur pati, timidis ignauisque flebilia. Digni visi sumus Deo, in quibus experiretur quantum humana natura possit pati.*

9. Fuit in causa, quod Psalm. 118. 143. diceret Da-
Ps. 118. 143. uid: *Tribulatio, & angustia inuenerunt me*: non secus quidem, ac si ab illis diu quæsitus, & vestigatus opportunè tandem inuentus fuisset. Eam enim vim verbo, *inuenio*, esse alibi monuimus. Quare ea pun-
D. Ambr. ctus Ambr. ad id loci sic ad rem nostram loquitur: *Tribulationes, & necessitates iustum, interdum inueniunt, & interdum non inueniunt eum; inueniuntur, cui corona debetur, non inuenitur qui idoneus certamini non probatur*: ac si sub eorum persona, quibus do-
Senec. natum est pro Christo pati, diceret cum Seneca: *Digni visi sumus Deo, in quibus experiretur quantum humana natura possit pati.* Quibus accinunt, quæ eodem libro idē ethnicus de eo, qui aduersa nunquam pertulit, dixit: *Malè de illo dij iudicauerunt. Indignus visus est à quo vinceretur aliquando fortuna, quæ ignauissimum quemque refugit.* A quo non
1. Ad Tim. 2. 3. abit Pauli monitum ad Timotheum, epist. 2. c. 2. 3. *Labora, vt bonus miles Christi Iesu.* Vbi Græcè pro: *labora*, est: κακοπάθησον, id est *afflictiones, & mala perfer*; *& dura quæque tolera*; quasi hæc Christiani militis nota, is character sit, tribulationes pro eo perferre; aliter, Christiana militia censeatur indignus.
Senec. Quare rursum Seneca in consolation. ad Heluiam: *Humilis, & proiectus animus sit contumeliæ opportunus; qui verò aduersus sæuissimos casus se extollit, & ea mala quibus alij opprimuntur, euertit; ipsas miserias insularum* (id est, regij honoris) *loco habet: quando ita affecti sumus, vt nihil æque magnam apud nos admirationem occupet, quam homo fortiter miser.* Ita Seneca.

10. Certè in hanc sententiam de strenuo milite, ac pugile Iacob, visus est mihi dixisse Sapiens: *Certa-*
Sap. 10. 12. *men forte dedit illi, vt vinceret*, Sapient. 10. 12. sed obserua, Græcè pro, *certamen*, esse ἀγῶνα, id est, certamen spectandum, & summorum Imperatorum oculis obiectum: pro *forte*, verò, ἰσχυρὸν, quod propriè vertas, *vehemens, robustum*: id est, nonnisi viro forti, ac robusto conueniens, vt huic certamini spectando, & forti viro apto omnino conueniat, quod
Senec. dixit Seneca lib. de Prouidentia, c. 2. *Ecce spectaculum Deo dignum, ad quod respiciat intentus operi suo Deus. Ecce par Deo dignum, vir fortis cum mala fortuna compositus, vtique si & prouocabit, non video interim, quid habeat in terris Deus pulchrius si conuertere animum velit, quam vt spectet Catonem partibus non semel fractis stantem nihilominus inter ruinas publicas rectum.* Hæc Seneca. Quæ Christiana faciens,
Min. Felix. Minutius Felix in Octauio, sic extulit. *Quam pulchrum spectaculum Deo, cum Christianus cum dolore congreditur, cum aduersus minas, & supplicia, & tormenta componitur, cum libertatem suam aduersus Reges, & Principes erigit.* Iam nota verbum, *dedit illi*, præsertim in Græco: ἐβράβευσεν enim, propriè est, *dare præmium certaminis*. Vt inde appareat, vehemens id, ac robustum certamen non solum in donum, sed etiam in aliorum laborum, minorumque certaminum præmium à Deo, tamquam moderatore palæstræ, iudiceque certaminis Iacobo datum fuisse. Vndè acutè Chrysolog. serm. 147. pendens huius cer- Chrysolog.
raminis genus, nimirum luctam: (sic enim Genes. Gen. 32. 24.
32. 24. *Et ecce vir luctabatur cum eo vsque mane*,) in qua luctatores mutuo complexu se constringunt, sic ait: *Redeuntem pro certamine prouocat, luctatoris constringit amplexu, vt amaret partem certaminis, non timeret.* Sed totam sententiam ex Abrahami exemplo confirmat Ambros. verba Psalm. 25. 2. *Proba me* Psal. 25. 2.
Deus, & tenta me. sic premens, lib. 1. de Abraham, Ambr.
cap. 8. *Sanctum Abraham probauit ante, & sic tentauit: probauit cum exire de Charra iussit, & obedientem reperit. Probauit eum fidei titulo, fretus liberauit nepotem, cum de præda nihil attigit, cum promisit seni filium, & quamuis esset centum annorum, & Sara vuluam consideraret emortuam, tamen credidit, nec fide hæsitauit, qui hæsitare posset ratione sterilitatis, & senectutis. Probauit etiam eum hospitij sedulitate. Probatum igitur, quasi fortiorem tentandum putauit maioribus, & quibusdam imperijs durioribus.* Sic ille.

Quò etiam per allegoriam referas, quod de vac- 11.
cis illis arcam Dei portantibus actum fuisse fertur,
1. Reg. 6. 14. Etenim velut in præmium, quod Dei 1. Reg. 6. 14.
pretiosissimam supellectilem adeò ad eius gustum portauerint, vt itinere vno graderentur, non declinantes, neque ad dextram, neque ad sinistram, peracto tandem cursu in holocaustum Domino immolatæ sunt. Sic enim ibi: *Et conciderunt ligna plaustri, vaccasque imposuerunt super ea holocaustum Domino:* ita ne ipsis debita laboris sui merces est reddita? Ita quidem: qui enim melius cum illis ageretur? Dimittendę ne essent, vt lasciuientes declinarent? Oseę Osea 4. 16.
4. 16. An potius, vt in Dei gloriam immolarentur? Equidem ad hunc modum cum magnis, & egregia sanctitate præditis viris Deus se gerit, quibus quod bonum certamen certauerint, cursum consummauerint, fidem seruauerint; illustrem laborum, & martyrij coronam reponit: Ita Ambros. lib. 1. de Fi- Ambros.
de Resurrect. ad ea verba Psalm. 115. *Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum eius* dicebat. *Mortem maluit præferre quam vitam, ipsa mors martyrum præmium vitæ est*: & alicubi August. *Necesse* D. Aug.
est, vt initia bona fierent, quorum finis est optimus subsecutus, & martyres eos non solum fuisse cum passi sunt, sed etiam tunc martyres Christi esse cum viuerent. Certè Cyprian. epist. 16. quæ est ad Christum, confessores in carcere detentos, carceris molestias, & labores non tam meritorum semen, quam frugem messemque e egregiis anteactis operibus respondentem sic appellabat. *Æstas ecce messium fertilitate* Cyprian.
fœcunda est, & area frugibus plena est: sed vos qui gloriam seminastis, frugem gloriæ metitis, atque in Domini area constituti exuri paleas inextinguibili igne conspicitis, ipsi vt tritici grana purgata, & frumenta pretiosa iam purgati, & conditi hospitium carceris, horreum computatis. Sic ille.

ADNOTATIO II.

Egregium Doctorem, tribulationem esse, quæ hominem officij sui admoneat, & ad Deum manuducat.

VIDEO hîc fidei, & tribulationum à Paulo 1.
mentionem simul fieri, quasi hæ, Dei dono
&

& largitate animæ perficiant, quod illa incepit, vnde propriam hoc loco sedem ea thesis habet, eximios in virtute progressus mediis tribulationibus fieri; sed quidem dum in sequentem adnotationem illam transmitto, non possum prius non obseruare, ita à Paulo fidem cum tribulationibus componi, vt persimile vtrumque Dei donum esse videatur; vicariamque fidei vicem tribulationes gerere. Et verò sic se res habet, vt non secus, ac fides, & intellectum illustrat, & errantem hominem ad Deum manuducit, ita labores mentem peccatori induunt, & ad bonam frugem redire cogunt. Certè Chrysost. siue Auctor oper. imperf. tribulationes, baptismi nomine, sic appellabat hom. 5. tom. 2. *Cæterum cum videris peruersum aliquem Christianum, nunquam tristari, aut periclitari, hæreticum nunquam tentationem persecutionum pati, noli scandalum pati; nec dicas. Quomodo hæretici persecutiones nunquam patiuntur, sed semper fideles? Scito enim quoniam qui filij Dei sunt, hi tantummodo in tentationis igne baptizantur.* Pulchrè quidem ignis baptismum, cum aquæ baptismo componens, vt quemadmodum hic milites Deo assignat, & proprio charactere notat; ita ille fideles ab infidelibus secernat, admoneat, instituat, & ad Dei cognitionem deducat. Sic de iis, quibus licet pessimi essent; bonus Dominus propter Sion benefacere decreuerat, dicebat ipse per Ierem. 9. 5. *Docuerunt linguam suam loqui mendacium, vt iniquè agerent, laborauerunt. Habitatio tua in medio doli: in dolo renuerunt scire me, dicit Dominus exercituum: Ecce ego conflabo, & probabo eos* (LXX. *igne examinabo.*) *Quid enim aliud faciam à facie filiæ populi mei?* Ad quæ verba P. Maldonat. *Ecce vt eos ad me reducam, igne tribulationum aduram: Quid enim amplius faciam in gratiam filiæ populi mei?*

Auct. oper. imperf. — Iere. 9. 5. — LXX. P. Maldon.

2. Quod si velis ad exempla recurrere: quid quæso barbarius, aut ab hominis natura magis alienum Pharaone? quippe qui Moyse conclamante. *Hæc dicit Dominus Deus Israel. Dimitte populum meum, vt sacrificet mihi in deserto*; ipse tamquam merus Atheus, ita respondit. *Quis est Dominus, vt audiam vocem eius, & dimittam Israel? Nescio Dominum, & Israel non dimittam.* Vidisti ethnicum, barbarum, blasphemum, Atheum? Audi postmodum eundem modestum, pium, & pene fidelem: sic enim Exod. 8. 8. *Orate Dominum, vt auferat ranas à me.* Et vers. 29. *Ego dimittam vos, vt sacrificetis Domino Deo vestro,* &c. *Rogate pro me.* LXX. *Orate pro me ad Dominum:* vbi quis non miretur, eum, qui paulò ante Dominum ignorabat; & pernegabat, tam cito, & Dominum confiteri, & eius auxilium, atque opem summissius implorare? At enim verò minimè id mirandum, cum flagellis non eruditus modo, sed etiam prope modum baptizatus fuerit: vnde premens vtraque barbari regis verba Origenes, hom. 3. in Exod. sic ait. *Audi quid respondet princeps huius mundi, nescire se Deum dicit. Vides quid agit cruda superbia? Donec in laboribus hominum non est, & cum hominibus non flagellatur, propterea tenuit eum superbia. Denique videbis eum paulò post quantum proficit in flagellis, quanto melior verberatus efficitur. Iste qui modo dicit,* nescio Dominum, *postea cum vim senserit verberum, dicturus est,* orate pro me Dominum, *& non solum hoc, sed etiam contestantibus magis fatebitur, quia digitus Dei est in virtute signorum,* &c. *Ecce Pharao durissimus, tamen proficit verberatus: Ante verbera Dominum nescit, verberatus supplicat pro se Dominum rogat.* Hæc bene Origen. nec malè græca paræmia, *Phryx verberatus melior, & obsequentior.* Et Hesiod. in Theog.

Exod. 5. 1. — Exod. 8. 8. 29. — LXX. — Origen.

Illic, & accepit infortunium, statimque sapuit.

3. Nec dissimilis boni latronis ad Deum reditus. Errarat ille, & vehementer errarat ad vltimum pene vitæ momentum latrociniis, & flagitiis opertus: cum ecce tibi repentina mutatione cõuersus Christum, quem sapientiores Iudæorum ignorãtes cum latronibus æquabant, Angelorum Regem, Deumque confitetur, & peccatorum ab eo veniam supplex precatur, exclamans: *Domine, memento mei, cum veneris in regnum tuum:* Luc. 23. 42. Sed quo rationum, aut suasionum acumine compunctus? quibusve prodigiis manuductus? Respondet Hilarius lib. 10. de Trinit. ad med. *Et credo eum ad hanc beatæ confessionis fidem, auditus transeunte palmas clauo gemitus accendit; & regnum Christi per dolorem infirmitatis in Christi corpore didicit.* Hæc Hilarius: nisi potius de clauis, & gemitibus Christi alio sensu loquatur, vt alibi expendo. Libet tamen modo exclamare, O grande doloris ingenium! O mirabilem tribulationum baptismum! latro, perditus, infamis ad Dei viui cognitionem, & fidem trãseuntis palmas claui dolore velut doctore, & concionatore manuducitur. Vnde Nazianz. orat. in plagam grandinis. *Mansuetudinis* (inquit) *sunt hæc, & clementiæ, diesque eruditionis, ac initia:* (alij malunt legere, *elementa*) *correptionis, quæ erudiunt infantiam.* Et orat. 20. *Profectò plaga cordatis hominibus doctrina efficitur.* A quo non it, quod August. lib. 2. confess. c. 2. dum delicta iuuentutis plangeret, sic cum Domino colloquens dicebat. *Nec euasi flagella tua; quis enim hoc mortalium? nam tu semper aderas misericorditer sæuiẽs, & amarissimis spargens offensionibus omnes illicitas iocunditates meas, vt ita quærerem sine offensione iocundari, & vbi hoc possem, non inuenirem quicquam præter te Domine,* qui fingis laborem in præcepto, *& percutis, vt sanes, & occidis nos, ne moriamur abs te.* Hæc August.

Luc. 23. 42. — Hilar. — Nazianz. — August. — Psal. 93. 20.

4. Qua quidem ratione in sancta, ac sapientiæ plena lingua vocabulum, *Malmad*, æquè significat stimulum, atque doctrinam, quod stimulus siue plaga cordatis hominibus doctrina efficiatur. Quo facit Ierem. 46. 20. *Vitula elegans, atque formosa Ægyptus: stimulator ab Aquilone veniet ei.* Ac si dixerit; persimilis est vitulæ pingui, formosæ, ac lasciuienti, quæ iugum recusat, & post amores suos ire pergit; at ab Aquilone, à quo panditur omne malum, Ierem. 1. 14. doctrina stimuli occurret ei, quæ sic pungat, atque exagitet, vt cogat iugum suscipere. Nonne tibi vitula elegans, atque formosa videtur perditissimus ille adolescens? qui *dissipauit substantiam suam viuendo luxuriose*, Lucæ 15. 13. Sed quæ tibi salutis, & emendationis eius supererit spes, qui ipsamet parentis bona in eius iniuriam, & opprobrium dissipauit? Verum noli diffidere: *stimulator ab Aquilone veniet ei:* Etenim: *facta est fames valida in regione illa, & ipse cœpit egere.* Cœpit egere? Noli esse de eo sollicitus, sic namque stimulator aculeata virga compunget, vt ipse nullo in loco consistens ad paternam domum quam primum redeat. Ita Chrysolog. serm. 2. *Fames reuocat, quem saturitas exularat, fames illi sentire dedit patrem sapere, cui copia tulerat sentire genitorem.* At enim verò Chrysostom. hypothesi ad thesim reuocata tractatu primo in terræmotum, quem noster Fronto Ducæus latinitate donauit, hæc sic diffundit. *Rursus duo sunto scortatores, quorum vnus diues sit, alter pauper: vter eorum meliorem habet spem salutis haud dubium quin pauper. Noli ergo dicere: Diues scortatur, & opibus abundat, idcirco beatum ipsum prædico: quin potius beatum illum à te prædicari oportebat, si cum scortaretur, pauper esset, si cum scortaretur,*

Iere. 46. 20. — Iere. 1. 14. — Luc. 15. 13. — Luc. 15. 14. — Chrysol. — Chrysost.

premeretur: haberet enim adactum necessitate Dolorem, Paupertatem. Cum igitur improbum videris secunda vtentem fortuna, lacrymare: duo quippe mala sunt, morbo vrgeri, & insanabilem esse.

5. Iaculabatur arcana significatione sagittas in gratiam Dauidis intimus eius amicus Ionathas: & hic quidem sagittarum scopus, sensusque erat. *Si dixero puero; ecce sagitta intra te sunt, tolle eas; tu veni ad me, pax tibi est; & nihil est mali, viuit Dominus; si autem sic locutus fuero puero, ecce sagitta vltra te sunt, vade in pace, quia dimisit te Dominus.* Aptissime quidem ad rem nostram; etenim si Dei sagittæ vltra peccatorem sunt, actum est de illo, & dimisit eum Dominus secundum desideria cordis eius. Psalm. 80. 11. At enim verò si sagittæ intra illum sunt, si percussus, & tribulationibus vexatus est, pax illi erit; *& nihil est mali, viuit Dominus.* Quare? explicat opportunissimè Iob, cap. 6. 4. inquiens. *Sagitta Domini in me sunt, quarum indignatio ebibit spiritum meum:* hoc est, quæ quod in me humanum, & terrenum erat interimunt, & ad Deum redire cogunt. Ita ibi Gregor. lib. 7. Moral. cap. 3. ad hunc modum. *Quid enim spiritus hominis, nisi spiritus elationis? Sagitta autem Domini spiritum hominis ebibunt, cum superna animaduersionis sententia afflictam mentem ab elatione compescunt. Sagitta Domini spiritum hominis ebibunt, quia intentum exterioribus introrsus trahunt:* Et post pauca in eandem sententiam. *Sagittarum ergo indignatio iusti spiritum ebibit, quia superna sententia electos, quos in peccatis inueniunt, dum vulnerant, immutant, vt duritia sua transfixa mens deserat, atque ex salutifero vulnere sanguis confessionis currat.* Sed hæc in vtramque partem sic versat citato loco Chrysost. *Si quem igitur vides habentem vlcus, vermes, & saniem à corpore defluentes, nec vulnus tamen, aut vlcus curantem; alterum verò pariter affectum, qui medicorum vtatur opera, qui vratur, secetur, & acerba medicamenta deglutiat, vtrum istorum quaso lugebis? Eum ne qui ager est, nec curatur? an eum qui ager est, & curatur? haud dubium quin eum potius, qui cum ager sit non curatur. Ita quoque peccatores sint duo, quorum vnus quidem puniatur, alter verò non puniatur, ne dicas, beatus hic est, quia diuitiis affluit, orphanos spoliat, viduas opprimit tametsi non agrotat: sed cum rapiat, est in existimatione, cumulatur honore, dominatur, nullis aduersis rerum humanarum casibus laditur, non febri, non afflictatione, non alio quouis morbo, liberorum cingitur choro, senectutem beate transigit, at hunc tu maximè luge quod agrotet, nec tamen curetur.* Hactenus Chrysost. Sed vt ad sagittarum imaginem redeam; sic eam ad hanc rem vsurpabat Habac. c. 3. 11. *In luce sagittarum tuarum ibunt, in splendore fulgurantis hasta tua:* ac si diceret; tunc è tenebris vitiorum erumpent, cum tribulationum iaculis eos sagittaueris: ita pene Rupert. *Sagitta tua, & fulgurans hasta tua, id est, plaga tua, & eruditio tua lumen populo tuo prabuerunt.*

[Margin: 1. Reg. 20. 21. — Psal. 80. 11. — Iob 6. 4. — Gregor. — Chrysost. — Habac 3. 11. — Rupert.]

6. Sed illud mihi exemplum multo magis placet, quod à superbissimo peccatorum primate desumitur: ille enim qui Deo in faciem restitit, & inflatissimis buccis effutiebat. *In cœlum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum, sedebo in monte testamenti in lateribus Aquilonis. Ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo:* hoc est: sic illustre, & diuinum caput supra omnia creata attollam, vt nec Dei filium si humana induatur carne, velim vnquam reuereri: (nosti enim, plures scholasticos, aliosque non malæ notæ auctores, vt Ambros. Catherin. in cap. 3. Genes. & in opusc. de glor. bon. Angel. Iacob. de Valent. in Psalm. 82. Viguer. de instit. Theolog. cap. 3. §. 1. vers. 15. Naclant. in epist. ad Ephes. quibus non mediocriter fauet Rupert. in cap. 8. Ioann. Luciferi, & sequacium eius peccatum ad eum superbiæ articulum retulisse, quod Dei filio, vt homine facto à Patre illis, vt adoraretur proposito: iuxta illud Pauli ad Hebr. 1. 6. *Et cum iterum,* (quia videlicet iam semel æternus illum Pater introduxerat,) *introduxit Primogenitum in orbem terrarum, inquit, & adorent eum omnes Angeli eius;* ipsi se illi subiicere nullatenus voluerint:) ille inquam elatissimus Lucifer, cum primum à Christo vexatus est, genibus iam flexis, pronoque in terram vultu ipsum adorans, & Dei filium agnoscebat, & vt mitius secum ageret supplex obsecrabat: Sic enim Lucæ 8. 28. *Is vt vidit Iesum procidit ante illum, & exclamans voce magna,* dixit. *Quid mihi, & tibi est Iesu Fili Dei altissimi? obsecro te, ne me torqueas:* siue, vt habet Matthæus cap. 8. 29. *Venisti huc ante tempus torquere nos.* Et Marc. 5. 6. *Videns autem Iesum à longè, cucurrit, & adorauit eum:* &c. Quæ verba citato loco in hanc rem sic premit Origenes. *Vide in Euangelius, quomodo verberatus emendet hanc vocem. Scriptum est enim, quia* clamauerunt dæmones ad Dominum, & dixerunt. Quid venisti ante tempus torquere nos? Scimus te quis sis: Tu es Filius Dei viui. *Vbi tormenta senserunt, sciunt Dominum.* Ita Origen. Nimirum vexatio intellectum, auditum, & oculos reddit.

[Margin: Isai. 14. 13. — Catherin. — Iacob Val. — Viguer. — Naclant. — Ad Hebr. 1. 6. — Luc. 8. 28. — Mat. 8. 29. — Marc. 5. 6. — Origen.]

Discriminabat Sapiens, (Sapient. 11. 11.) Dei filios ab impiis Ægyptiis, cum iisdem tribulationum fluctibus vtrique peterentur, quod hi vt reprobi laboribus obdurarentur, illi verò mentem, atque intellectum reciperent. *Hos quidem,* (de iustis loquitur,) *tamquam Pater monens probasti; illos autem, tamquam durus Rex interrogans condemnasti:* Vbi Græce pro verbo, *moneo,* est, νουθετῶν: *menti indens,* siue, *iniiciens:* Nimirum, tribulatio mentem illustrat, consilia, & cogitationes sapientiæ subministrat: Quare cum Ecclesiasticus cap. 2. 1. de experimentis, quæ Deus per dolores, & tormenta à suis sumit, dixisset: *Sta in iustitia, & timore, & prapara animam tuam ad tentationem:* subdit: *Deprime cor tuum, & sustine; inclina aurem tuam: suscipe verba intellectus:* Siue vt Tigurina, *verba consulta:* quasi dicat tribulationem dare intellectum; interioresque animi aures ad diuinam eruditionem suscipiendam acuere. Vnde Bernard. serm. 28. in Cant. cum de Centurione ex Christi voce illum Dei filium agnoscente, dixisset. *Auri Dei filius, auri formosus innotuit: sed non Iudaorum, qui erant incircumcisi auribus:* statim de Petro abscindente auriculam serui Pontificis Iudæorum sciré addit. *Meritò Petrus abscidit auriculam serui, vt viam faceret veritati, & veritas liberaret eum, id est, liberum faceret.* Sic ille.

[Margin: 7. — Sap. 11. 11. — Greg. Lect. — Ecclesi. 2. 1. — Lect. Tigu. — Marc. 15. 39. — Bernard.]

8. Percupidus Dominus salutis Niniue, illuc Ionam ad prædicandum mittit; Ionæ 1. 3. ipse vero pro obsequio fugam capit, *à facie Domini,* sed exorta ingenti tempestate, pro fuga in mare deiicitur; deuoratusque à pisce, & in littus euomitus iterum Niniuem ire iubetur: Ionæ 3. 1. Ita ne res quæ Deo adeò in optatis, ac deliciis est infideli, ac fugaci seruo committetur? Ita quidem: alium enim illum ab eo, qui prius erat esse inuenies. Quid? Subito alius, quis fiat? Maximè; tribulatione potissimum occurrente, & succurrente. Quare ibi Cyrill. Alex. *Quin etiam cetus è visceribus Prophetam emittit, non sine fructu ex perpessione, quin ex ipsa experientia incitatum magis, & probè doctum periculosum esse, dominicis decretis se opponere:* Pende illud: *probè doctum:* tribulatione videlicet monente, docente, viam veritati

[Margin: Iona 1. 3. — Iona 3. 1. — Cyr. Alex.]

veritati faciente, verba consulta, & intellectum præstante. Nec minus opportunè indidem Theophyl. *Qui ex ea passione lucratus erat, vt disceret obtemperare: iniuncto enim secunda vice proficisci in Niniuen, non tergiuersatur, sed illico surgit, non corpore tantum, sed animi etiam promptitudine, & resurrectione mentis:* Pulchrè: *& resurrectione mentis*: vt ademptum à peccato intellectum; (*homo enim cum in honore esset:* (peccando) *non intellexit, sed comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis*) tribulatio restitueret, exstinctumque mentis lumen reaccenderet.

Theoph.

9. Insignis inter alias plagas, Apocalyps. 8. 10. illa dicitur. *Et cecidit de cælo stella magna ardens, tamquam facula, &c. Et nomen stellæ dicitur Absinthium:* vbi non dubium, quin de plagæ effectu, hoc est, de nimia amaritudine translatione facta ab huius nominis herba, quæ amaritudinis quam maximæ est, Plin. teste, lib. 27. cap 7. & Dioscorid. lib. 3. cap. 25. sermo fit. Sed bene ibi adnotauit Aretas, eam herbæ amaritudinem, oculorum visum acuere, meritóque hac ratione magnum supplicium, vocari absinthium, quod etsi tristitiam afferat, visum tamen acuit, efficitque vt homines instantia mala videant, & corda sua inspiciant, & maturè per pœnitentiam corrigantur. Quod si, vt aliqui volunt, ea plaga hæreses, & errores Ecclesiam infestantes, quibus *facta est tertia pars aquarum in absinthium*, significet, à præfata sententia id non abit. Constat enim, hac plaga Ecclesiam egregie profecisse, splendidiores doctrinæ, ac veritatis radios mediis Conciliis, atque Doctoribus vndequaque emittendo, iubet namque *Deus de tenebris lucem splendescere*, 2. ad Cor. 4. 6. Ita quidem dixit Nazianz. orat. in funere Patris: *Calamitas inuentrix est ingeniosa.* Et Ambros. cap. 2. enarrationum in Iob. *Iob in sterquilinio mysteria loquitur.* Nec omittendum, quod de Haterio Oratore, obseruauit Seneca Pater, lib. 4. controuers. in principio, de filij morte dum orationem ad populum haberet admonitum, maiori deinceps eloquentiæ, atque ingenij impetu procurrisse: *Tanto deinde maiori impetu dixit, tantò miserabilius, vt appareret, quam magna interim pars esset ingenij, dolor.*

Apoc. 8. 10. — Plin. — Dioscor. — Aret. — 2. Ad Cor. 4. 6. — Nazianz. — Ambros. — M. Senec.

10. Est verò id adeò certum, vt non modo à propriis tribulationibus, sed ab alienis etiam admoneatur homo, & instituatur. Vnde Chrysost. Certè Nabuchodonosor à trium puerorum tribulatione, atque patientia, dum eius iussu in fornacem ignis missi sunt, optimè eruditus ad bonam mentem rediit: & quam omnes eius consiliarij, thesauri, opes, regna non potuerunt monstrare, Dei imaginem percepit, atque eius cognitionem est assecutus. Sic id adnotante Chrysost. serm. de tribus puer. tom. 1. *O magna misericordia Deitatis, quod exultabile dictu est; sanantur rei, & redimitur, qui torquebat. Inter hæc quid potuit inanis imago monstrare? Ecce Dominus non in auro lucet, sed in flammis ostenditur.* Ita ibi; & eodem sensu, homil. 5. de patientia Iob, de vulneribus patientissimi Iob: *Valde supraque modum carnis illius natura clarior apparuit, vulneraque solaribus radiis clariora, hi enim corporis illustrant visum, illa verò mentis nostræ illuminant oculos.* Qua omnino de causa dicebat Ecclesi[illegible]es cap. 7. 3. *Melius est ire ad domum luctus, quam ad domum conuiuij: in illa enim finis cunctorum admonetur hominum, & viuens cogitat, quid futurum sit:* vbi Hieronym. *Quia ibi recordatione conditionis nostræ, & fragilitatis humanæ ex præsenti cadauere commonemur.* Sic verò commonemur, vt ad mentem sæpe sæpius redeamus. Vnde Symmach. pro, *cogitat*, legit, *respiciet ad mentem*. Chaldæus autem totam sententiam in hunc sensum sic optime elucidat. *Qui iuerit ad domum luctus vir iustus, sedebit, & ponet in corde suo loquelas mortis, & si est in ipso quidquam mali, deponet illud, & conuertet in pœnitentiam.* Vide Chrysostom. homil. 62. ad pop. vt ego concludam cum Nazianz. orat. 15. *Non graue est plagis affici, sed plaga meliorem non fieri grauissimum, & acerbissimum est.*

Chrysost. — Idem. — Ecclef. 7. 3. — Hieron. — Symmach. — Chald. — Chrysost. — Nazianz.

ADNOTATIO III.

Tribulationibus, egregios in virtute profectus fieri.

ERGO tribulationibus non demittitur animæ fastigium, sed potius attollitur, vti Carthaginenses allocutus dicebat Tertullian. lib. de Pallio. *Vobis post iniuria beneficium, vt senium non fastigium exemptis:* id modo persequendum, quod dicebat Ambros. *ad augmentum meritorum*, tribulationes, ac labores à Deo donari. Vbi non abs re obseruet aliquis fidei, ac tribulationum donum ex Pauli mente simul coniunctum, vt recenter baptizatis, & velut infantibus in Christiana disciplina, fortius laborum nutrimentum ad incrementum, & profectum conueniat. Verissimè enim dixit Philo lib. de sacrif. Abel, & Cain. *Equidem existimo laboris, cibique eandem esse vim, nam sicut à cibo tota vita pendet, vnà cum suis actionibus, ita etiam à labore pendet, quidquid in rebus bonum est. Ergo quemadmodum, qui sibi vitam prorogare cupiunt, alimenta non negligunt. Ita quotquot quæ bona sunt concupiscunt, laborum perpessionem magni faciunt; sicut enim cibus se habet ad vitam, sic ille ad honestatem.* Quare huc potissimum aduoco, quod præced. annot. ex Chrysostom. dicebam, Dei filios non aqua solum, sed igne etiam tribulationum baptizari, vt ipsis examinati nouas vires, & incitamenta virtutis concipiant: habet enim hîc maximè locum illud poetæ lib. 1. Georg. 1.

Tertullian. — Ambros. — Philo. — Virgil.

Sæpe etiam steriles incendere profuit agros,
Atque leuem stipulam crepitantibus vrere flammis,
Siue inde occultas vires, & pabula terræ,
Pinguia concipiunt.

Vnde sic de electis dicebat Dominus, Zachar. 13. 9. *Et ducam tertiam partem per ignem, & vram eos sicut vritur argentum, & probabo eos, sicut probatur aurum;* ad quæ verba Hieronym. *Ipsa quoque tertia pars ne delicata esset, & secura confessione quasi argentum, & aurum per ignem ducitur, & probatur; quem, & Dominus in credentibus ardere cupit, & Paulus feruere desiderat, vnde & Apostoli in spiritu, & igne Domini baptizati loquuntur, in Psalm. 65. 10.* Quoniam probasti nos Deus, igne nos examinasti, sicut examinatur argentum. Sic ille. Apud quem pende illud, *ne delicata esset*; quasi velit ideo Dei seruos tribulationum igne baptizari, ne paruuli, & delicatuli sint, sed cottidianos in virtute per labores progressus faciant.

Zach. 13. 9. — Hieron. — Ps. 65. 10.

Certè hæc prima Christianis lectio datur; siue hæc sunt priora Christianæ disciplinæ, siue pueritiæ rudimenta, à quibus Christianam vitam auspicentur; labores pro Christo pati, & ad ipsius similitudinem se effingere. Nec alio sensu dicebat Petrus, 1. epist. 2. 20. *Christus passus est pro nobis; vobis relinquens exemplum, vt sequamini vestigia eius:* vbi maximè obseruanda est Græca vox, ὑπογραμμὸν, pro qua noster posuit, *exemplum*; propriè enim significat præscriptum illud puerile, siue exemplar, quod pueris primum incipientibus ad imitandum proponitur, de quo dixit Seneca epist. 94. *Pueri ad præscriptum discunt, digiti illorum tenentur, & aliena* 2.

1. Pet. 2. 20. — Seneca.

manu

manu per litterarum simulachra ducuntur: Vt inde appareat, statim ac primum aquæ baptismum fidelis quisque susceperit, altero hoc ignis, seu tribulationum esse baptizandum; nec rem solum perfectis viris asseruatam, sed incipientibus etiam esse communem, vixque eum in Christi schola pedem posuisse, cui labores, & tribulationes familiares non sunt. Equidem, cum ad Festum Regem sermonem Paulus haberet, cumque ad Christum maxime vellet adducere, dicebat Actuum 26. 29. *Opto apud* Act. 26. 29. *Deum, & in modico, & in magno, non tantum te, sed etiam omnes, qui audiunt, hodie fieri tales, qualis & ego sum, exceptis vinculis his.* Sed quare? *Exceptis* Chrysost. *vinculis his? vbique catenā circumfers,* (inquit Chrysost.) hom. 16. ad pop. tom. 5. *vbique vincula proponis, & huiusmodi gloriaris negotio, in iudicium autem veniens disciplinam prodidisti, cum maximè liberè te gerere decebat.* Sed respondet statim: *Non ex anxietate, vel timiditate Paulus hoc faciebat, sed ex sapientia multa, & spirituali prouidentia; nam ad gentilem loquebatur, & infidelem, nec nostra scientem. Si vincula audierit, inquit, & tribulationes, statim refugiet si vinculorum virtutem non norit: fiat prius fidelis, & prædicationem gustet, & tunc ipse quoque ad hæc vincula curret.* En fidelis, & infidelis discrimen, hic à vinculis, & tribulationibus aufugit, ille vero cum primum Christo nomen dederit, ad illa pergit, vt Christi vestigiis innitatur.

3. Mirum sanè est, cur tam acerbum sponsæ sciscitanti: *Indica mihi vbi pascas, vbi cubes in meridie,* Cant. 1. 7. Cant. 1. 7. Christus responsum reddiderit: nempe; *si ignoras te, ò pulcherrima inter mulieres, egredere, & abi post vestigia gregum tuorum:* vbi illud: *si ignoras te:* manifestè liquet ex Hebræo idem esse, ac si simpliciter diceretur: si id ignoras; est enim Hebraismus, *si ignoras tibi*, quod Hispane exprimimus: *Si no te lo sabes:* Iam in huius ignorantiæ pœnam, pende, quid intonet sponsus: *egredere, & abi post vestigia gregum:* hoc est, in bestiarum numerum te appin-
Bernard. ge. *Egredere.* inquit Bernard. serm. 35. in Cant. *de sanctuario meo, corde tuo, vbi secretos sacrosque veritatis, ac sapientiæ sensus dulciter haurire solebas, & magis tamquam vna de sæcularibus pascendis, & oblectandis tuæ carnis sensibus intricare.* At quæ tam noxia, tamque culpabilis ignorantia, quæ adeò magnam commeruerit iram? Vis dicam? Ignoratio crucis Christi; & imitationis passionum eius: in cruce enim pascit Christus, cubatque in meridie:
Drog. Sic namque venerab. Drogo, serm. de Sacram. Dom. Pass. *Circuire possum Domine cælum, & terram, & mare, & aridam, & nusquam te inueniam, nisi tantum in cruce: ibi dormis, ibi pascis, ibi cubas in meridie:* Ergo ei qui adeò rudis, adeò in Christiana militia tyro est, qui circumeundo mare, & aridam, viam crucis non nouit, nec in ea multum, diuque se exercuit, iure dicitur. Si id ignoras, *egredere, & abi post vestigia gregum tuorum.* Apto hic quæ fide-
1. Pet. 4. 12. libus sic ingerebat Petrus epist. 1. cap. 4. 12. *Nolite peregrinari in feruore, qui ad tentationem vobis fit, quasi noui aliquid vobis contingat: sed communicantes Christi passionibus gaudete.* Vbi Syriac. sic legit,
Syriac. *Ne miremini in tentationibus, quas habetis, quasi quid alienum vobis acciderit;* manifestè statuens Apostolus, adeò ad rem Christianam tribulationes, & labores pertinere, vt propriæ, atque omnino connaturales ipsi sint, eaque de causa tyrones minimumque in Christi schola exercitatos illos censendos esse, qui de ipsis, tamquam de re noua, mi-
Senec. rentur. A quo non longius iuit Seneca lib. de Prouid. cap. 4. cum dixit. *Ad suspicionem vulneris tyro pallescit, audacter veteranus suum cruorem spectat, qui scit se sæpius vicisse post sanguinem.* Et epist. 107. *Id* Idem *agendum, ne quid nobis inopinatum sit. & quia nouitate grauiora sunt hæc, cogitatio assidua præstabit, vt nulli malo sis tyro.*

Iactabat se Laodicenus ille Antistes, Apocal. 3. 4.
17. *Diues sum, & locupletatus, & nullius egeo:* cum Apoc. 3. 17.
ipsi diuinum respondit oraculum; *Nescis quia tu es miser, & miserabilis, & pauper, & cæcus, & nudus: suadeo tibi emere à me aurum ignitum probatum, vt locuples fias, & vestimentis albis induaris, & non appareat confusio nuditatis tuæ.* Vbi quis non miretur, quam alium ab eo, quem Dominus pronunciauit, se esse existimaret Antistes, simulque inquirat; quî sanæ mentis homo diuitem se censuerit, cum pauper, & nudus esset? Ad hæc, id etiam nonnullum negotium facessit, vno ex capite pauperem, ac nudum esse, dici; ex alio vero ad emendum aurum obryzum, siue putum purum inuitari, quibus enim nummis extreme indigens rem tanti pretij emere possit? Sed iis omnibus satisfacio ex Victore Picta- Vict. Pict.
uiensi ibi, dum existimat illum Episcopum à lethali quidem crimine immunem esse, at Christi crucem, & labores fugitare, vnde ea verba: *Suadeo tibi emere à me aurum ignitum*, sic explicat: *si quomodo potes pro me aliquid pati:* ac si dicatur, quantumuis pietati studere videaris, si labori parcis, egenus, pauper, ac nudus censendus es. Quem sensum benè confirmat id Prouerb. 14. 23. *In omni* Prou. 14. 23.
opere erit abundantia, vbi autem verba sunt plurima, ibi frequenter egestas. Sed obserua extrema hæc verba, sic legi apud LXX. *Dulcis autem, & carens do-* LXX.
lore in egestate erit. Nimirum, quia vt inquit Iob,
37. 24. *Ab Aquilone aurum venit:* Ab Aquilone, Iob 37. 24.
scilicet, à quo *panditur omne malum super habitatores terræ*, Ierem. 1. 14. & *stimulator* venire solet, Ie- Iere. 1. 14.
rem. 46. 20. quippe quem sic loquentem facit Ouid. Iere. 46. 20. Ouid.
lib. 6. Metam.

Et freta concutio, nodosaque robora verto,
Induroque niues, & terras grandine pulso,
Idem ego cum fratres cælo sum nactus aperto,
(Nam mihi campus is est, tanto molimine luctor,
Vt medius nostris concursibus intonet æther,
Exsiliantque cauis elisi nubibus ignes.
Idem ego quum subij conuexa foramina terræ,
Supposuique ferox imis mea terga cauernis,
Sollicito manes, totumque tremoribus orbem.

Vt perinde sit, ac si dixerit Iob, nonnisi in aduersitatibus, spirituales diuitias, earumque incrementum inueniri, *en el padecer estan las Indias.* Quo videtur respexisse tribubus Zabulon, & Issachar à Mose impertita benedictio, Deuter. 33. 18. *Lætare* Deut. 33. 18.
Zabulon in exitu tuo; (Chaldæus: *cum egressus fue-* Chald.
ris ad pugnam:) *& Issachar in tabernaculis tuis.* Sed quare? *Quia inundationem maris, quasi lac sugent, & thesauros absconditos arenarum.* Pulchrè, *quasi lac sugent*, quia qui anteà sine pugna, & laboribus paruuli in virtute erant, eos velut lac sugentes egregiosque profectus facturi essent.

Composui vers. 7. adnotat. 3. num. 8. ea Prouer. 5.
verba cap. 9. 2. *Sapientia immolauit victimas suas,* Prou. 9. 2.
siue vt Tertul. legit in Scorp. cap. 7. *iugulauit filios* Tertull.
suos, cum illis Ecclesiastici, 4. 12. *Sapientia filiis suis* Eccl. 4. 12.
vitam inspirat, vt vtraque inter se collata indicarent, Christianis vitam esse, tribulationes pati, tacitamque inibi contineri nutricis imaginem, quæ dum infanti lac infundit, vitam illi inspirare videtur. Vt vero hæc, ad gaudium, & lætitiam, quæ iis, qui pro Christo patiuntur esse solet, ibi retuli, modò etiam ad virtutis incrementum, atque profectum, qui per labores fit, non abs re accommodes, quasi tribulationes lac sint, quibus paruuli in Christo

Christo nutriantur,& crescant. Quo etiam aduoco
Cant.8.8. illud Cant.8.8.de Ecclesia antequam primam Ro-
mæ persecutionem sustineret;vt millies ex Ruper-
to explicui : *Soror nostra parua, & vbera non habet;*
quasi à persecutione,& laboribus totum illi virtu-
tis incrementum esset obuenturum. Sanè ad qua-
dragesimum iam ætatis annum Moyses,ad septua-
gesimum verò Abraham peruenerant ; cum hic
non satis Deo notus, ille verò infans, & paruulus
ea omnino de causa, quod nihil illis aduersi obri-
gisset,censebantur.Sic enim de Abraham postquam
grauis tentationis de filij nece pondus sustinuit.
Gen.22.12. *Nunc cognoui, quod timeas Deum*, Genes. 22. 12.
Hilar. Quæ verba sic premit Hilar. in Psalm. 1. *Absolute*
Dominus ostendit in Adam, atque Abraham pecca-
tores se ignorare, cognoscere autem fideles. Namque
Adæ post peccatum dictum est : Vbi es Adam ? *Non*
quod Deus ipsum in paradiso esse nesciret, sed quod,
dum vbi sit,interrogatur,indignus cognitione Dei, per
id quod peccauit,ostenditur. Abraham verò antea diu
ignoratus, scilicet ad quem iam septuagenarium Dei
sermo factus est, cum se per oblationem Isaac fidelem
Domino probasset,tali in diuinam familiaritatem di-
gnatione suscipitur. Quasi per tentationem, & affli-
ctionem Deo notus, & magno pretio habitus. De
Ad Hebr. 11.24. Mose vero disertissimè Paulus ad Hebr. 11. 24.
Grandis factus negauit se esse filium filiæ Pharaonis,
magis eligens affligi cum populo Dei Tantum non di-
cens paruulum, & pusillulum antequam cum Dei
populo affligi vellet exstitisse, atque ab afflictione
Magni characterem,notamque sumpsisse. Interro-
Senec. gabat ex insipientis persona Seneca lib. de Prouid.
cap.5. *Quare Deus tam iniquus in distributione fati*
fuit,vt bonis viris paupertatem,vulnera, & acerba fu-
nera adscriberet ? Respondet vero. *Non potest arti-*
fex mutare materiam, hac passa est. Quædam separari
à quibusdam non possunt, cohærent, indiuidua sunt.
Languida ingenia,& in somnum itura,aut in vigiliam
somno simillimam inertibus nectuntur elementis,vt ef-
ficiatur vir cum cura dicendus,fortiore fato opus est.

6. Hinc quidem de iustorum profectu Regius Va-
Psal.103.3. tes arcana locutione dicebat,Psalm. 103.3. *Exten-*
Cassiod. *dens cœlum sicut pellem :* Vbi Cassiod. *Senserunt ali-*
qui cœlum de iusto dictum, quem sic per gratiam pro-
batur,extendi, quemadmodum potest tensa pellis ex-
crescere: Sed quonam modo extendi siue explicari
Arnob. pellis solet ? Accipe ab Arnobio in id loci. *Quia*
quando tenditur pellis,super eam aqua aspergitur. Er-
go pellis,aqua ; iusti, tribulationibus, quæ in Scri-
ptura aquis passim significantur extenduntur,dila-
tantur, crescunt. Ad quem modum capiebat Am-
2. Ad Cor. 4.16. brof. ea Pauli verba,2.ad Cor.4. 16. *Licet is qui fo-*
ris est homo noster corrumpatur, interior tamen reno-
Ambros. *uatur de die in diem*,vt pro tribulationum mensura
fuerit & virtutis profectus. *Pressuris, plagis, fame,*
siti,frigore, nuditate caro corrumpitur, sed anima spe
futuri præmij renouatur, quia assiduis tribulationibus
purgatur. Proficit enim in pressura,non interit., ita vt
accedentibus tentationibus cottidie adquirat ad meri-
tum. Sanè hac de causa celebrem illam Iacobi sca-
Gen.28.12. lam,Genes.28. 12.de persecutionibus, ac tribula-
Tertull. tionibus sic accepit Tertull lib.de fuga in persecu-
tione cap.1. *Hæc enim scala, quias somniat Iacob,aliis*
ascensum ad superiora, aliis descensum ad inferiora
demonstrantes. Vt videlicet per laborum gradus,ad
virtutis fastigium gradatim ascendatur. Porrò Greg-
Nyssen. gor.Nyssen.orat.de Scop.Christian. dum fideles ad
perfectionem, & cottidianos in virtute progressus
stimulat,sic inquit : *Ergo par est,vt vnusquisque no-*
Ad Ephes. 4.13. *strum semper se in virtute proficientem ad virum per-*
fectum adducat, iuxta Apostoli dictum ad Ephes. 4.
13. Quousque occurramus omnes ad vnitatem fi-
dei,& agnitionis filij Dei, ad virum perfectum, ad
mensuram ætatis plenitudinis Christi. Ita ille. At
iure ab ipso petas, qui fieri possit, vt mortalis infir-
mitas plenitudinem Christi valeat æmulari ? Sanè,
vt media nobis,quibus ad tantum perfectionis pon-
dus adniti possemus substerneret, sic subiicit Nys-
sen. *Nam quanto magis labores pro pietate extendis,*
tanto etiam magis animi magnitudo simul extenditur:
En cœlum sicut pellem extensum.

Firmat id opportunè Iob. Is enim quamuis mi- 7.
rificis clareret virtutibus, quippe qui non inaniter,
sed verissimè dicebat : *Oculus fui cæco,& pes claudo,*
pater eram pauperum, Iob 29. 15. at non prius ad Iob 29.15.
egregium virtutis culmen surrexit,quam primo il-
lo vehementi tribulationum turbine orbitatis filio-
rum, amissionisque opum, ac facultatum, quibus
florebat affligeretur : Sic namque audito horum
nuncio ipsum à terra surrexisse dicitur Iob cap. 1.
20. *Tunc surrexit Iob*, quasi ab humili siue infimo
loco ad superiora conscenderet : sic id adnotante
Chrysost.hom.3.de Iob tom. 1. *Bonum verbum sur-* Chrysost.
rexit,non enim decidit plaga sed surrexit pietatis vir-
tute. Surrexit, & adorauit. Merces calamitatum,
adoratio,pulsatus ærumnis benedicit, oppressus gratias
agit. Et homil.5. *Nosti quale tribulationis sit lucrum?*
Bonum quidem erat sanitate vigere,multo tamen pre-
ciosius, vel vulneribus concisum. Quoniam verò, &
vellera pulchra quidem etiam dum illota perdurant,
cum verò lauatoris opera demersa, atque extersa fue-
rint, incomparabilem pulchritudinem, decoremque
suscipiunt. Et post pauca dum de dæmone tot in
patientissimum virum turbines ciente agit, sic sub-
dit. *At eo modo nusquam inclinauit, sed & per eas,*
quas tetendit insidias splendidiorem reddidit, totque
& tanta diripiens,maioris sibi virtutis diuitias cumu-
lauit. Surgit ergo per labores, & ad cœlum velut
admota scala,vt dicebat Tertull.ascendit:nec sub-
stat quin nobis accedentibus tribulationibus ipsum
cœli verticem attingat,& qui antea terrestris plan-
ta florentibus sæculi fructibus onusta fuerat, iam
aquarum siue tribulationum irrigatione cælestis
planta Angelicis virtutibus pene suppar, vt citatus
præced. adnotat. dixit Dionys. Areop.fieret, Vnde Dio. Areo.
ideo Chrysost.hom. 4. de patientia Iob, sic Deum Chrysost.
cum ipso loquentem facit. *Ante passionem vnus te*
terra angulus nouerat;post passionem omnis te sub cœlo
regio cognoscet. Sterquilinium tuum omni regali dia-
demate illustrius, qui diademata ferunt, videre cu-
pient,& agonem tuum,& laborem certaminis paradi-
sum feci,sterquilinium tuum colui, ad pietatem plan-
tam cælestem ostendi. Mira sterquilinij, & tribula-
tionum,præ paradiso ipso,feracitas,atque excellen-
tia:paradisus enim ab homine, sterquilinium à Deo
colitur:ille hominem è cœlesti,terrestrem plantam,
hoc è terrena cælestem,atque diuinam effecit.

Quo referas,quæ de mari rubro (quod tribula- 8.
tionum aptissimum est symbolum)in transitum fi-
liis Israel à Deo exsiccato inquit Sapientiæ liber, c.
19.vers.7. *Ex aqua,quæ antea erat, terra arida ap-* Sap.19.7.
paruit, & in mari rubro via sine impedimento, &
campus germinans de profundo nimio : Vbi extrema
verba, vt ibi monui, nolo accipere cum Lyra, & Lyran.
Iansenio,quasi per hyperbolem dicta,sed potius, vt Iansen.
& diuinam beneficentiam in Israeliticam plebem
per historiæ seriem, & tribulationum mirificos
profectus, per allegoriam nobis attestantia : Sane,
ac si dixerit Salomon, ex tribulationum tribulis
suauissimos omnium virtutum flores,feracissimam-
que segetem pullulasse:Quod etiam suo modo di-
xisse videtur Seneca, epist. 67. his verbis. *Cum* Senec.
aliquis

aliquis tormenta fortiter patitur, omnibus virtutibus vtitur fortasse, cum vna in promptu sit, & appareat patientia. Caterum illic est fortitudo, cuius patientia, & perpessio, & maxime tolerantia rami sunt, illic est prudentia, sine qua nullum initur consilium, quæ suadet, quod effugere non possis, quam fortissimè ferre: illic est constantia, quæ deiici loco non potest, & propositum nulla vi extorquente dimittit: illic est indiuiduus ille comitatus virtutum. Sic Seneca.

9. 1. Ad Cor. 10.13. Vnde intelliges, quid sibi voluerit Paulus, cum 1. ad Corinth 10.13. dixit: *Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione prouentum:* Is enim indubitatò huius loci sensus est: Deus, qui vos tentariò permittit, non solum faciet, vt à tentatione non vincamini, sed etiam vt ex ipsa fructum, & commodum reportetis: id enim significat prouentus, qui propriè refertur ad ea, quæ sata vberius proueniunt: sed hæc tantisper discutienda sunt. Et vero tam lectionem, quam sensum à Græco fonte dissidere dixeris: Nam, ἔκβασις, non tam propriè prouentum, quam exitum, euentum, euasionem verteris; quo modo legerunt August. in Psalm. 61. & epist. 89. quæst. 2. Hieronym. in cap. 2. Ionæ, & Cyprian. in testimoniis ad Quirin. lib. 3. num. 91. Vnde, & ipsamet Vulgati lectio à se ipsa prima facie dissentire videtur, cum in illa sequatur: *Vt possitis sustinere*, quæ victoriam solummodo tentationis, dum ei non adhibetur consensus, indicant; quod plane minus aliquid esse videtur, quam quod prouentus nomine dixerat. Quare vt sententia sibi constaret, vel legendum erat cum illis Patribus: *Faciet cum tentatione exitum, vt possitis sustinere*: vel si de prouentu, qui per labores fit, sermo est, dicendum videbatur: faciet cum tentatione prouentum, vt maximum ab ipsa lucrum reportetis. Respondeo tamen, prouentus nomine, non indicari à Paulo id emolumenti, siue vtilitatis genus, quod in merito virtutis in ordine ad præmij retributionem censetur, sed potius spiritualium virium incrementum, maioremque animi profectum, qui per tribulationes fit, eo sensu, quo tum ipsi ab oraculo fuit responsum: *Virtus in infirmitate perficitur*, 2. ad Corinth. 11.9. Quod Iobi laboribus sic aptabat Ambros. cap. 2. enarrat. in Iob. *Fortior æger, quam cum sanus esset se ipso inuentus est; fortior enim æger Iob, quam cum sanus fuerat, secundum quod scriptum est*: virtus in infirmitate perficitur, *ergo & Iob cum infirmaretur, tunc validior erat*: tum etiam sub arboris imagine dicebat allatus alibi à nobis Seneca, *ipsa vexatione constringitur, & radices certius figit*; & rursum, *non est sæuitia, certamen est, quo sæpius adierimus, fortiores erimus*. Ergo ex tentatione, & tribulatione maior spiritus prouentus, siue profectus. Quare vt omnia inter se coniurent, aduerte in probatissimis exemplaribus Græcis, pro, *sustinere*, esse, ὑποφέρειν, id est, superferre, Hispanè dicimus: *Basta, y sobra*, quasi post tentationem deuictam labori subinde sustinendo non modo supperant, sed etiam superfint, & excedant vires, quibus aduersario deinceps longè superiores simus. Sic capit P. Ribera illud Nahum, 3. 9. *Æthiopia fortitudo eius, & Ægyptus*, his verbis: *Aegyptus eam tuetur, id est, afflictiones, & labores: id enim significat*, Misraim, *quod est nomen Aegypti: afflictionibus siquidem magis in virtute proficit, & maiores vires comparat ad vitia repellenda*.

Ad Cor 11.9. Ambros. Seneca. Nahum 3.9. Ribera.

August. Cyprian. Hieron.

Applaudit his illa Dominicæ orationis petitio, Matth. 9.13. *Ne nos inducas in tentationem, sed libera nos à malo*: præsertim ex hac lectione Tertullian. lib. de orat. cap. 8. *sed euehe nos à malo*, quam sic capio, vt qui ante tentationem æquales viribus cum ipsa eramus; spectat enim id ad Magistrum certaminis, de quo alibi, vt æqualium virium pugiles inter se componat, ex tentatione ipsa, non modo cum gloria, sed etiam maiori cum fortitudine, atque robore euadamus, quo deinde multo fortiores, & superiores illa simus, sumpta imagine ab eo, qui è superiori loco cum alio pugnat: Hispanè: *Le ha cogido la cuesta, y las piedras*. Ad quem etiam modum Chrysostomus in Psalm. 9. in illis verbis: *qui exaltas me de portis mortis*, expendit non dixisse Vatem, qui liberas me, sed potius, *qui exaltas: non enim* (inquit) *in eorum tantum malis soluendis subsistit beneficium, sed facit eos admirabiles, insignes, & clariores*. Opportunè verò ad hanc rem, in expeditione filiorum Israel, adnotauit Origenes à mansione, *Lebna*, id est, *laudabilis tentatio*, deueniri ad *Macelath*, hoc est, *principatus*, vel *virga*, *quod anima eo vsque profecerit, vt dominetur corpori, & ipsa in illud virgam potestatis obtineat, immò non solum corpori, sed & vniuerso mundo, cum dicit*: Mihi mundus crucifixus est, & ego mundo. Sic Origenes. Et hæc pro c. primo. 10. Mat. 9.13. Tertullian. Chrysost. Origen.

EPISTOLÆ

EPISTOLÆ
B. PAVLI APOSTOLI
AD PHILIPPENSES,

CAPVT SECVNDVM.

VERSVS PRIMVS.

Si qua ergo consolatio in Christo, si quod solatium charitatis, si qua societas spiritus, si qua viscera miserationis.

COMMENTARIVS.

VEHEMENS quidem oratio non verborum solùm, sed sententiarum etiam congerie abundans, & ad deliniẽdos, permouendósque animos plurimum valens, quâ Paulus vtitur, vt Philippenses ad mutuam charitatem animorúmque ac sententiarum coniunctionem, & conspirationem acriter vrgeat. Sed explicanda nobis sunt singula.

1. *Ambros.* Et circa literam illud in primis est animaduerdum, Ambrosium legisse, *si qua exhortatio*, nec gratis omnino, cùm & Græca vox, παράκλησις, ad hanc etiam significationem trahi possit, & *Chrysost.* Chrysostomus eam versans, per *excitationis* etiam vocem, quæ ab exhortatione non dissidet, sic expresserit: *Si quam mihi in tentationum aduersitatibus consolationem, & excitationem in Christo dare*, &c. Est tamen multo certius Paulum de consolatione fuisse locutum, eodem penè sensu, quo statim subdit: *si quod solatium charitatis*: nec tam videri debet tautologia, quàm orationis acrimonia, obsecrationibus præsertim familiaris. Quid quod peculiare aliquid addi à Paulo dum subdit; *si quod solatium charitatis*, inferius constabit?

2. Deinde obserua anceps esse, de quo spiritu loquatur Paulus eâ phrasi, *si qua societas spiritus*: nam *Anselm.* Anselmus ad diuinum Spiritum, cuius proprium est, fidelium nexum, & veluti fibulam esse, Estius ad humanum, eo modo, quo paulò superius dixe- *Ad Eph. 4. 4.* rat; *quia statis in vno spiritu*: & ad Ephes. 4. 4. *Vnum corpus, & vnus spiritus*, referunt. Et verò phrasim societatis ad humanæ naturæ communionem expli- *M. Tull.* candam, sic vsurpauit Tullius lib. 3. offic. *Nam illud quidem absurdum est, quod quidam dicunt, parenti se, aut fratri nihil detracturos commodi sui causa, aliam rationem esse ciuium reliquorum; hi sibi nihil iuris, & nullam societatem communis vtilitatis causa statuunt esse cum ciuibus, quæ sententia omnem societatem distrahit ciuitatis.* Aliter verò Chrysost. de manifestatione *Chrysost.* externâ eiusdem communionis, quæ tamen in spiritu, non in carne fit, ita videtur accepisse: *Si quam communionem exhibere volueritis, quæ fit in spiritu*, &c. Sunt quidem ea omnia probabilia. Quid horum verosimilius sit, lector ex infrà dicendis melius iudicabit.

Tertiò nota ex Græcâ, & Syriacâ, & antiquo- 3.
rum Patrum lectione, & pluribus vulgati veteribus manuscriptis, omnes recentiores interpretes legere maluisse, *viscera, ac miserationes*, vt posterior dictio prioris explicatio sit; quàm *viscera miserationis*, quod non facilè commodus huic locutioni sensus reddatur. Verum enimverò, quamuis illa locutio è Græco fonte petita faciliùs decurrat; sed quæ mea in vulgatum interpretem pietas est, nec in re tam leui ab eius lectione discedere fas iudico: vnde vt non placeat is Anselmi sensus, *si quis pius affectus* *Anselm.* *est in vobis, de quo procedat miseratio erga me*, non incommodè sumas *viscera miserationis*, pro miseratione ipsâ, quæ ex alterius miseria nascitur; sic Hispanè dicimus, *entrañas de compassion*. Nec video, in quo hæc Pauli locutio differat ab eâ, quam habet ad Coloss. 3. 12. *Induite vos sicut electi Dei, viscera mise-* *Ad Colos. 3. 12.* *ricordia*; ad quæ sanè verba iidemmet auctores, quibus hoc loco de nostrâ lectione iniectus est scrupulus, absque vlla hæsitatione monent, *viscera misericordiæ* dici, ad significandam insignem quandam, & latè patentem misericordiam, vt Lucæ 1. *Luc. 1. 78.* 78. *per viscera misericordiæ Dei nostri.*

Illud magis ambigitur, sub quo sensu hæ veluti 4.
adiurationis formulæ à Paulo accipiantur, an videlicet de consolatione, & leuamento quod Philippenses Paulo vincto, & eorum amore flagranti afferre debebant, necnon de eâdem spiritus communione, quæ inter magistrum, & discipulos intercederet; an verò de mutuâ consolatione, quâ Philippenses vti vnius spiritus participes, se inuicẽ Christiano more afficere tenerentur. Priorem sensum se- *Chrysost. Theophyl. Theod. Ambr.* quuti sunt Chrysost. Theophyl. Theodor. Ambros.

D.Thom. S.Thomas, & recentiores omnes interpretes; præ cæteris verò sic eum optimè expressit Chrysost. *Si quid mihi solatij à vobis expectandum est, si quid consolationis, aut leuamenti ex vestra charitate reportare licet, si pote est vobiscum communicare in spiritu: si communicare vobiscum in Christo; si qua mihi à vobis misericordia, & commiseratio præstanda est, omnium harum rerum mercedem in charitate ipsâ tuendâ ostendite; omnia ista consecuturus sum, si vos mutuò alius alium dilexeritis.* In posteriorem tamen sensum magis propẽdere videtur Anselmus; vt enim priora verba de consolatione etiã erga Paulum priùs exponat, subinde verò tam illa, quàm reliqua de mutuâ consolatione, solatio, & societate spiritus, quæ Philippensibus inuicem cõmunis esset (nonnullis licèt aliis dicendi modis indicatis) sic accipit, *si aliqua vobis* consolatio in Christo, *id est, si vultis habere consolationẽ in rebus Christi, in remissione peccatorũ, & in alijs donis,* si quod solatium, *communis charitatis, id est, si vultis, vt charitas cæterarum Ecclesiarum, quæ pro fratribus orant, & bona agunt, sit vobis solatium in aduersitatibus vestris; vel si habetis aliquod solatiũ charitatis erga proximum, vt per fraternam dilectionem præbeatis ei solatium id est, consolationem in mœrore tribulationis,* si qua societas spiritus, *est vobis, id est, si aliquam vnionẽ concordis animi per Spiritum sanctum habetis ad inuicem, vel si est aliqua societas Spiritus sancti ad spiritum vestrum,* (omitto plura Anselmi verba) *si hæc sunt in vobis, tunc implete, id est, perficite gaudium meum, quo de vestrâ religione gaudeo, hoc est, plenariè religiosam ducite vitam.* Hactenus Anselmus.

Anselm.

5. Et verò re vtrinque accuratiùs expensâ, vix apud me statuo, quem sensum alteri præponam; vt enim in alterutro, quod delectet, ita, & quod nonnihil obstrepat, inuenias. Subest quidẽ priori pulchra illa in primis sententia, quam alicubi Synesius tradit, eandẽ amicitiis, ac numeris vim inesse, vt quæ sunt eadem vni tertio, sint eadem inter se, eáque de causa Paulus omnia charitatis officia, studiáque, quibus se mutuò Philippenses prosequetentur, non secus, ac sibi ipsi exhibita, accepta ferre affirmat. Sub quo sensu videtur accepisse Gregorius lib. 33. Moral. c. 8. aliàs 11. illud eiusdem Pauli 2. ad Cor. 2. 10. *Cui autem aliquid donastis, & ego: nam & ego quod donaui, si quid donaui, propter vos:* hisce verbis, *ac si diceret, à bono vestro non dissentio, meum sit quidquid ipsi fecistis, atque mox subditur, & ego si quid donaui, propter vos, ac si diceret, vestris actibus bonum addidi quidquid propter vos misericorditer feci, vestra ergo est vtilitas, bonitas mea; mea est vtilitas, bonitas vestra.* Sed & subinde etiam in hoc sensu incredibilis Pauli charitas, & paterna in Philippenses beneuolentia ostenditur, dum in vincula coniectus, & ab aduersariis vndiq; afflictus sui ipsius penitus obliuiscatur, ac eam gratiam, & beneuolentiam, quam Philippenses multis ab illo officiis victi, multisq; ipsi nominibus se deuinctos agnoscentes, quod omni viâ ad hoc excogitatâ rependere percupiebant, hac vna re sibi persolutam esse velit, si pari ipsi amoris vicissitudine præditi, mutuâ se charitate diligerẽt. Vnde rursus Chrysost. *Ac si quisquam dicat, si quam mei rationem habes, si quo pacto tibi curæ sum, si vnquam aliquâ in re tibi benefeci, hoc facias:* & post nonnulla sub personâ Philippensium: *Quid vis? dic quæso: vt te liberemus à periculis? vt tibi quidquam subministremus? nihil horum, inquit, sed vt vos eodem sitis affectu.* Hæc ille, qui paulò antè sic etiã monuerat: *Hoc verò affectus genere vtimur, quo pro eo oramus, quod omnibus præponimus, nisi enim omnibus illud præponeremus, non omnem vtique retributionem in eo recipere vellemus, nec per ipsum totam vicissitudinem nobis exhiberi diceremus.*

Synes.

Greg. Mag.

Chrysost.

Dicat tamen non nemo, non satis molliter hæc textui aptari, cùm ex illo adeò non cõstet, iam consolationem, solatium, & societatem spiritus de consolatione erga Paulum potiùs, quàm erga Philippenses esse accipienda, vt multo aptiùs hæc Philippensibus ipsis inter se accommodentur, præsertim illud, *si qua societas spiritus;* necnon & id, *si qua viscera miserationis,* quod duriusculè accipias de miseratione Paulo exhibita; nec enim filius erga patrem, sed pater in filium viscera pietatis habere dicitur. Denique illud, *si qua consolatio in Christo,* non videtur iuxta hanc orationis seriem, atque tenorem Paulo quadrare, maximè iuxta Ambrosij lectionem; quì enim *exhortatio*, à Paulo Philippensibus facta, intelligi queat? Sed rursus in præfata Anselmi explanatione, quamuis hæ adiuratoriæ formulæ à sequentibus diuulsæ Philippensibus meliùs accommodentur; at enim verò, vt cum sequentibus cohærent, ad mutuam charitatem suadendam satis frigidè videntur assumi; quis enim erit huius propositionis sensus? si quod est vobis solatium charitatis, si qua viscera miserationis erga alterutrum, estotè vnanimes, & eandem habetote charitatem. Porrò in hac oratione, vel inaniter solatium dilectionis illis esse supponitur, vel frustra tã acri oratione id ab illis impetrari contenditur, quod ipsis iam inesse asseritur. 6.

Ergo in re dubia, vt aliæ rationes non essent, potiorem existimo priorem sensum, vel quod tot Patribus sit communis. Nec in illo aliquid continet absurdi lectio illa Ambrosij, *si qua exhortatio,* vel *excitatio in Christo;* esto enim hæc vna lectio germana esset, eleganter diceretur, eam mutuæ dilectionĩ vim & efficacitatem inesse, vt ipsimet Paulo in Dei amore flagrantissimo, & ob ipsum vincula & tribulationes toleranti, nouos ad virtutem stimulos, & (quod est in prouerbio) calcar currenti subdere videatur. Nec magis illud vrget, viscera potiùs de parribus erga filios, quàm de filiis erga parentes sumi solere; cùm ad Col. 3. 12. de mutuâ inter æquales beneficentiâ dixerit Paulus phrasi eâdem, vel persimili, *Induite vos viscera misericordiæ.* Nimirum Paulus, vt magis eos moueat, æqualem se erga illos exhibet. 7.

Ad Colos. 3. 12.

Quod si malit quis in Anselmi sensu conquiescere, elegans iuxta illum gradatio his verbis inest: mutuam enim dilectionem Paulus Philippensibus commendaturus, à consolatione in primis, siue exhortatione Christi, deinde à solatio, & gaudio, quod in mutuâ beneuolentiâ inuenitur, postea ab humani spiritus communione, & tandem ab ipsis humanis visceribus efficacissimam argumentationem pungentibus aculeis refertam ad hunc modum conficit: si quam ex Christi thesauris consolationem depromptam, vel si illud saltem leuamentum, quod in mutua dilectione inuenitur, experiri vultis, vel vt hæc non fuerint, si humani spiritus communionem, aut tandem si aliquem humanitatis sensum, qui & inhumanis feris in suos non deest, à vobis non omnino abesse vultis ostendere; date operam, vt eâdem animorum, ac sententiarum coniunctione præditi sitis: quasi Paulus à Christiani nominis professione, à solatio dilectionis, ab humanitate ipsâ, siue etiam à viscerum teneritudine viuentibus communi, Philippenses ad mutuam dilectionem vrgeat. Nec mouere debet in hoc dicendi modo hinc supponi mutuam illis charitatem esse, inde verò ad illam ipsos à Paulo vrgeri: habebant enim forsan illi aliqualem ad inuicem dilectionem, non tamen illam ardentem, & perfectam, quam in ipsis Paulus exoptabat. 8.

VER

VERSUS II.

Implete gaudium meum, vt idem sapiatis, eandem charitatem habentes, vnanimes, idipsum sentientes.

COMMENTARIVS.

1. POSSVNT hæc verba, vel de eo Paulini gaudij cōplemento accipi, quod ipse in vniuersum de præclaris initiis Christianæ conuersationis Philippensium conceperat; est namque gaudium in viris sanctis super vno peccatore pœnitentiam agente: sed gaudium impletum, id est, plenum, & perfectum, quando is qui iustus iam est, in incepto iustitiæ cursu perficitur; vnde ab hoc non abit alter sensus, sub quo de complemento gaudij quod in mutua illorum charitate Paulus haberet, hæc accipi possunt, quod non sit perfecta iustitia, vbi deest charitas, vnde Chrysost. *Vide ne videatur parenesis ista tanquam ad eos esse facta, qui vnam quampiam rem adhuc plenè omiserint non dixit, facite mihi, sed complete.* — *Chrysost.*

2. De verbo, φρονεῖν, pro quo noster posuit, *sapiatis*, bene monet Cornelius tam ad intellectum, quàm ad voluntatem referri posse, quod multis posset exemplis confirmari, quæ, si placet, apud Henricum Stephanum in Thesauro, tom. 4. fol. 207. & 208. facile videre est; vnde infert Cornelius velle Paulum his verbis, tam intellectu quàm voluntate, siue tam fide, & dogmatibus, quàm amore, & affectu Philippenses esse concordes. Sed aliquale negotium facessit, eodem verbo Græco statim subiici ab Apostolo, *idem sentientes*, quod iuxta hunc sensum superfluere videtur. Quare Syriacus ad voluntatem solummodo id retulit, dum legit, *vt sit vobis vna voluntas*; quod tam auidè arripuit Henricus Stephanus loco suprà indicato, vt, quamuis fateatur verbum, φρονεῖν, apud Platonem, Plutarchum, Aristotelem, Homerum, Eustath. & alios, constanter significare, mente præditum esse, apud Paulum tamen hoc, & aliis locis, non nisi affectum voluntatis significare velit; atque ideo contendit legendum esse, *vt itidem sitis affecti*: sicut & ad Romanos 12. 16. *Id ipsum inuicem sentientes*; pro quibus ait reponendum esse: *eodem animo inter vos mutuo affecti*. Quod verò hic subdit Paulus, *id ipsum sentientes*: ad intellectum solum refert Henricus, legitque, *iisdem sententijs vnıi*. Aliter S. Thom. qui ea verba, *id ipsum sentientes*, ad vnionem sententiarum in rebus externis, sic videtur referre: *Duo priora pertinere ad vnionem internam intellectuum, & voluntatum, duo verò posteriora ad vnionem externam prouenientem ex interna illa.* — *Corn.* — *Henr. Steph.* — *Lect. Syr.* — *Ad Rom. 12. 16.* — *D. Thom.*

3. Valde probabiliter, & accommodatè hæc omnia dicuntur: sed simpliciùs, opinor, responder Estius, ea verba, *idem sentientes*, inculcationem eiusdem rei esse, vel potiùs expressiorem concordiæ significationem; nec aliud voluisse Paulum, quàm exaggerationem quandam vsurpare, quâ significaret, quantum optaret eam inter illos vnionem omni ex parte perfectam, & absolutissimam esse. — *Estius.*

4. Quòd si verbum, φρονεῖν, sub aliâ, & aliâ significatione primo, ac secundo loco cum Syriaca lectione liceat accipere; non reticebo quid circa hæc verba, *idem sapiatis*, etiam mihi succurrat: Paulum videlicet non tam de mutuâ charitate, siue sententiarum in dogmatibus tradendis vnitate, quàm de iisdem studiis, moribus, affectionibus, & propensionibus loqui, vt idem sapere idem sit, ac eundem rerum gustum habere, quæ quidem significatio Latino verbo optimè accommodatur, vt ad vers. 9. cap. 3. latiùs dissero: sic Hispanè diceremus his verbis: *gust ad todos de vna mesma cosa*. Quod sanè monitum ad charitatem maximopere conducit: est enim omnis pacis, & concordiæ fons studiorum, ac affectionum similitudo. Vnde Ambros. lib. 1. offic. cap. 33. cùm de Iacob, & Esau, dissimillimis moribus, & studiis præditis, dixisset: *Inter dispares mores, & studia compugnantia beneuolentia esse non poterat*. ita subdit: *Nihil autem tam consociabile, quàm cum æquitate iustitia, quæ velut compar, & socia beneuolentiæ facit, vt eos quos pares nobis credimus, diligamus.* Ita omnino de se ipso, & Basilio intima animorum coniunctione deuinctis dicebat Nazianz. orat. 20. *Vitam actionésque omnes nostras dirigebamus, tum diuini præcepti ductum sequentes, tum alter alteri virtutis studium exacuentes: atque (nisi hoc arrogantius dicere videar) vterque alteri norma, & amussis eramus, quâ rectum à prauo discernitur.* Dissimilem verò rem pendens dicebat similiter Nazarius in Panegyr. ad Constantin. de impio Imperatore Maxentio eius amicitiam, & societatem recusante. *Sed profectò nullâ vi possunt coire, quæ naturali diuortio dissident: nec vlla tam fidelis est copula, quæ in diuersum tendentia nexu suo teneat. Perpendit, scilicet, tecum excellens prudentia tua, eiq; semper pietas applicata omnes concordiæ commoditates illam esse fundamentum, & radicem otij, bonorum ciuium seminarium, quietis publicæ segetem, & almam pacis altricem. Sed ô quam æger est ad honestatem recursus his, qui gradum ex nequitia protulerunt. Vocas ad societatem, appetitum tuum refugit, aduersatur, horrescit: nihil sibi putat tecum commune, quia nihil est simile.* Sed Nazario, & Ambrosio præiuit, opinor, Sallustius in bello Iugurthino, vbi ita signatissimè. *Nam fidei quidem aut concordiæ, quæ spes est? dominari illi volunt, vos liberi esse; facere illi iniurias, vos prohibere: postremò socijs vestris velut hostibus pro socijs vtuntur; potéstne in tam diuersis mentibus pax, aut amicitia esse?* Hæc ille. Rem Plutarchus optimè confirmat lib. de amicitiâ in plures diffusâ hunc in modum. *Quæ igitur (malum) ratio est, illic plantare amicitiam, vbi morum insignis est imparitas, & affectuum non minor? Vt ne dicam, vbi illegitima sunt omnia, & planè coacta, longeq; aliud atque aliud illi, & alteri propositum? Cæterùm musica in cantu, & organis arguè quidem concors est ex acutis, medijs, & grauibus modis, quâquam sint dissimiles. Porrò amicitia nihil recipit, nisi existat simile, eadem enim velle, eadem sentire, ac fateri, eisdémque affici, ea res demum firma amicitia est, non aliter, atque vna anima in multis corporibus æquabili ratione consistens.* Vnde quidem Tertullian. quid peccatum, malúmque esset velut digito inde demonstrabat, quod Deo qui vndequaque bonus est, aduersaretur. *Domino enim cognito,* (inquit ille lib. de Pœnitent. cap. 3.) *vltrò spiritus à suo auctore respectus emergit ad notitiam veritatis, & admissus ad dominica præcepta, ex ipsis statim eruditur, id peccato deputandum, à quo Deus arceat. Quoniam cùm Deum grande quid boni constet esse, vtique bono, nisi malum, non displiceret, quod inter contraria sibi nulla amicitia est.* Adde non leue etiam amicitiæ pondus ex iudicio, quod inter eos qui iisdem studiis, & moribus sunt præditi, resultare, tunc enim amicus non amatur solùm, sed diligitur: hoc est, non affectu, siue ardore, sed iudicio, & æstimatione eligitur. Hoc autem illo fortius multo, & diuturnius est. Sic scitè dixit Sidonius. *Namque vt sodalis tibi deuinctior fierem, iudicaui.* Similiter Ambros. lib. 1. — *Ambros.* — *Nazianz.* — *Nazar.* — *Sallust.* — *Plutarch.* — *Tertull.* — *Sidonius.* — *Ambros.*

offic. cap. 7. *Vos iudicio diligo, quo magnum charitati pondus ad vim diligendi adiungitur, probare quos diligas, & diligere quos elegeris.*

Eandem charitatem habentes.

5. Chrysost. CHrysostomus cum suis ad eandem charitatis mensuram, qua illi æqua lege, æquo iugo se amarent, sic refert. Noli cùm magna aliorum in te charitate fruaris, minorem ipsis præstare, quasi hac etiam in re plus æquo tibi appetas. Ita ille. Ad leges D Ambr. amicitiæ, de qua Ambros. lib. 3. offic. cap. vlt. mutuatus à Pythagora, dixit æqualitatis esse magistram, acumen id habet, sed vereor, ne præter Pauli Anselm. mentem sit. Paulò aliter Anselmus æqualem intelligit in omnes; nec omnino abs re, cùm amor inæqualiter in amicos diffusus, simultates & inuidias gignat. Alij verò eandem charitatem de pristinâ dilectione, quâ fuissent olim prædìti, accipiunt, vt ad eundem charitatis, & beneuolentiæ feruorem, quo erga alterum afficiebantur, redirent. Melius Estius. tamen explicat Estius de mutuâ charitate, quâ se inuicem diligerent.

6. Sed cur charitatem mutuam appellauit eandem? Credo persimilem hanc locutionem esse illi Virgil. Virgilianæ de Niso, & Euryalo vnicè se amantibus, lib. 9. Æneid.

His amor vnus erat, pariterque in bella ruebant.

Cerd. Ad quæ verba meus Cerda similia ex Homero, Sidonio, Manilio, Minutio & Theocrito adducit, videsis illum: vbi simul obserua, quod ad superiorem doctrinam de iisdem studiis facit, à Virgilio additum, *pariterque in bella ruebant*, vt argumentum mutui amoris illorum iuuenum indicaret. Eadem ergo Paulo charitas, ac vnus amor, Virgilio perinde est, ac idem velle, idem nolle, quæ veræ amici- M.Tull. tiæ definitio à Tullio libro de amicitiâ, & Seneca Senec. epist. 109. iisque, qui in arte sunt periti, esse asseritur.

Vnanimes.

7. Ambros. EXpressioris verò significationis præfatæ sententiæ, siue concordiæ gratiâ subdit Apostolus, *vnanimes*: id est, quibus vnus animus, vna mens, vnus sensus sit, vt cap. 1. vers. 27. adnot. 1. citatus Ambros. lib. 3. offic. cap. vlt. dicebat: *qui est vnanimis, ipse amicus est, quòd vnitas animorum in amicitia sit.* Quò it, quod ipsemet Ambros. in oratione de excessu Satyri fratris sui de egregio amore, qui Idem. vtrumque copulabat, dixit his verbis. *Cœpi enim hic iam non esse peregrinus, vbi melior mei portio est; nunquam enim totus in me fui, sed in altero nostri pars maior; amborum vterque animus eramus in Christo; in isto corpore enim, quod nunc exanime iacet, præstantior vita mea functio, quia in hoc quoque, quod gero corpore, vberior tui portio.* Vide dicta præfato loco capitis Nazianz. primi. Sed adde quæ Gregorius Nazianzenus oratione 20. de laudibus Basilij, à propria experientia edoctus, dum de eâ necessitudine agit, quæ inter ipsum, & Basilium intercedebat, opportunissimè ad hunc modum scripsit: *Vna vtrique anima videbatur, duo corpora ferens. Quòd si fides iis minimè habenda est, qui omnia in omnibus sita esse dicunt; at nobis certè credendum est, quod vterque in altero, & apud alterum siti eramus*: vt verò hanc animorum vnitatem ab iisdem moribus, & similibus potissimum studiis promanare indicaret subdit: *Vnum vtrique opus, & studium virtus erat, ad futuras spes viuere, nósque ita comparare, vt ante discessum ex hac vitâ, hinc migraremus.* Sic ille. Iam verò tam iuxta communem Chrysostomi, & Græcorum, quàm Anselmi, huius loci sensum, nonnulla in adnotationibus persequamur.

ADNOTATIO I.

Totius Christianæ disciplinæ summam in mutua dilectione censeri.

VT nobis meliùs aliunde, quàm sit pernecessaria fidelibus mutua dilectio non innotesceret; vehemens hæc Pauli oratio, quâ eam tot verbis, tot affectibus à suis exigit discipulis, abundè satis suadet, dum non obscurè indicat, omnis Christianæ rei summam, perfectique Christi discipuli complementum, totámque vndique hominis felicitatem in hoc cardine versari: huc enim in primis phrasis illa, *implete gaudium meum*, ire videtur; tantùm non dicens Apostolus imperfectum quid, inchoatam, ac mancam Christiani hominis vitam sine fraternâ dilectione esse. Sanè, vt Pauli discipuli in re Christiana proficere videbantur, ita ipsum lætari, ac gaudere necesse erat, quare dum inchoatum, siue non completum gaudium, ipse suum appellat, eos ex mutuæ charitatis defectu, vt imperfectos coarguit. Quare compone hæc Pauli verba, quæ in manibus habemus, cum illis ad Romanos 13. 10. Ad Rom. 13. 10.
Qui enim diligit proximum, legem impleuit, nam non adulterabis, non occides, non furaberis, non falsum testimonium dices, non concupisces, & si quod est aliud mandatum, in hoc verbo instauratur: Diliges proximum tuum sicut te ipsum. Addit Apostolus, *plenitudo ergo legis est dilectio*: necnon cum his Assertoris apud Matth. 5. 23. *Si ergo offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid aduersum te, relinque ibi munus tuum ante altare, & vade priùs reconciliari fratri tuo, & tunc veniens offeres munus tuum*; quæ loca variis lectionibus, & rationibus penitius elucidare placet. Matt. 5. 23.

Et primò quidem pro *instauratur*, Ambros. nostro instituto proximus legit, *consummatur*: hoc est, perficitur, siue omnibus numeris absolutum redditur, vt nimirum dilectio aliis legis, & virtutis operibus perfectionem, ac complementum, & vt ita dixerim, vltimam manum addat, siue, vt phrasi Pauli loquamur, iustitiæ fructibus saporem, & maturitatem reddat: vnde absque ipsâ omnia imperfecta, inchoata, & velut immatura, & acerba sunt. Quo sensu dixit Gregor. Magn. hom. 27. in Euang. Gregor. *Omne mandatum de solâ dilectione est, & omnia vnum preceptum sunt, quia quidquid præcipitur, in solâ charitate solidatur*: hoc est, solidum, perfectum, atque absolutum efficitur. Ita quidem dixit Iacobus cap. 3. Iacob. 3. 18. 18. *Fructus iustitia in pace seminatur facientibus bonum*, ac si diceret, non sufficit iustitiæ fructus, vt opportunè proueniant, quomodocumque seminare; sed opus est, vt singillatim in charitate seminentur, aliàs adulterini, atque syluestres fructus à generosa stirpe degeneres pullulabunt. Sic Origen. Origen. homil. 3. in Leuit. *Neque enim accepta esse possunt Deo opera tua, nisi in pace peragantur, sicut & Iacobus Apostolus dicit*: fructus autem iustitiæ in pace seminatur. Luculentiùs verò Leo Pontifex serm. 10. de Leo Magn. Quadragesi. his verbis. *Quamuis magnum sit habere rectam fidem, sanámque doctrinam, & multa laude digna sit circumcisio gulæ, lenitas mansuetudinis, puritas castitatis, nudæ sunt tamen omnes sine charitate virtutes, nec potest dici in qualibet morum excellentiâ fructuosum, quod non dilectionis partus ediderit.* En reliquorum

quorum fructuum iustitię maturitatem, perfectam-
que naturam, ac conditionem à charitate pro-
uenire, non secus, ac generosæ plantæ sureulus
syluestri arbori insitus, optimos, ac perfectos fru-
ctus ab ipsa pullulare facit.

3. Applaudit visio rotæ intra rotam, sic Ezechieli
Ezech. 1. 16. ostensa, cap. 1. 16. *Apparuit rota vna super terram
iuxta animalia, habens quatuor facies*: & statim, *&
aspectus earum, & opera, quasi sit rota in medio rotæ.*
Etenim si de rotâ habente quatuor facies consu-
Ambros. las Ambros. lib. 2. de Abraham, cap. 8. dicet tibi. *Ro-
ta autem vita est super terram, qua viuimus: si animæ
nostræ motus quatuor eleuantur, eleuatur & vita nostra.*
Prad. De rotâ verò in medio rotæ, sic censet Prado in cō-
ment. de primâ visione, part. 2. sect. 7. vt ipsâ mutua
dilectio, quâ se inuicem fideles constringunt, signi-
ficetur. Ergo quantumuis perfecta, & super terram
eleuata videatur vita nostra decurrere, nisi interiùs
adsit mutua dilectio, manca quidem, & imperfecta
censebitur; quippe ab interiori rotâ rectum de-
cursum, atque motum, imò & vitæ spiritum, qui
Ezech. 1. 20. erat in rotis, Ezech. 1. 20. desumit. *Omnes quidem
1. Ad Cor. 9. 24. currunt* (inquit Paulus 1. ad Corinth. 9. 24.) *sed vnus
accipit brauium.* Quis autem hic, *vnus*, sit, sic expli-
Origen. cat Origen. hom. 1. in lib. Reg. *Meritò, & ipsi non
solum vnum, sed & vnus dicuntur, sicut Apostolus
designauit dicens*, omnes quidem currunt, sed vnus
accipit palmam. *Vides manifestè, quia omnes iusti vnus
est?* Vnde iure inferas hâc quosdam, illâc alios cur-
rere, siue rotatum ire: vnum verò, hoc est, charitate
præditum rectâ viâ ad palmam, feliciterque dis-
currere; dum eius *aspectus, & opera, quasi sit rota in
medio rotæ.* Ita quidem videas nonaginta nouem
oues à Dei filio in montibus fuisse derelictas: vnam
verò quæsitam, & propriis humeris reportatam,
Matt. 18. 12. Matth. 18. 12. quod hæc vnitatem, & mutuam di-
lectionem, siue homines animorum coniunctione
vnum factos: illæ verò superbos, qui virtutum
elatione ab vnitate se diuellant, significent. Ita Pas-
chas. lib. 8. in Matth. *Etsi quidam eximius Doctor hunc
Paschas. numerum relictarum ouium, de his dictum accipiat oui-
bus, quas reliquit in deserto: non de Angelis quidem, sed
de superbientibus quibuslibet hominibus, quos superbos
significat, tamquam solitudinem gerentes in animo, dum
solos se videri volunt, quibus ad perfectionem vnitas
deesse probatur, cum enim, inquit, quisque à verâ vnita-
te diuellitur suæ potestatis esse cupiens, per superbiam
vtique diuellitur.* Nec alio sensu idem Aposto-
1. Ad Cor. 16. 13. lus 1. ad Corinth. 16. 13. cùm monuisset: *Vigilate,
state in fide, viriliter agite, & confortamini*: subdidit:
omnia vestra in charitate fiant; ac si diceret, inquit
Chrysost. Chrysostom. *Siue quispiam increpet, siue imperet, siue
obtemperet, siue discat, siue doceat, omnia denique hoc
veluti sale condiantur*, secus insipida, & inecondita
Dei gustui, nec recto cursu decurrentia futura.
Anselm. *Nam quidquid sine charitate agitur* (Anselmus indi-
dem) *nihil est, quàm esse bonum valde videatur.* Le-
August. ge similem sententiam apud August. in Enchirid.
cap. 121. tom. 3.

4. Quam etiam emphasin habent illæ Pauli locu-
Ad Heb. 13. 20. tiones ad Hebr. 13. 20. *Deus autem pacis aptet vos in
omni bono, vt faciatis eius voluntatem*: & ad Coloss. 3.
Ad Colos. 3. 12. 13. *Induite vos, sicut dilecti Dei, sancti, & dilecti, visce-
ra misericordiæ, benignitatem, humilitatem, modestiam,
patientiam: super omnia autem hæc charitatem habete,
quod est vinculum perfectionis*: quibus manifestè ad-
struit, quasuis egregias actiones, atque virtutes à
charitate diuulsas non secus, atque seopas dissolu-
tas ad nihilum aptas censeri. Ita ad hæc vltima ver-
Chrysost. ba Chrysostom. *Non dixit fastigium, sed quod est ma-
ius, vinculum, hoc enim est magis necessarium, quàm il-
lud; nam fastigium quidem est intensio perfectionis, vin-
culum autem est complexus, & comprehensio eorum, quæ
perfectionem efficiunt, tanquam radix*: ac si dixerit;
ideo hac deficiente, omnes subinde deficere, & auo-
lare necesse est, non secus, ac si iis, quæ sunt vinculo
copulata, vinculum demeres, passim spargentur, de-
cident, & nihil fient. Quam ad rem S. Isidor. Pelu-
siota. Chrysostomi discipulus, lib. 3. epist. 468. sic Isid. Pelus.
opportunè loquitur: *Quòd florente Ecclesiâ, & non-
dum morbo laborante diuinæ gratiæ circum eam velut
chorum ageret, sancto, videlicet, Spiritu res administran-
te, & antistitem vnumquemque incitante, ac Ecclesiam
in cœlum conuertente, omnibus notum, & perspicuum
est. Quòd autem posteaquam eo morbo affecta est, ac se-
ditione laborauit, omnia illa auolarint, atque non gratiæ
dumtaxat* (*neque enim ita grauis res esset, si hoc solum
mali esset*) *sed etiam vita & virtus abscesserint, id quo-
que nemini obscurum est.* Hæc Isidorus.

Circa locum verò epist. ad Hebræos optima est 5.
obseruatio Riberæ, circa verbum, καταρτίσαι, Ribera.
metaphoram esse à membris luxatis suo loco resti-
tuendis, quod sic capit Iustinian. vt non modò per- Iustinian.
fectos, & in omni bono opere absolutos, sed etiam
inter se ipsos per animorum, ac sententiarum con-
iunctionem maximè connexos, & cohærentes à
Deo Hebræos reddi, deprecetur Apostolus. Quod
si ad orationis seriem attenderis, & particulam, *vt*,
tantisper premas, illud elicies, ineptum omnino ad
Dei amicitiam, & veluti ad omne opus bonum re-
probum, non secus, ac membrum proprio loco mo-
tum, atque distortum, eum esse qui mutuam cum
proximo charitatem non habet. Hæc non verbis,
sed rebus, siue exemplis confirmare placet. Extat
enim apud Ecclesiasticos scriptores non aliter,
quàm erecta columna, ea infelicissimi Sapricij hi-
storia, qui quod à fraterna charitate velut luxatum
membrum esset diuulsus, immaturus martyrio,
ineptus ad omne opus bonum, inconditus Dei pa-
lato, vacuus meritis, atque virtutibus habitus est.
Nec omittam Illustris. Cardin. Baron. verbis con- Card. Baron.
scriptā tibi apponere historiam: sic enim ipse tom.
3. Annalium ad ann. Christi 260. num. 32. *Perspi-
cuum tunc planè, sed pauendum editum est exemplum,
quo fideles omnes admonerentur, frustra quaque magna
conari hominem Christianum, nisi fraternæ charitatis
compage fuerit solidatus: cùm Sapricius Presbyter vitâ
iam oppigneratâ martyrio, quod odio flagraret in Nice-
phorum, ipsum propè ictum vibrante carnifice, Christum
negans, idolis sacrificauit.* Vides eum, qui aliis mem-
bris aptatus non est, ineptum ad faciendam Dei vo-
luntatem esse? Doleat tamen nō nemo infelicis Sa-
pricij exitum, qui si tantisper durasset, momenta-
neumque ictum pertulisset, coronatus in cœlum
martyr euolasset. Nugæ id: durasset enim quantum
velles, diuturnasque pœnarum molestias pertulis-
set, carnificique centum præbuisset ceruices, toti-
demq; ille amputasset; adhuc tamē martyr nō fuis-
set. Passus est nescio quid pro Christiano nomine
Nouatianus (forsan leue, ac simplex carceris tæ-
dium, vt in Praxea irridebat Tertullian. libro ad- Tertull.
uersus Praxeam: *De iactatione martyrij gloriatus ob
solum, & simplex, & breue carceris tædium*:) cùm ecce,
ipsius sequaces martyrem eum appellare, eamque
sectam commendare, quæ martyres haberet, non
cessabant; sed grauiter tunc illis sic obuiam iuit S.
Pacianus Barcinonens. Episcop. epist. 2. ad Sympro- S. Pacian.
nian. Nouatian. *Porrò etiam si passus est aliquid No-
uatianus, non tamen etiam occisus, non tamen coronatus.
Quid ni? Extra Ecclesiæ pacem, extra concordiam, extra
eam matrem, cuius portio debet esse, qui martyr est. Au-
di Apostolum*, & si habuero omnem fidem, ita vt

montes transferam, charitatem autem non habeam, nihil sum. Cyprian. Luculentiùs verò Cyprian. de oratione Domin. *Discordans, & dissidens, & pacem cum fratribus non habens, nec si pro nomine Christi occisus fuerit, crimen dissensionis fraternæ poterit euadere. Quale crimen quod martyrio non potest expiari?* Sic ibi. Et lib. de simplicit. Prælat. *Quam sibi igitur pacem promittunt inimici fratrum? Quæ sacrificia celebrare se credunt æmuli Sacerdotum? Tales etiam si occisi in confessione nominis fuerint, macula ista, nec sanguine abluitur. Inexpiabilis, & grauis culpa discordiæ, nec passione purgatur.* Ita Cyprian. de discordiâ, & odio contumaciter in pectore durante capiendus: & statim; *Ad regnum peruenire non poterit, qui eam quæ regnatura est, derelinquit. Pacem nobis Christus dedit, concordes atque vnanimes esse præcepit: dilectionis, & charitatis fœdera incorrupta, atque inuiolata seruari mandauit, exhibere se non potest martyrem, qui fraternam non tenuit charitatem.* Pergit multis præsertim ex Paulo 1. ad Cor. 1. Ad Cor. 13. 3. 13. 3. sic expressis: *Si tradidero corpus meũ vt ardeam, charitatem autem non habeam, nihil proficio* postea Ioan. 15. 12. verò hæc addit. *Ad regnum cælorum non potest peruenire discordia, nec ad præmium Christi, qui dixit, hoc est mandatum meum, vt diligatis inuicem.* Vnde tandem concludit: *Ardeant licèt flammis, & ignibus traditi, vel obiecti bestiis animas suas ponant, non erit illa fidei corona, sed pœna perfidiæ, nec religiosæ virtutis exitus gloriosus, sed desperationis interitus. Occidi talis potest, coronari non potest.* Optimè hæc Cyprianus.

6. Sed illud in primis emphaticè dictum: *Ad regnum cælorum non potest peruenire discordia*: perinde est enim, ac si dicatur, illuc ire, aut venire potest; at peruenire, aut intrare non valebit: quâ enim cœlestes portas, ex vnionibus, hoc est, charitate, & concordia fabrefactas, (nam *duodecim portæ, duodecim margaritæ sunt per singulas: & singulæ portæ erant singulæ* Apoc. 21. 21. *margaritæ.* Apoc. 21. 21.) discordia possit intrare? Pergebant quidem ad nuptias, virginitati suæ nimis confidentes fatuæ illæ virgines, cum ianua ipsis oc- Matt. 25. 12. clusa ab sponso respondetur: *Nescio vos.* Matthæi 25. 12. Quare? Sanè, quod vt aliis virtutibus non adeò essent destitutæ, at charitatis oleum, quod vnum regni cœlestis aditum patefacit, & portas oc- D. Bernard. cupat, non habuerint. Ita Bernard. ep. 42. ad Henric. Senonens. Archiep. tam hæc, quàm prędicta omnia sic optimè confirmans. *Venustate sui castitas eminere appareat, sine charitate tamen, nec pretium habet, nec meritum. Nec mirum. Quod enim absque illa bonum suscipitur? Fides? Sed nec si montes transferat. Scientia? Sed ne illa quidem quæ lingua loquitur Angelorum. Martyrium?* Nec si tradidero, *inquit*, corpus meum, ita vt ardeam. *Nec absque illâ quodlibet bonum suscipitur, nec cum illa quamlibet exiguum respuitur. Castitas sine charitate lampas est sine oleo. Subtrahe oleum, lampas non lucet. Tolle charitatem, castitas non* Elig. *placet.* Breuiùs Eligius huc intentus hom. 8. *Qui hæc implere noluerit, ipse sibi ianuam diuinæ misericordiæ claudit.* Hæc Pontificia auctoritate, & sapientia, sic Liber PP. firmauit Liberius P P. in epist. cùm esset in exilio: *Pro bono pacis, & concordiæ, quæ martyrio præponitur, his literis conuenio vos.* Deinde opportunè conclusit Cyprian. Cyprianus: *Occidi talis potest, coronari non potest.* Nimirum dilectio, Christianæ disciplinæ apex, virtutum fastigium, & currentis in agone corona, regiumque solis Christi discipulis asseruatum diadema est: sic enim Chrysost. hom. 32. in epist. 1. ad Chrysost. Corinth. *Quemadmodum vestes licèt aureæ sint, calceamenta aurea, aliud tamen indumentum requirimus, vt Regem agnoscamus, vbi primum aut purpuram, aut diadema intuemur, iam regiæ maiestatis signum nullum aliud expectamus; ita sanè cui charitatis diadema incumbit, iam nihil obstat, quominus Christi discipulus verè existimari possit, non nobis solum, sed impiis.* Hæc Chrysost.

7. Sed hæc iam verbis Matthæi c. 5. 23. *Si offers munus tuum ad altare,* &c. vt promisimus, aptemus. Et Matt. 5. 23. verò optimo iure munus illud ante reconciliationem cum fratre ab altari arcetur, quod absque mutua charitate imperfectum, atque acerbum, mancum & Dei conspectu indignum fuerit. Porrò Sacerdoti sanctuarium ingressuro, non aliâ quàm mortis pœnâ propositâ districtè præcipitur, vt non nisi ea tunica indutus, è qua malogranata, & aurea tintinnabula sonantia (pacis vtrumque egregium symbolum) dependerent, ad Domini conspectũ accederet, Exo. 28. 35. Exod. 28. 35. *Vt audiatur* (ait Dominus) *sonitus quando ingreditur, & egreditur sanctuariũ in cõspectu Domini, & nõ moriatur*: moriturus dubio procul, nisi humanæ pacis, & charitatis signa ad Dei præsentiam deferret. Sed quare? Planè quod aduersus Domini præceptũ Exod. 23. 15. appareret *in conspe-* Exod. 23. 15. *ctu* eius *vacuus*, vacuaque & infructuosa eius oratio esset futura. Bene enim à Cypriano monitum Cyprian. lib. de orat *Orantes autem non infructuosis, nec nudis precibus ad Deum veniamus. Inefficax petitio est, cum precatur Deum sterilis oratio.* Sed cur vacuus appareret, qui totum secum circumferret terrarum orbem? Sic enim Sapientiæ 18. 24. *In veste enim poderis, quam habebat, totus erat orbis terrarum.* Equidem Sap. 18. 24. quod præ charitate totus terrarũ orbis nihili apud Deum fiat, & sine charitate totus orbis terrarum vacuus sit; vnde qui pacem, & proximi dilectionem Dei conspectui non inferat, totum licèt orbem secum deferat, vacuus censebitur. Quid enim quæuis vel terrenarum, vel spiritualium opum munera, quæ charitas non comitetur, esse existimes, nisi monilium, & ornamentorum externas thecas, & arculas opibus, & monilibus vacuas, atque carentes? Audi S. Isidor. Pelusiot. citata epist. 408. *Pacis* Isid. Pelus. *quidem nomen vbique est, res autem ipsa nusquam; verùm Ecclesia fœminæ cuidam, quæ ex antiquâ felicitate excidit, ac signa tantùm habet, similis est: ornamentorum enim suorum thecas, & arculas habet; opibus autem spoliata est.* Hinc Cyprian. de orat. Domin. *Sacrificium* Cyprian. *Deo maius est pax nostra, & fraterna concordia, & de vnitate Patris, & Filii, & Spiritus sancti plebs adunata. Nec enim in sacrificiis, quæ Abel, & Cain primum obtulerunt, munera eorum Deus, sed corda intuebatur, vt ille placeret in munere, qui placeret in corde. Abel pacificus, & iustus, dum Deo sacrificat innocenter, docuit & cæteros, quando ad altare munus offerunt, sic venire cum Dei timore, cum simplici corde, cum lege iustitiæ, cum concordiæ pace.*

8. Cui quidem muneris vacuitati, siue inanitati, illud est proximum, inanem, atque inefficacem orationem siue sacrificium eius esse futurum, qui sine proximi charitate Deum sibi promereri, aut ab eo aliquid impetrare vellet. Inualere cœpit Tertulliani tempore is mos, vt in ieiuniorum diebus sancti osculi pax post orationem à fidelibus mutuò reddi solita, non daretur; quem ipse lib. de orat. cap. 14. inde scitè conuellit, quod oratio sine pace non integra, & ad obtinendum efficax, & absoluta, sed manca, & debilis censeri debeat. *Alia iam* (in- Tert. *quit*) *consuetudo inualuit, ieiunantes habitâ oratione cum fratribus subtrahunt osculum pacis, quod est signaculum orationis,* &c. *Quæ oratio cum diuortio sancti osculi integra? Quem Domino officium facientem impedit pax? Quale sacrificium est, a quo sine pace receditur?* Obserua illud, *quod est signaculum orationis:* & id, *quæ oratio cum diuortio sancti osculi integra?* Iis enim locutionibus adstruit, pacem orationi integritatem,

tem,& vires,quibus reddatur efficax,adhibere,non secus, ac signaculum, siue sigillum eam publicis tabulis auctoritatem conciliat, vt sine illo inefficaces,ac inualidæ sint. Firmat id ipsemet Dominus Isaiæ 1. 15. dum infideli populo sic grauiter minatur. *Cùm extenderitis manus vestras, auertam oculos meos à vobis, & cùm multiplicaueritis orationem, non exaudiam;manus enim vestræ sanguine plenæ sunt.* Vbi non aliâ de causâ sacrificia, & orationes, quæ aliàs Deo suauissimæ esse solent, omnino repudiandæ dicuntur, quàm quod orantium manus sanguine, hoc est,aliorũ iniuriis,mutuisque dissidiis (id enim significat sanguis in Scripturâ, vt bene ibi obseruat Arias Montan.) infectæ essent. Quare subdit Dominus. *Lauamini,mundi estote,auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis;quiescite agere peruersè:discite benefacere,quærite iudicium: subuenite oppresso,iudicate pupillo:defendite viduam, & venite, & arguite me, dicit Dominus;si fuerint peccata vestra rubra quasi vermiculus, velut lana alba erunt.* Notetur ille dicendi modus; *& venite,& arguite me*; necnon significatio Græci verbi ἐλέγχω,quæ est *conuincere*; & Hebræi *Niuuacha*,quod Paginus vertit *increpare*, propriéque significat reprehensionem, cum correctione in posterum; ex quibus hæc se prodit Dei sententia. Quamdiu mutuam charitatem non habueritis, nihil prorsus à me vestris orationibus obtinebitis;quippe quæ inefficaces, & imperfectæ ad permouendum meum animum sunt,non secus, ac syllogismus in debitâ arguendi formâ, atque ordine peccans,& claudicans,ex quo nihil valeat inferri:at enimverò, si mutuâ dilectione concordes ad orandum accesseritis, ea vestris precibus aderit efficacia, atque virtus, vt velut necessariâ argumentatione concludat,atque conuincat ad annuendum vestris postulatis, & quidquid petieritis elargiendum,alioquin,quod fieri nunquam poterit, vestris libens increpationibus manebo obnoxius.

(Isai.1.15. Montan. Pagnin.)

9\. Porrò id ipsum præfatus Sacerdotis sanctuarium ingredientis habitus dilucidè ostendit; de ipso enim ita Hieron. epist. 128. *Iustum erat,vt Pontifex creaturarum omnium typum portans in vestibus suis, indicaret cuncta indigere misericordiâ Dei, & cum sacrificaret pro cunctâ creaturâ,& voce,& habitu precaretur.* Quare habitu? Quia ipsamet charitas,atque concordia,quam malogranata, & tintinnabula vestem,in quâ totus erat orbis terrarum,circumornantia præfigurabant, sine voce precabantur, iratumque Deum ad miserendum benefaciendúmque flectebant; loquitur enim sine voce charitas, immò clamat; eáque clamoris efficaciâ, cui vix Deus valeat obniti. Audi ipsum Moysem, vt de fratribus suis sollicitum,ita curam silentio prementem,sic affantem Exod.14.15. *Quid clamas ad me?* Vbi dum meritò ambigitur, cur Moyses, qui inibi nec verbum vllum loquebatur, clamare dicatur, eáque vehementiâ,& granditate vocis,& orationis Deum alloqui,vt ipsum flectere,ac frangere videatur.Sic respondet Paschal.in Thren.*Clamabat Moyses ardore charitatis.* Contra verò Caino munera offerente,ad Deumque (vt creditu est facile) vociferante,ipse *non respexit*,siue vt Lxx.habent,*non attendit*,non secus, ac si nihil ipse obtulisset, aut locutus esset,Gen.4.5. *Quia nec ad Cain munera respexit Deus* (verba Cypriani lib. de simplicit.Præl.) *Neque enim habere pacatum Deum poterat, qui cum fratre pacem per zeli discordiam non habebat.* Vnde ad rem Saluianus Massil. l.3. de Prouident. *Quid dignius,aut quid iustius?non audiuimus,non audimur:non respeximus,non respicimur.* Sed & rursus pende præfata Domini verba apud Isai.1.15. *cùm multiplicaueritis orationem,non audiam*; emphasim enim habet verbum *exaudire*, quod perfectè audire, dictaque aduersus alios obstrepentia percipere significat.Ita apud Liuium lib.6. *Equitem clarâ increpans voce, vt hostes exaudirent,redire in prælium iubet.* Ergo, vt talem orationem excluserit Deus,nec postulata concesserit,cur eam qui *totus auditus* est,vt inquit Plin. lib.2.cap.7.non exaudire dicatur? Respondet acutè Gregor. Nyssen.orat.5.in orat.Dom. *Sed irrita, atque inefficax est eiusmodi vox, & ad aures diuinas non pertinet,ac penetrat, nisi conscientia vnà nobiscum clamet, quod rectum,bonum,& decorum sit misericordiam impertiri.* Et paulò post agens cum eo, qui cùm seuerus,& durus in suos debitores exactor sit,peccatorum veniam à Deo deprecatur,blandumque sibi, ac indulgentem creditorem eum habere vult,subdit. *Deleri tibi chirographum aduersus te scriptum precaris,qui diligenter seruas obnoxiorum pacta,atque contractus:tabulas nouas, & abolitionem, atque remissionem debitorum petis, qui per vsuras æs alienum nutris, & auges: tuus debitor est in carcere, & tu in oratorio: ille ob debita cruciatur,& tu remitti tibi debitũ vis: exaudiri oratio tua non potest.Superat enim sonus,& strepitus vocis eius,qui cruciatur*: voce altiori videlicet afflicti gemitu, & vehementiori catenæ sonitu obstrepente. Vide Isai.58.3. *Omnes debitores vestros repetitis*, &c. *percutitis pugno impiè: Nolite ieiunare sicut vsque ad hanc diem, vt audiatur in excelso clamor vester.*

(Exod.28.35. Hieron. Exod.14.15. Paschas. Lxx. Genes.4.5. Cyprian. Sal. Mas. Isai.1.15. T. Liuius. Plin. Nyssen. Isai.58.3.)

Adhæc, si munus hoc siue sacrificium, quod ad altare oblatum à Deo non suscipitur,pro expiatione delicti offerendum adducebatur, vt suspicatur Chrysost. vide iam quàm sit necessaria ad promerendum, siue repropitiandum Deum proximi charitas,quando Deus, qui ad amicitiam cum homine contrahendam promptissimus,& auidissimus est, quippe *expectat Dominus* (Heb.*inhiat*, siue *anhelat*) *vt misereatur vestri*.Isai.30.18.non priùs de eâ ineũdâ cogitat, quàm is qui ipsius amicus est futurus, mutuâ cum proximo dilectione copuletur, *nullam* (inquit Hilar. can.4. in Matth.) *impacificæ orationis fieri precem patitur,sed ad altaria munera offerentes,si recordentur habere se cum fratribus aliquid simulatum, reconciliatâ humanâ pace reuerti in diuinam pacem iubet,in Dei charitatem de charitate hominum transituros.* Sed cur id mirum non fuerit? & rem humano iudicio æstimans secus non philosophetur? Vt de Deo placando, eiusque amicitiâ obtinendâ impensiùs primùm agatur,postmodum verò ad humanam reconciliationem, tamquam minoris momenti rem homo accedat:sed aliter Deo placitum,qui in suam charitatem de charitate hominum transire iubet,vt nimirum homo homini ad amicitiam cum Deo coniungendam locum faciat, sitque (vt vulgari imagine vtar) velut Antistes,qui dimissorias literas alicui ex subditis,vt ab alio Prælato ordinetur, tribuit,aliàs Dei amicus fieri nequeat. Quam sanè ad rem mirificè facit sacratissimæ Eucharistiæ institutio:& quidẽ dubitet nõ nemo, cur hæc priùs quàm Sacramentum pœnitentiæ, quod ipsa subsequi potiùs quàm præcedere debet, fuerit instituta. Alij alia dicunt;sed nostro instituto opportuniùs respõdet S.Paschasius,consultò ante Passionem Eucharistiam,in quâ,& cum ipsomet, & nobiscum vnum omnes efficimur corpus, Christum instituisse, vt non nisi pro concordibus,atque vnitis se daret pretium,nec nisi vnitos, atque concordes in Passione sua summo Patri offerret. Sic enim ille lib.12. in Matth. in illud c.26.26. Cœnantibus autem eis. *Quatenus per hoc antequam se daret in pretium,nos in illo, & ille in nobis vnum essemus corpus.* 10.

(Isai.30.18. Hilar. Paschas. Mat.26.26.)

Quare

11\. Exo. 28.35. Quare iterum expende verba Exod. 28.35. *Vt audiatur sonitus, quando ingreditur, & egreditur sanctuariũ in conspectu Domini, & non moriatur:* iis enim innui videtur, adeò esse Deo gratam proximi dilectionẽ, vt ad eius imaginem, & insigne ipse, vt alter ille Rex Assuerus regiam clementiæ virgam, ne qui ad illum ingrederetur, morti esset obnoxius, extendat, Ester. 4.11. (Ester. 4.11.) Sanè, quasi ipsa dilectio quæuis alia eius qui munus offerebat, errata quasi contectura, & pro illis oratura esset; munus verò quãtumuis magnificum charitatis defectum contegere non posset, quin eo ad sacrificandum ingrediente non moreretur. Ita quidem dicebat Petrus epist. 1. c. 4. 8. (1. Pet. 4. 8.) *Charitas operit multitudinem peccatorum:* quæ sic capio cum Hilario (Hilar.), can. 4. in Matth. *Charitas plurimum peccatorum tegit, & errorum nostrorum ambitiosa ad Deum patrona est:* vbi obserua elegans epitheton, *ambitiosa:* dicitur enim ambitiosus, tum qui habitu, sermone, vultu, denique modis omnibus misericordiam captat: sic dixit Quintil. (Quintil.) lib. 1. *Non sum ambitiosus in malis, nec lacrymarum caussas agere volo, vtinam esset ratio minuendi:* tum etiam, qui multa ambit, vti de amne dixit Plinius (Plin.) lib. 4. cap. 15. *Quantum locorum situs patitur, ambitiosus.* Ambitiosa ergo apud Deum patrona charitas est, quæ modis omnibus misericordiam captat, multa in eam ambiens, & circumiens. Vnde Paulinus (Paulin.) ep. 4. ad Seuerum, amici charitate vnum de magnis debitis Deo se persoluere sic dicebat: *Quo magis tuâ charitate gloriamur in Domino, quæ sola nos facit aliquatenus vel vnum de magnis, & innumeris debitis Deo soluere; in omnibus enim alijs bonis vix tantum, vel in paucis initiatos, in tuâ tantum dilectione profitemur esse perfectos.*

12\. Quò etiam aduoces alium sensum, aliamque lectionem præfati loci ad Romanos, quem præ manibus habemus, *& si quod est aliud mandatum, in hoc verbo instauratur.* Etenim verbum, *instauro*, etiam significat integrare, renouare, siue reformare: ita apud Cicer. (M. Tul.) lib. 1. de Diuinat. instauratiui ludi dicuntur, qui in locum eorum, qui aut prætermissi, aut perperam facti fuerant, instaurabantur; similiter Græca vox, ἀνακεφαλαίωσις, à verbo ἀνακεφαλαιόω, quod pro *instaurare*, posuit Paulus, summarum collectionem, in quâ quæ in singulis rationibus perperam scripta aut signata sunt, subinde instaurantur, propriè significat, vt sit sensus, charitatem & mutuam dilectionem maximum aliorum defectuum supplementum esse. Vnde ad hæc verba Ambros. (Ambros.) *Ac si sint alia mandata, quæ nunc tacuit, tamen pro omnibus mandatis dilectio satisfacit.* Quod quidem non nisi prædicto sensu, *vt errorum nostrorum* (vti dicebat Hilarius) *ambitiosa ad Deum patrona* sit, capiendum est. Certè iam olim volens Deus in homines alioqui indignos, & iniquos misericordiam suam effundere, sic eos alloquebatur Sophon 2.1. (Soph. 2.1.) *Congregamini gens non amabilis, prius quam pariat visio transeuntem diem;* vbi Hieronym. (Hieron. Lxx.) dum ex LXX. legit: *colligamini*, sic explicat: *Estote vobis iuxta Apostolum charitatis vinculo copulati:* ac si diceret Dominus. Ideo potissimum estis mihi *gens non amabilis*, quod ad inuicem dissidetis: colligamini iam, & mutuâ vos dilectione copulate, vt vel hac ratione regiam clementiæ virgam extendam, debitasque vobis pœnas, ac supplicia remittam. Hac ratione opportunè dicebat S. Eligius (S. Eligius.) loco citato. *Satis delicatè nobiscum agitur, quando in potestate nostra datur qualiter iudicemur.* At enimverò seuerè nos nobiscum agimus, cùm à fratre dissidentes ad altare sacrificaturi accedimus. Vnde de Cain Chrysol. (Chrysol.) serm. 109. non fruges, sed siccas stipulas, quibus ipsemet exureretur, in sacrificium attulisse, sic dixit. *Cain gestans sibi stipulam, fomentum sibi per quod exureretur, inuenit.*

Sed enim propria etiam Græci verbi, ἀνακεφαλαιόω, siue *recapitulo*, vis eò it, vt significet, ad aliquid tamquam ad caput referri, vnde is etiam huic loco sensus subest, omnia præcepta ad dilectionem, tamquam ad caput, & scopum dirigi, quod Deus per legem ad charitatem potissimum nos perducere intendat. Vnde Aug. (August.) in Psalm. 89. pulchrè cum præfatis Pauli verbis componit ea Regij Vatis Psal. 89. 17. (Psal. 89. 17.) *Et sit splendor Domini Dei nostri super nos: & opera manuũ nostrarum dirige super nos, & opus manuum nostrarum dirige:* obseruans eademmet opera, quæ plura priùs appellauit Dauid inquiens: *opera manuum nostrarum dirige super nos*, postmodum vnum tantum appellari dum subdit, *& opus manuum nostrarum dirige*, quod omnia opera ad vnum charitatis scopum dirigantur. *Audi, id mihi videtur habere sententiæ, quod omnia bona opera nostra, vnum opus est charitatis:* Plenitudo enim legis est charitas, *nam in superiori versu cùm dixisset:* opera manuum nostrarum dirige, *tanquam vltimo versu volens ostendere, ipsa opera vnum opus esse, id est, ad vnum opus dirigi, tunc enim recta sunt opera cùm ad hunc vnum finem diriguntur, finis enim præcepti charitas est de corde puro, & conscientiâ bonâ, & fide non fictâ.* (1. Ad Tim. 1. 5.) Quò etiam intentus dixisse videtur Ambrosius (Ambros.) lib. 1. de Virginibus. *Beati qui sub vite, & oleâ equos suos alligant, laborem cursuum suorum paci, & lætitiæ consecrantes.* Porrò iustitiam non nisi vnam habere portam, peccatum verò plures, ex Dauide Psalm. 9. 15. (Psal. 9. 15.) dicente: *qui exaltas me de portis mortis;* sic ostendit Hilarius in Psal. 126. *Sed scimus vnam esse portam Regiam, dominicam, cœlestem, de qua dictum est: Hæc est porta Domini, iusti intrabunt per eam.* Nimirum, quia ad vnam charitatem omnes viæ iustitiæ confluunt, ipsa legis finis, & scopus est. Sic quidem Propheta in Psalm. 127. (Psal. 127, 1.) cùm exorsus fuisset: *Beati omnes, qui timent Dominum, qui ambulant in vijs eius;* statim subdidit: *Labores manuum tuarum quia manducabis, beatus es*, &c. Vbi non nemo dubitet, cur tam citò verterit stylum, & sermonem ad plures cœptum, ad vnum in singulari conuerterit? Sed ad manum plura sunt, quæ respõdeas; primum, inde nos moneri omnes nos in Christo vnum esse. Deinde, ad eum scopum virtutes nostras referri, vt mutuæ dilectioni operam demus, atque vnum in Christo simus; tandem, nos cùm timeremus, & imperfectos, & plures esse; cùm verò per vias Domini ambulantes dilectioni operam dedimus, perfectionisque gustum cepimus, vnum factos fuisse. Dixit nonnulla ex his ibi Hilarius (Hilar.), his verbis: *Sermo ad plures cœptus ad vnum refertur, docens nos omnes, qui in Christo crediderimus, vnum esse, Apostolo ita confirmante:* Omnes enim vos vnum estis in Christo Iesu, ad Galat. 3. 28. (Ad Galat. 3. 28.) Hæc Hilarius.

14\. Apoc. 21. 21. Firmant id ipsæmet cœlestis Aulæ portæ, de quibus Ioannes Apocal. 21. 21. *Et duodecim portæ, duodecim margaritæ sunt per singulas, & singulæ portæ erant singulæ margaritæ:* vbi vides duodecim simul portas, nihil amplius quàm vnam tantùm portam habere: hanc verò, & illas vnâ margaritâ, id est, vnione construi; hoc est, omnes iustitiæ vias, omnia iustorum merita, omnes virtutis fructus, quidquid cœlo intraturum est, ad vnam vnionis portam dirigi, atque ita inter omnes portas constitutum, sancitúmque esse, vt quidquid ad ipsas peruenerit, ad charitatis portam dirigant. Sed id ex Assertoris doctrina videtur desumptum, dum ipse cœlorum regnum cum homine negotiatore sic composuit Matth.

Mat.13.45. Matth. 13. 45. *Simile est regnum cœlorum homini negotiatori quærenti bonas margaritas*; illud emphaticè subdit, *inuentâ vnâ protiosâ margaritâ, abijt, & vendidit omnia, quæ habuit, & emit eam.* Nam iure ambigas, quî ille, qui plures inquirebat, vnâ tantummodo fuerit contentus? Sed respondet August. August. tract. 5. in epist. Ioan. *Hæc est charitas, sine quâ nihil tibi prodest, quodcumque habueris, quam si solùm habeas, sufficit tibi.* Sed quare sufficit? Sanè, quia si ad cœleste regnum intuearis, qui margaritam habet, portas, quæ vnicâ margaritâ constant, habet, sin autem in iustitiam, & iustitiæ partes oculos conuertas: Chrysost. *Charitas*, (sic monente Chrysost. hom. 33. in epist. 1. ad Cor.) *velut frugi quædam apicula, bona omnia vndique collecta in amantis animam comportat.* Clem. Rom. Vnde Clemens Pap. in epist. ad Iacob. *Et ne omnia singillatim dicâ, omne bonû ipsa per se, si in vobis fuerit charitas, vos facere docebit, sicut & è contrario eos, qui à salute alieni sunt, omne malum facere odium docet.* Hæc Clemens. Hinc equidem ei, qui ad altare sine pace sacrificaturus accedebat, iure præscribitur munus suum deponere, donec fratri reconcilietur, quia vel eâ de causâ eius sacrificium acceptabile esse non posset, quod fine, & scopo in quem dirigeretur, careret, quasi ei tunc illud Satyrici dixisset non nemo,

Persius. *Est ne aliquid quò tendis, & in quod dirigis arcum?*

15. Illud verò mutuam dilectionem rei Christianæ complementum, & perfectionem esse, maximè ostendit, quod pro ea hominibus persuadenda, & hominem fieri, & crucis mortem obire Dei filius non dubitauerit. Nonne relictis nonaginta & nouem ouibus in montibus, vnam tantùm quæsiuit, Mat. 18.12. Matth. 18. 12. hoc est, eos qui animorum coniunctione copulati sunt, iis qui ab hac vnitate in montibus superbiæ dissident, contemptis, vt superius vidimus? Iam eùm frater ille à fratre diuulsus eidem Domino suggerebat: *Magister dic fratri meo, vt diuidat mecum hæreditatē.* Ipse non sine seueritate re- Luc. 12. 13. spōdit: *Quis me constituit diuisorem super vos?* Luc. 12. 13. Sed quare? *Et quis diuidet iustos ab iniustis* (inquit Chrysol. Chrysol. serm. 162.) *sicut segregat pastor oues ab hæ-* Mat.25.33. *dis?* Matth. 25. 33. *Si tibi iudicium debetur hominis, & per te est totius sæculi celebranda diuisio, quomodo dicis?* Quis me constituit iudicem, aut diuisorem super vos? Sanè, quod iam pridem ea vniendi, & coniungendi, quæ fuissent dissita, munus suscepisset, atque ideo officij præuaricator esse non posset. Ac si diceret. Quid magis præposterum excogitare potuisti, quàm vt me, qui ad vniendum, & congregandum venerim, diuisorem appellares? *Præceps cupiditas & incauta* (verba Chrysolog. ibidem) *mundanæ litis arbitrum credidit ipsum sæculi cognitorem, & eum fieri voluit diuisionis auctorem, qui ad restituendam venerat humani generis vnitatem.* Diuisionis inter fratres faciendæ iudicem me facis, qui fraternitatis testis signatissimus sum? Sic dixit Nazianz. orat. Nazianz. 16. *Pulchra res fraternus amor, eiusque rei Iesum testem habemus, qui non modò frater noster vocari, sed etiam salutis nostræ causâ supplicio affici sustinuit. Pulchra res beneuolentia erga homines, ac testis est idem Iesus, qui non solùm hominem propter opera bona creauit, atque imaginem, quæ ad optima quæque dux esset, ac superna bona conciliaret, carni copulauit, sed nostrâ etiam causâ homo factus est.* Ita Nazianz. En necessariam rationem, ob quâ diuisionis iudex Christus esse non potuit, quod oppositæ partis, vnitatis nimirum, & fraternitatis locuples testis iam fuisset. Iudiciumne ipse contra proprium testimonium ferret?

16. Mirum alicui videatur, sic Christum passionis suæ œconomiam dispensasse, vt Herodi regi, à quo iudicandus non erat, tamquam reus etiam sisteretur. Quid? ad redemptionis opus noua hæc ludribria, contemptum, irrisionem, & contumelias accersiri opus fuit? Itane iis aliorum iudicum prætoria, & domus carebant, vt necesse fuerit proprium forum atque tribunal declinare, vt in Herodis palatio ad manum essent? Equidem qui diuisionis faciendæ noluit iudex fieri, vnionis, & charitatis testis, siue aduocatus, quamuis indefensi rei personam ageret, & tot se ignominiis, & opprobriis exponeret, notanter esse voluit, eaque de causâ à Pilato ad Herodem ire, ab Herode ad Pilatum reuerti. Audi Lucam c. 23. 12. *Et facti sunt amici Herodes, & Pilatus in ipsâ die, nam antea inimici erant ad inuicem.* Luc. 23. 12. In quæ verba Cyrill. Ierosol. Catech. 13. *Admirare iudicatum Dominum, à militibus ducebatur, & ferebatur.* Cyr. Ierosl. Sed noli admirari, cùm eò eat, eò redeat, quò ipse à cœlis venerat. Vnde inibi Cyrill. componens præfata Lucæ verba cum illis Osee 10. 6. iuxta lectionem Lxx. *& ligantes afferebant regi munera Iarim*, hæcque quasi ex scripturâ citans, quorum vestigia vix reperiri possunt. Osee 10.6. Lxx. *Et erat ipse Dominus componens corda Principum terræ*; sic ait: *Et considera Propheta diligentem certitudinem; munerum loco, inquit, ipsum miserunt: facti sunt mutuò amici Pilatus, & Herodes eâdem die, antea enim erant inimici. Decebat enim eum, qui mundum erat pacificaturus, vt priùs etiam ipsos Iudices suos pacificaret.* Cyr. Ierosl. Et erat ipse Dominus componens corda Principum terræ. Hæc Cyrill.

Iam verò ea potissimum de causâ Christum mortem obiisse, vt mutuâ dilectione fideles coniungeret, dixisse videtur idemmet Dominus apud Ioan. 17. 22. inquiens: *Claritatem quam dedisti mihi, dedi eis, vt sint vnum*: vbi claritatis nomine mortem suam significasse, bene ibi ostendit Maldon. subdens ex Christi personâ. *Ideo pro illis morior, vt vnum sint: da igitur illis eam vnitatem spiritus, quam illis merui.* Vnde Chrysostomus homil. 33. in epist. 1. ad Corinth. *Sic Dominus noster* (inquit) *mortuus est, vt nos essemus coniunctiores.* Sed quî ex Christi morte hæc coniunctio oriri potuit? Quî sanguis diffusus ad vniendum valeat? Equidem non secus, ac coagulum in lac iniectum ad id quod fluidum, & dispersum erat, constringendum, & condensandum. Audi Nazianzen. orat. 42. quæ est 2. in Pascha, prope fin. vbi eùm egregia crucis prodigia retulisset, subiicit: *Nullum tamen cum salutis meæ miraculo conferendum est: in quo exiguæ cruoris guttæ orbem vniuersum instaurarunt, atque idem quod lacti coagulum hominibus præstiterunt, in vnum nos coniungentes, & constringentes.* En claritatem à Patre acceptam, vitam, sanguinem, & ipsam quodammodo diuinitatem hominibus datam, imò in ipsos diffusam, vt sint vnum, vt videas in primis quàm sit pretiosa dilectio, quæ non nisi Christi sanguine comparatur, atque vt subinde colligas, tantum te sanguinis Christi habiturum, quantum coaguli huius, siue dilectionis proximi habueris.

17. Ioan.17.22. Maldonat. Chrysost. Nazianz.

18. Huc facit id Cantic. 5. 14. de Sponso; *Venter eius eburneus distinctus sapphiris*, vbi continens pro contento positum, Christi filios, quos in cruce parturiit, significat, vt bene explicat Procop. in illa verba Exodi 24. 10. *Quasi opus lapidis sapphirini*, ad hunc modum: *Ventrem Christi nominat sponsa sanctorum chorum, quem ipse in almam lucem protexit, & fouit*; quod verò de sapphiris additur ad mutuam dilectionem quâ hi filij inter se coniunguntur, sic inibi simili sensu ventri dato retulit Philo Carpat. inquiens: *Quod verò lapide sapphiro ornatum vas illud dicit*, Cant. 5. 14. Procopius. Phil. Carp.

dicit.

dicit, ad sanctorum communionem, charitatem, ac gloriam referri potest. Vt enim sapphirus lapis quæcunque proximè attigerit similia sibi reddit ac trahit; sic & beatorum chori mutuâ charitate sibi inuicem adhærentes. &c. Ergo is Christi in cruce parientis fœtus, mutua dilectio; huc parturientis dolores, & cruciatus eunt. Et verò, vt *mulier cùm parit tristitiam habet, quia venit hora eius, cùm autem peperit puerum, iam non meminit pressuræ propter gaudium quia natus est homo in mundum*: ita & Christus cùm sanguinis sui coagulo nos in vnum coniungens parturiuit, lætus, & alacer caput suum reclinasse, hoc est, à laboribus requieuisse (id enim significat, caput reclinare, vt Matth. 8. 20. *Vulpes foueas habent, & volucres cæli nidos: filius autem hominis non habet, vbi caput reclinet*,) dicitur, Ioan. 19. 30. *& inclinato capite tradidit spiritum.* Audi S. Nilum orat. 4. quæ est de irâ, *in spiritu mansuetudinis Christus caput inclinat.* Similia habet Hieronym. in Psal. 75. 2. *& factus est in pace locus eius.* Nec omittendum in præfato Canticorum loco LXX. legere: *Venter eius pyxis eburnea*: quod inibi Philo ad vrnas, in quibus suffragia iniici solent, sic pulchrè accommodauit. *In quâ quidem spirituali pyxide codicilli sapientiæ, suffragiaque conduntur, non ad terrenum imperium, sed ad cœleste regnum conductura.* Vnde mihi subinferri existimo charitatem certissimum ad beatitudinem suffragium esse; atque idcirco homini discordias sectanti vehementer fore metuendum, ne reprobus habeatur.

(Margin: Ioan. 16. 21. — Matt. 8. 20. — Ioan. 19. 30. — S. Nilus. — Hieron. — LXX. Phil. Carp.)

19. Illud faciliùs colligas, quàm sint Christo molesti, qui ipsius in vtero conclusi inter se rixantur, & colliduntur. Certè de illis audire mihi videor ipsum dicentem, quod de Iacob, & Esau in matris vtero contendentibus clamabat Rebecca, Genes. 25. 22. *Si sic futurum mihi erat, quid necesse erat concipere?* sic hæc verba accommodante Vverrico Abb. sermone 3. de Annunciat. ad finem: *Sed cùm sese colliderent paruuli discordes in vtero Rebeccæ, quæ priùs orauerat, vt conciperet, dolensque ventrem suum à tribulatione malorum, & dolore, penè pænitebat, quod cœpisset*: Si sic, *inquit*, futurũ mihi erat, quid necesse erat concipere? *Si de aliquo nostrum fratres sic conqueri contigerit viscera matris nostræ, timeo ne melius fuisset, si conceptus non fuisset homo ille.* Nec immeritò, quid enim melius fecerit is qui pacem dirimit mutuámque dilectionem dissoluit, quàm cœleste illud coagulum, Christi videlicet sanguinem dissipare, profundere, atque euacuare? Ita quidem Ambrosius orat. de excessu Satyri, cùm de eo dixisset noluisse Eucharistiam de eorum sacerdotum manu suscipere, qui Ecclesiæ pacem conturbabant, subiicit: *Nam etsi fidem erga Deum tenerent, tamen erga Dei Ecclesiam non tenerent, cuius patiebantur velut quosdam artus diuidi, & membra lacerari Etenim cùm propter Ecclesiam Christus passus sit, & Christi corpus Ecclesia sit, non videtur ab his exhiberi Christo fides, à quibus euacuatur eius passio, corpusque distrahitur.* Ita Ambros. Apto hic quod excogitauit Chrysostom. in Caten. D. Thom. ad cap. 26. Matthæi, de discipulis murmurantibus ob vnguentum à Maria Magdalena in Christi caput effusum; *sicut enim pater eius odorem victimæ, & fumum patiebatur, ita & Christus mulierem deuotè vngentem, cuius discipuli mentem nesciebant, querelam facientes.* Vbi dum Chrysost. duo in Christi morte erga patrem considerat, alterum fragrantissimum odorem, & suffitum innocentissimæ illius victimæ, quo Dei animus mirâ suauitate demulceretur, alterum ingratũ, ac molestum fumum acerbæ vnigeniti sui mortis tot flagitiis ab eius hostibus illatæ, pulchrè admonet, vt valde Christo iucundus boni operis, sibi à Magdalena exhibiti odor fuit, ita ipsi summopere displicuisse Iudæ murmurationem, quâ bonum mulieris animum arguere, & inflammare voluit, ad eum ferè modum, quo summo parenti flagitium omnium flagitiosissimum eorum, qui filium suum cruci suffixerunt, summè molestum, ac inuisum fuit.

(Margin: Gen. 25. 22. — Vverr. — Ambr. — Chrysost.)

Ad ea verba: *Si quod solatium charitatis.*

ADNOTATIO II.

Non esse vitam vitalem, quæ in mutua amici beneuolentia non conquiescit.

NON etiam, & efficax hæc ratio ex Anselmi expositione, ad suadendum Philippensibus, vt mutuæ dilectioni operam darent, ac si cum M. Tull. lib. de amicitiâ, dixerit Paulus. *Quæ potest esse vita vitalis, vt ait Ennius, quæ non in amici mutuâ beneuolentiâ conquiescit?* Vnde eâdem solatij phrasi, qua Paulus vtitur, retentâ, sic monebat Ambros. lib. 3. offic. cap. vltimo: *Seruate igitur filij initam cum fratribus amicitiam, quia nihil est in rebus humanis pulchrius. Solatium quippe vitæ huius est, vt habeas, cui pectus aperias tuum, cum quo arcana participes, cui committas secretum pectoris, vt colloces tibi virum fidelem, virum qui in prosperis gratuletur tibi, in tristibus compatiatur, in persecutionibus adhortetur.* 1.

(Margin: M. Tul. — D. Ambr.)

Sed eâ de re opportunior illa Ecclesiastici sententia est cap. 6. 16. *Amicus fidelis medicamentum vitæ, & immortalitatis*: pulchrè *medicamentum*, innuens humanam vitam ex se ipsâ nihil aliud esse, quàm ægritudinem, & morbum, cui penè infinitæ afflictiones, dolores, lacrymæ, ac miseriæ subsint. Et verò vt tot mala, quibus amicitia medetur, viuaci penicillo depingeret Sapiens, ægritudinis potiùs, quàm alterius calamitatis iure meminit. Scitè enim apud Quintilianum, suasoria 5. dicebat non nemo: *Languor est, tamen languor, cui meritò cesserint cuncta calamitates, in cuius comparatione consolari se potest genus omne miserorum. Stringat licèt manus sæua captiuitas, profunda carceris nocte membra claudantur, datur tamen colludere catenis, artus extrahere nexibus: & habet aliquid æquanimitatis, cum pœnâ suâ posse rixari. Sæuiunt regna tormentis, bella vulneribus, sed leuiùs afficit quidquid viribus feras: & cum in plenum adhuc sanguinem aduersa ceciderunt, repugnantis roboris colluctatione vincuntur. Quos cruciatus compares, quem dolorem, cùm penitus visceribus immissa tabes quotidie aliquid ex homine præmittit in mortem? cùm cibos, haustus & omnia blandimenta vitæ, fames fastidit, & poscit? desiderare assidentium officia, dehinc ferre non posse? grauari quos appetieris attactus? per totum cubile corpus velut super ardentes exagitare flãmas? Lux fatigatis luminibus grauis, vox sola de gemitu.* En vitæ humanæ typum, cùm ipsa perpetuis aduersitatibus, ærumnis, doloribus, vulneribus, & languoribus plena sit. Etenim *occupatio magna creata est omnibus hominibus, & iugũ graue super filios Adam à die exitus de ventre matris eorum, vsque in diem sepulturæ in matrẽ omnium*, &c. *Furor, zelus, tumultus, fluctuatio, & timor mortis, iracũdia perseuerans, & cõtentio, & in tempore refectionis in cubili somnus noctis immutat scientiam eius.* Ecclesiastici 40. 1. En iam tot tantisq; malis opportunũ amicitiæ medicamentum. Vnde

(Margin: 2. Eccl. 6. 16. — Quintilia. — Ecclesi. 40. 1.)

Vnde præfata Sapientis verba sic diffundit August. siue Cassidor. lib. de amicitiâ cap. 5. *Non enim validior; vel efficacior est vulneribus nostris medicina, quàm habere, qui omni incommodo occurrat compatiens, omni commodo occurrat congratulans, vt iunctis suis humeris onera sua inuicem tolerent, & quod vnusquisque propriam leuius, quàm amici portet iniuriam. Amicitia ergo secundas res facit splendidiores, aduersas partiens communicansque reddit leuiores; nam vt Philosophis etiam placuit, non aquâ, non Sole, non igne pluribus locis vtimur, quàm amico in omni actu, in omni studio, in certis, in dubiis, in quolibet euentu, in fortunâ qualibet, in secreto, in publico, in omni consolatione, domi, forisque; vbique amicitia grata, amicus necessarius, vtilis gratia reperitur.* Hactenus ille.

3. Quod si vitæ ægritudinem ad animum in primis referas, quod infinitis penè erratis, & casibus sit obnoxia, his amicus fidelis exemplo, consilio, societate medicamentum, & opem affert. Vnde Basilius, & Ambros. in Hexamer. dum agunt de vite, hac de causâ cum eâ hominem componunt, nimirum ipsa, vt ad superiora ascendat, arbori adhæret, & clauiculis quibusdam eius societatem retinet, vt ab irruentibus periculis tutò conquiescat. Audi Ambros. lib. 3. c. 12. Basilium imitatum: *Vnde ne aliquibus procellis sæculi possit reflecti, & tempestate deduci, clauiculis illis, & circulis quasi amplexibus charitatis proximos quosque complectitur, & in eorum coniunctione requiescit. Charitas est igitur, quæ nos superioribus nectit, cœloque inserit.* Ita Ambr. & præfatus Cassiod. *Quanta est iucunditas, quanta securitas habere cum quo loquaris, vt tecum, cui arcanum committas, quem in tuis secretioribus habeas, vt te ipsum, cui plenâ securitate reueles, quantum in studijs spiritualibus à te ipso defeceris, aut profeceris apud Deum!* Iam verò, si, vt moris est,

Feruet auaritia, miseraque cupidine pectus,

iure possis addere,

Sunt verba, & voces, quibus hunc lenire dolorem
Possis, & magnam morbi deponere partem.

quippe, vt idem statim subdit,

Inuidus, iracundus, iners, vinosus, amator,
Nemo adeò ferus est, vt non mitescere possit,
Si modò culturæ patientem commodet aurem.

Sed quæ voces, quæ verba, quæ magnam morbi partem demere valeant? quæ cultura, cui tantus furor obediat? Charitatis, & amicitiæ, opinor, quæ magnus quidem doctor, egregiusque cultor errantes reuocat, & ad bonam frugem redire facit. Audi Chrysostom. homil. 33. in epist. 1. ad Corinth. *Magnus est doctor charitas, satis idoneus, qui tollat errores, & mores formet, & ad Philosophiam manuducat, & è lapidibus homines reddat. Et si nosse vim huius lubet, age, virum mihi da timidum, vmbras timescentem, iracundum, asperum, & feram magis, quàm hominem, lasciuum, impudicum. Hunc igitur charitatis manibus formandum trade, & in hoc mihi gymnasium induc, timidum hunc mox comperies reddi magnanimum, & fortem, nec iam amplius quidquam detrectantem; & quod est mirum, hæc ita naturâ, & ingenio cuiusquam manente fiunt, in ipsa meticulosâ animâ suam vim charitas ostendit.* Sic Chrysostom. His quid maius, dignius, illustrius, suauius, aut magis Angelicum valeat excogitari? Ita penè quidquid bonum, aut iucundum est in hanc rem, complexus est Philo Carpathius initio Commentariorũ in Cantica, his verbis. *Quæ cœlitus nobis est amicitia, & charitas, hæc sancta, & immaculata sempiternas dulcedines, & immortales habet, planéque sinceras, nec vllo temporis puncto defuturas: sed maiori quodam cumulo sese in dies augentes, infinitas odorum suauitates aspirantes, & ineffabiles glorias, ac laudes præferentes, honores æquales Angelis tribuentes.* Hæc & alia ibi Philo.

4. Iam si vitæ medicamentum ad labores, quotidianasque harum sæculi rerum molestias applices, de quibus scitè ille apud Comicum in Sticho: *Hæ res vitæ me soror saturant, hæ mihi diuidiæ, & senio sunt;* non minus luculenter præfato loco Cassiodor. siue Augustin. id ita confirmat. *In rebus humanis nihil amicitiâ dulcius inuenitur, nihil sanctius appetitur, nihil fructuosius custoditur; habet enim fructum vitæ, quæ nunc est & futuræ, ipsa propriâ suauitate virtutes alias condit, aduersa temperat, prospera componit, tristiáque iocundat. Homo sine amico non habet, cui vota, & affectus suos communicet, cui conscientiæ suæ sinum, cui solatium suum, aut aliquid de molestijs irruentibus euaporet; solus est, qui sine amico est, verè autem solus, quia si ceciderit non habet subleuationem.* Nec minus appositè Seneca lib. de tranquil. animi, cap. 7. id inter præcepta tranquillitati vitæ consentanea ad hunc modum referens: *Nihil tamen æquè oblectauerit animum, quàm amicitia fidelis: quantum bonum est vbi sunt præparata pectora, in quæ tutò secretum omne descendat, quorum conscientiam minus, quàm tuam timeas, quorum sermo sollicitudinem leniat, sententia consilium expediat, hilaritas tristitiam dissipet, conspectus ipse delectet!* Sed in verbis Aug. siue Cassiod. medicamenti imagini illud optimè quadrat; *cui aliquid de molestijs irruentibus euapores*: nempe tunc molestia, quæ animum coquit, maximè augetur, cùm per sermocinationem cum amico euaporari nequit, quippe *suppressus dolor* (inquit Bernard. serm. 26. in Cant.) *altiùs introrsus radicauit, eo acerbior factus, quo non est exire permissus.* Certè id inter dolorem, & metum discrimen Aristoteli Problem. 27. obseruatum est, quod hic veluti frigidus, gelidusque silentio, & taciturnitate, quâ introrsum fit, ille verò vocibus, & lamentis quibus calor foras exeat, gaudeat. Sic enim ille: *Dolores vel omnes, vel certè plurimos calore iuuari, atque augeri, calorem autem is auget, qui suum spiritum cohibet, excalefacit autem doloris incitabula contracto introrsus calore per spiritum, atque excoquit. Hinc ergo fit erumpente naturaliter spiritu clamorem fieri in doloribus, & eodem per vim compresso crescere, & accendi. At verò metus qui frigidus est, spiritu indiget, & calore.* Quare cùm de iis, qui vna ex parte boni, & cupiditatibus vacui videri volunt, ex aliâ verò fortunæ bonis, atque honoribus inhiant, nec tamen concupita consequuntur, dixisset Seneca lib. de tranquil. anim. cap. 2. *Tunc illos, & pœnitentia cœpti tenet, & incipiendi timor, subrepitque illa iactatio animi non inuenientis exitum, quia nec cupiditatibus suis imperare, nec obsequi possunt, & cunctatio vitæ parum se explicantis, & inter destituta vota torpentis animi situs:* subiicit opportunè, *vtique vbi causas fateri pudet, & tormenta introrsus egit verecundia, in angusto inclusæ cupiditates sine exitu se ipsæ strangulant.* Ergo huic scopulo *amicus fidelis*, (Nazianz. orat. 6.) *hortus conclusus, fons signatus, qui opportunè aperiuntur, & communicantur. Amicus fidelis solatij portus*: quippe amicitiæ efficax ad leniendos dolores, consopiendasque molestias medicamentum. Nam cum amico de malis, & afflictionibus irruentibus, quis euaporat, pectusque angore, & mœstitudine euacuat; & animum omni ex parte tranquillum, ac serenum reddit. Vnde Chrysostom. homil. 33. in 1. epist. ad Corinth. *Quid autem* (inquit) *fructus commemoro charitatis? rem ipsam quanta sit, quæ secum gaudia ferat, quam in gratiam animum constituat, vide; coniunctas molestias cæteræ virtutes habent, vt sobrietas, modestia, vigilantia inuidiam, cupiditatem, despectum, charitas* autem

autem cum lucro voluptatem ingentem habet, laborem nullum, velut quadam frugi apicula bona vndique collecta in amantis animam comportans.

5. Certè amici, teste Aristotel. lib. 8. Ethic. necessarij sunt appellati, quòd sine illis transigi vita
Aristot. non possit: addit deinde. *Amicitia continet ciuitates, & si homines sint amici, non est opus iustitiâ, si verò sint iusti, egent amicitiâ.* Ita quidem, quia egent solatio, leuamine, & medicamento tot vitæ malis apto.
Basil. Vnde opportunè Basil. epist. 68. ad Senatum Ty[a]norum: *Cùm exactè sciamus non magis vnumquemq[ue] fratrum auxilio indigere, quàm altera manus alterius. Porrò quod in ipsâ corporis structurâ communio est necessaria Dominus nos docuit; cùm enim hæc ipsa nostra membra respicimus, quod vnum non sibi ipsi ad functionem satis est, quomodo censebo me ipsum mihi sufficere ad vitæ negotia obeunda? neque enim pes tutò ierit, altero non sublevante, neque oculus sanè viderit, nisi alterum habeat socium, vt cum eo vnanimiter visi-*
D. Bernard. *bilibus se obijciat.* Hinc scitè Bernard. carpit, & ridet superbum, qui vt solus, & superior omnibus sit, iucunditate amicitiæ, & societatis solatio se subtrahit, atque defraudat. Sic enim ipse, dum versat id Psal. 106. 4. *Errauerunt in solitudine*; in serm. de nimia quadam fallacia præsentis vitæ: *Solitudo hæc superborum est, quia solos sese reputant, solos appetunt reputari. Literatus est, odit socium. Astutus in negotijs secularibus, neminem vellet sibi similem inueniri. Pecuniosus est, si ditescere viderit alterum, cruciatur. Fortis est, aut formosus, da ei parem, & contabescit: solitarius est, sed erroneus. Errat in solitudine suâ, non enim solus habitare poterit super terram.* Be-
Eccl. 4. 10. ne, quia *Væ soli.* Ecclesiast. 4. 10. neque enim pes tutò ierit altero non subleuante, neque oculus sanè viderit, nisi alterum habeat socium.

6. Illud iam in hac sententiâ; *Si quod solatium charitatis,* lubet inquirere, ex quâ mutuæ beneuolentiæ parte, siue ex quâ dilectione, actiuáne, an passiuâ peculiare hoc solatium ex Pauli sensu percipiatur? Quidve iucundius, amaréne, an amari sit? Verba sanè, & res ad charitatem, quâ quis alium prosequitur, magis quàm ad eam quâ redamatur, inclinant; & de re quidem fideiussorem pro nobis
Bernard. habemus Bernardum, epist. 90. sic scribentem ad Ogerium Canonicum regularem: *Amemus, & amemur: in altero nobis, in altero nostris consulentes, nam quos amamus, in ipsis profectò requiescimus, à quibus autem amamur, ipsis nos in nobis requiem paramus.* Opportunissimè. Quod si huius rationem velis
August. perquirere, illa succurrit, quod amor, Augustino teste lib. 11. de Ciuitat. Dei, cap. 28. pondus sit. Si-
Psal. 54. 23. militer Psal. 54. 23. vbi nos habemus: *Iacta super Dominum curam tuam*: alij legunt, *onus, pondus*
Hieronym. *tuum*: Hieronymus verò; *charitatem tuam*, quasi amor, pondus, & cura idem sint. Quare non secus, ac is qui ponderosum, & graue nimis onus sustinet defatigatur, & frangitur, sed cùm illud à se in alium proiicit, delectatur, & quiescit: ita qui se tantùm intuetur, suâque commoditate res omnes metitur, aliis imprimis (de quo pulchrum Narcisso cæco sui amore capto à Nymphis monitum est
Diogenia. datum apud Diogenia. in Adagiis; *Si te solum amabis, omnes te oderint:*) deinde sibi etiam ipsi grauis sæpe sæpius, & molestus est; in quam senten-
Senec. tiam sapienter dictum à Seneca epist. 48. *Nec potest quisquam beatè degere, qui se tantùm intuetur, qui omnia ad vtilitates suas conuertit; alteri viuas oportet,*
Chrysost. *si vis tibi viuere.* Nec ab hoc abit, quod habet Chrysostom. homil. 2. in epist. 1. ad Timotheum, vbi cùm dixisset: *Ita oportet amantem amare, vt etsi vita ab eo postuletur, & possibile sit, non prohibeat, non dico postuletur, sed vt & ipse vltrò tali dono accurrat:* subdit statim. *Nihil enim tali dilectione dulcius esse poterit.* Iam verò, si canis templum ingrediatur; hisque Sanctorum placitis è purissimæ dilectionis fonte haustis, impurissima illa Messalina repugnet apud Tertullian. infelicissimas Arabias fœminas Tertullian.
appellans, quòd dum facie totâ ita contectâ incederent, vt vnicus illis solùm oculus ad videndum superesset, amare magis, quàm adamari possent: *Arabiæ fœminæ Ethnicæ* (inquit ille lib. de veland. virg. cap. 17.) *quæ non caput, sed faciem quoque ita totam tegunt, vt vno oculo liberato contentæ sint, dimidiam frui lucem, quàm totam faciem prostituere,* &c. *Quas propterea infelicissimas ait Romana quædam Regina, quod adamare magis, quàm adamari possint:* ego nequaquam feram, vt quæ

Fœda lupanaris tulit ad puluinar odorem, Iuuenal.
honestis etiam rebus sese immisceat. Abeat ergo satyr. 6.
Augusta meretrix, nec obscurum corporum amorem, cum purâ amicitiæ luce confundat, amari enim impudicissima cupiebat, quia lupanario luto defixa,

Et lassata viris, nondum satiata recessit. Idem ibi.
amare autem puræ mentes malunt, vt dilectione, & benificentiâ Deo proximiores, & similiores euadant.

Redeo ad illam Bernardi Thesim: *Quos amamus, in ipsis profectò requiescimus.* Equidem diuina 7. Bernard.
Sapientia non aliter sibi requiem quæsiisse affirmat Ecclesiastici 24. 11. *In his omnibus* (inquit) *re-* Eccl. 24. 11.
quiem quæsiui. Sed quonam modo? Audi Salomonem Sapientiæ 11. 25. *Diligit Dominus omnia, quæ* Sap. 11. 25.
sunt. Ita ferè Nicolaus de Lyra componens hæc Nic. Lyra.
Ecclesiastici verba, cum illis Prouerb. 8. 31. *Deli-* Prou. 8. 31.
ciæ meæ esse cum filijs hominum, quasi tum Deus requiescere dicatur, cùm creaturas suas amat: sub quo omnino sensu inquit Sophonias c. 3. 17. *Dominus Deus tuus in medio tui, fortis ipse saluabit, gau-* Soph. 3. 17.
debit super te in letitia, & silebit in dilectione suâ. Sed obserua, Hebræum verbum, pro quo noster posuit, Heb. Lect.
silere. propriè significare, *quiescere*, vt bene notauit Ribera, vnde ibi silentium sub eo sensu sumi- Ribera.
tur (quod alibi tracto) cùm quis præ gustu, quem ex re capit, seu præ lætitiâ quam habet, nihil aliud se velle ostendit. Quiescere ergo dicitur Deus, non in dilectione tuâ, quâ illum ô homo amas, sed in suâ potiùs, quâ te æterno deuictus vulnere amoris prosequitur; ea est enim lex amoris, ea humanitatis etiam conditio, vt tunc sibi quisque viuat cùm alteri viuit, tunc non viuat, cùm sibi solùm, non alteri viuit. Scitè id occasione illius Vatiæ, qui cùm fuisset prætorius diues, in villulâ tamen consenescere voluit, nullâ aliâ re, quàm otio notus, adnotauit Seneca epist. 55. etenim cùm ille ob hoc vnum felix haberetur, & quoties in vrbe, & in Aulâ cruentos, de more suo, fortuna ludos faceret, exclamarent homines; *O Vatia solus scis viuere:* huic sententiæ, & vocibus dissentiens Seneca aie- Senec.
bat. *At ille latere sciebat, non viuere; multum autem interest, vtrum vita tua otiosa sit, an ignaua. Numquam aliter hanc villam Vatiæ viuo præteribam, quàm vt dicerem: Vatia hic situs est.* & post pauca. *Nam qui res, & homines fugit, quem cupiditatum suarum infelicitas relegauit, qui alios feliciores videre non potuit, qui velut timidum atque iners animal metu oblituit, ille sibi non viuit, sed (quod est turpissimum) ventri, somno, libidini. Non continuò sibi viuit, qui nemini.* Hæc Seneca.

Præferunt superiùs dicta facem Pauli verbis ad Romanos 13. 10. vbi cùm dixisset: *Reddite ergo om-* 8.
nibus debita, cui tributum, tributum, cui vectigal, Ad Rom. 13. 10.
vectigal,

vectigal, cui timorem, timorem, cui honorem, honorem; immediatè subiungit: *nemini quidquam debeatis, nisi vt inuicem diligatis.* Difficilis quidem locutio, dum dilectio debenda magis, quàm persoluenda adstrui videtur. Quid? probatne Paulus eorum sensum, de quibus Plutarch. in libello de amicitiâ in plures diffusâ: *Porrò complures inuenias qui amicitias ineunt, id solum spectantes, quod possint accipere, non etiam quod cogantur ex aequo praestare. Neque meminerunt, quod multorum adiuti commodis, vicissim iisdem multi inseruire debeant operâ eâdem egentibus?* Minimè. Quid ergo sibi vult iis verbis? Sanè is eorum est sensus: sic cuicumque quod debetis persoluite, vt nihil siue aeris alieni, siue cuiusuis alterius rei apud vos maneat, quin creditori persolnatis, vno tantùm dilectionis debito excepto, quod ita indesinenter à vobis reddendum, ac persoluendum amicis est, vt simul vobis id fuerit persuasum, denuo huic debito manere obnoxios. At quâ ratione, quo iure dici id queat? *Nam solutione eius quod debetur, tollitur omnis obligatio*, vt inquiunt Iurisperiti. Respondet August. epist. 29. *Quia dilectionem tanto magis debemus, quanto amplius impenderimus.* Sed ignotum id quidem per ignotius, & difficilis sententia per aliã difficiliorẽ videtur explicari; quî enim quo magis diligo, eo magis dilectionis debitor fiam: cùm potiùs dilectionem, quam alteri debeo, ita videar persoluere, dum officiis, & dilectione respondeo, vt ex omni beneuolentiae obligatione exeam? Planè, quia cùm & diligentis animus diligendo quiescat, ac mitâ suauitate perfundatur, & ipsâ dilectio ardentior ex operatione fiat, non potest dum dilectionis debitum persoluit, nouam subinde obligationem non contrahere. Equidem, vt scitè dixit Seneca lib. 3. de benefic. c. 29. *Numquam vincitur beneficio, cuius beneficium est ipsum, quo vincitur.* Ita prorsus numquam dilectionis obligatio dilectione tolli potest, cùm ipsamet dilectio, quae impenditur, & rependitur, ita diligentis animum recreet, atque delectet, vt suauissimo huic debito denuo maneat obnoxius. Haec sic docuit inibi Theodoretus. *Non vt dilectionis debitum non exoluamus, oportet enim id ante omnia alia exoluere, sed vt in ipsa solutione id augeamus. Redditio enim debitum multiplicat. Ardentiorem enim dilectionem efficit.* Sic ille.

Plutarch. August. Senec. Theod.

Ad ea verba: *Si qua societas spiritus.*

ADNOTATIO III.

Proprium diuini Spiritus munus esse, pacis nexu fideles inuicem copulare.

1. FORTIOR haec argumentatio pro Philippensium concordiâ, ac mutuâ dilectione: diuini, videlicet, Spiritus participatione hâc ratione perfrui; eoque animari, agi, ac confoueri. Vnde eadem haec argumentatio esse videtur cum illâ ad Ephesios 4. 3. vbi cùm dixisset: *Solliciti seruare vnitatem spiritus in vinculo pacis*; subdit: *vnum corpus, & vnus spiritus, sicut vocati estis in vnâ spe vocationis vestrae*: necnon & cum hâc 1. ad Corinth. 12. 12. & 13. *Sicut enim corpus vnum est, & membra habet multa, omnia autem membra corporis, cùm sint multa, vnum tamen corpus sunt, ita & Christus. Etenim in vno spiritu omnes nos in vnum corpus baptizati sumus, siue Iudaei, siue Gentiles, siue serui, siue liberi, & omnes in vno spiritu vocati sumus*: ac si vtrobique dixerit Paulus, eâ potissimum de causâ omni studio

Ad Ephes. 4. 3. 1. Ad Cor. 12. 12. & 13.

vnitatem spiritus seruare debetis, quod vnum corpus, vno spiritu animatum, & coagmentatum sitis. Vbi non solùm vides Ecclesiam vniuersam vnum esse corpus, quod diuino Spiritu viuat, & vegetur, eo sensu, quo dixit Aug. ser. 2. de Feria 2. Pentecost. *Quod est anima corpori hominis, hoc est Spiritus sanctus corpori Christi, quod est Ecclesia: hoc agit Spiritus sanctus in totâ Ecclesiâ, quod agit anima in omnibus membris vnius corporis.* Et elegantissimè praeclaris similitudinibus adductis, Cyrillus Ierosolymitanus Catechesi 17. ad hunc modum: *Respice cuiuslibet nationis Episcopos, Sacerdotes, Diaconos, Monachos, Virgines, & reliquos laicos, & respice magnum hunc praesulem, & gratiarum parochum, seu exhibitorem, quomodo in vniuerso mundo aliis castitatẽ, aliis virginitatẽ, aliis studium paupertatis, aliis vim repellẽdi aduersarios spiritus tribuat; & quemadmodum Sol vno radio progressu illuminat omnia, ita Spiritus sãctus eos, qui habent oculos illustrat.* Sed illud etiam ex praefatâ diuini Spiritus cum animo rationali compositione inferas, proprium diuini Spiritus munus esse, mutuâ dilectionis coniunctione fideles omnes connectere, eo modo quo anima, & singulis corporis membris vitam inspirat, & ea omnia inter se copulat, atque connectit. Vnde Tertullian. siue potiùs Nouatianus, lib. de Trinitat. cùm Spiritus diuini munia sic eleganter recensuisset. *Erudiuntur enim in illo, & per ipsum corpora nostra ad immortalitatem proficere, dum ad decreta ipsius discunt se moderanter temperare: hic est enim, qui contra carnem desiderat, quia caro contra ipsum repugnat, hic est, qui inexplebiles cupiditates coercet, immoderatas libidines frangit, illicitos ardores exstinguit, flagrantes impetus vincit, ebrietates reiicit, auaritias repellit, luxuriosas comessationes fugat*: haec tandem subiicit; *charitates nectit, affectiones constringit, sectas repellit.* Ita ille; ad quem etiam modum Basil. epist. 79. absolutè pronunciat eos, qui suspiciones charitatem laedentes intra se alunt, euidenter conuinci, non diuini, sed humani potiùs, imò diabolici spiritus ductum sequi. *Hinc certò probantur, quàm non ducantur Spiritu sancto, quod falsas intra se suspiciones alunt.* Nimirum diuinus Spiritus sectas, siue rupturas repellit, & charitates plus plus connectit & constringit.

August. Cyr. Ierosl. Tertul. Basil.

Equidem de Ecclesia diuino hoc Spiritu vt constrictâ, atque connexâ, ita animatâ, atque ornatâ, sic cecinit Regius Vates Psal. 44. 13. *Omnis gloria eius filiae Regis ab intus, in fimbriis aureis.* Vbi in primis obserua, omnem Ecclesiae gloriam, & claritatem ab interiori vitâ, quam diuinus Spiritus impertitur, (nam *charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctũ, qui datus est nobis*: ad Rom. 5. 5.) tamquam à fonte promanare; ita enim ad ea verba Paschasius. *Et ideo*, ab intus: *in quo Deus est, sicut origo est virtutum, & fons bonitatis: Ita omnis gloria exinde, & claritas fructificatur, & crescit foris; vnde dicitur Cant. 6. 7.* Sicut cortex mali punici, ita genae tuae, absque eo quod intrinsecus latet. *Quia in genis, quod exteriùs rubet, ab intus nascitur, vt rubeat, ex eo, quod interiùs viuit, & viget, & ideo exteriùs dum ista marcescit pulchritudo, interius est quod viuit, vnde vita in fruge maneat, & quod exterius decidit, ab eo quod intrinsecus est, viuat pulcherrimè, & reparetur.* Sed deinde illud omnino è re nostra est, quod inibi adnotauit Agellius, Graecè pro, *in fimbriis aureis*, esse κροσωτὰ χρυσᾶ, quae propiùs eant ad significandũ fibulas, & laqueolos aureos, quibus vestis adstringebatur; atque ideo nonnullos interpretes vertere, *per constrictoria aurea.* Vnde sic infert Agellius. *Ex quibus fidelium inter se adstrictam charitatem, per quam*

2. Psal. 44. 13. Ad Rom. 5. 5. Paschas. Cant. 6. 7. Agell.

in vinculum pacis coniuncti ſunt, congruenter *accipimus*. Vbi vides, non aliter vitam, & ſpiritum in Eccleſiæ membra ab hoc ſpiritus fonte, & vniuerſali parocho deriuari, quàm *per conſtrictoria aurea*, ſiue fibulas charitatis, quibus mutuo dilectionis amplexu fideles inter ſe copulantur. Quare componas velim hæc Vatis verba cum illis Chriſti Domini, apud
Ioan.17.2. Theophyl. Ioan. c. 17. 21. ſic Patrem exorantis: *Claritatem* (ſiue, vt Theoph. & Græci legunt, *gloriam*) *quam dediſti mihi, dedi eis, vt ſint vnum*, quæ de concordiæ gloriâ quæ inter diuinas perſonas intercedit, in Chriſti diſcipulos deriuanda, ſic capit Theophylact. *Nam ſicut Deum admiramur, quia non eſt ſeditio, neque pugna in naturâ eius, & maxima iſta gloria eſt, ita & illi, inquit hoc loco, à concordiâ fiant clari*. Nimirum, vt diuinus Spiritus Patris, ac Filij indiſſolubilis amoris nexus eſt, *& maxima iſta gloria eſt*: ita fideles per conſtrictoria charitatis inuicem nectit, atque ideo, *omnis gloria filiæ Regis ab intus, in fimbrijs aureis* conſpicitur, quia *à concordiâ ſiunt clari*.

3. Hinc illud in primis manifeſtum fit, tam pretioſam, imò verò tam diuinam rem, charitatem, & dilectionem haberi, vt proprius diuini Spiritus fœtus, ac fructus ſit. Addam nonnihil non tam argutis, quàm ſimplicibus, ac piis auribus accipiendum: ideo tam ſignatè, tamque peculiariter diuino Spiritui pacis & dilectionis productionem attribui, vt ipſi etiam vim diuinæ rei productricem, non ſecus ac Patri, atque Filio ſubeſſe, dicere quodammodo poſſimus. Gignit enim æternus Pater ſuum per omnia ipſi æquale (Deum de Deo) Verbum: rurſus tam ſummus Pater, quàm ipſe Filius tertiam aliam perſonam diuinam, ſanctum videlicet Spiritum, Patri & Filio æqualem producunt. Quid? Deeritne Spiritui diuino diuinæ etiam rei productio; nec fœcundus ad diuinitatem ſpirandum ſummus ſumméque viuificus Spiritus cenſebitur? Equidem, vt Trinitate iam perfectâ, alia produci diuina perſona non poſſit, ita tertiæ perſonæ hæc diuinæ rei ſpiratio nequit auferri. Progignit ergo, & ſpirat in animis fidelium charitatem, ac pacem: pacem inquam, rem diuinam, & quodammodo Dei appella-
Greg. Naz. tione honorandam. Audi Nazianz. 3. orat. de Pace. *Pax amica mea, meditatio mea, & decus meum, quam & Dei, & cuius Deum, & quam Deum eſſe ſcriptura*
Ad Philip. 4.7. *pronunciat, velut in illo Apoſtoli loco*: Pax Dei, *ad Phi-*
Ad Philip. 4.9 *lip*. 4. 7. & Deus pacis, *ad Philip*. 4. 9. *& ad Ro-*
Ad Rom. 15.33. *manos* 15. 33. *&* 2. *ad Corinth*. 13. 13. *&*, ipſe
2. Ad Cor. 13.13 eſt pax noſtra, *ad Epheſios* 2. 14. Nec longiùs ab
Ad Epheſ. 2.14. hâc cogitatione videtur ire Bernard. ſermone de
Bernard. Sancto Benedicto: vbi dum de diuinis proceſſionibus nonnihil agit, vt Patri Filij generationem; ita diuino Spiritui charitatis productionem, ſic tribuit; *Pater non exijt, ſed Filius à Patre proceſſit, & venit in mundum, vt qui priùs erat cogitatio pacis in corde Patris, fieret & ipſe pax noſtra in vtero matris; ſeminauit & Spiritus ſanctus, quia & ipſe venit, & apparuerunt diſcipulis diſpertitæ linguæ tamquam ignis: ita tota Trinitas ſeminauit. Pater, ſcilicet panem de cœlo, Filius veritatem, Spiritus ſanctus charitatem*. Ita Bernardus.

4. Quò facit, ſic in elementorum creatione conſultiſſimâ prouidentiâ ſe Deum geſſiſſe, vt ad inuicem ea ſibi repugnarent, aqua igni, aëri terra, ne videlicet, quod cauſæ rerum aliunde eſſent, pro diis à gentibus haberentur: etenim ex hac mutuâ diſcordiâ facile fuerit ſenſatis ſubinferre, nec minimam diuinitatis particulam iis ſubeſſe poſſe,
Chryſoſt. quæ inter ſe maximè nexa non fuiſſent, id Chryſoſtomo in id Pſal. 2. *Et populi meditati ſunt inania*, ſic pulchrè conſiderante. *Græci ſcilicet, qui elementa deos appellauerunt, terrã quidem Cererem, aquam verò Neptunum, aërem autem Iunonem, ignem autem Vulcanum, pluuiam verò Iouem. Si enim ſunt elementa dij, quomodo pugnant inter ſe? quomodo armantur ad bellum inter ſe gerendum? Aqua enim eſt igni inimica: ignis autem aquam perimit, & conſumit: & quemadmodum in acie conflictuque bellico, vbi ſunt vires ſuperiores, illic exultat victoria: ita etiam in pugnâ ignis & aquæ, vbi ſunt maiores copiæ, illic canuntur epinicia. Terra verò ab aëre frigido flagellatur: aër autem a terra vaporibus peſtilentem affectionem ſuſcipit. Si dij ſunt elementa, quis nouit deos cum ſeipſis bellum gerere?* Vnde rurſus premens eadem verba, *populi meditati ſunt inania*, ſic infert. *Et in creatione quidem mundique opificio, quæ ſunt inimica naturâ, concordiam amplexa ſunt, & mundum perfecerunt nutui opificis parentia, in vniuerſi autem prouidentia ſunt ſibi inuicem infeſta, impium multorum deorum cultum refellentia. Vt omnes ſciamus, quod quæ bello impetunt, & impetũtur, dij eſſe non poſſunt*. Hæc Chryſoſtomus. Quare iterum Naziãz. orat. 1. de Pace, mutuam dilectionem atque concordiam, Dei, cœleſtiumque ſpirituum, qui Deo maximè affines, atque propinqui ſunt, propriã eſſe ita confirmat. *Angelicis, & cœ-* Nazianz.
leſtibus copijs nihil tam proprium eſt, quàm pax, & concordia, nam nec diſſidijs obnoxia eſt diuinitas, quemadmodum nec diſſolutioni, quin potiùs, & ſecum ipſa, & cum ſecundis rebus adeò concors, & pacata eſt, vt præ alijs nominibus appellari gaudeat pax & charitas, nos videlicet admonens, vt has virtutes ſedulò amplectamur, perinde ac Deum ſimul habituri, ac proinde, qui pacis bonum amplexantur, diſſenſionemque oderunt, ad Deum diuinaſque mentes accedunt.

Iam id ſubinde noſtro inſtituto propiùs ex ſu- 5.
pradictis inferas, diuini Spiritus participatione, & ſubminiſtratione perfrui non poſſe, quiſquis à fratris ſui dilectione, & ſocietate fuerit diſciſſus, non ſecus ac membrum ab aliis ſemotum, atque ſeiunctum vitam, ac ſpiritum ab animo nequit haurire. Sanè Ezechiel. 37. 7. emortuis, atque aridis oſſibus Ezech. 37. 7.
vitalem ſpiritum, qui illa iterum animaret, & confoueret Dominus immiſſurus, non priùs id præſtitiſſe dicitur, quàm ipſa oſſa ad ſuam etiam compagem, atque iuncturam accederent, atque inuicem inter ſe connecterentur. Sic enim ibi: *Et acceſſerunt oſſa ad oſſa, vnumquodque ad iuncturam ſuam*: vbi ſignificantiùs LXX. *& accedebant oſſa inuicem ad iun-* LXX.
cturam ſuam. Vnde Aug. ſerm. 2. ad fratr. in eremo: D. Aug.
Spiritus enim humanus, ſicut numquam viuificabit mẽbra, niſi fuerint vnita, ſic Spiritus ſanctus numquam nos viuificabit, niſi pace vniti fuerimus. Similiter Ber. ſer. 1. D. Bernard.
de S. Michaële: *Videre eſt animã hominis, quemadmodum vniuerſa corporis membra viuificet cohærentia ſibi. Separa ergo quiduis à iuncturâ cæterorum, & vide, an de cætero illud viuificet. Sic eſt omnis qui dicit*, anathema Ieſu: *quod nemo dicit loquens in ſpiritu Dei*: quia anathema, *ſeparatio eſt. Sic & inquam omnis, qui ab vnitate diuiditur, ne dubites, quin ab eo receſſerit ſpiritus vitæ*. Sed præfata Ezechielis verba ſic opportuniùs accommodauit Paulus ad Epheſ. 4. 16. *Veri-* Ad Epheſ. 4. 16.
tatem autem facientes creſcamus in illo per omnia, qui eſt caput Chriſtus, ex quo totum corpus compactum, & connexum per omnem iuncturam ſubminiſtrationis ſecundum operationem, in menſuram vniuſcuiuſque membri, augmentum corporis facit in ædificationem ſui in charitate; & ad Coloſ. 2. 19. *Et non tenens caput, ex* Ad Coloſ. 2. 19
quo totum corpus, per nexus & coniunctiones ſubminiſtratum, & conſtructum creſcit in augmentum Dei. Quibus in locis licèt Paulo ſit ſermo de vnione membrorũ cum ſuo capite, qui eſt Chriſtus, vt dũ ipſi connectuntur cœleſtium donorũ capiãt incrementa;

menta; at id etiam simul affirmat, hæc dona non nisi per commissuras, & compages membrorum à diuino Spiritu subministrari. Ita ad verba ad Colossens. Theophylact. his verbis: *Spiritus enim sanctus per iuncturas, & connexiones suppeditationem, adeoque constructionem augmenti dat.* Nimirum, fideles non aliter diuino Spiritu afflantur, quàm cùm mutuâ charitate copulati, atque constricti sunt. Quare obserua illa verba: *Augmentum corporis facit in ædificationem sui in charitate.* Ablatiuus enim cum præpositione, *in*, vtalibi monuisse me memini, in Scripturâ vim habet instrumenti, atque ideo sensus est, mediâ charitate, ac dilectione quodlibet huius corporis membrum diuini Spiritus incrementa percipere. Quò mirificè facit illud Pauli 1. ad Corinth. 13. 3. *Si tradidero corpus meum, ita vt ardeam, charitatem autem non habeam, nihil mihi prodest;* quod, vt adnot. 1. num. 6. vidimus, sic legit Cyprianus lib. de simplic. Præl. *Charitatem autem non habeam, nihil proficio,* hoc est, nihil in spiritu cresco, non vegetor, non animor, non reficior diuini Spiritus halitu, atque vitâ.

Theophyl. | 1. Ad Cor. 13. 3. | Cyprian.

6. Nec alio quidem sensu cùm 1. ad Corint. 12. 13. dixisset idem Apost. *in vno spiritu omnes nos in vnum corpus baptizati sumus:* nō multo post ita subinfert, *vos autem estis corpus Christi, & membra de membro:* vbi, *membra de membro*, non intelligo cum Anselmo, membra Christi per alterius membri ministerium facta, nec cum S. Thoma, membra de membro principali, hoc est, de capite, qui est Christus, sed potiùs membra commembra, id est, partialia, siue quæ compartes sunt, & ad alia membra respectum, atque ordinem dicunt. Græci namque codices pro, *membra de membro*, habent, ἐκ μέρους, id est, *ex parte*, quomodo legit Theophylactus, vt sensus sit, ne putetis vnumquemque vestrûm esse membrum integrum, atque completum, quod sibi soli consulere, ac prospicere possit: sed membrum partiale, quod & alterius consortio indigeat, & alteri charitatem, & obsequium debeat impendere, si tamen Spiritus diuini ope, ac robore fulciri velit: quò facit Hebræa lectio, quæ citato Ezechielis loco, c. 37. 7. de ossibus ad iuncturas suas accedentibus, habetur, etenim pro illis verbis: *vnumquodque ad iuncturam suam*, Pagninus legit: *accesserunt ossa, os ad os suum.* Pende hæc, *os ad os suum*, quasi vnumquodque os ex alio etiam sibi proximo osse componatur: vnde Sympronianum Nouatianum, sic argumentantem, *vbi vnus, ibi & ego; vbi duo, ibi Ecclesia*, bene confutauit S. Pacianus epist. 3. sic reuincens, *vbi vnus tamen concors, vbi duo pacifici*: quod perinde fuit, ac si diceret, non sufficit esse membrum, nisi sit etiam omnibus membris commembrum, vbi nimirum vnus, vel duo cum reliquis omnibus concordes sint.

1. Ad Cor. 12. 13. | Anselm. | D. Thom | Theophyl. | Ezech. 37. 7. | Pagnin. | S. Pacian.

7. Vnicus omnino, & simplicissimus diuinus Spiritus esse asseritur, *est enim in illâ* (Sap. 7. 22.) *Spiritus intelligentiæ sanctus, vnicus;* & tamen ab Elisæo tanti sacramenti non ignaro, non vnicus, sed duplex spiritus postulatur. 4. Reg. 2. 9. *Obsecro* (inquit) *vt fiat spiritus tuus duplex in me:* porrò, *rem difficilem postulasti.* Quî enim fieri possit, vt vnicus, & simplicissimus duplicetur? Subsistit tamen Elisæi petitio, quia licèt in se vnicus sit diuinus Spiritus, at verò dum nobis communicatur non potest non duplicem sortiri effectum, dilectionis videlicet Dei, & proximi, quod nisi proximum diligas, Dei spiritum habere non possis. Ita ad præfatum locum Regum Venerab. Galfridus in allegoriis Gotfr. Tilm. *Non quia in se diuisus est spiritus, sed quia in munere suo, vel opere duplicatur, vnus est enim spiritus per quem charitas diffunditur, ea tamen in amorem Dei, & proximi derivatur, nec adesse credendus est vnicus ille spiritus, vbi duplex non inuenitur: cum enim in se ipso sit simplex, in nobis numquam fieri poterit, nisi duplex.* Hæc Galfridus.

Sap. 7. 22. | 4. Reg. 2. 9. | Galfrid.

Vella 79. in Epist. ad Philippens.

Quanta verò sit hominis dignitas, quæ ei ex hac Spiritus diuini charitate in eius corde diffusâ adueniat, nihil æquè, ac ipsum filij Dei nomen, quo, dum mutuam habet cum fratre dilectionem, potitur, nobis indicat: sic enim Matthæi 5. 9. *Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur:* in quæ verba sic in primis inquit Glossa: *Maximam dignitatem habēt pacifici, sicut qui filius Regis dicitur, in domo Regiâ summus est.* Addit Aug. ad rem: *Meritum Christianæ virtutis vilescit in cunctis, si vnitatem non habet pacis, nec peruenit ad nomen filij, nisi per nomen pacifici*: nimirum *pacificus* diuini Spiritus fructus, germanaque proles censetur; sub quo sensu Paschasius lib. 4. in Matth. edisserens illa Dominicæ orationis verba; *Sanctificetur nomen tuum*: capit id Apocalyp. 2. 17. *Dabo ei calculum candidum, & in calculo nomen nouum, quod nemo nouit, nisi qui accipit*: nam dum in calculo sanctam adoptionem, per quam filij Dei nominamur, denotari existimat, sic infert: *In qua nimirum adoptione prædestinatorum nomen, vt Deum diligant, & proximum, consecratur. Hinc quippe scriptum est*: Mandatum nouum do vobis, vt diligatis inuicem. *Tamquam si dicatur, huius virtutem nominis per omnia ignorat, quisquis in mandato dilectionem fratris paterno amore non conseruat.* Vnde sic tandem postmodum concludit: *Hinc certè dignitas nominis, hinc celsitudo meritorum, hinc reges sumus, hinc Sacerdotes, hinc triumphatores, hinc noua creatura, hinc Christiani vocamur, hinc filij Dei sumus.* Ita Paschas. vt vel hinc videas, eum qui à proximi dilectione recedit, quot quantisque donis, celsitudine, nimirum, meritorum, regno, Sacerdotio, triumphis, & quod caput est, Christiani nominis dignitate, ac filij Dei appellatione, & naturâ, quæ à diuini Spiritus participatione oriuntur, infelicissimè se defraudet. Quare Eustachium Episcopum sapienter monebat Basilius epist. 79. adhuc cùm bono aliquis prætextu duci se existimat, ad fratris amicitiam dissoluendam, multam curam, vigilias, & obsecrationes adhibere, ne Spiritus diuini fructus dissipet atque disperdat, opus esse. *Multa* (inquit) *curâ, ac solicitudine opus est, multarumque noctium perferendæ vigiliæ, ac multis lacrymis quoque quærenda à Deo veritas ei, qui fratris velit amicitiam abijcere.* 8.

Matth. 5. 9. | Gloss. | August. | Paschas. | Apoc. 2. 17. | Ioan. 15. | Basil.

Hanc verò denudationem siue descensum quo à filiorum Dei culmine decidunt, qui à mutuâ dilectione recedunt, optimè ostendit Iudas Apostolus in suâ canonicâ, vers. 19. inquiens: *Qui segregant segregant semetipsos, animales, spiritum non habentes;* bene eos, qui ab aliorum cœtu, & charitate discedunt, diuino Spiritu destitutos, ac proinde totos animales, qui ea tantùm respiciant, quæ sensuum voluptatibus consentanea sunt, appellans. Quare Bernard. dicto serm. 1. de S. Michaële componens hæc verba cum illis 1. ad Corinth. 3. 1. *Cùm enim sit inter vos zelus, & contentio, nonne carnales estis, & secundum hominem ambulatis?* sic inquit. *Dignè igitur cōtentiosos, & qui separant semetipsos, Apostoli carnales vocāt, & animales, spiritum non habētes.* Vnde statim Angelos pacis, & animarum custodes de discordiâ hominū ita loquentes facit. *Quid nobis, & generationi huic spiritum non habenti? Nam si adesset spiritus, per eum vtique charitas diffunderetur, & vnitas non scinderetur. Et dicunt, non permaneamus cum hominibus istis in æternum, quia caro sunt. Quæ enim conuentio luci ad tenebras? Nos de regno vnitatis & pacis sumus, & homines istos in eandem vnitatem, & pacem sperabamus esse venturos: nunc autem qua ratione nobis* 9.

Iud. Apost. | Bernard. | 1. Ad Cor. 3. 1.

cohæreant, qui dissident à se ipsis? Similem præfato Iudæ loco adhibuit Augustinus explicationem ser. 6. ex variis, sed & illud amplius addidit, vt sub hoc etiam sensu premeret ea Christi verba ad fratrem exoptantem diuisionem hæreditatis, Luc. 12. 14. *Homo, quis me constituit diuisorem inter vos?* quasi ideo homo appelletur, quod à fratre fuerit diuisus, aliàs non homo, sed Dei filius, & diuini Spiritus germana proles appellandus. *Non audiuit fratrem* (inquit August.) *contra fratrem interpellantem, & dicentem*: Domine, dic fratri meo, vt diuidat mecum hæreditatem: *& Dominus*, dic homo. *Quare ergo vis diuidere, nisi quia homo? Cùm enim dicit alius; ego sum Pauli, alius, ego verò Apollo, nonne homines estis?* Ita ille.

August. — Luc. 12. 14.

10. Iam tamdem ad hanc rem illud facit; quamlibet proximi offensam peculiari etiam ratione diuino Spiritui, qui Deus pacis, imò pax ipsa, & charitas est, inferri: etenim (August. tractat. 7. in epist. Ioannis) *facere contra dilectionem, facere contra Deum est; nemo dicat, in hominem pecco, quod non diligo fratrem meum, intendite, quomodo non peccas in Deum, quando in dilectionem peccas? Deus dilectio est.* Addo, cùm *Deus* (ex Tertullian. libro de spectac. cap. 15.) *præcipit, Spiritum sanctum, vt pote pro naturæ suæ bono tenerum, & delicatum, & tranquillitate, & lenitate, & quiete, & pace tractare, non furore, non bile, non irâ, non dolore inquietare*: minimum etiam verbum, quantumuis subobscurè in proximi iniuriam iactum, à diuino Spiritu æmulatore, & zelatore audiri, vt clarè id postmodum manifestè puniat. Ita quidem Salomon Sapient. 1. 6. cùm dixisset: *Benignus est Spiritus sapientiæ, & non liberabit maledicum à labijs suis, quoniam renum illius testis est Deus, & cordis illius scrutator est verus, & linguæ eius auditor*: subiicit. *Quoniam spiritus Domini repleuit orbem terrarũ, & hoc quod continet omnia scientiã habet vocis: propter quod qui loquitur iniqua, non potest latere, nec præteriet illum corripiens iudicium*, & vers. 10. *Quoniam auris zeli audit omnia, & tumultus murmurationum non abscondetur.* Vnde sic salubriter monet: *custodite ergo vos à murmuratione, quæ nihil prodest, & à detractione parcite linguæ. Quoniam sermo obscurus in vacuum non ibit.* Quæ quidem omnia eò manifestissimè eunt, vt homines à maledicentiâ, seu detractione etiam subobscurè factâ sapiens abducat, eâ potissimum ratione, quod licèt ad aures læsi hominis non accedat, at oculos, aures que Dei nequeat effugere, cùm diuinus Spiritus orbem terrarum impleat, & cuiusuis vocis scientiam habens arrectas habeat aures, ne quod verbũ in alios prolatum prætervolare possit, quin ab eo audiatur. Quare præter alia, quæ persequi non vacat, pende illud, *quoniam auris zeli audit omnia.* Videas enim Spiritui diuino, de quo dixerat: *Quoniam spiritus Domini repleuit orbem terrarum, & hoc quod continet omnia scientiam habet vocis*, signatè hominum amorem, huncque, non quemcumque, sed vehementissimum, atque ardenti zelo flagrantem, qui eius aures acuat, ne qua eum suis illata offensa prætereat, attribui. Nam vt habet prophanus nescio quis,

August. — Tertul. — Sap. 1. 16.

Quid non sentit Amor?

Adde tu, quid non audiat auris zeli?

11. Nec erit etiam abs re, si dixeris ideo à Christo Domino in præfato loco Matthæi 5. 23. à sacrificio in altari offerendo illum arceri, aduersum quem proximus eius aliquid querelæ habet, quod muneris eius oblatio ea de causa tunc nequeat ad Deum peruenire, quod sanctus Spiritus aduocatus sit noster, qui *postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus*: vnde pro illo quem, vt membrum ab aliis abscissum non animat, quippe ab eo dissidet, quem diuinus Spiritus, vt aduocatus tuetur, non esse, cur postulet.

Matt. 5. 23. — Ad Rom. 8. 26.

Ad eadem verba: *Si qua societas spiritus*, de humano spiritu sumptâ, necnon ad illa: *Si qua viscera miserationis.*

ADNOTATIO IV.

Nulla alia ratione, quàm quod homo quis sit, mutua illum dilectioni debere operam dare.

PRÆTER diuini Spiritus communionem, perurgens etiam ad dilectionem impendendam ratio, quæ humani spiritus societati, siue eidem humanitatis sensui, & conditioni innititur, 1.
Quid enim ita naturâ comparatum fuerit, quàm homines quòd homines sint, mutuò se diligere, & pietatis affectu circa alterutrum tangi, adinuicemque se ipsos confouere? *Nam si pecuniæ ratio* (vt inquit Augustinus epist. 52.) *socios facit, quanto magis ratio naturæ non negotiandi, sed nascendi lege communis?* & concione 8. in Psalm. 118. *Proximi facilior videtur esse cognitio; omnis quippe homo est homini proximus; nec vlla cogitanda est longinquitas generis, vbi est natura communis.* Hæc Aug. Similiter Leo Pontifex serm. 1. de ieiunio decimi mensis, rationem præcedenti adnotatione allatam, simul & hanc, quam persequimur, sic attingens. *Proximi nomine non tantùm intelligendi sunt, qui nobis amicitiâ aut propinquitate iunguntur, sed omnes prorsus homines cum quibus nobis natura communis est, siue illi hostes sint, siue socij, siue liberi, siue serui. Vnus enim nos conditor finxit, vnus nos creator animauit, eodem cuncti cælo, & aëre, iisdem vtimur diebus.* Nec latuit id Ethnicos; nam Seneca 2. de Irâ, cap. 32. sic monuit: *Nefas est nocere patriæ; ergo ciui quoque, nam hic pars patriæ est; sanctæ partes sunt, si vniuersum venerabile est: ergo & homo homini nam hic in maiore vrbe tibi ciuis est.* Nec minus luculenter Tull. lib. 3. offic. longo sermone id institutum ad hunc modum confirmás: *Atque si etiam hoc natura præscribit, vt homo homini, quicumque sit, ob eam ipsam causam tamen quod is homo sit, consultum velit; necesse est secundum eandem naturam, omnium vtilitatem esse communem; quod si ita est, certè violare alterum, lege naturæ prohibemur.* & paulo pòst: *Qui autem ciuium rationem dicunt esse habendam, externorum negant, hi dirimunt communem humani generis societatem quâ sublatâ beneficentia, liberalitas, bonitas, iustitia, funditus tollitur, quæ qui tollunt etiam aduersos deos immortales impij iudicandi sunt: ab his enim constitutam inter homines societatem euertunt, cuius societatis arctissimũ vinculum est, magis arbitrari esse contra naturam, hominem homini detrahere sui commodi causâ, quàm omnia incommoda subire, vel externa corporis, vel etiam ipsius animi, quæ vacet iustitiâ.* Hæc ille, & multo plura in hanc rem.

D. Aug. — Leo Pont. — Senec. — M. Tul.

Videas hinc latronem in cruce pendentem, cùm primùm ei diuinitatis Christi lux affulsit, sic animosè, atque securè regni participationem, ac veniam postulasse, Lucæ 23. 24. *Domine memento mei, cùm veneris in regnum tuum.* Sed quo prætextu? quo pignore? Sanè quod Christum sic Deum agnouit, vt hominem etiam sibi similem animaduerterit; ab homine autem cur dubitet homo misericordiã obtinere? Obseruauit id Cyr. Ierosol. Catech. 13. ex latronis personâ inquiés. *Non dico, vt operum* 2.

Luc. 23. 24. — Cyr. Ierosol.

meorum

meorum memineris, hæc enim metuo: sed omnis homo afficitur ad comitem suum; simul tecum eo ad mortem, memineris comitis tui. Drog. Similiter Venerab. Drogo de Sacram. Dom. Pass. *Imaginis tuæ Deus miserere. Sed in quo te agnoscam misereri? In eo quòd imaginem meam in te video, similem & eandem mecum miseriam pati. Quid ergo restat, nisi vt sperem de tanta misericordia? Quis inquam possit desperare?* Sic latro, ac si à Paulo didicisset: *Qui condolere possit ijs, qui ignorant, & errant, quoniam & ipse circumdatus est infirmitate*, Ad Hebr. 5.2. ad Hebr. 5.2. Quanto meliùs, quãto opportuniùs hic latro inferebat, quàm stupidus ille Rex Roboam, qui quod plus sibi carnis inesse cognosceret, duriorem se, ac seueriorem populo exhibebat? 3.Reg.12.10. 3. Reg. 12.10. *Minimus digitus meus grossior est dorso patris mei. Pater meus aggrauauit iugum vestrum, ego autem addam iugo vestro: Pater meus cecidit vos flagellis: ego autem cedam vos scorpionibus.* Sed de hoc alibi; Senec. modò Senecæ monitum audi epist. 95. *Iste versus, & in pectore, & in ore sit. Homo sum, humani nihil à me alienum puto.* Sed neque à pectore, neque Ambr. ab ore Ambrosij exulabat, qui lib. 3. offic. c. 7. dum in ditiores opem tenuioribus denegantes inuehitur, sic ait. *Feræ non excludunt feras, & homo excludit hominem; illæ etiam conformem sui generis adiuuant, homo impugnat, qui nihil à se alienum debet credere quidquid humani est.*

3. Acutiores quidem Roboamo; sed maligniores multo nefarij ij satellites erant, qui Christo Domino in domo Principis Sacerdotum illudebant, simulque impio furore diuinam eius faciem percutiebant; etenim vt facinus commodiùs perficerent, augustissimam Domini faciem priùs velarunt, Luc. 22.64. Lucæ 22.64. *Et velauerunt eum, & percutiebant faciem eius.* Beda. Sed quam ob causam? Respondet Beda in cap. 14. Marci. *Non vt eorum ipse scelera non videat, sed vt à se ipsi, sicut quondam Moysi fecerunt, gratiam cognitionis eius abscondant;* voluit dicere, ne eum ipsi viderent, vix enim fieri poterat, vt in tantam vultus maiestatem tam impio furore debaccharentur. At ego aliter sentio, nimirum, ideo velasse Christi faciem, ne se ipsos in eius oculis viderent, vt ita faciliùs omnem à se humanitatis sensum abijcerent. Nota quidem est pupillæ oculorum natura, dicente Plin. Plinio lib. 11. c. 37. *Adeò ijs (oculis) absoluta vis speculi, vt tam parua pupilla totam imaginem reddat hominis.* Nihil ergo sui, nihil humanitatis ob oculos habere volentes, Christi faciem velauerunt, vt sui ipsorum imaginem ab oculis remouentes, omni humanitatis sensu deposito nullo compassionis affectu, atrociùs, velut immanissimæ feræ in eum ferocirent; quippe ea naturæ lex est, vt quà homines sumus, *non flere cum flentibus* non possimus, Ad Rom. 12.15. ad Rom. 12.15. in quæ verba Theophyl. Theophylact. *Siquidem fletum natura ipsa suppeditat, vt compatiamur trahẽs.*

4. At ipse Dominus quàm aliter! Paulo enim antè dum enixè à Patre flagitabat, vt ab eo calix ille Mat. 26.39. transiret, Matth. 26.39. *Pater, si possibile est, transeat à me calix iste*, guttas sanguinis in terram decurrẽtes sudasse dicitur. Luc. 22.24. *& factus est sudor eius velut guttæ sanguinis decurrentis in terram.* Sed vt huius tam noui, tamque mirabilis sudoris mysterium noueris, obserua illa orationis verba: *calix iste*; Hieron. signanter enim (Hieronymo auctore ad ea verba) dixit, *iste*, vt Iudæorum calicem, hoc est, eorum peccatum, atque supplicium indicaret; quasi id potiùs, quàm mortem suam timeret. *Postulat autem* (Hieronymi verba) *non timore patiendi, sed misericordiâ prioris populi, ne ab illis bibat calicem propinatum. Vnde & signanter non dixit, transeat à me calix, sed calix iste, hoc est, populi Iudæorum, qui excusationem*

Vella 2.q. in Epist. ad Philippens.

ignorantiæ habere non potest, si me occiderit. Hinc verò sudorem iam percalluisti: præsertim si Bernard. Bernardum adeas ser. 44. in Cant. hominem ad miserendum sic monentẽ. *Peccãti homini homo peccator quasi balsami rorem sudans pium exhibeat compassionis affectum.* Videlicet ita condolescebat Christus, ita hostium suorum miserebatur, vt ipsorum pœnas, atque supplicia propria sibi existimaret, imò & faceret; atque ideo non secus, ac si ea iam ipsemet pateretur, pretiosum sanguinem velut balsami rorem sudabat. Scitè quidem dicebat nescio quis apud Quintil. Quintilianum declamat. 5. *Est quidem Iudices humanæ infirmitatis ista natura, vt ex omnibus accidentibus, grauissimum putet quisque, quod patitur*; reddit rationem, *& cùm aliena cogitationibus, nostra dolore tractentur, necesse est apud impatientiam suam, vel minora præualeant.* At enimverò minimè hic locum id habeat, nec enim cogitationibus, sed dolore ipso aliorum mala bonus Dominus ad nostri institutionem tractabat, & qui verè compatiebatur, simul ipse pati, ac perferre volebat. Sed quare? Num vt dicebat Bern. *peccanti homini homo peccator*, &c. Absit; sed quia verus erat homo, qui humanum à se nihil alienum putabat, *qui condolere possit ijs, qui ignorant, & errant*, (ad Hebr. 5.2.) *quoniam & ipse circumdatus est infirmitate*; Ad Hebr. 5.2. quique quamuis carnem peccatis obnoxiam non gestaret, at *in similitudinem carnis peccati* venerat, Ad Rom. 8.3. vnde vel pro illâ similitudine peccanti homini balsami rorem sudans pium exhibebat compassionis affectum. Audi rursus Apostolum ad Heb. 4.15. Ad Hebr. 4.15. *Non enim habemus Pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris, tentatum autem per omnia*, (Syriac. *sed qui tentatus est per omnia, sicut & nos,*) *pro similitudine absque peccato.*

5. Emphatica mirum in modum illa Ieremiæ locutio est Thren. 3.3. Thren. 3.3. *Tantùm in me vertit, & conuertit manum suam*: hoc est, à me vno Deus manum seueram, & duram non amouet, quin indesinenter me puniat, & excruciet. Sed cur dixit, *Tantùm in me*? Num alij à supplicijs erant immunes? doloribusne, & vexationibus cæteri vacabant? nonne à Rege vsque ad infimum è plebe, à sene vsque ad paruulum, à Sacerdote ad virginem, diris calamitatibus eodem Vate auctore affligebantur? Sic enim cap. Thren. 2.9. præced. v. 9. *Defixæ sunt in terrâ portæ eius, perdidit & contriuit vectes eius, Regem eius, & principes eius:* & statim: *Conticuerunt senes filiæ Sion, consperserunt cinere capita sua accincti sunt cilicijs, abiecerunt in terram capita sua virgines Ierusalem*: & vers. seq. *Effusum est in terrâ iecur meum super contritione filiæ populi mei, cùm deficeret paruulus, & lactens in plateis oppidi*: & vers. 21. *Iacuerunt in terrâ foris puer, & senex; virgines meæ, & iuuenes mei ceciderunt in gladio.* Ita omnino se res habebat, quis dubitet? At enimverò adeò homo erat, & humani à se nihil alienum putabat Vates, vt eademmet cæterorum mala, atque calamitates, vero compassionis affectu sua duceret, & quotquot alij perferrent labores, ipse grauiùs sustineret: nec mirum, quippe

——*mollissima corda* Iuuenal. satyr. 15.
Humano generi dare se natura fatetur,
Quæ lacrymas dedit. hæc nostri pars optima sensus.
Plorare ergo iubet causam lugentis amici,
Squaloremque rei, pupillum ad iura vocantem
Circumscriptorem, cuius manantia fletu
Ora puellares faciunt incerta capilli.
Naturæ imperio gemimus, cùm funus adultæ
Virginis occurrit, vel terra clauditur infans,
Et minor igne rogi: quis enim bonus, aut face dignus
Arcana qualem Cereris vult esse sacerdos,
Vlla aliena sibi credat mala? ——

Vnde & quæ virgines Sion, & quæ pupilli, & quæ paruuli, & quæ quotquot omnes Ierosolymitani dolerent, homo ad veræ humanitatis leges compositus, atque instructus, non poterat non plorare, ac si solus ipse sustineret. Sic Hecubam de aliorum cladibus mæstissimam sapienter facit Tragicus in Sen. Trag. Troadib.

Quoscumque luctus fleueris, flebis meos,
Sua quemque tantum, me omnium clades premit,
Mihi cuncta pereunt; quisquis est Hecubæ, est miser.

Vbi obiter tam in Vatis, quàm in Poëtæ verbis ad Principes viros peculiari ratione id monitum spectare, obserues; sunt enim regiæ, & verè regiæ Hecubæ voces: suisque Ieremias literam Aleph, quæ & aliarum Principem, & ab *Aluph*, ducem significat, de industria præfixisse videtur, vt muneris sui ratione omnium subditorum molestias, non minus solum Principem, quàm singulos premere debere, significet. Et de rebus quidem prosperis, & dignitatibus, sic censebat bonus Imperator Traianus, non aliter sibi posse obtingere, nisi etiam sibi Plin. Secund. subditis essent communes; sic enim de ipso Plinius in Panegyr. *Sibi accrescere putat, quod cuique adstruitur, nullamque in eo gloriam ponit, quod sit omnibus maior, nisi maximi fuerint, quibus maior est.*

6. Iam verò minimè mirandum fuerit, communem omnium siue sapientium, siue insipientium sensum hunc esse, vt humanitatis ratione mutuò se diligant, quando hâc etiam de causâ aliis prospiciendo, sibi etiammet ipsi quis consulat, quòd vniuersi huius partes omnes simus, quæ vt mutuò se respiciunt, & inter se concinunt: ita aliæ aliis indigent, aliæ aliis laborantibus laborant, & pereuntibus pereunt. Eam enim vniuersi huius naturam esse, Cicer. sic dixit Cicero lib. 2. de diuinatione: *Omnibus inter se concinentibus mundi partibus.* Quâ in re duo obseruo; alterum, ab scriptore sacro totam vniuersæ huius molis constructionẽ, ac vniuersorum operũ Dei constitutionẽ, vnum tantummodo opus appellari, Genes. 2. 2. Genes. 2. 2. *Compleuitque* (inquit) *Deus die septimo opus suum, quod fecerat:* quia nimirum vnum tantummodo opus, quod quasi ex pluribus partibus confletur, subsistatque in tot operum constructione mutuâ, videlicet, dilectio, omniumque creaturarum vnitas, & nexus à Deo intenditur: vel ipsomet Senec. Ethnico Seneca auctore epist. 95. his verbis. *Omne hoc quod vides, quo diuina, atque humana conclusa sunt, vnum est: membra sumus corporis magni, natura nos cognatos edidit, cùm ex iisdem gigneret.* Similiter Lactant. Lactant. lib. 5. de iustitia Dei, cap. 8. ex Ciceronis sententia: *Sicut vna eademque natura mundus omnibus partibus inter se cohæret, ac nititur, sic omnes homines inter se naturâ confusi prauitate dissentiunt, nec se intelligunt esse consanguineos, & subiectos omnes sub vnam eandemque tutelam, quod si teneretur, Deorum profectò vitâ homines viuerent.* Cui doctrinæ idem Senec. Seneca subnixus lib. 2. de Ira, c. 31. hæc addit: *Ne viperas quidem, & natrices, & si qua morsu, & ictu nocent, affligeremus, si vt reliqua mansuefacere possemus, aut efficere, ne nobis, aliisue periculo essent.*

7. Alterum, omnes creaturas visibiles non nisi die septimo suam maturitatem, atque statum, siue ordinis sui perfectionem fuisse assecutas, vt bene Arias Mont. probat Arias Montanus lib. 1. de nat. histor. vnde acutè infert hâc ratione, quamuis splendida Solis, & Lunæ luminaria quarto die fuerint creata, *vt sint* Genes. 1. 14. (inquit Moses Genes. 1. 14.) *in signa, & tempora, & dies, & annos:* id est, vt ab ipsis omne deuolueretur tempus, eiusque spatia numerarentur, attamen non nisi à septimo die in posterum tempus decurrisse; nimirum quòd cum vniuersi huius creaturæ sicut corporis cuiusdam membra, & partes inter se concinant atque cohæreant, nulla illarum sine alterâ suam maturitatem, & statum videatur assecuta, cùm altera ab alterâ dependeat, & perfectionem capiat: vnde Hieronymo interprete in regul. Monachorum ad Paulam, & Eustochium, tom. 9. hâc Hieronym. de causâ cùm singulæ quæquæ creaturæ seorsim spectatæ, bonæ Deo visæ fuerint, postmodum tamen, cùm omnes mutuò inter se concinentes, simulque nexæ spectatæ sunt, non bonæ tantùm, sed valde bonæ apparuerunt. *Vidit enim Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona.* Gen. 1. 31. sic nam- Gen. 1. 31. que Hieronym. *Omne secundum Philosophos tantum habet bonitatis, quantum habet vnitatis, propterea in exordio mũdi vidit Deus cuncta quæ fecerat simul erant valde bona.* Ita ille, edoctus à suo Magistro Nazianzeno, per quem ipse se profecisse gloriatur, qui orat. 2. de Paschate, quæ est 42. rem hanc elegantibus his verbis persecutus est: *Posteaquam autem primas* Nazianz. *partes præclarè constitutas vidit, alterum mundum materiâ constantem, & aspectabilem excogitauit, hanc nimirum ex cœlo, & terrâ, & his rebus, quæ eorum complexu continentur, coagmentationem, & concretionem; laudabilem illam quidem ob singularem partium elegantiam; verum laudabiliorem ob eam, quæ ex vniuersis extitit, concinnitatem, atque concordiam, aliâ re videlicet ad aliud quiddam pulchrè quadrante, atque omnibus ad omnia scitè conuenientibus, ad vnius mundi ornatum omnibus numeris absoluendum.* Planè ac si noua perfectio, atque splendor singulis creaturis alioqui imperfectis, & quasi inchoatis, ac mancis, ex aliarum consortio, & vnitate accreuerit. Quod quidem mutuæ hominum dilectioni sic in primis aptauit Greg. Nyss. tract. 1. in Psal. *Si ergo totus hic mũdus mu-* Nyssen. *sica quædam consonantia est, cuius opifex, & effector Deus: paruus verò mundus homo est, simulque similitudo, & imitatio quædam eius, qui mundum concinnauit, necesse est, vt quod ratio in magno illo, & spatioso mundo reperit, hoc vt par est in paruo itidem conspiciatur; pars enim totius cognata est toti.* Deinde Gentilis Plutarch. in libello de occultè viuendo, aureis his Plutarch. verbis: *Est autem quisque nostrûm obscurus, & ignotus, dum in vniuersi mole seorsim exiguus fertur, cùm autem inter se coeunt homines adepti iam magnitudinem, effulgent, clarique ex obscuris fiunt, & conspicui ex abditis.* En cũcta quæ fecerat (Deus) simul valde bona.

Quòd quidem manifestè it corporis imago à 8.
Paulo toties repetita, ad Rom. 12. 4. & 1. ad Corint. Ad Rom. 12. 4. 10. 17. & c. 12. 12. & seq. ad Ephes. 4. 4. Nimirum, 1. Ad Cor. 10. 17. & c. 12. 12 peruulgatum est Medicorum Axioma apud Hippocratem, lib. de alimento, ad med. *Confluxio vna, conspiratio vna, consentientia omnia;* quod Galen. Ad Ephes. 4. 4. libro 1. de facultatibus natural. cap. 13. sic expressit. Hippocr. Galen. *In corporibus nostris vnum conspiratum, confluxumque esse, ac omnia inter se mutuò affici, dixit Hippocrates.* Et Tertullian. lib. de Pœnitent. c. 10. Tertull. *Non potest corpus de vnius membri vexatione lætum agere, condoleat vniuersum, & ad remedium collaboret, necesse est.* Id quod Ambr. lib. 3. offic. cap. 3. ad hunc modum vndique eleganter versat. D. Ambr. *Hæc vtique lex naturæ est, quæ nos ad omnem stringit humanitatem, vt alter alteri, tamquam vnius partes corporis inuicem deferamus, nec detrahendum quidquam putemus, cùm contra naturæ legem sit, non iuuare. Sic enim nascimur, vt consentiant membra membris, & alterum alteri adhæreat, & obsequantur sibi mutuo ministerio. Quod si vnum desit officio suo, impediuntur & cætera, vt si eruat oculum manus, nonne sibi operis sui vsum negabit? si pedem vulneret, quantorum sibi actuum profectum inuiderit?* Vnde sic infert: *& quanto grauius est totum hominem, quàm vnum membrum detrahi?*

Iam

Iam si in vno membro totum corpus violatur, vtique in vno homine communio totius humanitatis soluitur, violatur natura generis humani. Hæc Ambrof. Nec aliter Senec. lib. 2. de Ira, cap. 31. *Quid si nocere velint manus pedibus, manibus oculi? Vt omnia inter se membra consentiunt, quia singula seruari totius interest, ita homines singulis parcent, quia ad cœtum geniti sumus, salua autem esse societas nisi amore, & custodiâ partium non potest.* Ita ille.

Senec.

9. Hinc Saulum in Christi discipulos, & membra sæuientem, sic ipse alloquebatur Act. 9. 4. *Saule, Saule, quid me persequeris?* Sed quare dixerit, *me persequeris? Num ipsum persequebatur in cœlo?* inquit Augustinus homil. 15. tom. 10. siue in Appendice, serm. 17. *De modo quo nos diligere debeamus.* Respondet verò statim, *sed quia ipse erat in Christianis compatiens membris omnibus, vt verum esset illud 1. Corinth. 12. 12. Si patitur vnum membrum, compatiuntur omnia membra.* Et statim. *Quando est aliqua coarctatio, si alter alterum calcet, lingua dicit, calcas me, num ipsa calcata est? Quid est ergo quod sonat: calcas me? Si & ille respondeat: Libera es o lingua, in ore tuo vocem habes, ego si calcaui, pedem calcaui; sed calcas me, charitas dicit: calcas me, compassio vnitatis, & vinculum societatis dicit.* Hæc August. & plura: necessariâ subinde ratione concludens, eos, qui proximorum casus non dolent, membra putrida, ac stupentia, à quibus humanitatis sensus absit omnino esse; vide illum Nec omittenda pulchra illa argumentatio, qua disertus vir Menenius Agrippa, vt Romanam plebem, quæ ab vrbe in sacrum montem secesserat, ad vrbem denuò reduceret, ex humani corporis membris confictо apologo, ad hunc modum est vsus apud Liuium libro 2. Decade 1. *Tempore illo quo in homine, non vt nunc omnia in vnum consentirent, sed singulis membris suum cuique consilium, suus sermo fuerat. ferunt indignatas reliquas partes suâ curâ, suo labore, ac ministerio, ventri omnia quæri, ventrem in medio quietum nihil aliud, quàm datis voluptatibus frui: conspirasse inde, ne manus ad os cibum ferrent, ne os acciperet datum, nec dentes conficerent: hâc irâ dum ventrem fame domare vellent, ipsa vnà membra, totúmque corpus ad extremam tabem venisse, inde apparuisse ventris quoque haud segne ministerium esse, nec magis aliquam alere eum, reddentem in omnes corporis partes hunc quo viuimus, vigemúsque diuisum pariter in venas maturum confecto cibo sanguinem.* Sic facundus ille vir. Subdit Liuius: *Comparando hinc, quàm intestina corporis seditio similis esset iræ plebis in patres, flexisse mentes hominum, agi deinde de concordia cœptum.* Ita Liuius.

Act. 9. 4.

August.

1. ad Cor. 12. 12.

T. Liuius.

10. Firmat hæc omnia opportunis verbis Isaias cap. 58. 7. *Cum videris nudum, operi eum, & carnem tuam ne despexeris*, vbi imprimis dilectionem, & curam in alterum impensam, ad propriam benefacientis rem, & vtilitatem manifestissimè refert Propheta, dum vtriusque carnem, vnam eandémque appellat: *Carnem* (inquit) *tuam ne despexeris.* Bene, *tuam*, quippe *omnes vnũ corpus sumus in Christo, singuli autẽ alter alterius membra:* ad Rom. 12. 4. siue vt disertè Syriacus: *singuli autem ex nobis, alij aliorum sumus membra*; atque ideo dum alium reficio, atque operio, membra mea, atque me ipsum operio, ac reficio. Sic Seneca libro 1. de Clem. cap. 1. cùm ex persona Neronis clementissimi tunc Principis dixisset: *Nemo non, cui alia desint, hominis nomine apud me gratiosus est*, subdens post pauca clementiæ suæ modum, atque rationem ait. *Alterius ætate primâ motus sum, alterius vltimâ: alium dignitati donaui, alium humilitati: quoties nullam inueneram misericordiæ causam, mihi peperci.* Videlicet, quia naturæ, & humanitatis lege omnes vnum sumus; & ego in illo, ille in me est, *alter*, videlicet, *alterius membrum*, vt dicebat Paulus, vel vt superiùs Seneca, *membra sumus corporis magni.* Deinde verò obserua signatè non dixisse Vatem, animam tuam, siue spiritum tuum, aut tandem te ipsum, sed potiùs, *carnem tuam ne despexeris*, vt simul demonstraret, non magnam hanc laudem esse, si homo homini manum porrigat, vnúmque corpus cum illo se agnoscat, quippe ipsâ carnis, rudioris quidem hominis partis admonitione ad id officij vrgeretur. Vnde quidam sunt, qui censeant, vidisse, aut odoratum fuisse hæc Isaiæ verba Senecam, cùm epist. 95. dicebat. *Quæ damus præcepta? vt parcatur sanguini humano? Quantulum est ei non nocere, cui debeas prodesse? magna, scilicet, laus est, si homo mansuetus homini sit. Præcipiemus vt naufrago manum porrigat: erranti viam monstret, cum esuriente panem suum diuidat. Quando omnia quæ præstanda sunt, ac vitanda dicam? cùm possim breuiter hanc formulam humani officij tradere. Omne hoc quod vides, quo diuina atque humana conclusa sunt, vnum est, membra sumus corporis magni, natura nos cognatos edidit cùm ex iisdem, & in eadem gigneret. Hæc nobis amorem indidit mutuum, & sociabiles fecit, illa æquum iustumq́; composuit; ex illius constitutione miserius est nocere quàm lædi, & illius imperio paratæ sunt ad iuuandũ manus.* Applaudit his pulcherrimus Romanorum mos, sic coronatum præmia victoribus disttribuentium, vt egregium omnium facinus, quale erat, incolumem seruare ciuem, non aureâ argenteâve, quibus alias minoris momenti victorias coronabant, sed quernâ coronâ donarent: id sic eleganter adnotante Plin. lib. 16. c. 4. *O mores æternos, qui tanta opera honore solo donauerint, & cùm reliquas coronas auro commendarent, salutem ciuis in pretio esse noluerunt; clara professione, seruari quidem hominem nefas esse lucri causâ*; quippe nefas esset, vt pro sui ipsiusmet salute à se redempta lucrum pretiúmve aliquis exigeret.

Isai. 58. 7.

Ad Rom. 12. 4.

Senec.

Senec.

Senec.

Plin.

Sed & illud in oratione Dominica ad hanc cogitationem facit, quod ex Christi præscripto, Matt. 6. 10. non dicamus, sanctificetur nomen tuum in nobis, sed suspẽsâ, & generali oratione; *sanctificetur nomen tuum:* vt dum non solùm nobis, sed omnibus indiscriminatim hominibus id bonum petimus, tunc potissimùm nobis petere videamur. Obseruauit id Tertullianus libro de oratione, his verbis: *Suspensâ enunciatione non dicentes sanctificetur nomen tuum in nobis, in omnibus dicimus.* Sanè quasi aliorum salus, nostræ etiam salutis, & gratiæ pars sit; id quod adeò erat Chrysostomo persuasum, vt homil. 13. ad populum diceret. *Nemo mihi dicat, quòd multi correcti sunt, hoc non est, quod quæritur, sed vt omnes. Quousque hoc non videro, respirare non possum.* Pende ad nostrum institutum illud, *respirare non possum*; innuit enim eâ locutione, eandem se spiritus cum omnibus societatem habere: vnde aliquo malè se habente, ipsum non posse spiritum attrahere, seu respirare; sed subdit etiam præfatam corporis similitudinem: *Nam cernis in corpore hoc fieri: si enim vel vnguem solùm offendentes subuertimus totum corpus membro condolet.* Hinc illa Petri Chrysologi querimonia serm. 20. tot nos passim malis premi, quod ab inuicem distracti nosmetipsos, tanquam vnum, idque humanum corpus non intueamur: *Et re vera, fratres, si essemus vnum, & humanum corpus, si eos qui pereunt nostra esse viscera crederemus, afflictione ieiunij, precum gemitu, effusione fletuum, iugiter clamaremus:* Domine, salua nos, perimus, *& studeremus nobis in nostris fratribus subuenire, nec furente*

11. Matt. 6. 10.

Tertull.

Chrysost.

Chrysol.

gladio sanguinis nostri mare videremus in terris, nec tanta corporum, sed nec animarum iam naufragia sentiremus, atque humili voce precaremur: Domine, salua nos, perimus. Sic Chrysol. Bene illud: *Studeremus nobis in nostris fratribus subuenire.*

12. *Nyssen.* Iam ex his, ei, qui cum Nysseno libro de opificio hominis, cap. 7. ambigat, cur vnus inter cætera animantia homo non cornuum munitione, non vnguium acumine, non præacutis dentibus, non denique venenato aculeo à Deo in sui tutelam, atque munimen fuerit armatus, facilè cum *Lactant.* Lactantio lib. 2. de origine erroris, cap. 20. respondeas: eum pro his omnibus naturæ munimentis, fortiora, valentioráque arma ad se tegendum, & communiendum accepisse, nimirum miserationis affectum, quo ad mutuam alterius dilectionem, & tutelam vnusquisque propendens optimè protectus, atque armatus existeret. Audi illum: *Cum enim natura hominis imbecillior, quàm cæterorum animalium, quæ vel ad perferendam vim temporum, vel ad incursiones à suis corporibus arcendas naturalibus munimentis prouidentia cælestis armauit: homini autem, quia nihil istorum datum est, accepit pro istis omnibus miserationis affectum, qui planè vocatur humanitas, quâ nosmet inuicem tuemur.* sic ille: *&* quidem (verba sunt *Chrysost.* Chrysost. hom. 4. in hanc epist.) *nemo naturâ strenuus est, nemo naturâ vanæ gloriæ studio caret, nemo naturâ zelo, & æmulatione superior est, misereri verò, naturâ est omnibus inditum, vt vt crudelis quisquam sit, & immitis.* En igitur arma, en humanæ naturæ perpetuum fulcimentum, de quo sic etiam *Senec.* Senec. epist. 95. *Societas nostra lapidum fornicationi simillima est, quæ casura, nisi inuicem obstarent, hoc ipso sustinetur*: sed & id ab ipsâ humanitatis etymologiâ sic disertè confirmauit, & *Ambros.* monuit Ambrosius d. cap. 3. lib. 3. offic. *Considera ô homo, vnde nomen sumpseris, ab humo vtique, quæ nihil cuipiam eripit, sed omnia largitur omnibus, & diuersos in vsum omnium, animantium fructus ministrat. Inde appellata humanitas, specialis & domestica virtus hominis, quæ consortem adiuuet.* Hæc Ambrosius.

VERSVS III.

Nihil per contentionem, neque per inanem gloriam: sed in humilitate superiores sibi inuicem arbitrantes.

COMMENTARIVS.

Cum notis ad mores.

1. CONSENTANEA superioribus hæc etiam Pauli monita sunt: etenim dum hi, qui simul commorantur, & animi demissioni student, atque omni à se contendendi, & inaniter gloriandi occasione ablatâ, mutuâ potiùs humilitatis decertatione alium sibi vnusquisque præfert, & concors doctrinæ sensus, & singularis animorum, voluntatúmque coniunctio intercedat, necesse est, *Ambros.* verissimè enim dixit Ambrosius in cap. 2. epist. 2. ad Timotheum; *Qui fidem diligit, seruat mandata, qui autem charitatem sequitur, omnibus humilis est.* Nec mi- *Themist.* nus opportunè Themistius Euphrada orat. 3. *Quid ille qui mitis alioqui, & gratus, sed & ab omni auaritiâ, insulentiâque alienus est? an si gloriolæ cupidus sit, & omnibus in rebus superior esse pertinacissimè studeat, ad communionem vnquam, & societatem esse possit idoneus? Quis porrò ambitionem nescit, æqualitatem amicitiæ non admodum ferre posse.* Hæc ille, & alia.

Nihil per contentionem.

PRo, *contentionem*, Græcè habetur, ἐριθείαν, quæ vox propriè spectat ad eam verborum concer- 2. tationem, & altercandi studium, quod gloriæ causâ suscipitur; vt enim 2. ad Corinth. 12. 20. pro dis- *2. ad Cor. 12. 20.* sensione vsurpauerit noster interpres, in eundem etiam sensum recidit, cùm contendere sit, mente dissentire, vel si eo in loco dissensionem pro animorum disiunctione posuit Paulus, vno ibi verbo voluit indicare eandem, quam in manibus habemus sententiam: nempe à contentionibus solere promanare discordiam, cùm hic maximè id locum habeat, quod lib. 1. offic. dixit Tullius: *Quidquid est huiusmo-* *M. Tull.* *di, in quo non possunt plures excellere, in eo plerumque fit tanta contentio, vt difficillimum sit, sanctam seruare societatem, difficile enim est, cùm præstare cæteris concupieris, seruare æquitatem.* Quare sanctissimus Parens noster Ignatius mutuæ suorum charitatis egregius *S. Ignat. in Reg.* custos, rigidúsque satelles, omnem ab illis contentionem, & contentionum ansas sic præcidit Regula 28. inter communes: *Nullus cum alio contendat, sed si quâ in re nobis est diuersa sententia, eáque videtur manifestanda, rationes modestè & cum charitate afferantur, eo animo vt suus veritati sit locus, non vt ea in re superiores videamur.* Quæ quidem verba sensum Pauli mirificè confirmant, & ab his Bernardi libro *Bernard.* de modo viuendi, cap. siue serm. 17. qui est de contentione, optimè stabiliuntur: *Non contendas in vllâ causâ, in nullâ causâ decertare studeas; contentio lites parit, contentio pacem cordis extinguit, contentio rixas gignit, contentio iurgia seminat, contentio faces odiorum accendit, contentio concordiam rumpit, contentio conturbat oculum mentis, sicut ait Dauid;* Turbatus est à fu- *Psal. 6. 8.* rore oculus meus. Hæc ibi.

Remouet verò Paulus à Philippensibus hoc con- 3. tendendi studium, tamquam à viris spiritualibus alienissimum, iure namque dixit Nazianzenus ora- *Nazianz.* tione 26. quæ est de moderatione in disputationibus seruanda. *Turpe est profectò cùm vestis, ac victus rationem non magnificam, sed vilitatem amplectaris, ac genuum callo, & lacrymarum fontibus, ieiunijs item, & vigilijs, lectulique in terram strati asperitate, laboribúsque, atque omni corporis maceratione, & subactione humilitatem, infirmitatisque tuæ sensum ostendas, ac te præferas in diuinis disputationibus Principatum, ac tyrannidem tibi vendicare, nec cuiquam fasces omnino submittere, ac supra omnes legis doctores attollere, vbi humilitas non solùm gloriam habet, sed & securitatem.* Ad quem sanè modum Cicero lib. 1. de finib. per- *M. Tull.* tinaces contentiones in disputando philosophico animo indignas sic censuit: *Iracundæ contentiones, concertationésque in disputando pertinaces, indignæ mihi philosophiâ videri solent.* Sed quod dicebat Nazianz. *vbi humilitas non solùm gloriam habet, sed & securitatem;* obseruatu dignissimum iudico: etenim quisquis pertinaciùs solet contendere, vix, ac ne vix quidem immunis à quamplurimis erratis abibit. Vnde sub hoc sensu cepit Ambrosius id 2. ad Ti- *D. Ambr. 2. ad Tim. 2. 15.* moth. 2. 15. *Sollicitè autem cura probabilem te exhibere Deo, operarium inconfusibilem*: pro, *inconfusibilem*, legens, *non impudoratum*, atque hoc modo explicans. *Quoniam autem sunt aliqui, qui dicunt contentionem audientibus prodesse, Apostolus autem sciens magis obesse, hoc mandat, vt vnusquisq; hoc curet; nempe, vt spreta altercatione semetipsum probabilem faciat, impudoratos appellans eos, qui contentionibus nituntur. Necesse est enim, vt contentio extorqueat aliquid, imò multa quæ dicuntur*

dicuntur contra conscientiam, vt intus in anima perdat, foris victor abscedat. Nemo enim patitur se vinci, licèt sciat vera, quæ audit. Quòd si ex me scire velis, qui tandem ij impudorati sint; illos equidem appellarim, qui ob gloriæ studium, aut propter peculiares rationes de rebus inutilibus contendentes, religionis, ac pietatis prætextum obtendunt, nec pro re minus graui, quàm pro ipsâ fide bellum se gerere imperitæ plebi plenis buccis persuadere solent.

Nazianz. Quos quidem sic depinxit Nazianzenus in Apologet. *Nunc autem nonnulli sunt, qui de paruis etiam rebus, nec quicquam vtilitatis afferentibus digladientur, sociosq́; mali quoscumque possint admodum imperitè ac temerè asciscant. Posteàque his omnibus fides prætexitur, atque sanctum, & venerandum hoc nomen priuatis eorum contentionibus distrahitur; ac proinde, vt consentaneum est, odio quidem apud gentes flagramus, quódque grauius est, causam nullam afferre possumus quin iure, ac merito.* Ita Gregorius.

4. Sed & puerile simul, & infirmi animi contentio-

1.ad Cor.3.1. nis vitium esse non semel docuit idem Paulus; nam 1.ad Corinth.3.1. disertè affirmat hâc potissimum ratione, quòd contentiosi essent Corinthij non potuisse ad ipsos, tamquam ad spirituales viros grandi sapientiæ sermone, sed infantili potiùs balbutie verba facere: sic enim ibi affirmat: *Et ego fratres non potui vobis loqui, quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus: tamquam paruulis* (Cyprianus lib.3.te-

Cypr. stimon. ad Quirinum, cap.3. infantibus) *in Christo lac vobis potum dedi, non escam, nondum poteratis; sed nec nunc quidem potestis, adhuc enim carnales estis: cùm enim sit inter vos zelus, & contentio, nónne carnales estis, & secundùm hominem ambulatis?* Similiter 1.ad

1.ad Tim.6.4. Timoth.6.4. de eo qui non acquiescit sanis sermonibus, subdit: *Superbus est nihil sciens, sed languens circa quæstiones, & pugnas verborum*; vbi languentem, hoc est, debilem, & infirmum, cuique nihil sit roboris, ac fortitudinis, eum appellat, qui nescit se alteri in disputando subiicere, sed victor semper in dissertationibus contendit euadere: Dixit hâc forsan de

Prou.20.3. causâ Salomon Prouerb.20.3. *Honor est homini qui separat se à contentionibus: omnes autem stulti miscentur contumeliis*, quasi ille magnanimæ mentis specimen det; hi verò pusillum, & inanem animum ostendant, præbeántque aliis occasionem, vt hæc il-

Nazianz. lis in faciem exprobrare possint. Vnde Nazianz. orat.3. de Pace generali, sed opportunâ his oratione dixit: *Cedamus, vt superemus, sicut athletæ, qui ex eo plerumque, quod humi se deprimunt, aduersariis supernè incumbentibus victoriam extorquent.* Hæc ille.

5. Quod verò generaliter dixit Paulus nihil omnino per contentionem esse faciendum, emphasim habet, vt nec in rebus parui momenti contendere liceat, quod ab iis ad acriores contentiones, grauiorésque pugnas per consuetudinem transitus fiat, vt

Nazianz. idem Gregorius præfata oratione sic obseruauit: *Ac maximè quidem ita comparatum est, vt omnis sermo contentiosus, & cum ambitione coniunctus, exercitatio quadam sit, quâ ad contendendum de rebus maioris momenti prouehamur: proinde nobis curæ esse debet, vt quemadmodum pueros in primis moribus, & in primâ institutione fingimus, vt insequentis ætatis improbitatem fugiant, ita nos quoque ne in leuioribus quidem parùque momenti disputationibus audaciæ, atque ineptiæ significationem præbeamus, ne eâ tandem diuturnâ consuetudine in maioribus abutamur.* Ad quod quidem monitum illud etiam spectat, ex leuissimis plerumque de causis mutuam charitatem deperdi: vnde

Chrysost. Chrysost. hom.4. in Epist. ad Ephesios ad præsens institutum vrget illud Pauli, *nolite locum dare diabolo*, his verbis: *Sicut quandiu lapides bene compacti sunt, nihilque vacuum inter se habent, firmi, & infracti perstant: si verò vel foramen acus dumtaxat, quod vt inque penetret, aut scissuram, quæ capilli locum habeat, fieri contigerit, omnia dissoluuntur, ac pereunt: ita diabolus, donec compacti quidem & bene compositi fuerimus, nihil suorum omnino poterit inferre. Quàm primùm verò vel modicum nos relaxare, vel diuidere contigerit, non aliter quàm torrens quidam toto impetu infunditur. Vbique enim illi solis initiis opus est.* Nec prætereibo, quod scribit Cornelius Tacitus lib.15. Annalium, vehe- Corn.Tac.

mens Neronis aduersus Vestinum odium ex intima sodalitate cœpisse non aliunde, quàm *quod asperis facetiis*, inquit Cornelius, *sæpe illusus, quæ vbi multum ex vero traxere, acrem sui memoriam relinquunt.* Subiicit paulò post: *Igitur non accusatore existente, quia speciem iudicii induere non poterat, ad vim dominationis conuersus Gerelanum Tribunum cum cohorte militum immittit. Misero abscinduntur venæ, adhuc balneo infertur, calida aqua versatur, nulla edita voce qua semet miseraretur.* Hæc ille. Vbi vides, quàm leuibus de causis inter amicos ad mortem peccetur.

Nec verò credendum est, præfatam doctrinam 6.

locum habere, quando inter doctos, & pios viros, vel de rebus Theologicis, aut Scripturarum interpretatione, siue aliâ quapiam de re literariâ intra debitos, & modestiæ, & Catholicorum dogmatum fines contenditur. Id namque vt paci non obesse certâ experientiâ didicimus, ita sub externâ illâ contentionis facie, pulchrum concentum reddit, ad eum modum quo lib. de insomniis dixit Synesius, mundum non vnum absolutè esse, sed ex multis conflatum; dum verò ex pluribus partibus iam affinibus, iam discordantibus componitur, egregium concentum reddere. *In eo*, inquit ille, *partes* Synes.

insunt partibus affines, ac repugnantes, conspirante ad vniuersi concordiam mutuo earum diuortio; vti lyra contrariorum, ac consentientium sonorum constitutum modulamen est. Nam quod ex contrariis vnum fit tam in lyrâ, quàm in mundo, concentus appellatur. Hactenus ex Synesio. Similiter August lib.11. de Ciuit. August.

Dei cap.18. *Sicut contraria contrariis opposita sermonis pulchritudinem reddunt: ita quadam non verborum, sed rerum eloquentiâ contrariorum oppositione sæculi pulchritudo componitur.* Sed verte imaginem, quâ vtitur August. dicitóque literatos homines non rerum, sed verborum eloquentiâ, discordi concordiâ in sententiis, & opinionibus modestè pugnantes literariam pulchritudinem componere.

Neque per inanem gloriam.

Contentioni subiungit Apostolus κενοδοξίαν: hoc 7.

est, inanis gloriæ cupiditatem, quasi contentionis pedisequam, siue etiam, vt matrem, vt inquit Theophylactus: *matrem huius* (contentionis) *adducit* Theophyl

vanam gloriam: ex hac enim illa nascitur. Cui adstipulatur Isidorus apud Bonauenturam in centiloquio, Isidor.

1.p. sect.18. *Ex inani gloria contentiones oriri affirmans.* Bonauent.

Dum verò vult Paulus, nullam omnino rem per inanem gloriam esse faciendam, vt nihil est, quod expositione indigeat, ita plurimum, quod dolendum sit inuenias; tam frequens nimirum, támque generale id vitium esse, vt vix sit qui ab hac gloriæ cupiditate se extricet, nec animi robur, & vires ad egregia opera peragenda habeat, quin eas priùs in huius gloriolæ cote acuat, vt non abs re sub hoc sensu per allegoriam acceperis, quod 1.Reg.13.20. & 21. habetur, in principio regni Saül, eò quòd non inueniretur faber ferrarius in omni terra Israël, omnem populum descendere solitum in Philistæâ, vt ex

vt exacueret vnusquisque vomerem suum,& ligonem,& securim,& sarculum,subdit textus: *Retusæ itaque erant acies vomerum, & ligonum, & tridentum, & securium, vsque ad stimulum corrigendum.* Sic planè,sic nobis accidit,vt armorum spiritualium acies obtusas,siue etiam retusas, sæpe sæpius habeamus, nec illas aliter exacuere mos sit,quàm descendendo in Philistæam, quæ hostis nostri possessio est, hoc est, à recta intentione placendi Deo ad inanis gloriæ cupiditatem.Quò facit acris increpatio Saluiani Massiliensis lib.3. de Gubernatione Dei, vbi versans ea verba 1.Ioan.2.6.*Qui dicit se in ipso manere,debet, sicut ille ambulauit, & ipse ambulare*: hæc habet, *quæ non modò illos, qui voluptates, & pompas sæculi sequuntur, sed ne illos quidem implere certum est, qui sæcularis amoris ius derelinquunt. Nam & qui renunciare diuitijs videntur, non sic renunciant, vt penitus renunciasse videantur,& qui putantur crucem portare, sic portant, vt plus habeant in crucis nomine dignitatis,quam in passione supplicij.* Sic Saluianus.

Saluian. 1.Ioan.2.6.

8. Illud verò vt à nemine ex interpretibus video discussum, ita penitiùs examinare placet;cur videlicet gloriæ cupiditas, *inanis* à Paulo appelletur? Cuius rei quæ mihi succurrant rationes,in medium proferam: & in primis non abs re responderi potest, inanem hanc gloriam dici, quod mendax omnino sit,quippe quæ sibi, quæ non sua, sed Dei potiùs sint,arroget. Quò spectat monetæ metaphora, quam ad virtutis actiones diffiniendas Philo,adnotat.sequent.adducendus,affert,sub qua etiam Paulinus epist. 4. Iustos Dei nummularios appellauit: *Vt secundum suam formam*(inquit ille)*probabiles Deo cuderent nummos,& abolitâ de nobis figurâ Cæsaris viuum Regis æterni numisma signarent.* Ecce mendacium inanis gloriæ cupidi,qui non Deo,sed sibi nummos cudit,cùm ipse non sui,sed Dei nũmularius sit. Vnde non mendacem modò,sed reum etiam læsæ majestatis eum appelles, cùm nemo suo nomine monetam percutiat, quin læsæ majestatis reus habeatur. Sub quo quidem sensu gloriæ cupidum furem appellauit Bernardus serm. 13. in Cant.his verbis: *Fratres,si hæc scitis, nemo vestrûm velit laudari in vitâ istâ, quia quidquid hic fauoris captas, quod ad Deum non retuleris ipsi furaris: tibi enim vnde gloria putide puluis? Tibi vnde? De vitæ sanctitate? Sed spiritus est, qui sanctificat,spiritus non dico tuus,sed Dei.Sed si prodigijs,& signis fulgeas, in manu tua fiunt sed in virtute Dei. An blanditur popularis fauor, quod verbum bonum,& bene fortè deprompseris? Sed Christus donauit os,& sapientiam;nam lingua tua,quid nisi calamus scribæ? Et hoc ipsum mutuò creditum est talentum repetendum cum vsurâ.* Hæc ibi,& plura Bernard. Quam quidem ob causam, sic obseruante Petro Chrysologo serm.9.hypocritas,cùm bona opera perficiũt, tubâ canere affirmauit Christus Matth. 6. 2. quasi bellum Deo omnium auctori inferre, eiúsque gloriam,quam ipse alteri se non daturum affirmat(Isai. 48.11.) vsurpare velint. *Bene tubâ*, (inquit ille) *quia talis eleemosyna hostilis est, non ciuilis, non misericordiæ dedita, sed clamori.* Atque hinc coniiciat non nemo, Petrum 1. epist. 5. 5. necnon Iacobum cap.4 6. dixisse, Deum superbis resistere; peculiari verbo *resistendi* vsos, quod propriè aliquem lacessitum pugnare, vt alterius vim vi repellat, significat, quasi id inanis gloriæ solummodo, non verò alterius vitij sit proprium,vt bellum Deo gerat.

Philo. Paulinus. Bernard. Chrysol. Matt.6.2. 1.Petr.5.5. Iacob.4.6.

9. Vel si superior tibi huius nominis ratio non placet,dixeris inanem hanc gloriam arguitiuè,vt aiunt, appellari, quod gloriæ cupidum, inanem arguat, hoc est,vanum,ac leuem;ita Tullius Tusc.5.clarissimum illum oratorem Demosthenem,qnamuis in Græcâ eloquentiâ primas tulerit,leuiculum appellauit, quòd illo susurro delectari se diceret aquam ferentis mulierculæ,insusurrantisque alteri;*Hic est ille Demosthenes.* Eâdem verò inanitatis, quam in manibus habemus, phrasi alius nescio quis ex antiquis Philosophis, dum quendam qui sapientem se esse profitebatur, media hyeme pallio, & vestibus discissis in plateâ frigoribus conglaciatâ ad popularem auram captandam, deambulantem vidisset, sic salsè eum allocutus dicitur: *per scissuram pallij inanitatem tuam video.* Hinc Plinius Iunior vir magno iudicio,& honestis moribus,lib.1.epist.22.aiebat: *Magnitudo animi nihil ad ostentationem, omnia ad conscientiam refert,rectéque facti non ex populi sermone mercedem sed ex facto petit.* Vbi dum magnitudinem animi nihil ad ostentationem referre dixit, tacitè monuit pusillum, inanémque animum eum esse, qui secus faciat; sed & alibi idem expressiùs vanum omnino opus ob hominum laudem peractum, ac proinde inanem illius auctorem esse, sic asseruit: *Hi enim qui benefacta sua verbis adornant, non ideo prædicare, quia fecerint,sed vt prædicarent fecisse creduntur; sic quod magnificum referente alio fuisset,ipso qui gesserat recensente, vanescit.*

M.Tull. Plin Iun. Idem.

Vnde si ad antiquas historias oculos conuertas, hanc gloriæ cupiditatem proprium Ethnicorum vitium fuisse, à quo vel ipsi etiam qui aliàs moderati & honesti erant, vix se vnquam continere potuerint,comperies;vel ipsummet Plinium qui modò in inanem gloriam inuehebatur, sui immemorem ita dicentem audi lib. 9. epist. *Ego celebritate nominis mei gaudere non debeo? Ego vero gaudeo, & gaudere me dico.* Et verò vt hominis inanitatem rideas,scito totam gaudij materiem fuisse,quòd nescio quis alteri dixerit:*Vides hunc? Plinius est.* Quem leuissimum rumusculum magnum laborum suorum fructum sic grandis ille sapiens appellat, *verum fatebor, capio magnum mei laboris fructum.* Et vt plures aliorum Gentilium ineptias, vanissimorum pectorum notas recensere omittam, audi Gregor. Nyssen. de Scop. Christ. *Eum qui honoris hic collati appetens est, Dominus inter infideles recenset Ioan.* 5. 44. Etenim quomodo vos potestis, *inquit*, credere, qui ab hominibus gloriam accipitis, & gloriam, quæ à solo Deo est, non quæritis? Ad quem etiam modum August.lib.5.de Ciuit.Dei cap.14.*Tam est hoc vitium inimicum piæ fidei,si maior in corde sit cupiditas gloriæ,quàm Dei timor,vel amor,vt Dominus diceret Ioann.* 5.44. Quomodo potestis credere gloriam ab inuicem expectantes,& gloriam quæ à solo Deo est non quærentes? *Idem de quibusdam qui in eum crediderant,& verebantur eum palam confiteri, ait Euangelista Ioan.*12.43. Dilexerunt gloriam hominis magis,quàm Dei.Hæc Augustinus. 10.

Plin Iun. Gregor. Nyssen. Ioan.5.44. August.

Sed deinde eam etiam rationem quis addat, ob quam gloriæ cupiditas appelletur inanis, quod sectatores suos magnam alioquin, & æternam ob egregia virtutis opera mercedem habituros,inanes, vacuósque reddat, dicente Assertore nostro Matthæi 6.5.*Receperunt mercedem suam.* Quare Gregorius hom.32.in Euangelia, hypocritas cum Simone illo Cyrenæo,qui non propriam, sed alienam crucem angariatus portauit:Hugo in allegoriis Gotfridi Tilmanni ad lib. Machab. cum Eleazaro Elephantum animosè interficiente, & ab ipsâ interfectâ bestiâ miserè oppresso: Remigius verò cum pessimo latrone cruci suffixo, pulchrè composuerunt.*Aliena quippe onera* (ait Gregorius) *in angaria portantur,quando per vanitatis studium aliquid geritur;qui per abstinentiam quidem carnem affligunt, sed fructũ abstinentiæ interius non requirunt.* Pergit Hugo, 11.

Matth.6.5. Gregor. Hugo. Remigius.

dum

dum enim vestis asperitatem, vilitatem cibi libenter patimur, dum labore callosa squalet manus, & frigore cutis riget, & sole nigrescit, tunc Eleazarus Elephantum occidit; cùm verò in huiusmodi fauorem quærimus, tunc Eleazarum cadens opprimit Elephans. Iam Remig. in Catena S. Thom. ad cap. 27. Matth. *Per istos duos latrones designantur omnes, qui arctioris vitæ continentiam apprehendunt. Quicumque enim solâ intentione placendi Deo id faciunt, designantur per illum qui à dextris Dei crucifixus est, qui verò pro appetitu humanæ laudis, vel aliquâ minus dignâ intentione, designantur per illum qui à sinistris est crucifixus,* Vbi libet cum nescio quo ex prophanis ponderare, quàm miserum sit,

Vt faciamus idem, nec mereamur idem.

Bernard. Imò verò eum Bernard. in Apolog. ad Guillielmũ Abb. exclamare. *Væ portantibus crucem non sicut Saluator suam, sed sicut ille Cyrenæus alienam. Væ inquam semel, & væ iterum portantibus crucem Christi, & non sequentibus Christum, qui nimirum cuius passionibus participant, humilitatem sectari negligunt.* Vnde scitè Chrysol. Chrysologus serm. 7. hypocritam in ipso portu ieiunij naufragari sic dixit. *Hypocrita abstinentiæ fluctus intrasti, continentiæ conscendisti vndas, enatasti ieiunij pelagus, & in ipso portu ieiunij naufragasti.* Quia nimirum præcipuâ nauigationis, id est, laboris, qui in opere est, difficultate superatâ, in ipso portu, hoc est, vbi ad æternam mercedem adspiciendum erat, humanis oculis hærens naufragium operis, laborisque quem subierat, miserè fecit.

Deut. 15. 19. Quò etiam mysticus sensus, ab Stephano Cantuariensi piè adhibitus præcepto illi Deuteronomij 15. 19. ne gregis primogenita in hyeme, sed in æstate potiùs tonderentur, ne nimio frigore vexata perirent, non nihil facit, quasi is, qui in huius vitæ hyeme mercedem operum suorum exquirat, nihil melius fecerit, quàm ipsamet extinguere. *Nota* (in-
Steph. Cant. quit Stephanus) *quod oues non tondentur in hyeme, sed in æstate, ne asperitate hyemis opprimantur. Hyems est vita præsens, æstas verò futura. Oues in hyeme tondet, qui causâ inanis gloriæ opera sua ostentat, in æstate verò, qui pro vitâ æternâ laborat.* Vbi vides, tum opera virtutis inanis gloriæ causâ facta miserè perire, tum ipsorum auctorem, qui alioqui cæsariatus, ac
Cantic. 7. 5. comâ purpureâ splendens (Cant. 7. 5.) ante Deum apparuisset, fœdè ac miserè detonsum ad Dei tribu-
Ambros. nal peruenturum. Vnde Ambrosius lib. 1. offic. c. 1. cùm de iusto contemnente humanam gloriam dixisset: *Quò minus sequitur gloriam, eò magis super eam eminet:* subdit. *Nam qui gloriam requirunt, ijs ea merces præsentium, vmbra futurorum est, quæ impediat vitam æternam. Quod in Euangelio scriptum est,* receperunt mercedem suam. Matth. 6. 5.

12. Ad quem etiam modum Bernardus eum Basi-
Bernard. lisco: Nilus verò cum hederâ inanem gloriam composuerunt, quod ille, quem viderit statim perimat; hæc arborem, quam amplexatur arefaciat. Adi Bernard. serm. 14. in Psalmum, *Qui habitat.* Audi Ni-
S. Nilus. lum orat. 7. aduersus vitia, tom. 5. Bibliothecæ veterum Patrum. *Hedera sic arborem complectitur, vt cùm altiùs sese sustulerit, radicem eius arefaciat: inanis gloria sic iuxta virtutes nascitur, vt non recedat priùs, quàm vim illarum exciderit.* vbi subdolam inanis gloriæ vim obserua, quæ sub dulcis amplexus præ-
Basil. textu crudeliter perimit. Sic Basilius in constitutionibus monasticis, cap. 10. eam, *dulcem spiritualium operum spoliatricem, iucundum animarum nostrarum hostem, blandissimam bonorum nostrorum deprædatricem, & mortiferi hominum mentibus poculi porrectricem,* appellauit. Sed & Galfridus in allego-
Galfrid. riis Gotfridi Tilmanni ad cap. 17. Ezechielis bene per allegoriam ad hanc rem de hoc vitio accepit illud Ezech. 17. 3. *Aquila grandis magnarum alarum longo membrorum ductu, plena plumis, & varietate venit ad Libanum, & tulit medullam Cedri.* Nam cùm ipsam Vatis verbis hærens, sic graphicè depinxisset: *Aquila hæc vana gloria est, grandis suâ æstimatione, non veritate magnarum alarum, scilicet cogitationum, quibus ambulat, vel magis euolat in magnis, & mirabilibus super se; longo membrorum ductu describitur, dum terrenis facultatibus dilatatur, & longitudinem sibi promittit dierum. Plena plumis & varietate, id est, vanitate, & mutabilitate:* subdit; *Libanus candidatio, vel dealbatio dicitur: ad huius Libanum accedit Aquila, vt tollat medullam Cedri, & summitatem frondium eius euellat, dum subducit internum robur animæ ignorantis, & exterioris etiam conuersationis, & honestatis excellentiora dispergit, sola ei de specie pietatis infima, & abiecta relinquens.* Sic ille.

Quid iam verò inanius? quid vanius, aut magis 13.
stultum quàm hæc auræ popularis cupiditas, quæ vt vanissimam oculorum hominum mercedem accipiat, Dei oculos, supernorúmque ciuium amplissimum Theatrũ despicit, atque æternũ gloriæ põdus bonis operibus debitum contemnens, eo se defraudare libenter eligit? Vnde Chrysost. homil. 19. in Chrysost.
Matth. *Cuius* (inquit) *stoliditatis est, vt ad spectandas virtutes eius Rege properante, Regem quidem relinquat, ac negligat, ab egenis verò & mendicis spectari velit, ab eisque potiùs laudem requirat?* Similiter hom. 27. in epist. ad Hebræos expendens illud Pauli: *quibus dignus non erat mundus*; sic opportunè loquitur: *Quid igitur vis in hac vita recipere? Iniuria quippe est si in hac vita mercedem recipias; non itaque sæcularia sapiamus, nec in hâc vitâ quæramus retributionem; neque adeò simus pauperes, si enim omnis mundus non est dignus eis, cur partem aliquam quæris?*

Verùm enimverò nec hic substat gloriolæ huius 14.
inanitas, cùm gloriæ cupidus inanis vndique euadat, absque eo, inquam, quod expetiuit, propositóque sibi fine defraudatus; est enim, vt inquit S. Thom. 2. 2. q. 132. art. 5. *Finis inanis gloriæ mani-* D. Thom.
festatio propriæ excellentiæ. Nihil verò minus laudis amatorem assequi, certum est: nam cùm primùm eius animus atque intentio deprehenditur, pro honoribus, & plausibus concupitis, propriæque excellentiæ manifestatione, vt vanus, & futilis, imò verò vt amens ab omnibus irridetur, & exsibilatur, quippe qui inanitatem, & vanitatem suam ipsemet prodat; vti Demostheni accidisse apud Tullium superiùs vidimus; & Chrysost. non semel per- Chrysost.
docuit, sic enim hom. 72. in Matthæum: *Tu quidem maximè cupis, vt de te admirans, ille misericors, ille humanus, ille benignus dicat; ipse autem istud non dicet, sed ille inanis gloriæ cupidus prædicabit; ille qui omnibus quouis modo hominibus placere studet, cæteráque his deteriora.* & hom. 22. ad Populum: *si vana seruies glo-* Idem.
riæ, propter hoc ipsum eris ignobilior, ipsi enim te glorificantes per hoc ipsum te ridebunt, quoniam ab eis gloriam aucuparis. Quid igitur rem attrahis, ex quâ tibi contrarium prouenit? Si vis ergo glorificari, gloriam contemne, & eris clarissimus. Hæc ille.

Sed restat modò illa ratio, quæ mihi germana 15.
esse videtur, ob quam hoc inanis cognomine gloriæ cupiditatem Paulus carpat: quod videlicet quantumuis hominum laus sequatur, & ad cœlum vsque gloriosis plausibus gloriæ cupidus efferatur, vt vt id fit, inanis tamen omnino, vana, mendax, nulliúsque momenti hæc res fuerit, vel si quod leuius est nomen, quod huic leuitati imponi possit, vt inquit Tullius in Tuscul. Quam quidem rationem M. Tull.
primus reddidit Chrysostomus hom. 2. in epist. 1. ad Chrysost.
Thessa

Chrysost. Thessalonic. Vbi cùm dixisset: *Nihil profectò humanâ gloriâ vilius, nihil abiectius*; subdit post nonnulla: *dic enim obsecro, si videre contingat multitudinem paruulorum, eorum, scilicet, qui subiecti verberibus sunt, numquid ab his gloriam cupis? Ita necesse est gloriæ causâ ad omnes homines affici*; *idcirco nempe ea res inanis*
Idem. *dicitur*. Ita ibi; luculentiùs verò homil. 43. ad Pop. *Nihil hominum gloria vilius*; & post pauca: *Nonne vides personas, quæ in scena versantes inducuntur, quàm sint pulchræ quidem, quàm verò splendidæ, quàm ad extremam pulchritudinis perfectionem effictæ? Potes mihi talem aspectum in veritate monstrare? Nequaquam: Numquid vmquam earum amore captus es? Non; quare? quia vacua sunt, & imitantur pulchritudinem, pulchritudo tamen non sunt, similiter, & gloria inanis est, & gloriam quidem imitatur, non est tamen gloria*. Ve-
Iuuen. rissimè quidem, namque vt scitè dixit Iuuenalis Satyra 7.

Gloria quantalibet, quid est si gloria tantùm est?
Senec. Planè vacuum quid, & inane. ita Seneca epist. 123. *Gloria vanum, & volatile quiddam est, auráque mobilius*. Quod vel inde conijcito, quod nullus esset artifex tam stolidus, támque impos mentis, qui rem quamlibet quantumuis minimam ob solam laudis humanæ mercedem vellet perficere. Vel sartores, fabros, sutores etiam adi, & eorum operam mercede laudum etiam ingentium conducere cura: ita
Paschas. Paschas. lib. 4. in cap. 6. Matth. ad illud; *Sic luceat lux vestra coram hominibus*, his verbis: *Dic quæso, quis vnquam agricola quamuis rusticus ideo colit agrum, & seminauit, tantùm vt videatur ab his qui transeunt? Vel quis vnquam nisi stultus sit, finem laboris sui collocat in aspectu hominum, vt nihil ex eo aliud requirat?* Hæc ille, & alia, nec prætereundum appositum exemplum, quod subiicit Satyrographus in eximio illo Poëta Statio, cuius versus cùm Romæ celebratissimi essent, ipse quidem post eximias in se congestas laudes, misera fame conflictabatur, donec Comœdias à se confictas Paridi mimo diuenderet.

Iuuenal. *Curritur ad vocem iucundam, & nomen amicæ*
Thebaidos, lætam fecit cùm Statius vrbem,
Promisitq́; diem, tanta dulcedine captos
Afficit ille animos, tantâq; libidine vulgi
Auditur; sed cùm fregit subsellia versu,
Esurit, intactam Paridi nisi vendat Agauen.

16. Verùm enimverò huius gloriæ inanitatem nemo
Iob 20.7. meliùs descripsit quàm Sophar apud Iob, 20.7. vbi de hypocrita populi fauorem captante, ait: *Si ascenderit ad cœlum superbia, & caput eius nubes tetigerit, velut sterquilinium in fine perdetur & qui eum viderunt dicent, vbi est?* Et verò præter sterquilinij appositam imaginem, quo vt nihil vilius, nihil abiectius, nihil pecorum pedibus familiarius, ita nihil accommodatius ad inanis gloriæ vilitatem exprimendam, pende eam ab oculis tam citò abesse, atque deperdi, vt iure interrogetur ab omnibus: *vbi est?* Sic enim populares illi plausus auolant, támque citò hominum laudes euanescunt, tam crebrò eâdem de re mutare ipsi sententiam, præsertim in laudando, & fauendo solent, vt nullibi laudis cupidus eiúsque gloria possint inueniri. Nec omittenda in hanc rem prior à Sophar proposita thesis. Sic enim immediatè dixerat, *hoc scio à principio, ex quo positus est homo super terram, quod laus impiorum breuis sit, & gaudium hypocritæ ad instar puncti*; quod sanè ad primam illam laudationem, quâ cùm primùm positus est homo super terram, Euam callidissimus serpens aggressus est, opportunè referas: sic enim ille: *Cur præcepit vobis Deus, vt non comede-*
Genes. 3.1. *retis de omni ligno Paradisi?* Genes. 3.1. Fuit namque perinde, ac si diceret, cur tecum corpore pulcherrimâ, viribus præstantissimâ, animo intemeratâ, & absque vllâ peccati contagione, tam minutè, angustéque Deus egit, vt id tibi pomum vetare voluerit? vide te florentem, & mirum in modum vndequaque conspicuam, atque inde facilè agnosces, non bene cum tuâ dignitate, & pulchritudine tam minutæ rei præceptum se gerere. Ecce, quid sibi voluerit serpens, cùm dixit: *Cur præcepit vobis*, &c. & quidem laudis illius specie illecta mulier, breui capta suum etiam virum breuiùs decepit: vt verò videas, quàm *breuis impiorum laus*, & quomodo *gaudium hypocritæ ad instar puncti* sit; attende statim è vestigio apertos amborum oculos fuisse, atque vnum ab altero præ pudore fugientem ficus foliis semetipsos contexisse. Et vbi quæso illa tam egregiè à serpente conficta laudatio de corporis animíque bonis? vbi celebris illa Panegyris est? Euanuit planè, quia *laus impiorum breuis est, & gaudium hypocritæ ad instar puncti, & qui eum viderunt dicent, vbi est?*

Vbi iam lector attentiùs consideret, quanto 17.
æternæ mercedis dispendio, pro tam inani, tam futili vanâque re homines tam ardenter insudent, vt vix aliud sit vitium, quod eos vel acriùs insectetur, vel ipsorum animis diutiùs insideat: Nam *calor est omnis affectus*, (Tertull. lib. de Pallio, cap. 4.) *verùm* Tertull.
cùm in affectationem flabellatur, iam de incendio gloriæ ardor est: nec ardor solùm, sed vehemens flamma. ita Marc. Tull. Tuscul. 2. *Quid de nostris ambitioni-* M. Tull.
bus, quid de cupiditate honorum loquar? quæ flamma est, per quam non cucurrerint ij, qui hæc olim punctis singulis colligebant? Quod sanè vel inde conijce, quod inanis gloria aliorum etiam vitiorum victores non difficilè vincat, id quod Cyprian. serm. de ieiunio, Cyprian.
& tentationibus Christi, in illis verbis diaboli, *mitte te deorsum*, ita obseruauit: *Putabat malignus, quem gula non vicerat, vanâ gloriâ superari: experientiâ quippe rerum didicerat, & in multis probauerat, vitiorum victores sæpe nugis laudationum corruptos, & cognatum propinquúmque esse virtutibus malum, adulationem*: vel ex eâ etiam ratione collige, quòd Dei filius, vt huic morbo medicinam adhiberet, ignominiosissimum crucis supplicium signatè elegerit; id obseruante Chrysost. hom. 28. in ep. ad Hebr. ad il- Chrysost.
la verba cap. 2. *Sustinuit crucem confusione contempta*, his verbis: *Esto, igitur moriebatur, quid etiam opus erat, vt probrosè moreretur? Pro nullâ aliâ causâ, nisi vt nos doceret, nihil existimare gloriam, quæ ab hominibus defertur*. Nec solùm mortis genus, sed totam etiam moriendi causam in idipsum sic deriuauit Prima- Primasius.
sius ibi. *Propterea enim moriebatur, vt doceret nos nihil æstimare gloriam, quæ ab hominibus defertur*.

Nec minus dolendum in hoc vitio tam longissi- 18.
mè in homine durare, vt meritò dixerit Corn. Ta- Corn. Tac.
citus lib. 4. Histor. *Gloriæ cupiditatem etiam sapientibus nouissimam exui*. Similiter & Plat. apud Lips. ibi Plato.
vltimam esse tunicam, quæ ab anima deponitur. Irascor ego tamen vtrique, quod putarint, ab hominibus aliquando deponi; cùm etiam post mortem duret, atque perduret. Vnde meliùs Chrysost. Chrysost.
serm. de inanis gloriæ cupiditate, tom. 1. *Cùm reliqua vitia vnà cum morte dissoluantur, superbia post mortem omni conatu in ipso cadauere contendit naturam suam prodere; hâc enim viuâ excessuri, & statuas insignes, vel eorum substantias omnes consumpturas erigi sibi demandant, præfiniúntque plurimum suo funeri luxum*. Hæc Chrysostomus.

Quid aliud sperares facturos,
si æternum hic viuerent?

Sed in humilitate superiores sibi inuicem arbitrantes.

VTRIQVE verò contentionis, & gloriæ cupiditatis vitio humilitatem Paulus opposuit, quâ interno mentis iudicio alium sibi quisque vt potiorem præfert. Græcè namque scripsit Paulus, ταπεινοφροσύνῃ, id est, *in humili sentire*, atque ita August. serm. 21. de verbis Apost. legit, *in humilitate mentis*, vt manifestè appareat, non loqui Apostolum de præstantiâ munerum, & honorum, sed probitatis, ac virtutis, ad eum modum quo tum Hilarius in Psal. 14. exposuit illud Vatis vers. 5. *Timentes autem Dominum glorificat*; his verbis. *Ergo vt sine personæ acceptione nullus nobis, qui malignus est debet esse: ita & sine exceptione personæ omnis, qui Dominum metuat honorandus est. Non nos moueat innocens pauper, non ieiunans sanus, non seruus fidelis, non confidens in Ecclesiæ habitatione peregrinus, sed omnes pari iudicio reueratamur, vt talis sit in eorum, qui timent Dominum, magnificatione humilitas, qualis esse debet in nihil æstimandis maleuolis libertas.* Tum etiã Sanctus Pater Ignatius 3. p. const. cap. 1. §. 4. Societatis Iesu militibus præscripsit curandum nobis esse: *vt potiores partes alijs deferremus, omnes in animo nostro tamquam nobis superiores ducendo, exteriùs verò eum honorem, ac reuerentiam, quam vniuscuiusque status exigit, cum simplicitate & moderatione religiosâ exhibendo.* A quo non abit quod notauit Olympiodorus in Catenâ Græcâ in Iob, de filiis Iob vrbanè inter se conuenientibus, & potiores partes mutuò aliis deferẽtibus. Vbi enim nos habemus, *& ibant filij eius*, Iob 1. 4. LXX. legunt. *Conuenientes autem filij eius ad inuicem*, quæ ipse sic pendit. *Summæ admirationis est, quod dixit*, conuenientes inter se: *id est, nullam ob rem de principe loco erat illis contentio; maximum verò quid vnusquisque arbitrabatur, ad alterum properare.* Ita ille. Id autem plurimum ad roborandam dilectionem valere, bene probat Prosper. epist. 84. inter Epistolas Ambrosij, inquiens: *Multum autem ad roborandam dilectionem valet, cùm secundùm doctrinam Apostolicam inuicem se homines honore præueniunt & alter alterum superiorẽ existimantes, amant seruire subiecti, & nesciunt tumere Prælati; cùm & pauper diuitem non sibi dubitat anteferre, & diues pauperem sibi gaudet æquare, cùm & sublimes non superbiunt de claritate prosapiæ, & pauperes non extolluntur de communione naturæ. Cùm denique non plus tribuitur magnis opibus, quàm bonis moribus, nec maior ducitur phalerata iniquorum potentia, quàm rectorum inhonora iustitia.*

20. Ineptissimè ergo ex hoc loco eliciebat Lutherus, omnibus nos debere obedire, non vni, aut alteri. Sed vide quàm sit verum vetus verbum; *Paria sunt amplecti omnia, & nihil*: nam obediendum omnibus Lutherus dixit, vt ipse obediret nulli. Equidem si de Prælatis Paulus ageret, meliùs his verbis ea Fausti Episcopi, in serm. ad Monach. tom. 2. Bibliot. vet. Patrum quadraret sententia: *Nullus illi senior tam indoctus appareat, vt putet, quod eum non deceat obedientia, quæ Deum decuit. Humilitas enim, atque obedientia in iunioribus adhuc necessitas; in senioribus iam dignitas est.* Sed, vt dixi, non de obsequio Prælatis impendendo, sed de humilitate mentis, quâ alios virtute, & aliis dotibus superiores nobis arbitremur, capiendus est.

21. Esse verò proprium humilitatis munus, vt omnes sibi superiores quis arbitretur, optimè docuit Chrysostom. hom. 33. in Genesim, dum quãtâ vrbanitate, & demissione animi Abraham quamuis ætate, ac meritis maior nepoti suo Loth cesserit, ad hunc modum expendit: *Et senex iuueni cessit, & patruus nepoti, & qui tantam à Deo sortitus gratiam ei, qui in nullo magnum aliquod specimen præbuerat, & ea quæ oportebat illum dicere, vt iuuenem ad senem ætate, & dignitate, Patrum Patriarcha ad iuuenem dicebat.* Velle 29. in Epist. ad Philippens. *Igitur nos quoque non ijs tantùm, qui ætate nobis sunt maiores, vel etiam æquales, honorem exhibeamus.* Subdit rationem: *Non enim est humilitas facere, quod necessitate debes, vel cogeris; hoc inquam non est modestia, sed debiti, vera autem modestia est, quando cedimus ijs, qui nobis videntur esse minores; & eos veneramur, qui nobis videntur esse magis indigni quàm nos.* Et statim omnino ad mentem Pauli, qui non modò præscribit vt in reuerentia, & honore externo, sed in ipsomet interiori iudicio superiores sibi quisque omnes arbitretur, ita subiungit. *Quod si rectè sapimus, nullos etiam nobis esse minores arbitrabimur, sed nos superari ab omnibus dicemus; & hoc dico, non de nobis qui innumeris immersi sumus peccatis, sed etiam si quis sibi plurimorum bene gestorum conscius sit, nisi apud se sentiat, quod omnium sit postremus, nulla ei futura vtilitas ex omnibus bonis suis operibus.* Quod à naturâ, & diffinitione humilitatis ita confirmat. *Hæc est humilitas, quando quis occasiones habet, vt extollatur, & se ipsum humiliat, & supprimit, & modestè se gerit.* Hactenus ex Chrysostomo. Consentanea scripsit Fulgentius epist. 3. ad Probam, cap. 18. ad hunc modum. *Sit igitur studium tuum (sicut decet virginem sacram) sectari iustitiam, pietatem, fidem, charitatem, patientiam, mansuetudinem, non tamen vt consideratione tui, quamlibet etiam in inferiori positam professione despicias, aut te in bonis operibus præsumptione propriæ virtutis extollas; quidquid enim spiritualium donorum plus habueris, quàm habent aliæ, non parua est iactura virtutis, si in ipsâ principali virtute, quæ est humilitas, non alias antecellas, cùm non nescias scriptum; Quanto magnus es, humilia te in omnibus, & coram Deo inuenies gratiam*, Ecclesiastici 3. 20. Similiter Nazianzenus carmine octauo, quod est de virtute humanâ his versibus.

—Ergo cauendum,
Ne tibi plus æquo tribuas, & mente superbâ,
Viribus ipse tuis fidas, quantumlibet in te
Fulgeat insignis sapientia: néve virum quem
Inferiore gradu cernens, attollere cristas
Incipias tamquam sublimior omnibus, atque
Vicinus metæ: metam nam constitit intra,
Virtutis quicumque viam non prorsus obiuit.

Hinc intelliges fieri posse, vt perditissimos quoque homines sub hoc sensu spirituales etiam viri, absque veritatis præiudicio, superiores sibi arbitrari possint, quia nimirum possunt veraciter existimare (id quod à Sancto Francisco de se ipso sæpius inculcari scimus) futurum fuisse, vt si flagitiosis illis tantam Deus suorum auxiliorum vim tribuisset, ac nobis ipsis concessit, maiores forsan in eius obsequio profectus fuissent facturi, vocationi diuinæ gratiæ alacriùs, ac pleniùs respondentes. Ad quem sensum refero, quæ idemmet Fulgentius eâdem epistolâ, cap. 19. Probam sic rursus monet: *Quoties cogitas de perfectione virtutum, noli considerare, quid aliæ minus habeant, quàm tu habes; sed quid tu minus habeas, quàm habere iam debes.* Alias huic rei opportunas considerationes vide apud Cornelium, & Estium, eas ex Patribus elicientes; sed illis adde Augustinum serm. 21. de verbis Apostoli, hunc locum sic vrgentem. *Non arbitreris, quoniam tua quædam bona eminent, & apparent, ideo alterum nulla habere, quæ lateant, & fortasse maioris ponderis bona, quibus te superat nescientem. Non enim falli nos, aut adulatione potiùs vti Apostolus iubet, cùm dicit.* Nihil per contentionem, neque per ina 22.

Dd

Margin notes: August. — Hilar. — S. Ignat. — Olympiod. — Iob 1. 4. — LXX. — Prosper. — Chrysost. — Fulgent. — Eccl. 3. 20. — Fulgent. — August.

inanem gloriam; sed in humilitate mentis alter alterum existimantes superiorem sibi. Subiicit statim: *Verè existimemus posse esse aliquid occultum in alio, quo nobis superior sit, etiam si bonum nostrum, quo illo videmur superiores esse, non sit occultum.* Vnde infert id quod Pauli contextui est valde accommodatum: *Istæ cogitationes deprimentes superbiam, & acuentes charitatem, faciunt onera fraterna, non solùm æquo animo, sed etiam libentissimè sustineri.* Hactenus ex Augustino.

23. *Ambros.* Nec discedam hinc, quin eam etiam cogitationem appingam, quam Ambrosius lib. 2. de Pœnitent. cap. 8. sibimet ipsi multis accommodat; sæpius sub propriâ personâ ea Patriarchæ Iudæ verba *Gen. 38. 26.* Genes. 38. 26. *Iustificata est magis Thamar, quàm ego,* ad hunc modum repetens: *Quotiescumque peccatum alicuius lapsi exponitur, compatiar, nec superbè increpem, sed lugeam, & defleam, vt dum alium fleo, me ipsum defleam, dicens*: iustificata est magis Thamar, quàm ego; *fortasse adolescentula lapsa sit occasionibus, quæ delictorum fomites sunt, decepta, ac præcipitata, peccamus & seniores; repugnat in nobis lex huius carnis legi mentis nostræ, & captiuos nos trahit in peccatum, vt faciamus quod nolumus. Illi de ætate suppetit excusatio, mihi iam nulla: illa enim debet discere, nos docere;* ergo, iustificata est magis Thamar, quàm ego: *incusamus alicuius auaritiam, recordemur, si nihil ipsi auarè fecimus; & si fecimus, quoniam radix est malorum auaritia, & iam sub terrâ occultè in nostro serpit corpore, dicamus singuli,* iustificata est magis Thamar, quàm ego; *si commoti fuerimus in quemquam grauiter, leuiorem causam laicus habebat, quàm Episcopus, eò quod commotus egerit aliquid, retractemus nobiscum, dicamus, iustificatus est magis iste, qui commotionis arguitur, quàm ego: hæc enim si dicamus ipsi nobis, cauemus, ne dicat nobis Dominus Iesus, aut quisquam de discipulis eius.* Festucam in oculo fratris tui vides, trabem autem quæ in oculo tuo est, non vides. Hypocrita eiice primùm trabem de oculo tuo, & tunc videbis eiicere festucam de oculo fratris tui. Luc. 6. 42. Nec *Luc. 6. 42. Hilar.* aliò eunt, quæ scripsit Hilarius in id Psal. 14. vers. 5. *Et opprobrium non accepit aduersus proximos suos,* his verbis. *Quid enim tam inane, tam miserum, quàm homo homini superbiens, quàm de se aliquid fidens? Nonne videmus plures per opum insolentiam cùm exprobrassent inopum egestatem amissis omnibus egere, & aliorum miseriam fastidientes rursum eguisse miserantium: plures etiam per præsumptionem vitæ diu innocentes ad omnia deuolutos, & cùm delicta aliis exprobrarunt, ipsos vix ad pœnitentiæ veniam peruenire?* Hæc ex Hilario; nos plura ad seq. vers.

ADNOTATIO I.

Nihil per gloriæ cupiditatem esse faciendum.

1. IAM strictè, tamque singillatim nihil propter gloriæ cupiditatem agere præscribit Paulus, quod hæc virtutis proxima lex sit, vt iusta iustè, sancta sanctè, id est, propter ipsam iustitiam, & sanctitatem, non ob hominum plausus, & populares laudes peragantur: ita disertè Philo lib. legis al- *Philo.* legoriarum; *Hoc lex iubet, virtutem propter ipsam colere; itaque studiosos virtutis, tamquam nummos examinat recta ratio, vtrùm vitium habeant, animæ bona referendo ad res exteras an probæ monetæ sint conseruando ea in solâ animâ.* Pulchrè virtutis studiosos cum nummis componens: nam quemadmodum, vt legitimi, atque pretiosi hi sint, non aliâ, quàm regiâ imagine cudi debent, aliàs falsitatis arguentur; ita qui iustitiam operatur, solam Dei imaginem, in quâ ipse interiùs se intueatur, non verò externam sui effigiem, quæ oculos videntium captet, honestis actionibus debet imprimere. Quare Chrysolog. ser. *Chrysol.* 9. *Iustitia* (inquit) *quæ per se sibi abundat ad gloriam, spectaculum populi, vulgi laudes fauores hominum, mundi gloriam non requirit.* Reddit rationem ex ipsa virtutis geniturâ desumptam: *A Deo genita cælum spectat, in oculis agit diuinis, supernis virtutibus mixta semper à Deo solo, vt glorificetur, expectat.* Hinc de Ioseph, dum & in egregiis virtutis actionibus, quas exercebat, & in celeberrimis præconiis, quæ ei tribuebat Ægyptus, Dei tantùm oculos spectabat, dicebat Chrysost. hom. 63. in Genes. *Nec humanam* *Chrysost.* *venabatur gloriam, sed sufficiebat ei gloria superna, & oculum illum, qui non dormitat, habere volebat laudatorem factorum suorum.* Sic ille.

Est hinc, quod in Canticis sponsæ genæ peculiari locutione cum mali punici cortice componantur; sic enim cap. 6. 6. *Sicut cortex mali punici, sic genæ tuæ.* Quæ quidem similitudo aliquantum anceps esse videtur; nam si pomi cortex spectetur, quid peculiare in cortice malogranati inuenias, quod alterius pomi cortici, aut corio non insit? Quod si propter interiùs latentia grana comparatio adhibeatur, cur cortex potissimum vix de granis factâ mentione commendatur? Equidem quod ea in re sentio, id est, nec posse sine cortice grana commendari, nec aliud nisi mali punici corium dignum esse, quod laudetur. Sed quare? quia nimirum ea intus depósita grana virtutes, ac iustitiæ fructus adumbrant, si autem nisi lateant, nisi cortice claudantur, & circumdentur, nisi ab humanis inquam oculis abscódantur, nullâ omnino laudem merentur, nec sponsi oculis grati vllo modo esse possunt: solus ergo ille cortex, qui interiora grana virtutum claudit; sola etiam mali punici grana, quæ cortice velantur, digna sunt, quæ laudentur. Sed hæc Philo Carpathius *Phil. Carp.* ad ea verba, sic breuiùs perstrinxit: *Scias enim intra malum punicum multitudinem granorum contineri, horum persimiles bonorum operum fructus esse dicuntur, & latentis animi conscientiaq; bene cogitata, ac facta, quæ soli sponso perspecta sunt; & cognita: in die tamen nouissima cunctis propalanda.* Hæc Philo. A quo non multùm dissentit Nyssenus ad id loci. 2.

Cantic. 6. 6.

Iure dubites, cur vnicû recenter à se factis creaturis nomen Deus indens, vni firmamento duplex indiderit, sic enim Genes. 1. 8. *Vocauitque Deus firmamentum cælum.* Sed quare? nónne prius illud firmamenti nomē satis erat? num posterius hoc firmius, pulchriúsve fuerit? ita sanè. Etenim cùm cœlum à celando dicatur, hoc singillatim regmine, atque velamento firmamentum tot stellis, ac luminibus micans indigebat, quippe virtutum, ac bonorũ operum sydera non aliter Deo lucent, ipsiúsq; oculis grata, pulchráque censentur, nisi se ab humanis obtutibus celauerint, & absconderint; ita ad id loci Steph. Cantuar. in alleg. Gotfridi Tilm. *Quia mens iusti, quæ per bona opera firmamentum est, cælum dicitur, quia & sculpta est virtutum floribus* (dixissem ego, syderibus) *& conscientiæ gloriam celat.* Nec abs re dixerit hac ratione non nemo, diuinam in homine resplendentem imaginem hinc censeri. Certè, cùm toties in sacra pagina diuinæ similitudinis, quæ homini subest, mentio fiat, humani oculi ad eam contuendam auidè prospiciunt, & se vndequaq; homo circumspiciens, illam obtutu venari concupiscit. At erras, ac vehementer erras, quisquis id videre desideras, quod si videatur non est, quippe non aliter fit manifestum, quàm cùm est vndique contectũ, & absconditum. Audi S. Zenonem Veronens. ser. 2. in Genes. 3. *Genes. 1. 8.* *Steph. Cant.*

Genes. tom. 2. Bibliothec. *Ergóne Dei imaginem non habemus? Habemus planè, & quidem manifestam ex eo ipso, quod non est nobis portantibus nota.* Scitè quidem, *ex eo ipso.* Nam si bona opera,& virtutes, quibus Deo similes sumus, palàm gestauerimus, ipsasmet virtutes, ac proinde Dei imaginem obscurabimus. Quò refero quod lib. de sancta virginitate, cap. 31. dixit August. (D. August.) *Mensuram humilitatis cuique ex mensurâ ipsius magnitudinis datam esse*, nimirum, vt magnitudo non aliâ mensurâ, quàm humilitatis dimetiatur, tantumque magnitudinis quis habeat, quantum ipsam magnitudinem abscondere, & celare nouerit.

4. (Paschas.) Hinc illud discrimen acutè adinuenit Paschasius lib. 4. in Matthæum, inter eum dicendi modum, quo Dominus iustorum opera commendauit, & illum quo hypocritarum actiones descripsit, quod iustorum operibus, quæ oculum Dei tantùm requirunt, lucendi verbum apposuerit, inquiens Matth. 5. 16. *Sic luceat lux vestra coram hominibus*; de hypocritarum verò actionibus non dixit lucere, sed fieri, ibidem vers. 1. *Attendite ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus, vt videamini ab eis.* audi illum: *Notanda in omnibus verborum proprietas, nam illinc dictum est sic luceat, istinc autem, cauete ne faciatis opera vestra coram hominibus. Tantùm itaque nec prohibet ne luceant, sed tantùm ne fiant, vt videantur, quia profectò si virtutis essent, lucerent, nunc quia vitiorum sunt, & tenebrarum opera, videant tenebrosi tenebras suas; Deus quia lux est ea respicere, nisi vt puniat, nec approbare potest.* Hæc Paschas. pende illud; *si virtutis essent, lucerent.* Quare lucerent? quia ab humanis oculis absconderentur; at enimverò, quia in lucem data sunt, tenebris consepeliuntur. Applaudit (Tertull.) Tertullianus lib. de orat. cap. 14. eum morem, qui in Africâ inualuerat, vt in ieiunij diebus, à salutationibus, quæ casto pacis osculo dabantur, abstineretur, hac potissimum ratione confutat, quod inde ieiunantes agnoscerentur, ieiuniúmq; semetipsum proderet, ac publicum faceret: *Iam enim de abstinentia osculi agnoscimur ieiunantes.* Ac si diceret, ieiunium amisimus, quod vt veræ virtutis opus sit, celare se, & abscondere debet.

5. Nec solùm verbis, sed appositis etiam exemplis doctrinam hanc Dominus confirmauit: ipse enim aliquando de more opem laturus, non meridianam lucem, in quâ omnium oculis se ingereret; non gratum, & benemerentem amicum, cui æquum benefacere videretur, non denique suorummet oculorum vigiliam, quæ opus scienter, & prudenter factum commendaret, sed potiùs medias noctis tenebras, secreto opportunissimas, hominem importunum, qui non tam à volente peteret, quàm ab inuito extorqueret, tandémque somni tempus, vel quod tūc semisopita mens, & penè dormiens animus, meriti vix compos censeretur, vel quod qui eo tempore daret, somnum potiùs suum redimere, quàm benefacere videretur, sic in sui typo elegit apud Lucam cap. 11. 4. (Luc. 11.4.) *Quis vestrûm habebit amicum, & ibit ad eum media nocte, & dicet illi: Amice, accommoda mihi tres panes*, &c. *Et si ille perseuerauerit pulsans, dico vobis, etsi non dabit illi surgens, eo quod amicus eius sit, propter improbitatem tamen eius surget, & dabit illi quotquot habet necessarios.* (Chrysol.) sic sub præfato sensu hæc verba pensitante Chrysol. serm. 39. *O quàm pius, quàm misericors, qui quod mandatis docet, probat, & informat exemplis*; Cùm facis, *inquit*, eleemosynam, noli tubâ canere: *& iterum*, nesciat sinistra tua, quid faciat dextera tua. Quis vestrûm habebit amicum, & ibit ad eum media nocte? *Parum est quod facienti misericordiam nox velabatur, quod largitatem dantis, petentis obtegebat improbitas, nisi ad cumulum pietatis velandæ adscriberetur & somnus.* Vbi non possum non rursus reminisci diserti illius Romani equitis Sallustij Crispi apud Tacitum 3. annal. (Corn. Tac.) *Cui quò vigor animi ingentibus negotijs par suberat, eò magis vt inuidiam amoliretur, somnum, & inertiam ostentabat.* Sed ad Chrysologi mentem Ambrosius libro 1. offic. cap. 30. (D. Ambr.) *Perfecta autem est liberalitas, vbi silentio quis tegit opus suum; & necessitati singulorum occultè subuenit, quem laudat os pauperis, & non labia sua.*

Vella2q. in Epist. ad Philippens.

6. Illud verò præfatæ cogitationi, vt ouum ouo adsimile est, quod de eodem Assertore refert Lucas cap. 4. 40. (Luc. 4.40.) *Cum autem Sol occidisset, omnes, qui habebant infirmos varijs languoribus, ducebant illos ad eum, at ille singulis manibus imponens curabat eos.* Obseruabat videlicet prudens medicus ad curationes adhibendas Solis occasum. Quid? impedimentóne illi solares radij ad benefaciendum; an opportunior reddendæ sanitati hora illa erat? Erat quidem non remedio, sed beneficio, & egregiæ virtuti, vt noctis tenebris, atque silentio eius claritas tantisper dissimularetur, & iuxta ipsiusmet monitum, nesciret sinistra, quid dextera faceret. Vnde & postmodum subiicit Lucas: (Luc. 4.42.) *Facta autem die, egressus ibat in desertum locum, & turbæ requirebant eum.* In quæ verba Ambrosius (Ambros.) libro 3. de Virginibus, ei, qui dubitauerit, cur qui venerit *quærere, & saluum facere quod perierat*, (Luc. 19.10.) Lucæ capite 19. 10. homines declinaret, & ab illis requiri vellet, sic occurrit. *In quo ille docet à perfecto abesse debere iactantiam; non enim sanandorum copiam, sed iactantiam declinabat.*

7. Hinc percipies peculiarem emphasim verborum Christi, Matth. 6. 2. (Matt. 6.2.) *Cùm facis eleemosynam, noli tubâ canere ante te.* Nam meritò ambigas, cur sigillatim tubæ Christus meminerit. Et verò hâc locutione virtutis naturam in primis expressit, quæ ipsismet Ethnicis æstimatoribus, & pensitatoribus nihil ex se, siue extra se quærit, & si à possessore iactetur, & publicetur, perit. Sed priùs Ambrosium, (Ambros.) deinde Gentiles audi, sic enim ille lib. 2. offic. cap. 1. *Beata planè, quæ non alienis æstimatur iudicijs, sed domesticis percipitur sensibus, tamquam sui iudex; neque enim populares aliquas opiniones pro mercede aliquâ requirit, neque pro supplicio pauet.* Bene, *domesticis percipitur sensibus*, non aliorum, in quos se tamquam tuba insinuet; nam vt opportunè Theognis, (Theogn.)

Si bene agis, bene fit tibi, quid præconia quæris?

Iam Seneca epist. 113. fine: (Senec.) *Doceat me, quàm sacra res sit iustitia, alienum bonum expectans, nihil ex se petens nisi vsum sui, non est quod spectes, quod sit iustæ rei præmium maius, quàm iustum esse.* & statim: *qui virtutem suam publicari vult, non virtuti laborat, sed gloriæ.* Ac si dicat, eo ipso, quod virtutem tubâ canit, virtutis naturam ignorat, eiúsque munus prætergreditur, & amittit. Similia habet epist. 7. & lib. 3. de Ira, c. 4. ad cuius gustum Plinius Iunior lib. 1. epist. 8. ad Pomp. (Plin. Iun.) *Meminimus, quanto maiore animo honestatis fructus in conscientiâ, quàm in famâ reponatur, sequi enim gloria, non appeti debet: nec si casu aliquo non sequatur, idcirco, quod gloriam non meruit, minus pulchrum est.* Hinc Tacit. lib. 2. Annal. cùm de Germanico Tiberij nepote dixisset. (Corn. Tac.) *Post ingentem victoriam congeriem armorum struxit superbo cum titulo: Debellatis inter Rhenum, Albimque nationibus exercitum Tiberij Cæsaris ea monimenta Marti, Ioui, & Augusto sacrauisse*; subiicit eleganter. *De se nihil*

addidit, metu inuidiæ, an ratus conſcientiam facti ſatis eſſe. Rectè omnino: *nullum enim theatrum* (ſic M.Tull. Tullius Tuſcul. 2.) *virtuti conſcientia maius.* At Plutarch. enimverò Plutarchus in libello, *quomodo ſentias te in virtute proficere,* dum hoc inter præcipua proficiendi initia annumerauit: *Si ſe ipſo quis contentus laudantium applauſus nihil curet;* iis verbis appoſito Ageſilai exemplo confirmat, quæ præfatæ Aſſertoris ſententiæ elucidandæ mirificè deſeruiant. Sic namque ait. *Ita planè Ageſilaus vitam inſtituit, dum tacitus bona ſua ſecum circumferret, abundè magnus buccinator ipſemet ſibi. Lætabatur enim ex animo, quod teſtis ſibi eſſet idoneus, ſpectatórque bonorum, intus rationem certo ſibi commorari oſtendens, eámque egiſſe radices, poſteaquam iuxta Democritum adſueuerat ex ſeſe voluptatem accipere.* Notetur ille dicendi modus, *abundè magnus buccinator ipſemet ſui,* & componatur cum Chriſti verbis, *noli tubâ canere ante te.* Poſſis enim Chriſti verba ſic efferre. Quid vis tubâ canere, vt ab omnibus videaris, cùm ipſe abundè magnus buccinator tuimet ſis? Accinit Piſonis Velleius. ſenſus, de quo Velleius Paterculus. *Nemo magis, quæ agenda ſunt egit ſine vllâ oſtentatione agendi.* Quod verò addidit Plutarchus, Ageſilaum idoneum ſibi rectè factorum teſtem eſſe, ſimile Senec. eſt orationi, quâ Lucillum alloquitur Seneca in præfatione lib. 4. natural. quæſt. *Cùm cupieris velle laudari, quare hoc ab alijs velle debeas? ipſe te lauda; dic: liberalibus ſtudijs me tradidi, quamquam paupertas alia ſuaderet; adijce nunc inuictum muneribus animum, & in tanto auaritiæ certamine nunquam ſuppoſitam manum lucro: adijce nunc victus parſimoniam, ſermonis modeſtiam, aduerſus minores humanitatem, aduerſus maiores reuerentiam: poſt hoc ipſe te conſule, veráne, án falſa memoraueris: ſi vera ſunt, coram magno teſte laudatus es; ſi falſa, ſine teſte deriſus es.* Ita Seneca.

8. Plutarch. Nec omittenda fuerit ſubruſtica Plutarchi citato loco ad hanc rem ſimilitudo, ſaltem vt cum aliâ honeſtiori commutemus: *Porrò ſi amatores voluptatis, quam percipiunt ab ijs, quas depereunt mulierculis, nullum præter illas requirunt teſtem, quanto magis decet ſapientem, veríque boni amantem, dum in rebus honeſtis, virtutis fruitur complexibus, ſe ipſo contentum lætari, nihilque laudantium, & auditorum curare applauſus?* Sed pelle tu ſpuream eam imaginem, & illam non minus appoſitam, eius qui vehementiùs ſitiat, aut eſuriat, repone. Numquid hic, vt ſitim, famémve expellat, domo egredietur, vt à tranſeuntibus famem, ſitimve explens videatur? Id ſanè non niſi inſanus faceret: at ani-Plato. mus, Platone teſte lib. 7. de Republ. vacuitates etiam patitur, nec famem, ſitimve ſuam aliter poteſt explere, quàm virtutis opera exercendo; ergo non minus fuerit inſanus, qui animi ſitim depulſurus, hominum oculos concupiſcat. Vnde meritò (vt ſuperiùs vidimus) leuiculum appellauit Demoſthenem Tullius Tuſcul. 5. quod illo ſuſurro Tullius. delectari ſe dicebat aquam ferentis mulierculæ, inſuſurrantíſque alteri; *Hic eſt ille Demoſthenes.* ſubdit Cicero: *At quantus orator? ſed qui loqui videlicet apud alios didicerat, non multum ipſe ſecum.* Quaſi diceret, nam ſi ipſe ſecum loqui didiciſſet, vidiſſet profectò eum, qui ſitim animi explere cupit, inſanè ad amphoram mulierculæ accurrere, cùm ipſe ſe ipſo poſſit eam depellere.

9. Chryſol. At enimverò eum etiam præfatæ tubæ, de qua Dominus apud Matth. reddit ſenſum Petr. Chryſol. vt ad militarem vſum ab eo alluſum videatur. *Bene tubâ,* (ait ille) *quia talis eleemoſyna hoſtilis eſt, non ciuilis:* nec eâ ſolùm ratione, quam in expoſitione literæ, num. 8. reddidimus, quod inanis gloriæ cupidus, Deo honorem furari ſtudeat, ſed multo magis, quod dum hominum oculos, & laudes potiùs, quàm Deum, qui in abſcondito videt, obſeruat, atque venatur; vel Deum, vel ſaltem eius prouidentiam, & oculos, quibus benignus nos reſpicit, de medio videatur tollere, aliàs quis niſi inſanus humanos oculos, lippientes, inanes, maleuolos, malignos, inuidiæ, & liuoris plenos, diuinis, beneuolentiſſimis, benigniſſimis, & beneficentiſſimis anteponat? Ita videas Ananiæ, qui pecuniam dimidiatam Apoſtolorum pedibus ſubiecerat, quod id non tam religionis cauſâ, quàm vt egregij facti ſpecie, vt inquit Baſil. Baſil. ſer. 1. de inſtit. Monach. hominum oculos, & plauſus in ſui admirationem, & gloriam raperet, dixiſſe Petrum Act. 5. 3. *Cur tentauit Sathanas cor tuũ, mentiri te Spiritui ſancto?* Vbi Syriacus, & plures Græci Act. 5. 3. Lect. Syr. codices legunt, *mentiri te in Spiritum ſanctum:* Complutenſes verò, & alij omnes; *mentiri te Spiritum* Lect. Compl. *ſanctum;* quod non eò refero cum Caietano, vt hypocrita ſanctum ſe eſſe ſpiritũ mentiretur, ſed potiùs, vt ſancti Spiritus prouidentiam, & bonorum operum remunerationem, ſaltem practicè, negare videatur. Nam ſi crederet, nõ humanam venaretur gloriam, ſed contentus gloriâ supernâ, oculum illum, qui non dormitat, habere vellet laudatorem factorum ſuorum. Sic dicebat Chryſoſt. hom. 5. in Chryſoſt. Geneſ. *Non vides in equorum ludis, quomodo hi qui equos agitant, non aduertunt plauſum populi aſſidentis, nec voluptatem ex eo plauſu capiunt, ſed in vnum Regẽ in medio ſedentem oculos intendunt, ac ad nutum illius attendentes totam multitudinem deſpiciunt?* Ergo qui ad multitudinis nutum ſe componit, Regem ibi nõ eſſe, credere videtur. Nec aliter ab hoc ſono, ei tubæ reddito illud tinnit, cum, qui humanos oculos diuinis anteferat, nec Deum, qui in abſcondito videt, obſeruet, ipſum ad zelotypiam acriùs inflammare. Etenim ſi zelotypiâ diſcruciabatur Cain, quod Dei oculos ſibi vni raperet Abel: *nam reſpexit Dominus ad Abel, & ad munera eius, ad Cain vero, & ad munera illius non reſpexit,* Gen. 4. 4. cur inanis glo- Geneſ. 4. 4. riæ cupidus Deum ad æmulationem non prouocet, dum ad humanos oculos effusâ cupiditate reſpicit, nec ad Deum, qui tam ardens animæ amator, *circuit quærens,* Sap. 6. 17. vt ſponſam *in abſcondito* Sap. 6. 17. videat, non attendit?

Sed Paulum iam Paulo opponas; is enim, qui *nihil per inanem gloriam* faciendum præſcribit, quique 10. 1. ad Theſſalonic. 2. 6. dicebat: *Deus teſtis eſt, neque* 1. ad Theſſ. 2. 6. *quærentes ab hominibus gloriam, neque à vobis, neque ab alijs:* ad Corinth. epiſt. 1. cap. 4. 9. de ſemetipſo ait; 1. ad Cor. 4. 9. *ſpectaculum* (ſiue vt Hieronymus è Græco vertit in cap. 5. ad Galat. *theatrum*) *facti ſumus mundo,* Hieron. *& Angelis, & hominibus.* At ô bone, cur qui gloriam ab hominibus non quæris, non etiam in cubiculo clauderis, ſed in facie hominum, & in mundi theatro verſaris? Reſpondet verò pro Paulo ipſamet verborum ſtructura; neque enim dixit: ſpectaculum ipſe me facio hominibus, ſed potiùs ſub paſſiua ſignificatione; *ſpectaculum,* ſiue *theatrum facti ſumus.* Ac ſi diceret, non ego hominum oculos quæro, aut deſidero: abſit, ſed ipſi me inuito, & repugnãte quærunt, atque ſequuntur me. Ego ſi quidẽ quamuis pro iniuncti mihi muneris ratione in hominum oculis verſer, at Deo ſolùm me probo, atque illum oculum qui non dormitat, laudatorem habere cupio factorum meorum. Sanè pro Paulo ſic cœleſtis ſponſus fideiubet: *Oculi eius ſicut columbæ ſuper ri-* Cant. 5. 12. *uulos aquarum, quæ lacte ſunt lotæ, & reſident iuxta fluenta pleniſſima.* Nam iuxta eam Nyſſeni de lacte Nyſſen. obſeru.

obferuationem, quam fæpius fuprà probauimus, quod folum inter humida imaginem nnn reddat, his verbis innuitur, Paulum quantumuis iuxta fluẽta pleniſſima, hoc eſt, in oculis hominum, populorum, vrbium ageret: etenim *aquæ, populi ſunt, gentes,* Apoc. 17.15. *& linguæ*, Apocal. 17.15. ita purè, & ſimpliciter cœlum, atque ſponſi ſui oculos ſpectare, vt propriam imaginem ab hominum oculis reddi, ſiue ab illis quæcumque egerit bona, videri, & laudari nollet; nec eos magis attendere, quàm ſi interiori domus cubiculo delitefceret. Iam ſi attendis, *Deus arguit* Chryſol. (Chryſolog. ferm. 9.) *largientem ad ſuam famam, non* Auct. ope. imperf. *ad pauperis famem, vota culpat, non loca.* Similiter Auctor operis imperfecti in Matthæum homil. 13. in cap. 5. Matth. apud Chryſoſt. tom. 2. *Qui non ideo facit, vt ab hominibus videatur, etſi coram hominibus fecerit, tamẽ non videtur coram hominibus feciſſe*, Sic ibi.

11. Act. 3.12. Applaudit huic cogitationi is Act. 3. 12. locus, cùm claudo, qui ad ſpecioſam templi portam ſedebat, per manus Petri, & Ioannis ad ſanitatem reſtituto, indéque in vehementem ſtuporem omni populo rapto, & ad Apoſtolorum plauſus maximè inclinato, Petrus, vt germanus columbæ filius, ipſéq; columba lacte lota, ſic omnem cœtum allocutus eſt: *Viri Iſraëlitæ, quid miramini in hoc, aut nos quid intuemini, quaſi noſtra virtute, & poteſtate fecerimus hũc ambulare?* Pende illud, *quid nos intuemini?* Quaſi dicat: cur in nos, & non potiùs in Deum oculos conuertitis? Eia eos à nobis remouete, neque enim videri cupimus, aut gloriã veſtrãm, humanúmve honorem captamus, qui Deum ſolummodo ſpectatorem habere cupimus. Ita penè Greg. hom. 5. in Eze- Greg. Magn. chiel. premens hæc verba: *Intuentium oculos miraculi lumine perſtrinxit, ſed humilitatem cuſtodiens laudem auctori reddidit.* Nec aliter Paulo aptauit idemmet Iob 31.26. Gregorius lib. 22. Moral. cap. 5. ea Iob verba cap. 31. 26. *Si vidi ſolem cùm luceret*, vt videlicet ad eum ipſe modum in oculis hominum verſaretur, & quod plus eſt, præclaras virtutes, & egregia ſua facta illis enumeraret, vt ab illis ſimul oculos, memoriámque auerteret, nec ea, vt propria, ſed vt profutura recenſeret; ſic enim ille. *Qui etſi Corinthijs bona ſua enumerando narrauit, illos confirmare ſtuduit, non ſe oſtendere. Nam quia eadem bona non in ſe attenderet, patefactâ tribulatione propriæ tentationis edocuit, quã expreſſè ſubiungit*, propter quod placeo mihi in infirmitatibus meis; *vt ergo diſcipulos inſtrueret, de ſe ſumma referebat, vt verò ſe in humilitate cuſtodiret, conſiderationis oculum non in virtutibus ſuis, ſed in infirmitatibus fixerat. Habent itaque proprium ſancti viri, vt bona quidem quæ agunt videant, & tamen cum peregerint, ab eorum memoriâ oculos auertant.* Ita Gregorius.

12. Sed quàm acre fuerit declinandi hominum gloriam Paulo ſtudium, inde meliùs coniicies, quod ægroto ab eo ſimul, & Barnaba in Lycaonia aliquãdo ſanato, eâque de causâ diuinis honoribus non à plebe ſolùm, ſed ab ipſo Iouis ſacerdote illis oblatis, Act. 14. 14. *Ipſi*, inquit Lucas, *conſciſſis tunicis ſuis* Act. 14.14. *exilierunt in turbas clamantes: quid hæc facitis?* Vbi plura ſunt obſeruatu digna: illud in primis quod notarunt Caiet. & Lorinus in verbo, *exilierunt*, Apoſto- Caiet. Lorin. los ideo domo, vel loco abdito egreſſos, quod fugiendæ gloriæ causâ ibi ſe abdiderint: deinde quod hoc ipſis non ſatis fuerit, quo minùs miris eos laudibus populus proſequeretur, clamantes exiliiſſe. Sed id in Græco magnam emphaſim habet; propriè enim ſignificat feroci geſtu, ac motu, horridiſque vocibus, ſeu mugitibus, non aliter, ac cùm grandis aliqua fera ſaltu aliquem appetit, plebi inſultaſſe, illámque acerrimè reprehendiſſe, quod tantis ipſos

Vella 29. in Epiſt. ad Philippenſ.

honoribus afficerent. Præterea inibi obſerua, conſcidiſſe Apoſtolos tunicas ſuas, primùm ob doloris magnitudinem, pro illius æui more, quem ob laudes ſuas percipiebant: eſt namque proprius ſanctorum mos, non minùs acriter de honoribus gloriâque ſuâ, quàm ambitioſi homines de dedecore, & ignominiâ dolere. Ita Auguſtinus lib. 10. confeſſ. Auguſt. cap. 37. cùm Deum allocutus dixiſſet: *Tu noſti de hac re gemitum cordis mei, & flumina oculorum meorum; neque enim facilè colligo, quàm ſim ab iſtâ peſte mundatior, & multum timeo occulta mea, quæ norunt oculi tui, mei autem non*, ſubdit poſtmodum. *Contriſtor laudibus meis, cùm vel ea laudantur in me, in quibus ipſe non mihi diſpliceo, vel etiam bona leuiora pluris æſtimantur, quàm æſtimanda ſunt.* Adhæc, veſtes ideo videntur diſcidiſſe, vt interiorem pectoris ſinceritatem, & odium in gloriam hominum patefacerent, vel ſi quid illis laudum thuriſve illius à Sacerdote oblati adhæſerat, à ſe procul remouerent. Certè dum Chriſtus Matth. 6. 1. dicebat: *Attendite ne iuſtitiam veſtram faciatis coram hominibus*; eam in ver- Matth. 6.1. bo, *attendite*, emphaſim adnotarunt Theophylactus, Theophyl. & Euthymius, vt ab inani gloriâ, non ſecus, ac ab Euthym. aliquâ immani ferâ nos cuſtodire, & cauere commonerent. *Attendite, ait Dominus* (verba Theophylacti) *& cauete, quaſi de malâ aliquâ beſtiâ dicat, attende ne dilaceret te.* Ita vterque: ſed illis prior Philo Phil. lib. de Ioſeph, cùm ad eum myſticum ſenſum, Ioſephi venditionem deferret, quod Reipublicæ gubernator eſſet futurus, quia nimirum, qui aliis præeſt omnium ſeruus efficitur, idque appoſitè ex eo quod venales ſerui in locum eminentiorem aſcendebant, vt ab omnibus vndique viderentur, ſic eliceret. *Nam qui auram populi captans concionaturus locum ſuperiorem aſcendit, ſicut venalitius ſeruus fit ex ingenuo propter honores, quos videtur accipere addicens ſe innumeris dominis:* ſubiicit, *idem à feris circumuentus inducitur, quod huic inſidietur immanis beſtia, vana gloria, corripere, ac deuorare tales ſolita.* Ita Philo.

Sed vt Paulum Paulo conciliauimus; ita ea Aſ- 13. ſertoris verba; *Attendite ne iuſtitiam veſtram faciatis coram hominibus, vt videamini ab eis*, Matth. 6. 1. cum Matt. 6.1. illis: *Sic luceat lux veſtra coram hominibus, vt videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum*, Matth. 5. 16. comparare oportet. Nam *quomodo iu-* Matth. 5.16. *ſtitiam vult celare* (Chryſol. ſer. 9.) *cuius opera ſic vult* Chryſol. *elucere?* Quid: videndæ virtutes, earum verò auctor, & artifex videndus non eſt? Ita quidem; quamuis enim reapſe fructus cum arbore, & honeſtæ actiones cum operatore ipſo coniunctæ ſint: at is ſic ad circumſtantes ſe gerere debet, imò verò ſic ſolum Deum ſpectare, vt nõ magis ſibi, ac ſi nullibi eſſet, laudes inde reſpergantur. Ita inibi Chryſolog. *Fra-* Idem. *tres, hic Dominus non iudicat, ſed exponit, pandit cogitationum dolos, ſecreta mentium nudat, iniuſtè iuſtitiam tractantibus modum iuſtæ retributionis indicit; iuſtitia quæ ſe humanis oculis locat, diuini Patris non poteſt ſpectare mercedem, voluit videri, & viſa eſt, voluit hominibus placere, & placuit, habet mercedem quam voluit, præmium quod habere noluit, non habebit.* Expreſſit id enucleatiùs Gregorius Nyſſenus orat. Nyſſen. de Scop. Chriſt. ad hunc modum. *Ergo hoc tibi dicimus hunc ſermonem præcipere, vt is qui Dei mandatis obtemperat, quidquid facit, in illum intendendo faciat, atque huic ſoli placere ſtudeat, nullam ab hominibus gloriam venando: verùm fugiat quiſque laudes ab his tributas, necnon oſtentationem; per vitam autem, & opera cognoſcatur, vt ſpectatores horum effecti, non dixit, oſtentantem ſe admirentur, ſed Patrem veſtrum, qui in cœlis eſt glorificent.* Breuiùs Theophyl. Theophyl.

in id loci ex ipsa verborum serie sic animaduertit. *Non dixit: Vos ostentetis virtutem.hoc enim non esset bonum,sed illa sola luceat, vt & inimici vestri admirentur,& glorificent non vos, sed Patrem vestrum.*

14. Matt.5.16. Sed & illũ fortè sensum habent ea Assertoris nostri verba: *Sic luceat lux vestra corā hominibus*,&c.vt tacitè nobis subindicet,eam virtutis,& rectè factorum naturam esse, quam vera semper subsequatur gloria, vt,sicut fugientem vmbra, sic humanas laudes declinantem, gloriæ splendor indesinenter insequatur. Ita Hilarius Canon.4. in Matth. *Pari fulgere Apostolos monet lumine, vt admiratione operis eorum Deo laus impertiatur,non quod ab hominibus oporteat gloriam quærere,quia omnia in honorem Dei agenda sunt, sed vt dissimulantibus licèt nobis opus nostrum ijs inter quos viuimus,eluceat.* Et bene quidem, *licèt dissimulantibus nobis.* Nam vt scitè Chrysologus sermone 9. *Qui potest celare radios Solis,iustitiæ poterit occultare fulgorem, iustitia lux rerum consilijs non velatur obscuris, iustitia cum sibi facto claret, omnes illustrat exemplo.* Vnde Philo lib. de Abel, & Cain, cùm in hanc sententiam dixisset; *Nam vera bona ex se ipsis naturaliter vocem emittere, etiamsi sileant:* subiicit tam disertè, quàm similitudini lucis, qua vsus est Dominus,accommodatè: *Nam nec Sol, nec Luna opus habent interprete, qui nos doceat ab altero interdiu, ab alterâ noctu mundum vniuersum illustrari; sed ipso splendore fidem, vel absque teste faciunt oculis certioribus, quàm sunt aures, rerum iudicibus.* Ita ille.

15. Marc.7.24. Quò placet referre obscura illa verba, quæ de Christo dixit Marcus cap.7.24. *Ingressus domum neminem voluit scire,& non potuit latere.* In quæ sic inquit Augustinus in Catena S.Thomæ: *Si autem voluit,& non potuit, infirmata voluntas eius esse videtur, impossibile est autem, vt Saluatoris voluntas non impleatur, nec potest velle, quod scit fieri non debere.* Respondet verò Beda. *Ingressus etiam domum præcepit discipulis, ne se cuiquam in regione ignotâ, quis esset, aperirent, vt exemplo eius discerent, quibus sanandis infirmos gratiam conferret, in exhibitione miraculorum humani fauoris gloriam quantum possent declinare, nec tamen à pio virtutis opere cessare, quando hoc fieri.vel fides bonorum iustè mereretur, vel infidelitas prauorum necessariò cogeret.* Sanè quasi ea sit natura virtutis, vt eius claritas, & fulgor non magis velari, occultarive possit, quàm si Solem quis in manibus, aut in sinu gestasset, & illius radios abscondere,& cohibere vellet. Ita Psalm.36.6.de Deo opportunissimo remuneratore dicebat Vates: *Et educet quasi lumen iustitiam suam*, hoc est, vt exponunt Genebrard. Iansen. Eugub. Brendembach. proferet in apertum, in lucem, & in conspectum omnium, vt quasi lumen Solis ab omnibus conspiciatur. Sed preme verbum, *educet*, quod rem quasi in sinu, vel in parte abditâ latentem in medium proferre significat: vnde inibi Origenes. *Tuam iustitiam, quam tu fecisti in occulto, & reuelasti eam soli Deo, hanc producet sicut lumen Deus,& ostendet te iustum, illuminatum Sole iustitiæ, cælo, & terra, & omnibus qui in cælo sunt.* Sic ille.

16. 4.Reg.6.30. In quam sententiam libet expendere, quod 4. Regum 6.30.de Rege Ioram dicitur: cùm enim is pœnitentiæ, non inanis gloriæ causâ cilicio interiùs fuisset indutus,casu accidit,vt præ infaustæ rei dolore vestem coram omnibus subitò discinderet; vnde factum est,vt, quod ille maximè fugiebat, ab omnibus cilicio indutus videretur; signatissimis id verbis sic referente textu sacro. *Quod cùm audisset Rex, scidit vestimenta sua, & transibat per murum, viditque omnis populus cilicium, quo vestitus erat ad carnem intrinsecus.* Vbi nonnihil emphasis esse videtur illi aduerbio, *intrinsecus*; quasi sensus sit, eo magis fuisse vniuerso populo Regis cilicium manifestum, quo ipse non ad exteriorem speciem, sed intrinsecus eo indui voluit: ac si diceret, ipse non vtcumque, sed intrinsecus, & abscondirè cilicium induit; at vel ea ratione omnis populus cilicium vidit, & ab ipso intrinsecus positum adnotauit. Quam ad rem opportunè loquitur Chrysost. hom. 72.in cap.22.Matth. vbi cùm ad inanis gloriæ cupidum dixisset: *Tu quidem maximè cupis,vt de te admirans, ille misericors, ille humanus, ille benignus dicat: ipse autem, ille inanis gloriæ cupidus prædicabit*, subdit statim, *sin verò tu celabis,tunc exclamabit:ô misericordem illum,atque humanum.non enim grande aliquid,aut præcipuum occultari diutiùs Deus patitur.sed si tu celabis,ille manifestabit.* Vnde prudentissimus Bernardus serm.13.in Cant. *Stultus* (inquit) *sum,si cistellæ labiorum tuorum gloriam meam credidero, & cœpero mendicare eam abs te; cùm habere voluero,retineo gloriam penes me.* Sic ille.

VERSVS IV.

Non quæ sua sunt singuli considerantes, sed quæ aliorum.

COMMENTARIVS.

SIc inter præcedentem, & sequentem interiectus hic versus est, vt eius sensum, vt suum sub diuersâ quidem sententiâ vterque vendicet;& Græcum quidẽ verbum tam huic, quàm illi fauere videtur: nec enim posuit hic Paulus verbum, ζητῶ, vt 1. ad Corinth. 10.24. *Nemo quod suum est, quærat*; & 1.ad Corinth.13.5. *Charitas non quærit quæ sua sunt*: & hoc eodem cap.vers. 18. *omnes quæ sua sunt, quærunt*; sed verbum, σκοπεῖν, ex quo Ambrosianus vertit, *cõtemplantes*: propriéq; significat, speculari, explorare, indagare, respicere, seu præ oculis habere, metaphorâ ab scopo, in quem vt iacula dirigamus, aciem oculorum figimus. 1. 1.ad Cor.10.24. 1.ad Cor.13.5. Ambros.

Hinc duplex æquè probabilis, & appositus huius loci se prodit sensus; alter, (à Paulo vt reor potissimum intentus) vt ad humilitatem faciliùs comparandam in aliorum virtutes, eáque bona quæ laude digna sunt, potiùs quàm in propria oculos quis defigat. Ita Anselmus: *Optimè docet quomodo vitent contentionem, & inanem gloriam, & quomodo arbitrentur alios superiores, scilicet si considerauerint non sua bona,sed aliorum.* Est quidem superborum is mos, si quæ illis bona insunt, ea attentiùs inspicere, ponderare, expendere, iactare: cõtra verò si aliqua ipsis, vel in animo, vel in corpore sordent, mentem, & oculos ab eis auertere, vt si fieri posset, æternæ obliuioni mandarentur; cùm tamen in aliorum bonis, malisque secus omnino se habeant: nam vt mala perpendere, exaggerare, & opportunè, importunè de illis sermones miscere solent, ita ad virtutes, egregiásve animi, aut corporis dotes, nec oculos aliquando conuertunt. Accipe exemplum in Pharisæo illo, de quo Dominus apud Lucam 18 10. Qui totus in videndis, contemplandis, expendendis bonis operibus, quæ gesserat, versabatur, quin in publicano iuxta se posito, licèt dolente, pœnitente, pectúsque suum percutiente boni aliquid eius oculis occurreret. Vnde quamuis ad iustitiæ leges videretur 2. Anselm. Luc.18.10.

compo

compositus, quamuis Deo ad speciem gratus, quia tamen proximi sordes potiùs quam lacrymas, quibus eluebantur, maluit videre, iure accusatur, & exsibilatur: ita rem notante Hilario in Psalm. 14. *Pharisæus verò honorem eorum, quæ de se proferebat, per insolentiam opprobrij amisit.* En scopulum in quem impegit bona sua considerans, non quæ aliorum.

Hilar.

3. Alter verò sensus ad sequentem potiùs, quàm ad præcedentem versum spectans, communis etiam præfatis Pauli verbis 1. ad Corinth. 10. 24. *Nemo quod suum est, quærat*: & illis 1. ad Corinth. 13. 5. *Charitas non quærit quæ sua sunt*, esse videtur, oppotunúmque ad mutuam charitatem fouendam continet monitum, videlicet, vt non sua solùm, sed aliorum etiam commoda quis spectet, atque procuret. Nam vt Hilarius in id Psalm. 54. *Quoniam Deus dissipauit ossa eorum, qui hominibus placent*, scitè inquit, *non est maius vinculum hominibus placendi, quàm vt nemo sui causâ velit aliquid, quia quod in profectum propriæ vtilitatis efficitur, non potest non aliquam offensionem ex causis accidentibus excitare, cùm quod alij vtile est, alteri sæpe fiat incommodum: at verò, qui nihil sui causâ velit, & omnia in profectum alienæ voluntatis exerceat, necesse est, vt causam placabilitatis acquirat, quia & ex alienis vtilitatibus placet, nec offendat ex proprijs, & hanc esse causam probabilem placendi cunctis Apostolus docuit, quia vtilitatis suæ negligens, vtilitati se dedisset alienæ.* Retulit etiam ad Prælatos hoc monitum Ambrosius lib. 2. officiorum cap. 27. fin. vt in præmiis, pœnisque irrogandis, non tam suæ indignationis, siue propriæ voluntatis, quàm aliorum vtilitatis rationem habeant, his verbis. *Sic Episcopi affectus boni est, vt optet sanare infirmos, serpentia auferre vlcera, adurere aliqua, non abscindere; postremò, quod sanari non potest, cum dolore abscindere, vnde pulcherrimum illud præceptum magis eminet, vt cogitemus*, non quæ nostra sunt, sed quæ aliorum. *Hoc enim modo nihil erit, quod vel irati nostro indulgeamus affectui, vel fauentes nostræ plus iusto tribuamus aliquid voluntati.* Ita ibi. Quem etiam ad modum ser. 17. in Psal. 118. acutè obseruat discrimẽ in his verbis Dauidis plorantis Absalõ filiũ suum: *Absalon fili mi: fili mi Absalon*, 2. Reg. 17. 33. ac in illis ante commissum prælium præcipientis, ne durior aliqua vis ei afferretur: *seruate mihi puerum Absalon*; vt nimirum hîc, dum filium tacet, remoueat impietatem in patrem, & puerum vocans crimen eleuet, atque extenuet: dixisset Hispanè, *Rapaceria de muchacho*: ibi verò paternum in illum affectum, visceraque pietatis plenissima, commeritúmque de ipsius morte dolorem, & luctum aperiat. Audi: *Cur non in vtroque aut puerum dixit, aut filium? Si viueret puer erat, quia parricidio petebat patrem: non enim pietatis nomen accipere debebat, sed infirmitatis. Ideoque vir iustus, quod religionis fuit, tacuit, quod infirmitatis, aspexit. Vbi verò est mortuus, apud pium patrem persona criminis defecit, naturæ nomen remansit.* En optimum executorem huius moniti, qui non sua, sed quæ aliorum erant, tam attentè contemplabatur. A quo non longè iuit sensus S. Zenonis Veron. ea Dauidis verba Psalm. 130. 2. *Neque ambulaui in magnis, neque in mirabilibus super me*: sic prementis. *Imperator contemnitur, pater læditur, propheta vexatur: vltionem non vt pater sumit, contumeliam non vt imperator exsequitur. In his ergo, quæ super se magna, & mirabilia sunt, non ambulat*: Ac si dicat, descendit ab iis quæ sua sunt, vt propiùs, quæ filij sunt consideret. Sed enim mens Pauli eò potissimum inclinat, vt discipulos à propriis lucris, atque commoditatibus sectandis abducat, quod id amicitiæ venenum esse soleat. *Quippe* (inquit Themist. orat. 3.) *eos videmus, qui amici dicuntur, quemadmodum antea quidem dextras sibi inuicem iungant, simul deambulent, mutuaque viuendi consuetudine vtantur, sed vbi paucos numos fortuna aliqua in medium iniecerit, catulorum more prosilientes se inuicem mordeant, ac dilanient.* Vel vide ipsummet prodigi filij fratrem, Lucæ 15. 28. de salute fratris dolentem, & queritantem, non aliam videlicet ob causam, quàm quod ad bonam frugem se recipiens ad patris hæreditatem rursus illi ius esset, id scitè obseruante Chrysolog. serm. 4. vbi cùm dubitasset, cur pater de filij reditu lætus, frater verò mæstus esset? respondet. *In filio est substantia patris tota, & ideo nihil pater perdidit, filium cum recepit: frater credidit damnum, qui rediisse conspicit cohæredem.* Hinc ad veram amicitiam dignoscendam hunc lydium lapidem proponebat Epictetus, apud Arrian. lib. 2. dissertationum, cap. 22. *Catellos non aliquando vidisti ablandientes inuicem, & inter se colludentes, vt dicas nihil illis esse amantius? Sed vt videas, quis iste sit amor, carnem illis obijcito, cognosces. Ponito inter te, & puerum agellum, cognosces puerum, seu filium te quamprimùm velle sepultum, te verò pueri mortem optaturum esse. Ita enim naturâ comparatum est* (inquit) *vt nihil perinde amet atque vtilitatem suam. Hæc pater, hæc frater est, & cognatus, & patria, & Deus. Tunc certè quidem cum obstare nobis videntur dij, ipsis quoque maledicimus: quemadmodum Alexander Æsculapij phana cremari iussit amasio suo mortuo.* Ita ille.

1. ad Cor. 10. 24. 1. ad Cor. 13. 5.

Hilar.

Ambros.

Idem.

2. Reg. 17. 33.

S. Zen. Ver.

Themist.

Luc. 15. 28.

Chrysol.

Epict.

4. Duo tamen in hâc explanatione difficultatem habent: alterum, quî Paulus præscribat, nullam propriarum rerum, atque commoditatum habendam esse rationem, cùm id cum bene ordinatâ charitate pugnet: alterum, quomodo hic sensus Græco verbo, σκοπέω, quod de internâ potiùs speculatione, siue obseruatione, quàm de externâ curâ accipiendum est, possit aptari. Sed duplex dubium vnicâ solutione facilè opprimitur. Equidem si Græca considerentur attentiùs, id solùm monere videtur Paulus, non esse omnia ita propria commoditate metienda, vt aliena commoda omnino negligamus, sic enim Græcè habetur: *non sua quisque spectate, sed & quæ aliorum quisque*: ac si dicat, non tantùm, quæ sua sunt singuli spectantes, sed etiam quæ aliorum. Vbi non tam videtur præscribere ne sua quisque commoda procuret, ad propriæque rei vtilitatem non aliquando spectet, sed ne tam auarè ea exquirat, ac de illis sit solicitus, vt nullam alterius rationem habeat. Id quod præfatæ Græci verbi, σκοπέω, significationes, contemplari, speculari, obseruare, explorare, indagare, præ oculis tanquam scopum habere, præseferre videntur. Est ergo Pauli sensus, nemo, quæ sua sunt, tam solicitè inquirat, & inuestiget, vt propria commoditate omnia metiatur: sat erit quidem si sua vtcumque quærat, & procuret, aliorum simul vtilitati locum faciens; vt eos potissimum taxare videatur Apostolus, qui aliorum emolumentis omnino despectis, siue odio habitis, in suis rebus, & commoditatibus omnes cogitationes, deliberationes, ac studia figunt. *Hombres que andan siempre pensando, y traçando sus comodidades, atropellando por todas las de los otros.* Quos veteres in illo Narcisso cæco sui amore capto magis prudenter, quàm fabulosè delinearunt: quid verò illi Nymphæ suggesserint, vers. præced. adnot. 2. vidimus.

5. Sed quid iuxta Vulgati lectionem? Fateor illi strictius subesse monitum, videlicet, vt externa aliorum commoda (de his namque Paulo sermo, non de spiritualibus: in his enim alia est ratio, cùm ex ordi

ex ordinatæ charitatis lege, meæ priusquàm alterius animæ debeam consulere: huc namque potissimum parænesis illa Tertull. lib. de Pallio spectat: *Nemo alijs nascitur moriturus sibi,*) magis quàm propria quisque procuret. Sub quo omnino sensu liquidò constat dixisse citatis locis ad Corint. *Charitas non quærit quæ sua sunt*: &, *nemo quod suum est quærat, sed quod alterius.* Vnde Saluianus Massiliensis lib. de Gubernatione Dei, verba hæc elucidans cum illis, *nemo quod suum est quærat, sed quod alterius,* coniungens vtraque cum illis Christi Domini apud Matthæum 7.12. *Quæ vultis vt faciant vobis homines, eadem & vos facite illis similiter*; sic egregiè componit: *Vides quàm fideliter præceptum Christi fuerit exsecutus, vbi cùm Saluator sic nos pro alijs, sicut pro nobis iusserit cogitare, ille plus aliorum nos commodis iussit consulere, quàm nostris: boni, scilicet, Domini famulus, & singularis magistri præclarus imitator, qui in vestigijs Domini sui ambulans patentiora quodammodo, & expressiora pedibus suis fecit Domini sui esse vestigia.* Sic ille.

(Marg.: Tertull. — Saluian. — Matt. 7.12.)

6. Nec vllo modo dubitarim, hanc Pauli mentem, & sensum esse, quippe qui & opportuna ad mutuam charitatem media substernere, & occurrentia impedimenta remouere moliebatur. Quare vt versu præcedenti dixerat, *sed in humilitate superiores inuicem arbitrantes*: ita modo eâdem locutionis serie in propriis etiam commodis sectandis potiores partes aliis deferre monet. Porrò in iis verbis Assertoris nostri, *vos amici mei eritis, si feceritis quæ præcipio vobis,* Ioann. 15.14. obseruauit Ambros. lib. 3. offic. cap. vlt., eam amicitiæ normam constitutam, vt non nostram, sed alterius voluntatem facere studeamus. *Dedit ille formam amicitiæ, quam sequamur, vt faciamus amici voluntatem.* Vnde Ansel. epist. 6. monachos Cistercienses Cœnobij sic instituebat: *Ad inuicem pacem, & concordiam habete. Quam dilectionem sic nutrire, & conseruare poteritis, si vnusquisque non vt alius suam, sed vt ipse alterius voluntatem faciat, studuerit.* Chrysostomus verò hom. de S. Philog. illud inter egregia beatitudinis bona adnumerabat: *Vbi non est meum, & tuum frigidũ illud verbum, & quidquid est malorum in vitam nostram inuehens, innumeraque gignens bella.* Scitè confirmans pleraque bella, & dissidia inde sæpius oriri, quod singuli quæ sua sunt considerent, non quæ aliorum. Nec aliter Epictetus post verba paulò antè citata hæc subiiciens: *Vbi ego, & meum eò inclinare necesse est animal. Ita inualescit Epicuri ratio, quæ honestum, aut nihil esse, aut ab opinionibus pendere asseuerat.* pergit multis. Certè hinc illa fratrum super hæreditate diuidendâ lis Christo Domino adeò molesta, vt cùm de ea ipsi iudicium, & arbitrium deferretur, responderit: *Quis me cõstituit iudicẽ, & diuisorẽ super vos?* Luc. 12.13. ac si dixisset, quis vos ad inuicem quæ sua sunt cõsiderantes, amicos, & pacatos reddere valeat? Accinit dissimile illud factum siue fictum germanorum fratrum, adeo non quæ singulorum erant considerantium, vt altero immortali, altero mortali nato, pulchrâ commutatione de suo iure alter cedens immortalitatem partiti fuerint, fabulam sic depingente Philone de legatione ad Caium. *De gemellis quoque Iouis filijs fertur, immortalitatem impartiuisse alterum alteri; cùm enim alter mortalis natus esset, alter verò immortalis, hic cuius erat potior conditio, maluit de suo iure decedere, quàm pietatem erga germanum non declarare: Cogitans enim infinitum æuum suæ vitæ, fraternique interitus, & sibi relinqui vnà cum immortalitate luctum amissi fratris perpetuum, mirificam permutationem commentus est, admixtâ sibi mortalitate: fratri verò immortalitate, ita exæquatis naturis disparibus, quæ quidem ratio fons est totius iustitiæ.* Sanè ac si Pollux Pauli foret discipulus, ab eoque sua non considerare didicisset. Sed hæc ad fabulas; illud ad omnimodam veritatem, sacramque historiam spectat, quod de Abrahamo discordiæ ansas præcidente ad nepotem suum Loth sic dixisse fertur, Genes. 13.8. *Ne quæso sit iurgium inter me & te, & inter pastores meos & pastores tuos; fratres enim sumus: ecce vniuersa terra coram te est.* Quæ verba in hanc rem sic opportunè expensa videas apud Hugonem in allegor. Gotfrid. Tilm. *Tria sunt, quæ pacem cohabitantium perturbare solent; id est, quando quis mouetur ad iram pro seipso, pro amico, & pro commodo. Tria hæc remouit Abraham, dum habitauit cum nepote. Primum remouit dicens, non sit rixa inter me & te. Secundum dicens, neque inter pastores meos & tuos. Tertium posuit, ecce, inquit, tota terra ante te est, hoc est, si de me, si de amico, si de possessione dissensio est, omnibus cedo.*

(Marg.: Ioan. 15.14. — Ambros. — Ansel. — Chrysost. — Epictet. — Luc. 12.13. — Philo. — Genes. 13.8. — Hugo.)

7. Quod si dixeris, nimis seuerum id monitum esse, imò & quod cum ipsâ naturâ, quæ nobis priùs, quàm aliis consulere suadet, pugnare videatur, respondeo id in primis proprium charitatis esse, vt non quærat *quæ sua sunt.* 1. ad Corinth. 13.5. Deinde, nullatenus durum esse, ea quæ aliorum sunt singulos considerare, cùm suum hac ratione negotium quisque agat; fieri enim non potest, vt si quæ aliorum sunt ego considerem, ipsi etiam quæ mea sunt, non quærant. Id quod Chrysost. hom. 13. ad Pop. ad ea Christi verba, Matth. 7.12. *Omnia ergo quæcumque vultis vt faciant vobis homines, & vos facite illis*; sic expendit: *Christus post multas illas beatitudines dicebat,* quæ vultis vt faciant vobis homines, hæc & vos facite ipsis; *non est opus multis sermonibus, aut legibus, voluntas tua sit lex. Vis beneficia capere? confer beneficium alteri. Vis misericordiam consequi? miserere proximi. Vis laudari? lauda alium. Vis amari? ama. Vis partibus primis potiri? cede illas priùs alteri. Tu sis iudex; tu sis vitæ tuæ legislator.* Verissimè.

(Marg.: 1. ad Cor. 13.5. — Matt. 7.12. Chrysost.)

8. Addiderim etiam aliam præfati sensus acceptionem, vt adiectiuum, *aliorum*, non sumatur diuisiuè, pro singulorum bono, sed collectiuè pro omnium, siue multorum vtilitate, sub hoc sensu, nemo priuatis commodis, sed publicæ aliorum vtilitati inuigilet, nec suas res communi bono, quod sanctum quid, & diuinum est, anteponat: ad quem modum 1. ad Corinth. 10.33. dixit Paulus: *Ego per omnia omnibus placeo, non quærens quod mihi vtile est, sed quod multis.* Iuxta quem sensum signanter videtur posita vox, *singuli,* & opposita voci, *aliorum*, vt eadem sit sententia cum illa Tullij lib. 3. offic. *Ergo vnum debet esse omnibus propositum, vt eadem sit vtilitas vniuscuiusque, & vniuersorum, quam si ad se quisque rapiat, dissoluetur omnis humana consociatio.* Et bene quidem, dissoluetur omnis humana, imò & mundana consociatio: etenim dedisse Deum mundo mundum, & singulas eius partes in vsum mutuum, atque vt vniuersitati deseruiant, sic eleganter inquit Philo lib. *quod Deus sit immutabilis,* versans ea verba Genes. 6.8. de Noë; *Inuenit Noë gratiam, &c. Comperit gratiam Dei esse omnia, terram, aquam, aërem, ignem, Solem, stellas, cœlum, animantes, stirpesque; horum autem Deum nihil sibi largitum, cùm his non egeat, sed mundum mundo, & partes eius in vsum mutuum, atque etiam vt vniuersitati commodent.* ita Philo. Nostro verò instituto opportuniùs, ac luculentiùs Ambros. lib. 3. offic. cap. 3. *Quid,* inquit, *tam contra naturam, quàm violare alterum tui commodi causâ, cùm pro omnibus excubandum, subeundas molestias, suscipiendum laborem, naturalis affectus persuadeat,*

(Marg.: 1. ad Cor. 10.33. — M. Tull. — Philo. — Genes. 6.8. — Ambros.)

suadeat,

ſuadeat; & glorioſum vnicuique ducatur, ſi periculis proprijs quærat vniuerſorum tranquillitatem, multoque ſibi vnuſquiſque arbitretur gratius, excidia patriæ repuliſſe, quàm propria pericula, præſtantiuſque eſſe exiſtimet, quod operam ſuæ patriæ impenderit, quàm ſi in otio poſitus tranquillam vitam voluptatum copijs functus egiſſet? Et verò hanc antiquis illis Romanæ Reipublicæ ducibus, primariiſque viris inſitam ſemper mentem fuiſſe, vt omni priuatâ vtilitate poſthabitâ in publicam vtilitatem ſtudia, conſiliáque ſua impenderent, egregriè obſeruat Saluianus lib. 1. de Prouident. hunc in modum. *Nam ſicut nihil eſt tam leue, quod ei graue non ſit, qui inuitus facit: ſic nihil eſt tam graue, quod non ei qui id libenter exequitur leue eſſe videatur, niſi fortè antiquis illis priſcæ virtutis viris Fabijs, Fabricijs, Cincinatis graue fuiſſe exiſtimamus, quod pauperes erant, qui diuites eſſe nolebant, cùm omnia, ſcilicet ſtudia ſua, omnes conatus ſuos ad communia emolumenta conferrent, & creſcentes Reipublicæ vires priuata paupertate ditarent.* Hæc Saluianus. Saluian.

ADNOTATIO VNICA.

Non eſſe omnia proprijs emolumentis metienda; ſed aliquando priuatam alterius: ſemper verò publicam vtilitatem eſſe præferendam.

1. ÆREO triplici huius verſus allato ſenſui, quibus ex Pauli præſcripto, à propriis commodis abducimur: & illud in primis iure naturæ maximè æquum apparet, vt non ſua quiſque conſideret, ſed & quæ aliorum quiſque; hoc eſt, vt ea non ita auarè ſolicitéque quærat, vt nullam aliorum rationem habeat. Cui cogitationi intentus clamabat Iſai. cap. 5. 8. *Væ qui coniungitis domum ad domum, & agrum agro copulatis, vſque ad terminum loci. Nunquid habitabitis vos ſoli in medio terræ?* Vbi ex Hebræo ſignificantius vertit Pagninus; *Væ ijs, qui compingunt domum domui, agrum agro appropinquare faciunt, adeò vt non ſit locus alijs.* Ac ſi dicat Propheta: Itáne vos ſoli omne terræ ſpatiũ occupaturi eſtis, vt alios è toto terrarũ orbe exulare neceſſe ſit? Sed & lectio Lxx. emphaſim habere videtur. Nam pro his verbis, *numquid habitabitis vos ſoli?* ipſi reponunt, *vt proximo auferant aliquid*; indicantes idem eſſe, nimis ſolicitè ſua quærere & inueſtigare, ac proximo iniuriam inferre. Sed quare? Primò quidem, quia, vt alibi vidimus ex Tullio lib. 1. offic. *Quidquid eſt huiuſmodi, in quo non poſſunt plures excellere, in eo plerumque fit tanta contentio, vt difficillimum ſit ſanctam ſeruari ſocietatem. Difficile enim eſt, cùm præſtare cæteris concupieris, ſeruare æquitatem.* Vnde ad ea verba Cyrill. Alex. *Eſt enim inſatiabile quiddam vir diues, ſi quidem accidat quoque, vt quod velit, non poſſit rectè conficere, quieſcet enim numquam, neque deſinet ad proximi bona aſſilire, quod nondum adeſt, ſitit, & quæ nondum parata ſunt, concupiſcit. Væ igitur inquit ijs, qui copulare volunt, & iungere ſuis ædibus alienas agros agris, vt proximo auferant aliquid. Semper enim cauſam ſtudent obtendere, cur plus ipſi poſſidere debeant, & cur alios ſibi contiguos eſſe non oporteat.* Ita ſcitè dicebat Ambroſ. lib. 1. de Abel, cap. 5. *Rapiendi nullus modus, vbi nulla menſura cupiendi.* Appono tibi exemplum coniungentis domum ad domum, & agrum agro copulantis, peſſimi, ſcilicet, Regis Achab, ad proximi Naboth vineam aſſilientis, & quod non poſſet rectè conficere, quod cupiebat, quieſcentis numquam; imò verò ſic de ipſo ait textus ſacer 3. Reg. 21. 4. *Auertit faciem ſuam ad parietem, & non comedit panem.* Vbi Lxx. pro, *auertit faciem ſuam*; legunt, *velauit faciem ſuam.* Sed cur velauit? Audi Ambroſ. lib. de Nabuth. cap. 4. *Lugent diuites, ſi non potuerint aliena diripere. ſi ſuis pauper non ceſſerit facultatibus, vim mœroris tegere non poſſunt. Dormire deſiderant, velant faciem ſuam, ne quidquam in orbe terrarum alienum videant, ne quidquam in hoc mundo non eſſe ſuum nouerint, ne audiant vicinum iuxta ſe aliquid poſſidere, ne audiant pauperem ſibi contradicentem.* Nec prætereundus eiuſdem Ambroſij commentarius in id; *Et non comedit panem.* Vbi ipſe legit, *panem ſuum*: atque ita explicat. *Et non manducauit (inquit) panem ſuum: quoniam quærebat alienum. Etenim diuites magis alienum panem, quàm ſuum manducant, qui raptu viuunt, & rapinis ſumptum exercent ſuum. Aut certè non manducauit panem ſuum, volens ſe morte mulctare, quod ei aliquid negaretur.* Proprius quidem iniquorum Regum ſenſus, ſiue orexis, quorum quidam Apud Cornel. Tacit. lib. 15. Annal. dicebat, *ſua retinere, priuatæ domus: de alienis certare regiam laudem eſſe.* Quod ſi ei ſcrupulum eâ de re inieceris, occurret non nemo, pro ſimili tyranno, ſiue fure, ſic fideiubens:

Isai. 5. 8. Pagnin. Lxx. Tull. Cyr. Alex. Ambroſ. 3. Reg. 21. 4. Lxx. Ambroſ. Corn. Tac.

Omnes quæ ſua ſunt, quærunt, vitiũmque putatur,
Ergo non quærit Glaucia, quæ ſua ſunt.

2. Sed deinde ideo etiam dixeris præfato Iſaiæ loco legiſſe Lxx. *vt proximo auferant aliquid*, quod ſummo ſemper iure circa ſua vti, ſumma ſæpius iniuria ſit, quippe vnicuique mandatum eſt de proximo ſuo, Eccleſ. 17. 12. vt videlicet proximi, amici, propinqui loco habeat, atque eius etiam bonum, & vtilitatem aliquando curet, ipſum tanquam commembrum fouere non deſinens. A quo quàm longè ſit, qui ſua ſolùm conſiderat, qui vni ſibi indulget? Sic de diuite illo epulone numquam ſatis pro meritis vituperato, qui Lazarum ad ianuam mille ærumnis conflictatum eſſe patiebatur, quin opem aliquam ei afferret, acutè dixit Chryſol. ſerm. 122. *purpurâ byſſo, delicatis veſtibus, epulis blandis ferrea viſcera crudelis anima nutriebat.* Quâ quidẽ de cauſâ Ambr. lib. 3. offic. c. 6. dum grauiter in illos inuehitur, qui ſua ſolùm, non quæ aliorum ſunt conſiderantes, annonam frumentariam vendere differunt, vt pretium opportuniore tempore auctionẽtur, latrocinij genus id eſſe, ſic apertè confirmat. *Cur ad fraudem conuertis naturæ induſtriam, & indulgentiam? Cur inuides vſibus hominum publicos partus? Cur populis minuis abundantiam? Cur affectas inopiam? Cur optari facis à paupere ſterilitatem? Cùm enim non ſentiant beneficia fœcunditatis te auctionante pretium, te condente frumentum, optant potius nihil naſci, quàm te de fame publicâ negotiari. Ambis frumentorum indigentiam, alimentorum penuriam, vberis ſoli partus ingemiſcis, fles publicam fertilitatem, horrea frugum plena deploras, exploras quando ſterilior prouentus ſit, quando exilior partus, votis tuis gaudes arriſiſſe maledictum, vt nihil vnquam naſceretur, &c. Latrocinium hoc, an fœnus appellem? Captantur tamquam latrocinij tempora, quibus viſcera hominum durus negotiator obrepas.* Hæc & plura Ambroſius.

2. Eccl. 17. 12. Chryſol. Ambroſ.

3. Porrò iis deliberationibus vera charitas vndique aduerſatur; ſic enim de eâ Paulus 1. ad Corinth. 13. 5. *Non eſt ambitioſa, non quærit quæ ſua ſunt.* Sed aduerte primò ex Clem. Alex. lib. 3. Pædag. cap. 1. Chryſoſt. Theophyl. & aliis, poſteriora verba priorum explicationem, ſiue prioris theſis hypotheſim eſſe, quâ deſignet Apoſtolus quomodo charitas ambitioſa non ſit. Deinde ſcito ex iis Patribus, nec non ex lectione Syriacâ, & ex Baſilio

1. ad Cor. 13. 5. Clem. Alex. Chryſoſt. Theophyl.

in reg. breu. reg. 246. quid sit charitatem non esse ambitiosam. Equidem Syriacus sic id legit: *Non* Lect. Syr. Basil. *patrat, quod pudendum est*. Basilius verò: *Ab habitu, & formâ suâ non discedit*. Theoph. *non turpiter agit*. Iam hæc cum sequentibus coniunge, vt sensus sit, eum qui sua solùm quærit, turpiter, & indecorè agere, atque id patrare quod pudendum est. Quid enim fœdius, quid turpius, quàm is qui se solum intuetur qui omnia ad propria commoda, & vtilitates reuocat? Ita penè Theophyl. *Ille* (inquit) *nihil* Theophyl. *turpe agit, qui suam non quærit vtilitatem, sed proximi commodum*. Opportunè hæc: sed quomodo iis assonat lectio Basilij? Aut cur is qui sua tantùm quærit, ab habitu, & formâ suâ discedere dicitur? Aperit Vates Psalm. 67. 31. præscribens, vt ij qui ab Psal. 67. 31. humanâ formâ, siue ab innatâ sibi humanitate desciscunt, & arundinis feræ euadunt, ab Ecclesiæ cœtu omnino arceantur. *Increpa* (inquit) *feras arundinis. congregatio taurorum in vaccis populorum: vt excludant eos, qui probati sunt argento*. Vbi pro, *arundinis*, Hebraicè est, *calami*; quod licèt scitè Aug. ad Heb. Lect. August. hæreticos referat, qui calamo in Ecclesiam bellum gerant; at cùm pro extremis verbis ex fonte propriùs legatur, *gloriantem se in fragmentis argenti*; opportuniùs, opinor, ad vrbanas quasdam calami feras, ad vsurarios inquam ac telonarios, qui calamo velut aratro sulcos impietatis proscindentes, atque ex aliorum bonis messes sibi agentes, sub humanâ specie non secus, ac immanes belluæ pauperum substantias depopulantur, Gregorio Nysseno manuducente accommodabis. Sic enim ille orat. Nyssen. contra vsurar. *Nescit laborem agrorum colendorum, mercaturam non exercet, sed vno in loco considens immanes domi suæ feras nutrit. Vult omnia sibi sine satu, & inaratis progigni, cui quidem aratrum est calamus, ager charta, semen atramentum, pluuia tempus, quod illi pecuniâ, fructus occultis incrementis adauget, & educat; falx illi est repetitio, arca domus, in quâ miserorum fortunas ventilat. & quæ omnium sunt propria, sui ipsius videt*. Ita ille. Et verò S. Gregor. Thaumat. in Greg. Thau. epist. quam sexta Synodus vt canonicam recipit, eum, qui cum aliorum iacturâ propriæ vtilitati, atque lucris inhiat, à Dei Ecclesia abdicatum esse dicit. In quem locum eius Scholiastes Theodorus Theo. Bals. Patriarch. Antioch. hæc habet obseruatu digna: *Sanctus dicit, quod quisquis est auarus, est ab Ecclesiâ abdicatus, id est, eiectus, & alienus: dicuntur enim abdicati filij, quando propter aliqua crimina ab hæreditate paternâ alienantur*. Sic ibi increpantur, siue arceantur ab Ecclesiâ feræ calami, siue homines à propriâ formâ, & habitu discedentes.

4. Redeo iterum ad verba illa Isaiæ; *Numquid habitabitis vos soli in medio terræ?* & obseruo emphaticè dictum, *in medio terræ*: nam, vt ex Origene monui cap. 1. vers. 19. adnot. vnica, num. 5. medium in Scriptura pro corde sumitur, vnde hic positum videtur pro eo, quod præcipuum, eminentius, vtilius, ac illustrius est: ac si dixerit Vates; vobisne solis erit quidquid illustre, splendidum, ac vtile in Republica inuenitur, nullâ aliorum omnium habitâ ratione? *Lo mejor del mundo, ha de ser para vosotros solos? Y à los de mas que los traguen duelos?* Ita Vellei Pat. de Pompeio Magno dicebat Vellei. Patercul. lib. 2. *Nam neque Pompeius, vt primùm ad Rempub. aggressus est, quemquam animo parem tulit, & in quibus rebus primus esse debebat, solus esse cupiebat*. Vnde leui licèt nominum paronomasiâ bene sic explices hæc, *vos soli in medio terræ*; vt perinde fuerit, ac si ab illorum singulis interrogetur: Num tu Sol esse vis in vniuersâ terra? solus videlicet lucere, micare, splêdere? Sed vtinam Sol fueris, & ad Solis leges contentus fueris viuere. Audi eas Psalm. 18. 16. *In Sole* Psal. 18. 16. *posuit tabernaculum suum*: vbi in fonte Hebræo ex Lect. Heb. Agell. plurium translatione maximè probata Agellio, habetur, *Soli posuit tabernaculum suum*: vt sit sensus, positum Soli à Deo tegmen, siue tabernaculum, intra quod nocte abscondatur; quod vt parens lucis, syderumque Rex, & mundi oculus sit, atque ideo si summo iure agere vellet, posset indesinenter lucere, attamen rationi, & æquitati maximè fuerit consentaneum, vt cederet partem veluti dominij, & potestatis Lunæ, quæ de nocte luceret, ne ipse solus totum sibi lucis, ac splendoris regnum adsumeret, reliquis syderibus tenebris consepultis, & vt de Polluce, & Castore alternâ luce micantibus dicebat in expositione literali Philo: *Ita* Phil. *exæquatis naturis disparibus, quæ quidem ratio fons est totius iustitiæ*: & de Valente, & Valentiano Imperium omni inæqualitate depositâ amicissimè partientibus, Themist. Euphr. orat. 19. *Idcirco ne mo-* Themist. *mento quidem temporis fortunam inter vos inæqualem esse tolerastis, sed curatum à vobis est sedulò, vt quàm citissimè illa par vtrique vestrûm redderetur; in suburbium quidem alter Imperator, priuatus alter progressi: paulò post verò par Imperatorum regressi, vterque collegæ nomine magis, quam suo gaudens*. Sed in Philonis verbis illud est maximè notandum, non tam ad charitatis, quàm ad iustitiæ naturam id referri, ne sua solùm *quærat quisque, sed & quæ aliorum*. Vnde opportunissimè Ambros. in orat. de excessu Sa- Ambros. tyri agens de iustitia, inquit: *Ea enim sibi parcior foris tota est, & quidquid habet, quadam inclementiâ sui, dum rapitur amore communi, transfundit in proximos*.

Ergo iis, qui habitare soli volunt in medio terræ, 5. ea forma præscribitur, vt quamtumuis præexcellentes, & primarij, ac veluti Sol mundi fuerint, summo tamen iure minimè vtantur, omnemq; sibi splendorem, ac lucem vindicent, ad morem Pompeij, qui in quibus rebus primus esse debebat, solus esse cupiebat, sed minoribus etiam syderibus suum lucendi locum, tempusque relinquant; bonum Principem Trajanum imitati, de quo pulchrè Pli- Plin. Iun. nius. *Est hæc natura syderibus, vt parua & exilia validiorum exortus obscuret, similiter Imperatoris aduentu legatorum dignitas inumbratur: tu tamen maior omnibus quidem eras, sed sine vllius diminutione maior, eamdem auctoritatem præsente te quisque, quam absente retinebat. Quin etiam plerisque ex eo reuerentia accesserat, quod tu quoque illos reuerebare*. En tabernaculum Soli positum, ne eius luce aliorum syderum splendor inumbretur. Aliam quidem Dionysio (vel hac ratione) tyranno Siciliæ mentem fuisse, qui non aliter magnum se existimabat, nisi reliqui nihil essent, secusque Alexandrum, dum cum alio in palæstra de pernicitate contenderet, fecisse, sic refert Plutarch. in libello de tranq. anim. *Dionysius* Plutarch. *Senior non satis habuit, se maximum sui temporis tyrannorum esse sed indignum esse ratus, quod Philoxeno Poetæ in poëticâ, Platoni autem esset in disserendi facultate secundus, præ impotenti irâ percitus illum quidem in latumias demisit; hunc verò in Æginam venundatum ablegauit. Non sic Alexander, cui cùm Brison cum quo in curriculo pernicitate certabat, consultâ tarditate blandiens, visus esset de suo iure decessisse, vehementer indignatum esse ferunt*.

Sed ne, vel ab inanimato Sole, vel ab Ethnicis 6. syderibus exempla sumas, ipsummet tibi Iustitiæ Solem proponam, adeò sua non considerantem, vt quod eo præsente Ioannis schola tantisper obumbraretur, de industria Iudæam, vbi Ioannes docebat, reliquisse, & in Galilæam secessisse, sic testetur Ioannes cap. 4. 1. *Vt ergo cognouit Iesus, quia audie-* Ioan. 4. 1. *runt*

runt Pharisei, quod Iesus plures discipulos facit, & baptizat, quàm Ioannes (quamquam Iesus non baptizaret, sed discipuli eius) reliquit Iudæam, & abijt iterum in Galilæam. Sed ad hæc verba maximè audiendus est hic Ruperti commentatius. *Nam quamdiu lucerna hæc de qua dictum est: lucerna clarissima Ioannes ardere, & lucere potuit, vt passi sunt filij tenebrarum, vt staret lumen super candelabrum suum; tanto illum honore dignum duxit hic Dominus omnium, vt sicut ille non se ipsum commendabat prædicatione suâ, sed Christum; sic è contra Christus Iesus illo superstite nusquam poneret in conspectu populi magisterij sui cathedram per publicæ prædicationis officium.* Sed quid lucernæ cum Sole? Num in tantæ claritatis conspectu æquum fuerit, scintillam habere momentum? Ita quidem ipsimet Soli iustitiæ visum est, qui se Solem se esse considerabat, vt simul meminerit, Ioannem luciferi munus, cui hâc ratione sua lux, suus etiam splendor deberetur, subire; eâque de causâ tabernaculum siue tegmen sibi ponere tam rationi, quàm suæmet magnitudini maximè fore consentaneum duxit.

Rupert.

7. Chrysost.

Inuestigat diligenter Chrysostomus hom. 3. & 6. in Genesim, cur omnes creaturæ non simul conditæ, sed singulæ proprio die singillatim à Deo fuerint productæ. Et verò præter alias rationes, quas inibi ipse affert, eam tu reddito, quod omnibus simul in lucem emissis, paruæ, & exiles validiorum splendore, ac luce obscurarentur; atque idcirco æquum fuisse, vt singulis diebus singulæ etiam lucerent, atque earum tantummodo mentio fieret; peculiarisque honot, ac splendor ipsis deferretur, ac velut festus dies ageretur. Cui cogitationi non mediocriter accinit emphatica illa Domini circumlocutio apud Oseam cap. 2. 21. *Et erit in die illa, exaudiam, dicit Dominus, exaudiam cœlos, & illi exaudient terram. Et terra exaudiet triticum, & vinum, & oleum, & hæc exaudient Iezrael.* Vbi nō nemo dixerit, facilius fuisse, dicere; *exaudiam Iezrael*, aut *exaudiam cœlos*, quàm sinuosa oratione, cœli, terræ, tritici, vini, & olei mentionem peculiariter fecisse, cùm sensus ac res eodem recidat. At enimverò non frustra horum omnium meminit Dominus, sed consultò memorauit, ne res singulas propriâ functione, quâ vnaquæque gaudet, defraudaret, nec cœli, vt maiores magistratus, tam terræ, quàm aliorum agentium, qui minores quodammodo Domini, aut Iudices esse videntur, propriam iurisdictionem, & debitam vnicuique primam (vt aiunt) instantiam absumerent. Quò faciunt, quæ præfato loco de ipsismet fabulosis Gentium dijs sic ad hanc rem monuit Plutarch. *Quod quàm sit rationi consentaneum ipsi viderint, cùm deos quoque nouerint ipsos alium alio nomine contentos, acquiescere, vt hic Enyalius cognomento dicatur, quod bellico furori præsit, ille Manteus, quod vaticinijs, alius Cerdous, quod lucris, vnde Iupiter apud Homerum Veneri rebus bellicis interdicit, vt nihil ad eam pertinentibus: nuptiarias autem, & geniales curare eam iubet.*

Osee 2. 21.

Plutarch.

8. Sed iam ad germanum Pauli sensum, regiam ad charitatem viam sternentis, dum non tam sua, quàm quæ aliorum sunt consideranda, quærendaque præscribit. Et verò huc, si aduertis, illud egregium, nouumque dilectionis mandatum toties à Domino inculcatum, & commendatum apud Ioannem c. 15. 16. & 17. ire videtur. Sanè cùm non leue dubium, nec mediocris inter interpretes concertatio fuerit, cur dilectionis præceptum, & à natura ipsa, & à veteri lege impositum nouum à Christo dicatur: sic enim Ioann. 13. 34. *Mandatum nouum do vobis, vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos, vt & vos diligatis inuicem*: illud opportunè responderis, ex Christi verbis benè perpensis, non qualemcumque amorem, sed eum, qui charitatem Christi, quâ animam suam pro amicis posuit, æmuletur, nobis singillatim commendari, ait enim Christus: *sicut dilexi vos, ita & vos diligatis inuicem.* Quid enim est, *sicut dilexi vos*; nisi, sicut ego, qui non quæ mea, sed quæ vestri omnium erant considerans, sanguinem, ac vitam pro vestrâ salute volens libensque profudi? Sed hæc meliùs acceperis à S. Cyrillo Alexandrino lib. 9. in Ioann. cap. 23. *Non enim solummodo dixit*: mandatum nouum do vobis, vt diligatis inuicem: *sed nouitatem rei ostendens adiecit*: sicut dilexi vos, ita & vos diligatis inuicem. *Vt ergo nouitatem præcepti facilè intelligamus, rimemur diligenter, quomodo nos Christus amauit* cùm *igitur* in formâ Dei esset, non rapinam arbitratus est, se esse æqualem Deo, sed se ipsum exinaniuit formam serui accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo, humiliauit se ipsum factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis; *ita*, cùm esset diues, factus est pauper, *vt ipse Paulus rursum testatur. Vides nouum, atque inauditum dilectionis modum? Lex enim fratrem diligendum esse ait, sicut se ipsum: Christus autem magis nos, quàm seipsum amauit.* Hactenus Cyril. Quod si ipsum non solùm, quæ amicorum, sed quæ immanissimorum sui hostium erant, magis quàm sua considerantem, atque quærentem videre velis, audi quid dixerit Marc. 3. 11. *Et spiritus immundi cùm illum videbant procidebant ei, & clamabant dicentes: Tu es Filius Dei. Et vehementer comminabatur eis, ne manifestarent illum.* Vbi iure ambigas, cur illis eius diuinitatem prædicantibus comminaretur. Quid namque verius, aut iustius, vel saltem pro temporis opportunitate magis appositum, cùm immediatè antè dixerit Euangelista; *Exeuntes Pharisæi statim cum Herodianis consilium faciebant aduersus eum, quomodo eum perderent?* Quid enim tunc temporis opportunius, quàm Pharisæorum ora, ipsorum dæmonum confessione obstruere? Sed enim Christo aliter visum: imò verò hâc ipsâmet de causâ, ne Pharisæorum animi grauiùs inde inflammarentur, suæmet diuinitatis prædicationem, atque manifestationem de industriâ voluit impedire, vt ad id loci sic annotauit Victor Antiochen. *Cur Christus immundis spiritibus*: Tu es Filius Dei, *clamantibus, pronâque adoratione se Dominum suum agnoscere testantibus; ne se manifestum faciant, imperat? Ne eiusmodi vociferatione Scribarum, & Pharisæorum iram magis excitent, eorumdémque inuidiam vehementiùs accendant.* Sic ille.

Ioan. 13. 34.

Cyr. Alex.

Marc. 3. 11

Victor Antioch.

9. Nec caret emphasi huic rei opportunâ ille dicendi modus non semel repetitus; *vt diligatis inuicem*: vt enim frequentiùs de mutuâ dilectione sub eo sensu exponatur, ac si duobus v. g. Christus præcipiat, vt alter alterum diligat; at forsan id etiam vnicuique præscribit Dominus, vt & amet, & ametur; ac si dixerit, nec fuero contentus si amaueris proximum, nisi etiam effeceris, vt ab illo mutuâ dilectione ameris. Dices quî id præcipi possit. Respondeo. Quidni id præcipiatur, quod haud difficilè fieri potest? Audi Paulum ad Ephes. 4. 3. *Soliciti seruare vnitatem spiritus in vinculo pacis*: vbi dum vnitatem vinculo seruari monet, sine cum vinculo componit; tuum esse vt diligas, & diligaris, ostendit. Vt sic ibi probat Chrysostom. homil. 9. *Te ipsum colliga cum fratre; te ipsum illi alliga, & illum tibi. Amborum tu es Dominus. Nam quem volo facere amicum, potero cum facilitate.* Et paulò pôst. *Quomodo enim si velis te ipsum alteri alligare,* non

Ad Ephes. 4. 3.

Chrysost.

non aliter poteris, nisi ipsum quoque tibi ipsi alliges. Ita
Themist. quidem Socrates apud Themistium orat. 9. *Ad
eum, qui ita ipsi comminabatur; te arripiens occidero,
sic contrà comminabatur: te arripiens, amicum fecero.*
Si instes, cur tantum suæ industriæ tribuerit Socrates, vt sibi promiserit ex inimico amicum facturum. Dixerim, quod non sua, sed quæ alterius erant
considerãda, & curanda sibi proposuerit. Hoc si
quis adnitatur, è Tigride amicum fecerit; hoc si
quis non curet, è fratre inimicum faciet. Quare obserues velim, Paulum præfato loco ad mutuam dilectionem Ephesios vrgentem notanter dixisse,
Soliciti seruare vnitatem spiritus, innuentem non
esse rem delicatam, & quæ nullo studio & labore
indigeat, seruare vnitatem, & pacem, sed multâ ad
id solicitudine, & efficaciâ, ne dicam vi, opus esse.
Chrysost. Vnde rursus Chrysost. inibi homil. 9. in Morali,
dum pro, *seruare*, legit, *persequi*, hæc inquit: *Non dixit absolutè: diligamus, sed persequamur; multo studio opus, & diligentiâ. Citò euanescit, velox est ad recedendum. Tam multa in vitâ huic rei exitium afferunt.*
Quid ergo vt persequamur est opus? Respondet
Idem. idemmet Chrysostom. hom. 30. in id Hebr. Pacem
sequimini cum omnibus: *Non enim comedere, & bibere faciunt amicitiam, talem enim habent latrones, & sicarij, sed sumus amici, si verè alter alterius curam gerimus; ad hæc, alter alteri conferamus*: hoc est, non
sua, sed quæ aliorum sunt considerare.

10. Marc. 9. 49. Sanè, non aliter discipulos suos de charitate
comparandâ Dominus admonebat, Marci 9. 49.
inquiens: *Habete in vobis salem, & pacem habete inter vos*: ad quæ verba solemne est dubitare, quid
Basil. salis similitudo portendat. Retulit Basilius ad salis
naturam, quæ res integras conseruat; sic enim ille in reg. breuior. *Ex verbis Domini nihil aliud docemur, quam vt nullã causam demus mutuæ disiunctionis, mutuive dissidij, sed vt ad vnitatem spiritus nos
semper conseruemus in vinculo pacis.* Opportuniùs
verò Theophylactus id in sale speculatur, quod
humida exsiccet, atque restringat, vt eo modo quis
ad amicitiam, siue amicum se componat, vt proprias commoditates, atque cupiditates amici causâ coarctet; atque diminuat; sic enim capio hæc
Theophyl. verba Theophylacti. *Qui constringit se vinculo dilectionis ad proximum, hic salem habet, & ex hoc pacem
cum fratre suo.* Nec minus abs re in sale consideres
se ipsum in aliorum ciborum condimentum, & saporem impendere, quasi non quæ sua, sed quæ
aliorum sunt, quærat, imò verò in aliorum bono,
& perfectione se ipsum inuenire, ac si magis lætus
de eo, quàm de propria commoditate esset. Sic de
Imperatoribus Valente, & Valentiano fraterno
amore Imperium diuidentibus dicebat superiùs
Themist. Themist. *Vterque collega nomine magis, quàm suo gaudens*, subdens statim: *subditis hinc inde præ lætitia affluentibus, vestrûm interim vtroque se dupliciter natum esse credente.* En salem paci necessarium: hoc
est, non quærere quæ sua sunt.

11. Sic videas, ad discipulos primarias sedes ambientes respondisse Dominum: *Non est meum dare vobis, sed quibus paratum est à Patre meo*, Matth.
20. 23. An & ipse dare non poterat, cui æqualis
cum Patre potestas esset? imò verò cùm Pater non
iudicet quemquam, sed omne iudicium dederit
Ioan. 5. 22. Ambros. Filio, Ioan. 5. 22. Sed *noluit* (inquit Ambros. lib. 5. de
fide ad Grancian. c. 3.) *his quos diligeret, videri quod
peterent denegasse: sanctus, & bonus Dominus, qui mallet aliquid dissimulare de iure, quàm de charitate deponere.* Subdit hanc quam persequimur rationem:
*Charitas enim patiens est, benigna est, non æmulatur,
non inflatur, non quærit quæ sua sunt.* His per allegoriam accinit quod de templi structurâ dicitur 3.
Reg. 6. 7. nimirum adeò vniformes, & ad amussim 3. Reg. 6. 7.
dolatos, atque perfectos omnes eius lapides extitisse, vt nec mallei, nec securis ictus vnquam insonuerit in domo Domini: *Domus autem cùm ædificaretur, de lapidibus dolatis, atque perfectis ædificata
est, & malleus, & securis, & omne ferramentum non
sunt audita in domo, cùm ædificaretur.* Quid? inueniebanturne adeò politi lapides, dolataque ligna, vt
malleo, aut securi non indigerent? Minimè quidem; sed cùm in monte priùs ad normam, &
amussim omnia expolirentur, sic subinde suis aptabantur locis, vt nec minimo ictus sonitu opus foret. Sanè tunc homines ligna, & lapides ad Ecclesiæ ædificationem apti redduntur, cùm fidem, diuinæque legis obseruantiam amplectuntur; sed
enim tunc peculiariter ex ipsis domus Dei construi dicitur, cùm mutuam inter se dilectionem
habent. Audi August. serm. 256. de tempore: *Cre-* August.
*dendo enim quasi de syluis, & montibus ligna, & lapides præciduntur, cùm verò catechizantur, baptizantur,
formantur, tamquam inter manus fabrorum, & opificum dolantur, collimantur, complanantur: verumtamen domum Domini non faciunt, nisi quando charitate
compaginantur.* Ergo vt ita compaginemur, coaptemur, connectamur, conspiremus, vt malleus, & securis, clamor, nimirum, rixæ, contentiones non audiantur, opus quidem fuerit, vt nos ipsos singuli
dolare, & perpolire studeamus, non nostra, sed
quæ aliorum sunt considerantes, propria, videlicet, emolumenta, honores, commoditates, & id genus alia non quærentes. Vnde opportunè præfatâ
homil. 9. in epist. ad Ephes. Chrysostom. *Quid ergo* Chrysost.
*huic vinculo affert exitium? Amor pecuniæ, imperij, &
honorum gloriæque cupiditas, & aliorum huiusmodi, eos
laxos reddit, & molles, ipsosque discindit. Quomodo ergo fit, vt non discindantur? Si hæc ablata fuerint impedimenta, & nihil molestiam afferat ex ijs, quæ corrumpunt animam.* Sic Chrysostomus.

Quò quidem ire videtur Christi sententia, de 12.
quâ in expositione literæ: *Omnia quæcumque vultis
vt faciant vobis homines, & vos facite illis*, Matth. 7. Matth. 7. 12.
12. nimirum volumus, vt is qui nobiscum amicitiâ
iungitur, honorem nobis non præripiat, sed modestè cedat, nec omnia propria commoditate metiatur, sed nostræ etiam vtilitati aliquando inuigilet, & operam impendat. Ergo & eadem nos faciamus. Sed num ita facimus? Audi Saluianum Massi- Saluian.
liensem lib. 3. de Prouident. *Huius sententiæ partem
tam bene nouimus, vt numquam prætereamus; partem
sic prætermittimus, quasi penitus nesciamus: nam quid
ab alijs præstari nobis velimus, optimè nouimus, quid autem ipsi alijs debeamus præstare, nescimus; atque vtinam nesciremus, minor esset ignorantiæ reatus, secundum illud*: Qui nescit voluntatem Domini sui, va- Luc. 12. 47.
pulabit paucis; qui autem scit, & non facit eam,
vapulabit multis: *nunc autem maior in hoc offensa est,
quòd partem sententiæ sacræ pro commodorum nostrorum vtilitate deligimus, partem pro Dei iniuriâ præterimus.* Hæc ad præfata verba Christi Saluianus;
nec mitiùs paulò post ad hæc Pauli, quæ elucidamus, sic subiicit. *Quid ergo horum facimus Christiani? quod Christus, an quod Apostolus iubet? Puto omnino quod neutrum: Tantùm abest, vt aliorum commodis
aliquid cum propria commoditate præstemus, vt omnes,
vel maximè nostris commodis cum aliorum incommodo consulamus.* Hactenus ille.

Quod si ex præscripto Apostoli, non sua, sed al- 13.
terius bona spectare quis debet, multo id magis
locum habet, cùm de publicâ, & communi re agitur. Nam (Ambr. l. 3. offic. c. 11.) *qui perfectè sapit,
nescit*

nescit sua spectare commoda; sed ad illud, quod æternum est, quod decorum, atque honestum, toto corde intendit, quærens non quod sibi vtile est, sed quod omnibus, Vnde idem Ambros. epist. 82. ad Eccles. Vercell. Deiparam iuxta crucem stantem piis oculis dilectissimi Filij vulnera spectasse inquit. At quî piis oculis, & non potiùs doloris, & multo lacrymarum imbre summersis Filij, talisque Filij vulnera spectari poterant? Sanè, quod vt externis oculis, & Filij, & proprium dolorem pia Mater hauriret; at internis totius mundi salutem, cui ipsa maximè consulebat, inde dimanantem attentissimè considerabat. Audi Ambrosium: *Sed Maria nec minor, quàm Matrem Christi decebat fugientibus Apostolis ante crucem stabat, & pijs spectabat oculis Filij vulnera, quia spectabat non pignoris mortem, sed mundi salutem.* Hæc ille. Quo quidem in cardine totam rerumpublicarum, prouinciarum, regnorum salutem verti, quis non videat? Quàm ad rem pulchra sunt Catonis verba in Senatu, apud Aug. l. 5. de Ciuit. Dei, cap. 12. cùm enim dixisset: *Nolite existimare maiores nostros armis Rempubl. ex paruâ magnam fecisse: si ita esset, multo pulcherrimam eam nos haberemus; quippe sociorum, atque ciuium, præterea armorum, & equorum maior copia nobis, quàm illis inest: sed alia fuere quæ illos magnos fecerunt, quæ nobis nulla sunt, domi industria, foris iustum imperium, animus in consulendo liber, nec libidini, nec delicto obnoxius; pro his nos habemus luxuriam, atque auaritiam, publicè egestatem, priuatim opulentiam: laudamus virtutem, sequimur inertiam: inter bonos & malos discrimen nullum, omnia virtutis præmia ambitio possidet:* appositam hanc, & efficacem dictorum rationem subdit; *Neque mirum, vbi vos separatim, sibi quisque consilia capitis, vbi domi voluptatibus, hic pecuniæ, aut gratiæ seruitis, eò fit, vt impetus fiat in vacuam Rempublicam.* Hæc Cato, nec suis solùm temporibus opportuna, nostris etiam nonnulles inuenire sit, qui (vt tunc dicebat Seneca lib. de breuit. vitæ, cap. 12) malint turbari Rempublicam, quàm comam suam. Nec minus seuerè quàm Cato, Saluianus Massiliensis lib. 1. de Prouidentia: *Tunc illi pauperes Magistratus opulentam Rempublicam habebant nunc autem diues potestas pauperem facit esse Rempublicam.* Quare non nemo repetat illud Epigrammatarij Græci l. 1. Anthologiæ, cap. 90. sic Latinitate donatum.

Vrbem viuentem antea defuncti deseruerunt,
Nos verò viuentes vrbem efferimus.

Ad quem etiam modum in Herode, & Iudæis obseruauit Chrysolog. serm. 149. toti terrarum orbi Saluatorem auferre voluisse, ne alium domus suæ successorem haberet, quàm vellet, *dum successorem sibi timent, omnium perdere conati sunt Saluatorem.* Sed quod notauit Plinius lib. 16. cap. 4. è re hac etiam est; Romano, videlicet, populo tam optimis moribus, quàm potentiâ florente rostra nauium, quas ab hostibus caperent, foro ipsi præfigi solita, quasi in totius populi coronam, & gloriam, postea verò cùm degenerauere mores, plus singulos de propriis capitibus coronandis, quàm de egregio illo vrbis ornamento curasse. *Antea* (inquit) *rostra nauium tribunali præfixa fori decus erant, veluti populo Roman. ipsi coronâ impositâ; postquam verò tribunitijs seditionibus calcari, ac polluι cœpere, postquam vires ex publico in priuatum magis, singulisque ciuium quæri, sacrosancta omnia prophana fecere sum à pedibus eorum subiere in capita ciuium rostra.*

14. Illud pro coronide monendum, tunc maximè sua quemque spectare procurareque, cùm ea, quæ boni publici sunt, spectat, & procurat, non eâ ratione solùm, quâ citato loco sic vrget Saluianus: *Et Vella 2q. in Epist. ad Philippens.*

quæ rogo insania est, & quæ cæcitas, vt egestuosa & mendicante Republicâ diuitias posse credant stare priuatas? Sed multo magis, quod tūc potissimum ad priuatas cuiusque res benignioribus Deus oculis respiciat, cùm cōmuni ille saluti studet: & quod plus est, tūc apud Deū pro sua singillatim salute enixiùs ille orare censeatur, cùm pro cōmuni vtilitate preces fundit. Ita quidem Lucæ 1. 11. vbi cùm pro Republica, & populi incolumitate, imò generaliùs pro mundi redemptione oraret Zacharias, vt affirmat Augustinus in quæstionibus Euangelicis l. 2. c. 1. Chrysostom. hom. 2. de incomprehensibili Dei natura, Theophylact. Beda, & Euthym. & iterum Chrysostom. in Catena S. Thomæ, his verbis: *Ingressus Zacharias ad templum, vt preces ferret pro cunctis ad Deum, quasi Dei, & hominum mediator;* sic eum allocutus est Angelus: *Ne timeas Zacharia, quoniam exaudita est deprecatio tua, & vxor tua Elisabeth pariet tibi filium.* Preme illud (*exaudita est deprecatio tua*) cur *deprecatio tua*, qui suorum oblitus pro Republica orabat? Equidem eamet de causa, quod publicas vtilitates primatis præponeret, ipsæmet res ad eum spectantes ad Deum loqui, imò clamare dicuntur. 1. Reg. 1. 13. Annam in corde suo loquentem: Exodi verò 14. 15 Mosem in corde suo non modò loquentem, sed clamantem videris; ita enim illi Dominus: *Quid clamas ad me?* Vtraque autem verba dum inter se confert Paschas. in Threnos, eam reddit rationem, quod illa in corde loqui, hic verò corde clamare dicatur, quod Anna sua quæreret, Moses verò pro publicæ rei salute interiùs oraret, sic enim ille. *Clamat & Moyses. cui dicitur: Quid clamas ad me? quando orabat pro populo. Sed alij clamant in corde alij loquuntur. Loquebatur autem Anna, quia pro priuatis orabat rebus, id est pro filijs: clamabat & Moyses magno ardore charitatis.*

15. Equidem Christus Lazarum ad vitam reuocaturus, ad Patrem dicebat: *Gratias tibi ago, quia semper me audis,* Ioann. 11. 42. Sed quidni semper audiret? At enimverò peculiaris hæc inter multas causa erat, ob quam Christus à Patre semper exaudiretur, quod vt Saluator mundi de aliorum salute, propriâ postpositâ, cogitaret. Is enim in primis à Deo exauditur, qui aliis priùs quàm sibi prospicit. Vnde tunc singillatim Deum Patrem Christum exaudisse videtur, quod ipse ad Marthæ, & Mariæ lacrymas fuerit commotus. Ita Zeno Veron. ser. de Lazaro suscitato. *Et quia ipse sororum fletibus mouebatur, lacrymis Filij sui Saluatoris nostri inter ipsos cælos Pater flectebatur.* Ad quē sanè modum tunc signatè sancto Iob rerum omnium, quas amiserat, restitutio in integrum facta dicitur, cùm ipse pro amicis suis Deo licèt infensis orauit, sic enim cap. 42. 9. *Abierunt ergo Eliphaz Themanites, & Baldad Suhites, & Sophar Naamathites, & fecerunt sicut locutus fuerat Dominus ad eos, & suscepit Dominus faciem Iob. Dominus quoque cōuersus est ad pœnitentiā Iob, cùm oraret ille pro amicis suis. Et addidit Dominus omnia quæcumque fuerant Iob duplicia.* Nota id, *conuersus est ad pœnitentiam Iob, cùm oraret ille,* &c. Num tunc, & non priùs pœnitentiam egerat? Cur ergo tunc ad pœnitentiam Iob conuersus dicitur Dominus? Sanè, quod tunc maximè quodcumque bonum Iobi opus Deo maximè placuit, tunc ipsius pœnitentia ad eum potissimum clamauit, tūc Dei voluntas de opibus, & regno ipsi restituendo omnino firmata est, cùm ipse non curabat quod sibi vtile esset, sed quod multis: contra verò Ionas, Deo alioqui charus, tunc in summo vitæ discrimine versari cœpit, cùm quæ sua erant considerans, salutem vrbis

Margin notes: Ambros. — August. — Saluian. — Chrysol. — Plin. — Saluian. — Luc. 1. 11. — August. Chrysost. Theophyl. Beda Euthym. D. Thom. — 1. Reg. 1. 13. — Paschas. — Ioan. 11. 42. — S. Zen. Ver. — Iob. 42. 9.

Niniue non curabat, Ionæ 1. 4. ita id obseruante Chrys. hom. 79. ad Pop. *Ionas verò quoniam propriam vtilitatem quæsiuit, etiam periclitatus est, & ciuitas quidem stabat, ipse verò summergebatur.*

VERSVS V.

Hoc enim sentite in vobis, quod & in Christo Iesu.

COMMENTARIVS.

1. DIXERIS iam, quod aliò intentus dixit alicubi Aug. *Iam incipiunt mysteria.* Et rursus quidem de verbo, *opera*, quæstio, sed tunc in cæmento, modò in fastigio. Eo siquidem ad imitandam eximiam modestiam, heroicamque animi summissionem, quam Christus Dominus toto vitæ suæ tempore, præcipuè verò in acerbissima morte obeundâ habuit, vrget Paulus Philippenses. Nec enim possum eam explicationem probare, quam Dionysius Alexand. (*Dion. Alex.*) in epist. contra Paulum Samosatenum (quæ nostro Francisco Turriano interprete habetur in Auctario Bibliothecæ veterum Patrum tom. 2.) his verbis reddidit: vt sentire in Christo perinde sit, ac eo modo hæc mysteria scire, ne quid amplius sapiamus, præter id quod accepimus. Equidem de industriâ hoc verbũ potiùs quàm aliud vsurpauit Paulus, vt à discipulis non tam sensum speculatiuum, quàm practicum, & affectum potiùs voluntatis, quàm mentis notitiam extorqueret: *Hoc sentite*, inquit. Quare Athanasius (*Athanas.*) orat. 2. contra Arianos, sic legit hæc veba; *Modestia animi sit in vobis, quæ fuit in Christo Iesu:* & eodem sensu Cyrillus Alexand. (*Cyr. Alex.*) de rectâ fide ad Reginas, & Theophylactus (*Theophyl.*) hic; *Is affectus sit in vobis, qui fuit in Christo Iesu.* Clariùs Theodoret. (*Theod.*) & S. Thomas (*D Thom.*), quorum prior, *Imitamini eum, qui est omnium Dominus:* S. Thomas verò; *Experimento tenete quod fuit in Christo Iesu.* Nec aliò it lectio Hilarij (*Hilar.*); *Hoc sapite.* Nam vt de hoc verbo alibi dixero, emphasim habet ad notandum eiusdem quasi palati gustum.

2. Apparet verò hinc nonnihil esse supplendum in lectione Vulgati, vt *hoc sentite in vobis, quod & in Christo Iesu*, sit idem, ac hoc studete, hoc agite, quod Christus agere, & pati non recusauit, quasi dicatur; æquum est enim, vt id à vobis agatur, quod in Christo Iesu actum videmus. Quò refero lectionem Syriacam (*Lect. Syr.*); *Hoc sentite in vobis, quod Christus Iesus.* At enimverò, quoniam si ex Græco ad verbum reddatur, *hoc sentiatur in vobis*, nonnihil obstrepit illa præpositio, *in*, cui alia significatio, ac si loco eius esset, *a vobis* reddi debet; ita etiã, & fortè congruentiùs, exponi potest, hoc homines videant, sentiant, experiantur in vobis, tamquam in Christi imitatoribus, quod sentiunt, vident, & experiuntur in Christo Iesu; quo sensu sic accipit hæc verba Glossa Interlinearis (*Gloss Int.*): *Vt experimento cognoscatur esse in vobis, quod & in Christo Iesu.*

3. Iam verò, quàm auidè ad nostram elationem comprimendam hæc Pauli verba versant, vrgéntque Patres. Audias illos non loquentes, sed fulminantes, sic enim Theophylactus (*Theophyl.*). *Quemadmodum Christus inquit, sitis misericordes, vt Pater vester cœlestis, & rursus, discite à me, quia mitis sum; sic & Paulus humilem affectum docens, Christum in medio producit, copiosè nos, & largiter rubore suffundens, cùm enim ostenderit filium Dei omni altitudine superiorem, ad infima descendisse, infimumque factum, quem non superborum pudefaciat?* Similiter Chrysost. (*Chrysost.*) *Nihil enim excelsum, ac philosophum animum æquè ad bona opera obeunda excitat, ac si intelligat, hac re Deo se similem fieri, quid enim æquè, atque hoc ad cohortationem valeat? nihil.* Ambros. (*Ambr.*) verò serm. 20. in id Psal. 118. *Vide humilitatem meam*, dum hunc locum præcedenti versui annectit, hanc ex Christi exemplo argumentationem conficit: *Ipse quoque Dominus ait Psal.* 21. Ego autem sum vermis, & non homo, opprobrium hominum, & abiectio plebis, *cùm de sua corporis passione loqueretur, qui non quæ sua sunt, quæsiuit, sed quæ aliorũ, cuius nos imitatores vult fieri Apostolus, atque hortatur dicens:* Hoc enim sentite in vobis, quod & in Christo Iesu. *Ne nos igitur nobilitatem generis, nec diuitias requiramus, si volumus Christum sequi, exinaniuit se cùm esset in Dei formâ, cùm diues esset, pauper factus est, noli & tu contemnere plebeium, quia nobilis es: noli despicere seruum, quia potens es: noli pauperem fastidire, quia diues, nunquid nobilior, potentior Christo es? ille pro te suscepit illa quæ tu despicis.* Adstipulatur plenissimè Leo (*Leo Mag.*), imò sic rugit, serm. 2. de resurrect. *Inter omnes namque vitæ huius varietates, quæ diuersarum plenæ sunt passionum, Apostolicæ exhortationis meminisse debemus, quæ nos instruit dicẽs:* Hoc sentite in vobis, quod & in Christo Iesu, &c. *Si magnæ, inquit, pietatis sacramentum intelligitis, & quod pro salute humani generis Vnigenitus Dei Filius gessit, aduertitis;* Hoc sentite in vobis, quod & in Christo Iesu: *cuius humilitas nulli aspernanda diuitum, nulli erubescenda nobilium, nec enim in tantum prouehi potest quilibet felicitatis humanæ fastigium, vt existimet sibi pudendum, quod manens Deus in formâ Dei, Deus non est arbitratus indignum.* Sic Leo. Iam verò Xistus (*S. Xistus.*) Pontifex lib. de diuitiis, ad fin. ex hoc Pauli loco in eos, qui Christi vestigia non premunt, sic grauiter, & copiosè inuehitur. *Quantæ enim arrogantiæ, quantæque superbiæ sit, quæso diligenter aduertas, illic nos ditari velle, vbi Christum pauperem fuisse cognoscimus, & aliquam nobis potestatem dominationis assumere, vbi ille formam susceperit seruitutis. sicut scripsum est:* Hoc enim sentite in vobis, quod & in Christo Iesu, &c. *Certe quisquis Christianus dicitur, Christi se esse discipulum profitetur: qui Christi discipulus est, debet doctoris exempla per omnia sectari, vt in discipuli, & habitu, & conuersatione magistri tam forma, quàm doctrina resplendeat. Quæ Christi forma est in tali diuite? Quæ eius similitudo in eiusmodi locuplete? Quæ comparatio inopiæ cum affluentia: Quæ communicatio humilitatis cum superbia? Quid simile inter nihil habentẽ, & superflua possidentem?* Nec his contentus, quæ non sine grano salis de iis, qui diuitiis abutuntur, & in superfluo vsu, siue in nimia habendi cupiditate peccant, accipienda sunt ad ambitionem increpandam, sic pergit. *Taceo iam de substantiâ, videamus, si vel morum aliqua sit diuitis similitudo cum Christo; nihil eum simile video: ille clarus, hic abiectus: ille superbus, hic humilis: ille furiosus, hic mitis: ille iracundus, hic patiens: ille gloriosus, hic inglorius: ille pauperes abhorret, iste amplectitur: ille vituperat, iste collaudat.* Et statim pristino scriptionis calore, siue obiurgandi zelo, & ardore succensus de superborum Magistratuum fastu, non de iudicandi munere capiendus, sic progreditur. *Solent nonnumquam diuites præ nimis ambitioso spiritu, & superbo, quo omnem seculi gloriã sibi cõcupiscunt, potestates ambire terrenas, & in illo sedere tribunali, ante quod stans Christus auditus est. O humana superbiæ non ferenda præsumptio! Videas seruum sedere, vbi Dominus stetit, & vbi ille iudicatur, hic iudicat. Quid est Christiane? Quid est Christi discipule? nõ hæc tua est forma doctoris.*

Ille

Ille ante tribunal humilis stetit, tu in tribunali superbâ erectione subnixus super stantes sedes iudicaturus. Tu interrogas, ille auditus est: tu iudicas, ille arbitrio iudicis subiugatus est: tu sententiã præsumptuosè eructas, ille innocens, tamquam reus excepit: ille regnum suum negauit esse de hoc mundo, tibi verò mundani regni tam concupiscibilis gloria est, vt eam, aut ingenti pecunia compares, aut indigna, ac laboriosa adulationis seruitute merceris. Hactenus ille.

ADNOTATIO I.

Christi Domini humilitatem nostræ vitæ normam multiplici de causa esse debere.

1. QVRE de Homero conquerebatur M. Tull. Tuscul. 1. quod humana, nempe Regum, siue Tyrannorum consuetudines, pompas, ministeria ciborum, potuumque vsus, atque delicias ad diuina transferret, cùm potiùs fuisset optandum, vt diuina, Dei videlicet, virtutes, supernosque vsus nobis ob oculos poneret. *Humana* (inquit) *ad diuina transferebat; diuina mallem ad nos.* Ac si diceret: quid opus fuerit, nænias & vanitates humanas cœlo inferre? Quanto salubrius, & op[illegible] esset, diuina sensa, cœlestesque con[illegible], ad quarum normam sanctè, & prudente[illegible]mus, deferre ad nos? Rectè omnino: nam Pl[illegible] ipso teste in Theæteto; *Mortalem hanc naturam, & [illegible] inferum locum malum necessario circumstat, & adheret. Quare conandum, quam celerrimè hinc illuc fugere; fuga autem est assimilatio Dei in quantum potest.* At quis diuinam hanc fugam inoffenso pede capere valeat? Quid Angelorum Primatem [illegible] [illegible]ositas; *Similis ero [Altissimo]*, in pro[illegible] præcipitauit? Isa. [illegible] 14 Cuiusue, nisi diuinæ [similitu]dinis cupido [illegible] hominem è tanto [illegible] [de]iecit? Dum enim ipse adnititur esse *sicut dij*, Genes. [3.] 5. *comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis*, Psal. 48. 21. Ergò, *quis cognouit sensum Domini?* ad Rom. 11. 34. siue; *sensum [illegible] [illegible] scie[t]?* Sapient. 9. 17. Occurrit tamen Paulus: *Hoc enim sentite in vobis, quod & in Christo Iesu*: siue, quod Christus Iesus, *qui cùm in forma Dei esset, semetipsum exinaniuit.* &c. ac si diceret, [illegible] Deo similes fieri? Ne ergo dixeritis; *Similis ero Altissimo*, sed potiùs, similis ero [illegible], qui *vermis & non homo, opprobrium [hominum], & abiectio plebis*, dictus est. En Dei [illegible] similitudinem. En aduectus Vnigenitus Dei [illegible], vt dum humilitatem ad terras afferret, & [hom]inibus persuaderet, diuinam ipsis imaginem, quam per superbiam amiserant restituat. Etenim [illegible] *humilis* (sic Basil. in exhort. ad filium spirit.) *De[o est] similis, & in templo pectoris sui gestat eũ; superbus autẽ cùm sit Deo odibilis, diabolo similis est.* Opportunè [illegible] Tertul. l. de Idololatriâ, c. 18. vbi cùm de Christo dixisset; *ille Dominus in humilitate, & ignobilitate [incessit], domicilio incertus: Nam filius, inquit, hominis non habet, vbi caput suum collocet*, Lucæ 9. 58. [illegible] *incultus, neque enim dixisset*: Ecce qui teneris [ve]stiuntur, in domibus Regum sunt, Matth. 11. 8. *[Vultu] denique, & aspectu inglorius, sicut Isaias pronunciauerat*; c. 53. 3. subiicit post nonnulla: *igitur quæ noluit, reiecit, quæ reiecit, damnauit, quæ damnauit, in pompâ diaboli reputauit: non enim damnasset, nisi non sua; alterius autem esse non poterant, nisi diaboli, quæ [D]ei non sunt.* Vides humilitatem Dei

V[id.] 29. in Epist. ad Philippens.

Basil. — Tertul. — Luc. 9. 58. — Matt. 11. 8. — Isa. 53. 3.

propriam, eâque nos Deo similes euadere; sicut pompâ atque superbiâ diabolo assimilamur?

2. Apud Ezechiel. 28. 12. siue Adamo percupienti esse *sicut dij*, vt nonnulli volunt, siue Lucifero similem Altissimo fieri anhelanti, vt Seuerus ibi, Tertul. lib. 2. contr. Marc. cap. 10. Origen. lib. 1. Periarc. cap. 5. Greg. lib. 18. Moral. cap. 18. aliàs 24. & 25. Ambros. lib. de Parad. c. 2. explicant, lugubre hoc carmen decantatur. *Tu signaculum similitudinis, plenus sapientiâ, & perfectus decore, in delicijs paradisi Dei fuisti: omnis lapis pretiosus opertimentum tuum*, &c. *Perfectus in vijs tuis à die conditionis tuæ, donec inuenta est iniquitas in te, in multitudine negotiationis tuæ repleta sunt interiora tua iniquitate, & peccasti.* Vbi maximè notandum est extremum hoc verbũ, *& peccasti*, quod non tam videtur capiendum de peccati actione, cùm iam dixerit Vates; *& repleta sunt interiora tua iniquitate*, quàm de euentu ex peccato subsecuto. Quare obserua ibi Hebraicè esse, *Vattecheta*, à radice *chata*, hoc est, aberrare ab scopo, deflectere à viâ. Vnde Iudic. 20. 16. vbi de fundibulariis Gabaa dicitur: *Et sic fundis lapides ad certum iacientes, vt capillum quoque possent percutere, & nequaquam in alteram partem ictus lapidis deferretur*. Hebraicè cum hoc verbo dicitur, *& non aberrabat*: Vnde hic videtur eius loci sensus esse, ac si iis, qui per elationem Deo similes euadere affectabant, diceretur: præposteris omnino vsi estis consiliis, humilitate enim, & demissione animi, Dei similitudo conquiritur. Quæ enim in Deo humanitatis Idea reperitur, (nam vel Gentili Seneca auctore epist. 65. *Hæc exemplaria rerum omnium Deus intra se habet, numerosque vniuersorum quæ agenda sunt, & modos mente complexus est, plenus his figuris est, quas Plato Ideas appellat immortales, immutabiles, infatigabiles, itaque homines quidem pereunt, ipsa autem humanitas, ad quam homo effingitur, permanet*) ex quâ homo ad imaginem, & similitudinem Dei factus est, hæc inquam humilitate, modestiâ, animi demissione gaudet. Vis videre? Certè idemmet Paulus, qui nobis hoc in loco Dei Filium exinanitum, humilem atque humiliatum vsque ad mortem ob oculos posuit, alibi de eodemmet dixit: *Humanitas apparuit Saluatoris nostri Dei*, ad Titum cap. 3. 4. ac si vtrobique dixerit: En humanitatem Dei, è quâ nostra desumpta est humanitas, & quâ Deo similes redilimur: non elatam, non superbam, non altitudinis, & fastigiorum appetentem, sed modestam, humilem, exinanitam. Sanè vt per hoc exemplar pristinam Dei similitudinem malo fato deperditam recuperemus. *Ea enim* (verba Nysseni de formâ Christiani hominis ad Olymp. monachum) *fuit negotiatio Filij Dei, vt propriâ formâ, quam sumpsit effectus homo, se rursus ad exemplaris pulchritudinis figuram effingeret, vt esset id, quod initio fuerat.* Equidem, vt sapienter dixit Athanas. lib. de Incarn. Verbi Dei, eiusq; corporali ad nos aduentu, *non decebat homines diuinæ semel imaginis consortes in exitium abire. Quid igitur Deo conueniebat, vt faceret; aut quid par erat vt fieret, nisi vt exemplar imaginis renouaret, vt per id denuo ipsum homines cognoscere possent? Id autem quomodo confici potuit, nisi ipsa imago Dei Saluator noster Christus superueniret?* Subiicit appositam similitudinem. *Vt enim forma aliqua in tabulis depicta, sordibusque aliunde obiectis obliterata, instaurari nequit, nisi eius præsentia adhibeatur ad cuius speciem primitus tabula depicta fuit. Eodem modo vndecunque ille bonus Patris Filius, imago, & character Patris ad regiones nostras profectus est, vt hominem ad sui similitudinem factum denuo reficeret.* Nimirum, vt diuinam imaginem in homine depictam, sordibusq; peccatorũ obliteratã

Ezech. 28. 12. — Senec. — Tertull. — Origen. — Greg. Mag. — Ambros. — Iudic. 20. 16. — Senec. — Ad Tit. 3. 4. — Nyssen. — Athan.

instauraret. Apparuit ergo Dei imago; apparuit humanitas Dei, sed quâ sub formâ, & effigie? Sanè *exinaniuit semetipsum formam serui accipiens.* Vnde omnino ad rem Theodoret. dialog. 1. *Dicimus ergo à Deo Verbo susceptam perfectam serui formam; & integre perfectam. Quoniam enim primus homo sub peccato totus fuit, & diuinæ imaginis characteres perdidit; & principem generis genus est consecutum, necessario volens opifex deletam renouare imaginem totâ susceptâ naturâ prioribus multo meliores characteres effinxit.* Expende illud, *perfectam serui formam*: vt, videlicet, à serui effigie, humilitate, ac demissione, deperditi diuinæ imaginis characteres denuò effingerentur. Clamat ergo ad eos Paulus, qui Dei similitudinem concupiscunt; *Hoc enim sentite in vobis, quod & in Christo Iesu.* Sed & suo etiam modo clamat Seneca epist. 31. fin. *Exsurge modò, & te quoque dignum finge Deo; finges autem non auro, non argento, non potest ex hac materiâ Deo imago exprimi similis. Cogita illos cùm propitij essent fictiles fuisse.* Ac si diceret, non superbis artibus, & opulentia, sed tenuitate, ac modestia, Dei similitudinem comparari.

Theodor. *Senec.*

3. Equidem in humilitate natiuam Dei imaginem, & characterem censeri, ipsiusmet summi Patris testimonio docemur; etenim tunc potissimum Christum Dominum gloriosâ Filij sui dilecti nuncupatione donauit, cùm ipse perfectissimum humilitatis opus, baptismum, scilicet, quod non nisi homines peccati obnoxij subibant, est aggressus, id sic adnotante Matthæo cap. 3. 16. *Baptizatus autem Iesus confestim ascendit de aquâ, & ecce aperti sunt ei cæli: & vidit Spiritum Dei descendentem sicut columbam, & venientem super se. Et ecce vox de cælis dicens: Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui.* Vt ex humilitate, quasi de facie Christum, vt germanam sobolem, Filiumq; sibi consubstantialem Pater agnouerit. Sed id disertissimè diffundit Hilarius in Psal. 138. de Christo sic capiens illud Vatis, *Domine probasti me, & cognouisti me*, vt humilitate probatus, à Patre tamquam legitima proles sit cognitus. Audi illum. *Demonstrandum autem in Euangelio est, vbi & probatus, & cognitus est. Humilitas itaque eius probatio est. Vnigenitus namque Deus peccatorum remissor, æterni regni Dominus, baptizari se tamquam peccator exposcit, &c. Et peccati nostri ipse peccati nescius particeps fieri non recusat, & omnem in se humilitatem caducæ carnis assumens, Iordanem turbis peccatorum mixtus ingreditur. Probatur in istis omnibus dum geruntur: sed videamus, an probatus agnoscitur. Ait enim euangelista*: Et baptizato Iesu confestim ascendit de aquâ, &c. Et ecce vox de cœlo dicens ad eum: Hic est Filius meus dilectus, in quo complacui. *Probationem mox consecuta cognitio est, & quem humilitas probabilem fecerat, hunc paterna vox Filium complacitum sibi, postquam probauit, ostendit.* Hæc Hilar. Nec extra nostrum institutum fuerit inquirere, cur modò post hæc verba: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui*: non addiderit summus Parens *ipsum audite*: ad eum modum, quo in monte Thabor, dum gloriosè ante discipulos idem Dominus transfiguratus est, subiecisse refert idem Matthæus c. 17. vers. 5. Num doctrinæ tradendæ magis idoneus tunc temporis æstimabatur? Minimè quidem; imò verò ideo hæc subdere necesse modò non fuit, quod res ipsa per se loqueretur, abundéque, & efficaciter suaderet humilitatem eiusmodi, non nisi à Dei Filio, summoque Doctore, qui cœlesti homines doctrinâ esset eruditurus, proficisci posse: vt meliori omnino tunc iure, quàm de Demetrio Philosopho occupauit Seneca, tu dixeris: *Non solùm Magister veri, sed & testis est.* Secus verò in monte; nam cùm ibi pro rei opportunitate gloriosus apparuerit, quod cathedræ ministerio non æquè, ac humilitas videtur conuenire, opus fuit fideiussoria illâ Patris voce, quâ & Filium suum esse testaretur, & simul asseueraret, nihil ipsi eximiam illam claritudinem, & gloriam obstare, quominus dignissimus esset, qui ab omnibus ve vitæ Magister audiretur & obaudiretur. Tantùm quidem inter gloriam, & humilitatem interest, vt hæc se sola sine præconio, sine voce Christū Dei Filium, Magistrumque, ac Doctorem hominum esse prodat, illa peculiari eâ Patris attestatione egeat, ac si ipse diceret: Quamuis illustri hac gloriâ splendentem videatis, attamen egregiæ ipsius humilitati hæc non præiudicant, ideo & Filium meum, atque præceptorem gentium esse testor.

Matth. 3.16. *Hilar. Psal. 138.* *Matth. 17.5.*

Vt verò Christus à Patre, auctore Hilario, germana proles ex humilitate est agnitus, ita ipsum ex matre non nisi humilitate conceptum affirmauit Bernard. hom. 1. in *Missus est*: sic enim ibi de Deipara: *Si igitur Maria humilis non esset, super eam Spiritus sanctus non requieuisset. Quomodo enim de ipso, sine ipso conciperet? Patet itaque, quia vt de Spiritu sancto conciperet, sicut ipsa perhibet*, respexit humilitatem ancillæ suæ Deus, *potiùs quam virginitatem. & si placuit ex virginitate, tamen ex humilitate co*[illegible] hæc (*ex humilitate concepit*) quasi ad [illegible] quæ Deum Filium sibi similem, ipsa [illegible] quamsimillima, erat conceptura, & [illegible] omnes virtutes humilitas potissimum [illegible] tur. Quam ad rem nonnihil facit, [illegible] bus in vniuersum dicebat Tertull. [illegible] virg. cap. 13. *Gloria illicita est eis, quarum proba*[illegible] *humiliatione constat*: ac si diceret [illegible] summam dignitatem sponsarum C[illegible] euehuntur, ex humilitate præcipuè, an sponsæ [illegible] censeantur idoneæ, probandæ sunt.

Bernard.

Bene quidem id [illegible] Regius [illegible] 130. 2. de se dicebat: *Domine nō est* [illegible] *neq; elati sunt oculi mei, neq; ambula*[illegible] *neque in mirabilibus super me*: hoc est, *in magni*[illegible]*nibus*, vt est in Hebræo: vel, *in magnificentijs* [illegible] chus, & Theodo. siue cum magna [illegible] societate, & comitatu, vt explicant [illegible] si diceret, cùm duæ mihi, quas ine[illegible] humilitatis videlicet, ac elationis [illegible] nuis olim pastor, sum modò sub[illegible] Rex; solam humilitatis viam, quâ indesinenter [illegible] amplecti statui, neque in magnis, & [illegible] ambulare volui. Ita ad [illegible] verba S. Zeno [illegible] Psal. 130. *Vnctus in Regem spiritus ip*[illegible] *solescit in regno; obumbrat neminem* [illegible] *mitem, humilemque retinet vbique* [illegible] Se[illegible] id faceret, sic statim indicat Dauid, *si non humiliter sentiebam, sed exaltaui animam meam*[illegible]est, nec humilitatem ideo colo, vt deiiciar: imò [illegible] vt me ipsum exaltem, sublimemque reddam [illegible]âmeam: ita inibi Hilarius. *Quæ Prophetæ ista [illegible]tas? Non exaltat cor, exaltat animam; non in*[illegible]*, & mirabilibus super se ambulat, sed non humili*[illegible]*tie. Excelsus animo est, & corde summissus. Tenend*[illegible] *humilitatis, & altitudinis modus est, vt corde* [illegible]*su verò, & animo simus excelsi.* Nimirum, [illegible]celsitas, & vera animæ magnitudo, humilitas [illegible] sic id dum vestigiis Hilarij insistit, signatè [illegible]e Zenone. *Videamus ne fortè Propheta ipse se [illegible], exaltando animam suam, qui cor suum se nō exaltasse gloriatur. Non sibi repugnat, sed ostendit, animæ esse sublimitatem, superiora vicisse; animæ enim depressio, cor elatum est; cor cohibitum, promotio est animæ.* At enimverò Hier.

Hilar. *S. Zeno Veron.* *Hieronym.*

dum

Soph.1.1. dum hæc eadem verba ad cap. 1. Sophoniæ elucidat, & cum illis Prophetæ, *Verbum Domini quod factum est ad Sophoniam filium Chusi, filij Godoliæ, filij Amariæ, filij Ezechiæ*, iuxta mysticas eorum nominum significationes, componit; humilitatem ex Dei magnitudine progenitam sic affirmat: *Iste ergo Propheta, qui erat in specula, & in sublimibus constitutus, & nouerat mysteria Domini, filius erat Chusi (qui interpretatur humilitas, vel Æthiops meus:) habebat quoque auum Godoliam, qui dicitur magnitudo Domini, & proauum Amariam, qui & ipse vertitur in sermonem Domini, & atauum Ezechiam, qui sonat fortitudinem Domini. De fortitudine itaque Domini natus est sermo Domini, & de sermone Domini nata est magnitudo Domini, & de magnitudine Domini nata est humilitas: vt cùm peruenerit aliquis ad perfectum dicat:* Non sum dignus vocari Apostolus. *Et illud in Psalmis*, Domine, non est exaltatum cor meum, neque elati sunt oculi mei. Hæc Hieronym. Videsne quàm illustris, regia, diuina humilitatis prosapia sit? quàm inclyti, ac cœlestes progenitores? Fortitudo Domini, sermo Domini, magnitudo Domini. Iure igitur dicebat Bernardus Deiparam ex humilitate eum concepisse, qui magnus, & Filius Altissimi vocandus erat; sed & tu, qui Dei etiam proles, & filius diceris, dignè ambula vocatione, quâ vocatus es: perficies id quidem, si non ambulaueris in magnis, neque in mirabilibus super te. Audi Paulum ad Ephes. cap. 4. 1. dicentem. *Obsecro itaque vos ego vinctus in Domino, vt dignè ambuletis vocatione, quâ vocati estis, cum omni humilitate.* In quæ verba Chrysost. hom. 9. *Dignè, inquit, ambulate vocatione, quâ vocati estis. Quomodo? Cum omni humilitate.* Ergo ille pro dignitate ambulat, qui cum humilitate ambulat, nec ambulat in magnitudinibus, & magnificentiis super se.

Ad Ephes. 4.1.

Chrysost.

6. Sed rursus, quomodo humilitate deperditam homini pulchritudinem Christus restituerit vide. Porrò de Dei Filio Prouerb. 8. 22. dicitur: *Dominus possedit me in initio viarum suarum à principio*; vbi Lxx. quos Græci omnes Patres, necnon Ambros. lib. 3. de fide c. 4 sequuntur, legunt: *Dominus creauit me initium viarum suarum in opera sua.* Athanasius verò multis in locis, vt ab Arianorum manibus extorqueat, hæc verba pendit, & elucidat; & in primis ad decreta Nicenæ Synodi verbum, ἔκτισε, pro quo noster reposuit, *creauit*; sic premit. *Non est simplex, & vna significatio huius verbi, ἔκτισε: hic enim, ἔκτισε, intelligendum non fecit; sed præfecit operibus suis: sed tamen per Filium conficiendis.* Deinde serm. 3. contra Arian. cùm dixisset: *Quoniam prima per Adam & via, & ianua perierat, & ex paradiso ad mortem deuergebamus, dictumque nobis fuit*, terra es, & in terram abibis, *ideo Verbum Dei hominum amore, & Patris voluntate induit creatitiam carnem, vt eam quam mortalem reddiderat primus homo præuaricatione, ipse proprio sanguine sui corporis viuificaret, & renouaret nobis viam recentem, & viuam per velum (vt Apostolus dixit) hoc est, per carnem suam*: pulchrè carnem Christi velum appellans, quod diuinitatem non ita contegeret, vt eius fulgor, & claritas nobis non posset irradiare. Subiicit post nonnulla: *Non igitur ex genere hominum alius quispiam, sed ipse Dominus, vt principium esset, condi voluit, quo efficeretur via noua creatura, ac de se meritò diceret*: Dominus creauit me principium viarum suarum ad opera sua; *ne vlteriùs secundum primam illam viam homo viueret, sed quasi subsistente nouæ creaturæ exordio, Christum in se possidens huius nouæ creaturæ principem, in reliquum tempus se ei comitem præberet, qui ita de se loquitur*: Ego sum via, Ioan. 14. 6. *Idque in erudiendis*

Prou. 8. 22.

Lxx.

Ambros.

Athanas.

Ioan 14. 6.

Vellaz q. in Epist. ad Philippens.

Colossensibus Apostolus dixit: ipse est caput Ecclesiæ, ad Colossens. 1. 18. Ergo initiandis, dirigendis, siue etiam renouandis virtutum viis, præsertim verò humilitatis præfectus est Christus: *ne vlteriùs secundum primam illam viam homo viueret.* Ita Ambros. lib. 3. de Fide cap. 4. dum omnem in partem præfata verba Prouerb. versat. *Principium humilitatis Christus, qui formam serui accepit, cùm Patrem Deum maiestate virtutis æquaret.* Similiter Leo Mag. serm. 6. de Natiuit. *Frustra appellamur Christiani, si imitatores non sumus Christi, qui ideo se viam dixit esse, vt conuersatio magistri forma esset discipulis, & illam humilitatem eligeret seruus, quam secutus est Dominus.* Sanè, vt ab hoc principio veræ iam vitæ, atque salutis initium in homine sumeretur.

Ad Colos. 1. 18.

Ambros.

Leo Magn.

Sectabatur aliquando Abram priusquàm ad peculiarem, atque diuinam Christi, Christianæque Ecclesiæ cognitionem, & originem vocaretur, sublimem quandam, & excelsam naturalium rerum philosophiam, eoque Abram nomine nuncupabatur, quod *excelsus Pater* interpretaretur; sed cùm ei aduentus Christi, qui nouæ viæ, atque ideo humilitatis principium erat futurus, à Deo reuelatur, magno, atque subtili mysterio, eius nomini litera Græca, ἄλφα, hoc est, Christus, qui de se inquit: *Ego sum α, & ω, principium & finis*, Apocalyps. 1. 8. additur, sic enim Genes. 17. 5. *Nec vltrà vocabitur nomen tuum Abram, sed appellaberis Abraham; quia patrem multarum gentium constitui te*: vt qui antea *excelsus*, & sublimis vocabatur, insito iam sibi hoc diuino principio, humilis subinde, ac modestissimus foret; etenim eâ literâ additâ prius illud nomen, quod excelsitatem præseferebat, in id commutatum est, quod electum potiùs sonitum significat, hæc omnia sic perstringente, atque explicante Clem. Alex. lib. 5. Strom. *Is cùm sublimem eorum, quæ in aëre eueniunt, & excelsam eorum, quæ in cælo mouentur, persequeretur philosophiam*; Abram *vocaretur, quod exponitur*, Pater sublimis: *postea verò cùm in cælum respexisset; siue viso in spiritu Filio, &c. assumit ἄλφα, nempe cognitionem vnius, & solius Dei, & dicitur* Abraham, *vt qui pro naturæ indagatore sapiens, piusque in Deum, & eius amicus factus est; exponitur enim*, Pater electus sonitus. Sic Clemens. Hæc mirificè confirmat Paulus ad Coloss. 2. 18. monens, inflatum non teneret caput, hoc est, Christum, sic enim ibi: *Frustra inflatus sensu carnis suæ. Et non tenens caput, ex quo totum corpus per nexus, & coniunctiones subministratum, & constructum crescit in augmentum Dei.* Quæ verba Ambros. in Psalm. 118. serm. 20. dum exponit, Hebræam literam *resch*, quæ interpretatur, *Caput*, in hunc sensum sic premit. Inflatus ergo caput non tenet: *Hoc est, illam humilitatem Christi, quâ descendit vsque ad crucem, descendit vsque ad inferos, ideo Iudæus non credidit, quia contempsit dicentem*, discite à me, quia mitis sum, & humilis corde. *Hæc humilitas virtutum omnium caput est, quæ totum velut quoddam nostrorum actuum fouet corpus.* Nec omittenda, quæ statim subdit; *quamuis infirmus aliquis sit, pauper ignobilis tamen si non se extollat, & præferat, ipsa se humilitate commendat. Sit aliquis prædiues, & nobilis, tamen si nobilitatem generis & diuitias suas tacet, insolentia sibi vilis est. Sit aliquis facundus, & fortis, qui tumore facundiæ ac virtutis elatus, plurimum sibi arroget, nonne ei propter verecundiam, & insipiens plerumque, & inualidus anteferetur?* Sed Basil. in serm. de abdicat. rerum, totum pietatis negotium eâ potissimum ratione ad humilitatem reuocauit, quod qui humilem esse sciat, Christum imitari etiam sciuerit; sic enim ipse: *pietatis cognitio, humilitatis, & mansuetudinis cognitio est, quando se animo scire submittere, Christum est scire imitari.*

7.

Apoc. 1. 8.

Genes. 17. 5.

Clem. Alex.

Ad Colos. 1. 18.

Ambros.

Basil.

Tertull. Insectabatur Mathematicos acriter Tertullian. lib. de Idololatriâ, cap. 9. dum subitò patrocinantis personam assumens, sic obiicit. *Sed & Magi, & Astrologi ab oriente venerunt. Scimus Magiæ, & Astrologiæ inter se societatem: primi igitur stellarum interpretes natum Christum annunciauerunt, primi munerauerunt.* Ac si dicat: Quid mali ex sydetum speculatione timendum fuerit, cùm hæc Magos ad Christi cognitionem, hoc est, ad summam omnium felicitatem manuduxerit? Sed enim statim ita respondet: *De Christo scilicet, est mathesis hodie, stellas Christi non Saturni, & Martis, & cuiusque ex eo ordine mortuorum obseruat, & prædicat: at enim scientia ista vsque ad Euangelium fuit concessa vt Christo edito nemo exinde natiuitatem alicuius de cœlo interpretetur?* quasi dicat, quidquid fuerit de præteritis rebus, de quibus modò non disputo, illud iam pro comperto est, post Christi Natiuitatem totam iam mathesim, siue totam diuinandi scientiam, atque omnem stellarũ vim, & potestatẽ, & quidquid id est, quod ad coniecturam de bonâ malâve hominum sorte sumendam deseruit, non aliunde, quàm ex cœlesti huius stellæ ortu, hoc est, ex similitudine cum Christo paupere, & humili nato, petendum esse, quod nimirum, quantum hominis vita sub hoc cœlesti Christi signo, seu climate degat, quamtùmve ab ipso discedat, tantum boni, vel mali, tantum placati, & prosperi syderis, vel sanguinei, ac exitialis cometæ, tantum inquam felicitatis, vel infelicitatis, sit habitura. Ergo qui priùs Saturnum, Iouem, Martem de felicitate, de pompis, de honoribus, de diuitiis, aut de rerum bellicarum euentu consulebas, vnum iam Christum humilem, omnis felicis sortis principium, finemque consule; vnde sic subiicit statim Tertull. *Nam & thus illud, & myrrham, & aurum ideo infanti tunc Domino obtulerunt, quasi clausulam sacrificationis, & gloriæ sæcularis, quam Christus erat adempturus.* Quod perinde fuit, ac si diceret non secus ex Christi ortu, quidquid ad stellarum contemplationem, & sæcularem pompam, ac splendorem, qui ex ipsâ coniicitur, attinet, quàm vetera sacrificia antiquatum esse: quippe humilis Dei imago alienam omnem gloriationem adimit, ac detruncat. Tertulliano applaudit Hilarius in id Psal. 118. *Humiliatus sum vsquequaque*; sic inquiens: Tertull. *Aliæ sunt sæculi leges, alia Dei munera, diabolus cùm Deum tentare ausus est, suum esse sæculum gloriatur, Dominus verò mori nos sæculo iubet, vt viuamus ipsi; cum Domino opum contemptus opulentia est, cum Domino terreni honoris despectus cœlorum regnum est, cum Domino humilitas cordis, generosæ & regiæ natiuitatis ortus est.* Ac si dixerit: hinc iam ad vitam, ad felicitatem, ad diuitias, ad germanam nobilitatem, regiæque natiuitatis ortum normam, legesque sumatis; esto ad Christi exemplũ humilis, hæc omnia habebis. Qui secus faxit, sit qui voluerit, nihil erit, quippe *inflatus est sensu carnis suæ, & non tenens caput*, &c. Ambros. vnde præfato loco Ambrosius, *& in Isaia libro dixit Dominus per Prophetam* (cap. 9. 14. iuxta LXX.) *Auferam à Iudæâ caput & caudam, initium & finem hoc caput Iudæa quod tenebat amisit qua Iesum Dominum non recepit*, &c. *Ecclesia principium est, primogenitus ex mortuis; habet & finem, quia ipse est primus, & nouissimus: Ipse est finis legis ad iustitiam omni credenti. Synagoga, nec initium, nec finem habet.* Ac si dixerit: en veræ felicitatis causam, en principium, & finem. Inflatus ergo, nec principium, nec finem ad felicitatem habet, siue felicitatem, quæ caput, & pedes habeat, tenere non potest. *Felcidad sin pies ni cabeza.* quippe à Christi climate vera, totaq; felicitatis ratio desumitur. Quæ quidẽ ita plenissimè confirmantur à Leone Magno serm. 7. de Epiph. Leo Magn. *Tota, dilectissimi, Christianæ sapientiæ disciplina non in abundantiâ verbi, non in astutiâ disputandi, neque in appetitu laudis, & gloriæ, sed in verâ, & voluntariâ humilitate consistit, quam Dominus Iesus Christus ab vtero matris vsque ad supplicium crucis pro omni fortitudine, & elegit, & docuit.* Ita Leo.

Quod si aduertis, non aliud clamat Paulus his verbis: *Hoc sentite in vobis, quod & in Christo Iesu,* quàm 1. ad Corinth. 15. 49. vbi cùm præmisisset; 1. ad Cor. 15. 49. *Primus homo de terrâ, terrenus: secundus homo de cœlo, cœlestis. Qualis terrenus, tales & terreni, & qualis cœlestis, tales & cœlestes.* sic infert. *Igitur sicut portauimus imaginem terreni portemus imaginem cœlestis.* Sed pulcherrimum locum, nec ab interpretibus pro dignitate expensum, penitiùs explicare placet. Et quidem bene omnino Tertullian. cui plures ex interpretibus acquiescunt, verborum sensum sic aperuit lib. de Resurrect. carn. cap. 49. Tertull. *Portauimus enim imaginem choici* (terreni) *per collegium transgressionis, per consortium mortis per exilium paradisi. Nam si & in carne sic portatur & imago Adæ, sed non carnem monemur ponere. Si non carnem, ergo conuersationem vt proinde & cœlestis imaginem gestemus in nobis, non iam Dei, nec iam in cœlo constituti, sed secundum lineamenta Christi incedentes in sanctitate, & iustitiâ, & veritate. Atque adeo ad disciplinam totum hoc dirigit, vt hic dicat portandam imaginem Christi in istâ carne, & in isto tempore disciplinæ.* At enimverò huius tam peculiaris locutionis, ac dicendi modi: *portauimus imaginem terreni; & portemus imaginem cœlestis,* oporteret reddi ab interpretibus aliquã rationem. Quid enim fuerit portare in nobis terreni, vel cœlestis imaginem? Siue cur terreni, vel cœlestis Adæ imitationem hâc phrasi portandi huius, vel illius imaginem expressit Apostolus? Dixitne id casu, & non potiùs exquisitissimâ sapientiâ, & doctrinâ? Ergo notetur primum Græcum verbum, φορέω, quod Lect. Græc. propriè significat gestare, vestem v.g. annulũ, sceptrum, siue aliquid eiusmodi, vnde dubio procul cum allusione ad vestem metaphoricè dixit Paulus portare, siue gestare imaginem, vesti, videlicet, insculptam, siue intextam, quod in primis ex translatione Syriaca colliges, quæ habet. *Et sicut induimus imaginem illius qui ex puluere est, sic induemus imaginem illius, qui è cœlo est;* deinde ex simili *induendi Christum* locutione à Paulo sæpius vsurpata: ad Lect. Syr. Rom. 13. 14. *Induite Dominum Iesum Christum*: ad Ad Rom. 13. 14. Gal. 4. 27. *Qui in Christo baptizati estis, Christum induistis*: ad Ephes. 4. 24. *Induite nouum hominem qui secundum Deum creatus est*: ad Coloss. 3. 9. *Expoliantes vos veterem hominem cum actibus suis, & induentes nouum, eum qui renouatur in agnitionem secundum imaginem eius, qui creauit illum.* Ad Gal. 3. 27. Ad Ephes. 4. 24. Ad Coloss. 3. 9. Deinde obserua veterem Romanorum Græcorumq; morem gestandi in vestibus, Imperatorum, ac Principum imagines, siue depictas, siue intextas, reuerentiæ quidem, siue potiùs adulãdi studio, vt subditi ad imaginem, id est, ad mores Principis compositi viderentur. Do tibi ex Iacobo Rebard. l. 2. coniect. in. huius consuetudinis expressa testimonia apud Ausonium, qui Auson. dum Gratiano Imperatori pro Consulatu gratias refert, eamet verba, quæ ille sibi Princeps scripserat, cùm vestem simul cum munere dono dedit, sic pendit: *Palmatam tibi misi, in quâ D. Constantius parẽs noster intextus est*: & paulò post sub propriâ personâ: *Constantius in argumento vestis intexitur, Gratianus in muneris honore sentitur.* Præterea in epigrammate ad quemdam equitem, qui cùm ex legitimo connubio natus non esset; de Romana tamen nobilitate à Romulo, & Remo deducta superbè gloriabatur,

Hos

Hos ille Serum veste contexi iubet,
Hos celat argento graui.
En morem, ad quem Paulus totius literaturæ peri-
tissimus manifestè alludit, cùm Christum indue-
re,& Christi imaginem portare,monet. Sed adhue
pro penitiori præfati loci cognitione est aliud ali-
quid,quod obserues; nempe ex sæcularium legum
præscripto peculiariter cautum fuisse, ne post dā-
natam alicuius Imperatoris memoriam, eius ima-
ginem publicè portare liceret:ita quidē expressissi-
Scæuola. mè Iure Consult.Scæuola in lege 38.π. de iniuriis:
Senatus Consulto cauetur, ne quis imaginem Imperato-
ris in inuidiam alterius portaret, & qui contra fecerit,
in vincula publica mittitur, hoc est,vt bene explicat
Rebard. superiùs adductus Rebardus. *Qui in inuidiam noui*
alicuius Imperatoris, imaginem Imperatoris defuncti,
etiam post eius memoriam damnatam portare non ve-
retur; eo modo, quo aliqui Neronis studiosi, qui
eius tumulum vernis, æstiuisque floribus per lon-
gum tempus ornasse, imaginésque prætextatas in
Sueton. rostris prætulisse dicuntur apud Suetonium in Ne-
rone.Prodit se ergo iam tandem Pauli mens,vt nos
omnimodo ad Christi imitationem vrgeat. Nam
primum sic argumentatur à simili, vt sicut terre-
nis rebus, ac mundi pompis addicti gestauimus in
nobis imaginem elati, atque superbi Adami, ad di-
uinam similitudinem præposterè adnitentis,ita iam
diuina Christi luce perfusi, exhibeamus deinceps
in nobis imaginem hominis cœlestis,id est,Christi,
per vitæ puritatem, præsertim per veram humili-
tatem, & animi demissionem eum imitantes.Adhæc
in illis verbis: *Qualis terrenus, tales & terreni, &*
qualis cœlestis,tales & cœlestes; quantum inter Chri-
sti, & Adami imitationem intersit, pulchrè osten-
dit,ac si dicat;ille dum esse *sicut dij* concupiuit,ter-
renus,siue luteus,(id enim propriè significat Græ-
ca vox, χοϊκός,) factus,luteos nos, & terrenos fecit,
pusonos de lo do: Christus verò è cœlo descendens,
in similitudinem hominum factus,diuinam nobis simi-
litudinem dum eius vestigia premimus, restituit.
Nazianz. Vnde magna emphasi dicebat Nazianz.orat.4. *Si-*
mus sicut Christus,quoniam ipse sicut nos;efficiamur dij
propter ipsum,quoniam ipse propter nos factus est homo.
Eò verò potissimum Pauli oratio it,vt ostendat,in-
excusabile iam post Christi aduentum crimen esse,
imaginem terreni Adami,superbientis,& elati por-
tare, non secus ac inuidiosum flagitium erat, de-
mortui Imperatoris imaginem post damnatam eius
memoriam in inuidiam viuentis Principis gestare.
Ambros. Quare opportunissimè Ambros.in Psalm.38.*Si quis*
tyranni imagines habeat, qui iam victus interijt, iure
damnetur;quomodo tu hostis & aduersarij imaginem in
ciuitatem veri Imperatoris inducis, nisi ipse te damnes?
Nam cui dubium, mirúmve sit, damnatum iri om-
nem,qui indutus fuerit veste peregrina? Audi So-
Soph.1.8. phon.c.1.8.*Et erit:in die hostiæ Domini,visitabo super*
omnes qui induti sunt veste peregrina:& visitabo super
omnem, qui arroganter ingreditur super limen. Vnde
D. Bernard. Bernard.serm.5.in Natal. Dom. *Ipse enim nunc sal-*
uum faciet,non quoscumque,sed populum suum à pecca-
tis eorum, & postmodum non omne corpus, sed corpus
humilitatis configurabit corpori claritatis suæ. Denique
populum suum consolabitur, vtique populum humilem,
quem saluum faciet,nam oculos superborum humiliabit.
August. Nec minus appositè August. ad Christi tempora
trahens Vatis Regij verba Psalm.4.3.*Filij hominum*
vsquequò graui corde? vt quid diligitis vanitatem, &
quæritis mendacium? sic elatos vehementiùs obiur-
gans,illa premit. *Saltem vsque ad aduentum Filij Dei*
error vester durauerit. Quid vltra graues corde estis?
Quando habituri finem fallaciarum,si veritate præsente
non habetis? Ac si dixerit: apparuit iam humanitas
Dei in Christo, miram humilitatem, ac demissio-
nem præferente;nouimus in illo veram Dei imagi-
nem,atque similitudinem, veteris Adami memoria
penitus damnatâ. Quid ergo graues corde luteam
terrenámque imaginem,spretâ Dei similitudine, in
inuidiam cœlestis Principis induemus?

Redeo ad Christum,vt principium,& caput hu- 10.
milium, quod inflatus sensu carnis suæ non tenet.
Sanè sub hoc sensu dicebat de ipso sponsa Cant. 5. Cant.5.11.
11.*Caput eius aurum optimum:comæ capitis eius elatæ*
palmarum,nigræ sicut coruus. Et verò ad prius hemi-
stichium sic inquit Paulinus epist. 4. *Summâ igitur* Paulinus.
ope enitamur, ita nos comparare, vt diuini capitis,quod
nobis per gratiam Christus est,crines,& aurum esse me-
reamur:ex ipso enim capite pullulat illa cæsaries, de quâ
scriptū est,Capillatura eius vt greges caprearū, &c.
Sed enim corui imago, quam subiungit sponsa,di-
uini huius capitis crines quasi de facie ostendit,eos,
videlicet,qui ad similitudinem Christi, dum in vita
degebat,despecti,humiliati,& non solùm in simili-
tudinem hominum, sed in similitudinem carnis
peccati, nigri,scilicet, sicut coruus facti se compo-
nunt:vti ad id loci pendunt Anselm.Honor.& Ri- Anselm.
chard. quorum vltimus hæc habet: *Nigredo bono-* Honor.
rum est,quod peccatores se reputant,& peccatorum suo- Richard.
rum verecundiam in vultu portant, despectionem quip-
pe eligunt,contemptum æquanimiter ferunt, vilia opera,
& sordidum habitum appetunt, scientes in hac humili-
tate pretiosum Christi thesaurum latere, hæc est nigredo
bonorum,in qua se coruis assimilant. Sed quem alium
illi pretiosiorem thesaurum appetant,quàm ipsam-
met Christi imitationem, & diuinæ imaginis simi-
litudinem? *Nihil enim gloriosius* (inquit Paschas.lib. Paschas.
6. in Matth.) *suis Magister veritatis proponere po-*
tuit ad exemplum, quam se ipsum lumen æternum, qui
est immortalis Rex gloriæ:gloriosum quidem est,si illum,
quo nihil est locupletius,amplectimur per fidem, quæ per
dilectionem operatur,vt vniuersis passionum conditioni-
bus, vt ipsi fecerunt Apostoli, adæquemur. Similiter
Tertull.in Scorpiaco,cap.9.*Quando hoc ipsum suffi-* Tertull.
cere eis ad gloriam debeat,æquari passionibus Domini &
Magistri. Sed & quàm sit necessarium,eiusdem co-
loris crines,ac caput ipsum,nigrósque sicut coruus
existere.sic grauiter persequitur ex hoc Pauli loco
Bernard.serm.1.in Natali Domini. *Obsecro proinde,* Bernard.
& plurimum rogo,fratres,non patiamini,sine causa tam
pretiosum exemplar vobis exhibitum esse, sed confor-
mamini illi,& renouamini spiritu mentis vestræ.Studete
humilitati,quæ fundamentum est custósq; virtutum. Se-
ctamini illam, quæ sola potest saluare animas vestras.
Quid enim magis indignum,quid detestandum amplius,
quid grauius puniendum,quam vt videns Deum cœli par-
uulum factum,vltra apponat homo magnificare se super
terram? Intolerabilis impudentia est, vt vbi sese exina-
niuit majestas, vermiculus infletur, & intumescat. Hæc
& alia Bernard.ibi,& hom.1.super *Missus est*.Simi-
lia habet Aug.tract.25.in Ioan.

Recensebat Salomon Prou. 30. 25. ea quæ ipsi 11.
sapientiora sapientibus esse videbantur; inter hæc Prou.30.25.
autem stellionem sic annumerat vers.28.*Stellio ma-*
nibus nititur,& moratur in ædibus Regum. Sed obser-
ua Hebraicè, vt Pagninus, & alij transferunt, pro
stellione esse simiam,sic enim ille legit:*Simia in ma-*
nibus capiet, & est in ædibus Regis. Quod si ambigas
pro cortice ænigmatis,quid in fœdissimâ belluâ Sa-
lomonis oculos rapuerit, vt eam tantopere lauda-
Bayn. uerit.Respondent Baynus,& alij interpretes,ob in-
genij sui dexteritatem,& humanæ prudentiæ non-
nihil simile vestigium, in Principum aulis haberi in
deliciis,cum aulicis veluti vnum è numero versari,

& lautè viuere. Ego verò, quin ab ipso cortice literæ egrediar, crediderim, simiæ ænigmate adumbrari à Salomone ipsosmet aulicos, qui ad Principū exemplum, vt ipsorum gratiam promereantur, totos sese effingunt, atque componunt, non secus ac simia, quæ motus, gestus, & quidquid in homine videt, imitatur; nouimus enim tam Alexandri Magni, quàm aliorum Principum aulicos ipsosmet naturales eorum defectus imitari, & exprimere affe-
Plutarch. ctus. Sic namque Plutarch. in Alex. *Multi enim amicorum imitati sunt Alexandrum ceruicis erectione, leuique in sinistram partem inflexione, oculorúmque volubilitate:* sub hâc verò imagine moneri nos, vt Deo, in quantum fieri possit, similes euadere conemur, quò eius fauore, & gratia potiamur. Vnde grauiter
Tertull. Tertull. lib. de Patient. c. 4. *Si probos quosque seruos & bonæ mentis pro ingenio dominico conuersari videmus, siquidem artificium promerendi obsequium est: obsequij verò disciplina morigera subiectio est; quanto magis nos secundum Dominum moratos inuenire oportet, seruos, scilicet, Dei viui, cuius iudicium in suos, non in compede, aut pileo vertitur, sed in æternitate pœnæ aut salutis?* Dixit verò eleganter, vt doctè (de more) bo-
Cerd. nus ibi Scholiastes Cerda adnotat, *probos seruos*, id est, probatos, & bene audientes, qui apud Chrysost. oratione 1. in Iudæos opponuntur *ignominiâ notatis*: vt affirmet infame omnino, atq; ignominiosum Christiano esse, à Christi imitatione deflectere; aliámque felicitatis, atque gloriationis viam, quàm eam quâ Dominus præiuit, sibi quærere, atque præripere. Sanè eos omnes, qui Christi vestigia non sequuntur, dormientibus persimiles esse, vitámque quasi per somnium, & fabulam agere, sic colligas
Psal. 16. 15. ex Dauid Psal. 16. 15. dicente: *Satiabor cum apparuerit gloria tua*: sed obserua in originibus legi; *Satiabor cum euigilauero similitudine tuâ*: quasi dicat Propheta dormire se, & velut per somnium vitam ducere, dum Christo similis non euadat: euigilaturum verò, verámque vitam acturum, cùm in ipso eius similitudo effloruerit. Vnde Cyprian. ep. 7. & lib. de
Cyprian. habitu Virgin. multis hæc confirmantem.

12. Venerat quidem Christus Dominus in mūdum, vt pro nostrâ salute mortē obiret; sic enim de ipso
Ad Heb. 9. 15. Paulus ad Hebr. 9. 15. *Et ideo noui testamenti mediator est, vt morte intercedente in redemptionem earum præuaricationum, quæ erant sub priori testamento, repromissionem accipiant, qui vocati sunt, æternæ hæreditatis. Vbi enim testamentum est, mors necesse est intercedat testatoris.* Ecquid ergo, mortem sibi statim oblatam, dum Herodes quærebat *puerum ad perdendum eum*,
Matth. 2. 13. Matth. 2. 13. recusare, atque aufugere maluit, quàm dicere; *Quod facis, fac citiùs?* Sanè, quod non ad moriendum solùm, sed signatissimè ad egregia nobis humilitatis exempla in toto vitæ, mortisque spatio
Chrysol. proponenda Dei Filius aduenerit. Audi Chrysol. serm. 151. *Christus totam causam nostræ salutis occiderat, si se paruulum permisisset occidi. Christus venerat, vt quos præceptis docuerat, firmaret exemplis, & ipse faceret, quæ facienda mandauerat, & visu probaret possibilia, quæ impossibilia videbantur auditu: venerat, vt mundo notitiam suæ Deitatis infunderet, & humani generis ignorantiam auferret. Venerat, vt pigra mortalium corda ad fidem virtutibus excitaret. Venerat diabolum publico superare conflictu, vt ab omnibus & diuino vinceretur iussu, & humano prosterneretur exemplo.* Sic ille. Quibus opportunè aptes, quæ huc intentus
Nazianz. de Christi imitatione sic diffudit Nazianz. *Per omnes Christi ætates, ac virtutes vt Christi discipulus sine reprehensione incede. Purificare, circumcidere, velum à natiuitate contractum abscinde. Postea in templo doce, sacrilegos nundinatores eijce, lapidibus, si ita necesse sit, incessi te patere. Si ad Herodem adductus fueris, plerumque ne verbum quidem vnum respondeas. Silentium tuū magis venerabitur, quàm prolixos aliorum sermones; si flagello cæsus fueris, quæ supersunt exposce. Fel gusta propter gustum, aceto potare, sputa require, alapas & colaphos accipe: fac spinis, hoc est, piæ vitæ asperitate coroneris, coccinum induas, arundinem accipias, ab ijs qui veritatem ludibrio habent adoreris; denique prompto animo simul sepeliaris, vt simul quoque resurgas, & gloria doneris.*

Illud tandem in hâc humilitatis viâ à Christo 13.
nobis ad incedendum propositâ adnotandum, omnium faciliorem, procliuiorem, & tutiorem esse, quippe quæ non angusta, arcta, difficultatibus vllis, aut molestiis sit exposita. Ita quidem dicebat Dauid Psalm. 17. 38. *Dilatasti gressus meos subtus me, & non sunt infirmata vestigia mea.* Ac si diceret, id ex Christi imitatione fuisse assecutum, vt latissimum haberet spatium ad figenda firmiter vestigia, ne pedes eius in arcto positi aliquomodo laberentur. Sic ibi Eusebius: *Qui sequitur Iesum vestigia eius subse-* Euseb.
quitur, & eo ipso quod viam à Iesu tritam calcat, id assequitur, vt sua vestigia firma sint, ita vt re ipsa dicat: Non sunt infirmata vestigia mea in angustia tribulationis. Hæc Eusebius. Nec alio sensu sub diuinæ sapientiæ personâ dixerit Salomon Prouerb. 4. 11. Prou. 4. 11. &
& 12. *Ducam te per semitas æquitatis, quas cùm in-* 12.
gressus fueris, non arctabuntur gressus tui, & currens nō habebis offendiculum. Sed si dixerim, quod sentio, nō omnino placet frequentior huius loci expositio, quam Beda, Hugo, Lyra, & alij afferunt, vt sit sen- Beda.
sus, virtutis semitas, vsu, & consuetudine honestæ Hugo.
vitæ extritas, non iam vt antè, cùm primùm quis Lyra.
per eas ingreditur, arctas, & angustas videri, quod via virtutis arcta initio, ac difficilis, postmodum verò facilis sit, atque procliuis, & per quam sine obice, aut offendiculo curratur: non, inquam, omnino hæc expositio placet; quod virtutis ingressum difficilem, & impedimentis obnoxium æmuletur: quî enim hic sensus sine offendiculo verbis accommodetur? Quid ergo fuerit, in virtutis semitis etiam in ipso ingressu currentis gressus non arctari? Vis scire? audi Bernardum serm. 2. de Ascensione: *O per-* Bernard.
uersitas, ô abusio filiorū Adam, quia cùm ascendere difficillimum sit, descendere autem facillimum, ipsi & leuiter ascendunt, & difficiliùs descendunt, parati ad honores, & celsitudines graduum Ecclesiasticorū, ipsis etiam Angelicis humeris formidandos: & serm. 4. in eàdem Idem
festiuit. *Quid vobis, & montibus istis, in quorum ascensu tanta difficultas est, & tam grande periculum? aut cur eum deseritis montem, cuius & facilis est ascensus, & perutilis?* & post nonnulla. *Quis docebit nos ascensum salubrem? Quis, nisi de quo legimus*; Quoniam qui de- Ad Ephes. 4.
scendit, ipse est, & qui ascendit? *Ab ipso demonstran-* 9.
da nobis erat ascensionis via, ne ductoris, imò seductoris iniqui, aut vestigium, aut consilium sequeremur. Quia ergo non erat, quò ascenderet, descendit altissimus, & suo nobis descensu suauem, ac salubrem dedicauit ascensum. En quid sibi velit Dei Sapientia, cùm inquit: *Ducam te per semitas æquitatis, quas cùm ingressus fueris, non arctabuntur gressus tui*; fuit enim dicere: ducam te per semitas humilitatis, per quas facilè, suauiter, ac salubriter descendas; descendere enim facillimū, & nulli obici, aut scandalo obnoxium. Sed vt Sapientis verba magis premam, atque explicem, appositum circuli placet vsurpare exemplum: finge, obsecro, circulum, siue circuli peripheriam cœlestia bona, siue perfectionis, & humilitatis viam denotare; centrum autem, siue punctum mediū, esse mundum; siue, *omne quod est in mundo, concupiscentia*, videlicet, *carnis, concupiscentia oculorū, & superbia vitæ.*

Et

Et bona quidem terram, siue sæcularia bona cum centro, siue cum puncto componas. Nam de terra Plinius lib. 2. cap. 68. *Hæ tot portiones terræ, imò verò, vt multi tradiderunt, mundi punctus, neque enim est aliud terra in vniuersum, hæc est materia gloriæ nostræ, hæc sedes, hic honores gerimus; hic instauramus bella etiam ciuilia, mutuisq́ cædibus laxiorem facimus terram,* & Seneca lib. 1. quæst. natural. in præfatione, *hoc est illud punctum, quod inter tot gentes ferro, & igni diuiditur. O quàm ridiculi sunt mortalium termini!* & paulò post; *punctum est, in quo nauigatis, in quo bellatis, in quo Regna disponitis.* Iam lineas isthinc illac, illinc hac discurrentes sæculare, equidem eas, quæ à circulo in medium [illegible], varias siue vias, siue negotiationes mortalium [illegible] terrena bona, sed potissimum ad honores, cath[illegible], magistratus, Principum fauorem anhelanti[illegible] eas autem, quæ à centro, siue medio in circul[illegible] [illegible]antur, humilitatis semitas à mundi bonis, [illegible] ttim ab hono[illegible] recedentes, & ad Christi [illegible]mplum descen[illegible] præsefe[illegible] ... Hinc modò [illegible]naduerte, quid [illegible] [illegible]m, non arctari eius gressus, [illegible] [illegible] ductu [illegible] [illegible]tatis, siue [illegible] ... à centro [illegible] lineæ, [illegible] à [illegible]

[illegible]

[illegible] cumspiciendum [illegible] possimus; subiicit, *Primum [illegible] concupiscamus. Riua est inter competitores; [illegible] nihil habeamus, quod cum magno emolumento in[illegible] eripi possit [illegible] quàm minimum sit in corpore tuo [illegible] sanguinem propter ipsum [illegible] plures computant* (id e[illegible] euenturum proponunt, [illegible] transmittit: etiam in obsessa [illegible]. Quâ mente dicebat suprà Plin. [illegible] *laxiorem facimus terram*: nimi[illegible] nobis in eâ spatium, [illegible] diuitiarum in. [illegible] iam ad [illegible]

VERSVS VI.

Qui cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo.

COMMENTARIVS.

SIGNATISSIMVS Pauli locus, quem, quia magna eius difficultas esse creditur, atque ingens inde vtilitas, tum ad Scripturarum cognitionē, vel ad antiquą dogmata stabilienda, tum ad formandos mores percipi potest, accuratiùs pertractare operæpretium erit.

Qui cùm in forma Dei esset.

Opportuna sanè verba tum ad Vnigeniti Dei consubstantialem cum Patre naturam stabi[illegible], & confirmandam, vt veteres omnes Pa[illegible] [illegible] consensu præstiterunt, tum etiam ad [illegible] eritatem iuxta orthodoxæ fidei normam, & [illegible] Theologicæ regulas, quod nostri muneris, enucleatiùs exponendam. Ergo in primis [illegible] hæresim præter omnes Patres, [illegible] illustrant, fortiter in[illegible] [illegible] Hilarius lib. 8. de Trinit. & in [illegible] lib. 1. de Fide, cap. 5. & epist. [illegible] Maximin. cap. 5. & sæpius [illegible] in cap. 1. epist. ad Titum. [illegible] heologia. Athanasius lib. [illegible], & serm. 4. contra Aria[illegible] beatitud. in explicatione [illegible] hesauri cap. 1. & 2. & in ex[illegible] [illegible] circa medium. Marius [illegible] rsus Arium, qui habentur [illegible] ter. Patr. Dionys. Alexandri[illegible] [illegible] um Samosatensem, in Actua[illegible] 2. At enimverò, vt alibi in[illegible] *odor vitæ in vitam; alijs odor* [illegible] n defuêre quidam malæ fi[illegible] [illegible] tam præclari testimonij [illegible] ipso, & contra Patres, & Eccle[illegible] conati fuerint. 1.

Hilar. D. A[illegible]. D. Aug[illegible]. Hieron. Nazianz. Athanas. Nyssen. Cyr. Alex. Mar. Vict. Dion. Alex.

ADNOTATIO I.

Asseritur forma Dei à sinistrâ Nouatorum expositione.

FRANCISCVS Dauid omnino hæreticus, & Erasmus hæresis candidatus pertinaciter contendunt, formam Dei hoc loco non significare diuinam naturam, sed solùm exteriores actiones, in quibus Christi diuinitas fulgebat; quamuis non eodem modo, nec eodem fine, vterque exponāt. Nam Pseudo-Dauid ideo vult Christum dici *in formâ Dei*, quod esset imago quædam visibilis, in quâ Deus inuisibilis cernebatur, mirandâ, scilicet, similitudine; quod verò forma speciem exteriorem solummodo significet, probat ex Deuteronomij verbis cap. 4. 12. *vocem verborum audistis, & formam penitus non vidistis.* Ecce robur argumentationis, cui hæreticus homo tanti ponderis rem fidit. Erasmus verò sic capit Paulum, ac si Christum *in formâ Dei esse*, significet, talia opera exteriùs fecisse, vt ex eis Deum

2. Franc. Dau. Erasm. Deut. 4. 12.

Deum se esse planè ostenderet. Firmare nititur primò, quod *forma Dei*, hoc loco, formæ serui, quam dicitur Christus suscepisse, opponatur; *Christus autem* (inquit ille) *non suscepit formam serui substantialiter, semper enim fuit filius, non seruus, sed solum exteriori specie, dum humiliari, se ligari, ac flagellari, ac si seruus esset permisit.* Sed hæc quorsum? Quæve necessitas Erasmum impulit, vt sensa Patribus omnibus contraria afferret? Quidve tandem boni hæc tam exquisita subtilitas Ecclesiæ attulit? Nullius equidem melioris rei prætextu ille ducitur, quàm vt ex his clamet, inualidam ex hoc Pauli testimonio contra Arianos argumentationem à Patribus confici, cùm alij etiam Sancti plura patrarint miracula, quibus specimen aliquod diuinitatis ediderunt, nec tamen ideo dij dicendi sint. Hic Erasmi scopus, hic totus ipsius commenti, & ratiocinationum fructus; nec nouum in Desiderio Erasmo tum ad subliniores Scripturæ sensus tales oculos gerere, quales [illegible] noctuæ ad lucem Solis, tum etiam firmas iam, [illegible] statutas pietatis sedes, vt non manifestissimè, [illegible] dolè tamen concutere, vt de illo meritò sic no[illegible] mo luserit.

Quæritur, Erasmus dum sese format ad omnes,
Num sit Roma tuus, siue Luthere tuus?
Cuius sit generis merito dubitatur Erasmus,
Sed Desiderium neutrius esse puto.

Iam vt hæc ille auctoritate fulciret, [illegible] genter Patres, & antiquos scriptores, [illegible] maticorum ingenium pridem [illegible] an calore scriptionis, aut [illegible] aliquód ab vllo eorum [illegible] munimentum posset ar[illegible] nes lustrat, & perlustrat, [illegible] dixit cum nescio quo,

Flectere si nequeo super[illegible]

Confugiens etenim ad Ps[illegible] ipso figmenti confirmationem [illegible] auctor, vero Ambrosio hâc [illegible] [Pseudo-Ambros.] cogitationem probauit, his verbis: *Forma [illegible] est nisi exemplum, quod Deus apparet dum [illegible] cit, surdis reddit auditum, leprosos mundat.* Verùm enimverò his ego verbis nihilò plus [illegible] hic volo, quàm consimilibus horum commenta[illegible]rum expositionibus, in quas sæpius incidi. [illegible] verò vt meam hac de re sententiã semel aperiam, [illegible] hoc pronunciatum deinceps in perpetuum valere exopto, omnino censeo, hos Ambrosianos codices, cùm nullum eorum, quæ dicunt fideiussorem, nisi nomen Ambrosij, quód egregiè mentiuntur, nobis dant, leuissimi momenti, atque auctoritatis esse, sicut auctores multo nobis meliores etiam censuerunt; vide præ multis vnum Patrem Iustinianum in [Iustinian.] Prolegomenis in Epistolas Pauli, cap. 7. disput. 1. num. 10.

3. Sed priusquàm cum Erasmo nobis res sit, cum Pseudo-Dauide agamus. Porrò nonnulli, vt vim argumentationis ex Deuteronomij verbis petitam excludant, respondent, ingens discrimen inter Pauli, ac Mosis phrasim reperiri; quod à Paulo nõ dicatur Christus forma Dei, sed esse *in formâ Dei*. Verùm ad futilem, & ridiculariam insani hæretici argumentationem explodendam, non erat opus, vt opinor, tam subtile, & exquisitum discrimen inter *esse formam Dei*, & *esse in formâ Dei*, constituere; cùm optimè admitti possit (præsertim dum vox *forma*, & Græca μορφὴ, ab hæreticis non corrumpantur) Christum esse formam Dei, vt inferiùs, cùm rationem reddiderimus, cur Paulus potiùs dixerit, *in formâ Dei*, quàm *in naturâ Dei*, ostendam. Libentiùs ego respondeo, Dauidis fundamentum puerili potiùs castigatione, quod omnino fuerit [illegible] quàm hominis docti reprehensione dignu[illegible] Nam in primis, quid refert, vocem aliquam [illegible] aliquando significatione inuenire, vt inde [illegible]natur argumentum ad probandum, in illâ [illegible] sumi debere? maximè cùm aliùnde reclam[illegible] textus, [illegible] tot sæculorum cana fides, omnium [illegible] Interpretatio aliud suadeat. Nonne [illegible]entandi genus à puris particularibus, [illegible] dent Logici, ex quibus nihil sequitur? [illegible] sumat nobis Dauid (quod ab hæretico [illegible] non erit alienum,) formam Dei pro sp[illegible] Logicis condistinguitur à genere, & varias [illegible] nobis obtrudat Dei species; si quidem apud L[illegible], & Rhetores id frequentius significat: ita di[illegible] Quintilianus; *abdicationum forma sunt duæ*; vel [illegible] affirmet, formam Dei regulam, & norm[illegible] Dei significare, vt apud Paulum in hac nostra E[illegible] cap. 3. 17. & 1. ad [Ad Phil. 3. 17.] Thessal. cap. 1. 7. & 2. ad Thess[illegible] cap. 3. 9. & 2. ad Ti- [1. ad Thess. 1. 7] moth. c. 1. 13. vbi forma pro r[illegible], & [illegible] accipitur, *obseruate* (inquit c. 3. huius Epistolæ vers. 17.) [2. ad Thess. 3. 9] *eos qui ita ambulant, sicut habetis formam nostram*. Iam si nihil horum Francis[illegible] Dauid [illegible] quod ipsius erit ingenio congruen[illegible] instrumentum in quo [illegible] Nonne apud Colum[illegible] [illegible] [illegible]iumat.

[illegible] Paulus, totu[illegible] disputa[illegible] consiluit [illegible] solertiã credi potest, quæ[illegible] cem non esse, [illegible] pudenter [illegible] cius loci mens, [illegible] solùm [illegible] catio, sed alia [illegible] & energiæ est; [illegible] Scriptura [illegible] μορφὴ, hic posita pro forma extern[illegible] pro opere accipitur; imò ne[illegible] apud alios [illegible], si credimus Chrysostomo in hæc verba. A[illegible] apud Aristo- [Chrysost. Aristot.] telem aliquando pro formâ ac[illegible]li, sæpius verò pro substantiali, semper autem [illegible] formâ inhærente, & intrinsecâ, nunquam tamen pro actione exteriori.

Fundamentum verò Erasmi non iam ridiculum, 5. sicut Dauidis; sed si bonâ fide [illegible], sibi omnino contrarium est, [illegible] iudex Magno potiùs Basilio, [illegible] Victorino, necnon Tertulliano, [illegible], plusquàm Erasmo recenter [illegible], credere malit. Etenim, vt Erasmus [illegible] ad eludendam formam Dei sumit [illegible], ita Patres è contrario ex formâ serui, quam suscepisse Christum affirmat Paulus, tamquam omnino certum sibi persuadent, formam Dei ab ipso pro naturâ Dei positam esse; subiicio singulorum verba. Et sic in primis Basilius lib. 1. aduersus Eunomium: *Ego* [Basil.]

vero

verò id quod dicitur, in formâ Dei esse, *æquum ei, quod est in substantiâ Dei esse, assero. Nam sicut formam serui suscepisse, hominis substantiam Dominum suscepisse significat, sic cùm* in formâ Dei esse *dicat, diuinæ substantiæ ipsi profectò attestatur proprietatem.* Hæc Basilius. Similiter Hilarius lib. 10. de Trinit. non longè à principio, sic primò formam Dei cum serui formâ componit. *Accepisse autem formam serui, eum qui esset* in formâ Dei, *de contrarijs comparatur, vt quanta veritas est, manere* in Dei formâ, *tanta veritas sit, accepisse formam serui; ad proprietatem enim naturæ intelligendam significatione verbi ad id communis impellimur.* In formâ *enim* serui est, *qui & in* formâ Dei est, *& cùm hoc naturæ, illud verò dispensationis sit, in eiusdem tamen est veritatis proprietate, quod vtrumque est, vt tam verus sit* in Dei formâ, *quàm verus in serui.* Vnde Basilio persimilis subiicit, *vt verò accepisse formam serui, non aliud est, quàm hominem natum esse, ita,* in formâ Dei esse, *non aliud est, quàm Deum esse.* *Hilar.*

Mar. Vict. Iam Marius Victorinus peruetustus auctor, & Basilio antiquior, lib. 1. contra Arium, tom. 4. Bibliothecæ. *Si igitur Christus forma est Dei, forma autem substãtia est, idipsum enim forma, & imago, & λόγος, & semper, λόγος ad Deum, ὁμοούσιον λόγος Deo, ad quem, & in principio, & simul cum substantiâ, quod ὁμοούσιον, dicitur ex hoc manifestum. Dixit enim Apostolus,* semetipsum exinaniuit for[illegible] serui accipiés. *Numquid enim formam solum accepit hominis, non [illegible] substantiam hominis? induit enim carnem, [illegible], & passus est in carne, [illegible] salutare sit nobis.* Hæc Victorinu[illegible] Consentanea contra phantasma illud Marcion[illegible] Dauidis, & imagini Erasmi haud dissimile, sic tradit Tertull[illegible]nus lib. 5. contra Marc. cap. 5. *Numquid ergo & hic, quià in effigie eum Dei collocat, æquè non erit Deus Christus verè, si nec homo verè fuit, in e[illegible] hom[illegible] constitutus, vtrobique enim veritas nec[illegible] excludi, [illegible] effigies [illegible] similitudo, & figura [illegible] abitur.* Nec [illegible] expr[illegible] T[illegible] lactus. Q[illegible] *Dei [illegible] esse Dei substantiam [illegible] per serui formam, si ergo serui forma [illegible] serui substantia, Dei ergo substantia, Dei quoque forma est.* Theophylactus verò: *Forma Dei essentia dicitur quemadmodum forma serui, natura serui.* Ecce Erasmi fundamentum tamquam paries inclinatus, & maceries depulsa super ipsum recidit. Validius certè, & efficacius in illum à Card. Bellarmino tom. 1. controu. & Patribus Cornelio, & Salmerone intorquetur argumentum, quia si ex miraculorum patratione tantum meruit Christus dici esse *in forma Dei,* ergo similiter Apostoli, & Martyres, & nostrâ tempestate quilibet sanctus, cui datum sit à Deo edere signa, dicetur esse in forma Dei. Quo quid absurdius? quid ineptius? Quid inquam fuerit quod faciliùs prodat, è mangonio Erasmi depromptum esse?

Tertull. *Theod.* *Theophyl.* *Bellarm.* *Cornel.* *Salmer.*

ADNOTATIO II.

Cur Paulus ad asserendam æqualitatem, & consubstantialitatem Filij Dei cum Patre, formam Dei potiùs, quàm naturam Dei vsurpauerit.

1 Sed cùm Paulo æquè facile fuerit, pro, *in formâ Dei,* reponere, *in naturâ Dei*; atque hac locutione omnes iis Nouatoribus cæcutiendi ansas præcidere, cur maluit formæ Dei phrasi in has nos angustias redigere? Equidem quod suo instituto multo opportunior, atque augustior hæc fuerit. Nam in primis, vt apud Oecumenium respondet Photius, non fuit contentus, si solùm diceret, Christum Deum esse, quod disertis verbis affirmauit ad Rom. 9. 5. & 1. ad Timotheum 3. 16. & ad Coloss. 2. 9. sed voluit subinde gloriam, & majestatem Dei, quam forma significat, exprimere, vt eam infirmitati, & vilitati humanę, quæ formâ serui denotatur, opponeret. Quæ quidem ratio maximè placuit Iustiniano, atque Cornelio hic. *Ad Rom. 9. 5.* *1. ad Tim. 3. 16.* *Ad Coloss. 2. 9.* *Iustinian.* *Cornel.*

Deinde huic dubio respondet August. serm. de disceptatione contra Pascentium, ideo Apostolum dixisse, *in formâ Dei,* & non potiùs, cùm Deus esset, vt pleniùs, atque efficaciùs æqualitatem, & consubstantialitatem Filij cum Patre assereret, omnémque tergiuersationi hæreticorum aditum præcluderet. Nam *qui formam implet Dei* (inquit Augustinus) *nihil habet minus Deo. Totus ergo habitat Pater in Filio, cuius Patris formam idem Filius non ex parte, sed implet in pleno. Si enim diceret:* Qui cùm Deus esset, non rapinam arbitratus est, se esse æqualẽ Deo, *posset angustijs fidei suæ quilibet qualecumque, etsi debile, de quo sine morâ excuteretur, spatium inuenire. Nunc verò qui* cùm in formâ Dei esset, *dixit, omnem machinationis iniustæ aditum intercludit. Vbi est enim forma, nihil habet prorsus minus omnino natura.* Deus *enim (ait Apostolus)* erat in Christo, mundum reconciliens sibi. *Quomodo ergo susciperet minor maiorem nisi sese in vnâ naturâ cognosceret parem?* (Sic lego, non *cognosceret Patrem*; vt habent Codices quibus vtimur.) Hæc acutè August. ipsi, vt opinor, præeunte Hilario in Psal. 138. componente hæc Pauli verba cum illis V[illegible]is sub personâ Christi: *Tu formasti me, & posuisti super me manum tuam,* hunc in modum. *Vtrumque significat; vt quod formauit antiquum sit, quod [illegible] manum, nouissimum sit. Quod enim [illegible] naturam diuinitatis formatus sit, Apostolus doc[illegible]* Qui cùm in formâ Dei esset. *Quod enim in formâ est, formatur in formam: & quidem paternæ naturæ, & diuinitatis formam.* Quò etiam it Ambros. epist. 47. inquiens: *Quid est,* in Dei formâ, *nisi in plenitudine diuinitatis, in illa perfectionis diuinæ expressione?* 2. *Aug.* *Hilar.* *Ambros.*

Nec minus perspicuè, forsan verò magis ad rem respondet S. Thomas in commentario, ideo eâ formæ phrasi vsum fuisse Paulum, vt propria Vnigeniti Dei nomina, videlicet Filij, Verbi, & imaginis meliùs exprimeret. Audi eum. *Quare potiùs dicit,* in formâ, *quàm in naturâ? Quia hoc competit nominibus proprijs Filij tripliciter, dicitur enim & Filius, & Verbum, & imago: Filius enim est, quia generatur, & finis generationis est forma; & ideo vt ostendatur perfectus Dei Filius, dicit,* in formâ, *quasi habẽs perfectè formam Patris. Similiter verbum non est perfectum, nisi quando ducit in cognitionem naturæ rei, & sic Verbum Dei,* in formâ Dei *dicitur, quia habet totam naturam Patris. Similiter nec imago dicitur perfecta, nisi habeat formã, cuius est imago.* Hæc Angelicus Doctor omnia aptissimè. Hoc autem quod extremo loco de ratione imaginis dixit, aliis etiam Pauli locutionibus de Christi diuinitate est valde opportunum, vt ad Coloss. 1. 15. *Qui est imago Dei inuisibilis:* & ad Hebr. 1. 3. (quem locum etiam affert S. Thom.) *Qui cùm sit splẽdor gloriæ, & figura substãtiæ eius.* Quas à Salomone Sapient. 7. 26. videtur desumpsisse. Porrò Cypr. orat. de Natiuit. Christi, hæc omnia sic coniunxit: *Filius datus est nobis, qui cùm in formâ Dei esset, splendor gloriæ, & figura substantiæ eius, non est confusus se ad formam serui exinanire.* 3. *S. Thom.* *Ad Coloss. 1. 15.* *Ad Hebr. 1. 3.* *Sap. 7. 26.* *Cyprian.*

Sensus ergo Pauli in his verbis eò tendit, vt de Christo enucleatissimè affirmet, non solùm esse Dominum, ac Deum, sed etiam imaginem Patris, in 4.

qua

qua ipsius bonitas, potentia, atque majestas splendeat, vt vel hinc eximiam ipsius humilitatē magis commendet. Quæ mihi perstrinxisse videtur Ambrosius cùm dixit, *quid est*, in Dei formâ, *seu*, Dei formam, *nisi imaginem & expressionem Patris*? Similiter Dionysius Alexand. in epist. cont. Paulum Samosatenum: *Hoc est, quod ait Sanctus Apostolus esse in formâ Dei Iesum Christum, esse, sicut antè dixi in Deo Patre Filium Patris*: ac si dicat esse in Deo Patre imaginem Patris. Sed luculentiùs Hilarius lib. 8. de Trinitat. dùm hæc Pauli verba cum illis Assertoris nostri apud Ioann. 6. 27. *Operamini non cibum, qui perit, sed qui permanet in vitam æternam, quam Filius hominis dabit vobis, hunc enim Pater signauit Deus*, sic connectit. *Qui cùm in formâ Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo, &c. Quem enim signauerat Deus, aliud præterquàm Dei formâ esse non potuit; & ideo quod signatum in Dei formâ est, hoc necesse est totum in se coimaginatum habere, quod Dei est, & idcirco Apostolus eum quem signauit Deus, in Dei formâ manentem prædicauit*. Ita Hilar. Nec minus opportunè Ambrosianus in cap. 1. epist. ad Heb. hæc, quæ in manibus habemus verba, eadem cum illis eius epistolæ, cap. 1. 3. *Qui cùm sit splendor gloriæ, & figura substantiæ eius*, pro quibus ipse legit, *imago substantiæ eius*, sic facit. *Imago quippe altera est ab eo, cuius refert formam. Altera autem non in omnibus, sed secundum personam. Nam, & hic imago æqualitatis omnino prabet indicium, ad illud, cuius imago ostenditur, & suspicionem, vel paruæ dissimilitudinis procul dubio non recipit. Hic enim imaginem dixit, quod alio loco formam nominat, vbi ait*: Qui cùm in formâ Dei esset. *Forma, videlicet, vel imago vnam declarat essentiæ qualitatem.* Quem etiam ad modum Tertull. siue Nouatianus, lib. de Trinit. cap. 17. hunc locum sic expendit. *Quis ergo est iste, qui* in formâ Dei, *vt diximus, factus est? Angelus? Sed neque in Angelis formam Dei legimus, nisi quoniam hic præcipuus, atque generosus præ omnibus Dei Filius, Verbum Dei imitator omnium paternorum operum, dum & ipse operatur, sicut & Pater; eius forma; (vt expressissimus est Dei Patris) & meritò in formâ pronuntiatus est Dei, dum & ipse super omnia, & omnis creaturæ diuinam obtinēs potestatem, & Deus est exemplo Patris, hoc ipsum tamen à Patre proprio consecutus, vt omnium, & Deus esset, & Dominus esset, & Deus ad formam Dei Patris, ex ipso genitus atque prolatus.* Quibus in verbis pende optimè etiam explicari illud de majestate, & gloriâ diuinitatis, quod Photius formæ serui à Paulo opponi affirmabat. Quid enim magis exprimat majestatem, & gloriam Vnigeniti Dei, quàm Patris forma, & imago? Quid magis extollat humilitatem Christi, quàm eum esse, qui cùm sit Patris speculum sine maculâ, & imago bonitatis illius, imitator omnium paternorum operum; quique sicut & Pater operetur, formam tamen serui accipere, & mortem crucis subire, non recusauerit?

5. Ex hac autem huius phrasis, *in formâ Dei*, expositione, quàm efficax argumentum ad stabiliendam consubstantialitatem Filij Dei conficiatur, quisquis non tam cæcus quàm Erasmus sit, viderit. Certè Mar. Victor. ea ad hanc rem sic vtitur: *Si igitur Christus forma est Dei, forma autem substantia est, id ipsum enim forma, & imago, est autem forma, & imago, λόγος, & semper, λόγος ad Deum, ὁμοούσιος, Omousion, id est, consubstantialis*: vbi vides formam idem esse, ac imaginem, ex ratione autem imaginis efficacissimè confirmari consubstantialitatem Verbi, quod deinde sic persequitur paulò inferius: *Si imago Dei Iesus ὁμοούσιος est, imago enim substantia cum substātia cuius, & in qua est imago: & quod imago substantia, à substātia eius in quâ est, vel subsistit genita in declaratione intus potētiæ. Hinc Pater qui intus, hinc Filius qui foris, &c.* Hæc ibi & plura, tandem columna 11. & 12. illius libri: *Dicit Moyses dictum Dei*, faciamus hominem secundùm imaginem nostram, & secundùm similitudinem. *Deus dicit ista*, faciamus, *cooperatori dixit necessariò Christo, & secundùm imaginem dicit, ergo homo non imago Dei, sed secundùm imaginem: solus enim Iesus imago Dei; homo autem secūdùm imaginem, hoc est, imago imaginis: sed dicit*, secundùm imaginem nostram; *ergo, & Pater, & Filius imago vna, si imago Patris Filius est, & ipsa imago Pater imaginum. ergo ὁμοούσιοι, ipsa ergo imago substantia est.* Hactenus Marc. Victorinus. Similiter Hilar. loco citato, vbi hæc Apostoli verba cum illis Ioannis, *Operamini non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam æternam, hunc enim Pater signauit Deus*, sic rursus cōfert. *Signaculorum ea natura est, vt omnem impressæ in se speciei explicēt formam, & nihil minus ex eo in se habeant, vnde signentur, & dum totum accipiunt, quod imprimitur, totum ex se præferunt quidquid impressum est. Verùm hæc ad diuinæ natiuitatis non proficit exemplum, quia in signaculis, & materijs sit, & diuersitas, & impressio, per quam melioribus naturis validiorum species imprimuntur. Vnigenitus verò Deus, & per sacramentum salutis nostræ hominis Filius, volens proprietatis nobis paternæ in se significare speciem, signatum se à Deo ait, & hoc ideo, quia vitæ æternæ escam Filius hominis esset daturus, vt per hoc potestas in eo dandæ æternitatem escæ intelligi possit. Quia omnem in se paternæ formæ plenitudinem signantis se Dei contineret, vt quod signasset Deus, non aliud ex se quàm formam Dei signantis afferret.* Hactenus Hilar. Planè Basil. lib. 1. contra Eunomium, & Athanasius oratione 4. contra Arianos, ex his formæ, imaginis, characteris, & splendoris nominibus consubstantialitatem contra Arianos defendunt, præsertim Basilius Eunomium grauiter accusans, quod ad eludendam huius argumentationis vim, atque has voces, quibus consubstantialitas Filij declaratur obliterandas, nouas ille alias ingeniti, & geniti, quibus Patrē, & Filium cōpellātet, inuexerit. *Quare* (inquit Basil.) *hāc vnâ blasphemiâ omnes despexit voces, quæ à Spiritu sancto nobis ad glorificationem Vnigeniti traditæ sunt, cùm & Euangelium doceat, quod hunc Pater signauit Deus, & Apostolus, qui est imago inuisibilis; imago non inanimata, nec manu fabricata, nec artis, & cogitationis opus, sed imago viuens, imò verò ipsa vita, non in figura similitudine, sed in ipsa substantiâ identitatem retinens.* vnde subiicit: *Ego verò id quod dicitur*, in formâ Dei *esse æquum ei, quod est in substantiâ Dei esse, assero.* Vide etiam Athanas. orat. 4. cōtra Arianos.

6. Hæc certè viam præmuniunt, vt in nonnullas antiquorum Patrum huius loci versiones, siue lectiones, quæ hactenus quasi derelictæ, vel potiùs proscriptæ, & publicatæ habebantur, clementia, & moderatione vtamur. Syriaca namque in primis translatio, & Primasius, sicut & Ambrosiani codices legunt: *Qui cùm in imagine Dei esset*: deinde Tertullianus, vt superiùs vidimus: *Qui cùm in effigie Dei esset*: Cyprianus verò lib. 2. testimoniorum ad Quirinum, testimonio 13. & lib. 3. testimonio 39. magistrum imitatus: *Qui cùm in figura Dei constitutus.* Quibus quidem lectionibus, quamuis Cornelia lex proscriptum iuuare vetet, piè succurritur, dum ad præfatū sensum reuocātur, vt perinde sit, ac si dicatur, Christum esse imaginem, figuram, siue effigiem substantialem Dei. Nec piè solùm, sed etiam iustâ exigente ratione, hanc eis opem præstamus. Nam cùm hi Patres ancipiti harum vocum ad figuram accidentalem, & substantialem significatione non abutantur, sicut improbè, & stultè Pseudo-Dauid & Erasmus

Marginalia: Dion. Alex. — Hilar. — Ambrosian. Ad Heb. 1. 3. — Tertull. — Mar. Vict. — Hilar. — Basil. — Lect. Syr. Primasius, Ambros. Tertull. — Cyprian.

Erasmus sunt abusi; imò verò ex eorum mente ad diuinitatem Christi manifestè referantur, vt tam ex Tertulliano, & Cypriano illis in locis diuinitatem Christi adstruentibus, quàm ex Primasio, qui, *in imagine Dei*, explicat, *siue in quo erat Deus, id est, plenitudo diuinitatis*, satis constat; opportunè hæ lectiones, *in imagine, in figurâ*, & *in effigie Dei*, ad hanc, *in formâ Dei*, reuocari possunt: eâ quidē lege, vt habeant sensum communem cum iis verbis Pauli; *qui est imago Dei, inuisibilis*, ad Coloss. 1. 15. &, *qui cùm sit splendor gloriæ, & figura substantiæ eius*, ad Hebr. 1. 3. in quibus Verbi imago, & consubstantialitas, vt nuper ex Patribus vidimus, exprimitur. Fateor insolēs aliquanto esse, vt, *in imagine*, & *in figurâ*, sumatur pro, *imaginem*, & *figuram esse*; sed non video quid minus habeat, *in formâ esse*, pro *formam Dei esse*, vt citati Patres probant, & amplectuntur. Id tamen potiùs affirmauimus, vt lectiones illas velut dispersum gregem ad communem Patrum sensum cogeremus, quàm vt nouitati alicui ansam in posterum præbeamus.

Ad Coloss. 1. 15.
Ad Heb. 1. 3.

7. Obiter tamen contra Francisci Dauidis, & Erasmi impiam peritiam, de hac voce, *figura*, moneo, non minus ancipitem esse in Scripturâ ad significandum, tum figuram, quæ forma substantialis sit, sicut figura Dei, tum etiam repræsentationem, & effigiem externam. Quandoquidem Vulgatus interpres ea est vsus ad significandam figuram, & speciem externam, siue gestum huius mūdi, de quo 1. ad Cor. 7. 31. dixit Paulus transire non secus, ac mimicus gestus: *præterit*, inquit, *figura huius mundi*: & tamen Vulgatus illâ omnium approbatione, & plausu ad exprimendam substantialem imaginem Vnigeniti Filij Dei vsus est; vt patet ex prædictis verbis: *Qui cùm sit splendor gloriæ, & figura substantiæ eius*. Cur ergo hìc ad formam Dei, maximè cùm Græca vox μορφὴ, vt monuimus, pro formâ semper inhærente, & intrinsecâ sumatur, impegerunt, qui ad figuram non impingunt? Fustis certè impingendus iis erat.

1. ad Cor. 7. 31.

Ad ea verba: *Non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo.*

INcidimus in locū obscurum, & salebrosum, sed egregium, & sapientiæ Pauli plenissimum; de cuius quidem explicatione, vt variis Patrū, & doctorum hominum sententiis hactenus certatum, nihil tamen certi fuerit constitutum. Quam difficultatem hæretici suam occasionem putantes, & veritati tenebras offundere, & suos interserere errores summo studio contenderunt, nihil non molientes, vt his verbis Arianismum obtruderent.

1. Sumitur, nimirum, difficultas tum ex verbis ipsis, seu phrasi, quæ apud Paulum insolens est, cùm ipsâ hoc tantùm loco fuerit vsus; tum etiam ex cōtextu ipso, cui vix vlla expositio congruere videtur. Quid enim est, *cùm in formâ Dei esset*, id est, cùm Dei imago, & verus Deus esset, non rapuit, vt esset Deus, siue æqualis Deo? Quæ enim hæc locutio fuerit; cùm Petrus naturâ esset homo, vel Rex, non rapuit vt esset Rex, vel homo? Quid quod, esto hæc facilem sensum haberent, sequens aduersatiua, *sed*, quam sequenti orationi præposuit Paulus, inquiens, *sed semetipsum exinaniuit*, vehementer reclamat, & omnibus penè interpretamentis videtur aduersari? Nam vt eius significatio, & vis subsistat, ea huic orationi debet esse sententia, quæ rem superiori aduersam contineat; id verò quî his propositionibus possit accommodari?

2. Priùs verò, quàm egregias Patrum, & interpre-

rum expositiones proponamus, hæreticorum zizania ex patrisfamilias messe eradicemus. Arripuerunt ergo Ariani ex hac rapinâ ansam ad labefactandam Vnigeniti Dei cum Patre æqualitatem, & consubstantialitatem, quasi sacrilega in Filium impietas pia in Patrem religio foret: sic ergo contorquebant hæc verba apud Theophylactum. *Paruus existens Dei Filius, non rapuit sibi, vt esset æqualis, & pro magno Deo*: verùm enimverò, vt alia deessent argumenta ex Scripturâ, & Conciliis petita, illud efficacissimum aduersus hos interfectores veritatis, (sic hæreticos appellat Tertullianus) ex ipsomet Pauli contextu conficit Theophylactus. *Quia S. Paulus humilitatem docturus sinistrè quidem, & absurdè argumentatus esset, si hanc rationē confecisset, quia paruus magno Deo non restuit, debetis & vos alter alteri summitti, humiliarique. Nam qualis isthæc est humiliatio? Quod minor aduersus maiorem non insurgat, impotentiæ potiùs, & imbecillitatis est indicium: At enim parem, & eiusdem cum Deo potentiæ, sponte hominem factum esse, isthuc sanè est humiliatio.* hæc Theophylact. Vide hac de re Chrysost. hic, & August. libro aduers. Maximinum Arianum tom. 6. & Card. Bellarm. tom. 1. lib. 1. de Christo, cap. 6. efficacissimis rationibus eum errorem ab his verbis depellentes. Iam ad Patrum explicationes, & quidem cùm celebratissimus hic Pauli locus sit, in eius elucidatione velut in magno mari ventis omnibus vehi operæpretium fuerit, easque omnes interpretationes, quæ & hucusque fuere adhibitæ, & quæ Græcâ, atque Latinâ phrasi spectatâ non incongruè afferri possunt, lectori singillatim proponere.

Tertull.
Theophyl.
Chrysost.
August.
Bellarm.

Augustini, Ambrosij, & Latinorum Patrum explicatio.

3. AVgustinus, qui initæ cum hæreticis disputationis causa, sæpius horum verborum explicationem suscepit, iis eum sensum subesse existimat, vt affirmet Paulus, non putasse Christum Dominum eam æqualitatem, quam cum Patre habebat, rei alienæ vsurpationem, sed proprium, ac debitum sibi honorem, & dignitatem esse: illam verò aduersatiuam, *sed*, quam sequenti versui præponit Paulus inquiens: *sed semetipsum exinaniuit*, ita explicat, vt idem sit ac, *sed tamen*: ac si Paulus dicat, cùm Christus Deus esset, siue in naturâ diuinâ subsisteret, non est arbitratus eam à se raptam, vt alienam, quod certò sciret suam esse, sed tamen voluit se ipsum exinanire; sic enim August. epist. 120. tom. 2. *Neque enim vsurpationis erat, vt rapina diceretur, sed natura inerat, vt esset æqualis, semetipsum tamen exinaniuit, non formam Dei amittens, sed formam serui suscipiens.* & lib. 2. contra Maximin. cap. 5. tom. 6. Arianismum, quem his verbis obtrudebat hæreticus, sic retundens, *intellige* (inquit) *Apostolum ideo dixisse*: non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo, *quia non alienum arbitratus est esse, quod natus est, sed tamen, quamuis æqualitatem Dei non fuerit arbitratus alienam, sed suam, semetipsum exinaniuit.* Hæc ibi August. & multo plura, in quibus Pauli contextum acutè ordinat, & cum his verbis connectit. Ad quem etiam modum Ambrosius lib. 2. de Fide ad Gratianum, cap. 4. *Non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo, quod enim quis non habet, rapere conatur, ergo non quasi rapinam habebat æqualitatem cum Patre, quam in naturâ sui tāquam Deus, & Dominus possidebat.* Iam verò Ambrosio, & Augustino antiquior Marius Victorinus Afer, qui Hieronymo auctore sub Constantio floruit, primus, vt opinor, hunc sensum his verbis reddidit: quamuis, vt ve-

August.
Idem.
Ambros.
Mar. Vict.

Ff rum

rum fatear, Marij locus temporis vetustate mendosus, siue mutilus ad nos peruenerit, & docti alicuius crisim, atque correctionē desideret. Sic enim lib. 1. aduersus Arium: *Quomodo autem dicit, non quod Iesus arbitratus est semetipsum æqualem esse Deo, sed quod* non rapinam arbitratus est, esse æqualem? *Ea enim quæ naturâ sunt æqualia, non per diuinitatem propriam, sed iuxta fortunam facta sunt æqualia, quasi rapina æqualia facta sunt.* Quæ verba dum à periciori aptiùs non corriguntur, sic legenda, vt sibi constet, existimo. *Quæ natura non sunt æqualia, nec per diuinitatem propria, sed quæ iuxta fortunam facta sunt æqualia, quasi rapina æqualia sunt.* Pergit Marius. *Magna igitur confidentia, & verè naturalis diuinitas, ad id quod est æqualem esse, non arbitrari rapinam Deo æqualem esse.* Hæc Marius Victorinus. Placuit etiam hæc expositio aliis Latinis Patribus, Anselmo, Primasio, S. Thomæ, & Glossæ; & in eam maior quidem, & melior expositorum pars concurrit, Salmeron, Iustinian. Cornelius, & omnes ferè, qui hoc sæculo commentarios in Paulum edidere.

Anselm. Primasius. D. Thom. Gloss Ord. Salmeron. Iustinian. Cornel.

4. Bona quidem, & probabilis interpretatio, sed in eâ iure illud in primis desideres, quod orationis structura non bene sibi constet: etenim cùm priùs illo modo, seu tempore; *cùm in formâ Dei esset*, dictum fuerit; deinceps, vt præfatus sensus aptè subsisteret, dicendum erat, *nec rapinam arbitraretur, esse se æqualem Deo*: cur enim tempus, & modum ad eam seriem locutionis, præsertim sententia in subsequentia propèdente, variaret Apostolus? Ergo cùm stylum vertit, & qui priùs inquiens, *cùm in formâ Dei esset*, subdidit, *non rapinam arbitratus est*, quasi rē de facto exercitā, quæ à priori illâ distincta esse videtur, signum est, aliquid aliud Paulum explicare voluisse. Adhæc, vt non nemo obiecit, quid magnū hac locutione Christo attribuatur, si cùm esset naturâ Deus, intellexit, id non esse rapinam? Respondet Pater Salmeron, & Iustinianus, voluisse Paulum his verbis, tum Arianismo, tum etiam aliis absurdis figmentis, quæ excogitari poterant; nempe Christum ambitiosè vsurpasse Deitatem, vt vetusti illi, siue potiùs recentes mendacio confícti, & fabulis celebres dij ansam præcidere. Addunt etiā, quod à Glossa mutuati sunt, tam ad Angeli, quàm ad primi hominis elationem, qui Dei æqualitatem rapere conati sunt; dum ille dixit, *super astra Dei conscendam, similis ero Altissimo*: hic verò suggerenti sibi diabolo, *eritis sicut dij*, aures præbuit, & contra Domini præceptum de ligno vetito edere non dubitauit, allusum fuisse. At enimverò, si dixero, quod sentio, vereor ne hæc multo minus grauia, & solida, quàm quæ Christi cogitationibus, & Pauli scriptis aptanda sunt, alicui videantur. Quis enim vel leuiter rei Christianæ mysteriis initiatus, imò qui ex Ethnicis tantisper sensatus esset, veram diuinitatem rem esse, quæ ex rapto haberi posset, crederet? Scilicet erat id Philippensibus, à Paulo iam dudum excultis, & qui mirificè in Christi cognitione profecerant, persuadendum. Nec est multo probabilius, quod de ansis Arianismi præcidendis additur. Quis enim credi possit, Paulum eam hæresim apertissimis testimoniis, quibus Christum manifestè Deum appellat, conuellere solitum, obscurâ hâc & perdifficili locutione velut à radice præcidere voluisse? Adhæc, si ad acuta veniamus, ex ipso euentu conuincitur, alienum à Pauli mente fuisse, hâc locutione futuro Arianismo medicinam adhibere. Adeò enim his verbis Arianorum animi non sunt sedati, vt potiùs in rabiem acti, hinc inde, vt superiùs vidimus, suum errorem confirmare niterentur; quasi Christus non fuerit ausus æqualem se Patri arbitrari. Equidem, si Arianorum morbo hoc antidoto voluisset Paulus occurrere, non frustra id ei aliquis inclamaret, quod è veteri parœmia nostris Medicis insusurramus; *Medice, Pharmacum tuum morbum auget.*

Salmeron. Iustinian.

Gloss.

Isai. 14. 14.

Genes. 3. 5.

Dionysij Alexandrini interpretatio.

NOn longè à præfatâ Latinorum Patrum expositione iuit Dionysius Alex. in epist. aduers. Paul. Samosatens. ab Hieronymo illustri laude celebratâ, dum hanc rapinæ phrasim ex illis Domini verbis apud Matth. 11. 12. *Regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud*, sic acutè explicat, vt Christus, quod in formâ Dei esset, non putauerit, cœlorum regnum non aliâ à se ratione, quàm per certamina, & labores, more iustorum hominum, qui hâc vnâ viâ ad illud perueniunt, capi posse, cùm ipse vt verus gloriæ Dominus, nullâ defatigatione, ac labore pro libito potuerit occupare: sed enim, quæ incredibilis ipsius modestia fuit, vltrò voluisse semetipsum exinanire. Sed ipsummet Dionysium audi. *Au Apostolus*, cùm in formâ Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo: *hoc dicit. Quia non sicut, qui per stadium virtutis, & labores, & fatigationes, ac certamina rapiunt regnum Dei (scriptum est enim*, regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud:) *sic Christus Iesus consummatis laboribus virtutis, comparauit esse se æqualem Deo, quin potiùs*, operuit cœlos virtus eius, & laudis eius plena est terra, splendor eius, vt lux erit; *testaturque ipse, qui verè est semper in Patre, cùm ait*: ego lux mundi, *qui est Dominus mundi, qui habet in seipso Patrem, & viuificum, ac Dominum spiritum. Verum seipsum exinanuit*, &c.

5. *Dion. Alex.*

Mat. 11. 12.

Habac. 3. 4.

Ioan. 8. 12.

Expositio Chrysostomi, & Græcorum.

GRæci verò Patres Theophylactus, Oecumenius, Photius, Scholia Græca, nec non Catena Græca, omnibus præeunte Chrysostomo, diuerso modo in huius loci explanatione se gesserunt; dum enim particulam, *sed*, Græcè, ἀλλὰ, sic explicant, vt non aduersandi, sed corrigendi vim habeat, vocem (*rapina*) sic emphaticè à Paulo positam esse volunt, vt sit sensus, Christum cùm esset in formâ Dei, adeò non putasse rapinam, æquari se Deo, vt suam potiùs diuinitatem dissimulare, atque æqualitatis cum Patre insignia tantisper deponere non timuerit, quod cùm eam naturalem sibi esse certò sciret, non erat, cur vereretur aliquo modo à se amitti posse. Apponunt explicationis gratiâ Regis & tyranni imaginem: qui enim verum se, & legitimū Regem esse nouit, hic purpurā, & diadema facilè deponit, plebeiamq; vestē assumere nō renuit, quippe qui minimè metuit ob vestis mutationem à regni iure cadendum sibi esse. At tyrannus, cui regia potestas è rapto habita, nec naturalis est; eâque de causâ *sonitus terroris in auribus eius semper* tinnit, Iob 15. 21. vel ad modicum tempus sine purpura, & sceptro ante suos subditos comparere non audet, ne plebiâ aliquando indutus veste pro priuato habeatur, regnūmque sibi paulatim pereat. Sic Chrysost. *Quod quisque rapuit, & præter æquum accepit, id deponere nequaquam audet, veritus ne amittatur, atque ex manibus elabatur, sed perpetuò apud se retinet: at qui naturalē quampiā dignitatē habet, is minimè metuit ab illâ etiam dignitate descendere. Certò enim scit, nullū illius sibi amittēdæ periculū imminere*, &c. *Quid igitur Paulus ait, Dei Filiū verū non esse,* de

6. *Chrysost. Theophyl. Oecumen. Photius.*

Iob. 15. 21.

Chrysost.

de gradu dignitatis suæ descendere, quoniam non est arbitratus rapinam ipsam Deitatem? Quoniam non timuit ne quis ipsi naturalem suam Deitatem eriperet. Quamobrem illam etiam deposuit, non dubitans se recepturum, atque abscondit, non ideo se minorem fieri arbitratus, &c. Hæc Chrysost. Apud quem nonnulli ægrè ferunt, insinuasse depositam à Christo suam diuinitatem, quod hæc deponi nullo modo queat. Verùm cùm de mente Chrysostomi satis constet, non est cur adeò hætere verbis quis velit, vt inde sibi, nobísque scrupulum iniiciat. Equidem Chrysost. (vt qui habuerit oculos, animaduertet) de diuinitate ipsa prout Christo cum Patre communis est, minimè loquitur, sed de externâ solùm diuinitatis specie, seu dignitate, quam ipse, dum se exinaniuit formam serui accipiens, deposuit. Consentanea habent Theophylactus & Oecumenius.
Photius. Photius verò: *Maximè ostenditur, quod Deus sit, ex hoc quod sese demiserit, ac humanitatem gestauerit; nouerat enim quod ex hac humiliatione nihil detrimenti susciperet ex diuinâ naturâ sibi conueniens diuinitatis sublimitas; si verò hanc fictitiam habuisset, timuisset vtique se ipsum humiliare, ne à dignitate vix dum sibi adquisitâ excideret.* Hæc Photius. Eadem enucleatiùs habentur in Catenâ Græcâ in Paulum, quæ in Bibliothecâ Ambrosianâ Mediolanensi asseruatur; cuius quidem cùm potiri percuperem, Illustriss. Fredericus Borromæus, qui non modò pari purpurâ, & Mediolanensi cathedrâ, sed cœlestibus etiam virtutibus patruelis sui, Magni, inquam, illius Caroli

Homer. Odyss. —*Diui vestigia pressit:*

plura, quibus tam hic, quàm alij Pauli loci mirificè illustrantur, inde ad me, nec de facie quidem notum, quæ mira tanti Principis humanitas, & in sapientiæ studiosos singularis beneficentia est, transferri iussit. Sunt ista. *Cùm quis aliquid rapuit, nec deponere illud vult, timens ne amittat: cùm verò illud habet naturale, & proprium, facilè id deponit, scit namque futurum, vt quoties voluerit, resumat. Quid igitur dicit? Filius Dei non timuit deiicere se è dignitate, quam obtinebat. Non enim rapinam arbitratus est diuinitatem suam: hoc est, sciebat namque se non per rapinam habere, vt esset æqualis Patri, sed secundùm naturalem diuinitatem. Propterea se ipsum exinaniuit vsque ad serui formam in similitudinem hominum factus.* Hæc ibi.

Explicatio Theodoreti.

Tantisper à præfatâ Græcorum Patrum expositione, magis tamen ad rem, & sibi ipsi cohærentiùs recessisse videtur Theodoretus; licèt enim
Theod. Chrysost. vestigiis, atque exemplis insistat, aliud tamen aliquid, vt enucleatiùs totam sententiam exprimat, in hac phrasi rapinæ speculatur, nimirum in eo, qui adscititiam dignitatem contra fas iúsque vsurpatam obtinet, inflatum, atque superbum animum, quique vt laudis humanæ auidus, ita etiam percupidus fuerit ostentandi, & iactandi bona, quæ habet, considerat; addens longè aliud esse in iis, quibus ingenita nobilitas, & pro meritis adeptus honos subest. Quod hi vt magnanimi, & generoso animo præditi, ita fastum dignitatis, & populares laudes temperantes, imò nihili facientes, honores, nobilitatem, ingenium, reliquásque corporis & animi dotes apud alios non modò non iactent, vt hæc potiùs abscondere consuescant. Ad rem ergo sic capit id, *non rapinam arbitratus est,* Theodoretus, ac si dicat de Christo Paulus, non se gessisse tamquam si per rapinam comparasset eam æqualitatem cum Deo Patre, siquidem non ob id arrogans, & superbus fuit, nec vanæ ostentationis suæ diuinitatis percupidus, vt mos est iis, qui sine meritis ex humili conditione ad magnam aliquam dignitatẽ, & vt est in Prouerbio, *à remo ad tribunal,* euehuntur, qui passim apud alios se iactare, suam dignitatem prædicare solent; sed potiùs semetipsum exinaniuit mirum in modum se submittens, perinde ac si non simul Dei Filius, sed quiuis potiùs è plebe esset. Sic enim Theodoret. *Cùm esset Deus, & naturâ Deus, & Patri æqualis, non hoc magnum existimauit, hoc enim est proprium eorum, qui præter dignitatem honores aliquem sunt consecuti, sed celatâ dignitate summam accepit humilitatẽ, & humanam formam suscepit.* ita ibi. & inferiùs ad illa verba: *& omnis lingua confiteatur,* simili ratiocinatione: *Non enim rapinã arbitratus est, esse se æqualem Deo. Est enim proprium eorum, qui aliena rapiunt, se propter ea quæ habent iactare, & de se magnificè sentire. Deus autem Verbum, cùm esset naturâ Deus, in Dei enim formâ erat, non rapinam arbitratus est, quod esset Deo æqualis.* Hæc Theodoretus. Quæ ex iis quæ cap. 1. vers. 1. adnotatione 1. diximus, non leuiter confirmantur. Vide illa.

Interpretatio ex Athanasio.

ADNOTATIO I.

Minimè de honoribus, & dignitatibus contendendum: imò hæc per humilitatem declinanda esse.

TRACTAVIT hunc locum non semel Athanasius; & eo quidem modo, vt bifariam ex eius 1. Athanas.
sententia possit exponi: alterâ verò explicatione in adnotationem tertiam, vbi quam putamus germaniorem interpretationem afferemus, transmissâ, alteram modò ex peculiari Athanasij lectione huius loci eliciemus: sermone enim aduers. omn. hæreses, pro, *non rapinam arbitratus est*; ipse sic legit, *non rapinam arbitratus est, vt esset æqualis Deo.* Quod quidem ad duo potissimum refero; ad id in primis, quòd Christus cùm regni sui non esset ignarus, minimè tamen de honoribus, aut potestate regiâ, quâ homines in terris vices Dei gerunt, & in Scripturâ dij appellantur, quâ Conditor, & Rex sæculorum erat, optimo iure debitâ, voluerit cõtendere: imò verò cùm sciuit se à turbis in Regem assumendum, anticipatâ id fugâ deuitauit. Quod si inquiras, cur hanc animi demissionem, egregiámque modestiam eâ locutione non rapiendi Paulus explicarit. Respondebo ex Tertull. lib. de Idololatriâ, cap. 18. quod hæc mundi pompa, regiúsque fastus, à Christi humilitate, & modestiâ esset aliena; quod autẽ alicui est alienum, nõ aliter quàm ex rapto assumitur. Audi Tertull. qui cùm dixisset: *Ille Dominus in humilitate, & ignobilitate incessit domicilio incertus; nam Filius,* inquit, hominis non habet vbi caput suum collocet: *vestitu incultus, neque enim dixisset;* Ecce qui teneris vestiuntur, in domibus Regum sunt; *vultu denique, & aspectu inglorius, sicut Isaias pronuntiauerat. Si potestatem quoque nullam, ne in suos quidẽ exercuit, quibus sordido ministerio functus est, si Regẽ deniq; fieri, conscius sui Regni refugit, qui plenissimè dedit formã suis dirigendo omni fastigio, & suggestu, tam dignitatis, quàm potestatis*; opportunè subiicit. *Quis enim his magis vsus fuisset, quàm Dei Filius? quales, & quanti eũ fasces producerẽt? qualis purpura de humeris eius floreret? quale aurum de capite radiaret? nisi gloriam sæculi alienã, & sibi & suis iudicaret.* Et verò contextui Pauli hæc opti- Tertull.

optimè quadrant: dixerat enim nihil per contentionem, nec per inanem gloriam esse faciendum, nec à singulis quæ sua sunt consideranda, siue quærenda esse: hæc quâ efficaciori ratione, siue exemplo, quàm Christi Domini, quæ sua optimo iure erant non quærentis, siue considerantis, omnémq; sæculi gloriam, de qua plerumque apud sæculares contentio est, omnimodo declinantis, firmare posset?

2. Sed alter Pauli verbis, & Athanasij lectioni accommodatior sensus, is est, Christum, quamuis in formâ Dei, ac proinde æqualis Patri esset, noluisse, dum in terris ageret, siue verbis, siue factis, Dei æqualitatem apud homines præripere, Patri æqualem se esse in cócionibus iactantem, sed potiùs omnem ipsi honorem, & reuerentiam deferentem, minorem illo se apertè prædicare: vt apud

Ioan. 14. 28. Ioann. 14. 28. *Gauderetis vtique, quia vado ad Patrem, quia Pater maior me est*; imò verò, nec Deum se esse apertè pronunciabat, contentus Filij hominis cognomento, ne videlicet apud homines tunc rudes, & imperitos, & qui grauia mysteriorum onera portare non poterant, scandalo fuisset, & Patrem Deum dicere, & se etiam Deum appellare, quippe qui eandem Filij cum Patre naturam, atque substantiam esse non nouerant, plures Deos facilè existimarent. Id quod elegantissimè adnota-

Lactant. uit Lactant. Firmianus lib. 4. diuin. instit. cap. 14. fin. dum de Christo Patri honorem, & fidem exhibente, sic ait. *Ille verò exhibuit Deo fidem; docuit enim, quod vnus Deus sit: eumque solum coli oportere nec vnquam se Deum esse dixit, quia non seruasset fidem, si missus, vt Deos tolleret, & vnum assereret, induceret alium præter vnum. Hoc erat non de vno Deo facere præconium, nec eius, qui miserat, sed suum proprium negotium gerere, ac se ab eo, quem illustraturus vene-*

Hilar. *rat, separare.* Ad quem modum Hilarius in Psalm. 139. illud Vatis: *Quia tu possedisti renes meos, suscepisti me de vtero matris meæ*, de Christo sic capit: *Et quia ab vtero matris suscipitur, non ad opera sæculi à Deo susceptus excidit. Omnis igitur eius voluntas, ac labor est, Patrem prædicare, voluntatem Patris explere, acceptum à Patre calicem bibere. Hæc enim hominis sui quem assumpsit, officia sunt.* Nec minus appositè, quàm præcedens sensus, Pauli verbis, & contextui hic congruit, quinimò hoc ampliùs censeo, tum illi æqualitatis diuinæ dissimulationi aptiùs conuenire, dum Christus Patri æqualis sua non conside-rauit, nec voluit suum proprium negotium gerere

Lactant. (vt dicebat Lactant.) tum etiam subsequentibus verbis, atque aduersatiuæ illi, *sed*, cohærentiùs adnecti, præsertim iuxta expositionem, quam Christi exinanitioni sumus reddituri. Ergo inquit Paulus ad eos, qui sua contemplantur, vt cum aliis compositi æquales, siue potiùs superiores illis euadant: *Hoc sentite in vobis, quod & in Christo Iesu, qui cùm* vnâ ex parte, *in formâ Dei esset*, hoc est, Patri per omnia æqualis subsisteret; ex aliâ, & Dei honori, & hominum saluti expedientius esse animaduerteret, eam æqualitatem non dissimulare, noluit tamen homo factus de hac æqualitate cum Patre contendere, nec eam sibi apud homines sumere. Vt enim aliquando pro rei exigentiâ dixerit: *ego & Pa-*

Ioan. 10. 30. *ter vnum sumus*, Ioan. 10. 30. at sæpe sæpius, & sese

Matt. 8. 20. & cap. 9. 6. Filium hominis nuncupare, Matt. 8. 20. & cap. 9. 6.

Ioan. 18. 36. & alibi passim: & regnum ipsius de hoc mundo non esse, affirmare solebat, Ioan. 18. 36.

3. Applaudunt quidem vtrique interpretandi rationi, quæ Ambrosius libro 5. de Fide, cap. 3. in illis Christi verbis ad Iacobum, & Ioannem proximos ipsi assidere ambientes: *Non est meum dare vo-bis, sed quibus paratum est à Patre meo*, Matthæi 20. 23. & Petrus Chrysologus serm. 162. ad illud eiusdem Domini ad litigiosum fratrem, qui hæreditatem diuidere volebat: *Quis me constituit iudicem, aut diuisorem super vos?* Lucæ 12. 14. obseruarunt. Etenim dum Ariani præfata Christi verba ad Iacobum, & Ioannem, aduersus ipsum Dominum impiè detorquebant, vt eius potestatem minorem quàm Patris esse, adstruerent, sic illis occurrit Ambrosius, vt illud pronomen (*meum*) non potestatem, sed officium significet; quasi sensus sit, Christum, licèt æqualis cum Patre potestatis foret, atque ideò sedes quibus vellet, posset concedere, at officij sui tunc temporis non fuisse coronas dare, & Iudicis partes agere, sed demissione animi, atque modestia humilitatem docere. Sic enim Ambros. *Non est meum dare vobis. Quid est? Non est meum, qui veni humilitatem docere: non est meum, qui veni non ministrari, sed ministrare.* Ad quem modum Chrysolog. cùm illis Domini verbis ita dubitasset: *Et vbi est illud, quod tu dixisti Domine, Pater neminem iudicat, sed omne iudicium dedit Filio? Aut diuisorem super vos? Et quis diuidet iustos ab iniustis, sicut pastor segregat oues ab hædis? Si tibi iudicium debetur hominis, & per te est totius sæculi celebranda diuisio, quomodo dicis: Quis me constituit iudicem, aut diuisorem super vos?* sic statim respondet. *Est quidem penes Christum, & fuit, atque erit omne iudicium, sed tunc non iudicaturus venerat, sed iudicandus; nec addicturus reos, sed a reis innocens addicendus. In homine agebat Deum: in seruo Dominum, vt esset vernula temporis, qui erat & factor, & cognitor sæculorum. Meritò ergo respondit*: Quis me constituit iudicem, aut diuisorem super vos? Sic ille.

Sed ille valde opportunus locus est Ioan. 6. 15. vbi turbis Christum Regem constituere volentibus, ipse modestiæ causâ, vt Chrysost. Theophylact. Euthym. & alij Patres monent, non modò aufugit; sed, vt bene ibi coniectat Maldonatus, miraculosè disparuit sese inuisibilem reddens; sic enim Ioannes: *Iesus ergo cùm cognouisset, quia venturi essent, vt raperent eum, & facerent eum Regem, fugit iterum in montem ipse solus.* Quî enim solus fugere posset, quin discipuli, quò fugeret videntes non sequerentur, nisi sese ex eorum oculis subduxisset? quod Syriacus videtur innuisse, pro *fugit* reponens, *subduxit sese.* Adeò quidem ex animo temporale regnum detrectabat, vt diuinâ ad id potentiâ, atque miraculis vteretur: non sic alij, non sic, sed ad obtinendas munerum dignitates quantum adniti possunt, contendunt; nec sine miraculis (sed diaboli) aliquando. Sed ad rem: notetur is dicendi modus, *vt raperent eum.* Quare raperent? Audi Augustinum tract. 25. in Ioannem, & Bedam ad id loci; *Discipuli, & turba credentes in eum, putauerant eum sic venisse, vt etiam regnaret. Hoc est, velle rapere, & Regem facere, præuenire velle tempus eius, quod ipse apud se occultabat, vt opportunè proderet:* ac si dixerint; volebant discipuli, vt ipse regnum raperet, dum illud vel ante tempus acciperet, vel vltrò sibi védicaret; sed ipse non rapinam arbitrabatur, esse se æqualem Deo. A quo non eunt illa eiusdem Domini verba ad discipulos sic rogantes, vt sese mundo manifestaret: *Manifesta teipsum mundo*, Ioan. 7. 6. *Tempus meum nondum aduenit, tempus autem vestrum semper est paratum* In quæ verba August. tract. 28. in Ioan. cùm acutè subdubitat; *quare Christus venerat, si eius tempus nondum aduenerat?* ita respondet: *Intelligite, fratres, quo animo illi loquebantur, qui quasi fratrem suum monere videbantur; dabant ei consilium consequendæ gloriæ, veluti sæculariter, & terreno affectu monen*

Right-column margin notes: Matt. 20. 23. Chrysol. / Luc. 12. 14. / Ioan. 5. 22. / Matt. 25. 32. / 4. Ioan. 6. 15. Chrysost. Theophyl. Euthym. Maldonat. / August. Beda. / Ioan. 6. 7. / D. August.

monentes, ne esset ignobilis, & latitaret. Quod ergo ait Dominus: Tempus meum nondum aduenit; *illis respondit, qui ei consilium de gloria dabant. Tempus gloriæ meæ nondum aduenit.* Et statim. *Videte quàm profundum sit; de gloriâ illi admonebant, sed ille voluit altitudinem humilitate præcedere, & ad ipsam celsitudinem per humilitatem, viam sternere.* Hæc August. Omnia Athanasij lectioni opportuna.

5. Quoquo modo ergo Athanasij verba sumpseris; hæret tibi ex Christi exemplo pungens monitum, ne de gloriâ, & claritate sæculi, de muneribus inquam, & honoribus, cum aliis contenderis, imò verò nisi summa Reipublicæ necessitas, & maiorum imperium aliud exigant, etiã oblata repudies. Certè Paulus cùm generali oratione dixisset; *Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo tamquam Aaron,* ad Heb. 5. 4. id est; hic enim veri Pontificis character, siue ea legitimi Prælati nota, atque proprietas est, vt non vltrò in munus se ingerat, sed à Dei vocatione trahatur: subdit; *Sic & Christus non semetipsum clarificauit, vt Pontifex fieret.* Quæ verba bifariam opportunissimè exponas. Primùm, ad Pōtificis munus obtinendum nullo modo Christum commendasse seipsum, egregias animi dotes, ingenitam nobilitatem, dignitatem, virtutes, ac merita recensentem: séque Vnigenitum Patris, cui hâc de causâ tam primogenitura, quàm summum Pontificis munus deberetur, iactantem, ad eum modum, quo ambitiosi opportunè, importunè, imò fœdè, & turpiter laudare sese, & commendare non verentur. Quò videtur spectasse Bernard. ser. 2. de Epiph. occasione verborum Patris: *Hic est Filius meus dilectus, &c. ipsum audite,* Matth. 17. 5. sic ab illo perquirens. *Quousque siles Domine Iesu? quousque dissimulas? Diu tacuisti, & valde diu; vel iam nunc loquendi licentiam habes à Patre. Quandiu virtus, & Dei sapientia, quasi infirmus aliquis, & insipiens lates in populo? Quandiu nobilis Rex, & Rex cæli, fabri filium te pateris appellari, & putari?* Deinde, quod Pauli verbis magis congruit, vt Christus non vltrò sibi Pontificium munus vendicauerit, sed à Patre potiùs acceperit humili, & priuatâ sorte contentus, quod & sibi indignum, à suáque authoritate alienum, & nostræ institutioni importunum duceret, si seipsum efferret, gloriámque sibi, & honorem arrogaret. Vnde citato loco Bernard. *Et Christus cum tanto tempore silebat, cùm se ipsum abscondebat, numquid inanem gloriam metuebat? quid timeret ab inani gloriâ, qui est gloria Patris? Vtique timebat, sed non sibi. Nobis timebat ab illâ, quibus nouerat esse timendum, nobis cauebat, nos instruebat.* Sic ille.

Ad Heb. 5. 4.

D. Bernard.

Matt. 17. 5.

Bernard.

6. Quod si in iis Pauli verbis ambigis, quomodo Christus Dominus ad Pontificiam dignitatem non se extulerit, qui Deus quidem erat, ac diuinâ potestate omnia simul cum Patre operabatur. Responsio ad manum est, Paulum de Christo secundum humanam naturam, in quâ Christus non extulit se ipsum, sed Deus in Christo hominem glorificauit, loqui. Et verò, si ad hæc Pauli verba, & ad alias Scripturæ locutiones attenderis, non erit, cur fateri renuas, Christum etiam vt Dei Filius erat, non ita glorificasse semetipsum hominem, quin hoc ipsum à Patre acciperet; huc enim ex ipsius petitiones eunt: *Pater venit hora, clarifica Filium tuum,* &c. Ioan. 17. 1. & num. 5. *Nunc clarifica me tu Pater apud temetipsum, claritate, quam habui, priusquàm mundus esset apud te.* Quo in loco illud est maximè notandū, quod Auctores non ignobiles ad prædicta Pauli verba obseruarũt, hâc inter alias de causâ Filium potiùs, quàm Patrem carnem assumere expediens fuisse, quod si Pater homo fieret, à semetipso, non ab alio Pontificatus honorem accepisset; quod quidem si attentiùs inspicitur, ipsum non æquè decebat. *Nec* enim *quisquam sumit sibi honorem.* Certè Paulus illis in verbis; *sed qui locutus est ad eum, Filius meus es tu,* non solùm ad naturam humanam, sed etiam ad personam Filij aspexit, vt quà talis à Deo Patre gloriam, & honorem acciperet; vt vel hinc tu conicias, quàm sit humilitati, rationi, prudentiæ, sapientiæ, diuinisque exemplis dissonum, vt teipsum extollas, honores, Episcopatus, & Præfecturas ambias, imò illis te ingeras, & intrudas, cùm ipsimet Deo minus congruere videatur, à se ipso Pontificatum accipere, gloriamque, & honorem sibi arrogare. Feriat ergo hoc animum tuum; necnon id Bernard. serm. 1. super *Missus est: Erubesce superbire cinis, Deus se humiliat, & tu te exaltas? Deus se hominibus subdit, & tu dominari gestiens hominibus, tuo te præponis auctori? Quoties hominibus præesse desidero, toties Deum meum præire contendo.* Me verò non minus acriter pungit illud Nazianz. in Apolog. *Non est perfectum Christi membrum, qui læto, alacrique animo se Christi Ecclesiæ in caput constitui patietur: est quippe hic metus omnium maximus, hoc periculum omnium extremum.* Quare Bernardum rursus aduoco serm. 4. de Ascensione, dicentem. *Sed væ nobis, si voluerimus eum sequi, qui ait:* Sedebo in monte testamenti, in lateribus Aquilonis. *Heu miser!* In lateribus Aquilonis? *Frigidus est mons iste, non te sequimur. Potestatis habes concupiscentiam, altitudinem præsumis potentiæ.* Et statim. *Quanti tamen vsque hodie fœda sequuntur, infeliciaque vestigia, imò verò quàm pauci euadunt, quibus non dominandi libido dominetur?* Hæc ille, & alia.

Ioan. 17. 1. & 5.

Nazianz.

Bernard.

Isai. 49. 5.

7. Cùm Dominus à malo dæmone tam impudenter appetitus, vt ei ingereret: *Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraueris me,* Matth. 4. 9. tam modestè, atque temperatè respondit: *Vade Sathana; scriptum est enim: Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies;* non nemo inquirat, cur Christus verus mundi Dominus, ius suum adeò dissimulauerit, vt improbo illi veteratori non obiecerit, falsò ab illo iactitari sua esse, quæ tam largè atque liberaliter offerebat. Quod enim tunc temporis opportunius ei fuerit responsum, quàm dicere: Quid tibi, & istis, quæ mea sunt, à me facta, creata, gubernata, disposita? Sed tamen multo meliùs Domino aliter est visum; tum quod ab ipsius dignitate alienum iudicauerit, de gloriâ & honore mundi cum aliquo, quãtumuis dæmon is esset, contendere, quin ab eâ concertatione longè discederet. Nam Salomone teste Prou. 20. 3. *Honor est homini, qui separat se à contentionibus:* tum etiam quod ea responsione, *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies;* non obscurè Dominus insinuauerit, alienum à suâ dignitate esse, quosuis mundi honores ab alio, quàm à Deo accipere, atque eo ipso, quod Deum, vt Patrem coleret, omnem sæculi pompam, atque ornamentum, vt eius obsequio minus consentaneum, à se ipso debere remouere. Id ad ea verba sic pensitante Hilario, Canone 3. in Matth. *Præbuit etiam huius responsionis effectum magnum nobis Dominus exemplum: vt contemptâ humanæ potestatis gloriâ, & sæculi ambitione postpositâ, solùm meminissemus Deum, & Dominum adorandum, quia omnis sæculi honor diaboli sit negotium.* Obserua id (*solùm meminissemus Deum, & Dominum adorandum,*) sanè quasi cum Dei cultu non leuiter pugnet sæculi gloriam ambire; nec nisi diabolo instigatore, & suasore pompis, & honoribus sese vltrò quis ingerat.

Matt. 4. 9.

Prou. 20. 3.

Hila.

8. Sed dum eadem hæc dæmonis verba apud Lucã legeris cap. 4. 6. *Tibi dabo potestatem hanc vniuersam,*

Luc. 4. 6.

& gloriam illorum, quia mihi tradita sunt, & cui volo do illa rursus excandesces, quod dæmon asseuerauerit sæculi honores, & officia sibi esse tradita, atque ad ipsius nutum dispensati; maximè cùm dixerit Paulus ad Rom. 13. 2. (Ad Rom. 13. 2.) *Non est potestas nisi à Deo; quæ autem sunt, à Deo ordinatæ sunt.* Quî enim hæc sibi consentiant, potestates, & à Deo ordinari, & à dæmone dari? scilicet eo ministro, imò executore, & proxenetâ vtitur Dominus, quod aptiorem alium ad manum non habeat. Absit. Quid ergo? *Numquid potest quis duobus dominis seruire, aut à duobus accipere potestatem?* inquirit Ambros. in id loci Lucæ. (D. Ambros.) Sed ita subinde respondet: *à Deo potestatum ordinatio, à malo ambitio potestatis. Denique non est, inquit, potestas nisi à Deo, quæ autem sunt, à Deo ordinatæ sunt: non datæ, sed ordinatæ.* Optimè quidem; ac si dixerit: dat Deus, dat & dæmon; sed aliter, & aliter, Deus quidem ordinatè, & ex meritis, quippe qui eos quos assumit, facit idoneos ministros, 2. ad Corinth. 3. 6. (2. ad Cor. 3. 6.) diabolus verò dum ad ambitionem, & cupiditatem honorum, hominum corda inflammat, vt videas, quid sit sentiendum de iis, qui Ecclesiasticos, & sæculares honores tantâ contentione, & studio ambiunt. Certè Bernard. lib. 4. de consideratione, cap. 5. (Bernard.) Eugenium Pontificem sic monet. *Pro quo rogaris sit suspectus; qui ipse rogat pro se, iam iudicatus est, nec interest, per se, an per alium quis roget.* Vnde post nonnulla ita concludit: *Itaque non volentes, neque currentes, sed renuentes etiam coge illos, & compelle intrare.* Ita Bernardus.

9. Sic videas summi Sacerdotis pileum, non modò ex hyacintho variatum, quod cœleste quid præ se ferebat, sed etiam loro quodam seu vittâ, cui sacris characteribus nomen Dei esset incisum, capiti adstringi. Ita rem omnem describente Iosepho lib. 3. antiquitatum cap. 8. (Ioseph.) *Porrò pileo quali cæteri Sacerdotes vtebantur, super quem stabat alius consutilis ex hyacintho variatus, hunc aurea corona triplici ordine circumdabat, in quâ spectabantur calyculi aurei, quales videntur in herbâ, quæ apud nos vocatur Dacharus, apud Græcorum herbarios hioscyamus.* Et subiicit paulò pòst; *Nam frontem isti calyculi non ambiebant, sed ceu lorum quoddam latum aureum, quod sacris characteribus Dei nomen incisum habebat.* Dum verò eius herbæ speculationem ad simile institutum in sequentes disputationes transmitto, modò ex Dei nomine, loro, seu vittæ inciso, ad rem præsentem collige, coronas, & infulas non temerè suscipiendas, ne dicam arripiendas, sed Dei nomine, & nutu, & quasi à cœlo delapsas accipiendas esse. Vnde Stephanus Cantuariensis in Allegoriis Gotfridi Tilmanni, ad lib. 1. Regum, in illis verbis; (Steph. Cant.) *Et erat Saül electus, & bonus:* sic premit significationem vocis *Saül*, quæ est *petitio*, vt inde potissimum bonus electúsque haberi debeat Prælatus, quod ab aliis postuletur, nec ipse se ingerat. *Talis debet esse, qui ad curam eligitur animarum, Saül interpretatur petitio; sic Prælatus debet postulari, non se ingerere, vt sit vocatus tamquam Aaron.* Certè de Traiano suo Plinius in Panegyrico ad ipsum, (Plin. Iun.) non syderum potestate, & vi, aut externis fatorum adiumentis; sed Dei consilio, & vocatione ad Romanum Imperium fuisse prouectum, sic eleganter dixit: *si adhuc dubium fuisset forte, casúque rectores terris aliquo numine darentur, Principem tamen nostrum liqueret diuinitus constitutum; non enim occultâ potestate fatorum, sed ab Ioue ipso coràm, ac palàm repertus electus est;* subdit rationem optimam, *quippe inter aras, & altaria, eodemq; loci quem Deus ille tam manifestus, ac præsens, quàm cælum, ac sydera insedit.* En ipsomet Gentili Plinio auctore efficax argumentum, siue manifestum indicium ordinatæ à Deo potestatis, quod non ambitione intrusus, sed inter aras repertus, ad Imperium petitus Princeps ille fuerit. Vnde subdit aliquanto post. *O nouum atque inauditum ad Principatum iter! non te propria cupiditas proprius metus, sed aliena vtilitas alienus timor Principem fecit; suscepisti Imperium, postquam alium* (Neruam intelligit, qui eum adoptauit,) *suscepti pænitebat. Nulla adoptati cum eo, qui adoptabat cognatio, nulla necessitudo, nisi quod vterque optimus erat, dignúsque alter eligi alter eligere.* Hactenus ille.

10. Hinc equidem ad discipulos primarias sedes ambientes Matth. 20. 22. (Matth. 20. 22.) respondebat Dominus; *Nescitis quid petatis.* Sed cur nescirent, quid peterent, qui easdem tandem sedes consequuti sunt? Nam si de cœlestibus sedibus sermo erat, nonne ipsi inter primos sedebunt iudicãtes duodecim tribus Israël? Luc. 22. 30. (Luc 22. 30.) Si externam verò familiaritatẽ Christi, & spirituales Ecclesiæ sedes ambiebant, nonne ipsi inter familiarissimos adsciti, & Principes constituti super omnem terram? Psalm. 44. 17. (Psal. 44. 17.) Vis dicam cur nescirent, ignaríque ac imprudentes à Domino iudicati sint? Equidem non tam quod honore indigni, quàm quod honoris amore capti, illum sibi ipsi vendicare, & arrogare vellent. Tanti refert, non vocatum tamquam Aaron honorem sibi sumere velle, vt ob ambitionem ipsâmet claritate, & præmio, quod suis meritis reddi par fuisset, indignum se faciat. Ita penè August. in Psalm. 126. (August.) *Quid est, non est meum dare vobis? Non est meum dare superbis; hoc enim adhuc erant: sed si vultis illud accipere, nolite esse quod estis; aliis paratum est & vos alii estote.* Ac si diceret; si vultis illud accipere, ne illud ambiatis, sed vestris contenti meritis, expectate vocari à Deo tamquam Aaron. Nam, *qui rogat pro se, iam iudicatus est*, vt monebat Bernardus. Vnde idemmet Pater homil. 4. in *Missus est*, cùm dixisset. (D. Bernard.) *Videas quoque & homines pecuniosos ad honores Ecclesiasticos perуolare, mòxque sibi applaudere sanctitatem, vestium dumtaxat mutatione, non mentium;* subiicit; *& dignos se æstimare dignitate, ad quam ambiendo peruenerunt.* Ac si diceret, cùm eo ipso, quod dignitatem ambierint, eâ sese fecerint indignos. Sed præfato loco ad Eugenium, non multo post hâc de causâ sic Pontificem monet: *Clericum curiam frequentantem, qui non sit de curia, ad idem noueris pertinere ambientium genus. Adulantem, & ad placitum cuiúsque loquentem, vnum de rogantibus puta, etiam si nihil rogauerit. Scorpioni non est in facie, quod formides, sed pungit cauda.* Hæc ille, & alia, quæ vtinam obseruentur.

11. Obseruabat id quidem tanta cura, tanta exactione noster Philippus II. vt prudentissimus, ita seruantissimus æqui Rex, & iustissimus munerum distributor, vt cùm aliquando ab illo non nemo, cuius ipsi integritas vitæ, atque sapientia, plusquàm ambitio innotuerant, in Episcopum esset designatus; atque Secretario ei rei adhibito iniungeret, vt ad electum suo nomine literas mitteret, in quibus de collato munere certiorem redderet, túncque Secretarius respondisset, opus tabellario, qui nuncium perferret, non esse, quod qui Episcopus renũciabatur, à curia non abesset; ipse tunc Rex chartam, in qua illius electio continebatur, propriâ manu abscidisse dicitur cum hoc dicterio; nunquam meæ mentis fuerit eum in Præsulem designare, qui curiæ adsit. Optimè quidem ô sapiens Rex; nam *clericum curiam frequentantem qui non sit de curia, ad idẽ noueris pertinere ambientiũ genus.* Nec enim frustra apud veteres illos Stoicos, M. Tull. teste Tuscul. 4.

dice

dicebatur, *omnes stultos insanire, vt malè olere omne cœnum: at non semper*; *commoue, senties*. Ita quidem euenit vt curiales illi, siue aulici clerici bonos se, & sanos sæpius simulent, & grandi aliquâ sede, siue cathedrâ vacante, quam ipsi se consecuturos non sperant, adeò de illâ non concertent, vt potiùs contra ambientes multa dicant; de humilitate, & discrimine Episcopalis vitæ plura loquantur; sed adhuc affirmare ausim cœnum ibi esse, quod tetrum odorem non promat, quod spei motu non agitetur. Audi hac de re August. lib. 2. Soliloq. cap. 11. tom. 1. ita absolutissime loquentem. *Non quæro quid negatum non delectet, sed quid delectet oblatum. Aliud est enim exhausta pestis, aliud composita. Ad hoc enim valet, quod à quibusdam doctis viris dictum est; ita omnes stultos insanos esse, vt malè olere omne cœnum, quod non semper sed dum commoues, sentias. Multum interest, vtrùm animi desperatione obruatur cupiditas, an sanitate pellatur.* Obserua illud: *desperatione obruatur*; nimirum, desperatione oppressa, non expulsa manet ambitio. Nec enim manibus, sed cogitatione id vitium censetur, dicente Salomone; *Abominatio Domini est omnis arrogans: etiam si manus ad manum fuerit, non erit innocens.* Prou. 16. 5. id est, vt ad similia Sapientis verba inquit Gregor. lib. 25. Moral. cap. 3. *Cùm manus cessat ab iniquo opere; malus tamen non est innocens per cogitationem.* Sin minus cœnum tantisper commoue, induc eum in aliqualem illius Episcopatus, siue muneris spem, & pessimum statim ambitionis odorem senties. Ita penè de quodam qui bonum temperantemque sese simulabat, dixit Seneca epist. 42. *Iste multum abest ab eo quod profitetur. At malè existimat de malis. Hoc etiam mali faciant, nec vlla maior pœna nequitiæ est, quàm quod sibi, ac suis displicet. At odit eos, qui subita, & magnâ potentiâ impotenter vtuntur. Idem faciet, cùm idem poterit; multorum quia imbecilla sunt, latent vitia, non minus ausura, cùm illis vires suæ placuerint, quàm illa, quæ iam felicitas aperuit, instrumenta illis explicandæ nequitiæ desunt.* Et statim: *Multorum crudelitas, & ambitio, & luxuria, vt paria pessimis audeat, fortunæ fauore deficitur, eadem velle eos cognosces: da posse quantum volunt.* Hæc ille.

Augus.

Prou. 16. 5.

Greg.

Senec.

12. Ergo generali oratione ad eos qui non vocati sibi sumunt honorem, dixeris: *Nescitis quid petatis*, stulti ac imprudentes estis. Nam & à Christi imitatione, & exemplis longiùs diffugitis, & vosmet ipsos honore, & dignitate, vani cùm sitis, indignos proditis. Ita quidem ex inani, atque stulto desiderio, imprudentes, rerumque nescios appellauit discipulos Christus, quod stulta, & inania desideria, faciem, atque figuram illius, qui ea habet ad viuum depingant; vti dicebat Petrus epist. 1. cap. 1. 14. *Configurati prioribus ignorantiæ vestræ desiderijs*, hoc est, ignorantiam desideriorum figuram præferentes. Nec enim aliud aliquid, plus minusve quis esse possit, quàm ipsius desideria fuerint; inanis, qui inania, turpis, qui turpia, vanus, & stultus, qui stulta, & vana desiderat. Igitur *nescitis*, ô ambitiosi, *quid petatis*. Nam, vt inquit Tertull. lib. de habit. muliebr. *Hæc erit ambitio, vnde & nomen eius interpretandum, quod concupiscentiâ apud animum ambiente nascatur ad gloriæ votum.* Vnde ironicè subdit, *grande, scilicet, votum, quod non natura, nec veritas, sed vitiosa animi passio concupiscentia commendauit.* Hinc Tullius lib. 1. offic. *Miserrima est omnino ambitio honorumque contentio.* Nec omittendum, dixisse Petrum, *configurati desiderijs*, cùm de iis, qui Christo in humilitate, aliisque virtutibus similes euadunt, dixerit Paulus, *conformes fieri imagini Filij sui.* Nimirum forma hic, figuræ ibi opponitur; & verò forma pro re substantiali, solidâ, atque permanente: figura autem pro inimico gestu, qui citò transeat atque euanescat. 1. ad Corinth. 7. 31. sumi solent, vt alibi vidimus. Vt appareat, quàm sint ignari, nesciique, qui inanibus, & transeuntibus rebus tanto impetu configurari contendunt.

1. Pet. 1. 14.

Tertul.

Tullius.

Ad Rom. 8. 29.

1. ad Cor. 7. 31.

Hilarij, & Tertulliani, siue Nouatiani expositio.

ADNOTATIO II.

Non esse considerandas proprias animi dotes, sed quæ aliorum, vt in humilitate superiores cæteros arbitremur.

SI Pauli contextus, & scopus attentiùs consideretur, inficiari quidem non potest, accommodatissimè ad eius mentem hæc verba tractasse Hilarium lib. 8. de Trinit. & Tertul. siue Nouatian. lib. de Trinit. cap. 17. præsertim si extremi huius auctoris verba tantisper dedolata, ad orthodoxæ doctrinæ amussim coaptentur. Mens ergo Hilarij, & Tertull. est, Christum, ex Pauli sententia, minimè fuisse arbitratum, rapiendam sibi ansam ex æqualitate cum Patre, vt ab eius obedientiâ in durissimis quibusque perferendis, & crucis morte obeundâ immunis euaderet, (quippe qui alteri æqualis in dignitate est, ipsi se subiicere, atque obedientiam præstare non tenetur,) quinimò, quæ sua erant, hoc est, eandem cum Patre naturam, atque diuinitatem non considerantem, imò in id potiùs oculos cöiicientem quod ad Patris dignitatem spectare videbatur, nimirum, quod ab ipso originem duceret, semetipsum libenter exinanisse: *Factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis.* Accipe eorum verba, & primò Hilarij. *Non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinaniuit formam serui accipiens, quod enim in formâ Dei erat per signantem se Deum Deus manebat, sed quia suscipienda erat forma serui, vt obediens esset futurus ad mortem: non sibi rapiens esse se æqualem Deo ad susceptionem formæ seruilis per obedientiam, exinaniuit autem se ex Dei forma, id est, ex eo, quod æqualis Deo erat; non tamen æqualem se Deo per rapinam existimans. Quamuis in formâ Dei, & æqualis Deo per Deum signatus extaret.* Hæc Hilarius. Pende illud: *non sibi rapiens esse se æqualem Deo ad susceptionem formæ seruilis per obedientiam*: hoc est, non rapiens æqualitatem, vt ei innixus, à laboribus, qui seruili formæ inerant, & à paternâ obedientiâ se subtraheret. Quare? quia immemor suæ diuinitatis, memor verò paternæ dignitatis, suæque originis erat. Sed id clariùs Tertullian. *Hic ergo quamuis esset in formâ Dei, non est rapinam arbitratus, æqualem se Deo esse, quamuis enim se ex Deo Patre Deum esse meminisset, nunquam se Deo Patri, aut comparauit, aut contulit, memor se esse ex suo Patre. & hoc ipsum quod est, habere se quia Pater dedisset.* Ita ibi, & paulò post: *ex quo probatur, nunquam arbitratum esse illum rapinam quandam diuinitatem, vt æquaret se Patri Deo, quinimò contra, omni ipsius imperio, & voluntati obediens, atque subiectus etiam, vt formam serui susciperet contentus fuit, hoc est, hominem illum fieri, & substantiam carnis, & corporis, quam ex paternorum, & secundum hominem delictorum seruitute venientem, nascendo suscepit.* Quæ non perinde sunt accipienda, quasi Dei Filius ante carnis assumptionem Deo Patri obedientiam præstiterit; id enim, vel cum eo fidei dog-

1.

Hilar.

Tertul.

mate, quod vnam tribus diuinis personis assignat voluntatem, apertè pugnat;sed de Christo Deo simul,& homine, (de quo formaliter Paulus loquitur)qui licèt Patri,quà Deus æqualis esset, ipsi tamen quà homo se subiicere maluerit. Vel si de Dei Filio, quà Deus capienda sint, non pressè, & strictè, sed laxè potiùs, & quasi metaphoricè pro missione Verbi sumi debent:etenim *non tantùm dicitur*(verba Augustini lib.4.de Trinitate,cap.20.) *missus Filius, quà Verbum caro factum est, sed etiam Verbum est missum, vt caro fieret*; sicque per exaggerationem efferenda sunt,vt Dei Filius, quasi paterni honoris percupidus, modum quodammodo quæsierit,quo ei honorem, & obedientiam deferret,ac proinde, non quæ sua erant, sed quæ Patris considerans; memor,scilicet, se esse ex suo Patre, *exinaniuerit semetipsum formam serui accipiens*, vt in eâ fieret obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis.

D. Aug.

2. Hæc verò quàm sint apta Pauli contextui,iā vide. Dixerat vers. 3. *Nihil per contentionē,nec per inanem gloriā,sed in humilitate*, (Græcè,*in humili sentire*,) *superiores inuicem arbitrantes*: subiecit opportunum monito exequendo medium: *Non quæ sua sunt singuli considerantes, sed quæ aliorum*; hoc est, vt inibi exposuimus, nō in proprias dotes,siue dignitatem, sed in aliorum eminentiam,aut excellentiam oculos coniicientes: fiet enim hinc,vt illos vobis superiores arbitremini,& facilè vos ipsos illis subiiciatis; imò verò, cùm hæc inuicem præstanda sint, hinc illud fiet, vt aliis vos superiores euadatis, quippe vt tu fratrem tibi superiorem arbitraris, ita ille digniorem te, & præstantiorem esse censebit. Iam vt hæc Paulus confirmet, appositissimum Christi exemplum non sua, sed quæ patris erant considerantis, atque ideo se illi vsque ad mortem subiicientis,opportunè subdit; vt verò non ex parte, sed vndique exemplum teneat, eaque honoris excellentia ad inuicem rependatur, post latiùs expensam Christi humilitatem,& obedientiam,addit Apostolus vers.9. *Propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen, quod est super omne nomen, vt in nomine Iesu omne genu flectatur cælestium, terrestrium, & infernorum; & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Iesus Christus in gloria est Dei Patris.* Vbi præter ea,quæ ad id loci,Deo dante,in hanc rem adnotabimus,pende verbum, *exaltauit*, quod Græcè est, ὑπερύψωσε, *superexaltauit*, quasi *super se euexit*, emphaticâ quidem, quamuis metaphoricâ locutione, vt videri possit hominibus Patrem Vnigenitum suum quodammodo supra se, vel præ se honorasse: vbi forsan est allusio ad sessionem ad dexteram, de quâ Chrysost. hom.de Ascensione, col.3.tom.3. *Suæ sedis fecit esse participem,& quod plus est, ad partem suæ dexteræ collocauit.* Non quod maiorem aliquam Filij dignitatem hæc significent, sed vt externum aliquem honorem iudicandi,videlicet, viuos, & mortuos, atque dona gratiæ hominibus distribuendi (quomodo dexteram esse capiendam suo loco pertracto) denotent. Sed illud inibi enucleatius ad nostrum institutum; *Donauit illi nomen,quod est super omne nomen, vt in nomine Iesu*, &c. Quasi dixerit Paulus, summum Parentem dum eximiam Vnigeniti sui humilitatem vidit, noluisse eâ in humiliatione ab ipso vinci, quinimò quasi vicem rependentem, singillatim ei dedisse nomen Iesu, quod omnia nomina, atque etiam ipsius Dei superat, non quidem quoad rem subiectam, sed quoad perfectionem formalem, quam in Deo notanter designat. Hæc vt explicatiùs diffundam, duo obseruo: alterum, in

Græc. Lect.

Chrysost.

redemptione generis humani Patrem Filio æqualem dubio procul esse; tam enim nostræ salutis primaria,ac principalis causa,quàm ipsemet Filius censeri debet. Alterum, ad salutem, atque opem hominibus afferendam peculiari modo Dei Filium, ac alias diuinas personas concurrisse, ipse enim vnus *propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cœlis, & homo factus est.* Iam quid his verbis,*Propter quod*, &c.& illis, *donauit illi nomen*,&c.dixerit Apostolus,attende, nempe eâ potissimum de causâ, quod Filius suæ dignitatis, & æqualitatis cum Patre immemor, ad Patris dignitatem, & honorem respexerit, Patrem noluisse quodammodo considerare quæ sua erant, hoc est, æquè principalem humanæ redemptionis causam esse, sed in specialem modum, quo Filius hominum Assertor, ac Redemptor extitit, oculos conuertentem, donasse illi Saluatoris nomen, quod inter omnia Dei nomina clariùs, ac splendidiùs emicat: vt suo loco multis confirmabimus. En Hilarij, & Tertulliani explicationem.

Quod si aduertis, huc omnia Christi facta, dictaque,vt quæ Patris erant, non quæ sua consideraret,indesinenter ibant. Vnde Cant.5.14.de ipso dicitur: *Manus eius tornatiles plenæ hyacinthis*, id est, vt interpretatur Eucher.lib.3.in lib.Regum, *quia ad gloriam Patris vniuersa, quæ Christus fecit,retulit.* Ita quidem Ioan.5.19. dicebat: *Non potest Filius facere à se quidquam,nisi quod viderit Patrem facientem*; vbi maximè notari debet, dixisse Christum, non posse à se quidquam facere, qui is erat per quem omnia facta sunt, cuique eadem cum Patre virtus, & potestas esset. Sed enim *memor se esse ex suo Patre, & hoc ipsum quod est, habere se,quia Pater dedisset*,nec quæ sua erant, sed quæ Patris considerans, eum ipsi honorem deferre signatè voluit, vt quidquid in se virtutis,& potestatis fuisset, in gloriam Dei Patris cederet; id ad hæc verba sic pensitante Hilario in Psalm. 139. *Contestatam de se potestatem per reuerentia honorem ei,cui omnia meminerat confitenda, subiecit, non sibi adimens, quod similia Patri posset, sed eum per quem similia posset,ostendens.* Vnde inibi de Christo accipiens ea Vatis verba vers.13. *Confitebor tibi, quia terribiliter magnificatus es*; pro quibus ipse legit,*terribiliter mirificatus sum*; & ad egregia Christi facta, atque miracula sic accommodans: *Confessionem omnem terribilis de se admirationis ad gloriam diuinæ substantiæ suæ reddit. Mirificatus autem terribiliter est, dum hora crucis tenebræ sunt, dum tremit terra, dum saxa rumpuntur, dum patent sepulchra, dum mortui resurgunt, dum in eodem corpore ipse conspicitur, dum clausis ianuis soli sibi penetrabili aditu assistit, dum ad cælos eleuatur, dum Apostoli gentium linguis loquuntur, dum vmbræ eorum morbis medentur, dum claudis nummum poscentibus cursus donatur, dum eleemosynis inopum mortuus redditur, dum persecutores fiunt prædicatores, dum dissolutis catenis cantatur in carcere, dum in martyrio à Martyre videtur in cœlis, dum postremò in eo, quo eleuatus est corpore à dextris Dei sedet, cuius in gloria & manebat, & permanet*; obseruat subiecisse Vatem sub personâ Christi cum Patre colloquentis: *Mirabilia opera tua, & anima mea cognoscit nimis*, quasi hæc omnia, quæ Christus virtute suæ diuinitatis gesserat, Patri nihilominus adscribenda forent. *Omnem autem eam, quâ terribiliter mirificatus est dignitatem ad opus eius refert, cuius & paruit voluntati, dicens*: Mira opera tua, & anima mea nouit valde. *Quod enim,inquit*, terribiliter mirificatus sum, *opus tuum est.* Hæc Hilarius.

3.

Cant.5.14.

Eucher.

Ioan.5.19.

Hilar.

Ps.139.13.

Hilar.

Quem quidem ad modum,dum idem Dominus 4.

cum

cum Nicodemo de ipsomet redemptionis opere, ineffabilique dilectione, quâ peractum est, verba faceret, totum tantæ rei pondus ad Patris dilectionem, quâ mundum prosequeretur, sic retulit Ioan. Ioan.3.16. 3.16. *Sic Deus dilexit mundum, vt Filium suum Vnigenitum daret, vt omnis qui credit in ipsum, non pereat.* Ad Gal.2.20. Vbi primò occurrit Paulus ad Galatas 2. 20. de Christo inquiens; *Qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me*, dilectionem, & suimet traditionem Christo assignans; quî ergo ipse in Patris dilectionem, & donationem totum id deuoluit? Sanè, quia etsi ineffabile hoc opus signatissimè Christi dilectione, & traditione fuerit peractum; at enimverò, quod Patris etiam dilectio, atque traditio simul intercesserit, potiores ei partes bonus Filius maluit deferre. Deinde eo in loco locutionis structuram Rupert. sic obseruat, & admiratur Rupert. lib. 5. comment. in Ioan. *Cùm dicere posset: Tantus ego sum, vt credentem in me totum possim redimere mundum; tanta, inquit, dilectione* Deus dilexit mundum, *vt pro illo in pretium daret Filium suum Vnigenitum.* Vt videlicet, quæ Patris, non quæ sua erant, indesinenter consideraret.

5. Sed quanto studio, quantâ subtilitate nihil horum Dei Filius prætermiserit, vel inde coniicies, Ioan.17.17. quod cùm Ioan. 17. 17. ad Patrem pro discipulis preces fundens, dixisset; *Sanctifica eos in veritate:* nempe vt in ipso Christo, qui veritas est, sanctificarentur, vt omnes Patres explicant, subdidit; *Sermo tuus veritas est*: in quæ verba Beda. Beda. *Quid aliud dixit, quàm ego veritas sum? Græcum quippe Euangelium λόγος habet, quod etiam ibi legitur, vbi dictum est, In principio erat Verbum. Vnde & hic poni potest, & in quibusdam codicibus positum est, Verbum tuum veritas est.* Sic Beda. Sed notetur dicendi modus, *Sermo tuus.* Nonne facilius fuisset dicere, *Ego sum veritas?* Ita quidem: sed non adeò ad gustum Christi, Patris gloriam, & honorem in singulis voculis considerantis, atque quærentis. Ergo inquit Dominus, *Sermo tuus veritas est*; ac si notanter dixerit: Sum quidē ego veritas, in quâ homines sanctificari oporteat, sed quidquid sum, à te sum, tibi adscribendum, tu eâ de causâ laudandus, & gloriâ afficiendus es: ac proinde non mei, nisi quâ sermo tuus sum, mentio fiat. Quò similiter spectat ea locutio Ioan.7.16. ab Augustino, & Patribus obseruata Ioann. 7. 16. *Mea doctrina, non est mea, sed eius qui misit me.* Adi illos.

6. Sed vt Filium non sua, sed quæ Patris erant considerantem, & tam in factis, quàm in verbis eius gloriam quærentem vidisti; vide modò Patrem iisdem, vt aiunt, passibus, non quæ sua erant, sed quæ Filij, similiter curantem. Etenim vt Filius doctrinam suam, non suam, sed Patris esse dicebat, quod Patris sermo, & sapientia ipse esset: ita Pater hominibus ipsummet Christum, vt summum Do- Matt.17.5. ctorem audire signatè præscribebat Matth. 17. 5. *ipsum audite*. Sed quare *ipsum*, Domine, & non potiùs te, cùm Filius tuus, Verbum tuum, & sermo tuus sit? Ergo, *loquere tu Domine, quia audit seruus tuus.* Quia videlicet Pater potiùs vellet considerari Christum reapse sapientiam summam esse, quàm quod ex se esset, ideo ipsum, non se audiri monebat. Ad hæc, vt ei, qui cùm potuerit dicere: *Tantus ego sum, vt credentem in me totum possim redimere mundum*; maluit sermonem ita dirigere, *Sic Deus dilexit mundum*; vicem Pater non semel, sed semper indesinenter rependat: *quærit gloriam Chri-* Origin. *sti* (verba Origen. in Catena S. Thom. ad cap. 6. Ioan.) *in quolibet suscipientium illum*: ac proinde sæpius dicimus, credere in Christum, & fidem Christi, quàm fidem Dei, aut credere in Deum; & (quod definito Dei consilio geritur) in nomine Iesu potiùs, quàm in alio Dei nomine omne genu flectitur. Quibus addendum, Christum notanter dici sedere ad dexteram Patris: cuius rationem dum in alium locum mittimus, modò ea non omittenda, quam notauit Ambros. lib. 5. de Fide, cap. 7. vidisse, nimirum, Deum Patrem futuram hæreticorum superstitionem, quæ vt ipsiusmet Patris diuinitatem temerè efferret, Filij dignitatē iniustè deprimebat; ac proinde, quo magis illi pro Patre decertātes ius Filij diminuebant, eo ipsemet Pater iuri suo cedens vrbaniùs, & honorificentiùs cum Filio agebat. Audi Ambros. *Semper ad dexteram Filius sedet;* Ambros. *numquid melior Filius Patre? Non hoc dicimus; sed charitas Dei honorat, humana iniquitas derogat, sciuit Pater ferendas esse de Filio quæstiones, præbuit nobis, quod sequeremur pietatis exemplum, ne Filio derogemus.* Hæc Ambrosius.

Iam Patrem, quæ Filij sunt quærentem, Filium, 7. quæ ad Patris voluntatem, gloriamque spectant, considerantem, simul vide, eodemmet Assertore apud Ioan. 6. 44. dicente: *Nemo potest venire ad me,* Ioan.6.44. *nisi Pater qui misit me, traxerit eum: & ego resuscitabo eum in nouissimo die.* Vbi vides Patrem homines ad Christum trahentem, *vt omnes honorificent Filium*, Ioann. 5. 23. Filium verò eos in nouissimo die Ioan.5.23. suscitantem, vt honorificent Patrem. Sic enim 1. ad Corinth. 15. 24. *cùm tradiderit regnum Deo, & Patri.* 1.ad Cor.15.24. Vnde Ambros. lib. 2. de Fide, cap. 4. agens cum Ambros. Arianis, sic premit hæc verba. *Et tu Filium Dei pro infirmitate dicis esse subiectum, cui Pater attrahit, quos ille in nouissimo die suscitet; haeccinne tibi videtur esse subiectio in quâ regnum Patri paratur? Cùm Pater ad Filium trahat, & calumniæ locus non sit, cùm Patri regnum Filius tradat, nec aliquid præferatur. Hæc enim documenta pietatis sunt, quod & Pater Filio, & Filius Patri tradat.* Ita ille.

Ecce Patris cum Filio, Filij cum Patre de gloriâ, 8. & honore alteri personæ deferendo mutuam concertationem; vt inde colligas, id proprium veræ, diuinæque magnitudinis esse, non se super alium efferre, sed proprio potiùs iuri cedendo alium magis, ac magis honorare. Vnde iuxta Theophylacti explicationem, cuius superiùs meminimus, hanc diuinarum personarum concordiam, claritatem & gloriam appellabat Christus, Ioann. 17. 22. inquiens: Ioan.17.2. *Claritatem, quam dedisti mihi, dedi eis, vt sint vnum*; sic enim explicabat hæc verba Theophyl. Theophyl. *gloriam concordiæ, scilicet, vt sint vnum; ista enim maior gloria est, quàm ea quæ signorum. Nam sicut & Deum admiramur, quia non est seditio, neque pugnâ in natura eius, & maxima ista gloria est, ita & illi, inquit, à concordiâ dico fiant clari.* Pende illud, *& maxima ista gloria est.* Magna quidem, regia, diuina. Quid enim maius, aut diuinius, quàm honorem, magnitudinem, & gloriam sibi inuicem impertiri, nec nisi eâ de re mutuò inter se contendere? Vt videas quàm circa magnitudinis naturam cæcutiant homines, qui se inde magnos putant, grandesque appellant, quod superbè, & inurbanè cum aliis agant. Secus quidem censebat magnus ille Princeps Traianus, de quo citatus à nobis Plinius in Panegyri- Plin. co dicebat: *Sibi accrescere putat, quod cuique adstruitur, nullamque in eo gloriam ponit, quod sit omnibus maior, nisi maximi fuerint, quibus maior est.* A quo non it, quod de se, & Basilio literis operam dantibus, sic affirmat Nazianz. orat. 20. *Par spes doctrinæ,* Nazianz. *hoc est, rei omnium inuidiosissimæ, nos ducebat: & tamen aberat inuidia; æmulatio autem studio erat. Hoc vtriq; certamen, non vter primas ferret, sed vter alteri*

eas

eas concederet; vterque enim alterius gloriam pro suâ ducebat.

9\. Nec hinc discedam, quin tibi huius discriminis inter veræ, ac falsæ magnitudinis gustum, rationem scire percupienti priùs reddiderim;& ea quidem ex dictis in promptu est,eos,scilicet,qui ad leges veræ magnitudinis sapiunt, non sua semper, sed quæ aliorum sunt, considerare, atque idcirco causas atque rationes ob quas honorem aliis deferant, perpetuò inuenire: contra verò qui vulgariter sapiunt,se solos ante oculos habent,se spectant, sua considerant. [Ambros.] Audi Ambros. lib.3.offic.cap.11. *Aliud enim est,communiter sapere, aliud sapere perfectè.qui communiter sapit,pro temporalibus sapit, pro se sapit, vt aliquid alteri detrahat, & sibi adiungat, qui perfectè sapit, nescit sua spectare commoda.* Vnde videre mihi istos videor in illo Antycirone, cuius alicubi meminit Aristot. [Aristot.] qui semetipsum ob visus imbecillitatem videbat,atque intuebatur, hâc videlicet de causa, quod visuales species,quas oculi mittunt, adeò in ipso debiles essent, vt medio in itinere confractæ resilirent, eâque ratione propriam illi imaginem per reflexum obiicerent. Sic enim ij, qui se super alios efferunt,nihil in illis excellens, laudeque dignum viget, quod se, suaque tantùm considerent,atque intueantur. Vis accommodatius exemplum? [Ioan.14.30.] Audi Dominum Ioan.14.30. *Venit enim Princeps huius mundi, & in me non habet quidquam*; [Ambros.] sed obserua Ambros.lib.de fugâ sæculi, cap.4.sic hunc locum legere, *& in me inuenit nihil.* Quasi Princeps ille, quà Princeps mundi huius, hoc est, quia sui amore captus, quia superbus, fastigiorúmque,& altitudinum appetens,nihil laude, & honore dignum in ipsomet Dei Filio, in quo sunt thesauri sapientiæ,& scientiæ Dei, ad Coloss. 2.3. & ipsa *plenitudo diuinitatis corporaliter* inhabitat,ad Coloss.2.9. [Ad Coloss. 2.9.] inuenerit. Sed hæc ita eleganter diffudit Ambrosius: [Ambros.] *Quomodo nihil inuenire potuit in eo,in quo plenitudo diuinitatis habitabat, & habitabat corporaliter, de quo virtus exibat, & sanabat omnes?* [Luc.6.19.] *Quomodo nihil inuenire potuit in soliditate virtutis, vbertate sapientiæ,integritate iustitiæ? Ipse dixisti Domine*, [Isai.1.11.] [Ioan.20.27.] plenus sum, *ipse dixisti*, mitte manum tuam in latus meum, & noli esse incredulus, sed fidelis. *Misit manum, qui non credebat, & Dominum te, & Deum reperit. Non ergo tu vacuus,sed ille cæcus & inanis Princeps istius mundi, qui nescit nisi sua cernere, nescit nisi sua inuenire, ea quæ Christi sunt,nescit agnoscere.* Hæc ille. Porrò Principem hunc multi alij imitantur,qui dum in se ipsos, suasque animi, vel corporis dotes,omnes mentis cogitatus, tamquam in scopum dirigunt,atque oculos figunt,in iisdemmet Dei filiis nihil inueniunt, quod probent, ac laudent,non quod hi vacui,sed quod illi cæci. Sed relinquamus hos, & eò vnde digressi sumus, redeamus.

10\. Equidem vt cum summo Patre, ita etiam cum diuino Spiritu sic Christus egit, vt non sua, sed quæ illius erant,consideraret. [Act.1.5.] Actuum enim cap.1.5. discipulis dicebat suis: *Vos autem baptizabimini Spiritu sancto non post multos hos dies*; cùm tamen dicere potuisset, ego vos baptizabo Spiritu sancto. [Matt.3.11.] Sic enim de ipso Ioannes dixerat Matth. 3.11. *Ipse vos baptizabit in Spiritu sancto. & igni:* nec dubium, Spiritum ab ipso etiam Dei Filio fore mittendum, [Ioan.15.26.] Ioan.15.26. Sed enim, cùm Christus vt Deus, ita & homo esset,noluit quidem suam diuinitatem considerare, vt potiores quodammodo sibi deferret partes: sed in diuini Spiritus diuinitatem,in propriam verò humanitatem oculos figens, hunc illi honorem deferre, ac de se nihil addere; id inibi sic adnotante Oecumenio apud Lorinum. [Oecumen. Lorin.] *Modestè dicit Christus.baptizabimini,& non baptizabo:*nimirum, qui diuinitatem, & dignitatem suam non iactat,sed quomodo eam potiùs abscondat, & diuinum Spiritum Deum confiteatur, ac prædicet, attentiùs exquirit.

11\. Nec diuinis solùm personis hâc ratione, quod sua non consideraret,eum honorem tribuebat Assertor,qui simili etiam comitate,& vrbanitate cum Beatissimâ Virgine se gessit. Sanè cùm vna ex parte, diuinitati Christi hominibus persuadendæ magis congrueret, vt eâ ex Virgine nasceretur, quæ omnino esset innupta,quò euidentius,manifestiúsque miraculum homines in admirationem raperet, atque eorum animos sedaret, cùm Christum de cœlo descendentem audirent; hic enim Pharisæis lapis offensionis erat,apud Ioann.6.42. [Ioan.6.42.] mussitantibus: *Nonne hic est Iesus filius Ioseph, cuius nos nouimus patrem, & matrem? Quomodo ergo dicit hic: quia de cælo descendi?* ex aliâ verò,Deiparæ existimationi, & famæ tantisper expediret, vt matrimonij vinculo esset adstricta, ne pariens filium, impudicitiæ suspicionem apud aliquos incurreret; bonus Dominus non quæ sua erant, suam inquam maiestatem,& diuinitatem,sed matris suæ dignitatem, & quem illi quà filius honorem deberet impendere, considerans, nuptam potiùs, quàm innuptam esse voluit, vt ad hunc modum id obseruauit Ambros. [Ambros.] lib.2.in Lucam. *Et bene vtrumque posuit Scriptura, vt & desponsata esset,& virgo.Virgo,vt expers virilis consortij videretur; desponsata, ne temeratæ virginitatis adureretur infamiâ,cui grauis aluus corruptelæ videretur insigne præferre. Maluit autem Dominus,aliquos de sui ortu,quàm de matris pudore dubitare. Sciebat enim teneram esse virginis,& lubricam famam pudoris, nec putauit ortus sui fidem matris iniurijs adstruendam.* Hæc ille. Quò etiam faciunt, quæ de ipso Domino erga Ioannem diximus vers.4. adnot.vnica,num.6. Vide illa.

ADNOTATIO III.

Ex Pauli mente, Christum quamuis in Dei formâ, & Patri per omnia æqualis esset, non tamen existimasse, æqualem ipsius cum Patre in gloriâ consessum, externamque nominis sui claritatem, rapinam, aut prædam, siue lucrum facilè parabile sine sudore, aut labore sibi obtinendum fore.

1\. DICEREM confidentiùs expositionem meam, si aliquem indubitatum,præter me, auctorem eius reperissem; nunc autem eâ dicam lege, vt lectori ipsam,non tam præiudicatam,quàm iudicandam, &, vt dixit nescio quis, magis audiendam, quàm auscultandam tradere velim. Sanè opinionem suam, sine nimiâ assecueratione dubitantem, hærentemque proposuisse, nunquam errori, aut fraudi cuiquam fuit; nam, vt modestè de se inquit Greg. Nyssen. [Nyssen.] orat. 1. in Christi Resurrect. non certam demonstrationis rationem verba nostra habere volumus;sed ita quærendo nos exercemus. Quod si nostra suspicio viris doctis,& in Scriptura exercitatis probabitur, operæ pretium tulero; sin minus,ipsorum ingenia ad meliora inuestiganda excitasse contentus ero. Sed ad rem. Mihi quidem cum primis totum hunc Pauli locum,textum,contextum,institutum, atque scopum consideranti,

deranti, ipsum non tam de æqualitate in naturâ, siue consubstantialitate cum Patre, hanc enim accuratâ illâ, & eleganti locutione, *cùm in formâ Dei esset*, vt inibi ex Patribus vidimus, iam satis exposuerat; quàm de externâ nominis sui claritate, & ad dexteram Patris sessione, dum in nomine ipsius omne genu flectitur, cœlestium, terrestrium, & infernorum, & omnis lingua confitetur, quia Dominus Iesus Christus in gloria est Dei Patris, agere videtur. Quo quidem ad filum, seriemque orationis, & quod penè affirmauerim, ad Pauli mentem nihil aptius excogitari potest. Deinde in Latina voce, *rapinâ*, & in Græcâ, ἅρπαγμα, quâ vsus est Paulus, aliud aliquid elegantius præter id quod sonitu ipso tinnit, latere, mihi non est dubium, nimirum, vt his vocibus non res furto, aut raptim ablata, sed cum nonnullâ ad id allusione, præda, aut lucrum nullâ difficultate, aut labore partum significetur. Do tibi huius Græcæ vocis, ἅρπαγμα, acceptionis bonum fideiussorem Heliodorum, quem Photius, qui ante 700. annos floruit, in suâ Bibliothecâ Græci idiomatis apprimè gnarum, atque peritissimum esse affirmat, is enim lib. 4. Histor. Æthiop. hanc vocem sic vsurpat, στῆθι, ὦ φίλων, οὗτος, εἰ καὶ ὀξὺς δραμεῖν. οὐ γὰρ ἅρπαγμα τὸ πρᾶγμα, οὐδὲ ὤνιον, ἢ τῶν ἐν μέσῳ τοῦ βουλομένου, &c. *Sta, inquio, etiamsi valeas currendi celeritate; neque enim negotium hoc tamquam præda, nec ad consequendum facile, & cuiuis volenti expositum, sed magno consilio indiget, vt commodè perfici, & magno apparatu, vt securè agi possit.* Sic ibi, & lib. 7. Κυβέλη τὴν ξυντυχίαν ἅρπαγμα, καὶ ὥσπερ ἄγρας ἀρχὴν ποιησαμένη, id est, *Cybele igitur occasionem quasi ad rapinam, & initium aucupij accommodans. Quare, inquit*, &c. & eodem libro, vt prophanè, & impurè, ita congruenter, & ad rem. τί δὲ τὸ ἀναφρόδιτον; νέος οὕτω καὶ καλὸς, καὶ ἀκμαῖος, γυναῖκα ὁμοίαν καὶ προστετηκυῖαν ἀπωθεῖται, καὶ οὐχ ἅρπαγμα, &c, id est, *quidve adeò alienum à rebus venereis? adolescens tam formosus, & florentis ætate, mulierem similem, & amore illius contabescentem repellit; & non prædam ducit, & in lucro ponit negotium.* En vocem ἅρπαγμα pro rei pretiosæ prædâ, siue lucro signatissimè sumptam. Eandem verò Latinæ voci (*rapina*) significationẽ aliquando subesse, inde manifestè constat, quod munera amphitheatralia, quos cœlestes, & adoratos, siue odoratos imbres appellabant, quod nullo conquirerentur labore, sed solâ, vt aiunt, manuum iniectione compararentur, *rapina* dicebantur. (Vnde forsan apud nos vulgari, atque plebeiâ locutione dicitur, *Hechar à la rebatina.*) ita disertissimè Statius lib. 1. sylu. vltima.

Photius. Heliodor. Statius.

> *Quod ramis pia germinat Damascus,*
> *Et quas præcoquit Ebosia Cannas,*
> *Largis gratuitum cadit rapinis.*

2. Ne verò extra propria castra diuagemur, eadem vtrique Græcæ, atque Latinæ voci significatio subest tam apud Ecclesiasticum cap. 16. 14. quàm in Malachia cap. 1. num. 13. sic namque Sapiens: *Non effugiet in rapinâ* (Græcè, ἐν ἁρπάγματι) *peccator*, (seu vt reddit Tigurina, *non effugiet cum rapinâ scelerosus*,) *nec retardabit sufferentia misericordiam facientis*; vbi non esse sumendam rapinam pro furto materiali, sed metaphoricè cum allusione ad illud, pro prædâ, siue lucro generaliter sumpto, ei omnino certum videbitur, qui contextum expendere voluerit. Nam huius libri commentarios, qui nihil sublime sapiunt, sed humi repunt, nihil moror; liquet enim Sapientem totum inibi esse, vt non à furto, siue rei alienæ contrectatione in particulari, sed potiùs generaliter ab omnibus huius sæculi illecebris, quibus à dæmone, & concupiscentiis sub vtilis, & iucundi boni prætextu inescamur atque decipimur, futuri iudicij, & pœnarum gehennæ iniecto metu homines auertat. Sic enim ante hæc verba præmiserat: *Misericordia enim, & ira est cum illo. Potens exoratio, & effundens iram secundum misericordiam suam, sic correptio illius hominem secundum opera sua iudicat.* Vnde iis germanus sensus erit; *noli æmulari in malignantibus, neque zelaueris facientes iniquitatem*; non enim ex suis malefactis locuples euadet peccator, nec prædam, siue lucrum reportabit vllum. Nam *panis eius in vtero illius vertetur in fel aspidum intrinsecus, diuitias, quas deuorauit, euomet, & de ventre illius extrahet illas Deus*, Iob 20. 14. id est, vt se statim vers. 18. explicat; *luet quæ fecit omnia*. Prouerbiali locutione nos dicimus, soluet sortem cum puluisculo, siue cum vsurâ. Cui sententiæ homines à peccatis metu suppliciorum deterrenti optimè nectitur, quæ altero hemistichio ad virtutis studium capessendum, propositâ spe præmiorum, sic allicit: *& non retardabit sufferentia misericordiam facientis*; hoc est, nec Deus in longum tempus bonorum operum remunerationem protelabit. Lege quæ sequuntur apud Ecclesiasticum, & omnia huic sententiæ quadrare videris.

Ecel. 16, 14. Iob 20. 14.

3. Nec alio sensu his vocibus vsus est Malachias sub Domini personâ, sacrificantium malignitatem sic carpens: *& dixistis, ecce de labore, & exufflastis illud, dicit Dominus exercituum, & intulistis de rapinis claudum, & languidum, & intulistis munus*: vbi si attendis, iis qui iactabant, ecce munus nostrum, & sacrificium summo labore (Lxx. *afflictione*: Tigur. *defatigatione*: Græcè, κακοπαθείας, multorum malorum perpessione) partum, summâ comparatum industriâ, duplex Dei nomine obiicitur defectus; alter, quod non de labore, sed de facili rapinâ, re videlicet obuiâ, & quæ ad manum esset, sacrificium offerrent, ad morem iniqui illius Cain, qui post multos dies obtulit ex fructibus terræ, Genes. 4. 3. *Quasi diceret* (inquit Chrysost. hom. 18. in Genes.) *qualiacumque obueniebant, nullâ ad delectum adhibitâ operâ, vel diligentiâ.* Similiter Cyrill. Alexand. lib. 2. in Genes. cap. 4. *magnâ cum negligentiâ*. Alter, quod ex his facillimis rapinis, abiectiora quæuis Deo apponerent; ita in Græco, καὶ εἰ φέρετε ἁρπάγματα, vti inibi de Cain subiicit Cyrillus, *qui enim ex tempestiuis fructibus excellentiores essent, suis delicijs reseruabat, qui verò deteriores essent, Deo Maximo offerre nõ erubescebat.* vnde ait Dominus; *exufflastis illud*. Lxx. *exufflauit*. Cõciliat Hier. *exsufflatione meâ dignũ illud fecistis.* Vt verò appareat rapinas hic non sumi pro iis, quæ ex rapto habẽtur, vide quid ad hæc addiderit Vates; *Maledictus dolosus, qui habet in grege suo masculum, & votum faciens immolat debile Domino.* Vbi id solùm taxatur, cùm vota Domino promissa non è pretiosis, & pinguibus, sed ex obuiis quibusque & confractis rebus persoluebantur, grauiùs quidem, atque aliis verbis increpandum, si de re furtiuâ offerrentur.

Malach 1. 13. Lxx. Tigurin. Græc. Lect. Genes. 4. 3. Chrysost. Cyril. Alex. Lxx. Hieron.

Hinc prodit se Pauli sensus, & pompa sermonis, quo eximiæ humilitatis, atque charitatis Christi exemplum sua non considerantis, sua non quærentis, nosque propriam salutem cum metu, & tremore operari admonentis, sic efficacissimè vrget, ac si dicat. Intendite animum in Christum Iesum, qui quamuis in formâ Dei, splendor gloriæ, & figura substantiæ eius esset, eam tamen egregiam admirandamque animi modestiam, & humilitatem habuit, vt non putauerit externam nominis sui claritatem, diuinumque nomen, atque supremam 4.

premam adorationem, & cultum, qui ipsi, tum à cœlestibus spiritibus, tum etiam ab humano genere toto terrarum orbe deferendus erat, rapinam, siue prædam, aut lucrum sola manuum iniectione, aut digitorum percussione, nullis laboribus, ac defatigationibus parabile, sed quod sanguineo potiùs sudore, multorumque laborum, ignominiarum, & tormentorum perpessione, ipsâque morte, eâque acerbissimâ obtinendum sibi esset. Quamobrem *semetipsum exinaniuit formam serui accipiens, in similitudinem hominum factus & habitu inuentus vt homo*: hoc est, maiestatem, & dignitatem suam dissimulans, propriisque diuinitatis iuribus, quæ ipsum ab his naturæ humanæ laboribus omnino reddebant immunem, renuncians, non humanam vtcumque naturam: sed eam carnem, quæ laboribus, tormentis, atque morti esset exposita, volens, libensque assumpsit, atque omnem vitæ suæ cursum in labore corporis, atq; in animi contentione, in afflictione, & ærũna, in fame, & siti, in frigore, & nuditate cõfecit.

5. En nostram suspicionem iuxta præfatam vocis, ἅρπαγμα, acceptionem: conferantur si placet inter se Pauli, & Heliodori locutiones, ac verba, noteturque, quàm ad alterius gustum alter locutus sit. Sed enim potissima huius expositionis confirmatio tam ex singularum vocum accommodatione, & ex molli totius orationis decursu, quàm ex præcedenti, & subsequenti Pauli contextu desumitur: subiicit namque Apostolus; *Propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen, quod est super omne nomen: vt in nomine Iesu omne genu flectatur cœlestium, terrestrium, & infernorum; & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Iesus Christus in gloria est Dei Patris.* Quæ cùm causam superiorum reddant, adstruantque Christum humilitate, ac cruce sua dexteram Patris, suique nominis clarificationem, siue exaltationem fuisse promeritum, (vt ad ea verba ex Patribus, & Theologis confirmo) manifestè ostendunt, hoc nomen super omne nomen, (in quo omne genu flectitur) atque hanc Dei Patris gloriam, illammet æqualitatem esse, quam Christus non arbitrabatur rapinam sibi esse futuram. Ne verò in ipsomet vocis sono scrupulosiùs aliquis hæreat, ægrè ferens æqualitatem Dei de externâ potiùs, quàm de natiuâ, & consubstantiali à nobis explicari; animaduertat quæso eiusdem generis, imò strictiorem quidem locutionem, quam velimus, nolimus, sub hoc sensu accipere debeamus,
Apoc. 5.11. apud Ioann. in Apocalypsi 5.12. vbi in frequentissimo Angelorum, & seniorum conuentu hanc vocem sublatam esse affirmat: *Dignus est Agnus, qui occisus est accipere virtutem, & diuinitatem, & sapientiam, & fortitudinem, & honorem, & gloriam, & benedictionem*, &c. Notetur phrasis (*accipere diuinitatem*,) vt quoscùmque nodos superiori expositioni intexueris, iisdẽ te implicare necesse sit. Nam si sonum vocis potiùs, quàm sensum rei attendens, vereris audire Christum non putasse rapiendam æqualitatem Dei, cur non vereris audire, Agnum, qui occisus est, dignum inuentum fuisse, qui diuinitatem acciperet? Quod si diuinitatem pro nomine diuino, & cultu adorationis supremo, cum Ruperto, Thoma, Nicolao de Lyra, Carthusiano, & clarissimis Thologis Scholasticis, Cardin. Bellarmino tom. 1. controuersiar. lib. 1. de Christo, cap. 6. P. Suarez in 3. partem, disput. 10. sectione 4. & disput. 40. sect. 3. P. Vazquez in 3. partem, disputatione 73. cap. 1. num. 3. & aliis, à Ioanne positam existimas: quidni idem de hac phrasi, *æqualem se esse Deo*, iudicium feras? cùm illa expressior, & litigioso, siue scrupuloso ad pertinaciter repugnandum multo aptior sit.

Rupert. Thom. Nic. Lyra. Carthus. Bellarm. Suarez. Vazquez.

Quid enim ad veram diuinitatem exprimendam magis vrgens, ac proprium hâc voce, *diuinitas*, fuerit? Ergo sicut ibi sapienter dixit Nicolaus de Lyra: *Omnia ista habuit ante passionem, quod dico propter gloriam corporis, & huiusmodi, quæ secuta sunt. & ideo acceptio talium hic accipitur pro manifestatione eorum ad laudem, & honorem nominis Christi.* Ita non minus aptè Christum æqualem Deo esse, ad externam æqualitatem, siue diuinitatis manifestationem referas. Addiderim, ex Græcâ locutione nonnihil hanc æqualitatis acceptionem iuuari: est enim Græcè, τὸ εἶναι ἶσα Θεῷ, quod ad verbum vertas, *esse æqualia Deo*, vt legit Marius Victorinus lib. 1. contra Arium; vel *æqualiter Deo*, vt vertunt alij: nam (ἶσα) aduerbij loco positũ videtur. Quibus concinit lectio Tertul. l. 5. contra Marcion. c. 20. *pariari Deo.* Quæ omnia ad hanc externam diuini cultus, & honoris potiùs, quàm ad illam essentialem, & consubstantialem Filij cum Patre æqualitatem significandam, inclinare videntur. Nec enim tam aptè per hæc verba, *esse æqualia*, siue, *æqualiter Deo*, consubstantialitatem, atque æqualitatem naturæ diuinæ, quàm æquales honores, æqualem adorationem, & cultum, æqualem in gloria consessum, quibus explicandis aduerbium, *æqualiter*, opportunè inseruit, explicaueris. Certè, *pariari Deo*, & *æqualia*, seu *æqualiter esse Deo*, non modò ex sensu, sed etiam ex vi locutionis mihi non aliter sonat, quàm æqualiter haberi, & venerari, ac Deus. quamuis non ideo pertinaciùs contenderim, hunc sensum ex his verbis præcisè elici.

Lect. Græc. Mar. Vict. Tertul.

6. Sed hæc iam quanta opportunitate, & facilitate contextui aptentur animaduerte. Et verò illud ad hanc rem priùs obseruare est operæpretium, hæc verba, *non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo*, non ad Verbum diuinum ante carnis assumptionem, sed ad Christum Deum, & hominem in diuina persona subsistentem, cuius exemplum Paulus proponebat Philippensibus, inquiẽs; *Hoc enim sentite in vobis, quod & in Christo Iesu, qui*, &c. esse referenda, vt ex hoc relatiuo, *qui*, satis apertè constat. Deinde, vt omnia facilè decurrant, non minus certum videtur, particulam illam, *cùm*, vt adnotauit Adamus, idem hic esse, ac, *licèt*; sic ad Galat. 4.1. *Quamdiu tempore hæres paruulus est, nil differt à seruo, cùm sit Dominus omnium*, & eadem epist. c. 2. 3. *Sed neque Titus, qui mecum erat, cùm esset gentilis, compulsus est circumcidi*; quod etiam de Græca locutione monuit Iustinianus, ambiguum esse, causamne significet, an vim aduersandi habeat: vnde quidem fit manifestum, his verbis, *non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo*, eam sententiam subesse debere, quæ ab illâ aduersatiuâ, *cùm*, siue *licèt*, omnino dependeat, atque id significet, quod ad Christi humilitatem pertineat, vt in nostrâ expositione apparet: sic enim effertur, licèt Deus, Deique Filius esset, tamen quà homo erat, non arbitratus est sui nominis claritatem sine labore, & sudore obtinendam sibi esse. En Paulini textus, atque contextus seriem, & scopum. Monuerat Paulus discipulos, vt mutuam charitatem, & humilitatem sectarentur, atque erga alios summissiùs se gererent, superiores sibi inuicem arbitrantes, eâque de causâ aliorum potiùs bona, quàm propria considerarent, atque curarent. Iam id monitum efficacissimâ argumentatione, à Christi exemplo sic petitâ confirmat; quod cùm ipse Dei Filius, atque ideò, vt laboribus minimè obnoxius, ita gloriæ Patris optimo iure particeps esset, ad suam tamen diuinitatem non aspiciens, nec propriam dignitatem attendens, sed nostra omnino curans, nostram, videlicet, institutionem, informa

Adamus. Ad Gal. 4.1. Ad Galat. 2.3. Iustinian.

informationem, exemplum, & quod caput erat, nostram, eamque copiosam redemptionem, gloriosæ vitæ, atque impassibilitati sibi debitæ renuncians, ad Patris thronum non sine sanguinis, & vitæ profusione, peruenire voluit. Quamobrem *semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens*, &c. Vbi obiter occasione contextus compone illa verba, *non quæ sua sunt singuli considerantes, sed quæ aliorum*; cum illis eiusdem Domini apud Lucam 24. 26. quæ postea in totius sententiæ confirmationem expendemus, *non ne hæc oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam?* vt videas, quàm aptè se connectant, dum ait Christus maximè expediens fuisse, vt per passionem, & crucem, ad suammet gloriam, ad eam, scilicet, eandem, quæ sua iam erat, & ei propter hypostaticam vnionem debebatur, perueniret, adeò ipse quæ sua erant non considerabat, nec habebat vt sua. Ergo Philippenses ex Christi exemplo duplici mucrone pungit Paulus. Nam in primis ad humilitatem, de qua in præcedentibus egerat, sic vrget. Si Christus cùm naturâ Deus esset, non sua respiciens, sed nostra considerans seipsum vsque ad mortem, mortem autem crucis humiliauit, atque depressit; nos, qui naturâ æquales, & æqualiter abiecti, viles quippe creaturæ, & homunciones sumus, inuicem humiliari, nec quæ nostra sunt, sed quæ aliorum respicere, & curare debemus; ideo opportunè præmisit: *Hoc enim sentite in vobis, quod & in Christo Iesu*, seu, vt legebat Athanasius ibi adductus, *ea modestia sit in vobis, quæ fuit in Christo Iesu.* Ita quidem his Pauli verbis allatis argumentatus est Isidorus Pelusiota libro 3. epist. 410. dum versans illud Domini apud Ioannem 13. 34. *Mandatum nouum do vobis, vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos*, sic ait. *Etenim diligere quidem in veteri testamento situm est, hoc verò, sicut dilexi vos, adiecit, eoque nomine mandatum nouum ipsum appellauit. Aliud enim est diligere proximum sicut seipsum, aliud sua negligere, vt proximorum commodis consulat: vt enim ipse non suam sublimitatem, sed hominum vtilitatem sibi ob oculos proposuit, ac seipsum humilians formam serui suscipere minimè grauatus est, vt seruos ad filiorum adoptionem duceret, eodem modo etiam vnumquemque nostrûm non priuatum commodum, sed proximorum vtilitatem spectare iussit.* Sic Isidorus. Similiter Augustinus in Psalm. 103. concione 4. *Ergo Christus mediator inter hominem & Deum, non quia Deus, sed quia homo, non quia Deus æqualis Patri, sed si æqualis Patri, non mediator, vt autem sit mediator, descendat à superiore ad inferiorem, ab æqualitate Patris, faciat, quod ait Apostolus, semetipsum exinaniuit formam serui accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo, fundat sanguinem suum, deleat chirographum nostrum, componat pacem inter nos & Deum, nostram voluntatem corrigens ad iustitiam, illius sententiam flectens ad misericordiam.* Hæc ille, quasi dicat, Assertorem nostrum adeò quæ nostra sunt considerasse, adeò quæ sua erant neglexisse, vt quò mediator pro nobis esse posset, libenter semetipsum exinanierit formâ serui susceptâ.

Luc. 24. 26.

Athanas.

Isid. Pelus. Ioan. 13. 34.

August.

7. Deinde ad animæ salutem omni conatu, & diligentiâ procurandam, hoc Christi exemplum sic premit Apostolus: *Itaque fratres mei, sicut semper obedistis, non vt in præsentiâ meâ tantùm, sed multo magis nunc in absentia mea, cum metu, & tremore vestram salutem operamini.* Quibus in verbis ad virtutis studium capessendum primùm efficaciter monet, ne videlicet ipsi naturâ serui, & peccatis obnoxij, sine laboribus, & defatigationibus rapere velint, quod Christus, gloriæ Dominus, non sine certamine, & sudore, sibi fuisse obtinendum arbitratus est. Adhæc, ad perfectionis fastigium ex Christi exemplo, qui suammet, sibique omnibus titulis debitam gloriam, iterum, atque iterum passione, & morte promereri voluit, tacitè stimulat, vt ipsi similiter, quantumuis ad sanctitatem peruenisse sibi videantur, magis tamen, ac magis inceptum ad extremum vsque perducere subinde contendant, vt ad Christi imitationem æternam vitam tutiùs, atque vberiùs promereantur.

Hæc de Pauli sententia. Sed quo, inquis, fideiussore hæc omnia dicuntur? Sanè ex Athanasij mente sensum istum depromi mihi valde probabile est. Nam in primis, vt adnotatione 1. vidimus, in sermone aduersus omnes hæreses, sic citat hoc Pauli testimonium: *Qui cùm in formâ Dei esset, non rapiendum arbitratus est, vt esset æqualis Deo, sed semetipsum exinaniuit formam serui accipiens*; quâ lectione, in nostræ expositionis confirmationem nihil clarius, vel præclarius adduci potest. *Non rapiendum*, inquit, *arbitratus est*, quasi dicat, non existimauit æternum hunc, infinitúmque honorem diuini cultus, & adorationis, quæ ipsi non minus, quàm Patri defertur, ab ipso rapiendum, hoc est, solâ manuum iniectione, eo modo, quo fur, aut raptor, sine laborum tolerantiâ, (*in hoc enim est verbum verum, quia alius est, qui seminat, alius est, qui metit*) concupita venatur, obtinendum sibi esse. Sed enim suam ipsemet lectionem homilia de semente, non leuiter confirmat. Etenim cùm ibi Christum Dominum cum proauo suo Dauid, quasi cum vmbrâ corpus, & cum figurâ veritatem componeret, similitudinem, & collationem post alia plura, cò vsque perducit, vt quemadmodum Dauid, qui Regis filius non fuit, Israëliticum Regnum, non hæreditario iure, sed plurimis exantlatis laboribus, & egregiis in bello fortiter gestis acquisiuit, ita Christus Dominus sui nominis claritatem, & gloriam, supremamque maiestatem, quâ nunc potitur, non statim cùm in hunc mundum venit, sed post carnis passibilis labores, & acerbæ crucis mortem, à Patre acceperit: quod quidem vt probet Athanasius, hæc Pauli verba causali particulâ (*enim*) in superiorum confirmationem interpositâ, sic adducit. *Congruum si quidem erat, proauum sui nepotis aliquas similitudines in se præferre, atque hinc est illud*, Liber generationis Iesu Christi filij Dauid: *sunt ergo rerum similitudine, sed non inter se rerum dignitate pares, fit enim seruus similis Domino, sed neutiquam par. Dauid igitur Pastor, & Pastor Christus, sed ille Pastor pecudum, iste animarum. Similitudo quidem in rebus est, sed magna disparitas in dignitate. Vnxit Dauidem in Regem Sacerdos Samuel: baptizauit nostrum Saluatorem Ioannes, vt Sacerdos; similitudo hic rursum in actis, sed in subiectis personis ingens discrimen. Porrò Dauid vnctus in Regem non statim arripuit regnum, sed sustinuit in longum tempus seruire Saüli: noster item Saluator Rex genitus ante sæcula, nec temporarium regnum possidens, sed ante sæcula Rex ex Rege Deo genitus, & ipse quoque seruire sustinuit. Non enim rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo sed ipse exinaniuit semetipsum formam serui accipiens, vt absolueret, quod de eo dispositum erat.* Hactenus Athanasius, satis quidem dilucidè ad nostræ expositionis confirmationem. Addat verò pro Athanasij mente non nemo, Christo sedem potiùs Dauid, quàm regium Salomonis thronum, quamuis aliàs Christi typum frequentiùs hic gesserit fuisse promissam, sic; enim

8.

Athanas.

Athan.

Matth. 1. 1.

Luc.1.32. Angelus Lucæ 1.32. *Et dabit illi Dominus Deus sedem Dauid patris eius*, nimirum Salomon pacificus hæreditario sibi iure thronũ suum est adeptus; sedẽ verò suam Dauid, non nisi post multos labores, & seruitij tempus, vt dicebat Athanasius, occupauit; ad quem etiam modum expendi possunt sequentia Angeli verba; *& regnabit in domo Iacob in æternum:* Iacob, videlicet, hoc est, luctatoris magis, quàm Israëlis, licèt de hoc nomine populus ille frequentiùs appellaretur, cognomentum vsurpantis, vt Iacobi luctas, atque certamina, quæ pro Rachelis amplexibus, quam ardenter amabat, libens subiuit, in Christi imaginem exprimeret, *qui non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo.* Hæc de Athanasij verbis.

9. Method. Theodor. Nec dubitauerim pro nostra interpretandi ratione Methodium, & Hilarium adducere; prior siquidem sermone de Martyribus, à Theodoreto Dialog. 1. tom. 2. adductus, hæc verba sic vsurpat. *Adeò admirabile, & tanto studio expetendum est martyrium, quod ipse Dominus Iesus Christus Filius Dei, se id honorare testatus sit, non rapinam arbitratus, se esse æqualem Deo, vt etiam eo dono hominem, ad quem descẽdit, coronaret.* Sic Methodius probatus Theodoreto. Quæ vix aliter, nisi sub hoc, quem persequimur sensu, capias, vt noster Assertor martyrij cupidus gloriam, & honorem ab ipso accepisse fuerit testatus, quod non rapinã arbitratus fuerit, esse se æqualem Deo, externo, videlicet, cultu, & veneratione, de hoc enim honore, & dono loquitur necessariò Methodius. Hilar. Iam verò Hilarius, etsi alicubi, vt adnotat. 2. vidimus, in Tertulliani expositionem deflexerit, in commentario tamen Psalmi 118. ad illa verba: *Humiliatus sum vsquequaque*; cùm priùs dixisset, *hoc igitur à se disci voluit, quod virtutum omnium maximum est. Apostolus etiam ad humilitatem nos docens, talibus adhortatur:* Hoc enim sapite in vobis, quod & in Christo Iesu, qui cùm in forma Dei esset, non rapinam existimauit, se esse æqualem Deo, statim ad mentem Athanasij hæc subiicit: *hoc humilitatis fuit præmium, vt corpus assumptum in gloriã Dei Patris maneret, vt in nomine eius genu cælestia, & terrestria, & inferna curuarent, manens enim in Dei formã, non vi aliquã sibi, ac rapinã id quod erat, præsumendum existimauit, scilicet, vt Deo esset æqualis, erat enim Dei forma, nihilque ei ex eius gloriã deerat, in cuius gloriã manebat: sed formam serui per humilitatem suscepit, & habitu vt homo repertus est, humilians se per obedientiam vsque ad mortem, nec solum vsque ad mortem, sed mortem crucis.* Hæc Hilarius. Apud quem notetur primùm eius institutum, quod eò tendit, vt humilitatem Christi inde maximè extollat, quod ab ipso tunc maximè, cùm in formã Dei esset, fuerit exercita, simulque expendat præmium ipsi propter hanc humilitatem à Patre concessum. Deinde obseruentur illa verba, *non vi aliquã sibi, ac rapinã id quod erat, præsumendum existimauit*, id scilicet, vt Deo esset æqualis, quæ sic Athanas. capio, ac si cum Athanasio dixisset: *Non rapiendum arbitratus est, vt esset æqualis Deo*, Expressit autẽ amplius rem Hilarius, singillatim expendens noluisse Christum illum ipsum, quod erat, scilicet æqualis Deo, quatenus Dei nomen, & gloria ei debebatur, vi, & quasi rapinã, sed potiùs per humiliationem, & crucem obtinere. Fateor difficilem auctorem Hilarium, nec ad conuincendum litigatorem opportunum, quippe quem ob orationis ambiguitatẽ, liceat ei qui contradicat, eò trahere, quò velit. Sed tamen germanam ipsius mentem hanc esse credimus. Verũ enimverò, vt ad indubitata, certa, atque, vt ita dixerim, ad sacram anchoram pro huius explicationis fulcimento confugiam, (non paucos magnæ notæ, atque auctoritatis viros, quibuscum collato studio de eã egi, mirificè arrisit, præteriens) adfuit mihi Salmanticæ, adestque modò egregius ipsius protector, atque propugnator Illustrissimus D.D. August. Antolinez, è primario Bibliorũ primùm interprete, & sacræ subinde Theologiæ summo apud Salmanticenses Antecessore, magno nunc Christianæ disciplinæ bono, & rei literariæ ornamento, Compostellanæ Ecclesiæ Archiepiscopus, cui non modò is interpretandi modus perplacuit, sed, quod caput est, suum ipsius sensum iam pridem hunc fuisse, nec aliud sibi vnquam hæc verba sonasse, seriò & grauiter affirmauit. Et verò vt aliud auctoritatis pondus huic explanationi deesset, libens exclamarem: *Sufficit mihi vnus Plato.*

Iam si verum fateor, illud mihi præ omnibus hanc sententiam suadet, atque confirmat, quod nihil ipsa pluribus Scripturæ testimoniis similius sit. 10. Quid enim siue in veteri, siue in nouo Testamento fuerit frequentius, quàm Christo suammet gloriam, & regnum, siue nominis sui claritatem, & exaltationem, atque ad Patris dexteram consessum, non nisi per labores, & mortem obtigisse? huc enim sexcenta Prophetarum vaticinia, nec pauciores Euangelistarum, & Pauli locutiones manifestè eunt: in quas dum lector passim incidet, ego nonnullas breuiter expendam. Et illam in primis eiusdem Domini apud Luc. 24. 26. superiùs prælibatam: *Nonne hæc oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam?* Luc.24.26. Vbi obserua primùm illa, *hæc oportuit pati*: vt enim non absolutè, sed posito Patris summi decreto, & Prophetarum prædictione, oportuerit pati Christum; at enimverò his positis omnino expediens fuisse ipsum pati, dicitur: nec alio verbo, quàm *pati*, vti voluit Dominus, vt intelligeremus, reapse, & verè cruciatuum, mortisque dolores ipsum persensisse, nec se aduersus illos diuinitatis clypeo, vt insensibilis euaderet, communisse. Vnde quidem inter alia Passionis Christi mysteria, illud signatissimum haberi debet; quod non solùm timere, & tristari, vt verum hominem se ostenderet, vti Hieronymus, Beda, Euthymius, & Theophylactus, ad cap. 26. Matth. & Augustin. in Psal. 87. expendunt; sed etiam sanguineum sudorem emittere, siue verum sanguinem sudare voluerit, Lucæ 22. 44. vt re vera pati, & dolores, vt hominem passibilem se persentire ostenderet, id sic sapienter adnotante S. Iustino Martyre in Dialogo cum Tryphone; *vt sciremus Patrem voluisse hæc quoque Filium pati propter nos; ne dicamus quod ille cùm esset Dei Filius, paruipenderet, quidquid sibi accideret*: ita ille iuxta correctissimam è Græco versionem. Deinde preme particulam illam, *& ita intrare*, quasi dixerit, hâc crucis, & mortis suæ ianuâ ad ipsammet sibi debitam gloriam, & clarissimam nominis sui famam, & exaltationem aditum sibi patefactum. In quam sententiam egregium protulit multis retrò sæculis vaticinium magnus Patriarcha Iacob, dum Christum Dominum, quem sub personã filij sui Iudæ considerabat, sic alloquitur, Genes. 49. 9. *Catulus Leonis Iuda, ad prædam fili mi ascendisti, acquiescens recubuisti vt Leo*, &c. Quæ verba de Christi resurrectione, & regno, gloriosã, scilicet, sui nominis exaltatione communi Patrum, & interpretum consensione accipiuntur. Ne verò intelligas diuinum hunc Leonem eam gloriam, quasi rapinam, aut prædam venatum fuisse, aduerte in Hebræo, vt notauit Pagninus, non esse, *ad prædam ascẽdisti*, sed potiùs, *è prædã*

Hieron. Beda. Euthym. Theophyl. August. Luc.22.44. Iustin. Mart. Genes.49.9. Pagnin.

Chald. prædâ ascendisti: quod magis explicans Chaldæus Paraphrastes reddidit: *Quoniam de iudicio mortis animam tuam abstulisti fili mi.* Quod omnino explices verbis Pauli: *humiliauit semetipsum vsque ad mortem, mortem autem crucis*, vt ex triplici hac lectione ea conficiatur expositio; è vitæ prædâ, quam mors ex Christo Domino cepit, ipsum ad gloriosissimam prædam gloriæ Patris, & sui nominis in toto terrarum orbe exaltationem ascendisse, non secus, ac Leo, bestiarum fortissimus, qui vt venationi insidietur, & velociùs, fortiúsque ad prædam assurgat, priùs se demittit, & incuruatur. Nec omittam illud, quod è re hac esse crediderim, nomen *Iuda*, sub quo Christum hoc loco eius proauus est allocutus, idem reapse cum sacro, & ineffabili *Iehoua* nomine, contracto tamen, & abbreuiato, esse, sed additâ singillatim literâ, *Daleth*, quæ, vt Angelus Caninius, & alij Hebraici idiomatis peritissimi adnotarunt, significat *ostium*; vt arcanâ hac locutione sanctus Patriarcha innueret, ad nominis sui claritatem, & exaltationem, per crucem, & mortem, de quâ inibi sermonem faciebat, Christo ianuam fuisse patefactam, quod hæc oportuerit *pati Christum, & ita intrare in gloriam suam.* Ang. Can.

11. Luc. 22. 29. Adsimilis eiusdem Domini locutio est apud ipsummet Lucam, cap. 22. 29. vbi cùm Apostolorum constantiam, & fortitudinem commendasset, inquiens: *Vos estis qui permansistis mecum in tentationibus meis*, subdidit; *& ego dispono vobis regnum, sicut disposuit mihi Pater meus regnum meum*; siue, vt legit Syriacus, *ego promitto vobis regnum, sicut promisit mihi Pater meus regnum meum.* Quibus in verbis, vt optimè adnotarunt Beda, & alij Patres, comparatio inter Patrem, & Filium, quam denotat particula (*sicut*) ad tentationes, & labores referenda est, vt hæc Christi mens fuerit; sicut Pater hac mihi conditione regnum disposuit, vt ad illud per labores, & mortem crucis peruenirem, ita & ego meum regnum eadem lege, & conditione vobis decerno, atque promitto; ac proinde mei calicis, & tribulationum non potero non socios vos, & participes facere. Sed pergit Beda, & hæc verba cum iis Pauli, *propter quod & Deus exaltauit illum*, sic componit: *Sicut ergo Pater disposuit Filio regnum, quem factum obedientem vsque ad mortem, mortem autem crucis, exaltauit, & donauit illi nomen, quod est super omne nomen: sic & Filius idem permanentes secum in tentationib. æternum ducit ad regnum.* Quod si expenderis verbum (*dispono*) quo vtitur Christus, vt tam pactum, & conditionem, sub quâ discipulis his regnum relinquat, quàm modum, quo ipse à Patre acceperit, significet, plusculum emphasis is locus habere videtur. Certè tam Latinè, *dispono*, quàm Græcè, διατίθεμαι, ad dispositionem testamento relictam frequenter referri solet; ita Isaiæ 38. 1. *Dispone domui tuæ.* Nihil verò in iure solemnius, nihil iustius, nihil pro quo iura, & leges acriùs pugnent, quàm vltimæ testatorum voluntates: vnde Christus quasi testamento scriptus hæres inibi dicitur, sicut & ad Hebr. 1. 2. *Quem constituit heredem vniuersorum*, stricto iure ab ipso exigi videtur ne rapinam arbitretur, esse se æqualem Deo, sed per crucem potiùs, ac labores illud obtineat. Lect. Syr. Beda. Isai. 38. 1. Ad Hebr. 1. 2.

12. Ad Hebr. 2. 9. Accinit Paulus ad Hebr. 2. 9. qui vt hic dixerat Christum non rapinam arbitratum fuisse, esse se æqualem Deo, ita ibi de ipso per passionem & mortem in gloriam suam intrante, inquit. *Videmus Iesum propter passionem mortis gloriâ & honore coronatum*, in quæ verba accipe egregium Cyrill. Alexand. commentarium lib. 2. de rectâ fide ad Reg. capite, *de eo quod Dominus noster Iesus Christus dicitur gloriam accepisse.* Nam cùm ita interrogasset: *Quomodo ergo Dominus gloriam accepit à Patre?* sic statim respondet. *Nam existens in formâ, & æqualitate Deus Verbum, quod ex illo fortissima dextra, & manus vera, inanitus quidē dicitur propter humanitatem: exaltatus verò rursus non propter externam dignitatē, quâ olim caruerit conscendens, sed rediens ad gloriam, & eminentiam sibi implantatam, & in ipso semper existentem, exaltatur enim humanè, quamuis secundum naturam existat altissimus, factus est enim homo, & hoc, opinor, est naturæ conditio, & inanitio quæ dicitur. Quin Deus homo factus, quamuis nihil habitus sit, quam solus homo, & ita videbatur, prædicatus est in gentibus, & fides habita est ei in mundo. Honoratus item, vt verè Filius Dei, summæque nobilitatis gloriam recepit, Deus esse creditus.* Hactenus Cyrillus. En æqualitatem Dei, de quâ Paulus tam ibi, quàm hic agit, *vt Christus verè Filius Dei, summæque nobilitatis gloriam recepit, Deus esse creditus.* Hanc verò dum propter passionem mortis adeptum fuisse ait, id ita confirmat: *Decebat enim eum propter quem omnia, & per quem omnia qui multos filios in gloriam adduxerat, auctorem salutis eorū per passionem consummare.* Quæ verba sic frequentiùs à Patribus, & interpretibus Riber. Iustin. Cor. Estio, & aliis accipiuntur, vt velit Paulus, Deo vt summo creaturarum omnium Parente, & auctore fuisse dignissimum, vt quando filios suos, non nisi per labores, & dutissimarum rerum tolerantiam ad gloriam adduxerat, vt in Abel, Noë, Abraham, Isaac, Iacob, Ioseph, Mose, Dauid, Prophetis, & aliis signatissimis viris cernere est, *flagellat enim omnem filium quem recepit*; ad Hebr. 12. 6. similiter auctorem salutis eorum, Principē, & ducem, id est, Christum, naturalem ipsius Filium, primogenitum in multis fratribus, per passiones etiā, crucem videlicet, & mortē cōsummaret, siue gloriâ, & honore coronaret, vt Syriacus expressit legens: *ipsum Principem salutis eorum per passiones perfectum reddere.* Dicam breui. Decebat Christum subire eandem legem, & conditionem, per quam cæteri gloriā consequūtur, & qui primogenitus in multis fratribus, & prædestinatorū exemplar erat, non arbitrari rapinam esse in gloriam suam intrare, quin fratribus per labores similis fieret. Expende verò verbum, *decebat*, quo Apostolus vtitur, simile illi alteri, *oportebat*, quod Christus vsurpauit apud Lucam loco citato, quod quidem vt necessitatem non denotat, cùm Deus optimo iure, absq; vllo labore Filium suum naturalem maximè gloriosum reddere posset, ita congruentiam Dei iustitiâ, & æquitate dignissimā, nostroque exemplo expedientissimam opportunè indicat. Nam, vt scitè argumentatur Cyrill. Ierosol. Catech. 13. *Quomodo enim corroboraret discipulos ad perferendam mortem pro veritate, si ipse non pertulisset ista? Ego dixi, qui amat animam suam perdet eam: si vitam amauit, quomodo id docuit, neque fecit, quod docuit? Primum igitur, cùm Deus esset ab hominibus hac patiens sustinebat, vt homines ab hominibus postea ista patientes, pro ipso eiusmodi perferre non puderet.* Equidem Principem maximè decere eosdem, ac priuatos homines labores perferre, ipsismet Ethnicis persuasum, & obseruatum. Ita de Othone, qui dum priuatus fuerat, genio nimiùm indulgebat, Imperatoris munere suscepto primum inter omnes militaris disciplinæ difficultates, labores, & pericula pertulisse, sic scribit Tacitus lib. 2. historiarum. *Non Othoni segne, aut corruptum luxuriâ iter, sed loricâ ferreâ vsus est, & ante signa pedester horridus, incomptus, famaque dissimilis.* Similiter de Traiano Plinius in Panegyrico ad ipsum. *Quid apud milites? quâ admiratione? quemadmodum cōparasti? cùm* Cyr. Alex. Ribera. Iustinian. Cornel. Estius. Ad Hebr. 12. 6. Lect. Syr. Cyr. Ierosol. Tacitus. Plin. Iun.

Vellaz. in Epist. ad Philippens.

tecum inediam, tecum ferrent sitim, cùm in illa meditatione campestri militaribus turmis imperatorium pulverem sudoremq́ue misceres. Nihil à ceteris nisi robore, ac praestantia differens. Ad quem etiam modum Lucanus lib. 8. Gentilem Catonem, cùm belli dux maximum molestissimumque iter aestuosâ Africae viâ eum exercitu ingrederetur, sic suos milites alloquentem facit.

Lucanus. *—— Primus arenas*
Ingrediar, primusque gradus in puluere ponam.
Me calor aethereus feriat, mihi plena veneno
Occurrat serpens, fatóque pericula vestra
Praetentate meo, sitiat quicumque bibentem
Viderit, aut vmbras nemorum quicumque sequentem,
Aestuet, aut equitem peditum praecedere turmas
Deficiat, si quo fuerit discrimine notum
Dux, an miles eam.——

13. Quare praeter ea, quae subiicit Apostolus huic rei quàm opportuna: *Qui enim sanctificat, & sanctificatur, ex vno omnes*, quae vers. sequenti, cùm de Christi exinanitione egerimus, pensiculatiùs explicauero, sic huc intentus infert; *propter quam causam non confunditur fratres eos vocare dicens: Nunciabo nomen tuum fratribus meis*, &c. quae quamuis communiter accipiantur, quasi noua dictorum confirmatio sint, vt probet Paulus Christum eiusdem nobiscum naturae esse, quod fratres nos appellet, me tamen non leuiter pungit, tum illatiua illa, *propter quam causam*, tum verbum illud, *non confunditur.* Quare aliquid aliud minus triuiale ab Apostolo dictum existimo. Nimirum eâ de causâ, quod per passionem & crucem intrauerit in gloriã suam, minimè confundi, seu pudore affici, dum discipulos, & praedestinatos, fratres suos appellat, cùm ipse easdem, quas illi leges subierit, & ad regni sui haereditatem, non secus, ac ipsi per labores, & afflictiones deuenerit. Quasi illud tacitè indicet Apostolus, fore vt Christus, nisi mortem subiisset, rubore quodammodo perfundendus esset, si discipulos, & electos, quos ad gloriam per passiones adduxerat, saluus ipse, & incolumis ab omni calamitate, & dolore, fratres appellaret. Cui sensui optimè congruit, quod paulò post subiungit Apostolus; *vnde debuit per omnia fratribus assimilari, vt misericors fieret, & fidelis Pontifex ad Deum*, &c. Imò verò id Scripturae testimonium, siue ex Psalm. 17. siue ex Isaiae 8. desumptum, (de quo vide interpretes) quod superiori immediatè subiungit, *ego ero fidens in eum*; non solùm crediderim ab ipso afferri, vt Christum hominem, nobis similem esse confirmet, quod sicut vnus ex nobis speret in Patre, vti haec verba acceperunt Chrysostom. Theoph. & alij: sed etiam, vt iuxta ea, quae de Christi Pontificis passione, & cruce priùs dixerat, modò ex his verbis sub eius personâ adductis, quàm certus ipse, atque securus de suâ gloriâ, & exaltatione fuerit, adstruat, quod *bonorum laborum gloriosus est fructus*, Sap. 3. 15. tuncque de retributione certissima consurgat spes, cùm acriores pugnae, atque tribulationes praecesserunt.

Chrysost. Theophyl. Sap. 3. 15.

14. Sed & illa huic rei opportunissima testimonia sunt. Isai. 53. 10. *Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longaeuum*, &c. & Ioan. 12. 24. *Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet; si autem mortuum fuerit, multum fructum affert*: sed quae commodiùs etiam vers. seq. pro Christi exinanitione expendentur. Inde ipsorum sensum huic instituto congruentē pete: modò aliud iis consentaneũ accipe ex Matt. c. 16. 22. qui Christũ discipulis dixisse ait: *Quia oporteret eum ire Ierosolymam, & multa pati à Senioribus, Scribis, & Principibus Sacerdotum, & occidi, & tertia die resurgere*; obserua verbum, *oporteret*, quasi ad exaltationem, & gloriam passio, ei & mors opus essent. Sed pergit Matthaeus; *& assumens eum Petrus coepit increpare illum dicens: Absit a te Domine, non erit tibi hoc*; quod Syriaca lectio sic effert; *Propitius esto tibi Domine mi, quo minus hoc tibi contingat*; quod perinde est, ac si diceret: Meliùs tibi ô Domine consule, nec vitam tuam tanto dolore, ac dedecore profundas, cùm flagellum à tabernaculo tuo longè abesse debeat: quibus Petri verbis seuerissimam hanc obiurgationem Dominum rependisse, subdit: *Vade post me Satana, scandalum es mihi.* Vbi non solùm acrem, & duram Petri increpationem audis, sed iisdem à Domino aculeis eum fuisse compunctum, quibus malus daemon, cùm eum impudentissimè tentauit, fuerat inflictus, atque stimulatus, Matt. 4. 10. Quod si ambigas, cur charissimum sibi discipulum, quem paulo antè Ecclesiae culmen, ac columen constituerat, tam acriter reprehenderit; ipsa quidem Christi verba, & sigillatim Satanae stimulus, quo Petrum confodit, satis indicant. Siue enim *Satanae* vocabulum ad daemonis nomen, siue Hebraeâ phrasi, ad aduersarium, & hostem significandum referas, id Christus Dominus eâ voce expressit, Petrum dilectionis praetextu infensum se ipsi hostem & aduersarium praebere, dum diuini ignarus consilij, non secus, ac Satanas regnum, & gloriam suam, in quam per crucem, & mortem oportebat intrare, ei adnitebatur eripere, cùm passionem ab eo auertens, ostium etiam ad gloriam occluderet. Sed haec in sequentibus plus plus vrgenda, & elucidanda sunt.

Ioan. 12. 24. Isai. 53. 10. Matt 16. 22. Lect. Syr. Matt. 4. 10.

ADNOTATIO IV.

Ad Christi exemplum, non debere nos arbitrari rapinam, rem scilicet facile, & sine labore parabilem esse, caeleste regnum adipisci.

1. OPPORTVNE ex apposito Christi exemplo, non arbitrantis rapinam, esse se aequalem Deo, infert postmodum Paulus, *ita & vos cum metu, & tremore vestram salutem operamini*; ac si dixerit: ne puteris rem hanc esse, quae sine sudore, & labore, & solâ (vt aiunt) digitorum percussione obtinēda sit, sed quae omne studium, conatum, ac defatigationem exigat, vt vsque ad sanguinem resistatis, aduersus peccatum repugnantes: cur enim aliâ vos viâ ad caeleste regnum peruenire posse existimatis, nisi eâmet quâ ipse Dei Filius peruenit? Sanè sanguineus ille sudor non faciem solùm, aut caput, sed totum corpus vsque ad pedes circumiens, Lucae 22. 44. cuius eam potissimùm causam fuisse adnotat. praeced. dicebamus, vt nobis innotesceret, Christum re verâ dolores, & cruciatus persensisse; id etiam nos monet, totum Christi corpus, omniaque eius membra non sine sudore, eoque sanguineo, sine cruce inquam, & laboribus ipsi inhaerere, & ad regnum vnà cum ipso posse pertingere: maximè cùm ille signatissimè dixerit; *Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me*, Matt. 16. 24. Vnde elegantissimè in hanc rem August. hom. 47. de diuersis: *Siue vir, siue mulier, siue is, qui praeest, siue is, qui alteri paret, & seruari vult, hanc ingrediatur viã. Non enim admonitionem hanc virgines audire debent, & maritatae non debent, & viduae, & nuptae non debent, aut monachi debent, & coniugati non debent, aut Clerici debēt, & laici non debent; sed vniuersa Ecclesia, vniuersum*

Luc. 22. 44. Mat. 16. 24. August.

sum corpus, vniuersa membra, per officia propria distincta, & distributa audire debent: Si quis vult venire post me abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me. Hæc August. Et quidem meritò; volunt etenim atque sperant ij omnes ad Christi regnum peruenire; sequantur igitur crucem ferentem, qui volunt comitari regnantem, cùm ipse ad regnum non nisi per crucem iuerit. Vnde eadem Matthæi verba premens, sic aiebat
Chrysost. Chrys. hom. 28. in epist. ad Hebr. *Discipulus es: Magistrum imitare, hoc quippe est discipuli; si verò ipse quidem per tribulationes perrexit, tu autem per requiem vis ire, non eandem viam vis pergere, quam ille perrexit, sed aliam. Quomodo ergo sequeris non sequens? Quomodo eris discipulus non sectans Magistri vestigia?* Quâ de
Bernard. re sic agebat Bern. ser. 21. in Cant. *Quàm pauci post te, ô Domine Iesu, ire volunt? cùm tamen ad te peruenire nemo sit, qui nolit, hoc scientibus cunctis, quia* delectationes in dextera tua vsque in finem, *& propterea volunt omnes te frui, at non ita, & imitari; conregnare cupiunt, sed non compati.* & post nonnulla: *non curant quærere, quem tamen desiderant inuenire, cupientes consequi, sed non & sequi, non sic illi, quibus aiebat:* Vos estis qui permansistis mecum in tentationibus meis. *Beati, qui digni habiti sunt testimonio tuo, benigne Iesu: ipsi re verâ ibant post te, & pedibus, & affectibus.* Hæc ille, & plura.

2. Gen. 28. 12. Requiescebat noctu in itinere aliquando Iacob, Genes. 28. 12. cùm ecce tibi,

Panditur interea domus omnipotentis Olympi,

adestque illi amica Dei maiestas, ad familiaria eum colloquia accersens, huc inde appositâ scalâ: sic enim ibi: *Viditque in somnis scalam stantem super terram, & cacumen illius tangens cœlum:* vt diceres, nihil ipsi tunc temporis fortunatius, nihil suauius, aut dulcius cõtingere potuisse. Quid enim ipsi nisi cœlum ipsum penetrare, & inter diuos referri supererat? At enimverò alia illi tunc mens, qui *cùm euigilasset de somno, pauensque: Quàm terribilis est, inquit, locus iste?* Sed cur terribilis? cur metuendus? Subdit Iacob: *non est hic aliud, nisi domus Dei, & porta cæli.* En rationem ab euigilante homine redditam; nimirum, terribilem omnino, ac metuendã cœli portam esse, per quam non nisi optimi bellatores, & ij qui crucem suam post Christum ferunt, intrare possint, ipsomet Assertore dicente apud Matth. 11.
Mat. 11. 12. 12. *Regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud:* hoc est, virili oppugnatione, & expugnatione opus est, vt cœleste regnum obtineatur. Sanè, si meministi, post Adæ peccatum, *collocauit* Dominus *an-*
Genes. 3. 24. *te Paradisum voluptatis Cherubim, & flammeum gladium, atque versatilem ad custodiendam viam ligni vitæ;* vt iis qui ad Paradisi patriam redire contendunt, esset maximè notum, non nisi per acres pugnas, & laborum difficultates illuc sibi perueniendum esse.
Ambros. Audi Ambros. ser. 20. in Psal. 118. *Omnes oportet per ignem probari, quicumque ad Paradisum redire desiderant. Non enim otiosè scriptum est, quod eiectis Adam, & Euâ de Paradisi sede, posuit Deus in exitu Paradisi gladium igneum versatilem. Omnes oportet transire per flammas, siue ille Ioannes Euangelista sit, quem ita dile-*
Ioan. 21. 22. *xit Dominus, vt de eo diceret ad Petrum:* Sic eum volo manere, quid ad te? Tu me sequere. *De morte eius aliqui dubitauerunt, de transitu per ignem dubitare non possumus, quia in Paradiso est, nec separatur à Christo; siue ille sit Petrus, qui claues accepit regni cælorum,*
Psal. 65. 12. *qui supra mare ambulauit oportet dicat:* Transiuimus per ignem, & aquam, & induxisti nos in refrigerium. Hæc Ambros. Nec omittenda, quæ de hâc tentationis fornace immediatè antè dixerat, quia præfato Iacobi pauori mirificè quadrant. *Et fortasse*

Vellaz q. in Epist. ad Philippens.

eadem fornax, ferrea fragilibus est; aurea perseuerantibus: nec enim aliud significant, Tertulliano aucto- Tertul.
re lib. de fugâ in persecutione, c. 1. ascendentes, & descendentes Angeli per scalam Iacob ostensam; sic enim ille, de persecutionis tribulatione agens. *Hæc pala illa, quæ & nunc Dominicam aream purgat Ecclesiam, scilicet, confusum aceruum fidelium ventilãs, & discernens frumentum Martyrum, & paleas negatorum. Hæ enim scalæ, quas somniat Iacob, alijs ascensum ad superiora, alijs descensum ad inferiora demonstrantes.* Ergo optimâ ratione ad cœli portam pauebat Iacob, terribilemque eum locum esse fateatur, cùm ipsimet qui Angeli videbantur, quod pro virili non pugnauerint, descendant, & cadant; atq; ij tantùm ascendant, qui violenti, hoc est, maximam sibi ipsis vim inferentes regnum cœlorum rapiant. Ita quidem de Martyribus cœlestes has portas oppugnantibus, atque expugnantibus, & earum custodes vincentibus opportunè dixit Saluianus Massil. lib. 3. Saluianus.
de Gubernat. Dei: *Qui ad cœlestis Regiæ ianuam gradibus pœnarum suarum ascendentes, scalas sibi quodam modo de equuleis, catastisque fecerunt.*

Sed vt redeam ad ea Ambrosij verba: *Siue ille sit* 3.
Petrus, qui claues accepit regni cælorum, &c. *oportet dicat: Transiuimus per ignem, & aquam, & induxisti nos in refrigerium;* hinc facilè deprehendes cur eo, dum Christi gloriâ in monte perfrueretur, dicente: *Domine bonum est nos hic esse;* addiderit Lucas, *non enim sciebat, quid diceret,* Lucæ 9. 5. Quia videlicet si- Luc. 9. 5.
ne laborum pugnâ superna gaudia occupare, possidereque volebat. Ita Leo Magnus serm. de Trans- Leo Magn.
figurat. inquiens: *Huic suggestioni Dominus non respondit, significans, non quidem improbum, sed inordinatum esse, quod cuperet; cùm saluari mundus, nisi Christi morte non posset, & exemplo Domini in hoc laudaretur credentium fides, vt licèt non oporteret de beatitudinis promissionibus dubitari, intelligeremus tamen inter tentationes huius vitæ priùs nobis tolerantiam postulandam esse quàm gloriam, quia tempora patiendi non potest felicitas præuenire regnandi.* Quò etiam ire videtur ille eiusdem Petri linguæ, siue sensus lapsus, adnotat. præced. expensus, cùm prænunciante Christo Domino: *Quia oporteret eum Ierosolymam, & multa pati à Senioribus,* &c. ipse occurrit dicens: *Absit à te Domine, non erit tibi hoc.* Cui tum Dominus; *Vade post me Satana* Matth. 16. 22. ac si diceret. Adeò tibi la- Mat. 16. 22.
borum displicet tolerantia, vt me etiam à passione, & morte, è qua totius mundi salus dependet, deterrere velis, quò tu incolumis, & saluus ad cœleste regnum pertingas. Abi ergo post me; mea sequere vestigia, nec gloriam tibi sine passione, & cruce promiseris, hæc ad ea verba sic considerante Am- Ambr.
bros. in id Psal. 118. *Lucerna pedibus meis verbum tuum:* serm. 14. *Errabat Petrus in tenebris ignorantiæ, negabat Christum esse moriturum, quia adhuc non videbat moriturum, & resurrecturum esse pro nobis, conuersus ad eum Dominus ait:* Vade retrò post me. *Ostendit illi lucernam, quam deberet sequi,* post me, *dicens; secutus verbum Dei confirmatus est, & postea cœpit inhærere Christo, timens ne aliquo laberetur errore.* Sed Deus bone! quàm firmiter, quàm constanter Christo subinde adhæsit, qui quo meliùs ipsum monentem, vade post me, *sequeretur in cælum* (verba Chry- Chrysol.
sologi ser. 27.) *crucem resupinus ascendit?*

Senior ergo postea Petrus à se ipso, cùm iunior 4.
erat, omnino diffidens fideles ita commonebat epist. 1. cap. 4. *Christo igitur in carne passo, & vos eâdem cogitatione armamini.* Pulchrè, *eâdem cogitatione:* nec minus opportunè *armamini;* alludit enim opinor, ad hanc Christi cogitationem, de quâ Paulus, *nõ rapinã arbitratus est, esse se æqualẽ Deo.* Quâ quidẽ

 aduersus

aduersus omnes Christianæ disciplinæ difficultates, atque labores armatos nos, & communitos esse studet, vt ad eius exemplum, vim, quam regnum cœlorum patitur, ei inferamus: vbi etiam ad primum militiæ ingressum siue tyrocinium videtur allusisse Petrus, vt indicet, militiæ nostræ tyrocinium ab hâc cogitatione incipere: sicut cùm primùm militiæ se quispiam adscribit, arma sumere dicitur; quasi nec ad Christianæ militiæ tyrocinium is deuenerit, qui hâc cogitatione perferendi labores non fuerit instructus. Nec caret emphasi Fulgentij, & aliorum lectio, pro *cogitatione*, reponentium, *scientiâ*, non eo solum sensu, vt quemadmodum sciebat Christus per crucem, & mortem se in gloriã suam intraturum, ita id nobis fuerit persuasum, non nisi per labores cœlestis regni nobis aditum aperiri: sed etiam vt innuat Petrus, eos tantummodo de suâ salute sapienter cogitare, qui ad Christi exemplum se componunt; illos verò, qui labores fugiunt, eâ in re omnino desipere, in quâ vnâ maximè sapere oportebat. Sed Petri sentẽtiam sic confirmat S. Cyril. Ierosolym. Catechef. 13. *Ne sis tantùm pacis tempore Iesu amicus, & belli tempore inimicus. Accipis nunc in remissione peccatorum, & spiritali dono Regis pecunias; quando venerit bellum, pugna strenuè pro Rege tuo Iesu. Pro te crucifixus est, qui nihil peccauerat; & tu pro crucifixo non crucifigeris? Non tu priùs gratiam illi hanc exhibes, prior enim accepisti; sed gratiam illi reddis. Redde vsuram illi, qui propter te in hoc sacro Golgotha crucifixus est.* Vrgebat quidem Bernardum, & adeò vrgebat hæc ratio, vt serm. 4. de Resurr. diceret: *Sunt, quibus nondum est passus Christus.* Quod si inquiras, quî id esse possit, cùm pro omnibus ipse passus fuerit. Respondet; *Qui labores fugiunt, & mortem metuunt vsque adhuc, quasi verò ille, & labores sustinendo, & mortem moriendo non vicerit*: ac si diceret; quid enim minus, quæso, facerent, si Christus adhuc mortem non obiisset? Cùm non aliter crucem recusent, & salui ac incolumes, nullâ defatigatione, aut labore suscepto, ad cœleste regnum velint peruenire, ac si egregiũ patientiæ Christi exemplar non haberent.

Fulgent. Cyril. Ierof. Bernard.

5. Omnia quidem Christi supplicia, atque tormenta ad labores patienter, & alacriter perferendos mouere nos debent; sed spinea eius corona magis me pungit, acrioresque adhibet stimulos. Cur enim sacrum illud caput potiùs, quàm alia corporis pars spinis coronatum, & laceratum fuerit, nisi vt dum huius capitis membrum me agnosco, spinas potius, quàm flores, legendas mihi sciuerim? Vnde Tertull. lib. de coron. milit. cap. 14. cùm dixisset: *Christus Iesus quale, oro te, sertum pro vtroque sexu subijt? Ex spinis, opinor, & tribulis in figuram delictorum, quæ nobis protulit terra carnis, abstulit autem virtus Crucis omnes aculeos mortis in Dominici capitis tolerantiâ obtundens. Certè præter figuram contumelia in promptu est, & turpitudo, & dedecoratio, & his implexa sæuitia, quæ tunc Domini tempora & fœdauerunt, & lancinauerunt*; subiicit eleganti dissimulantiâ, atque ironiâ. *Ito tu nunc, laureâ, & myrto, & oleâ, & illustriori quâque fronde, & quod magis vsui est, centenarijs quoque rosis ex horto Midæ lectis, & vtrisque lilijs, & omnibus violis coroneris, etiam gemmis forsitan, & auro, vt & illam Christi coronam æmuleris, quæ postea ei obuenit, quia & fauos post fella gustauit, nec antè Rex gloriæ à cœlestibus salutatus est, quàm Rex Iudæorum proscriptus in crucem.* Hæc ille in hypocrisi; subdit seriò, & grauiter. *Si ob hæc caput ei tuum debes, tale, si potes, ei tuum repende, quale suum pro tuo obtulit.* Ac si diceret: debes, & strictissimo iure debes caput tuum spinis coronare, vt & huius capitis membrum fias, & oblato pro te spinis capiti iustam retributionem rependas. Sed dissimulanter etiam, & ironicè Saluianus lib. 6. de Prouident. ijs, qui pro vitæ asperitate, quâ Christo similes euadãt, luxũ, & blanda sectantur, sic insultat. *Videlicet vestigia Saluatoris sequimur in circis, vestigia Saluatoris sequimur in theatris; tale scilicet nobis Christus reliquit exemplũ, quem fleuisse legimus, risisse non legimus, & hoc vtrumque pro nobis, quia fletus, compunctio est animi, risus, corruptio disciplinæ.* Hæc, & plura Saluianus.

Tertul. Saluian.

6. Dixi ad vers. 29. cap. præced. premens ea Petri verba epist. 1. cap. 1. 21. *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt sequamini vestigia eius*; Græcam vocem, ὑπογραμμὸν, pro quâ noster posuit *exemplum*, propriè significare exemplar illud, quod pueris literas formare, siue pictoriam artem addiscere incipientibus, sub papyraceâ chartâ submittitur, vt quamuis rudiori penicillo, aut minus limato stylo, characteres illos siue lineas ad amussim exprimere studeant. Vnde præter ibi dicta duo modò possis inferre: alterum, adeò nobis ad salutem hanc Christi crucifixi imitationem esse necessariam, vt inde nostræ prædestinationis, atque glorificationis argumenta sumenda sint, quod conformes simus imagini Filij Dei, ad Rom. 8. 29. Alterum, in tot tantisque patientiæ, & fortitudinis exemplis, quæ Christus patiens nobis præbuit, nihil esse à nobis prætereundum, quod pro viribus imitari, & exprimere non curemus, eo modo, quo addiscens puer omnes characteres, siue lineas in exemplari submissas exprimere studet. Quo sensu Galatis, qui cùm spiritu incepissent, à carne postmodum abripiebantur, dicebat Paulus c. 3. 1. *O insensati Galatæ, quis vos fascinauit non obedire veritati, ante quorum oculos Iesus Christus præscriptus est, in vobis crucifixus?* Vbi eos puerilis ingenij, & conditionis arguit, qui facilè ob carnis illecebras siue nænias à præscripto fascinati deflexerint. Sic verò effert hunc locum lectio Syriaca. *Quis vos fascinauit? Ecce coram vobis, quasi pingendus depictus fuerat Iesus Christus crucifixus.* Quare subdit Apostolus: *sic stulti estis, vt cùm spiritu cœperitis, nunc carne consummemini.* Ac si diceret: quæ vobis profectus, siue salutis superest spes, qui manum tam citò è tabula amouistis, nec Christi crucifixi imaginem in vobis semipictam perficere curastis, sed ad carnis delicias oculos potiùs conuertistis? Quò quidem per allegoriam referebat Gregor. lib. 4. in libr. Reg. illa Samuelis ad Saül verba 1. Reg. 9. 24. *Ecce quod remansit pone ante te, quia de industria seruatum est tibi*: vt significaretur, sic Christum Dominum redemptionem nostram perfecisse, vt Crucis, atque Passionis ipsius imitatio nobis remaneat. Audi. *Remansit quidem, quia non omnia nostra Christus expleuit: per Crucem quidem suam omnes redemit, sed remansit, vt qui redimi, & regnare cum eo nititur, crucifigatur. Hoc profectò residuum viderat, qui dicebat*; si compatimur, & conregnabimus: *quasi diceret; quod expleuit Christus, non valet, nisi ei, qui quod remansit, adimplet.* Hæc ille. In quam sententiam Origenes hom. 13. in Genes. dum explicat id Genes. 17. 13. ex Domini personâ: *Erit pactum meum in carne vestrâ in fœdus æternum*, & nostro instituto sic aptat: *Quid enim mihi prodest, si in illâ tantùm carne, quã de Mariâ suscepit, dicam venisse Christum, & non ostendam etiam in hâc meâ carne, quod venerit? Ostendo autem* (præcido nonnulla) *si potuero dicere secundum Paulũ, quia* Christo concrucifixus sum: viuo autẽ, iam non ego, viuit verò Christus in me: *& si potuero dicere, vt ipse dicebat:* Ego stigmata Domini mei Iesu Christi in corpore meo porto. Ita Origenes.

1. Petr. 1. 21. Ad Rom. 8. 29. Ad Gal. 3. 1. Lect. Syr. Gregor. Origen. Ad Gal. 2. 20. Ad Galat. 6. 17.

Sed

7. *Luc.22.29.* Sed & illud Domini apud Lucam 22. 29. *Ego diſpono*(ſiue *teſtamento relinquo*)*vobis, ſicut diſpoſuit mihi Pater meus regnum*, quod præced. annot. iuxta Bedæ explicationem cepimus, huc maximè facit, dum inde monemur, non aliter nobis, quàm Chriſto, qui *non rapinam arbitratus eſt, eſſe ſe æqualem Deo*, cœleſte regnum decerni. *Rupert.* Vnde Rupert. in cap. 5. Apoc. *Hoc ius legale eſt apud cæleſtem Regem, vt ſicut ipſi diſpoſuit Pater regnum, ita nobis diſponat præmium permanentibus cum illo in tentationibus eius.* Cui cogitationi non leuiter fauet peruulgata Iuris regula: *Abſurdum eſt plus iuris habere eum, cui fundus legatus eſt, quàm heredem, aut ipſum teſtatorem, ſi viueret.* Sanè ſi Chriſto Domino, qui regnum nobis ſuum teſtamento reliquit, ius & locum ad ipſum obtinendum Paſſio ſua fecit; atque id ſubinde ius in nos transfert, manifeſtè omnino conuincitur, abſurdum eſſe, vt aliunde, quàm per labores, & crucem regnum nobis ſperemus. Eſt *Pſ 5. in tit.* quidem hic Pſal. 5. titulus, *Pro eâ, quæ hæreditatem* *Chryſoſt.* *conſequitur*: ſiue, vt legit Chryſoſtomus, *Pro hærede.* Quæ ſanè verba eorum animos, qui cœleſtem hæreditatem concupiſcunt, non poſſunt non grauiter ſolicitare, vt quonam modo ad ipſam peruenturi ſint, nouerint: vnde inibi Chryſoſt. *Videas primum quæ ſit hæreditas, & ſi ea ad nos quoque pertinet, deinde tempus, quo datur: eſt enim abſurdum, ſi deferatur nobis ex teſtamento hæreditas, tamquam quæ ad nos pertineat, de eâ non eſſe ſolicitos, & curioſè indagare, & ſcripta inquirere, & pecuniam ſoluere, & ad tabulas accedere, & quæ in iis ſcripta ſunt videre, & omnem adhibere diligentiam.* Quod ſi de iis omnibus certior fieri velis, audi Paulum breuiſſimè hæc perſtringentem *Ad Rom. 8. 17.* ad Rom. 8. 17. *Hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti, ſi tamen compatimur, vt & conglorificemur.* Vides ſub quâ nobis conditione, & lege, ſuperna ad nos hæreditas pertineat; *non enim*(rurſus Chryſoſt. loco indicato) *Chryſoſt.* *reliquit nobis hæreditatem purè, ſed ſub quadam conditione: quænam autem ea eſt?* Qui me diligit, *inquit*, præcepta mea ſeruabit, *& rurſus*: qui non tollit crucem ſuam, & ſequitur me, &c. Sic ille. *Origen.* Vnde Origenes præfatâ hom. in Geneſ. dum pro illis verbis Geneſ. 17. 13. *Erit pactum meum in carne veſtrâ in fœdus æternum*, ipſe legit, *erit teſtamentum meum in carne veſtrâ* ſic opportunè inquit. *Quomodo erit teſtamentum Chriſti ſuper carnem meam, requiro. Si mortificauero membra mea, quæ ſunt ſuper terram, teſtamentum Chriſti habeo ſuper carnem meam; ſi ſemper mortem Chriſti in corpore meo circumferam, teſtamentum Chriſti eſt in corpore meo, quia* ſi compatimur, & conregnabimus, *ſi complantatus fuero ſimilitudini mortis eius, teſtamentum eius oſtendo eſſe ſuper carnem meam.* En Chriſti teſtamentum, quo nobis hæreditatem reliquit, in æternæ felicitatis pignus. Porrò cùm regnum Chriſti contemplatus, non ſine admiratione *Chryſol.* dixiſſet Chryſolog. ſerm. 144. *Quid eſt quod permanſura non ambiunt, qui ambiunt tranſitura? Quid eſt quod caducos honores auro comparant, & nolunt gratis accipere ſempiternos?* ſic ſtatim ſubiicit: *Fratres, hic parātur officia, hic decernuntur loca, hic honores deſignantur, hic qui non de fide Euangelij acceperit codicillos, ibi æternarum infulas non habebit dignitatum.*

8. Ita quidem à diſcipulis primarias in regno Chriſti ſedes ambientibus interrogabat Dominus: *Mátt.20. 22.* *Poteſtis bibere calicem, quem ego bibiturus ſum?* Matth. 20. 22. vbi cùm non ſit dubium de morte oppetendâ ſermonem eſſe, meritò ambigitur, cur calicis nomine ſignificata ſit. Eſt verò ad manum, quid ex Scriptura reſpondeatur, nimirum voluiſſe Chriſtum indicare, cœleſtem hæreditatē cum cruce, & morte coniunctiſſimam eſſe, nec ab ea poſſe diuelli: eſt ſiquidem in ſacris frequentiſſimum, hæreditatis delationem calicis vocabulo ſignificari; ſic Pſal. 15. 5. *Pſal. 15. 5.* pro eodem duo hæc, calix, & hæreditas, ſic accipiuntur; *Dominus pars hæreditatis meæ, & calicis mei: tu es qui reſtitues hæreditatem meam mihi*: vbi Lorinus *Lorin. Montan.* ex Montano, & aliis non ſolùm alluſum eſſe ad morem celebrandi hæreditarium pactum epuli, atque poculi communicatione, ſed etiam idipſum iis verbis, *poteſtis bibere calicem*, innui monet. Quare idem illis ſubeſt ſenſus, ac prædictis apud Luc. *Ego diſpono vobis, ſicut diſpoſuit mihi Pater meus regnum*; ac ſi diceret Chriſtus. Animaduertite, non purè, ſed ſub conditione crucis, mortiſque ferendæ hæreditatem vobis eſſe deferendam, quam qui adimplere prætermiſerit, expers illius profectò fiet. Cui cogitationi illud accinit ex Apocalyp. 21. 7. cùm cœleſti *Apoc 21. 7.* beatitudine Ioanni oſtensâ, ſic fuit illi conclamatum: *Qui vicerit poſſidebit hæc, & ero illi Deus, & ille erit mihi filius. Timidis autem, & incredulis, & execratis, & homicidis, &c. pars illorum erit in ſtagno ardenti igne, & ſulphure.* Vbi ſi dubites, cur timidis, qui non videntur peiores è peccatoribus eſſe, horrendum illud malum Dominus cum primis minitetur. Reſpondeo, pro *timidis*, Græcè eſſe, δειλοῖς, id eſt, *ignauis*, ſiue *pigris*. Iam ſi inquiras, quod tandem hoc nefas fuerit. Reſpondet Salomon Prou. 13. 4. *Prou. 13. 4.* *Vult, & non vult piger.* In quæ verba Hieronym. lib. *Hieron.* 2. in Prouerb. *Rectè pigri nomine denotatur, qui vult regnare cum Domino, & non vult pati pro eo.* In quos ſic grauiter inuehitur Saluian. Maſſil. lib. 6. de Pro- *Saluian.* uident. *Theatrorum ab ſcena redimus, Chriſto ludicrorum turpiſſimorum hoſtias immolamus, videlicet, hoc nos pro nobis in carne natus Saluator mundi noſter edocuit; hoc vel per ſe ipſum, vel per Apoſtolos prædicauit: propter hoc humanæ natiuitatis verecundiam ſubijt, & contumelioſa terrenæ ortus principia ſuſcepit: propter hoc in præſepio iacuit, cui ſeruierunt Angeli cùm iaceret: propter hoc inuolui ſe pannorum crepundijs voluit, qui cælum regebat in pannis: propter hoc in patibulo pependit, quem pauentem mundus expauit.* Qui propter nos, *inquit Apoſtolus*, pauper factus eſt cùm diues eſſet, vt illius inopiâ vos honeſtaremini; &, cùm in formâ Dei eſſet, humiliauit ſemetipſum vſque ad mortem, mortem autem crucis: *His nos videlicet Chriſtus imbuit, cùm pro nobis iſta toleraret. Præclaram Paſſioni eius reddimus viciſſitudinem, qui cùm morte ipſius, redemptionem acceperimus, vitam turpiſſimam repenſamus.* Hactenus Saluian. Sed in præfatò Apocalypſis loco eum etiam dicendi modum obſerua: *pars illorum erit in ſtagno*, &c. nam cùm (*pars*) in Scriptura ſumi ſoleat pro hæreditate, Num. 18. 20. Deut. 18. 1. & alibi, emphaticè dictum videtur, pigris atque ignauis pro cœleſti hæreditate, quam labores fugiendo nolunt acceptare, miſerrimam hanc pœnarum, & tormentorum hæreditatem eſſe repoſitam. Sub quo etiam ſenſu Iob 5. 7. di- *Iob 5. 7.* citur: *Homo naſcitur ad laborem, & auis ad volatū*: vbi Hebraïcè habetur: *& filij prunarū eleuabunt volatū*: *Lect. Heb.* hoc eſt, laborum iugum à ſe excutient; ac proinde *filij prunarum*, ſiue prunis addicti cenſebuntur; quorum videlicet pars ſit *in ſtagno ardenti igne, & ſulphure.* Ita dicebat Vates Pſal. 128. 4. *Dominus iu- Pſal. 128. 4.* *ſtus concidet ceruices peccatorum*; ſingillatim ceruicum potiùs, quàm capitum, aut alterius corporis partis mentionem faciens, quippe illis ſignatè ſupplicium reſpondet, quod Crucis iugum à ſe repulerint.

Contra verò Apoc. 22. 14. Ioanni dicebatur: 9. *Beati qui lauant ſtolas ſuas in ſanguine Agni, vt ſit poteſtas illis in ligno vitæ, & per portas intrent in ciuitatem.* *Apoc. 22. 14.*

Vbi primò obserua phrasim lauandi stolas in sanguine: nam primâ facie sanguine potiùs infici, & commaculari, quàm mundari, dealbaríque stolas dixeris; sed enim subsistit optimè lauandi similitudo, quod lauare in sanguine Agni idem fuerit, ac ipsius sanguine carnem nostram per Crucis imitationem intingere; quod sanè si aduertis, & Petr. epist. 1. cap. 4. 13. communicationem passionum Christi appellauit inquiens: *communicantes passionibus Christi gaudete*; & Ambros. lib. 5. in cap. 7. Luc. ad hunc modum disertè explicuit. *Tinge carnem tuam in Christi sanguine, sicut scriptum est*: vt intingatur pes tuus in sanguine. Psal. 67. 24. *& tu ergo vestigium animi tui, & mentis incessum indubitatâ confessione Dominicæ Crucis tinge. Tingis carnem tuam in Christi sanguine, si vitia diluas, peccata detergas, mortem Christi in tuâ carne circumferas.* Mundatur ergo, atque lauatur, qui carnem suam in Christi sanguine intingit, quod cruce atque laboribus implexas sibi vitiorum, atque cupiditatum sordes detergat, ac diluat; vnde illi maximè immundi, & commaculati censentur à Deo, qui luxu, & delicatâ viuendi ratione exteriùs maximè mundos, ac nitidos sese hic exhibent, vt illis possis aptare illud Ierem. 2. 22. *Si laueris te nitro, & multiplicaueris tibi herbam borith, maculata es in iniquitate tuâ coram me.* Quid quod eum, qui in Christi sanguine carnem suam intingit, ideo lauari, summéque mundari dixeris, quod sordidis humanæ fragilitatis vestibus exutus, regiâ, splendentíque purpurâ, quæ Christi sanguine rubescit, induatur? Sed iam, cur dicitur, *vt per portas intrent in ciuitatem*? Nonne satis erat, dixisse, *vt intrent in ciuitatem*, quin adderetur, *per portas*? Num illuc per tegulas intrare clanculum aliquis possit? Non opinor; pulchrè enim dixit Tertull. lib. de pœnit. *Furto quidem aggredi, & propositum huius rei asseuerationibus tuis circumduci facile est; sed Deus thesauro suo prouidet, nec sinit obrepere indignos.* Quid ergo significat, *per portas intrare in ciuitatem*? Dixerim, legitimè quidem, & regiâ laborum, & afflictionum viâ Paradisum à bellatoribus Angelis circumseptum, ac custoditum intrasse ad Christi exemplum, cui crux sua ostium aperuit, vt in superioribus vidimus; ita Hispanâ locutione, de eo qui virtutum meritis innixus honorum præmia consequitur significanter dicere solemus: *Entro por la puerta al officio, à la dignidad, al Obispado*: simul indicantes, illos, qui dum fauore, aut pretio, non virtute ambientes ea adipiscuntur munera, ad ipsa non tamquam legitimos Dominos, sed vt raptores, & fures, qui domum non per portam, sed per alienas tegulas noctu ingrediuntur (nam *qui non intrat per ostium in ouile ouium, sed ascendit aliunde, ille fur est, & latro*, Ioan. 10. 1.) deuenire. Vt appareat, eos qui non lauant stolas suas in sanguine Agni, non de legitimè obtinendâ, sed de rapiendâ, & furto comparandâ cœlesti beatitudine cogitare. *Sed Deus thesauro suo prouidet, nec sinit obrepere indignos.*

(Margin: 1. Petr. 4. 13. — Ambros. — Psal. 67. 24. — Ierem. 2. 22. — Tertull. — Ioan. 10. 1.)

ADNOTATIO V.

Ex Christi exemplo non nisi per merita, & labores ad munera, & dignitates perueniendum esse.

1. Simile superiori monitum ex Pauli mente hoc in loco facilè elicias: non aliter videlicet ad honores, & ad publica munera, atque functiones, quàm per laborum, & virtutum merita deueniendum esse. Id enim Apostoli institutum esse videtur, dum Christum ad Patris dexteram, atque ad sui nominis claritatem, & gloriam non sine sudore, & laboribus, & iis quidem, quibus consideratione tantummodò percurrendis, si nobis vitæ spatium duplicetur, non sit suffecturum, perueniendum sibi existimasse adstruit. Sic certè dixit Vates Psal. 92. 3. *Parata sedes tua ex tunc, a sæculo tu es.* Vbi de Christo, & eius regno sermonem esse mihi fas dubitare non videtur. Meritò tamen ambigitur, quid significet illud, *ex tunc*, cùm nimirum Christo parata sedes, dicitur. Multi multa dicunt, & plures quidem hanc locutionem, æternitatem denotare affirmant. Ego verò, vel ex titulo Psalmi, qui cùm sit, *Pro sabbato*, siue pro die, quando de Adæ costa ædificata est Eua, hoc est, cùm de Christi latere ædificata est Ecclesia; vel ex phrasi præcingendi se, quæ immediatè præcesserat, crediderim ad Christi passionem esse referendum. Vnde ipsemet Agellius, qui vt literalis sensus custos, rigidúsque satelles, ita in spirituales sensus nunquam pronus esse solet, sic ait in Psalmi titulo: *ipsi Hebræi Christiani nominis hostes, Psalmū ad Christi tempora spectare confitentur. Quando autem id factum est, nisi pro Sabbato, cùm in crucem sublatus insigne Regnum accepit*, &c. Ergo sensus est: quamuis à sæculo Deus sis, at sedes tua, ô Christe, ex Passionis tempore parata tibi est. Duo huius meę cogitationis fideiussorem ipsummet Dominum, qui dum iniquo Principi sacerdotum sisteretur, simúlque an esset Dei Filius, fuisset adiuratus, ipse respōdit; *Tu dixisti: verumtamen dico vobis; amodò videbitis Filium hominis sedentem à dextris virtutis Dei, & venientem in nubibus cœli*, Matth. 26. 64. Obserua particulam illam (*amodò*) pro quâ lectio Syriaca posuit, *ab hoc tempore*, vt cum præfatâ (*ex tunc*) componas; subest enim illi v. s. ac si dixerit Assertor: quamuis ego quidem Dei sim Filius, regiam tamen sedem, & solium non priùs accipere præsumpsi, quàm vobis vt reus sisterer, iudiciúmque subirem. Amodò verò, ex hoc inquam tempore, quo à vobis iniquè condemnor, parata mihi à dextris Dei sedes, ac diuinum solium est. A quo non longè it, quod ad illud verbum, *sedentem*, sic adnotauit Paschasius lib. 12. in Matth. *ac si dicat supra virtutem fundatum, & constabilitum.* Vides natiuum potestatis, ac sedis fundamentum, virtutem esse? Et verò, vt huic natiuâ suâ Dei Filius semper fuerit innixus, at non fuit contentus, nisi externis id operibus, laboribus, ac morte ipsa manifestum redderet.

2. Quem sanè ad modum peracto iam Passionis tempore, discipulis Dominus dicebat, *Data est mihi omnis potestas in cœlo, & in terra*, Matth. 28. 18. Quid? à te Domine aliquandò abfuit, qui Deus verus de Deo vero es? Minimè; sed cùm ipse Principum ac Prælatorum exemplar foret, regnum, atque ditionem suam per Crucis, ac mortis merita obtinuisse, rationi maximè consentaneum ipsi visum fuit. Vnde Drogo Serm. de Sacram. Dom. Passion. tom. 2. Bibliothecæ: *Data est tibi Domine Iesu omnis potestas in cœlo, & in terra; Magne Rex virtutum, quia factus es obediens Patri vsque ad mortem, mortem autem crucis. Ecce eleuata est magnificētia tua super cœlos, & omnia subiecta sunt pedibus tuis.* Quâ etiam mente, vt adnot. præced. vidimus, dicebat Tertull. lib. de coronâ milit. cap. 14. *Non antè Rex gloriæ à cœlestibus est salutatus, quam Rex Iudæorum proscriptus in crucem.* Quasi diceret: ita quidem cœlestibus spiritibus persuasum erat, ad regiam, cœlestémque sedem, non nisi per laborum merita, æternâ Dei lege veniendum, vt non antea Regem gloriæ Christum salutauerint, quàm ipsum in cruce, vt Regem fictum, iudi

(Margin: Psal. 92. 3. — Agellius. — Matth. 26. 64. — Paschas. — Matth. 28. 18. — Drog. — Tertull.)

ludibrio habitum vidissent; sed priùs quidem ipsemet Dominus id iudicium tulit, qui Ioan. 6. 19. *cùm cognouisset, quia venturi essent, vt raperent eum, & facerent eum Regem, fugit iterum in montem ipse solus.* Vide quæ diximus adnot. 3. ad ea verba, vt ego sub hoc sensu capiam Ambros. lib. 7. in Lucam, vbi dum ea Christi verba apud Matth. 16. 13. *Quem dicunt homines esse Filium hominis?* versat, quantum inter Christum & Eliam interesset, sic definit. *Eliam fortè turba opinabatur, quia raptus est in cælum: sed non Elias Christus; ille rapitur, iste regreditur; ille per turbinem rapitur, iste rapinam non arbitratus est, esse se æqualem Deo.* Quod sic capio, ac si dicat, Eliam præter rerum naturalium ordinem in Paradisum raptum, & in turbine raptum, at Christum noluisse rapi in cœlum, siue quasi ex rapto, & turbato rerum ordine, dignitatem, quâ Deo æqualis haberetur, obtinere, sed gloriæ fauum post fella gustare, nec priùs à cœlestibus spiritibus Regem appellari, quàm vt fictus Iudæorum Rex proscriptus fuisset in crucem.

Ioan. 6. 15. Ambros. Matt. 16. 13.

3. Certè Paulus, vt eos, qui munerum honores, & præfecturas diligunt, quâ illis viâ gradiendum sit, commoneret, sic scripsit ad Ephes. 5. 25. *Christus dilexit Ecclesiam, & tradidit semetipsum pro eâ, vt mundaret sibi sponsam, non habentem maculam, aut rugam,* &c. Quasi diceret: ecce modum, quo sibi Ecclesiam Christus copulauit, eiúsque sponsus, ac Pontifex factus est, dum ingentes pro ipsa labores suscipere, mortémque subire non recusauit, quod hæc ambiendi legitima ratio sit. Ita Bernard. serm. 28. in Cant. *Speciosus formâ præ filijs hominum, pro filijs hominum illuminandis obscuretur in Passione, turpetur in Cruce, palleat in morte, ex toto non sit ei species, neque decor, vt sibi speciosam, atque decoram acquirat sponsam Ecclesiam sine maculâ, & sine rugâ.* sic ille. Pergit verò Nazianz. inquiens, non Christi solùm laboribus (quamuis hi quidem satis superque essent) sed omnium etiam iustorum, qui Christum præcesserunt meritis, atque pugnis Ecclesiam fuisse collectam. Sic enim ipse orat. de laudibus Athanasij: *Multis tum eorum, qui Christum præcesserunt, tum eorum, qui post Christum extiterunt sudoribus, & cædibus, ac denique magnis ipsius Dei pro salute nostrâ supplicijs, doloribúsque collectam.* Vt hinc appareat, quantæ molis sit Ecclesiæ sponsum, atque Episcopum fieri; quantâque ratione ipsemet Gregorius in Apologetico non leuiter sibi timeret, quod Pontifex fuerit creatus; sic enim ille: *In his ego cogitationibus dies, noctésque versor, hæc medullas etiam meas eliquant, & carnes conficiunt, nec me audacem esse sinunt, ac sublatâ facie incedere, hæc animum meum deijciunt, & mentem contrahunt, & linguæ vinculum conijciunt, faciúntque vt non de præfecturâ, nec de corrigendis, & gubernandis alijs cogitem id quod exuberantis cuiusdam facultatis est, sed quomodo ipse venientem iram effugere, atque à vitij rubigine nonnihil me ipsum abradere queam, purgaríque prius, deinde purgare, sapientiâ instrui, atque ita demum alios sapientiâ instruere, lux fieri, & alios illuminare, ad Deum appropinquare, & ita alios adducere, sanctificari, & postea sanctificare, cum manibus ducere, cum prudentia consilium dare.* At, inquis, scrupulosè nimis, & angusto pectore, vel pro egregiâ ipsius modestiâ hæc dicebat Nazianzenus. Fateor modestissimum illum, nec in magnis, & mirabilibus super se ambulantem, sed enim prudentissimè, atque ad Christi gustum præfata verba dicta esse censeo. Etenim si Rex Theodoricus apud Cassiod. lib. 3. variar. epist. 16. dum Vicariatus in Galliæ prouinciâ, quæ nouiter ab ipso fuerat subiugata, Senatori cuidam munus impertiês, pulchrè dixit: *Vnde perpende qualia de te videamur habere iudicia, quando ad illos populos mitteris regendos, quos nostris laudibus specialiter credimus adquisitos; chara est Principi gloria, & necesse est de illis amplius esse sollicitum, vnde sibi triumphorum venisse sentit augmentum:* quæ iam in eo meritis [...]d de illo iudicium haberi opus sit, qui ad eum populum regendum, & corrigendum mittitur, quem Christi sanguine, omniúmque iustorum laboribus, summique Dei laudibus credimus adquisitum? Chara quidem est Christo gloria sua, & dubium esse non potest, quin de illis sit valde sollicitus, ex quibus egregia sibi triumphorum venit materies.

Ad Ephes. 5. 25. D. Bernard. Nazianz. Idem. Cassiod.

4. Equidem Cant. 5. 14. de sponsi manibus (sunt autem manus sponsi, siue Ecclesiasticæ, siue sæcularis Reipublicæ præpositi, atque ministri, quibus velut manibus, & instrumentis ad Ecclesiam suam regendam, siue ad vtramuis manum spiritualis, videlicet, vel temporalis œconomiæ versandam ipse vtitur) dicitur; *Manus illius tornatiles aureæ, plenæ hyacinthis*: hoc est, meritis, & virtutibus potiùs, quàm externis fauoris ornamentis præditas esse. Sed pende singula. *Tornatiles*: certè ex auri metaphorâ potiùs diceres, conflatione, non torno esse formandas; sed enim, quæ conflantur, subitò, materiâ liquefactâ, confinguntur; id verò Prælatis, ac Magistratibus minimè quadrat, qui non subitâ mutatione, sed lentâ morâ post diuturna temporum, ac laborum curricula, ad munerum dignitates assumendi sunt, ad eum modum, quo quæ torno efficiuntur, ita ad amussim, & normam elaborantur, & expoliuntur, vt omnes artis leges, atque articulos expleant, donec nihil ornatius, rotundius, aut magis politum confingi queat, aliàs meritò queratur Nazianzen. orat. de Episc. ad fin. oper. *Qui fit, vt magni pretij gemma difficulter conquiri possint, & non cuiusuis terræ, aut loci sit aromata ferre, & equorum item malorum magna sit copia, cùm generosos tantùm domos locupletum alant; Antistes verò facilè momento reperiatur, qui nihil antea præstiterit, & nouitius ad dignitatem accedat? O subitam morum mutationem! rei diuinæ modò sunt actus alearum, cuborúmque* & aliquanto post: *Heri Simon Magus eras, hodie Simon Petrus, heu nimiam celeritatem! heu!* Vnde hæreticos scitè carpit Tertullianus, quod homines nulla virtutis, aut literarum supellectile ornatos, eâ solùm de causâ, quod inibi apud se haberent, in Episcopos & ministros assumerent: sic enim ille lib. de præscript. cap. 41. *Nusquam faciliùs proficitur, quàm in castris rebellium, vbi ipsum esse illic, promereri est*; ac si dicat: non inde proficiunt, & crescunt, quod virtuti, aut literis quispiam incumbat, sed solummodo, quod illic non aliter, quàm inanimis, aut marmorea statua fuerit. Quare statim subiicit: *Itaque alius hodie Episcopus, cras alius: hodie diaconus, qui cras lector: hodie presbyter, qui cras laicus. Nam & laicis sacerdotalia munera iniungunt.* Vt verò videas nostri temporis hæreticos eosdem omnino cum priscis illis, atque veteribus esse; adeóque hæresim meracissimam Angliæ florere, vt iure dixeris,

Cant 5. 14. Nazianz. Tertull.

Hic illius arma, hic currus est:

scito inibi tam facilè profici, vt qui heri pistor erat, hodie pastor sit, vt in Bulingero cernere fuit. Quare in eo sic possis ludere,

Est pastor, qui pistor erat; nec mutat iota.

5. Sed redeo ad verba Canticorum, *aureæ, plenæ hyacinthis*; in quibus sapientia, quæ arcanâ significatione auro denotatur, & vitæ integritas, & puritas, quam hyacinthus cœlo assimilis significat, maximè commendantur. Et de hoc quidem Nazianz. Antistitem formans in Apolog. sic dicebat: *Quid ea referam,*

Nazianz.

referam, quæ Iesus discipulis suis ad prædicationem eos mittens præscribit? Quorum ne singula explicem, hæc summa est, vt virtute tales sint, atque ita expediti, & modesti, & vt vno verbo dicam, cælestes, vt non minus ob eorum vitam, & mores, quam ob sermonem, atque doctrinam, Euangelium curr[...]t, quo non longius it, quod in ipsismet externis, & sæcularibus functionibus obseruari debere, ad hunc modum monebat
M.Tull. Tullius lib. 15. epist. 4. *Imperatorum nō tam res gestas, quàm mores, instituta, atque vitam spectari in habendis honoribus.* Sed enim hæ manus singillatim *aureæ*, non auratæ dicuntur, vt videlicet vera illis merita, germanáque auri scientia, non verò inanis doctrinæ fucus, siue fucatæ, & ad faciem solùm apparentes virtutes insint. Equidem hâc de causâ sapienti Regi maximè placebat stellio, paruula aliàs, & con-
Prou.30.28. temnenda lacerta, Prou. 30. 28. dicenti: *Quatuor sunt minima terræ, & ipsa sunt sapientiora sapientibus,* &c. *Stellio manibus nititur, & moratur in ædibus Regum.* Sanè, vt inde moneret eos, qui ad Principū gratiam, & ad potiora Reipub. munera obtinenda volunt conscendere, propriarum virtutum splendore, atque ornamento, necnon laborum, & indefessæ sollicitudinis manibus, non externo potentiorum fauore ambire debere. Vbi etiam obserua pro *stel-*
Lect. Heb. *lione*, nonnullos ex Hebræis codicibus habere, *aranea*, eâdem imaginis venustate: hæc siquidem, vt telam suam ordiatur, & texat, non alienis adminiculis, sed propriis manibus vtitur, seséque ipsam euiscerat. Vnde, quod secus fiat sic ægrè fert Na-
Nazianz. zianz. citata orat. de Episcop. *Proditum est literis, aquilam singulari quâdam industriâ pullorum suorum oculos ad Solis radios sic explorare, vt per eos fœtum genuinum ac spurium mox agnoscat, quorum alterius patrem se fatetur, alterum de nido suo deturbat. Nos verò cunctos facili motu adductis collocamus in Antistitum solia, modò ipsi velint, nequaquam recentium, aut priscorum, vel actiones considerantes, vel conuersationem, imò ne sonum quidem nummismatis explorantes.* Ita Gregorius. Bene quidem exposcens, vt nummismatis sonus, vitæ, scilicet, integritas, & fama discutiatur, & examinetur. Nec monere omittam, ne hasce manus aureas, hyacinthísque distinctas ad eum modum sumpseris, quo de statuâ illâ à Nabuchodonosore venerationi propositâ, dicitur, auro pretiosis-
Daniel. 3. 1. que metallis constare, Daniel. 3. 1. quasi hæc inanimem statuam venerabilem, imò diuinam reddere potuissent. Iam enim aliquando euenit, vt qui populis sese in munerum fastigio colendos, atque adorandos proponere concupiscunt, dum perfectas virtutes, & merita ad ea obtinenda afferre nequeūt, aureas ostendentes manus ad virtutem, siue potiùs vim auri, atque argenti confugiant, vt vel eo modo Nazianzeno deploranti, quod in iis electionibus sonus nummismatis non exploretur, satisfaciant. Certè eodemmet Gregor. orat. 24. teste, *Aurum dulcis tyrannus, per quem nunc multa sursum deorsúmque velut in talorum ludo iactantur.*

6. Non leuis illa censetur difficultas, quod in mundi creatione, atque exordio lux cum primis ante
Genes. 1. 3. alia facta fuisse dicatur, Genes. 1. 3. postmodum ve-
Gen. 1, 14. rò quarto die dixerit Dominus: *Fiant luminaria in firmamento cæli, & diuidant diem ac noctem, & sint in signa, & tempora, & dies, & annos: vt luceant in firmamento cœli, & illuminent terram.* Num hæc per repetitionem, aut tautologiam scripta dicenda sunt? aut hæc lux Solis ab illâ, cuius primùm sacer meminit scriptor, distincta existimabitur? Nodum sic dissoluit Anastasius Synaita lib. 4. contemplat. Anagog. in Hexam. vt de eâdem Solis luce vtrobique sermo sit, sub eo quidem sensu, vt priùs facta solummodo, & quasi examini proposita; posteriùs verò non tam de nouo producta, quàm in propriam sedem, vt illuminarent super terram, diéique ac nocti præes-
Anast. Synaita. sent, collocata dicantur. Audi: *Stellas quidem supra per ipsum creauit in firmamento; Solem autem, & Lunam cùm per se super terram tāquam Adam, & Euam esset fabricatus, postea eos in altum sublatos posuit in firmamento.* Quàm certa hæc sint, tu videris: mihi latens inibi monitum maximè placet, eos nimirum, qui aliis sunt præficiendi, non subitò in honorum sedes esse collocandos, sed in seuerum examē priùs adducendos, an ipsi dignitatibus, & dignitates ipsis conueniant. Vt ea personæ muneri collocatæ, ac gemmæ auro insertæ ratio fuerit: vt enim iure illum reprehenderis, qui pretiosum lapillum plumbo insculpat; ita etiam iniustissimum rerum pensitatorem eum appelles, qui triuialem lapidem auro ornauerit; qui plumbeum inquam, siue lapideum hominem excelsæ dignitati præfecerit. Sub quâ quidem imagine eleganter hæc nos monuit apud Cassiod. lib. 5. variar. epist. 40. Rex Theodoricus. Nam
Cassiod. cùm priùs dixisset: *Quamuis vltra desideria supplicum frequenter nos præstitisse beneficia gaudeamus, & quod est difficillimum, humanæ ambitionis interdum vota superemus, hæc tamen libentiùs amplectimur, quæ nos meritò fecisse gloriamur. Diu quippe trutinandus est, cui traduntur examina, talísque debet à Principe deligi, qualis ab ipsa lege potest dictari;* hæc subdit: *gemmarum diuites venæ auri fulgore pretiantur, & gloriam pulchritudinis capiunt, quia nulla degenere vicinitate sordescunt: sic bona merita splendidis dignitatibus sociata, alternis præconijs adiuuantur, & vnius rei facies de additâ sibi venustate pulchrescit.* Hæc sapiens ille Rex.

7. Porrò de Christianæ Ecclesiæ Prælatis, atque ministris, vt bene explicant Euseb. Cæsar. lib. 10.
Euseb. Cæs. hist. Eccles. & alij, sic iam olim à Domino fuerat pronuntiatum, Isai. 54. 11. *Ecce ego sternam per ordi-*
Isai. 54. 11. *nem lapides tuos, & fundabo te in sapphiris, & ponam iaspidem propugnacula tua, & portas tuas in lapides sculptos, & omnes terminos tuos in lapides desiderabiles;* vbi vides Ecclesiæ fundamenta, atque portas,
Ambros. Episcopos inquam, atque Prælatos, quibus Ecclesiæ pondus incumbit, & per quos, velut per portas ad Deum intramus, vt inquit August. in Psal. 86. &
August. nos ad c. 1. vers. 14. adnotat. 4. num. 7. propriis virtutibus, ac natiuâ pulchritudine, non externis adscititiisque ornamentis splendentes, vt videlicet auro dignitatum, gemmæ personarum respondeant, & *bona merita splendidis dignitatibus sociata, alternis præconijs adiuuentur, & vnius rei facies de additâ sibi venustate pulchrescat.* Quam ad rem expendas velim, quo præconio Mardochæus optimè de Republicâ meritus ex ore Aman fuerit in Regiâ Assueri curiâ celebratus: *Hoc honore condignus est, quem-*
Esther 6. 11. *cunque Rex voluerit honorare.* Esther 6. 11. At quis tibi ô Aman eam præconij formulam suggessit? Non equidem Rex: is enim, te dictante, hoc potiùs præscripserat præconium; *Sic honorabitur quemcunque voluerit Rex honorare.* Quid? credíne potuit, illustrius in gratiam Mardochæi ab Aulico Aman cōfictum elogium? Minimè: non enim ita figulus figulo, vt Aulicus Aulico inuidet, & detrahere studet; vnde malè ei fidens Rex, sic ipsum singillatim non sine minis monuerat, *caue ne quidquam de his, quæ locutus es, prætermittas.* Quid ergo? Equidem diuinus Spiritus, cui Mardochæi honos curæ erat, eius laudes in ipso inimici sui ore ita perfecit, vt non tam regio affectu honoratus, quàm summo illo honore condignus prædicaretur. Quid enim magnum fuerit, honorem adipisci, nisi honore condignus censearis,

censearis, vt vnius rei facies de additâ sibi venustate pulchrescat?

8. Hinc meritò discipulis primarias regni sedes ambientibus respondit Christus: *Nescitis quid petatis*,
Matt. 20. 22. Matth. 20. 22. Nam in primis materno ipsi fauore, & sanguinis propinquitate videbantur inniti; id autem ad promerenda munera nihil valere, ex ipsomet Assertoris exemplo perdiscere debuissent, qui non Aaronici ordinis, sed secundùm ordinem Melchisedech Sacerdos de industriâ appellatus est, vt in Pontificum, ac Prælatorum electione nihil sibi caro, & sanguis vendicare, sed virtus totum obtinere debuisset. Id quod sic obseruauit Leo serm. 2.
Leo Magn. in anniuersar. suæ Assumpt. *Ipse est enim, de quo prophetice scriptũ est Psal.* 109. Tu es Sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech: *hoc est, non secundùm ordinem Aaron, cuius Sacerdotium per propaginem sui seminis currens, temporalis ministerij fuit, sed secundùm ordinem Melchisedech, in quo æterni Pontificis forma præcessit. Denique cùm huius diuini Sacerdotij sacramentum etiam ad humanas peruenit functiones, non per generationum tramitem currit, nec quod caro, & sanguis creaut eligitur, sed cessante priuilegio fratrum, & familiarum ordine prætermisso, eos Rectores Ecclesia accipit, quos Spiritus sanctus præparauit, vt in populo adoptionis Dei, cuius vniuersitas sacerdotalis, atque regalis est, non prærogatiua terrenæ originis obtineat vnctionem, sed dignatio cœlestis gratiæ gignat Antistitem.* Ita Leo. Quòd si magna paruis, & diuina prophanis componere fas sit, non abs re his aptauerit non nemo verba Imperatoris Galliæ ad Pisonem, cùm ipsum sibi successorem deligere moliebatur,
Corn. Tac. apud Tacitum lib. 1. histor. Nam cùm se illum ad morem Augusti adoptare dixisset, ita subiicit. *Sed Augustus in domo successorem quæsiuit, ego in Rep. non quia propinquos, aut socios belli non habeam, sed neque ipse Imperium ambitione cepi, & indicij mei documentum sint non meæ tantùm necessitudines, quas tibi proposui, sed & tuæ.* Hæc ille. Vnde sequentia Christi verba: *Non est meum dare vobis, sed quibus paratum est à Patre meo*, premens Ambrosius lib. 5. de Fide ad
Ambros. Gratian. cap. 3. inquit. *Denique ad Patrem referens addidit*: quibus paratum est; *vt ostenderet Patrem quoque non petitionibus deferre solere, sed meritis, quia Deus personarum acceptor non est.* Adhæc, iure quidem Iacobus & Ioannes tam ex Christi exemplo, quàm ipsius verbis subinde reprehenduntur, quod vt pretiosi lapides essent, at laboribus, & humilitate adhuc politi, sculptique non erant. Et verò de ipsomet Domino sic dicebat summus Patens apud Za-
Zachar. 3. 9. chariam 3. 9. *Ecce lapis, quem dedi coram Iesu: super lapidem vnum septem oculi sunt. Et ecce ego cælabo scul-*
Aquila. *pturam eius*: siue, vt vertit Aquila, *sculpam aperturam eius*: hoc est, ad eum modum, quo lapis non statim, ac è lapidicinâ exciditur, in culmen ædificij collocatur, sed postquam durè versatus, atque contusus, vndique ab artifice politur; ita ego Filium meum flagris, spinis, & clauorum aperturis summo Eccle-
Hieron. siæ fastigio aptabo, atque disponam. Ita Hieron. ibi. *Est sensus: istum lapidem clauis crucis, & lanceâ militis*
August. *faciam vulnerari.* Quare August. in id Psal. 126. *Vanum est vobis ante lucem surgere, surgite postquam sederitis*; dum sessionem ad humilitatem, & merita, ascensum verò, & exaltationem ad honorem, & dignitates refert, ex Christi exemplo sic fratres hosce instituit, & format. *Ante lucẽ surgere volebant filij Zebedæi, & sedere ad dexteram, & ad sinistram, exaltari antequam humiliarentur. Vanum est vobis sic ante lucem surgere. Dominus vester, qui est lux vestra, humiliatus est, vt exaltaretur.* Humiliauit semetipsum Dominus noster, *hæc est sessio.* Propter quod & Deus exaltauit illum, *ecce resurrectio; & vos, vt habeatis nomen, & exaltemini, festinate, & surgite, sed postquam sederitis.* Optimè. Breuiùs verò præfato loco Am-
brof. *Non dixit*: Non est meum dare, *sed*, vobis: *hoc* Ambros.
est, non sibi potestatem deesse asserens, sed meritum creaturis. Hinc verò nonne eos ante lucem dixeris, quibus militares cruces, & honores in ipsismet cunabulis decernuntur? Certè Christus, vt ad crucem suam, quam ipsum sui exaltationem, & gloriam appellare alibi confirmo, perueniret, *nasci se.* (Tertull. Tertull.
lib. de Patientiâ cap. 3.) *in vtero patitur matris, & expectat, natus adolescere sustinet, & adultus non gestit agnosci, sed contumeliosus insuper sibi est, & à seruo tingitur*, &c. Similiter etiam, cùm Petro crucis suæ claritatem, & gloriam promitteret, Ioan. 21. 18. di- Ioan. 21. 18.
cebat: *Amen, amen dico tibi, cùm esses iunior, cingebas te, & ambulabas vbi volebas: cùm autem senueris, extendes manus tuas*; ac si diceret: non aptè tibi iuueni, & ambulâri vbi volebas, sed maturo iam & senescenti, crucis dignitas responderet. Quò per allegoriam scitè traxit S. Nilus illa Domini ad Dauidem verba S. Nilus.
1. Paralip. 22. 8. *Non poteris ædificare domum nomini* 1. Par. 22. 8.
meo, tanto effuso sanguine coram me, hunc in modum. *Quod si quis nondum cupiditates superauit, sed adhuc in pugnâ, & sanguine versatur, & tamen Deo templum ex animis humanis molitur, is nimirum audit à Deo; Tu mihi templum non ædificabis, quoniam vir sanguinum es, pacificum enim requirit statum diuini templi constructio.* Ita Nilus.

Præbuerat Ioanni Christus egregia præ aliis di- 9.
lectionis signa, dum & supra eius pectus in cœna fecit recumbere, & charissimam sibi matrem in Cruce ipsi commendauit, vnde dilecti nomen optimo iure sibi illemet adscripsit. At cùm ad sui Vicarium deligendum accessit, non dilectum, sed diligentem (nec ignoro egregiam etiam Ioanni dile- Ioan. 21. 17.
ctionem in Christum fuisse) quæsiuit, Petróque, cuius charitas trinâ fuit interrogatione examinata, summum Ecclesiæ munus attribuit. Magno quidem consilio, ne ea maximi momenti electio, vel ob respectum ad matrem, quam in sua Ioannes receperat, Ioan. 19. 27. vel ob peculiarem beneuolen- Ioan. 21. 17.
tiam, quam erga Ioannem habebat, potiùs quàm ob præstantissima merita (quamuis hæc Ioanni minimè deerant) facta videretur. O attẽtissimam, prudentissimámque Christi electionem, malè à multis electoribus, peiùs verò à pluribus electis expensam! Quid? itáne eligentes merita, & virtutes eligendi Prælati obseruare, & examinare solent? Itáne etiam diuinæ charitati innixi honorum candidati Ecclesiasticas sedes semper ambiunt? Non opinor: imò vereor ne aliquoties Christi tunica (sic enim ipsemet Ecclesiam suam appellauit, cùm sanctissimo Petro Episcopo Alexandrino, & Martyri discissam vestem ostendens dicebat; *Arius vestem meam, quæ est Ecclesia, dilacerauit*,) forte potiùs, quàm meritis à nonnullis obtineatur: non secus, ac dum ipsemet Dominus sanctissimam in Cruce animam exhalabat, *vt exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam, aut rugam*, ad Ephes. 5. 27. mili- Ad Ephes. 5. 27.
tes, qui eum cruci suffixerant, de hâc ipsius veste Ecclesiæ typum gerente sortiebantur, Ioan. 19. 24. Ioan. 19. 24.
Ita quidem plerosque videas ad Episcopatus, & Præfecturas anhelantes, non iam vt stelliones propriis meritorum manibus, sed alieno fauoris splendore innitentes, nec domibus suis reclusos, studiis, & orationi intentos, sed potiùs in Regum curiis, inter Principum familiares, imò inter ipsorũ equos, & quadrigas cõcursantes, famulorum manus prensantes, oscula iacientes, *& omnia* (vt scitè de Othone Cornelius Tacit. lib. 1. histor.) *seruiliter pro domi-* Corn Tac.
natione.

Petr. Dam. *natione*. Audi eã de re S. Pet. Damian. opusc. contr. Cler. Aulicos, in principio, dum nō sua solùm tempora respiciens Bonifacium Pontificem sic alloquebatur: *Cum de modernis Episcopis mihi perplura displiceant, illud intolerabilius arbitror, quia nonnulli dum honores Ecclesiasticos Ætnæis vaporibus æstuantius ambiunt, in clientelam potentium, tamquam seruos se dedititios obscœnè substernunt. Ecclesiastica quippe deserunt, dum Ecclesias concupiscunt.* Ita ille; vt non abs re dixerit non nemo, hic etiam id locum habere, quod suprà dicebat Tertullianus, *ipsum esse illic*, (in curiâ videlicet) *promereri est*: vnde quidem fit, vt cùm tandem publica hi adipiscuntur munera, non ipsorum meritis, aut Dei nutui, populi vox, quæ Dei solet esse, rem tribuat, sed sorti potiùs, & fortunæ; sic Hispanè dicitur: *Tuuo suerte, tuuo estrella*. Quod si tu scire velis, quid sit honorem sorte adipisci, disce à Tullio lib. 2. de diuinat. quid sit sors. *Quid enim* (inquit) *est sors? idem propemodum, quod dimicare, quod talos iacere, quod tesseras, in quibus temeritas, & casus, non ratio, & consilium valet.* Iam de sedibus sorte adeptis sic sui æui Episcopis dicebat Gregorius Nazianz. citatâ sæpius oratione de Episcopis, ad finem. *Quamobrem vos, & solia retinere vobis, quando illa vobis prima esse videntur, valete, insolentes estote, Patriarchatus per sortes inter vos distribuite. Magnus hic mūdus vobis cedat*, &c.

M. Tull.

Nazianz.

10. Osea 8.4. Hinc illa Domini apud Oseam Prophetã c. 8. 4. iustissima querimonia: *Ipsi regnauerunt, & non ex me; Principes extiterunt, & non cognoui*: quæ sic explicat Gregor. in 2. part. Pastoral. cap. 1. *Ex se namque, & non ex arbitrio summi Rectoris regnant, qui nullis fulti virtutibus, nequaquam diuinitus vocati, sed suâ cupidine accensi culmen regiminis rapiunt potius, quàm assequuntur.* Ita Gregor. Et verò cùm magnam id vituperationem effugere nullatenus possit; inde maximè odiosū redditur, quod miserrima illa Antichristi tempora attrahere, siue præuenire videatur; de illis siquidem Isaias cap. 3. 10. ita inquit: *Obtenebratus est Sol in ortu suo*; dissimili quidem, ac Ioël locutione, qui nimirum cap. 2. 31. ait: *Sol conuertetur in tenebras*; etenim licèt vtrobique de Prælatis vitiorum tenebris obscuratis sermo sit, at Ioël de his solùm, qui à pristinâ rectitudine in deprauatos mores deuenêre, loqui videtur: Isaias verò ipsummet ad dignitates, & honores ingressum tenebrosum, ac deprauatissimum futurum affirmare videtur, cùm Solem in ortu suo obtenebratum facit, sic id adnotante S. Aelredo serm. 10. *Multi initio Sacerdotij sui lucent, quorum, scilicet, & vita integra est, & intentio recta, & electio sana, qui tamen postea morum mutatione obtenebrescunt. At instanti tempore Antichristi, ita mortalium mentibus dominabitur auaritia, & ambitio, vt etiam ipsa promotionis initia, quasi ortus Solis tenebris plena sint; quia nimirum, & vita pessima procedet, & peruersa intentio, & turpis ingressio succedet.* Abi ergo, & dignitatibus per fas, nefasque turpiter te ingere, vt illustris Antichristi præcursor fias.

Greg. Magn.

S. Aelred.

11. Sed & in sæcularibus etiam Præfecturis, ac dignitatibus obtinendis, non leuiter aliquoties peccatur, dum non alius ad illas aditus pluribus aperitur, quàm Petro in domum Principis ingressuro; ipsum, nimirum, manuducente ancillâ ostiariâ, id sic referente Ioan. cap. 18. 16. *Dixit ostiaria, & introduxit Petrum*: & condemnante Ambros. lib. 10. in Luc. *Malè Eua induxit Adam, malè Petrum introduxit fœmina.* Ita enim aliquando res euenit, vt ad Præfecturas, & Magistratus, ad quos totum non modò rerum familiarium, & honoris, sed humanæ etiam vitæ, necisque ius, ac momentum deuoluitur, Principum virorum ancillæ, siue famulæ candidatis ostium aperiant, in harum quippe dotes, & præmia ea munera à Regum familiaribus promittuntur. Vnde eã de causâ videas plures, quibus publicos hosce honores adipisci in votis est laboribus parcere, parúmque de studiorum rationibus, & vitæ probitate curare, cæco quidem, sed felici errore, dum eo compendio munera, quæ exoptant, obtinenda sibi certò sciunt. Sic supremi honores vili iam ratione ancillantur ancillis; sic homines ad matrimonia inuiti inhiant. Namque

Ioan. 18. 16. Ambros.

Nec pharetris Veneris macer est, aut lampade feruet,
Inde faces ardent, veniunt à dote sagittæ.

Sed quàm vanum iis sit ante lucem surgere, vt dicebat August. adnot. seq. videbimus.

ADNOTATIO VI.

Rectam administrandi munera rationem, felicémq; successum à meritis, per quæ ad illa peruenitur, potissimum dependere.

IAm verò, vt Christo Domino ad regnum, gloriámque suam per laborum merita aditus, & via fuit, ita eius regnum tam omnium florentissimum, quàm æternitati innixū, sic prædicatur Daniel. 7. 13. *Ecce cum nubibus cœli quasi Filius hominis veniebat, & vsque ad antiquum dierum peruenit, & in conspectu eius obtulerunt eum. Et dedit ei potestatem, & honorem, & regnum: & omnes populi, tribus, & linguæ ipsi seruient: potestas eius, potestas æterna, quæ non auferetur, & regnum eius, quod non corrumpetur.* Videlicet bene parta gloria firmissimis innixa radicibus semper floret; & qui ad dignitatem per portas ingreditur, vt adnot. 4. dicebamus, felicem in eius administratione successum habet, prosperáque ei obtingunt omnia: qui verò secus facit, dedecus sibi, ac ruinam pro dignitate, & exaltatione accersit; quippe gubernandi, regendique munus à Dei fauore, & prouidentiâ humanos conatus adiuuantis potissimum dependet. Vnde Chrysostomus homil. 15. in 1. ad Corinth. dum Principatum cum agricultura componit, sic inquit. *Hæc autem ars magis, quàm alia à diuinâ gratiâ dependet, & ferè tota è cœlo perficitur: nam (1. ad Corinth. 3. 7.) neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus.* Quò etiam it, quod tam de regio statu, quàm de lautiore fortunâ, sic eleganter dixit Synes. orat. de regno. *Preterea ad eam* (beatitatem externam) *conseruandam Dei ipsius auxilio opus est, & mente, & arte, & tempore, preclarè quoque gestis, & vbinis, & varijs, quæ nec experientiâ vllâ constant, nec sunt, cui experiuntur facilia. Non enim quemadmodum homini secundus fortunæ successus aduenit, ita sine labore, ac sollicitudine conseruatur.* Ita ille. 1.

Dan. 7. 13.

Chrysost.

1. ad Cor. 3. 7.

Synes.

Hine Psal. 32. 16. David: *Non saluatur Rex per multam virtutem; & gigas non saluabitur in multitudine virtutis suæ*; ac si diceret: Deo non propitio & adiuuante infirmæ, ac nullæ sunt quamlibet fortissimi, ac gigantæi hominis vires, vt prosperū in Principatus administratione secundáve fortunâ successum habeat. Subdit: *Fallax equus ad salutem; in abundantiâ autem virtutis suæ non saluabitur*: vbi pulchrâ equi imagine, alacritate, ferociâ, agilitate, fortitudine, solertique disciplinâ præditi, quidquid pertinet ad egregias hominis dotes, quibus res suas ita ducere, vt prosperum sibi sperare possit euentum, denotat; at ea omnia, nisi Deum quis adiutorem habuerit, fallacia esse optimè confirmat. Vnde inibi 2.

Psal. 32. 16.

August. inibi August. *Cùm tu vides equum bene formatum, bonis viribus, magno cursu præditum, ista omnia velut promittunt tibi de illo salutem, sed fallunt, si Deus non tuetur.* Cyr. Alex. Cyrillus verò Alexandr. in cap. 2. Amos tam Psal. 146. 10. hæc, quàm illa Vatis Psalm. 146. 10. verba: *Non in fortitudine equi voluntatem habebit, neque in tibijs viri beneplacitum erit ei*, premens sic opportunè inquit: *Inutilia sunt ista fundamenta, nisi Deus pugnantes adiuuet, ipse enim est Dominus virtutum, qui infirmis neruos subministrat, & eneruat à quibus est offensus.* Sed Nicephorus Gregoras lib. 7. opportunissimè hæc ita con- Nic. Greg. firmat: *Vbi diuina prouidentia non commilitat consilijs, actionibúsque hominum, malus his exitus aduenit, & cogitationibus valde aduersus; nam tunc neque vir consultus, consultus; nec fortis, fortis; sed etiam sapientissima consilia insipienter desinunt, & generosa maximè, & fortia facta turpem, & infamem exitum consequuntur.* Optimè: etenim quod de ineluctabili fa- Vellei. Pat. torum vi, Ethnico sensu dicebat Vellei. Paterc. lib. 2. de Dei prouidentia, sapienter dixeris, *cuiuscumque fortunam mutare constituit, consilia corrumpit*; siue (vt 2. Reg. 15. 31. Dauidica locutio fert 2. Reg. 15. 31.) *infatuat.* Quod si equi fortitudinem (siue potentatum, vt legit August.) dicto Psalm. 146. 10. pro ipsâmet potentiâ, vel dignitate sumpseris, audi quid ad ea verba mo- August. neat idem August. *Potentatus equi est superbia. Videtur enim equus veluti ad suggestum hominis accommodatus, vt altior incedat. Et re verâ est in eo ceruix, indicans quandam superbiam. Non se extollant homines in suis dignitatibus, non se sublimes putent honoribus, caueant ne in equo indomito præcipitentur. Vide enim quid dictum est in alio Psalmo:* Hi in curribus, & hi in equis, nos autem in nomine Domini nostri magnificabimur. Hæc August.

3. Porrò in ipsâmet suæ Passionis nocte oraturus Christus ad Patrem, non omnes discipulos, sed Petrum, & duos filios Zebedæi secum assumpsit, Mat- Matth. 26. 37. thæi 26. 37. Sed quare hos potiùs, quàm alios? Respondet Paschasius lib. 12. in Matth. *Quasi firmiores in agone certaminis.* Sed his etiam obserua dixisse Dominum vers. seq. *sustinete hic*; ad quæ verba idem Paschas. Paschas. *Iubet tamen manere eos in suo gradu, vt vnusquisq; in loco, & sorte vocationis suæ consistere discat, ne altiora se quærat.* Planè, quia qui locum, ac sortem suam non seruat, sed in magnis, & mirabilibus super se ambulat, certæ ruinæ se exponit, dum diuinam prouidentiam sibi commilitantem non habet. Luc. 22. 41. Quare rursus ibi obserua, dixisse Lucam cap. 22. 41. auulsum fuisse Christum ab eis, *quantum iactus est lapidis*, nimirum, vt ipse ad manum, siue ad orationis ictum, seu iactum esset, (Hispanè, *à tiro*) illis opē laturus, qui in loco, & ordine suo permansissent; secus verò si deserto ordine sibi designato, aliò commigrassent. Hinc quidem ille inter omnes opportunior serpenti dolus, quo primum Parentem è tanto fastigio deturbaret, visus est, si ad ea, quæ conditione sua maiora essent, concupiscenda pelli- Ambros. ceret, vt rectè monet Ambros. dum serpentem his verbis loquentem facit lib. de Paradiso, cap. 12. *Multas vias habeo, quibus hominem decipere possim, de limo factus est, terra ei mater est, corruptibilibus inuolutus; est igitur prima via, vt decipiatur, dum conditione sua maiora desiderat.* Quare? tum quia à propriâ & conuenienti sibi sede dimotus Deum ad iactum lapidis, adiutorem, & protectorem non habebit, tum Synes. etiam quod, vt sapienter dixit Synesius epist. 105. *Etenim hominem diuinos propè honores capere, siquidem dignus est, qui assequatur: ad animi fructum accedit suauissimum; sin multum rei dignitate sit inferior, acerbam futuri spem proponit.*

4. Mihi quidem illa Christi Apostolorum Principi ob robur confessionis eius (vt inquit Chrysostom. Chrysost. hom. 2. in Psal. 50.) siue quod ipsum Regem cœlorum (sic Rabbanus in cap. 16. Matth.) maiori præ Rabban. cæteris deuotione confessus fuerit, facta promissio, *& tibi dabo claues cœlorum, & quodcumque ligaueris super terram, erit ligatum & in cœlis, & quodcumque solueris super terram, erit solutum & in cœlis*; non mediocrem emphasim habere videtur: vt enim minimè est dubium, quin clauium promissione Ecclesiæ Principatus, primariaque potestas, quæ penes Petrum, & ipsius successores mansit, vt efficaciter cōtra Caluinum probat Maldon. significetur; ita nullâ aliâ tam appositâ metaphorâ is dignitatum omnium apex significari potuit, vt non solùm ea potestas, sed felicissimus etiam in illâ administrandâ modus, & exitus declararetur; quod nimirum talis vis, atque efficacia illius exercendæ foret, vt contra ipsam nemo quidquā agere, moliríve posset, ipséque suo arbitratu (claue videlicet nō errante, vt inquiūt Theologi) liberè quidquid voluisset, esset ausurus, idque ratum futurum, & ad modum clauis, quæ quod clausum est, aperit, & quod est apertum, claudit, quos vult, admittit, & quos vult, excludit; neq; contra quis audet, aut admissos excludere, aut exclusos admittere; quidquid ipse aperuisset, siue decreuisset, aut permisisset, à nemine infringendum; quidquid abrogasset, à nemine constituendum foret. Sed vnde tanta ea vis, atque opportunitas huic potestati aduenerit, cognosce: *tibi* (inquit Dominus) *dabo*; hoc est, non tibi aliunde hæc potestas, quàm à me ipso immediatè obtinget; Hispanè, *De mi mano à la tuya.* Iam quidquid à Deo acceperis, firmum, ac prosperum euadet, cùm Deum adiuuantem, & operi manuum tuarum dexteram porrigentem simul sis habiturus: contra verò si potestatem ab ipso non accipis, quamlibet consultus, ac prudens tibi videaris, turpem, & infelicem exitum habebis. Vnde in eâ ligandi atque soluēdi similitudine tacitè innuitur, eum qui aliunde, quàm à Christo, munus, dignitatem aut Præfecturam accipit, non soluendi, ac ligandi facultatem, hoc est, rem bene, ac facilè expediendi, (non est sermo de potestate iurisdictionis, sed de bono gubernationis exitu) sed impediendi, & illaqueandi occasionem accipere; ita quidē præfato adnot. præced. loco Oseæ 8. 4. *Ipsi regnauerunt, & non ex me, Principes extiterunt, & non cognoui*: id Osea 8. 4. est, non probaui, nec ratum habui. Quid inde? Non teneor ex pacto conuento, peculiarem illis in munerum administratione opem ferre. Hinc illorum exitium sic infert Vates: *argentum suum, & aurum fecerunt sibi idola, vt interirent.* Fuit dicere, auro, & argento munera, quæ illis ruinæ, & infelicitatis occasio essent, comparauerunt, *compraron su desuentura à costa de sus dineros.* Quā sanè de causâ ipsummet quotidianum panem, qui & vitæ subsidium, & iustis, ac peccatoribus communis est, peculiari ratione à Deo efflagitare iubemur Lucæ 11. 3. vt non Luc. 11. 3. nisi ab eius manu, vt nobis vtilis, ac proficuus sit, accipiamus. Ita Chrysost. in Caten. S. Thom. ad cap. Chrysost. 6. Matthæi. *Non solùm autem oramus ideo panem nostrum da nobis hodie, vt habeamus quid manducemus, quod commune est inter iustos, & peccatores; sed vt quod manducamus, de manu Dei accipiamus, quod est tantùm sanctorum. Nam illi Deus dat panem, qui cum iustitia præparat; diabolus autem ei, qui præparat cum peccato: vel vt dum à Deo datur, sanctificatus accipiatur; & ideo addit,* nostrum, *id est, quem nos habemus paratum, illum da nobis, vt a te sanctificetur.* Ita Chrysost.

Sustulit Christum Dominum malus dæmon su- 5. pra pinnam templi, Lucæ 4. 9. sed quo fine? Num Luc. 4. 9.

Vella 79. in Epist. ad Philippens.

Hh vt

vt in excelso illo consisteret; aut gradum inde ad superiora conscendendi faceret? Audi: *Mitte te hinc deorsum*, scilicet ideo ipse ad gloriam erigit, vt deiiciat, nec aliâ de causâ in altum sustollit, nisi vt ab altiori loco præcipitet. *Ambros.* Ita Ambros. lib. 4. in Lucam. *Hoc quidem est iactantiæ, vt dum se putat vnusquisque ad altiora conscendere, sublimiùs vsurpatione factorum, ad inferiora trudatur.* *Greg. Magn.* Ad quem etiam modum Gregorius lib. 7. epist. 110. tom. 2. de ambitiosis, qui importunè se inserunt dignitatibus: *Qui sic nititur ad altiora conscendere, quid agit, nisi vt crescendo decrescat, & ascendendo descendat?* Sed ex præfato Lucæ loco eum, qui Deo manuducente ad dignitatum fastigia conscendit, ab illo, qui diabolo impellente in altum subleuatur, facilè discrimines, quod Deus per gradus ascendentem deducat, dæmon verò sine gradibus, sine scalâ efferat. Iam si gradus velis *3. Reg. 10. 18.* cognoscere, adi thronum Salomonis 3. Reg. 10. 18. sexque illius graduum significationem à Venerabili *Aelred.* Aelredo in allegoriis Gotfr. Tilmani ad lib. 3. Reg. accipe. *Primus conuersionis, secundus purgationis, tertius virtutis, quartus scientiæ, quintus contemplationis, sextus charitatis.* Vnde quidem sic ad rem nostram infert; *qui sine iis gradibus nititur, non tam sessurus, quàm ruiturus ascendit.* Subiicit statim: *Noli æmulari in malignantibus, qui cùm sint fornicatores, & adulteri, impudenter, & irreuerenter ascendunt cubile Patris sui, & maculant stratum eius, thalamum Christi. Nolite æmulari in talibus, licèt prosperentur in viis suis:* Quoniam tamquam fœnum velociter arescent, &c. *Qui enim inutilem seruum proyci iubet in tenebras exteriores, quid faciet de indigno, de impudenti, de pestilenti, de se in Christi cathedram turpiter ingerenti?* Hæc Aelredus.

6. Vidisti adnot. præced. in domum Principis Sacerdotum malè Petrum introductum, fœmineo videlicet fauore: quem iam talis ingressus sperat exitum? Errorem certè, lapsum, præcipitium. *Ambros.* Ita pulchrè Ambros. lib. 10. in Luc. *Quomodo enim non erraret, quem intromisit ostiaria, & ostiaria Iudæorum?* Ac si diceret: num alius euentus in domo Principis Sacerdotum Petro poterat obtingere? Cui ancillæ fauor ostium aperuit, meliórne è tali ingressu euentus sperandus fuit? *Corn. Tac.* Ac si cum Pisone apud Tacitum libro 1. histor. dixerit: *Nemo vnquam Imperium flagitio qu[illegible]s artibus exercuit:* siue potiùs *Leo Magn.* cum Leon[illegible]gno epist. 85. *Principatus, quem aut seditio extorsit, aut ambitio occupauit, etiam si moribus, aut actionibus non offendit; ipsius tamen initij sui est perniciosus exemplo, & difficile est, vt bono peragantur exitu, quæ malo sunt inchoata principio.* *Basil.* Hæc sic diffundit Basilius epist. 69. *Nam qui fauore humano ad imperium deuenerunt, eodem ipso fauoris gratiam implent, iustum iudicium periit, quisque cordis sui desiderio ambulat: malitia immodica populi immorigeri, præfecti non liberè loquuntur: Nam qui per homines sibipsis potestates acquisierunt, serui sunt eorum, quorum fauore adiuti sunt.* *Paschas.* Applaudit iis, quod in Principibus Sacerdotum Anna, & Caïpha notauit Paschasius libro 12. in Matth. mirandum valde non esse, quod in Principatu iniquè se gesserint, qui illum non iure, aut successione, sed emptione acceperant. *Nec igitur mirum* (inquit) *si iniqui Principes, iniqua consilia iniquè iudicant, & iniquos ad iniquitatem fouet, qui nō ex successione, vt lex iubet à Domino promulgata, Sacerdotium obtinuerant, sed, vt Iosephus refert, vnius anni Pontificatum ab Herode pretio malè redemerant. Tales igitur semper timendi sunt Sacerdotes, quicumque pretio & non ex gratiâ Spiritus sancti honores sectantur Ecclesiarum, cum quibus semper falsum aggregatur concilium, falsi testes quæruntur, cum quibus non veritas, non religio, sed iniqua semper in causis præfertur auctoritas.* Hæc Paschasius.

Quod si de iis, qui pro virtutibus, propriisque meritis, honoribus, atque muneribus necessariis ad auri virtutem, siue vim confugiunt, peculiariter sermo sit, illud maximè in ipsis timendū est, ne flagitiosè venditent, quæ turpiter pararunt, vt de Ciceronis eloquentia dicebat Sallustius in declamat. in Cicer. 7. Dixit namque sapienter Synes. orat. de Regno, fieri vix posse, vt toruis, ac rigidis oculis aurum is intueatur, cuius ope ac beneficio ad Reip. administrationem peruenit. Sic enim ille orat. de Regno. *Synes.* *Atque ille sanè, quomodocumque diues Magistratum pecuniis mercatus, eiusmodi esse æqui distributor idoneus nesciat: videtur enim (vt ita dicam) non facilè is iniustitiam odio prosecuturus, ne dum pecunias contempturus, aut Prætorium minimè venalium iudiciorum forum redditurus. Siquidem credibile non est, eum sublato vultu, toruis, ac rigidis oculis aurum ex aduerso intueri posse; contra verò verecundiâ motum iri, nonnihilque remissurum, ac demum auidè amplexurum esse, cui eo ipso gratiam habet, quod parte aliquâ diuitiarum Reipub. administrationem permutarit, & tamquam aliquid aliud ciuitates conduxerit. Nouit ergo se eius beneficio in honore esse, sublimique in solio sedere.* *Senec.* Sed minus scrupulosè hâc de re agens Seneca ad iuris calculos eleganti id subsannatione sic reuocabat. *Prouincias spoliari, & nummarium tribunal audita vtrinque licitatione alteri addici, non mirum, quando quæ emeris, vendere, gentium ius est.* At enimverò de iniquissimo hoc gentium iure pro ipsis gentibus grauiter conqueritur Saluian. Massil. lib. 4. de *Saluian.* Prouident. vbi cùm dixisset: *Quid est omnium aliud dignitas sublimium, quàm proscriptio ciuitatum? Aut quid aliud quorundam, quos taceo, præfectura, quàm præda? Nulla siquidem maior pauperculorum est depopulatio, quàm potestas; ad hoc enim honor à paucis non emitur, nisi vt cunctorum vastatione satietur.* statim hæc subiicit: *quo quid esse indignius, aut iniquius potest? Reddunt miseri dignitatum pretia, quas non coëmunt, commercia nesciunt, & solutionem sciunt.* Ita ille.

8. Mirum quidem est, quàm fuerit seuerum Simonis Petri in Simonem Magum iudicium, cùm ipse pro spirituali dono Apostolorum Principi pecunias offerebat; *Pecunia* (inquit) *tua tecum sit in perditionem. Non est tibi pars, neque sors in sermone isto.* Actuum 8. 20. *Act. 8. 20.* Cur enim rudis in Christianâ disciplinâ hominis ignorantia, quæ pietatis gustum habere videbatur, tam acrem iram commeruerit? Vis scire? Quod non simplex ignorantia; sed fallax, & malitiosus veteratoris dolus is fuerit: non tam enim tunc de dandâ pro eo dono pecuniâ, quàm de eâ in posterum accipiendâ cogitabat, vt scilicet, quod ab Apostolis emisset, postea iure gentium venditaret. Audi Tertullian. lib. de Idololat. cap. 9. *Tertull.* *Nam exinde & Simon Magus iam fidelis, quoniam aliquid adhuc de circulatoria secta cogitaret, vt scilicet inter miracula professionis suæ etiam Spiritum sanctum per manuum impositionem enundinaret, maledictus ab Apostolo de fide eiectus est.* Acutè, *enundinaret*, velut in nundinis venditaret. Vnde emphaticè præfatis verbis hæc subiungit Petrus; *cor enim tuum non est rectum coram Deo*, hoc est, dolosè, & fallaciter agis, & pro pietate, quam prætendis, quæstum tibi paras; & statim, *in felle enim amaritudinis* (lectio Syriaca, *in hepate amaritudinis*) *& obligatione impietatis video te esse.* *Lect. Syr.* Ac si diceret Petrus: ego quidem hepar tuum, quod sanguinis, ac proinde concupiscentiarum, & præcipuè auaritiæ vas, & officina est, nam

Pecunia

Pecunia est sanguis miseris mortalibus;
intuitiuè video,téque in illo de Spiritus sancti gratiâ nundinas,quæstum, & diuitias cogitantem, atque molientem, ideo nulla tibi sors,ac pars in hoc dono, quod sese liberalissimè diffundit, esse potest.

9. Nec solùm ad animæ lapsum, & varia crimina, quibus ij Magistratus,atque Prælati obnoxij fiunt, hæc reuoces, sed de dedecore etiam, atque ruinâ, quæ illis eâ de causâ obtingit, possis accipere. Dixit
Psal. 36.20. namque sub hoc sensu Vates Psal. 36. 20. *Inimici verò Domini mox vt honorificati fuerint, & exaltati, deficientes quemadmodum fumus deficient.* Sed obser-
Hieron. ua priùs,Hieronymum pro,*honorificati*, legere,*gloriantes vt monocerotes*, quod videlicet in dignitate, & gloriâ,quam acceperunt, firmissimos,& insuperabiles se reputent.Iam quid inquit Psaltes? *quemadmodum fumus deficient:*vt summam vanitatem, & leuitatem maximæ illi firmitudini,quâ se præditos putabant,opponat.Sed quare sicut fumus?Vt ostendat, ipsam iter exaltationem, atque ad dignitatem alleuationem,quod fundamento careat,ruinam esse; fumus enim cùm ascendit, deficit, & dum sese
D. August. dilatat,euanescit.Ita inibi August. *Fumus à loco ignis erumpens in altum extollitur, & ipsa elatione in globum erumpens intumescit; sed quanto fuerit ille globus grandior,tanto fit vanior,ab illa enim magnitudine non fundatâ, & solidatâ, sed pendente, & inflatâ, it in auras, atque in ventos dilabitur,vt videas ipsam ei obfuisse magnitudinem.* A quo sanè sensu non dissident pecu-
Chald. liares huius loci translationes, quæ à Chaldæo, & aliis adhibentur;nimirum ex Chaldæo aliqui legūt: *Inimici Domini sicut pretiosi agni, qui à principio saginantur,& postremò mactantur,sic deficient,& in fumo*
Lect. Hebr. *gehennæ consumentur.* Alij verò ex Hebræo: *Sicut pinguedo agnorum,quæ cum oblatâ fuerit super arâ consumitur,& in fumum euanescit*: eò enim hæc eunt,vt indicent, homines peccatores, & indignos, simul atque ad honorum splendorem, dignitatésque peruenerint, fumi ac vaporis instar euanescere: quod magnitudo illa, atque sublimitas meritorum fundamento careat;imò verò,pro basi cui innitantur, lubricum indignitatis ad præcipitium suppositum sit,non secus ac ignis pinguediui,vt in momento liquefiat, ac consumatur. Vt videas eos,qui immerentes, & indoctos ad munera, & honores promouent, nihilo meliùs cum illis se gerere, ac si vel dedecori, & infamiæ in arâ sacrificandos offerrent,
Plutarch. bene siquidem dixit alicubi Plutarchus:*Si quis statuas paruulas, atque ridiculas pedamentis, & basibus magnificis, sublimibúsque imponeret, multo minores ad aspectum proponeret, multo magísque ridendas;ita sanè qui indignos dignitate, & honore, atque virtutis merito pusillos in sublime extollit;*vel per lubricam,ac præcipitem viam,cui sine casu,aut prolapsione insisti vix potest,toto impetu cogerent decurrere. Dixit enim
Senec. sapienter Seneca lib.de tranquil.anim. *Quæ excelsa videntur prærupta sunt.* Nec minus opportunè Plu-
Plutarch. tarch. in comment. de Fortunâ, *quippe non tantùm immeritò secundis rebus vti,occasio fit desipiendi stultis, vt ait Demosthenes, sed immeritò fortunatum esse, occasio est non sapientibus rerum asperarum.* Quam, quæso,ad rem in memoriam reuoca, quæ de Pontificis corona dicebat præced. annotat. Iosephus, loro quodam, seu vittâ capiti adstringi, in quo & nomen Dei esset incisum, & calyculi aurei,quales videntur in herbâ,quæ vocatur Dacchærus,spectarentur: & verò de herbâ illâ maximè est manifestum, medicis artibus non præparatam, atque correctam, turbare mentem, ad insaniámque redigere, atque in vltimum pertrahere discrimen, vt

Vellazq.in Epist.ad Philippens.

videlicet argumento sit, coronas hasce, atque Præfecturas, in quibus Dei nomen non fuerit incisum; ad quas, inquam, Dei nutu, propriísque deducentibus meritis non peruenitur, exitiales habentibus esse, quippe quæ illos de excelsis, siue præruptis illis deiiciant,& rerum asperarum occasio sint.

Rudius omnium elementorum huic rei apposi- 10.
tum nobis suppeditat exemplum;sic enim de terrâ Vates Psalm.103 5. *Non inclinabitur in sæculum sæ-* Psal. 103 5.
culi. Quare non inclinabitur? Dixerat immediatè: *Qui fundasti terram super stabilitatem suam*; nempe quod propriæ stabilitati, innatóque ponderi innititur, titubare, & inclinare in alteram partem non potest; ideo in centro vniuersi terra constituta, paribúsque vndique momentis librata, vt ab ipso centro minimè diuelli, ita de loco decedere non potest.Quem sanè ad modum,qui super meritorum basi in terræ columnas,venerandasque statuas constituuntur, tamquam super stabilitatem suam fundati,firmiter in dignitatibus,& honoribus persistēt; contra verò,qui malè interiùs librati, fauori potiùs malisque artibus incumbunt, nutare, & in ruinam propendere necesse est.Sed id elegantiùs à Plutar- Plutarch.
cho assertum accipe lib.de doctrinâ Principum,vbi cùm indignos hosce Magistratus, & Dynastas cum colossis,& magni ponderis simulachris composuisset,subdit. *Nisi quod istud colossorum pondus rectitudinem illorum stabilem,& immotam seruat;at ineruditi duces, ac Principes propterea quod intus malè librati sunt,sæpenumero vacillant,ac subuertuntur.* Reddit rationem: *Etenim cum basi non rectè posita sublimem superstruunt potestatem,simul cum ipso pondere nutāt,& ad ruinam inclinantur.* sic ille.Nec ab hoc etiam dissidet,quod hi,qui minus rectè philosophantes, sonitum potiùs, quàm sensum nonnullarū sacræ paginæ locutionum secuti, terram super aquam fundatam esse dicunt,dum necessariâ argumentatione, ac manifestis experientiis naturaliter super aquam esse non posse conuincuntur,pro suæ sententiæ cōfirmatione (Dei omnipotentia, cùm nec opus est, nec debet,abutētes,vt inquit P. Pereyra lib.1.cōm. P. Pereyra.
in Genes.)addunt,nimirum,ita velut insidentem,& innatantem aquis à Deo miraculosè sustineri:nam si id ad nostrum institutum aptes,non abs re conuinces,molem honorum, & functionum publicarum, non veris, ac propriis meritorum fundamentis innixam, sed lubricis & labentibus aquis fauoris, & diuitiarum veluti innatantem, nonnisi grandi miraculo posse consistere. Et verò ad hæc patranda miracula non ita facilè Deum sese accommodare, satis liquet,scilicet propter indoctos,& malè meritos,qui *regnauerunt*,& non ex Deo,*Principes extiterunt*,& ipse non cognouit,moueatur terra,*& transferentur rupes de loco suo.* Iob 18.4. Iob 18.4.

Mirum quidem est,quàm anceps in Scripturâ sit 11.
manuum impositio. Nam si aduertis, primùm manuum impositione muneri alicui hominem destinare,mos erat.Vt apparet Num.8.10.vbi super Le- Num. 8.10.
uitas, Dei ministerio à populo dedicandos filij Israël manus suas imponebant.Similiter Num.27. Nu.27.18.
18.de Iosue populo præficiendo, dixit ad Moysem Dominus:*Tolle Iosue filium Nun,virum in quo est spiritus,& pone manū tuā super eum.* Ad quem etiā modum in nouo Testamento, eum manuum impositione Ecclesiasticis muneribus Dei ministri alliganțur,vt ex 1.ad Timoth.5.22. *Manus citò nemini* 1. ad Tim. 5.
imposueris, & plurium Patrum monementis satis li- 22.
quidò constat.Deinde manuum impositione diuersissimis omnino,imò cōtrariis rebus, vitæ videlicet, & morti aliquis destinari dicitur. Nam impositis

manibus diuinus Spiritus, qui vitæ fons est, fideli-
Act.8.17. bus ab Apostolis communicabatur, Actuum 8.17. *Tunc imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum sanctum*; & manuum etiam impositione ad aram, vel necem victimæ, siue rei mortis addice-
Num. 8.12. bantur. Ita præfato cap. 8. Num. vers. 12. Leuitis super capita boum, qui morti in holocaustum Domino destinabantur, manus imponere præscribitur; & testes super illum quem suo testimonio reddebant morti obnoxium, manus imponebant, vt apparet
Dan.14.34. Daniel. 13. 34. presbyteris super caput Susannæ manus imponentibus, vt eam morti destinarent. Iam quid sibi vult tam contrarius eiusdem formulæ vsus? quóve tanta diuersitas ire potest? Vis dicam quod sentio? Idem horum omnium sensus, eadémque, vt ita dicam, anima est. Atque eò quidem hæc ire videntur, vt innuatur, eum qui muneri alicui præficitur, vel vitæ, vel morti pro meritis, & dignitate, siue pro demeritis, & quod muneri idoneus non sit, certissimè destinari: quippe qui per probitatis gradus ad munus ascendit, diuinum Spiritum adiuuantem, & promouentem deducit secum ad vitam; qui verò indignus, & absque meritis Prælaturæ, siue Magistratui se ingerit, non tam sessurus, quàm ruiturus ascendit. Vnde qui minus idoneos muneri præficiunt, nihilo meliùs cum illis se gerũt, ac si suo illos testimonio ad aram, in quâ, *sicut pretiosi agni, qui à principio saginantur, & postremò mactantur*; siue, *pinguedo agnorum, quæ cùm oblata fuerit consumitur, & in fumum euanescit*, destinarent.

12.
Sap.14.8. Quare ad præsens institutum opportunus est locus Sapientiæ 14. 8. vbi tam in idola, quàm in ipsorum artifices, & cultores sic inuehitur Salomõ. *Per manus autem quod fit idolum maledictum est, & ipsum, & qui fecit illud, quia ille quidem operatus est, illud autem cùm esset fragile, Deus cognominatus est.* Pende verò ibi in primis, pro (*maledictum*) Græcè
Vatabl. esse *execrabile*, necnon Vatablum legere, *infelix*. Sed deinde, esto dubio procul verum sit, cultores idolorum maledictos, execrabiles, & infelices esse, sub hoc eodem sensu, quem persequimur: nam Salo-
Prou.26.8. mone Prouerb. 26. 8. teste, *sicut qui mittit lapidem in aceruum Mercurij, ita qui tribuit insipienti honorem.*
D. Ambr. Quæ Ambr. epist. 10. sic legit, & explicat, *qui dirigat lapidem in fundibulo similis est ei, qui dat insipienti claritatem, nam seipsum vulnerat, atque sibi potiùs dum intorquet iaculum, affert periculum.* Illud meritò ambigas, cur idola ipsa execranda, & infelicia appellentur, non alia ratione, nisi quod ligna, eáque fragilia sint, cùm vel hac ratione felicia appellare possis, quæ ligna licèt fuerint, in summo pretio, & honore ab hominibus habeantur. Subsistit tamen vt verissima & egregia ea Sapientis ratio, *quia cùm esset fragile, Deus cognominatus est.* Quamuis enim primo intuitu lignum illud ad dignitatis, & diuinitatis fastigium apud profanum, & indoctum vulgus euectum esse videatur: re tamen verâ summum potiùs dedecus est assecutum, quamprimùm enim põdus negotiorum, & curarum humani generis, quod di-
Ad Heb.1.3. uinis humeris inniti debet, (*portat enim Deus omnia verbo virtutis suæ*, vt ad cap. 1. versu 24. dixi) his idolis, siue lignis est impositum, illa vt fragilia, & nullius roboris, miserè oneri cedunt: ideóque ludibrio omnibus iustâ ratione habentur. Sic scitè dixit Na-
Nazianz. zianz. orat. ad centum, & quinque Episcop. *Discant diuinitatem non sese diutius cohibituram, quin procerum capita, vt Habacuc loquitur, cum stupore dissecet; nimirũ ipsa quoque dissecta, & malè diuisa in id, quod præest, & quod subest, vt sic maximè, & Deitas contumelia afficiatur, in creaturarum ordinem redacta, & res creata onerentur Deitati honore adæquata.* Bene (*onerentur*) non honorentur, quod idolis, siue iis, qui indigni sunt, non hæreat, siue agglutinetur honor, sed pro honore, onus resultet, cui dũ meritis impares sunt, cum omnium risu succumbant necesse est. Vnde de Paulo, & Barnaba diuinos sibi honores ab Ethnicis delatos modis omnibus recusãtibus, hoc sensu dicebat Ambros. lib. 3. de Virginibus: *Paulus &* Ambros.
Barnabas putauerunt se grauari, cùm cernerent se adorari. Et meritò, cùm pondus id, non honos esset: nec alio sensu dicebat Tertull. in Apolog. cap. 33. *Non* Tertull.
enim Deum Imperatorem dicam, vel quia mentiri nescio, vel quia illum deridere non audeo. Pulchrè: nam oneratur, & deridetur creatura Deitati honore adæquata. Certè deos, siue idola sua hac Ethnici ratione pro honoribus, & laudibus, quas, si veros deos esse experirentur, deferrent, probris & maledictis indesinenter figebant: sic enim Lyricus Satyra 8. Priapum conquerentem facit;

Olim truncus eram ficulnus, inutile lignum, Horat.
Cùm faber incertus scamnum faceréine Priapum,
Maluit esse Deum, Deus inde ego furum, auiúmque
Maxima formido. ——

Similiter Catullus, qui eundem Priapum alibi se Catull.
quercum aridam, alibi populum etiam aridam cognominantem facit. Nec minori licentia Iuuenalis Iouem Deorum maximum sic irridet:

—— *audis* Iuuen.
Iuppiter hæc? nec labra moues, cùm mittere vocem
Debuerat, vel marmoreus, vel aheneus? aut cur
In carbone tuo charta pia thura soluta
Ponimus? Vt video, nullum discrimen habendum est
Effigies inter vestras, statuámque Batilli.

Audis eximias laudes, quibus Ethnici ipsi lignea, & fragilia nũmina ornant? Vides quomodo ipsa ligna puderet, pœniterétque, si in ipsa pudor caderet, ob sibi adscriptam dignitatem? Bellè nunc hæc omnia ad nostrum institutum spectant. Idolum namque (Magistratum dico, Præfectum, Prælatum, sic enim appellatur à Zacharia cap. 11. 17.) quod non meri- Zachar.11.
tis, sed per manus (fauorem, pecuniam, & id genus 17.
alia intellige) fit, maledictum, execrabile, & infelix est, *& ipsum, & qui fecit illud*; quia ille quidem operatus est, illud autem, *cùm esset fragile*, id est, indignum, & è grege insipientium, Magistratus, vel Antistes cognominatus est. Nam cùm negotiorũ pondus, quod humeris suis impar erat, ipsi incubuit, onere pressum, fractum, & comminutum, cum omnium irrisione cadere necesse fuit. Quid hæc sibi velint, sic explicat Bernardus lib. 2. de considera- D. Bernard.
tione ad Eugenium. *Credo erubescens in summo positum apice videri hominem nudum, festinauit induere insignibus suis, absq; his nempe eo deformior, quo illustrior paret. Numquid potest abscondi ciuitatis supra montem posita desolatio, aut latere fumus lucernæ extinctæ super candelabrum? Simia in tecto, siue palam posita irrisioni, & ludo puerorum obijcitur; Princeps, aut Magistratus insipiens, & honore indignus irrisioni, & contumelijs subiacet.* Hæc Bernardus. Ita quidem de Sergio Galba Romani Imperij fastigio non satis idoneo dicebat Cornel. Tacit. lib. 1. histor. *Maior pri-* Corn.Tac.
uato visus, dum priuatus fuit, & omnium consensu capax Imperij nisi imperasset. Quò intentus monebat Plutarch. in commentar. ad Princip. indoct. *Vitia* Plutarch.
fieri non potest, vt in summis potestatibus delitescant; cæterùm comitiales quidem, si algore correpti sint, vel circumacti, vertigo occupat, & iactatio, quæ corporis valetudinem eorum arguit: indoctos & inertes fortuna, quando paululum ab eâ sublati opibus, vel honoribus, vel Imperijs in sublime euolauerunt, mox præcipites ferri ostendit. Subiicit egregiam imaginem: *Imò sicut vas integrúmne, an vitiosum sit,*

sit, dum inane est, non internoscas, sed postquam quid infuderis, proditur, quod perfluit, haud alter animi madidi, potentiam non continentes, dimanant cupidinibus, ira flammis, proteruitatibus, insolentijs. Hæc Plutarchus.

13. Drogo. Sed illa multo opportuniora sunt, quæ Drogo de Sacramento Dominicæ Passionis in Christo Domino spineâ coronâ redimito, & à militibus illuso obseruat, dum Dominum peccati speciem, atque figuram in se suscipere, ac plectere, per allegoriam sic subtiliter considerat: *Iam quod sequitur luce clarius est, quia genu flexo talibus illuditur, potius quàm*
Matth.27. 29. *seruitur*: Aue Rex Iudæorum; & expuentes in
Psal.9.24. eum: *laudibus superuacuis* (*laudatur enim peccator in desiderijs animæ suæ, & iniquus benedicitur.*) Et
Matth.27. 31. post nonnulla ad ea verba Matthæi 27.31. *postquam illuserunt ei, exuerunt chlamyde, & induerunt eum vestimentis eius*, hæc subiicit. *Sic Herodes cum veste Regia præfulgidus plusquàm decuit à populo ei*
Act.12.23. *acclamaretur* (Act.12.23.) *mox percussus ab Angelo exutus chlamyde vestem suam reinduit, & consumptus à vermibus expirauit. Rectène illusus?* Aue Rex Iu-
Eccles.10.9. dæorum. *Quid superbis terra, & cinis? Quid veste ni-*
Isai.14.11. *tida gloriaris? Subter te sternetur tinea, & operimentum tuum vermis est: hæc tua vestis est, illuserunt tibi, qui chlamyde coccinea circumdederunt.* Hactenus Drogo. Vides idolum maledictum, & infelix esse? *Quia cùm esset fragile, Deus cognominatus est.* Hinc sapienter de Cassiodoro ad principem locum euecto
Cassiod. dicebat Rex Theodoricus apud eundem Cassiodorum, lib.1. variar. epist.4. *Qui non fragili felicitate prouectus fortunæ ludo ad apicem fascium repentinis successibus euolauit*: ac si diceret, dignitates, & munera absque meritis adepta fragilem, & caducam felicitatem, quæ quantocyùs infringatur, ludúmque fortunæ esse, quæ soliis indignè residentes deorsum deiicere, & præcipitare soleat.

14. Sed vt ad animæ detrimētum, quod multo pluris fieri, & omni modo, atque ratione præcaueri debet, non importunè redeam, ausim dicere, in hoc potissimum cardine æternam hominum salutem, siue interitum versari, quod intra suam se pelliculam continere, vt est in prouerbio, vel altiora se quærere, & procurare, siue in magnis, & mirabilibus super se ambulare velint; in cuius rei confirmationem tribum Dan absolutissimâ damnatione à cœlesti beatitudine expulsam videas: etenim cùm sacra pagina, dum de iis, quæ ad hanc vitam spectāt agitur, eius sæpe meminerit, in Apocalypsi tamen,
Apoc.7.5. cap.7.5. vbi peculiaris electorum ex omni tribu filiorum Israël mentio fit, abrasam omnino illius memoriam, Leuiticámque pro illâ substitutam tribum
Hieron. comperies, vt Hieron. lib.1. contra Iouinian. obseruat. Sed quare? Variæ quidem à Patribus, & interpretibus afferuntur rationes, quas apud Pereyr. ibi disput.10. Riberam & Alcazar inuenies; mihi verò illud est persuasum, sub imagine tribus Dan, illos homines, de quibus sermo nobis hactenus fuit, qui altiora se quærunt, & honoribus, quibus impares sunt, sese immiscent, singillatim indicari. Nimirum, vna tribus Dan, inter alias terminis sibi à Deo assignatis non contenta, sed suo ducta consilio, nouas sedes adire, atque occupare ausa est. Certè vbi Io-
Iosue 19.47. sue 19.47. habetur: *Ascenderuntq; filij Dan*; lectio Hebræa habet: *Et exiuit terminus Dan ex ipsis.* Quod fuit dicere, noluit tribus Dan intra diuinæ ordinationis cancellos concludi, sed præscriptos sibi terminos egressa, maiores comparare diuitias, & altiorem honoris gradum conscendere, sibique tandem fortunam fingere. Quid inde? terrenâ quidem, & luteâ occupatâ sede, à cœlesti, & superno solio

depulsa est; ô egregiam commutationem! Esse verò proprium hunc reproborum characterem, & notū, in duobus illis latronibus, quorum alter à dextris Christi, alter à sinistris in cruce pendebat, ac proinde reproborum hic, ille prædestinatorum typus esse perhibetur, manifestè videas. Quid enim reprobum à prædestinato discriminabat? Sanè, quod ille proprium locum deserere, crucémque, quæ iusto Dei iudicio illi obtigerat, cum liberâ, & incolumi vitâ commutare obnitebatur; ideo impatiens Christo suggerebat: *Si tu es Christus, saluum fac temetipsum, & nos*, Luc.23.39. At beatus alter, è contra- Luc.23.39.
rio cruci sibi assignatæ adhærere, & ab eâ nunquam diuelli cupiebat; vnde comitem increpans dicebat: *Neque tu times Deum, qui in eadem damnatione es. Et nos quidem iustè, nam digna factis recipimus.* Ac si diceret: nullum apud te timoris Dei vestigium esse apparet, quando digna factis recipiens destinatum tibi à Deo locum derelinquere cupis. Equidem altissimus hic latronis sensus adeò Christo perplacuit, vt hæc vix dixerit, cùm ei sic vltrò, & misericorditer innotuit, vt bonis ille verbis meliora, atque optima attexens Christianus iam proclamarit: *Domine memento mei, cùm veneris in regnum tuum.* Vnde Petr. Chrysolog. serm.61. de Symbolo. Chrysol.
Accedit (inquit) *illud latronis mirabile documentum, qui tunc rapuit Paradisum, quando latrocinij sui pœnas est appensus vt solueret*: nimirum, quia in ipsa pœna patiens, propriæque crucis fidus custos permanebat. Tanti refert, assignatum à Deo locum seruare, necne. Vereor tamen ne dum eos, qui proprios fines excedunt carpimus, ipsi debitos proprij instituti terminos egrediamur, & alia in re diuagemur. Ergo de hoc alibi.

VERSVS VII.

Sed semetipsum exinaniuit formam serui accipiēs, in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo.

COMMENTARIVS.

Nihil facilius, difficiliùs nihil, his verbis inueneris. Quid enim facilius, siue quod in ore omnium ad significandū Deum hominem factum frequentiùs natet, quàm *exinaniuit semetipsum*? At enimverò dū singillatim sensum verbis reddere intenditur; non ita facilè exinanitio hæc exhauritur. Vel vide.

Variæ Patrum expositiones huius loci.

Frequentior interpretum ex pluribus Patribus desumpta sententia est, Paulū his verbis de exinanitione, qua Dei Filius dum humanam carnem suscepit, semetipsum quasi deiecit, atque euacuauit, agere. Ita præter Chrysostom. Theophylact. Theodoret. Oecumen. & S. Thomam hic, Ambros. epist. 47. ad Irenæum, Augustin. epist.120. & tract.17. & 55. in Ioannem, Higinius epist.1. decretali ad omnes Christi fideles, Gregor. Magn. lib.2. Moral. cap.16. Tertullian. lib.5. aduersus Marcion. cap.20. Cyrill. Alex. lib.3. de recta fide ad Reginas, Origenes homil.1. ex quatuor in Cantica. Quod si ab his Patribus inquiras, cur Paulus incarnationem Christi appellauerit exinanitionem, eam reddunt rationem, quod qui æqualis erat cum Patre gloriæ, abiectam humanæ naturæ sortem susceperit. Ita Ambrosius. *Exinaniuit se, & accepit plenitudinem naturæ, &*

1. Chrysost. Theophyl. Theodor. Oecumen. D.Thom. Ambros. August. Higin. Greg. Magn. Tertull. Cyr. Alex. Origen.

perfectionis humanæ: sicut Deo nihil deerat, ita nec hominis consummationi, vt esset perfectus in vtraque forma. Similiter Augustinus dicta epist. 120. *Tametsi* August. *eiusdem erat cum Deo Patre naturæ particeps, eiusdémque maiestatis, ac diuinitatis consors, abiectam tamen humanæ naturæ societatem, & coniunctionem non exhorruit, sed exinaniuit ipse se, quod est maximæ humilitatis exemplum.* Sic August. ibi, & ad ea Ioannis verba cap. 13. *Posuit vestimenta sua*, sic inquit tract. 55. in Ioan. *Posuit vestimenta sua, qui cùm in forma Dei esset, seipsum exinaniuit, præcinxit se linteo, qui formam serui accepit.* & infrà: *vt autem formam serui acciperet, quando semetipsum exinaniuit, non quod habebat, deposuit, sed quod non habebat, accepit.* Cyrillus verò Alexand. lib. 2. de recta fide ad Reginas: *Existēs in formā, & æqualitate Patris Deus Verbum, quod ex illo fortissima dextra, & manus vera, inanitus quidem dicitur propter humanitatē, &c.* Similia habet lib. 2. in Ioan. c. 3. Denique Higinius hæc habet: *Filius non secundùm Deitatem solam à Patre missus est, sed secundùm carnem, quam clementer, & piè pro nobis assumere non dedignatus est. Nam quod semetipsum exinaniuit à maiestatis suæ potentiâ, idem se Filius miserit, Apostolus cōtestatur, & dicit:* Semetipsum exinaniuit, formā serui accipiens, & humiliauit semetipsum, factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis. Sic Pontifex.

2\. Verùm enimverò nonnihil huic explicationi obstrepit tam Latini verbi, *exinaniuit*, quàm Græci, *ἐκένωσε*, *euacuauit*, siue vt vertit Tertull. præfato loco, Tertull. *exhausit*, significatio, & acumen; nimirum illud solummodo exinaniri, vel euacuari, siue exhauriri dicitur, quod à plenitudine quam antea habebat, vacuum redditur & inane: Dei autem Filius humanā naturam sic suscepit, vt diuinitatis plenitudinē nullatenus euacuauerit; formam enim serui accipiens in Dei simul formâ permansit, *vt esset perfectus in vtrâque formâ*, sicut paulò antè dicebat Ambr. Quî ergo ratione humanæ carnis euacuatus, siue exhaustus dici possit?

3\. D.Thom. Pupugit hoc exinanitionis acumen non leuiter S. Thomam hic, quare illam sic explicare conatur: *inane opponitur pleno; natura autem diuina satis est plena, quia ibi est omnis bonitatis perfectio. Exod. 33. 19.* Exod. 33. 19. ostendam tibi omne bonum: *natura autem humana, & anima non est plena, sed in potentiâ ad plenitudinem, quia est facta tanquam tabula rasa; est ergo natura humana inanis.* Ita S. Tho. Addixit etiam huic rationi Cornel. animum Cornelius; illam tamen aliunde explicare, & confirmare intendit. Quod videlicet humana natura nō subsistat à se ipsâ, sed à Deo necessariò dependeat: *sicut enim* (inquit Cornelius) *nomē creatoris est*, ego sum qui sum: *siue τὸ ens, & Oceanus ipsius esse, ita creaturæ nomen est, non sum.* Scitè quidē, sed quod difficultati non plenè satisfaciat; esto enim humana natura iuxta S. Thomam inanis; iuxta Corn. verò, non ens dici possit, quod non immeritò in dubium quis vertat: vnius enim ab altero dependētia obesse non potest, quominus id quod dependet verum, & reale ens dici debeat; adhuc tamen Dei Filius exinanitus, siue euacuatus dici non possit, qui, vt dicebat August. *quod habebat, non deposuit*, sed in eo habitauit *omnis plenitudo diuinitatis corporaliter.*

4\. Salmer. Aliter P. Salmeron huic difficultati obuiam iuit, affirmans Paulū seipsum explicasse, dum addidit; *formam serui accipiens*, quod eā phrasi ostenderit, suā diuinitatem, & plenitudinem Christum contexisse, atque dissimulasse. Fuit hæc quidem multo antea Gregorij Magni mens, qui lib. 2. moral. cap. 16. in- Greg.Mag. quit: *semetipsum exinaniuisse est, ab inuisibilitatis suæ magnitudine se visibilem demonstrasse, vt serui formā tegeret hoc, quod incircumscripto omnia ex diuinitate penetraret.* At enimverò præfatæ exinanitionis, siue euacuationis phrasi minus id congruere videtur; nō enim euacuatum propriè dixeris: quod cōtectum, sed quod exhaustum est; vt in vase liquore aliquo pleno apparet, quālibet enim opertum & consignatum fuerit, euacuatum, aut exinanitum dici non potest.

Persensit, opinor, hos stimulos Caiet. ientaculo 5.
11 q. 2. in qua hæc verba latiùs expendit, ideò hanc Caiet. exinanitionem, & euacuationem Filij Dei eò retulit, quod is, qui ante assumptam carnem vndique, atque per omnia Pater æqualis erat, per incarnationem tamen minor Patre, quà homo factus fuerit. Quod si inquiras à Caietano, quî exinanitio, & euacuatio hoc dicēdi modo explicetur, cùm id ad euacuationem nihil facere videatur: respondet, ideo Dei Filium per carnis assumptionem euacuatum, atque exinanitum propriè dici, quod ante illam purè, & per omnia Patri esset æqualis, homo verò factus, & quà homo Patre minor, paritate illâ æqualitatis, quam antea habebat, se euacuauerit. Hæc Caietani mens paucis perstricta, ab Ambrosio qui- Ambros. dem instituta lib. 2. de Fide, cap. 4. in principio, cum Arianis ad hunc modum contendente. *Nam quomodo potest esse minor Deus, cùm Deus perfectus, & plenus sit? Sed minor in naturâ hominis, & miraris si ex personâ hominis Patrē dixit maiorem, qui in personā hominis se vermem dixit esse, nō hominem dixit enim:* Ego autem sum vermis, & non homo. *Et alibi:* sicut Psal. 21. 7. ouis ad occisionem ductus est: *Si in hoc minorem* Isai. 53. 7. *dicis, negare non possum. Sed vt verbo vtar Scripturæ, nō minor natus, sed* minoratus est; *hoc est, minor factus* Ad Heb. 2. 9. *est. Quomodo autem minor factus est, nisi quia* cùm in forma Dei esset, semetipsū exinaniuit? Hæc Ambr. Inficiari quidem non valeo, acutè hæc dici; nec facilè refelli posse; sed Pauli menti omnino nō quadrant: nec minorem vim in hunc dicendi modum, quàm in alios, quos modò vidimus, præfatæ rationes habere videntur. Etenim dum de Verbo Dei hæc exinanitio accipitur, vocis proprietas de quâ suprà, aptè exprimi saluarive non potest: Verbum siquidem, quà Verbum est, nullo modo vnquam dici potest exinanitum, atque euacuatum, cùm omnino immutatum, & Patri per omnia æquale etiam post assumptam carnem perseueret; quod enim Dei Filius quà homo, minor sit Patre, nihil officit quominus, quà Verbum, Patri æqualis maneat, vnde Athanasius de Christo: *æqualis Patri secundùm diui-* Athanas. *nitatem, minor Patre secundùm humanitatem.*

En quàm difficile ad Verbum diuinum exinanitio reuocetur. Hinc alia ratione hæc verba Patres 6.
alij interpretantur, non de Verbo diuino, vt humanam carnem suscepit, sed de Christo homine, qui peculiari quadā ratione exinanitus, formāmq; serui suscepisse dicatur, accipientes. Vnde in primis Commentarius Ambrosij nomine inscriptus, hanc Chri- Ambrosianus Codex. sti exinanitionem ad Passionis suæ tempus sic absolutè refert: *Christus igitur sciens in forma Dei se esse, æqualem se ostendit Deo, sed vt humilitatis legem doceret, Iudæis se comprehēdentibus non solùm non repugnauit sed* semetipsum exinaniuit, *hoc est potestatem suam ab opere retraxit, vt humiliatus, otiosa virtute infirmari videretur.* Formam serui accipiens, *dum tenetur, & ligatur, & verberibus agitur, vsque ad crucem factus obediens Patri, cui se æqualem sciebat, non sibi defendit æqualitatem, sed subiecit se.* Cui quidem interpretationi non parum videtur fauere Hieronymus epist. Hieron. 140. ad Principiam, tom. 1. vbi componens ea Psalmi 44. verba: *Diffusa est gratia in labijs tuis*, cum his Pauli, quæ persequimur, sic ait; *quod propter gratiam*

gratiam labiorum benedictus eſſe dicatur, tale quid & Apoſtolo prædicante: humiliauit ſe factus obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis; propter quod & Deus illum exaltauit, & dedit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen; *ſicut enim ibi*, forma ſerui, *paſſionis iniuria eſt*; *& exaltatio, nominiſque donatio ad Patrem redit: ita hic effuſio gratiæ, & benedictionis in ſempiternum ad eum referenda eſt, quâ poteſt humiliari, & creſcere.* Hæc Hieron. vbi formam ſerui ad paſſionis iniuriam potiùs, quàm ad ſuſceptam humanitatem manifeſtè refert.

7. Dion. Alex. Peculiaris prætereà, vt interpretibus adhuc non fuerit perſpecta, huius loci interpretatio apud Dionyſium Alex. in citata epiſt. contra Paulum Samoſatenum, inuenitur, vbi priora verba, *exinaniuit ſemetipſum*; à ſequentibus, *formam ſerui accipiens*, ſenſu diſiungens, exinanitionem non ad Verbum diuinum tantùm, ſed ad Chriſtum Deum, & hominem referens, de auguſtiſſimo corporis, & ſanguinis ſui myſterio, quo ſe fidelibus edendum præbet, acutè capit; formam verò ſerui ad egregium humilitatis exemplum, cùm Chriſtus iam iam moriturus diſcipulorum ſuorum pedes lauit, & linteo abſterſit, refert. Sed vtramque interpretationem ab eo audire præſtat. Et de exinanitione quidem ſic loquitur Dionyſ. *Deus igitur, qui habitat in nobis ſecundum teſtamentum, quod diſpoſuit nobis dicens*: accipite, & diuidite inter vos, hoc nouum teſtamentum eſt; hoc facite, &c. *Hæc eſt exinanitio Dei facta ad vſum noſtrum, vt poſſimus capere eum, hoc enim myſterium pertimeſcendum dicit Apoſtolus, cùm ait, quod* ſeipſum exinaniuit, *non relicto Patre, vt à nobis capiatur. Abſit: imò ipſius verba afferam cùm dicit*: ego & Pater veniemus ad eum, & manſionem apud eum faciemus credentem in me; *ſicut ipſe ait. Videte quanta diligentia vtitur Doctor veritatis, vas electionis*: exinaniuit ſemetipſum, formam ſerui accipiens, in ſimilitudinem hominum factus. *Exinaniri vocat Apoſtolus, vt antè dixi, capi à nobis myſterium vita per manus eius incontaminatas, & incorruptibiles, & diuinas, vt poſſimus qui ſumus fideles eius, capere eum, & fieri manſio eius, accipientes eum totum.* Hæc Dionyſ. Quæ ſubinde ex Agni figura, qui iuxta veterem ritum in Paſchate immolabatur, ſic illuſtrat, atque confirmat: *Atque hoc quidem erat, quod olim à Moyſe prædelineatum fuit in Agno ſine maculâ, & amiculo, quem mactatũ vniuerſa Synagoga filiorum Iſraël comedebat, quando Paſcha celebrabant. Iubebantur Agni carnes aſſas igni, & caput cum pedibus, & inteſtinis feſtinanter comedere: verùm illi non poterant caput cum pedibus edere, quomodo enim caput Agni cum pedibus in Paſcha edi poterat, cùm lex Iudæis iuberet non frangere os ex eo? Illis quidem prohibebatur hoc propter crudelitatem, & duritiam cordis, ſi quidem non permittebatur illis, vel totum animal comedere: verumtamen, qui* ſe exinaniuit, *Chriſtus Ieſus, habens in ſe ipſo caput, Patrem*, caput enim Chriſti eſt Deus; *facit potentiam in brachio ſuo*, & exaltauit humiles, *vt ipſi capiant altiſſimum, & habitet in nobis propter ſuam in homines charitatem, & bonitatem, quâ dilexit nos. Hæc eſt exinanitio dexteræ excelſi. Itaque exinanitio non mutationem ipſius ſignificat; abſit hoc, ſed per exinanitionem eius, quam nobis donauit, qui* ſeipſum exinaniuit; *Spiritus ſanctus ſuper omnem carnem ſe effundens manet plenus, & ſanguis ſanctus, ac viuificus effuſus ex profundo latere diuino manet item plenus*, qui ſe ipſum exinaniuit. *Ieſus Chriſtus, qui incorruptibilem, & viuum, ac vitæ datorem ſanguinem ſuum in nos effudit.* Hæc de exinanitione Dionyſius. Ad cuius etiam guſtum videtur eam accepiſſe Methodius

Meth. Mar. Martyr in conuiuio decem virginum, cùm ſic ait: *Non poteſt Eccleſia aliter concipere credentes, & per lauacrum regenerationis regenerare, niſi etiam propter ipſos Chriſtus ſeipſum exinaniens, vt capi poſſit, rurſus ſecundum commemorationem paſſionis patiatur, deſcendens cœlo, & ſuæ vxori adhæreſcens, præbeat ſe, vt ex ipſius latere virtus hauriatur, vt in eo creſcant, quicumque in eo ædificati ſunt.* Ita Methodius.

De formâ verò ſerui ſic diſſerit Dionyſius: *Pergamus deinceps ad ea, quæ ſequuntur; ſicut prius ſcriptum eſt*: formam ſui accipiens in ſimilitudinem hominum factus; *ſicut ſæpenumero dixi*, forma ſerui, *non eſt ſeruus: ſi enim velit Dominus induere ſeruum, pellem ouis, vel facere, vt diſcumbat in primo accubitu, diſcubuit, idcirco libertatem accepit, quia in primo loco ſedit. Ieſus Chriſtus igitur Dominus, & Deus Apoſtolorum cùm accepiſſet formam ſerui, cœna myſtica facta, ſurgit à cœna Deus Apoſtolorum Ieſus*, & ponit veſtimenta ſua, & cùm accepiſſet linteum præcinxit ſe. *Hæc eſt forma ſerui, & habitu inuentus vt homo, illic inuentus eſt ſeruus ab iis, qui eum non quærebant: non enim ſeruum ſequuti erant diſcipuli relictis omnibus (magna namque ſtultitia fuiſſet, homines liberos reliquiſſe omnia ſua, & ſequutos eſſe ſeruum, non habentem in manibus argentum, vel aurum) Ieſum, qui voluit linteo ſe præcingere, & mittere aquam in peluim, & lauare pedes ſeruorum, qui naturâ Dominus, & non naturâ ſeruus erat.* Hactenus Dionyſius. 8. Dion. Alex. Cuius tam multa verba appingere non dubitaui, quod & optima, ac peculiaria ſint, & ab interpretum (quod ſciam) nemine ad hunc locum adducantur.

Præter has verò interpretationes, (ne aliquid à nobis prætermittatur) Primaſius exinanitionem 9. Primaſius. de carnis aſſumptione iuxta frequentiorem Patrum mentem: formam verò ſerui eum Dionyſio, & Ambroſiano pro externâ effigie ſerui, quam Chriſtus cùm diſcipulorum pedes lauit, induit, ſic accipit. *Sed ſemetipſum exinaniuit, aſſumendo quod non erat, non amittendo quod erat formam ſerui accipiens; ita vt pedes lauaret, nihil ſibi vendicans poteſtatis, cùm haberet omnium dominatum quaſi vnigenitus à Patre.* Ita ille.

Eſſent quidem aptiores tum ſententiæ, tum etiam contextui hæ explicandi rationes, quæ exinanitionem ad Chriſtum vtcumque referunt, prout Deus, & homo eſt, niſi illis perantiqui Patres vehementer fuiſſent infenſi, quod hoc ab illorum manibus teſtimonium, quo ipſi ad humanitatem Chriſti comprobandam mirificè lætabantur, extorquent: nec longiùs ab hoc interpretamento Marcion, & alij hæretici irent, formam ſerui ad externa potiùs ſeruitutis opera, quàm ad humanitatem referentes, vt vel hinc euerent, Chriſtum non verâ naturâ humanam, ſed ſolùm apparentem aſſumpſiſſe; contra quos ſic argumentatur Chryſoſt. ſer. Chryſoſt. 10.
7. *Hoccine forma ſerui eſt? Neutiquam forma ſerui eſt, ſed opus ſerui; aliud verò eſt, opus ſerui eſſe, ac formam ſerui accepere: cur enim non ita dixit, opus ſerui fecit? quod multo manifeſtius erat: nunquam omnino nomen formæ in Scriptura pro opere eſt vſurpatum, magna enim inter hæc differentia intercedit: nam alterum quidem naturæ eſt, alterum functionis, muneris, atque operationis, nec vnquam in ipſo etiam vſu loquendi formam pro opere dicimus.* Hæc Chryſoſt. acutè verò Theod. vt ex ſerui formâ contra Arium probabat, formam Dei, naturam Dei eſſe, ita ex Dei formâ, quam Marcion naturam Dei eſſe non negabat, euidenter contra ipſum oſtendit, formam ſerui, naturam ſerui eſſe, his verbis: *Forma Dei, eſt Dei ſubſtantia? Omnino fatebuntur*, (Marcion, & ipſius ſectatores) *non enim negant Deum eſſe Chriſtum Dominum, ergo ratiocinemur, ſi ergo forma Dei, eſt Dei ſubſtantia; ſerui ergo* Theod.

substantia est forma serui, & inuenientur ij, qui contraria sentiunt, per ea quæ confitebuntur, ea confirmare, quæ nolunt fateri. Hactenus Theodoret.

11. *Ambros.* Consimili argumentatione aduersum quemdam Apollinaris discipulum vsus est Ambrosius epist. 47. sed omnium prior Tertull. quamuis pro *formâ*, legat, *effigie*, vt supra vidimus, eodem tamen quo Chrysostomus sensu Marcionem ex ipsiusmet *Tertul.* verbis ad hunc modum reuincebat: *Quod si in effigie, & imagine, qua Filius Patris vera Dei prædicatus est, etiam in effigie, & imagine hominis, quæ Filius hominis verè hominem inuentum, nam & inuentum ratione posuit, id est, certissimè hominem, quod enim inuenitur, constat esse.* Sic Patres ex his verbis pro vera Christi humanitate contra Marcionem, & alios hæreticos decertabant; imò verò, quod plus est, ex ipsismet aduersus illos, qui diuinitatem etiam Christo denegabant, sic argumentatur Tertullianus, siue *Nouatian.* Nouatianus lib. de Trinitate, cap. 17. *Quoniam si homo tantùm natus fuisset, per hoc exinanitus non esset, homo enim nascens augetur, non exinanitur. Nam dum incipit esse, quod cùm non esset habere non potuit, vt diximus, non exinanitur, sed potiùs augetur, atque ditatur: at si Christus exinanitur in eo quod nascitur formam serui accipiendo, quomodo homo tantummodo est? de quo verius dictum fuisset, locupletatum illum esse tunc, cùm nasceretur, non exinanitum.* Hæc Nouatianus.

Exponitur hæc exinanitio, & euacuatio Christi, de qua Paulus.

12. Vides vtrinque difficultatem, vtrinque scopulos: nam si exinanitionem, siue euacuationem ad carnem à Verbo diuino assumptam velis referre, non plenè Pauli verbis, nec contextui ipsi satisfacies, vt iam vidisti. Quod si eâ de causâ de Christo semetipsum in externis humilitatis operibus deiiciente, seruique figuram, & habitum in lotione pedum discipulorum, vel in suppliciis, quæ subiuit, præseferente, acceperis, mouebis quidem, nec immeritò, Patribus stomachum, egregium ab ipsorum manibus testimonium pro verâ Filij Dei humanitate aduersus hæreticos confirmandâ, extorquens. Quid igitur iam dici posset, quod nec Patribus molestum, nec Pauli verbis incongruum videatur? Curandum id quidem quoad fieri possit, atque eam inire viam, in qua inoffenso pede curramus.

13. Hoc vt præstem, illud in primis mihi videtur probabilius, exinanitionem hanc de ipsamet incarnatione Verbi diuini, prout præcisè dicit Deum hominem factum, siue de eâ solummodo actione assumendi carnem, non esse accipiendam: id quod, vt omittam rationes superiùs factas, ipse Pauli contextus suadet, ab ipso enim non Verbum diuinum, sed Christus Iesus Philippensibus sic imitandus proponitur: *Hoc enim sentite in vobis, quod & in Christo Iesu, qui cùm in formâ Dei esset*, &c. A quibus quidem verbis per totam currentem periodum vsque ad versum 11. vbi finito hoc argumento, ad alia Paulus transit, eadem omnino est oratio, ita sibi connexa, & illi relatiuo, *qui*, innixa, vt nulla alia intercedat particula, quâ vel leuiter indicetur, non de Christo Deum & hominem complectente, sed de Verbo diuino ante carnis assumptionē, sermonem institui. Imò verò, quò Pauli oratio crescit, eò se hæc eius mens magis prodit, dum eadem locutionis serie post hæc verba subdit, *humiliauit semetipsum, factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis*; & subinde: *propter quod & Deus exaltauit illum.* Quem? Christum Iesum, vt statim apertè ostendit, inquiens, *vt in nomine Iesu omne genu flectatur*, & nos ibi ex Patribus confirmabimus. Lege ergo attentiùs Paulum, & inuenies de eodem subiecto dixisse à Deo exaltatum, de quo dixerat semetipsum humiliasse, factum obedientem vsque ad mortem, mortem autem crucis: rursus de eo affirmasse, humiliatum vsque ad mortem, de quo dixerat semetipsum exinanisse, & serui formam accepisse: denique eum se exinanisse, qui non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo: hunc verò Christum esse Iesum, vt ex relatiuo, *qui*, immediatè subiecto manifestissimè constat.

Hinc Græcum textum sic forsan non nemo emungat, vt ex ipso sibi colligere velit, exinanitionem hanc, de qua sermo est, posterius quid, ad incarnationem subsecutum, ex mente Pauli esse: 14. nam pro, *formam serui accipiens*, Græcè est, μορφὴν δούλου λαβὼν: vbi, si attendis, secundus aoristus, qui rem præteriti temporis significat, à Paulo fuit positus, quamuis à Latino interprete propter defectum participiorum, quæ tempus præteritum in actiuâ significatione enuncient, per illud præsentis temporis fuerit efferendus, sicut & illud ad Hebræos 1. 3. *Qui cùm sit splendor gloriæ, & figura substantiæ eius, purgationem peccatorum faciens, sedet ad dexteram Dei*; vbi nullum est dubium, quin is sit sensus, eaque accommodatissima lectio, *purgatione peccatorum factâ*, ad quem modum legenda, capiendaque videntur cum Græcis Patribus hæc verba: apud ipsos enim pro, *formam serui accipiens*, est, *formâ serui acceptâ*. Ita Chrysostomus, Oecumenius, Photius, *Chrysost. Oecumen. Photius. Nyssen.* & Nyssenus orat. 1. de Beatitud. imò hic ita opportunè in hunc sensum transponit verba; *qui acceptâ serui formâ exinaniuit semetipsum.* Quasi prius fuerit, Verbum Dei hominem fieri, quàm seipsum exinanire. Placuit mihi quidem aliquando hæc ratio, atque aliis ita persuasi, vt dum mentem ipse mutare postea decreui, vix eos à primæua opinione reuocare potuerim. Sed enim si pendas, ac premas hanc phrasim, *formam serui accipiens*, non esse distinctam ab exinanitione, sed maiorem eius explicationem, cognosces: atque ideo siue aoristus ille præteriti, siue præsentis temporis rem significet, sensum non mutat, quin Christus tunc se exinanisse cùm formam serui susceperit, dicatur; nec vllâ de causâ siue in sensu, siue in dispunctione videtur innouandum. Sed hæc inferiùs manifestiùs constabunt.

Verùm enimverò, licèt de Christo, Deum & hominem complectente, hanc exinanitionem, & 15. formam serui acceperimus; non tamen est animus Dyonisij, aut Ambrosiani, aut aliorum sententiis adhærere, qui ad externam potiùs serui figuram, quam in passione, aut lotione pedum Christus exhibuit, quàm ad veram, & substantialem formam serui hæc referunt. Ea siquidem explicandi ratio, tum ob tot Patrum auctoritatem, qui vno velut agmine facto aduersus eam pugnant, tū quod vim vocum non satis explicat, nec sequentibus Pauli verbis bene hæret, mihi semper vehementer displicuit: vnde tam exinanitionem, quàm formam serui, de verâ carne, & substantiali hominis formâ, quam Christus suscepit potiùs accipienda putamus, frequentissimæ Patrum interpretationi assentientes; si tamen ipsi nobis, vel vnicum saltem temporis instans velint liberaliter retribuere. Ergo, vt nostram iam sententiam apertè proponamus, hæc Christi exinanitio, hæc euacuatio, hæc etiam forma serui, de quâ Paulus, vt de aliquo instanti, quod incarnationem Verbi præcesserit, accipi non debet, ita neque ad aliud tempus vitæ Christi

Chriſti Domini, quàm vel ad primum incarnationis inſtans, vel ad immediatè ſubſequens, quo in ſacratiſſimâ Virginis aulâ commorari cœpit, referenda eſt; quia nimirum Filio Dei mundum ingredienti, ſiue ingreſſo, hoc eſt, humanam carnem aſſumenti, ea fuit ab æterno Patre optio liberaliter data, vt dum hoc vitæ curriculum peragerer, quem vellet habere vitæ modum, vel vndequaque honoratiſſimum, omni huius ſæculi gloriâ, diuitiarum, ac deliciarum cōpiâ vndique affluentem, eiuſque tandem feliciſſimæ, ac ſplendidiſſimæ ſortis, qualem decebat habere germanum, ac naturalem Filium Dei; vel è contra infimum, & deſpicatiſſimum, contemptæque, ac miſerandæ conditionis, qualis vulgari cuiuis, ac miſero filio hominis ſolet euenire; pro liberâ ſui ipſius voluntate, ac placito deligeret: ac proinde vel impaſſibilem, atque glorioſam, vel paſſibilem, doloribus, afflictionibus, & ærumnis humanis vndequaque obnoxiam carnem aſſumeret, eâ tamen lege, ac conditione, eoque fœdere, ac pacto inito, vt non niſi per carnis paſſibilis aſſumptionem, crucisque, ac mortis perpeſſionem, humanum genus redemptionem, ac ſalutem adipiſceretur. Quâ quidem Chriſto, Patris germano, ac obſequentiſſimo Filio, hominum indulgentiſſimo Patri, optione, atque poteſtate delatâ, ſummique Patris eâ de re beneplacito inſinuato, nec diu, nec ancipiti conſilij lance deliberauit, carnem paſſibilem, eumque ſtatum vitæ, qui omnium deſpicatiſſimus, ærumnis, afflictionibus, tormentis, & morti obnoxius foret, eligere. Ecce iam exinanitionem, & euacuationem Chriſti, & quonam modo ſe ipſum exhauſerit: ecce formam ſerui à Filio Dei ſuſceptam; nam cùm ratione hypoſtaticæ vnionis humanitatis cum Verbo, Chriſto homini quidquid eſt glorioſum, & decorum, quidquid prædulce, & amœnum, quidquid deliciis affluens, diuitiis abundans, honoribus eminens, optimo iure deberetur, eo quidem ipſo, quod his omnibus pro noſtrâ ſalute ipſe renunciare voluerit, aptiſſimâ locutione ſeipſum exinaniſſe, euacuaſſe, atque exhauſiſſe dicitur, dum his omnibus naturali, & proprio iure debitis ſeſe ille ſponte abdicauit.

Formam ſerui accipiens, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo.

16. NEc alia quidem toti huic verſui ſententia, ſed eadem magis, ac magis, ſiue aliâ & aliâ locutione explicata, ineſt. Quid enim hanc exinanitionem magis ſignatè explicet, quàm forma ſerui, quam adiungit Paulus? formam verò ſerui quid accuratiùs valeat exprimere, quàm ea phraſis, *in ſimilitudinem hominum factus*, &c. Equidem Petrus Chryſol. ſerm. 37. de Ionæ ſigno, dum Chriſtum Dominum cum Iona componit, illa Vatis illius verba; *à facie Dei ego fugio*, ſic ipſi aptat, vt per hæc Pauli, quæ in manibus habemus, opportunè explicet, in hunc modum. *Fugit*, inquit, *Ionas à facie Dei. Nonne Dominus, vt hominis faciem præferret, & formam; faciem, formámque propria Deitatis aufugit, Apoſtolo ſic dicente*: Qui cùm in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt, eſſe ſe æqualem Deo, ſed ſemetipſum exinaniuit, formam ſerui accipiens? *Formam ſuſcepit ſerui Dominus, vt lateret mundum: vt diabolum præueniret, in hominem ſe fugit ipſum. Et bene typus Chriſti ipſius Ionæ ſeruatur in verbis, non dixit; fugio Deum, ſed*, à facie Dei ego fugio. *Deus qui vbique eſt, quò ſeipſum fugiat non eſt, ſed Chriſtus non vt loco, ſed ſicut ſpecie faciem Deitatis aufugeret,*

Chryſol.
Iona. 1. 3.

totum noſtræ ſeruitutis confugit ad vultum. Ergo eò omnia hæc ire videntur, vt aſſirmet Apoſtolus in optione illâ, & poteſtate Chriſto factâ, alterutrum vitæ modum, glorioſum, aut ignobilem eligendi, ipſum pro noſtrâ ſalute eas diuinitatis dotes, quæ debito curſu in humanitatem refluxiſſent, ſpeciali miraculo continuiſſe, & ſe humanis aſpectibus velut vnum de infimâ multitudine, ſeruili, hoc eſt, merè humanâ, tributis, ac vectigalibus mortalitati debitis obnoxiâ præditum formâ obieciſſe. Exinaniuit igitur ſe Filius Dei non tam propter aſſumptam humanitatem, quàm propter carnem, quam morti, & doloribus ſubiectam, is, qui immortalis, & impaſſibilis eſſe poterat, induit. Exinaniuit ſe propter pauperem vitam, & humilem conuerſationem, quam orbis terrarum verus Dominus habuit; exinaniuit ſe in oculis Iudæorum, qui eum habitu inuentum vt hominem plebeium, & vnum de multis contemnere non dubitarunt. Exinaniuit ſe propter tributa, quæ Romanis etiam Imperatoribus perſoluit, tum cùm adhuc in ventre eſſet matris, Auguſti iuſſis obtemperans, Bethleem, vt adſcriberetur, ſimul cum reliquis de plebe hominibus iuit; tum vel maximè, cùm ad ſolutionem tributi, quod Tiberij nomine ab eo exigebatur, iuſſit Petro, vt denarium de ore piſcis erutum exactoribus conferret. Exinaniuit ſe, dum is, qui lux erat mundi, in paruâ dumtaxat Iudæorum regione lucere, & præſentiam ſuam declarare voluit, paruumque ſibi adiunxit diſcipulorum numerum, quem ipſe puſillum gregem appellare ſolebat. Tandem exinaniuit ſemetipſum, cùm infinito penè populo adſtante, maximâ ignominiâ, ſummâ dolorum acerbitate mortalitatem expleuit. Quæ quidem omnia his verbis ſic aptauit Bernard. in allegor. Gotfrid. Tilman. *Bernard.* *Exinaniuit enim ſemetipſum formam ſerui accipiens, Filius erat, & factus eſt tamquam ſeruus. Nec ſolùm formam ſerui accepit, vt ſubeſſet, ſed etiam mali ſerui, vt vapularet, & ſerui peccati, vt pœnam ſolueret, cùm culpam non haberet. In ſimilitudinem hominum, non hominis, quia primus homo, nec in carne peccati, nec in ſimilitudinem carnis peccati creatus eſt. Chriſtus autem in vniuerſali hominum miſeria preſſius, & profundiùs ſe immerſit, ne ſubtilis ille diaboli oculus magnum pietatis deprehenderet ſacramentum. Ideo habitu, & omni habitu inuentus vt homo. Nec in eo, quantum ad naturæ debitum, ſignum aliquod ſingularitatis apparuit. Quia enim ita inuentus eſt, ideo crucifixus. Paucis reuelauit ſeipſum, vt eſſent qui crederent: reliquis abſconditus eſt, quia ſi cognouiſſent, numquam Dominum gloriæ crucifixiſſent.* Hactenus Bernardus. Hæc iam quàm aptè contextui Pauli monentis ſua non conſiderare, aut quærere, ſed quæ aliorum ſunt, quadrent, ſic confirmat Ambroſ. lib. 3. offic. c. 3. *Ambroſ.* *Hoc eſt enim conformari Chriſto, alienum non quærere, nihil alteri detrahere, vt quærat ſibi; Chriſtus enim Dominus cùm eſſet in formâ Dei, exinaniuit ſe, vt formam ſuſciperet hominis, quam operum ſuorum locupletaret virtute.* Ita ille.

Sed age, atque hanc Pauli de Chriſti exinanitione mentem, ſenſumque fuiſſe, ex Patribus adſtruamus. 17. Et primò Oecumenius in id Pauli ad Hebr. *Oecumen.* 12. 2. *Propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit crucem confuſione contemptâ*, quæ fuſiùs poſtea perſequemur; aduocans pro ſe Gregorium, ſic ait: *Quod dicitur*, pro gaudio ſibi propoſito: *ita accipe, ſicut & Gregorius ait, cui cùm liberum, inquit, fuiſſet manere in propria gloria, & diuinitate, non ſolùm exinaniuit ſemetipſum vſque ad formam ſerui, ſed & crucem ſuſtinuit ignominia contemptâ.* Hæc vno ore vterque Pater, quæ ſub præfato ſenſu de abdicatione, & renunciatione,

iurium,

iurium, quæ Christi humanitati ratione vnionis hypostaticæ inerant, accipienda esse, vel ex eo apertè constat, quod illis vti, vel non vti, liberum omnino Christo fuerit; manere verò, aut non manere in propriâ diuinitate, nunquam Dei Filio, siue ante incarnationem, siue post assumptam etiam carnem, liberum, sed necessarium fuit. Ergo ex horum Patrum mente, eâ ratione Christus Dominus semetipsum exinanisse dicitur, quod gloriæ, & diuinitatis dotibus, quæ suæ humanitati debebantur, sponte se abdicare voluerit. Si inquiras, vter hic Gregorius, Nanzianzenus, an Nyssenus (nam Græcum, non Latinum fuisse ex Oecumenio constat) fuerit. Respondebo æquè de vno, ac de altero probabile esse, cùm huius sententiæ vterque fuerit. Etenim

Nazianz. Nazianzenus orat. 31. cùm in exinanitionis Christi sermonem incidisset, eam sic explicauit: *Exinanitionem autem voco, quasi gloriæ summissionem, & imminutionem.* Et oratione de Christi Natiuitate: *Qui plenus est* (inquit) *vacuatur, suâ enim gloriâ ad breue tempus exhauritur, vt plenitudinis eius ego particeps*

Nyssen. *efficiar.* Nec minus expressè Nyssenus hom. 4. in Cantica, hunc in modum. *Dicit enim eis* (Paulus) *qui sursum aspiciunt*: Hoc sentite in vobis, quod & in Christo Iesu, qui cùm in formâ Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo, sed serui formam accepit, *qui per carnem, & sanguinem est in hâc vitâ versatus, & pro ea, quæ sibi erat proposita lætitia, & nostræ humanitatis voluntariè particeps factus est, & vsque ad mortis venit experientiam.* Preme illud, *& pro ea, quæ sibi erat proposita lætitia*, hoc est, pro eâ gloriâ, quam vt Dei Filius, & omnium Dominus in hoc mundo habere poterat, nisi diuinâ humanitate ductus infirmitates nostras portare vellet.

18. Ad quem etiam modum hæc verba videtur in-

Tertul. tellexisse Tertull. siue Nouatianus lib. de Trinitat. cap. 17. vbi cùm de Christo dixisset: *substantiam carnis, & corporis, quam ex paternorum secundum hominem delictorum seruitute venientem nascendo suscepit, quo tempore se etiam exinaniuit, dum humanam conditionis fragilitatem suscipere non recusauit*: post nonnulla, se ipsum enucleatiùs explicans, subiicit: *quoniam auctoritas diuini Verbi ad suscipiendum hominem interim conquiescens, nec se suis viribus exercens, deiicit se ad tempus, atque deponit, dum hominem fert, quem suscepit*, exinaniuit se, *dum ad iniurias, contumeliasque descendit, dum audit infanda, experitur indigna.* ita ille signatissimè pro hac sententiâ. Expende illa, *nec se suis viribus exercens*: quæ optimè hunc exinanitionis modum explicant, dum Christum immensas diuinitatis suæ vires cohibentem adstruunt, quas si dimitteret (vt iam aliquando in Thabor fecisse scimus) vel sola eius facies ineffabili irradiata diuinitatis splendore mundum fulgore, admiratione, extasi, & veneratione repleret. Quare rursus Na-

Nazianz. zianz. orat. 49. dum exinanitionem præfato modo explicat, hoc ipsum transfigurationis exemplum ad eam elucidandam accommodatè vsurpat, sed quid priùs dicat, audi. *Nam etsi Apostolus semetipsum exinanisse dicit, formam serui suscipiendo, non vtique sic exinanitum accipiemus, vt aliud, quàm quod fuerat idem spiritus fieret, sed vt seposito interim maiestatis suæ honore, humanum corpus indueret, quo suscepto salus gentium fieret.* ita Nazianz. Vbi pende iuxta superiùs dictâ accuratam Nazianz. locutionem, *seposito maiestatis suæ honore*: quâ insinuat, non deposuisse maiestatem suam, quam nec deponere posset, sed ad tempus externo eius vsu se abdicasse, siue euacuasse. Ita singillatim Eusebius, siue Eu-

Eusèb. cher. Lugdun. hom. 2. de Natal. Domini hæc ita distinxit: *Verbum caro factũ venit in mundũ non depositâ maiestate, sed sepositâ, perfectus Deus, & verus homo.*

S. Zen. Ve. Est tamen verum S. Zenonẽ Veron. ser. 3. de Natiuitate, eandem sententiam per verbum (*deponere*)

Ambros. explicasse: nec non Ambros. lib. 10. in Luc. Christum, *sequestratâ delectatione diuinitatis æternæ, tædio nostræ carnis affectum*, dixisse. Sed cùm de sensu Catholico, & puro nobis constet, eos simpliciùs, & candidiùs, quàm accuratiùs, & propriùs locutos existimamus, & pro hâc eâdem sententiâ esse credimus. Redeo ad Nazianz. transfigurationis exemplum ita subiicientem: *Deinde cùm se in monte paululum extra ipsum hominem extulisset, fulgore luminis eius penè obcæcati Apostoli sunt, in terram quippe homines ceciderunt periclitati de vita, nisi eis Dominus compresso rursus maiestatis suæ honore, vt misericors subuenisset.* Hactenus Gregorius.

Nec aliò eunt, quæ de Christi exinanitione ex 19.
Solis imagine radios suos contegẽtis, siue exuentis,

Bernard. sic dixit Bernardus serm. 46. in Cantica. *Quàm mihi decorus es Domine mi in ipsâ positione decoris? etenim vbi te exinaniuisti, vbi naturalibus radiis lumen indeficiens exuisti, ibi pietas magis emicuit.* Hæc ille, & alia suo loco adducenda. Pende modò ex appositâ hâc Solis imagine, cui splendidissimi lucis radij naturales omnino sunt, optimè hanc Christi exinanitionem explicari, qui velut nube formæ serui, & similitudinis reliquorum hominum contectus, suis se viribus non exercuit, sed debitis sibi iuribus voluit renunciare. Sub quo quidem sensu Magnus ille

S. Anton. Abb. Antonius Abbas visus est hunc locum accepisse in epist. 3. ad fratres Arsenoitas de Christi in nos beneficiis, quæ habetur tomo 3. Biblioth. veterum Patrum, hunc in modum. *Vnusquisque nostrûm vendidit semetipsum propriis voluptatibus in mala, & ipsis seruus addictus est, ob quæ ipse Iesus exinaniuit se à gloria, formam serui accipiens, vt illius seruitus nos liberaret.* Ita Antonius. Quẽ pẽde dixisse, se exinanisse à gloria, quæ in nullo accommodatiori sensu, quàm à nobis dato accipi possunt, cùm à gloria diuinitatis seipsum exinanire Dei Verbum non posset.

Tandem pro hac exinanitionis acceptione vide- 20.
Hilar. tur mihi esse Hilarius in Psal m. 68. Nam elucidans ea Vatis verba: *Ego sum pauper, & dolens*; sic sapienter inquit. *In formâ enim serui veniens, euacuauit se à Dei formâ. Nam in formâ hominis existere manens in Dei formâ potuit: aboleri autem Dei forma, vt tantùm seruus esset forma non potuit. Ipse enim est, & se ex formâ Dei inaniens, & formam hominis assumens: quia neque euacuatio illa ex Dei formâ naturæ cœlestis interitus est, neque formæ seruilis assumptio tamquam geminæ originis, conditionisque natura est: cùm id quod assumptum est non proprietatis interior sit, sed exterior accessio, quod ipsum consequentibus docet dicens*: Pauper, & dolens sum ego; & salus vultus tui Deus suscepit me. *Pauper est, qui secundum Apostolum, cùm esset omnium diues, seipsum, vt nos ditesceremus, pauperauit.* Sic Hilarius, opportunè distinguens inter, *euacuari à Dei formâ*, siue, *ex Dei formâ se inanire*, &, *aboleri Dei formam*: quippe Dei Filius quantumuis homo fieret, Dei formam abolere, siue amittere non poterat; potuit verò homo factus euacuari à Dei formâ, iuribus sibi ratione diuinitatis debitis renuncians, vt eius paupertate nos diuites essemus.

Hæc sunt, quæ ex Patribus in huius expositio- 21.
nis confirmationem adducere potui: dum verò firmo Scripturarum fundamento subnixa ea esse contendo, quod iam molior, non possum non capere sponsam quasi huius consilij, & optionis Christo delatæ gnaram atque prudentem, cùm ipsum sic alloquitur Cant. 8. 1. *Quis det te fratrem meum, sugentem* Cant. 8. 1.

gentem vbera matris meæ; vt inueniam te foris, & deosculer te, & iam me nemo despiciat? Perinde enim hæc esse videntur, ac si exoptare se diceret, Dei Filium eo modo hominem factum, vt omnia quæ humanæ fragilitati competunt, perferret, nimirum vt communis matris, hoc est, humanæ naturæ passionibus, & ærumnis obnoxiæ vbera sugens, sugens (inquam) labores, molestias, ærumnas, hoc enim lacte nos natura educat, & nutrit, per omnia fratribus assimilaretur, vti hunc explicant locum Cassiodor. & Beda. Subdit verò Philo Carpathius, tunc ab Ecclesia foris Christum inuentum, atque deosculatum, cùm ipse extra portam passus est. Et quidem, vt omnimoda hæc Christi cum fratribus similitudo Iudæis fuerit scandalum, Gentibus autem videretur stultitia, *ipsis autem vocatis Iudæis, atque Græcis Dei virtus, & Dei sapientia*, fuit. Certè Gentiles apud Volusianum, in epist. ad Augustinum (epist. 2. inter epist. August. tom. 2.) aduersus Christi diuinitatem sic oblatrabant: *Intra corpusculum vagientis infantiæ latet, cui parua putatur vniuersitas: patitur pueritiatis annos, adolescit, iuuentute solidatur, tamdiu à sedibus suis abest ille regnator, atque ad vnum corpusculum totius mundi cura transfertur deinde in somnos resoluitur; cibo alitur, omnes mortalium sentit affectus: nec vllis competentibus signis tantæ maiestatis indicia clarescunt; quoniam laruulis illa purgatio, debilium curæ, reddita vita defunctis, hæc & alia si cogites, Deo parua sunt.* Ac si dicerent: quæ hæc diuinitas, siue diuinitatis species fuerit, quæ carnis infirmitates non absumit? Nonne & vos dicitis; *Spiritus viri sustentat imbecillitatē suā*? Prou. 18. 14. cur ergo diuinitas loco spiritus non erit? Sit quamtum voluerit homo: at qui Deus simul est, cur ab homine abripiatur, & non potiùs hominem eleuet; & diuinum reddat, immortalem, impassibilem, humanæ infirmitatis, famis, sitis, defatigationis, tristitiæ, aliorumque humanorum accidentium expertem? Ita illi, per dedecus, & aliud agentes, Christi exinanitionem apptimè explicantes. Sed enim iam olim, ac si hæc audisset, sic illis satisfaciebat Tertull. lib. 2. contra Marcion. c. 22. *Totum denique Dei mei penes vos dedecus, sacramentum est humanæ salutis.* Sed quare? audi absolutissimam, & sapiente pectore dignissimam rationem, *miscente in semetipso hominem, & Deum, vt tantum homini conferat, quantum Deo detrahit.* En humanæ reconciliationis sacramentum, vt iuribus suis Dei Filius renuncians à Dei formâ (vt dicebat Hilarius) se euacuet, atque inaniat, vt quam sibi impassibilitatem, maiestatem, gloriosamque viuendi rationem detrahit, homini conferat: atque eâ quidem de causâ *de illâ sublimitate cælesti* (iam loquitur Cyprian. lib. de bono patientiæ) *ad terrena descendens, non aspernatur Dei Filius carnem hominis induere, vt cùm peccator ipse non esset, aliena peccata portaret: immortalitate interim positâ fieri se & mortalem patitur, vt innocens pro nocentium salute perimatur. Dominus baptizatur à seruo, & remissam peccatorum daturus, ipse non dedignatur lauacro regenerationis corpus abluere; diebus quadraginta ieiunat, per quem cæteri saginantur, esurit, & famem sentit, vt qui in fame sermonis, & gratiæ fuerant, cælesti pane saturarentur.* & paulò post, *& cùm ad crucem Domini confundantur sydera, elementa turbentur, contremiscat terra, nox diem claudat, Sol, ne Iudæorum facinus aspicere cogatur, & radios, & oculos suos subtrahat, ille non loquitur, non mouetur, nec maiestatem suam sub ipsâ saltem passione profitetur.* Sanè, quia id totum nostræ salutis sacramentum exposcebat. Quare indidem eadem mente Tertull. *Conuersabatur Deus, vt homo diuina agere doceretur: ex æquo agebat Deus cum homine, vt homo ex æquo agere cum Deo posset; Deus pusillus inuentus est, vt homo maximus fieret.* & eodem libro cap. 26. *Sibi quidem indigna, nobis autem necessaria:* ac si dicat; non aliter humanæ reconciliationis, posito Dei decreto, conficiendum sacramentum, quàm hâc Dei Filij exinanitione, & euacuatione factâ.

Cassiod. Beda Phil. Carp. 1. ad Cor. 1. 23. Volus. Prou. 18. 14. Tertul. Cyprian. Tertul.

Vnde rursus eodem, quo priùs imbuta sensu, cælesti huic sponso ad mundi huius ianuam pulsanti, vt nimirum vitæ sibi aditus pateficeret, sic occurrens inducitur à Salomone sponsa, vt mortalem ei conditionem, mortemque ipsam, ac mortis vsuras, velut donum quo ipsum excipiat, in manibus deferat. Cant. 5. 5. *Surrexi vt aperirem dilecto meo: manus meæ stillauerunt myrrham, & digiti mei pleni myrrha probatissima.* In quæ verba sic scitè Nyssen. *Myrrham mortis esse symbolum nemo est, qui ambigat; pulchrè ergo ait sponsa, quia manus ipsius myrrham, id est, mortem distillant, cùm aperuit ostium Deo.* Planè ac si Filio Dei diceret sponsa: si ad mei connubium, & prout mea interest, mundum vitamque ô Domine ingredi velis, en ostium, mortalem videlicet conditionem, vitæque introitum cum mortis exitu coniunctum. Quàm libens verò bonus Dominus communis matris, siue humanæ naturæ, vbera pro lacte distillantia myrrham primam sugere eligeret, vt melis dulcedine sponsam cibaret suam, sic præfato loco Cyprianus. *Sub ipsâ autem passione, & cruce, priusquàm ad crudelitatem necis, & effusionem sanguinis veniretur, quæ conuiciorum probra patienter audita, quæ contumeliarum tolerata ludibria? Vt insultantium sputamina patienter exciperet, qui sputo suo cæci oculos paulò antè formasset, & cuius in nomine nunc à seruis eius Zabulus cum Angelis suis flagellatur, flagella ipse pateretur: coronaretur spinis, qui Martyres floribus coronat æternis: palmis in faciem verberaretur, qui palmas veras vincentibus tribuit: spoliaretur veste terrenâ, qui indumento immortalitatis cæteros vestit: cibaretur felle, qui cibum cælestem dedit: aceto potaretur, qui poculum salutare propinauit.* Hactenus Cyprianus. 22.

Cantic. 5. 5. Nyssen. Cyprian.

ADNOTATIO I.

Adstruitur præfata interpretatio ex quamsimillimis Scripturæ testimonijs.

SED vt iam ad acuta veniamus, optionem illam vitæ, siue gloriosæ, & impassibilis, siue ærumnosæ, & passionibus obnoxiæ, Christo delatam ex Scripturâ confirmemus. Quâ in re signatissimus ille statim succurrit locus apud Isaiam cap. 53. 10. *Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longæuum, & voluntas Domini in manu eius dirigetur.* Quæ de egregio Passionis Christi prouentu, & nominis sui clarificatione, dum à fidelibus Dei Filius est creditus, sic accipit Hieronym. *Videbit Ecclesias in toto orbe consurgere, & earum saturabitur fide.* Sed preme cōditionalem illam, *si posuerit*, &c. Videtur enim expressa pactio, atque conuentio: vt sub hoc onere carnis passibilis, & mortis subeundæ tam mundi redemptio, quàm gentium hæreditas, ac nominis sui claritudo, & exaltatio Christo promittatur. Quid enim aliud significet particula (*si*) quàm suspensum à conditione euentum, qui nisi eâ adimpletâ non ponatur? Nosti illud apud Plutarchum in Laconicis Spartanorum responsum, cùm cuidam superbè minitanti; *Si irrupero in Lacedæmoniam, omnes vos extorres faciam;* illi 1.

Isai. 53. 10. Hieron. Plutar.

illi breuiter, & significanter, solâ illâ conditionali particulâ repetitâ responderunt, *εἰκα*, *si*: ac si dicerent, longissimum inter tuas minas, & nostrum damnum interiectum est spatium: haud enim ita facilè conditio, quam assignas, poterit adimpleri. Ergo dum de Christo dicitur: *si posuerit pro peccato animam suam*; res sub conditione posita, optioque ipsi de passibili, siue impassibili, carne assumendâ significatur: vnde statim Propheta, Christi charitatem, & in labores, & mortem propensionem, atque electionem iam videns subdit: *Pro eo quod laborauit anima eius, videbit, & saturabitur*, &c. *ideo dispertiam ei plurimos, & fortium diuidet spolia*: hoc est, vt inquit

Cyr. Alex. Cyrill. Alexand. lib. 10. thesaur. cap. 5. *diuidet præmia sanctis*: inde ex summi Patris nomine regnum, & iudiciariam potestatem ipsi deferens, quod animam suam pro peccato ponere voluerit. Hæc ipsemet Assertor disertissimè firmat apud Ioann. 12.

Ioan. 12. 24. 24. inquiens: *Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet; si autem mortuum fuerit, multum fructum affert*. Quæ Aug. Chrysost. Beda, & alij Patres de Christi passione, & exaltatione, vnanimi consensione intellexere, & omnes penè Isaiæ interpretes, Forerius, Montanus, Leo Castrius, Gaspar Sanchez, cum præfatis Isaiæ, *si posuerit pro peccato animam suam*, quasi eiusdem omnino sensus, inibi componunt: & verò quasi ex omnium Patrum ore inquit August. *Ipse Dominus Iesus erat granum mortificandum in infidelitate Iudæorum, multiplicandum in fide populorum*. Ac si dixerit Dominus: sicut granum frumenti, nisi sepeliatur in terrâ, moriatur, & putrefiat, fructum non profert; sepultum verò ac mortuum plura ex se grana progignit: ita & mortem me nunc obire, & in terrâ sepeliri oportet, vt qui non nisi mediocrem discipulorum manum adhuc adiunxi, in mortis meæ præmium opulentissimam à Patre hæreditatem gentium, quæ in me credituræ sunt, accipiam. Vbi primò conditionem prædictam ita à Christo videas expressam, quasi si ipsa non adimpleretur, nihil de mundi redemptione, & nominis sui inde securâ clarificatione foret sperandum; sicut de grano tritici non seminato, sed in horreis asseruato, nulla prouentus spes relinquitur. Vnde sapienter ab interpretibus, præsertim à Cardinali Toleto, & Patre Maldonato, obseruatum est, aliud esse granum cadere in terram, & aliud mori; atque ideo per primum significasse Christum suum è cœlo aduentum, quando *inclinauit cælos, & descendit*; imò verò cùm sanctissima ipsius mater granum hoc, vt hominum pabulum, *reclinauit in præsepio*: per grani autem mortem, quæ, vt fructus sequatur, omnino prærequiritur, passionem suam nobis exposuisse, quæ adhuc post Christi aduentum ad mundi salutem necessaria fuit, *Nec enim nobis nasci profuisset* (inquit Toletus) *nisi mortuus esset*. Non quia non potuisset Deus absque Christi passione, & mundum saluum facere, & Filium suum gloriosum reddere, sed quod diuino id esset decreto dispositum, vt Christus morte suâ mundi salutem, & sui nominis clarificationem obtineret: vnde cum allusione ad hanc grani imaginem S. Chrysolog. serm. 59. de Symbolo in eum Symboli articulum, *& sepultus est*; pulchrè ait: *vt officia tota mortis impleret, vt mors morte moreretur, vt ex illius semine corporis, omnis humanorum corporum satio vitalem surgeret, & leuaretur in messem*. Quæ ipsemet Dominus ita luculenter confirmat Ioann. 12. 32. *& ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipsum*, Subiicit enim Euangelista: *Hoc autem dicebat, significans, quâ morte esset moriturus*. Obserua rursus conditionalem illam, *si exaltatus fuero*, quæ præfatis Isaiæ verbis mirificè accinit. Nec hinc discedam, quin pulchram Hebræorum traditionem huic argumento peropportunam appingam; in iis enim Hebræorum doctrinis sic me gerere institui, vt quemadmodum historias, siue figmenta, quæ nullo fideiussore dato nobis volunt ingerere, reiicienda, & ridenda censeo, ita cùm ea tradunt quæ Scripturæ videntur consentanea, non modò non abiiciam, verùm gratiâ eis habitâ eorum testimonia plurimi faciam. Nam fortius nullum, & validius telum est, Tertull. auctore, quàm quod ab hoste ipso desumitur. Ergo Hebræus quispiam apud Petrum Galatinum lib. 8. Pet. Galat. de Arcanis cap. 11. ex mente alterius Magistri Hebræorum ad ea verba Psalm. 96. *Lux orta est iusto*, & ad illa Psal. 36. *In lumine tuo videbimus lumen*, sic ait. *Cœpit Deus sanctus, & benedictus loqui cum Messia, eique dixit: Messia, Iuste meus, isti qui reconditi sunt apud te, huiusmodi erunt, quod futurum est, vt peccata eorum inducant te in iugum graue. Oculi enim tui non videbunt lumen, & aures tuæ audient opprobrium, nasus tuus odorabit fœtorem, & os tuum gustabit amaritudinem, adherebitque lingua tua palato tuo, & herebit cutis tua ossibus tuis, attenuabiturque fortitudo tua à luctu, & à gemitu: estne ergo voluntas tua in eis? Si enim tu super te hæc susceperis, bene quidem erit, sin autem, ecce ego abigam ea ex nunc*. Potuitne expressioribus verbis optio, de qua agimus, significari? Audi iam, quid ex sententia Hebræi Christus responderit. *Respondit coram eo Messias: Domine mundi, ego quidem lætus suscipio super me tribulationes istas, siue tormenta, eo tamen pacto, quod tu in diebus meis viuifices mortuos, & eos, qui à primo Adam catenus mortui fuerunt*, &c. *Dixitque ei Deus sanctus, & benedictus: concedo. Protinus igitur suscepit ex dilectione Messias super se tormenta omnia, & tribulationes, sicut scriptum est, Isaia 53. oblatus est, & ipse affictus*. Hæc omnia Hebræorum traditio, quibus ex eorum officina, vt nihil efficacius ad eorum perfidiam reuincendam, ita nihil magis affine præfatis Isaiæ verbis, *si posuerit pro peccato animam suam*, potuit excogitari.

Nec minus appositum pro hac optione Christo humanam carnem suscipienti delatâ Regij Vatis testimonium est Psalm. 39. 7. à Paulo in hanc rem peculiariter adductum, atque elucidatum epist. ad Hebr. cap. 10. 5. sic enim sub persona Christi, vt ex Pauli mente omnes Patres, & interpretes Catholici sentiunt, (quamuis aliò temerarius feratur Eugubinus, correctione non leui indigens:) *Sacrificium, & oblationem noluisti, aures autem perfecisti mihi, holocaustum, & pro peccato non postulasti, tunc dixi: Ecce venio, in capite libri scriptum est de me, vt facerem voluntatem tuam, Deus meus volui, & legem tuam in medio cordis mei*. Cuius quidem loci dum interpretem se voluit exhibere Paulus, quo tempore, siue, quo instanti egregias hasce voces Christus profuderit, sic nobis aperuit, *Ingrediens mundum dicit: Hostiam & oblationem noluisti*. Et verò quamuis Græcum participium, *εἰσερχόμενος*, æquè significet, *ingrediens*, & *ingressurus*, quod id verbum habeat etiam in præsenti significationem futuri, non dubium, quin opportunissimè verterit Vulgatus, *ingrediens*, vt significaret hæc dicta fuisse simul, atque Christus conceptus est. Etenim cum Dei Filium Paulus inducat humani generis negotia cum summo Patre pertractantem, atque ipsi morem gerentem, imò & cum ipso etiam solemnes contractus ineuntem, vt constat ex iis verbis, *volui, & legem tuam in medio cordis mei*: necnon ex illis, quæ subiunxit Apostolus, *in qua voluntate sanctificati sumus*: ipsum

Margin notes (left column): August. Chrysost. Beda. Forerius. Montan. Leo Castr. Gasp. Sanc. — Toletus. Maldonat. — Ioan. 12. 32. (Right column): 2.

ipſum hac ratione mundi iam huius per carnis aſſumptionem incolam neceſſe eſt vt faciat, quod ad obedientiam, atque ad contractus celebrandos diſtinctæ voluntates neceſſariæ ſint; Dei verò Filius niſi homo factus, cui alia à Patre ratione humanitatis voluntas eſt, ſupponatur, neque obedire, neque pactum cum Patre inire dici poteſt, quippe vna, & eadem vtrique voluntas & mens eſt.

3. Ergo Deus homo factus, cùm primùm mundum ingreditur, Patrem ſic alloquitur: *Sacrificium, & oblationem noluiſti, aures autem perfeciſti mihi:* ſiue vt Paulus legit, *corpus autem aptaſti mihi.* Quorum verborum is ſenſus, ſiue paraphraſis eſſe videtur: notum mihi illud, atq; exploratum eſt, ô ſumme Pater, vno te ex capite in ſalutẽ hominum maximè propẽdere; ex alio verò legalibus ſacrificiis, aut puri alicuius hominis victimâ ad humanum genus tibi reconciliandum, minimè permoueri, quippe qui exactiſſimã pro peccatis ſatisfactionem exquirens, non niſi vnigeniti tui ſanguine placari poteris: ideoq; totum id negotij ad meam voluntatem, & optionem deuoluiſſe, vt me crucẽ, & mortem ſubire volente, in tuam gratiam humanũ genus redeat; me autem mortem detrectante, perpetuæ ſeruituti maneat obnoxium; eâque de causâ illud mihi formaſſe corpus, quod cùm in vtramque partem ſit aptum, morti tamen, & cruciatibus perferendis maximè fuerit opportunũ. Hunc quidem huius loci ſenſum eſſe, Hebræa lectio confirmat. Nam pro illis Vatis verbis, *aures autem perfeciſti mihi*; in fonte, vt omnes interpretes fatentur, eſt, *aures autem perforaſti mihi*; cum manifeſta alluſione, vt Patres Salmeron, Ribera, & Iuſtinianus in epiſt. ad Hebr. obſeruant, ad illum legis ritum, de quo
Exod. 21. 5. Salmer. Ribera. Iuſtinian. Exodi 21. 5. cùm ſeruo Hebræo poſt ſeptem ſeruitutis expletos annos, ea optio deferebatur, vt vel liber pro libito abiret; vel ſi in antiquâ domo ſeruus adhuc manere vellet, ſubulâ eius aures perforarẽtur, & perpetuæ ſubinde ſeruituti eſſet obnoxius. En Chriſto Domino paſſibilis, ſiue impaſſibilis vitæ optionem propoſitam, vt bene expendit Salmeron his verbis: *& ita Chriſtus, cùm liber eſſe potuiſſet, voluit tamen Patri perpetuùm effici ſeruus, & noſtram libertatem, & ſalutem, ſuâ ſeruitute & morte promouere, ita vt fieret ſeruus obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis.* Quo quidem ſenſu Am-
Ambroſ. broſius lib. de fide Reſurrectionis, dum mortis commoda enumerat, ſic ait. *Quid plura? Vnius morte mundus redemptus eſt, potuit enim Chriſtus non mori, ſi voluiſſet.* Ex quibus, ex mente Ambroſij, bene inferas optionem Chriſto delatam: quare enim potuit non mori, niſi quia potuit carnem impaſſibilem, & glorioſam eligere? Nam de paſſibili carne propter noſtram ſalutem ſemel aſſumptâ Chry-
Chryſol. ſologus ſerm. 150. (alij Codices aliter numerant) myſticè capiens illud Matth. 9. 1. de Chriſto: *Aſcẽdit in nauiculam, & transfretauit*; opportune dixit. *Et quid mirum fratres? Chriſtus venit ſuſcipere infirmitates noſtras, & ſuas nobis conferre virtutes, humana quærere, præſtare diuina, accipere iniurias, reddere dignitates, ferre tædia, referre ſanitates, quia medicus, qui non fert infirmitates, curare neſcit: & qui non fuerit cum infirmo infirmatus, infirmo non poteſt conferre ſanitatem. Chriſtus ergo, ſi in ſuis manſiſſet virtutibus, commune cum hominibus nihil haberet: & niſi impleſſet carnis ordinem, carnis in illo eſſet otioſa ſuſceptio.* Ita ille. Ad quem modum Theophylact.
Theophyl. premens ea verba ad Hebræos 2. 17. *Vnde debuit per omnia fratribus aſſimilari*; ſic ait: *cùm enim inquit, dignitatis eſt ſemel carnem hanc ille noſtram induere, & naturam humanam arripere, conſentaneum erat omnino, vt nobis perſimilis naſceretur, paremque nobiſcum, & educationem haberet, & incrementum: ferretque omnia, quæ illi eſſent ferenda, ac demum mortem obiret. Id namque prætendit, cum per omnia inquit aſſimilari.* Hæc Theophylactus.

Sed iam quid ſub perſona Chriſti ſubiiciat Regius Vates, audi. *Tunc dixi: Ecce venio, in capite libri ſcriptum eſt de me, vt facerem voluntatem tuam: Deus meus volui, & legem tuam in medio cordis mei*; quæ verba ſic effert Paulus: *Ecce venio, in capite libri ſcriptum eſt de me, vt faciam Deus voluntatem tuam*: ita vt illud, *in capite libri ſcriptum eſt de me*, tamquam per parentheſim interiectum ſit, vt ſtatim verſ. 9. apertiſſimè oſtendit, eadem verba ſic relegens; *Tunc dixi: Ecce venio, vt faciam Deus voluntatem tuam.* Vbi primò expende aduerbium (*tunc*) quo manifeſtè indicatur, poſt optionem Chriſto propoſitam, delatamque eligendi facultatem, ipſum ſtatim ſeſe in victimam expiandis peccatis efficaciſſimam ſummo Patri promptè, & ſpontanea voluntate dedicaſſe. 4.

Deinde cum Ribera in verba ad Hebræos obſerua illud: *Ecce venio, vt faciam voluntatem tuam*; non ſignificare, Chriſtum ex voluntate Patris eum vitæ ſtatum, qui ignominiæ, & morti eſſet obnoxius, acceptaſſe, ſed potiùs illum præ alio immortalis, & feliciſſimæ vitæ ſpontaneè elegiſſe, vt Patri exoptanti humanum genus per Chriſti mortem ſaluare, eo modo morem gereret: non ſecus ac ille, qui religionem ingreditur, non dicitur eum ſtatum ex Prælati, cui obedientiam deinceps præſtaturus eſt, præcepto eligere, ſed vt illi ſubinde obſequatur; ad quem planè modum Ioann. 6. 38. idem Aſſertor dixit: *quia deſcendi de cælo, non vt faciam voluntatem meam, ſed voluntatem eius, qui miſit me*; vbi non affirmat ſe ex Patris præſcripto, cui teneretur obedire, de cœlo deſcendiſſe: nec enim Verbum Dei, quà Verbum eſt, Patri obedientiam præſtat, ſed vt homo factus Patris voluntatem exequeretur. Vnde in Hebræo ſignatè habetur: *Ecce venio ad faciendam volũtatem tuam*; hoc eſt, vt in hac carne paſſibili, rẽ tibi omnium gratiſſimam, ſalutem, videlicet, hominum perficiam. Tãdem quid propriè Hebraicè, & Græcè ſignificet ea vox, *voluntas*, expende: nam Hebraicè; *Ratſon*, propriè non voluntatem per modum præcepti, aut legis intimatam ſignificat, ſed ſolùm voluntatem beneplaciti, quod ex Græcâ voce, εὐδοκία, magis liquet, quam noſter ſæpius reddit *bonam voluntatem*, vt Lucæ 2. 14. *Pax hominibus bonæ voluntatis*, ſiue *bona voluntas*, & hoc eodem capite, verſu 13. *pro bona voluntate*, & ad diuinum beneplacitum in Scripturis frequentiùs refertur. Quod ideo ſingillatim adnotaſſe placuit, vt iniectum à nonnullis de præcepto à ſummo Patre de morte crucis ſubeundâ Chriſto impoſito, cum quo hæc optio ipſi delata non bene cohærere dicitur, faciliùs eiiciam. Sanè, vt aliæ ſolutiones huic difficultati opprimendæ ad manum non eſſent, nimirum in hoc præcepto imponendo, ita Patrem ſe geſſiſſe, vt illud Chriſto non abſolutè, ſed dependenter ab ipſius voluntate iniungeret, dum illam per conditionatam priùs ſcientiam præuidit; vel eam etiam facultatem Chriſto detuliſſe, vt ipſe pro libito, an mortem ſub præcepto, an verò ſine illo obire vellet, eligeret. Adhæc, expectaſſe Patrem in hoc præcepto imponendo, Chriſti voluntatem circa hunc paſſibilis vitæ ſtatum eligendum: vt hæ, inquam, reſponſiones non occurrent, expeditiſſima ex his vocibus deſumpta ſolutio eſt; Chriſtũ non tam id genus præcepti, quod ad perferendam mortẽ ipſum vrgeret, quàm hanc Patris inſinuationẽ, quâ ipſi innoteſceret, eſſe Patri

Ribera. Ioan. 6. 38. Lect. Heb. Luc. 2. 14.

Patri maximè gratum pro hominum salute mortem obire, præ oculis habuisse, quod quidem à verâ obedientiæ lege non abesse, suo loco confirmabimus. Nunc in dictorum confirmationem, Anselmum, qui inter Scholasticos, & subtilitate, & auctoritate primas tenet, liberâ hanc Christi Domini ad vtrumque facultatem, moriendum, scilicet, & non moriendum, asserentem, audire operæpretium est. Equidem cùm ipse libro 2. *Cur Deus homo*, cap. 19. ad probandum Christi satisfactionē per actiones aliàs Deo debitas factam fuisse, hanc confecisset argumentationem: *Omnis creatura debet Deo totum quod est, & quod scit, & quod potest, ergo Christus debet Deo suas actiones*; sic subinde argumento respondet. *Quamuis creatura nihil habet à se, quando tamen concedit illi Deus aliquid licitè facere, & non facere, dat illi ita suum esse vtrumque, vt licèt alterum sit melius, neutrum tamen exigatur determinatè.* Et post nonnulla, cùm hanc doctrinam nonnullis exemplis confirmasset, sic tandem concludit: *Dominus itaque Iesus, cùm mortem, sicut diximus, sustinere voluit, quoniam suum erat pati, & non pati, debuit facere quod fecit, quia quod vult fieri debuit, & non debuit facere, quia non ex debito.* Et post pauca: *quoniam ipse est Deus, & homo, secundum humanam naturam, ex qua fuit homo, sic accepit à diuina natura, quæ alia est ab humana, esse suum, quod habebat, vt nihil deberet dare, nisi quod volebat.* Ita ille.

5. Firmat hæc omnia indidem Paulus, cùm post hæc verba, quæ in manibus habemus; *Tunc dixi: Ecce venio, vt faciam Deus voluntatem tuam*; subiicit: *in qua voluntate sanctificati sumus, per oblationem corporis Iesu Christi semel.* Vbi siue voluntas referatur ad voluntatem Dei Patris, cui suam Christus aptauit, vt plerique Patres volunt, siue ad Christi voluntatem immediatè expressam illis verbis, *volui*, &c. vt mihi multo magis placet; obserua non dixisse Apostolum, per oblationem Iesu Christi, quod alioqui satis videbatur, sed signatè, *per oblationem corporis Iesu Christi*, vt omnino respiciat ad superiora; *corpus autem aptasti mihi*: ac proinde innuat, veram nos tunc iustitiam, & sanctitatem fuisse adeptos, vi illius acceptationis, qua Christus mortale corpus eligens, ipsum quasi gratissimam hostiam in nostrorum criminum expiationem Deo Patri obtulit. Quo quidem sensu de Deiparâ Christum simul concipiente, atque homines è veteri seruitute non secus, ac antiqua illa Maria Moysis soror, quæ Israëliticum populum cum plausu, atque lætitia è captiuitate Ægyptiacâ eduxit, liberante signatissimè dixit Chrysologus serm. 146. qui est 2. in vigilia Natiuitatis Domini: *Maria mater vocatur, & quando non Maria mater? Congregationes, inquit, aquarum appellauit Maria. Nonne hæc exeuntem populum de Ægypto concepit vno vtero, vt emergeret cælestis in nouam creaturam tanta progenies iuxta illud Apostoli:* Patres nostri omnes sub nube fuerunt, & omnes mare transierunt, & omnes in Moyse baptizati sunt in nube, & in mari. Hæc Chrysologus, pulchrè contemplatus in Deiparæ vtero initos ex parte Christi cum summo Parente nostræ redemptionis contractus: ex quorum vi à dæmonis potestate, non secus, ac populus è durissimo Pharaonis imperio liberaremur. A quo non it, quod adnotauit Ambrosius lib. 2. in Lucam, velut ad huius contractus solemnitatem, & confirmationem in in Christi Natiuitate (nec enim in conceptione, quæ inuisibili ratione transigebatur, oportuit id fieri) adscripta ea omnia, quæ in publicorum contractuum tabulis obseruabantur. Sic enim ille: *Nam si Consules adscribuntur tabulis emptionis, quanto magis redemptioni omnium debuit tempus adscribi? Habes ergo omnia, quæ in contractibus esse consueuerunt, vocabulum summam illic potestatem gerentis, diem, locum, causam.* Sic Ambrosius.

Sed illud his verbis, *in qua voluntate sanctificati sumus*, est multo opportunius, quod epistola contra Paulum Samosatenum, adnotauit Dionysius Alexandr. in sacratissimo Virginis vtero Christum Iesum Pontificem fuisse consecratum. Audi: *Non in seruo inhabitauit, sed in sancto suo tabernaculo, non manufacto, quod est Deipara Maria, illic enim in ipsa Rex noster, Rex gloriæ factus est Pontifex, & manet in perpetuum semel ingressus in sancta, & æterna redemptione inuenta, ex ipsa exiuit Verbum factum Pontifex, non secundum legem carnalis mandati, sed secundum virtutem vitæ indissolubilis.* At verò non aliter id mihi sapit, quàm ea ratione, quod impassibili, ac gloriosæ carni Christus renunciauerit, Pontificis maximi munus, ad quem potissimum spectat Deum iratum hominibus reconciliare, fuisse adeptum. Sanè de Christi Sacerdotio sic disseruit Paulus ad Hebræos 2. 14. *Quia ergo pueri cōmunicauerunt carni, & sanguini, & ipse similiter participauit eisdem,* (Syriacè, *ipse quoque in similitudinem particeps factus est eorumdem,*) *vt per mortem destrueret eum, qui habebat mortis imperium, id est, diabolum, & liberaret eos, qui timore mortis per totam vitam obnoxij erant seruituti. Nusquam enim Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit, vnde debuit per omnia fratribus assimilari, vt misericors fieret, ac fidelis Pontifex ad Deum, vt repropitiaret delicta populi. In eo enim* (Syriacè, *ex hoc enim*) *in quo passus est ipse, potens est & eis, qui tentantur, auxiliari.* Vbi vides Pontificatus, siue Sacerdotij Christi rationem eò deuolui, vt quò populi delicta repropitiaret, similis per omnia fratribus fieret, formam, nimirum, serui accipiens, in similitudinem hominum factus, habituque inuentus vt homo. Vnde inibi Theophylactus: *Nullam, inquit* (Paulus) *aliam ob causam carnem hanc nostram assumpsit, nisi vt per eam, & nostri misereretur, & humi iacentes attolleret. Verùm quo pacto Pontifex noster effectus est, hâc ipsâ illotâ, & sordidâ, quam à nobis desumpserat, carne? Certè vt peccatis nos repurgaret, impetraretque eius intercessu à Deo nostris erratis veniam, quibus antea ipsi oppugnabamur.* Sic ille.

Applaudit autem sibimet ipsi eâdem epist. ad Hebr. Paulus, dum cap. 12. 2. discipulis ad patientiæ incitamentum, & laborum leuamen Christum in exemplum adducens, inquit: *Adspicientes in auctorem fidei, & consummatorem Iesum, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem confusione contemptâ.* Quibus in verbis ex interpretatione tam Græcorum Patrum; Gregorij Nazianzeni, siue Nysseni apud Oecumenium, vt in commentario vidimus, Chrysostomi, Theodoreti, Theophylacti, quàm meliorū expositorum, Riberæ, Iustiniani, Cornelij, Estij (dimissis quibusdam recentioribus, qui ab scopo aberrantes, gaudium Christo propositū ad confortationem, & solamen Christo in horto Gethsemani, non sine mœrore, & anxietate ad Patrem preces fundenti ab Angelo allatum referunt) illud vult Paulus, Christum pro eo, vt gaudio, ac gloriâ sibi propositâ, imò debitâ perfrueretur, & sese mortalibus bonis oblectaret, voluntaria electione crucis ignominiam, acerbissimamque mortem obire voluisse, summo dedecore, & acerbitate mortis libenter deuoratâ, dummodo humanum genus redimeret. Sed vt Pauli sensus vndequaque

fiat

Marginalia: Anselm. — Chrysol. — Ambros. — 6. Dion. Alex. — Ad Hebr. 2. 14. — Lect. Syr. — Theophyl. — 7. Ad Hebr. 12. 2. — Nazianz. Oecumen. Chrysost. Theodor. Theophyl.

Ribera. Iustinian. Estius. fiat conspicuus, obserua cum Ribera, Iustiniano, & Estio, Græcam lectionem (adde tu idem esse in Biblia Regia,) disiunctâ præpositione, *pro*, à verbo *posito*, ad hunc modum dispunctam esse, *pro posito sibi gaudio*: imò verò nostram etiam vulgatam Græcæ similem olim fuisse, quippe quæ duplicata propositione, *pro*, haberet, *qui pro proposito sibi gaudio*, sed typographorum oscitantiâ (vt inquit Guilliel-mus Estius,) vel argutulâ inscitiâ, quam ego illis sæpius assignare soleo, vel demptam fuisse illam præpositionem, *pro*, vel cum sequenti dictione, *posito*, coniunctam, quamuis (vt verum fatear) bene id notante Estio, sensus tandem in idem recidat. Deinde ex iisdem interpretibus, quod nos etiam suprà monuimus ad cap. 1. versu 3. in illa verba, *Deo meo*, adnotatione 1. numer. 10. disce proprium vsum Græcæ præpositionis, *ἀντὶ*, id est, *pro*, quæ non solet deseruire causæ finali, sed tunc maximè vsurpatur, cùm vno ablato, alterum in eius locum subrogatur, vt cùm apud Matthæum dicitur
Mat. 2. 22. cap. 2. 22. *Archelaus regnaret pro Herode*, & Psal.
Psal. 44. 17. 44. 17. *Pro patribus tuis nati sunt tibi filij*: & sexcentis in locis, qui passim occurrent. Quod quidem adeò est frequens, vt duo etiam testimonia, quæ Iustinianus hic affert ad probandum, eam præpositionem, *ἀντὶ*, aliquando valere idem, ac *propter*: vt illo eodem cap. 12. ad
Ad Hebr. 12. 16. Hebræos, num. 16. de Esau, *qui propter* (Græcè, *ἀντὶ*) *vnam escam vendidit primogenita*: & Marci
Mar. 10. 45. 10. 45. *& dare animam suam redemptionem pro* (Græcè, *ἀντὶ*) *multis*, eundem etiam sensum, ac cætera loca, quæ adduximus, habere existimem, vt idem commutationis vsus, ac in illis eluceat; quod de iis verbis, *propter vnam escam*, monuit Estius hîc: nec alia videtur esse ratio de illis apud Marcum, *redemptionem pro multis*, cùm pretium mortis Christi, loco illius, quod nos soluere tenebamur, fuerit persolutum. Ex quibus quidem non difficilè coniicies horum verborum, *proposito sibi gaudio sustinuit crucem*, legitimum hunc sensum esse, qui loco gaudij, quo frui poterat, crucis ignominiam maluit eligere, id est, cùm illi integrum fuisset immortalitatis gaudio, & hypostaticæ vnionis prærogatiua, & eminentia perfrui, vitamque felicissimam omnibus bonis affluentem degere, temporali hoc gaudio contempto, siue dimisso, in eius locũ mortalem, & laboribus, ac ignominiis obnoxiam vitam subiecit. Ita præter Gregorium, & Oecumenium suprà à nobis in commentario adductos, Chrysosto-
Chrysost. mus. *Licebat illi nihil pati, si voluisset, non enim peccatum fuit, nec inuentus est dolus in ore eius, sicut & ipse dixit in Euangelio*: Venit enim Princeps huius mundi, & in me non habet quidquam. *Erat igitur arbitrij illius, si voluisset, non venire ad crucem; potestatem quippe habeo, inquit, ponere animam meã, & potestatem habeo iterum sumere eam.* Hæc Chrysostom. In quam
Ambros. sententiam sic opportunè inquit Ambrosius orat. de excessu Satyri. *An qui de seruo dicit*: sic eum volo
Ioan. 21. 22. manere, *Ioann. 21. 22. non potuit ipse si manere vellet? Sed perpetuitate vitæ huius, sibi pretium, mihi sacrificium perdidisset.* Optimè quidem: nam de vitâ gloriosâ, nec vllis doloribus, aut afflictionibus obnoxiâ, quæ Dei Filio pro suâ dignitate, & maiestate, non pro mundi salute fuerit proposita, videtur locutus Ambrosius; aliâs vel circumcisione suâ, vel qualibet passibilis carnis actione propter vnionem ad Verbum, dignum Deo sacrificium, & nostris culpis expiandis opportunum potuisset Christus
Suarez. offerre, vt apud P. Suarez tom. 1. in 3. part. disput. 4.
Vazquez. sect. 4. & Vazquez tom. etiam 1. in 3. part. disputat. 75. c. 4. docent Patres, ac Scholastici cum S. Tho-
Clem. VI. ma, & diffiniuit Clemens VI. in Extrauagant.

Vellazq. in Epist. ad Philippens.

Vnigenitus, de pœnitentiis, & remissionibus.

Quo in loco maximè est notandum, hac potissimum de causa, quod in optione Christo delata pro- 8.
priis ipse iuribus ad temporale regnum, & vitam, bonis omnibus affluentem, spectantibus renunciauerit, postea & oblatum sibi ab hominibus regnum declinasse, vt apud Ioannẽ 18. 36. videre est; & pas- Ioan. 18. 36.
sionis suæ tempore de regno, atque statu suo à Præside interrogatum apertissimè respondisse: *Regnum meum non est de hoc mundo, si ex hoc mundo esset regnum meum, ministri mei vtique decertarent, vt nõ traderer Iudæis, nunc autẽ regnum meũ non est hinc.* Quæ quidem non videntur dicta, quod ipsi temporale regnum non deberetur; est enim multo probabilius ex frequentissimâ Theologorum, & Iurisperitorum sententiâ, pluribus Scripturæ, & Patrum testimoniis fulcitâ apud P. Franc. Suarez, Suarez.
& Vazquez tom. 1. in 3. part. illum disputat. 48. Vazquez.
sect. 2. con. 2. hunc verò disputat. 87. cap. 4. num. 31. Alfonsum Mendozam in relectione de Christi regno, & dominio, vi vnionis cum Verbo, vniuersale rerum omnium dominium, atque gubernationem ipsi maximè deberi; sed quod præ hominum salute egenæ, ac laboriosæ vitæ conditionem eligens, regni vsu, & regiæ potestatis exercitio à primordio suæ conceptionis sponte se abdicare voluerit. Vnde ad ea Ioannis verba Augu- August.
stinus tractatu 115. non dixisse Christum, *regnum meum non est hic*, sed *non est hinc*, sic obseruat. *Non dicit, non est hic, hic est enim regnum eius vsque in finem sæculi, habens inter se commixta zizania vsque ad messem, sed tamen non est hinc, quia peregrinatur in mundo*: ac si diceret, ideo Christum, cùm re vera Rex mundi esset, regnum tamen suum hinc esse negasse, quod peregrinus, & aduena pro nostrâ salute fieri voluisset. Vnde Paulus 2. ad Corinth. 8. 9. 2. ad Cor. 8. 9.
Scitis (inquit) *gratiam Domini Iesu Christi, quoniam propter vos egenus factus est, cùm esset diues, vt illius inopiâ vos diuites essetis.* Quod sanè sub hoc exinanitionis sensu, quem persequimur, omnino videtur accipiendum: non enim loquitur Apostolus de Dei Filio absolutè, sed de ipso iam homine facto, quasi Christus, cùm ratione vnionis ad Verbum summè esset diues, atque gloriosus, propter nos tamen suo iuri, & regno renuncians, pauperem vitam eligere maluerit. Sed hæc verba adnotatione sequenti commodiùs in hunc sensum premam.

Quare ad præfata Assertoris nostri verba ad 9.
Præsidem dicta, signatè allusum reor à Paulo 1. ad
Timoth. 6. 13. dum Timotheum eorum in primis 1. ad Tim. 6. 13.
mores fugere monens, qui *volunt diuites fieri*, & ad vitã æternam apprehendendam subinde vrgens, illis verbis, *certa bonum certamen fidei, apprehende vitam æternam, in qua vocatus es, & confessus bonam confessionem coram multis testibus*, vbi sermonem esse de confessione fidei in baptismo facta, in qua Satanæ, & eius pompis renunciare profitemur, plurium Græcorum, & Latinorum Patrum sententia est, hanc tandem subiungit opportunam contestationem: *Præcipio tibi coram Deo, qui viuificat omnia, & Christo Iesu, qui testimonium reddidit sub Pontio Pilato, bonam confessionem.* Pende, *sub Pontio Pilato bonam confessionem.* Quam verò nisi eã, quam in manibus habemus? *Regnum meum non est de hoc mundo*, quia, videlicet, vt peregrinus in eo degere maluit. Nam quod aliqui dicunt, capiendum id esse de testimonio, quod suæ diuinitati Christus reddidit, manifestè affirmans se Filium Dei esse, & verbis, & instituto Pauli omnino videtur importunum, cùm Dei Filium se esse, non coram Pilato, sed potiùs coram Caïpha fuerit confessus, vt bene adnotauit Estius ibi; Estius.

Ii 2 &

& vt vt id fuerit, ea confessio è re Pauli ibi non erat, sed hæc potiùs, quâ se regni sui opulentiæ, & splendori renunciasse professus est. Qua Paulus ad certandum bonum fidei certamen; hoc est, ad renunciandum sæcularibus pompis, & bonis huius mundi, quo meliùs posset apprehendere vitā æternam, Timotheum opportunissimè vrgere videtur.

10. Duo iam tandem breuiter hic admonendus est lector. Alterum, in hac Christi exinanitionis, & formæ serui explicatione, nihil esse, cur Patrum nomine de nobis queri possit, cùm nostra sententia cum ipsorum mente reapse concurrat, præsertim ad hæreticorum expositiones, & errores explodendos; imò verò vna eademque Pauli sententia sic accepta, tum illi, qui Filio Dei diuinitatem denegabāt, tum etiam, qui veram Christi carnem destruebāt, æquo mucrone confodiantur, cùm vtriusq; & diuinæ, & humanæ naturæ conceptus ad hanc exinanitionem explicandam necessariò prærequiratur, vt consideranti patebit. Alterum, non esse huius loci eam dissertationem instituere, an Christus dici debeat seruus, necne. Nam, vt acutè monuit *Vazquez.* P. Vazquez 3. p. disp. 80. num. 56. non dictum fuit à Paulo, Christum factum esse seruum, sed eam suscepisse naturam, quæ ex se seruilis esset conditionis, ac infirmitati humanæ seruitutis (absque peccato tamen) subiecta; quod extra omnem disputationis aleam est.

Ad ea verba: *Exinaniuit semetipsum*

ADNOTATIO II.
Literalis, & Moralis.

Filij Dei exinanitionem humanæ vacuitatis complementum fuisse.

1. SED iam inquiris: Ecquid ergo de summâ hâc gloriæ, splendoris, diuitiarum, atque deliciarum plenitudine, ex qua sese Christus exinaniuit, factum est? Euanuerunt hæc omnia, & à se ablata in ventum Christus abiecit? Minimè, non enim dimisit, sed transmisit supernum hunc splendorem, hanc gloriam, & immortalitatem, cœlestesque hos diuinitatis thesauros. In quem? In eum quidem, qui cùm diuinâ gratiâ horum omnium bonorum cōpos fuerat creatus, suo tamen vitio ab illis sese euacuauerat. *Ambros. Psal. 109.7.* Audi Ambros. in Psal. 38. hæc Pauli verba, *semetipsum exinaniuit*, cum illis Psal. 109. 7. *impleuit ruinas*, sic opportunè componentem: *Vacuus erat totus hic mundus, antequam numero credentium Christus eum impleret omnino. quod scriptum est*: iudicauit inter gentes, impleuit ruinas: *nos Adæ illius ruina vacuauit omnino, se ille exinaniuit, vt nos repleret, atque in carne hominis plenitudo diuinitatis habitaret.* Hæc Ambros. Sed Adæ ruinam, quæ nos vacuauit, simulque Christi exinanitionem, quâ ab ipso cœlestibus hisce bonis fuimus repleti, pulchrè expli- *Procop.* cauit Procopius in Genesim, Christum eum primo parente sic loquentem faciens: *Tu nunc maiora affectasti, ego vt tibi consulam, me minora sumo. Æqualis Deo esse appetiuisti, homini ast ego æqualis fio: cupisti fieri Deus, quod quidem facere debebas iuxta animi mei sententiam, sed cùm id impetrare nequiueris præter meam sententiam, ego propter te desidero fieri homo: mea voluisti rapere non valens, ego tua accipio, valens.* Hæc Procopius. At omnium luculentissimè id ita persequitur Nazianz. orat. 42. quæ est 2. de Paschate. *Quænam hæ bonitatis diuitiæ? Quodnam me circumstat mysterium? Diuinam imaginem accepi, nec custodiui, ille meam carnem accipit, vt & imagini salutem, & carni immortalitatem afferat, secundum consortium nobiscum iniit, & quidem priori longè admirabilius. Tum enim id quod præstantius erat nobis impertijt; at nunc eius; quod deterius est particeps ipse fit. Hoc priore illo diuinius, hoc apud cordatos viros multo sublimius.* Hactenus Nazianz. Nec aliter hoc Pauli loco adducto Hieronymus in cap. 3. epist. ad Galat.

Sed ante Paulum eadem sermonis serie, ac locutione sic hæc prophetico ore pronunciauerat 2.
Salomon, Cantic. 1. 3. *Oleum effusum nomen tuum, ideo adolescentulæ dilexerunt te.* Sed obserua Græcam *Cant. 1. 3.*
vocem, ἐκκενωθὲν, quam posuere Lxx, à pluribus Græcis Patribus necnon ab Ambros. lib. 3. de Virg. *Lxx. Ambros.*
& alibi frequentiùs, *exinanitum* ab aliis, *euacuatum*, transferri, & à Bernardo serm. 15. in Cant. cum his Pauli verbis sic componi: *Et quid mirum si sponsi effusum sit nomen, cùm ipse quoque effusus sit? Nam semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens, denique ait:* sicut aqua effusus sum. *effusa est plenitudo diuinitatis habitans super terram corporaliter, vt de illa plenitudine omnes, qui corpus mortis gestamus, acciperemus, ac vitali odore repleti diceremus,* oleum effusum nomen tuum. hæc Bernardus. *Bernard.* Iam sententiæ Salomonis elegantiam considera, dum Dei Filium, vnguētum, quod aliorum medicinæ, voluptati, & deliciis destinatur, facit: videtur enim innuere ipsum sese totū humanis vsibus exhibuisse, vt sua exinanitione, gloria, honore, & omnimoda voluptate repleremur. Vnde Ambrosius odoriferi vnguenti meta- *Ambros.* phoram premens lib. 3. de Virgin. scitè dixit, *exinanitum est, vt spiraret tibi*: ac si cum Plinio immensum odoramentorum pretium carpente, simulq; admonente odoriferas res plus aliis, quàm ei, qui secum illas defert, deseruire, quod is præ cōsuetudine odorem vix sentiat, dixerit, *tanti emitur voluptas aliena.* Sed ad rem sic opportunè Origenes homil. 1. ex *Origen.* quatuor in Cant. *Vnigenitus Dei Filius, cum in forma Dei esset, exinaniuit semetipsum, & formam serui accepit, exinaniuit autem de plenitudine sine dubio, in qua erat. Illi ergo qui dicunt, quia de plenitudine eius nos omnes accepimus ipsi sunt adolescentulæ quæ de ea plenitudine ex qua ille se exinaniuit, & factum est vnguentū exinanitum nomen eius percipientes, dicūt post te in odorem vnguentorum tuorum curremus.* Sic Origenes. Et bene quidem inducuntur adolescentulæ, ac paruulæ, quæ de hac plenitudine exinanita repleantur, atque grandescant: nam *Deus pusillus inuentus est*, in- *Tertull.* quit Tertul. lib. 2. cont. Marc. c. 27 *vt homo maximus fieret*: Sed hæc omnia sic ad id loci Cant. dif- *Phil. Carp.* fundit Philo Carpath. *Tunc enim verè effusum, cùm se nostra mortalitate contexit, vt nos sua immortalitate donaret. Tunc se totum nobis per viscera suæ pietatis effudit, cùm pro nobis, vel crudelissimè mori nō recusauit; sua enim sponte se pro salute nostra deuouit: per se oblata est sanctissima hostia, innocentissima victima, immaculatissimus Agnus, sacratissimum holocaustum, in ara crucis salutiferæ vitæ nostræ, vt nos à sempiterna morte redimeret; hoc, hoc est nomen illud effusum, summa charitas, ardentissimus amor creatoris ad creaturam. Mortalis venit, vt nos redderet immortales: passus est aliquando qui semper est impatibilis, ne nos semper pateremur: mortuus est semel, ne nos in perpetuum moreremur; descendit ad ima, vt nos tolleret ad superna; exinanitus est Dominus, vt excellentissimè dominaretur & seruus.* Hactenus Philo. Nec hoc in loco omit- *Chald.* tam Chaldæi Paraphrastis obseruationem, in præfatis verbis agnosceris allusionem ad oleum vnctionis, quo vnguntur capita Regum, & Sacerdotum, vt ea ratione appareat, Dei Filium esse exinanitum, vt nos *gens sancta, regale Sacerdotium* (1. Petri 2. 9.) essemus. Vnde Ambrosius libro 2.

in

in Lucam. *Ille igitur paruulus, ille infantulus fuit, vt tu vir posses esse perfectus; ille inuolutus in pannis, vt mortis laqueis sis absolutus; ille in præsepibus, vt tu in altaribus; ille in terris, vt tu in cœlis; ille alium locum in diuersorio non habebat, vt tu plures haberes in cœlestibus mansiones.* Hæc Ambrosius.

3. 1. ad Cor. 8.9.
Huc verò peculiariter facit ille 1. ad Cor. 8.9. locus, cuius adnotat. præcedent. meminimus: *Scitis gratiam Domini nostri Iesu Christi, quoniam propter vos egenus factus est, cùm esset diues, vt illius inopia vos diuites essetis.* Preme hæc, *vt illius inopia*, &c. videbatur enim dicendũ, vt illius diuitiis vos diuites essetis; quî enim alicuius inopia alium queat facere diuitem? Subsistit verò Pauli locutio: vt enim Christi diuitiis formaliter diuites reddamur, at id humanæ salutis sacramentum fuit, vt quò Dei Filius diuinitati suæ debitas diuitias in nos transferret, pauper ipse atque egenus fieret.

Nazianz.
Ita Nazianz. orat. 1. de Paschate. *Pauper factus est Christus, vt nos illius paupertate ditescamus; serui formam accepit, vt nos libertatem recipiamus; descendit, vt euehamur; tentatus est, vt vincamus; contemptus est, vt nos gloria afficiat; mortuus est, vt seruet; ascendit, vt ad seipsum trahat humi prouolutos in peccati lapsu.* Ita ille.

D. Ambros.
Nec minus piè, & eleganter Ambros. lib. 2. in Lucam, ad hæc Pauli verba: *Meum ergo paupertas illius patrimonium est, & infirmitas Domini mea est virtus; maluit sibi egere, vt omnibus abundaret.* Scitè illud, *paupertas illius meum patrimonium est*, quid enim patrimonium dixeris, quàm hæreditatem à parente relictam, seu ius in paterna bona? E paupertate ergo Christi nostrum ad cœlestem gloriam ius oritur, dum immortalitatis iura in nos ipse transmittit: non enim fuit contentus dicere, (quod iactabat non

Cicer. pro domo sua.
nemo) *liberis autem nostris satis amplum patrimonium paterni nominis ac nostræ memoriæ relinquemus*, quin sibimet debitam gloriæ, ac deliciarum hæreditatem ipse propter nos egenus factus, nobis derelinqueret. Totam verò exinanitionis œconomiam cũ allusione ad ea Pauli verba, pulchrè elucidauit

Bernard.
Bernardus serm. 3. de Annunciat. vbi Deiparam sic alloquitur. *In te sola Rex ille diues, & prædiues* (sic volo legere non, *præditus*) *exinanitus; excelsus, humiliatus; immensus, abbreuiatus, & ab Angelis minoratus est: verus denique Deus, & Dei Filius incarnatus est. Sed quo fructu? Nempe vt omnes eius paupertate locupletemur, eius humilitate subleuemur; eius minoratione magnificemur; eius incarnatione adhærentes Deo, incipiamus vnus spiritus esse cum eo.* Ita Bernardus.

4. Quod si illum sese exinanientem, atque euacuãtem, vt suas in nos diuitias transfunderet, videre velis; non tam externis corporis, quàm interioribus animi oculis mittentem aquam in peluim, suorumque discipulorum pedes lauantem intuere: sic

Ioann. 13. 4.
enim Ioann. 13. 4. *Surgit à cœna, & ponit vestimenta sua, & cùm accepisset linteum, præcinxit se. Deinde mittit aquam in peluim, & cœpit lauare pedes discipulorum, & extergere linteo, quo erat præcinctus.* Quid

Vrb. Pont.
enim id significet pulchrè aperit Vrbanus Pontifex in metaphrasi in Psalm. 50. illa Vatis verba, *amplius laua me*, sic premens: *O nitidissima lotrix nostra, quæ ad hoc aquam gratiæ Deitatis misisti in peluim mundissimæ carnis tuæ, vt nos à peccatis nostris in sanguine tuo lauares, laua me ab iniquitate mea.* Sed eandem

Rupert.
cogitationem Rupertus ita pensiculatiùs persequitur lib. 5. de diuin. offic. cap. 20. *Surrexit Dominus à cœna, id est, à conuiuio paternæ gloriæ, & posuit vestimenta sua*, semetipsum *enim* exinaniuit formam serui accipiens, *& carne nostra quasi linteo, cuius vtique materia nascitur è terrâ, præcinctus, sanguinem suum effundit velut aquam in peluim, atque inde quotidie lauat pedes nostros, cùm illum in remissionem peccatorum nostrorum sumimus.* Vides Dei Filium exinanitum, euacuatum, atque diffusum? Vt dum sanguine suo velut linteo peccatorum nostrorum maculas abstergit, *per hæc diuinæ efficiamur consortes naturæ, fugientes eius, quæ in mundo est concupiscentiæ corruptionem*, 2. Pet. 1. 4.

2. ad Petr. 1. 4. Chrysol.
Qua de re Chrysol. serm. 148. dum de forma serui à Christo suscepta differit, sic eleganter ait: *Portat hominem, ne iam cadere homo possit, quem terrenum fecerat, fecit esse cœlestem animatum humano spiritu, spiritum viuificat in diuinum, & sic totum tollit in Deum, vt in eo, quod peccati, quod mortis, quod laboris, quod doloris, quod terræ est, nihil relinquat.*

Nazianz.
Magis verò appositè Nazianzenus orat. 4. de Theologia; *at quatenus in serui forma est, seruis, ac conseruis sese accommodat, & aliena forma conformat, totum me vnà cum meis in se ipso gerens, vt quemadmodum vel ignis ceram, vel terræ vaporem Sol, sic quod in me vilius est, in se ipse consumat, ex quo commercio bonorum illius & ipse fiam particeps.* ita ille. Pende in primis ea verba, *quod in me vilius est, in se ipse consumat*, vt non solùm (quod dicebat Chrysologus) *in eo, quod peccati, quod mortis, quod laboris, quod terræ est, nihil relinquat*: sed etiam (quod ad exinanitionem explicandam mirificè facit) *in sanguine*

Apoc. 1. 5.
suo, à peccatis nos lauans, Apocalyp. 1. 5. ipsorum sordes, ac maculas criminum, scilicet, pœnas, atque supplicia, vt bonus auxiliator, verumque beneficentiæ exemplar, in se ipsum transferat; dixit enim

Senec.
prudenter Seneca lib. 4. de benefic. cap. 11. *Adeò beneficium vtilitatis causa dandum non est, vt sæpe, quemadmodum dixi, cum damno, ac periculo dandum sit: sic latronibus circumuentum defendo, vt tutò transire permittatur, reum gratia laborantem tueor, & hominum potentium factionem in me conuerto, quas illi detraxero sordes sub accusatoribus iisdem fortasse sumpturus.*

Origen.
Quæ in lotione pedum sic expressit Origenes: *Oportebat autem lauari pedes discipulorum à Iesu deponente vestimenta, vt mundos pedes mundiores efficeret, vel vt immunditiam pedum discipulorum susciperet in proprium corpus per linteum, quo solo præcinctus manebat*; ipse namque languores nostros portauit. Hinc pulchrè ab Euthymio adnotatum, Dominum mortem suam baptismum appellasse Lucæ 12. 50. Vt eam ipse hac de causa se obire indicaret, vt sanguine suo puros, ac nitidos redderet: *baptisma dicit sui occisionem, tamquam nostri purificationem.*

5. Sed enim non substat hic exinanitionis Filij Dei vis, atque efficacia, cùm non modò, *quod in me vilius est, in se ipse consumat*, sed cum meis malis, atque, ærumnis, bona, atque opes suas ipso commutante *bonorum illius & ipse fiam particeps*: sic enim Rex gloriæ, peccatorum meorum spinas in se suscepit, in sacri sui capitis tolerantia obtundens, vt pro spinea corona, quam ei imposuimus, regium ipse, atque

Hieronym.
cœleste diadema nobis conferat. Vnde Hieronymus (si tamen Hieron.) in cap. 14. Marci. *Corona spinea capitis eius nos regnum adepti sumus, vulneribus eius sumus sanati, sepultura eius resurgemus, descensione eius ad inferos, nos ascendimus ad cœlos.* Sed vt à

Ambr.
lotione pedum non discedam, sic opportunè in hanc sententiam de ipsa Ambrosius in præf. lib. 1. de Spirit. sanct. *Sed non hoc omnes haurire poterant mysterium: lauare voluit quidem Abraham, sed hospitalitatis affectu: volebat & Gedeon lauare pedes Angelo Domini, qui apparuit sibi, sed volebat vni, volebat quasi is qui deferret obsequium, non qui donaret consortium.* Pulchrè: sic enim nostrorum criminum sordes sanguine suo Christus abluit, vt *diuinæ* simul *efficiamur consortes naturæ.*

6. Huc quidem facit, quod sub Christi persona dixit

Psal. 21.15. Regius Vates Psalm.21.15. *Sicut aqua effusus sum, & dispersa sunt omnia ossa mea: factum est cor meum tamquam cera liquescens, in medio ventris mei: aruit tamquam testa virtus mea.* Pende singula, quæ à se inuicem pendent, & primùm id, *sicut aqua effusus sum*; sed quam ob causam, quámve ad rem? *factum est*, inquit, *cor meum tamquam cera liquescens in medio ventris mei*; vbi Chaldæa habent (& eodem recidit Hebræa vox) *in medio viscerum meorum.* Sanè viscerum nomine delicatissimum affectum significari, superiùs ad cap. 1. vers. 8. ex Isai.63.15. vbi multitudo viscerum, & miserationum idem esse dicitur, & 3.Reg.3.26. *Commota sunt viscera eius super filio*, vidimus. En igitur causam simul, ac finem, ob quem effusus, siue exinanitus Christus fuerit, quia videlicet præ amoris igne, quo genus humanum prosequebatur, liquefactum cor eius, robur, scilicet, ac fortitudo, fuerit, seseque in aquam ad abluẽdas sordes peccatorum nostrorum liberalissimè effuderit. Vnde subdit: *aruit tamquam testa virtus mea*: vbi pulchra testæ similitudine, cuius humor excoquitur, & igne exsiccatur, denotat sibimet ipsi exaruisse, atque in puluerem mortis redactum, vt natiuum opum, ac diuitiarum suarum humorem in nos transfunderet. Quam quidem ob causam videtis ab Euangelistis, Matth.27.50. Marc.15.37. Lucæ 23.46. Ioan.19.30. mortem Christi scribentibus, non dici ipsum obiisse, seu mortuum fuisse, sed emisisse spiritum, expirasse, tradidisse spiritum; quæ quidem locutiones eædem sunt cum illa, qua Genes.2.7. vitalis spiritus à Deo primo homini collatus sic dicitur, *& inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ*; vbi Hebræum, *Napach*, propriè significat insufflare, vel spiritum emittere, siue dum viuitur, siue dum mortalitas expletur: planè vt appareat, & Dei mortem hominis vitæ à principio oppigneratam, primumque Dei spiritum in hominis vitam collatum, cùm ipsius Dei morte fuisse coniunctum; & postremum spiritum in vitalem hominis halitum Christum exhalasse; ipsiusque mortem, vitam homini extitisse, non secus, ac si in illum proprium spiritum transfunderet. Ita quidem Ambros. lib. 3. de Spiritu sancto, c.18. *Quid clementius, quàm quod mihi suas donauit iniurias? plenius tamen quod tantum contulit nobis, vt qui moriturus non erat, quia Deus erat, nostra illa morte moreretur, vt nos eius spiritu viueremus.* Ita ibi, & l.2. de Spiritu sancto, dum Christum in cruce animam agentem, cum flore suauissimum odorem exhalante componit, subdit: *mori ipse nesciens, & mortuus vitæ æternæ munus exhalans.* Similiter lib.10. in Luc. vbi dum Christum contristatum, dolentem, & tædio affectum prædicare non erubescit, sic scitè inquit. *Suscepit tristitiam meam, vt mihi suam lætitiam largiretur: & vestigiis nostris descendit vsque ad mortis ærumnam, vt nos suis vestigiis reuocaret ad vitam.* Hæc omnia ex Ambrosio.

Matt. 27.50. Mar. 15.37. Luc. 23.46. Ioan. 19.30. Genes. 2.7. Ambros. Idem.

7. Sanè in prodigi filij regressu arcanis verbis seruos parens alloquebatur: *Adducite vitulum saginatum, & occidite, quia filius meus mortuus fuerat, & reuixit.* Lucæ 15.23. quasi vituli mors, & deperditi filij vita mirificè inter se conuenirent. Ita Chrysolog. serm. 3. *Historiam loquimur, adhuc etiam cogitamus arcanum nudare mysterium. Mortuus filius vituli suscitatur ex morte.* Nec alio sensu sub Christi persona Ionas cap.2.3. dicebat: *De ventre inferi clamaui, & exaudisti vocem meam.* Nam si dubites, cur infero ventrem assignauerit Vates. Respondet Theophylactus sermonem inibi de cruce esse: *illa enim pro nostra salute Domini mortem peperit.* At quis ventrem ad mortem parturiendam assumpserit? Ille quidem, qui Domini mortem, nostram vitam esse sciuerit: atque ideo signatè Theophylactus nostræ salutis meminit, quod hæc primaria illius ventris proles sit. Vnde quidem videris idem fuisse, Christum expirasse, ac terram moueri, ac velut parturientis doloribus concuti, Matth. 27. 51. quod mortuos omnes, quos velut in ventrem retinebat, ad vitam iam ex Christi morte produceret: id sic adnotante Ambros. lib. de fide Resurrect. post medium: *Qui cùm emitteret spiritum, vt ostenderet pro nostra resurrectione se mortuum, seriem ipsam resurrectionis exercuit; simul enim vt emisit spiritum, terra mota est.* Ita ille.

Luc. 15.23. Ionæ 2.3. Theophyl. Mat. 27.51. Ambros.

En igitur optimam rationem, qua Ethnicis Christi exinanitionem, & summam humiliationem nobis exprobrantibus apud Paulum, 1. ad Corinth. 1. 23. opportunissimè satisfeceris. *Pradicamus Christum* (inquit Apostolus) *& hunc crucifixum, Iudæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam.* Cur scandalum? cur stultitia? Equidem quod vterque populus summam in Deo maiestatem, ingentémque, & admirandam magnitudinem profiteretur. Ego (inquit Iudæus) eum Deum colere solitus, qui decemplici castigatione percussit Ægyptum, omnesque eius primogenitos trucidauit, qui exsiccauit spiritu suo maria, barbarum Regem cum curribus, & equitibus suis in profundum aquarum demersit, qui eduxit populum suum in exultatione, atque ipsum in manu potenti, & brachio excelso per desertum gloriosè traduxit, qui vt daret legem in monte Sinai, minaci dignitate, crebris ignibus cœlum omne turbauit, & sexcenta huius generis egregia facinora me spectante perfecit; illum modò vt Deum agnoscam, & adorabo, quem in serui forma, imò verò vt malum seruum vapulatum, percussum, & cruci suffixum video? Similiter Gentilis: Eia (inquit) Deos ego meos augusta maiestate verendos, Iouem iacientem fulmina, etsi personam dissimulet, vt fortem, & præferocem taurum horrendis mugitibus aëra, & terras concutientẽ; Neptunum triumphali curru maria tranantem; Martem bellico furore ardentem, hominesque inflammantem, cum Deo egeno, paupere, exinanito, euacuato, sicut aqua diffuso, vitamque in cruce profundente commutabo? At, ô boni, cur Deo meo diffiditis? quidve in ipso displicet vobis? An quod propter vos egenus factus est, vt vos diuites essetis? An quod ille paruulus, ille infantulus, vt vos viri possetis esse perfecti? An quod ille inuolutus in pannis, vt vos à mortis laqueis absolueremini? Quod ille in præsepibus, vt vos in altaribus? Ille in terris, vt vos in cœlis? Ille nec in diuersorio locum haberet, vt vos plures in cœlestibus haberetis mansiones? An quod spineam gestauerit coronam, vt vos coronam gloriæ adipisceremini? Quod percussus, vt vos sanaremini? Quod mortuus, vt in vos vitam transfunderet? Quod sepultus, vt vos resurgeretis? Quod descenderit ad inferos, vt vos ascenderetis in cœlos? *Ira & mœrore impleor* (assumo verba Nazianz. orat. 31) *propter meum Christum. (vtinam ipsi quoque mecum doleatis) cùm eum hac de causa contemni, ac pro nihilo haberi inspicio, propter quam eum maximè honorari par erat. An idcirco, dic mihi, humilis, & abiectus est, quia propter te humilis? An ideo creatura, quia de creatura sollicitus? An ideo tempori subest, quia eos qui tempori subsunt, inuisit?* Ad quem etiam modum hæreticos sic carpit Basilius in Apologia ad Cæsarianos. *An & præsepe Christo opprobras hæretice, per quod cùm alienus esses à Verbo, nutritus es?* O pectora cæca! Imò verò hinc Gentiles, hinc Iudæi, hinc hæretici, & verum Deum, & inanium Deorum vestrorum ludibria maximè cognoscere debuissetis:

8. 1. ad Cor. 1. 23. Nazianz. Basil.

debuiſſetis: hic enim vnus veri Dei character eſt, prodeſſe, opem ferre, pro ſuorum ſalute indefeſſas excubias facere. Quanta quidem ſtultitia, quanta dementia, quod apud vos *Leo hominum vorator pro Deo humaniſſimo* (Cyrill. Ieroſolym. Catecheſ. 6. *adorabatur; ſerpens, & draco, æmuli eius, qui nos ex Paradiſo eiecit, adorabantur, & qui Paradiſum plantauit, contemnebatur? Taceo Iouis in cygnum mutationes, pudet dicere illius in bouem transformationes; ſunt enim mugitus indigni Deo.* Cur enim diuinitatem ad terrorem, ad indignationem, ad rabiem, & non potiùs ad benignitatem, naturámque ad benefaciendum, & opitulandum pronam ex veſtrorummet ſapientum ſententia referam? Nónne maieſtatem ex bonitate, atque beneficentia, & Seneca, & M. Tullius, & Plinius vterque penſitarunt? Quid Seneca? *Primus* (inquit epiſt. 95.) *Dei cultus, Deum credere; deinde reddere illi maieſtatem ſuam, reddere bonitatem, ſine qua nulla maieſtas eſt.* Quid Tullius? quid Plinius Iunior? Equidem, cùm prior orat. pro domo ſuâ Iouem optimum ob beneficia; maximum propter vim appellari ſic obſeruet. *Quocirca te Capitoline* (Iupiter) *quem propter beneficia Pop. Rom. optimum, propter vim maximum nominauit.* Plinius non caſu, ſed de induſtria priùs optimi, quàm maximi cognomento coli, ita ſcripſit in Panegyrico ad Traianum: *Parens hominum Deorumq; optimi prius, deinde maximi nomine colitur.* Sed reddit turſus rationem diſertiſſimè Tullius lib. 2. de natura Deorum, his verbis. *Iupiter, id eſt, iuuans Pater, à Poetis Pater diuûm, hominúmque dicitur, à maioribus autem noſtris optimus maximus; & quidem antè optimus, id eſt, beneficentiſſimus, quàm maximus: quia maius eſt certè, gratiúſque prodeſſe omnibus, quàm opes magnas habere.* Quid iam tādem Senior Plinius? Sanè non minus ſignatè, atque eleganter totam diuinitatis rationem ad benefaciēdum, feſsíſque rebus opem ferendam, ſic reuocauit lib. 2. nat. hiſt. cap. 7. *Deus eſt mortali iuuare mortalem, & hac ad æternam gloriam via: hac proceres ire Romani, hac nunc cœleſti paſſu cum liberis ſuis vadit maximus omnis æui rector Veſpaſianus Auguſtus feſſis rebus ſubueniens: hic eſt vetuſtiſſimus referendi benemerentibus gratiam mos, vt tales numinibus adſcribantur. Quippe & omnium aliorum nomina Deorum, & quæ ſuprà retuli ſyderum, ex hominum nata ſunt meritis.* Vidiſtis (veſtriſmet Ethnicis auctoribus & penſitatoribus) Dei maieſtatem, dignitatem, naturam, primariúmque diuinitatis conceptum in bonitate, & beneficentia cenſeri? Ergo ex ore veſtro vos iudico ſerui nequam. Etenim cùm Deum ego meum humiliatum, percuſſum, & animam exhalantem prædico, non temerè, & vanè vnguentum effuſum, atque euacuatum aſſero, ſed *exinanitum, vt ſpiraret tibi*; puſillum factum, vt tu maximus fieres; veſtigiis noſtris vſque ad mortis ærumnam deſcendentem, vt ſuis veſtigiis nos reuocaret in vitam.

9. Equidem ſi tu Deum ſine cauſa, ſine fine, ſine fructu exinanitum, & mortuum mihi propoſuiſſes, tali ego Deo, ſuiſque cultoribus exſibilarem, & irriderem, eóſque exploderem, atque contemnerem, cùm eum Deum hac inter alias de cauſa exinanitum nouerim, vt exitialem eorum Deorum religionem, ſiue ſuperſtitionem, qui temerè demortui, & fulminum ictu conflagrati in fabulis decantantur, è medio tolleret, tantóque erroris vulneri medicinam adhiberet; ſic enim optimè Cyrill. Ieroſolymit. præfata Catecheſ. 6. *recenſeni & ſuorum Deorum mortes, caſus, & ruinas, necnon fulminis ictu deflagrationes* (ſequor accuratam Cyrilli verſionem.) *Vides de quanta maieſtate, qui deſcenderunt? Numquid fruſtra, & incaſſum Filius Dei de cœlo deſcendit? Nónne vt tantum vulnus curaret?* At cùm is Deus, & tibi, & mihi colendus obiicitur, qui non fruſtra, & vanè à ſuæ maieſtatis ſolio in terras deſcendit, ſed vt in ſui humilitate iacentem mundum erigeret, & pro ſuo homine, pro ſua imagine, & ſimilitudine, pro ſpiritus ſui vagina ſeſe deponeret; iure hunc Deum mente proſequar, beneuolentia complectar, affectu conſtringam, obuiis manibus ſuſcipiam, & in illum toto dilectionis niſu, ardentíque amoris impetu certatim ferar. Quare opportunè Chryſoſtomus hom. 2. in Matth. poſt initium: *Cùm ergo audieris, quod filius Dei ſit, & Dauid, & Abrahæ, dubitare iam deſine, quod & tu, qui filius es Adæ, futurus ſis filius Dei: non enim fruſtra, nec vanè ad tantam humilitatem ipſe deſcendit; ſed vt nos ex humili ſublimaret; natus eſt enim ſecundùm carnem, vt tu naſcereris ſpiritu; natus eſt ex muliere, vt tu deſineres filius eſſe mulieris.* Sed enim hoc argumentum multis pertractauit Athanaſ. in ſerm. in Euang. de Paſſione, & cruce Domini, vbi hæc habet inter alia: *Forſitan aliquis iſta audiendo erubeſcit, forſitan conſpiciendo Dominum ludibrio haberi, duci, & conuerberari, pudore afficitur: ſed ſi cauſam didicerimus, cur ita excruciatus ſit, deſinemus erubeſcere; admirantes potiùs bonitatem, & humilitatem Domini, gloriabimur & ipſi, quemadmodum Paulus, in cruce Domini, eo quod Dominus non ſuo, ſed noſtro nomine patiebatur, &c. ſiquidem ipſe, vt Propheta dicit*, noſtras infirmitates ſuſtulit, & languores geſtauit, &c. *In ſumma, factus eſt homo, & mortuus eſt, vt nos, qui vt homines moriebamur, deificaremur, neque vlterius pateremur regnum mortis.* Hæc omnia ex Athanaſio.

Vnde quidem poſt præfata verba: *Iudæis quidem ſcandalum, gentibus autem ſtultitiam*, ſubiicit Paulus; *ipſis autem vocatis Iudæis, atque Græcis Chriſtum Dei virtutem, & Dei ſapientiam*: ac ſi diceret; at qui illuminatos cordis oculos habent, omnino aliter cenſent, videlicet, ex Chriſti Paſſione, Dei virtutem, diuinam maieſtatem, necnon ſummam, & admirabilem ſapientiam relucere, dum magno conſilio, & efficaciſſimo remedio, perditis ac deploratis humani generis rebus opportuniſſimè prouidit. Quæ ob oculos habens S. Leo Magnus ſerm. 8. de Paſſione, cùm dixiſſet: *Traditus itaque Dominus ſæuientium voluntati ad irriſionem regiæ dignitatis, ſupplicij ſui iuſſus eſt eſſe geſtator, vt impleretur quod Iſaias Propheta prauiderat dicens, ecce natus eſt puer, & datus eſt nobis filius, cuius imperium ſuper humerum eius*; ſapienter adiecit: *Cùm ergo Dominus lignum portaret crucis, quod in ſceptrum ſibi conuerteret poteſtatis, erat quidem hoc apud impiorum oculos grande ludibrium, ſed manifeſtabatur fidelibus grande myſterium*: ipſos, videlicet à Dei Filio velut deperditam ouem in humeros ſuos ſublatos, de puluere, & ſtercore ſuſcitari, vt ſedeant cum Principibus, & ſolium gloriæ teneant. 1. Reg. 2. 8. Quo ſanè modo ea Iſaiæ verba ſic capit Venerab. Drogo de Dominicæ Paſſion. ſacramēto. *O maxime Imperator! Sed quomodo, aut quò portas imperium tuum ſuper humerum tuum? Humerus tuus altus, humerus tuus fortis, humerus tuus pertingit vſque ad Patris conſeſſum, ſuper omnem principatum, & poteſtatem, & virtutem. Illuc perducis ouem centeſimam, illuc deducis ouem Ioſeph.* Pſal. 79. 1. Ita ille. Cui ſenſui concinit Sācta Mater Eccleſia, dum diuino inſtituta Spiritu, Deum ſic alloquitur, & orat. *Deus, qui in Filij tui humilitate iacentem mundum erexiſti*: bene, *in Filij tui humilitate*; quaſi Chriſti crux (ſumpta ab Architectonica ſimilitudine, in qua peculiaris quædam inuenitur machina, qua lapides, & ligna in altum ſubleuantur, Hiſpanè, *alçaprima*) iacentem mūdum in cœlū erexerit. Ideo rurſus Leo Pontifex ſer. 18. de

de Passione, hæc opportunè de Christi patientia, & humilitate monuit. *Tenuit itaque dispositæ mansuetudo patientiam, & cohibita famulantium sibi Angelicarum virtute legionum, hausit calicem doloris, & mortis, totúmque supplicium transtulit in triumphum. Victi sunt errores, subacta sunt potestates, accepit nouũ mundus exordium*: nimirum, vt qui totus luteus, & damnationi manebat obnoxius, Christi sanguine mundatus, ad sydera erigeretur, cœlóque ipsi insereretur.
Ad Coloss. 3.3. tur. Quare subiicit Leo. *Transierunt vetera, & ecce facta sunt omnia noua, vt vniuersorum in Christo credentium, & in sancto Spiritu renatorum per ipsum, & cum ipso vna esset passionis societas, & resurrectionis æternitas dicente Apostolo*: Mortui enim estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo; cùm Christus apparuerit vita vestra, tunc & vos apparebitis cum illo in gloriâ.

11. Ambros. Ingerenda iam tandem pro coronide est Ambrosij doctrina libro 3. offic. cap. 3. ex fine, atque scopo exinanitionis Christi, aliorum nos vtilitati inuigilare, & cum proximi detrimento nihil commodi nostri causâ moliri, sic monentis: *Christus Dominus cùm esset in forma Dei, exinaniuit se, vt formam susciperet hominis, quam operum suorum locupletaret virtute: tu ergo spolias, quem Christus induit, tu exuis, quem vestiuit Christus; hoc enim agis quando alterius detrimento tua commoda augeri expetis*. Ita ille.

Ad eadem verba: *Exinaniuit semetipsum.*

ADNOTATIO II.

Regiam laudem esse, & largè, & sine retributionis spe dona tribuere.

1. SED iam inquis: Quid opus fuit, semetipsum Dei Filium exinanire? Nónne satis erat, quamcunque diuitiarum suarum partem homini largiri, quin sese totum in illum euacuaret, atque diffunderet? Plures, nec ignobiles huius rei rationes occurrunt: sit illa prior Non esse moris Dei minutatim se, & per partes erogare, quin totum se dedat; atque ipsius hanc summè beneficam, ac regiam naturam esse, quæ in benefaciendo mẽsuram nesciat, sed vltra supplicum vota dona sua, & beneficia promoueat: eóque liberaliorem se exhibeat, quo de tenuioribus, iisque, qui vicem ipsi reddere non possunt, optimè meretur. Quare perfectæ liberalitatis effigiem in Dei Filio sese exinaniente, & in hominem diffundente obseruare placuit, Regibúsque, ac Principibus viris imitandam proponere.

Et primò quidem mensuram Dei in benefaciendo sine mensura esse, sic confirmat idemmet Assertor
Ioan. 33.34. Tolet. Ioan. 3. 34. *Non enim dat Deus spiritum ad mensuram*. Quæ cùm de Dei beneficiis ex Cardin. Toleto, & aliis sint intelligenda, sic capio, ac si dixerit Christus, Deum non parcè, & ad mensuram, sed profusa liberalitate dona sua distribuere; quippe
Ad Rom. 5.5. *charitas Dei diffusa est in cordibus nostris*, ad Rom. 5. 5. *per Spiritum sanctum, qui datus est nobis*. Vnde ele-
Cyprian. gantissimè Cyprian. epist. 2. ad Donat. *Non enim, qui beneficiorum terrestrium mos est, in capessendo munere cœlesti mensura, vel modus est. profluens largitor Spiritus nullis finibus premitur, nec coërcentibus claustris intra certa metarum spatia frenatur, manat iugiter, exu-*
Luc. 6.18. *berat affluenter*. A quo quidem non it, quod Lucæ 6. 18. dicitur: *Mensuram bonam, & confertam, & coagitatam, & supereffluentem dabunt in sinum vestrum*: vt enim ibi mensuræ ad benefaciendũ mentio fiat; at ea inducitur mensura, quæ sine mensura sit, dum non solùm bona, quod ad mensuræ rationem tantummodo requiritur, sed coagitata etiam, & supereffluens, quæ modum, scilicet, nesciat, sed excedat, asseritur. Quod bene ibi sic obseruat Theophyl. Theophyl.
Non enim parcè remetietur Dominus, sed opulentè; sicut igitur mensurus farinam accumulas, concutis, exundaréque facis, siquidem absque parsimonia metiri vis, ita & Dominus mensuram magnam, & exundantem dabit tibi. Ita ille.

Accipe è multis duo huius supereffluentis mensuræ exempla; orabat Christum bonus ille latro in 2.
cruce, vt sui iam aliquando meminisset, Lucæ 23. Luc. 23. 42.
42. Quid Christus? recordaturum se tantummodo respondit? Sanè supplicum preces, & vota excedens, regnum suum eodemmet die liberaliter ipsi donaturum repromisit. *Amen dico tibi, hodie mecum eris in Paradiso*. In quæ verba Ambr. lib. 10. in Luc. Ambros.
Vberior est gratia quam precatio, semper enim Dominus plus tribuit, quàm rogatur; ille rogabat, vt memor sui esset, de Domino autem sequitur; & dixit illi Iesus: hodie mecum eris in Paradiso. Vides mensuram coagitatam, & supereffluentem in sinum latronis effusam?
Quod si obclamet Seneca lib. 2. de benef. cap. 16. Senec.
nimiùm scrupulosè cum regia liberalitate agens, *est tamen aliquis minor, quàm vt in sinu eius condenda sit ciuitas*: occurrit Theodoricus Rex apud Cassio- Cassiod.
dor. lib. 3. variar. epist. 11. *Quid enim tam regium, quàm fecisse felicem; & eousque præstare, quò se erectus stupeat attigisse?* occurrit, & Aristot. lib. 4. Ethic. c. 2. Aristot.
sic monens: *Attinet etiam ad hominum liberalem, vt in dando adeò exuperet, vt sibi ipsi pauciora relinquat*. Id quod altero tibi exemplo confirmo: nam Petrum inconsulto amore armis Christi Passionem impedire molientem, sic ipse affatus dicitur Matthæi
26. 53. *An putas, quia non possum rogare Patrem meũ, & exhibebit mihi modo plusquàm duodecim legiones* Matth. 26. 53.
Angelorum? Vbi non dubium (Paschasio, & aliis Patribus sic adnotantibus) quin in duodenario Angelicarum legionum numero, ad duodecim Apostolos Dominus respexerit; *ac si diceret Petro*: (inquit
Paschasius) *An putas, quia non possum propter duo-* Paschas.
decim Apostolos, etiam plusquàm duodecim legiones Angelorum impetrare à Patre meo? Sed iure ambigas, cur, cùm de vitæ ipsius incolumitate tunc ageretur, nõ in sui, sed in discipulorum tutelam, Angelorum legiones impetraret? Necnon cur duodecim Apostolis non duodecim legiones, sed plusquàm duodecim ad ipsorum munimentum ex Christi dispẽsatione essent affuturæ? Est tamen ad manũ responsio ex Aristotele: *Attinere ad hominem liberalem, vt in dando adeò exuperet, vt pauciora sibi relinquat*. Nimirum, ne Apostolis (vt humano modo loquar) auxiliares manus deessent, sibi quodammodo Angelicum obsequium denegabat; quippe charior illorum, quàm propria vita ipsi erat, vnde nefariis satellitibus, qui eum comprehensum veniebant, dicebat ipse: *Si ergo me quæritis, sinite hos abire*, Ioan. 18. Ioan. 18. 8.
8. Deinde quod non fuerit solitus beneficia ad mẽsuram dare, sed cumulatissima, ac supereffluens eius mensura sit, duodecim Apostolis, non duodecim, sed plusquàm duodecim legiones Angelorum disponebat; nec enim regia illa donatio esse videbatur, cur pro indigentiæ mensurâ paribus numeris auxiliorum rationes constarent.

Bene quidem id nouerat Elisæus, cùm Elia ab 3.
ipso in Paradisum discedente, & in ipso digressu illum admonente, vt optaret quod maluisset sibi concedi, ipse animosè duplicem Eliæ spiritum sibi dari postulauit. *Obsecro* (inquit) *vt fiat in me duplex spiritus tuus*, 4. Reg. 2. 9. Quo in loco, dum Patres, & 4. Reg. 2. 9.
interpre

interpretes non sine admiratione de animosa hac Elisæi petitione multa meditantur, sciscitantes, cur rem adeò splendidam, atque vt ipsemet Elias dixit, *difficilem*, postulare ausus fuerit. Mihi illud occurrit dicendum, ingenuum filium egregiè, atque magnificè de bono patre sensisse, nec dubitasse honorificam hanc petitionem, qua plus aliis dare, quàm sibi relinquere, cogeretur, valde illi placituram. Audi Ambrosium serm. 89. *Elias cùm simplicem sanctitatis ipse haberet spiritum, Elisæo duplicem dereliquit. Mirum ergo in modum plus Elias gratiæ diuisit in terrâ, quàm ipse portauit in cælos.* Porrò hunc in modum, ad petendum, honorificéque de sua liberalitate sentiendum, solet suos Dominus vrgere, vt Psal. 80. 11. videre est: sic enim ibi ex Domini persona cum populo agit Vates: *Dilata os tuum, & implebo illud*; vbi dum os pro desiderio ex Athanasij, Dialog. de Trinit. & aliorum expositione sumitur, ea his verbis sententia subest, ac si bonus Dominus dixerit. Desideria non propriis meritis, aut dignitate, sed meâ liberalitate, & munificentia metire; nec enim quid te deceat accipere, sed quid me dare, volo attendas, atque ideo, & ad hunc modum desideria te tua dilarc exopto, & vota subinde tua excedere decreui; id inibi sic breuiter perstringente Origene: *Si quid vales petere, pete, & plura exhibebo quàm petas.* Expende illud, *si quid vales petere*: quasi non mediocre robur ad postulandum, vt videlicet magnifica, & splendida dona audeat petere, videatur Deus ab homine exigere. Magna quidem emphasis, potentiam in petente potiùs, quàm in dante exoptare, quod huic multo sit facilius, atque iucundius se suáque splendidè diffundere, quàm parcè, & moderatè largiri.

Ambros. | Psal. 80. 11. | Origen.

4. Hinc Dei Filio proditor Iudas grauiter fuit infensus, quod de ipsius bonitate, beneficáque natura tam malignè, angustèque sentiret, vt ipso sese liberaliter diffundente, & (quod è nostro instituto est) pro omnium salute exinaniente: nam *vnguentum exinanitum* (vt præcedenti adnot. vidimus) *nomen tuum*, Cant. 1. 3. ille singulis minutatim vellet diuendere: sic enim de vnguento à Maria Magdalena effuso, quod sanguinis Christi typum gerebat, dicebat ipse Matth. 26. 6. & Ioan. 12. 5. *Vt quid perditio hæc? Quare hoc vnguentum non venijt trecentis denarijs?* Vnde Ambros. lib. 3. de Virginibus, cùm de hoc vnguento exinanito dixisset; *Ipse Dei Filius iam corpore tamquam in vase odorem primo cohibebat, suum operiens tempus, venit hora, aperuit os, exiuit vnguentum, quando virtus de illo exibat*; ad virgines sermonem connectens, subiicit: *Accipe vas tuum virgo, & accede, vt possis hoc vnguento repleri. Accipe vnguentum æstimatum trecentis denarijs, sed gratis datum, non venditum, vt omnes haberent. Gratis virgo vngere, noli contristari sicut Iudas, quia hoc vnguentum effunditur.* Sed, ô maligne, ô auare, ô angusti animi homo, tibi ipsi non constans, hinc enim Christum maximum iudicas, & eius pretium attollis, illinc ipsi regiam liberalitatem, & magnificentiam denegas, dum perditionem vocas, quod sese ipse diffundat, & non potiùs lucrum sibi è nobis faciat, sanguinem, redemptionémque suam, te auctionante, & proxeneta diuendens. Sed iam tandem aliquando, sera licèt veritatis agnitione, mysterium te percalluisse nouimus, dicente nobis Matthæo, infelici te illa, & præpostera pœnitentia ductum, Christi pretium rescissa venditione restituisse, & in templum sparsim proiecisse, *& proiectis argenteis in templo recessit*, Matth. 27. 5. Eò enim id ire videtur, vt qui de liberali vnguenti huius in omnes exinanitione, & effusione priùs contristabatur, quod vni sibi ad lucra captanda surripere cuperet, postea pœnitentia ductus, eius pretium omnibus vellet restituere, eáque de causa, vt illo omnes perfrui possent, in templum palàm proiiceret.

Cantic. 1. 3. | Matth. 26. 6. | Ioan 12. 5. | Ambros. | Matth. 27. 5.

5. Regiam verò, atque diuinam benefaciendi mensuram egregiè descripsit Iacobus cap. 1. 5. de Deo inquiens: *Si quis autem vestrûm indiget sapientia, postulet à Deo, qui dat omnibus affluenter, & non improperat, & dabitur ei.* Sed non leuis de huius loci lectione, & sensu occurrit statim difficultas: nã Græcè, & Syriacè, pro, *dat omnibus affluenter*; habetur, *dat omnibus simpliciter*: quod cum Vulgari lectione minimè conuenire videtur. Quid namque magis diuersum, quàm simpliciter dare, & dare affluenter? Hoc enim splendidam largitionem, illud parcam, & quamcunque; hoc superaffluentem mensuram, illud simplicem, & iustam denotare dixeris. At enimverò si rem perpẽdis, nihil diuersum, & quod antilogiam sapiat, inuenies. Quid enim aliud existimas esse, dare simpliciter, quàm affluenter dare? Vel certè vim locutionis huius, *dare simpliciter*, non adhuc percalluisti. Quid? Eritne *simpliciter dare*, dare vtcumque, siue rudis, & vulgaris donatio, & non potiùs pulcherrima, & eximia? Certè Paulus ad Rom. 12. 8. hoc vnum dantibus præscribebat, vt *simpliciter*, siue, *in simplicitate*, tribuerent: *qui tribuit in simplicitate.* Quod quidem bifariam accipio: vno modo, vt qui tribuit, candidè id præstet, nec ad retributionem aspiciat; multis enim hic mos est, vt non alio fine tribuant, quàm vt ex donatione quæstum faciant; de quibus scitè Plinius Iunior lib. 9. epist. 30. *Volo enim eum, qui sit verè liberalis, tribuere patriæ, propinquis, affinibus, amicis; sed amicis dico pauperibus: non vt isti, qui ijs potissimum donant, qui donare maximè possunt, quos ego viscatis, hamatisque muneribus, non sua promere puto sed aliena corripere.* & argutè Martialis lib. 4.

Iacobi 1. 5. | Græca, & Syr. Lect. | Ad Rom. 12. 8. | Plin Iun. | Martial.

Qui potes insidias, dona vocare tua.

Pulchrè hic *insidias*, ille *viscata*, *hamatáque munera* vocat, quasi hamo, aut visco ad maiora capiẽda artificiosè, & insidiosè instructa. Nec Ethnicorũ primũ hoc acumen fuerit, totidem enim verbis ac Plinius, sed multo sapientioribus, atque ad cœlestia spectantibus, id discipulos sic monuerat Dominus Luc. 14. 12. *Cùm facis prandium, aut cœnam, noli vocare amicos tuos, neque fratres tuos, neque cognatos, neque vicinos diuites, ne fortè te & ipsi reinuitent, & fiat tibi retributio. Sed cùm facis conuiuium, voca pauperes, debiles, claudos, & cæcos, & beatus eris.* Et verò, quæ verbis monuit, non multo pòst exemplis firmauit: eam siquidem parabolam statim proposuit eodem Lucæ capite, vers. 16. in qua suo nomine homo quidam induceretur cœnam instruens, ad quam pauperes, ac debiles, & cæcos, & claudos, inuitaret, quę ob oculos habens Tertull. lib. 4. cont. Marc. c. 31. Christum aduersus Marcionem creatoris Dei Filium adstruens, dicebat. *Ad prandium, vel ad cœnam, quales vocari iubet? Quales ostenderat per Isaiam, cap. 58. 1.* Confringe panem tuum esurienti, & mendicos, & qui sine tecto sunt, induc in domum tuam, *qui scilicet humanitatis istius vicem retribuere non possint. Hanc si Christus captari vetat, in resurrectione eam repromittens, creatoris est forma, cui non placent amantes munera*, sectantes retributionem, Isai. 1. 23. Ita ille. Similia habet Ambros. libro 2. officiorum, cap. 25.

Luc. 14. 12. | Luc. 14. 16. | Tertull. | Isai. 58. 1. | Isai. 1. 23. | Ambros.

6. Sed & alio modo generaliùs acceperis phrasim *dandi in simplicitate*, qui Iacobi sententiã illustret, atque explicet, vt idem sit, ac dare ex motiuo, siue animo dandi, ipsa liberalitatis specie, atque pulchritudine, & nulla alia externa ratione, aut causa impellente:

pellente: sub quo quidem idem esse, & simpliciter, & affluenter dare inuenies. Sanè qui eo fine dat, vt det, & benefaciat, non parcè, & angustè, sed affluēter, & liberaliter tribuit, ad dandi splendorem, & pulchritudinem, non ad causas, siue rationes, ob quas parciùs donet, aspiciens. Ita quidem Tiberium Cæsarem taxat Seneca lib. 2. de benef. cap. 7. & 8. quod rogatus à nepote M. Allio prętorio, vt æri alieno succurreret, ipse edere illum sibi nomina creditorum iusserit, vt parcè, ac moderatè, nec sine pudore accipientis, qui debita sua fateri cogebatur, tribueret; subiicit Seneca: *Liberauit illum à creditoribus, sibi non obligauit. Aliqua Tiberius secutus est, puto noluit plures esse, qui idem rogaturi concurrerent. Ista fortè efficax ratio fuerit ad hominum improbas cupiditates pudore reprimendas: beneficium verò danti, tota alia sequenda est via. Omni genere quod des, quò sit acceptius, adornandum est. Hoc verò non est beneficium dare, reprehendere est.* Et statim cùm dixisset, nec hoc quidem modo eum Principem inquietudinem effugisse, quod aliquot postea, qui idem rogarent, inuenti fuerint, addit: *omnes iussit reddere in Senatu æris alieni causas, & ita illis certas summas dedit. Non est illud liberalitas, censura est, auxilium non est principale tributum est.* Vt hinc obiter videris, quàm alia summi Principis, ac temporalium Regum natura, ac consuetudo sit; ille siquidem, quia simpliciter, & ex dandi animo affluenter, & liberaliter tribuit, nec causas, cur non det, aut parciùs det, sed potiùs occasiones benefaciendi sectatur, & accipere cupiētibus, omni ratione, via obuius fit.

Senec.

7. Sed enim vt hoc diffundam, & mori meo satisfaciam; soleo enim terrena cum cœlestibus, & Principum, ac Dynastarum consuetudines cum Regis Regum natura, & ingenio conferre, vt huic potiùs, quàm illis homines adhæreseant: obserua, quæso, in hanc rem, quot, quámque patentes ad omnes partes tam militantis, quàm triumphantis Ierusalem portæ sint, Ezech. 48. fine, & Apocalyps. 21. 13. Nam *& ab Oriente portæ tres, & ab Aquilone portæ tres, & ab Austro portæ tres, & ab Occasu portæ tres.* Vt manifestum fuerit, peruium, facilem, obuiúmque omni vitæ ætate, omni tempore, omni hora, omni ratione, & modo omnibus ad Deum aditum esse. Quod si hunc, non tam in Dei domo, quàm in ipsomet Dei pectore videre, atque experiri velis; quid ipsemet testetur, audi: etenim Malach. 2. 17. vbi nos habemus; *Laborare fecistis Dominum in sermonibus vestris:* Paraphrasis Hebræa, cuius meminit liber inscriptus, Victoria Fidei contra Hebræos part. 2. cap. 10. necnon Paulus Vidnerus de locis in præfat. pag. 19. hæc habet. *Ait Deus sanctus, & benedictus Israelitis: Filij mei aperite mihi aperturam vnam pœnitentiæ, quantum est foramen acus, & ego aperiam vobis aperturas misericordiæ, per quas poterunt intrare currus, atque quadrigæ.* Vbi placet inquirere: Quot iam, qualésve diuinæ affluentiæ thesauri per eas nobis aperturas facili decursu egredientur, quæ camelis, curribus, atque quadrigis, scelestissimis inquam peccatoribus, omni criminum atque delictorum pompa, siue pondere onustis vndequaque patent? Qui tales in corpore Vnigeniti sui aperturas ferro, clauis, lancea, fecit, vt per eas currus, atque quadrigæ possint intrare; *quomodo non etiam cum illo omnia nobis donauit?* ad Rom. 8. 32. Vt verò diuinæ bonitatis affluentiam, facilitatémque vidisti, quanta iam difficultate, cunctatione, &, vt ita dicam, anxietate, atque dolore à benefaciēdo Deus se contineat, atque eum, quem per patentissimas illas aperturas semel excepit, necessaria subinde causa, atque ratione exigente, atque vrgente excludat,

Ezech. 48. Apoc. 21. 13.

Malach. 2. 17.

Vict. Fidei. Paulus Vidnerus.

Ad Rom. 8. 32.

tam illa Isaiæ verba cap. 63. 15. *Vbi est zelus tuus, & fortitudo tua, multitudo viscerum tuorum, & miserationum tuarum? super me cōtinuerunt se.* in quibus, *viscerum multitudine,* diuinam benignitatem, & beneficentiam tamquam vbera lacte turgentia, atque distenta, quæ vt hilariter, & libenter ad alendos filios diffunduntur, ita præsentibus liberis magno cum fastidio, & dolore matres comprimunt, exprimit Vates: quàm emphatica illa vomitus imago, qua tepidum è pectore suo eiecturum se Dominus cōminatur Apocalyps. 3. 16. quid enim accito vomitu molestius, sordidius, acerbius, odiosius, grauius? manifestissimè demonstrant. His autem quàm sint dissimiles, atque diuersi, imò oppositi Principum mores, quorum Aulæ, quem vix rima illabentem fastidiosè exceperunt, infinitis statim ianuis excludunt; sic opportunè aperit Seneca lib. 6. de benef. cap. 33. inquiens: *Non sunt isti amici, agmine magno ianuam pulsant, qui in primas & secundas admissiones digeruntur. Consuetudo ista vetus est Regibus, Regésque simulantibus populum amicorum describere, est proprium superbiæ magno æstimare introitum, ac tactum sui liminis pro honore dare, vt ostio suo propiùs assideas, vt gradum prior intra domum ponas, in qua deinceps multa sunt ostia, quæ receptos quosque excludunt.* Et post nonnulla in eandem sententiam. *Amicum vocas, cuius disponitur salutatio? Aut potest huius tibi patere fides, qui per fores malignè apertas non intrat, sed illabitur? In pectore amicus, non in atrio quæritur, illo recipiendus est, illic retinendus, & in sensus recondendus.* Hæc ille, & alia.

Isai. 63. 15.

Apoc. 3. 16.

Senec.

Quoniam verò Iacobi locum semel explicandum suscepimus, nec illa quidem verba, *& non improperat,* ad perfectam liberalitatis formam illustrandam omittenda ducimus: præsertim cùm sic sese bonus Dominus in nostros vsus expenderit, atque exinanierit, vt totam tanti doni retributionem non ad sui, sed ad nostram vtilitatem reuocet, sibíque tunc gratiam plenissimè relatam putet, cùm suæ redemptionis beneficio vtentes, in filiorum Dei numerum nos ipsos adscribimus; adeóque non improperat, adeò non exprobrat, vt de suismet in nos collatis muneribus gratulari sibi Angelos, velut in oue deperdita à se inuenta, & humeris imposita, Lucæ 15. 6. appareat, atque ipse nobis gratiam habere videatur. Sed quàm alia diuina ab humana redemptio; dissimiléque Dei, ac hominis ingenium est? Equidem Seneca lib. 2. de benef. c. 11. cùm dixisset: *Lacerat animum, & premit frequens meritorum commemoratio;* opportunum hoc apponit exemplū: *Libet exclamare, quod ille triumuirali proscriptione seruatus à quodam Cæsaris amico exclamauit, cùm superbiam eius ferre non posset. Redde me Cæsari, quousq; dices: Ego te seruaui, ego te eripui morti? Illud si meo arbitrio memini, vita est. Si tuo, mors est. Nihil tibi debeo, si me seruasti, vt haberes quem ostenderes, quousque me circumducis? quousque oblinisci fortuna mea non finis? Semel in triumpho ductus essem.* Quam ad rem scitè dixit Epigrammatarius.

8.

Senec.

Quæ mihi præstiteris memini, semperque tenebo,
Cur igitur taceo Postumme, tu loqueris?
Non bellè faciunt quædam duo: sufficit vnus
Huic operi: si vis vt loquar, ipse tace.

Æmulentur ergo diuinam benignitatem, & liberalitatem Principes, dent omnibus affluenter: dent simpliciter, & ex animo, sibíque maximè dictum existiment illud Ambrosij libro 2. offic. cap. 28. *Compatiamur alienis calamitatibus, necessitates aliorū, quantum possumus, iuuemus, & plus interdum quàm possumus; melius est enim pro misericordia causas præstare, vel inuidiam perpeti, quàm prætendere inclementiam.* 9.

Ambros.

uam. Optimè quidem, sed Principibus opportunissimè, qui non tam sibi, quàm aliis; non domesticis rumoribus, sed publicæ famæ; non diei, sed æuo, siue æternitati viuunt: vnde Theodoricus Rex apud
Cassiod. Cassiodor. lib. 3. varia. epist. 11. tam regaliter, quàm sapienter dicebat: *Optamus cunctum diem plenum beneficijs nostris excurrere. Optamus vbique præstita nostra radiare. Quia in æuum viuit, quod munificentia principalis indulserit.* Subdit statim nouam rationem, qua non possint non maximè allici, ac permoueri sapientes Principes: *Beneficia siquidem sunt, quæ regna sublimant, & libertatis dominus iugiter potest crescere, si sibi subiectos studeat ampliare.* Quid, quod vt beneficentia, & liberalitate Principes Deum peculiariter imitantur, ita ipsum sibi ipsis maximè propitium, ac indulgentem, imò verò & debitorem etiam ad ipsos promouendos, & sublimandos habere non dubium? Quare Iustinianum Cæsarem
Agapet. sic sapienter admonebat Agapetus Diaconus in capitibus parænetícis, cap. 50. *Eos plus ama, Serenissime Imperator, accipere abs te beneficia qui supplicant, quàm tibi qui contendunt offerre munera: his enim debitor referendi gratiam efficeris; illi verò Deum dant tibi vadem vendicantem sibi pertinereque ad se putantem, quæcumque erga supplices contuleris, & remunerantem pijs retributionibus tuam tam piam, quàm perhumanam intentionem.* Sic ille.

10. Adhæc, si res suas, si bona, si diuitias Princeps amat, si illorum complexu delectatur, eàque sibi retinere cupit, non alia ratione, & modo, quàm si hæc donauerit, voti compos euadet. Verissimè enim
Idem. dixit idem Agapetus citato lib. cap. 44. *Inexhaustæ sunt beneficentiæ opes, nam largiendo adquiruntur, & dissipando colliguntur; has tuas insitas animo habens, munificentissime Imperator, largire omnibus affatim petentibus abs te: infinitiecuplas enim pro his habebis remunerationes.* Quæ pulchris hisce imaginibus illu-
Clem. Alex. strauit Clemens Alexand. lib. 3. Pædag. c. 7. *Quemadmodum enim quicumque putei scaturiant, exhausti in pristinam mensuram reuertuntur: ita etiam elargitio, quæ est bonus fons benignitatis potum sitientibus communicans, rursus augetur, & repletur; quemadmodum & ad vbera, quæ suguntur, vel etiam mulgentur, solet lac
Senec. confluere.* Luculentiùs verò Seneca lib. 6. de benefic. cap. 1. vbi, cùm dixisset: *Egregiè mihi videtur M. Antonius apud Rabirium Poetam, cùm fortunam suam transeuntem aliò videbat, & sibi nihil relictum præter ius mortis, id quoque si citò occupauerit, exclamare: Hoc habeo quodcumque dedi*; subiicit elegantissimè. *Quid tamquam tuo parcis? Procurator es: omnia ista, quæ vos tumidos, & supra humana elatos, obliuisci cogunt vestræ fragilitatis, quæ ferreis claustris custoditis armati, quæ ex alieno sanguine rapta vestro defenditis; propter quæ classes cruentatur as maria deducitis; propter quæ quassatis vrbes ignari, quantum telorum in aduersos fortuna compararet; propter quæ ruptis toties affinitatis, amicitiæ, collegij fœderibus inter contendentes duos terrarum orbis elisus est; non sunt vestra, in depositi causa sunt, tam iamque ad alium dominum spectantia, aut hostis illa, aut hostilis animi successor inuadet. Quæris quomodo illa tua facias? Donando. Consule ergo rebus tuis, & certam tibi earum, atque inexpugnabilem possessionem para, honestiores illas non solum, sed tutiores facturus.* Nec me
Agapet. tempero, quin rursus Agapetum cum Seneca coniurantem induceam: sanè vbi hic definit, ita ille progreditur cap. 58. *Arx quidem indepopulabilibus muris munita, contemnit obsidentes se hostes, pium autem vestrum Imperium, cùm & liberalitate erga miseros veluti muro cinctum, & precum turribus corroboratum sit inuictum, nullius hostium telis peruium sit, præclara & celebria contra eos erigens trophea.* Sunt quidem triti, sed opportuni, atque ideo non omittendi Martialis
Martial. versus:

Extra fortunam est, quidquid donatur amicis;
Quas dederis, solas semper habebis opes.

Hæc sanè omnia libentiùs dixi, quod is Principibus viris familiaris defectus esse soleat, non liberaliter, & laudabiliter, & in iis quæ in æuum viuant, sed prodigè, & insanis sumptibus in ludis, rebúsque inanibus, ac vanis factis patrimonium dissipare. In
Ambros. quos sic inuehitur Ambros. lib. 2. offic. cap. 22. *Prodigum est popularis fauoris gratiâ exinanire proprias opes, quod faciunt, qui ludis Circensibus, vel etiam Theatralibus, & muneribus gladiatorijs, vel etiam venationibus patrimonium dilapidant suum, vt vincant superiorum celebritates, cùm totum illud sit inane.* Quanto verò meliùs, quanto laudabiliùs, honorificentiùs, regaliùs, in egenorum sustentatione, redemptione captiuorum, oppressorum liberatione, viduarum & pupillorum remedio, necnon in orphanis puellis in matrimonio collocandis, opes suas Principes, ac Proceres impenderent, vt ipsorum bona, atque diuitiæ vice sanguinis Christi (quo nihil excogitari potest illustrius) essent? Vt de Ecclesiæ vasis, atque calicibus in hæc pia opera expensis, tam piè, quàm
Idem. sapienter, sic dicebat Ambros. libro 2. offic. c. 28. *Et verè illa sunt vasa pretiosa, quæ redimunt animas à morte. Ille verus thesaurus est Domini, qui operatur, quod sanguis eius operatus est. Tunc vas Dominici sanguinis agnosco, cùm in vtroque videro redemptionem, vt calix ab hoste redimat, quos sanguis à peccato redemit. Quam pulchrum, vt cùm agmina captiuorum ab Ecclesia redimuntur, dicatur: Hos Christus redemit. Ecce aurum quod probari potest, ecce aurum vtile, ecce aurum Christi, quod à morte liberat: ecce aurum, quo redimitur pudicitia, seruatur castitas.* Hæc Ambrosius, vtinam obseruentur.

Verum enimverò, si dicam quod sentio, alia potissimum ratione Principes, & Dynastas ad benefi- 11.
centiam, & liberalitatem pronos, & inclinatos videre vellem, videlicet, vt vel hac ratione non sint *amantes munera, sectantes retributionem*, quod Dei nomine ipsis obiicit Isaias cap. 1. 23. Etenim Regi- Isai. 1. 23.
bus, atque Principibus, vt ab ipsorum magnitudine alienum, ab inferioribus, & subditis ditari, indecens, ac indecorum: ita quod officia, potestates, ac magistratus distribuant, & iuri dicendo præsidere soleant, munera diligere, quæ *excæcant oculos sapientium, & mutant verba iustorum*, Deuter. 16. 19. Ec- Deut. 16. 19.
clesiast. 20. 31. anceps, & periculosum, ne grauius Eccles. 20. 31.
quid dicam, semper visum est. Equidem Dauid Rex in hoc potissimum ab aliis discriminare sese volebat, quod ab accipiendis muneribus manus excuteret; & hæc iniquitati proxima esse, sic affirmabat Psal. 25. 10. *In quorum manibus iniquitates sunt, dextera eorum repleta est muneribus: ego autem in innocentia mea ingressus sum.* Vides manus, vt muneribus, ita iniquitatibus repletas? Audi Venerab. Petri Blesen- Pet. Blesen.
sis epist. 10. ad Sacellanum Regis Siciliæ commentarium. *Peremptorium est in Principe, vel auram adorare munerum, vel fauorem quærere personarum; teste siquidem Propheta:* In quorum manibus iniquitates Psal. 25. 10.
sunt, dextera eorum repleta est muneribus. *Transibunt verò iniquitates in pœnam, & munera in dolorem, quia testimonio Iob.* ignis deuorabit tabernacula eo- Iob 15. 34.
rum, qui munera libenter accipiunt. Ita ille. Sed inibi tum ex dictis à nobis cap. 1. vers. 8. adnot. 3. nu. 11. ad ea Psal. 47. 9. verba: *Iustitia plena est dextera tua*; obserua, dexteram in sacris beneficiorum, & præmiorum donatricem esse: tum Hebræam vo- Lect. Hebr.
cem, *Zimmah*, pro qua noster posuit, *iniquitates*, propriè significare facinus in alterius damnum commissum;

missum; vt noueris, sæpius Principes muneribus inescatos, siue deceptos, vel præmia iniustè distribuere, vel eos officiis, & magistratibus præficere, qui minus idonei, ac proinde sibi subditis noxij sint futuri. Nec mihi suadere coneris, manum muneribus repletam, æqua lance ius, ac præmia reddituram; etenim quantumuis ad iustum, & rectum fueris propensus, si tamen ab iis, qui officia, & magistratus ambiunt, frequentiùs munera acceperis, fieri vix poterit, quin à recto tramite, & fideli intentione dimouearis. Quid? firmiórne, aut constantior in bono animus existet tuus, quàm in malo pertinax, & obstinata dæmonis voluntas est? At cùm Romæ olim, praua ducti vtilitate, seu consuetudine Christiani exorcistæ, quæ ad idolorum sacrificia erant necessaria, diuendere non erubescebant, postmodum verò dæmones ex humanis corporibus expellebant; sic censebat Tertull. non ipsorum virtuti, aut ministerio id esse tribuendum, sed quod à dæmone sæpius ab ipsis bene pasto, & enutrito nō fuerit difficile quiduis impetrare. Audi illum lib. de Idololatria, cap. 11. fine. *Qua constantia exorcizabit alumnos suos, quibus domum suam cellariam præstat? ille quidem si excluserit dæmonium, non sibi placeat de fide: neque enim inimicum exclusit; facilè debuit de eo impetrare, quem quotidie pascit.* Ita ille.

Tertull.

12\. De Laodiceno illo Antistite, qui cùm tepidus esset, diuitem se, & locupletatum esse credebat, Apocal. 3. 15. non mediocris est inter interpretes concertatio, cuius generis fuerit, mortalibus, videlicet, an venialibus solùm delictis obnoxius. Existimant plerique illum reapse in grauiora peccata adhuc non fuisse prolapsum, sed tepore iam suo apertis tibiis (vt aiunt) ad illa præludere; quod tam ex teporis imagine, quod inter calidum, & frigidum; gratiam videlicet, & lethale peccatum, medium quid est, quàm ex illis ipsiusmet Episcopi verbis: *Diues sum, & locupletatus,* quæ de spiritualibus diuitiis accipienda omnino sunt, facilè sibi videntur colligere. At enimverò opportuniùs nostri interpretes Ribera, & Magister meus Luisius del Alcazar, Ambrosium secuti aliter censent, ipsum grauioribus erratis subiacere, omninóque à Dei amicitia exortem existere: attamen id ei non omnino notum, qui aduersus Pauli monitum, 1. ad Corinth. 4. 4. *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum,* quod flagitia, quæ in externum, ac manifestum opus prodirent, non perpetraret, iustum iam, & sanctum se esse credebat. Ideóque meritò illi dictum fuisse; *Vtinam frigidus, aut calidus esses*: hoc est, aut omnino bonus, aut manifestè malus: quod quamuis frigidi status peior, quippe qui externa grauioráque committat peccata, at tepidi huius, qui seipsum bene non nouit, & eùm sit pauper, & nudus, diuitem se existimat, multo periculosior, & damnationi proximior sit, sanè frigidus frigidum se cognoscit, nec periculum suum, nisi ad meliorem frugem se receperit, non ignorat, ideo sæpe sæpius de mutatione, atque pœnitentia sua cogitat: huiusmodi autem tepidus, dum iustum se putat, nihil metuit, eáque de causa nulla eius animum cogitatio de conuersione ad Deum sua, & vitæ emendatione pulsat. Sed inquis: Quod iam lethale id peccatum fuerit, quod homo doctus, & in diuinis rebus exercitatus, quippe qui Episcopus erat, & è primæuis illis, qui non externo fauore, aut ambitu, sed ob egregias animi dotes creabantur, non agnoscebat? Vis nosse? Ad medicinam ergo ipsi oblatam, atque ostēsam, attende: *Collyrio inunge oculos tuos, vt videas.* Nimirum, collyrium proprium oculorum medicamentum, quódque ad exprimendum humorem noxium, qui ad ipsos fluit, visúmque impedit, maximè vim habet, ideò Antistiti illi præscribebatur, vt Andreas, & Aretas adnotarunt, quod *dona excæcant oculos*; in eóque cardine miser illius Antistitis status versabatur, quod donis, atque muneribus obcæcatus grauia aliquot in muneris sui administratione non attendens committeret peccata. Signatissimus quidem, & notatu dignissimus locus. Audiant Principes, audiant Magistratus, audiant, & perpendant Antistites, ne fortè dum *dextera eorum repleta est muneribus*, in eorum etiam manibus iniquitates sint; ipsi verò externo vitæ candore contenti dicere præsumant: *Quia diues sum, & locupletatus, & nullius egeo.*

Apoc. 3. 15.

Ambros. Ribera Alcazar.

1\. ad Cor. 4. 4.

13\. Equidem 1. ad Timoth. 4. 2. de quibusdam dicebat Paulus, *cauteriatam habentium suam conscientiam.* Quæ verba, vt alibi copiosiùs tracto, non perinde accipio, ac si sumpta similitudine ab stigmate, vel signo, notata, & iniusta, siue indelebilibus characteribus seruiliter inscripta, aut fœdata illorū conscientia fuerit: sed cum Theodoreto, quasi ex subsecuto effectu ex cauterio alicui corporis parti inusto, quo ipsa in posterum omnem prorsus sensum deperdit, non secus, ac si emortua esset, velit Paulus stuporis, & indolentiæ eos homines notare; quod peccandi assiduitate callum obduxerint, atque obdurerint. *Locus cauterij morte affectus* (inquit Theodoret.) *priorem sensum amittit.* Sed obserua id, quod apud Auicenam legisse me memini, aurum ad cauterium aptissimum esse. Ita quidem: nihil enim conscientiam adeò duram, & naturalibus stimulis inuulnerabilem, siue insensibilem, ac aurum reddit. Excutiendæ sunt ergo ab illo manus, & *beatius dare, quam accipere*, credendum est. Quàm bene id nouerat bonus ille Antistes, cuius sic meminit Bernard. lib. 4. de consid. ad Eugen. *Sed ô mihi locum suauem, vbi incidit occasio memorandi, & nominandi suauissimi odoris virum! Episcopum loquor Gaufredum Carnotensem, qui legationem in partibus Aquitaniæ proprijs sumptibus strenuè administrauit, idque annos plures. Rem loquor, quam vidi ipse. Eram cum eo in terra illa, cùm à quodam presbytero præsentatus est illi piscis, quem vulgò vocant sturgionem, percunctatus legatus quanti vaenierit: non accipio, inquit, nisi receperis pretium; & resignauit solidos quinque inuito, & verecundo. Item cum essemus in quodam oppido, Domina illius oppidi obtulit ei pro deuotione cum manutergio duas, vel tres paropsides pulchras, ligneas tamen, quas aliquandiu intuens homo scrupulosæ conscientiæ, laudauit eas, sed non acquieuit accipere.* Infert statim pulchrè: *Quomodo argenteas recepisset, qui ligneas refutauit?* Nec minus opportunum immediatè ante apposuerat exemplum alterius Pontificij Legati, qui cùm inopiæ causâ à Florentino Episcopo equum ad iter conficiendum accepisset; subindéque nosset, Episcopum causam cum aduersario habere, in qua suffragium sibi à Legato speraret, sic eum affatus est: *Decepisti me; nesciebam tibi imminere negotium. Tolle equum tuum: ecce in stabulo est.* Addit Bernard. *& hora eadem resignauit.* Deinde Eugenium Pontificem sic alloquitur. *Quid dicis mi Eugeni? Nónne alterius sæculi res est, rediisse Legatū de terra auri sine auro, transisse per terram argenti, & argentum nescisse donum, quod poterat esse suspectum, illicò reiecisse?* ô verè alterius sæculi rem! Sed iam ad alia.

13\. 1. ad Tim. 4. 2.

Theodoret.

Bernard.

* * *

ADNO

ADNOTATIO IV.

Ea de causa Dei Filium exinanitum, atque euacuatum, vt ad regium sponsæ suæ fastigium hominem promoueret.

1. IN iam alteram rationem Dominicæ exinanitionis, & euacuationis, vt hominem non solùm à peccati, dæmonísque seruitute redimeret, sed ad altissimum etiam sponsæ suæ gradum, & honorem proueheret. Etenim, vt scitè
Tertull. Tertul. lib. 2. cont. Marc. c. 27. *Conuersabatur Deus, vt homo diuina agere doceretur. Ex æquo agebat Deus cum homine, vt homo ex æquo agere cum Deo posset.* Quare, aut quomodo ex æquo? Nimirum, quia amicitia, æqualitas, & coniugalis amor, identitas est: vnde qui animam in sponsam sibi voluit assumere, eadem ductus ratione, ex æquo cum illa agere debuit, vt ipsa cum eo ex æquo etiam ageret; ac proinde tanta sui exinanitione, atque euacuatione, serui forma, vulgari hominis habitu, & similitudine carnis peccati opus
Epiphan. fuit. Quo quidem sensu pulchrè dixit Epiphan. hæresi 55. Christum pro nobis omnia in omnibus factum, vt vitam in nobis omnibus modis, qui nobis opportunissimi, & vtilissimi essent, refunderet. Audi: *Pro toto mundo obtulit se, ipse victima, ipse sacrificium, ipse Sacerdos, ipse altare, ipse Deus, ipse homo, ipse Rex, ipse Pontifex, ipse ouis, ipse Agnus, omnia in omnibus pro nobis factus, vt nobis vita omnibus modis fieret.* Ac si diceret: summa quidem & ima in se coniunxit, vt dum ipse, & homo, & seruus, & victima factus est; homo, Rex & Deus quodammodo fieret.

2. Dixit hac ratione emphaticè Paulus: *Quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascẽdit, quæ præparauit Deus iis, qui diligunt illum,* 1. ad Co-
1. ad Cor. 2. 9. rinth. 2. 9. Quis enim oculus adeò fuerit ad videndum audax? quæ aures tam auidæ magnarum rerum? quæ mens tam ambitiosa, atque insatiabilis, excelsarum cogitationum inuentrix, vt sperare, ac excogitare posset, ad Dei connubium hominem aliquando peruenturum? Nimirum, summa hæc felicitas, atque gloria Christianæ Ecclesiæ reseruata erat. Vnde ibi Theodoret. *Quoniam Iudæorum ignorationis meminit, & œconomiæ mysterium reuelatum esse dixit, necessariò adiecit, quod nec vllus audiuit, neq; vnquam vidit, neque mens insatiabilis cognouit ea, quæ vniuersorum Deus iis præparauit, qui eum ardenter diligunt.* Quare de Ecclesia sic prænunciauerat Isai. c.
Isai. 62. 5. 62. 5. *Gaudebit sponsus super sponsam, & gaudebit super te Deus tuus.* Quomodo *gaudebit?* Certè Hebræum verbum *Baghal*, propriè significat ardenter amare, siue in vxorem ducere, & optatis nuptiis perfrui.
Ad Ephes. 5. 31. Vnde Paulus ad Ephes. 5. 31. cùm matrimonij iura sic recensuisset: *Propter hoc relinquet homo patrem, & matrem suam, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna;* subiicit: *Sacramentum hoc magnum est; ego autem dico in Christo, & in Ecclesia:* siue vt legit
Lect. Syr. Syriacus; *Hoc arcanum magnum est: ego autem loquor de Christo, & de Ecclesia ipsius.* Vbi maximè obseruari debent illa verba, *& adhærebit vxori suæ*; quæ ex
Gen. 2. 28. Matth. 19. 5. Genes. 2. 28. & Matth. 19. 5. citat Paulus: etenim Hebraïcè est, *Vedabak*, Græcè verò apud Matth. προσκολληθήσεται: vtrumque autem verbum reddas, *agglutinabitur*, imagine sumpta ab iis, quæ glutino ita connectuntur, vt vnum quodammodo fiant. Verè omnino *arcanum hoc magnum est*: nam in primis si vnum cum sponsa Christus, nihil iam ipsa mũdius, ornatius, pulchrius esse possit. Dixerat id paulo an-
Ad Ephes. 5. 27. tè Apostolus his verbis: *Viri diligite vxores vestras, sicut & Christus dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea, vt illam sanctificaret, mundans lauacro aquæ in verbo vitæ, vt exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid huiusmodi, sed vt sit sancta, & immaculata.* Et eadem epist. Ad Ephes. 1. 6.
cap. 1. *In laudem gloriæ gratiæ suæ, in qua gratificauit nos in dilecto Filio suo.* In quæ verba Chrysostom. Chrysost.
hom. 1. sic commentatur: *Non dixit, quam gratis donauit, sed gratos fecit: hoc est, non solùm liberauit à peccatis, sed fecit amabiles.* Quæ statim pulchra hac imagine, & aureo eloquentiæ flumine, sic diffundit. *Quomodo enim si quis acceptum quempiam scabiosum, & peste, ac morbo, senióque, & paupertate, ac fame confectum, & perditum, statim formosum fecerit iuuenem, omnes homines pulchritudine vincentem, è genis quidem splendorem valde emittentem, & micantium oculorum eiaculationibus fulgores occultantem: deinde eum constituerit in ipso flore ætatis, & postea eum purpura induerit, & diadema imposuerit, & omni ornatu ornarit; ita nostram instruxit, & ornauit animam, pulchrámque fecit, desiderabilẽ, & amabilem. Cupiunt enim Angeli talem aspicere animam, Archãgeli, omnes Sancti. Ita nos etiam fecit gratiosissimos, & sibi desiderabiles. Cõcupiscet enim,* Psal. 44. 16.
inquit, Rex tuam pulchritudinem. Hæc ille. Vt videas in hominis redemptione maximè locum habere, quod generali oratione dicebat Seneca epist. 91. Senec.
Sæpe maiori fortunæ locum fecit iniuria: multa ceciderũt, vt altiùs surgerent, & in maius. Sed & id signatè de homine à Deo eleuato, sic inquit Arator lib. 1.

> ——*mundóque redempto*
> *Sors melior de clade venit.* ——

Sed deinde vt videas, Sacramentũ hoc in Chri- 3.
sto, & in Ecclesia magnum esse; obseruare oportet, quæ ad connubij alicuius felicitatem à prudẽtibus viris desiderentur, siue etiam, quæ difficultates superandæ, qui scopuli vitandi sint. Sanè non aliter mulier feliciter in matrimonio collocari censetur, nisi hinc æqualiter, inde excellenter, quæ sibi inuicem videntur aduersari, nupserit. Nam si excellẽtia quidem omnia, quibus propria sors, & dignitas crescat, indesinenter appetit humana conditio; suam enim fortunam, imò & proprias spes præire omnes appetunt, quî fieri possit, vt sponso non excellentiori, ditiori, aut nobiliori ea sponsa contenta sit, cui felicissimum fuerit promissum coniugium? Iam verò in hac excellentia, siue inæqualitate, periculosissimos latere scopulos constans omnium sapiẽtium opinio est. Certè Socrates apud Valer. Maxim. lib. Val. Max.
7. cap. 22. dicere solebat. *Splendida coniugia, vt aliquando illustrant; ita nonnũquam funditus domos euertunt.* Hinc ortum adagium Græcum, quod Solon apud Ausonium in Solone sic extulit: *Par pari iugato coniux, quod impar est dissidet;* & prophanus Poëta Ausonius.
pulchra similitudine illustrauit in epistola Deianiræ ad Hercul. his versibus.

> *Quam malè inæquales veniunt ad aratra iuuenci,* Ouidius.
> *Tam premitur magno coniuge nupta minor.*
> *Non honor est, sed onus species læsura ferentes,*
> *Si qua voles aptè nubere, nube pari.*

Nec omittendi comici sales in Aulul.

> *Venit hoc mihi in mentem Megadore, te esse hominem diuitem,* Plautus.
> *Factiosum; me item esse hominem pauperem pauperrimum,*
> *Nunc si filiam locassem meam tibi, in mentem venit,*
> *Te bouem esse, & me asellum; vbi tecum coniunctus siem,*
> *Vbi onus nequeam portare, pariter iaceam ego asinus in luto,*
> *Tu me bos magis haud respicias, natus quàm si nunquam siem,*
> *Et te vtar iniquiore, & me meus ordo irrideat,*

Neutribi habeam stabile stabulum, si quid diuortij fiat:
Asini me mordicibus scindant, boues incursent cornibus,
Hoc magnum est periculum, me ab asinis ad boues transcendere.

Quod sanè adeò est verum, vt adhuc in viro penes quem matrimonij imperium natura, & iure semper stetit, locum habeat, nec prudentiæ vnquam consonum visum fuerit, vxorem multo nobiliorem, aut ditiorem ducere, vel ob rationem ab Epigrammatario lib 8. indicatam.

Martial. *Vxorem quare locupletem ducere nolim,*
Quæritis? vxori nubere nolo meæ.

Et à Satyrographo Satyra 6.

Iuuen. *Quis feret vxorem, cui constent omnia? malo,*
Malo Venusinam, quàm te Cornelia mater
Gracchorum, si cum magnis virtutibus affers
Grande supercilium, & numeras in dote triumphos.
Tolle tuum precor Annibalem, victumq; Syphacem
In castris, & cum tota Carthagine migra.

Et eadem Satyra,
Libertas emitur, veniunt à dote sagittæ.

Sen. Pater. Ita apud Senecam Patrem, lib. 2. controuers. 6. dicebat Silius Bassus. *Multi duxère sine dotibus vxores, quidam dictas non accepêre dotes, quidam autem emptis contenti fuère mancipijs, & cùm possint accipere diuitias emere, quibus libertatem darent, maluerunt quàm suam vendere.* Et indidem Ælius Fuscus. *Insolens malum est beata vxor, cùm immensum pondus auri orba attulerit, cùm pecunia arcas nostras onerauerit, quid aliud, quàm beatè seruiemus?* Quò ire videtur Apologus, quo Amasiam Rex Ioram monuit 4. Reg. 14. 19. *Carduus Libani misit ad Cedrum, quæ est in Libano dicens, da filiam tuam filio meo vxorem, & transierunt bestiæ saltus, quæ sunt in Libano, & conculcauerunt carduum.* (4. Reg. 14. 19.)

4. Ecce tibi difficultatem, quæ in hoc Christi cum anima connubio intercedit: vt enim ipsa excellenter in matrimonio Dei sui collocetur, at quî possit pari nubere, quæ potissima felicis matrimonij lex est? Sed enim non aliter, quàm ad has leges illam à se in vxorem esse ducendam, sic olim per Oseam c. 2. 19. promiserat magnificis istis verbis: *Sponsabo te mihi in sempiternum, & sponsabo te mihi in iustitia, & in iudicio, & in misericordia, & miserationibus; & sponsabo te mihi in fide, & scies quia ego Dominus. Et erit in die illa, exaudiam, dicit Dominus, exaudiam cælos, & illi exaudient terram, & terra exaudiet triticum, & vinum, & oleum; & seminabo eam mihi in terra.* Vbi omnes felicissimi matrimonij leges à Domino promissas, nimirum, fidelitatem, abundantiam diuitiarum, necnon filiorum (id enim denotant ea verba, *seminabo eam mihi in terra*, vt alibi trado) manifestè vides; sed præcipuè eas, quas modò prosequimur, æqualitatem, & excellentiam: vt enim hæc per misericordiam, & miserationes, ita illa per iustitiam, & iudicium significatur. Promittit ergo bonus Dominus, sic sponsæ suæ se adhæsurum, vt non modò æqualis, sed vnum etiam cum ipsa, *in misericordia, & miserationibus*, fiat; sic ipsam excellenter nupturã, vt adhærens Deo, *in iustitia, & in iudicio, vnus spiritus* fiat cum eo, 2. ad Cor. 6. 16. diuinæ, videlicet, naturæ consors effecta, 1. Pet. 2. 14. (Osea 2. 19. — 1. ad Cor. 6. 16. — 1. Petr. 1. 14.)

5. Et verò, vt cœlestis sponsus æqualitatis conditionem perfectè adimpleret, Adæ verba, & sensa, vt testatur Apostolus, vsurpauit: *Propter hoc relinquet homo patrem, & matrem, & adhærebit vxori suæ.* Sed quî possit fieri (inquis) vt Patrem reliquerit, qui indiuiduam cum ipso naturam retinet? Sanè, quia *semetipsum exinaniuit formam serui accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo.* Audi ad præfata verba ad Ephesios Anselmum. *Homo enim iste mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus significabatur. Qui reliquit Patrem, quando* semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens: *ita enim reliquit Patrem, non quia deseruit, & recessit à Patre, sed quia non in ea forma apparuit hominibus, in qua æqualis est Patri.* En sponsum æqualem, eandémq; serui formam, in qua existebat sponsa, accipientem, & ad eius similitudinem, ac mensuram sese contrahentem, atque componentem. Sed id sic pensiculatiùs exposuit Venerab. Petrus Abbas Cellensis lib. de panib. cap. 21. *Sponsus, quia Gigas est magnitudine, Sol pulchritudine, Leo fortitudine, abyssus scientiæ profunditate, Deus æternitate: sponsa verò puella ætate, paruula quantitate, Æthiopissa coloris nigredine, fœmina debilitate, fatua in omni prudentia, & arte; idcirco in thalamo contraxit se, paulo minus minoratus ab Angelis; exuit se vestimentis gloriæ, accinctus cilicio; deposuit fortitudinem, circumdatus infirmitate; abscondit sapientiam, vt (iumentum factus) in derisum esset tota die omni populo; æternitatem dissimulauit, factus sub Sole, vt quasi cum tempore temporaliter curreret, nec deficeret: os illud altissimi collatum, & coarctatum est modicitati oris sponsæ; manus tornatiles, quæ cælos tetenderunt, affixæ sunt manibus vulneratis conuulneratæ; pedes pedibus compeditis adhæserunt, venter ventri agglutinatus est.* Hæc Petrus; claudit orationem eleganti epiphonemate. *Res equidem pia, cùm infinitè immensus abbreuietur ad dilectum, sed nihilominus mira, cùm reparatur ad vnitatem personæ Filij Dei natura filiorum Adæ.* (Anselm. — Pet. Cellen.)

6. Verum enimverò ea exinanitionis huius conditio, ea natura est, vt per ipsam non solùm sponsus sponsæ suæ assimilis in serui forma fiat, sed sponsa etiam ad sponsi dignitatem, & splendorem euecta diuinæ naturæ consors euadat: etenim Deus pusillus inuentus est, vt homo maximus fieret; sic seipsum exinaniens, atque euacuans, vt tantum homini cõferat, quantum Deo detrahit, vt iam citatus dicebat Tertul. Vnde quidem, cùm olim diuina vestis cãdidi coloris fuerit, Daniel. 7. 9. humana verò sanguine infecta, sordida, ac rubra dicatur; ita Isai. 9. 5. *Vestimentum mistum sanguine*, & cap. 1. 18. *Si fuerint peccata vestra rubra quasi vermiculus*: hominem iam candida indutum veste, Dei verò Filium sordidis, atque rubris indumentis opertum è contrario videris: sic enim de homine, Ezech. 42. 14. *vestientur vestimentis albis*. & Apoc. 3. 4. *ambulabunt mecum in albis*; & statim, *vestietur vestimentis albis*: de Dei autem Filio, Isai. 63. 2. *Quare ergo rubrum est indumentum tuum, & vestimenta tua sicut calcantium in torculari?* & Zachar. 3. 3. *Et Iesus erat indutus vestibus sordidis.* Vis nosse quid hoc fuerit? Explicat enucleatissimè Ioan. Apocal. 1. 14. vbi vnum de senioribus sic primùm perquirentem: *Hi qui amicti sunt stolis albis, qui sunt? & vnde venerunt?* Deinde ita respondentem facit: *Hi sunt qui venerunt de tribulatione magna, & lauerunt stolas suas, & dealbauerunt eas in sanguine Agni.* Videlicet, exinaniuit se Dei Filius, exuit se vestimentis gloriæ, siue vt ipsa cum sordidis sponsæ suæ vestibus commutaret, ad modum egregij illius Principis Ionathæ in amore Dauidis flagrantissimi, qui regias, atque pretiosas vestes cum vilibus illius commutasse sic dicitur 1. Reg. 18. 4. *Diligebat enim eum quasi animam suam: nam expoliauit se tunica qua erat indutus, & dedit eam Dauid, & reliqua vestimenta sua vsque ad gladium, & baltheum*: siue vt sponsæ suæ in se sordes suscipiens, pro ipsis, quod sibi esset gloriosum, atque splendidum impertiret, sanguinémque suum, quo regia sponsæ (Isai. 63. 1. — Isai. 1. 18. — Ezech. 42. 14. — Apoc. 3. 4. — Isai. 63. 2. — Zachar. 3. 3. — Apoc. 1. 14. — 1. Reg. 18. 4.)

sponsæ purpura tingeretur, liberaliter profunderet.
Pet. Cellens. Ita citato loco Abbas Cellensis agens de sponsi thalamo: *Ibi fiunt sponsus, & sponsa vna caro, vna anima, & vnus spiritus: sponsus refundit in sponsam quidquid in se habet dulcedinis, quidquid honoris, & potestatis; denuò mutua vicissitudine, resumit ab ea quidquid paupertatis, quidquid amaritudinis, quidquid contumeliæ est, & passionis.* Equidem eùm de Christi Passione
Isaia 53.7. ageret Isaias cap. 53.7. ipsúmque cum mansuetissimo Agno componeret, ad id singillatim huc intentus respexit, quod detonderi se patienter, atque libenter fineret: *Quasi Agnus coram tondente se obmutescet.* Sed quare detonsionis potiùs, quàm mortis meminit; siue mortem ea detondendi phrasi indicauit? Certè, quia is fuit exinanitionis scopus, vt nos repleret, atque ideo candido maiestatis suæ vellere exui voluit, vt eo sponsæ suæ nuditatem operiret, atque honestaret, id sic inibi adnotante Hierony-
Hieron. mo. *Hic Agnus est in cuius typo immolabatur Agnus, cuius cruor linitus in postibus exterminatorem fugabat Ægypti, qui non solùm sanguine suo nos redemit, sed & lanis operuit, vt algentes infidelitate sua veste calefaceret.* Ita Hieronymus.

7. Quam sanè ad rem signatissima etiam illa Canticorum monimenta sunt, in quibus tum de Christi, tum de sponsæ capillis agitur. Sanè cùm de spō-
Cant. 5.11. so sermo est, hæc inquit sponsa Cantic. 5.11. *Comæ eius elatæ palmarum, nigræ sicut coruus*; de ipsius verò
Cant 7.5. sponsæ coma sic facer sponsus Cant. 7.5. *Caput tuū vt Carmelus, & coma capitis tui sicut purpura Regis vincta canalibus.* Vbi illud meritò ambigas, cur spōsi, & sponsæ, quorum vna anima, vnusque spiritus esse dicitur, eáque ratione nullum in ipsis discrimē reperiri debet, tam varius capillorum color sit; præsertim cùm & capilli inibi arcanam significationem, ad matrimonij statum spectantem, habeant; & ea amantium lex, atque conditio sit, vt iisdem ambo coloribus, qui affectuum indices esse consueuerūt, vtantur. Sed si attendis, in hoc diuersorum colorum cardine tota æqualitatis, tota etiam excellentiæ ratio, quæ hoc animæ connubium felicissimum reddit, maximè versatur, miscente in semetipso hominem & Deum, in virtutibus Deum, in pusillitatibus hominem; vt tantùm homini conferat, quantum Deo detrahit. Vnde quid per nigros sponsæ capil-
Ven. Guil. los adumbretur, sic ibi docet Venerab. Guillielm *Quod speciosus præ filijs hominum inuentus sit niger sicut coruus, propter similitudinem carnis peccati.* Simili-
Honor. ter Honorius. *Niger sicut coruus, quia inter peccatores reputatus est à dicentibus:* Nos scimus, quia hic
Ioan. 9.24. homo peccator est, *Ioan. 9.24. & iterum:* Si hic non
Ioan. 18.30. esset malefactor, non tibi tradidissemus eum. Sic ille. En sponsum sese minorantem, & exinanientem, non modò vt ad sponsæ mensuram se componat, sed etiam vt ipsam ad sui magnitudinēm, & consortium eleuet. Hinc etenim fit, vt sponsæ coma, quæ ob peccatum nigra, atque obscura erat, iam ex regio Christi sanguine, splendēs, atque purpurea conspiciatur: nam *sponsus refundit in sponsam quidquid in se habet dulcedinis, quidquid honoris, & potestatis; denuò mutua vicissitudine resumit ab ea, quidquid paupertatis, quidquid amaritudinis, quidquid contumeliæ est, & passionis.* Quare subinde obserua à
LXX. Lxx. hoc in loco reponi; *plexus capitis tui sicut purpura: Rex ligatus in transcursibus*; similiter ex Hebręo
Pagnin. à Pagnino, *coma capitis tui sicut purpura. Rex ligatus in canalibus:* quæ manifestè indicant, ideo comam sponsæ purpuream, regiámque esse, quod in canalibus, in quibus purpureus imbibitur color, cœlestis Rex fuerit ligatus, vt suo cruore sponsæ suæ capil-
Plin. los intingeret. Porrò non solùm ex Plinio libro 9. cap. 33. sed etiam ex Isai. c. 1.18. constat, è succo vermiculi purpuram colorari; & quidem Dei Filius de se ipso enunciauit apud Dauidem Psal. 21.7. *Ego autem sum vermis, & non homo, opprobrium hominum, & abiectio plebis.* Psal. 21.7. Planè vt indicaret, ideo capillos suos sicut corui nigros, ligatúmque se in canalibus esse, vt sponsæ suæ coma purpurea redderetur.

Est verò aliud aliquid, quod ad rem præsentem in hoc Cant. loco obserues, nimirum, illa verba im- 8.
mediatè præcedentia, *Caput tuum vt Carmelus*, quæ in primis Lxx. Theodoret. & Græci ita legūt, *Caput tuū vt Carmelus super te*, quod perinde est, ac si dicat: Lxx. Theodor.
non aliter splēdet caput tuū, ac si super te esset Carmelus, siue ea de causa regio caput tuū ornatu splēdet, quod super te Carmelus insideat. Quod si quæras, quid Hebraicè significet Carmelus, vel in ipsa interpretatione Hebraicorū nominū, quæ in Biblijs recenter excusis circumfertur, significare inuenies Agnum circumcisum; vt clarè videas, ideo capillos sponsæ regia purpura splendentes esse, quod Christus vermis factus, siue Agnus circumcisus, hoc est, in similitudinem hominum exinanitus, sponsæ pro corona fuerit impositus. Est enim maximè è re hac circumcisionis mysterium, de quo Lucæ 2.21. cùm Luc. 2.21.
non solùm *in similitudinem hominum*, sed *in similitudinem carnis peccati*, ad Rom. 8.3. Dei Filius inuen- Ad Rom. 8. 3.
tus est: quod Christi exinanitionem potissimum demonstret, ac proinde sponsæ dignitatem summopere commendet. Quid enim à Dei Filio magis videatur alienum, quàm peccatoris imaginem præseferre? Persuasum id quidem Euangelistæ Lucæ sic fuit, vt qui non dubitauit, neque erubuit Christi supplicia, & mortem singillatim recensere, eúmque nobis illusum, palmis cæsum, Barabbæ posthabitum, à latronibus derisum, tandémque summa in cruce ignominia expirantem proponere; ipsum reapse circumcisum fuisse, nobis referre videatur quodammodo erubuisse: ac proinde calamo id surripiens, intelligendam, siue coniiciendam potiùs (si aduertis) quàm palàm conscriptam, Christi circumcisionem dereliquit; sic enim inibi, *postquam consummati sunt dies octo, vt circumcideretur puer.* Quid? additne? *circumcisus est.* Minimè: sed potiùs, *vocatum est nomen eius Iesus.* Sanè, ac si summum circumcisionis ruborem referre subterfugiens, qui palàm, & manifestè de Christo dixit, *expirauit*, Luc. 23.46. nō Luc. 23.46.
fuerit ausus dicere, *circumcisus fuit.* Sed enim hinc summa sponsæ dignitas consurgit: non enim solùm *opprobria illius nostrum abstulēre opprobrium*, vt inquit Hieronym. in cap. 14. Marci, sed extrema hæc Hieron.
Christi ignominia regiam purpuram, qua diuinæ efficeremur consortes naturæ, nobis peperit.

Vnde quidem castissimi huius connubij imaginem in illa Principis Sichem historia, quæ Ge- 9.
nes. 32.12. habetur, apprimè adumbratam videas. Genes. 32.12.
Etenim cùm is Princeps amore Dinæ filiæ Iacob ardentiùs æstuaret, eámque sibi in vxorem ab ipsius fratribus exposceret, ne illi magnam sororis suæ inæqualitatem, alienigenæ, nimirum, nec locupletis fœminæ obiicerent, ipse obuiam occurrēs, maximā sponsæ dotem, & quidquid ab ipso peteretur, libenter, & liberaliter se daturū sic pollicebatur: *Augete dotem, & munera postulate, & libenter tribuam, quod petieritis, tantùm date mihi puellam hanc vxorem.* Vbi Hebræa habent, *augete mihi valde dotem*: sed maiore Lect. Heb.
emphasi Paraphrasis Chaldæa, *multiplicate nimis super me dotem*; quasi diceret, monstrabo vobis modū, Chald.
quo auferatur inæqualitas, quæ inter me, ac sororē vestram intercedit, regiúmque fastigium, in quo sum cōstitutus, ad æqualitatem Dinæ dirigatur, nimirum, si maximā atque splēdidissimam è meis ego

bonis ei dotem tribuero, vt dum illa ditior, ipse verò minus locuples, quàm antea fuero, pares quodammodo sorte, & conditione maneamus. Et verò, quod ipse ad externa potissimum bona, & res familiares referebat, non aliter Dinæ fratres voluerunt accipere, quàm vt ipse Princeps ad morem filiorum Abrahæ circumcidi pateretur, quo fieret deinceps manifestum, eiusdem notæ, atque characteris cum sponsa sua esse. Quare subdit sacer textus: *Nec distulit adolescens quin statim quod petebatur, expleret, amabat enim puellam valde, & ipse erat inclytus in omni domo Patris sui.* Vbi Lxx. *ipse autem erat*
Lxx. *gloriosissimus omnium.* En Christiani connubij leges, ac conditionem, dum bonus Dominus vt eam spõsæ suæ dotem tribueret, qua illa è seruili sorte ad regiam fortunam ascenderet, *semetipsum exinaniuit*, ac circumcisionem, qua cæteris hominibus per omnia fieret similis, volens, lubénsque suscepit; vt iure
Chrysol. hinc exclamet Chrysol. serm. 72. *Et quidem Deitatis erga nos dignatio tanta est, vt scire nequeat, quid potissimum mirari debeat creatura, vtrùm, quod se Deus ad nostram deposuit seruitutem, an quod nos ad suæ diuinitatis rapuit dignitatem.* Ita ille.

10. Isai. 28. 5. Ab hoc non dissidet illud Isaiæ 28. 5. *in illa die erit Dominus corona gloriæ*, (siue ex Hebræo) *ad coronam gloriæ,*) *& sertum exultationis residuo populi sui.* Quod de Saluatore nostro iam tunc accepit Para-
Chald. phrasis Chaldæa; ac si dixerit Propheta, ideo Dei Filium humanam carnem, eámque quæ in similitudinem peccati esset, suscepturum, vt regium sponsæ suæ diadema, siue sertum pulcherrimis plexum floribus (vetus enim sponsarum mos erat floribus coronari) de se ipso faceret. Quod si hæc de Agno circumciso accipienda ducis; vide quàm sit velox ad opem ferendam, sponsamque suam ornandam, & cohonestandam, cùm is flos campi non vernum expectauerit tempus, sed primo anni die ad coronam gloriæ, & sertum exultationis nobis eruperit.

Ad eadem verba: *Exinaniuit semetipsum.*

ADNOTATIO V.

Tanti esse hominis animam, vt homo Deum quodammodo valere videatur.

I. SI hominem primo intuitu, & leui oculo inspexeris, ipso nihil inanius, vllius nihil, ac nullius frugi occurret: & quidem diuino id testimonio fir-
Isai. 40. 15. matum dixeris, Isaia cap. 40. 15. testante: *Ecce gentes quasi stilla situlæ, & quasi momentum stateræ reputatæ sunt.* Sed enim si ipsum accuratiùs introspicias, vel quæ hucusque in superioribus adnotationibus diximus, attentiùs expendas, nihil illo pretiosius, illustrius, & (si fas est dicere) nihil diuinius comperies. Nec aliud in primis, vt id tibi probem, quàm præfatum Isaiæ testimonium aduocabo. Vt enim ad faciem hominem deprimere, & ad ima demergere, dixeris: at si illud stateræ momentum, cum quo ipse componitur, æqua lance perpenderis, sic eum eleuat, & attollit, vt Deum quodammodo valere videatur. Bene quidem verum est, Hebræam vocem,
Lect. Heb. *Sachak*, & nostram, *momentum*, quid leuissimum, siue minimam rei quantitatem denotare: at dum sta-
Lxx. teræ adiungitur, & à nostro Vulgato, ac à Lxx. *momentum in statera*, exponitur, minimè capienda est, ac si puluisculum adeò leuem significet, vt etiam si in bilancem incidat, eam tamen vel minimùm non inclinet: qui enim hic sensus stateræ momento possit subesse? Sanè *momentũ*, apud Latinos (quod Græcæ etiam voci, ῥοπὴ, quam posuêre Lxx. æquè cõuenit) tunc dicitur cum stateræ adpensum ipsam, vel ad æqualitatem librat, vel in alteram partem deprimit: vnde veteres sub hoc sensu, *momenter*, id est, vno momento, siue exigua re dirigere, & æquare dicebãt. Ita Cornutus in Sat. 5. Persij: *Re vera scis iustitiam in lance pensare, & ipsius dubiæ lancis rectitudinem calles discernere, & curuam regulam momentare*: & Lucret. *momen* pro *momento* sumens lib. 3. Cornut. Lucret.

Momine vt in paruo possunt impulsa moueri.

Quæ omnia inibi opportunissimè firmat Cyrillus Alexandr. momentum stateræ sic explicans. *Quid momentum stateræ redigens ad æquabilitatem id, quod videtur esse minus?* Ergo homo apud Deum momentum stateræ esse inuenitur, quod vna ex parte per se expensus, siue vt sese ipsemet deperdit, dum pro fastigio se suo non metitur, & animam suam teruncij diuendit, minimi fit, nullíusque pretij ac ponderis; ex alia verò, nescio qua de causa apud Deum multum possit, multum valeat, & vt animosè dixerim, non nisi diuinitate ipsa quodammodo metiendus sit, quippe qui in statera cum Deo appensus, adeò fit momentosus, vt bilances dirigere, siue ad æquabilitatem redigere, certa quadam ratione videatur. Diffidis? Quid ergo redẽptionis nostræ opus à Deo iustissimo rerum pensitatore, munerum suorum vt liberali, ita non prodigo largitore, nec sibimet iniquo æstimatore, perfectum, denotare, aut quò ire dixeris? Nónne Dei Filius pro hominis salute, ac redemptione solemni contractu inito, exinanitus, expensus, & in statera appensus est? Audi Eucherium Lugdunensem Antistitem, siue, vt alij volunt, Eusebium Gallicanũ hom. 2. de Symbolo, crucem bilancem facientem, in qua hinc hominis anima, illinc Dei vita, tanquam pretium pro ea persolutum velut in trutina suspendantur. *In trutina ergo Crucis non aurum, vel argẽtum, non corpus aliquod Angelicum, sed semetipsum passus est auctor salutis appendi, vt homini qui ab statu degenerauerat, naturæ suæ dignitatẽ vel ipsa ostenderet pretij magnitudo.* Iure ergo momẽtum in statera homo dicitur, dũ pro ipso Dei vita in trutina appenditur, & bilanci accedens, in qua Christi sanguis suspenditur, æquilibriũ quodammodo facere videtur. Pupugit hæc pretij magnitudo Bernardum epist. 54. Pupugit August. in Psal. 102. Vnde prior sic exclamat: *Magna res anima, quæ Christi sanguine redempta est: grauis animæ casus, quæ non nisi Cruce Christi potuit reparari.* Augustinus verò ex contractus ratione, & ex commutatiuæ institiæ legibus, quas in hominis redemptione considerat, infinitum hunc illius valorem sic elicit: *Redempta est vita tua de corruptione; iã securus esto, initus est bonæ fidei contractus; nemo fallit Redemptorem tuũ, nemo circumuenit, nemo premit; egit hic commercium, iã pretium soluit, sanguinem fudit; sanguinem inquam fudit vnicus Filius Dei pro nobis: ô anima erige te, tanti vales.* Ita August. Hæc si nosset Seneca, quàm ingentiore, quanto elatiore voce dixisset, quod ep. 71. inquit? *Multis videmur maiora promittere, quàm recipit humana conditio; non immeritò ad corpus enim respiciunt. Reuertantur ad animum; iam hominem Deo metientur.* Pulchrè, cum ipse in bilanci cum Deo appendatur. Cyr. Alex. Euseb. D. Bernard. August. Senec.

Ad quam quidem cogitationem facit, Assertorem nostrum, necnon & Paulum, cùm de aduentu Filij Dei, & redemptione hominibus missa verba faciunt, consultò, non amandi, sed diligendi phrasim vsurpare solere. Ita Ioan. 3. 16. Dominus Nicodemo dixit: *Sic Deus dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum daret.* Similiter Paulus ad Ephes. 2. 4. 2. Ioan 3. 16.

propter

Ad Galat.2.20. propter nimiam charitatem suam, qua dilexit nos: & ad Galat. 2. 20. *Qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me*: & ad Rom. 8. 37. *propter eum, qui dilexit nos.* Porrò verbum Græcum, ἀγαπάω, quod his in locis habetur, sicut & ipsum verbum, *diligo*, non tam eum amorem, qui ex impulsu cordis proficiscitur, cui explicando verbum, *amo*, deseruire solet, quàm illum, qui ex mentis iudicio, atque electione oritur, propriè significant. Ita dixit Tullius lib. 1. epist. 9. *Perpetuo quodam iudicio meo diligebam.* Vt hinc appareat, non prodigum, sed idoneum hominis æstimatorem, emptorémque Deum fuisse, dum pro ipsius redemptione Filium suum vnigenitum dedit. Vnde Eusebius hom. 6. de Pasch. & totidem verbis Hilarius Arelatensis. *Magnum quidem mihi est de Deo, quod esse me sentio opus suum, sed multo plus est, quod transisse ipsum video in pretium meum, quandoquidem tam copioso munere ipsa redemptio agitur, vt homo Deú valere videatur.* Pende hæc extrema, *homo Deum valere videatur.* Itáne? Certè si singulis rebus suum pretium imponitur, tantúmque ipsæ valent, quantum pro ipsis ex iusta sapientum æstimatione persoluitur; bene omnino ij Patres inferunt, hominem non nisi diuinitate dimetiendum, quando pro ipsius anima, non nisi pretium sanguinis Filij Dei in ipsius redemptione persolutum est. Quare præfatis Christi verbis; *Sic Deus dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum daret*, hæc vis, atque emphasis inesse videtur: tanti apud Deum salus hominis valet, tantique fit, eámque de ipsius valore, ac pretio æstimationem ipse habet, vt pro ipsa vnigenitum suum morti offerre non dubitauerit.

Ad Rom. 8. 37.

M. Tull.

3. Hæc Sapiens ob oculos habuisse videtur, cùm Ecclesiastici 1. 9. de diuina Sapientia, à Deo propter homines, & in homines effusa, inquit; *Ipse creauit illam Spiritu sancto, & vidit, & dinumerauit, & mensus est, & effudit illam super omnia opera sua.* Quæ de Christi redemptione esse intelligenda, tum illud suadet, quod de se ipso apud Vatem Psalm. 21. 15. Christus dixerit *sicut aqua effusus sum*, quod Sapientiam Dei in nos, & propter nos in passione effusam satis apertè indicat, tum etiam is Glossæ commentarius confirmat: *Ipse creauit illam, vnigeniti, scilicet, aduentum per Verbum sibi coæternum cum Spiritu sancto dispensauit, quo modo per Virginis partum ad salutem mundi veniret, & creaturas repararet, & hominem ad agnitionem, & dilectionem sui reuocaret, dans illi donum Spiritus sancti, vt eius munere saluetur in æternum.* Hactenus Glossa. Iam ad nostrum institutum expende illa verba, *vidit, & dinumerauit, & mensus est*, quibus pulchrè docet Sapiens, summum Patrem, cùm nostri causa infinitum hunc Sapientiæ suæ thesaurum effudit, non vt prodigum, aut profusum largitorem ipsum dissipasse, imò potiùs rem vtrinque, & velut subductis calculis considerasse, expendisse, fuisseque dimensum, vt quasi collatione facta cum hominis anima, illum tamquam debitum, ac iustum pretium, quod iuxta prudentem æstimationem, & ad æquitatis leges persoluitur, impenderet, atque diffunderet. Quo imbutus sensu pulchrè dixit Ambros. lib. 7. in cap. 12. Luc. *Aduersarius noster tamquam captiua mancipia vilioris pretio æstimationis addicit; at verò Dominus tamquam speciosa seruitia, quæ ad imaginem & similitudinem sui fecit, idoneus sui operis æstimator, magno pretio nos redemit, quod non æstimatur ære, sed sanguine.* Hæc Ambrosius. Pēde illud, *idoneus sui operis æstimator*; id est, vt nō vilipendens, id enim inuidi dæmonis est proprium; ita nec vanus, aut prodigus hominis æstimator, dum pro ipso sanguinem suum appendit, sed qui iustum pretiū se persoluere, neq; id quod ma- iestate sua idoneū nō esset perficere, optimè nosset.

Eccles. 1. 9.

Psal. 21. 15.

Gloss.

Ambros.

Vella 79. in Epist. ad Philippens.

4. Quem sanè gustum habere dixeris illa eiusdem summi Patris ad Filium suum verba apud Isaiam cap. 49. 6. *Parum est, vt sis mihi seruus, ad suscitandas faces Iacob, & tribus Israel conuertendas: dedi te in lucem gentium*, si tamen illa iuxta fontem, & eum suo sale, ac peculiari sono efferre mauis; sic enim opportunè cum interrogatione legis: *Num leue tibi est, vt sis mihi seruus, ad suscitandas tribus Iacob?* Ac si Filio æternus Parens hæc dicens inducatur: Num, ô Fili, à te, tuâque maiestate alienum, siue indecens fastigio tuo erit, iacenti mundo opem ferre, & pro ipsius salute mortem obire? Minimè. Tradiderunt id enucleatiùs LXX. necnon & Ambrosius in Psal. 35. dum sic legunt: *Magnum tibi est, vt voceris puer meus, vt suscites tribus*, &c. Similiter & Hilarius in Psal. 119. *Grande tibi hoc est*, &c. Magna omnino emphasis, decentem, amplámque Dei Filio occupationem, & curam, hominem fieri, saluti hominum inuigilare; & quod plus est, dignam vitæ, ac sanguinis ipsius compensationem, hominis lucrum, ac bonum esse. Dixit id quidem disertè Bernardus epist. 109. in qua illustres iuuenes, qui sæculo repudij libellum dederant, sic alloquitur. *Omnino refloruit, & nunc quasi de nouo lignum, in quo pependit Dominus gloriæ, qui mortuus est non tantum pro gente, sed vt filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in vnum, ipse ipse colligit vos, qui diligit vos tamquam viscera sua, tamquam fructum pretiosissimum Crucis suæ, tamquam dignissimam recompensationem effusi sanguinis sui.* Hęc Bernardus, quibus nihil opportunius, aut illustrius dici potuit; *diligit* (inquit) *vos tamquam dignissimam recompensationem effusi sanguinis sui.* Sanè compensatio, vt definitur à Iureconsultis, est debiti, & crediti inter se contributio. Vide ergo ô anima propriam dignitatem, quæ vita ac salute tua mortem Christi compensas.

Isai. 49. 6.

Hebr. Lect.

LXX.

Ambros.

Hilar.

Bernard.

5. Illud verò pluseulum rem vrget, quod in parabola vineæ Pharisæis à Christo proposita apud Luc. 20. 13. post tot fideles seruos, quos ad debitos vineæ fructus colligendos miserat, ab ingratis colonis durè tractatos, lapidatos, occisos, sic in primis cogitabundus bonus Paterfamilias inducatur: *Quid faciam?* Ad quæ verba Cyrillus Alexandr. in Catena S. Thomæ: *Deliberat etiam secum Dominus vineæ, quid agat, non quasi carēs ministris, sed quia pertractato quolibet ingenio salutis humanæ, populo verò nequaquam adiuto, aliud maius adiungit.* Iam quid deliberauerit, & quibus verbis sensa sua patefecerit, audi. *Mittam Filium meum dilectum forsitan cùm hūc viderint, reuerebuntur*: siue vt Syriaca Lectio habet, *forsitan spectabunt eum, & reuerebuntur.* Quo in loco non solùm obseruo, quod Augustinus sermone 29. tomo. 10. sic prudenter considerabat; *& ille quidem pretiosum sibi hominem, pretij ipsius dignitate perdocuit, vt hinc quoque intelligamus, quàm grandes apud se æstimet Deus noster humanorum criminum causas, propter quas non Angelum, non Archangelum, sed Deum misit ad terras.* Nec ero contentus si cum Saluiano lib. 4. de Prouidentia, vocem illam, *dilectum*; sensúmque, qui illi subest, premam. *Euidens quippe res est* (inquit ille) *quod super affectum filiorum nos Deus diligit, qui propter nos Filio suo non pepercit. Et quid plus adeò? & hoc Filio iusto, & hoc Filio vnigenito, & hoc Filio Deo. Et quid dici amplius potest? Et hoc pro nobis id est, pro malis, pro iniquis, pro impijssimis. Quis æstimare hunc erga nos Dei amorem queat; nisi quod iustitia Dei tanta est, vt in eā aliquod iniustum cadere non possit? Nam quantum ad rationem humanā pertinet, iniustam rem homo quilibet fecerat, si pro pessimis seruis filium bonū occidisset.* Quid igitur est, quod

Luc. 20. 13.

Cyr. Alex.

Lect. Syr.

August.

Saluian.

 acriorem

acriorem sensum exposcit? Crediderim id esse aduerbium illud, *forsitan:* nam nisi ego vehementer erro, summam emphasim habet; *Mittam* (inquit) *Filium meum dilectum, forsitan cùm hunc viderint, reuerebuntur.* Etenim apud Patrem, quem Filij sui mors à perfidis agricolis illata latere numquam potuit; pulchra velut antithesi certus vnigeniti interitus, dubiæ hominum saluti opponi, siue pro incerta ipsorum resipiscentia, indubitata illius mors apponi, siue appendi videtur. Quasi tanti à Deo vel dubia hominis salus fiat, vt pro ea forsitan obtinenda, certæ neci dilectum Filium suum destinare, offerreque non dubitet. Sed & Syra Lectio nonnihil sensum hunc augere videtur, dum habet, *forsitan spectabunt eum:* non dubiæ solùm salutis spe, sed dubio primo ad ipsam gradu, nimirum, si in eum fortè aspiciant, vt ex aspectu paulatim ad bonum subinde fore permouendos aliquatenus sperari possit, optimus Paterfamilias cōtentus esse videtur.

6. Sed enim, cùm vna ex parte hominis inanitatem, & vanitatē apud se penderet, & meditaretur Bernard. serm. 5. in Dedicat. Ecclesiæ; ex alia verò diuinæ in eum dilectionis pondus consideraret, sic Bernard. priùs hæsitando dicebat. *Quid est homo, quia magnificas eum (ait fidelis, & deuota confessio) aut apponis erga eum cor tuum? Quid? Sine dubio vanitati similis factus est homo, ad nihilum redactus est homo, nihil est homo, quomodo tamē penitus nihil est, quem magnificat Deus? Quomodo nihil, erga quem appositum est cor diuinum?* Sed statim sic animosè clamabat: *Respiremus fratres, & si nihil sumus in cordibus nostris, fortè in corde Dei potest aliud latere de nobis. O Pater misericordiarum, ô Pater miserorum, quid apponis erga eos cor tuum? Scio, scio: vbi est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum. Quomodo ergo nihil sumus, si thesaurus tuus sumus?* Optimè quidem. At enimverò possit non nemo, vel à Bernardo perquirere, cur homo Dei thesaurus sit. Vel circa ea, quæ hucusque diximus ambigere, quî non prodigè, atque profusè Dei vita pro hominis anima appensa, atque expensa videatur, cùm nulla hominis ad Deum, vtpote finiti ad infinitum, possit esse proportio. Sed respondeo, iure animam, Dei thesaurum esse, quem summus Pater sic diligat, vt Filium suum vnigenitum pro eo dare non dubitet, quippe qui viua ipsius imago & similitudo, eximiùmque manuum suarum opus esse censetur, ac proinde maximè capax, vt in ipsum Deus exinanitus, atque euacuatus possit transfundi, & diuinū quiddam reddere. Ita quidem videtur Tertull. sensisse Tertul. lib. 5. contra Marcion. c. 21. inquiēs: *Et meritò se pro suo homine deposuit, pro imagine, & similitudine sua, non aliena.* Ac si diceret: quid mirum, si præstantissimo manuum suarum, hoc est, intellectus, atque voluntatis suæ operi, dexterā porrexerit Deus? si imaginem, ac similitudinem suam toto affectu fuerit complexus? si pro eo, cui semel inspirauit in faciem spiraculum vitæ, (*diuinæ particulam auræ*, vt ipsimet Ethnici loquuntur) beneficia sua amans, & tueri non desinens, sanguinem etiam suum voluerit profundere? Quò etiam eunt præ- Ambros. fata Ambrosij verba: *Dominus tamquam speciosa seruitia, quæ ad imaginem, & similitudinem sui fecit, idoneus sui operis æstimator magno pretio nos redemit.* Bene, *idoneus æstimator*, quia æstimator suæ imaginis, & similitudinis: quis enim sui similem non amet, complectatur, à perditione redimat? Quod si scire Clem. Alex. velis, quàm sit homo Deo similis, audi Clem. Alex. lib. 4. Strom. dicentem, *qui se ipsum nouit, Deum nouit.* O purissimum speculum! in quo sic se Deus intueatur, vt quasi de facie cognosci possit. Audi Bernard. Bernard. lib. de interiori domo cap. 13. *Præcipuum ac principale speculum ad videndum Deum, est animus rationalis inueniens seipsum, si enim inuisibilia Dei per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur, vbi, quæso, quàm in eius imagine cognitionis eius vestigia expressius impressa reperiuntur?* Ita ille. Bene ergo dicebat Tertul. *Meritò se pro suo homine deposuit, pro imagine, & similitudine sua non aliena.* Bene clamabat Bernard. *O Pater misericordiarum, ô Pater miserorum, quid apponis ergo eos cor tuum? Scio, scio: vbi est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum.*

Habet iam certè ad manum homo, quid dæmoni ad peccandum pellicienti, mundúmque totum 7. pro vnius animæ detrimento offerenti illis suis verbis; *Hæc omnia tibi dabo si cadens adoraueris me* Matt. Matth. 4.9. 4. 9. verè, & animosè respondeat. Nimirum, nihil sibi totum terrarum orbem pro diuinæ imaginis dispendio esse. Ita Ambros. libro de bono mortis, Ambros. cap. 5. de quo vide, quæ dixi ad cap. 1. vers. 10. adnotat. 1. num. 12. Sed pergit Nazianzenus, monét- Nazianz. que, vt dæmoni suggerenti, *si cadens adoraueris me*, homo Christi sanguine redemptus respondeat; imò potiùs tu me ipsum, qui Dei imago sum, reuerenter adora. Audi illum orat. in sanctum baptisma: *Si per cupiditatem, & auaritiam te (dæmon) oppugnet, vno temporis momento, atque aspectu regna omnia velut ad se pertinentia ostendens, atque adorationem a te exigens, vt pauperem aspernare, dic lustrali signo fretus, ipse quoque Dei imago sum, nondum a superna gloria vt tu propter superbiam deturbatus sum, Christum indui, in Christum transmutatus sum; tu me ipse adora.* Sic quidem, sic seipsos æstimare, nec alia quàm hac diuinæ imaginis mensura metiri se homines deberent. Vnde præfato loco Eucherius, siue Eusebius Euseb. Episcopus. *Quid ergo te ô homo erubescendis cupiditatibus exhonoras? Nobilem vult esse vitam tuam, qui tibi commisit imaginem suam, quam pretiosus sis, si factorem forte non credis, interroga Redemptorem.* Ita ille.

Sed iam proh dolor! quis ille tandem inueniatur, qui sic seipsum norit, vt semetipsum pro digni- 8. tate, & fastigio suo tractet; cùm tamen plures passim reperias, qui animam suam, eam inquam animam, pro qua Dei Filius seipsum in pretium dedit, contemnant, vilifaciant, turpissiméque commaculent? Equidem Tertul. lib. de fuga in persecutione, cap. Tertull. 12. cùm dixisset: *Qui Filio suo non pepercit pro te, vt fieret maledictum pro nobis, qui tamquam ouis ad victimam ductus est, & tamquam Agnus ante tondentem, sic non aperuit os suum, sed posuit dorsum suum in flagella, maxillas autem in palmas, & inter iniquos deputatus est, & traditus in mortem, mortem autem crucis. Totum hoc vt nos a peccatis lucraretur. Sol cessit diem emptionis nostræ, apud inferos emancipatio nostra est, & stipulatio nostra in cœlis, subleuatæ sunt portæ sempiternæ, vt introiret Rex gloriæ*; hinc dolenter insurgit: *Dominus virtutum hominem de terris, imò ab inferis mercatus in cœlos, quis est nunc, qui aduersus illum reluctatur, imò depretiat, & mercedem eius tam magno comparatam, pretiosissimo, scilicet sanguine, commaculat?* Causabatur quidem Seneca, quod in gladiatoriis ludis Senec. homo res sacra per risum occideretur: at quanto prudentiùs exclamet? Anima res sacra per risum occiditur, testante Salomone Prou. 10. 23. *Quasi* Prou. 10.23. *per risum stultus operatur scelus.* Nec dissimilis Na- Nazianz. zianz. querimonia orat. 3. in Iulianum, dum nequam illius Imperatoris fraudem, cùm exiguo auro milites suos corrumpens ad prophanum thus execrandis idolis adolendum induxit, ita commemorat, & increpat. *Thus incendere oportebat atque ita exitij mercedem ab Imperatore accipere tantillam tantæ rei, hoc est, ipsarum animarum, impietatisque aduersum Deum.*

Deum. O miserum quæstum! ô miseram mercedem! Bene, *tantillam tanta rei.* Bene, *ô miseram mercedem!* Quid enim fuerit exiguum aurum accipere, & animam Dei imaginem, & Dominici sanguinis compensationem perdere? Adiungo quæ sic disertissimè Senec. dixit Seneca epist. 42. *Gratuita nobis videntur, quæ carissimè constant. Ex eo licèt stupor noster appareat, quod ea sola putamus emi, pro quibus pecuniam soluimus: & gratuita vocamus, pro quibus nos ipsos impendimus. Quæ emere nollemus, si domus nobis nostra pro illis esset danda, si amœnum aliquod fructuosumve prædium; ad ea paratissimi sumus peruenire cum solicitudine, cum periculo, cum iactura pudoris, & libertatis, & temporis. Adeo nihil est cuique se vilius.* Hactenus ille.

9. Grauia quidem hæc sunt, sed illud multo grauiùs, acerbiúsque dolendum, esse non paucos, qui Psal. 23. 4. contra Regij Vatis monitum Psalm. 23. 4. in vanum accepisse videantur animas suas, quod illis ad spiritualia opera, siue ad ea quæ rationali animo digna sunt, non magis vtantur, ac si vt irrationabilia bruta ipsis omnino carerent. Inde Bernard. Bernard. peculiari sermone in eum Psalm. cùm dixisset: *De cætero ne in vano acceperimus animas nostras rationales, exerceamus nos in operibus bonis, & consilio rationis vtamur;* subiungit. *Quomodo enim non frustra humanam accipit animam, qui tanquam vnum ex irrationalibus animantibus incubans corporeis voluptatibus, solum sequitur carnis appetitum?* Nec aliter Ambros. Ambros. lib. de bono mort. cap. 7. *In vanum accipit animam suam, qui sæcularia struit, ædificat corporalia. Quotidie ad edendũ, & bibendũ surgimus, & nullus expletur. Quotidie lucrum quæritur, & nullus cupiditati modus ponitur.* Sub quo quidem sensu videtur dixisse Matth. 7. 6. Christus Dominus Matth. 7. 6. *Neque mittatis margaritas vestras ante porcos:* cum suibus potiùs, quàm cum aliis animantibus eos homines, qui mũdo, & iis quæ mundi sunt, concupiscentiæ carnis, concupiscentiæ oculorum, & superbiæ vitæ toti sunt addicti, & in impurarum voluptatum cœno indesinenter volutantur, pulchrè componens; Tullius. quippe, vt lepidè apud Tullium lib. de natur. deorum, *Sui ne putresceret, animam pro sale datam esse dicit Chrysippus:* nimirum ipsi ad id solùm turpis anima, qua potitur, deseruit, vt corpus indesinenter expleatur, & fœda illa pinguedo sibi constet, non secus ac post mortem sale aspersa seruatur. Ad hunc enim modum vulgus hominum (nec vulgus, vt inquit Seneca, purpura discerno) rationali animo, mente, intellectu, reliquisque potentiis, ac facultatibus, ad hoc vnum, vt corpori indulgeant, impurisque carnis voluptatibus turpiter ancillentur, Sallustius. vti consueuerunt. De his bene Sallustius: *Quibus corpus voluptati, anima oneri est.* Sed enim ipsos sic D. Bernard. grauiter obiurgat Bernard. serm. de miseria humana. *Miser homo, vt miserum pascas corpus, & vestias, & carnis voluptatibus, quæ post paucos dies à vermibus deuorabuntur, satisfacias, sollicitus laboras, discurris, vigilas, & somnum non capis oculis, vt repleas ventrem, & pro anima tua, quæ Deo præsentanda est in cœlis, cur non sollicitus fatigaris, vt ipsam pascas bonis operibus, & induas virtutibus, ne appareat nuditas eius? Væ tibi est, & væ tibi erit, quia reddis, quæ sunt Cæsaris, Cæsari, & non quæ sunt Dei, Deo. Vide miser homo, quia totum est vanitas, totum stultitia, totum dementia quidquid facis in hoc mundo, præter id solum, quod in Deum, & propter Deum, & honorem Dei facis.* Hactenus Bernardus piè & salubriter. Nos ad alia.

* * *

Ad illa verba: *In similitudinem hominum factus.*

ADNOTATIO VI.

Dei Filium humanitate ad se hominum corda pertraxisse: perfectaque gubernationis esse, subditos vrbanè, comiter, & similem illis factum pertractare.

1. CVM verissimè à Nazianz. in Apolog. dicatur, Nazianz. hominem regere, artem artium esse, hic potissimum illud habere locum crediderim: *Maxima artis esse dissimulare artem;* vt videlicet, qui aliis regendis, gubernandisque præficitur, vt illis gradu potior, atque superior sit: at vt munus suum opportunissimè, & aptissimè gerat, imperium, dominatumque dissimulet, sitque *in omnibus sicut vnus ex illis,* Ecclesiastici 32. 1. Et vt pastorum Princeps ad- Eccl. 32. 1. monebat, *non dominantes in cleris sed forma facti gregis ex animo.* 1. Petri 5. 3. Quæ verba cum hoc Pau- 1. Petr. 5. 3. li loco componens, sic piè, & sapienter elucidabat S. Malach. apud Bernardum in ipsius vita. *Oportet Episcopum, ait Episcoporum Princeps, non dominari in clero, sed formam fieri gregis: haud aliam sanè formam, quàm ab illo accepimus, qui humiliauit semetipsum factus obediens vsque ad mortem.* Addebat verò insuper sanctissimus Episcopus: *Quis mihi det hanc relinquere filijs signatam sanguine meo?* Et verò dum hoc monitum ex Pauli verbis elicio; duo mihi à Christi exemplo ad bonam subditorum gubernationem Prælatis præscribi videntur: alterum, vt se illis modestissimos, & humanissimos exhibeant: alterum, vt talem ipsorum curam gerant, vt pro illorum culpis pœnitentiam agere, atque eas lacrymis, & fletu ipsos diluere debere nouerint.

Et, vt à primo incipiam, huc potissimum serui 2. forma, quam Christus suscepisse dicitur & in similitudinem hominum fieri, ire videtur. Bene siquidem Leo Pontifex serm. 3. de Natiuit. c. 2. *Exinanitio* Leo Magn. *enim illa, qua se inuisibilis visibilem præbuit, inclinatio fuit miserationis, non defectio potestatis.* Pergit Theodoret. lib. 6. de Græcarum affectionum curat. Theodor. prope finem. *Sicut enim qui poterat, si modo illi collibuisset, homines de cœlo affari, desidesque ac inertes ad officium excitare, neque tamen idipsum fecit, quia nimirum nouerat imbecillẽ hominum naturam suæ vocis sonum capere, ac sustinere non posse:* & paulo pòst cùm dixisset, antiquitus hominibus internunciis leges Deum tulisse, & terroribus, atque admonitionibus hominum emendationem curasse, subiicit: *Cum vellet vniuerso generi humano salutarem medelam afferre, non Angelorum quidem ministerio, Archangelorumve vsus est, neque cœlitus vocalissimam vocem effudit, cunctisque semel hominibus auditu perfacilem; sed ipse sibi in vtero Virginis tabernaculum fecit, indeque progressus est homo visibilis.* Pende modò quod dicebat Leo, Christi exinanitionem, ac serui formam non defectum potestatis fuisse, quippe potuit è cœlis vocalissimam vocem emittere, qua omnes perterrefaceret, sed inclinationem miserationis: etenim Cyr. Ierof. vt Cyrill. Ierosol. Catechef. 6. à nobis adnot. 3. citatus, de Ioue in taurum commutato dicebat, *sunt enim mugitus indigni Deo;* iis enim non alliciuntur, sed fugantur homines: quare vt ipsis opem ferre, opitulari, ac mederi posset, meritò illis similis, & habitu inuentus vt homo aduenit. Vnde post nonnulla ibidem Theodoret. eos qui Dei in mundum aduentum, sua maiestate indignum existimabant, sic confutat. *Atqui eos Medicos maximè laudare solitus,*

letis, non qui nos quidem suis ministris curandos ægros committunt, sed qui pallium deponunt, interulamque succincti, suis ipsi manibus ferrum accipiunt, vlcusque, si sit opus, incidunt, neque fœtorem vlceris auersantur, imò autem profluentem saniem excipiunt, spongiaque inspergunt, & vnguenta compingunt, aliaque remedia multa conficiunt, quæ adhiberi Medicinæ lex iubet. Sic ille.

3. Equidem componas velim hæc Pauli verba, *in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt*
Isaiæ 51. 9. *homo*; cum illis Isaiæ cap. 51. 9. *Consurge, consurge, induere fortitudinem, brachium Domini*: necnon cum iis, quæ Dauid, quasi id vaticinium in historiam
Psal. 92. 1. vidisset translatum, Psalm. 92. 1. dicebat: *Dominus regnauit, decorem indutus est: indutus est Dominus fortitudinem, & præcinxit se*: videntur enim hæc testimonia ad speciem valde dissimilia, dum Paulus Dei Filiũ, hominem factum, humanitateque vestitum, beneficium, indulgentem, suauem, mitemque inducit; atque adeò mitem, suauem, indulgentem, at-
Isai. 42. 3. que humanum, qualis ab Isaia cap. 42. 8. prædictus,
Mat. 12. 19. à Matthæo describitur cap. 12. 19. *Non clamabit, neque accipiet personam, neque audietur vox eius foris, calamum quassatum non conteret, & linum fumigans non*
Maldon. *extinguet*: hoc est, (vt acutè exponit P. Mald. in Matth.) tam leni, ac sedato ambulaturum gressu, vt si per quassatum calamum incedat, aut per stupam semiextinctam, neque illum confracturus, neque hanc extincturus sit: vterque verò Vates ingenti fortitudine, egregioque robore indutum ad fortia in bello facta perficienda expetunt. Vnde statim Isaias illustria illa facinora, atque prodigia, quibus in Ægyptiis debellandis suam fortitudinem, atque
Isai. 51. 10. potentiam manifestauit, sic proponit: *Consurge sicut in diebus antiquis, in generationibus sæculorum. Numquid non tu percussisti superbum, vulnerasti draconem?* Sed enim nulla sententiarum dissimilitudo, aut diuersitas est, tunc si quidem fortitudine, atque potentia ad bellandos homines, eorumque corda confringenda indutus, optima ratione dicitur, quãdo humanitate, & lenitate ad regendos sibi subditos vestitus asseritur: humanitatis enim habitus, fortitudinis, atque potentiæ ad domandos inflectendosque hominum animos instrumentum est.
Nazianz. Vnde Greg. Nazianz. orat. 42. quæ est 2. in Pascha, quomodo homines ad se Dei Filius pertraxerit pulchris imaginibus ad hunc modum explicat. *Hanc in eo restaurando rationem initam esse existimamus, vt acriore, ac asperiore medicina improbata, leni, ac facili medicamenti genere ipsius resipiscentia procuraretur; neque enim plantam incuruam, subitam inflexionem, manusque erigentis violentiam ferre: sic enim potius fore, vt lædatur, & infringatur, quàm vt erigatur, neque equum praeferocem, ac iam ætate aliquanto prouectiorem, freni tyrannidem perferre, nisi blanda quadam, & adulabunda manu permulceatur.* Sic Gregor. Expende extremam hanc præferocis equi duram fræni tyrannidem patienter, imò libenter perferentis, si blanda manu, & adulabundo sono demulceatur, similitudinem: & verò Græcè elegantiùs habetur;
Nazianz. posuit enim inibi Nazianz. vocẽ, ποππυσμὸς, quam eius Scholiastes Nicetas sic exposuit. *Poppysmus autem equinæ permulsionis genus est, quod nomen per onomatopeiam ductum est ab eo sono, qui ex equisonum ore manat, cum equos adulabundo contactu delinire student.* En igitur fortitudinem, potentiam, imò verò tyrannidem, qua corda subiiciuntur, humanique animi infrænantur; humanitatis, scilicet, lenitatis, ac blanditiarum popysmi. In quam sententiam Sene-
Senec. ca lib. 1. de Clement. cap. 24. *Remissius imperanti melius paretur. Naturâ contumax est humanus animus, & in contrarium, atque arduum nitens, sequiturque facilius quàm ducitur; & vt generosi, atque nobiles equi melius facili freno reguntur: ita clementiam voluntaria innocentia impetu suo sequitur, & dignam putat ciuitas, quam seruet sibi; plus itaque hac via proficitur.*

Hinc Christus, quod *in similitudinem hominum* 4.
factus, & habitu inuentus vt homo fuerit, & gladium acutum ad penetrandos animos, & electam Patris sagittam ad configenda hominum corda, sic se apud Isaiam cap. 49. 2. nominat. *Posuit os meum qua-* Isai. 49. 2.
si gladium acutum, in vmbra manus suæ protexit me, & posuit me sicut sagittam electam, in pharetra sua abscondit me. Sed pharetram excutere priùs oportet; ipsam humanitatem Christi significare, frequens Patrum expositio est: ita præter Hieronym. & Procopium Hieronym.
ibi, Chrysostom. hom. de turture, & Eccles. tom. 5. Procop.
inquiens: *Lege Isaiam, & in ipso inuenies quomodo ipsa* Chrysost.
sagitta loquatur: Posuit, *inquit*, me sicut sagittam electam, *Deus Verbum dicit*, & in pharetra, *corporis*, abscondit me. Sic ille. Vnde à viris doctis maximè laudatur Bibliæ Complutensis lectio, quæ pro, *in* Bib. Compl.
pharetra sua; habet, *in pharetra tua*, versa ad hominem locutione. Ergo ex hac humanitatis pharetra, electa ad feriendum corda sagitta expromitur. Sed cur electa hæc dicitur? Sanè quasi hæc potiùs fuerit, quæ scopum à sagittario Deo destinatum collimauerit: nimirum, cùm plures antea terrificas, atque igneas minarũ, ac suppliciorum fuerit iaculatus, hæc vna hominum corda vulnerauit, & ad sui amorem mundum attraxit, atque subegit. *Ista etenim sagitta* (inquit citato loco Chrysost.) *vulneratus* Chrysost.
Petrus dicebat Christo: Domine tu nosti, quoniam di- Ioan. 21. 17
ligo te. *Ista sagitta vulneratus Paulus dicebat*: Quis Rom. 8. 35
nos separabit à charitate Christi? *Ista sagitta vulne-* Cant. 2. 5.
rata omnis casta Ecclesia dicebat: Vulnerata charitate ego sum. Ita Chrysost. Sed expende eum dicendi modum, *in pharetra tua abscondit me*: habet namque peculiarem emphasim, atque leporem, quasi diuinitatis sagitta humanitate abscondita, atque contecta ineuitabilem ad capienda corda vim, atque efficacitatem habuerit. Quò mirificè facit illustris imago, qua hue intentus vtitur Pantaleon Diaconus in serm. de sanctis Luminibus tom. 7. Bi-
bliot. vet. Patr. his verbis: *Terricolarum Rex abscon-* Pant. Diac.
dito diademate cum populo conuersatur. Imò, qui Dominus est vniuersi Christus, ad captiuum ducendum Sathanam delapsus, tecta per humanam speciem diuinitatis suæ maiestate, cum populo Iudaico cohabitat, & baptismi se vsui submittit, cùm ipse sit baptizantis baptisma, & sit sicut foris apparet hominum vnus. Regum est secutus consuetudinem, qui dum prædæ insidiantur, deposita regia maiestate, militari se habitu amiciunt. Ita ille. Porrò cùm ignea illa tela Dominus vibrabat, terrificosque edebat rugitus, vix in orbis angulo
agnoscebatur, dicente Vate Psalm. 75. 1. *Notus in* Psal. 75. 1.
Iudæa Deus, in Israël magnum nomen eius. Et statim: *Illuminans tu mirabiliter à montibus æternis*: pro qui-
bus Vatablus reponit; *Conspicuus es, & similis robu-* Vatabl.
sto Leoni in montibus præda: etenim *turbati sunt omnes* Bernard.
insipientes corde. Quia, vt ait Bernard. lib. 4. de consid. ad Eugen. *Austeritas fugat infirmiores*: at cùm *in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo*, tecta per humanam speciem diuinitatis suæ maiestate, prædæ insidiatus est, sagitta electa, atque ineuitabili ipsam vulnerauit, & cepit, nec solùm in Iudæa notus, sed omnes fines terræ subiugauit.
Qua de re sic præfato loco Theodoretus. *Nam cùm* Theodor.
prius olim multa, & varia remedia attulisset, cunctis quidem hominibus ad pietatem alliciendis ea inspectanda proponens, quæ in mundi fabrica, & natura rerum ab eo facta

facta cernuntur. Hebreis autem Prophetas mittens, & scriptam legem contribuens; postremò, & hoc vndique potens pharmacum, at saluberrimum nobis attulit, quo omnis agritudo funditus tolleretur. Verbis autem nostris fidem conciliant orbis vniuersus, terra, marique à priore ignorantia liberatus, idolorum fedata fallacia, impietatis pulsa caligo, radij lumine cognitionis diuinæ mundum complentes, Græci, Romani, Barbari, de crucifixo Theologicè proloquentes, ipsumque signum crucis prosequentes honore maximo. Pergit multis, quæ vide.

5. Nec ab hoc it in iis Isaiæ verbis os Christi cum gladio acuto compositum. Quid enim speres ab hoc gladio? siue quid timeas? Num illum violenter ossa tibi confracturum? Audi Apostolum ad Hebræos 4.12. *Viuus est sermo Dei, & efficax, penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens vsque ad diuisionem animæ, ac spiritus, compagum quoque, ac medullarum.* En modum, quo hominum corda ad se Christus pertrahebat. Quid? durène cum illis agebat? minas intentabat? conuitia inferebat? Minimè, nihil ipso humilius, nihil mitius, nihil vrbanius, calamum quassatum non conterens, & linum fumigans non extinguens, vt superiùs dicebat Matthæus, hoc est, vt præter expositionem, quam his verbis ex Maldonato adhibuimus, alij explicant, qui ipsosmet, in quibus, nō modò nulla vtilitas, sed aliqua etiam esset molestia, vt in quassato calamo, & singillatim in lino fumigante apparet, patientissimè ferret, ipsisque opportunas curationes adhiberet magna verborum lenitate, temporisque ac loci opportunitate numquā intermitteret. Quare obserua præfata verba ad Hebræos, sic legi ab Athanasio serm. 3. contra Arianos: *Viuidum est verbum Dei, & efficax, & penetrantius omni gladio ancipiti, & pertingens vsque ad internodia animæ, & spiritus, compaginesque simul, ac medullas.* Vbi totam ancipitis huius gladij aciem, atque efficaciam ad id potissimum referri videas, quod non pro libito, sicut cruentus ille iræ gladius, cui Ezech. 21. 16. dicebatur: *Vade ad dexteram, siue ad sinistram, quocumque faciei tuæ est appetitus.* sed egregia dexteritate, & suauitate per internodia, atque compages dissecet, sumpta similitudine à magistro scindendi obsonij, *qui* (sic Seneca epist. 47.) *pretiosas aues scindit, per pectus, & clunes certis ductibus circumferens eruditam manum.* Ita quidem omnia facta, dicta, promissionesque suas bonus Dominus temperabat, vt viuidum ipsius, atque efficax verbum animas non confringeret, sed demulceret: nec ossa comminueret, sed certis ductibus circumferret eruditam manum. Sic cum peccatoribus ad eos sibi conciliandos manducabat, atque bibebat, Matth. 9. 11. Sic piscatores piscium, quò promptiùs alacriusque venirent, (Matth. 4. 19.) ad homines piscandos inuitabat: sic quocumque vocabatur, veniebat, omnibus omnia factus, vt omnes lucrifaceret. Qua quidem de causa videtur dixisse sponsa Cant. 5. 6. *Anima mea liquefacta est, vt locutus est*; ac si diceret: ad alia siue legis, siue Prophetarum verba obdurueram, quippe minis, & terroribus antea agebar: at dūm blandissima verba vitæ ab sponso meo accepi, sic eius amore affecta est anima mea, vt à se ipsa penè deficiens, in aliam quasi formam, atque figuram fuerim transformata. Sed expende illud, *liquefacta est*: videtur enim desumpta similitudo à Sole, vel ab igne, qui congelata soluunt, rigoremque, atque duritiem emolliunt. Vnde cùm hunc locum explicandum suscepisset S. Thom. 1. 2. quæst. 28. art. 5. in responsione ad argumenta, sic inquit: *Liquefactio opponitur congelationi: ea enim quæ sunt congelata, in seipsis constricta sunt, vt non possint de facili subintrationem alterius pati: ad amorem autem pertinet, quod appetitus coaptetur ad receptionem boni amati, prout amatum est in amante. Vnde cordis congelatio, vel duratio est dispositio repugnans amori, sed liquefactio importat quandam mollificationem cordis, qua exhibet se cor habile, vt amatum in ipsum subintret.* Sic S. Doctor. At animam congelatam, & qua de causa iam vide. Certè arcana locutione de Deo supplicia inferente dixisse credas Ecclesiasticum cap. 43. 21. *Frigidus ventus Aquilo flauit, & gelauit crystallus ab aqua, super omnem congregationem aquarum requiescet, & sicut lorica induet se aquis*: quasi tunc hominum corda glacie infidelitatis constricta essent. Ita tibi Glossa interlinearis, inquiens: *Hæc ante aduentum Christi cum penè totus mundus seruiebat idolis.* Qui ergo ea glacies, atque durities soluta fuit? Sanè, flante aduersus Aquilonem vento calido, & vrente. Sic enim Oseas cap. 13. 15. *Adducet vrentem ventum Dominus de deserto ascendentem.* Sed audi commentarium Stephani Cantuariensis in allegoriis Gotfridi Tilman. ad id loci. *Adducet Dominus ventum vrentem, id est, Pater Filium peccata tollentem, & ad sui amorem accendentem. Meritò Dei Filius dicitur ventus vrens, quia nihil est, quod adeo debeat in nobis noxia vrere, sicut memoria incarnationis: vnde*, Proba me Deus, & tenta me, vre renes meos, & cor meum, *Psalm.* 25. 4. *Nihil est etiam quod tantum debeat ad amorem accendere, quam humilitas incarnationis: vnde cùm dixisset Psalmo* 18. 5. In Sole posuit tabernaculum suum; *subiungit*: Non est qui se abscondat à calore eius. Hæc Stephanus. Vides animam liquefactam, vt sponsus locutus est? Cernis conglaciatos infidelitate animos, vrentis huius venti vi solutos, & incredibili in Deum pietate, & dilectione affectos?

Vnde quidem alibi eadem dicebat sponsa, *ordinauit in me charitatē*, Cant. 2. Quæ verba, vt non abs re à Græcis, & Latinis Patribus aliò detorqueantur; at iuxta Hebraici idiomatis puritatem, alium ab eo sensum, qui communiter circumfertur, habent: etenim Hebræum verbum militare, & ex castris desumptum est, propriè enim significat aciem instruere, atque in locum expugnandum dirigere. Vnde sic explices cum Gaspare Sanchez, *instruxit contra me charitatem tamquam aciem*, vt hanc reddat sponsa rationem, cur non potuerit non amori succumbere, quod cœlestis sponsus amorem suum, siue amoris signa simul cum amatoriis blanditiis tamquam exercitum contra illam instruxerit, vt illius animum oppugnaret, atque expugnaret. Vnde Venerab. Gillebert. serm. 20 in Cant. fine, sic secum hac de re loquebatur. *O me impudentem, & ingratum si non ego talem diligam, tam absolutum a corruptione, & tanta circa me adstrictum compassione, necessitate non obnoxium, & pietate obnixum.* Quam quidem ad rem opportunè aduoces hæc Themistij verba orat. 9. in Valentis laudem. *Qui quidem omnes præclaram naturam hominum assecuti id intellexerunt, nihil ad alliciendam voluntatem efficacius esse benignitate, ac beneficentia; longéque id optimum esse Principi amore, ac gratia subditos allicere, non metu, ac terrore dominari. Hoc enim fit vt volentibus illo, vt inuitis, ac detrectantibus dominetur; & beneuolentiam quidem viribus numquam; beneuolentia verò quamplurimas vires expugnatas, atque euersas fuisse comperimus.* Ergo, qui humanum animum oppugnare, & expugnare decreuit, charitatem in illum, vel tamquam fortissimam belli machinam, vel tamquam irrecusabilem fascinum ordinauit.

Quod si hanc humanitatis Christi victoriam, atque triumphum, quem de hominum cordibus retulit, non tam propheticis velis contectum, quàm graphicè

Marginal notes: Ad Hebr. 4.12. — Athan. — Ezech. 21. 16. — Seneca. — Matt. 9.11. — Matt. 4.19. — Cant. 5.6. — S. Thom. — Eccl. 43. 21. — Glos. int. — Osee 13. 15. — Steph Cant. — Psal. 25 4. — Psal. 18.5. — 6. — Cant. 2. — Gasp. Sanch. — Gillebert. — Themist. — 7.

graphicè depictum videre velis; in celebratissimum Ezechielis currum, qui à sapientioribus interpretibus ipsomet textu impellente militaris, ac bellicus esse censetur, oculos conuerte. Illic siquidem inter nubem magnam, & ignem inuoluentem, humana electri species conspiciebatur: sic enim Propheta cap. 1. 4. *Et vidi, & ecce ventus turbinis veniebat ab Aquilone, & nubes magna, & ignis inuoluens, & splendor in circuitu eius, & de medio eius quasi species electri, id est, de medio ignis.* Vbi in primis hanc electri imaginem Dei Filium in similitudinem hominum factum, & humana natura indutum designare, Gregorij Magni hom. 3. & 4. in Ezechiel. Athanasij in Synopsi, Irenæi lib. 3. contra hæres. Hieronym. in proœmio commentariorum in Matth. August. lib. 1. de consens. Euangel. cap. 6. Isidori Hispalensis initio lib. allegor. Ambrosij, & Bedæ in Apocalypsim, eorúmque omnium, qui per quatuor huius currus animalia, quatuor Euangelistas denotari existimant, venerabilis, & certa expositio est. Illud deinde valde probabile, electrum ibi non significare metallum, sed succinum, gummi genus, quod ab arboribus defluit, aut alio quouis modo gignitur (de quo latissimè Plinius lib. 37. c. 2.) vt nonnulli interpretes apud PP. Prado, & Maldon. in quod ipse inclinat, vt statim videbimus, explicant: atque id suadere videtur, quod inibi Plinius, & in Ægypto nasci, appellarique *facal*, voce Hebraicæ hic positæ quàm simili, est enim *chasmal*, à verbo *chasal*, à quo facilè vnius literulæ, siue in scribendo, siue in pronunciando transpositione, vel ab Ægyptiis, vel potiùs à Romanis audientibus, siue transcribentibus, deflecti potuit in *facal*; & cap. 3. ex hoc electro pretiosissimas imagines, siue effigies hominum fieri, quarum quælibet quamuis parua, viuorum hominum, vigentiumque pretia superet, affirmat. Iam verò signatissimam electri, siue succini proprietatem nosti, quam sic describit eo cap. 3. Plinius. *Cæterùm attritu digitorum accepta caloris anima trahunt in se paleas, ac folia arida, ac phyliras, vt magnes lapis ferrum.* Verùm illud subinde noueris, præfatum verbum *chasal*, à quo vox succinum deriuatur, propriè significare domare, deiicere, vt hinc facilè coniicias, eum bellici huius currus sensum esse, Dei Filium, cùm habitu inuentus vt homo fuit, hominum animos debellasse, atque ad sui dilectionem rapuisse. Ita penè Maldon. inquiens: *Electrum autem misericordiæ symbolum est, vt videtur Hieronymus interpretari; electrum enim, sicut misericordia attrahendi, alliciendique vim habet.* Sed id potiùs à Saluiano Massiliensi elegantissimè dictum lib. 4. de Prouidentia, accipe: *Sicut illas natura admirabilis gemmas ferunt, quæ ferro propius admota, durissimum licèt calybem affectu quasi aspirante suspendunt: ita etiam ille, id est, summa, & clarissima negotiatorum cælestium gemma, hoc voluit, vt dum se, licèt durissimis, nobis descendens de cælo propiùs adiungeret, affectu suo nos quasi amoris sui manibus admoueret, vt agnoscentes vtique dona sua, ac beneficia intelligeremus, quid nos pro Domino tam bono facere conueniret, cùm ille pro malis seruis tanta fecisse comperiretur.* Hæc Saluianus.

Ezech. 1. 4.

Greg. Mag. Athan. Irenæus. Hieron. August. Isidor.

Plin. Prad. Maldon.

Saluian.

8\. Sed non diuinam hanc electri speciem, cùm primùm hunc in mundum intrauit, & à sanctissima Matre in præsepio reclinatur, videre tibi videtur? Quid enim hoc succinũ præsepis paleas in se trahẽs, aliud quàm Christum humanitate sua hominum ad se animos pellicientem, eos præsertim, qui vt materiale succinum digitorum attritu quasi animatum reddunt, ita consideratione, & meditatione hanc apud se speciem, atque imaginẽ accendunt, esse dixeris? Equidem Chrysol. ser. 158. cùm dixisset: *Sæpe quærimus, quare sic mundum Christus intrat, vt ventris experiatur angustias? partus patiatur iniuriã? sustineat vincla pannorum? cunabula toleret? imbecilla lacrymis vberum nutrimenta disquirat? ætatum gradus, necessitatesque persentiat?* ita interrogando respondet: *Et qualiter venire debuit, qui voluit apportare gratiam, timorem pellere, quærere charitatem?* Et post nonnulla: *Sic ergo nasci voluit, qui amari voluit.* Nec minus opportunè Gillebert. ser. 20. in Cant. *Visio Dei quodam est cum affectu semper accipienda. Et verè efficax est, & violenta visio tua, bone Iesu, quæ intuentium in se rapit affectus. Vis accipere, quàm sit efficax?* Cùm exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipsum. *Quid verò cùm humiliatus fueris ad terram? Nonne omnium ad te trahis animos? Ego, bone Iesu, resurrectionis tuæ non expecto gloriam, nec ad imitationem meam ascendentis in cælum reseruo potentiã, sed statim in initio annunciationis, vel natiuitatis tuæ, voces Angelicæ aures meas percellunt, & rumor nouus stupefacit me, & ad se rapit insueta lux exorta in tenebris.* Subdit statim. *Nuda visio, & quæ se in affectus condignos non transfert, ignorantiæ & cæcitati nonne connumeratur?* Ita quidem. Quo in loco ingens velim obserues discrimen inter hanc speciem electri, ad se animos allicientem, & alias veteres Dei apparitiones atque visiones, siue inter hanc sagittam electam, & illas quas prioribus sæculis iaculatus Dominus dicitur. Certè priusquàm Dei Filius in similitudinem hominum factus conspiceretur, hominum quidem amans atque studiosus dicebatur, & qui sese illis beneuolentia, & affectu coniungeret, sed ab ipsis amatus, & cui toto illi affectu adhærerent, non prædicabatur. Sic namque Sapient. 1. 6. dicitur: *Benignus est enim spiritus Sapientiæ*; vbi pro, *benignus*, Græcè est φιλάνθρωπος, amans, vel studiosus hominum, quà voce apud Plinium lib. 27. cap. 5. & Dioscorid. lib. 3. cap. 104. ea appellatur herba alio nomine dicta Aperine, quæ in hortis passim nascitur, & hominum vestibus adhærescit, quasi amicè eos complexans, vt tradit idem Plinius lib. 24. cap. 19. At enimverò quamuis amans hominum olim esset, illisque indesinenter adhæresceret, quasi amicè complexans, non ita ad se eorum animos rapuit, donec humanitate indutus, velut succinum paleas, hominum in se studia pertraxit. Ergo priùs quà Deus, φιλάνθρωπος, hoc est, humanis vestibus adhærescens: nunc verò quà homo, succinum homines ad se rapiens iure dicitur.

Chrysol.

Gillebert.

Sap. 1. 6.

Plin. Dioscor.

Sed cur modò potiùs, quàm antea ad sui amorem homines alliciat? Pulchriorne, aut formosior Dei species ex humana infirmitate est reddita? Adeone humani oculi excutiunt, vt qui non ferebantur in plenum, concupiscant exinanitum? Sanè inuariabilis Dei pulchritudo est; nam apud ipsum non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio: at sponsa amandi gnara sic censet, vt peculiaris ipsi decor ex humana carne aduenerit, Cant. 1. 9. inquiens: *Ecce tu pulcher es; & decorus*; emphasim enim habet epitheton, *decorus*, pulchro additum, quasi prius ad diuinitatem, quæ sibi quidem pulchra est; posterius verò ad humanitatem, qua Deus nobis peculiari ratione decorus videtur, accommodari debeant. Certè & decorum sic diffiniuit Cicero libro 1. officiorum. *Decorum dicimus, quia per se nobis placet, animosque omnium natura, & specie sua commouet*: & verissimum illud Aristotelis axioma; *Amabile bonum, vnicuique autem proprium*: atque ideo non potest non homini Deus homo factus peculiari quadam ratione pulchrescere. Sed quanta id elegantia Bernardus sermone 46. ad ea Canticorum verba diffuderit, audire est operæpretium; cùm enim priùs dixisset: 9.

Cant. 1. 9.

Cicer.

Bernard.

Aut certè in vtraque Christi substantia dignum expressit omni admiratione decorem: in altera naturæ, in altera gratiæ. Quàm pulcher es Angelis tuis Domine Iesu, in forma Dei, in die æternitatis tuæ, in splendoribus sanctorum ante luciferum genitus, splendor, & figura substantiæ Patris, & quidem perpetuus, minimeque fucatus candor vitæ æternæ! mox subdit: *Quàm mihi decorus es Domine mi in ipsa tui positione decoris! etenim vbi te exinaniuisti, vbi naturalibus radijs lumen indeficiens exuisti, ibi pietas magis emicuit, ibi charitas plus effulsit, ibi amplius gratia radiauit. Quàm clara mihi oriris stella ex Iacob! Quàm lucidus flos de radice Iesse egrederis! Quàm iucundum lumen in tenebris visitasti me oriens ex alto! Quomodo non pro his omnibus omnia ossa mea dicent*: Domine quis similis tibi? Hæc Bernardus.

10. Sed enim non Bernardi inuentum, sed Regij Vatis id est, Psalm. 92. 1. dicentis, *Dominus regnauit, decorem indutus est.* Nam cùm ex Epiphanij expositione lib. 2. aduers. Ariomanitas hic locus de Incarnatione Filij Dei accipiendus sit, Dominum decorem induere, idem erit proculdubio, ac habitu inuentum vt hominem esse: ergo humanitate vestiri, decorem induere, & certa quadam ratione pulchriorem, atque amabiliorem reddi, est. Id signatè ad hæc verba sic docente Ambrosio lib. 1. offic. cap. 44. *Deus ergo primum hominem cùm conderet, bona habitudine, bona membrorum compositione formauit, & optimam ei speciem dedit; remissionem non dederat peccatorum. sed posteaquam renouauit eum spiritu, & infudit ei gratiam, qui venerat in serui forma, & in hominis specie assumpsit decorem redemptionis humanæ; & ideo dixit Propheta:* Dominus regnauit, decorem induit. Hæc Ambrosius. Cui adstipulatur Venerabilis Petrus Abbas Cellensis lib. 1. expositionis tabernaculi, vbi cùm propitiatorium cum Christo componens opportunè dixisset: *Sed vnum præ alijs strictius suæ bonitatis religauit beneficiorum vinculum, quo spretus non sperneret; eiectus non abijceret; offensus non læderet, sed satisfaceret sibi pro nobis de nostra iniuria, sed requireret, sed reduceret. Quis hoc cacumine pietatis eleuatus est, nisi Iesus? Quis hunc verticem gratiarum subijt, nisi filius olei? Quis tantos gurgites misericordiarũ de ventre suo euomuit, nisi propitiatorium?* opportunissimè subiicit: *Planè si in Iesu aliquid est melius ipso Iesu, id mihi est propitiatorium, id est, reconciliatorium; sed Iesus totus desiderabilis, sed totus amabilis: amabilis ergo in arca, amabilior est in propitiatorio; desiderabilis ex bonitate, sed desiderabilior ex propitiatione; quæ est pinguedo bonitatis, quia superexaltat misericordia iudicium.* Hæc Abbas Cellensis.

Psal. 92. 1.

Epiphan.

Ambros.

Pet. Cellens.

11. Sed ne longiùs diuagemur, quot hinc iam, quàque opportunæ Prælatis admonitiones succurrunt? Quid enim in primis optimæ gubernandi rationi adeò sit opportunum, quàm ad Christi exemplum tam lento, tamque blando gradu superiorem incedere, vt calamum quassatum non conterat, & linum fumigans non extinguat? Nimirum, cùm hominibus præesse, atque dominari, super ipsorum capita incedere sit, dicente Vate Psalm. 65. 12. *Imposuisti homines super capita nostra:* quod subditorum mentes, & voluntates Princeps, siue Prælatus moderetur; quid tam acerbum, quid adeò furiosum fuerit, quàm forti ac violento gressu durè, & inhumanè subditorum hominum capita premere? *Malè siquidem vim suam potestas* (Plinius Iunior lib. 8. epist. vlt.) *aliorum contumelijs experitur, malè terrore veneratio acquiritur; longè valentior amor ad obtinendum quod velis, quàm timor: nam timor abit, si recedas, manet amor; ac sicut ille in odium, hic in reuerentiam vertitur.* Scitè illud: *longè valentior amor ad obtinendum quod velis*, ad quem modum dixit Chrysostom. hom. 58. in Genes. *Nihil mansuetudine violentius.* Sed vt id videas, obserua Hebræam Lectionem præfati loci: *Imposuisti homines super capita nostra.* quæ habet: *Equitare fecisti homines super capita nostra.* Et verò ac si ipsam vidisset, sic monebat Seneca lib. 1. de Clementia cap. 16. *Numquid non æquum est, grauius homini, & durius imperari, quàm imperatur animalibus mutis? Atqui equum non crebris verberibus exterret demandi peritus magister: fiet enim formidolosus, & contumax, nisi eum tactu blandiente permulseris.* En poppysmos, quibus ab Assertore hominem attractum dicebat Nazianzenus. Iis ergo vtatur, qui super hominum capita equitat, nec turpius aliquid, atque ab equitandi, siue gubernandi ratione magis alienum existimet, quàm madentia sanguine calcaria deferre. Quare inibi Seneca. *Adijcias his licèt tardiora agentes iumenta, quæ cùm ad contumelias, & miserias nata sint, nimia sæuitia coguntur iugum detrectare. Nullum animal morosius est, nullum maiore arte tractandum, quàm homo, nulli magis parcendum. Quid enim stultius, quàm in iumentis quidem, & canibus erubescere iram exercere, pessima autem conditione hominem sub homine esse?*

Psal. 65. 12.

Plin. Iun.

Chrysost.

Heb. Lect.

Senec.

At errat homo, peccat subditus: quid ergo? Summône statim iure cum illo agendum, verberibúsque omne erratum vindicandum? Certè dum equitas, non semel euenit, vt equi pedi lapis aliquis inligatur; atque ideo ille lentiùs decurrere, & claudicare incipiat: quid rogo tum agis? Calcariáne acriter admoues? imò verò equo descendis, & velut quadrupes factus illius pedibus aduoluetis, donec offendentem lapidem excusseris. Vade ergo, & cum claudicante subdito fac similiter. Sic equidem Dei Filius cùm posset, *si modò ei collibuisset, homines de cælo affari, desidesque ac inertes ita perterrendo ad officium excitare*, vt dicebat Theodor. maluit formam serui accipere, & in similitudinem hominum fieri, vt illis opem, & medicinam afferret: vnde hac occasione August. serm. 206. de tempore. *Nemo potest iacentem erigere, si se nolueris inclinare.* Porrò de Deo peccatores gubernante, simul ac corripiente, sic inquiebat Salomon Sap. 12. 1. *O quàm bonus, & suauis est Domine spiritus tuus in omnibus; ideóque eos qui exerrant, partibus corripis, & de quibus peccant admones, & alloqueris, vt relicta malitia credant in te Domine.* Vbi præter alia inibi obseruanda, scito primùm, ex Græco fonte pro, *partibus*, legi posse, *per partes*: est enim præpositio κατὰ: vel etiam, κατὰ ὀλίγον, sumi pro paulatim, leniter, moderatè, sensim: quasi nec omnia simul corrigenda, & increpanda, nec nisi moderatè, & sensim id fieri debeat. Deinde illud notatu dignum in verbo, *admones*, Græcè non haberi præpositionem *ad*, sed *sub*, id est, *submones*, vt insinuetur lenitas quædam monitionis, & reprehensionis occultæ, ac vix notæ, vt suauior, toleratúque facilior sit homini reprehenso. Ita quidem Antistites illos Apocalypseos Christus submonebat, laudibus reprehensiones occultans. Ita etiam opportunissimè citato loco dicebat Seneca: *Morbis medemur, nec irascimur: atqui & hic morbus animi mollem medicinam desiderat, ipsúmque medentem minimè infestum ægro. Mali medici est desperare, ne curet; idem in his quorum animus affectus est, facere debebit, cui credita salus omnium est, non citò spem proijcere, nec mortifera signa pronunciare. Luctetur cum vitijs, resistat, alijs morbum suum exprobret, quosdam molli curatione decipiat, citiùs, meliúsque sanaturus remedijs fallentibus.* Hæc Seneca. Quem sanè modum in Dauide Rege submonendo, à Vate Nathan obseruatum fuisse, tum illustris illa imago hominis alienam ouem

12.

Theodor.

August.

Sap. 12. 1.

Lect. Græc.

Senec.

[2.Reg. 12.1.] ouem deuorantis, 2.Reg. 12.1. tum curationis tempus, & opportunitas manifestè ostendunt; & hac [Chrysost.] de re sic loquitur Chrysost. hom. 5. de Pœnitent. tom. 5. *Peccauit David, mulierque concepit, vtero gestauit, & peccatum nulla correctio secuta est. Quare autem protinus peccantem non correxit? Quoniam vidit in ipsa peccati origine obcæcatum peccantium animum, & obturatæ sunt eorum aures in peccato mersorum: differt ergo furibundæ passioni auxilium addens, tantumque post temporis correctio procedit, vt vno in temporis momento pœnitentia fit, & remissio.* O peritum scindendi obsonij magistrum, qui per pectus certis ductibus circumferens eruditam manum, in frusta excussit!

13. Sed nec hic subsistet Prælatus, quin vlteriùs progrediens, Dei Filium pro commissis in se peccatis pœnitentiam agentem, siue ipsorum pœnam subeuntem, imitetur. Quid enim existimas voluisse sibi [Genes. 6. 7.] Deum Genes. 6.7. cùm dixit, *pœnitet me fecisse eos?* an quod ipsum hominis à se facti pœnitentia, dolórque subiret? Absit; sed quod sic secum meditaretur. Quando hominem feci; ipseque in peccata, & mortem prolapsus est, non possum non, vt & meæ bonitati, & creatoris muneri satisfaciam, ipsius pœnam subire, ac si dicat, *ego feci, & ego feram.* Ita Ber- [Bernard.] nardus in allegoriis Gotfridi Tilman. ad ea Genes. verba. *Pœna me tenet, mihi incumbit sustinere pœnam, pœnitentiam agere pro homine, quem creaui. Non potest hic calix transire, nisi bibam illum.* Didicit verò hoc à Domino egregium illud Prælatorum exemplar Moyses, qui Deo in populum irato, & supplicia inferre molienti sic obuiam ibat, vt totum ipse belli pondus in se transferre, sustinereque exposceret. Ita [Ps. 105. 23.] enim de ipso Vates Psalm. 105.23. *Et dixit, vt disperderet eos, si non Moyses electus eius stetisset in confractione in conspectu eius.* Obserua illud, *in confractione*: alium enim sensum habet ab eo qui in super- [Lect. Heb.] ficie inest, nimirum, ex Hebræo vertitur, *in prærupturа muri*; ac proinde sententia est, Mosem iræ Dei quà à peccatis populi data porta irruenti, sese in ipso prærupti muri aditu opposuisse, quasi telum [August.] corpore excepturum. Ita inibi August. *Non ita dixit stetisse* in confractione, *quasi vt frangeret iram Dei, sed* in confractione, *id est, in plaga, qua erant illi feriendi: id est, nisi obiecisses seipsum pro eis, dicens: si dimittis illis peccatum, dimitte; sin autem dele me de li-* [Exo. 32. 10.] *bro tuo*, Exodi 32.10. Hæc August. Nec minus certè Prælatorum munus exigit: nec alia omnino ratione populi peccata Sacerdos, & Pontifex comedere dicuntur, nisi quod ipsorum pœnam digerere, & in corpus suum velut alimentum traiicere de- [Bernard.] beant. Vnde Bernard. epist. 24. Episcopum ad rationes, & iudicium sic aduocat. *Væ tibi Episcope qui peccata populi comedis, ac si propria tibi minus sufficere viderentur; dic mihi quantum desudas, vt gemitibus, orationibus, pœnitentia, & prædicatione diluas peccata illorum, quorum bona comedis? Venies miser ante tribunal Christi, & audietur grauis querela populorum, accusatio dura eorum, quorum vixêre stipendijs, nec diluêre peccata.*

14. Hinc grauis illa Domini de Prælatis querimo- [Ezech. 13. 5.] nia apud Ezechiel. 13.5. *Non ascendistis ex aduerso, neque opposuistis murum pro domo Israel, vt staretis in* [Heb. Lect.] *prælio in die Domini*: siue vt transfert Pagnin. *Non ascendistis in fracturas, neque sepiuistis sepem super do-* [Chald.] *mum Israel*: vel vt Chald. *Non stetistis in ruptura muri*: ac si diceret; non pugnastis, vt strenui milites: quippe hi, præsertim si belli duces sint, dum præruptum ab hostibus murum vident, sese cum propriæ vitæ periculo irruentium hostium telis certatim opponunt: ad quem modum cùm me iratum, & supplicia in populum inferre molientem intuebamini, debueratis vosmetipsos meæ iræ opponere, ipsamque gemitibus, orationibus, ac pœnitentia diluere. Certè Cant. 3.7. illi fortes vt fortissimi præ- [Cant. 3. 7.] dicantur, quibus *vnusquisque ensis super femur suum*, quod videlicet non modò carnem suam cum vitiis, & concupiscentiis suis crucifigant, sed totum prælij, siue diuinæ iræ pondus in se ipsos attrahere exoptent: sic enim stare norunt in prælio in die Domini, vt enses suos in femur suum, in proprias, scilicet, concupiscentias, & desideratissima quæque stringant, dum hæc omnia, atque seipsos libenter Deo deuouent, si his fortè placatus cum populo suo in gratiam redire velit. Nec longiùs ab hoc instituto iuerim, si cum Arnobio ad præfata verba Psalm. 105. obseruauero, eo sensu suggessisse Moysi Dominum illa verba: *Dimitte me, vt irascatur furor meus* [Exo. 32. 10.] *contra eos*, vt ipse qui tunc populi peccatum ignorabat, his vocibus excitatus, precibus, & afflictione Deum à supplicio inferendo reuocare conaretur; suoque exemplo reliquos Principes, atque Prælatos de suo erga placandum Deum officio admoneret. Audi Arnobium: *Putasne tu Moyses, plus miseri-* [Arnob.] *cors es, quàm ille, qui blasphematus, manna pluit, qui contemptus, de petra produxit aquas? Non tu plus misericors, sed voluit Dominus affectum tuum ducibus populi recitari, vt sic agant circa peccantes, sicut te fecisse cognoscunt: non cito damnent, sed volentem Dominum condemnare, suis precibus flectant.* Sic ille.

Ad ea verba: *Et habitu inuentus vt homo.*

ADNOTATIO VII.

Christum Dominum eò vsque omni peccati labe fuisse expertem, vt etiam matrem, quæ ab originaria macula omnino esset immunis, habere voluerit.

SAPIENTER Hilarius, & Sanctus Thomas 1. notanter à Paulo posita illa verba, *& habitu inuentus vt homo*, existimant, vt Christum sic perfectum hominem faceret, vt omne ab ipso peccati contagium remoueret. At enimverò aliter id ex his verbis alter ab altero elicit. Etenim Hilarius hunc [Hilar.] ex eo sensum confirmat, quod dictum non fuerit, *habitu inuentus homo*, sed potiùs, *vt homo*, sicut singillatim, *in similitudinem hominum factus*, eomet sensu dictum videtur, quo ad Romanos 8.3. *Misit Deus* [Ad Rom. 8.3.] *Filium suum in similitudinem carnis peccati.* Sic namque Hilarius lib 10. de Trinitate: *Tenuit enim Apostolus demonstrãdæ natiuitatis huius sacramentum cùm ait*, sed humiliauit se formam serui accipiens, in similitudinem hominum constitutus, & habitu repertus vt homo. *Vt dum formam serui accepit, natus esse in forma hominis intelligatur, dum autem in similitudinem hominum constitutus, & habitu repertus vt homo, species quidem, & veritas corporis hominem testetur, sed naturam vitiorum, qui vt homo sit habitu repertus, ignoret. In similitudine enim naturæ, non vitiorum proprietate eius generatio est. Nam quia in eo quod formam serui accepit, natiuitatis videbatur significata esse natura, subiecit, in similitudinem hominum constitutum, & habitu repertum vt hominem, ne natiuitatis veritas, naturæ quoque per vitia infirmæ proprietas crederetur, cùm & in forma serui esset vera natiuitas, & in habitu repertum vt hominem, esset similitudo naturæ.* Sic Hilarius. Postmodum verò cum adducit verba ad Romanos,

Romanos, *in similitudinem carnis peccati*; sic subiicit. *Non fuit habitus ille tantùm hominis, neque caro illa caro peccati, sed similitudo carnis peccati, dum & habitus carnis, & habitus carnis in natiuitatis est veritate. & similitudo carnis peccati, à vitijs humanæ passionis aliena est.* Tandem verò non multo pòst sic concludit: *Quamquam igitur nos ad huius sacramenti intelligentiam Apostolica fides instruat, quæ & habitu vt hominem repertum, & in similitudine carnis peccati, missum hominem Christum Iesum esse testata est: vt cùm habitu vt homo est, sit in forma serui, & non sit in vitijs naturæ: & cùm in similitudine carnis peccati est, sit quidem Verbum caro, sed in similitudine carnis peccati sit, potiùs quam ipse caro peccati sit.* Ha-

D. Thom. ctenus Hilarius. Sanctus verò Thomas ex ipsa potiùs habitus phrasi id sic deducere videtur: *Habitu inuentus vt homo. Quia defectus omnes, & proprietates continentes speciem, præter peccatum, suscepit. Et ideo*, habitu inuentus vt homo, *scilicet, in exteriori conuersatione, quia esuriit, vt homo fatigatus fuit, & huiusmodi. Heb.*4. tentatum per omnia pro similitudine absque peccato. Vnde post varias habitus acceptiones sic habitum Christo accommodat. *Alius qui mutatur, & non mutat, vt vestimentum. Et per hanc similitudinem natura humana in Christo dicitur habitus, quia sic aduenit diuinæ personæ, quod non mutauit ipsam: sed mutata est in melius. quia impleta est gratia, & veritate*, Ioann. 1. Hæc Angelicus Doctor.

2. Bernard. Cui quidem explicandi rationi mirificè hæret, quod Bernard. serm. 28. in Cant. commentatur in sponsæ verba: *Nigra sum, sed formosa, filiæ Ierusalem, sicut tabernacula Cedar, sicut pelles Salomonis*, Cant.

Cant. 1. 4. 1. 4. illa huic Pauli sensui sic aptans. *Agnosco pellem Salomonis, imò ipsum in pelle foris nigra Salomonem amplector; habet & Salomon nigredinem, sed in pelle. Foris niger, in cute niger, non intus, alioquin omnis gloria eius filiæ Regis ab intus, intus diuinitatis candor, decor virtutum, splendor gloriæ, innocentiæ puritas: sed tegit hæc despicabilior infirmitatis color, & quasi absconditus vultus eius, & despectus, dum tentatur* per omnia pro similitudine absque peccato. *Agnosco denigratæ formam naturæ: agnosco tunicas illas pelliceas protoplastorum peccantium habitum; denique semetipsum denigrauit* formam serui accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo. Et statim cum allusione ad factum Iacob, qui hœdinis pellibus ad benedictioné patris obtinendam, collum, manusque protexit, hæc subiicit. *Agnosco sub pelle hœdi (qui peccatum significat) & manum, quæ peccatum non fecit, & collum, per quod mali cogitatio non transiuit, ideoque non est inuentus dolus in ore eius. Noui quod sit lenis natura; mitis, & humilis corde; blandus aspectu, suauis spiritu; & quidem vnctus oleo lætitiæ præ consortibus tuis: vnde ergo nunc instar Esau pilosus, & hispidus? cuiusnam rugosa, & terrea imago hæc, & vnde hi pili? Mei sunt: nam pilosæ manus similitudinem proximè exprimunt peccatoris. Meos agnosco hos pilos, & in pelle mea video Deum Saluatorem meum.* Hæc optimè Bernardus.

3. Sub quo sensu prædixerat sponsa Cant. 5. 5. *Di-*

Cant. 5. 5. *lectus meus candidus, & rubicundus*: etenim per candorem, omnimodam & naturalem puritatem: per rubedinem verò passionem & mortem intellexit; sapienter quidem rubedini candorem, siue morti præponés innocentiã, vt quæ carnem Christi morti obnoxiã enunciabat, priùs ex eius sanctitate admoneret, non carnem peccati, sed in similitudinem carnis peccati esse. Vnde ibi Rupertus sic in-

Rupert. quirit: *Si candidus, cur rubicundus? hoc est, si innocens, cur occisus?* At enimverò similitudo carnis peccati ipsi respondet. Quare Anselmus in hæc Pauli verba Ansel.
sic ait. *Nostra caro, est peccati caro, quia per libidinis vsum generata est; sola autem illius caro, non fuit caro peccati, quia non eum mater concupiscentiæ, sed gratia concepit: tamen similitudo carnis peccati fuit, id est, passibilis, & mortalis, quæ nutriri, esurire, & sitire, & dormire, & fatigari, & mori potuit; mors enim, & infirmitas non est nisi de peccato, & vtique illud mortale erat, & infirmum, vt cæterorum corpora. Caro peccati habet mortem, & peccatum; similitudo autem carnis peccati, habuit mortem sine peccato: si haberet peccatum, caro esset peccati, si mortem non haberet, non esset similitudo carnis peccati, talis venit Saluator.* Hæc Anselmus. Similia habent Ambros. Theodor. Oecumenius ibi, & Basil. epist. 65. August. lib. 14. cont. Faust. cap. 5. Tertull. lib. 5. contra Marcion. & alij Patres. Ambr. Theodor. Oecumen. Basil. August. Tertul.

Parco aliis Pauli hac de re testimoniis, dummodo illud ad Heb. 7. 26. non omittam. *Talis enim nobis decebat vt esset Pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus, excelsior cœlis factus*: vbi eximia Christi sanctitas, atque munditіes omnimodis ab Apostolo asseritur. Nam primùm dicitur *sanctus*, id est, vt explicat Theophylactus, *religiosus, qui nihil eorum, quæ facere debeat, intermittit*: vel, quod mauult Ambrosianus, *qui in omni bonitate præcipuus est*: deinde *innocens*, hoc est, omnis vitiositatis expers, ita tamen (quod ex Græca voce monent nonnulli ex interpretibus) vt non modò significetur nulla in præsentia labe coinquinatus, sed qui nec vllo vnquam fuerit flagitio implicitus. Sed quid ad hæc addant sequentes voces, *impollutus, segregatus à peccatoribus*? Referunt meliores expositores ad singularem Christi innocentiam, qui non modò nullo se piaculo inquinauerit, sed nec inquinare potuerit, cùm eius voluntas, tam ob magnitudinem gratiæ creatæ, aliorumq; supernaturalium donorũ, quàm ob gratiã vnionis adeò esset in bono confirmata, ipsiq; rectitudinis regulæ coniuncta, vt ab ea deflectere nullo modo posset. Bene quidem. Ego verò potiùs crediderim, ad munditiem, siue immunitatem à peccato originali, hæc duo nomina esse accipienda. Nam Græcè pro (*impollutus*) est ἀμίαντος, id est, *incorruptus, immaculatus*, siue etiam, *illæsus, intemeratus, inuiolabilis*. Circa quod vocabulum duo ad hanc rem obserua. Alterum, ἀμίαντος, esse contrarium voci, μίαντος, quæ propriè significat (vt bene malus auctor Henricus Stephanus monet) eum, qui cùm scelere aliquo se contaminarit, atque ita piaculum contraxerit, cæteros veluti contagione quadam eidem obnoxios reddit: vnde fit, vt ἀμίαντος propriè sit, qui nec à se, nec ab alio peccati cõtagione commaculatus est. Alterum, hoc etiam nomẽ esse Amianti lapidis, ad quem omnino videtur allusisse Paulus, qui in ignem coniectus illæsus perpetuò durat. Vnde in vestes etiam, & mappas texitur, quæ igni iniectæ, ardent quidem, sed ad splẽdorem, & lucem, non ad combustionem. Plin.
Ita post Plinium lib. 36. cap. 19. Athanasius lib. de Athan.
Incarnatione Verbi, eiusque corporali ad nos aduẽtu, his verbis. *Quale est, quod de Indico Amianto refertur, quo se ille, qui hoc non credit, circumuestire solet, vt lini eius inustibilis obtentu experiendo cognoscat flammarum in hac parte imbecillitatem*. sic ibi: quæ eodem libro iterum repetit, & nos inferiùs afferemus. Vnde hanc vocem, ἀμίαντος, cum voce ἀμάραντος, optimè coniunxit Petrus epist. 1. cap. 1. 4. 1. Pet. 1. 4.
dum nos à Deo *in hæreditatem incontaminatã, & immarcescibilẽ* vocatos dixit. Est verò Amarãthus eius naturæ flos, qui eousq; nõ marcescat, vt furni etiam calori admotus, non amittat nitorẽ, nec coloris gra-

4. Ad Hebr. 7. 26.

tiam, vt rerum naturalium indagatores tradunt. Aptantur quidem accommodatissimè hæc omnia carni Christi, quæ non aliter, quàm rubus ille, de quo Exod. 3. 2. miro splendore ardens, & lucens minimè comburebatur; sed nec comburi, siue lædi ab humana natura labe peccati infecta vllo modo poterat, quin immunis, & illæsa euaderet. Deinde non secus, ac Amaranthi flos, furno licèt humanæ conditionis admota perpetuum retinuit virorem; vt hoc sensu dictum videatur à Salomone Sap. 6. 13. *Clara est, & quæ numquam marcescit sapientia.* Quod huic proposito facilè aptes. Nec aliò it vox, *segregatus* à peccatoribus, quam ex Græco propriè legas, *disiunctus, nec vllam cognationem habens*: vnde non tam ad mores, & vitam, quàm ad originariam labem, qua ex humana natura contaminatus fuerit, adspexit Paulus, nec abs re reddit Vulgatus, *segregatus*; quasi à grege peccatorum separatus aliam ipse generationis originem haberet. Id quod in hac voce sic monuit Primasius. *Idem ab omni peccato immunis, & à conuersatione peccatorum separatus: in hoc enim fuit separatus, quia alij homines cum peccato concipiuntur, & nascuntur, atque ab hoc sæculo cum peccato transeunt, hic autem sine peccato est conceptus, & sine peccato est natus.* Sic Primasius. Quod verò subdit Paulus, *& excelsior cœlis factus*, non perinde est accipiendum, quasi de Christi super omnes cœlos ascensione, sed de hac excellentissima Christi puritate, quæ supernorum spirituum candorem longè antecedit, vt scitè interpretatur Iustinianus, sermo sit. Quare ea inest energia iis verbis, ac si dicatur, ipsomet Conceptionis Christi initio, non modò cœli verticem ipsum attigisse, sed excelsiorem cœlestium mentium sanctitatem infinito spatio superasse.

Exod. 3. 2. — *Sap. 6. 13.* — *Primasius.* — *Iustinian.*

5. Hæc de eximia Christi puritate dicta sint: sed vt ad id quod proposuimus deueniamus, & Sanctissimæ Virgini, indulgentissimæ (ausim dicere) matri, cuique secundum Christum plurimum humana mortalitas debet, aliquale exhibeamus obsequium, eius puritatem cum hac omnimoda Christi munditie eam cognationem habere credimus, vt ab omni peccati labe, non actuali solùm, sed etiam originali fuerit prorsus immunis. Nam quidni, quisquis Deiparæ seruum se esse profitetur, præclara hæc de ipsa Ildefonsi verba lib. 1. de Virginit. Beat. Mar. cap. 1. sibi vsurpet? *Beata fidei nostræ: beata tu animæ nostræ: beata dilectioni nostræ, beata præconijs, & prædicationibus meis: prædicem te, donec prædicanda es; diligam te, donec diligenda es; laudem te, donec laudabilis es; seruiam tibi, donec seruiendum est gloriæ tuæ.* Et verò ni originale à Virgine contagium remoueamus, nec prædicare ipsam, donec prædicanda; nec laudare, donec laudanda; nec diligere, donec diligenda; nec ipsius gloriæ inseruire, donec ei inseruiendum est, possumus: quippe hinc maximè splendet, & celebratur. Ergo vt supradictis de Christi sanctitate hæream, pientissimam hanc, imò & sapientissimam opinionem ex præfatis Pauli verbis confirmare placet: nec ea solùm ratione quam ad id loci insinuat Iustinianus, vt quemadmodum, quod Christus non peccauit in vita, certa augmentatione conuincit Augustinus libro 5. contra Iulianum cap. 14. ipsum non contraxisse peccatum originis; ita eadem ducti ratione credamus, ab hac labe originali Deiparam immunem fuisse, quam nullum perpetrasse peccatum plusquàm certum est: sed vlteriùs ex ipsamet Christi munditie, quam ibi tot nominibus commendat Apostolus, præsertim dum ipsum Pontificem, impollutum, & à peccatoribus segregatum asserit; hæc enim (si rem perpendis) eximiæ etiam Dei genitricis puritati communia sunt. Cauebatur siquidem Leuitico canone, ne Sacerdos summus, siue super patre, siue super matre contaminaretur, Leuitici 21. 11. Sed, vt Radulphus ibi, Eusebius Emiss. homil. in Dom. Passion. & Bernardus serm. 1. de Circumcis. obseruant, hæc in figura contingebant ei, cùm eius vmbra hoc solaribus radiis purius, ac splendidius corpus, cui nulla vndequaque via, aut ratione labes adhæreret, omnino respiceret. Quare is illius præcepti sensus siue nucleus esse videtur, vt Christus Dominus ab ea matre ortum duceret, quæ ab originaria macula esset immunis, ne filij caro, quæ eadem cum matris carne esse censetur, (vt August. serm. 4. de Assumpt. Petr. Dam. serm. 2. de Natiuit. Arnold. Carnot. lib. de laud. Virgin. loquuntur) super matre labe aliqua aliquando infecta contaminaretur. Nec aliam quidem vim inesse crediderim illi phrasi, *segregatus à peccatoribus*, quam Paulus vsurpauit: perinde enim dictum id videtur, ac si nullam Christus cognationem cum re peccati labe quouismodo commaculata habuerit; ac proinde tam ipsum, quàm matrem, ad alium veluti hominum gregem, in quem peccatum nullum vnquam ius haberet, pertinere. Adhæc, præfati Leuitici canonis do tibi interpretem Platonem, qui vt Ethnicus fuerit, at nostris literis fuisse aliquando imbutum ex antiquis Patribus nouimus. Porrò is lib. 6. de legibus, non nisi eum in Sacerdotem assumendum præscribebat, *qui integer sit, ac legitimus, deinde à domo quàm maximè munda, expers quoque cædis, omniumque huiusmodi, quæ aduersus diuinam rem committuntur, & cuius pater, & mater similiter vixerint.* Hæc Ethnicus homo ad idolorum sacrificia peragenda in Sacerdote requirebat; nec ipsius puritate contentus, à domo quàm maximè munda, atque ab iis parentibus, qui omnium quæ aduersus diuinam rem committuntur, omnino expertes forent, prodire volebat: & nos in eo Sacerdote, qui magnorum potior, & maiorum summus, & summorum maximus, & maximorum Princeps, quique sui ipsius pro totius mundi salute mundissimum sacrificium erat oblaturus, hanc legem, vt à matre quàm maximè munda ortum duceret, locum potissimù habere debere non credemus? Equidem hac ratione de Sacerdote Melchisedech typum Christi gerente, dixit Paulus ad Hebræos 7. 3. *sine patre, sine matre, sine genealogia, neque initium dierum, neque finem vitæ habens, assimilatus autem Filio Dei.* Vbi si inquiras cur Melchisedech, dum sine patre, & sine matre esse dicitur, cum Dei Filio notissimam, atque inter omnes creaturas conspicuam, atque illustrissimam matrem habente, componatur. Respondebo, ipsam quidem veram, & naturalem eius matrem extitisse; at, cùm quoad originariam labem veluti alterius naturæ, cœlestisque carnis esse videretur, proinde elegantissimè à Paulo dici, Christum certa quadam ratione velut sine matre esse, cùm huius Conceptio cœlestis potiùs, quàm terrena esset; id signatissimè ad verba epistolæ ad Hebræos sic docente Theophyl. *sine patre, sine matre, sine genealogia, neque initium dierum, neque finem vitæ habens assimilatus autem Filio Dei*; hæc de Christo inquit. *A Virgine autem Maria, & sola secundum carnem est natus, & matre quidem secundum supernum illum, & cœlestem ortum.* Sic ille: quasi diceret, ad eum modum quo Melchisedech ingentem est assecutus laudem, dum nihil dedecoris à parentibus traxit, vsque adeò, vt videretur absque illis fuisse, tamquam è cœlo

Ildefons. — *Iustinian.* — *August.* — *Leu. 21. 11.* — *Radulph.* — *Eus. Emiss.* — *Bernard.* — *August.* — *Pet. Dam.* — *Arnold. Carnot.* — *Ad Hebr. 7. 3.* — *Theoph.*

è cœlo delapsus, atque ita Christo similis; sic verus Sacerdos noster Melchisedech absque patre, & sine matre, & sine genealogia extitit, dum solam Virginem secundum carnem habuit matrem, atque eam matrem, quæ non ad leges vitiatæ naturæ, sed secundum supernum illum, & cœlestem ordinem esset.

6. Sed id tibi ex ipsomet generationis Iesu Christi apud Matth. libro placet confirmare: videas enim ipsum consultò in tota generationis eius serie non dixisse, Abraham, aut Dauid generauit, sed genuit, notanter id verbum vsurpando, quo diuinam Christi generationem ipsemet Pater æternus apud Dauidem Psalmo 2.7. expressit, sic id notante Paschasio libro 1. in Matthæum. *Et notandum, quod Matthaeus, genuit, non generauit, dixerit, fortasse, vt eum recognosceres in finem ostensum, de quo Pater dixit* (Psalm. 2.7.) *Filius meus es tu, ego hodie genui te. Hoc itaque quasi proprium illi verbum, & familiarissimum ponitur.* Sanè vt humana Christi generatio diuinam sapiat, eiusdemque modi, ac rationis quoad puritatem, & munditiam sit. Qua de re ipsemet Dei Filius mundum ingrediens, purissimumque sibi præparatum corpus recognoscens, sic cum summo Patente locutus dicitur ad Hebræos 10.n.5. *Corpus autem aptasti mihi*: vbi maximè notandum est verbum, κατηρτίσω, pro quo noster reposuit *aptare*; etenim propriè significat, rem rei, totam toti, & singulas singulis partes concinnè aptare. Sed modò pende illud, *mihi*: quasi dixerit Dei Filius, aptissimũ sibi quà Deus erat, è purissimis Virginis visceribus præparatum fuisse corpus, quodque diuinæ personæ singulari quadam concinnitate coaptaretur. Sed quanam ratione? Hac quidem inter alias, quod ab ea matre Christi corpus, quæ æternum Patrem peculiari modo referret, fuisset progenitum. Quod si Deum Patrem Filium suum vnigenitum gignentem attenderis, occurret Iacobus cap. 1.17. de Patre luminum inquiens; *apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio*: vbi pro, *vicissitudinis*, August. lib. 11. de ciuit. cap. 21. legit, *momenti*, ac si dicat, Dei Filium à Patre gigni lumen de lumine, cui nihil tenebrarum, aut maculatæ originis adspergi queat, nec punctum aliquod, siue processionis modus, aut via excogitari, in qua illi totius luminis fons, siue ipsamet diuini Solis lancea non occurrat. Vnde de diuina Sapientia Salomon Sap. 7. 25. *Vapor est enim virtutis Dei, & emanatio quædam est claritatis omnipotentis Dei syncera, & ideo nihil inquinatum in eam incurrit.* Quod ab eo parente gignatur, qui ita omnimoda, & æterna lux, & luminum parens sit, vt nulla in ipso momenti obumbratio vnquam fuerit, esseve potuerit. Ergo inquit Dei Filius; *Corpus autem aptasti mihi*, vt videlicet, quò vndique diuinæ generationi responderet, adeò eximiæ puritatis, & à quauis peccati contagione expers esset, vt ab ea matre gigneretur, in qua nec momẽti obumbratio vnquam fuerit, quin semper luce perfusa, semper pura, atque immaculata extiterit. Nec aliud quidem esse dixeris corpus Dei Filio omnimodo, atque ratione concinnè aptatum. Cui cogitationi mirificè fauet Anselmi sensus de Concept. Virg. cap. 18. probatus S. Thomæ in 1. dist. 44. quæst. vnic. ar. 3. ad 3. signatè dicentis, ea omnino de causa, quod Dei Filius è Patris corde fuerit progenitus, ab ea matre carnem suscipere debuisse, quæ eam haberet puritatem, qua nulla maior sub Deo posset excogitari. Audi: *Decens erat, vt ea puritate, qua maior sub Deo nequit intelligi, Virgo illa niteret, cui Deus Pater vnicum Filium suum, quem de corde suo æqualem sibi genitum, tanquam seipsum diligebat, ita dare disponebat.* Hæc Anselmus. Vbi summam Virginis puritatem, hoc est, ab omni actuali, & originali peccato munditiam, (vt indidem interpretatur D. Thomas) inde adstruit, quod in suis esset visceribus Dei Filium susceptura, quem de corde suo sibi æqualem Pater genuisset. Sanè, vt Dei Filio id corpus aptaretur, quod suo modo paternam originem, & emanationem exprimeret, & vt in Patre nulla est vicissitudinis, seu momẽti obumbratio; ita nec in matre vllum vnquam tenebrarum momentum inueniretur. Porrò Hippolytus Martyr in oratione in illud, *Dominus pascit me*, apud Theodoretum Dialogo 1. Christi puritatem, & impeccabilitatem inde inter alia colligit, quod veluti mystica illa arca ex imputribilibus lignis erat efformata, ita ipse ex carne Beatissimæ Virginis, quæ nulli vnquam peccato foret obnoxia, carnem assumpsisset. Audi: *Porrò autem arca ex lignis, quæ putrescere non poterant, erat ipse Seruator: eius enim tabernaculum nulli putredini obnoxium, & ab interitu alienum ideo prædicabatur, quod nullam peccati putredinem produxisset. Qui enim peccauit, & confitetur, & dicit*: Putruerunt, & corruptæ sunt cicatrices meæ, à facie insipientiæ meæ; *Dominus autem erat à peccato alienus, vt qui ex lignis putrefactioni minimè obnoxijs, quod ad humanitatem attinet, nempe ex Virginis, & Spiritus Dei verbo veluti auro purissimo intra, & extra esset contextus.* Expende illa, *vt qui ex lignis putrefactioni minimè obnoxijs, quod ad humanitatem attinet*, &c. Virginis carnem ad Christi generationẽ æquè cum diuino Spiritu componens, vt ipse à peccato omnino liber esset, tamquam è lignis, quæ putrefactioni minimè fuissent obnoxia, fuisset productus. Considera igitur diuini Spiritus puritatem: quære vllam fortè in illo maculam; vide an vnquam putrefactioni fuerit obnoxius, aut apud ipsum fuerit aliquando transmutatio, siue vicissitudinis obumbratio, & inde Deiparæ puritatem conijce, vt Dei Filio corpus aptes; & vide ne tibi obiiciam, quod iis, qui carnis resurrectionem denegabant, quasi immunda à primordio, & ex fæcibus terræ fuisset, sic respondebat Tertul. lib. de Resurrect. carn. c. 6. *Non es diligentior Deo, vti tu quidem Scythicas, & Indicas gemmas, & rubentis maris grana candentia, non plumbo, non ære, non ferro, ne argento quoque oblaqueas, sed electissimo, & insuper operosissimo describes auro, vnguentis pretiosissimis quibusque vasculorum prius congruentiam cures, proinde perspecta ferruginis gladijs vaginarum adæques dignitatem: Deus vero animæ suæ vmbram, spiritus sui auram, oris sui operam vilissimo alicui commiserit capulo, & indignè collocando vtique damnauerit.* Alia quidem ipsi, & Dei, & Virginis Filio mens, qui futuram genitricem multo antè ad vitam sic aduocabat Cant. 2. 10. *Surge, propera amica mea, formosa mea, & veni.* Sanè quod eius caro, quam mundissimam omni ex parte præuidebat, ad assumendam sibi carnem stimulus, & inuitamentũ foret: ita ibi Rupert. *Sic accipite tamquam verba desiderantis, tamquam festinantis, & operantis iam adesse materiam tantæ salutis, scilicet, Virginem, cuius caro illi materia foret assumendæ carnis: tamquam præsenti loquebatur, illamque iubebat surgere, & properare, id est, nasci, & hospitium citò præparare.* Hæc ille. *Cuius caro* (inquit) *illi materia foret*: vt videlicet illius incontaminatissimæ puritatis illecebra Dei Filium, munditiei eximiũ amatorem, ad carnem ex ea suscipiẽdam traheret. Quibus opportunè applaudit Athanasius apud Leonem Castriũ in cap. 43. Isaiæ, Deiparam eum lapide Amianto, cuius paulò antè meminimus,

Psal. 2.7. Paschas.

Ad Hebr. 10.5.

Iacob. 1.17.

August.

Sap. 7.25.

Ansel.

Hippol.

Tertul.

Cant. 2. 10.

Athan. Leo Castr.

Vela 79. in Epist. ad Philippens.

nimus, ita componens: *Sicut ex Amianto lapide telæ fiunt igni inuiolabiles, ita Beata Virgo Agnum peperit, cuius glorioso vellere facta est nobis vestis immortalitatis.* Vbi vides gloriosum cœlestis Agni vellus signatè ex hoc diuino Amianto eductū, quod igni illæsus, & intemeratus, vt superiùs vidimus, fit. Sed promissum indidem Athanasij de Amianti natura locum iam accipe ex libro de Incarnatione Verbi. *Quemadmodum stipula, quæ naturaliter ab igne consumitur, si ab ea ignem depellas, non comburitur quidem, sed tamen, vt stipula fuit, ita stipula permanet obnoxia igni, ignisque comburendi vim malè sibi metuit, ac suspectam habet, natura enim eius appetens est ignis. Hic si quis stipulam copioso Amianto vestiat, cuius natura dicitur igni resistere, nihil iam deinde ignem metuet, vtpote munita re, quæ comburi nequeat.* Hæc ille, quæ nostro instituto sic apto, vt humana natura non secus, ac stipula ignis peccati appetens sit, quippe quæ fomitem, ac incentiuum eius secum habet; id quod à vitiata illi origine aduenIat: sed in Virgine locum non habuisset, ipsa enim veluti Amiantus humanam imbecillitatem adeò munitam, & potentem aduersus ignem reddidit, vt illæsa semper, & intemerata à primo Conceptionis instanti permanserit. Taceo alia de huius lapidis natura à Plinio citato loco tradita, quæ vt huic proposito reapse valde opportuna essent, importunis tamen vocibus, ac modo dicendi necesse est, vt dicantur. Non tamen reticebo, quod ex bonis auctoribus tradit Lorinus in 1. Petr. epist. cap. 1. vers. 4. nimirum veteres illos Brachmanes ex Amianto vestes suas conficere solitos, vt diuinitatis de se specimen ederent. Quasi Amiantus res esset quodammodo diuina, & omnino apta, vt ex ea Dei Filius eam humanitatis vestem, quæ diuinum candorem, & puritatem præseferret, conficeret.

Plinius.

Lorin.

7. Sed vt humanum corpus Dei Filio vndique concinnè aptatum rursus videas, quid ipsi Regius Vates, vt humanam carnem susciptat, iterum, atque iterum enunciet, audi: sic enim primùm Psal. 131. 8. *Surge Domine in requiem tuam, tu & arca sanctificationis tuæ*; sic deinde Psalm. 44. 5. *Specie tua, & pulchritudine tua intende, prosperè procede, & regna.* Quibus in locis minimè est dubium, de aduentu Filij Dei in mundum sermonem esse. Quare priora verba sic explicat Gregor. Thaumaturgus orat. in Annunciat. B. Mariæ: *Adeste igitur vos quoque charissimi, & dulcia verba illa ex spirituali Dauid cithara nobis repræsentata decantemus dicentes*: Surge Domine in requiem tuam, tu & arca sanctificationis tuæ. *Verè enim arca est Sanctissima Virgo, intrinsecus & extrinsecus deaurata, quæ vniuersum sanctificationis thesaurum suscepit*: Surge Domine in requiem tuam: *Surge Domine ex sinu Patris, vt collapsum primi parentis genus erigas.* Posteriora verò sic transfert Hieronymus, *prosperè ascende*, in commentario autem sic explicat, *è cœlo veni*. Iam si primùm ambigas, cur Dei Filius à Regio Vate ad descensum in terras, humanamque carnem suscipiendam, tamquam ad prosperam, & fortunatissimam rem inuitetur, cùm è cœlo procedēti nihil felicius, aut fortunatius euenire, nec pulchrius, ornatiusve domicilium occurrere posse videatur. Deinde, cur è sinu Patris aduenturus Dei Filius, non tam descendere, quàm surgere dicatur. *Surge*, inquit Gregorius, *ex sinu Patris*. Respondebo, eam virginalis Mariæ vteri Dei Filium è cœlo progressum suscipientis, puritatem, atque munditiem fuisse; talemque ac tantam Deiparæ dignitatem extitisse, vt Filij Dei ad ipsam ad-

Psal. 131. 8.
Psal. 44. 5.
Greg. Thaum.

Hieron.

uentus non potuerit, nisi sub magnæ prosperitatis vocabulo significari. Sanè ipsius habitaculum cœlis omnibus erat candidius, elegantius, sydereisque radiis multo magis splendidum, cuique nulla vnquam originariæ labis peregrina impressio obtigisset. Qua quidem de causa non fuit contentus Psaltes si venturo Dei Filio diceret, *Prosperè procede*, nisi etiam adderet: *Surge Domine ex sinu Patris*; quod nihil fuerit in Virgine, ob quod Dei Filius ex sinu Patris adueniens cadere, siue descendere dici posset: adeò perpetua ei puritas, & quasi natiuus candor semper fuit; adeò pulchrum, splendidum, & gratia plenum ipsius tabernaculum numquam non extitit, vt cum sinu ipso Patris vel hac ratione componi potuerit, quod vtrobique nulla fuerit transmutatio, nec momenti obumbratio. *Decebat enim* (vt dicebat Anselmus) *vt ea puritate, qua maior sub Deo nequit intelligi, Virgo illa niteret, cui Deus Pater vnicum Filium suum, quem de corde suo æqualem sibi genitum tamquam se ipsum diligebat, ita dare disponebat.* Vt videlicet Virginis sinus ad vnigenitum Patris suscipiendum, Dei sinum æmularetur. Vnde opportunissimè Gregorius Magnus lib. 1. in c. 1. Regum, illa verba Isai. 2. 2. *Et erit in nouissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium*, de Virgine sic explicat. *An non mons sublimis Maria, quæ vt conceptionem Verbi æterni pertingeret, meritorum verticem supra omnes Angelorum choros vsque ad solium Deitatis erexit?* Preme hæc, *vsque ad solium Deitatis*: ne videlicet inde progrediens Dei Filius cadere, siue deiici, sed à sinu in sinum, à Patre in matrem, à puritate in puritatem transire, siue surgere diceretur. Certè si Maria peccato fuisset aliquando obnoxia, nec humanum corpus Dei Filio concinnè coaptatum, nec ipsum cùm ex sinu Patris aduenit, surrexisse: sed quodammodo decidisse, dum ad locum aliquādo inquinatum peruenerit, non nemo nec abs re diceret. Quo in loco placet aduocare Venerab. Henricum de Hassia Carthusiensem, de Virginis formatione, hoc est, de ipsius Cōceptione hæc opportunè dicentem. *Quoniam omnium artifex Deus ad ipsius formationem in vtero supernaturaliter concurrens, Filio suo dignum habitaculum fabricaturus, eam intrinsecus omnium gratificantium charismatum, & dignificantium habituum plenitudine adornauit, vt etiam in exteriori eius effigie diuina gratia tam copiosè efficaciterque luceret.* Hæc Henricus, apud quem pende illud, *Filio suo dignum habitaculum fabricaturus*: ac si diceret, ideo omnium charismatū plenitudine intrinsecus adornauit, vt Filio, quem ex sinu suo mittebat, dignū habitaculum, siue aptum corpus præpararetur. Sed inibi deinde considera, tam solicitum sui operis artificem Deum extitisse, vt nec externam Virginis faciem prætermiserit, quin diuina etiam gratia perfusa, multò magis, quàm fulgentes Solis radij collucerct. Sed heus! eum, qui externam cutem adeò curauit, internum candorem, ac puritatem, quæ infinito spatio externæ pulchritudini excellit, despexisse, & omisisse putabimus? scilicet Deus eodem modo se gereret, quo vulgares homines, quos irridet Bernard. quod magnam de minimis, & minimam de magnis rebus curam habeant.

Anselm.

Greg. Mag.

Henric. de Hassia.

Sed & huc etiam videtur adspexisse Salomon, cùm dixit Sapient. 1. 4. *In maleuolam animam non intrabit Sapientia, neque habitabit in corpore subdito peccatis*: nam, vt omittam communem huius loci sensum, quem è re nostra esse non dubium, obsecua, in hanc singillatim sententiam dictum videri, diuinā Sapientiā non esse inhabitaturā in corpore, 8.
quod

Sap. 1. 4.

quod peccato subditum fuerit. Nam aliàs quæ diuinæ Sapientiæ cum corpore oppositio, cùm ipsa non nisi in anima inhabitare dicatur? Certè Græcè pro, *subdito*, est κατάχρεῳ, *presso ære alieno*, siue, *obærato*; & pro, *peccatis*, legitur in singulari, *peccato*. Vnde
Iansen. Iansenius ibi de reliquiis peccati originalis accipit, vt iure coniectare possimus, loqui Salomonem de corpore Virginis, quod nec peccato, nec eius reliquiis tamquam ære alieno pressum, ac obæratum vnquam fuerit, quod diuinam Sapientiam non vt vnius diei hospitem, sed vt longi temporis domiciliarium, & inquilinum esset suscepturum; & verò quàm libenter, quamque, vt sic dixerim, naturaliter inibi quasi in proprio centro Dei Filius permanserit, hanc Mariæ puritatem satis confirmat. Sic enim ipse Psalm. 21. 9.
Psal. 21. 9. Dauidis voce ex materno vtero progrediens summum Parentem alloquebatur: *Quoniam tu es qui extraxisti me de ventre: spes mea ab vberibus matris meæ; in te proiectus sum ex vtero: de ventre matris meæ, Deus meus es tu, ne discesseris à me.* Pende singula. Certè eò omnia ire videntur, vt dum Christus ab eius hostibus tamquam Deo minimè gratus derideretur illis verbis, quæ in Vate immediatè præcesserant: *Sperauit in Domino, eripiat eum, saluum faciat eum, quoniam vult eum*; ipse Patri aperiat, totam in ipsum spem firmissimis rationibus collocatam se habere: quarum illa maximi facienda fuerit, quod ab eo ad sui obsequij negotia peragenda è matris vtero gratissimo sibi non tam hospitio, quàm proprio domicilio extractus, & velut à naturali sede auulsus fuerit: sanè quasi inde eum summo Parente optimo iure Christus agat, vt quando eius causa suas ipse materni vteri ob eximiam illius puritatem delicias, & amores dereliquerit, imò verò quasi ab illis extractus, & auulsus fuerit, egregium hoc Deo exhibitum obsequium peculiaribus ipse prouidentiæ suæ documentis, ac totius diuinitatis protectione compenset. Sed singillatim preme verbum, *extraxisti*, quod Tertullianus lib. de carne
Tertul. Christi, c. 20. dum vertit, *auulsisti*, sic vrget: *Auulsisti, inquit, ex vtero. Quid auellitur, nisi quod inhæret, quod infixum innexum est ei, à quo vt auferatur, auellitur?* Et post pauca: *etiam cùm quid extraneum extraneo agglutinatur, ita concarnatur, & conuisceratur cum eo, cui agglutinatur, vt cùm auellitur, rapiat secum aliquid ex corpore, cui auellitur.* Iam ad sensum. Extractus quidem, & auulsus à ventre matris Christus dicitur, quasi ipsi per amorem, & habitaculi voluptatem, & delectationem inhærens, & infixus, ac veluti in proprio ac optatissimo centro libentissimè conquiescens. Vnde non modò incarnatus in ventre matris, sed concarnatus, & conuisceratus cum ipsa, vt vnam vtrique substantiam, vnam carnem fuisse dixeris. Ergo Dei Filio nihil ventre matris delectabilius, iucundius nihil, &, vt sic dixerim, nihil tam connaturale: nulla ergo in ipsa aliquando macula, nulla labes, aut sordes: etenim vel horũ vestigium cũ naturali Dei Filij habitaculo non
Ambros. bene se gereret. Vnde Ambrosius lib. 2. de Virgin. *Quid nobilius Dei matre? Quid splendidius ea quam splendor elegit?* Bene, *quid nobilius*? Nam in humanis nulla tam excellens nobilitas, siue tam integra atque excellens, vt inquit M. Tull. quæ nullam vnquam labem maculamve contraxerit: at Virgo supra humanas res est, ideo nihil ipsa nobilius excogitari valet. Quare subdit, *quid splendidius*, &c. Ac si dicat: nihil quidem illustrius, ornatius nihil esse potuit ea, quam splendor Patris, ne ab altissima, & purissima diuini generis claritate degeneraret, sibi elegit.

Vellaz q. in Epist. ad Philippens.

9\. Natat quidem in ore omnium, cùm de immaculata Deiparæ Conceptione agitur, celebratissima illa visio mulieris Sole amictæ, apud Ioann. Apoc. Apoc. 12. 1.
12. 1. Sed tu ex dictis in hoc cap. ad vers. 5 annot. 1. n. 9. circa Pauli verba 1. ad Corinth. 15. 49. *sicut* 1. ad Cor. 15. 49.
portauimus imaginem terreni, &c. peculiare aliquid meditare; videlicet proprium omnium nostri id esse, vt non priùs Christum induamus, eiusque imaginem in habitu nostro gestemus, quàm infelicem fœdamque protoplasti effigiem, audacem ad vetitam arborem manum extendentis portauerimus; hac enim in primo nostri ad vitam ingressu induimur: at eximio hoc Mariam priuilegio gaudere, vt cùm primùm apparet, & ad vitam ingreditur, Sole amicta, hoc est, cœlestis imaginem portans dicatur. Porrò de nobis omnibus contentus erat Paulus, vt sicut portauimus imaginem terreni, gestare etiam cœlestis imaginem concupisceremus. Sed alia Mariæ conditio, alia ipsius sanctitatis lex est; nec enim antea apparet, quàm Sole amicta, hoc est, cœlestis Adæ imagine ornata conspiciatur. Firmat hoc ipsemet liber generationis Iesu Christi: nam si aduertis, à Christi generatione, & progenitorum ipsius serie, primogenitus Patriarchæ Iudæ, Genes. Genes. 38. 7.
38. 7. Her nomine, omnino est exclusus, quin aliqua ipsius mentio facta fuerit, atq; in ipsius locum Phares, peccatricis Thamar filius, ab Euangelista subrogatus. Sed quare? Num quod Her filij non fuerint? Non opinor; nec enim Zaram ratione filiorum ad Christi genealogiam pertinuit, & tamen ipsius singillatim meminit Matthæus. Cur ergo? Sanè, quod Her interpretetur *pelliceus*: ac proinde primi parentis non innocentis, & recti, sed pœnalibus post peccatum pellibus contecti, typus fuerit, vt ad verba Matthæi c. 1. 3. *Iudas autem genuit Pha-* Matth 1. 3.
res, & Zaram; sic obseruat Pasch. lib. 1. in Matt. *Her* Paschas.
pelliceus appellatur, qualibus induti sunt tunicis primi homines, ob pœnã damnationis suæ dimissi ex Paradiso. Adeò ergo huic libro generationis Christi, hoc est, Beatissimæ Virgini, vel ipsa peccati originalis vmbra, & nomen obstrepit, vt quod Her nomine suo illud repræsentet, ab hac fuerit serie deturbandus.

10\. Huc verò signatissimè facit, Christi carnem à Patribus eiusdem conditionis, atque naturæ, quoad munditiem, & puritatem, cum primæua Adæ carne ante transgressionem asseri; tum etiam Christi, & Mariæ carnem adeò vnam, eandemque esse, vt non minus ex Christo Maria, quàm ex Maria Christus formatus videatur. Et verò Christi carnem iuxta primordialem Adæ carnem factam fuisse, multis confirmat Athanas. in lib. de Incarnat. Christi: dum enim hæreticorum insaniam confutat, qui Christi corpus non terrenæ, sed cœlestis substantiæ fuisse contendebant, necessaria argumentatione concludit, opportuniùs à Christo humanam carnem susceptam, quæ licèt vna ex parte in similitudinem peccati esset; at ex alia iuxta primææ creationis naturã instauraretur, vt vel hinc manifestum fieret, primum Adæ artificem in illius formatione extra culpam fuisse; ipsum verò primum parentem, quam à Deo mundam acceperat carnem, propria culpa, delicti capacem præuaricando reddidisse. Sed audi Athanasium. *Adæ lapsum incomparabili resurre-* Athan.
ctione Christus pensauit, in similitudine carnis peccati visus, & condemnans peccatum in carne, vt & carne in terra versaretur, & incapacem peccati ostenderet carnem, quam cùm ex prima plasmatione ipse Adam habebat sine peccato, præuaricando capacem delicti fecit, & in corruptionem, mortemque delapsus est; hanc suæ naturæ restituit Christus, & proinde impeccabilem reddidit, vt declararet opificem extra

culpam fuisse, & secundum primordialem creationem eam instaurauit, vt ipse esset impeccabilitatis specimen. En Christi carnem, secundum primordialem creationem, & puritatem formatam, & pristinæ innocentiæ restitutam; talem iam Mariæ carnem coniice. Nam præterquàm quod *vna est Mariæ, ac Christo caro* (inquit Arnoldus Carnotens. suprà citatus) *vnus spiritus, vna charitas, vnitas diuisionem non recipit, nec secatur in partes, & licèt ex duobus factum sit vnum; illud tamen vltrà scindi non potest, atque adeò Filij gloriam cum matre non tam communem iudico, quàm eamdem.* Cùm Adamus Christi, Eua verò Mariæ typus fuerit, ex Christi carne, hoc est, ad eius similitudinem Mariam eductam fuisse, quis ambigat? Equidem Gregor. Nazianz. in Apologetico Christum cum Adamo, Deiparam cum Eua, præsepium cum Paradiso, sic componit, vt affirmet, eo modo noua veteribus fuisse substituta, vt *pro vna quaque rerum nostrarum, vnaquæque res eius, qui nobis sublimior est, fuerit repensa.* Subdit: *Idcirco generatio, & Virgo, idcirco præsepium, & Bethleem: generatio propter effictionem, Virgo propter mulierem, Bethleem propter Eden, præsepium propter Paradisum, res parua, & conspicuæ propter magnas, & ab oculis remotas.* Ac si dixerit, sic vetera instaurata, & ad pristinum statum restituta, vt excellentior Adam, sublimior, & candidior Eua, pulchrior, & amœnior Paradisus succederent; ac proinde eadem ad minus puritate ac Euam ante peccatum, Deiparam conspicuam extitisse. Quibus illud opportunè concinit, quod S. Cyrillus Alexandrinus in cap. Ioël. vers. 35. notantissimè affirmat, illa Adami verba de Eua à se recenter educta: *Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea, hæc vocabitur virago, quia de viro sumpta est*, Genes. 2. 23. prophetico ab ipso spiritu sub Christi persona, quippe qui ante peccatum peculiari prophetandi munere præditus esset, dicta fuisse: *Non enim* (inquit ille) *spiritualis gratia Prophetiæ carebat Adam, priusquàm diuinum mandatum transgrederetur, sed fixus quasi, ac stabilis adhuc manebat, & natura bonis præstans, & insignis: itaque cum vxorem à se fabricatam ad se adduceret Deus, tametsi non audisset, vnde, aut quanam esset, aut qua ratione extitisset, statim acclamauit:* Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea. Vides ita Christi carnè à Mariæ carne eductam, vt priùs Mariæ caro, secundum primordialem creationem formata, è Christo fuerit educta; dum videlicet ad ipsius similitudinem cœlestis Adæ imaginem portans amicta Sole apparuit?

Arn. Car.

Nazianz.

Cyr. Alex.

Genes. 2. 23.

11. His bene aptes celebratissima illa Salomonis de diuina Sapientia verba, Sapient. 7. 25. *Vapor est enim virtutis Dei, & emanatio quædam est claritatis omnipotentis Dei syncera, & ideo nihil inquinatum in eam incurrit.* Nam cùm hæc de Christo Domino à Conciliis, & Patribus, vt ibi copiosiùs tracto, accipiantur; atque vna & eadem Christi, & Mariæ caro; vna & eadem gloria sit; meritò etiam has laudes vtrique fore communes, nemo poterit inficiari: præsertim cùm ex Patrum consensione, Catholicæ Ecclesiæ auctoritate firmata, quæ de diuina Sapientia in vniuersum dicuntur, eadem Deiparæ optimo iure, in bono, & accommodato sensu attribuantur, vt egregiè aduersus Lutherum contendit noster Salazarius in cap. 8. Prou. n. 9. & 10. Explico iam Salomonis verba, nonnulla ex meis commentariis in eum locum decerpens; & primùm illa, *ideo nihil inquinatum in eam incurrit*: vbi omnis à diuina hac Eua macula remouetur eleganti verbo, *incurrit*, Græcè, παρεμπίπτει, quod propriè vertas, *intercidit, interlabitur, interrepit*, quasi dissonũ rei: propriissimè verò è re medica illud esse inuenies, ideóq; Medicis intercidens pulsus qui est inæqualis, systematicus, in quo spectata quiete, in medio tamquam superuacuus aliquis pulsus sentitur, παρεμπίπτων σφυγμὸς dicitur; ita Galenus in definitionibus medicis, quæ habentur in Isagoge, folio 46. hoc verbo Græcè vsus, inquit, *intercidens pulsus est, quando inter duos ictus, qui ordine proprio inferuntur, tertius alius ictus intercurrit.* Ergo nihil inquinatum in Virginem incurrere, propriè est, omnia in illa adeò cādida, & pura esse, vt nihil sit, quod huic candori, ac puritati dissonum fuerit, eo modo, quo in pulsu intercidenti inter ictus, qui ordine proprio inferuntur, tertius ille superuacuus, ac dissonus, cui optima ratione figuram peccati originalis tribuas, quod ex Dionysio Areopagita sic definit Turrianus in epist. de peccat. origin. vt sit *habitus dissimilitudinis Dei*, intercurrit. Sed quare? Reddit rationem, imò repetit Sapiens: *Vapor est enim virtutis Dei, & emanatio quædam est claritatis Dei syncera*; ac si iuxta pulsus imaginem dixerit: nec mirandum omnimodam hunc pulsum æqualitatem retinere, qui à corde summè sano, & bene valente, à virtute, scilicet, & claritate Dei, qui vnigenitus Patris est, immediatè puréque dimanat. Quò rursus aduoco superiùs citata Anselmi verba, à S. Thoma pro immaculata Virginis Conceptione adducta: *Decens erat, vt ea puritate, qua maior sub Deo nequit intelligi, Virgo illa niteret, cui Deus Pater vnicũ Filium suum, quem de corde suo æqualem sibi genitum, tamquam seipsum diligebat, ita dare disponebat*: hæc enim perpetuum huius pulsus tenorem, & æqualitatem optimè firmant, dum & Dei Filium è Patris corde genitum commemorant, & eam Virginis puritatem adstruunt, quæ suo modo huic cordi respondeat. Nec prætereibo, notanter apud Salomonem dici esse emanationem omnipotentis Dei synceram; vbi præterquàm quod de industria diuinæ omnipotentiæ in hac Virginis emanatione mentio fit, vt omnis scrupulus, omnis hæsitatio tollatur: quid enim Dei omnipotentiam retardaret, quominus Virginem ab originali culpa redderet immunem? pendo epitheton illud, *syncera*, Græcè, εἰλικρινὴς, id est, *pura, mera, non fucata.* Quod ad rem nostram sic accipio, vt Deipara, quæ speculum sine macula Dei maiestatis est, non priùs inquinata, deinde mundata, & dealbata ad Dei imaginem dicatur, sed quæ primitus syncera, pura, ac mera emanatio Dei sit: siue, vt ex proprietate vocis explicem, non fucata, hoc est, quæ non alium præter natiuum habeat subinductum candorem. Adstipulatur vox, *inquinatum*, quā subinde apposuit, vt diceret, nihil inquinatum in eam incurrere; cuius vim ad rem, de qua nunc agimus, expressit accōmodatè Homerus Iliade 4. cùm dixit, *videri ebur veluti fœdari, cùm pulchro eius candori alius color imponitur*: vbi pro (*fœdari*) idem verbum Græcum, quod hic pro (*inquinatum*) habetur: ergo perpetuus, & natiuus candor, & puritas, non fucatus, impositus, aut superinductus.

Sap. 7. 25

Salaz.

Lex. Græc.

Galen.

Turrian.

Anselm.

Homer.

Applaudunt cœlestis sponsi verba, sic matrem, atque sponsam aduocantis Cant. 4. 8. *Veni de Libano, sponsa mea, veni, coronaberis.* Vbi bene primùm monent nonnulli interpretes, inter quos doctissimus Gaspar Sanchez, montem Libani ad Israëlis sortem pertinere, eumquè esse, à quo Dei funiculus, & hæreditas inciperet, vt innuatur, cœlestem sponsum non ab aliena possessione, sed ab ea, quæ propria sibi esset, sponsam suam vocare; nec sub alia vnquam quam Dei manu, aut iure Virginem fuisse. Deinde pende, Libanum interpretari, *candidum.* A monte ergo candenti, & puro vocatur in sui Cōceptione Virgo, à claritate, nimirũ, in claritatem. 12.

Cant. 4. 8.

Gasp. Sanch.

Et

Et verò Libano candor, vt itidem iidem auctores obseruant, adeò erat familiaris, atque perpetuus, vt prouerbiali locutione, quod perpetuum fore significabatur, cum Libani candore componeretur. *Iere.18.14.* Ierem.18.14. *Nunquid deficiet de petra agri nix Libani?* Est ergo sensus, perpetuam Virgini puritatem, & penè naturalem fuisse, quod illi simul, & rationalis natura, & gratiæ candor data fuerint, Vnde quidem de ipsa alibi emphatica admiratione perquiritur: *Quæ est ista, quæ ascendit de deserto, delicijs affluens,* *Cant.8.5.* *innixa super dilectum suum?* Cant.8.5. Sed obserua *Ambros.* Ambrosium ser.14. in Psal.118. sic legere: *Quæ est ista, quæ ascendit candida?* Vbi maximè notari debet vox, *candida*, quæ propria Virginis est, quod diuersam significationem à voce, *dealbata*, qua cæterorum fidelium puritas denotatur, habeat. Sanè illud dicitur dealbatum, quod alio priùs colore perfusum, albo subinde superinducto album redditur. *Isai.1.18.* Ita Isai.1.18. *Si fuerint peccata vestra vt coccinum, quasi nix dealbabuntur.* *Matt.23.27.* & Matth.23.27. *Similes estis sepulchris dealbatis.* Sic etiam trita parœmia dicimus, *Æthiopem dealbare.* At verò candidum, vt inquit *Seruius.* Seruius in lib.3. Georgic. est quadam nitenti luce perfusum, cuique is candor semper fuerit, qui alio atro colore nunquam fuerit infectus: ideo, si aduertis, hic color in sacris diuinus quodammodo esse censetur, Deique capillis & vestimentis signatè adscriptus, *Apoc 1.14. Dan.7.9. Cant.5.10. Sap.7.16.* Apocal.1.14. Daniel.7.9. Cantic.5.10. Sapient.7.16. Ergo dum tota Ecclesiæ pulchritudo, ac sanctitas à Christi sanguine dimanat, ingens illud inter Mariæ, & reliquorum fidelium puritatem intercedit discrimen, quod hi stolas suas in sanguine Agni dealbare dicantur. *Apoc.7.14.* Ita Apoc.7.14. de iustis Christi sanguine redemptis dixit Angelus Ioanni: *Hi sunt, qui venerunt ex magna tribulatione, & lauerunt stolas suas, & dealbauerunt in sanguine Agni;* *Ambros.* quia animas suas (vt explicat Ambrosius) in hac vita positi ab omnibus sordibus peccatorũ per Christi sanguinem, qui vim habet eluendi omnes peccatorum maculas, tum in baptismate, tum alijs Sacramentis emundauerunt. Maria autem sic innititur super dilectum suum, vt à primo Conceptionis suæ instanti, non dealbata, quasi aliquam contraxerit sordem, sed nitenti potiùs luce perfusa, candida, & ab omni labe incontaminata, cum omnium admiratione, ac plausu ascendat.

13. Sed & ille etiam opportunus est in hanc rem *Cant.7.1.* locus Cant.7.1. *Quàm pulchri sunt gressus tui in calceamentis filia Principis!* vbi iure ambigas, cur potiùs Virginis gressus à calceamentis commendentur, quàm calceamenta à gressibus. Crescit verò difficultas, quod alibi viri sancti gressus, vel ob hoc solùm diuinam iram meruerint, quod in calceamentis fuerint: vnde nulla interposita mora discalceari iussus fuit. Iam me tenes, dum meministi visionis rubi ardentis, nec combusti, ad quem cùm properaret Moyses, iussus est gradum sistere, nec vlteriùs progredi, antequam calceamenta de pedibus solueret. *Exod.3.4.* Exod.3.4. *Cernens autem Dominus, quod pergeret ad videndum, vocauit eum de medio rubi, & ait: Ne appropies huc, solue calceamenta de pedibus tuis.* En dispar ad speciem mysterium, dum Virgo laudatur, quod nudis pedibus nunquam vestigium fixerit, ideóque pulchrè, ac speciosè processisse dicitur: Moyses verò reprehẽditur, quod calceatus incederet, vnde prohibitus est vlteriùs progredi, iussúsque calceamenta deponere. Verùm enimverò hæc adeò inter se non pugnant, vt adinuicem potiùs mirificè conueniant. Id vt appareat, priùs pende, quænam esset vnaquæque terra, tam ea, quam Virgo cum calceamentis calcauit, quàm illa, quam Moyses nudis pedibus premere iussus est; hinc enim sub ingenti terrarum disparitate, singularis mysteriorum apparet congruentia. Et verò cùm Virgo laudatur, quod nudis pedibus vestigium non fixerit, non est dubium de ea terra sermonem esse, quæ à Deo iam olim maledicta, spinas, & tribulos pro floribus germinare consueuit, terra, inquam, humanæ naturæ, communi originalis labis contagione infecta, atque commaculata, quam quisquis huius vitæ limen attingit, nudis pedibus premere cogitur. Nec alio sensu visus est mihi de semetipso dixisse Salomon Sapient.7.1. & seqq. *Sap.7.1.* *Sum quidem & ego mortalis homo, similis omnibus, & ex genere terreni illius, qui prior factus est: in ventre matris figuratus sum caro, & ego natus accepi communem aërem, & in similiter factam decidi terram, & primam vocem similem omnibus emisi plorans. Nemo enim ex Regibus habuit aliud natiuitatis initium.* Hæc enim originariam labem, quam omnes cùm primùm in vitam ingrediuntur, à primo illo terreno parente, hæreditario iure accipiunt, bellè exprimunt, præsertim eæ phrases, *ex genere terreni illius, qui prior factus est*, quæ Græcè ex lectione Iansenij habentur, *ex genere terrigenæ illius protoplasti*: *Iansen.* vbi plures volunt, πλάστος significare præuaricatorem adulterinum; *& figuratus sum caro, accepi communem aerem, vocem similem omnibus emisi plorans.* Sed illa præsertim nostro instituto opportuna, *in similiter factam decidi terram*, qua vitæ ingressus, casus siue prolapsionis nomine significatur. Bene ergo egregiæ Virginis laudi adscribitur, quod hanc terram non nudis pedibus, sed cum calceamẽtis calcauerit, dum diuina gratia protecta, atque præseruata, priùs cœli vertici, quàm terræ pedem fixit. Sed vt hæc omnia non nostrum esse inuentum, sed è sacra pagina, ac è Patrũ expositione desumpta videas, simili prorsus ratione inuenies, tum filio prodigo calceamenta pedibus data, Luc.15.22. *Luc.15.22.* *Ad non tangenda terrena* (vt ait Augustinus lib.2. quæstion. Euang. cap.33.) *August.* vel *vt cursus mentis* (verba sunt Bedæ) *Beda.* *ad cœlestia tendens, à terrenarum contagio rerum inuiolata seruetur, & mundaprorúmque munitus exemplis super serpentes, & scorpiones securus incedat*: siue, vt inquit inidè Ambrosius, *Ambros.* *necubi offendat ad lapidem pedem suum, & supplantatus à diabolo Dominicæ prædicationis officium derelinquat*: tum etiam Euangelij ministros sedulò moneri à Paulo, vt *calceatos* habeant *pedes in præparatione Euangelij pacis*. Ephes.6.15. *Ephes.6.15.* necnon edentibus Pascha præscribi, *renes vestros accingetis, & calceamenta habebitis in pedibus*. Exod.12.11. *Exod.12.11.* Quæ duo sic explicat Gaudentius Brixiens. serm.5. ad Neophytos, de manducatione Agni. *Gaudent.* *Sicut enim calceamenta terrestria carnalium pedum munimina sunt, & vel asperitati frigoris, vel serpentum morsus, vel spinarum resistunt aculeis: ita legis diuinæ præcepta, quibus gressus nostrarum mentium munire præcipimur, repugnant, & serpenti diabolo, & asperrimo Aquiloni Gentilium, & hæreticorum vndique compungentium spinis, ac tribulis.* At enimverò simul obserua, vel prodigo filio, vel Ecclesiæ ministris, non nisi certis temporis, vel loci opportunitatibus calceamenta tribui, ne terram tribulis, & spinis consitam premant; de Virgine autem indefinita oratione enunciari, omnes ipsius gressus de primo ad vltimum pulchros ex calceamentis esse: *Quàm pulchri sunt gressus tui in calceamentis?* Quem enim ibi hac laude possis dicere expertem, cùm generali oratione omnes gressus commendentur?

14. Alia quidem ea terra erat, quam incõsulto gressu Moyses premere audebat; terra, nimirum, sancta: vnde cùm ipsam ille attingere vellet, calcea-

Exod. 3.4. mentum exuere iussus est, clamante oraculo: *Ne appropies huc, solue calceamenta de pedibus tuis: locus enim in quo stas, terra sancta est.* Illa videlicet, quæ à Deo benedicta; sic enim Dauid Psal. 84.1. *Benedixisti Domine terram tuam:* benedictiones suas erat reddit ura, eodem Vate attestante, *Terra nostra dedit fructum suum*, Psalm. 66.7. siue, vt legit Tertul. libro cont. Iudæos cap. 12. *Terra nostra dedit benedictiones suas.* Quod ipse sic subinde explicat: *Vtique illa terra virgo nondum pluuijs rigata, nec imbribus fœcundata, ex qua homo tum primum plasmatus est, ex qua nunc Christus secundùm carnem ex Virgine natus est.* Hanc autem sanctam, benedictionibúsque refertam terram, quisquis cogitatione, mentísque discursu, atque consilio metiri tentat, iure mortalium ratiocinationum, ac mensurarum calceamentum soluere, & nudis pedibus, reuerentiæ, ac religionis causa accedere iubetur, ne mortale aliquid, & quod humanam labem ad reliquarum creaturarum similitudinem, ac mensuram sapiat, sed omnia singularia, eximia, cœlestia, & præter vulgarem, ac communem rerum modum decurrentia, meditetur. Ita Bernard. serm. de verbis Apoc. *Signum magnum*, inquiens *meritò quidem admiraris Moyses sancte, & curiosius desideras intueri; verumtamen solue calceamenta de pedibus tuis, & inuolucra pone carnalium cogitationum, si accedere concupiscis.* Vt quod superiùs citatus dicebat gloriosus Ildefonsus, prædicetur Maria, donec prædicanda est; diligatur, donec diligenda est; laudetur, donec laudabilis est; inseruiatur illi, donec seruiendum est gloriæ ipsius; atque ideo omnis ab illa macula procul remoueatur, quippe *terra virgo nondum pluuijs irrigata nec imbribus fœcundata, ex qua homo tum primùm plasmatus est:* ac proinde nulli obnoxia maledictioni, sed benedictionibus potiùs prædita, atque ornata, & benedictiones proferens.

Psal. 84.1. — Psal. 66.7. — Tertul. — Bernard. — Ildefons.

15. Accinit Canticorum locus cap. 4.13. vbi cùm in hanc sententiam, quæ Virginem ab originaria labe immunem asserit, dixisset Salomon: *Hortus conclusus, soror mea sponsa, hortus conclusus, fons signatus*, sese vberiùs explicans subdit; *Emissiones tuæ paradisus malorum punicorum cum pomorum fructibus.* Quoniã verò ab egregiis auctoribus hæc verba penſiculatiùs elucidantur, contentus ero, si solam vocem, *emissiones*, huic sensui aptauero, minimè dubius ipsã solummodo satis superque rem perficere, præsertim si ex fonte hauriatur. Certè ex Hebræo frequẽtiùs significat halitum, siue odorem, ac proinde benè verteris: *Halitus tuus paradisus*; atque ita explices, vt velit sponsus, omnes Virginis emissiones, sed primatiam potissimum, cùm primùm ad vitam ingressa est, cum halitu, atque odore paradisi, eleganti locutione cõponere; vt videlicet dum omnes mortalium conceptiones tetrum odorem emittũt, (fœtidum enim os habere peccatum iam nosti, & ego vberiùs tractó ad cap. 3. vers. 19. adnot. 1.) Deiparæ Conceptio cœlestem gratiæ halitum spirare dicatur; ac si ipsam sic alloquatur sponsus: cæteri mortales mundum ingredientes, inferni odorem reddunt, tu mihi paradisi halitum spiras. Adhæc, in hoc Virginis halitu paradisum redolente, allusio esse videtur ad spiraculum vitæ primo parenti à Deo insufflatum, Genes. 2.7. Etenim pro illis verbis, *& inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ*, ex Hebræo legeris, *halitum vitarum*; vt vtraque corporis & animæ vita à Deo ipsi data intelligeretur. Vnde opportunissimè Deipara noui mundi, nouæque vitæ, ac generationis parens cum primo homine, à quo hominum vita defluxit, componitur, vt non secus ac ille, vtramque simul vitam, non ad diem, vt Adam, sed æternum duraturam à Deo acceperit.

Cant. 4.13. — Heb. Lect. — Genes. 2.7.

16. Ab hoc non it Vulgati lectio, *emissiones*: vt enim generale vocabulum esse videatur; at ex Hebræa etiam significatione, quæ illi subest, & ex illius in Scripturis vsu, metaphoricè sumi solet pro plantationibus, siue etiam germinationibus plantarum, & florum erumpentium, quod quasi emissiones quædam ipsius soli, vel horti sint. Vnde Sanctes Pagninus, & alij legunt, *Plantationes tuæ paradisus.* Quare non abs re dixeris, respexisse Salomonem ad Genesis historiam, siue ad Paradisi plantationem: cùm videlicet (vt verior, & frequentior opinio fert) subitò protulit terra herbam virentem, & arbores grandes simul cum suis fructibus: atque ideo sensum esse, Deiparæ Conceptionem ad pristinum innocentiæ, & rectitudinis statum pertinere, primámque ipsius germinationem flore, fructúque gratiæ illustrem, atque ornatam fuisse. Quo sensu ab eodem cœlesti sponso dictum videtur Cant. 2.2. *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias:* hoc est, aliorum plantatio, germinatio, siue conceptio, spinea, & pungens; tua verò, ô Deipara, florida, & candida est, quod illi, vt terra maledictioni obnoxia, spinas, & tribulos germinent; tu verò vt Dei manu consitus paradisus flores, fructúsque gratiæ emittas. Ideo consultò à Salomone non rosæ spinis circumseptæ, quæ & ob peccatum adiacent, sed ipsarum imagine ad cæteros Adæ filios hac ratione accommodata, vt Virginis à peccato immunitas ex contrariorum oppositione meliùs eluceret, lilio, quo nihil candidius, nihil in floribus excelsius, Dei genitrix comparatur. Sed vt hæc subsistant, audi Ambros. lib. 3. Hexam. cap. 11. hæc aurea dicentem. *Surrexerat autem floribus immixta teneris, sine spinis rosa, & pulcherrimus sine vlla fraude vernabat, postea spina sepsit gratiam floris, tamquam humanæ speculum preferens vitæ, quæ suauitatem perfunctionis suæ, finitimus curarum stimulis sæpe compungant.* Sic ille. Surrexit ergo Deipara sine spinis rosa, atque vt id innueretur, nullámque originariæ labis ei adhæsisse reliquiam foret manifestum, ipsa inter omnes, *sicut lilium inter spinas*: siue vt LXX. legunt, *in medio spinarum*, candens, & fulgens, prodire dicitur.

Pagnin. — Cant. 2.2. — Ambros.

17. Firmat hæc Rabbi Salomonis translatio, quæ pro, *emissiones tuæ*, habet, *area tua.* Etenim area, vti ex Latinis scriptoribus, præsertim ex Varrone lib. 4. de lingua Latina constat, locum purum, & intactum, vel sine ædificio significat; sic de Cæsare dixit Sueton. *Forum de manubijs inchoauit, cuius area super sestertium millies constitit*; aut terram antequam vllum in ea semen iaciatur: ita de terra probè subacta, & semini excipiendo idonea, Virg. lib. 1. Georg.

Varro. — Sueton.

Area tum primùm ingenti est æquanda cylindro.

Virgil.

Quæ sanè manifestè indicant, in aream Virginis nullum vnquam nisi gratiæ semen iactum, & ad Paradisi modum, Dei manu primùm consitam fuisse. Ita certè dicebat Athanasius serm. 3. cont. Arianos. *Verbum vt Aaron vestem talarem, ita carnem è terra assumpsit. Mariamque vice rudis, illaboratæque terræ matrem sui corporis habuit, vt iam habens, quod offerret, ipse Pontifex seipsum in victimam daret.* Obserua illud, *vice rudis, illaboratæque terræ*: quæ videlicet area pura, & intacta, absque vllo peccati ædificio, semineve fuerit, & (vt non semel ex Tertulliano diximus: *Terra virgo nondum pluuijs rigata, nec imbribus fœcundata, ex qua homo tunc primùm plasmatus est, ex qua nunc Christus secundùm carnem ex Virgine natus est*,) cœlesti quidem gratiæ imbre solummodo irrigata. Certè Deiparã sacerdotalem aream, siue terram fuisse, è qua summus, verúsque Sacer

Athanas. — Tertul.

Sacerdos prodierit, quis ambigat? *In ipsa* enim (vt dixit sæpius Dionys.) *Rex gloriæ factus est Pontifex, & manet in æternum semel ingressus in sancta.* Quid verò de terra sacerdotali peculiari decreto cautum
Gen.47.26. fuerit, sic habetur Genes. 47.26. *Ex eo tempore, vsque in præsentem diem, in vniuersa terra Ægypti Regibus quinta pars soluitur, & factum est quasi in legem, absque terra sacerdotali, quæ libera ab hac conditione fuit.* Quid autem hæc adumbrant, nisi Virginem, sacerdotalem, scilicet, terram, quæ ab originariæ culpæ tributo, quod Regi Ægyptio, id est, diabolo, vniuersa natura humana persoluit, liberam omnino fuisse? Sed audi Hieronymum pro hac Virginis
Eccles.10.17. Hieron. immunitate declamantem in id Ecclesiastes 10.17. *Beata terra, cuius Rex nobilis*, &c. his verbis: *Beata terra Ecclesia, cuius Rex est Christus, filius ingenuorum, de Abraham, Isaac, Iacob, Prophetarum quoque, & sanctorum omnium de stirpe descendens, quibus peccatum non fuit dominatum, & ob id fuerunt liberi, ex quibus nata est Virgo liberior sancta Maria.* Pende appellasse Hieronymum sanctos Christi progenitores, tum ingenuos, tum liberos, quod peccatum ipsis non fuerit dominatum; Virginem autē illis liberiorem. Quare? Quia liberiori libertate, & maiori ingenuitate, quàm illi prædita fuerit. Nimirum, quia vt ipsis peccatum non fuerit dominatum, at originis tributum omnes persoluerunt; ipsa verò, vtpote sacerdotalis terra, ab hoc tributo extitit semper immunis. Planè si rem exactè perpendis, non mediocriter Pontificis nostri dignitati obstrepebat, è terra Ægyptiacæ seruituti, siue tributo obnoxia fuisse progenitum. Dixit enim, & verissimè dixit
Cyr. Ierosf. Cyrill. Ierosolym. Catechef. 12. *Decebat sanè purissimum puritatis Doctorem ex puris prodire thalamis: si enim qui apud Iesum bene fungitur Sacerdotio, abstinet à muliere, ipse Iesus quomodo ex viro & muliere proditurus esset?* Sed enim si Cyrilli argumentatio firma est, potiorem in immunitate Virginis à peccato originali locum habebit: multo enim minus cum omnimoda puritate sancti coniugij vsus, quàm culpæ originalis macula decertat; hæc enim animam, corpúsque conspurcat; ille purum Deo animum asseruat, nec corpus honesta operatione commaculat. *Honorabile enim connubium in omnibus, & torus im-*
Ad Heb. 13.4. *maculatus*, ad Hebr. 13.4. Nec ab hoc it Nazianz.
Nazianz. orat. 4. in sanctum baptis. vbi cùm dixisset, *arcano modo, & sine vlla spurcitie ex Virgine Maria progressum*; subdit generali oratione. *Nihil enim spurcum vbi Deus est, & cuius beneficio, & opera salus paratur.* Quasi malè cum Deo humanum genus redimente, bellúmque peccatis inferente, se gerat, quidquid non vndique mundum in matre ipsius fuerit. Por-
August. rò Augustinus in ea verba Mariæ: *Quia fecit mihi magna qui potens est*, tom. 9. & Dei potentiam ex Mariæ sensu ad tam magnifica dona ipsi impertienda, quæ humana cogitatione comprehendi nequeant, refert, & ipsummet humanæ redemptionis opus in peculiarem Mariæ gloriam perfectum sic affirmat. *Qui potens est: quia credi potest eius potentia, potentem confessa est, sed quanta, & qualis, comprehendi non potest. Non autem ait: In se, aut per me fecit magna, sed,* mihi: *quod enim in ea ad omnium salutem factum est, hoc priuilegio dilectionis ad eius gloriam singulariter est ordinatum.* Sanè, vt tot ipsi gratiæ, priuilegia, immunitates à Deo concederentur, quasi ad eius gloriam totum salutis humanæ negotium singillatim ordi-
Bernard. naretur. Concludo verbis Bernard. hom. 2. *in Missus est. Factor enim hominum, vt homo fieret, nasciturus de homine talem sibi ex omnibus debuit eligere, imò condere matrem, qualem, & se decere sciebat, & sibi nouerat placituram.* Pulchra omnino sententia, quam rogo expendas, vt ego in alia Scripturæ testimonia, & Patrum monumenta pro hac iustissima causa, bona lectoris venia, tantisper excurram.

ADNOTATIO VIII.

Expenduntur pro splendidissima Deiparæ Conceptione, verba Psal. 47. 2. Fundatur exultatione vniuersæ terræ mons Sion, *&c.*

NVllibi, opinor, tam præclaris imaginibus im- 1.
maculata Sanctissimæ Virginis Conceptio asseritur, ac Psal. 47. 2. cùm iuxta Bernardi expositio- Psal 47.2.
nem in ser. de Annunciat. de Deipara dicitur: *Fun-* Bernard.
datur exultatione vniuersæ terræ mons Sion, latera Aquilonis, ciuitas Regis magni. Sed quid in Hebræo fonte pro his verbis legi queat, animaduertere est operæpretium. Porrò ex fœcunditate vocis, *Noph*, quæ nostræ Latinæ subest, commodissimè his modis hæc verba transferri possunt, vt boni etiam auctores, & interpretes eius loci adnotarunt: *pulcher climate*; siue, *pulcher radicibus mons Sion*: necnon, *pulchra sponsa*: siue, *speciosa nympha, mons Sion.* Quas quidem lectiones, vt variæ esse videantur, minimè tamen inter se dissidere, imò verò eodem tendere, optimè monet Ricardus apud Lorinum. At enim- Ricard.
verò ipsas, prout sub eodem sensu diuersas continent similitudines, singillatim in hanc sententiam persequi est animus.

Et in primis sub nomine montis Sion, qui pul- 2.
cher climate dicitur, ad templum Salomonis allusum esse non dubium; hoc enim quod in monte Sion constitutum esset, eo nomine appellabatur, vt innumeris adductis testimoniis probat noster Vil- Villalp.
lalp. 3. tom. in Ezechiel. in apparatu vrbis, & templ. p. 1. lib. 1. cap. 16. Mariam verò per singularem ac propriissimam attributionem tam in Scripturis, quàm apud omnes Patres, verum Dei templum, & habitationem peculiariter dici, quis adeò fuerit otiosus, vt in probando velit tempus terere? Pulcher ergo climate hic mons, siue augustissimum Mariæ templum dicitur, quod non sub noxio originalis infectionis climate, & sub infaustæ illius, & tristissimæ noctis tenebris, sed benigniori cœlo, ac pulcherrimo Solis adspectu, sub gratiæ, inquam, atque diuini fauoris cœlesti climate fuerit concepta: quippe quæ Dei templum, & habitatio, quam omnimoda sanctitas, puritas, & ab omni labe alienatio decet (Psalm. 92. 7.) esset futura. Quare, si memi- Psal. 92.7.
nisti, ad Hebræos 9. 11. ex interpretatione Dionysij Ad Hebr. 9. 11.
Alexand. in epist. cont. Paulum Samosat. quam in huius versus commentatio non semel adduximus, Virginem appellauit Apostolus tabernaculum non manufactum, id est, non huius creationis: *Non in*
seruo habitauit (aiebat Dionysius) *sed in sancto suo ta-* Dion. Alex.
bernaculo non manufacto, quod est Deipara, illic enim in ipsa Rex gloriæ factus est Pontifex: quod licèt humanis parentibus fuerit progenita, at ipsius Conceptio non ad huius creationis clima, neque ad humanæ conditionis leges, sed ad gratiæ adspectum, & fauorem pertineat. Quam ad rem sic appositè lo-
quitur Damasc. orat. 1. de natiuit. Virgin. *Virgo tem-* Damasc.
plum Dei sanctum, quod Princeps pacis Salomon, id est, Christus construxit, & habitauit, non auro, & inanimis lapidibus ornatum, sed auri loco spiritu fulgens, & pro lapidibus pretiosis margaritam ingentis pretij Christum habens. Vnde post nonnulla sic infert: *Cedat igitur Moysis, & Abrahami tabernaculum, vita, & ratione prædito Dei tabernaculo.* Expende illa, *auri loco spiritu fulgens,*

fulgens, quibus manifestè adstruit, Virginis Conceptionem, siue primam huius templi constructionem, non carne cœptam, & spiritu consummatam, sed omnino in spiritu, eoque fulgenti, & cœptam, & consummatam fuisse. Sed quid sibi sequentia volunt? *pro lapidibus pretiosis margaritam ingentis pretij Christum habens.* Vix in lucem venerat, & iam secū Christum habebat. Ita planè: quæ enim signatè à Deo prædestinata fuit, vt mater Christi esset, ad Christi regulam, & amussim à primo Conceptionis instanti dirigenda, atque formanda, & velut ex ipsius Christi meritis, ne dicam ex ipso Christo, construēda erat. Quò placet referre, & peculiari ratione accommodare, Ecclesiasti-
Pont.Rom. cam à Pontificali Romano, cùm in templi alicuius fundamentum primus lapis iacitur, præfinitam cæremoniam. Etenim cum his verbis erigi constituique præscribitur: *Pone Domine Iesu Christe signū salutis in loco isto, & non permittas introire Angelum percutientem*; pulchra quidem ad hoc institutum verba, pulchrum quidem inuentum. Quid enim aliud hæc præseferant, quàm cùm in sacratissimi huius templi ædificationem primus Conceptionis lapis iactus est, Dominicæ Passionis iam operante virtute, egregium illud Crucis erectum fuisse trophæum, vt in lubrico, ac præcipiti illo ad vitam aditu, peculiare præ omnibus creaturis redemptionis munus Deipara experiretur, quo ab omni prolapsione præseruata, à cæde percutientis Angeli in omnes Adæ filios indistincto impetu sæuientis, esset immunis? A quo non it, quod de magnificentissimi illius Salomonis templi, quod Mariæ typus extitit, fundamentis peculiariter alia à reliquis ratione seruata dicitur, ex lapidibus pretiosis fuisse
3.Reg.5.17. confecta. Sic enim habetur 3.Reg.5.17. *Præcepitque Rex, vt tollerent lapides pretiosos in fundamentum templi*; nimirum, vt typus foret Mariani templi, fundamenta longissimè à reliquarum domorum fundamentis distare: etenim cæterorum ædificia, licèt magnifica, & pretiosis virtutum lapidibus ornata sint, at vilibus communis labis fundaminibus innituntur; vnde prima hominum conceptio cum lapidibus qui in fundamentis ponuntur, impolitis videlicet, & rudibus, quippe qui sub terram abscōditi permanent, pulchrè componitur: at Virginis templum pretioso Conceptionis lapidi innixum, ab imis fundamentis vsque ad supremum fastigium pulcherrimum, & ornatissimum est.

3. Sed enim, antequam in hac templi imagine progrediar, dicat forsan non nemo: Quid nos magnum de Deipara enunciemus, cùm illam Dei templum facimus, cùm ex Pauli sententia, omnes etiam Chri-
1. ad Cor.3.9. sti serui, Dei templum sint? Sic enim ille 1. ad Corinth. 3.9. *Dei ædificatio estis*, & num. 17. *Templum*
1. ad Cor.6.19. *enim Dei sanctum est, quod estis vos*; & eadem epist. c. 6. 19. *membra vestra templum sunt Spiritus sancti*; &
Ad Ephes.2.22. ad Ephes. 2. 22. *& vos coædificamini in habitaculum*
1. Pet.2.5. *Dei*: similiter & Petrus epist. 1. cap. 2. 5. *& ipsi tamquam lapides viui superædificamini domus spiritualis.*
Bernard. Sed respondebo ex Bernardo serm. 5. de Assumpt. Virg. vt omnes fideles Dei ædificatio, & domus sint, at Mariam Dei templum esse, quod singulari fuerit consecratione præditum, sic enim ille. *Cæteris Sanctis datur gratia per partes, Beata Virgini totam se fudit plenitudo gratiæ, quæ fuit in Christo, quamquam aliter, & aliter; quia in Christo fuit plenitudo gratiæ tamquam in homine personaliter definito, in Maria verò velut in templo singulariter consecrato.* Sic ille. Quid verò fuerit Mariæ templum singulariter consecrari, ex communi aliorum templorum consecratione facile erit eruere; idque vel à Bernardo in serm. 1. in Dedicat. templi discere. Sanè in templorum cōsecratione ille inter omnes signatissimus ritus est, vt inscriptæ in templi parietibus cruces oleo inunguntur. Quod sanè ad spiritualia templa accommodatum, dum oleum vulneribus curandis adhiberi solet, Isai. 1. 6. *Vulnus, & liuor, & plaga tumens* Isai.1.6.
non est circumligata, nec curata medicamine, nec fota oleo, non obscurè significat, nos per Christi Crucem remissionem peccatorum, atque omnium vulnerum, tam quæ à primo parente contraximus, quàm quæ nobilmet ipsi sponte inflximus, curationem, sanitatémque siue in baptismo, siue in aliis Sacramentis percipere. Id quod in pio illo Samaritano, miserum viatorem, qui in latrones inciderat, ad leges medicinæ sic curante, vt alligaret vulnera, ac infunderet oleum, & vinum, Lucæ 10. 34. ex omnium Patrum interpretatione adumbratur. Vnde Luc.10.34.
Cantic. 1. 3. de animis à Christo redemptis dice- Cant.1.3.
bat sponsa, *Oleum effusum nomen tuum, ideo adolescentulæ dilexerunt te*, manifestè affirmās, ideo Christum Dominum in sui amorem homines vehementiùs rapere, quod se illis in vulnerum medicinam velut oleum effuderit. Ergo communi hac lege in Dei templa omnes consecramur; Maria verò singulari consecratione gaudet, quippe quæ de se signatè ait
Cant. 1. 13. *Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi.* Vbi Cant.1.13.
præter notissimam proprietatem præseruādi à corruptione, quæ myrrhæ inest, pende illud, *mihi*, emphaticè dictum, ac si dicat Virgo Sanctissima: aliter ego ab aliis iustis in Dei templum consecror, quod multo honorificentiùs erga me Christus meus se gesserit; vt enim illis oleum ad vulnerum curationem, quæ à peccato acceperant, ita mihi myrrha fuit, vt tam labis originalis culpæ, quàm cuiusuis alterius corruptionis expertem anticipato remedio me redderet, vt in me omnino vera paræmia sit, *prius antidotum, quam venenum.* Nec mihi aliquis hoc loco respondeat, id redemptionis, curationisque genus, quò à lapsu, morbóque Virgo præseruatur, veram redemptionem, curationémque non esse, ne Scripturæ locutioni aduersari videatur, cùm diuinus Spiritus pleno ore anticipatum remedium, quo quis à morbo defenditur, medicinam appellauerit, Ecclesiast. 18. 20. *Ante languorem adhibe medi-* Eccl.18.20.
cinam.

Accinit signatissimus Zachariæ locus ex cap. 4. 4.
7. *Et educet lapidem primarium, & exæquabit gratiam* Zach.4.7.
gratiæ eius. Vbi quamuis communis opinio Cyrilli, Cyr.Alex.
Hieronymi, & aliorum Patrum ferat, per lapidem Hieron.
primarium significari Christum, quibus adstipulatur Chaldæus vertens, *& emerget Christus, cuius ab* Chald.
æterno nomen dictum est: at non minus elegans est expositio Rabbi Haccados, & antiquorum Hebræorum, apud Galatinum ipsam probantem lib. 7. de Pet.Galat.
arcanis, c. 3. per hunc lapidem primarium matrem Messiæ, ex qua ille excidendus esset, accipientium. Et quidem huic expositioni vox Hebræa, *rasah*, quę nostræ, *primarium*, subest, maximè congruit: nam, vt ibi monet Ribera, fœminini generis est. Sed quid Ribera.
de eductione, siue excisione primarij huius lapidis dicat Propheta, iam audi, *& exæquabit gratiam gratiæ eius*, siue vt legunt LXX. *æqualitatem gratiæ, gratiam* LXX.
eius: vel ad verbum, *æqualitates gratiæ, gratiæ eius.* Quę eò ire videntur, vt innuatur, nō minori benignitate Deum in prima Virginis Cōceptione, quàm in reliquo vitæ decursu se gessisse, dum æquali gratiæ tenore primum ipsius instans, ac reliqua vitæ spatia omni labe expertia esse voluit. Vnde quidem bifariam hæc verba sub eadem sententia possis accipere: vno modo, vt illud, *eius*, referatur ad ipsammet Virginem, & sensus sit, in eductione huius lapidis

exæ

exæquasse Deum primi instantis gratiam gratiæ reliquorum, vt à prima illius Conceptione indesinenti cursu gratia in Virginem diffunderetur, maximéque sibi æqualis foret. Alio modo, vt non ad Virginem, sed ad ipsummet artificem primarium hunc lapidem educentem, Dei, videlicet, Sapientiam Christum, cuius meritis purissima Virginis Conceptio incumbebat, referatur. Exæquabit ergo Christus Mariæ gratiam gratiæ sui ipsius, nón quod illius gratia Christi gratiæ æqualis fuerit, quæ enim finiti ad infinitum proportio, & æqualitas? sed quod tam Filius, quàm mater præ omnibus mortalibus in hac purissimæ eductionis gratia omnino
Cant.6.9. æquales sint. Huc pertinent ea Cant. 6. 9. verba, *pulchra vt Luna, electa vt Sol*, in quibus magna elegantia Sapiens aliter de Virginis pulchritudine, aliter de electione, siue prima Conceptione locutus
1. ad Cor.15.42. est: cùm enim Paulo teste 1. ad Cor. 15. 42. *alia sit claritas Solis, alia claritas Lunæ*, non licuit Sapienti pulchritudinem, siue claritatem Virginis, quæ gratiarum, virtutúmque congeriem significat, pulchritudini Solis iustitiæ comparare. Licuit tamen, & libuit eius eductionem cum Conceptione Christi componere, quia vtraque immunis à labe fuit; ideo optimè dixit, *pulchra vt Luna, electa vt Sol*.

5. Iam in augustissima Salomonis templi fabrica id etiam obserua, illius ianuas oliuæ postibus aduolui, simúlque, vt clariùs hoc mysterium eluceret, Cherubinorum, ac palmarum eminentibus cælatu-
3. Reg.6.33. ris ornatas esse: sic enim 3. Regum 6. 33. *Fecitque in introitu templi postes de lignis oliuarum quadrangulatos, & duo ostia de lignis abiegnis altrinsecus, & sculpsit Cherubin, & palmas, & cælaturas valde eminentes*. Vbi cùm tam sit certum, templi aditum Conceptionem, seu Virginis ad vitam ingressum adumbrare, quàm oliuam, & apud sacros, & apud prophanos auctores misericordiæ esse symbolum, manifestum fit, peculiari misericordia, ac benignitate erga Virginem in primo ipsius ad vitam aditu Dominum vsum fuisse, à communi, videlicet, ingredientium omnium in vitam lege, labéque secernentem. Id quod his postibus, seu portarum valuis insculptæ palmæ magis confirmant: ostendunt enim in ipso aditu ad vitam, egregium de hoste, qui portas fuerat aggressus, Virginem reportasse trophæum, eiúsque caput triumphanti pede contriuisse. Quo sanè sensu de his ianuis iam antea Regius Vates præci-
Psal.86.1. nuerat Psal. 86. 1. *Diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Iacob*. Sed ne hic ab aliis excogitata persequar, solùm expendo verbum, *diligo*, & Græcum, quod illi subest, de quibus hoc eodem versu, adnotat. 5. monui, ita à verbo, *amo*, esse discriminanda, vt verbum, *amo*, voluntatis prosecutioné, & vim; *diligo* autem non tam hunc amoris impetum, quo quis in rem amatam pronus fertur, quàm eum animi affectum, qui ad mentis iudiciíque delectum, & approbationem consequitur, significet. Non ergo vtcumque portas Sion amare Deus dicitur, sed eo affectu diligere, qui rem simul amatam probet, & amore dignam esse confirmet, quod Virginis Conceptio omnino immaculata, ac proinde dilectione, quæ cum mentis iudicio coniungatur,
Habac.1.13. digna fuerit. Aliter enim clamet Habac. cap. 1. 13. *Mundi sunt oculi tui, ne videant malum* (iudicio, nimirum, approbationis) *& respicere ad iniquitatem non potes*.

6. Porrò hos oliuæ postes, siue clementiæ, qua cum Virgine in ingressu vitæ Dominus vsus est, peculiare illud ipsius epitheton, quo à Psalte *adiutor in op-*
Psal.9.10. *portunitatibus* esse dicitur Psal. 9. 10. optimè stabilit, & firmat. Nam si aduertis, is est in opportunitatibus adiutor, qui ei qui in lubrico versatur, ante lapsum opem affert: sic dicebat Arnobius lib. 7. ad- Arnobius.
uers. gentes, à nobis ad cap. 1. vers. 6. adnotat. 1. n. 2. pro gratiæ excitantis dogmate adductus: *Bonus auxiliator numquam rogari se poscit, spontanea semper opitulatione subueniens*. Vnde è contrario de seipso opportunum auxilium infidelibus, & adulterinis filiis denegante dicebat: *Ego retribuam in tempore vt labatur pes eorum*. Deuter. 32. 35. Preme illud, *in tem-* Deut.32.35.
pore; est enim idem, ac in occasione, in opportunitate, in instanti vrgente: vnde ibi ex Hebræo Pagnin. *Mea est vltio, & retributio in tempore quo nutabit pes eorum*: hoc est, in opportunitate efficaciter ad- Pagnin.
iuuandi, manum subtraham, atque inde fiet, *vt labatur pes eorum*. Quare Augustinus lib. de diligendo August.
Deo, sic ipsi, quod opportunus sibi adiutor fuisset, gratias refert: *Non enim sola quæ commisi peccata, sed etiam quæ te protegente non commisi, totum à te dimissum deputandum est*. Quod statim sic explicatiùs cófirmat: *Tribus autem modis à peccato memini conseruatum; scilicet occasionis subtractione, resistendi data virtute, affectionis sanitate: multa enim in peccata incidissem, si data esset occasio, sed Dei miseratione nó me talis opportunitas apprehendit; in multáque cecidissem grauiter impulsus violentia tentationis, sed virtutem dedisti mihi, Domine, vt sub me esset appetitus meus, & ei quam sentiebam concupiscentiæ minimè consentirem: sed à quibusdam peccatis tam longè me fecit tua miseratio, Domine, vt penitus abominarer ea, & ne vlla me quidem eorum tentatio molestaret*. Hæc Augustinus. En Deú adiutorem in opportunitatibus, in occasionibus, in labendi periculo, in momento ante lapsum. Ergo tenemur dicere, Deiparam ab omni originaria labe fuisse immunem. Sed inquis: vnde locus? Aperiam, si à te priùs perquisiero, an Virgini, charissimæ spósæ, dilectissimæ, imò & colendissimæ matri Deus opportunus adiutor aliquando fuerit? Quis audeat negare? Porrò si non negas, fatearis opus est Virginis immunitatem: nam si mentem adhibes, hæc vna occasio fuit, atque opportunitas, in qua Deus illi adiutor in opportunitatibus extiterit. Quod enim ipsa omnis actualis culpæ, siue mortalis, siue venialis expers omnino fuerit, id non tam è re matris, quàm Filij est, vt rectè monet S. Tho. 3. p. quæst. 27. S.Thom.
art. 4. in corpore, inquiens: *Quos Deus ad aliquid eligit, ita præparat, & disponit, vt ad id ad quod eliguntur, inueniantur idonei, secundum illud 2. ad Cor. 3. 6.* Ido- 2. ad Cor.3.6.
neos nos fecit ministros noui Testamenti. *Beata autem Virgo fuit electa diuinitus, vt esset mater Dei, & ideo non est dubitandum, quod Deus per suam gratiam eam ad hoc idoneam reddidit, secundum quod Angelus ad eam dicit*; Inuenisti gratiam apud Deum: Ecce concipies, &c. *Non autem fuisset idonea mater Dei, si peccasset aliquando: tum quia honor parentum redundat in prolem, secundùm illud Prouerb. 17.* Gloria filiorum Prou.17.6.
patres eorum: *vnde & per oppositum ignominia matris ad Filium redundasset. Tum etiam, quia singularem affinitatem habuit ad Christum, quia ab ea carnem accepit*. Vnde sic statim concludit. *Et ideo simpliciter fatendum est, quod Beata Virgo nullum actuale peccatum commisit, nec mortale, nec veniale, vt sic in ea impleatur, quod dicitur Cant. 4.* Tota pulchra es amica mea, Cant.4.7.
& macula non est in te. Hæc S. Tho. Certè vt hæc verissima sunt, ita Deum in Angelici Doctoris sententia matrem suam ab omni mortali, siue veniali peccato immunem reddidisse, potiùs fuerit, sibi ipsi, quàm Virgini adiutorem in opportunitatibus se præbere: vt ergo matrem suam semel eum opportunè adiuuisse dicatur, qui omnium in opportunitatibus adiutor est, ab originali ictu ipsam prote-
xisse

xisse censeri debet. Nec opportunius quidem aliquando Deiparæ auxilium, si & ad verborum sonum, & ad sensum rei attenderis, quàm eo in momento ipsi attulerit: quippe opportunum ab *ob*, & *portus*, compositum putatur, vt quod nobis commodè, in tempore, & optatò contigit, idem, ac nauigantibus portus, vtilissimum illis, scilicet ac optatissimum fuerit. Sanè de communi hominum ad
Ambros. vitam ingressu scitè dixit Ambros. in orat. de obitu Theodosij: *Quos naufragos in hanc vitam quidam naturæ fluctus expuerit*; quod videlicet à natura originis peccato obnoxia, velut à turbulento mari in vitam, non vt in portum, sed velut in scopulos in peccatis concepti allidamur. Quid igitur magis opportunum, quàm nauiganti portus, ne naufragium faciat? Quale Virgini opportunius auxilium, quàm in vitæ limine à Filio comiter, & vrbanè excipi, & pro communi naufragio optatissimum salutis portum ab eius manu recipere? Atqui vt hæc plenè, & vndequaque subsistant, ad ea quæ vers. 6. adnot. 2. n. 11. diximus de Christo respectu matris non quæ sua, sed quæ illius erant, quærentis, atque ideo bonam ipsius famam, & nomen propriæ existimationi anteferentis, operæpretium erit recurrere: inde enim fiet manifestum, ipsum non potuisse non opportunum matri auxiliatorem in portu se exhibere, cùm & id ad matris honorem maximè spectaret, & à Filij dignitate adeò non esset alienum, vt ipsi potiùs mirificè congrueret.

7. Pulcher ergo climate, & sub indulgentissimo gratiæ sidere fundatus mons Sion; pulchrum iam radicibus videamus. Sensum id quidem cum superioribus habet communem, sed penitiori quodam modo rem explicat: hæc enim ab arboribus desumpta similitudo propriam Conceptionis naturam, & conditionem, propriùs videtur exprimere. Sanè vt arbor terræ succum, vitámque ex radicibus haurit, ac percipit: ita homo, qui in Scripturis frequentiùs cum arbore componitur, quasi originem, atque propaginem à parentibus terrenis, velut per radices trahit. Hinc vt Israëlitici populi vitiata origo à
Ezech. 16. 3. Domino exprobraretur, Ezechielis 16. 3. dicitur: *Radix tua, & generatio tua de terra Chanaan*, quod magis explicans subdit; *Pater tuus Amorrhæus, & mater tua Cethæa*. Quare vt tota humana natura labe originali infecta, ad viuum depingeretur, aptius nihil, quàm arborem, vitiatis, & carie corruptis radicibus delineares; vnde elegantissimè pro more
Chrysol. suo Petrus Chrysologus versans ea Pauli verba, *per*
Ad Rom. 5. 12. *peccatum mors*, ad Rom. 5. 12. serm. 111. sic inquit. *O crudelis fera, & non vno capite in humanum genus sæuire contenta! quam videmus tota humana stirpis germina tam pretiosa deuorantem trino ore, siquidem peccatum rapit, mors deuorat, deglutit infernus, & ita in omnes homines pertransit. O dura hereditas! ô crudelis! ô miseri! Quibus nec adspici libuit, nec renunciare licuit, nos heredes; & ne hoc iniustum forsitan videatur, respondetur, quia omnes per vnum; nunquid non in semine tota arbor? Vitium ergo seminis, vitium totius est arboris.* Sic Chrysologus. Vnde quidem omnimoda Deiparæ puritas, & ab originali labe immunitas clariùs emicat. Etenim dum tota humanæ naturæ arbor in semine vitiata, atque in radicibus corrupta esse perhibetur, signatissimè de Maria decantatur, pulchram esse radicibus arborem, quæ sic ab Adamo pullulauerit, vt nihil ex Adami culpa sordidum ipsi adhæserit; sed defæcatum, immaculatúmque omnino ab illo originem traxerit.

8. Sanè, & huic rei intentus, & sub hac imagine, dum Virginem cum lectica, seu gestatorio lecto, in quo diuinus sponsus gestaretur, suásque haberet delicias, composuit accurata locutione dixit Sapiens
Cantic. 3. 9. *Ferculum fecit sibi Rex Salomon de lignis Libani.* Notetur dicendi modus, *de lignis Libani*: cur de lignis, nec de arboribus? Porrò arbores Libani, quamuis Cedri sint (hæ enim propriæ illius montis plantæ) hoc est, imputribilis naturæ; at dum non sunt excisæ, neque ad fabrefaciendum opus perpolitæ, atque dolatæ, naturalibus innituntur radicibus, terræque inhærent; ac proinde succum ab ipsa trahere necesse est: ligna verò non denotant arbores, vt in terra defixas; sed vt à naturali situ abscissæ, ac detruncatæ nullum iam terrenum sugunt alimentum, aut succum. Ecce Virginem in Dei ferculum, & quietis locum constructam, non ex arboribus in terra radices agentibus, sed ex lignis dolatis, atque perfectis, quæ nihil habeant cum terra commune. Sed quonam id modo fuerit? numquid è primis nostris parentibus, nondum peccati labe infectis, quædam ab omni contagione pura seruata fuerit particula, ex qua immaculata Virgo formata fuerit? Sic cum Galatino lib. 7. cap. 3. censent plures, quibus non leuiter adstipulari videtur Damascenus orat. 1. de Mariæ natiuitate. Sed ego, ne solidis, firmísque rebus dubias, & incertas videar admiscere, ab ea cogitatione abstineo, & ad diuinum beneplacitum, quo Virginem, ex qua carnem ipse erat suscepturus, cœlo splendidiorem, astrísque mundiorem voluit efficere, totum me cóuerto: ac præfatis verbis illud tantùm innui contendo, pulchram radicibus Deiparam extitisse, hoc est, ita fuisse conceptam, vt in gratia, à qua primum alimentum traheret, radices ageret, non quidem quod alio, quàm communi generationis modo, à parentibus fuerit genita, sed quod respectu peccati originalis, quod in generatione, & conceptione, quasi per radicem trahitur, ita fuerit à diuina gratia præuenta, ac si communi generationis modo concepta non fuisset. Sub quo sensu, præfato loco de Virginis immaculatæ Conceptione luculenter dixit Damascenus: *Natura gratiæ fœtum antevertere minimè ausa est, verùm tantisper expectauit, dum gratia fœtum suum produxisset.*

Quam sanè ad rem valde est accommodata palmæ metaphora, sub qua frequentiùs Virgo in Canticis, & aliis Sapientiæ libris commendatur, præsertim verò Ecclesiastici 24. 18. *Quasi palma exaltata sum in Cades*; & Cantic. 7. 7. *statura tua assimilata est palmæ*: ea namque est palmæ natura, ab aliarum arborum genio valde dissimilis, vt vitalem vim, non in radicibus humi defixis, sed potiùs in summo habeat, quasi à cœlo potiùs, quàm à terra naturalem succum, alimentúmque trahat. Sic enim de ipsa Philo libro de vita Moysis: *Palma arborum præstantissima, aspectu pulcherrima, fructum quoque fert optimum; & vitalem vim habet, non in radicibus defossam, vt cætera, sed in summo quasi cor situm.* Vbi vides, quomodo hic Mariæ mons pulcher radicibus sit, quando nihil sordidi, vitiatique succi à parentibus in Conceptione sua traxit; non secus, ac si vitalem vim, non à terrenis radicibus, sed à cœlestis gratiæ origine haberet. Planè, quod Paulus hac nostra epist. cap. 3. 20. de perfectissimo vitæ suæ ordine, & conuersatione dixit: *Conuersatio nostra in cœlis est*; siue vt vertit Tertullianus, *Municipatus noster in cœlis est*: & quod mystico sensu de viro sapiente, & iusto, Seneca epist. 39. *Sursum illum vocant initia sua*, id optimo iure de primo vitæ suæ conceptu Beatissima Virgo enunciauerit, cui nihil humana propago potuit obesse, quominus ab omni originali macula immunis conciperetur. His illud adiunge, Virginem dubio procul eam margaritam fuisse,

Marginalia (right column): Cant. 3. 9. — Galatin. — Damasc. — 9 — Ecclesi. 24. 18. — Cant. 7. 7. — Philo. — Ad Philip. 3. 20. — Tertul. — Senec.

qua

qua inuenta, cœlestis negotiator dedit omnia quæ *Matt.13.46.* habuit, vt compararet eam, Matth. 13.46. Sed enim *Plin.* de margaritæ conceptu sic scripsit Plinius lib. 9. c. 35. *Origo, aut genitura conchæ est haud multum ostrearum conchis differens: has vbi genitalis anni stimulauerint ora, pandentes sese quadam oscitatione impleri roscido conceptu tradunt; grauidas postea eniti, partúmque concharum esse margaritas, pro qualitate roris accepti; si purus influxerit, candorem conspici, si verò turbidus, & fœtum sordescere; eumdem pallere, cœlo minante; conceptum quippe ex eo constare, cœliq; eis maiorem societatem esse, quàm maris.* Hæc de margaritarum conceptu Plinius, quæ pulcherrimæ huius margaritæ conceptioni iure accommodes; etenim dum sub pulchro gratiæ climate, secundáque cœlestis fauoris aura aspirante, cœlóque minimè minante, sed fauente, gratiarúmque cumulum diffundente, & gaudium vniuerso mundo annunciante, concepta est, nihil pallidi, sordidique hausit; cœli quippe ei maior, quàm maris societas fuit.

10. Redeo ad radicum pulchritudinem; & mihimet ipsi obiicere placet Isaiæ verba, in quibus Deipara, arbor cum radicibus nominetur; sic enim Vates cap. *Isai.11.1.* 11.1. *Egredietur virga de radice Iesse:* in quæ celebris est Hieronymi expositio, *virgam de radice Iesse, sanctam Mariam Virginem intelligamus.* En ergo Mariam signatè ex radice Iesse pullulasse dicitur: sed ad faciem id quidem, non reapse. *Procop.* Quare ex Procopio inibi, & aliis obserua, Hebraïcè pro illis verbis, *de radice,* haberi *guesog,* hoc est, *ex trunco præciso:* vt dilucidè, ac eleganter innuatur, nihil huius virgæ conceptioni, & egressui naturali, parentum radices obfuisse, quo minus ipsa ab omni labe peccati conciperetur immunis, non secus ac si ex humanis parentibus ortum non duceret; præcisúsque fuisset generationis humanæ truncus, vt nihil ex succo terreno, quod labe peccati esset infectum, traheret. Quòd si virgæ nomine retento, metaphora paulisper immutata, *Cyr Ierос. S. Ephrem. Bernard.* cum Cyrillo Ierosolymit. citato loco, necnon cum Beato Ephrem serm. de Beatæ Mariæ laudibus, Bernard. hom. 2. in *Missus est,* Virginem appelles virgam Aaron tot miraculorum effectricem, vide quid de ipsa dixerit Bernard. serm. in c. 12. Apoc. quid etiam Rupertus; sic enim prior. *Hanc sacerdotalis virga, dum sine radice floruit, designabat.* Quid est enim, *sine radice floruit,* nisi absque infectione culpæ progigni? Similiter Rupertus ad cap. 1. Cantic. hanc virgam cum Deipara sic componens: *Sicut virga illa virgas maleficorum, & incantatorum deuorauit, & omnem superbiam Ægyptiacam obtriuit, ac deinde germinauit, frondiut, floruit, & fructum protulit, non plantata, non succo terræ animata, sed virtute cœlesti supra vsum naturæ prouecta: sic tu pulcherrima mulierum, amica mea, cunctam prauitatem hæreticam interemisti, superbiam diaboli deiecisti, conceptu florida, partu fructifera.* Hæc Rupertus. Pende illa, *germinauit, frondiut, floruit, non plantata, non terræ succo animata,* quæ eò eunt, vt virga hæc ex trunco præciso, siue ex lignis Libani supra vsum naturæ ortum duxisse asseratur.

11. *Matth.1.16.* Nec videtur quidem id prætermissum ab Euangelistis: etenim Matthæus dum Christi generationem suscepit narrandam, sic progenitorum seriem contexit, vt qui Mariæ parentes maximè referre debuisset, illos silentio premat, & pro illis Iosephi patrem substituat. Dum verò huius ratio ab interpretibus accuratè disquiritur, cùm Mariæ parentes recensuisse, & nihilo fuisset difficilius, & ad genus Christi intelligendum multò clarius; illud non omnino abs re dixeris, eandem Matthæo, ac Salomoni mentem fuisse, vt indicaret Virginis ferculum non de arboribus, sed de lignis Libani fuisse confectum, quod licèt reipsa ab his omnibus Principibus, quos ipse singillatim refert, necnon immediatè à sanctissimis Ioachimo, & Anna, per veram generationem orta fuerit; at quod originalem maculam, quæ à parentibus in filios transmittitur, ita fuit exempta, ac si nullum à terrenis parentibus ortum duceret. Consentit sub diuersa locutionis, ac narrationis serie Lucas cap. 3. 23. *Luc.3.23.* qui Christi genealogiam, & progenitores recensens, non vt Matthæus, qui sumens ab Abraham exordium, vsque ad Ioseph deuenit, sed inuerso ordine à Ioseph incipiens ad primum vsque parentem Adamum peruenit, inquiens, *qui fuit Seth, qui fuit Adam:* nec ibi substans adiecit, *qui fuit Dei.* Sed quid opus fuit addere, *qui fuit Dei?* Fuissétne aliquis adeò rudis & humanitatis expers, qui nesciret primum à Deo formatum hominem? Non opinor: cur ergo id addidit Lucas? Crediderim, emphasim ea verba in immaculatæ Virginis Conceptionis gratiam habere; vt sensus fuerit, Deiparam, de cuius generatione inibi ad genus Christi demonstrandum agebatur, ab Adamo prout à Deo recenter egresso, non vt peccati labe infecto, ortum ducere; atque ideo illud, *qui fuit Dei,* reduplicatiuè, vt inquiunt Logici, esse sumendum, ac si dicatur Adami quidem filiam Virginem fuisse, sed (quod attinet ad originalem labem) Adami filiam, prout à Deo, hoc est, in rectitudinis statu formati; quod forsan innuit Lectio Syriaca, *Lect. Syr.* *qui ex Deo,* eo modo quo supracitatus dicebat Theophylact. *Theophyl.* *A Virgine enim Maria, & sola secundum carnem est natus, & matre quidem secundum supernum illum, & cœlestem ortum.* Quò maximè facit, quod de pelliceo Her à serie progenitorum Mariæ excluso, præcedenti adnotatione diximus.

12. Si inquis, quî fieri potuit, vt Adæ filia Adæ maculam non contraheret? num potuit capitis vitium in membrum non deriuari? Respondet quidem pro Virginis immunitate Salomon Cantic. 4. *Cant.4.4.* 4. *Sicut turris Dauid collum tuum, quæ ædificata est cum propugnaculis: mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium.* Verùm vt imaginis elegantia ad rem hanc innotescat, ad quid turris illa à Dauide fuerit constituta, audi ab Ambrosio in Psalm. *Ambros.* 118. octonario 4. dicente. *Condidit turrim illam Dauid, & super murorum ædificauit excelsa, vt subsidio pariter, & decori esset: subsidio, quia hostem præuidet, & expellit: decori, quia non solùm inter humilia, sed etiam inter excelsa supereminet.* Pende illa, *subsidio, quia hostem præuidet, & expellit.* En igitur comparationis vim, dum Virgo sic Adæ, tamquam capiti vnita à Salomone dicitur, vt tamen ipsius collum, per quod vitiati capitis influxus erat transiturus, non secus, ac turris illa, quæ vt hostem eminus præuideret, & valido conatu fugaret, ædificata, fortissimísque propugnaculis munita, atque omni clypeorum, & armorum genere erat instructa, firmissimo diuini fauoris munimento ornatum esset, atque munitum, vt cùm hostis venenosa illa buccella, quæ Adamo, eiúsque posteritati mortem intulit, armatus adueniret, vt Virginem occuparet, & veluti per collũ transiret, non præuideretur solùm, sed etiam expelleretur, atq; fugaretur. Firmat Sapiens suam pro Virgine assertionẽ simili imagine, Cant. 7. 1. inquiens: *Cant.7.1.* *Nasus tuus sicut turris Libani, quæ respicit contra Damascum.* Vbi præter solertiã, atq; vigilãtiam, quæ hostiles insidias speculatur, longéque repellit, Libani turris cõtra Damascũ signatè respiciens, res mysterij plena est. Nam Li-

banus, *candidus*, siue *albus*, interpretatur; vrbs verò Damasci, tum Syriæ caput erat, tum etiam *sanguis*, siue *sanguinis potus*, aut *osculum*. à Hieronymo explicatur: ex quibus bene elicias, Virginis candorem, siue immaculatam Conceptionem, sanguinis potum, siue osculum, hoc est, originale peccatum, quod iure caput fontémque reliquorum appelles, dum longiùs præuidit, longissimè submouisse, atque fugasse. Vnde Bernard. serm. 4. super *Salue Regina*, disertissimè in hanc sententiam ait. *Tu nasus Ecclesia similis es turri: celsa videlicet dignitate, firma grauitate, turris es Libani; Libanus mons, qui dicitur dealbatio, altam præ omnibus signat innocentiam tuam. Innocens fuisti ab originalibus, & ab actualibus peccatis; nemo ita præter te.* Sic ille. Est verò hic germanus sensus verborum Genesis 3. 15. *Ipsa conteret caput tuum.* Sed obserua primùm, Hebræam vocem, *rosc*, quæ voci, *caput*, subest, æquè significare toxicum, quod omnium lethalium succorum caput sit: deinde verbum, *suph*, pro quo noster posuit, *conteret*, propriè verti posse, exsufflare, seu peculiari cum impetu, & vi flando longiùs ponere. Vnde videas sententiam esse, Virginem vehementi flatu primordiale virus à capite descendens exsufflasse, & à se quàm longissimè remouisse. Sanè illa, quæ quis à se flatu remouet, non omnino sibi proxima, sed aliquanto dissita esse necesse est, aliàs flatu ea arcere nō posset. Ergo serpentis virus non iam Virgini inhærens, sed adhuc longè existens, ab ipsa exsufflatum, & quàm longissimè amotum esse perhibetur.

Hieron.

Bernard.

Genes. 3. 15.

13. Sed tertiam iam imaginem, sub qua purissimam Virginis Conceptionem non minus opportunè, & eleganter Regius Vates celebrat, persequamur. Pulchra ergo sponsa in sui Conceptione Dei mater dicitur, vt quæuis ab ea macula, quiuis næuus, qui eximiam omnium pulchritudinem, qualē Dei sponsam habere decet, vtcumque fœdaret, procul amandetur. Iuuat Cant. locus cap. 4. 7. *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te*; qui vt vulgò circumferri ad hanc rem soleat, habet tamen aliquid vulgari oculo non omnino peruium. Preme ergo in primis illud, *tota* quæ voci, *pulchra*, præposita magnam emphasim habet: nimirum, perfecta pulchritudo, delicatissima, & scrupulosa res est. Scitè enim illud dixit Seneca epist. 33. *Non est formosa mulier, cuius crus laudatur, aut brachium, sed cuius vniuersa facies admirationem singulis partibus ademit.* Quod pulchritudo tam singularum partium decorem, quàm ipsarum inter se concinnitatem, ex qua peculiaris venustas resultet, signatim exigat; quod ad animæ pulchritudinem ab eodem Seneca (si eius sunt prouerbia, quæ ipsi vulgò tribuunt) sic aptatur: *Sicut formosa pictura est, in qua nulla pars errat, sic & formosus homo in quo nulla pars peccatis fœda est.* Vnde quidem fit, vt si summo iure agamus, nullus ex mortalibus, quantūuis sanctitate conspicuus nobis esse videatur, perfectè, & totus pulcher fuerit, cùm præter minuta errata, quibus nemo caret, originalis macula (à qua *nemo mundus super terram*, Iob. 15. 4. iuxta LXX. *nec infans vnius diei*,) omnes cōprehendat. Quare huic instituto bene accommodatur, quod apud Boëtium lib. 3. de Consolat. dicebat Aristot. *Si lynceis oculis homines interentur, vt eorum visus quæcumque obstantia penetraret, nonne introspectis visceribus, illud Alcibiades pulcherrimum corpus, turpissimum videretur?* Vnde ipse subdit. *Igitur te pulchrum videri non tua natura, sed oculorum spectantium reddit infirmitas.* Prodit se iam vis, & energia huius Deiparæ attributæ laudis, vt lynceis etiam oculis vndique circumspecta, tam quoad externam, quàm quoad interiorem animi faciem, tam per omnes vitæ partes, quæ sub aspectum cadunt, quàm in secretissimo illo Conceptionis suæ instanti, tota pulchra, perfectéque formosa fuerit, omnibus peculiari decore inter se concinentibus pulchritudinis, siue sanctitatis, ac puritatis partibus. Expressit hanc cogitationem Hugo Victorinus ser. de Assumpt. vbi componens hæc cœlestis sponsi verba, cum illis sponsæ ad ipsum: *Ecce tu pulcher es dilecte mi, & decorus*, Cantic. 1. 15. sic ex Christi persona inquit: *Ego totus pulcher, & tu tota pulchra: ego per naturam, & tu per gratiam. Ego totus pulcher, quia totum quod pulchrum est, in me est; tu tota pulchra, quia nihil, quod turpe est, in te est.* Vbi maximè notandum discrimen, sub quo, & seipsum, & matrem Dominus laudat, dum sibi omnium virtutum decorem, & pulchritudinem tribuit; à Virgine verò quidquid turpe, aut immundum fuerit, signatè remouet. Nimirum Dei Filio nulla subesse poterat macula, ideo non tam necesse fuit dicere, nihil in ipso turpe esse, quàm omne quod pulchrum est, in eo inueniri. At quoniam Virgo quà Adæ filia erat, nisi ex peculiari Dei priuilegio originali labi foret obnoxia, eo modo notanter eius pulchritudo commendatur, vt nihil quod turpe est in ea fuerit, vt, videlicet, ad modum formosæ picturæ, in qua nulla pars errat, sic tota pulchra Deipara dicatur, in qua nulla pars peccato fœda sit.

Cant. 4. 7.

Senec.

Iob 15. 4.

Boëtius.

Aristot.

Hugo Vict.

Cant. 1. 15.

Accinit huic cogitationi, quod subiunxit Salomon, *& macula non est in te*, si discrimen quod in serie orationis inter hæc, & præcedentia verba apposuit, obserues: nimirum, in Hebræo, dum Virgo vndequaque pulchra dicitur, haberi verbum, *es*, cùm autem subditur, maculam illi nullam subesse, nullum apponi verbum, atq; ideo de verbo ad verbum sic legi: *Tota pulchra es amica mea, & macula non in te.* O opportunissimam verbi omissionem! Planè vt ipsa innuatur, nullum vnquam extitisse tēpus, in quo Virgo maculam cōtraxerit, nec de præsenti, aut de præterito, aliquo modo posse affirmari originalis peccati næuum ipsi fuisse. Sanè si diceretur, *macula non est in te*, diceret forsan non nemo, nō est quidem modò, at aliquando fuit. At enimverò dum de industria nullum apponitur verbum, quod tempus aliquod importet, vocalissima reticentia dicitur, omni tempore pulchram Virginem fuisse, nec vllo temporis instanti maculam ipsi adhæsisse posse enunciari, vt dum Virgo tota pulchra, & est, & fuit, & erit, & semper extitisse asseritur, nullum quidem verbum temporis enunciatiuum ad maculam à Virgine remouendam sacro Scriptori ad manum fuisse appareat: quippe nullum contrahendæ sordis tempus inuenit; vt videris vrbanitatem non esse, si quod ipse bene, & comiter hac artificiosa verbi omissione in Virginis gratiam adstruxit, tu pro libito velis destruere. Abi. Nónne Maria *liber* est *generationis Iesu Christi*, liber inquam Dei, hoc est, Spiritu Dei viui conscriptus? Quid igitur mirum, si erratis careat? Alius certè Mariæ liber à meo libro fuerit, quippe hunc Typographi mortales, cæcutientes, oscitantes typis mandant, ideo à prima vsque ad vltimam lineam erratis, mendísque scatet: at sacrum Mariæ librum ipsemet Deus, qui vel ipsomet Gentili Plinio teste, lib. 2. cap. 7. *Totus est sensus, totus visus, totus auditus, totus anima, totus animi, totus sui*; imprimendum suscepit. Nullum ergo in illo erratum, nullā labem, nihil omissum, siue prætermissum quæras. Audebat aliquando Moyses Domino in populum dirum supplicium inferre molienti, egregia simúlque religiosa animositate obniti, illis verbis 14.

Plin.

Exod.

Exod. 32.31. Exod. 32.31. *Aut dimitte eis hanc noxam. aut si non facis, dele me de libro tuo, quem scripsisti.* Quæ quidem, vt bene notat Aug. q. 147. in Exod. non diceret, nisi ex fiducia, quam de Deo pridem cōceptam habebat, sibi fuisset omnino persuasum, è Dei libro minimè ipsum fore delendum. *Securus quidem hoc dixit* (inquit Aug.) *vt à cōsequentibus ratiocinatio concludatur: id est, vt quia Deus Moysem non deleret de libro suo populo peccatum illud remitteret.* Sed quæ fuerit huius confidentiæ ratio? Cur securus id Moyses diceret, quasi à Deo de libro suo non esset delēdus? Nimirum, tam ingenuo, egregióque animi sensu de Dei libro existimans, vt lituram aliquam in eum posse cadere, minimè sibi persuaderet: ac si secum ille hoc mente peruolueret, Noui Dei librum nullis erratis, siue lituris esse obnoxium; ab illo ergo non delebor: quid igitur restat, nisi vt Dominus parcat populo suo? Sanè eam Dei libri, siue diuinarum tabularum naturam esse, vt in ipsas litura, vel interitus non cadat, sic affirmabat Gregorius Nyssenus oratione aduersus eos qui differunt baptisma. *Oues ad signaculum, & signum Crucis, quod malis opem fert, & remedium* (festinate.) *Date mihi nomina, vt ego ea imprimam libris sensilibus, & scribam atramento: Deus autem ea signet in tabulas, in quas non cadit interitus, scribens proprio digito, vt olim legem Hebreis.* Idē ergo de hoc sacratissimo Mariæ libro cogites velim: esto securus nullam in eas tabulas lituram incidisse, quas proprio digito, vt legē olim Deus conscripsit. Ne verò, fideiussore nō dato, id dixerim, audi Psaltem Regium de hac pulchra sponsa dicētem: *Adstitit regina a dextris tuis in vestitu deaurato,* Psal. 44.10. vbi Paraphrastes Chaldæus hæc habet: *Stabit liber legis in latere dextera tua, & exarabitur in exemplari splendor tuus velut obryzo ex Ophir.* Opportunissimè: nec enim liber legis solùm Regina cœli dicitur; sed eam etiam esse, in qua aureis literis, & lineis, Dei splendor exaratus sit. Quid iam candidius Dei matre? quid splendidius ea, quam splendor elegit? vt dicebat Ambros. Nec pigebit addere, quod prophanus ille Epigrammatarius cum libro suo conferebat, dum illum detractiones, & irrisiones sciolorum potiùs eligentem, quàm auctoris lituras perferentem, sic facit.

August.

Nyssen.

Psal. 44.10. Chald.

Martialis.

Argiletanas mauis habitare tabernas,
Cùm tibi paruæ liber scrinia nostra vacent.
Nescis heu, nescis domina fastidia Romæ,
Crede mihi, nimiùm Martia turba sapit.
Maiores nusquam ronchi, iuuenésque senésque,
Et pueri nasum Rhinocerotis habent.
Sed tu ne toties Domini patiare lituras,
Neve notet lusus tristis arundo tuos,
Æthereas lasciue cupis volitare per auras,
I, fuge: sed poteras tutior esse domi.

Adeò quidem lituras ipsimet turpes libri, liturisque dignissimi exhorrent, vt præ illis reprehensiones, & irrisiones amplexari malint. Felix igitur fueris, si omnem ab hoc purissimo libro, & lituram, & reprehensionem remoueris, præsertim cùm ipsi à diuino sponso dicatur: *Tota pulchra es amica mea, & macula,* siue, *reprehensio,* (vt legit Ambros. libro 1. de Virgin.) *non est in te.*

15. Hug. Vict. Apto huic diuinæ sponsæ pulchritudini, quod Venerabilis Hugo de S. Vict. in assumpto à dæmone ad Euam decipiendam serpentis corpore commentatur. Perquirit enim ille ad cap. 3. Genes. in allegoriis Gotfridi Tilmani, quid fuerit in causa, quod malus dæmon Euam decepturus serpentis potiùs quàm columbæ corpus, quod ad blandè decipiendum erat opportunius, voluerit assumere. Respondet verò: *Venis ad hominem in serpente calli- dus hostis, qui fortassis si permissum fuisset, in forma columbæ venire maluisset; sed hoc vas sibi Spiritus sanctus reseruauit, quia profectò dignum non erat, vt spiritus malignus formam homini odiosam faceret, in qua postmodum ei Spiritus sanctus apparere voluisset.* Hæc ille. Vetitus ergo dæmoni ingressus in colūbæ corpus, quod illam sibi diuinus Spiritus reseruarit, vt in ea ad punctum temporis vtcumque se ostenderet; & credemus aditum illi in Virginis animam, quæ corpore tāto nobilior est, fuisse permissum, eùm ipsam, & Dei Filius in matrem, è cuius carne carnem ipse susciperet, & cuius in vtero longi temporis hospes moraretur, & diuinus Spiritus in sponsam sibi prælegerat? Præsertim cùm potentiùs, perniciosiùs, ac fœdiùs impius dæmon animæ per originalem culpam, quàm corpori, quod ad opus aliquod vt materiale instrumentum assumit, dominetur. Scilicet læto vultu, atq; æquo animo ferret diuinus ille sponsus, in amore sponsæ suæ flagrantissimus, vt ea, quæ sibi in matrimonium copularetur, in manus, iúsque sæuissimi hostis, vt ab ipsa impurus ille gloriosum sibi triumphum reportaret, priùs traderetur. Placet rei indignitatem ob oculos ponere adducta historia Romanorum Consulum, dum à Samnitibus, vt auctor est Liuius, bello capti, & à victoribus sic elusi, & ignominia affecti sunt, vt paludamentis detractis, seminudi sub iugum missi fuerint, armatis tunc hostibus circumstantibus, simúlque exprobrātibus. At enimverò subiicit scriptor, rei indignitatem tantam inter ipsos, qui paulo antè eos execrantes, dedendos, lacerandósque censuerant, miserationem fecisse, vt suæ quisque cōditionis oblitus, ab illa deformatione tantæ maiestatis, velut à nefando spectaculo oculos auerterit. Apta iam id, si libet, victoriæ, & triumpho, quem de anima originali peccato obnoxia malus dæmō refert: etenim seminuda, imò verò omninuda, & ignominiæ plena sub iugum dęmonis mittitur, armatis tunc hostibus circumstantibus, simúlque exprobrantibus, atque eludentibus. Induces ergo animum, vt Virgini diuino sponso spectante id accidisse credas? Non crederet, opinor, Poëta, qui 2. Æneid. Principem virum Corœbū Cassandræ amore incensum, dum illam ab hostibus vinctam deferri videret, in arma, & certā mortem ruentem, seséque coniicientem, sic facit:

Tit. Liuius.

Virgil.

Non tulit hanc speciem furiata mente Corœbus,
Et sese medium iniecit moriturus in agmen.

Sed vt hæc omittā, minus quidem id crederet Beda, qui in c. 1. Lucæ, ea Angeli ad Mariam verba, Luc. 1. 28. *Aue gratia plena:* sic explicat, vt idem sint, ac si diceretur: *vt quantum valeat Spiritus sanctus ostenderet.* Scitè, & opportunè, *quantum valeat:* vt nobis fiat manifestum, eum ex hostium manibus, atque ignominia sua sponsam exemisse, eùm in illos valeret, ac præualeret. Beda. Luc. 1. 28.

Verùm quid moramur? ipsemet iam sponsus loquatur id non semel confirmans. Primò enim præfato loco Cant. 4. 13. *Emissiones tua paradisus,* tantùm non dicit potissimam Virginis dotem, quam in diuini Spiritus coniugium attulit, præcipuamq; rationem, atque incitamentū ob quod ipse eam sponsam duxerit, hanc immunitatem ab originaria labe fuisse. Nam cùm vna ex parte iis in verbis immaculata Deiparæ Conceptio multiplici ratione, vt superiùs vidimus, adstruatur; ex alia verò sic ea capiat Theodor. vt significent dotalia munera, quæ sponso eius sponsa attulerit, sic enim ille ait: *Hæc, inquit, omnia misisti mihi, & tempore nuptiarum attulisti;* iure dixeris, pristinam hanc paradisi puritatem, vitæque halitum Deiparæ pro dote in diuini Spiritus coniugium fuisse. Et bene quidem diuini huius 16. Cant. 4. 13. Theodor.

Mm 2 para

paradisi dos, terreni illius paradisi, atque aurei sæculi doti respondet: etenim de originali gratia ob Adæ peccatum eius posteris à Deo ablata, scitè di-
Tertul. xit Tertullianus lib. de Pœnitentia cap. 2. *Post condemnatum hominem cum sæculi dote:* nimirum, vnica hæc hominis dos, qua velut sponsa ornata viro suo diuino Spiritui copulabatur, originalis gratia fuit, qua sanè homini adempta, ingens ille gratiarum cumulus, profluénsque priuilegiorum decursus, adeò cessauit, vt florentissimæ, ac ornatissimæ doti ignominia, turpitudo, dedecúsque succederet; & qui totus cœlestis, ac penè diuinus erat, totus subinde luteus, ac terrenus euaderet. Sed enim cùm Deo placuit, *in dispensatione plenitudinis temporum instaurare omnia in Christo, quæ in cælis, & quæ in*
Ad Ephes. 1. 10. *terra sunt, in ipso*, ad Ephes. 1. 10. eam sibi diuinus Spiritus sponsam præparauit, quæ pulcherrima illa prioris sæculi dote floreret. Quare de ea signatissi-
Eccl. 6. 31. mè dixit Sapiens, *decor vitæ est in illa*, Ecclesiast. 6. 31. Illa, scilicet, innocentis sæculi dos, qua humana vita cohonestabatur, vt quidquid decoris, ac lucis ipsa priùs amiserat, in Deipara subinde instauratum videret: vnde eam luti nostri honorem oppor-
Bernard. tunè appellauit Bern. hom. 1. in *Missus est*, inquiens; *Hæc honor luti nostri*: quod humanum genus cum sæculi dote condemnatum, in lutum conuersum, pristinum ex Mariæ dote decorem, honorémque percipiat.

17. Sed cùm in eodem libro sponsam suam diuinus Spiritus iterum, atque iterum columbam appellet, Cant. 2. 10. & 14. & cap. 5. 3. obserua, ipsum in specie columbæ signatè apparuisse. Quod si inquiras, cur non in similitudinem hominum, & habitu iuuentus vt homo, sicut Dei Filius, sed vt columba
Paschas. ostendi voluerit. Respōdet Paschas. lib. 2. in Matth. *Quia ille venit, vt exemplum viuendi Deus homo homini exhiberet, & coniunctus ei per carnem eum morte redimeret, illa verò, vt donum ipsum, quo ex gratia bene viuendo peruenitur, expressius significaret. Quæ, nimirum, columba nequaquam creditur passa, vel Spiritus sanctus per eam, quomodo Deus homo in carne passus dicitur, quia omnino non columbas venit redimere, sicut Christum Iesum Dominum nostrum nos homines constat redemisse.* Ergo Christus Deus, & homo, homini aptatur, quod hominum infirmitates esset suscepturus: diuinus verò Spiritus in forma columbæ, cum Virgine vt columba componitur, quod illa peculiari dono, ac priuilegio ab omni peccato etiam originali ex Christi meritis foret præseruanda, eáque ratione ab ipso in sponsam assumenda. Certè si materialis columbæ corpus ab ipsomet mundi exordio peculiari illa ratione, quam
Hugo de S. Vict. afferebat Hugo de S. Vict. sibi Spiritus sanctus reseruauit, ne ex dæmonis illapsu odiosa homini ea forma esset, in qua ipse postmodum conspici decreuisset; quanto fortiori, efficaciorique ratione veræ huius columbæ animam à dæmonis contactu, & possessione, diuini Spiritus decreto exemptam fuisse dicemus, ne ipsimet in spirituale, cœlestéque coniugium odiosa, inuisáque foret? Huc reuoco, quæ adnotat. præced. num. vltimo dicebamus, non bene se gerere cum diuinitate Christi, eam matrem habere, quæ omni puritatis, & castitatis flore prædita non esset: vnde quidem increduli illi, ac perfidi Iudæi maligno astu, & calliditate Christo fratres,
Matth. 13. 56. sororésque obiiciebant, Matth. 13. 56. vt matri virginitate adempta, Filio diuinitatem impunè dene-
S. Chrysol. Paschas. garent, vt his verbis Chrysologus serm. 48. & totidem Paschas. lib. 7. in Matth. adnotarunt. *Callidè fratres, Iudæe, ingeris, ostentas sorores, vt numeroso partu sanctæ matris virginitas lateat, obscuretur integritas, & sentiatur de Filio totum, quod humanum est, nihil diuinum.* Quo sensu de ipsamet sapientissima Virgine
Leo Magn. sapienter dixit Magnus Leo serm. 1. de Natiuitate *Nec damnum credit pudoris Dei genitrix mox futura:* certissima, scilicet, non alia lege à diuino Spiritu obumbrandam, vt Dei Filium conciperet, nisi Virgo perpetua fuisset, essétque futura. At si mentem adhibes, conspicies, minori indignitate, & diuinum Spiritum Mariæ sponsum, & Dei vnigenitum eius Filium esse futurum, si honorabili coniugio, & immaculato thoro inseruiisset, quàm si originali peccato fœdata, atque commaculata fuisset.

Hæc modò, dum quos in librum Sapientiæ commentarios habemus, non promimus, pro immaculata Virginis conceptione dicta sufficiant; 18.
præsertim cùm alia non pauca, quæ non modò parata, sed prælo etiam commissa habebamus, à florentioribus scriptoribus subtiliori stylo, ac feliciori calamo iam pridem occupata fuisse, ex ipsorum libris nuper nouerimus. Sed illud modò addendum putamus, efficacissimam, & quasi necessariam pro tota hac re argumentationem, omnium Ecclesiarum, Academiarum, Ciuitatum, Prouinciarum, gentium, Antistitum, Episcoporum, Principum, Regum, Imperatorum consensionem esse, in hanc sententiam vno sensu, atque iudicio, eodem mentium, & voluntatum impetu confluentium, & quod caput est, ipsis Sacrosancta Romana Ecclesia indesinenter fauente, piáque hæc vota promouente, vt meritò dixeris, quod de Dei prouidentiæ sententia dixit Plinius lib. 2. nat. histor. cap. 7. *Pari-* Plin.
térque & eruditum vulgus, & rude in eam cursu vadit. Vnde quidem pro sapientissimi, ac felicissimi huius sensus veritate, illud mihi hæc consideranti sese statim offert, quod de animæ testimoniis sic dicebat Tertullianus in libro de testimonio animæ. Tertul.
Hæc animæ testimonia, quanto vera, tanto simplicia, quanto simplicia tanto vulgaria, quanto vulgaria, tanto communia, quanto communia, tanto naturalia, quanto naturalia, tanto diuina. Necnon quod alibi, cùm ex ipsorummet Gentilium, qui plures deos venerabantur, vsitatis locutionibus, *Deus videt*, &c. *Deo commendo*, &c. *Deus mihi reddet*, vnum Deum confirmat, sic exclamat: *O testimonium animæ naturaliter Christianæ!* Sanè dum omnium, siue eruditorum, siue rudium, siue Principum, siue plebeiorum, siue diuitum, siue pauperum, siue virorum, siue fœminarum ore, Virginem absque macula conceptam audio, huius veritatis testimonia, quanto communia, tanto vera, naturalia, atque diuina esse dixerim, atque ideo iure exclamem: *O testimonium Virginis absque dubio sine labe conceptæ!* Huc quodammodo pertinent, quæ August. lib. cont. epist. Manichæi, August.
quam vocant fundamenti, pro Catholicæ fidei veritate, ac firmitudine sic dicebat: *Vt ego hanc omittam sapientiam, quam in Ecclesia esse Catholica non creditis, multa sunt alia, quæ in eius gremio me iustissime teneant. Tenet consensio populorum, atque gentium, tenet auctoritas miraculis inchoata, spe nutrita, charitate aucta, vetustate firmata.* Hæc enim omnia pro immaculata Virginis Conceptione mirificè faciunt, dum eos qui eam propugnant, consensio populorum, atque gentium tenet, pluráque egregia miracula firmant, alit spes, charitas inflammat. Iam ad alia.

Ad

Ad illa verba: *Exinaniuit semetipsum*, iuxta Dionysij Alexand. expositionem.

ADNOTATIO IX.

Christum in Eucharistia veri Principis, verique Dei specimen præbere.

1. QVIDEM quamuis Dionysij Alexand. superiùs allata expositio Pauli contextui omnino non quadret; nulla ratione prætereundam volumus, quin peculiari adnotatione donemus, vel hac potissimum de causa, quod ea munia, quæ Christus Dominus in Eucharistia obit, mirificè explicet. Ergo sic aiebat Dionysius: *Deus igitur, qui habitat in nobis secundùm testamentum, quod disposuit nobiscum, dicens:* Accipite, & diuidite inter vos; hoc nouum testamentum est, hoc facite in meam commemorationem. *Hæc est exinanitio Dei facta ad vsum nostrum, vt possimus capere eum: hoc enim mysterium pertimescendum dicit Sanctus Apostolus, quod seipsum exinaniuit*, &c. Et post pauca: *Exinaniri vocat Apostolus, vt antè dixi, capi à nobis mysterium vitæ per manus eius incontaminatas, & incorruptibiles, & diuinas, vt possimus qui sumus fideles eius capere eum, & fieri mansio eius accipientes eum totum.* Illustrat hæc statim Dionysius egregia illa Agni figura, quem mactatum vniuersa filiorum Israël Synagoga comedebat; subdit verò. *Verùm illi non poterant caput cum pedibus edere: quomodo enim caput Agni cum pedibus in Pascha edi poterat, cùm lex Iudæis iuberet non frangere os ex eo? Illis quidem prohibebatur hoc propter incredulitatem, & duritiam cordis*, &c. *Verumtamen qui se exinaniuit Christus Iesus, habens in seipso caput Patrem:* Caput enim Christi est Deus, fecit potentiam in brachio suo, & exaltauit humiles. *Vt ipsi capiant Altissimum, & habitet in nobis propter suam in homines charitatem, & bonitatem, qua dilexit nos.* Hæc omnia Dionysius. Et verò exinanitionis sonum, sensúmque bellè hæc exprimunt; nusquam enim Dei Filium magis exinanitum, quàm in Eucharistia inueneris: etenim si in illum cruci suffixum, & occisum intuearis, at inibi integrum, nec comminutum reperies, cùm scriptum fuerit; *os non comminuetis ex eo*, Exod. 12.46. In Altaris verò Sacramento, vt reapse integer, & indiuisus permaneat; at ad speciem saltem, & iuxta nostrum concipiendi modum frangitur: vnde & ipsemet Paulus Eucharistiæ mentionem faciens signatè dixit; *Et panis quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est?* 1. ad Corinth. 10. 16. in quæ verba Chrysost. hom. 24. in 1. ad Corinth. *Sed quare addit*, quem frangimus? *Hoc in Eucharistia videre licet, in cruce autem minimè, sed omnino contra*, os enim eius, *inquit*, non conteretur: *sed quod in cruce passus non est, id in oblatione patitur, & propter te frangi sustinet, vt omnes satiet.* Ita ille. Commendant hæc eximiam Dei in nos charitatem, & bonitatem, ipsúmque qua ratione aspectabilis est nobis, quasi de facie ostendunt. Est enim hæc veri Principis, optimi Regis, summi Dei imago, *facere potentiam in brachio suo*; non vt alios deprimat, debellet, & ad seipsum exaltandum, cibandum, pascendum, operiendum, exinaniat: sed vt ad suos cibandos, induendos, exaltandos, seipsum potiùs exinaniat, deiiciat, nec videndum solùm, sed manducandum etiam se præbeat. Ita quidem videris in celebratissimo ex Dei præscripto constructo tabernaculo inter Cherubinorum effigies summa rerum omnium veneratione constitutam arcam, vrnam manna refertam continentem, ad Hebr. 9. 4. Sanè vt hæc pro ipsius effigie, siue facie, benefacientis, miserentis, cibantis, nutrientísque habetur. Audi Theodoretum in qq. in Exod. *Et in eo sic apparebat Deus omnium. Nam cùm natura diuina sit informis, & minimè figurata, inuisibilis, & incircumscripta, cuiusmodi substantiæ imagines effingere sit prorsus impossibile, symbola liberalitatis eius immensæ intrò recondi iussit.* Sic ille. *Hæc est igitur* (vt dicebat Dionys.) *exinanitio Dei facta ad vsum nostrum, vt possimus capere eum*; atque eo vesci, nutriri, & indui.

Dion. Alex. — Exod. 12.46. — 1. ad Cor. 10. 16. — Chrysost. — Ad Hebr. 9. 4. — Theodor.

2. Certè Isai. 3.6. dum misero Reip. statui is Princeps, qui integram illi salutem dare posset, quærebatur, hæc cuidam dicebantur: *Vestimentum tibi est, Princeps esto noster*: vbi Lxx. iis verbis addunt, *& cibus meus sub te sit*. At ipse imparatùm se agnoscens, vt desperatis rebus opem ferret, & quidquid erat incommodi leuaret, prudenter respondebat: *Non sum Medicus, & in domo mea non est panis, neque vestimentum; nolite me constituere Principem populi.* Ac si diceret, quod Rex Israël fœminæ sibi suggerenti; *Salua me Domine mi Rex:* respondit; *Non te saluat Dominus: vnde te possum saluare? de area, vel de torculari?* Nimirum is Principis, is Dei specimen præbet, qui suos cibat, & nutrit, ac de area, & torculari saluat. Vnde quidem meritò seipsum Dei Filius exinaniuit, vt Agnus factus, mundissima ipsius carne cibaremur, pretiosóq; vellere indueremur. Sed enim tot retrò sæculis id odoratus Iacob Genes. 28. 20. dicebat: *Si fuerit Deus mecum, & custodierit me in via, per quam ego ambulo, & dederit mihi panem ad vescendum, & vestimentum ad induendum, reuersúsque fuero prosperè ad domum patris mei, erit mihi Dominus in Deum.* Vbi primùm notanda versio Paraphrastis Chaldæi, hæc ad Dei Filium peculiariter referentis, ad hunc modum: *Si fuerit Verbum Domini in adiutorium meum, & custodierit me in via hac, quam ego ambulo, & dederit mihi panem ad vescendum, & vestimentum ad induendum, & reuersus fuero in pace in domum patris mei, erit mihi Verbum Domini in Deum.* Deinde audienda Paschasij expositio lib. de corpor. & sang. Dom. cap. 21. *Hunc itaque cibum Iacob Patriarcha esuriebat dicens:* Si fuerit Dominus mecum, & dederit mihi panem ad edendum, & vestimentum ad induendum. *Quotquot ergo in Christo baptizantur, Christum induunt, & panem Angelorum comedunt.* Sed pende modò Patriarchæ verba; *Erit mihi Verbum Domini in Deum.* Cur modò [illegible] atque; [illegible] rò, cur non potiùs antea quàm modò. Nonne *Verbo Domini cæli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus eorum?* Psalm. 32. 6. Nonne *in principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum?* Respondeat tamen Iacob premens illud, *mihi*, ac si dicat: Bene quidem verum est, Dei Verbum ab æterno Deum, ac Dominum esse, mihi tamé benefica ipsius natura, quæ ipsum velut de facie notum reddit, tunc singillatim innotuit, cùm eum de hominibus alendis, cibandis, atque vestiendis sollicitum, ac studiosum noui. Ita penè ad ea verba Philo lib. de insomniis, inquiés. *Cæterùm benefica potêtia Deus nomen est; regia verò Dominus.* Luculentiùs verò lib. de plantat. Noë, ad hunc modum: *Iam hæ voces*, Deus æternus, *idem valet ac si dicat, non qui aliquando largitur, aliquando non, sed semper & continuè, qui sine intermissione benefacit, qui dona donis cumulando continuat, cuius gratiæ inter se coniunctæ, ac vnitæ semper in orbem redeunt, hoc ille meditator Iacob postulauit in fine precum sacratissimarum dicens*; Et erit Dominus mihi in Deum: *ac si dicat, iam non herili*

Isai 3.6. — Lect. Lxx. — 4. Reg. 6. 27. — Gen. 28. 20. — Lect. Chald. — Paschas. — Psal. 32. 6. — Ioan. 1. 1. — Philo.

potestate libera erga me vtetur, sed benefica, propitia, & vndequaque salutari potentia, sublato dominationis metu, & anima deuincta beneficijs mutuam gratiam conciliantibus. Ita Philo. Sed hæc ad rem nostram sic opportunè aptat Augustinus in Psalm. 32. conc. 1. *Notus est Dominus noster Iesus Christus in corpore, & sanguine suo, voluit esse salutem nostram. Vnde autem commendauit corpus, & sanguinem suum? De humilitate sua. Nisi enim esset humilis, nec manducaretur, nec biberetur. Respice altitudinem ipsius:* In principio erat Verbum, &c. *Ecce cibus sempiternus: sed manducant Angeli, manducant sempiternæ virtutes, manducant cœlestes spiritus, & manducant, & saginantur, & integrum manet, quod eos satiat, & lætificat. Quis autem homo posset ad illum cibum? Quomodo ergo de ipso pauit nos Sapientia Dei? Quia* Verbum caro factum est, & habitauit in nobis. *Videte ergo humilitatem, quia panem Angelorum manducauit homo, vt scriptum est:* Panem cœli dedit eis. Hactenus Augustinus. En ergo Dominum, benignissimum Deum, optimúmque Principem, qui caro factus, seruos suos semetipso alat, & de area sua, ac torculari saluet.

Aug.

3. Sed iam, cur totam Deitatis, siue beneficæ potentiæ, atque benignitatis effusionem in seipsum, ad hoc cibi, atque indumenti beneficium tam signatè, tamque peculiariter Iacob deriuauit & retulit, ac si Dominus quodammodo Deus sibi futurus non esset, nisi hæc sibi præstaret? Nónne splendidius illi, ac magnificentius donum tribueret, si cœli, atque stellarum Dominum, Solísque, ac Lunæ rectorem constituisset? Minimè quidem. Quid enim Solis, & Lunæ moderatione præ cibo hoc, atque indumento, quo Deum Solis, ac Lunæ creatorem ad vsus meos mecum habeo, & quo facta ad ipsius imaginem natura mea subsistit, opus fuerit? Audi Chrysost. hom. 27. in epist. ad Hebræos, occasione Iosue Solis cursum in medio cœlo cohibentis, sic dicentem. *Fortasse vnusquisque vestrûm vellet esse eiusmodi, vt posset imperare Soli, & Lunæ, &c. sed his maiora assequemur, si velimus. Nam quænam nobis promisit Christus? Non fore, vt Solem sistamus, neque Lunam, neque Solis retrogradationem. Sed quid?* Veniemus, *inquit*, ad ipsum ego, & Pater meus, & mansionem apud eum faciemus. *Quid mihi opus est Sole, & Luna, & his miraculis, cùm ipse omnium Dominus ad me descendat, & apud me firmus maneat, & stabilis?* Bene, *firmus maneat, & stabilis*; nimirum, vt ipse stabilis, & firmus, aliàs præceps ruiturus, maneam. Quid igitur aurú, o[illegible] sæculi gloria, & quotquot excogitari possunt i[illegible], mihi [illegible] me prosint? Plurísne externa, quàm propria; mea, nec mea, sed aliena, quàm me ipsum faciam? Certè hæc subest sententia illis Christi verbis apud Ioan. 6. 55. *Caro mea verè est cibus.* Sed obserua nonnihil difficultatis inesse aduerbio illi, *verè*: quî enim caro Christi verè cibus esse dicatur? Etenim licèt caro, & sanguis Christi reapse, & verè in Eucharistia à nobis sumantur, non tamen ideò verus dicetur cibus, quod verè manducetur; cùm multa verè manducari soleant, quæ mortem potius, quàm vitam manducantibus afferant; nam venenosos cibos prætercam, verè illud à Plinio lib. 26. c. 8. dictum: *Plurimum homini negotij aluus exhibet, cuius causa maior pars mortalium viuit, aliàs enim cibos non transmittit, aliàs non continet, aliàs non capit, aliàs non conficit, eóque mores venere, vt homo maximè cibo pereat.* Sed ad rem multi multa dicunt: illud verò probabilius, & opportunius, verè cibum dici, quod veri cibi naturã, & conditiones ab Aristot. lib. 1. de generat. cap. 1. assignatas habeat, verè enim depellit famem, nutrit animam, & deperditũ restaurat. Ergo dum ait Assertor, *Caro mea verè est cibus*; sic accipiendum reor, ac si dicatur: verè est victus, hoc est, verum animæ nutrimentum, quod vt materialis cibus temporariam corpori vitam; ita hic & corpori, & animæ vitam præstet æternam. Ita Euthymius in Matth. cap. 64. *Verè cibus, id est, aptissimus, vtpote animam, quæ propria hominis pars est, nutriens.* Vnde opportunè S. Cyril. Alexand. lib. de adorat. in spiritu non longè à principio: *Inopia* (inquit) *diuinorum bonorum nihil aliud est, quàm boni desperatio: infirma vtique erit hominis natura perquàm facilè; nam in quoduis absurdum prolabitur, nisi contineat illam Saluatoris gratia, cœlestibus bonis suis locupletans: nutrit enim robur spirituale panis viuens, hoc est, Verbum Dei, scriptum est enim:* Panis cor hominis confirmat; *liberátque à seruitute, & affectionibus, & gloria libertatis supra modùm ornat.* Sic ille. Sed luculentiùs præfata verba premens Basilius in cap. 3. Isaiæ, & cum illis Vatis: *Ecce enim dominator Dominus auferet à Ierusalem, & à Iuda validum, & fortem, omne robur panis, & aquæ*, componens, sic inquit. *Quemadmodum enim corpora nostra conualescunt, ac firmantur sub alterna sumptione congruentium alimentorum: ita quiddam est, quod consentaneè pascit animã, eique suggerit vegetas vires ad bonitatem confectandam. Quid illud tandem est? Nimirum, quod dixit Dominus, quia* caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus. *Quibus autem non suppetunt hæc, ijs vtique deficit robur panis, & aquæ.*

Chrysost.

Ioan. 14. 23.

Ioan. 6. 55.

Plin.

Aristot.

Euthym.

Cyr. Alex.

Basil.

4. Hinc capies, quid significet panis quotidianus, siue supersubstantialis, quem ex Christi præscripto indesinenter à Deo petere admonemur, Luc. 11. 3. Matth. 6. 11. Frequens quidem Patrum expositio de Eucharistia capit; ita Tertul. lib. de oratione cap. 6. Cyprianus libro de orat. Domin. Marius Victorinus libro 3. aduersus Arium, Hieronymus in commentar. in Matth. & libro 3. aduers. Pelag. Athanas. libro de Incarnat. Augustinus epist. 121. Chrysologus serm. 70. Paschasius, Theophylactus, & Anselmus in Matth. Cassianus collatione 9. c. 20. S. Petr. Laodicens. & German. Constantinopolit. in expositione orat. Domin. tom. 1. Biblioth. Sed illud meritò ambigas, quî idem panis, & quotidianus, & supersubstantialis, siue, quod difficilius apparet, & consubstantialis, id est, eiusdem substantiæ, & supersubstantialis, hoc est, supra nostram substantiam, appelletur. Etenim apud Matthæum pro, *supersubstantialem*, Græcè est, τὸν ἐπιούσιον, quod propriè vertas, *consubstantialem*, siue, *substantiæ nostræ alendæ accommodatum*, siue, *qui nostræ substantiæ congruit*: nam vocem ἐπιούσιος, sic explicuit Fauor. ὁ ἐπὶ τῇ οὐσίᾳ ἡμῶν ἁρμόζων. Et S. Petr. Laodicensis citato loco, quamuis legerit, ἐπιοῦσα, sic ad rem ait: *Hæc autem velut onomatopeia, seu nominis confictione, deriuatur τὸ ὁμοούσιον, siue id cuius eadem cum aliquo essentiæ ratio est.* Ergo, & consubstantialis, & supersubstantialis Eucharisticus panis nobis est. Respondeo, verum quidem omnino id esse, eóque Christi in augustissimo hoc Sacramento exinanitionem ire, vt dum se Dei Agnum cum capite manducandum fidelibus apponit, alendæ ipsorum substantiæ maximè congruat, eámque hominis dignitatem, cœlestémque ortum esse, vt supersubstantialis hic panis consubstantialis ipsi sit. Sanè à Matthæo, siue à Matthæi interprete, supersubstantialis hic panis dicitur, quod *super omnes substantias*, vt inquit Hieronymus lib. 3. aduersus Pelagianos; vel quod supra corpoream, atque terrenam hominis substantiam sit: quippe sublimis hominis conditio, diuináque imago non in corpore, sed in animo censetur. Vnde eamet ratione, quod supersubstantialis fuerit, hoc est, supra omnes terrenas substan-

Luc. 11. 3. Matt. 6. 11. Tertul. Cyprian. Mar. Vict. Hieron. Athanas. August. Chrysol. Paschas. Theophyl. Anselm. Cassian. Petr. Laod. German.

Fauor. S. Petr. Laod.

Hieron.

substantias, ac super ea omnia, quæ ad corpus spe-
ctant, & sub aspectum cadunt, & vt optimè inquit
Salmer. P. Salmeron tom. 5. tract. 50. *Verè est supersubstan-
*tialis, quia non mutatur in nostram substantiam, sed po-
tiùs nos in suam conuertit, diuinosque efficit, & cœlestes:
hac inquam ratione homini maximè consubstan-
tialis est, vtpote qui ipsius substantiæ, spirituali,
cœlesti, & penè diuinæ congruat. Ita præfato loco
S. Pet. Laod. S. Petrus Laodicensis, inquiens: *Quandoquidem vsia,
hoc est, essentia propria, & firma, & stabilis est, quippe
quæ sit animi nostri natura, quæ imaginem inuisibilis
Dei præseferat; idcirco panis ἐπιούσιος dici potest, qui
cum vera versatur essentia, nimirum, Deus Verbum,
panis viuus.* Vbi maximè notandum, Dei substan-
Mar. Vict. tiam (à qua, vt adnotauit Marius Victorin. super-
substantialis hic panis dicitur) nostræ substantiæ
maximè congruere. Ergo supersubstantialem, &
consubstantialem panem petere iubemur, vt cœle-
sti origini, diuinæque imagini respondentes, in fi-
liorum Dei natura, & conditione subsistamus. Vn-
Chrysost. de Chrysostomus hom. 45. in Ioann. *Hic sanguis
facit, vt imago in nobis regia floreat, hic sanguis pul-
chritudinem, & nobilitatem animæ, quam semper irrigat,
& nutrit, languescere non finit.* Ita ille. Et quidem huc
Lect. Syr. pertinet Lectio Syriaca, quæ vtrobique habet; *Da
nobis panem indigentiæ nostræ:* id est, eum, quo maxi-
mè indigemus, vt in essentia nostra quæ diuinæ af-
finis est, subsistere possimus.

5. Sed inquis: quid ergo sibi vult Lucas cùm su-
persubstantialem hunc panem, ipse quotidianum
Fortunat. appellat? Respondet opportunè Fortunatus Picta-
uiensis in expositione orat. Dominic. *Quod verò
quotidianum panem petimus, hoc insinuare videtur, vt
communionem corporis eius si est possibile, omnibus re-
uerenter sumamus diebus, quia cum ipse vita nostra sit,
à nutrimento nostro peregrinos nos facimus, si ad Eu-
charistiam tardi accedamus.* Scitè *à nutrimento nostro:*
quod hoc solum nostræ substantiæ conueniat, quod
ab hoc ipsa dependeat, quod non aliter vita nostra
tot periculis obnoxia constet, quod hoc victu ani-
ma nostra nutriatur & saginetur. Quare hoc sensu
Tertul. Tertul. lib. de Resurrect. carn. cap. 8. *Caro* (inquit)
*corpore, & sanguine Christi vescitur, vt anima de Deo
saginetur.* & lib. de pudicitia cap. 9. de prodigo, qui
se ad bonam frugem recepit: *Annulum quoque acci-
pit tunc primùm, quo fidei pactionem interrogatus obsi-
gnat, atque ita exinde opimitate Dominici corporis ve-
scitur, Eucharistia, scilicet.* O nobis vtilissimam, &
quasi necessariam Filij Dei exinanitionem, vt opi-
mitate Dominici corporis vescamur, & de Deo
homines saginemur! Quid enim aliud anima de
Deo saginata, quàm diuina res fuerit? Quid arbor
terrena, cui diuinus surculus, siue Dei Verbum (Ia-
Iacob. 1. 21. cob. 1. 21.) inseratur, nisi cœlestis planta, quæ dul-
cissimos vitæ fructus, immortales, atque diuinos
proferat, dici possit? Certè dum de sponsa sua cœle-
stis sponsus dixisset: *Sicut lilium inter spinas, sic ami-
ca mea inter filias;* ipsa vicem rependens de eo pro-
nunciauit: *Sicut malus inter ligna syluarum sic dilectus
Cant. 2. 3. meus inter filios,* Cant. 2. 3. Vt quàm nobis consub-
stantialis, quàmq; supersubstãtialis viuificus hic pa-
Nyssen. nis sit, luculẽter ostẽdat. Vnde ad ea verba Nyssen.
hom. 4. in Cant. sic ait: *Quod in eo quidem, quod est li-
gnum, est eiusdem essentiæ, cuius sylua humana,* tenta-
tus est enim in similitudinem absque peccato; *in
eo autem quod talem fert fructum, vt per eum dulces
reddantur sensus animæ, habet maiorem à sylua diffe-
rentiam, quàm ea, quam habet lilium à spinis. Nam li-
lium quidem specie, & odore tenus delectationem parit;
pomi autem gratia tribuit sensibus aptè, & conuenienter
distribuitur, vt quæ, & oculos delectet specie aspectabili,
& bono odore odoratus sensum recreet, & effecta nutri-
mentum, dulcedine afficiat sensum gustus. Rectè ergo vi-
dit sponsa, quæ sit sui à Domino differentia. Quoniam
ille quidem, & nobis sit lætitia oculorum, vt qui in eis
sit lux, & vnguentum odoratui, & vita comedentibus.
Nam qui illum comederit, viuet, sicut alibi dicit Euan-
gelium.* Et statim insiti Verbi imaginem elucidans,
hæc subiicit: *Humana autem natura perfecta per vir-
tutes fit flos, non solum agricolam nutriens, sed seipsam
exornans. Ille enim non est bonorum nostrorum egens,
sed nos illius bonis egemus, sicut dicit Propheta:* Quo-
niam bonorum meorum non eges. *Propterea spon-
sum aspicit purgata anima in lignis syluæ facta malum,
vt cùm sibi inseruerit omnes agrestes ramos syluæ, effi-
ciat, vt similes fructus producant.* Ita Nyssenus.

Hæc quidem aucto diuinæ cuiusdam sententiæ 6.
censu sic firmat Dominus apud Ioan. 6. 27. *Opera-* Ioan. 6. 27.
*mini non cibum, qui perit, sed qui permanet in vitam
æternam, quem filius hominis dabit vobis. Hunc enim
Pater signauit Deus.* Pende causalem, siue rationem,
quam reddit Magister vitæ, vt nos ad Eucharistiam
exoptandam, & promerendam permoueat: *Hunc
enim Pater signauit Deus.* Et verò, vt pronomen
(*Hunc*) ad panem referant Ammonius, & Liuper-
tus, quorum sensum alibi elucidabimus, non du-
bium ex Græca constructione, quin ad Christum
reuocari debeat. Sed quid est, Christum à Patre si-
gnari? Alij cum Chrysost. de tẽporali generatione, Chrysost.
atque missione, qua Christus à Deo oleo lætitiæ
præ consortibus suis vnctus est, atque in eo *sunt om-
nes thesauri sapientiæ, & sciẽtiæ Dei,* ad Coloss. 2. 3. Alij Ad Coloss. 2. 3.
verò de æterna, qua *splendor gloriæ, & figura substan-
tiæ Patris,* à Paulo dicitur, ad Hebræos 1. 3. cum Ad Hebr. 1. 3.
Hilario acipiunt. Ille enim cùm lib. 8. de Trinitat. Hilar.
dixisset: *Signaculorum autem natura est, vt omnem im-
pressa in se speciei explicent formam, & nihil minus ex
eo in se habeant, vnde signentur; & dum totum acci-
piunt quod imprimitur, totum ex se præferunt quicquid
impressum est;* qua ratione diuinis personis ea signa-
culi imago aptari possit, sic explicat. *Verùm igitur
hoc ad diuinæ natiuitatis non proficit exemplum, quia
in signaculis, & materies sit, & diuersitas, & im-
pressio, per quam mollioribus naturis validiorum gene-
rum species imprimuntur. Vnigenitus verò Deus, & per
Sacramentum salutis nostræ hominis filius, volens pro-
prietatis nobis paternæ in se signare speciem, signatum
se à Deo ait.* Obserua iam vehemens orationis Chri-
sti pondus, & ad humanum animum in Euchari-
stiæ desiderium accendendum miram efficacita-
tem, atque vim: est enim sensus, ipsum quidquid
splendidum, atque diuinum à Patre acceperit, fuis
in hoc Sacramento communicasse: quasi diceret, si
splendor sum gloriæ Patris, figura substantiæ eius,
& imago bonitatis illius; si in me sunt omnes the-
sauri sapientiæ, & scientiæ Dei, atque ideo à Patre
signatus existo, id omne in Eucharistia deposui, vt
qui illam acceperit, ita in me ipso maneat, & ego
in eo, vt à me, qui Patris sigillum & character sum,
omnino signetur, & velut alter Christus fiat, vt *si-
cut misit me viuens Pater, & ego viuo propter Patrem,
& qui manducat me, ipse viuat propter me.* Expressit
hanc cogitationem ex Augustino Algerus lib. 1. de Algerus.
corp. & sang. Domini, cap. 3. egregiis hisce verbis:
*Commendauit nobis in isto Sacramento corpus, & san-
guinem suum, quod etiam fecit nos ipsos: nam & nos cor-
pus ipsius facti sumus, & misericordia ipsius, quod acci-
pimus, nos sumus.* Vnde postmodum sic infert: *Igitur
corpus Christi sumus, & Christus sumus; ita etiam vt in
altari eodem Sacramento signemur.* Ac si diceret: adeò
vnum cum Christo sumus, vt & Christus simus, &
vt ipsum signauit Deus, suam illi diuinitatem tri-
buens,

buens, ita nos ipse sua imagine signet. Nec aliter citato loco Hilarius, inquiens: *Signatum se à Deo ait, & hoc ideo, quia vitæ æternæ escam Filius esset daturus, vt per hoc potestas in eo dandæ ad æternitatem escæ intelligi posset, quia omnem in se paternæ formæ plenitudinem signantis se Dei contineret.* (Hilar.) Sanè, vt ea hæc fuerit esca, quæ Christo paternæ formæ plenitudine à Deo signato, signata etiam fuerit, vt quidquid à Patre Filius acceperit, id omne dignè se in Eucharistia sumentibus communicet; nec sibi tantùm, sed Patri etiam vniat. (Cyr. Alex.) Quare Cyrillus Alex. lib. 11. in Ioann. cap. 27. cùm longiùs de Eucharistia disseruisset, subiicit: *Nexus igitur vnionis nostræ ad Deum Patrem Christus est: nobis quidem vt homo, Deo autem Patri vt Deus naturaliter vnitus.* Sic verò tandem concludit: *Mirari ergo debemus diuinæ naturæ benignitatē, quæ creaturæ, quæ sibi propria sunt, communicare dignetur.* At enimverò grauiùs, elegantiùs, diuiniùs vno tantùm verbo, id aperuit Paulus, citato cap. 2. ad Coloss. vbi cùm de Christo dixisset: (Ad Coloss. 2. 10.) *Quia in ipso habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter;* subiicit, *& estis in illo repleti.* Nota dicendi modum, pondere, emphasi, & mysterio repletum. Quid enim fuerit præmittere, in Christo omnem plenitudinem diuinitatis corporaliter inhabitare, & statim subdere; *estis in illo repleti*: nisi dicere, nos etiam per Sacramentum Eucharistiæ dum Christo signamur, omnibus sapientiæ, ac scientiæ thesauris, ac ipsius diuinitatis plenitudine esse repletos?

7. Hinc disertissimè Christus post diuini huius Sacramenti institutionem summo Patri dicebat: *Claritatem, quam dedisti mihi, dedi eis vt sint vnum, sicut & nos vnum sumus,* Ioann. 17. 22. (Ioan. 17. 22.) Quam claritatem? Vnitatem quidem in diuinitate, quam à Patre Filius accepit, quamque quodammodo per Sacramentum corporis sui membris suis ipse communicat, dum illos vnum secum corpus efficit: atque hinc fit, vt quidquid gloriæ ex diuinitate corpori suo accedit, membris etiam suis accedat, atque in ea deriuari videatur. (Cyr. Alex. Hilar.) Ita præfato loco Cyril. Alexandr. & Hilar. lib. 8. de Trinitat. ex vera, & reali Christi cum anima vnione, velut à posteriori, vt aiunt, naturalem Filij cum Patre vnitatem, & identitatem eliciens; adeò indubitata, vera, atque realis Christi cum anima vnio, atque identitas per Eucharistiam est. Audi illum. *Si enim verè Verbum caro factum est, & nos verè Verbum carnem cibo Dominico sumimus; quomodo non naturaliter manere in nobis existimandus est, qui & naturam carnis nostræ iam inseparabilem sibi homo natus assumpsit, & naturam carnis suæ ad naturam æternitatis sub Sacramento nobis communicandæ carnis admiscuit? Ita enim omnes vnum sumus: quia & in Christo Pater est, & Christus in nobis est.* Sic Hilarius. Accinit tam trita, quàm peculiaris illa locutio eiusdem Domini apud Ioan. 6. 57. (Ioan. 6. 57.) *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo.* Quæ si attentiùs inspiciatur, possit adhuc plus plus explicari: vt enim bene ac necessariò de reali vnione Christi cum anima medio hoc diuino Sacramēto intelligenda sit, at iure ambigas, quid sub hoc sensu fuerit, sumentem Eucharistiam in Christo manere, & Christum in ipso. Porrò fermenti imago quam Cyril. Alexandr. lib. 4. in Ioann. c. 17. sic vsurpat: (Cyr. Alex.) *Sicut parum (vt Paulus ait) fermenti totam massam fermentat, sic paruula benedictio totum hominem in seipsum attrahit, & sua gratia replet: & hoc modo in nobis Christus manet, & nos in Christo. Verè enim totum fermentum in totam massam pertransit*: vt optima fuerit ad explicandum, corpus nostrum cum Christi corpore misceri, vt cum illo vnum efficiamur, atque suam ille nobiscum participet vitam; at in illa mutua hæc manendi ratio non videtur omnino exprimi. Sanè non quæuis realis vnio sufficiet, vt ex ea hæc phrasis, *in me manet, & ego in eo,* opportunè subsistat; nec enim massa in fermento, nec corpus in anima, nec vinum in aqua, quæ illi infunditur, manere dicuntur. Quare ex simili modo dicendi, quo apud eumdem Ioann. cap. 14. 9. (Ioan. 14. 9.) vsus est Dominus, dum Philippo ab ipso petente, *Domine ostende nobis Patrem;* ipse respondit: *Qui videt me, videt & Patrem meum. Non credis, quia ego in Patre, & Pater in me est?* sic aptè explices præfatam phrasim, vt Dei Filius ad instar cibi, qui in manducantem suas qualitates transfert, claritatem, quam à Patre accepit, sumenti se ita communicet, vt illum in seipsum, atque ideo in alium Christum transformet; & vt Filius Patris speculum, in quo ipse conspicitur, & imago bonitatis illius est; (Sap. 7. 26.) ita in eo, qui dignè manducauerit Christi corpus, ipse velut in speculo conspiciatur: eo modo, quo Chrysost. suprà citatus dicebat: (Chrysost.) *Hic sanguis facit, vt imago in nobis regia floreat,* &c.

Sed antequam hinc discedo, vt quæ diximus, plenè subsistant, & huius adnotationis scopo vndique contexta & aptata esse videantur; operæpretium existimo, Christi institutum in præfatis verbis: *Operamini non cibum qui perit*, adnimaduertere. 8. Nimirum, ea occasione ipse dixit, quod Iudæi, quos paulo antè copiosa panis annona refecerat, ex hac cibi suppeditatione quasi ex signo, atque sigillo à Patre in eo posito, temporalem Regem, quem ipsi auidè expectabant, illum esse coniicerent, atque omnibus hac ratione colendum vellent proponere, vt ex vers. 15. eiusdem capitis liquet. Cui carnali cogitationi his verbis sic Christus occurrit, ac si diceret, non eo temporalis alimoniæ signo ipsum vt Iudæorum Regem fore cognoscendum, sed quod immortalem, ac cœlestem cibum, hoc est, seipsum omnibus thesauris sapientiæ, ac scientiæ Dei plenum, in Eucharistia esset daturus: nimirum, quòd hac de causa à Patre ille fuisset signatus, hoc est, ille homo in Deum assumptus, Deique Filius naturalis Spiritu sancto illum vngente, & inhabitante in ipso diuinitate declaratus, vt bene ex Patribus hæc capit Maldonat. Vnde citato loco Hilarius: (Hilar.) *Vnigenitus verò Deus, & per Sacramentum salutis nostræ hominis filius, volens proprietatis nobis paternæ in se significare speciem, signatum se à Deo ait, & hoc ideo, quia vitæ æternæ escam filijs esset daturus*: quasi inde naturalem Dei Filium, germanamque prolem se Christus ostendat, atque confirmet, quod claritatem, quam à Patre accepit, suis ipse liberaliter communicet. Est enim hic diuinæ naturæ character, vt boni, hoc est, sui ipsius diffusiua sit. Porrò peculiarem in hanc rem emphasim illud habet, quod ad nefarios satellites, qui illum comprehensum veniebant, dixisse Dominum sic refert Matth. c. 26. 55. (Mat. 26. 55.) *In illa hora dixit Iesus turbis: Tamquam ad latronem existis cum gladijs, & fustibus comprehendere me.* Nam cur potiùs, *tanquam ad latronem*, non tamquam ad proditorem, aut seditiosum, siue Regem fictum, cuius criminis illum postea arguebant, dixit Dominus; nisi vt ostenderet nihil in illa hora magis à se alienum, quàm id crimen esse? Quippe qui claritatem, quam à Patre acceperat, hominibus in Eucharistia relinquebat, ac si illis diceret: Num diuinitatis thesauros mihi vni retinui, & retinendo vsurpaui, & quasi furto surripui, quin mundo in Sacramento liberaliter communicauerim? Cur ergo ad me diuinitatem vobis impertientem, tamquam ad latronem existis? Vt hic transiens obserues, simul Christum innuere, tam esse proprium diuini

diuini ingenij seipsum communicare, vt si secus faceret, rapinā quodammodo committere videretur.

9. Discipulos ad parandum Pascha sic Dominus Mat. 16.18. admonuit Matth. 16.18. *Ite in ciuitatem ad quendam, & dicite ei; Magister dicit: Tempus meum propè est, apud te facio Pascha cum discipulis meis.* Vbi meritò dubites cum Hilario, Cant. 30. in Matth. cur homo ille proprio de nomine non fuerit appellatus. Hilar. *Oportuerat* (inquit Hilarius) *eos scire quò pergerent, & de hominis nomine edoceri, alioqui incerti ad quem mitterentur, quomodo missi, quæ præcepta fuerant, exequerentur?* Verùm respondeo, de industria nomen illi inditum non fuisse, quod post Eucharistiæ institutionem, per quam vera in hominem vita transfunditur, & è terreno cœlestis, & ex humano diuinus euadit, nouum illi nomen addendum esset; sic Apoc. 2. 17. enim Apoc. 2. 17. *Vincenti dabo manna absconditum, & dabo illi calculum candidum, & in calculo nomen nouum scriptum, quod nemo scit, nisi qui accipit.* Quæ verba non modò quoad primam partem de manna, cum Patribus Augustino, Beda, Ticonio, Ruperto, & aliis, sed etiam dum in illis calculi mentio Isai. 6. 6. fit, cum allusione ad verba Isaiæ 6. 6. *& volauit ad me vnus de Seraphim, & in manu eius calculus.* (vt adnotauit Hieronym. epist. 143.) de Eucharistia accipienda esse videntur. Nam, vt inferius peculiari adnotat. ex Iustino Martyre ostendo, ille calculus Isaiæ, Christi corpus in Sacramento significat. Ergo inquit Ioannes, ex Eucharistia nouum nomen sumenti accedere, quod denotet alium ab eo, qui antea fuerat, redditum, alteriúsque naturæ, & condi- Hilar. tionis esse. Sed id ad præfata verba sic docuit Hilarius: *Hominem enim eum quo Pascha celebraturus esset non nominat, nondum enim Christiani nominis honor credentibus erat præstitus, qui verè sunt Deum mentis ac fidei oculis contuentes; vt cum eo Pascha Domini Apostolos præparare sciremus, cui in tempore Domini nouum nomen esset addendum.* Hæc ille. Quò reuoco, Rupert. quod notauit Rupert. lib. 2. in Exod. cap. 5. Agni Paschalis esum signatè in mense Nisan, hoc est, in primo vere, atque florentis anni parte fuisse præscriptum, vt nobis esset argumento, cœlestis huius Agni manducatione in nouam nos creaturam, vetustate purgata, floridè renasci. Audi illum. *Ipsa mensis Nisan, id est, Aprilis verna temperies, cùm tellus reflorescit, totusque post hyemem, quasi post senium rursus iuuenescit orbis, nonne hominem docet, quatenus renouatus spiritu mentis suæ, fide viridis, spe lætus, & charitate florens, epulis Agni Paschalis intersit spiritualibus?*

10. His illud valde affine est, quod ex præfatis ver- Matt. 6. 11. bis Christi apud Matth. cap. 6. 11. *Panem nostrum supersubstantialem,* &c. collatis cum his Pauli ad Ti- Ad Titum 2. 14. tum, cap. 2. 14. *Qui dedit semetipsum pro nobis, vt nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret sibi populum acceptabilem;* facilè elicias. Sed obserua, pro, *acceptabilem*, ibi Græcè posuisse Paulum eandem Græcam vocem, [illegible], quæ apud Matth. pro, *supersubstantialem*, est. Præter ea autem, quæ de illa superiùs diximus, nimirum, significare, *super omnes substantias*, hoc est, id quod vulgares, & communes Hieron. facultates excedat, Hieronymus in hæc Pauli verba, eam accuratè discutiens, atque Eucharistiæ aptans, sic capit, vt panis supersubstantialis sit panis egregius, eximius, peculiaris; quod itidem Pauli verbis accommodans, *populum acceptabilem*, explicat populum egregium, præcipuum, ac peculiarem, quique proprium Dei peculium, & possessio sit, thesaurus, videlicet, summè Deo charus, atque pretiosus, quem ipse in deliciis, & honore habeat, de quo in nominis sui laudem, & (vt animosè dixerim) in imaginis, siue faciei suæ splendorem magnopere lætetur, & gaudeat; ad distinctionem reliquarum gentium, quæ vilis, siue vulgaris Dei supellex ad communes vsus destinata, & non nisi numerus, & fruges consumere natæ censentur. Hinc iam vides, quàm mirificè populus egregius, ac peculiaris, & panis peculiaris, ac egregius inter se consentiant. Sanè qui populum eximium, ac egregium, & inter alios florem illibatum, sibique maximè pretiosum, & qui virtutes eius vita, & moribus annuntiaret, atque exprimeret, iuxta ea quæ cap. 1. vers. 11. adnot. 5. num. 2. diximus (quæ rogo videas) eligere, & mundare volebat; panem illi eximium, & singularem, cuius diuina omnino substantia, & qui adeps frumenti esset, Psalm. 147. 3. Hispanè, *la flor de* Psal. 147. 3. *la harina*, necessaria ratione erat erogaturus, vt substantia substantiæ, flos flori, alimentum, ac cibus, robori, ac viribus à Deo in suis exoptatis responderet: siue (vt idem inuerso ordine dixerim) panem egregium, & supersubstantialem prudens paterfamilias non nisi charissimæ sponsæ, amantissimis filiis, amicis vnicè dilectis distribueret.

Sed forsan dubites, quomodo Dominico præce- 11. pto ad sanguinem bibendum vrgeamur, cùm in veteri lege ne sanguis biberetur, districtè cautum esset, Leuitici 7. 26. *Sanguinem omnis animalis non* Leuit. 7. 26. *sumetis in cibo tam de auibus, quàm de pecoribus. Omnis anima quæ ederit sanguinem, peribit de populis suis.* Facilis verò, & ad manum responsio est, nos eo ipso, quod terrenum sanguinem gustare prohibemur, ad Christi sanguinem bibendum inuitari; quippe ideo ille procul ab humano ore, & pectore arcetur, ne ex terrenorum participatione, & belluini sanguinis communicatione, & terreni, & animales reddamur: ideo Dominicus sanguis nobis propinatur, vt cœlestes atque diuini efficiamur. Audi Cy- Cyprian. prianum serm. de Cœna Domini. *Lex quippe esum sanguinis prohibet: Euangelium præcipit vt bibatur: in quibus mandatis hoc magnopere discernere debet Christiana religio, quod sanguis animalium à sanguine Christi per omnia differens, temporalis tantum habeat viuificationis effectum.* & post pauca. *Bibimus autem de sanguine Christi ipso iubente, vitæ æternæ cum ipso, & per ipsum participes, animalis vitæ peccata quasi sanguinem impurum horrentes, & fatentes nos per peccati gustum à beatitudine priuatos, & damnatos, nisi nos Christi clementia ad societatem vitæ æternæ suo sanguine reduxisset. Nobis itaque pro quibus sanguis Christi oblatus est in cruce, & quos reconciliauit Deo, omnes excedens victimas hoc sacrificium singulare, ipse Christus pincerna porrexit hoc poculum, & docuit, vt non tantùm exteriùs hoc sanguine liniremur, sed & interiùs aspersione omnipotenti, anima muniremur, & penetrans omnia tanti medicamenti virtus, quidquid esset intus ibi durum effugaret, & renouaret, sanaretque, quidquid morbi carni, vel spiritui veteris vitæ adlineret corruptela.* Ita Cy- Paschas. prianus. Ne minùs opportunè Paschasius præfato libro cap. 20. id inter vtrumque sanguinem discrimen sic confirmans: *Hoc sanè in nobis nutriunt* (diuina scilicet mysteria) *quod ex Deo natum est, & non quod ex carne, & sanguine; dedit namque Christus nobis potestatem filios Dei fieri, verumtamen non ex voluntate carnis, nec ex voluntate viri, sed ex Deo nascimur; illa ergo natiuitas nostra, quæ ex Deo est, vtique spiritualis est, quia Deus spiritus est.* Sic ille. Ac si diceret: terrenus sanguis, hoc est, terreni cibi, & carnales deliciæ, carnis vitam, & noxios appetitus alunt, & nutriunt, ideo ab illis quàm maximè abstinendum; at Christi sanguis animæ vitam illam, scilicet, quæ spiritualis, atque diuina est, reficit, & promouet, eaque de causa ad illum sumendum alacres,

&

& impigri accedere debemus.

12. His quidem mirificè applaudit inter hominum, & brutorum figuram à Philosophis obseruatum discrimen: dum enim ambigit Arist. lib. 2. de part. animal. cur cùm cætera animantia in terram prona sint, os homo sublime habeat, sursúmque feratur; philosophico sensu respondet causam esse, quod cùm maior, atque feruentior hominis in corde, quàm brutorum calor sit, inde est, vt subtilior illius, quàm horum sanguis euadat, ac proinde humanus sanguis sursum petat; belluinus verò deorsum innato pondere feratur. Ergo à terreno sanguine abstinendum, à carnis, inquam, & sanguinis corruptela: nam *corpus quod corrumpitur, aggrauat animam, & terrena inhabitatio deprimit sensum multa* (Græcè, *magna*) *cogitantem*, Sapient. 9. 15. ad poculum verò, quod nobis pincerna Christus porrigit, properandum. Vnde inibi Cyprianus: *Quam præclarus est calix iste! Quam religiosa huius potus ebrietas! Per quam excedimus Deo, & quæ retro sunt obliti, ad anteriora extendimur, non habentes sensum huius mundi, sed diuitis præparati delicias contemnentes, cruci hæremus, sanguinem sugimus, & intra ipsa Redemptoris nostri vulnera figimus linguam, quo interius, exteriusque rubricati, à sapientibus huius sæculi iudicamur amentes.* Similiter Paschasius citato loco. *Longè inferiùs vita ista temporalis corporeo isto communi alitur cibo, & potu: longè verò excelsius, ac præeminentiùs vita illa, quæ absconsa est cum Deo, qua conformes illi, configurati sumus, illo saginatur cibo, & potu, quem de scripturis, & de altari accipimus, & transuehit nos ad spiritualia, vt ibi exinde viuamus, vbi vita nostra seruatur æterna.* Hæc ille. Sed illud huic rei videtur opportunius, quod citata epist. 2. lib. 1. admonebat Cyprianus fieri non posse, vt pro Christo sanguinem suum effunderent, qui Christi sanguinem non suscepissent. *Nam quomodo*, inquit ille, *docemus, aut prouocamus eos in confessione nominis sanguinem suum fundere, si eis militaturis sanguinem Domini denegamus?* Scitè; ac si humanus sanguis vt sursum ad Deum petat, Christi sanguine animari, ac spiritualis quomodo reddi debeat, secus à terrena inhabitatione depressus, intra venas conclusus exire refugiet. Nec alia quidem ratione cœlestis hic cibus, Angelorum panis à Vate Regio appellatur Psalm. 77. 25. nisi quia homines spirituales, & Angelicos reddat, qui terrena respuentes, & ab illis diuulsi, spiritualia solummodo meditentur. Ita S. Cyril. Alexandr. lib. 3. in Ioan. cap. 34. inquiens: *Hoc est etiam quod in Psalmista*: Panem Angelorum manducauit homo. *Sed perspicuum esse arbitror, non alium panem, neque aliud alimentum præter Filium Dei rationalibus intellectualibusque substantijs propositum esse. Ipse igitur est manna verum, ipse, inquam, est panis de cœlo, qui omni rationali creaturæ à Deo Patre præbetur. Ita gratia, & misericordia vel à cupiditate caducarum rerum varijs multisque modis humanam solet reuocare naturam.* Ita Cyrillus.

13. Hinc absolutè Dominus Ioann. 6. 54. *Nisi manducaueritis carnem Filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Vt idem animæ Eucharistia, quod corpori anima sit; nec aliud quidem, quàm viuum cadauer censeri debeat, qui Christi corpori non communicat. Mirum quidem est Dominum, euius *Verbo cæli formati sunt*, quique, vt *dixit, facta* omnia *sunt, ipse mandauit, & creata sunt*, Psalm. 32. 6. & 9. in reddenda ægris sanitate, præsertim verò in vita defunctis restituenda, non verbo solùm, sed manus etiam tactu vti solitum fuisse. Quid? difficiliusne ipsi id præ illo erat, vt manum etiam extendere, & verbis associare opus fuerit? Minimè: sed vt iam inde admoneremur, non aliter nos vitam habere, aliundéve quàm à Christi carne, quæ animæ viuificatrix est, haurire posse. Ita Cyril. Alexandrinus lib. 4. in Ioann. cap. 14. cùm dixisset: *Quoniam igitur Saluatoris caro Verbo Dei, quod naturaliter vita est, coniuncta, viuifica effecta est; quando eam comedimus, tunc vitam habemus in nobis illi coniuncti, quæ vita effecta est*: subiicit. *Hac de causa exsuscitandis mortuis non solummodo verbo, atque imperio, vt Deus vtebatur, verùm etiam carnem suam quasi cooperatricem nonnumquam adhibebat, vt re ipsa ostenderet carnem quoque suam, quoniam sibi coniuncta est, viuificam esse.* Ita Cyril. Ad quẽ modum Paschas. lib. de corp. & sang. Domin. cap. 19. cùm de infantibus, qui paulo post baptismũ decedunt, sapienter dixisset: *Ideo non obesse credimus, viaticũ non accepisse huius Sacramẽti ad vitã in via, quia in nullo post perceptã vitã declinauerũt à via, sed permanserunt in vita, quæ Christus est*; statim de adultis hæc subiicit: *Cæterùm quantisper hic remanentibus valde pernecessarius est ad vitam ille cibus cœlestis, & potus, quatenus sicut aluntur cibis terrenis ad tempus vt viuant; sic alantur spiritaliter renati per hæc ad perpetuam vitam, ne deficiant in via.* Obserua id, *quantisper hic remanentibus*: necnon & illud; *sic alantur spiritualiter renati*: pulchrè enim his indicat Paschasius, factam nobis per Christi Passionem, potestatem filios Dei fieri, & ad nouam vitã non secus, ac infantulos ex vtero matris renasci: at enimverò vt ad persistẽdum tantisper in vita, infanti matris lacte opus est, alioqui animam quantocyùs aget; ita & nobis, qui Dei imaginem accepimus; diuinæque naturæ per Christi sanguinem consortes facti sumus, diuino nutrimento, lacte, videlicet, Christi indulgentissimæ matris opus omnino est, quod nisi indesinenter sugamus, animam spiritumque dubio procul exhalabimus. Ita Basilius homil. 1. de Baptismo. *Induti nouum hominem per baptismum opus est, vt nutriamur cibo, de quo scriptum est:* Amen, Amen dico vobis: *vbi replicat*, Amen, *ad confirmandum quæ inferebat, & persuadendum auditoribus.* Amen, Amen, *inquit*, dico vobis, nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Sic ille.

Vnde opportunè sponsa Cantic. 1. 1. cum diuino sponso colloquens dicebat: *Meliora sunt verba tua vino.* Vbera? quid? sponsóne vbera tamquam matri attribuuntur? Ita omnino. Etenim *Christus* (verba Anastasij Synaitæ lib. 9. Hexamer. paulò ante finem) *& genitor, & vir suæ sponsæ, & Ecclesia est*: similiter Chrysost. & Euthym. in id Psalm. 44. *Audi filia*, his verbis: *Quomodo filia sponsa in Deo sunt vtraque, ipse eã regenerauit, & ipse quoq; eã desponDit.* Ergo vbera vino comparat sponsa, (inquit Orig. hom. 1. in Cant.) *sed ita comparat, vt præferat.* Sed quid vinum? quid vbera? De primo eundem Origenem, de secundo Theodoretum audi. *Vinum autem* (ait ille) *intelligenda sunt dogmata, & doctrinæ, quæ per legem, & Prophetas ante aduentum sponsi sponsa sumere consueuerat.* Iam de vberibus Theodor. ibi: *Per vbera illa admiranda, & vino præstantiora, cogita ineffabiles illos altaris fontes, ex quibus nos pietatis alumni nutrimur.* Sapienter igitur sponsa Christi vbera, quibus in Eucharistia nutrimur, legis vino longè præfert; hoc enim seuerius, illa multo suauiora; lex exteriùs monebat, Eucharistia interiùs reficit; illa vitam promisit, hæc reapse donat, & quam semel à Christo in cruce accepimus, conseruat; verè enim dixit Philosophus: *Ex ijs nutrimur, ex quibus sumus.* Quare August. lib. 3. de doctr. Christ. cap. 9. *Hoc tempore postquam resurrectione Domini nostri manifestissimum indicium nostræ libertatis illuxit, ne eorum quidem signorum*

[Margin notes, left column: Aristot. — Sap. 9. 15. — Cyprian. — Paschas. — Cyprian. — Psal. 77. 25. — Cyr. Alex. — Ioan. 6. 54. — Psalm. 32. 6. & 9.; right column: Cyr. Alex. — Paschas. — Basilius. — 14. Cant. 1. 1. — Anast. — Chrysost. — Euthym. — Origen. — Theodor. — August.]

gnorum, quæ iam intelligimus, operatione graui onerati sumus. Sed quædam pauca pro multis, eaque factu facillima, & intellectu augustissima, & obseruatione castissima, ipse Dominus in Apostolica tradit disciplina, sicuti est baptismi Sacramentum, & celebratio corporis, & sanguinis Domini. Opportunè *factu facillima, & intellectu augustissima*, vino legis comparata; quantis enim opus, quamque est difficile, vt vinum à prima vitis gemma ad extremum vsque perducatur? Quid verò magis facile, aut peruium infanti, quàm matris lac sugere? Adhæc, *lex ad perfectum nihil adduxit*,
Ad Hebr. 7.16. ad Hebr. 7.19. Eucharistia verò, & perficit, & consummat, diuinámque imaginem, ac naturam, cuius consortes per regenerationem facti sumus, perpetuò fulcit, ac firmat. Quare per Isaiam cap. 66. 11.
Isai. 66. 11. idem Dominus sic splendidè, ac benignissimè suos alloquitur; *Vt sugatis, & repleamini ab vbere consolationis eius, vt mulgeatis, & delicijs affluatis ab omnimoda gloria eius*: id est, vt ex meis vberibus, quæ gloriæ, & suauitatis abundant, in vestrum nutrimentum indesinenter hauriatis. *Nam* (vt sub Domini perso-
Chrysost. na pulchrè inquit Chrysostom. homil. 61. ad Popul.) *parentes quidem alijs sæpe filios tradunt alendos, ego autem, inquit, non ita, sed carnibus meis alo, & me ipsum vobis appono, vos omnes generosos esse volens, & bonas vobis prætendens de futuris expectationes.*

15. His sic concinit Petrus epist. 1. cap. 2. 2. *Sicut*
1. Petr. 2. 2. *modò geniti infantes, rationabile, sine dolo lac concupiscite, vt in eo crescatis in salutem, si tamen gustastis quoniam dulcis est Dominus.* Etenim de Eucharistia
Iacob. Apost. hæc verba esse accipienda, tam Iacobus Apostolus
Dionys. in Liturg. Dionys. Areopag. de Ecclesiastic. Hie-
Gaudent. rach. cap. 5. Gaudentius Brixiens. tractatu 2. de Pas-
Cyril. Alex. cha, Cyril. Alexand. homil. de Cœna Domini, & lo-
Turrian. tione pedum: & doctissimus Francisc. Turrian. lib. 2. de Euchariſt. contra Volan. cap. 20. & 21. & P.
Salmeron. Salmeron ibi; quàm ipsemet Petri contextus, omnimodam quasi infantis recenter baptizati puritatem, ad hoc rationabile lac suscipiendum singillatim exigentis, optimè confirmant. Et verò præter epitheton illud, *rationabile, sine dolo lac*, quod mirum in modum Eucharistiæ aptatur, quæ verus, & aptissimus animæ victus est, secus quidem, ac bonorum sæculi lac, quod pro nutrimento, & vita, animæ mortem affert, quippe, vt est in prouerbio, gypsum, hoc est, lethale venenum, est illi admixtum. Obserua opportunam Petri rationem, *vt in eo cre-*
Clem. Alex. Galen. *scatis in salutem*. Sanè, vt Clemens Alex. lib. 1. Pædag. cap. 6. & Galen. lib. 6. de placit. Hippocrat. lac aptissimum alimentum est, quod non modò alit, & nutrit, sed peculiarem augendi vim habet; quod in infantibus, qui dum lacte aluntur, maximè crescunt, & quotidiana incrementa accipiunt, manifestè apparet, vt dixerit Petrus, quod postea Chry-
Chrysost. sost. hom. 60. ad Populum: *Nonne videtis quanta promptitudine paruuli papillas capiunt, & quanto impetu labia vberibus infigunt? Accedamus cum tanta nos quoque alacritate ad hanc mensam: quinimò eum longè maiori trahamus tamquam infantes lactanei Spiritus gratiam, & vnus sit nobis dolor hac esca priuari.* Quia videlicet in ea crescimus in salutem. Certè
Psal. 77. 25. vbi Psalm. 77. 25. de Eucharistia, vt suprà ex Cyrillo explicuimus, nos habemus: *Panem Angelorum manducauit homo*, Hebræa vox, *abbirim*, significat, *fortium*: siue, vt alij volunt, *auarim*, id est, *membrorum*: vt cœlestis huius panis sit proprium, fortes, ac robustos reddere, quasi in membrorum substantiam transeat, siue membra ac vires edentibus ministret. Nec dissonat Vulgati lectio, *Panem Angelorum*: vt sensus sit, homines Angelicos, & cœlestes per Eucharistiæ participationem reddi. Quare Cy-
prianus præfata epist. 2. lib. 1. de Eucharistia, iis qui Cyprian.
ad martyrium pergerent, dandã sapienter dicebat: *Viuentibus communicatio à nobis danda est, vt quos excitamus, & hortamur ad prælium, non inermes, & nudos relinquamus, sed protectione corporis & sanguinis Christi muniamus.* Hinc à Salomone manna signarissimè *substantia Dei* appellatur Sapient. 16. 21. Etenim Sap. 16. 21.
cùm dixisset: *Pro quibus Angelorum esca nutriuisti populum tuum, & paratum panem de cælo præstitisti illis sine labore, omne delectamentum in se habentem, & omnem saporis suauitatem*, subiicit: *substantia enim tua dulcedinem tuam, quam in filios habes, ostendebat.* Non solùm quod Deus nouo miraculo panem illum fecit subsistere, vt existimat ibi Iansenius, sed quod Iansen.
Israëlitas verè, & solidè: nos verò Angelicè, & diuinè cœlestis manna reficiat, & quasi vnius cum Deo substantiæ reddat.

Habes ex hac doctrina stateram, qua spirituum 16.
ponderator, vt difficile fuerit, virtutem Eucharistia librans, veramque ab vmbratili hinc discriminans, dicebat quidem Paulus ad Heb. 13. 10. *Habemus al-* Ad Heb. 13. 10.
tare, de quo edere non habent potestatem, qui tabernaculo deseruiunt. Vt videlicet Eucharistiam verum cibum Iudaicis sacrificiis opponens, moneret, eos qui Leuitica superstitione adhuc erant impliciti, non posse ex eo edere; quod altare nostrum vera ad animæ refectionem sit mensa: prisca verò illa tabernaculi sacrificia vmbræ solùm, & typi essent. Quod sanè iis etiam iure accommodes, qui ad Eucharistiam rarò accedunt, hi enim virtutis vmbram, non virtutem sectari, & typis potiùs, ac fucis, quàm veritati inseruire videntur. Porrò Synagogæ vineam graphicè Christus describens Matth. 21. 33. torcu- Matt. 21. 33.
lar in ea patremfamilias fodisse signarissimè dixit; quod vt ad vetera tempora relatum, altare sacrificiorum, in quo victimarum sanguis effundebatur, adũbrabat: ita, si Christianæ Ecclesiæ aptare velis, verum altare, atque sacramenta, in quibus immaculatus Christi sanguis effunditur, ex frequentiori interpretum expositione significat. Vnde facilè inferas, potissimum virtutis fructum inde censeri, non secus, ac vineæ fructus ex torculari pensitatur; sic enim dicebat Ecclesiasticus cap. 33. 17. *In bene-* Eccl. 33. 17.
dictione Dei, & ipse speraui, & quasi qui vindemiat, repleui torcular; totum, scilicet, vineæ fructum ad torcular reiiciens. Videris enim aliquando vineam foliis viridem palmitibus luxuriantem, quod si à perito interroges, quantus ex illa sperari possit prouentus; ipse respondebit, opinor, non ex palmitibus, vmbris, & foliorum pulchritudine, sed ex torculari coniiciendum. Ergo ex Eucharistiæ frequentia, virtutis prouentus, & sperandus, & pensitandus est; de eoque, qui ad Sacramenta serò accedit, folia pro fructu, vmbram pro veritate habere, censendum: siue id inter ipsum, atque illos, qui cœlesti hoc pane reficiuntur, constituendum discrimen, vt hi Christi sponsæ, charissimi filij, pretiosissimus thesaurus habeantur, ille verò inter viliores seruos furfuraceo pane educatos numeretur.

At enimverò hinc illud etiam elicies, rem omni- 17.
no facilem non esse, Eucharistiam, prout decet, accipere, non ea solùm ratione, ob quam terra Christum mortuum receptura contremuit, tantum onus ferre non sustinens, vt eleganter considerauit Hilarius lib. 3. de Trinit. his verbis: *Ad onus Domi-* Hilar.
ni in ligno pendentis intremuit, eum, qui moriturus erat, intra se constestata non capere: quod in se suscipiente viuum Christi corpus potiorem proculdubio locum habet, vt ad onus Domini contremiscat, & se tanto dono imparem confiteatur: sed etiam quod eo ipso ad maiores in virtute progressus faciendos, quis

quis teneatur, quippe qui pane membrorum vires, & robur se ipso, nisi humano offendiculo impediatur, præbente, pastus fuerit. Vnde non dubium singillatim à nobis singularum communionum, hoc est, fructus ex ipsis subsecuti, rationem fore exigendam. Quid? nonne singulorum verborum, an recto ordine, & fine ad ædificationem proximi dicta fuerint, rationē omnes sumus reddituri, dicente

Mat. 12. 36. Domino Matth. 12. 36. *Dico autem vobis, quoniam omne verbum otiosum quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die iudicij?* quod omnia ad profectum, nihilque otiosè, & sine fructu efficere teneamur. Quanto ergo potiori ratione de profectu ex accepto corpore Domini subsecuto interrogabimur, & si otiosè acceperimus, arguemur? Audi

Basilius. quæso ea de re Basilium libro 3. de Baptism. cap. 3. fin. *Non enim terribile tantùm iudicium habet, qui in carnis, ac spiritus inquinamento ad sancta accedit indignè, sed & otiosè, & inutiliter edens, ac bibens, in eo quod non per memoriam eius, qui pro nobis mortuus est, & resurrexit, videlicet, Iesu Christi Domini nostri, custodit illud Apostoli:* Charitas Christi vrget nos, scientes, quia pro omnibus mortuus est Christus, vt qui viuunt, iam non sibi viuant, sed ei, qui pro ipsis mortuus est. *Quemadmodum enim qui sine conscientia, & inutiliter tantum ac tale bonum irritum facit, & sicut qui absque vlla gratiarum actione accedit ad tale mysterium, iudicium habet segnitiei, cùm Dominus nec eos innoxios esse sinat, qui verbum aliquod otiosum proferunt, & vehementius quoque otiositatis iudicium declaret in eo, qui talentum acceptum in otio, & segnitie integrum seruauerat; Apostolus verò tradiderit nobis, quod & is qui verbum bonum prolatum non ad ædificationem fidei dispensat contristet Spiritum sanctum; debemus itaque attendere, quod sit iudicium eius qui indignè edit, & bibit. Nam si qui fratrem per cibum contristat, a charitate excidit, sine qua magna charismata nihil prosunt, quid de eo dicendum est, qui otiosè, & inutiliter audet edere corpus, & bibere sanguinem Domini; & hac ratione plus aliquanto contristat, & infestat Spiritum sanctum, dum sine socia charitate vescitur?* Audis? Distingue obsecro inter otiosam, & improbam communicandi rationem, non aliter, quàm inter otiosum, & prauum verbum. Quid enim otiosum verbum fuerit? Non id quidem quod turpiter, & improbè, sed quod absque fructu fuerit prolatum, nullamque aut audienti, aut dicenti spiritualem ædificationis vtilitatem affert; vt ad præfata

Hieron. Beda. Chrysost. Ambros. Gregor. Basilius. verba Matthæi monent Hieron. & Beda, necnon Chrysost. hom. 43. Ambros. in Psal. 38. Greg. hom. 6. in Euangel. atque idem Basilius in Reg. breu. interrog. 23. Quæ igitur otiosa dicetur communio? Dicat indidem Basilius: *Oportet igitur accedentem ad corpus & sanguinem Domini, non solum purum esse à quouis inquinamento carnis, ac spiritus, ne ad iudicium edat & bibat, sed ostendere in vita memoriam eius, qui pro nobis mortuus est, in eo quod mortificatus est peccato, & mundo, ac sibi ipsi, & Deo viuere.* Et quidem meritò. Quid enim Deus manducatus, & animæ vnitus, ipsi præstare valeat, & velit? Quid substantia Dei in homine non efficiat, vt ipse substantialis, atque diuinus reddatur? Optimo ergo iure otiosè, & inutiliter edens arguitur, atque reprehenditur.

17. Sed illud quidem eos, qui ad Eucharistiam accedunt, plus plus vrgere debet, hac subinde causa, quod fortium, robustorumque panem acceperint, ad non peccandum maximè teneri; quippe membra, & arma ad repugnandum peccato singillatim

Cyprian. accipiunt. Vnde Cyprianus citata epist. *Cùm ad hoc* (inquit) *fiat Eucharistia, vt possit accipientibus esse tutela, quos tutos esse contra aduersarium volumus, munimento Dominicæ saturitatis armamus.* Quàm turpe ergo quàm vituperabile fuerit, post tantum virium, armorum, membrorumque munimentum, pristinis vitiis succumbere? Sanè Israëlitarum peccatum post acceptum manna, emphaticè notat, atque aggrauat Regius Psaltes Psalm. 77. 34. *In omnibus his peccauerunt adhuc.* Opportunè *adhuc*, nimirum postquam Angelico cibo, imò substantia Dei nutriti, protecti roborati, armatique fuerant. Quare notanter subdit, in eos statim à Deo seueram, sed iustam mortis pronunciatam fuisse sententiam, eorumque cadauera in deserto fuisse prostrata; *Et defecerunt*, inquit, *in vanitate dies eorum, & anni eorum cum festinatione*: id omne acutè obseruante S. Cyril. Alexandr. lib. 4. in Ioann. cap. 34. vbi cùm interrogasset: *Quare sic* (priùs, scilicet, ante acceptum manna) *conquestos non puniuit, quos tamen postea quando similiter ægrotantes, panes, carnes, aliosque cibos desiderabant Ægyptios, supplicio persecutus est, vt in Numeris scribitur?* Monumentū cupiditatis *locus ille fuit appellatus, vbi hac cupiditate superatos sepelierunt*; subdit post nonnulla: *Quod autem quamuis terrenis viderit cupiditatibus superatos, non puniuit tamen statim initio, hæc (vt mihi quidem videtur) causa est. Nam quoniam nuper ab Ægypto effugerint, panémque cœlestem, qui cor hominis corroborat, adhuc non receperint, faciliùs poterant in cupiditate carnis incidere, propterea & venia digni visi sunt. Postea verò, quam Domino fruebantur, vt scribitur, tunc iure, quoniam corporalia spiritualibus præposuerunt, acerba dederunt supplicia, & ad supplicia insignem calamitatis memoriam reliquerunt.* Ps. 77. 34 Cyr. Alex.

Hinc obserues, dolēásque ingens discrimē, quod in iis, qui rationabili, atque diuino hoc lacte nutriuntur, inuenitur, dum aliis mirificè ipso refectis, roboratis mirabiléscque in Dei obsequio progressus facientibus, alios contrà videre sit, qui pristinis vitiis non minus pertinaciter adhæreant, nec hilum in virtute proficiant; ad eum quidem modum, quo Lucas Actuum 13. 1. de sanctissimo viro Manahen, necnon de pessimo Tyranno Herode, eodem lacte pastos iisdemque mammis fuisse nutritos, pulchra emphasi sic transiens adnotauit: *Erant autem in Ecclesia quæ erat Antiochæ, Prophetæ & Doctores, in quibus Barnabas, & Simon qui vocabatur Niger, & Lucius Cyrenensis, & Manahen, qui erat Herodis tetrachæ collactaneus.* Quod si aduertis, ad illustris Prophetæ, atque Doctoris Manahen commendationem parum quidem erat, Regis cuiusuis collactaneum fuisse: dum enim Christiana religio regium sanguinem nihili facit, quid æstimauerit lactis cum Rege communicationem? Sed enim opportunè iis verbis admonuit sacer Scriptor euenire nonnumquam, vt eodem lacte ad educationem, & nutrimentum à duobus sumpto, alter Dei amicus, & insignis sanctitatis vir, alter Christi irrisor, & Baptistæ occisor euadat: siue, quod magis fuerit mirandum, dum eodem Christi lacte, ac carne fideles in Eucharistia pascuntur, alios in dies in diuino obsequio crescere, egregiosque profectus facere, quippe, vt dicebat Dionysius Areopag. de Ecclesiastic. Hierarch. cap. 3. *Diuinissima vnius, eiusdemque panis, atque poculi communis pacificaque communicatio diuinam illis velut conuictoribus morum coniunctionem sancit*: alios verò itidem ac antea, iisdem, scilicet, peccatis obnoxios permanere, de quibus Chrysostomus hom. 83. in Matth. *Quænam igitur erit nobis excusatio, cùm talibus pasti talia peccemus: cùm lupi fiamus Agnum comedentes: cùm tamquam oues pasti more Leonum diripiamus?* 18. Act. 13. 1 Luc. 23. 11. Mat. 14. 10. Dionys. Chrysost.

Hos certè perstrinxisse mihi videtur Dominus 19.

Amos

Amos 9.7. Amos 9.7. inquiẽs: *Numquid nõ vt filij Æthiopũ vos estis mihi filij Israël?* Preme illud, *mihi*, notantissimè dictum. Certè grauissima hæc querela, quam de suis Deus habere significat, non in eo solùm cardine vertitur, vt eos qui vitæ probitate, & sanctimonia candidiores niue, nitidiores lacte, & sapphiro pulchriores esse debebant, iam ob turpissima flagitia super carbones denigratos exprobret: sed eò etiam signatè ire videtur, vt affirmet in peculiare quodammodo Dei, siue diuini lactis, quo nutriuntur, dedecus id cedere, nõ secus, ac deformis, & indecorus filius pulchris & eleganti forma parentibus probro, & rubori est, præsertim apud illos, qui filium quidem vident, patrem verò de facie non nouerunt: ij namque ex filij deformitate, & turpitudine, patrem similiter deformem esse, non temerè coniiciunt. Ergo Deum his verbis, nec sine gemitu dicentem videre mihi videor: Numquid non probro mihi estis ô domus Israël, qui filios vos meos esse iactatis, & mea substantia, atque lacte in Eucharistia indesinenter educamini, atque nutrimini; quando vt niger filius Æthiopem patrem arguit, ita ex peccatorum vestrorum sordibus, & nigredine similes vel in me, vel in lacte, quod sugitis, maculas esse, vel lupi vos carnibus vesci, is, qui me penitiùs non nouit, facilè coniectet? Sed à nutrimento ad delicias, ob quas nobis parandas se bonùs Dominus exinaniuit, gradum faciamus.

Ad eadem verba: *Exinaniuit semetipsum.*

ADNOTATIO X.

Christum in Eucharistia in delicias nostras exinanitum, humani palati, & gustus, an videlicet purus, & optimus, an verò vitiatus, & corruptus sit, egregium indicem esse.

1. Optime Gentilis Seneca diuinæ in nos beneficentiæ largitatem expendens lib. 4. de benefic. cap. 5. dicebat: *Neque enim necessitatibus tantummodo nostris prouisum est; vsque in delicias amamur:* Senec. quod non tantùm gloriæ, ac felicitatis nostræ bonus Dominus amans sit, sed delicias ipse nostras indesinenter procuret. Et verò pro multis, quæ hac de re suppetunt, egregium hoc Eucharistici cibi exemplum, quo nihil suauius, nihil dulcius excogitari potest, satis superque est: vt videas, mireris, laudes, ardenterque diligas Dei Filium, non tantùm in salutem, & vtilitatem nostram, sed in delicias etiam exinanitum, vt quidquid in se dulce, suaue, atque iucundum est, totum id humano gustui, atque palato inseruiret. Sanè si hominis innocentis, ac recti naturam spectes, nihil eius palato aptius, quodque ipsi magis congruat, quàm Deus ipse fuerit; quippe de diuina substantia inquit Salomon Sapient. 16. 21. *Substantia tua* Sap. 16. 21. *dulcedinem tuam, quam in filios habes, ostendebat:* siue vt legit Nazianz. orat. 49. *Substantia mea dulcedo* Nazianz. *mea est.* & Ecclesiast. 24. 27. *Spiritus meus super mel* Eccl. 24. 27. *dulcis, & hereditas mea super mel, & fauum.* Vnde aiebat Dauid Psalm. 24. 8. *Dulcis, & rectus Dominus.* & Psalm. 24. 8. Psalm. 118. 103. *Quam dulcia faucibus meis eloquia* Ps. 118. 103. *tua, super mel ori meo!* Nec minus significanter, quamuis paulùlum variata similitudine, se sub hoc sensu vehementer sitientem, Deum verò vt limpidissimum aquæ profluentem, quo nihil suauius, atque iucundius ei, qui siti exagitatur, excogitare valeas, sic faciebat Psalm. 41. Psal. 41. 1. 1. *Quemadmodum desiderat ceruus ad fontes aqua-*

rum, ita desiderat anima mea ad te Deus. Sitiuit anima mea ad Deum fontem viuum, &c. A quo vel ipse Ethnicus Seneca non longiùs luit lib. 3. quæst. natural. inquiens: *Cùm homo diuina contemplatur,* Senec. *alitur, crescit, & hoc habet argumentum diuinitatis suæ, quod illum diuina delectant, nec vt alienis interest, sed vt suis.* Scitè illud, *argumentum diuinitatis suæ, quod illum diuina delectant*: hoc est, inde naturam, atque substantiam, substantiæ, ac naturæ diuinæ affinem habere se homo ostendit, quod eius palatum diuinorum delectatione capiatur; quasi hæc cum illo peculiarem sympathiam, & consonantiam habeant. Vnde Bernard. epist. 114. dum de gaudio quod humana mens non de creatura, sed de creatore percipit, egisset, subdit: *Cui comparata omnis* Bernard. *aliunde iucunditas, mæror est, omnis suauitas, dolor est, omne dulce, amarum, omne decorum fœdum, omne postremò quodcumque aliud delectare possit, molestum.* Sic Bernard. Reddit verò opportunam huius rationem in serm. 1. omnium Sanctorum, his verbis: *Miraris in Sole splendorem, in flore pulchritudinem, in pane saporem, in terra fœcunditatem. Sed à Deo hæc vniuersa sunt. Nec dubiũ quin multo amplius reseruauerit sibi, quàm dederit creaturis.* Vnde August. mirificè hæc diffundens, sic Deum alloquebatur lib. 10. August. Confess. cap. 6. *Quid amo, cùm te amo? Non speciem corporis, nec decus temporis, nec candorem lucis, non dulces melodias suauium cantilenarũ omnimodarũ, non florum, & vnguentorũ, & aromatum suaue olentiũ odorem, non manna, & mella, non membra acceptabilia carnis amplexibus. Non hæc amo, cùm amo Deum meum. Et tamen amo quandam lucem, & quandam vocem, & quendam odorem, & quendam cibum amplexu interioris hominis mei, vbi fulget animæ, quod non capit locus; vbi sonat, quod non rapit tempus; olet quod non spargit flatus; sapit, quod non minuit edacitas; hæret, quod non diuellit. Hoc est quod amo, cùm Deum meum amo.* Hactenus August.

Hæc quidem recta, ac simplex hominis natura est: at enimverò illum inter alios pestiferi illius cibi à primis parẽtibus aduersus Dei legẽ desumpti, 2. valde noxium effectum fuisse dixeris, vt hanc dulcissimã suauitatem corrumperet, & in illam felleũ saporẽ iniiceret; id sic monente, atque dolente Bernard. serm. 85. in Cant. *Sapientia à sapore denominatur, quod virtuti accedẽs quoddã veluti condimentũ sa-* Bernard. *pidam reddat, quæ per se insulsa quodammodo, & aspera sentiebatur. Hunc saporem perdidimus ab ipso penè exortu generis nostri, ex quo cordis palatum sensu carnis præualẽte infecit virus serpentis antiqui, cœpit anima nõ sapere bonum, ac sapor noxius subintrare.* Quid? perdiditne Deus suauitatem suam? substantiaque ipsius, quæ dulcedo est, in aliam substantiam fuit conuersa? Minimè; sed aptum ac sanũ hominis palatum peccati veneno infectum, omnino vitiatum atq; corruptum fuit: vt iure huc aduoces, quod dicebat Tull. lib. 2. de finib. *Hoc est, non modò cor non habere, sed ne palatum quidẽ.* Et eodem ductu Seneca Tull. ep. 109. *Isto modo dicas non esse in melle dulcedinem.* Senec. *Nam ille qui edit, esse debet ita aptatus lingua, palatóque ad huiusmodi gustum, vt ille tali sapore capiatur, nõ offendatur; sunt enim quidam, quibus morbi vitio mel amarum videatur.* Vis dicam vno verbo? Homo post peccatum, *comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis.* Vnde minimè fuerit mirandum si *animalis homo non percipit ea, quæ sunt spiritus Dei*, 1. ad Corinth. 2. 14. Quæ enim carnis ad spiritum; belluæ ad cœlestẽ, ac diuinũ cibum propor- 1. ad Cor. 2. 14. tio? Sanè Regius Vates de populo, qui summo Deo posthabito, in cibos, Venerem, & idololatriam corruit, emphaticè dixit: *Mutauerunt gloriam suam in*

Psal. 105. 20. *similitudinem vituli comedentis fœnum* Psalm. 105. 20. hoc est, Deum, qui eximio illis ornamento erat, pro vitulo fœnum comedente quasi eorum palato magis apto, fœdè, & turpiter commutauerunt. Similiter Iudic. 5. 8. (Iudic. 5. 8.) vbi noster habet: *Noua bella elegit Dominus*, LXX. reponunt, *elegerunt deos nouos*: Sanctus verò Augustinus (LXX. August.) lib. 7. quæst. in Iudic. 5. 30. signatè legit: *elegerunt, vt panem hordeaceum deos nouos.* Dum verò acutè perquirit, cur dij noui cum pane hordeaceo cōponantur: *cum panis hordeaceus, quamuis sit in comparatione tritici panis abijciendus, tamen etiam ipse pascat, & vitale alimentum sit. Dij autem noui, quos dicuntur elegisse, qui defecerunt à Deo viuo, non possint in alimentis animæ deputari, sed potius in venenis*: scitè respondet, referendum id ad noxium populi fastidium, corruptumque palatum, cui mala pro bonis, amara pro dulcibus suaui gustui, ac sapori essent: atque ideo aptiùs per panem hordeaceum, quod naturale bestiarum pabulum est, quàm per venenum, quod ad homines potiùs, quàm ad belluas spectat, id significari. Sic enim ille: *An eatenus accipienda est similitudo, quatenus valet, vt propter hoc solum dictum intelligatur, quia sicut plerumque fastidio fit, vt eligenda reijciantur, & aspernanda delectent: ita vitio prauæ voluntatis tanquam languore fastidij, cùm esset verus eorum Deus, sibi falsos elegerunt, nihil aliud quàm nouitatem, & spreta veritate; atque ita cibum mortiferum tamquam panem hordeaceum elegerunt?* Ac si clariùs diceret, eò pulchrā hanc diuini eloquij imaginem ire, vt ostenderet, homines comparatos iumentis insipientibus, quibus hordeum potiùs, quàm delicatissimus quisque cibus in deliciis sit. Etenim vt *sunt quidam, quibus morbi vitio*, vt dicebat Seneca (Senec.), *mel amarum videatur*: ita eos bestiarum pabulum maximè delectat. *Multi enim ambulant, quos vobis sæpe dicebam* (inquit D. Paulus hac epist. cap. 3. 18. (Ad Phil. 3. 18.)) *nunc autem & flens dico, inimicos crucis Christi, quorum finis interitus, quorum Deus venter est: qui terrena sapiunt.* Preme verbum, *sapiunt*, id est, qui è terrenarum rerum, & impurarum voluptatum fæce ad instar bestiarum, & immundarum quidem saporem percipiunt. Certè eodemmet capite vers. 8. de seipso omnes fæculi delicias respuente (vt explicat Anselm. (Anselm.)) dixerat Apostolus, *propter quem omnia detrimentum feci, & arbitror vt stercora*, vbi Græca vox, σκύβαλα, vt benè notat Cornelius (Cornel.), propriè significat illas immunditias, siue spurcitias, quæ ex intestinis boū, ouium, aut pecorum canibus projiciuntur; indicans Paulus bestiarum palatum, & gustum eos, qui terrena sapiunt, habere.

3. Videor mihi quidem graphicè hæc omnia in ipsamet die in qua hæc scribimus, Dominica, videlicet, in quinquagesima, videre depicta. Quid enim passim videris, nisi homines qui terrena sapiant, terrenis inhæreant, gulæ ac deliciis seruiant, carnis voluptatibus ancillentur, & in vitiorum cœno tamquam lutulenti sues volutentur, mutantes gloriam suam in similitudinem vituli comedentis fœnum, siue eligentes *vt panem hordeaceum deos nouos?* Quos sanè præfiguratos inuenies in cæco secus viam mendicante, quem in Euangelio sic opportunè repræsentat Ecclesia ex Lucæ cap. 18. 35. (Luc. 18. 35.) *Cæcus quidā sedebat secus viam mendicans*: hoc est, inquit Gregor. hom. 2. in Euang. *Genus humanum, quod in parente primo à paradisi gaudijs expulsum, claritatem supernæ lucis ignorans damnationis suæ tenebras patitur.* Benè cæcus, qui falsa pro veris, obscura pro illustribus quæritabat. Pulchrè Chrysol. (Chrysol.) ser. 163. *Quis sic inuidus bonis suis, quis sic delicijs suis inimicus, vt spontanea, & cultius præparata despiciat, & concupiscat mūdanis laboribus, & doloribus conquisita? Degener nimis animus, mens tota seruilis est, quæ coquorum assatus, squalores culinæ, hesterno horrore fœtentia perquirat obsonia, cui iugiter regius deseruit, atque adiacet apparatus.* Obserua illud, *degener nimis animus est*, qui videlicet à vera hominis natura, & dignitate degenerauerit, humanúmque, ac delicatū amiserit. Benè etiam mendicus dum propriis bonis excussus, infelicia hæc fæculi gaudia non sine rubore à creaturis mendicare solet; vnde Bernard. (Bernard.) serm. 6. de Ascēsione: *Vsquequò miser diuerticula captas, & consolationes propriæ voluntatis tanto labore quæritas? tanto rubore mendicas.* Benè secus viam, à peccato à vera lætitiæ, & gaudij via abductus, atque seductus. Ita sub persona hominis contra legem agentis, & iniqui dicebat Paulus ad Roman. 7. 11. (Ad Rom. 7. 11.) *Peccatum occasione accepta per mandatum seduxit me.* Vbi ex Græco fonte pro, *seduxit me*, propriè legas, *abduxit me de via.* Hinc Dominus per Ierem. c. 2. 18. (Ierem. 2. 18.) *Quid tibi vis in via Ægypti, vt bibas aquam turbidam?* id est, quid tibi, & turbidis, fæculentisq; carnis voluptatibus? Quibus, ac si ea audisset, sic applausit Seneca (Senec.) epist. 27. *Dimitte istas voluptates turbidas magno luendas: non ventura tantùm, sed præterita nocent.* Nec multo dissimiliùs Epictetus (Epictet.) apud Stobæū inquiēs: *Vita quæ à fortuna pendet, rapido flumini similis est, turbulenta, cœnosa, impura.* Nec alium quidem gustū siliquæ illæ, quibus prodigus impleri cupiebat, apud Luc. cap. 15. 16. (Luc 15. 16.) habere videntur; de iis siquidem Ambros. (Ambros.) lib. 7. in Luc. *Quis autem aptior huiuscemodi hominibus cibus est, quam is qui siliquæ modo intus inanis, foris mollis est; quo corpus non reficitur, sed impletur, vt sit magis oneri, quàm vsui?* E qua etiam re est, quod eodem cap. versu 25. subiiciebat ex Dei nomine Ieremias (Ierem. 2. 25.): *Prohibe pedem tuum à nuditate, & guttur tuum à siti*; prudenter admonens, eam turbidæ huius aquæ naturam esse, vt sitim non modò non restinguat, vt potiùs augeat: rationem sic reddente Isaia cap. 29. 8. (Isai. 29. 8.) *Sicut somniat esuriens, & comedit, cùm autem fuerit expergefactus, vacua est anima eius: & sicut somniat sitiens, & bibit, & postquam fuerit expergefactus, lassus adhuc sitit, & anima eius vacua est.* Pende illud *lassus adhuc sitit*: ac si dicat Vates, loco satietatis lassitudinem, & acriorem sitim ex turbida voluptatum aqua mendicum hunc perpeti; eo modo quo dicebat Lucretius (Lucret.) in contemptu vitæ:

Præterea versamur ibidem atque insumus vsque,
Nec noua viuendo procuditur vlla voluptas.

Quare ibi elegantissimè Hieronym. (Hieron.) *Ardentior sitis fit, quæ cassa potione delusa est.*

4. Posuit quidem mendicum hunc nobis ob oculos Regius Psaltes Psalm. 4. 6. (Psal. 4. 6.) Vbi cùm dixisset: *Sacrificate sacrificium iustitiæ, & sperate in Domino*; subdit. *Multi dicunt: Quis ostendit nobis bona?* Inest autem in primis non mediocris emphasis his verbis, ex Hebræo sic expressis (Lect. Heb.); *Multitudo ista dicere solet*: ac si diceret; plebeium, ac gregarium fæculiarium hominum vulgus, siue multitudo ista stultorū, quorum infinitus est numerus: ij nimiū de quibus paulo antè ex Apostolo dicebamus: *Multi enim ambulant.* Sed quid solet dicere? *Quis ostendit* (siue vt Hieronym. (Hieron.) inibi, & Augustinus (August.) libr. 9. Confess. cap. 4. *Quis ostendet*) *nobis bona?* Nota signatissimum, verissimumque dicendi modum ab ipsorummet perditorum hominum ore exortum: *Quis*, hiquiunt, *ostendet nobis bona?* Sed cur, *ostendet*, non dabit? Sanè quod hæc omnia, quæ tanta auiditate homines insectantur, & concupiscunt, eius generis bona sint, quæ exteriùs solùm ostēdantur, nō verò interiùs animū, & pectus intrēt, & in sinū inducātur; atq; ideo nulla liquidæ voluptatis pars ex illis percipi

percipi possit. Vnde statim variata subtiliter locutione, ab horum numero, & conditione seipsum secernens, atque discriminans subiicit Vates: *Dedisti lætitiam in corde meo*; siue vt signatè est in Hebræo, *Infudisti lætitiam in corde meo*: vt tota sententia sit eiusmodi; quàm alia spiritualia bona à terrenis, & sæcularibus sunt! Hæc enim amatorũ suorũ animos non intrant, sed oculis tantùm hærent, oculorumque pabulum sunt, atque ideo vacui illorum spectatores ipsis existunt: at gaudium, atque lætitia spiritus profundè in animum descendit atque intimo pectori infusum, ipsum plenè, & vndequaque reficit. Ita ibi Nyssenus tractat. 1. in Psalm. c. 4. hæc verba sic explicans. *Solā enim sanctitatem dixit Propheta verè esse admirandam, alia omnia, quæ magno studio bonorum vice quæruntur ab hominibus, in opinione sita esse, & in seipsis non subsistere, sed in vana hominum existimatione videri, quasi esse quoddam habeat.* & post pauca: *Non enim fieri potest, vt malitia blandimentis animus demulceatur*. Ita Nyssenus. En quem gustum percipiant, quam lætitiæ partem habeant, *qui terrena sapiunt, quorum Deus venter est, & gloria in confusione ipsorum.* Quod si verum fatear, non minus opportunum huic loco commentarium visus est fecisse Seneca epist. 110. vbi occasione insignis cuiusdam festiuitatis, in qua Romana ciuitas exultans, atque tripudians, quidquid in externis bonis illustre, atque splendidum haberet, ambitioso apparatu, ac pompa recensuit, hæc primùm ex egregij Philosophi Attali persona inquit. *Diu mihi imposuere diuitiæ: stupebam, vbi aliquid ex illis alio, atque alio loco fulserat: existimabam similia esse quæ laterent, his quæ ostenderentur. Sed in quodam apparatu vidi totas opes vrbis, cælatas ex auro, & argento, & his quæ pretium auri argentique vicerunt, exquisitos colores, & vestes vltra non tantùm nostrum, sed vltra finem hostium aduectas. Hinc puerorum perspicuos cultu, atque forma greges, hinc fœminarum, & alia quæ res suas recognoscens summi imperij fortuna protulerat. Quid hoc est, inquam, aliud quàm irritare cupiditates hominum per se incitatas? Quid sibi vult ista pecuniæ pompa? Ad discendam auaritiam conuenimus. At mehercule minus cupiditatis istinc effero, quàm attuleram. Contempsi diuitias, nõ quia superuacuæ, sed quia pusillæ sunt. Vidistine quàm intra paucas horas ille ordo, quamuis lentus, dispositusque transierit? Hoc totam vitam nostram occupabit, quod totum diem occupare non potuit? Accessit illud quoque, tam superuacuæ mihi visæ sunt habentibus, quàm fuerant spectantibus.* Deinde ex propria sententia non minus appositè, & sapienter subiungit: *Hoc itaque ipsi mihi dico, quoties tale aliquid præstrinxerit oculos meos, quoties occurrerit domus splēdida cohors culta seruorum, lectica formosis imposita calonibus. Quid miraris? quid stupes? Pompa est. Ostenduntur istæ res, non possidentur; & dum placent, transeunt.* Obserua hæc vltima, *ostenduntur istæ res, non possidentur*; quæ præfatis verbis Dauidis: *Quis ostendet nobis bona?* mirum in modum aptantur.

Lect. Hebr.

Nyssen.

Senec.

5\. Ergo sæcularibus gaudiis nihil vanius, inanius nihil; peccato nihil magis insulsum, & inconditum est. Inquirat igitur Iob. cap. 6. 6. *Poterit comedi insulsum, quod non est sale conditum?* Respondebimus tamen, peccato suum condimentum, & obsonium non deesse. Quale? accipe à Paulo ad Rom. 6. 23. *Stipendia peccati mors.* Pro quibus Basilius lib. siue serm. 1. de Baptismo legit: *Obsonia peccati mors.* Vt ad cumulum miseriarum peccatoris, id tandem malorum omnium extremum illi accidat, vt dum inconditum, atque insulsum peccati cibum deuorare concupiscit, mortē, eamque æternam pro condimento, atque obsonio habeat. Hæc tantæ sæcularium voluptatũ inanitatis atq; insulsitatis obsoniũ, & merces est: vt iam videris, quousque noxia hominũ ruditas, insipientia, & amentia peruenerit; siue quàm corruptũ, atque vitiatum ipsorũ palatum sit, qui deficientes à Deo viuo, vt dicebat superiùs August. eos deos nouos elegerint, qui *non possunt in alimentis animæ deputari, sed in venenis.* Sanè cùm Ezechieli cap. 10. 8. à Deo præscriptum est, vt foderet parietem, ad introspicienda idola domus Israël: *Ecce omnis similitudo reptilium, & animalium abominatio.* Obserua deos nouos vt panem hordeaceum manducandos. Vnde ad id loci Theodoret. *Præter impietatem ingens stultitiæ exuperantia; quid enim insanius ijs, qui venenatorum serpentium, & rationis expertium iumentorum adorant imagines? illos enim vt noxios, & insidiosos occidere consueuimus, hæc vt nobis seruirent, ac ministrarent Dominus attribuit.* Porrò mirum iam non fuerit dixisse Salomonem, impios mortem suam, quasi rem omnium gratissimam adamare, ac velut pulcherrimam, ac suauissimam sibi sponsam ardenter deperire: sic enim Sapient. 1. 16. *Impij autem manibus, & verbis accersierunt illam, & æstimantes illam amicam, defluxerunt, & sponsiones posuerunt ad illam*: cùm ipsam pro inconditi cibi obsonio, & laborum suorum mercede, atque stipendio habere videantur.

Iob. 6. 6.

Ad Rom. 6. 23.

Basilius.

Ezec. 10. 8.

Theodor.

Sap. 1. 16.

Ergo misero huic cæco mendicanti, atque petenti: *Quis ostendet nobis bona?* Dei Filius non tam ostensurus, quàm daturus, & vero vultus sui lumine, imò proprio corpore, & sanguine infusurus occurrit; & per Ieremiam cap. 31. 22. hæc suggerit: *Vsquequò delicijs dissolueris filia vaga? Quia creauit Dominus nouum super terram; fœmina circumdabit virum.* Quæ verba quamuis de Virgine, & incarnato Verbo à Patribus communiter explicentur; at iuxta Lxx. lectionem non minus aptè de Sacramento Eucharistiæ capias cum P. Alcazar notatione 19. procemiali in Apocalyps. num. 6. sic enim illi reponunt: *Quoniam creauit Dominus salutem in plantatione noua, in salute circuibunt homines.* Vbi in primis ex voce, *homines*, necnon ex Chaldęo, apud quē est, *populus*; à nostro Vulgato *fœmina* pro Ecclesia Christum in Eucharistia circumdante, & salutem suam [illegible]cipiente, capi videtur: (valet enim in Scriptura ablatiuus, cum præpositione, *in*, idem ac accusatiuus; vt Habac. 1. 5. *Aspicite in gentibus*: in quæ verba varia exempla congerit Anton. de Gueuara.) Deinde, vt bene obseruat P. Sanchez ibi, *vir* pro sponso videtur esse positus; quæ obseruatio ex Hebræa voce, *gabber*, necessariò subsistit: quasi sponsa deliciis dissoluta, ad sponsi thalamum redire admoneatur. Iam ad sententiæ energiam, nota ex Hebræo pro, *delicijs dissolueris*, Pagninum legere, *quousque vertes te huc atq; illuc?* sumpta metaphora ab eo, qui nulla in re quietē capere valet, atque ideo hac, illac discurrit: alios verò, *quousque delicijs tabesces?* Nam, vt locuples testis Pagninus est in Dictionario, Hebræum verbum, quod Latino, *tabesco*, respōdet, à Vulgato, & aliis, per verbũ, *dissoluo*, solet efferri. Est autē tabescere, idem ac diuturna animi corporis ægritudine colliquefieri, atque consumi: propriissimè verò *tabes* dicitur, cùm corpus non alitur, quod ob malũ corporis habitum omnia alimenta corrumpuntur: de quo latè Celsus lib. 3. cap. 2. Ex his tota sententia hæc est: quousque tandem ô misera, noxiis deliciarũ, & impurarum voluptatũ cibis dedita, à vera gustus suauitate, ac dulcedine, atque à tranquilla animi quiete aliena, morbifica, ac lethali tabe affecta, præ fame, præ siti, præ ægritudine, præ fastidio immoderatissimè agitata fluctuabis? Quippe hæc vox est *rabidarum deliciarum*:

6.

Iere. 31. 22.

Lxx.

Alcazar.

Habach. 1. 5.

Senec. (Seneca de tranquil. animi, c. 2.) *Quousque eadem*? En benignissimum Dominum, qui tui misertus, dulcissimum, ac saluberrimum tibi cibum præparauit. *Quoniam creauit Dominus salutem in plantatione noua*; seipsum videlicet, velut suauissimum malum inter ligna syluarum, quo vtiliter, iucundè, ac suauiter reficiaris, tibi apponens, vt fami, siti, fluctuationi, labori, ac morti, quæ antea perpetiebaris, iam satietas, gaudium, suauitas, quies, vitaque succedant.

Sap. 16. 20. Ita quidem Salomon Sapientiæ 16. 20. cùm longiùs supplicia impiis Ægyptiis inflicta recensuisset, subdit: *Pro quibus Angelorum esca nutriuisti populum tuum, & paratum panem de cœlo præstitisti illis sine labore, omne delectamentum in se habentem, & omnis saporis suauitatem*. Vbi premas velim illud, *pro quibus*, iuxta ea quæ de Græca præpositione, ἀντι, sæpius monuimus, vnius rei loco alterius substitutiuam esse. Præterea è fonte haurienda sunt illa; *omne delectamentum in se habentem, & omnis saporis suauitatem*, quæ Regia Biblia ita legit: *ad omnem voluptatem valentem, & ad omnem congruum gustum*; siue vt Vatablus, *omni accommodatum gustui*. Sed cùm Græcè pro vltimis verbis sit, πρὸς πᾶσαν ἁρμόζοντα γεῦσιν: propriissimè repones, *cohærentem aptissimè, & quasi harmoniam cum ipso gustus sensu efficientem*. Itaque priori hemistichio significat Sapiens, manna in se habuisse ciborum omnium saporem dulcem, seu omnium sapidorum suauitatem: posteriori autem id singillatim aperit, ex saporibus, quos habebat cunctos, quasi libero quodam, & discernente iudicio, eum cuiusque gustui accommodasse, qui edenti suauior, & congruentior erat. Sed de hoc copiosiùs nos ad id loci agimus: modò Cyprianum serm. in Cœna Domini hæc Eucharistiæ aptantem audi; sic enim ille. *Vt manna, sic & hic panis omne delectamentum in se habet, virtute mirifica omnibus qui dignè, & deuotè sumunt, secundum suum desiderium sapit, implet, satiat edentium appetitus, & omnium exuperat dulcedinum voluptates*. Hinc signatissimè sponsa Cant. 2. 3. *Sicut malus inter ligna syluarum, sic dilectus meus inter filios. Sub vmbra illius, quem desideraueram, sedi, & fructus eius dulcis gutturi meo*. Quæ dum de viuifica Christi carne in Eucharistia à pluribus Patribus capiuntur, huic cogitationi mirificè accinunt: non enim vtcumque dulcis Christus ibi esse perhibetur, sed dulcis gutturi, atque palato, quod non modò eius famem sedet, sitimque restinguat, sed interiores omnes sensus mira suauitate, atque dulcedine perfundat. Ita ad id loci Theodoretus: *Sponsum appellat pomum, quod quidem, & tactu molle est, & gustu dulce, & odoratu suaue, & aspectu iucundum, ac venustum, & auditu amabilissimum. Talis est Dominus noster, & Saluator, & sponsus, qui conuiuio suo sensus omnes nostros explet suauitate*. sic ille. Habet verò hic suauitatum & deliciarum cumulus, quo Eucharistia omnes hominis sensus explet, peculiarem emphasim, atque vim ad alliciendam filiam illam vagam, ac dissolutam: etenim ex Latini verbi, *dissoluo*, proprietate innuit Propheta, eam sæcularium bonorum malignitatem esse, vt pro eorum quolibet obtinendo miseri homines dissipentur, & frustatim discindantur; operam enim, laborem, diuitias, salutem, vitamque ipsam impendunt, vt optata consequantur, nec tamen voti compotes euadunt at in vno hoc suauissimo fructu, dum omnibus suauitatibus, atque deliciis homo fruitur, seipsum colligit, atque vnit: vnde August. lib. 2. Confes. cap. 2. *Amore amoris tui facio istud, recolens vias meas nequissimas in amaritudine animæ meæ, vt dulceat mihi dulcedo non fallax, dulcedo felix, & secura, & colligens me à dispersione, in qua frustatim discissus sum, dum ab vno te auersus in multa euanui*. Sed totam sententiam sic expressit Ambros. premens id Psalm. 118. *Adolescentulus sum ego, & contemptus*, ad hunc modum: *Ille ego despectus antè iam præferor, iam anteponor electus, ille antè despectus populus peccatorum, habeo cælestium Sacramentorum veneranda consortia; iam mensæ cœlestis honore suscipior, epulis meis non pluuia vndatur, non terra partus laborat, non arborum fructus. Potui meo non flumina quærenda, non fontes; Christus mihi cibus, Christus mihi potus, caro Dei cibus mihi, & Dei sanguis est potus, non iam ad satietatem mei annuos expecto prouentus, Christus mihi quotidie ministratur*. Vnde sic statim prudenter subdit: *Non verebor nequa mihi cæli intemperies, aut sterilitas ruris immineat, si pij cultus diligentia perseueret; non iam coturnicum pluuias mihi opto descendere, quas antè mirabar; non manna, quod antè cibis omnibus præferebam, quia qui manna manducauerunt patres esurierunt; meus cibus est, quem si quis manducauerit, non esuriet; meus cibus est, qui non corpus impinguat, sed confirmat cor hominis*. Hæc Ambrosius.

Senec. · Sap. 16. 20. · Bibl. Reg. · Vatabl. · Lect. Græc. · Cyprian. · Cant. 2. 3. · Theodor. · August. · Ambros.

7. Præfatis Ieremiæ verbis omnino persimilia hæc Isaiæ sunt cap. 55. 2. *Venite, emite absque argento, & absque vlla commutatione vinum, & lac*, siue vt reponunt LXX. *vinum, & adipem*: in quæ Hieronym. *De quo sanctus Dauid dicit in Psalm*. Sicut adipe, & pinguedine repleatur anima mea; *& alio loco*: cibauit eos de adipe frumēti, *&c. Qui adipes nō aliud, quàm mysticam carnem sonant, ad quam Dominus discipulos hortabatur dicens*: Nisi comederitis carnem meam, & biberitis sanguinem meum, non habebitis vitam in vobis. Sed subdit statim emphaticè Vates: *Quare appenditis argentum non in panibus*, (Hebraicè, *non in pane*) *& laborem vestrum non in saturitate? Audite audientes me, & comedite bonum, & delectabitur in crassitudine anima vestra*. Ac si diceret Vates: cur rebus inanibus, atque inutilibus operam nauatis; imò potiùs oleum & operam perditis, cùm in eorum bonorum comparatione, quæ famem vestram exsatiare non possunt, vos ipsos laborando conficiatis? Audite ergo me, & qui malum antea tanta auiditate sectabamini, modò ipsummet bonum, meum, scilicet, corpus, comedite, & in vosmetipsos traiicite, vt in eius crassitudine, atque deliciis anima vestra tot priùs fallaciis fatigata, & exanimata mirificè reficiatur, atque delectetur. Ita Patres, & interpretes secuti Cyril. & Hieron. qui subdit: *Ergo non opum abundantiam, & delicatos cibos, & crassitudinem corporis, phasidesque, & fartos turtures, mulsum merum, vxorum pulchritudinem, examina liberorum, Dominus animæ pollicetur: sed illas delicias ad quas nos mysticè prouocat dicens: Delectare, siue deliciis fruere in Domino, Psalm. 36. 4*. Scitè, quippe hæc omnia nequaquam animum satiare possunt, neque eius palato aptè conueniunt. Vt enim aliud hominis bonum à bono pecoris, ita aliud illius ab huius palato est. Sic dicebat August. in Psalm. 102. *Bonum tuum quære ô anima: est enim bonum aliud alteri, & omnes creaturæ habent bonum suum. Quære tuum bonum, summum bonum, hoc est bonum tuum: sunt & inferiora bona, quæ aliis, & aliis bona sunt. Pecori quod est bonum, nisi implere ventrem, carere indigentia, dormire, gestire, bibere, sanum esse, generare? Tale tu bonum quæris, cohæres Christi? Quid gaudes, quia socius es pecorum? Erige spem tuam ad bonum bonorum omnium*. Ergo appositè homini dicitur, *comedite bonum*. Si inquiras, quod, aut quale bonum? Facilè respondebo ex verbis Domini ad Mosem Exod. 33. 19. *Ostendam tibi omne bonum*, non hoc, aut illud bonum, sed quidquid bonum est, tibi propono. Quare premens hæc Exodi verba idē Aug. lib. 8. de Trinitate. *Quid*

Isai. 55. 2. · LXX. · Hieron. · Psal. 62. 6. · Psal. 80. 17. · Psal. 36. 4. · August. · Exo. 33. 19. · August.

Quid plura, & plura? hoc bonum, & illud bonum: tolle hoc, & illud, & vide ipsum bonum, si potes; ita Deum videbis, non alio bono bonum, sed bonum omnis boni. Age iam, ô homo, & qui priùs peccatum deuorans omne simul malum manducabas, (peccatum siquidem Bas. vt breuiter, ita plenissimè à Basil. omne malum diffinitur,) omne bonum, & omnis boni bonum comede, vt in eius crassitudine, atque deliciis anima tua exsatietur, & omnimoda suauitate perfundatur: nec enim ostenditur tibi bonum, sed datur, sed infunditur, & in sinu ipso, imò verò in corde Cyprian. reconditur. Hinc pulchrè Cypr. de Cœna Domini: *Hanc Dei gratiam recolens, qui de sacro calice bibit, amplius sitit, & ad Deum viuum erigens desiderium, ita singulari fame illo vno appetitu tenetur, vt deinceps fellea peccatorum horreat pocula, & omnis sapor delectamentorum carnalium, fit ei quasi rancidum, radensque palatum acuta mordacitatis acetum.* Hæc Cyprianus. Quibus placet accommodare, quæ de Siciliæ monte omnigena florum copia, & peculiari Aristot. quodam tritico mirificè pollente, sic scripsit Aristot. lib. de mirab. auscult. *In Ætna Siciliæ monte spelunca est, circa quam florum omnigena copia crescit omni tempore, tum violis immensum quoddā spatium obtegitur, quæ finitima loca adeò fragrantia sua replent, vt occupati hac suauitate odoris venatici canes lepores vestigare nequeant: ac sub eodem hiatu obscurum quoddam antrum latet, vbi triticum reperitur, nec domestico quo vtuntur, nec alij importato simile, sed peculiari proprietate insigne.* Hæc Philosophus, quæ pro commenta- Cant. 7. 2. rio loci illius Cantic. 7. 2. *Venter tuus sicut aceruus* Ambros. *tritici, vallatus liliis*, ab Ambros. serm. 17. in Psal. 118. de Eucharistia sic explicati: *Et venter eius non solùm aceruo tritici, id est, cibis fortioribus cœlestis mysterij saginetur: verùm etiam tamquam liliis quibusdam moralium suauitate repleatur*, aptissimè esse possunt. Inde verò maximè Eucharistiæ suauitas relucet, & commendatur, quod eius suauitate occupati venatici canes, sæcularium inquam bonorum, ac voluptatum amatores, lepores vestigare nequeant, atque intermittant, *omnisque sapor delectamentorum carnalium, fit eis quasi rancidum, radensque palatum acuta mordacitatis acetum*: vt dicebat Cyprianus.

8. Bene omnino de manna cum allusione ad Eucharistiam dicebat Salomon: *Cohærens aptissimè, & quasi harmoniam cum ipso gustu sensu efficiens.* Hominis enim, qui verus homo censeatur, gustus, atque palatum, non in corpore, sed in animo est; ibi enim ipse reficitur, delectatur, gustum, atque saporem August. percipit. Vnde quidem August. lib. 6. Confes. cap. 3. de diebus vanitatis suæ, cùm frustatim discissus, ab vno Deo auersus in multa euanuerat, verba faciens, de magno Ambrosio Mediolani tunc doctrina, & vitæ probitate, necnon magna apud omnes auctoritate pollente, sic loquitur: *Ipsum Ambrosium felicem quendam hominem secundum sæculum opinabar, quem sic tantæ potestates honorarent: cælibatus tamen eius mihi laboriosus videbatur.* Sed quare videbatur? subiicit: *Occultum os eius, quod erat in corde eius, quàm sapida gaudia de pane tuo ruminaret, nec conijcere noueram, nec expertus eram.* Opportunè, *occultum os eius, quod erat in corde eius*: humanum, scilicet, ac rationale palatum, rationabili lacte (de quo præced. adnotat.) diuinóque cibo reficiendum, atque ideo ex Eucharistiæ pane sapida gaudia percipiens. Sed de semetipso addit statim August. *Neque ille sciebat æstus meos, nec foueam periculi mei.* Ac si diceret: ego illius gaudia nesciebam, quod occultum cordis os mirifica suauitate perfusum expertus non eram; ille æstus meos, quibus hinc, illinc agitabar, famemque, & inanitatem meam prorsus ignorabat,

Vella 79. in Epist. ad Philippens.

qui omne bonum in saturitate comedebat. En Eucharistiam, & germani gustus atque palati indicem, & quæ humanum os tantummodo exsatiet, ipsique dulciter sapiat. Cui cogitationi appositè congruit amphoræ visio, Zachariæ ad hunc modum Zach. 5. 6. ostensa, cap. 5. 6. *Et egressus est Angelus, qui loquebatur in me, & dixit ad me: Leua oculos tuos, & vide, quid est hoc, quod egreditur. Et dixi: quidnam est? Et ait: Hæc est amphora egrediens. Et dixit: hæc est oculus eorum in vniuersa terra. Et ecce talentum plumbi portabatur, & ecce vna mulier sedens in medio amphoræ. Et dixit: hæc est impietas, & proiecit eam in medio amphoræ, & misit massam plumbeam in os eius.* Quid enim denotat illa amphora, nisi humanam cupiditatem aperto ore semper inhiantem, aliaque & alia peccata ad famem explendam, quin aliquando exsatietur, indesinenter deuorantem? Ita ibi Theodoret. & Gregor. Theodor. Greg. Mag. Magnus lib. 14. Moral. c. 25. sic enim prior. *Diuinus Zacharias videt peccatum speciem mulieris referēs: nam ex voluptate plura peccata nascuntur.* Gregorius verò: *Per imaginem amphoræ quasi patens os auaritiæ designauit: auaritia quippe velut amphora est, quæ os cordis in abdito apertū tenet.* Quod si os eius semper apertum videre velis, obserua primùm illa verba, *hæc est oculus eorum in vniuersa terra.* Sed quare oculus? quia *non saturatur oculus visu*, Ecclesiast. 1. 8. Quippe vacui bonorum spectatores, non possessores, sunt ho- Eccl. 1. 8. mines terrenis addicti; nec ad occultum os cordis eorum hæc perueniunt: id quod tot ipsorum mœrores, tot afflictiones, gemitus, rugitus, voces, & querelæ dolorem indicantes satis suadent. Scitè enim Iob c. 6. 5. *Nūquid rugiet onager, cùm habuerit herbam,* Iob. 6. 5. *aut mugiet bos, cùm ante præsepe plenum steterit?* Ergo ipsos absque cordis pabulo, vacuumque præsepe habentes rugire, ac mugire necesse est. Deinde audi Senec. ep. 74. *Solebat Attalus hac imagine vti: vidisti* Senec. *aliquando canem missa à domino frusta panis, aut carnis aperto ore captantem? quidquid excepit protinus integrum deuorat, & semper ad spem futuri hiat; idem euenit nobis, quidquid spectantibus fortuna proiecit, id sine vlla voluptate demittimus statim ad rapinam alterius erecti atque attenti.* Ecce æstus, quibus cōflictabatur August. Vide iam occultum os Ambrosij, quod in corde eius sapida gaudia ruminabat; *& misit massam plumbeam in os eius*: hoc est, interius cordis os quantum, quàm apertum & inhians, Christi massa, & pane, corpore, scilicet, & sanguine replens. Ita inibi S. Cyril. Alex. inquiens: *Plumbi autem talentum eleuatū,* Cyr. Alex. *& obturans os eius, nihil aliud, opinor, potest intelligi præter Dominum nostrum Iesum Christum.* Et statim; *Plumbo autem & ipse comparatur: assumitur enim plūbum ab argentarijs artificibus ad purgationem eorum, quæ conflantur. Talis quodammodo virtus Christi in nobis. Si enim in mentem, & cor venerit, omnes sordes prorsus abstergit.*

9. Hinc quidem huic amphoræ signatissimè Dominus apud Psaltem Psalm. 80. 11. dicebat; *Dilata* Psal. 80. 11. *os tuum, & implebo illud*: hoc est, quantumcumque votorum, ac desideriorum os dilataueris, ego implebo, & replebo illud, dum me ipsum tibi manducandum apponam. Ita ibi Hieronym. qui cùm dixisset: Hieron. *Non desideremus Ægyptias carnes; nō dicamus: Quàm bene nobis erat in Ægypto, cùm manducabamus carnes in ollis, & allia, & cucumeres*; subdit statim. *Vis accipere Domini cibos? Vis comedere ipsum Dominum Deum tuum, & Saluatorem? audi quid dicat:* Dilata os tuum, & implebo illud. *Dilatate ora vestra, ipse est, & Dominus, & panis; ipse hortatur nos vt comedamus, & ipse noster cibus est, Quantumcumque dilataueris, tantum accipies. Non est igitur in mea potestate, sed in tua est; si volueris, totum me accipies.* Sanè hoc sensu Paulus

Ad Coloss. 2.10. præced. adnotat. à nobis adductus, ad Coloss. 2.10. cùm de Christo Domino dixisset: *In ipso habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter*; pulchra emphasi subdit, *& estis in illo repleti*: hoc est, hoc vno & summo bono, & omnis boni bono, occultum os cordis vestri omnimoda suauitate cœlestium deliciarum plena exsaturatur, vt repletum in bonis desiderium vestrum nihil subinde concupiscat, nihil esuriat, sitiatve, sed omni vndique concupiscentia clausa, atque compressa huic vni bono suauiter inhæreat. Ita dicebat Cyprianus de Cœna Domini. Cyprian. *Qui manducat ex hoc pane, vltrà non esurit, qui bibit, vltrà non sitit, quoniam mysterij huius sic sufficit gratia, sic reficit intelligentia, vt cuicumque tanta rei innotuerit plenitudo, omnis consummationis finē inueniat. Christi baiulus ipsum ferat in pectore, ipsum gerat in mente, & omni tempore habitatori suo dicta, & facta iubilatione consona laudes resonent, & gratiarum actiones decantent.* Pulchrè illud, *tanta rei innotuerit plenitudo*, nimirum, *omnis plenitudo diuinitatis*, vt dicebat Paulus: qua humani cordis amphora omnino repleatur, & omnis consummationis, perfectionis, magnitudinis, excelsitatis, votorumque, quæ ambitioso, ac penè infinito interuallo dilatatur, videat finem. Hinc equidem illa de Iuda proditore queribunda, & lamentabilis Psal. 54.14. Christi vox apud Psaltem Psalm. 54. 14. *Quoniam si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem vtique, &c. Tu verò homo vnanimus dux meus, & notus meus, qui simul mecum dulces capiebas cibos.* Est enim sensus: hanc de te potissimum habeo grauissimam querimoniam, quod dulci à me tibi aduersus auri famem, & diaboli venena adhibita medicina, nolueris ei acquiescere, & ab errore pedem referre. Sic de S. Gaudent. Eucharistia dicebat S. Gaudent. Brixiens. serm. 2. de manduc. Agn. pasch. *Contra venena diaboli dulcem medicinam sempiterni tutaminis consequamur.* Ac si diceret Dominus: itàne insatiabile amplioræ cupiditatis tuæ os erat, vt tanto dono, tanta dulcedine repleri non posset? Nec minus ad hoc institutum opIsai. 65.11. portuna Domini querela apud Isai. 65. 11. *Et vos qui dereliquistis Dominum, qui obliti estis montem sanctum meum, qui ponitis Fortunæ mensam, & libatis super eam.* Vbi plurimi faciendas iudico Hebræas, & Græcas translationes, ex quibus egregia sententia consurgit: sic enim in primis LXX. *Paratis dæmoni mensam, & impletis Fortunæ potionē*: deinde Sanct. Pagn. LXX. Pagnin. *Qui paratis exercitui cæli mensam, qui impletis planetis libamen*: paulo aliter Rabbi Ionah, & Rabb. Moses, R Ionah. R Moses. dum hic: *ponitis Iouis*; ille verò, *coniunctioni planetarum mensam*, legunt: secus Forsterus; *qui ponitis* Forsterus. *Marti mensam, & libatis Mercurio*, belli, scilicet, & pacis prophanis numinibus. Accuratissimè verò ex Montan. Hebræo verbo tenus Arias Montanus, *instruentes bonæ gratiæ mensam* quæ omnia diuersis omnino vociSymmach. bus sub vno sensu appositè cogit Symmachus, Hebræam vocem, *mini*. quæ diuersitatis origo est, explicans, *absque me*; vt sententia sit: *Qui paratis Fortunæ mensam, & impletis absque me potionem.* Ex quibus pulcher is resultat sensus, ad carpendum irridendúmque simul non minus inane, quàm pertinax studium, quo sæculi gaudium, & tranquillitatem, ex tot tamque diuersorum belli, pacisque numinum, idolorum, principum, magnatū, variorúmque euentuum coniunctione coalescentem, colimus, opportunissimus, ac si dixerit Dominus. O amentes, qui absque me: hoc est, absque Eucharistia, quæ bona gratia dicitur, & est, bonæ gratiæ mensam struitis; putantes fieri posse, vt omnia mundi idola, omnésque Fortunæ flores, atq; thesauri vestrum animum, diuinitatis capacem, sine me impleant. Sed esto implere possent; itáne ad manū florentem Fortunam, omniumque planetarum coniunctionem, syder úmque militiam pro vobis pugnantem inuenietis? Sed de hoc alibi, dum pro iis, qui ponunt Fortunæ mensam, non dimittam illa Senecæ verba epist. 82. dicé- Senec. tis. *Non habet, vt putamus, Fortuna longas manus, neminem occupat, nisi hærentem sibi.* Nec hæc Plinij lib. 2. Plin. cap. 7. *Toto quippe mundo, & locis omnibus, omnibusque horis, omnium vocibus Fortuna sola inuocatur, vna nominatur, vna accusatur, vna agitur rea, vna cogitatur, sola laudatur, sola arguitur, & cum conuitijs colitur, volubilis, à plerisque verò & cæca etiam existimata, vaga, inconstans, incerta, varia, indignorumque fautrix. Huic omnia expensa, omnia referuntur accepta, & in tota ratione mortalium sola vtramque paginam* (Hispanè, *el deue, y ha de auer*,) *facit.* Vt videris, cui, Christi longas manus habentis relicto conuiuio, tanta cura ponas mensam, & potionem impleas.

Adhæc, si attendis, peculiaris quædam suauitas, 10.
atque dulcedo sacratissimæ Eucharistiæ inest, puro, ac delicato hominis palato, atque gustui vndique quadrans, dum, videlicet, ipsa ad suauissimum dilectionis affectum exercendum, exacuendum, exsatiandum, & quidquid in illo iucundum, ac dulce inuenitur, persentiendum mirum in modum facit. Etenim ea nos ratione ad cœlestem hunc cibum accipiendum Dominus admonebat, *vt sciremus* (iam loquitur Cyprianus serm. in Cœna Domini) Cyprian. *quod mansio nostra in ipso sit manducatio, & potus quasi quædam incorporatio, subiectis obsequijs, voluntatibus iunctis, affectibus vnitis. Esus igitur carnis huius quædam auiditas est, & quoddam desiderium manendi in ipso, per quod sic imprimimus, & eliquamus in nobis dulcedinem charitatis, vt hæreat palato nostro, & visceribus sapor dilectionis infusus penetrans, & imbuens omnes animæ, corporisque recessus.* Hæc Cyprian. Egregiè illud, *imprimimus, & eliquamus in nobis dulcedinem charitatis, vt hæreat palato nostro, & visceribus sapor dilectionis infusus*, &c. Quippe media Eucharistia Christo intimè adhæremus, copulamur, iungimur, agglutinamur, & cum ipso non solùm *subiectis obsequijs, voluntatibus iunctis, affectibus vnitis*: sed vera intercedente vnione reapse vnum efficimur; & vt semel dixerim, nuptias cum illo plenas dignitatis, plenas concordiæ, plenas diuitiarum coniungimus. Sic enim Salomon Cant. 3. 11. *Egredimini, &* Cant. 3.11. *videte filiæ Sion Regem Salomonem in diademate, quo coronauit illum mater sua in die desponsationis illius.* Audis desponsationem? Quando ergo facta fuerit, sic explicat Theodoret. *Sponte enim ignominiam per-* Theodor. *tulit, atque vltrò ad mortis cruciatus accessit. Quamobrem desponsationis diem illam vocauit, & diem lætitiæ cordis eius. Tunc enim nuptiarum communio facta est. Nam post cœnam inquit*: Accipiens panem, & gratias agens, fregit, deditque discipulis suis, dicens: Acci- Mat. 26.21. pite, comedite ex eo omnes. Hoc enim corpus meū, Marc. 14. 10. quod pro vobis frangitur in remissionem peccatorum. Hoc facite in mei commemorationem. *Edentes igitur sponsi membra, & bibentes eius sanguinem, nuptialem ipsius communionem assequuntur.* Vt verò videris, quàm sit id verum, quámque arcta coniunctione, & identitate sponsi membra efficiantur, qui ipsius carnem accipiunt, obserua, quid de Christo, cùm in horto Gethsemani ad preces fundendas paulùlum à discipulis discessit, dixerit Lucas cap. Luc. 22. 41. 22. 41. *Et ipse auulsus est ab eis, quantum iactus est lapidis.* Auulsus, inquit. Quid est auulsus? Dixi sæpius ex Tertulliano lib. de carn. Christi, cap. 10. *Quid* Tertul. *auellitur, nisi quod inhæret? Quod infixum, innexumque est ei, à quo vt auferatur, auellitur, cum quid extraneum extraneo agglutinatur, ita concarnatur, & conuiscera- tur cum eo, cui agglutinatur, vt cùm auellitur, rapiat secum*

cum ex corpore aliquid, à quo auellitur, quasi sequelam quandam abruptæ vnitatis, & traducis mutui coitus. Sed hinc dubites, quid fuerit opus hac auellendi phrasi vti Lucam, vt discessum, quantum iactus est lapidis, exprimeret; cùm longiorem aliàs, imò & maris etiam interiecto spatio digressum simplici Marc. 6.45. abeundi verbo significauerit, Marc. 6.45. inquiens: *Et statim coëgit discipulos suos ascendere nauim, vt præcederent eum trans fretum ad Bethsaidam, dum ipse dimitteret populum; & cùm dimisisset eos, abijt in montem orare.* Equidem, quod ingens inter vtrumque tempus fuerit discrimen; nec enim priùs nuptialem ipsius communionem discipuli fuerant assecuti, at postea cùm per Eucharistiam sponsi membra extitissent, iure qualiscunque Christi discessus ea auellendi locutione debuit exprimi; quippe id auellitur, quod inhæret, quod infixum, innexúmque est ei, à quo auellitur, atque ita concarnatur, & conuisceratur cum eo, cui agglutinatur, vt cùm auellitur, rapiat secum ex corpore aliquid, à quo auellitur. Quòd si is tam acerbus, dirúsque in auulsione, & distractione dolor fuerit; quæ, rogo, exultantia, suauitas, atque dulcedo in ipsa membrorum coniunctione, atque vnione fuerit, cùm palato nostro, atque visceribus sapor dilectionis infusus hæret, penetrans, & imbuens omnes animi corporísque recessus? Porrò, *verus amor* (sic inquit August. libro 13. Confes.) *non sentit amaritudines, sed dulcedines, quia amoris soror dulcedo; sicut soror odij est amaritu-* August. *do.* Ita August. & peritis in arte credendum est. Huc rursus aduoco illam Christi de proditore Iuda que- Psal. 54.15. rimoniam Psal. 54.15. *Tu verò homo vnanimis,* &c. *qui simul mecum dulces capiebas cibos:* pro quibus Hieron. S. Hieronymus legit; *qui simul habuimus dulce secre-* Aquila. *tum:* Aquila verò; *qui simul dulce fecimus secretum:* ac si diceret, qui adeò obstinato, effetatóque animo fuisti, vt tanta suauitate, secretáque illa amoris mei dulcedine intimos omnes recessus imbuente non demulceretis, vt ei, qui se tibi vnanimem exhibebat, misericordiam haberes.

11. Nec omittam expendere Eucharistiæ institutionem, signatè desponsationis diem; animámque ad eam accedentem, sponsam, non vxorem appellari; vt eo dicendi modo extremum omnium gaudium, & delectatio significetur. Etenim ad summum amoris gradum re optata potientis, summum lætitiæ, ac delectationis gradum sequi, nemo est qui ignoret; sponsam verò in summo amoris gradu esse, atque ea ratione à diuino sponso animam Bernard. de hoc nomine appellari, sic docet Bernard. tractat. de Passione Domini, cap. 3. *Quare sponsa, & nō vxor? Paucis dico: solent sponsæ nondum alligatæ coniugali vinculo amari ardentiùs, quàm postea, tempore enim procedente amor ipse componitur.* Vnde quidem de extremo gaudio, quod extremi huius amoris conse- Isai. 62.5. quens, & consectarium est, sic inquit Isaias c. 62.5. *Gaudebit sponsus super sponsam, & gaudebit super te Deus tuus:* hoc est, vt nihil iucundius, ac suauius cuipiam possit euenire, quàm eam sibi in sponsam assumere, quam multo antè ardenter amauit, ita incredibilem voluptatem ex te Dominus capiet, cùm ad purissimam thalami societatem te sibi asciuerit. Vt summus ergo amoris, ita summus lætitiæ, ac suauitatis gradus in Eucharistia censetur, dum in ipsa non semel, aut aliquoties, sed iugiter, atque indesinenter eliquamus in nobis dulcedinem charitatis, & quotidie in Christi sponsam denuò assu- August. mimur. Quare opportunè August. animam ad hanc dulcedinem sugendam vrgens lib. de subst. dilect. & amoris, c. 3. to. 4. cùm dixisset: *Per dilectionem ergo copulauit sibi Deus creaturam rationalem, vt ei semper inhærendo, ipsum quo beatificanda erat, bonum, ex ipso quodammodo per affectum sugeret, & de ipso per desiderium biberet, & in ipso semper gaudium possideret;* sic opportunè, & elegantissimè subiicit: *Suge ô apicula, suge, suge, & bibe dulcoris tui inenarrabilem suauitatem: immergere, & replere, quia ille deficere nescit, si tu non incipias fastidire. Adhære ergo, & inhære, sume, & fruere; si sempiternus gustus fueris, sempiterna quoque beatitudo erit.* Hæc August.

Visus est quidem Salomon hæc odoratus, cùm 12.
Sap. 8. 2. de diuina hac Sapientia, quæ omnem sa- Sap. 8.2.
porem, & condimentum in se habebat, dicebat: *Hanc amaui, & exquisiui à iuuentute mea, & quæsiui sponsam mihi eam assumere.* & vers. 9. *Proposui ergo hanc adducere mihi ad conuiuendum: sciens quoniam mecum communicabit de bonis, & erit allocutio cogitationis, & tædij mei.* Similiter post nonnulla vers. 17. *Hæc cogitans apud me, & commemorans in corde meo, quoniam immortalitas est in cognatione Sapientiæ, & in amicitia illius delectatio bona,* &c. *circuibam quærens, vt mihi illam assumerem.* Quibus in verbis, & artissima sacri huius Eucharistici connubij vincula, & ingens cœlestium deliciarum ex illo subsecutus cumulus graphicè à Sapiente delineantur. Quare obserua primùm illa, *adducere mihi ad conuiuendum:* quæ in Bibl. Reg. leguntur, *ad conuiuandum.* Et verò cùm Bibl. Regia.
Græca vox, συμβίωσις, conuictum, & indiuiduam vitæ consuetudinem significet, (nam Plutarch. in Plutarch.
Pericle, loquens de mariti, & vxoris contubernio, signatè ea vtitur,) eleganter innuitur, medio diuinæ Sapientiæ conuiuio illustre hoc inter Christum, & animam coniugium celebrari, quo intimè vniantur, & in vnum coalescant. Vnde appositè vsus est Sapiens ea locutione, *in cognatione Sapientiæ,* quasi vnum cum ipsa, & membrum illius efficeretur; dixit enim M. Tull. in orat. pro Sylla, de M. Tull.
generoso Cincij animo: *Neq; enim sibi cognationem cum suis prædijs existimabit, quales alij, qui tanto amore suas possessiones complexi tenebant, vt ab ijs membra diuelli eius, aut distrahi posse diceres.* Iam verò suauitatem, atque dulcedinem ex hoc coniugio, & vitæ societate diffluentem, opportunè aperit Sapiens subiungens, *sciens quoniam mecum communicabit de bonis:* ac si diceret, certò persuasus, non suam sibi dulcedinem, atque delicias diuinum sponsum retenturum, quin mecum illas tam largè, ac liberaliter communicet, vt hac vna suauitate omnes vitæ molestias, atque curas non modò leuare, sed etiam omnino opprimere facilè possim, quippe *in amicitia illius delectatio bona;* Græcè τέρψις, *delectatio exhila-* Græ. Lect.
rans, & demulcens: quæ terrenis voluptatibus longè antecellat. Vnde eleganter Cypr. citato serm. Cyprian.
de Cœna Domini: *Vide* (inquit) *quomodo his, qui Christi commemorent passionem intra sacra officia, quasi per quosdam canales de interioribus fontibus egrediantur torrentes, & super omnes delicias lacrymis nectareis anima delectetur; quantam suauitatem animæ inquirenti vbi sit Deus suus? Suspiria contemplationis eliciant. Non illos imbres procellosæ tempestates deponunt, ros matutinus est de cœlestibus stillans, & quasi vnctio spiritus mentem deliniens.* Vides non modò allocutionem, hoc est, blandum, dulcéque leuamen cogitationis, ac tædij? sed miram etiam suauitatem, dum in absentia Dei sui, de eius præsentia sponsa quàm maximè gaudet, nectareísque lacrymis delectatur?

Sed forsan quidem inquies: Nónne hanc ani- 13.
mæ delectationem, & suauitatem absconsa in Eucharistia Christi facies impedit, atque retardat? Illa sanè perfecta vndequaque amoris suauitas iure diceretur, si sponsum suum facie ad faciem in hoc

Sacramento sponsa videret. At quî possit ipsa maximè lætari cùm ipsi dicitur: *Vbi est Deus tuus?* At enimverò ego contrà existimo, atque in ea sum mente, Christo non solùm ob egregium amoris pignus, quo reali præsentia ad conuiuendum nobiscum manere voluit, sed etiam ob singularem modum, quo præsens in Eucharistia, absens esse videtur, atque ideo amorem nostrum, ac delicias inde magis exacuit, singulariter nos esse deuinctos. Sanè Christum in Eucharistia sponsæ suæ amplexibus occurrere, ipsam in eius dilectionem vehementer accendit; at simul inibi dissimulatione sui contectum, & quasi absentem esse, vt partim ipso tamquam præsente sponsa perfruatur, maximámque ex eo voluptatem percipiat; partim ac si absens esset, ipsum requirat, ac postulet, illeque simul, & gaudij, & desiderij materies sit, nec minori illius studio, & cupiditate ipsa teneatur, atque tabescat, quàm incredibili ipsius gaudio perfundatur, támque vehementer oculi desiderent, quàm auidè, & ardenter retineat animus: id inquam quidquid est, nescio quidem quid est, quod vt sola Dei dilectio excogitare, atque inuenire potuit, ita humanū animum sic recreat, atque oblectat, vt ipse tamquam amatorio poculo, miro ardore incendatur, atque æstuet. Sed enim, & ipsamet sponsa hoc apertè fatetur, & naturalis ratio nobis suadet, atque confirmat. Etenim illa Cant. 2. 9. cùm dixisset; *Sub vmbra illius, quem desideraueram, sedi, & fructus eius dulcis gutturi meo*, sensu à nobis superiùs ex Patribus de Eucharistia dato, subdit: *En ipse stat post parietem nostrum, respiciens per fenestras prospiciens per cancellos*; indicans sponsum ad amantium morem, qui vt affectum ludicro sale condientes, suauiorem, ac dulciorem reddant, se simulant nolle videri, sesèque, & repentè subtrahunt, atque abscondunt, atque ex inopinato iterum videndos offerunt, in Eucharistia absenti præsentia delitescere, vt additis desiderio igniculis, sponsa eius studio ardentiùs sitiat. Nec omittendum, pro, *cancellos*, Lxx. non sine emphasi posuisse, *retia*, quasi hac gesticulatione sponsa ludificata, noua amoris esca, vèlut retibus capetetur. Vnde quidem apparet, eam peculiarem suauitatem, quam ex hoc dulcissimo fructu illa percipere dixerat, ab hac dissimulatione, quam ipsa *vmbram* vocauerat, prouenire; quod dilectionis ardor hac vmbra, siue velamento non mediocriter excresceret, & augeretur. Sed his, pulchris Venerabilis Drogonis verbis signatè postmodum firmandis, modò & Augustini auctoritas, & naturalis ratio accedat: dixit siquidem August. lib. 10. de Trinitate. probatus S. Thomæ 1. 2. q. 25. art. 2. ad 1. *Amor magis sentitur*, (hoc est, augetur, excrescit, maiorémque iucunditatem, & delectationem affert) *cùm eum prodit indigentia*: nimirum, ad instar ignis (imò & ipse ignis est) se habet, cui si in ardente fornace modicum aquæ inieceris, adeò ab ipsa non tepescit, vt eius potiùs vis, atque efficacia ardentiùs inflammetur: dum enim contrarium cum contrario luctatur, proprias ad victoriam acuit, atque excitat vires, atque ideo se ipsum superat, & anteit. Audi Richard. Victorinum tractatu de quatuor grad. violentæ charit. *Supra modum autem, imò supra naturam ignis conualescit in aqua, quia amoris incendium magis exæstuat ex alterutra contradictione, quàm inualescere posset ex mutua pace.* Certè hoc sensu ex interpretatione Ambrosij dixisse videtur Regius Vates Psal. 118. 81. *Defecit in salutare tuum anima mea*: sic enim ille hæc explicat. *Id ergo deficere est, in id vnumquemque totis studijs migrare, quod diligat; illud cogitat, illi adhæret, illud personat, quod receperit diligendum; in id quadam animæ defectione transfunditur, vt si mater filij expectet præsentiam, quemadmodum expectabat Tobiæ vxor filium peregrinantem, deficiens a desiderio, & in angustijs constituta, & tamquam resoluta viribus. Quid enim aliud, quàm defectum quendam eius verba significant? Sed quo magis lassatur affectus, eo magis amor crescit; & quo diutius abest, qui desideratur, eo expectantis desideria maiori quadam vi amoris ignescunt. Caro deficit, sed cupiditas alitur, & augetur.* Quare rursus Richardus de charitate vulnerata sic inquit: *desiderio ardet, feruet, affectu æstuat, anhelat, profundè ingemiscens, & longa suspiria trahens.* Porrò hunc gustum habere dixeris sponsæ verba Cant. 8. 14. *Fuge dilecte mi, & assimilare capreæ, hinnulóque ceruorum*; nec enim illa à se longiùs fugere, diuve abesse expetit. Scitè enim à nescio qua, apud nescio quem, dictum,

Cùm toties absis, si potes esse meus.

Sed vt breui mora se ille subtrahat, quo ardentiori affectu, & redeat, & excipiatur, non secus, ac hinnulus, qui si à matre tantisper absit, alacrior ad ipsam regreditur, & indulgentiùs ab illa suscipitur. Sanè vt eadem sit sententia, & votum, ac illis verbis cap. 2. 17. *Dilectus meus mihi, & ego illi, qui pascitur inter lilia, donec aspiret dies, & inclinentur vmbræ. Reuertere, similis esto dilecte mi, capreæ, hinnulóque ceruorum.* Vbi sponsum breui mora interposita absentem, rursus flagrantiori desiderio reuocat. Nec longiùs ab hoc iuit Beda ad priora verba inquiens; *Quod ait*, fuge dilecte mi, *non optando loquitur. Quis enim eum, quem diligit, à sua fugare præsentia velit? Sed eius potiùs voluntati se conformando, memor, videlicet, consuetudinis ipsius, qua se in medio sæpe sermonis relinquens, transierit.* Ita ille. Sed iam hæc omnia Eucharistiæ mysterio sic opportunè aptat Drogo ser. de Domin. Passion. Sacram. dum enim ipsam cum pallio, quod ad Helisæi leuamen reliquit Helias, pulchrè componit, sic ait. *Ecce sublatus es amplius te tuus non videbit Helisæus; remansit tamen ei pallium tuum in memoriam tui, vt præsentia absentia tua dolorem eius semper, & augendo leniat, & leniendo augeat.* Hoc sumite, *ait*, in meam commemorationem, *hoc est Sacramentum corporis tui, quod sumimus in tui commemorationem, donec venias.* Pende illa, *præsentia absentiæ tuæ*, ad augendum, leniendúmque dolorem, vt quo sponsa magis desideret, magis accendatur, & sitiat, quo plus æstuans sitierit, plus plus bibat, & delectetur.

Ergo clamat Vates Psal. 33. 9. *Gustate, & videte, quàm suauis est Dominus*: hoc est, gustate diuinum panem, siue suauissimum ipsius gustum percipite, vt cœlestes delicias terrenis næniis longo interuallo præferatis, (de Eucharistia enim hæc verba capiunt Gaudentius Brixiens. S. Cyril. Alexandr. vterque Dionysius, Areopagita, & Alexandr. ille lib. de Ecclesiast. Hier. cap. de communione: hic in epist. contr. Paulum Samosat. Hieronym. epist. 18. & in cap. 5. Isai. Philo Carpath. in cap. 5. Cant. Aponius in cap. 3. Cant. Origen. in Ioann. & Ambros. lib. de initiand. cap. vltimo.) Sed dicunt nonnulli, vix ab ipsis hæc capi, quod ad Eucharistiam quidē accedant, sed hanc tam incredibilem suauitatem gustare, aut percipere non soleant: occurrit tamen illis ipsemet Regius Psaltes sese alio in loco magis explicans: sic enim Psal. 45. 11. *Vacate, & videte quoniam ego sum Deus*: vbi pro, *vacate*, Hieronym. *cessate*: Chrysostom. *curamini*: alij, *desistite, remittite*, reponunt: vt moneant, in palati vitium omnino reiiciendum, quod dulcedinis huius saporem homines non percipiant. Quare opportunè in omnem partē sic versat, atque diffundit hæc verba Lorinus:

Cura

Marginalia: Cant. 2. 9. — Lxx. — August. — S. Thom. — Richard. — Ps. 118. 81. — Ambros. — Richard. — Cant. 8. 14. — Cant. 2. 17. — Beda. — Drogo. — 14. — Psal. 33. 9. — Gaudent. — Cyr. Alex. — Dion. Areop. — Dion. Alex. — Hieron — Phil. Carp. — Aponius. — Origen. — Ambros. — Hieron — Chrysost. — Lorin.

Curamini animis vestris; curate vos ipsos; curate perturbationes vestras; remittite, ac lenite anxias curas; medemini superfluis sollicitudinibus; sumite otium ab externis occupationibus;leniùs ac remissius agite circa huiusmodi negotia; dimittite, & abire illa sinite; relaxate, & quiescere facite animum, liberioremque esse à talium rerum cogitatione, nolite his mordicus adhærere, sed permittite, vt decidant, effluantque: & tunc quidem videbitis, atque cognoscetis, quàm suauis est Dominus. Sed hæc emphaticè expressit R. Ioden apud Galatin. lib. 9. c. 11. ad hunc modum. *Vacate ab operibus malis, & agite pœnitentiam, quantum est ictus oculi, & scietis, quia ego sum Deus.* In quam sententiam sic loquitur Isaac presbyt. libro 1. de contemptu mundi: *Anticipa soluere omnem colligationem extrinsecam à te ipso, & tunc Deo corde colligare; præcedit enim colligari Deo solutio à mundanis, esus panis post ablactationem datur infanti, & homo qui vult delectari in diuinis, prius se debet à sæculo velut infans ab vberibus maternis alienare.* Certè Philo in libro, *quod deterius potiori insidietur*, cùm Dei Sapientiam hominis nutricem, & educatricem, quæque ipsi suauissimos cibos porrigeret, adstruxisset, scitè addidit, non omnes diuini huius alimenti saporem percipere, quod ad sugendum mel de petra non vndique apti idoneique sint. Audi illum: *Cibi sunt animæ, quæ idonea est ad sugendum, sicut legislator loquitur, mel de petra, oleumq; de saxo duro. Petram solidam indicans Sapientiam Dei, nutricem baiulam, educatricémque desiderantium vitam incorruptibilem. Hæc enim tamquam mater eorum, quæ mundo continentur, ex seipsa cibos præbet suis fœtibus, sed non omnia diuino alimento digna habentur, verùm eo modo, quo non degenerem præseferunt indolem.* Quæ quidem iis, qui sæculi rebus impliciti, nec sumentes ab externis occupationibus otium ad Eucharistiam accedunt, sic aptat Cyprianus loco sæpius citato: *Verùm hi, qui verbo tenus, corde sicci, & mente aridi sacris intersunt, vel etiam participant donis, lambunt quidem petram, sed inde, nec mel sugunt, nec oleum, qui nec aliqua charitatis dulcedine, nec Spiritus sancti pinguedine vegetantur.* Reddit verò causam generali oratione Bernard. serm. 6. de Ascensione, aureis hisce verbis: *Errat omnino si quis cœlestem illam dulcedinem huic cineri, diuinum illud balsamum huic veneno, charismata illa spiritus misceri posse huiusmodi illecebris arbitratur.* Vnde post nonnulla sic monet: *Cui nos gratiæ pro nostro exiguitatis modo præparantes, exinanire per omnia nosmetipsos, & à delectationibus miseris, & caducis consolationibus euacuare studeamus.* Bene, *exinanire nosmetipsos*; vt immensam eius dulcedinem, qui seipsum exinaniuit, vt nos repleret, capere valeamus: aliter quî fieri possit, vt palato sensum carnis habente, sæcularibúsque quisquiliis repleto, cœlestem saporem percipiamus? Vnde de seipso August. lib. 9. Confess. cap. 1. cùm dixisset: *Quam suaue mihi subitò factum est carere suauitatibus nugarum*; notanter subdit: *eijciebas eas à me vera tu, & summa suauitas: eijciebas, & intrabas pro eis omni voluptate dulcior.* Optimè, *eijciebas, & intrabas pro eis*; quod misceri non possent vera vanis, & spiritualia caducis.

Galatin. — Isaac. presb. — Philo. — Cyprian. — Bernard. — August.

15. *Vacate ergo, & videte, quàm suauis est Dominus*: nec noxiis, & inanibus sæculi voluptatibus renunciasse contenti, terrenarum rerum curas, atque sollicitudines, vel ad horam intermittite, vt orationi, & meditationi, quæ cœlestibus deliciis percipiendis viam sternant, vacare possitis. Sed non vacat, inquiunt, opus siquidem domui, familiæ, liberis, seruis, indesinenter præesse, muneribus, honoribus, rei familiari perpetuò animum intendere. Proh! Tanti diuinum thesaurum facis? itáne de cœlestibus iudicas? adeò vera, solida, æternúmque mansura bona contemnis, & supernas delicias, Dei suauitate, Deóque ipso plenas despicis, vt his vel horam deneges? O veri boni, vt ita dixerim, fatalem infelicitatem, & quasi crudelem fortunam! dum in illud omnia impedimenta, obstacula, atque difficultates incurrunt, nec ipsi vnius saltem horæ opportunum spatium ab hominibus tribuitur; cùm tamen in falsa bona, in impuras voluptates, in gaudia inania, & leuidensia, in vilia lucra, in caducos, & volaticos honores, totos dies, menses, annos, vitámque totam, & hanc quidem, quamuis ipsius spatium iterum, atque iterum illis duplicaretur, collocent, atque consumant. Ita quidem videris, vix ad nostram salutem, totiúsque orbis remedium, Crucis arborem firmatam, constitutámque fuisse, cùm ecce *tenebræ factæ sunt super vniuersam terram, terra mota est*, petræque vndique collisæ, atque scissæ sunt, Matth. 27. 51. quasi in virtutem, & verum bonum coniurato impetu omnia repugnent. Sed infelicissimæ illi arbori, de qua parentes nostri sortem omnium miserrimam, & infelicissimam, certissimam mortem, durissimásque pœnas decerpserunt, itáne euenit? Minimè: nec enim illam vel leuis ventus mouere, aut concutere visus est. Sed audi hæc nostro instituto sic aptantem Chrysologum ser. 74. *Modò terræmotus magnus? O si tunc vel leuis turbo arborem mortiferam deiecisset! O si nebula fumus illius mulieris tenebrasset aspectum! O si terra nubes lethalis pomi speciem caligasset! O si manus tangens inconcessa tremuisset! O si peccati diem tenebrasset nox inuisia! & lamenta mundi, & incrementa mortis, & creatoris iniuriam tunc tulisset. Sed vitijs semper seruiunt blandimenta lenocinantur dulcia delicijs, virtutibus verò austera, & fortia sunt amica.* Hæc Chrysologus. Sed de his modò satis sit: nec ab Eucharistia omnino discedimus, de qua ad versum 9. plura danda, vt in ipsa Christum Dominum à Patre exaltatum, summóque honore affectum videamus.

Matt. 27. 51. — Chrysol.

VERSVS VIII.

Humiliauit semetipsum, factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis.

COMMENTARIVS.

PERGIT Paulus Dominicæ exinanitionis expeditionem, & œconomiam his verbis explicare, dum à similitudine hominum, & serui forma, quam Christum gessisse dixit, ad summam humiliationem, qua vsque ad Crucis mortem subeundam se deiecit, explicandam progreditur: eo namque ordine hæc omnia nobis ob oculos obiicit, vt quàm fuerit eximia Christi humilitas, quàm egregia charitatis signa nobis exhibuerit, gradatim ostendat. Quasi dixerit: poterat quidem Dei Filius in ea serui forma persistere, quin mortem obiret; poterat etiam eam mortem obire, quæ ignominiæ obnoxia non esset: at enimverò non solùm semetipsum exinanire, & formam serui accipere, sed vlteriùs mortem, nec qualemcumque mortem, sed eam maximè, quæ acerbissima simul, & ignominiosissima esset, bonus Dominus pro nostra salute voluit obire. Expendit id ad hunc modū Bernardus serm. 11. in Cantic. *Non enim simplex, aut modica illa exinanitio fuit, sed semetipsum exinaniuit vsque ad carnem, ad mortem, ad crucem. Quis dignè penset,* 1.

Bernard.

penſet, quantæ fuerit humilitatis, manſuetudinis, dignationis, Dominum majeſtatis carne inſtrui, mulctari morte, turpari cruce? Hæc Bernard. Similiter Auguſt. tract. 36. in Ioan. *Quæ eſt primò miſericordia? Creator hominis, homo eſſe dignatus eſt. factus eſt quod fecerat, ne periret quem fecerat. Quid huic miſericordiæ addi poteſt? & tamen addidit. Parum fuit ei hominem fieri, ſed voluit etiam ab hominibus reprobari; parum fuit reprobari, & exhonorari; parum erat exhonorari, & occidi; ſed & hoc parum eſt, morte crucis.* & eodem modo Chryſoſtomus hoc in loco homil. 7. *Papæ quàm magnum, & vehementer ineffabile eſt, quod ſeruus factus eſt! Quod verò mortem quoque ſuſtinuit, multo plus eſt: ſed eſt aliud maius quiddam iſto, & inſolentius. Quamobrem? Quoniam non quæuis mors iſti ſimilis eſt, iſta namq; omnium videbatur eſſe probroſiſſima, iſta plena dedecore, iſta maledicta.* Maledictus *enim, inquit,* omnis qui pendet in ligno. *Propterea etiam inter duos latrones cruci affixus eſt, vt eadem de ipſo ac de illis exiſtimatio eſſet, atque impleretur, quod dictum eſt:* Et cum iniquis reputatus eſt. Hæc Chryſoſt. quæ ſic perſtrinxit Theophylact. *Animaduerte hic epitheſes, ſeruus factus eſt, quin etiam mortem ſuſcepit, & quod adhuc eſt probroſius, ignominioſiúſque, mortem crucis, hoc eſt, execratam, ſceleratis addictam.* Sed enim allato hoc Pauli teſtimonio ſingula penſiculatiùs pendit Nyſſenus orat. 1. de beatitudinibus, minimè omittendis his verbis. *Ecquid magis in Deo mendicum, quàm forma ſerui? quid in Rege rerum vniuerſarum, quod principibus tributarius exiſtit? Creaturæ Dominus in ſpelunca diuerſatur; qui mundum vniuerſum complexus eſt, non inuenit locum in diuerſorio, ſed in præſepio brutorum animalium abijcitur: purus ille, & incorruptus humanæ naturæ ſordes non reſpuit, ac per omnem noſtram mendicitatem penetrans, vſque ad mortis progreditur experimentum. Videte voluntariæ mendicitatis modum. Vita mortem guſtat: Iudex in iudicium ducitur: Dominus vitæ rerum vniuerſarum ſubijcitur Iudicis decreto: ſupramundanarum omnium copiarum Rex, carnificum manus non repellit.* Hactenus Nyſſenus. O rem omni admiratione, atque ſtupore digniſſimam! Itáne Dei Filio parum viſum eſt, propriis diuinitatis iuribus, gloria, felicitate, honore, ac diuitiis ſeſe euacuare, atque exhaurire, niſi haſce vacuitates ſummis opprobriis, & doloribus, imò diris mortibus cumulatiſſimè repleret? Retulit id ſapienter Bernard. ad noſtræ ſalutis pondus, vt vel hinc gratitudinem erga Redemptorem noſtrum perdiſceremus: ſic enim præfato ſerm. 11. in Cant. cùm perquiſiiſſet, cur cruce potiùs, & morte, quàm alio faciliori ſibi modo humanum voluerit genus redimere: *Valuit* (inquit) *ſed maluit cum iniuria ſui, ne peſſimum, atque odioſiſſimum vitium ingratitudinis occaſionem vltra reperiret in homine. Sanè multum fatigationis aſſumpſit, quò multa dilectionis hominem debitorem teneret, commoneretque gratiarum actionis difficultas redemptionis, quem minus eſſe deuotum fecerat conditionis facilitas. Quid enim dicebat homo creatus, & ingratus? Gratis quidem conditus ſum, ſed nullo auctoris grauamine, vel labore, ſiquidem dixit, & factus ſum, quemadmodum & vniuerſa. Quid magnum eſt, quamlibet magna in verbi facilitate donaueris? Sic beneficium creationis attenuans humana impietas, ingratitudinis materiam inde ſumebat, vnde amoris cauſam habere debuerat, idque ad excuſandas excuſationes in peccatis. Sed obſtructum eſt os loquentium iniqua, luce clariùs patet quantum modo pro te ô homo diſpendium fecit de Domino ſeruus, de diuite pauper, caro de Verbo, & de Dei Filio hominis filius fieri non deſpexit. Memento iam te, etſi de nihilo factum, non tamen de nihilo redemptum: ſex diebus condidit omnia, & te inter omnia, & per totos triginta annos operatus eſt ſalutem tuam in medio terræ: ô quantum laborauit ſuſtinens carnis neceſſitates, hoſtis tentationes! Nónne ſibi crucis flagrauit ignominia, mortis cumulauit horrore?* Hæc Bernardus, quibus nihil omnino eſt, quod addi poſſit.

Auguſt. *Chryſoſt.* *Theophyl.* *Nyſſen.* *Bernard.*

Humiliauit ſemetipſum.

QVoniam Ariani hæretici, vt Filij Dei dignitatem deprimerent, ipſum non libera electione, ſed vel inuitum, neceſſaria Patris coactione vrgente, velut ſeruum, non tam pro ſuo, quàm pro Domini arbitrio mortem ſubiiſſe affirmabant: tum Græci Patres, Chryſoſtomus, Theophylactus, Dionyſius Alexandrinus ad ſuperiora verba, *ſemetipſum exinaniuit*; tum Gloſſa, & alij ad hæc, *humiliauit ſemetipſum*, ſcitè obſeruant, hac locutione manifeſtè à Paulo affirmari, ipſum non niſi volentem, & libentem ad ſingula Paſſionis ſuæ opprobria, & ad ipſam tandem mortem obeundam, ſemetipſum deieciſſe. *Vides* (inquit Dionyſius) *quod dicit, quod* humiliauit ſemetipſum: *at ſeruus non humiliat ſemetipſum, ſed potiùs dominatio humiliat, quæ poſtulat, vt ſeruiat, ſicut Pharao populum Iſraël ſeruitute oppreſſit.* Similem argumentationem ex his verbis, Arianis multo prior Origenes conficiebat hom. 8. in Geneſim, dum elucidans illa verba Abrahami, ſacrificium filij ſui iam molientis, *Deus prouidebit ſibi ouem*, ſic ait. *Ipſe namque ſibi Dominus ouem prouidebat in Chriſto, quia & Sapiẽtia ipſa ſibi domum ædificauit, & ipſe ſe humiliauit vſque ad mortem: & omnia quæcunque legeris de Chriſto, non neceſſitate, ſed ſponte facta reperies.* Sic ille. 2.

Chryſoſt. *Theophyl.* *Dionyſ.* *Origen.*

Similes eiuſdem Pauli (vt alias ex Euangeliis omittam) hac de re locutiones ſunt, vt ad Galatas 2. 20. *Dilexit me, & tradidit ſemetipſum pro me.* & ad Epheſ. 5. 25. *Chriſtus dilexit Eccleſiam, & ſemetipſum tradidit pro ea.* Quæ Gregorius Nazianzenus oratione 3. 8. dum grauiter in Arianos inuehitur, in hunc ſenſum ſic vrget: *Quandoquidem, vt traditus fuiſſe dicitur, ita ſeipſum quoque tradidiſſe ſcribitur.* Vnde paulo pòſt malignam argumentandi rationem, qua hæretici vtebantur, ſic perſtringit: *At tu ea quidem, quæ minuendi vim habent, profers, quæ autem efferendi, prateris: atque id quidem expendis, quod paſſus ſit; quod autẽ ſponte, nõ adiungis.* Sic Greg. Senſum verò cum Nazianz. & Origene communem habens Tertullianus in Scorpiaco, cap. 7. tam verba Pauli ad Epheſios, *tradidit ſemetipſum*, quàm illa Prouerb. 9. 1. *Sapientia ædificauit ſibi domum, immolauit victimas ſuas*, quæ ex verſione LXX. ipſe legit, *ſophia iugulauit filios ſuos*: ſimúlque iis adiungens ea ad Rom. 8. 32. *Proprio Filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum*: hunc in modum ſic elucidat: *Vides quomodo etiam proprium ſuum Filium primogenitum, & vnigenitum ſophia diuina iugulauerit? Poſſum dicere cum ſophia Dei; Chriſtus eſt, qui ſe tradidit pro delictis noſtris, iam & ſemetipſam ſophia trucidauit: verba non ſono ſolo ſapiunt, ſed & ſenſu, nec auribus tantummodo audienda ſunt, ſed & mentibus.* Hæc Tertullianus. 3.

Galat. 2. 20. *Ad Epheſ. 5. 25.* *Nazianz.* *Tertul.* *Prou. 9. 1.* *Ad Rom. 8. 32.*

Factus obediens vſque ad mortem.

VT ad Filij Dei dignitatem opprimẽdam, eiúſque conſubſtantialitatem cum Patre labefactandam, ruſtico & inurbano ſenſu Ariani hæc verba premebant, ex Filij obedientia imperium Patris; atque id imperium, quo Filium tãquam minorem in natura, nec ipſi in diuinitate æqualem, moderaretur, 4.

retur, elicientes; ita Græci Patres, ij præsertim qui cum hæreticis disputationem suscipiebant, verborum proprietatem, atque rigorem sic è contrario diluere, & temperare curabant, vt de obedientia presse sumpta, quæ superioris imperium, atq; præceptum supponit, hæc Pauli oratio non intelligeretur. *Dion. Alex.* Vnde sic in primis ea capit Dionysius Alexandrinus in epistola contra Paulum Samosatenum, vt non tam Dei Patris, quàm hominum respectu, dum ad horum preces se flectere voluit, non secus, ac de Deo ad Iosue vocem sistente Solem, dicitur *Iosue 10.14.* Iosue 10. 14. *Obediente Domino voci hominis*, explicanda sint. Audi: *Occludit enim, & obstruit os, qui* humiliauit semetipsum factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis, *se namque, vtpote Deus, & Dominus gloriæ Iesus Christus: cùm ergo dicit*, factus obediens, *quia, vt dixi, exaudiuit Sanctos suos, & vsque ad mortem venit, vt seruaret nos à morte, venit, inquam, ad mortem, mortem autem crucis.* Hactenus Dionysius, acutè ad minus, & eleganter. Partim diuersam, partim consimilem explicādi rationem adhibuerunt *Chrysost. Theophyl.* Chrysostomus, & Theophylactus, dum de obsequio, & pietate erga Deum ad eum modum, quo nos amicis, quibus pares omnino sumus, cùm gratum aliquid facimus, illis nos obedire, & obsecundare dicimur, potiùs quàm de stricta obediendi ratione, iisdem fermè vterque verbis sic explicant Paulum: *Occurrent hoc loco molestiores hæretici illi, & insanabiles, dicéntque; ecce subiectus, & obediens dicitur vnigenitus. At quid illud? O insensati, quandoquidem & nos amicis obtemperamus, cùm nihil nos reddant interea istiusmodi obsequia inferiores, & Dominus Patri obsequutus est volens: sic enim vnitatem perspicuam fecit, quam cum Patre haberet, est enim Filij proprium venerari Parentem.* Ita Theophylactus, & Chrysostomus hic. Ad quem etiam modum aliis in locis eas Scripturæ locutiones, quæ vel Patris imperium, vel Filij obedientiam videntur innuere, sic vterq; capiunt, vt de simplici Patris cōsensu, siue permissione tantùmodo intelligendæ sint. Ita enim à Chrysost. *Theophyl.* Theophylactus in ea Christi verba: *Sicut ego Patris mei præcepta seruaui*, *Ioan. 15.10.* Ioan. 15. 10. *Hoc attemperans se audientium infirmitati dicit: non enim qui omnium est legislator, mandatis obnoxius, & sine paternis mandatis viuere non potest suam vitam; hoc enim cogitare fuerit absurdissimum. Dicit autem hoc, multum consolari eos volens, quia enim dicebat eis, Diligo vos; & habituri erant postea cum afflictionibus certamen, ne offendantur, quasi dilectio nihil illis prodesset: Ne turbemini, inquit, quia etsi me diligat quidem Pater, permittit tamen vt patiar pro mundo*, &c. Similem *Cyr. Alex.* dedit Cyrillus Alexandrinus expositionem illis *Zach. 13.7.* Zachar. 13. 7. verbis: *Percute pastorem*, necnon iis *Psal. 68.27.* Psalm. 68. 27. *Quoniam quem tu percussisti*, &c. vt nimirum percussio sit permissio. Ita enim Cyril. *Quod autem Deus, & Pater dato pro nobis Filio suo in mortem percussisse ipsum quodammodo dicatur, dum eum sinit omnino dispari*, &c. Ad quem etiam modum lib. 12. in Ioan. cap. 22. ea Christi verba Ioan. 19. 11. *Non haberes potestatem aduersus me vllam, nisi tibi datum esset desuper*; sic capit: *Desuper autem dicit, quia ipse vnigenitus seipsum obtulit consensu Patris, vt incarnationis impleret mysterium. Datum ergo, inquit, est desuper, id est, concessit, consensitque Pater vnà cum Filio.* Hæc ibi Cyrillus.

5. Aliter quidem Latini Patres, qui vt Christum, quà Verbum Patris, ipsi per omnia æqualem, eiusdémque naturæ, ac substantiæ, quique vnam omnino voluntatem cum ipso habeat, ac proinde præceptis obnoxius nullatenus esse possit, asserunt; ita illum, quà homo est, & Patre minorem, atque ipsi subditum, ac obedientem vsque ad mortem, vel ex hoc Pauli loco fateri non dubitant. Ita in primis *Tertul.* Tertullianus libro 5. cont. Marc. cap. 20. aduersus phantasma illud, quod ad passionem Christi demens ille pro vera carne substituebat: *Sic & Deus* (inquit) *inuentus est per virtutem, sicut homo per carnem: quia nec morti subditum pronunciasset, non in substantia mortali constitutum. Plus est autem quod adiecit*; & mortem crucis *Non enim exaggerat atrocitatē, extollendo virtutem subiectionis, quam imaginariā phantasmate fecisset frustrato potiùs eam, quàm experto, nec virtute functo in passione, sed lusu.* & eodem sensu lib. de carne Christi, c. 4. *Certè Christus dilexit hominem illum*, &c. *Propter eum descendit, propter eum prædicauit, propter eum omni se humilitate deiecit vsq; ad mortem, & mortem crucis.* Enucleatiùs Ambr. lib. 1. de fi- *Ambros.* de, c. 4. adductis his verbis, sic ait: *Et hominem præmisit, & vsque ad mortem dixit, vt intelligeremus obedientiam mortis, non diuinitatis fuisse; sed incarnationis, in qua & officia nostra suscepit, & nomina.* Ita ibi, & posteriori Apologia de Dauid c. 7. cùm ex Hebræo Dauidis nomen, *humiliatum*, interpretaretur, subiicit: *Quis est autem verè humiliatus, nisi ille, qui non* rapinā arbitratus est, esse se æqualem Deo: sed formam serui accipiens, humiliauit semetipsum, factus obediens vsque ad mortem? *Hic igitur est, qui significatur, Dauid, excelsus per naturam, sed humiliatus per misericordiam, sublimis in diuinitate, sed mitis in corpore. Itaque vbi humiliatus, ibi obediens. Ex eo enim nascitur obedientia, ex quo humilitas, & in eo desinit. Cùm enim obediens dicitur factus vsque ad mortem (mors autem non diuinitatis, sed corporis fuit,) non vtique obedientia diuinitatis fuit illa, sed corporis: nec humilitas maiestatis illa, sed carnis.* Ad quem etiam modum *August.* Augustinus libro 14. de Ciuit. Dei cap. 15. dum Christi obedientiam, Adæ inobedientiæ opponit, sic pulchrè Paulum premit: *Et sicut obedientia secundi hominis eo prædicabilior, quo factus est* obediens vsque ad mortem; *ita inobedientia primi hominis eo detestabilior, quo factus est inobediens vsque ad mortem.* Similia habet lib. contr. sermon. Arian. à cap. 6. vsque ad 9. tractatu verò 39. in Ioan. *Nam, cùm & eius obedientiam vsque ad mortem factam commendaret Apostolus, parum illi fuit dicere*, factus obediens vsque ad mortem; *non enim qualemcumque mortem, sed addidit*, mortem autem crucis. Eodem sensu Hi- *Hilar.* larius libro 9. de Trinit. *Cùm audis itaque* Pater maior me est; *scito eum, de quo ob meritum obedientiæ dictum est*; & donauit illi nomen, &c. & post non- *Ioan. 14.28.* nulla: *Totum autem hoc ad paternis mandati referens obedientiam subiecit*: Sed vt sciat mundus, quoniam *Ioan. 14.31.* ego diligo Patrem, & sicut mandatum dedit mihi, sic facio; surgite, eamus hinc. *Ad consummandum corporeæ passionis Sacramentum, per dilectionem efficiendi mandati paterni festinat exurgens.* Antiochus *Antioch.* etiam Græcus ipse, homil. 39. de obedientia, Christum obedientiæ exemplar sic proponit. *Vnde Dominus iuxta rationem dispensationis vsque ad crucem, & mortem Patri suo obediuit in hoc, vt eos, quos comperiret in hac vita inoffensum obedientiæ tenuisse callem, ad æternam illam eueheret vitam.* Similiter Primasius *Primas.* hic: *Factus obediens vsque ad mortem, vt nobis perfectæ obedientiæ monstraret exemplum.* Tandem disertissimè, S. Thom. in hæc verba, Christi obedientiam sic explicat, atque commendat. *Volens ostendere perfectionem humilitatis, & passionis Christi, dicit, quod* factus est obediens: *quia si fuit passus non ex obedientia, non fuisset ita commendabilis; quia obedientia dat meritum passionibus nostris. Sed quomodo* factus est obediens? *Non voluntate diuina, quia ipsa est regula, sed voluntate humana, quæ regulata est in omnibus*

secun-

Matt.26.39. *ſecundum voluntatem paternam, Matth. 26.* Verumtamen non ſicut ego volo, ſed ſicut tu. *Et conuenienter introducit in paſſione obedientiam, quia prima* Rom.5.19. *præuaricatio eſt facta per inobedientiam. Rom. 5.* Sicut enim per inobedientiam vnius hominis peccatores conſtituti ſunt multi: ita & per obedientiam Prou.21.28. vnius hominis iuſti conſtituuntur multi. *Prouerb. 21.* Vir obediens loquitur victorias. *Sed quod magna, & commendabilis ſit hæc obedientia, patet, quia tunc eſt obedientia magna, quando ſequitur imperium alterius contra motum proprium, motus autem voluntatis humanæ ad duo tendit, ad vitam, & ad honorem;* 1.Pet.3.18. *ſed Chriſtus non recuſat mortem. 1. Pet. 3.* Chriſtus ſemel pro peccatis noſtris mortuus eſt, &c. *Item non fugit ignominiam: vnde dicit,* mortem autem crucis, *quæ eſt ignominioſiſſima. Sap. 2.* Morte turpiſſima condemnemus eum. *Sic ergo nec refugit mortem, nec genus ignominioſiſſimæ mortis.* Hæc Sanctus Thomas.

6. Anſelm. Inter Græcos, ac Latinos Patres medius in huius loci explicatione iuit Anſelmus lib. *Cur Deus homo,* cap. 9. (quamuis cum Græcis alibi ſenſu fortè concurrat,) vna ex parte, Chriſti erga Patrem obedientiam adſtruens, ex alia verò ſic capiens aduerbium illud, *vſque ad mortem,* vt non dixerit Paulus, Chriſto à Patre mortem fuiſſe præceptam, ſed ipſum pro Dei gloria, & Euangelij prædicatione, de qua peculiare à Patre mandatum acceperat, vſque ad mortem perferendam ſtrenuè decertaſſe. Itaque illud, *vſque ad mortem,* ſub eo ſenſu videtur capere Anſelmus, quo S.R.E. Cardinalibus à Pontifice Summo, dum rubrum illis pileum ipſe tribuit, dicitur, dare ſe illis pileum, vt Chriſti Eccleſiam defendant vſque ad effuſionem ſanguinis incluſiuè: quibus verbis non iniungitur purpuratis Patribus profundendi ſanguinis præceptum ſimpliciter, & abſolutè; ſed defendendi Eccleſiam cum proprio vitæ diſcrimine: nam aliud eſt, quod quis exigente obedientia præſtat; aliud, quod ſit, quod Idem. ſeruauerit obedientiam. Sed præſtat audire Anſelm. Equidem cùm cap. 8. eius libri, tam hæc Pauli verba, quàm alias Scripturæ locutiones quæ ſtrictam Chriſti obedientiam ad Patris imperium elicitam, confirmare videntur, ex diſcipuli perſona ſibi obieciſſet, capite ſequenti ſic reſpondet: *Vt mihi videtur, non bene diſcernis inter hoc, quod fecit exigente obedientia, & quod ſibi factum, quia ſeruauit obedientiam, ſuſtinuit non exigente obedientia.* Deinde cùm à diſcipulo perquirens, *cur perſecuti ſunt eum Iudæi vſque ad mortem?* illum ſic reſpondentem facit: *non ob aliud, niſi quia veritatem, & iuſtitiam viuendo, & loquendo indeclinabiliter tenebat;* ſubdit de Idem. ſuo Anſel. *Hoc puto, quia Deus ab omni rationali creatura exigit, & hoc illa per obedientiam Deo debet: hanc igitur obedientiam debebat homo ille Deo Patri, & humanitas diuinitati, & hanc ab illo exigebat Pater. Ecce habes, quid fecit exigente obedientia.* Quæ poſt nonnulla Pauli verbis ſic aptat: *Non ergo coegit Deus Chriſtum mori, in quo nullum fuit peccatum, ſed ipſe ſponte ſuſtinuit mortem, non per obedientiam deſerendi vitam, ſed propter obedientiam ſeruandi iuſtitiam, in qua tam fortiter perſeuerauit, vt inde mortem incurreret.* Hæc ibi Anſelmus.

7. Neutiquam ergo apud Patres, quo ſenſu Chriſtum Patri vſque ad mortem obedientem Paulus faciat, aliquid eſt certi conſtitutum. Quòd ſi ex Scholaſticis litem velimus decidere, intricamur; nouas enim ipſi hac in re, ex Chriſti merito, cui præceptum moriendi nonnihil obſtrepere videtur, quæſtiones cient, à quibus non ſine magno niſu ſe extricant: ſimiles quodammodo Soli menſis Martij Medicis frequenter infenſo, quod maiorem ciendi, commouendique humores, quàm exſiccandi reſoluendique vim habeat. Hanc enim ipſi fortem, atque efficacem, ſiue contra præceptum Chriſto impoſitum, ſiue aduerſus Chriſti meritum in morte ſubeunda, argumentationem vrgent, quod poſito præcepto moriendi, non poſſet non Chriſtus mortem ſubire; (aliàs liber ad peccandum fuiſſet, quod ratione hypoſtaticæ vnionis, & dictu nefas eſt, & cõtra Concilia, & Patres pugnat.) Ex qua theſi illud per conſequens videtur inferri, eximia hac obediẽtia, & mortis acceptatione Chriſtum non meruiſſe. Quî enim ipſe mereatur, cùm id acceptat, quod neutiquam vitare poteſt? Qui quidem mucro Baſilium lib. 4. contra Eunomium ita pupugit, vt huic Baſil. præcepto abſolutè obnitatur, atque illud à Chriſto ad hunc modum remoueat: *Si nihil à ſeipſo Saluator facere poterat, ſed imperante Patre, nec bonus eſt, nec malus, nullius enim eorum, quæ facta ſunt cauſa eſt, & quomodo abſurdum non eſt, cùm homines ſint bonorum, & malorum factores, Filium Dei nullius rei liberum eſſe factorem?* Vbi Chriſti libertatem, & meritum cum Patris imperio non bene ſe gerere, manifeſtè videtur adſtruere Baſilius. En commotos à Sole humores, hoc eſt, rationem, quam Scholaſtici premunt, ſiue quæ illos premit. Iam vt illos exſiccent, atque reſoluant, & Chriſti obedientiam, & meritũ tueantur, vnuſquiſque in ſuum abiit, de quo (ne nos actũ agamus) præter P. Suar. tom 1. in 3. p. diſp. 37. ſect. 4. Suar. vnus præ multis, omnium ſententias recenſens videndus Vazquez t. 1. in 3. p. diſp. 74. cap. 4. Vazq.

8. Sed enim illud à nobis minimè omittendum, quod hac ætate vt ornatè dictum, & peculiari luce perfuſum, atque ſplendẽs, apud pleroſque celebratur. Sanè acutiſſimi quidam recentiores, & de re Theologica optimè meriti, dum vna ex parte, Chriſti meritum, & paterno præcepto de morte ſubeunda obedientiam exhibitam, ab hoc Pauli loco quaſi ab antiquis ſedibus conuellere ægrè ferunt; ex alia verò præfatam argumentationẽ acriùs vrgent, nec in ea ſolutione acquieſcunt, quam illi adhibet citato loco Vazquez, videlicet, ideo tale præceptum libertati Chriſti non repugnare, quod ipſi ſimpliciter, non verò ex hoc, aut illo fine virtutis, tamque intenſo, vel remiſſo affectu fuerit impoſitum, ac proinde ex hoc numero affectu mortuus fuit, plena omnino libertate mortem ſubiiſſe; dum in hac (inquam) ſolutione non acquieſcunt, quod in ea obedientiæ meritum non videatur formaliter ſaluari, cùm ſubſtãtia actus redemptionis, ſiue mortis à Patre imperatæ neceſſaria dicatur, ſolæq; circunſtanſtantiæ, quæ ſub præceptum non cadunt, aſſerantur liberæ; inter vtroſque ſcopulos cauti (de ipſorũ more) nouum acumen, atque ſubtilitatem excogitarũt. Nimirum, cum frequentiori in primis Theologorum ſententia moriendi præceptum Chriſto impoſitum agnoſcunt; ſed enim affirmant illud, non tam pro tempore, quo reapſe mortem ſubiit, ſed pro illo inſtanti, vel ſequenti, ipſum obligare. Addunt ſubinde, id præceptum ex ſe non includere neceſſitatem ſubeundi mortem, quod quamuis poſito præcepto nõ poſſet non perferre mortem, in ſenſu cõpoſito præcepti; at poterat pro ſua voluntate Chriſtus ſenſum illum compoſitum tollere, dum illius diſpenſationem ipſi nullatenus denegãdam à ſummo Patre petere potuit. Quod ſibi videntur elicere ex illis Aſſertoris verbis, in ipſomet ſubeundæ Paſſionis conflictu ad Petrum dictis: *An putas, quia non poſſum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi modò pluſquam duodecim legiones Angelorum?* Matth. 26. 53. Matt.26.53. Ex his à præfata difficultate ſic ſe extricare nituntur, dicẽtes, actum illum acceptatæ à Chriſto mortis, & obedientiæ Patri exhibitæ, liberũ quidem quoad

quoad substantiam fuisse, quod ita fuerit in hoc instanti elicitus, vt Christo absolutè & simpliciter liberum fuerit illum, nec in eo, nec in sequenti instanti elicere: non in hoc; quia tunc non vrgebat præceptum; sed nec in sequenti, quod tunc præcepti dispensationem obtinere poterat. Hæc ipsorum mens paucis perstricta.

9. At enimverò si verum fatear, & ingenuè dixerim quod sentio, hæc micanti splendore lucentia, sub luce maligna mihi omnino esse videntur. Et vt à verbis Matthæi incipiam, quibus hæc moles potissimum incumbit, leuis quidem in re graui ratio hæc fuit, multòque simpliciùs, atque solidiùs sub opposito sensu ea à Maldonato explicantur; verissimè enim ipse inibi monet, Christum ex natura rei, non verò consideratis circumstantiis, quæ tunc temporis vrgebant, fuisse locutum: *quasi diceret*, (inquit ille) *Putásne, si non sciuissem decretum esse a Patre meo, vt morerer, non potuisse me duodecim legiones Angelorum ab eo petere, eúmque mihi daturum non fuisse?* Ergo hæc verba non ex singulis temporis circumstantiis pendenda; quasi quouis tempore petendæ, ac obtinendæ dispensationis facultas ad manum Christo esset, sed potiùs ad rei naturam, ipsius dignitate ante omne Patris decretum spectata, pensitanda sunt. Etenim si tale præceptum semel adstruatur, bene de eo monuit Vazquez præfata disp. 74. cap. 4. num. 21. voluntate adeò absoluta à Patre Christo imponi, vt sciret Christus, numquam vllo modo fore reuocandum; sicut decretum de morte ipsius, quam ipse quidem dum gustare nollet, à Patre postulauit, vt, si fieri posset, à se transiret: sed tamen, quia ex suppositione decreti Patris transire ab eo non potuit, eam libenter gustauit; ad quem sanè modum cùm ipse de præcepto moriendi, absolutè sibi positum esse pernosceret, eius dispensationem non nisi sub conditione postulasset: & ideo sicut moriendi decretum nullatenus reuocatum, variatumve est, ita etiam nec in præcepto cum eo dispensaretur. Vnde opportunè Hilarius tam ea verba, quæ ipsamet nocte paulo antè ad Patrem dixerat: *Ego te clarificaui super terram, opus consummaui quod dedisti mihi*; quàm illa quæ in hacmet Christi cum Petro collocutione habentur apud Ioan. 18. 11. *Calicem quẽ dedit mihi Pater, non vis vt bibã illum?* sic premit, quasi ipsis indicet Dominus, scire se, id omne quod pertulit, à se singillatim conficiendum, totúmque Passionis curriculum perficiendum, absolutè constitutum, definitúmque à Patre fuisse. Audi: *quod autem definitum, & præscriptum confecturus esset, ostenditur in eo, cùm ait*: Ego te honorificaui super terram, opus consummaui, quod dedisti mihi. *Qui datum sibi opus consummat, modum præscriptæ sibi operationis expleuit. Scit autem sibi constitutum esse, quid gerere oporteat, cùm ait Petro, gladio his qui ad apprehendendum eum venerant resistenti:* Calicem quem dedit mihi Pater, non vis vt bibam illum? *docens se præscriptã sibi à Patre Passionis calicem esse bibiturum. Scit se etiã semitam suam, directionémque complesse, cùm potato aceto spiritum traditurus ait:* Consummatum est; *& mox tradidit spiritum.* Hæc Hilarius.

Maldon.

Vazquez.

Io an. 17. 4.

Ioan. 18. 11.

Hilar.

10. Iam verò, si interiorem totius sententiæ spiritũ, ac neruos perscruteris, vereor ne tibi merum Chrysippi acumen, quod pungat, sed non perforet, videatur. Sanè si aduertas, vix hi auctores ab ipsamet solutione P. Vazquez, quam tam acriter oppugnãt, latum vnguẽ discedũt; & vt est in Græca parœmia, postquam multum laborarunt, itidẽ vt antea sunt. Etenim quantumuis insudẽt vt libertatẽ, & meritũ quoad substantiã actionis adstruãt, frustra conãtur, nec hilũ quidem proficiunt, nisi vt libertatem circa tẽporis circumstantias, quod ipsis parũ esse videbatur, adornẽt. Nã in illo instãti, in quo Christus Dominus ex præcepto, quod hi auctores admittunt, mortẽ subiit, aliqua iã illi moriẽdi necessitas inerat, quia tale præceptũ in illo instãti existẽs, aliquã absque dubio moriendi obligationẽ inferebat. Omne siquidẽ præceptũ, si ad sensum rei, & non ad sonum vocis te exerceas, obligationẽ aliquã, etsi non sanè ad aliquas tẽporis angustias determinatã, inducit: fatearis ergo necesse est, Christũ, etsi nõ teneretur pro illo instãti mori, at vel pro illo, vel pro sequẽti ad mortem subeundam teneri. Igitur dum pro illo instanti moritur, moritur cũ obligatione aliqua, nõ quidem moriẽdi pro illo instanti, sed moriendi simpliciter, siue in illo, siue in alio. Ergo illa actio moriendi, quam tu liberam quoad substantiam conaris adstruere, non nisi quoad circumstantias libera fuit.

Vellaz q. in Epist. ad Philippens.

Sed enim vt planũ id fecero, prædictæq; rationis vim magis diffundam, pone, obsecro, dissertationis gratia, præceptũ illud nõ solùm substantiã actionis, sed etiã huius instãtis, A, circumstantiã præscribere, nonne siue circa substantiã actus, siue quoad circũstantias (loquor de temporis, nõ de affectus, siue intensionis circumstãtiis, quod hæ solùm ad præsentẽ disputationẽ necessariæ sint.) nullam tunc Christo manere libertatem, tibi videbitur? Ita opinor. At vt hoc præceptũ, vt ab his authoribus modò cõponitur, omne aliud præter tẽporis circumstantiã comprehendit. Ergo ad omne aliud præter tẽporis circumstantiam Christum teneri, & per consequens ex hac sola obedientiæ eius meritum cõsurgere, dicas necesse est. Certè in frequẽtiori aliorũ Theologorũ sententia, ideo dixeris Christum nõ tam per mortẽ, quàm per illius accelerationẽ intensionẽ, seu peculiarem eximiæ alicuius virtutis affectum meruisse, quia ita moritur in hoc tẽporis instanti, siue ex hoc, vel illo affectu, vt licèt, vel in illo instanti, vel ob illum affectum potuerit non mori, absolutè tamẽ, & simpliciter non mori non potuerit, quod tunc habuerit obligationẽ moriendi, siue pro hoc, aut alio instanti, siue ex hoc, vel illo affectu. Ergo eodem etiã modo in hac sententia Christus per mortẽ absolutè, & *vt sic* (vt aiunt) non meruit, siquidem cum obligatione moriendi, *vt sic*, mortuus est. 11.

Quod si dixeris, Christũ, etsi cum præcepto moriendi mortẽ tunc subierit, reapse tamẽ potuisse in illo instãti nõ mori, & in sequẽti per dispensationẽ obtinere, vt auferretur sibi præceptũ, ac per consequens simpliciter nõ mori: facilè præcluderetur effugium, quia quod esse potuit in instãti sequenti, per accidens, & omnino extrinsecè se habet respectu huius instãtis, vt vel liberè, vel ex necessitate in illo quis operetur; sicut si quis in hoc instanti, qualitatẽ aliquã ad amorẽ determinantẽ, atque impellentem haberet, non est dubiũ, quin illũ necessariò eliceret, esto in sequẽti instãti qualitatẽ illã excutere atque repellere à se posset, quod sequẽtis instãtis libertas antecedentis determinationem nõ tollat. At in hoc instanti Christus mortuus est simpliciter cũ aliqua obligatione mortem obeundi: ergo cũ obligatione moriẽdi simpliciter, ac per cõsequens, mors simpliciter libera non fuit. Sanè vt in communi Theologorum sententia, licèt in sequenti instanti præcepti obligatio intermitti posset, non immeritò hi auctores contendũt adhuc necessitate impellẽte Christũ in illa mortuũ fuisse, quod tunc esset obligatio moriendi, *vt sic*: sed in hac etiã sententia (vt iam vidisti) quando mortẽ Christus oppetiit, obligatio illi moriendi, *vt sic*, inerat; ergo in [illegible] per mortem, *vt sic*, non meruisse itidem dicend[illegible] est. 12.

Nec me temperem, quin i[illegible]e etiam ostendam minus solidum, minúsque opportunum hũc dicẽdi modum reddi, quod eam præcepti dispensationem 13.

 nobis

nobis velit obtrudere, quæ ruinoso innixa fundamento, nequeat subsistere. Etenim dispensatio est actus iurisdictionis, quo superior subditum ab obligatione, vel iam contracta per absolutum præceptum, vel contrahenda per conditionatum, quando conditio sub qua actio præcipitur, impleta fuerit, liberum reddit. Hunc autem diuinæ iurisdictionis actum, nec à Christo peti potuisse, nec à Deo exerceri, deprehendet facilè, qui immutabilem diuinæ voluntatis constãtiam, constantissimámque humanæ voluntatis Christi cum diuina societatem consideret. Si præceptum moriendi absolutè impositum asseratur, necesse est fateri, Deum habuisse absolutã voluntatem efficacem obligandi Christum ad mortem: (voluntas enim præceptiua, etsi efficax non sit respectu actionis præceptæ, est tamẽ efficax respectu obligationis ad illam exercendam) huius autem voluntatis quam precor dispensationẽ potest Christus petere, aut Deus date? Potéstne Deus post semel volitam obligationem Christi ad mortem pro aliquo instante, aut tẽpore, velle vt pro eodem tempore Christus maneat ab eadem obligatione liber? Quod si hoc repugnare, ipsum rationis lumen euidenter ostendit, euidenter etiam ostenditur, diuinã voluntatem præceptiuam absolutè obligantem indispensabilem esse; eius enim dispensatio esse deberet actus diuinus, obligationem à priori voluntate absolutè pro aliquo tempore inductam rescindẽs. Sicut dispensatio humani præcepti est actus, quo homo priorem voluntatem obligandi retractans, obligationem ab illa relictam tollit, mutabili eteatę iurisdictionis consilio. Dei verò quia immutabile consilium est, semel stabilito, quod Christus pro aliquo tempore obligatus maneat ad moriendum, non potest postea Deus velle, vt Christus pro eodẽ tempore liber ab obligatione euadat; & ex consequenti nec dispensare valet, nec Christus præcepti, si modo prædicto ponatur, dispensationem petere; neque enim petere valet Christus, quod nequit à Deo concedi.

14. Si verò asseratur præceptum, cuius dispensationem exorare potest Christus, nõ esse absolutè obligans, sed sub aliqua conditione: rogabimus de hac conditione, primò, an sit dependenter à voluntate Christi ponenda, vel independenter. Si hoc secundum dicas: ergo independenter ab omni actu voluntatis Christi, ligatur ipse obligatione absoluta moriendi; hæc enim resultat ex præcepto conditionato statim, ac ponitur conditio. Si verò conditionis, sub qua obligat præceptum, positio est omnino pendens à libera determinatione voluntatis Christi, ostendam aperte non esse locum petitioni dispensationis. Nam petitione dispensationis, petitur libertas ab obligatione latæ legis, aut præcepti. Rogo ergo, quando dicis Christum petere dispensationẽ illius præcepti, an petat, vt licet ponatur conditio, non maneat adstrictus obligatione præcepti, vel solùm quod non ponatur conditio, qua posita præceptum obligat. Primum non potest à Christo peti, quia est impossibile: nam posita cõditione, sub qua obligat conditionatum præceptum, hoc absolutè obligat; semel autem obligante præcepto, nequit non obligare, nisi reuocet præcipiens voluntatem obligandi, quod Deo impossibile est. Si verò peti dicatur à Christo secundum, nempe, ne ponatur conditio, nullius præcepti dispensatio petitur. Quia dispensatio est actus diuinæ iurisdictionis, & voluntatis: positio autem prædictæ conditionis, aut carẽtiæ illius, est actio libera voluntatis Christi, quod sic explico. Si mihi præcipiatur inuisere infirmum, si domo egrediar, & ego nolim egredi; dicarne obtinuisse dispensationẽ præcepti, eo quod liber mãserim à præcepti obligatione? Ridiculè id diceretur, quia subditus propria facultate non valet secum dispensare in illo præcepto, & tamen propria facultate potest non ponere conditionem, sine qua superioris præceptum non obligat: potestas ergo Christi ad similem conditionem non ponendam, nõ est potestas ad dispensationem obtinendam. Concludo ergo hac ratiocinatione, Christus nõ potest petere libertatem ab obligatione præcepti diuini cõditionati, nisi vel petendo, vt posita cõditione non obliget præceptum, vel quod non ponatur conditio, libertas enim ab obligatione talis præcepti, nõ potest nisi altero ex his modis cõparari: sed Christus nec petit libertatem obligationis, siue dispensationem, ad hoc, vt non ponatur conditio, quia ad hanc non ponendam nulla opus est dispensatione: neque etiã petit posita conditione, nõ premi obligationis onere, quia hoc data conditione ineuitabile est. Nullus ergo relinquitur dispensationi petendæ locus, nec libertati Christi ad non moriendum, per dispensationis obtinendæ potestatem.

Iam verò, vt intra meam pelliculam me contineã, 15.
& ab his nodis extricatus, siue excussus, ad Pauli explicationem redeam. Certè si quæ vers. præced. adnotat. 1. nu. 4. à nobis constituta sunt de optione carnis, vel passibilis, vel impassibilis Christo facta; necnon de summa ipsius cum paterna voluntate consensione, & ad illius nutum obedientia, retineãtur, facilè, & opportunè Christus *obediens vsque ad mortem*, non solo vocum sono, sed proprio, ac legitimo sensu, & iuxta veræ, atque strictæ obedientiæ leges, ex Pauli mente intelligetur; quippe is perfectissimus, atque promptissimus obsequendi modus, & vt ita dixerim, supremus (bonis hac de re fideiussoribus tibi datis,) obedientiæ gradus est, cùm Prælati præcepto non expectato, eius nutum subditus obseruans, ad eum se omnimodis cõponit, atq; confingit. Sic namque disertissimè S. Thom. 2. 2. q. 104. S. Thom.
art. 2. in corpore: *Voluntas enim superioris quomodocumque innotescat, est quoddam tacitum præceptum, & tanto videtur obedientia promptior, quanto expressum præceptum obediendo præuenit, voluntate tamen superioris intellecta.* Vnde quidem S.P.N. Ignatius, veræ S. Ignat.
ac perfectæ obedientiæ custos, rigidúsque satelles, qui adeò perfectum obedientem instituere curauit, vt solitus fuerit ipse filiis suis verbo, atque scripto frequentiùs suggerere: *Ab alijs religiosis ordinibus faciliùs patiamur superari nos ieiunijs, vigilijs, & cætera victus, cultúsque asperitate, quam suo quique ritu, ac disciplina sanctè suscipiunt; vera quidem, ac perfecta obedientia, abdicationéque voluntatis, atque iudicij, maximè velim, fratres charissimi, esse conspicuos quicumque in hac Societate Deo Domino nostro deseruiunt, eiusdémque Societatis veram, germanámque sobolem hac quasi nota distingui;* sic in constitutionibus obedientiæ leges dispunxit, atque præscripsit, vt ad signum voluntatis superioris, nullo expresso præcepto expectato, obedirent: ita etiam part. 6. cap. 1. §. 1. *Omnes obedientiam plurimum obseruare, & in ea excellere studeant, nec solùm in rebus obligatorijs, sed etiam in alijs, licèt nihil aliud, quàm signum voluntatis superioris, sine vllo expresso præcepto videretur.* Quò placet referre illud Senecæ lib. de tran- Senec.
quil. animi, cap. 15. *fertilibus agris non est imperandum.* Opportunius verò, quod Bernard. lib. de præ- Bernard.
cepto, & dispensat. cap. 9. ad hunc modum dicebat: *Perfecta obedientia legem nescit, terminis non arctatur.* & paulo pòst: *Hæc est illa, de qua signanter Apostolus Petrus,* castificantes, *inquit,* corda vestra in 1. Pet. 1. 22.
obedientia charitatis: *pulchrè ipsam per hoc sequestrãs* ab-

ab illa inerti, & seruili obedientia quodammodo, nec charitati prompta, sed obnoxia necessitati. Hæc iusti illius, cui posita non est propria lex, non quod vel ille perfectus viuere debeat sine lege, sed quia non sit sub lege. Pulchrè quidem: etenim obedientia amoris opus, & germana soboles est. Quare Moses Barcepha Episcopus

Moses Barcepha. Syriæ, dum arborem scientiæ boni, & mali, ideo appellatam asserit, quod obedientiæ, siue inobedientiæ index esset futura, sic inquit: *Nam obedientiã bonum esse ostendunt illa legis verba:* Diliges Dominum Deum tuum; *ex amore enim atq; charitate obedientia nascitur: est igitur bonum obedientia.* Et verò amorem, ad obsequendum, & obtemperandum, legem siue præceptum non præstolari, quis adeò sit rudis, qui dubitet, aut ignoret? quippe, vt in adnotationibus dicemus, os suum aperit, vt attrahat spiritum, & venaticis, imò propheticis naribus diuinam voluntatem deprehendat. Quam quidem ad rem id signa-

Hieron. tissimum videtur, quod Hieron. in Regula Monachorum c. 10. de perfectissimo modo, quo sanctissimi Monachi in Eremo degentes Prælatis obsecundabant, sic inquit: *Subditi antea conabantur iussa implere, quàm forent emissa, & quibusdam quodammodo indicijs nitebantur prophetare de voluntate mandantis.* His maximè congruit obedientiæ diffinitio, quam

Ioan. Clim. S. Ioan. Climacus tractatu de obedientia, gradu 4. sic tradidit: *Obedientia est animæ propriæ perfecta abnegatio, per corpus certiùs ostensa: aut fortè versa vice, obedientia est mortificatio membrorum in viuente animo.* Vbi dum obedientis animum, & viuentem, & mortuum simul facit Climacus, eandem obedientiæ, atque amoris diffinitionem facere videtur. Sic

Plato. enim amorem diffiniuit Plato in conuiuio, vt diceret esse *ardorem animi, in proprio corpore mortui, in alieno viuentis.*

16. Hæc iam Christi obedientiæ vel ex eo optima ratione quadrare dixeris, quod ipse *ingrediens in mundum dicit: Hostiam, & oblationem noluisti, cor-*

Ad Heb. 10. 5. *pus autem aptasti mihi*, ad Hebræos 10. 5. ac si dixerit, in ipsomet ad vitam ingressu, ex Patris charitate, eum ardorem suscepisse, vt in proprio corpore moreretur, vt in Patre viueret, atque ideo dum opportunè nouit, illum humani generis salutem media ipsius Passione optare, de corpore, ad passionẽ, mortémque subeundam aptissimo, sibimet maximè fuisse gratulatum, quod suam obediẽtiam (vt dicebat Climacus) per corpus certissimè ostenderet: quippe *verus obediens* (inquit dicto lib. de præcept. & dispens. Bernard.) *parat aures auditui, linguã voci, pedes itineri, manus operi, & se totum intus colligit, vt mandatum peragat imperantis.* Certè Anselm. in præ-

Anselm. fatum locum Pauli ad Hebr. ad illa verba, quæ immediatè subiungit Apost. *Tunc dixi: Ecce venio, in capite libri scriptum est de me, vt facerem voluntatem tuã, Deus*; sic hæc nostræ Epistolæ, quæ in manibus habemus, cum iis componere videtur, vt Christus *factus obediens vsque ad mortem*, dicatur, quod cùm primùm homo factus, Patris voluntatem de humano genere per suam Passionem redimendo nosset, humanam statim voluntatem diuinæ concordem, & consentaneam volens, libénsque fecerit. Sic enim ille premens caput libri, de quo à Dauide Psal. 39. 7. Paulus: *Caput libri est prædicatio diuinitatis, qua nihil altius in scripturis inuenitur. Et* in capite libri scri-

Psal. 32. 6. ptum est de me, *quoniam scripturæ sanctæ demonstrãt me esse Deum super omnia, cum dicunt:* Verbo Domi-

Ioan. 1. 1. ni cœli firmati sunt, &, Deus erat Verbum, *& cætera huiusmodi. Et ego qui tantus in eminentissimo capite, id est, in altissima prædicatione diuinitatis libri scripturarum inuenior, induens misericorditer formam serui, volui, ô Deus, vt facerem, vel vt faciam voluntatem*

Vellazq. in Epist. ad Philippens.

tuam, factus obediens vsque ad mortem. *Quia voluntatem meam, quam iuxta naturam humanitatis habebam, diuinæ voluntati tuæ prorsus concordem feci, vt sicut immolatione mei corporis humanum genus redimi volebas, ita & ego vellem, & in omnibus voluntatem tuã adimplere optarem.* Firmat id Chrysost. homil. 59. in **Chrysost.**
Ioan. elucidans illud c. 10. 18. *Hoc mandatum accepi à Patre meo*; siue vt ipse legit: *Hoc præceptũ accepi à Patre meo.* Pergit verò vlteriùs, & Christum Patris voluntatem ante omne præceptum, oculis potiùs, quàm auribus deprehendisse, & ad illam executioni mandandam sese statim accommodasse, luculenter demonstrat. *Hoc præceptum accepi à Patre. Quodnã? Mori pro mundo. Priúsne ergo accepit, & inde paruit? Et prius, quid esset faciendum, vt disceret opus habuit? Et quis non expers rationis hoc dixerit? Sed quemadmodum superiùs dicendo:* Propterea me diligit, *spontaneam indicauit voluntatem, & contrariam amouit suspicionem; ita hoc in loco præceptum à Patre se accepisse dicens, nil aliud ostendit, quàm idem Patri videri, quod ipse facit; ne postmodum eum crucifixum putarent derelictum à Patre, atque traditum, neve exprobrarent, quæ tamen exprobrauerunt:* Alios saluos fecit, non potest seipsum saluum facere; &, Si Filius Dei es, descende de cruce. *Neque propterea descendit, quoniam Filius est Dei.* Ita Chrysost. Vnde statim verba, quæ immediatè in Ioanne præcesserant: *Bonus pastor animam suam dat pro ouibus suis*; sic sub hoc sensu premit: *Inde ne audiendo à Patre mandatum eum accepisse, præclarum hoc opus à se alienum esse existimares, prosequitur:* Pastor bonus animam suam ponit pro ouibus suis; *hinc suas oues, & quicquid rectè factum est, suum opus esse, & præcepto non indigere ostendens: quod si indigeret, quomodo à seipso ponere dixisset? Qui à seipso ponit, præcepto non indiget; & causam, cur faciat affert, quod scilicet pastor sit, & bonus pastor. Bonus autem pastor ad ouium custodiam hortatore non indiget: quod si in hominibus vsu venit, multo magis in Deo. Ideo Paulus inquit, quod* seipsum exinaniuit. *Nihil autem hoc in loco præceptum signat, quàm cum Patre concordiam. Quod si humiliter, & humanè locutus est, auditorum imbecillitati tribuendum.* Hactenus ille. Sed de his plura adnotat. 3.

Mortem autem crucis.

Meritò mortis crucis signatè meminit Apost. 17.
supplicij, scilicet, omnium turpissimi, atque acerbissimi. Vnde post August. tractat. 36. in Ioan. **August.**
Anselmus hic: *Obediens non solùm vsque ad conuicia,* **Anselm.**
& opprobria, sed etiam vsque ad mortem: & non ad qualemcumque mortem, sed ad mortem crucis, quæ contumeliosior, & acerbior erat. Illa enim morte peius nihil fuit inter omnia genera mortium. Denique vbi dolores acerrimi exagitant, cruciatus vocatur, à cruce nominatus. Pendentes enim in ligno crucifixi, clauis, aut ligno pedibus, manibúsque confixi, producta morte necabantur. Non enim crucifigi, hoc erat occidi: sed diu viuebatur in cruce, non quia longior vita eligebatur, sed quia mors ipsa protendebatur, ne dolor citiùs finiretur. Et tam pessimam mortem Saluator elegit, vt omnem mortem nostram occideret. Porrò de crucis acerbitate, atque ignominia, vt paginas opplere superfluum, ita omnia præterire nimis frigidum fuerit. Ergo, & de acerbitate, & de ignominia nonnulla seorsim dicere operæpretium erit.

Et verò vt acerbitatem benè ob oculos posuerit 18.
Anselmus, non minus dilucidè eam expressit Philo **Philo.**
libro de homicidis, obseruans crucis pœnam loco mille mortium fuisse, sic enim ibi. *Contra quos legislatorem mille mortis genera si potuisset, directurũ fuisse,*

cum non potuit, pœnam aliam adiunxit, iubens homicidas, & sicarios crucifigi. Ad quem modum Seneca turpissimum Mœcenatis votum incusans, qui modò viueret, in cruce perdurare non refugiebat, scitè dixit epist. 101. *Inuenitur aliquis, qui malit inter supplicia tabescere, & perire membratim, & toties per stillicidia amittere animam, quàm semel exhalare? Inuenitur, qui velit adactus ad illud infelix lignũ trahere animam, tot tormenta tracturam?* Vnde Venerab. Drogo de Dom. Pass. Sacram. *Quid autem in omnibus supplicijs tam horrendum, quàm crux?* Et Arnold. de verbis Dom. in cruce, tract. 2. *Modus passionis crux, inter omnia supplicia turpissimum, & atrocissimum.* Rursus indidem Drogo emphaticè dixit: *Nescio vtrùm in lectulo molli, an in cruce rigida suauiùs moriatur.* Ita emphaticè dictum à Cicerone pro Deiotaro. *Quæ crux huic fugitiuo potest satis supplicij adferre?* Et à Iulio Firmico lib. 6. Mathes. c. 1. adiuncto crudelitatis aduerbio: *Scurra animaduertentis sententia patibulo suffixus in crucem crudeliter erigetur.* Similiter à Minutio in Octau. *Crucis ligna feralia.* Iam Primasius hic: *Nulla mors peior propter diuturnum cruciatum.* Et August. lib. 88. quæst. q. 25. *Nihil erat inter omnia genera mortis illo execrabilius, & formidolosius.* Qua de causa Iulius Paulus Iureconsultus crucem summũ supplicium appellauit lib. 5. sent. tit. 12. inquiens: *Summo supplicio, id est, cruce afficiuntur*; & Apul. lib. 10. extremam pœnam: sic enim de seruo in crucem tollendo; *Certum extrema pœna, quæ more maiorum in eum competit.* Vnde ad rem nostram S. Cyril. Alex. hom. 4. de festis Paschal. *Iudæorum* (inquit) *scelestissima gens cruci affixit, omnique genere cruciatuum simul, & ignominiæ affectum morte mulctauit.* Chrysol. verò serm. 58. de Symbolo in illud, *crucifixus*, &c. sic ait: *Crucifixum memorat, vt passionis conferat qualitatem, & inde fides argumentum diuinæ virtutis, & veræ resurrectionis colligat, vnde impietas materiam contumeliæ, & occasionem præsumpsit erroris, crucifixus in cruce, in edito coram omnibus inimicis, & tota crudelitate spectantibus, & tota acerbitate obseruantibus mortem suscepit.* Quæ quidem omnia sic speciatim expendit, atque diffundit S. Thom. 3. part. quæst. 46. art. 6. in corp. *Quia mors confixorum in cruce est acerbissima: quia configuntur in locis neruosis, & maximè sensibilibus, scilicet, in manibus, & pedibus, & ipsum pondus corporis pendentis continuè auget dolorem; & cum hoc etiã est doloris diuturnitas, quia non statim moriuntur, sicut hi qui gladio interficiuntur.* Sic S. Thom. Nec prætereundum, quod obseruauit August. lib. de principiis Dialecticæ, non casu, sed de industria acerbissimo supplicio asperum etiam nomen, vtpote rei conueniens impositum fuisse. *Crux* (inquit) *propterea dicta est, quod ipsius etiam verbi asperitas cum doloris, quem crux efficit, asperitate concordet.*

Senec. — Drogo. — Arnold. — Drogo. — Cicero. — Iul. Firm. — Minut. — Primas. — August. — Iul. Paul. — Apul. — Cyr. Alex. — Chrysol. — S. Thom. — August.

19. Iam verò summam crucis Christi ignominiam sic in primis horrebat Trypho Iudæus, apud Iustinum in Dialogo: *Pati enim illum, & tamquam ouem duci scimus, an autem in crucem etiam actus, & tam fœdo ignominiosóque supplicio, per legem maledictionibus diris deuoto, mortuus sit, nobis ostende. Nos etenim ne in cogitationem quidem indignitatis huius venire possumus.* Nec aliter apud Lactant. de vera Sap. lib. 4. c. 26. *Cur si Deus fuit, & mori voluit, non saltem aliquo honesto mortis genere affectus est? Cur potissimum cruce? Cur infami genere supplicij, quod etiam homine libero, quamuis nocente, videatur indignum?* Luculenter verò Chrysost. in demonstrat. aduers. gent. quod Christus sit Deus: *Quale autem symbolum mortis crucis? Signum erat mortis maledicta, mortis omnium diffamatissima, hoc enim solum mortis genus maledictioni obnoxium fuit, vt, exempli gratia, quod dicam, qui olim peccabant, comburebantur, lapidabantur, & alijs modis vitam finiebant, vt supplicij tantum: crucifixus autem, & ligno suspensus non solùm hoc ferebat, vt graue aliquod supplicium, cui adiudicatus erat, sed vt maledictum quiddã.* Et hom. 56. in Matth. *Mortem obire oporteat, & eam turpissimam, & æstimatione hominum pessimam.* Et ser. de Latrone: *Crux dedecoris fuerat signum, & apud omnes gentes ignominia, & infamia putabatur.* Similiter Theophylactus in cap. 8. Marci: *Tollat crucem suam, hoc est ignominiosam mortem, ignominiosa enim videbatur crux.* Vnde quidem Herodotus lib. 3o. in Thalia, indignum relatu existimauit, Polycratem, illustrem, scilicet, personam, in crucem actum fuisse: *Interficiens eum* (*quod indignum relatu sit*) *Orœtes in cruce suffixit.* Nec alio sensu de Æliano Comite, & tribunis, scelestè sumptum supplicium dixit Ammianus Marcellinus lib. 19. nisi quod nobilibus viris crux esset alienissima. *Ælianus Comes, & tribuni patibulis scelestè suffixi.* Similiter Vulcatius Gallicanus, Auidij Cassij crudelitatem, & Iulius Capitolinus Martini superbiam, atque sæuitiam damnant, quod legitimum puniendi modum suggressi, ille Centuriones, hic milites in crucem tulerint, cùm tale exemplum non extaret.

Lactant. — Chrysost. — Theophyl. — Ammian. — Vulcat. — Capitol.

Et quidem extremæ acerbitatis in Iudice, maxi- 20.
mæ inclemẽtiæ in Principe id fuerit: nimirum, seruorum, qui vilissimi, & quasi non homines censebantur, proprium supplicium crux erat. Quod præfati auctores enucleatè tradunt. Sic enim Gallicanus: *Centuriones rapi iussit, & in crucem tolli, seruilique supplicio affici.* & Capitolinus: *Nam & in crucem milites tulit, & seruilibus supplicijs semper affecit.* Vnde Iulius Cæsar pœnarum æquior distributor, in speculatores apprehensos ex personarum differentia animaduertit, sic enim Hirtius de bello Hispan. ad Cæsar. *Ea nocte speculatores prehensi tres, & vnus ex legione vernacula; serui sunt in crucem sublati, militi ceruices abscissa.* Sanè Cornel. Tacit. cui loqui, dum tacet, mos est; quoties supplicij crucis meminit, crucis voce silentio pressa seruile supplicium appellauit: sic enim lib. 2. Histor. *Sumptum de eo supplicium in seruilem modum.* & lib. 4. Histor. de Asiatico Vitellij liberto, aureis ab eo annulis antea donato, *malam potentiam seruili supplicio expiauit.* Scitè, vt crucis ignominia honorem ei indebitum, atque indignum auferret, & pristinæ seruituti restitueret. Hæc optimè confirmat seruus quispiam apud Plautum in milite,

Noli minitari, scio crucem futuram mihi sepulchrum,
Ibi maiores mei siti sunt, pater, auus, proauus, abauus.

Sed qualis talium vernularum series fuerit? quàm frugi, quàm continentes, quàm iusti, quàm perfidi, inquam, quàm rapaces, quàm desperati? Nec enim quoslibet seruos, sed eos tantùm, qui nocentissimi, nefarióque scelere se contaminabant, extremásque causas dedissent, in crucem tolli ius erat, nam

Si quis eum seruum, patinam qui tollere iussus
Semesos pisces, tepidúmque ligurierit ius,
In cruce suffigat: Labeone insanior inter
Sanos dicatur? ———

Ita Apuleius lib. 10. de Asino aureo, de seruo leuiores pœnas perferente: *Nec mirum, desperatissimum istum latronem certum extrema pœna, quæ more maiorum in eum competit, cruciatus istos vt leuiores facilè tolerare.* Et Valer. Maxim. lib. 2. cap. 2. *Seruorum nequissimus habetur, qui dominum suum fuga deserit, isque verberibus, & vinculis, & ergastulo, & cruce, omni malo dignissimus iudicatur.*

Corn. Tac. — Horat. — Apul. — Val. Max.

Iam verò ex ipsismet legibus, siue Iureconsul- 21.
torum responsis summa crucis ignominia manifestè elicitur. Etenim Iulius Paulus lib. 5. sentent. titul.

titul. 23. dum de ficariis agit, sic scripsit: *In honestiores pœna capitis vindicari placuit, humiliores verò in crucem tolluntur, aut bestijs obijciuntur.* Ex quo sanè Iulij Pauli responso, è re etiam hac apparet esse illud Marciani Iurisconsulti placitum in leg. 3. §. penult. ad legem Corneliam de ficariis: *Pœna legis Corneliæ olim quidem in insulam deportatio, & bonorum omnium ademptio erat; hodie verò humiliores, vel bestijs subijciuntur, altiores deportantur in insulam.* Vbi ex illa particula, *vel*, facile est coniicere, tum mutila, & imperfecta esse Marciani verba; & ex præfatis Iulij Pauli, sic esse restituenda, *hodie humiliores, vel in crucem tolluntur, vel bestijs subijciuntur:* tum eam crucis mentionem à Triboniano Iuris ciuilis ex præscripto Imperatoris Iustiniani collectore inde abrasam fuisse, quod esset ipse omnino memor, iam pridem à Constantini temporibus crucis supplicium ex vsu publicorum iudiciorum fuisse sublatum; quamuis eam emendationem non sine oscitantia ab illo factam cōstet, cùm particulam illam, *vel*, quæ & fraudem aperit, & sensum vitiat, deleri non fecerit, vt bene ante me adnotauit id Iacobus Rebardus lib. 1. Coniectanearum Iuris, cap. 16. Hæc modò de cruce: nec obiicies, opinor, ex iis me esse, qui cùm splēdidè polliceantur, parcè subinde donant; nonnulla enim daturū me promisi, & plusquàm multa postmodum ingessi. Quid quod in annotationibus de cruce dabimus, quod tribus vrsis satis sit? Interea non modò pendas velim, quod Christo suspicium eius hostes inferre voluerint, sed etiam quid talis, támque ignominiosa & atrox mors mundo attulerit. Scitè siquidem Chrysost. homil. 55. in Matth. *Crux terrarum orbem conuertit, atque sanauit, hæc errorem abegit, veritatem reduxit, terram in cælum restituit, ex hominibus Angelos effecit.* Addit Origenes de dæmonibus: *cùm viderint contremiscunt; qui aurata Capitolia non timent, crucem timent.* Ita ille hom. 8. in varios Euangelij locos. Sed rursus Chrysost. in Psal. 109. tom. 1. *Considera* (inquit) *quanta sit potentia signum ipsa crux, hæc enim crux antea erat mors execranda, mors opprobrij, & ignominia plena, mors omniū turpissima. Sed ecce nunc ipsa vita emsit honorabilior, & coronis splendidior, & omnes eam in fronte circumferimus, non solùm non erubescentes, sed ea etiam gloriantes, non solùm priuati, sed & qui sunt ipso diademate redimiti, eam potiùs gestant, quàm diadema. Et meritò quidem est innumerabilibus diadematibus melior. Diadema enim ornat caput, crux autem munit mentem. Ea dæmones vlciscitur, ea tollit morbos animæ; ea est armatura inuicta, ea murus inexpugnabilis; ea est munimentum insuperabile, quæ non solùm barbarorum irruptiones, & incursiones hostium, sed ipsorum etiam immanium dæmonum phalanges perrumpit.* Hactenus ille. Et eodem modo Athanas. lib. de Incarnat. Verbi Dei, eiúsque corporali ad nos aduentu: *Olim quidem vbique Delphica, Dodonea, Bœotia, Lycia, Ægyptiaca Cabirorum oracula imposturis vaticiniorum scatebant; Pythia apud homines in admiratione erant. Nunc ex quo Christus vbique prædicatur, eiusmodi vesania conquierunt, nec superest vllus fatidicus. Olim dæmonia inani specie, ludibriisque rerum intricabant homines, insessis alibi fontibus, alibi fluuijs, lapidibus aut lignis, atque ista præstigijs fatuos in stuporem agebant; nunc verò cùm apparuit Dei Verbum, spectra huiusmodi, & ludibria imaginum cessauerunt, solo enim crucis signo vtens homo dolos illorum à se propellit.* Sic Athanasius. Sed de his fusiùs in adnotationibus.

Iul. Paul. *Marcian.* *Iacob. Reb.* *Chrysost.* *Origen.* *Chrysost.* *Athan.*

Vella 79. in Epist. ad Philippens.

ADNOTATIO I.

Literalis, & Moralis.

Variæ ex Patribus rationes, ob quas non aliam, quàm crucis mortem Christus Dominus subire voluerit.

IAM verò illud omnes Patres singillatim disquirunt, & latiùs diffundunt, quod dicebat suprà citatus Lactant. de vera Sap. lib. 4. cap. 26. *Cur si Deus fuit, & mori voluit, non saltem aliquo honesto mortis genere affectus est? Cur potissimum cruce? Cur infami genere supplicij, quod etiam homine libero, quamuis nocente, videatur indignum?* Sed enim tot huius rationes ipsi reddunt, vt vel ipsas perstringere, non ad paginas, sed ad iustum volumen pertineat. Porrò & ipsæ non diuersæ solùm, sed diuersi generis, & modi sunt. Aliæ, videlicet, bonæ, & floridæ; solidiores, melioresque aliæ: tandem nonnullæ optimæ, & opportunissimæ; excerpo nonnullas. *Lactan.*

Et quidem inter floridas, atque elegantes (haud sanè non inter optimas, liberè dicam) adscribo, quam reddidit Germanus Patriarcha Constantinopolitanus orat. de cruce, tempore medij ieiunij, inter egregias illas typis nondum excusas, quas doctissimus noster Iacobus Gretserus è vetustissimis Græcis codicibus in lucem dedit, & Latinitate donauit, tom. 2. de cruce; vt externa hæc Christi cruci suæ suffixi effigies, quid ipse Passione sua præstiterit, ob oculos nobis ponere videatur; labentem, nimirum, mundum firmare, & pristinæ, ac immotæ soliditati restituere: quasi is, qui per irrisionem, verissimè tamen ab inimicis, & inuidis faber, fabrique filius dicebatur (Matth. 13. 55. Marc. 6. 3.) egregium suæ artis specimen daret. Bene siquidem ad ea Matthæi verba sic monuit Chrysologus serm. 48. *Dicebant, hic est fabri filius, sed cuius fabri filius non dicebant: dicebant fabri filius, vt arte vili, ars lateret auctoris, & Deitatis nomen fabrile nomen absconderet. Christus erat fabri filius, sed illius, qui mundi fabricam fecit non malleo, sed præcepto; qui elementorum membra non ingenio, sed iussione compegit, qui massam sæculi auctoritate, non carbone conflauit: qui Solem non terreno igne, sed superno calore succendit: qui Lunam, tenebras, noctem formauit, & tempora: qui stellas variata luce distinxit, qui cuncta fecit ex nihilo, & fecit ô homo tibi, vt opificem operis æstimatione pensares.* Ita Chrysol. & ab eo Paschas. lib. 7. in Matth. *Sic dicunt, qui Deum ex quo est sapientia, ex quo virtus, ignorant, sic qui abnegat & confitetur inuitus, qui non cernit, qui Christum nescit Dei virtutem esse, Deique sapientiam: sed miror, cur Mariam nominant, cùm de Patris nomine taceant, nisi quia irridendo magis fabri filium eum vocant; vt ex vilitate operis amplius eum despiciant, quamuis Dei nutu, etsi inuiti de illo quæ vera sunt, & Deifica loquuntur, quoniam Dei Patris est verè Filius, qui fabricator est mundi, vnde Marcus eum non fabri filium, sed ipsum fabrum dicit. Eo enim eum fabrum credebant, quo & fabri filium. Ex artificio Patris verè & ipse faber: quoniam fabricator est orbis, per quem facta sunt omnia.* Ergo qui faber, & fabri filius erat, quoniam fabricator est orbis, per quem facta sunt omnia, optima ad leges artis ratione, collabenti mundi machinæ sustentaculum, & fulcimentum, crucis, videlicet, lignum, firmissimo petræ cæmento, hoc est, sibimet ipsi innixum, debuit adhibere. Iam audi Germanum Patriarcham:

I. *Matt. 13. 55.* *Marc. 6. 3.* *Chrysol.* *Paschas.* *Germ. Pat.*

Descensus erat ex alto in hanc lacrymarum vallem, nec prius substitit natura deorsum ruens, quàm illisa in solidam petram Christum, lignúmque crucis, tamquam in immota quadam fulcimenta conquieuit, & quasi repercussa est. Pulchrè: nec minus ad rem apud eundem
Machar. Gretserum Macharius Philadelphiæ Archiepiscopus, orat. in exaltat. viuificæ crucis: *Crux celi firmamentum est, totúmque mundum sustentat.* Sed enim huc
Habac 3.4. aduoces ea Habacuc de Christo cruci suffixo verba in cant. vers. 4. *Cornua in manibus eius, ibi abscondita est fortitudo eius*, quæ de Christo cruci suffixo Patres, & interpretes communiter explicant; nullum nomino, ne omnes referam, nemo enim ferè est, qui ab hac interpretandi ratione deflectat apud Riberam. ibi. Sed non immeritò ambigitur, quomodo de cruce dicatur, *cornua in manibus eius*, siue vt verbo ad verbum ex Hebræo legas, *cornua à manu eius illi*, cùm potiùs inuersa locutione dicendum videretur, *manus eius in cornibus.* Sed facilis ex dictis responsio ad manum est, desumptam videri similitudinem ab eo, qui firmissimo sustentaculo, siue fulcimento molem, siue tectū, subductis columnis collabentem, ne ruat, detinet, atque sustentat. Ita lucu-
Iul. Firm. lentissimè Iulius Firmicus lib. de mysteriis, & erroribus prophanar. relig. ad Constant. & Constantem Augustos c. 21. vbi, cùm de diabolo, quem cum dracone priùs composuerat, falsè dixisset: *Quæ sunt ista cornua, quæ habere se iactat? Alia sunt cornua, quæ Propheta sancto Spiritu annuente commemorat, quæ tu diabole ad maculatam faciem tuam putas te posse transferre*; sic statim subiicit: *Vnde tibi ornamenta quæris, & gloriam? Cornua nihil aliud, nisi venerandum signum crucis monstrant. Huius signi vno extenso ac directo cornu mundus sustentatur, terra constringitur: & è duorū quæ per latus vadunt compagine Oriens tangitur, Occidens subleuatur, vt sic totus orbis tripartita stabilitate firmatus confixi operis, immortalitatis radicis fundamenta teneantur. Hoc secretum nobis venerandum Prophetæ oraculum tradidit; inuenimus enim in Habacuc ita esse perscriptum:* Texit cœlos virtus eius, & laude eius plena est terra. Et splendor eius vt lux erit, cornua in manibus eius erunt. Et illic constabilita est virtus gloriæ eius, & constituet dilectionem suā, &c. Ita ille. Vnde sic statim infert: *En veneranda crucis cornua, en sanctæ virtutis immortale fastigium, en gloriosi operis diuina compago. Tu Christe mundum, ac terram extensis manibus, tu cæleste sustentas imperium. Tuis immortalibus adhæret humeris salus nostra. Tu Domine æternæ vitæ baiulas signum. Hæc sunt crucis cornua, quibus omnia, & subleuantur pariter, & continentur. His cornibus bene hominum nititur vita.* Hactenus Iulius.

2. August. Nec ab hoc discrepat, quod Augustinus serm. de cataclysmo tom. 9. de cruce meditatur, dum illam cum scala Iacob cœlum pertingente, cui Dominus tamquam architectus ad viam aliis sternendam
Alcazar. incumberet, (quod P. Alcazar in cap 4. Apoc. vers. 1. notat. 1. sect. 1. num. 1. ex fonte Hebræo, & lectione LXX. sic capit, vt non in summa, sed in ima scalæ parte esset innixus, quasi scalam teneret, atque firmaret) ad hunc modum componit: *Quale miraculum, fratres, huius architecti, vt de cruce sua faceret scalas, & tales, quarum caput in cœlum poneret, & propter confirmationem ipse super eas incumberet? Ascende securus, qui desideras, cœlum, non te terreat earum angustia, nec altitudo: nihil timeas, non nutant gradus eius, quos ille architectus sic confirmauit, vt in eius ligno manus suas affigi voluerit.* Optimè: securus enim crucis scalis cœlum ascendes; aliter quidem
Tertul. quàm Romulus, qui, vt Tertullianus libro 4. contra Marc. cap. 7. scitè inquit, in cœlum peierante Proculo, *mendacij scalis* ascendit.

5. Athanas. Ad floridas etiam rationes illam refero, quam ex Athanasio lib. de Incarn. Verbi Dei, eiúsque corporali ad nos aduentu nonnulli reddunt, crucis mortem à Christo perpessam, ea peculiari de causa nobis vtilem fuisse, quod ipse in aëre suspensus ab impuritate, & contagio diaboli per aëra vagantis mediam hanc aëris regionem mundauerit, atque purgauerit. Sic enim Athanas. *Dominus venit vt diabolum præcipitaret, aerémque purificaret, & viam ad cœlum nobis muniret, vt dictum est ab Apostolo*, per velum, quod obtentum fuit, *hoc est per carnem suam. Et id morte fieri oportebat. Quanam alia morte istud fieri poterat, nisi ea quæ in aëre toleraretur? De cruce est quod loquor: solus enim ille in aëre moritur, qui in cruce vitam finit. Quare nō sine ratione eam Dominus sustinuit: ita enim sublimatus, aërem purgauit ab omni diaboli,*
Luc. 10. 18. *aliorúmque dæmonum infestatione, dicens:* Vidi Satanā instar fulguris decidentem. Similiter locuti sunt
Chrysost. Ioan. Chrysost & Ioan. Xiphilinus Patriarcha vterque Constantinopolit. ille hom. 2. in Parasceue, his verbis: *Quare in edito loco, & non sub tecto quopiam? In excelso loco, vt aëris naturam purgaret, oblatus est, sub nullo tecto: sed loco tecti cœlo superimposito, vt vniuersum quoque cœlum mundaretur.* Xiphilinus verò orat. in crucis adorationem, apud Gretserum dicto
Xiphil. lib. 2. de cruce, ad hunc modum: *Non terram moriendo subijt, sed in aërem ascendit per crucem, vt inde quoque principem potestatis aëreæ persequeretur, & profligaret: etenim cùm in cruce pependit, aërem omnem extensione manuum purgauit.* Hæc Patres.

4. Quid sibi ista velint, quidve hæc aëris purgatio, & dæmonis ex ipso deturbatio significet: nec enim
Philot. solo sono capienda videtur, sic explicat Philoteus Constantinopolit. Antistes orat. de exaltat. S. Crucis, apud Gretserum vbi suprà: vt dum morte sua in aëre perpessa totius mundi peccata Christus abstulit, dæmonem viam cœlorum hominibus impediētem, & occupantem deiecerit, illisque nouum iter ad supernas sedes facile, & peruium reddiderit. Audi: *Totius mundi peccata abstulit, & hac de causa crucis supplicium passus est totus expansus. Nam diabolus ex cœlo cum impietatis suæ gregalibus detrusus oberrat in aëre, conatúrque euntibus ad superos impedimenta obijcere. Venit ergo Dominus, vt diabolum deturbet, & aërem purget: & vt omnibus constet, ipsum iam esse, qui vniuersa continet, im:erióque suo purgat.* Ita Philoteus; nec aliter citato loco Athanasius, inquiens: *In cœlos nouum iter aperuit, quod sub his verbis indicatur:* Attollite portas Principes vestras, & eleuamini por-
tæ æternales, *Psal. 23.7. Nihil certè ille qui hæc verba vsurpat, opus habuit reseratione portarum, quippe Omnium Dominus; neq; quidquam erat clausum creatori ex rebus creatis, sed nos eramus, quibus ea reseratio necessaria fuit. Nos rursum illi, quos ipse suo corpore in sublime attollebat. Nam quemadmodum illud pro omnibus morti obtulit, ita quoque per illud viam ad cœlos commonstrauit.* Ita Athanasius. Psal. 23.7.

5. Bene quidem hæc Patres de aëris purificatione per crucem à Christo facta comminiscuntur: sed non minus opportunè dixeris, Dominum per crucis mortē, *Principem potestatis aëris huius* (ad Ephes. 2. 2.) hoc est, dæmonem circa hūc imum aërem vagantem, illicque dæmonibus inobedientia sibi similibus imperantem, præstigias, inanésque species, illorum ministerio effingentem ad fraudem deceptorum, præcipitasse, dum in crucem summa ignominia sublatus, quidquid in mundo floret, ac splendet, diuitias, thesaurorum cumulos, carnis delicias, ac voluptates, signatissimè verò honores, pompas, dignitates, quæ quidē omnia nihil aliud, quàm aër, Ad Ephes. 2. 2.

ventus, & inania ab aëreis potestatibus vanis præstigiis, & speciebus; in veras rerum formas transfigurata, non solùm contempsit, sed etiam contemnere, & conculcare nos docuit. Sic enim placet modò capere Paulum ad Coloss. 2. 15. *Expolians Principatus, & Potestates, traduxit confidenter, palàm triumphans ipsos in semetipso*; quæ, in hanc sententiā sic enucleatiùs expressit Syrus interpres, *& dum exuit corpus suum, diffamauit Principatus, & Potestates, & confudit eos palàm per seipsum*. Pulchrè, *in se ipso*, vel, *per semetipsum*, hoc est, non verbo iam, & doctrinā, sed ipsomet corpore, summa ignominia, summisque supplicijs, & doloribus affecto, extrema paupertate, & nuditate in crucem acto, mundi Principatus, & Potestates, honores, scilicet, ambitiosè procuratos, & quæsitos, carnisque voluptates anxiè concupitas, immoderatam corporis curam, & luxum, diffamante, traducente, condemnante. Cui sanè perillustri Christi triumpho, atque victoriæ statim visus est orbis applausisse, dum ad crucis Christi spectaculum splendidiora cœli luminaria lumen suum retrahentia; aër tenebris, & horrore perfusus; terra denique à suis sedibus mota, huic Christi humilitati facta conspiratione mirificum concentum, & harmoniam, siue sonitum, & (vt ita dixerim) echo reddiderunt. Vnde in cant. Habac. vers. 10. *Dedit abyssus vocem suam, altitudo manus suas leuauit*; vbi priora verba sic ex Hebræo legit Pagninus, *Dedit vorago sonitum suum*: posteriora verò ad hunc modum transferunt Lxx. & Græci Patres, *altitudo phantasiæ eius*. Quæ eò eunt, vt humanæ altitudines, atque sublimitates, quę merū somnium, atque phantasiæ sunt, Christi cruci concinentes pœnitentiæ, atque de pristino errore doloris plenas voces ediderint. Sic enim ad hæc verba Cyrill. Alexandr. *Quare abyssus, id est, immensa, atque incomprehensa credentium multitudo, atque etiam omne quod in ea splendidum est, & phantasijs siue gloria inani huius mundi illustratum, dedit vocem suam: glorificatur enim Christus ab omni gente humana, & id alacriter facere videas licet, paruos & magnos, claros & obscuros, & alijs insigniores, & superiores, seu honore seu diuitijs, & splendore huius vitæ, quæ aptissimè phantasias nominauit, quando præter opinionem nihil sunt*. Hæc Cyrillus.

Ad Coloss. 2. 15. — *Lect. Syr.* — *Habac. 3. 10.* — *Pagnin.* — *Lxx.* — *Cyr. Alex.*

6\. Sed ille, prout ab Augustino capitur, aptissimus huic instituto locus est Ionæ 4. 7. cùm ambitiosæ hederæ, siue frondosæ, inanisq; cucurbitæ (sic enim Hebraicè, Græcéque habetur) vmbra æstuantem Ionam protegente, mirumque in modum recreante, *parauit Deus vermem ascensu diluculi in crastinum, & percussit hederam, & exaruit*, siue vt Hebræi, & Græci legunt, *percussit cucurbitam, & exaruit*. Quid enim sibi vermis ille ascensu diluculi paratus, cucurbitam corrodens, atque exsiccans, nisi Christus cruci suffixus fuerit? Etenim Psalm. 21. 7. qui ad literam de Christi Passione totus est, & vermem ipse sic se nominat, *Ego autem sum vermis, & non homo*; & Psalmi titulus signatè est, *pro susceptione matutina, siue, ascensu auroræ*: vt à Dauide sic Ionas explicatus videatur, quasi sit sensus, florentissima, ac pretiosissima sæculi bona, quæ hominibus antea pro vmbra, imò pro vita erant, ab ipsis postea crucis Christi humilitate, & passione edoctis, contemptui habenda, & pro nihilo ducēda esse, sic hæc ducente, & explicante Augustino epist. 49. *Vermis matutinus, quo rodente cucurbita exaruit, idem ipse rursus Christus occurrit, ex cuius ore Euangelio diffamato, cuncta illa, quæ temporaliter apud Israelitas velut vmbraculi priùs significatione viguerunt, euacuata marcescūt*. Ita August. Ad quem etiam modum videtur accepisse S. Cyril. Alexandr. ea Zachariæ verba cap. 13. 2. *Disperdam nomina idolorum de terra, & non memorabuntur vltrà*; hunc in modum: *hoc est, illo tempore, quo diuinum, & cœleste lumen splenduerit, & in errantium cordibus Lucifer, quem intelligentiæ oculo videmus, exortus fuerit, vt scriptum est, & diluxerit dies, antiqua nocte, & quæ in ea fiebant, repulsis, vt veteri immunditia sublata, athletæ, & sancti adoratores, de cætero conuersationis sanctæ ornamentis instructi, vitam in Christo suscipere videantur*. & paulo pòst: *Quare, quæ olim erant in pretio, & à multis suspiciebantur, nunc odiosa, & execranda, & bonis intoleranda, ac supplicio obnoxia sunt*. Hæc Cyrillus Alexandrinus.

Iona 4. 7. — *Lect. Hebr. Lxx.* — *Psalm. 21. 7.* — *August.* — *Cyr. Alex. Zach. 13. 2.*

7\. Quò referas egregium Isaiæ vaticinium cap. 2. 17. *Et incuruabitur sublimitas hominum, & humiliabitur altitudo virorum, & eleuabitur Dominus solus in die illa, & idola penitus conterentur, & introibunt in speluncas petrarum, & in voragines terræ à facie formidinis Domini, & à gloria maiestatis eius, cum surrexerit percutere terram*. Quæ subinde verba, in maioris firmitatis signum, sic iterum repetit, atque confirmat: *In die illa proijciet homo idola argenti sui, & simulachra auri sui, quæ fecerat sibi, vt adoraret talpas, & vespertiliones, & ingredietur scissuras petrarum, & in cauernas saxorum, à facie formidinis Domini, & à gloria maiestatis eius*. Quæ dum à Basilio, & aliis Patribus de triumpho, quem de falsis, & mendacibus idolis Christus retulit, ad hunc modū explicantur: *Vt enim lux splenduit primùm, viderunt gentes, quæ eatenus delituerant in ignorantiæ tenebris, & agnouerunt lignum tamquā lignum, & lapidem vt lapidem, non iam sinunt se in fraudem erroremve impelli, per effigiationem eis circumpositam, ligno, vel lapidi; sed ex substante natura agnoscunt materiam*; sub eo etiam sensu commodè accipiantur, vt Christus in crucem ob ignominiam ab inimicis exaltatus, eam optimi magistri, ac præceptoris hominum gloriam fuerit adeptus, vt ex ipsius exemplo, quotquot pleno pectore sapiant, omnem sæculi splendorem, honores, dignitates, munera, aliaque ornamenta contēnentes, & pessumdantes, crucis Christi ignominiam velint amplexari; quod ea omnia, quæ mundus magni facit, & in summo pretio habet, inania, & nullius momenti, & lignum, lignum, lapidem, lapidem, aëreum, scilicet, & momentaneum sæculi honorem esse cognoscant, simulque magna velut formidine, ac terrore concutiantur, dum plenum discriminis, atque periculi illud iter reputant, quod à cruce, & humilitate Christi deuiat: tutius multo, ac planius existimantes, intra quatuor Cœnobiorum parietes, veluti in terræ scissuras sese abdere. Quare Basilius sic priora Vatis verba cum posterioribus componit, vt introire in speluncas terrę, ad pudorem, quo de idolis priùs in pretio habitis, homines suffunduntur, referatur; ea verò proiicere, siue eiicere, vt ipse legit, de falsis, de his bonis conceptis opinionibus, ab humanis cordibus eliminandis accipienda sint. Sic enim ille: *Sententia superior indicabat idola in arcanis locis recondi, præsens sermo eadem eijcit, quod mendacium priùs conueniat pudore aspergi, dein à corde esse excludendum. Eijcit igitur idola argentea, qui sermones à se eliminat reconditarum rerum concinnantes mendacium, verisimilitudine in speciem probabili. Aurea item eijcit idola, qui falsas animo impressas opiniones prorsus interlinit, & abolet*. Sic Basilius.

Isai 2. 17.

8\. Illud verò pro huius rationis coronide placet adiicere, quod ad sæcularium dignitatum contemptum, ac despicientiam valde pertinet, è quatuor crucis Christi partibus, siue finibus, quos ex omnium penè Patrum consensu (vt ad alias rationes subinde afferendas videbimus) Paulus descripsit ad Ephesios 3. 18. inquiens: *Vt possitis comprehen-*

Ad Ephes. 3.18. *dere cum omnibus Sanctis,quæ sit latitudo, & longitudo, & sublimitas,& profundum*; etenim (sic Augustinus in Psalm. 103.) *erat latitudo, in qua porrectæ sunt manus; longitudo à terra surgens,in qua erat corpus infixum; altitudo ab illo innexo ligno sursum, quod eminet; profundum,vbi fixa erat crux,& ibi omnes spes vitæ nostræ*: è quatuor iis inquam crucis finibus,altitudinem, siue sublimitatem (vt ipsamet Paulina voce vtar) ad aëris regionem signatè pertinere; vt & res ipsa loquitur, & Ruffinus in Symb. sic monuit: *Docet Apostolus Paulus illuminatos esse debere oculos cordis ad intelligendum quæ sit altitudo,latitudo, & profundum. Descriptio crucis est,cuius eam partem, quæ in terram defixa est,profundum appellauit: altitudinem verò, illam,quæ in aërem porrecta sublimis erigitur*. Planè, vt argumento sit,nihil crucis humilitate magnificentius, ac splendidius,regiamque sublimitatem, ac laudem esse, sæculares honores, ac dignitates contemnere,ac pedibus proculcare. Nec alio sensu à Paulo pronunciatum: *Mihi absit gloriari,nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi,per quem mihi mundus crucifixus est*, ad Galat. 6. 14. fuit enim dicere: absit à me aliam existimare gloriam, & dignitatem, nisi eam, quæ in contemptu gloriæ sæcularis ex imitatione crucis Christi censetur. Vnde eadem epist. c. 2. 19. emphaticè dixit: *Christo confixus sum cruci; viuo autem*: ac si diceret veriùs,quàm nescio quis ex prophanis,

——Viuo, & regno, simul ista reliqui,
Quæ vos ad cœlum fertis clamore secundo.

9\. Pertinet etiam ad hoc rationum genus, quod in Christo cruci suffixo, & oculos, caputque ad cœlum erigente,& ambas versus vtrumque mundi latus manus extendente, piè, atque subtiliter considerarunt Athanasius, Nyssenus, Nazianz. & alij Patres, almæ omnimodæque pacis,qua per crucem suam,& vtrumque inter se populum,Hebraicum, atque Gentilem; & humanum denique genus cum supernis spiritibus erat confœderaturus, egregium typum extitisse: quasi ipse sic vndequaque extensus, atque distentus, & Angelos oculis aduocans,& dissentientes populos hac,illaque manu apprehendens, mutua fœderis, amicitiæque coniunctione, omnia in se vnum efficere,& manus sibi ipsis omnes inuicem dare, cœlestis, ac diuinus pacis auctor, & paranymphus perfecerit: *quia in ipso complacuit* (ad Coloss. 1. 19.) *omnem plenitudinem inhabitare, & per eum reconciliare omnia in ipsum, pacificans per sanguinem crucis eius, siue quæ in terris,siue quæ in cœlis sunt*. Sed audi Athanas. citato libro de Incarnat. Verbi Dei, eiusque corporali ad nos aduentu: *Porrò si mors Domini mei Iesu Christi redemptio est omnium,ac morte eius intermedius ille paries maceriæ soluitur, conficiturque vocatio gentium, quomodo nos aduocasset, nisi crucifixus esset? In sola enim cruce mors extensis, porrectisque manibus toleratur; ideo quoque par erat, vt Dominus hoc modo mortem sustineret, manusque eius extenderentur, vt hac quidem veterem populum, illa verò Gentiles attraheret,& ambos in se coniungeret; id enim ipse dixit, indicans qua morte omnes redempturus esset*: Cùm exaltatus fuero à terra, *Ioann.* 12. omnes ad me traham. Ita Athanas. vbi obiter ex his Ioannis verbis sub hoc sensu ab Athanasio acceptis, pendas velim, idem omnino à Christo censeri homines inter se consociare, & ad semetipsum trahere; vt longè is à Christo se esse nouerit,qui fratri vnitus non fuerit, nec manum Christo date, qui fratri manum non porrexerit. Sed de hoc alibi, modò ad propositam reuertamur rationem, quam sic extendit Nyssenus orat. Cateche. cap. 32. *Hoc per crucem docemur,cùm eius quadrifariam figura sit diuisa; adeò vt ex medio, quatenus sibi ipsi coniungitur, numerentur quatuor proiectiones. Quoniã qui in ea fuit extensus tẽpore mortis susceptæ dispensationis, qui sibi vniuersum colligat,concinnat,& adaptat, is diuersas rerum naturas ad vnam per se cogit conspirationem,& harmoniam*. Concinit Clem. Alexandr. in exhortat. ad gentes, dum Dominum in cruce extensum cum Orphei cithara omnia ad mutuum concentum,& conspirationem adducente componit. Sed Augustinus in Psal. 95. ad fin. hanc orbis totius antea dispersi, atque discissi coniunctionem, atque vnitatem, quatuor crucis cornibus, siue finibus sic aptat, vt & ipsum Adami nomẽ enim in quatuor orbis partibus diuisum, atque partitum, in Christi cruce vnitum, ac colligatum consideret, hunc in modum: *Adam orbem terrarum significat, secundum Græcam linguam, quatuor enim literæ sunt, A, D, A, & M. Sicut autem Græci loquuntur, quatuor orbis partes has in capite literas habent: ἀνατολὴν dicunt Orientem; δύσιν Occidentem; ἄρκτον Aquilonem; μεσημβρίαν Meridiem: habes Adam. Ipse ergo Adam toto orbe terrarum sparsus est: in vno loco fuit,& cecidit,& quodammodo comminutus impleuit orbem terrarum. Sed misericordia Domini vndique collegit fracturas, & conflauit igne charitatis, & fecit vnum, quod fractum erat*. Hæc August. quæ tractatu 9. & 10. in Ioannem tom. 9. vel repetit, vel amplificat. Nec alio sensu capio, quod Nazianzen. Carm. de Virginit. sic cecinit:

Quin etiam expandens sacrati corporis artus
In fines orbis, mortale ex finibus orbis
Collegit genus,atque hominem contraxit in vnum,
Et medijs magnæ posuit Deitatis in vlnis,
Expurgans fœdas agnino sanguine sordes,
Ac scelus è medio tollens,quod clauserat astra.

Pergit verò Theophylactus orat. de adorat. crucis medio ieiuniorum tempore, apud Gretserum vbi suprà; crucẽmque non homines solùm inter se, sed cum Angelis etiam coniungentẽ,& cõsociantẽ, sic facit: *Crux ad conditorem Christum adducit cælestia, subterranea, & terrestria ab ortu Solis vsque ad occasum, vt non sint amplius duo creaturarum genera, Angeli, & filij hominum; quædam in cælo, quædam in terra, quædam propè, quædam longè, sed vt iam sint vna creatura omnium, qui in Christo renouati sunt*. Similiter Ambrof. lib. 10. in cap. 23. Lucæ: *Et vt non sibi solùm, sed omnibus vinceret, manus in cruce extendit, quò omnia ad se traheret, vt nodo exuta, iugo fidei suspensa, cœlestibus ea, quæ priùs erant terrena, sociaret*. Ab iis non longiùs eunt, quæ de cœlestibus à Christo per crucem suam instauratis, & ad pristinum splendorem restitutis, pacéque inter Angelos,& homines facta longiùs differit August. in Enchirid. cap. 61. & 62. videsis illum. 10.

11\. Firmat citato loco hanc eandem rationem Athanasius, dum id genus mortis à Christo perpessæ, quo sacratissimum ipsius corpus, nec detruncatum, nec confractum, aut mutilum permansit, ad Ecclesiæ vnitatem, & intimam membrorum tam inter se, quàm cum suo capite coniunctionem, sic refert. *Quocirca neque Ioannis mortem sustinuit, capitis truncatu, neque sicuti Isaias Propheta serra dissectus est; vt & in morte sine mutilatione integrum corpus seruaret, & causa subduceretur ijs, qui Ecclesiam in partes cupiunt discindere*. Subdit: *Et hoc quidem ad eos responsum velim, qui extranei alienique ab Ecclesia, istiusmodi ratiocinationes sibi coaceruant*. Abi ergo tu, quisquis à fratre,& fratrum societate discinderis,& genus mortis, quod de industria noluit Christus perferre, consulta ipsi malignitate irrogato, serra disseca, capite trunca, frange crura, membra diuelle: nihilo enim meliùs facinus perficis, cùm pacem, & amicitiam dissoluis, concordiam turbas, societatem

Margin notes: Ad Ephes. 3.18. — August. — Ruffinus. — Ad Galat. 6.14. — Ad Galat. 2.19. — Horat. — Ad Coloss. 1.19. — Athan. — Ioan. 12. — Nyssen. — Clem. Alex. — August. — Nazianz. — Theoph. — Ambros. — August. — Athan.

societatem scindis, coniunctionem dirimis, atque euertis.

12. Est etiam elegans illa ratio, quam pro crucis morte à Christo singillatim eligenda, partim ex Athanasio, partim ex Tertulliano conficias. Quod nimirum aduersus lignea illa, mendaciaque Numina à cæcis Gentilibus adorata, iustum quidem bellum ex crucis ligno conficeretur, pulcherrimámque victoriam, ac triumphum de tot lignis lignum vnum reportaret. *Athan.* Audi Athanas. serm. in S. Parasc. apud Gretserum loco sæpiùs citato: *Magnum opificium est cælum, magnum quoque quiddam, & admirabile Angelorum natura est: cum ijs Sol contendens diurnis luminis facibus cinctus, cælestémque cursum impellens, terra denique diuino mandato suspensa, & mare illud expansum, arenisque illigatum. Sed cùm hæc omnia pulchra in primis fuerint præstantissimæ sapientiæ machinamenta, homo tamen hanc eius pulchritudinem deturpauit, immoderata venerationis abundantia iniuriam ijs ipsis, quæ coleret, molitus. Ita creatura nolens, & inuita, mater erroris fuit effecta. Cæterùm misertus huius erroris Deus, crucem in medium profert, diuinæ hominibus cogitationis instrumentum; & lignum vile ex terra enatum, mundum vniuersum impietati deditum ad pietatem velut excolit. O diuinam veramque Sapientiam, cælesteque crucis inuentum! Crux terræ defixa fuit, & ecce idolorum cultus statim dilapsus.* Hęc Athanasius. *Tertull.* Sed pergit Tertullian. lib. 5. cont. Marcion. cap. 21. eum ex hoc cortice nucleum eruens, Deum iustissima de causa hominibus infensum, quod ligneas statuas, & idola pro vero Numine impudenter colerent, crucis lignum, & ipsi Filium suum suffixum colendum, adorandumque in medium proposuisse, vt iniuria sibi ex ligneorum Numinum adoratione illata, per ligni crucis cultum ad iustitię commutatiuæ leges, certa quadam ratione resarciretur. Sic enim Tertullian. *Vt quoniam homo non erubuerat lapidem, & lignum adorans, eadem constantia non confusus de Christo pro impudentia idololatriæ satis Deo faceret per impudentiam fidei.* Sic ille.

13. Parco aliis huius generis rationibus: vber enim nimis campus Sanctorum Patrum calamis velut aratris proscissus, & varia, egregiáque doctrina ad segetem perductus, quam recentiores non pauci auidè, & diligenter messuerunt, floridisque scriptis mandarunt. Monstrabo tamen lectori Patrum locos, in quibus vel rationes pro crucis morte ab illis traditas, vel ansas, ex quibus nouas conficere, & formare facilè possit, desumat. Et verò præter eas, quarum suprà meminimus, nouasque à nobis inferiùs appingendas, nonnullas habent citato libro de Incarnat. Verbi Dei, & eius corporali ad nos aduentu, Athanasius, & Lactantius præfato lib. 4. diuin. institut. cap. 26. alias etiam Augustin. lib. 88. qq. quæst. 25. & serm. 4. & serm. 59. in Append. tom. 10. Iustinus Apolog. 2. Maximus Taurinens. homil. 2. de cruce, Minutius Felix in Octauio, Hieronym. siue Beda in cap. 37. Iob. Alexander Monachus, Macharius Philadelphiensis Archiepiscop. Germanus, aliique Patres Græci, apud Gretserum dicto lib. 2. de cruce.

Athan. Lactan. August. Iustin. Maxim. Minut. Hieron. Alexand. Monach. Machar. German.

ADNOTATIO II.

Literalis, & Moralis.

Solidiores Patrum rationes, cur crucis mortem Christus Dominus subierit.

1. Iam ad solidiores rationes eam aduoco, quam Chrysostomus hoc loco, & pluribus aliis, necnon Athanasius, & alij persecuti sunt; signatè; videlicet, à Christo crucis mortem electam fuisse, vt ex morte omnium turpissima, atque ignominiosissima, splendidior, atque illustrior ipsius gloria consurgeret. Et quidem cùm Athanasius lib. de Incarnat. Verbi Dei, eiusque corporali ad nos aduentu, sic sibi crucis ignominiam obiecisset: *Athan.* *Si coram omnibus, & contestato oportebat fieri eius mortem, vt prædicatio resurrectionis fidem inueniret, par fuit, vt honestam mortem sibi comminisceretur, vt saltem ignominiam crucis defugeret*; ita statim respondet: *Atqui si hoc fecisset, plenam suspicionem de se præbuisset, quod non in omne genus mortis, sed duntaxat in eam, quam ipse excogitaret, vim suam integram efficacemque haberet: ac rursus nihilo minor occasio fuisset non credendæ resurrectionis. Quapropter non sua opera, sed aliorum insidijs mortem corpori suo infligi voluit: vt mortem quæcunque illi intulissent Saluatori, eam & ipse demoliretur.* Subdit verò pulchram statim imaginem: *Ac veluti generosus Athleta, cui ingens animi, & corporis robur, non ipse quidem sibi ipsi aduersarios deligit, ne alijs timiditatis suspicionem præbeat, sed spectatorum arbitrio hoc ipsum permittit, quantuncumque eos sibi infestos sciat, vt humi prostrato quocumq; antagonista, robustissimus habeatur. Ita quoque omnium vita Dominus, & Saluator noster Iesus Christus non ipse corpori suo mortem excogitat, deligitque, ne aliud mortis genus expauescere videatur, sed eam quam alij quidem in primis inimici grauem existimarunt, & turpem, & fugiendam, hanc ipse in cruce exceptam sustinuit: vt ea extincta perditaque, ipse ipsissima vita crederetur, & mortis vis plenè innotesceret.* Vnde sic infert: *Certè mirum quiddam, & inexpectatum euenit; genus enim illud moriendi, quod illi pro sua opinione, vt ignominiosum intulere, ea conuersa est in trophæum deuictæ mortis.* Similiter egregiéque Chrysostomus in hæc verba serm. *Chrysost.* 7. inquiens: *Propterea etiam inter duos latrones cruci affixus est, vt eadem de ipso, ac de illis existimatio esset, atque impleretur, quod dictum est*, & cum iniquis reputatus est; *sed tanto magis elucet veritas, tanto illustrior redditur. Longè enim pulchrius, atque admiratione dignius spectaculum apparet, cùm tot ab hostibus aduersus ipsius gloriam artificijs, ac machinis adhibitis, splendet tamen illa, & fulget.*

Atqui peculiarem hanc Christi gloriam tam in 2.
ipsomet Passionis suæ tempore, quàm post illud, ex cruce potissimum videris. Et verò dum in cruce est actus, totum dedecoris, & ignominiæ pondus, in eximiam ipsius claritatem deuenisse, ipsemet terrarum orbis manifestè professus est. *Neque enim vel ipsum mundum*, (inquit Athan. lib. de Incarn. Verbi *Athan.* Dei, &c.) *in silentio esse voluit, sed, quod mirum est, in morte, vel potiùs in trophæo de morte excitato, crucem intelligo, vniuersa rerum fabrica confitebatur eum, qui in corpore apparebat, & supplicia patiebatur, non hominem simpliciter, sed Dei Filium, ac Saluatorem esse omnium. Nam & Sol se auertebat, terra quatiebatur, disrumpebantur montes, omnes metu ac pauore contrahebantur. Hæc omnia eum, qui in cruce erat, Christum, Dei esse declarabant, ac rerum naturam eius ancillam esse, pauore suo contestantem Domini præsentiam.* Id autem ad crucis clauos sic eleganter retulit Magnus Leo *Leo Mag.* serm. 6. de Passione: *Pendente enim in patibulo creatore, vniuersa creatura congemuit, & crucis clauos omnia simul elementa senserunt.* Sanè, ac si ipsa ad gemitum, & dolorem in Domini sui mortem à clauorum mucronibus fuerint signatè compuncta, atq; confixa. Ergo pro summo dedecore, atque ignominia illustrissimum Christo triumphum crux attulit: *Triumphus planè est* (verba Hilarij lib. 10. de Tri- *Hilar.* nitate) *queri ad crucem, & offerentem se non sustineri;*

stare

stare ad sententiam mortis, sed inde consessurum à dextris virtutis: configi clauis, sed pro persecutoribus orare: acetum potare, sed Sacramentum consummare: deputari inter iniquos, sed paradisum donare: eleuari in lignum, sed terram tremere: pendere in cruce, sed Solem, ac diem fugere: exire à corpore, sed reuocare animas in corpora: sepeliri mortuum, sed resurgere Deum: secundum hominem pro nobis infirma omnia pati, sed secundum Deum in his omnibus triumphare. Ita ibi Hilar. libro autem 3. de Trinitate, sic sub hoc sensu capit ea Assertoris ad Patrem verba Ioan. 17. 1. *Ioan.17.1.* *Pater, venit hora clarifica Filium tuum, vt Filius tuus clarificet te*; vt miranda hæc cœli, terræque prodigia egregium diuinitati Christi testimonium ex Patris præscripto reddiderint. Audi illum: *Clarificat Pater Filium. Quomodo tandem? Suffigitur cruci. Deinde, quid sequitur? Sol non occidit, sed refugit. Sed quid refugisse dico? Non receptus in nube est, sed de cursu operis defecit, & interitum suum cum eo reliqua mundi elementa senserunt: & ne huic facinori illæ cœlestes operationes interessent, intercessionis huius necessitate quadam sui abolitione caruerunt. Sed terra quid fecit? Ad onus Domini in ligno pendentis intremuit, eum qui moriturus erat, intra se contestata non capere. Numquid & portionem suam rupes, & saxa concedunt? Sed rupta dissiliunt, & naturam suam perdunt, cæsamque ex se arcam incontinentem condendi corporis confitentur. Quid ad hæc proclamat quoque Centurio cohortis, & crucis custos?* Verè Dei Filius erat iste. Hæc Hilarius.

3. Sed enim hic premas velim præfata Chrysost. *Chrysost.* verba: *Propterea inter duos latrones cruci affixus est, vt eadem de ipso, ac de illis existimatio esset: sed tanto magis elucet veritas, tanto illustrior redditur.* Sed quare? Equidem, quod si inter Petrum, & Andream, aut alios ex discipulis eius, siue inter eximiæ sanctitatis viros cruci fuisset affixus, dum subinde vniuersa creatura congemuit, & Sol de cursu suo deficiebat, terraque motibus quatiebatur insolitis, discindebantur petræ, montésque disrumpebantur; posset aliquo modo humana malignitas pro suo hæc sensu pensitare, & negata diuinitati Christi, in Petri, aut Andreæ gloriam propter ipsorum sanctitatem detorquere: at enimverò, cùm inter duos latrones cruci affixus fuit, magis eluxit veritas, tantoq; illustrior Christi gloria reddita est. Quis enim tunc posset ambigere, propter Christum elementa turbari? *Nam verum Dei Filium* (inquit citato loco *Hilar.* Hilarius) *Centurio confitetur, ne quis credentium ambigeret, quod vnus persequentium non negasset*: adeòne vt senio confectus deliraret mundus, qui ob latrones distorqueretur? Summa ergo ignominia, qua Christum eius hostes afficere voluerunt, summum Christo ornamentum, & gloria extitit, scitè dicente Seneca epist. 73. *Ambitio non respicit.* *Senec.*

4. Iam si ad gloriam, quam post Passionem suam ex cruce Dominus est adeptus, oculos coniicias, merito optimo cũ Chrys. in demonstrat. aduersus Gẽtiles, quod Christus sit Deus, dixeris: *Chrysost.* *Ne timueris horũ gratia, quod crucifixus, quod flagellatus, quod colaphis cæsus, quod consputus, quod à latronibus conuicijs incessitus, quod tyrannidis, & blasphemia nomine occisus. Ita se hab. bunt res eius post mortem, & resurrectionem, vt nemo contradicat, quin summo honore antecellat.* O maximam rerum mutationem, & perfidorum conatibus omnino contrarium euentum subsecutum! Quid illi dicebant? *Iere.11.19.* *Mittamus lignum in panẽ eius, & eradamus eum de terra viuentiũ, & nomen eius non memoretur amplius*, Ierem. 11. 19. hoc est, vt *Origen. Hieron. Theodor. S.Thom. Tertul. Cyprian.* Patres exponunt, Origenes, Hieronym. Theodoret. S. Thom. Tertul. l. contr. Iud. c. 12. Cypr. l. 2. aduers. Iud. cap. 15. Lactantius lib. 4. diuin. institut. cap. 18. *Lactant.* Gregor. lib 3. Moral. cap. 12. *Gregor.* agamus eum in crucem, vt cum vita, ipsius quoque nomen, atque memoria ob summam crucis ignominiam in perpetuũ deleatur. Quod significantiùs in fonte legitur: *Lect. Hebr.* Hebræum enim verbum, pro quo noster posuit, *mittamus*, propriè significat *corrumpere*, atque ita legunt Tigurina, & Pagninus, quibus subscribit Vatablus, simul monens esse inibi hypallagen, ac si dicatur: *Tigurin. Pagnin. Vatabl.* *corrumpamus in ligno panem eius*; quasi sit sensus: ex damnatissimo crucis fato tam ipsum, quàm ipsius nomen, atque doctrinam corrumpamus, atq; damnemus, vt deinceps, quidquid ad ipsum pertinet, inuisum, & exitiabile habeatur, & apud omnes fœteat. Sed num illis, vt optabant, res processit? Imò verò ab eorum expectatione exitum habuit alienissimum; quippe ex cruce splendidissimum Christi nomẽ, clarissimaq; ipsius doctrina euasit: etenim vt de ipso in Ierusalem ad crucẽ, mortemq; eunte opportunè dicebat Hieron. epist. ad Algasiam q. *Hieron.* 5. *obfirmata facie festinabat Dominus pergere in Ierusalem, vt complerentur dies assumptionis eius, & Pascha celebraret, omnemque doctrinã suam patibulo roboraret*: illi, scilicet, per crucem robur, & fulcimẽtum allaturus. Vnde ad ea Ieremiæ verba Origen. hom. *Origen.* 8. in Ierem. *Perperã dicũt*: Venite, mittamus lignum in panẽ eius, & eradicemus eum de terra viuentiũ: *sic eum interfecerunt, quasi nomen eius penitus eradicarent. Sed audi quid dicat Christus Ioan.* 12. 24. *Ioan.12.24.* Nisi granum frumenti cadens in terram, mortuũ fuerit, ipsum solum manet; si autem mortuum fuerit, multum fructum affert. *Ergo mors Christi spica frumenti facta est, sepultum, & multo amplius restituens, quam fuerat seminatũ*: Christi, videlicet, nomine, doctrina, fama, celebritate, clariùs, splendidiùs, atq; fœcũdiùs, velut granum in segetem proueniens, ex cruce cõsurgentibus. In quam rem sic eleganter loquitur *Chrysost.* Chrys. in ser. *Quod Christus sit Deus*, tom. 5. *Ne timueris horum gratia quod crucifixus, quod flagellatus, quod colaphis cæsus, quod consputus, quod à latronibus conuicijs incessitus, quod tyrannidis, & blasphemia nomine occisus. Ita se habebunt res eius mortem, & resurrectionem, vt nemo contradicat, quin summo honore antecellat.* Et statim premẽs crucis mortem: *Hoc autem mortis genus diademate quouis gloriosius est: nam Reges positis diadematis, crucem suscipiunt mortis symbolum. In purpuris crux, in diadematis crux, in precibus crux, in armis crux, & in mensa sacra crux, & in toto orbe crux, & super Solem fulget crux.* Nec multo pòst: *Ante crucem in luctu res erant, Iudas prodidit, Petrus negauit, reliqui profugerunt, Iesus solus inter amicos comprehensus est, multi qui crediderant, retrorsum abierunt. At post crucem, orbis ad fidem accessit, & infiniti Martyrum populi occisi malentes mori, quàm dicere, quod præcipuus ille Apostolorum formidans vnius ostiariæ minas. In omni regione omni ciuitate, & solitudine, & parte orbis, quæ habitationi accommoda, & quæ non accommoda, prædicamus crucifixum. Et Reges, & Principes, & milites, & præsides, & serui, & liberi, & idiotæ, & sapientes, & insipientes, & barbari, & reliqua hominum genera, ac terra omnes, quas Sol spectat, ad hoc nomen currunt, vt adorent.* Hactenus Chrysostomus.

5. Est verò præfatæ rationi hæc, vt è solidis, atque genuinis, ita valde proxima, atque germana; Christum de industria crucis mortem elegisse, vt pro superffluente ignominiæ, atque dedecoris mensura, exaltationis ipsius modus sine modo esset, ipseque vt Deus ab omnibus agnosceretur, coleretur, exaltaretur. Hac enim de causa mortẽ suã exaltationis nomine ipsemet Dominus frequentiùs appellabat: sic enim Ioan. 3. 14. *Ioan.3.14.* *Sicut Moyses exaltauit serpẽtem in*

Ioan. 8.28. Ioan. 12.34.

in deserto, ita exaltari oportet filium hominis. & Ioan. 8.28. *Cùm exaltaueritis filium hominis.* & Ioan. 12.34. emphaticè in hanc sententiam: *& ego si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum.* Sed quænam exaltationis huius ratio, seu proportio fuerit? Respondet Lactant. lib. 4. cap. 26. *Nam vt is, qui in cruce suspenditur, conspicuus est omnibus, & cæteris altior, idcirco pro Christi morte crux potiùs, quàm aliud instrumentum electa est, vt signaret illum tam conspicuum futurum, vt cunctæ nationes ex totius orbis partibus ad eius fidem amplexandam concurrerent.* Quare opportunè composueris cum his Ioannis verbis illa Isa. c. 11. 10. *In illa die radix Iesse, qui stat in signum populorum, ipsum gentes deprecabuntur, & erit sepulchrum eius gloriosum.* Sed obserua priùs, pro, *in signum populorum*, Pagninum ex Hebræo legere, *vt vexillum populorum*: Lxx. verò reponere; *consurgit, vt Princeps sit gentium*: quasi Christum in crucem agere, idem fuerit, ac in signum, atque vexillum, ad quod omnes vndique gentes concurrant; siue in Principem, qui in regni solio sedeat, erigere, atque eleuare. Ita quidem vtrumque locum composuit Rupert. ad hunc modum: *Quid enim fuit in signum populorum stare radicem Iesse, nisi filium hominis exaltari à terra, & omnia trahere ad seipsum? Inquit*, gentes deprecabuntur, & erit sepulchrum eius gloriosum. *Ecce hodie gentes ipsum deprecantur, & in sepulchro, id est, in morte eius gloriantur. In quo enim alio se gloriari profitentur?* Mihi, *inquit Apostolus*, absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi: *idipsum cum Apostolo gentes quoque actu quodam loquuntur, pingentes iugiter signum crucis in suis frontibus. Hoc facere gloriosum est & Regibus.* Ita Rupert.

Lactant. — Isai. 11.10. — Pagnin. — Lxx. — Rupert.

6. Hinc in cantico suo Habacuc vers. 11. *Sol, & Luna steterunt in habitaculo suo*: pro quibus Lxx. & Græci Patres legunt; *eleuatus est Sol, & Luna stetit in ordine suo*: siue vt S. Cyril. Alexandr. *eleuatus est Sol, & Luna stetit in ordine suo ad lucem.* Vbi imagine desumpta, vel à loci distantia, & proportione, quam ad lumen in Lunam refundendum Sol habere debet, vel ab eleuatione super Orientem ad terram omni ex parte illuminandam, & calore suo confouendam: etenim cùm vix supra terram se sustulit, quasi contractum in se lumen habet, nec dum latè fusum, & clarum, vbi verò ascendit atque sublimis est, radios circumquaq; lucidissimos proiicit; indicat Vates, Christum velut Solem principio quidem cõtractam, vixq; paucis discipulis conspicuam lucem habuisse, sed cùm in crucem actus, & exaltatus est, eleuatũ quidem super Orientẽ, & occursum ipsius, vsque ad summum fuisse, quin aliquis potuerit abscondi à luce, & calore eius. Quod sanè innuit Vates cùm ait; *& Luna stetit in ordine suo ad lucem*: fuit enim dicere, ex Christi exaltatione, siue ex Solis huius eleuatione, mortalium oculos ad lucem percipiendam aptè dispositos extitisse. Qui quidẽ germanus sensus est verborum Christi apud Ioan. 8. 28. *Cùm exaltaueritis filium hominis, tunc cognoscetis, quia ego sum.* Sed hũc locum in adnotationibus cõmodiùs elucidabimus; modò audi Cyrilli commentariũ ad præfata Habacuc verba: *Solem, & scitissimè quidem Emanuelẽ dictitamus; sic enim nominatus est à Malachia, & verè Sol est. Ast Lunam, vt ex similitudine elementi dici existimandum est Ecclesiam Dei, apparentem his, qui in tenebris sunt, & in nocte collucentem. Quando igitur iuxta vocem Prophetæ*, eleuatus est Sol; *crucẽ enim pretiosam Christus propter nos ascendit: tunc etiam Ecclesia ex gentibus lumen dedit*, & stetit in ordine suo ad lucem. *hoc est, pleno lumine vt Luna quædã, & ordinem orbis sui seruans, lux facta est iis, qui versabantur in tenebris, vt modò dicebam. Christo autem exaltato, & crucem pro omnium vita perpesso, deinceps Ecclesiam stetisse ipsemet docet, cum ait*: Amen, amen dico vobis, nisi granum frumenti cadens in terram, mortuum fuerit, ipsum solum manet; si autem mortuum fuerit, multum fructum affert: *& rursum*, & ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipsum. Hactenus Cyrillus.

Habac. 3.11. — Lxx. — Cyr. Alex. — Malac. 4.2. — Ioan. 12.24. & 32.

7. Accinit huic sententiæ, atque imagini pulcher Isaiæ locus cap. 30. 26 *Et erit lux Lunæ, sicut lux Solis, & lux Solis erit septempliciter, sicut lux septem dierum, in die, qua alligauerit Dominus vulnus populi sui.* Quæ dum & Solem septemplicis splendoris incremento seipso illustriorem, & Lunam totam in se Solis lucem ebibentem faciunt, idem omnino, ac præfata Habacuc verba significare vidẽtur; Solem, nimirum, ad medium cœli occurrentem, siue eleuatum, & Lunam stantem in ordine suo ad lucem, vti S. Gaudent. Brixiens. tract. 3. de lectione Exodi, optimè explicuit, & cum Psaltis verbis Psal. 18. 7. *A summo cœlo egressio eius, & occursus eius* (siue vt legit Hieronym. *reuolutio eius*) *vsque ad summum eius*; composuit ad hunc modum: *Cæterùm, quod Sol iustitiæ Christus septies tantum terris hodie luceat, quàm lucebat, radij eius testes sunt, qui illuminant omnem hominem venientem in mundum. Nunc enim coruscat ex ipso igneus ille Spiritus septiformis, qui velut ignis sedet super Apostolos, & ardet hodie in vnoquoque credentium. Nam priusquàm pateretur, & resurgeret Christus, notus erat tantùm in Iudæa Deus, nunc in omnes gentes fulgor claritatis Dominicæ pertransit; a summo enim cœlo egressio eius, & occursus eius vsque ad summum eius, nec est, qui se abscondat a calore eius.* Ita Gaudentius.

Isai. 30. 26. — Psal. 18. 7. — Hieron. — S. Gaud.

8. His illud valde est affine, Christum hunc mundum ingredientem lucernæ, siue lampadi, apud Isaiam comparari, sic enim ille c. 62. 1. *Propter Sion non tacebo, & propter Ierusalem non quiescam, donec egrediatur vt splẽdor iustus eius, & Saluator eius, vt lampas accẽdatur*: vbi Christi aduẽtus, siue lucernæ accensæ, sed super candelabrum nondum positæ, siue Soli recenter orto, & velut in cuna cubilis cõtractum in se lumen habenti, nec illud circumquaque diffundenti, similis esse perhibetur. Sed enim cùm ille in crucem actus, & exaltatus fuit, eleuatus est Sol, & seipso septemplicis splendoris incremento illustrior est redditus, siue lucerna super candelabrum, vt luceret omnibus, qui in domo sunt, posita est: vt ab omni hominum genere Christus agnosceretur, amaretur, & vt verus Deus adoraretur. Ita quidem August tract. 104. in Ioan. reddens rationem, cur crucem suam propriis Christus humeris gestauerit, pulchrè inquit: *Dicturus enim Paulus*, mihi absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi, *ipsam crucẽ suo gestans humero commendabat, & lucernæ arsuræ, quæ sub modio ponenda non erat, cãdelabrum ferebat.* Ad quem modum Bern. ser. 15. in Cantica, de Paulo nomẽ Iesu portante coram Regibus, & gentibus, & filiis Israël, sic ait: *& monstrabat omnibus lucernam super candelabrum annũcians in omni loco Iesum, & hunc crucifixum.* Hæc Bern. Quare subdit Vates: *Et videbunt gentes iustum tuum, & cuncti Reges inclytum tuum*: quasi dixerit, inquit Hieron. *O Ierusalem, & Sion, cuncti Reges videbunt inclytum tuum, qui de tua stirpe generatus est; qui in te exaltatus patibulo, omnes traxit ad se, ita vt gentes videant iustitiam eius; quia cunctorum creator misertus est gentibus, & Reges gloriam illius, qui glorificatus in cruce est, & omnia suo imperio regna subiecit.* Sanè, quod in cruce exaltatus, & supra candelabrum ad lucendum positus, omnium oculis sese eius lux ingesserit.

Isai. 62. 1. — August. — Bernard. — Hieron.

8. Huc maximè pertinet ea arcanæ huius exaltationis Christi, in qua sumus, explicatio, quam ad Ioannis verba doctissimus Maldonatus opportunè

Maldon.

simul

simul premens trahendi phrasim, qua Christus in crucem exaltatus, ad se omnia tracturum dixit) ad hunc modum reddidit: *Volebat Christus vim passionis suæ declarare, propтереаque vt diximus, trahendi vsus verbo; eadem, opinor ratione, & exaltandi verbo vsus est: loquebatur enim de se tamquam de milite cum diabolo pugnante. Solet miles eo fortior esse, & aduersario superior, quo ex altiore loco pugnat. Significauit ergo, se ex cruce sua, tamquam ex altissima, & munitissima arce pugnaturum, diabolúmque victurum esse, propterea genus illud mortis exaltationem appellauit. Traxit exaltatus omnia ad semetipsum, quemadmodum aquila in sublime volans prædam trahit.* Pulchrè omnino, atque eo elegantiùs hæc dicuntur, & Christi verbis aptantur, quo crucis humilitas altior, & sublimior ad pugnandum locus, victoriæque opportunior esse dicitur. Vnde Venerab. Gilleb. serm. 20. in Cant. eundem Ioannis locū exponens, sic hæc diffundit: *Omnia quæ in te sunt, bone Iesu, quandam habent alliciendi efficaciam, & cogitantes sollicitant in affectum, sed ad omnia non possumus omnes attingere; sublimia solis sublimibus sunt, humilia omnibus; quæ maior humilitas, quàm exaltari in cruce? Etiam de hoc ait;* Cùm exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipsum. *Efficax ad trahendum humilitas ista; quidni? Quis non ad simplicem cogitatum huius rei stupore, & extasi repleatur? Cuius non affectum fides hæc exhauriat, & infatuet, & reddat insufficientem?* Equidem adeò efficax ad trahendum humilis hæc Christi exaltatio fuit, vt velut alter Orpheus non homines modò, sed ipsa etiam bruta animantia, & feras fortissimo hoc concentu ad se allexerit. Audi Clementem Alex. in exhortat. ad gent. *Solus ipse feras mansuefecit: volucres quidem, id est, eos qui ex se ipsis sunt leues: serpentes, id est, deceptores: leones, eos qui ad iram sunt concitati: sues, eos qui sunt voluptati deditis: lupos, eos, qui sunt rapaces: lapides etiam, & ligna ad se traxit, id est, eos qui lapides, & ligna adorabant, & qui instar lapidum insipientes erant iuxta illud Matth. 3.* Potēs est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ: *id est, ex Gentilibus, qui lapidibus crediderunt. Has ergo omnes immanissimas feras, & tales lapides, ipse cælesti cantu in mansuetos homines transformauit.* Hæc Clemens.

Gillebert. — Clem. Alex.

10. His pulchrè accinit Salomon Ecclesiast. cap. 1. 5. cùm arcano sermone de Sole ait: *Oritur Sol, & occidit, & ad locum suum reuertitur.* Vbi primò obserua pro, *reuertitur*, Hebraicè esse verbum, *Saaph*, quod propriè significat, attrahere spiritum, vnde Lxx. legunt, *& ad locum suum ducit*: Ambrosius verò sermone 12. in Psalm. 118. *& ad locum suum trahit.* Deinde animaduerte, non orienti, sed occidenti Soli tribuisse Salomonem ducere, & attrahere ad locum suum, quod vt Solis imagini non adeò plenè congruere videatur, vero ac diuino Soli mirificè conuenit; ipse enim in crucis occasu omnes, omniaque ad se trahit. Audi citato loco Ambrosium: *Vide ipsum mysterium prænuntiatum; & oritur, inquit, Sol, & occidit, in locum suum trahit, hoc est*, cùm exaltatus fuero, omnia traham ad me ipsum: *traxit enim ad se omnium studia, vt vel peccata nostra crucifigeret, vel bonum ingenium ad iustitiam prouocaret. Aduerte quemadmodum trahat ad se.* Pater volo, vt vbi ego sum, & isti sint mecum, *Ioann. 17. 24. & ad latronem ait*, hodie mecum eris in paradiso, *Lucæ 23. 43. Aduerte quomodo omnia trahat exaltatus est in cruce, & totus credidit mundus.* Hæc Ambros. En occidentem Solem omnia ad se trahentem. Nec longè ab hoc iueris, si Christum in cruce exaltatum cum Iride composueris, de qua egregius Poëta:

Eccles. 1. 5. — Lxx. — Ambros. — Ioan. 17. 24. — Luc. 23. 43.

Mille trahens varios aduerso Sole colores.

Varia enim hominum studia variis, & peculiaribus modis ad se traxit, ipsúmque in cruce fulgentem, siue reptantes, siue euntes, siue currentes, siue volantes, siue etiam rapti omnes secuti sunt; eleganter id ad hæc Ioannis verba sic pensitante Vener. Galfr. in allegor. Gotfr. Tilm. *Trahit igitur Christus, sed aliter, atque aliter: Quem quidem sequuntur reptantes, euntes, currentes volantes, & rapti. Repat pœnitentia; vadit obedientia; currit libera, & expedita perfectio; volat piæ deuotionis affectus; rapitur excessus sacræ contemplationis. In cæteris enim nonnulla liberi arbitrij cooperatio; in eiusmodi raptu tota solius gratiæ operatio est. Reptans Maria Magdalena trahebatur Dominicis prostrata vestigiis, nec minus erat mirabile intus trahere eam, quàm suscipere foris. Ambulabat communi gressu, sed innitatus ad cursum tristitia præoccupatus est, qui mandata quidem seruauerat à inuentute sua, sed consilium perfectionis de relinquendis omnibus non admisit. Currebant alacres, & expediti, posito gibbo Cameli, qui venditis omnibus, pretia ante pedes Apostolorum in commune distribuenda ponebant; volabant Apostoli, dum gaudentes ibant à conspectu concilij, quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati. Raptus est Paulus, & audiuit quæ non licuit homini loqui.* Hactenus Galfridus. Galfrid.

Verum enimverò præter præfatam Maldonati rationem, qua Dominus, vt ex altiore loco pugnans omnia ad se trahere eleganter dicitur, ipsa etiam manuum in cruce extensio valde ad rem istam facit: videtur in omnem sese partem extendere, atque distendere, vt nemo sit qui ab eo aufugere, aut ab eius calore se abscondere possit; sic quidem dicebat Nazianz. vbi suprà meminimus: 11. — Nazianz.

Quin etiam expandens sacrati corporis artus
In fines orbis mortale ex finibus orbis
Collegit genus. ——

Et Ambros. lib. 10. in c. 23. Lucæ: *& vt non sibi soli, sed omnibus vinceret, manus in cruce extendit, quò omnia ad se traheret.* Sed id priùs signatissimè dixerat Salomon in lib. Sap. cùm enim cap. 7. vers. vlt. de Dei Sapientia incarnata, id est, de Christo (August. interprete lib. 4. de Trinitat. cap. 14.) dixisset: *Est enim speciosior Sole, & super omnium dispositionem stellarum comparata inuenitur prior*; subiicit initio cap. 8. *Attingit ergo à fine vsque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter.* Pende hæc; & Græcum quidem verbum, διατείνει, pro quo noster posuit, *attingit*, præterquàm quod significat, *protendit*, siue, *extendit se*, vt legit Iansenius, siue propiùs, *distendit se*, peculiarem, & huic proposito opportunam emphasim habet: est siquidem compositum ex præpositione διά, quæ significationem auget, & intendit, respondétque nostris, *ex. per pro*; necnon τείνω, hoc est, *pertendo, protendo, extendo, intendo, porrigo*, à quo verbo Cosmographi spatium interiectum inter terræ superficiem, & concauum orbis Lunæ appellant τόνος, vt significet id quod in omnem partem se distendit, expandit, & quasi distorquet vt ad id loci quò cupit, & intendit, perueniat. Cui significationi valde concinunt sequentia, *à fine vsque ad finem*: quæ Adrianus Papa in scripto de imaginibus, tom. 3. Conciliorum, explicat; *à conuexo cælorum ad vsque terræ medium centrum*: ex quibus is de Christo resultat sensus, quem Nazianzeni versibus apprimè explices: Ambros. — August. — Sap. 8. 1. — Græc. Lect. — Iansen. — Adr. PP.

Quin etiam expandens sacrati corporis artus
In fines orbis, mortale ex finibus orbis
Collegit genus. ——

Ac si prophetico ore dixerit Salomon, Christum in cruce exaltatum, ad illuminandos, trahendósque ad se homines splendidiorem, atque speciosiorem

rem Sole esse, dum claritatis suæ radiis omnia pertingit, & charitatis suæ brachiis ad se omnes vndique trahit, porrigens, distendensque sese, vt non solùm à concauo orbis Lunæ vsque ad terræ superficiem, sed etiam à conuexo cœlorum, vsque ad medium terræ centrum pertingat, nec aliquis eum valeat effugere.

12. Psal. 138.7. Firmat hanc cogitationẽ Regius Vates Psal. 138. 7. inquiens: *Quò ibo à spiritu tuo? & quò à facie tua fugiam? Si ascendero in cœlum, tu illic es: si descendero in infernum, ades. Si sumpsero pennas meas diluculo & habitauero in extremis maris: etenim illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua.* Etenim Gregorio Nyss. orat. 1. de Resurrection. Domini auctore, crucis vim, atque efficacitatem præuidens Psaltes emphaticè prænunciauit, Christum in crucẽ exaltatum omnes vndique attracturum, vt nemo ab ipso quaquaversus diffugeret, se posset abscondere, crucis sublimitate, profunditate, latitudine versus omnem cœli, terræque plagam, marisque profunditatem, siue immensitatem pertingentibus, Christoque omnia subiicientibus. Sed suis ipsemet Nyssen. Nyssen. verbis loquatur: *Figurã hanc magnus etiã Dauid de se loquens expressit*: Quò ibo *inquit*, à spiritu tuo? & quò à facie tua fugiam? Si ascendero in cœlum, *hæc est sublimitas*, tu illic es: si descendero in infernum, *hoc est profundum*, ades. Si sumpsero pennas meas diluculo, *id est, ad ortum Solis, hæc est latitudo*: si habitauero in extremis maris, *sic enim occasum appellat, hæc est longitudo. Cernis crucis figuram quomodo describat? Tu es inquit, qui per omnia commeas, qui cuncta deuincis, qui in te ipso comprehendis vniuersa; tu supra es, tu es infra: in hac extrema parte manus dextera tua, in illa sinistra.* Ita Nyssen. ac si dixerit Vatis ore: nullus mihi relinquitur locus, quò à te in crucem exaltato possim diffugere.

13. Ad Hebr. 2.16. Certè quidquid alij contendant, id visus est asseruisse Paulus, cùm ad Hebræos 2.16. dixit: *Nusquam Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit.* Nam, vt sapienter, & magno iudicio inibi Ribera. adnotauit Ribera, cùm Paulus non de Filio Dei, vt sic, sed formaliter de Christo Deo, & homine sermonem faciat: Græcúmque verbum, ἐπιλαμβάνεται, & præsentis temporis sit, & propriè significet manus in rem iniicere, sicut iniiciunt qui pignora à debitoribus non soluentibus capiunt; aut peculiari vi, atque conatu tenere, siue apprehendere, vt cùm hominem fugientem apprehendimus, aut occasionem, quæ omni cursore fugacior est, tenemus, non tam videtur loqui Apostolus de natura humana potiùs, quàm de Angelica à Dei Filio assumpta, sed de benignissima Christi vi, qua in fugientes à se peccatores, tamquam in rem suam manus iniiciens, & quotidie apprehendens eos, ad se crucis suæ potestate, atque efficacitate trahit, atque reducit. Nec aliter quidem de hoc loco censet bene expensus Chrysost. Chrysostomus inquiens: *Cur autem non suscepit, sed vsus est hac dictione, apprehendit? A metaphora eorum, qui persequuntur auersos, & omnia faciunt, vt fugientes comprehendant, & resilientes apprehendant, ab ipso enim humanam naturam, & procul fugientem, longè enim eramus, persecutus comprehendit.* Quod si in hanc exaltationis Christi in crucem vim, crucisque efficacitatem, ipsumque attingentem à fine vsque ad finem, distendentemque sese, vt quocumque perueniat, quin ab ipso possit diffugere, qui in cœlum ascenderit, vel descenderit in profundum, siue qui sumptis pennis in extremis maris oris habitauerit, referas; vide quomodo, quamprimùm in crucem est exaltatus, sacratos artus vndequaque distendens, aufugientem à se, & quàm longissimè positum latronem apprehenderit, fugacémque

seruum ad se reduxerit, ipsomet Drogonis verbis, sermonè de Dominicæ Passion. Sacrament. sic Drogo. loquente: *Memento mei; cuius mei? mei, inquam, tam indigni, tam peccatoris: iniquitatem meam ego cognosco, & peccatum meum contra me est, confundor oculos meos ad te leuare: tibi soli peccaui: tu solus potes à peccato meo me mundare: malum contra te feci, cùm me tibi volui celare. latro sum animæ meæ, homicidium quidem feci; volui occultare, sed malum coram te feci, memento mei, miserere mei; meritò in hanc miseriam deueni, qui tuam beatitudinem deserui; diues eram, & ecce quàm pauper factus sum. De omni ligno Paradisi poteram comedere, & delectari, & ecce crucior, & morior in hoc ligno, memento mei, tui oblitus eram: sed tu cùm iratus fueris, misericordiæ memor eris:* Miserere mei secundum magnam misericordiam tuam. *Video in te magnam, & tuam, hoc est, competentem tibi misericordiam, quæ te mihi ad mei consimilem condescendere fecit miseriam: Ego digna factis recipio; tu autem quid fecisti? Video te mihi in pœna similem, quem in actu video tam dissimilem. Non potuisti me longiùs sequi. Vnde venisti? A summo cœlo egressus es, & de vtero Virginis, speciosus forma processisti, & mecum pendes in ligno.* Ita Drogo. Opportunè illud; *Non potuisti me longiùs sequi*: ac si dicat, nec ego longiùs potui aufugere, qui in cruce digna factis recipio: nec tu potuisti me longiùs sequi, qui in actu tam dissimilis, in crucis pœna factus es mihi similis.

14. Sed iam inquirat non nemo: cur qui aufugientem à se latronem reduxit, fugacem etiam seruum, ac proditorem Iudam non reuocauit? Sanè peculiare hoc exaltationis Christi in crucem priuilegium, fortiorémque, ac valentiorem, velut ex superiore loco, & ex munitissima arce, pugnandi modum fuisse crediderim; nec infelicissimum Iudam à Christo aufugientem apprehensum, quod ipse præ rabie, atque furore, quo ad interitum ruit, Christum in cruce in omnem partem, & à conuexo cœlorum ad vsque terræ centrum sese extendentem, & ad fugaces, resilientésq; seruos comprehendendos distendentem, expectare noluerit. Audi Leonem Magnum serm. 1. de Passione Domini: Leo Magn. *Ad hanc indulgentiam traditor Iudas peruenire non potuit, quoniam perditionis filius, cuius diabolus stabat à dextris, priùs in desperationem transijt, quàm Sacramentum Christus generalis redemptionis impleret. Nam mortuo pro omnibus impijs Domino, potuisset etiam fortè hic consequi remedium, si non festinasset ad laqueum.* Vnde elegantissimè de ipsius morte dixit Hilar. Canon. 32. in Mat. Hilar. sub eo temporis ictu miserrimo omnium fato euenisse, vt ipse nec ad mortuorũ resurrectionẽ nec ad viuorum pœnitentiam peruenerit. *Ita mortis Iudæ tempus* (inquit) *est comparatum, vt sub Passione Domini commotis inferis, supernisque omnibus reuulsis, & oblinione officij sui vniuersorum elementorum procuratione stupefacta, nec inter mortuos visitaretur, nec inter viuos post resurrectionem haberet pœnitentiæ facultatem.* Sic Hilar. Equidem felicissimam latronis à miserrima hac, & funestissima Iudæ sorte penè ad hunc modum discriminauit Ambros. serm. 44. inquiens: Ambros. *Plus ergo in cruce positus liuorem eius cernens latro diligit Deum. Mira res, plus in cruce latro Christum diligit, quàm Iudas dilexit in cœna: ille per cibum supplantauit Magistrum, hic credidit Domino per dolorem.* Nimirum ex superiore loco, & ex arce munitissima Christus iam pugnabat, & mundum Patri concilians, *cum lacrymis, & clamore valido exauditus est pro sua reuerentia*, ad Hebr. 5.7. Ad Hebr. 5.7. Vnde Leo Pontifex ser. 10. de Passione, cum hac crucifixi Christi eleuatione, ac corporis sublimitate mundi reconciliationem, latronisque conuersionem, & veniam sic opportunè coniunxit: *Cum ergo Dominus crucifixi*

corporis eleuatione sublimis reconciliationem mundi exequeretur in quadam arce supplicij, latronemque conuersum ad Paradisi vocaret habitaculum. Ita ille.

15. Quod si ad Scholasticæ subtilitatis calculos prædicta reuocare velis, nosseque quomodo Christus in cruce exaltatus peculiari ratione omnes ad se trahere dicatur, audi S.Thom. 3.p.q.48.art.1. ad 2. sic dicentem: *Christus à principio suæ conceptionis meruit nobis salutem æternam, sed ex parte nostra erant quædam impedimenta, quibus impediebamur consequi effectum præcedentium meritorum, unde ad remouendum illa impedimenta, oportuit Christum pati.* In quæ verba hæc habet Caietanus: *Meruit enim tollere, & culpam omnem, & pœnam tam naturæ nostræ, quàm singulorum membrorum suorum.* Ergo cùm ad Christum traheris, & ad ipsum siue per pœnitentiam reptando, siue per deuotionem eundo, siue currendo per temporalium rerum contemptum, siue per ardentem charitatem, qua tribulationibus delectaris, volando perueneris, crucis virtus, atque efficacitas obstantia tibi impedimenta remouet, dum summus Pater, à quo qui ad Christum veniunt, per gratiæ dona trahuntur, peculiaria hæc ad cupiditates vincendas, & difficultates superandas, auxilia ex vnigeniti Filij diuinis suis oculis acerbissima, & ignominiosissima crucis morte proposita largiri voluit. Vnde rursus S.Thom. eadem 3.p.q.46. art. 6. dum multis confirmare contendit, quàm fuerit expediens, vt crucis mortem tot acerbitatibus, & doloribus refertam Christus obierit, hanc refert inter alias rationem: *Quartò potest considerari magnitudo doloris Christi patientis, ex hoc quod passio illa, & dolor à Christo fuerunt assumpta voluntariè, propter finem liberationis hominum à peccato, & ideo tantam quantitatem doloris assumpsit, quæ esset proportionata magnitudini fructus, qui inde sequebatur.* Obserua illud, *tantam quantitatem doloris assumpsit, quæ esset proportionata*, &c. Quod non perinde est accipiendum, vt minor quæuis doloris quantitas, si pro humani generis redemptione, & pretio signatè à Christo appenderetur, & à Patre summo in pretium acceptaretur, fructui quantumlibet maximo, ex æquo, & merita proportione non responderet, imò satis, superq; esset, cùm à persona diuina infinitam dignitatem, ac meritum acciperet, sicuti & reapse, vt suprà citatus dicebat idem S.Thom. à principio suæ conceptionis meruit nobis Christus salutem æternam. Sed quod benignissimus, ac sapientissimus Pater, siue ad nimiam charitatem suam in nos ostendendam, nostramque inde spem in ipsum erigendam, siue ad peccati fœditatem quasi de facie demonstrandam, summeque terribiles in gehenna debitas illi pœnas viuacissimo penicillo in Christi cruciatibus, & morte nobis ob oculos proponendas, Filium sibi dilectissimum, immanissimos dolores, & atrocissimam mortem subire, & egregium salutis nostræ fructum huic crucis acerbitati, atque ignominiæ adscribere, & tetribuere, & in redemptionis pretium signatè acceptare voluerit, vt idemmet Angelicus Doctor sese explicasse videtur quodlib. 2. artic. 2. vbi cùm hunc in modum interrogasset, vtrùm alia passio Christi sine morte suffecisset ad redemptionem humani generis, ac pro parte affirmatiua Bernardum citasset dicentem, minimam guttam sanguinis Christi ad redemptionem humani generis satis, superque fuisse, & præfatam ex dignitate personæ Christi rationem adduxisset, sic demum concludit: *Respondeo dicendum, quod ad emptionem duo requiruntur, scilicet, quantitas pretij, & deputatio eius ad aliquid emendum: si enim aliquis det pretium, non æquiualens ad rem aliquã acquirendam, non dicitur esse simpliciter emptio, sed partim emptio, partim donatio, putà, si aliquis emat librum, qui valet viginti libras, pro decem libris, partim emeret librum, & partim sibi daretur. Rursus, si daret etiam maius pretium, & non deputaret ad emendum, non diceretur emere librum. Si ergo loquamur de redemptione humani generis, quantum ad quantitatem pretij, sic quælibet passio Christi etiam sine morte sufficisset ad redemptionem humani generis propter infinitam dignitatem personæ, & sic procedunt duæ vltimæ rationes: si autem loquamur quantũ ad deputationem pretij, sic dicẽdum est, quod non sunt deputatæ ad redemptionẽ humani generis à Deo Patre, & Christo aliæ passiones Christi absque morte.* Qua quidem ratione ductus totum humanæ redemptionis negotium, atque momentum ad vltimam capitis Christi in cruce inclinationem sic retulit Bernard. hom. 3. de duobus discip. euntibus Emaus, ad finem operum: *Cùm adhuc tamen in cruce erectus staret, vacillare videbatur statera, nec plenè cognoscebatur, quà cadere deberet: cùm inclinato capite emisit spiritum, tunc calamitas præponderando cadens, quasi arena maris hæc grauior apparuit, gentes quasi momentum stateræ reputatæ sunt, nàm in statera ceciderunt, quia partes aduersæ damnationis nostræ chirographum amiserunt.* Hæc Bernardus.

S.Thom. — Caiet. — S.Thom. — Idem. — Bernard.

Vnde quidem videris vbertatem fructus nostræ redemptionis, liberationem hominum à peccato, charitatem Dei diffusam in cordibus nostris, eximiam seruorum Christi iustitiam, & sanctitatem, ac penè incredibilem asseclarum eius multitudinem, ad Passionis acerbitatem, crucisque ignominiam singillatim referri. 16. Ita Isai. 53. 5. de sanitate vulneribus nostris allata: *attritus est* (velut in pistrinum detrusus, & mola trusatili vsque ad puluerem comminutus) *propter scelera nostra, & liuore eius sanati sumus*: similiter de reconciliatione cum Deo, & solutione pro peccatis nostris, Paulus ad Coloss. 1. 19. *Pacificans per sanguinem crucis eius, siue quæ in cœlo siue quæ in terra.* & c. 2. 14. *Delens quod aduersus nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, & ipsum tulit de medio, affigens illud cruci, & expolians Principatus, & Potestates, traduxit confidenter.* Subinde verò Isaias versu 8. de gentium multitudine ad ipsum conuolante: *Generationem eius quis enarrabit? quoniam abscissus est de terra viuentium?* Quæ ipsemet Dominus explicasse videtur apud Ioan. 12. 24. cùm inquit: *nisi granum frumenti cadens in terram, mortuum fuerit, ipsum solum manet, si autem mortuum fuerit, multum fructum* (vbi Syriacus non sine emphasi, *fructus multos*) *affert.* Vbi videndus Card. Tolet. Quare rursus Isaias vers. 10. iam de felicissimo huius grani prouentu, quàm de cœlestis pluuiæ incremento segeti ad crescendum dato: *Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longæuum, & voluntas Domini in manu eius dirigetur.* Vbi ex Hebræo Pagninus, *& voluntas Domini per manum eius prosperabitur.* Quò faciunt ea Pauli verba ad Hebr. 2. 18. *In eo enim, in quo passus est ipse, & tentatus, potens est eis, qui tentãtur auxiliari:* clariùs Lectio Syriaca *ex hoc enim, quod ipse perpessus est, & tentatus, potest & ijs opem ferre, qui tentãtur,*) & quæ sequuntur in Isaia, vers. 12. *Ideo dispertiam ei plurimos, & fortium diuidet spolia pro eo, quod tradidit in mortem animam suam, & cum sceleratis reputatus est.* Sed enim eximiam Christianæ Ecclesiæ munditiem, purissimumque splendorem cruci, ac morti, sic adsignauit Apostolus ad Ephes. cap. 5. 26. *Christus dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro eã, vt exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiã, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid huiusmodi, sed vt sit sancta, & immaculata.* Adhæc Passionis Christi magnitudinem frequentiùs nobis ob oculos proponit Paulus, vt singularem in nobis erga Deum confidentiam excitet: sic enim ad Romanos 8. 32.

Isai. 53. 5. — Ad Coloss. 1. 19 & 2. 14 — Isai. 53. 8. — Ioan. 12. 24. — Lect. Syr. — Card. Tol. — Isai 53 10. — Pagnin. — Ad Hebr. 2. 18. — Lect. Syr. — Isai. 53. 12. — Ad Ephes. 5. 26. — Ad Rom. 8. 32.

Qui proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non etiam cum illo omnia nobis donauit? Vnde quidem ipse egregia hac spe erectus, minimè dubitans Deum sibi potentissimis auxiliis affuturum, omnes statim creaturas ad singulare certamen prouocat, atque lacessit. Similiter ad Heb. 4. 15. cùm dixisset: *Non enim habemus Pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris, tentatum autem per omnia:* subiicit, *adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiæ.* & cap. 9. 13. *Si enim sanguis hircorum, & taurorum, & cinis vitulæ aspersus inquinatos sanctificat, ad emundationem carnis, quanto magis sanguis Christi, qui per Spiritum sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, emundabit conscientiam nostram?* & c. 10. 19. *Habentes fiduciam in sanguine Christi,* &c. Sed hæc alibi propriam sedem habent.

Ad Hebr. 4. 15. — Ad Hebr. 9. 13. — Ad Hebr. 10. 19.

17. Oritur ex præcedenti alia ratio, ob quam in crucem Christus exaltari voluerit: nempe, vt ipsa velut in regio throno totius orbis terrarum possessionem acciperet. Sanè pro ipsius meritis, & in humanum genus charitate iure dixeris,

Æstuat is felix angusto limine mundi.

Sed enim, *vt sanctificaret per suum sanguinem populum, extra portam passus est,* ad Hebr. 13. 12. quod angusta sibi frequentissima vrbs, quæuisve mundi portio videretur, dum pro vniuerso hominum genere mortem subiens totum sibi terrarum orbem subiicere parabat. *Vt crux Christi* (sic Leo Magnus serm. 8. de Passione cap. 6.) *non templi esset ara, sed mundi.* Quare disertissimè Habac. in cantico vers. 6. post verba non semel adducta: *Cornua in manibus eius, ibi abscondita est fortitudo eius,* subiiciens, *stetit, & mensus est terrã;* pulchrè omnino: sumpta enim videtur imago, vt inibi eruditè obseruat Ribera, à victoribus, qui terram victoria sua partam considerant, atque metiuntur. Quare subdit Vates, *aspexit, & dissoluit gentes, & contriti sunt montes sæculi.* & statim, *incuruati sunt montes mundi ab itineribus æternitatis eius.* Quò respexit Lactantius lib. 4. diuin. institut. cap. 29. inquiens: *Ad hoc enim Christus brachia sua in cruce extendit, orbem quodammodo dimensus, vt iam ex tunc ostenderet, ab ortu Solis vsque ad occasum ingentem populum ex omnibus linguis, & tribubus congregatum, sub alas suas esse venturum.* Etenim, vt Hieronym. (siue verus, siue putatus) in c. 15. Marci ait, *ipsa species crucis, quid est nisi forma quadrata mundi?* & Nyssenus citata orat. 1. in Resurr. *Cœlum suspice, & partes infimas animo complectere, extremosque, ac summos orbis terminos cogitatione comprehende, atque considera, quanam potentia tamquam vniuersitatis vinculum hæc omnia deuinciat, atque contineat, videbisque sponte sua crucis figuram exprimi à superis ad infima, ab extremis ad extrema protensam, atque descriptam.* Vt in ipsa quidem tamquam in regio throno, orbem siue manibus complectens, siue pedibus suis subiiciens, sibi subditum Dominus habere videatur. Ita Sedulius pulchro apud Bedam in cap. 23. Lucæ carmine:

Ad Hebr. 13. 12. — Leo Mag. — Habac. 3. 6. — Ribera. — Lactant. — Hieron. — Nyssen. — Sedulius. Beda.

Neve quis ignoret speciem Crucis esse colendam,
Quæ Dominum portauit ouans ratione potenti,
Quattuor inde plagas quadrati colligit orbis.
Splendidus auctoris de vertice fulget Eous,
Occiduo sacra labuntur sydera planta,
Arcton dextra tenet, medium læua erigit axem,
Cunctaque de membris viuit natura creantis,
Et Cruce complexum Christus regit vndique mũdum.

Vnde Germanus Patriarcha Constantinop. præfata orat. in exalt. S. Crucis, apud Gretserum lib. 1. de Cruce, in ipso Christi in crucem ascensu, & illius in vniuersi orbis Regem exaltationem, & mali dæmonis, qui princeps huius mundi dicebatur, pristina sede relicta depulsionem, & deiectionem, sic opportunè meditatur: *Rex in thronum regalem Crucis conscendit, vt princeps mundi extra suum imperium eiiciatur, & vt tyrannus pedibus subiiciatur, vt non amplius mundi princeps appelletur Christo iam crucifixo, qui ait:* Data est mihi omnis potestas (*Matt.* 28. 18.) in cœlo, & in terra. Sic Germanus. Ad cuius gustũ Magnus Leo ser. 8. de Passione, cùm primùm Christus in Cruce, quasi ad fines orbis sibi apprehẽdendos, sibique subiiciendos manus extendit, totum ipsi mundum deuotè, ac fideliter annuisse, sic pulchrè considerat: *O admirabilis potentia Crucis! ô ineffabilis gloria Passionis! In qua tribunal Domini, & iudicium mundi, & potestas est crucifixi. Traxisti enim Domine omnia ad te, & cùm expandisses tota die manus tuas ad populum non credentem tibi, confitendæ maiestatis tuæ sensum totus mundus accepit.* Hæc Leo. Vt hinc videris, quàm opportunè Christus tacendo, & in Cruce persistendo responderit iis, qui impiè, & importunè ingerebant: *Si Rex Israël est, descendat nunc de cruce, & credimus ei,* Matth. 27. 42. Nimirum, ipse non Israël modò, sed mundi totius regnum in cruce persistens obtinebat; atque ideo non id signum, quo Rex Israël cognosceretur, sed eum signorum ac prodigiorum aceruum, quibus cœli terræque Princeps innotesceret, exhibere debuit. Ita Hilarius Can. 33. in Matth. *Non erat difficile de cruce descendere, sed maiora opera in cruce positus agebat, totius commotione naturæ.* Sic ille.

Germanus. — Matt. 28. 18. — Leo Mag. — Matt. 27. 42. — Hilar.

En rursus Christi hostes vehementer errantes, & sese immaniter decipientes, cùm ad inuicem dicebant: *Venite, mittamus lignum in panem eius, & eradamus eum de terra viuentium & nomen eius non memoretur amplius.* Porrò, si attendis, duplici illi de causa Christum in crucem agere moliti sunt: altera, quæ illos reapse stimulabat; altera, quam velut velamentum Iudici obtendebant, nimirum, obtrudebant Præsidi: *Hunc inuenimus subuertentem gentem nostram, & prohibentem tributa dare Cæsari, & dicentem se Christum Regem esse,* Lucæ 23. 2. & Ioan. 19. 12. *Si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris; omnis enim, qui se Regem facit, contradicit Cæsari.* Quid? adeòne illi in Cæsares, & Romanos Principes proni erant, vt ipsorum vectigalia iura tueri vellent? Non opinor: sed ea ipsorum lateri lethalis hærebat arũdo, quod Dei ipse opera exhiberet, verique, ac naturalis Filij Dei specimen daret. Sic enim Ioan. 5. 18. *Propterea ergo magis quærebant eum Iudæi interficere, quia non solum soluebat Sabbatum sed & Patrem suum dicebat Deum, æqualem se faciens Deo.* Vnde S. Leo serm. 10. de Passione, sic pulchrè cum Præside agit: *Verumtamen ne in totum inanis videatur Iudæorum obiectio, discute diligentiùs Præses, quid de Domini Iesu operibus notum sit, quid de potestate compertum. Cæcis visum, surdis auditum, claudis gressum, mutis donauit eloquium: febres abegit, dolores resoluit, dæmonia eiecit, mortuos viuificauit, mari, & ventis, vt quiescerent, imperauit. Magnum prorsus Regem ista demonstrant, qui non humana excellit potentia, sed virtute diuina. Hanc ergo Iudæi obiiciant potestatem, commutent actionem suam, & hoc proferant ore, quod tenent corde. Quare de terrenis calumniantur, qui cœlestia persequuntur?* Ergo, vt non modò terrenum, sed cœleste potiùs ei regnum extorqueant, illum cruci suffigunt: & dum in eam tollunt, videor mihi audire illos dicentes: fefellit te omnino spes tua, adeòque ex animi sententia res non processit, vt pro exaltatione in regium solium, atque tribunal, in infamem crucem extolleris. Sed ô cæca pectora! ô dementes, & insanos! In crucem eleuatur Christus, sed eleuatur quidem, vt exaltetur, atque vt verus terræ cœlique Rex omnem

18. — Luc. 23. 2. — Ioan. 19. 12. — Ioan. 5. 18. — S. Leo.

Vella z q. in Epist. ad Philippens.

Pp 2 potestatem

potestatē in cœlo,& in terra accipiat;& in nomine ipsius, *omne genu flectatur cœlestium terrestrium,& infernorum*, *& omnis lingua confiteatur, quod Dominus Iesus Christus in gloria est Dei Patris*, (siue vt Græca habent, *quia Iesus Christus est Dominus*) hoc est, qui rerum omnium, siue terrestrium, siue cœlestium omnimodis potitur, easq; moderatur ac regit: *& hoc ad gloria Patris*, infrà vers. 10. & 11. Vestrum et Præsidem consulite, qui postquam impiis vestris vocibus exagitatus Christum neci addixisset, quasi stimulis conscientiæ confossus,& se ipsum retractans, Cruci titulum: *Hic est Iesus Rex Iudæorum*, Matt. 27. 37. Syriacè, *Hic est Iesus Rex ille Iudæorum*, tribus linguis, Hebraicè, Græcè, & Latinè, scriptum, Ioan. 19. 19. de industria supposuit. Et meritò quidem, inquit Ambros. lib. 10. in cap. 23. Luc. *quia licèt in cruce erat Dominus Iesus, supra crucem tamen Regis maiestate radiabat.* Vnde de Pilato Chrysost. hom. 48. in Ioan. *Tamquam trophæo cuidam literas insculpsit, clara voce,& victoriam,& Regem profitentes.* Iam verò cùm vosmet hoc Præsidis mucrone pūcti callidè ipsi suggereretis: *Noli scribere, Rex Iudæorum*: Syriacè, *Rex ille Iudæorum, sed quia ipse dixit, Rex sum Iudæorum*, vestras fraudes deludens Pilatus, in eadem sententia sapienter persistens respondit: *Quod scripsi, scripsi.* Ioan. 19. 21. Vt qui priùs à vobis atrociter deceptus, Christum vt Regem fictum vestris labiis damnauerat propria subinde,& omnium gētium lingua verum, vniuersalemque Regem confiteretur, eique genu flecteret. Ita Hieron. in c. 27. Matth. *Pilatus etiam nolentibus respondit*: Quod scripsi, scripsi. *Velitis, nolitis Iudæi, omnis vobis gentium turba respondit: Iesus Rex Iudæorum est, hoc est, imperator credentium,& confitentium.* Sed Aug. dum floridè hoc argumentum millies versat, sic ait in Psal. 57. *In titulo, vbi scriptum erat*, Rex Iudæorum, *posito super crucem Domini linguis tribus, Hebraica, Græca,& Latina, nouerat dicere Iudex homo*: Quod scripsi, scripsi; *& Deus non nouerat dicere*: Quod scripsi, scripsi? *Prorsus Rex vester est. Viuus Rex vester est; occisus Rex vester est. Ecce resurrexit, & in cælo Rex vester est. Ecce venturus est: væ vobis, quia Rex vester est.* Ita ibi, & in præfatione Psal. 58. *Nam cùm Dominus crucifigeretur, titulus inscriptus est à Pilato, & positus*, Rex Iudæorum *tribus linguis, Hebræa, Græca, & Latina, quæ linguæ toto orbe maximè excellunt. Igitur si Rex Iudæorum crucifixus est, & Iudæi Regem suum crucifixerunt; crucifigendo eum etiam Regem gentium fecerunt magis, quàm occiderunt.* Sic August.

[Margin: Ad Philip. 2.10.& 11. — Mat. 27.37. — Ioan. 19.19. — Ambros. — Chrysost. — Ioan. 19.21. — Hieron. — August.]

19. Et verò in Pilato cætera improbo, & in Felice non possum non laudare, quàm altè in mente retineret, quod à Christo cùm illum interrogasset: *Tu es Rex Iudæorum?* ex illis verbis didicerat, *Tu dicis*, Ioan. 18. 37. Iis enim Dominus Gentilem hominem ab Hebræo Pontifice signatissimè discriminauit; huic siquidem non multo antè eandem illi interrogationem facienti non tu dicis, sed, *tu dixisti*, Matth. 26. 64. respondit, vt argumento esset, Iudæos ex vaticiniis ipsum agnouisse, & expectasse: sed præsentem non recepisse; Gentiles verò, qui eum priùs non nouerant, sic postea recepturos,& retenturos, vt in hac regni Christi confessione firmi, atque immobiles æternùm persisterent: vti id elegāter adnotauit Hilarius Can. 32. in Matth. ad hunc modum. *Sed quàm diuersus sermo est, qui fuerat ad Sacerdotem! Illi enim quærenti an ipse Christus esset, dixerat*: Tu dixisti. *Hoc ideo, quia lex omnis venturum Christum prædicauerat, respondetur tamquam de præteritis Sacerdoti, quia semper venturum Christum ex lege ipse didicisset: huic verò legis ignaro, interrogāti, an ipse esset Rex Iudæorū, dictum*: Tu dicis; *quia per fidē præsentis confessionis salus gentium est, & quod hoc de se ille, qui antea ignorabat loquatur, quod hi negent, qui antea loquebantur.* Ita ille.

[Margin: Ioan. 18. 37. — Mat. 26.64. — Hilar.]

Hac quidem mente imbutus S. Cyrillus Alexand. lib. 12. in Ioan. cap. 30. crucis titulum cum verbis Pauli, *in nomine Iesu omne genu flectatur, & omnis lingua confiteatur*,&c. sic componit: *Diuinitus, vt ego puto, factum est, vt trium linguarum, quæ præcipuæ sunt, literis scriptus titulus fuerit; omnium enim gentium regnum Christo attributum esse significatur.* Ipsi enim *(inquit Daniel)* honor, & regnum datum est, & omnes tribus, & linguæ ipsi seruient. *Et vt Paulus ait*, omne genu flectetur, cœlestium, terrestrium,& infernorum, & omnis lingua confitebitur, quia Dominus noster Iesus Christus in gloria est Dei Patris. *Titulus igitur iste per præcipuas linguas omnium linguarum, Iesum futurum Principem prædicabat,& impietatis crimine Iudæos arguebat, magna eorum voce, qui legebant, conclamans, quod Dominum Regemque suum crucifixerunt.* Hactenus Cyril. Consentanea habet Cyprianus in Symbol. premens sub hoc sensu sæpius adducta Pauli verba ad Ephes. 3. 18. *Vt possitis comprehendere cum omnibus sanctis, quæ sit latitudo,& longitudo,& sublimitas, & profundum*; vt pro triplici mensura crucis, sublimi, lata, atque profunda, tria regna, cœleste, scilicet, terrenum, atque inferorum, sibi in crucem actus subiugaret, & qui ab impiis, & incredulis, vt fictus Princeps ludibrio in cruce habebatur, in ipsa cœli terræque potestatem acciperet,& siue à cœlestibus incolis, siue ab hominibus,& terris spiritibus, vt verus Deus adoraretur. Audi: *Docet Apostolus Paulus, illuminatos debere esse oculos cordis nostri, ad intelligendum, quæ sit altitudo, latitudo, & profundum: altitudo ergo, latitudo, & profundum descriptio crucis est. Vnde sciendum est, quod crux ista triumphus erat; triumphi enim insigne est trophæum, trophæum autem deuicti hostis indicium est. Quia ergo adueniens Christus sicut Apostolus dicit, tria pariter sibi regna subiicit, hoc enim indicat vbi ait, quia* in nomine Iesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium,& infernorum, *& hæc omnia sua morte vincebat, conuenienti mysterio mors quæsita est, vt in aërem sublimatus, & aëreas subiugans potestates, victoriam de his supernis, & cœlestibus traheret; expansas autem manus tota die (sicut sanctus Propheta dicit) tenderet ad populum incredibilem, qui est in terra, vt incredulos contestaretur, & inuitaret credentes; ea verò parte, quæ sub terram demergitur, inferna sibi regna subiiceret.* Hæc,& alia non minus apposita Cyprianus ibi; sed illud videtur opportunissimū, quod in hanc rem adnotauit Ambr. in Psal. 45. Dominū tamquam verum Regem, qui terram sibi in cruce subiugasset, magnam illam dedisse vocem, vt ad eius iam nutum ab antiquis sedibus dimota, sese illi totam subiiceret. *Dedit* (inquit) *in Passione vocē suam Dominus, & vniuersa elementa tremuerunt, omnis terra commota est, vt ritus ille gentium solueretur, fieretque terra Domini, & plenitudo eius, sicut scriptum est.* Nec minus eleganter obseruat præfato ser. 8. de Passione, Leo, omnes tunc cœli, terræque creaturas adeò reuerēter Christi maiestatem, regnum, atque diuinitatem fuisse testatas, vt in eius hostes tamquam in læsæ maiestatis reos vnā protulerint sententiam,& eorū vsibus, quippe qui ad mortem dānati, lucis, aëris, terræq; vsura erant indignissimi; sese cōsultissima ratione denegauerint. *Traxisti* (inquit) *Domine omnia ad te, cùm in execrationem Iudaici sceleris vnam protulerunt omnia elementa sententiam, cùm obscuratis luminaribus cæli, & conuerso in noctem die, terra quoque motibus quateretur insolitis, vniuersaque creatura impiorū vsui se negaret.* Vt videas quàm cæca hostium Christi malitia fuerit, dum illum ad mortem,& perpetuum dedecus dānantes,& ipsum in

[Margin: 20. Cyr Alex. — Dan. 7.14. — Cyprian. — Ad Ephes. 3.18. — Ambros. — S. Leo.]

in Regem cœlitibus, hominibus, & infernis spiritibus colendum, adorandumque exaltauere, & in semetipsos mortis, æternæque infamiæ irreuocabilem protulere sententiam.

21. Sed quàm certo fidelique intuitu hæc omnia præuidebat, & vt præsentia sibi intuebatur Psaltes, cùm Psal. 7. 6. Dei Filium ad crucem conscendendam sic blandè allicere studebat? *Exurge Domine in ira tua: exaltare in finibus inimicorum meorum.* Pende singula; & in primis pro, *in finibus inimicorum meorum*, in Biblia Regia, & Complutensi cum Agellio verbum, *Exurge*; sic enim ipse: *Sic autem dicit,* Exurge, *quasi prius remissus iaceret, cùm inimici illius superiores essent.* Quod quidem iis contumeliis, atque iniuriis, quæ Christo ante exaltationem in crucem illatæ fuerunt, accommodatissimum est: tunc enim in Christum eius inimici omnino præualuisse videbantur. Quare non sine emphasi, & energia Vates, *Exurge*, inquit, *& exaltare*; ac si dicat: crucem ascende, & sublimis statim, atque conspicuus omnium Princeps apparebis, crucisque tuæ fines ita inimicorum tuorum fines, & terminos occupabunt, vt nullus ex illis possit effugere, quin omnes sese tuæ ditioni subdant. Iam huius exaltationis commentarium accipe ex Aug. ibi dicente: *Fines dixit ipsam possessionem, vbi vult Deum exaltari potiùs, id est honorari, & glorificari, quàm diabolum, dum impij iustificantur, & laudant Deum.* Et postmodum premens Psalmi titulum, *pro verbis Chusi*, quem ipse sic interpretatur, vt *Chusi* idem sit, ac silentium; sic arcano sensu hæc elucidat: *Exurge Domine in ira tua, & exaltare in finibus inimicorum meorum: id est, exurge in ira tua, & non te intelligant inimici mei: vt hoc sit exaltare, id est, altus efficere, ne intelligaris, quod refertur ad illud silentium; sic enim de hac exaltatione in alio Psalmo dicitur:* Et ascẽdit super Cherubim, & volauit, & posuit tenebras latibulum suum. *Qua exaltatione, id est, occultatione, cùm te merito peccatorum non intellexerint, qui te crucifigent, congregatio credentium circumdabit te. Ipsa enim humilitate exaltatus est, id est, non est intellectus.* & post pauca: *Cùm appares humilis, altus esto, vt non intelligant inimici.* & statim: *Et congregatio populorum circumdabit te, id est, per hoc ipsum, quod te non intelligunt, qui te crucifigent, credent in te gentes.* Pulchrè, ac si ex mente Vatis dixerit: exurge Domine, & exaltare in silentio in crucem tuam, vt artes, & machinamenta inimicorum tuorum mirificè deludas; tunc enim finium terræ, rerumque omnium potieris, ac dominaberis. Vnde Bernard. serm. 6. in Vigilia Natiuitat. componens Synagogam cum turpi illa, sæuaque meretrice, quæ eum, quem filium suum esse dicebat, crudeliter apud Salomonem ad necem postulabat, nec veræ matri dari permittebat, inquiens: *Nec mihi, nec tibi sit, sed diuidatur*, 3. Reg. 3. 26. sic eam scitè carpit: *Excussisti eum de sinu tuo extra ciuitatem eyciens, & eleuatus super terram tamquam dicens Ecclesia gentium pariter, Ecclesia primitiuorum, quæ est in cœlis:* Nec mihi, nec vobis sit, sed diuidatur. *Diuidatur, inquam, non inter vtrasque, sed ab vtrisque. Expulsum enim, & exaltatum, & eleuatum, & quidem modicè satis, tamen vt nec in tuis esset manibus, nec in terra, ferro vndique coarctasti: ne fortè hac, vel illac excideret, vt videlicet à te separatus, ad neutram perueniret illarum; sæua, nimirum, matertera, abortiuum facere voluisti, dum non esset, qui excipere posset excussum. Age ergo, quid profeceris, intuere, vndique enim egrediuntur filiæ Sion, vt videant Regem Salomonem in diademate, quo coronasti eum. Relinquens matrem, adhæret vxori suæ, vt sint duo in carne vna: & ciuitate pulsus, atque leuatus à terra, omnia trahit ad se, quippe qui est super omnia benedictus Deus in sæcula.* Ita Bernardus.

Psalm. 7. 6.

Bibl. Regia. Bibl. Compl. Agell.

3. Reg. 3. 26.

Bernard.

Hæc nos de cruce modò dixisse sit satis, nouas subinde, & efficaciores rationes, ob quas Christus eam subierit, adnotat. 5. & 6. allaturos. Vt enim iugiter ferenda crux sit, at vt ipsam lectori faciliorem reddamus, & suo ordine priora huius versus verba peculiari adnotatione donemus, crucis onus tantisper deponere, siue intermittere opportunum videtur. 22.

ADNOTATIO III.

Quàm spontanea voluntate, quanta alacritate, & gaudio pro nobis Dominus Passionem, mortémque subierit.

MVLTÆ quidem extitere rationes, ob quas Iudæ proditoris iniquitas inuenta fuerit ad odium: sed ea inter alias ipsum maximè premit, quod cæterà impius, atque inhumanus, de Christi in humanum genus bonitate, & charitate, tam inurbanè sensit, tam malignè præsumpsit, vt quasi ille inuitus, & non potiùs per proprios pedes ad mortem iturus esset, firmissimis sponsionis, atque pacti conuenti vinculis eius traditionem perficere studuerit, sic id referente Luca c. 22. 3. *Et abijt, & locutus est cum Principibus Sacerdotum, & magistratibus, quemadmodum illum traderet eis; & gauisi sunt, & pacti sunt pecuniam illi dare, & spopondit.* Vides quanta cura Iuris ciuilis solemnitatem obseruauerit? quàm securis hinc inde sponsionibus contractum perfecerit? quàm strictè Dominum, pro cuius ille sanguine spondebat, ad mortem obligatum iri vellet? Audi subinde, quid nefariis satellitibus, dum Christum comprehensum ibant, dixerit apud Marcum c. 14. 44. *Quemcumque osculatus fuero, ipse est, tenete eum, & ducite cautè.* Demens, qui amoris signo inuitum teneri vis: dementior, qui cautè, ne elaberetur, eum ducendum admones, à quo ipsemet audieras: *baptismo habeo baptizari, & quomodo coarctor vsque dum perficiatur?* (siue vt legit Irenæus lib. 1. c. 8. *& valde propero ad illud*,) Lucæ 12. 50. Quibus manifestè indicauit, tam sibi in votis, atque deliciis mortem esse; tamque à suamet bonitate, & desiderio ad eam constrictum se esse, vt nimis iam sibi angustum corporis, venarumque domicilium proprio sanguine videretur, atque ideo non secus, ac ea, quæ arctantur, atque in angustum rediguntur, exitum anxiè, & percupidè peroptare. *Valde* (inquit) *propero ad illud*: hoc est, non lento, sed concito gradu pergo, nec ambulo, sed propero, & curro. Quid igitur tu perfide stimulos, & calcaria admouere conaris? O peccatum irremissibile, sine venia indignum! ô blasphemiam in Spiritum sanctum! Audi Origenem tract. 35. in Matth. *Et vide quo modo, quod scriptum est*, vos autem sicut homines moriemini, & sicut vnus de Principibus cadetis, *refertur modò ad illum Principem, qui cecidit tamquam fulgur de cœlo: modò ad Iudam, qui electus ad principatum Apostolatus, & quasi in cœlo constitutus, & ipse quasi fulgur antè constitutus, cecidit in proditionis ruina, vadens aduersus vnum Principem Sacerdotum, qui in æternum factus fuerat Sacerdos secundum ordinem Melchisedech, ad multos Principes Sacerdotum, & aduersarios vnius Sacerdotis summi, vt venderet pretio, volentem redimere totum mundum à maledictione legis, & totius peccati, & redimere nos non corruptibilibus pecunijs, sed sanguine suo.* Hæc Origen. Bene illud, *vt venderet pretio, volentem redimere totum mũdum sanguine suo.* En Iudæ ruinæ infamiam, qui Dei Filium ad mortis suæ baptismum valde properantẽ, pretio diuendebat, & inuitũ vi cautionis, &

1.

Luc. 22. 3.

Mat. 14. 44.

Luc. 12. 50.

Origen.

malis artibus ad necem pertrahere curabat. Adeò malignè, atque peruersè de illius benignitate, & effusa in homines liberalitate sentiebat. Quare, si aduertis, in imperfecta illa, & mutila pœnitentia, quam moliebatur, eò totus ipsius conatus, ac mens ibat, vt pretio Principibus Sacerdotum reddito contractum rescinderet, vt licèt ipse necis Christi reus haberetur, at ipsum diuendisse, & super eius sanguinem vltrò sese è venis diffundentem contractum, ac sponsionem perfecisse, dici non posset: opportunè id (S. Maxim.) S. Maximo Taurinens. hom. 2. *de accusato, & iudicato Domino*, sic adnotante: *Referens enim Iudas Dominici sanguinis pretium, ait Iudas*: Peccaui, (Matt. 27.4.) quod tradiderim sanguinem innocentem. *Magnum igitur Dominicæ innocentiæ testimonium est, dum accusator eius, & confitetur de scelere, & reus est de mercede; dum enim miser refudit venditionis pretium, putat se facinoris sui soluere posse contractum.* Sic Maximus. Sanè, ac si id illum maximè pungeret, atque morderet, quod adeò inciuiliter, atque inurbanè de Christi animo ad mortem subeundam promptissimo præsumpsisset.

2. Sed deinde peculiarem in hanc rem emphasim habent obscura illa ipsiusmet Assertoris ad eundem proditorem verba, apud Ioan. 13. 27. (Ioan. 13. 27.) *Quod facis, fac citius*: iis enim tam illius animum in cædem Magistri furentem, ac traditionem perficere festinantem, quàm sui ipsiusmet moriendi votum, Iudæ desiderio multo ardentius manifestè indicauit. Vnde ad hæc verba sic inquit Bernard. (Bernard.) serm. 3. in Cœna Domini: *Domine Iesu vita mea, decus Angelorum, quantum eos diligebas, pro quibus mori cupiebas? nobis vitam, tibi mortem adfectabas. Sedulò considerate, quantum est diligendus, qui se tradentem ad mortem, sic hortabatur.* At enimverò, quod non mediocris horum verborũ difficultas esse creditur, cùm Christus necem suam (id inibi adnotante Chrysost. (Chrysost.) homil. 71. in Ioan.) aut Iudæ præcipere, aut de ea ipsi consilium, aut hortamentum dare nullomodo dicendus sit; sic videntur esse capienda, ac si Christus cum proditore de mortis suæ voto, ac celeritate contendens, illustri eum victoria superare, antecellereque videatur. Vnde ad id loci Origenes (Origen.) in Catena S. Thom. *Cui autem id ambiguum est, quod potuit vel Iudæ, vel Satanæ Dominus dixisse*: Quod facis, fac citiùs? *prouocans aduersarium ad pugnam, vel proditorem ad subministrandum dispensationi, quæ erat futura salubris sæculo, quam non amplius tardari, nec protrahi, sed pro posse maturari volebat.* Sed vt hæc vndequaque subsistant, obserua, Iudæ scelus ab eo die, quo Principes Sacerdotum *cogitauerunt vt interficerent Iesum, dicentes: Quid facimus, quia hic homo multa signa facit?* (Ioan. 11. 47.) Ioan. 11. 47. ortum duxisse; ipse enim eam hostium Christi de ipsius morte festinationem ad exitum perducere voluisse videtur, illis subinde suggerens: *Quid vultis mihi dare, & ego eum vobis tradam?* (Matt. 26. 15.) Matth. 26. 15. Ergo emphaticæ illi de morte quantocyùs Christo inferenda locutioni: *Quid facimus?* hæc Christi ad Iudam, vt necis suæ proxenetam, & artificem, verba respondent: *Quod facis, fac citius*; ac si dixerit: ne mortem te meam accelerare posse existimes, cùm ad ipsam egomet per proprios pedes eam; tibique, & aliis hostibus meis in hoc certamine, ac cursu currendi celeritate antecellam: vnde quod vos citò facere, citiùs ego fieri ardentet exopto.

3. Hinc acutè obseruatum à Gaudentio Brixiensi tractatu 5. de lectione Exod. quod quamuis reliquæ Agni paschalis ceremoniæ imperatiuo modo à Deo fuerint præscriptæ; at Agni mors, mutato à sacro scriptore stylo, non vt imperata, sed vt prædicta in futuro tempore fuerit conscripta. Sic enim Exod. 12. 3. (Exod. 12. 3.) *Decima die mensis huius tollat vnusquisque Agnum per familias, & domos suas.* & post pauca, *immolabitque eum vniuersa multitudo filiorum Israel ad vesperam.* (siue vt LXX. (Lxx.) habent, *occident illum omne vulgus Synagogæ filiorum Israel.*) In quæ verba ita Gaudentius (Gaudent.): *Nec illud otiosum putes, quod cum superius imperatiuo modo dictum fuerit*, sumant oues per domos, *infra indicatiuo modo pronuncietur*: occident eum omnis multitudo Synagogæ filiorum Israel. *Occident, aut, non occidant: Synagoga quippe Iudæorum quod erat crudeliter factura prædictum est, non vt fieret iussum est; nec ideo factum est, quia prædictum erat, sed ideo prædictum est, quia erat futurum.* Ita Gaudentius. Quod licet eò potissimum eat, vt Christi mors permissa à Deo, non præscripta Synagogæ dicatur: at id etiam confirmat, Assertorem nostrum nulla externa vrgente necessitate, sed spontanea voluntate semetipsum morti tradidisse. Persimilis huic quidem Anastasij Synaitæ consideratio est lib. 1. Anagog. Contemp. in Hexamer. ad verba Moysis Gen. 1. 3. (Genes. 1. 3.) quæ de Christo in figura dicta fuisse sic affirmat. *Et dixit Deus*: Fiat lux, *hoc est, Christus vera lux, quæ illuminat omnem hominem venientem in mundum. Fiat, scilicet, veniat ad generationem, effingatur, & corporetur.* Sed enim paulo pòst subtiliter obseruat, non dixisse Moysem, fecitque Deus lucẽ sed potiùs. *& facta est lux*, quamuis de cœli, ac terræ creatione dixerit: *In principio creauit Deus cœlum, & terram*; quasi lux ad generationem potiùs, quàm ad alium productionis modum, vel ea maximè ratione pertinere videatur, quod quæ generantur, cùm eiusdem cum generante naturæ, ac rationis sint, quasi sponte, ac vi sua libenter, & gratanter, peculiarique, ac sibi innata lætitia, & exultantia exiliant: vt vel exinde fieret manifestum, adeò non ineuitabili necessitate, atque decreto humanam redemptionem à Christo fuisse susceptam, vt potiùs humanam ipse naturam, corpusque passionibus, suppliciis, ac morti obnoxium, ac deditum ita sua sponte, & voluntate, per se, & à se, propria impulsus charitate, sumpserit, vt hæc omnia, tamquam sibi maximè consentanea, & quæ ei vndique aptè, & concinnè quasi suæ naturæ propria conuenirent, signatè adspexerit, eaque volens, & lubens amplexatus fuerit: *vt discas* (inquit Anastasius (Anast.)) *differentiam creationis, & generationis, & vt hæreticorũ voces comprimas, qui dicũt Deum Verbũ nolentem, & inuitum suscepisse incarnationem. Propter hoc ergo, & propter huiusmodi vitia non dixit, & fecit lucem, sed*, fiat lux: *id enim quod fit, non habet fortasse conuenientiam cum effectu ad quem traducitur, vt quod cum efficiente minimè conueniat*: (hoc est, non habet se ad instar rei genitæ, ad quam natura generantis traducitur; est enim, vt inquiunt Philosophi, origo viuentis à viuente in similitudinem naturæ.) *Non sic autem se habet generatio, nam quæ generantur, collætantur cum generatione, alterumque est alteri gratum, & acceptum, simulque exultant, & petunt perfectionem: quomodo etiam videmus, & fœtus exilientes in maternis vteris, & festinare, vt eximantur, & in plantis ramos, flores, folia, fructus lubenter crescere. Dixit ergo*, facta est lux, *non autem, fecit lucem, vt per illud*, facta est, *intelligas voluntarium, propriumque, & lætabundum Verbi cum Patre beneplacitum in incarnatione, non autem Verbum illam subiisse, & actum, & necessitate adactum inductus à verbo*, facta est. Addit statim: *quem etiam videns Pater sic carnem gestantem lætatus est, & ideo dicit*, & vidit quod est bona. Hactenus Anastasius.

Huius etiam dilucidam prætulit vmbram Vates 4.

tes ille Ionas, Christi Domini signatissimus ab eo
Matt. 12. 39. explicatus typus Matth. 12. 39. dum ipsemet sua
sponte morti sese addixit, nec suis tamen, sed alio-
Ion. 1. 12. rum manibus illam sumpsit, Ionæ 1. 12. id in cum
Theophyl. locum sic adnotante Theophylacto. *Animaduertite
hic Iona nomen, si interpreteris, valere altissimo labo-
rante, vel columbam significari. Altissimus igitur pro
nobis laboribus defatigatus est, & pro nobis luget, angi-
tur, dolet, voluntarius quidem, nec tamē sese ipse iugulat.
Caterùm per manus iniquorum adfigitur cruci, quemad-
modum & Ionas, qui etiāsi seipsum ad mortem condem-
naret, non tamen seipsum proijcit, sed proijcitur: docente
nos hoc verbo, ne nos temere in pericula coniiciamus,
neve incautè, & stolidè in mortes incidamus.* Hæc
Theophylactus. Quò etiam acutè retulit per alle-
Petr. Cell. goriam Petrus Abbas Cellensis libro 1. de Panibus,
tom. 8. Bibliothecæ veterum Patrum, aureos circu-
Exod. 25. 12. los, quibus arca Testamenti cincta erat, Exod. c. 25.
12. quasi illis innueretur, Christum ad mortem ob-
eundam nullo alio, quàm propriæ voluntatis, im-
mensæque suæ charitatis cingulo fuisse constri-
Pet. Cell. ctum. Sic enim Petrus: *Aurei circuli sunt vbi necessi-
tate nihil agitur, sed naturali bonitate.* Ita ille.

5. Sed enim quid vmbris, atque figuris in meridia-
na luce fuerit opus, aut patente via semitam quæ-
Isai. 53. 7. rere? cùm & Isaias cap. 53. 7. disertissimè dixerit:
oblatus est, quia ipse voluit, & ipsemet Dominus, qui
quia voluit, oblatus est, non minus luculenter apud
Ioan. 10. 17. Ioan. 10. 17. *Ego pono animam meam, vt iterum sumā
eam; nemo tollit eam à me, sed ego pono eā à meipso, & po-
Bernard. testatem habeo ponendi eam.* Vtrúque verò locū Bern.
ser. in fer. 4. hebdomadę pœnosę, sic pulchrè versat,
& inter se componit: *Fidelis sermo, & omni acceptio-
ne dignus, quia enim voluit, oblatus est; non modo voluit,
& oblatus est, sed quia voluit: solus, nimirum, potesta-
tem habuit ponendi animam suam. Nemo eam abstulit
ab eo.* Et post pauca, præfata Christi verba magis
premens subdit: *Potest humana vesania sibi ipsi in
mortem sceleratas iniicere manus; sed hoc non est pone-
re animam suam, vrgere eam magis, & violenter ab-
rumpere, quàm ad nutum ponere est. Tibi impie Iuda
misera planè facultas fuit non ponendi animam, sed
perdendi. nec tradente te, sed trahente laqueo nequissi-
mus ille spiritus tuus exiuit, non emissus à te, sed amissus:
solus in mortem tradidit animam suam, qui solus vir-
tute propria regressus est ad vitam, solus potestatē habuit
ponendi, qui solus facultatem equè habuit liberam resu-
mendi, imperium habens vitæ, & mortis.* Hactenus
Bernardus.

6. Quò quidem faciunt tum tempus Passioni suæ
ab ipso Domino præsignatum, quod ab eius inimi-
cis præueniri, aut anteuerti numquam potuit: tum
etiam ante Passionem, eundem Dominum suismet
manibus corpus sanctissimum, vt discipulis man-
ducandum in Eucharistia exhiberet, immolasse,
vt esset argumento, ipsum spontanea, atque vltro-
nea voluntate sese pro nobis tradere, & carnem
suam passionibus frangendam exponere; hæc duo
Rupert. simul obseruante Ruperto lib. 10. in Ioan. occasio-
ne verborum, quæ apud Ioan. 11. 56. de Christo nō
veniente ad diem festum, dicebant Iudæi: *Quid pu-
tatis, quia non venit ad diem festum?* hunc in modum:
*O impij, quid putaremus? Nisi quia iste est Agnus pas-
chalis, & decimus dies mensis huius nondum aduenit,*
&c. *Tempus expectat & diem suum legitimum, vt deci-
ma die mensis domum filiorum Israel paschalis Agnus
introeat: donec quartadecima dies veniat, ad cuius ve-
speram so ipse immolaturus est suis manibus, & tunc de-
mum se à vobis cruenti lanistæ, trucidari permittet.* Sic
Matth. 26. 26. Rupert. Similiter Bernard. premens illud Matth.
26. 26. de Domino corpus suum discipulis imper-
tiente, *benedixit, ac fregit*, in allegor. Gotfrid. Tilm.
*Verumtamen ipse fregit, dum spontaneus carnem suam
passionibus quasi frangendam, hoc est, atterendam expo-
suit.* Ita Bernardus.

Cæterùm præcipuas Passionis circumstantias sub 7.
hoc sensu singillatim percurrere, lectori, opinor,
non erit ingratum. Et primò quidem, quid de ipso
cùm in Ierusalem ad passionem, ac mortem obeū-
dam pergeret, dixerit Lucas cap. 9. 51. audi: *Et ipse* Luc. 9. 51.
faciem suam firmauit, vt iret in Ierusalem. Vbi firmare
(quod ad vers. 28. cap. 1. adnotauimus) Hebraismus
est, quo firmum animi propositū significatur, ima-
gine à tauris desumpta, qui cùm obstinati aliquem
aggrediuntur, vultum constanti habitu obfirmant;
vt indicet Euangelista, tam promptè, & alacriter ad
mortem Dominum properare, vt ipsam potiùs à se
fugientem aggredi, atque lacessere videretur. Vn-
de premens hæc verba Hieron. epist. ad Algasiam Hieron.
quæst. 5. cùm dixisset: *Obfirmata facie festinabat Do-
minus pergere Ierusalem*; subdit post pauca: *obfirma-
tione enim, & fortitudine opus est, ad passionem sponte
properanti.* An nō obfirmata facie supplicia, & mor-
tem ipse tibi aggredi videatur, qui immanibus sa-
tellitibus eum comprehensum venientibus, *proces-
sit?* Ioan. 18. 4. Quid est *processit?* tanta fortitudine, &
animi excelsitate hostes fuisse aggressum, vt ipsi
prouocantis magnanimitatē, & maiestatem non su-
stinentes, *abierint retrorsum, & in terram ceciderint*,
Ioan. 18. 6. id sic pulchrè adnotante Hilario lib. 10. Ioan. 18. 6.
de Trinit. *Anne metuit, qui armatis ad corripiendum* Hilar.
*se obuius prodijt? & in corpore eius infirmitas fuit, ad
cuius occursum consternata consequentium agmina con-
ciderunt, & maiestatem ingerentis sese ad vincula non
ferentes supinatis corporibus reciderunt?* Pende illud,
maiestatē ingerentis sese ad vincula non ferentes: quod
vt obfirmato illi animo ad comprehendēdum Do-
minum aduenirent, multo maiori, atque fortiori
obfirmatione passioni, ac morti suæ ipse obuiam
iret. Quare iis, quos patiendi desiderio ad eorum
vincula sese ingerens prostrauerat, opem, manúm-
que suam statim porrexit, vt nouis subinde signis
spontaneum animum ostenderet. Vnde Ambr. lib. Ambrosf.
10. in Luc. *Caterùm, quàm constanter se morti obtule-
rit consequentia declarant, quandoquidem quærentibus
occurrit, turbatos confirmauit, trepidos prouocauit, pro-
ditorem osculi dignatione suscepit.* Ita Ambrosius.

Sed ne Passionis seriem, & actus inuertamus, 8.
egressum Domini (Ioan. 18. 1.) in hortum Gethse- Ioan. 18. 1.
mani consideremus. Quid verò fuerit, ipsum in lo-
cum proditori notum, & in hortum vndique clau-
sum se conijcere, quàm per proprios pedes in car-
cerem, & in mortem ire? Audi Chrysost. hom. 82. Chrysost.
in Ioan. *Media nocte iter facit, torrentem transit, & ad
locum proditori notum properat, vt laborem eis deme-
ret, & ostendit discipulis se ad mortem sponte proficisci.
Etenim in horto tamquam in carcere commoratur.* Sic
Chrysost. Nec vacat quidem mysterio torrens Ce-
dron, quem signatè Ioannes Dominum pertransisse
dicit, vt argumento esset, suam se Passionem maxi-
mè sitire, nec minus alacri animo ad eam propera-
re, quàm qui grauiter, ardentérque sitiens ad lim-
pidissimæ aquæ fontem, siue profluentem properat,
ac currit. Consonat huic cogitationi titulus, quem
Psal. 21. qui totus ad literam de Christi Passione Psal. 21. tit.
est, Regius Vates iuxta lectionem Aquilæ, atque Aquila.
Hieronymi, sic præfixit, *pro cerua matutina.* Et verò Hieron.
licèt plures, eæque optimæ tituli huius afferantur
explicationes, in quibus cerui proprietates recen-
sentur, & accommodantur, non de nihilo est (vt ar-
bitror) quod ad ardorem, quo cerui siti exagitati ad
aquarum torrentes currunt, vt sitim in ipsis extin-
guant,

guant, & mirum in modum reficiantur, allusisse Vatem coniicimus, ad eum modum quo alibi dixit: *Quemadmodum desiderat ceruus ad fontes aquarum*, Psal. 41.1. &c. Psal. 41.1. vt vmbra corpori, & prophetia Euãgelio, Dauidis typus, & Christi veritas æquè sibi respondeant, ardentem hanc moriendi sitim, atque votum Christo dilucidè præfatis Luc. verbis exprimente, *baptismo habeo baptizari, & quomodo coarctor vsque dum perficiatur?* siue vt legebat Iren. *& valde* Theophyl. *propero ad illud.* In quæ verba hæc habet Theophylactus: *Baptismum mortem vocat, hanc autem valde desiderans, ait, & quomodo cõstringor, hoc est, quam sollicitus, anxius sum, ac premor donec perficiatur? Sitio enim mortem pro omnium salute.* Sic ille. Hinc ad Petrum in sui defensionem gladium animosè educentem, seruúmque Pontificis, qui audacter irruerat, valentiùs repellentem ipse Dominus significantissimè dixit: *Calicem quem dedit mihi Pater, non vis vt* Ioan. 18.11. *bibam illum?* Ioan. 18.11. ac si diceret. Adeò tibi, ô Petre, ignota est mea moriendi sitis, vt iucundissimam potionem, quam ad eam extinguendam charissimus Pater mihi liberaliter porrigit, tu inconsiderato impetu, è manibus velis extorquere?

9. Hæc omnino quidem ita se habere, duo subinde in Christi Passione singulariter suadent: alterũ, tot in ipsa addita, ac superinducta, imò coaceruata supplicia, cùm vel quiuis moriendi modus, quæuisve gutta sanguinis ad humanum genus redimendum satis, superque fuerit: alterum, egregium illud in tot pœnis, atque cruciatibus ab ipso custoditum silentium. Et de primo quidem sic disserit Tertul. lib. de Tertul. Patient. cap. 3. *Taceo quod figitur; in hoc enim venerat: numquid tamen subeundæ morti etiam contumeliis opus fuerat? Sed saginari voluptate patientiæ discessurus volebat; despuitur, verberatur, irridetur, fœdis vestitur, fœdiorib. coronatur.* Obserua illud, *saginari volebat*, quasi cruciatus, atque supplicia pro nostra salute perferenda, non secus, ac rem omnium gratissimam, & iucundissimam, & velut delicatissimum cibum ad se reficiendum, & saginãdum ipse sumeret. Ita enucleatiùs Cyril. Alex. lib. 10. in Ioan. c. 21. ea Assertoris nostri verba, *vt gaudium meum in vobis sit*, sic Cyr Alex. premens: *Quid significat*, vt gaudium meum in vobis sit? *Homo factus vnigenitus Dei Filius, absque peccato omnia sustinuit, quæ Iudæorum excogitare peruicacia potuit, nec vnquam sputis dedecoratus, verbis derisus, verberibus cæsus, & tandem patibulo affixus, vllo mœrore affectus fuit; sed decenti semper ipse gaudio plenus* (*quoniam voluntatem Patris consummari videbat, & homines hinc salutem habituros non ignorabat*) *illa opprobria delicias sibi esse putabat.* Et verò huic patiendi voluptati, atque gaudio admirandum ipsius in Passione custoditum silentium, *ita vt miraretur Præses vehementer*, Matth. 27.14. maximè innitebatur. Pulchrè enim hac de re dixit Petr. Chrysolog. serm. 23. *Tacet enim, qui volens patitur, clamat qui laniatur inuitus.* Quod sic diffudit Quintil. declamat. 11. *Tunc est pœna cùm periturus trepidat, hæret, cùm restringit supremo vincula conatu. Volo perituri prius videre pallorem, audire gemitus; volo circumspiciat, volo queratur.* Ac si diceret: nam nisi hæc faciat, non videtur inuitus pati; imò nec pati. Ergo dum Dominus mediis in cruciatibus vsque ad Iudicis admirationem tacet, & decenti gaudio plenum se esse, & spõtaneo animo opprobria, atque supplicia pro deliciis habere, manifestè ostendit.

Matth. 27.14. Chrysol. Quintil.

10. Huc illud singillatim aduoco, in summa Christo Ioan. 18.22. in domo Principis Sacerdotum alapæ irrogata iniuria, egregia ipsum animi, vultúsque maiestate noluisse, alteram immani satelliti maxillam percutiẽdam præbere: cùm tamen is, qui leui oculo res inspexerit, ad spontaneam hanc patiendi voluntatem, atque voluptatem potiùs pertinere dixerit, si iterũ, atque iterum alapis maxillas offerret, iuxta ipsiusmet Domini monitum Luc. 6.29. *Et qui te percussit* Luc. 6.29. *in maxillam, præbe ei & alteram.* Sed enim, si attendis, vel ex hac Christi admonitione, minimè ipse debuit alteram percutienti præbere maxillam, ne aliquid non liberè, atque spontaneè pati videretur, nimirum, vt benè obseruauit Chrysost. hom. 18. in Chrysost. Matth. ea potissimum de causa ei, cui impactus est colaphus à Domino, præscribitur, vt alteram statim percutienti maxillam vertat, ne cùm ipsi repentè (vt assolet) fuerit illata iniuria, ipsam non omnino volũtariè pertulisse videatur: sic namque Chrysost. *Propterea eum, qui palmis cæditur, non modò prohibuit irasci, sed etiam percutientis iram exsaturare præcepit, vt ne primam quidem iniuriam sustinere videretur inuitus.* At Christus adeò non inuitus alapam sustinuit, vt ipse percutienti genas volens, libénsq; priùs obtulerit, eodemmet Domino apud Isaiam cap. 50.6. dicente: *Corpus meum dedi percutientibus,* Isaia 50.6. *& genas meas vellentibus:* siue vt habent Lxx. *Dorsum* Lxx. *meum dedi ad flagella, & genas meas ad alapas:* atque ideo iure alteram maxillam non vertit, ne primam iniuriam inuitus sustinere videretur.

Et verò vt idem Domini in toto Passionis suæ 11. decursu sensus, idem liberæ voluntatis, spontaneæque electionis tenor, atq; constantia fuerit; at enim vt cruciatus, tormentáque crescebant, ad pleniorẽ tunc affectus sui demonstrationẽ ipsum fuisse progressum, singillatim videre, & admirari fuit. Vnde de ipso ignominiosissimo, simúlque atrocissimo illo spineæ coronæ tormento affecto, prophetico dixit ore Salomon Cantic. 3.11. *Egredimini, & videte fi-* Cant. 3.11. *liæ Sion Regem Salomonem in diademate, quo coronauit eum mater sua in die desponsationis illius, & in die lætitiæ cordis eius:* vt interpretantur Theodoretus, Theodor. commentarius trium Patrum, Gregorij Nysseni, Greg Nyss. Maximi, & Nili, & seorsim Nyssenus homil. 7. in Maxim. Cant. Ambros. lib. de Isaac, & anima, cap. 5. Ber- Nilus. nard. serm. 2. in Epiphan. & serm. 5. in festo om- Ambros. nium Sanctorum, Richard. Victorinus 2. par. c. 5. Bernard. Prome desponsationis imaginẽ: nihil enim ad ma- Richard. trimonium contrahendum adeò necessarium; siue quod magis præcisè requiratur, quàm liberum consensum, spontaneámque voluntatem inueneris. Deinde, quid iucundius, lætius, gratiusue, aut festiuius, quàm desponsationis dies, cùm sponsus gratissimæ sibi sponsæ, quam priùs ardenter amauit, concupitis amplexibus potitur? Adhæc, materna dona suauissima fore necesse est; ergo non aliter spinas, verbera, contumelias, alapas, ac suauissimã sponsam, charissimæque matris munera sponte, ac libenter suscipit, & in ipsis summè delectatur.

Firmat mirificè hæc sequens sacræ huius histo- 12. riæ Actus, cùm *baiulans* Dominus *sibi crucem, exiuit*, Ioan. 19.17. Quem quidem iam multo antè sic Ioan. 19.17. descripserat Isaias cap. 53.7. *Sicut ouis ad occisionem* Isai. 53.7. (siue vt habent Lxx. *ad victimam*) *ducetur*; vbi He- Lxx. bræum verbum egregiam vim, atque emphasim Lect. Hebr. habet: est enim *Iubal* in Hiphil, quod propriè significat deducere cum pompa, & comitatu regio, vt Psal 59.11. *Quis deducet me in ciuitatem munitam?* vbi Psal 59.11. ex Hebræo, quod verbum sit in Hiphil, meritò le- Lect. Hebr. geris; *Quis deducet me cum pompa, & maiestate, quæ Regem decet?* Ergo Dominus, *baiulans sibi crucem*, cum regia pompa, & maiestate ad crucem libens, gaudénsque ibat; nimirum, ducebatur ad victimam. Sed à quo ducebatur? subiicit post præfata verba Vates: *propter scelus populi mei percussi eum*; vbi Lxx. *ab iniquitatibus populi mei ductus est ad mortem*: ac si diceret,

diceret, à se ipso ad opem miseris mortalibus vndequaque ferendam, ea pompa, splendore, atque gloria ad necem ferebatur. Sed audi quæso Chrysost. (*Chrysost.*) hom. 6. de feria 5. Passion. *Rex quando gloriosior, quando indutus purpura, diademate decorus, aspersus auro, solio sublimis; ad pompam tamen non parat ire, sed hæc in secreto fiunt? an quando in campũ iens, vultu, & honore vltimus, periculis primus, onustus ferro, grauis armis, pro patria, pro ciuibus, pro liberis, pro vita omniũ premit hostem, discrimina despicit, contemnit vulnera, ipsamque mortem suorum suscipit ad salutem, vt maiorẽ contemptu mortis, quàm de ipso hoste victoriam referat, ac triumphum? Et quare displicet, si Christus de sinu Patris, de Deitatis secreto, ad nostram seruitutem venit, vt nos suæ redderet libertati, nostram mortem suscepit, vt nos eius morte viueremus? Quandoquidem per despectum mortis mortales in Deos retulit, nos cœlestibus æstimans; & quomodo Deus Christum ad iniuriam vocat tantam, sic homines tantam tollit, & extollit ad gloriam.* Sed enim dum illustris, ac pompa conspicuus à suamet charitate ad crucem Christus duceretur, inconsultus mulierum lamentantium, ac illacrymantium affectus, atque intempestiuę lacrymæ tantam lætitiam, atque exultantiam turbare videbantur. Sic enim Luc. c. 23. 27. (*Luc. 23. 27.*) *Sequebatur autem illum multa turba populi, & mulierum, quæ plangebant, & lamentabantur eum.* Vnde seuero ad illas, imò & minaci vultu Dominus: *Filiæ Ierusalem nolite flere super me, sed super vos ipsas flete, & super filios vestros. Quoniam ecce venient dies in quibus dicent: Beatæ steriles, & ventres, qui non genuerunt, & vbera quæ non lactauerunt.* Quod si inquiras, cur pio, & grato in ipsum fœminarum affectui eam vicem Christus reddiderit, vt nũcium adeò acerbum dederit. Quid enim amatoriæ illæ lacrymæ tantum committere potuerunt, vt pro illis extremam filiorum suorum cladem annunciauerit? Respondet egregiè Isidorus (*Isid. Pelus.*) Pelusiota, optimo merito increpatum à Domino fœmineum eum fletum, qui cùm ex ignorãtia Passionis eius proficisceretur, quasi ipse non volens, & lubens, sed infirmitate, & impotentia adactus mortem obiret, non mediocrem illi contumeliam, & opprobrium afferebat. Sic enim ille lib. 2. epist. 285. *Perspicuum enim est illud commiserationem ei, qui inuitus patitur, solatium: ei autem, qui vltrò, ac sponte, contumeliam afferre. Si quidem ei, qui non inuito animo patitur, commiseratio pro contumelia est. Quãdoquidem igitur ipse sponte ad patiendum se conferebat, vt & mortem extingueret, & diaboli neruos confringeret, eum autem qui laudibus, ac plausu dignus erat, illæ fletu, ac lacrymis prosequebantur: propterea, vt quidem nonnulli existimant, ipsis malum imprecatus est; reuera autem calamitates ipsis euenturas prænunciauit.* Hactenus Isidorus. Pergit Magnus Leo serm. 10. de Pãssione: (*Leo Magn.*) *Istum planctum Dominus Iesus dedignabatur impendi, quia non decebat luctus triumphum, nec lamenta victoriam.* Et statim: *Vbi est tristitia crucifigendi? vbi formido morituri? Non terret passuri animum hora supplicij, & docens nullam pro se flendi esse rationem, indicit pœnitentiam, denunciando vindictam. Non est, inquit, quod dolere in me Ierusalem filiæ debeatis pro vobis plangite, & pro vestris filijs eiulate: Ego crucem volens patior, & mortem in me, quam sum perempturus, admitto.* Hæc ille, & alia.

13. Nec minus bellè his quadrant, quæ subinde in Christi Passione succedunt: nam postquam in humeris suis gestasset crucem, & priusquàm in ipsam ageretur, myrrhatum vinum, quo crucis dolorem minus sentiret, vt sapienter coniectat Maldonatus, datum ipsi fuisse sic refert Marcus cap. 15. 23. (*Marc. 15. 23.*) *Et dabant ei bibere myrrhatum vinum:* siue vt lectio Sy- (*Lect. Syr.*) riaca, *vinum mistum cum myrrha.* At quid tunc Dominus? Subdit Marcus, *& non accepit:* siue, vt de hoc eodem vino, quod ob amaritudinem, vt obseruat August. lib. 3. de consens. Euang. cap. 11. felleum, siue cum felle mistum appellat, inquit Matth. c. 27. 34. (*August.* *Matth. 27. 34.*) *cùm gustasset, noluit bibere.* Sanè, vt testatum omnibus relinqueret, ac planum faceret, ea potione ad ferendam crucem, & mortem minimè se indigere, quippe qui ipsam, & illius amaritudinem, & acerbitatem volens, gaudénsque subibat, vnde nihil ab eo magis esse alienum, quàm dolores, & cruciatus velle extenuare, atque ad ipsos perferendos sensum consopire. Porrò sub ipsiusmet Domini crucifixi, mortémque perferentis persona sic disertissimè dicebat Isaias c. 63. 5. *Et indignatio mea ipsa auxiliata est mihi:* vbi pulchrè lectio Tigurina; (*Isai. 63. 5.* *Lect. Tigur.*) *Æstus meus me fulciebat:* ac si diceret, nullo alio medicamento, nullo externo fulcimento, aut robore ad acerbissimam mortem obeundam mihi fuerit opus, qui ab interno amoris æstu ad multo maiora perferenda fulcior, atque impellor. Quare non abs re dixerit non nemo, myrrhatum hoc vinum, emphaticè appellari à Matthæo vinum *cum felle mistum*, vt nihil magis felleum, & amarum, quàm hæc ad sensum cõsopiendum oblata myrrha Christi gustui visum fuerit, cùm ipsa mortis acerbitas, atque amaritudo maximam ipsi lætitiam, atque suauitatem afferret. Habet verò peculiarem venustatem, & emphasim id Christi factum ex narratione Matthæi inquientis, *& cùm gustasset, noluit bibere;* ac si Christus, quãtumuis optimè nosset, quale id vinum fuerit, insciò tamen similis, vt suum meliùs animum aperiret, ac si totum esset ebibiturus, sumere voluerit; sed cùm myrrhæ gustum percepit, statim illud ab ore remouerit, manifestè ostendens alium sibi animum, aliã ab ea mentem esse, qua sensum in cruciatibus perferendis illi sibi eripere volebant.

Certè hæc omnia ita se habere, illud manifestè conuincit, quod postmodum in cruce oblatum sibi ad bibendum acetum adeò non repudiauit, vt totũ ex spongia peculiari studio, & auiditate suxerit: sic 14.
enim Ioan. 19. 30. *Vas ergo positum erat aceto plenũ, illi autem spõgiam plenam aceto obtulerunt ori eius. Cùm ergo accepisset Iesus acetum*, &c. (*Ioan. 19. 30.*) Vbi si inquiras, cur qui myrrhatum vinum ab ore repulit, totum acetũ bibere voluerit. Facilis est responsio, myrrham, ne sensum sibi ad dolores eriperet, repudiasse: acetum verò, quod ad cruciatus persentiendos sensum maximè acuat, (vt optimè animaduertit Cardinalis Baronius 1. tom. Annalium) ebibisse; quippe ipsi nihil amaritudine dulcius, nihil externa consolatione amarius erat. (*Baronius.*) Vnde quidem omnino est improbabile (vt bene ostendit Cardinalis Tolet. ad c. 19. Ioan. adnotat. 14.) (*Toletus.*) quod dixere nonnulli, ideo Dominum acetum bibere voluisse, vt mortem citiùs obiret; quinimò longè certius videtur, eodem Cardinale inibi monente, eam ipsum in cruce virtute diuina aduersus tot cruciatus, & dolores vitam abrumpẽtes distulisse, quò nostri causa, & amore plus plus pateretur, duriorâque perferret.

Sed si ad ipsammet mortem deueniamus, plura sunt, quæ egregiam hanc Christi in ipsa exultantiam, & promptitudinem ostendunt. Certè Paulus 15.
cùm de ipsa sermonem faceret ad Hebræos cap. 12. 2. signatè dixit: *Qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem confusione contempta.* (*Ad Heb. 12. 2.*) Etenim etsi antithesis venustate meliùs subsisteret locutio, si dixisset Apostolus, tristitia contempta: at quia nullus Christo in morte mœror, nulla tristitia fuit, consultò confusionis, non tristitiæ Paulus meminit; id inibi sic obseruante Theophylacto: (*Theophyl.*) *Non dixit, tristitia contempta,*

tempta, neque enim cum tristitia ista ferebat. In quem sensum meritò capias gustandi verbum, quo, vt ipsius etiam passionem, & mortem explicaret, vsus est eadem epistola Apostolus: *vt gratia Dei pro omnibus gustaret mortem*. Bene, *gustaret*; quasi dicat, vt mortem magna cum iucunditate, & delectatione subiret. Porrò gustatus imaginem peculiariter vsurpauit Paulus, quod is inter omnes sensus maximè
M.Tull. sit voluptarius, vt inquit Cicero lib. 3. de Orat. & qui dulcedine maximè commoueatur. Vnde August. tract. 65. in Ioan. *Quàm mirandi generis mors est, cui parum fuit, non esse in pœnis, nisi esset insuper in delicijs?* Ad quem modum Cyril. Alexand. lib. 10. in Ioan. cap. 21. premens ea Assertoris nostri verba, *vt gaudium meum in vobis sit*, Ioan. 15. 11. sic ait: *Quid significat*, vt gaudium meum in vobis sit? *Homo factus vnigenitus Dei Filius, absque peccato omnia sustinuit, quæ Iudæorum excogitare pertinacia potuit, nec vnquam sputis dedecoratus, verbis derisus, verberibus cæsus, & tandem patibulo affixus, vllo mœrore affectus fuit: sed decenti semper ipse gaudio plenus (quod voluntatem Patris consummari videbat, & homines hinc salutem habituros non ignorabat) illa opprobria delicias sibi esse putabat*. Ita Cyrillus.

16. Sanè hunc mihi gustum ex illis Domini verbis elicere videor, cùm Petrum vehementiùs obiurgans, quòd ipsum à morte perferenda deterrere
Mat. 16. 22. vellet, Matth. 16. 22. inquit: *Vade retrò Satana, scandalum mihi es, quia nō sapis, quæ Dei sunt sed quæ hominum*. Vbi emphasim habet verbum, *sapio*, cui, vt alibi expendo, ea propria vis, atque significatio inest, cùm gustatu aliquid percipitur. Ac si Petro dixerit Christus: Abi, nec enim id palatum habes, cui dulcis Dei spiritus ad mortem pro homine obeundam anhelans sapiat. Porrò si nosse cupis, quantum Dei Filio mors sapiat, quámque sponte sua ad eam subeundam se humiliauerit, vel inde collige, quod qui Adamum pœnitentem excipiens, & in suā gratiam, & amicitiam reuocans, deperdita ipsi dona restituit; mortis tamen pœnam consulta benignitate non remisit, vt illi à semetipso pro homine obeundæ locum faceret, quò suam in eum charitatem manifestiùs ostenderet; id sic considerante Hilario in Psal.
Hilar. 68. *Non pepercit itaque dilecto Filio suo, quem & colonis vineæ non ignarus, quod occisuri eum essent, destinauit. Non pepercerat autem primo illi de terra limo Adæ, quem de Paradiso post culpam, ne lignum vitæ attingens, in æternitate pœnæ maneret, eiecit: vt naturam corporis eius Adam è cœlis secundus assumens, parique morte percussus, eam rursus in vitam æternam sine pœna æternitate reuocaret*. Ita ille. Sed de gaudio Christi in cruce iam egisse me memini ad cap. 1. vers. 7. adnotat. 3. num. 10. lege ibi.

Ad ea verba: *factus obediens vsque ad mortem*.

ADNOTATIO IV.

Christum cruci suffixum egregium nobis obedientiæ exemplar esse, dum summo Patri, & ad nutum, & ad vltimum vsque vitæ spiritum obediuit.

1. VBer campus ad Christi obedientiam in exemplum proponendam, atque commendandam: nam de hac multis disserunt Patres passim, & interpretes ad hunc locum. Sed ne in eruditione facilè parabili nimis immoremur, duo solùm in Christi obedientia ex his Pauli verbis persequi est animus: alterum, quàm perseueranter in ea se exercuerit; alterum, quanta promptitudine, atque alacritate ad Patris nutum sese semper composuerit. Et de primo quidem egregiè Tertul. lib. 4. cont. Tertul.
Marc. cap. 42. his verbis: *O quantum perseuerauerit, etiam trigesimo Psalmo Christum ipsum reddere: vociferabatur ad Patrē, vt & moriens vltima voce prophetias adimpleret, hoc dicto, expirauit*. Hæc ille, singillatim ponderanda. *O quantum* (inquit) *perseuerauerit*. Quantum? initium recole, vt finem expendas. Porrò de ipsius in terras aduentu, & primo in hunc mundum ingressu, sic dicebat sponsa Cant. 2. 9. *En* Cant. 2. 9.
iste venit saliens in montibus, transiliens colles: similis est dilectus meus capreæ, hinnuloque ceruorum. Mitto alia circa hæc verba, hoc solùm perquiro, cur capreæ potiùs, quàm hœdo, aut hirco similis Christus dicatur. Multa à Patribus, & interpretibus dicuntur, & à nobis postmodum ad eandem rem alia afferentur; modò crediderim allusum à diuino Spiritu ad peculiarem capreæ proprietatem, quæ præter omnium animantium naturam, auribus, non naribus spirare dicitur, apud Plin. lib. 8. cap. 5. Vt verò quid Plin.
mysterij id præseferat, aperiam, duo obseruo: alterum, humanam vitam in spiritu, seu in spiratione narium computari; sic Genes. 2. 7. cùm de vita homini à Deo inspirata dicitur, *insufflauit in faciem eius* Genes. 2. 7.
spiraculum vitæ, Hebræa pro, *in faciem*, habent, *in nares*. Similiter Iob. c. 27. 3. vt vitæ suæ tempus explicaret, ea vsus est periphrasi, *donec superest halitus in* Hebr. Lect. Iob. 27. 3.
me, & spiritus Dei in naribus meis. Alterum, quod satis est scitum, iamque à nobis superiùs dictum, & paulo pòst iterum inculcandum est, aures obedientiam designare. Iam ad rem. Similem ergo capreæ, quæ auribus spirat, Christum dici perinde est, ac si dicatur, ipsum non priùs vitam, quàm obedientiam accepisse, à primoque viuendi instanti obsequentissimum se exhibuisse Patri: necnon etiam dixeris, idem in Christo esse viuere, ac obedire, æquéq; illi charam fuisse obediētiam, ac vitam. Facit huc illud Psal. 39. 11. sub persona Christi in mundum ingre- Psal. 39. 11.
dientis; *Deus meus volui, & legem tuam in medio cordis mei*: vbi ideo Patris præceptum in medio cordis infixum se habere affirmat, vt ostendat ab ipso non secus, ac à corde, quod vitæ principium est, viuendi initium, vitamque ipsam indesinenter haurire. Ecce temporis initium à quo Christus cœpit obedire; iam finem considera. *Vociferabatur ad Patrem* (inquit Tertul.) *vt & moriens vltima voce prophetias adimpleret*: vt, nimirum, vltimum etiam viuendi instans in obedientia consumat, & vt primitus ingrediens in mundum vitæ spiritum obediendo hausit, ita ipsum è vita discessurus obediendo emittat. Quò pertinet figurata indidem Vatis locutio: *Sacrificium,* Psal. 39. 9.
& oblationem noluisti, aures autem perfecisti mihi; pro qua Paulus, vt sæpius adnotauimus, vertit, *corpus* Ad Heb. 10.
autem aptasti mihi: pulchrè interpretatus Synecdo- 5.
chen, qua partem pro toto, aures, nimirum, pro corpore Dauid posuit, vt innuat, Christi corpus, omnesque ipsius sensus, & membra, totum denique Christum aurium nomine censeri, quod ad obedientiam Patri exhibendam à primo vsque ad vltimum vitæ instans se totum composuerit, & quidquid in se fuerit, vni Patris voluntati adimplendæ deputauerit, atque exhibuerit. Vt videatur, his verbis, opponere Dauid purissimum obedientiæ Christi sacrificium legalibus, & materialibus victimis, quæ vno actu perficiebantur, cùm obedientia Christi, perpetuum à primo instanti conceptionis, vsque ad vltimum vitæ, sacrificium omnibus numeris absolutissimum fuerit.

Verùm

2. Verùm ad præfata Tertulliani verba est adhuc, quod obserues, videlicet, tunc Christum, vt prophetias adimpleret, magnam illam vocem edidisse, cùm præ sanguinis, vitæque ipsius defectu maior difficultas, atque impedimentum, quo minus externam hanc obediendi actionem, siue obedientiam præstare posset, videbatur insurgere. Sanè, vt ad extremam difficultatem, extremas ipse vires eliceret, nec qualemcumque obedientiæ exercendæ vocem, nisi sublatissimam commodaret, vt multo maius esset robur impedimento. Adhæc, in ea re expende, magnam illam vocem in ipso extremo spiritu à Christo editam, præter naturam rerum, & miraculi plenam extitisse, vt ad ea Matthæi verba cap.

Maldonat. 27.46. obseruat Maldonatus, & ipsemet Centurio apud Marcum adnotasse videtur, dicente Euange-

Marc.15.39. lista cap. 15.39. *Videns Centurio, qui ex aduerso stabat, quia sic clamans expirasset, ait: Verè hic homo Filius Dei erat.* Vt vel hinc potissimum appareat, quantus obedientiæ amator Christus fuerit, qui tantùm abfuit, vt diuinitatis suæ potentiam ad eximendum se ab obedientia Patris aduocaret, vt potiùs humanis iam destitutus viribus, quibus exactum obedientiæ specimen reddere posset, ad diuinas confugere voluerit, vt perfectissimam Patri obedientiam vndique præstaret.

3. Sed expirauitne cum Christi morte, ipsius obedientia? Minimè; etenim ad nostri institutionem non vsque ad mortem solùm, sed ad extremum vsque iudicij diem, adhuc cùm regia ornatus maiestate mundum est iudicaturus, factus obediens esse

Ioan.5.30. perhibetur, apud Ioannē 5.30. eodemmet Domino dicente; *Non possum à meipso facere quidquam, sicut audio, iudico.* Vbi meritò dixeris: Quæ ergo throni tui, ô Domine, præeminens illa sublimitas, atque celsitudo, quam inibi paulo antè nobis ob oculos proposuisti, vers. 22. inquiens: *Neque enim Pater iudicat quemquam, sed omne iudicium dedit Filio, vt omnes honorificent Filium?* Sed pergit priori loco Christus: *& iudicium meum iustum est, quia non quæro voluntatem meam, sed voluntatem eius, qui misit me.* Ac si dixerit: imò verò tota iudicij à me exercendi sublimitas, atque gloria in eo cardine versatur, quod ad Patris voluntatem me accommodem, nec obedientiæ amor à meo vnquam animo discedat. Ita

Greg. Mag. penè Gregor. Magn. lib. 35. Moral. cap. 10. his verbis: *Si sicut audit, iudicat tunc quoque obedit cùm Iudex venit. Ne igitur nobis vsq. ad præsentis vitæ terminum obedientia laboriosa appareat, Redemptor noster indicat, quia hanc etiam cùm Iudex venerit, seruat.* Ita Gregorius. Vnde sic infert: *Quid ergo mirum, si homo peccator se obedientiæ in præsentis vitæ breuitate subijciat, quando hanc mediator Dei, & hominum, & cùm obedientes remunerat, non relinquit?* Iam verò hac etiam de causa vulnerum suorum cicatrices sibi reseruasse, quò obedientiæ monumenta præ oculis habens, ipsis indesinenter oblectaretur, pulchrè affirmat

Rupert. Zach.13.6. Rupert. in Zachariam, ad illa verba cap. 13.6. *Quid sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum?* ad hunc modum: *O magnum miraculum, mirum spectaculum, præsertim in Domino dominatore omnium, plagas habere in medio manuum suarum!* Et dicet: his plagatus sum in domo eorum, qui diligebant me. *Quæritis, quid sint plagæ istæ? Et ego dico vobis, quia testimonia sunt obedientiæ, signa voluntatis, & iussionis paternæ.* Sic Rupertus.

4. Iam verò Patris præceptum, vt prò eius voluntate mortem oppeteret, Christum non expectasse; sed ad eius nutum sese cōfinxisse, sicut in commen-

Cyr. Alex. tario vidimus, dicebat Cyrillus: *Cùm saluare hominum genus Deus Pater voluerit, neque id creatura aliqua posset efficere, ipse qui voluntatem Patris opportunè nouit Filius, huiusmodi dispensationem suscepit, sicque obsequutus Genitori est, vt mortem etiam turpissimam subierit.* Expende illud, *voluntatem Patris opportunè nouit Filius.* Quod idem fuit, ac diceretis in Filio Dei amor, & ardor placendi Patri, & se ad eius nutum conuertendi fuit, vt magnam se opportunitatem nactum existimaret, quod vna ex parte Deum saluare humanum genus velle, & ex alia se solum ad tantum opus idoneum, quo Patri rem gratissimam faceret, videret. Quare dum eius voluntas cordi sibi esset, ad eam explendam quauis insinuatione, quouis nutu, non minus, quàm arctissimis legum, ac præceptorum vinculis se constringi censuit. Quo quidē sensu, dum de modo, quo ex Patris voluntate, & auctoritate Filius agit, loquitur Tertul. lib. aduers. Praxeam, cap. 15. sic inquit: *Filius ergo* Tertul. *visus est semper, & Filius conuersatus est semper, & Filius operatus est semper ex auctoritate Patris, & voluntate, quia Filius nihil à semetipso potest facere, nisi viderit Patrem facientem: Pater enim sensu agit, Filius verò, qui in Patris sensu est, videns perficit. Sic omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil.* Hæc Tertullianus. Ecce præclarum obediētiæ modum, quo Patris voluntatem Christus perficit, dum in eius sensu (quia Verbum est, & Sapientia, quæ arcana Dei perscrutatur) illius voluntatem deprehendens, quidquid ipsi gratum nouit, summa alacritate perficit, ad ipsius nutum semper paratus, atque expeditus, *factus obediens vsque ad mortem.*

Hinc meritò ad Christum retulit Rupert. lib. 1. 5.
in Genes. quod Deus Genes. 2. 2. die septimo re- Rupert.
quieuisse dicatur, quasi nihil in ipso vnquam fuerit, quod ad ipsius voluntatem executioni mandandam, omnesque nutus obseruandos, & perficiendos, summè promptum, atque expeditum non fuerit. Audi illum: *Solus hic est, in quo iustificando nihil omnino laborauit, aut profectum eius expectando patientiam aliquando habuit. Ad creandos Angelos, & homines sapientiæ suæ impensas contulit, & propter illos saluandos, siue discernendos, misericordiam, & iudicium hinc, & inde magnis impendijs ædificauit, vt totus miratur orbis, & vniuersa iam dudum magnificat curia cælestis, sed in isto solo nihil vnquam fuit, quod resisteret ei, siue ille in sinu eius pausauit, siue militaturus iussis ipsius naturam nostræ carnis induit.* Obserua illud, *nihil omnino laborauit.* Quid? laborauitne aliis in creaturis, vt in Christo signatè non laborasse dicatur? Minimè quidem; sed figurata hac, atque emphatica locutione vsus Rupertus monet, adeò promptam, atque expeditam Christi obedientiam semper fuisse, vt Pater ad mandata sua ipsi patefacienda, nec voce quidem opus habuerit, eius ipso nutus tam acutissimo visu penetrante, quàm promptissimis obsequiis exequente. Qua etiam ratione, vt num. 1. vidimus, Christum cum caprea simul, ac hinnulo, sic

conferebat sponsa Cant. 2. 9. *Similis est dilectus meus* Cant.2.9. *capreæ, hinnuloq; ceruorum:* nimirum, capreæ, quod oculis acutissimis sint, Græcè δορκάδες, ab oculorum acie dicuntur: cerui verò in cursu celeritatem nemo est, qui ignoret. Sed & Ambros. cùm lib. 3. de Ambros. Virginibus, in mundi huius creatione Patri dicere, Filio facere, per accommodationem tribuat, & lib. 1. in Hexam. sic capiat ea Genesis verba: *In principio creauit Deus cælum, & terram, vt sit sensus; in hoc principio, id est, in Christo fecit Deus cælum, & terram, quia ipse dixit, & facta sunt:* qua tandem celeritate, & velocitate suum ipse opus absoluerit, sic premit verbum *creauit*, siue *fecit*. *Admodum pulchrè addidit de celeritate conditionis, fecit, ne moram in faciendo fuisse existimaretur.* & statim; *Nemo operantem vidit, sed*

sed agnouit operatum, tam velociter, vt neque voluntas operationi præcurreret, nec operatio voluntati. Vnde ad hunc sensum acutè referunt nonnulli illud Isaiæ 53.8. de Dei voluntate circa humani generis redemptionem per Christum summa promptitudine executioni mandata : *Voluntas Domini in manu eius dirigetur*; quæ apud Lxx. sic habentur : *Vult Dominus in manu eius*; ac si sensus sit, tanta celeritate Christum Patris voluntatem de hominum redemptione perfecisse, vt simulatque Pater voluntatem suam declarabat, ipse in opus continuò prodiret, nec insinuata voluntate Patris tardior esset operatio, sed tunc velle Pater videretur, cùm ipse in actionem prodibat.

Isai.53.3. *Lxx.*

6\. Quare rursus ea ipsius Domini verba apud Dauidem Psal.39.7. *Sacrificium, & oblationem noluisti, aures autem perfecisti mihi, holocaustum & pro peccato nō postulasti. Tunc dixi: Ecce venio;* in hanc rē preme: is enim tantùm nō dixisse videtur, eo ipso quod viderim, nulla tibi sacrificia placere, nullasq; abolēdis hominum peccatis victimas satis esse, tunc magnā tibi placēdi, obsequendiq; opportunitatem nactus, dixi, *ecce venio*, victima futurus peccatis hominū expiādis aptissima. Sed est aliquid quod obserues illis in verbis, *aures autē perfecisti mihi*; quæ in Hebraïco fonte leguntur, *fodisti*, siue, *perforasti mihi*, ipsisq; nōnihil metaphoræ subesse videtur, vt perforare aures sit idem, ac aperire, & facere, vt arrectas quis ad audiendum, & obsequendum aures habeat; Hispanè significantiùs, *yo le abrire las orejas de vn palmo.* Vnde Theodoret. quæst. 45. in Exod. illud Exod. 21.6. *perforabitque aurem eius subula, & erit ei seruus in sæculum*, sic explicat : *indicat signum illud, auditus organo appositum, seruum omnem obedientiam præstare debere.* Quasi dicat Christus, idem fuisse, nolle Deū sacrificia externa pro expiatione peccatorum, ac aures ipsi perforare, & maximè attentas, & arrectas reddere, vt mente ad obediendum promptissima pergratum Patri se facturum, si pro hominum salute mortem obiret, cognosceret, & ad eius nutum se statim conuertens diceret; *Ecce venio*, sacrificium peccatis expiandis efficacissimum oblaturus. Habet enim eam vim, atque efficaciam aduerbium illud, *tunc*, quasi nullus alteri deliberationi locus, nulla perfectissimi obsequij mora intercederet. quin diuinæ voluntatis coniectura pro imperiosissimo præcepto Christo fuerit. Equidem cùm insano, ac procelloso mari exilis, ac imbellis arena à Deo in terminum præscripta sit, ipsum eodem horrore, atque tremore, quo nos vehementissimum tonitrum perhorrescimus, illam pertimescere, sic ad eius obedientiam commendandam pendit Theodoretus in Psal.103. *Nam propterea mare vndis montium crepidines imitans, continentem nequaquam inundat. Sed quemadmodum nos tonitrum perhorrescimus, sic illud positum terminum timet.* Similiter Ambros. epist.43. vt maximam Abrahæ in obediendo celeritatem, atque promptitudinem commonstraret, illa Genes. verba cap.22.10. *arripuit gladium*, sic acutè premit: *Quàm exors naturæ exerebat gladium, ne morâ sacrificium decoloraret!* id est, ne eximiam obedientiæ venustatem, atque pulchritudinem tantisper deturparet. At præ Christi obedientia ad primum Dei nutum non secus, ac ad strictissimam legem, & imperium, quod omni tonitru violentius ipsius aures aperiret, sese ad mortem obeundam strenuissimè componentis, quid hæc fuerint?

Psal.39.7. *Theodor.* *Exod.21.6.* *Theodor.* *Ambros.* *Gen.22.10.*

7\. Sed enim quæ in Psalmo sequuntur, huic etiam instituto valde opportuna sunt; subdit enim sub persona Christi Vates : *In capite libri scriptum est de me, vt facerem voluntatem tuam : Deus meus volui, & legem tuam in medio cordis mei.* Vbi dum Patres disquirunt, quod sit illud libri caput, in quo Christi sit obedientia conscripta, frequentior Hieronymi, & aliorum opinio fert, allusum esse ad volumen legis, & singillatim ad priora illa Genesis verba, *In principio creauit Deus cœlum, & terram.* Sic nunc Hieronymus tractans eum locum initio libri traditionū Hebraïcarum in Genesim: *Hoc magis secundum sensum, quam secundùm verborum translationem, de Christo accipi potest, qui tam in ipsa fronte Geneseos, quæ caput omnium librorum est, quam etiam in principio Ioannis Euangelistæ, cœli, & terræ conditor approbatur; vnde & in Psalterio de se ipso ait:* In capite libri scriptum est de me, *id est, in principio Geneseos.* Ita ille. A quo Basilius etiam, & Ambrosius non eunt. Sed inquis: Vnde locus, vt hic conscriptus sit, fore vt Patri suo Christus in morte pro hominum salute obeunda obsequeretur? Multi multa dicunt. Mihi illa succurrit ratio, quod Dei Filius cùm in mundi huius creatione Patris Verbum, & dextera sit, *ipse enim* (Pater) *dixit, & facta sunt* (à Filio) quia *omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil* : eo ipso ad mundum deperditum restaurandum opportunissima omnium propitiario, sanctificātio, & redemptio ex Patris voluntate esset futurus. Nam, vt alibi ex D.Thom.3.p.q.3. art.8. rationem reddente, cur secunda potiùs, quàm alia Triadis persona carnem pro nobis susceperit, commodior videtur, *artifex per formam artis conceptam, qua artificiatum condidit, ipsum si collapsum fuerit, restaurat.* Hinc enim fieri existimabam, vt *in capite libri*, id est, in verbis illis, quibus Deus omnia in Christo creasse asseritur, simul etiam innueretur, omnia quasi necessaria quadam ratione per ipsius mortem fore restauranda, & in pristinum statum restituenda : nimirum, quod ad Patris nutum ita paratus, atque expeditus Christus fuerit, vt Deo mundum opportuniori modo saluare volente, ipse ad mortem subeundam, quod gratius ipsi erat futurum, tamquam ex lege, eaque strictissima iam inde teneri se vellet. Sed id ipsemet Dei Filius, atque Sapientia testatum reliquisse videtur, dum Prouerb.8.29. de se ait: *Quando appendebat fundamenta terræ, cum eo eram cuncta componens.* Vbi ex Hebr. propriè verteris, *stabiliens, firmans*, vt ex primæua rerum conditione, ad mundum postmodum labentem firmandum, & propriis humeris velut columna, & fulcimentum sustinendum, semetipsum, quà summi Patris Filius erat, oppignerauerit. Sed de hoc alibi.

Genes.1.1. *Hieron.* *Basil.* *Ambros.* *Psal.148.5.* *Ioan.1.3.* *S.Thom.* *Prou.8.29.*

En perfectissimum obsequendi Deo modum, quem Christus Dominus obedientiæ exemplar nobis imitandum proposuit. Et verò sic se ad eum ipsius sponsa conformauit, vt cùm à cœlesti sponso Cant.4.5. audiuit : *Vadam ad montem myrrhæ, & ad collem thuris*; ipsius potiùs nutum intuita, quàm vocem expectans, ad eum etiam locum, etsi nondum singillatim vocata, ea alacritate accurrerit, vt non priùs sponsum, quàm ipsam inibi commorantem videris, vt possis dicere: 8.

Cant.4.5.

——— *Tu non inuenta reperta es.*

At negabit ipsa vocatam non fuisse, quæ ex sponsi nutu, ad quem illa sese indesinenter fingere consueuit, eius voluntatem deprehenderet. Quod si id rei euentu firmatum videre velis, quid de seipso Ioannes scripserit cap.21.19. audi. Sanè cùm retulisset, Dominum vni Petro dixisse, *Sequere me*; subiicit : *conuersus Petrus vidit illum discipulum, quem diligebat Iesus sequentem.* At Ioannes, cur etiam sequeris? quando & tu vocatus es? quam audisti vocem? Non est opus, inquiet, vocem audire, citiùs qui diligit Domini nouit voluntatem. Ergo Petrus ex voce,

Ioan.21.19.

voce, Ioannes verò ex visu voluntatem Domini deprehendit. vt executioni mandet, quod hoc amantis sit proprium acutiùs ad obediendum intueri. Extat in eodem loco huius cogitationis fulcimentum: etenim cùm post resurrectionem suam, & Ioanni, & Petro in maris littore Christus apparuisset, à Ioanne solo visu, à Petro verò non nisi voce Ioannis excepta cognitus est, sic enim ibi
Ioan. 21.4. vers. 4. *Stetit Iesus in littore. Dixit ergo discipulus ille, quem diligebat Iesus, Petro: Dominus est. Simon Petrus cùm audisset, quia Dominus est, tunica succinxit se.* Sed quare à Ioanne solo visu, à Petro voce agnoscitur Christus? Respondet Chrysologus versans hæc verba serm. 78. *Primus qui diligitur videt, quia semper amoris oculus acutiùs intuetur, & semper viuaciùs, qui diligitur sentit:* quasi dicat, quod nescio quis,

Quid non sentit amor? primi vidistis amantes.

Qua, opinor, de causa galli nomine, qui dormientes excitare consueuit, humanum cor in Scriptura appellatur. Etenim, vbi Iob. 38.36. dicitur: *Quis dedit gallo intelligentiam?* Hebræa, vt testatur Pagninus, habent: *Quis dedit cordi intelligentiam?* Et pulchrè quidem gallus, cor dicitur, quia de ipso scitè inquit Philo Carpath. in cap. 8. Cantic. *Hic est enim primus ille animi affectus, qui cunctis animantibus insertus est à natura, quique omnia docet, ac monet.* Ita ille.

9. Facit quidem ad hanc cogitationem monitum illud Regij Vatis Psal. 44.11. *Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam.* Vbi meritò ambigas, cur dum Christi sponsam ad perfectam ipsius obedientiam vrget, phrasi audiendi, simul addiderit verbum videndi. *Audi* (inquit) *& vide*; neque enim visus in re obedientiæ censeri solet, cùm hæc in auribus tota sit. Sed facilis est ex supradictis responsio, aliud, scilicet, perfectius obediendi genus esse, quàm id quod auribus hauritur, illud nimirum, quod non tam voce, quàm nutu iubentis obseruato, ac deprehenso, oculis ipsis percipitur, dum ad quoduis, siue Domini, siue Prælati signum verus obediens paratus, & expeditus est. Namque (vt iam ex Seneca vidimus) *fertilibus agris non est imperandum*: id quod in Isaia videre fuit, qui Domini voluntatem de eo ad prædicandum Israëliticæ plebi mittendo, oculis potiùs, quàm auribus, ex illis eiusdem Domini verbis percipiens: *Quem mittam? & quis ibit nobis?* in medium statim prosiliuit, dicens: *Ecce ego, mitte me*, non præstolatus expressum ea de re Domini mandatum, sed ei ad nutum solummodo obsecutus. Ita quidem mystici illius Ezechielis currus mysticæ rotæ oculis plenæ esse dicuntur, Ezechiel. cap. 1.18. *Ostendentes hac re* (verba sunt Seueri Antiocheni in id loci) *se vigilare.* Sed quam ad rem? Planè, vt nutus tum spiritus, tum etiam sanctorum animalium percipiant, quò se totas ad illos fingant, & accommodent. Subdit ideo textus sacer: *Cumque ambularent animalia, ambulabant pariter & rota iuxta ea: & cùm eleuarentur animalia de terra, eleuabantur simul & rota. Quocumq; ibat spiritus, illuc eunte spiritu, & rota pariter eleuabantur sequentes eum, &c. cum euntibus ibãt, & cum stantibus stabant: & cum eleuatis à terra, pariter eleuabantur & rota sequentes ea: quia spiritus vitæ erat in rotis.* Quasi dicatur, ad eorum passum non tracti, non vocati, sed solo sonitu, siue nutu ducti ibãt. Iam verò si inquiras, quid rotæ, quid animalia significent. Respondet Venerabilis Galfridus in allegoriis Gotfridi Tilman. *Credimus, quod sicut animalia sancta Pastores, sic intelligi possunt rotæ congregationes.* Equidem perfecti viri, Deòque iam vndequaque dediti, atque deuoti, Iobi, inquam, qui egregios per tribulationes progressus fecerat, emphatica illa vox fuit cap. 42.5. *Auditu auris audiui te, nunc autem oculus meus videt te*: siue vt LXX. *Auditu auris audiui te antea, nunc autem oculus meus videt te*: ac si diceret, cùm obedientiæ tyro eram, aures ad obsequendum parabam, at modò oculos habere contentus, ipsis Domini imperantis voluntatem ex nutu deprehendo.

Chrysol. — Iob. 38.36. — Pagnin. — Phil. Carp. — Psal. 44.11. — Senec. — Ezech. 1.18. — Seuerus. — Galfrid. — Iob. 42.5.

Vella 79. in Epist. ad Philippens.

10. Applaudit Regius Psaltes Psal. 118.131. inquiẽs: *Os meum aperui, & attraxi spiritum, quia mandata tua desiderabam.* Vbi inquirat fortè non nemo, quid sit os aperire, atque spiritum ob ardorem explendi mandata, attrahere. Dixeris indicari vehemens desiderium excipiendi verba, siue mandata Dei, quasi ipsis potissimum mens alatur, ac proinde affirmare Vatem, non cibum se, aut potum concupiscere, sed Dei spiritum attrahere, atque haurire velle. Addideris etiam, ingens id desiderium eo corporis habitu denotari, quo qui maxima siti laborat, & angitur, siue cuiuspiam alterius rei ardenti cupiditate æstuat, aperto ore spiritum sorbere videtur. Bene quidem hæc dicuntur; sed & hoc amplius innui à Propheta censeo, venatorem se diuinæ voluntatis esse, qui eam vndique inuestigaret, occasionésque explendi illam exquireret: videtur enim abdita ibi similitudo, vel à venaticis canibus, vel ab onagris petita, qui prædam, siue etiam quas depereunt femellas, non auribus, oculisve solùm, sed naribus etiam solent deprehendere. Quare componas, quæso, hæc verba Dauidis cum illis Ieremiæ c. 2.24. de plebe Israëlitica summa auiditate idololatriæ, ac amatoriis leuitatibus dedita: *Onager assuetus in solitudine, in desiderio animæ suæ attraxit ventum amoris sui*: siue, vt ex Hebræo legit Pagninus, *ventum occasionis suæ* (quod alibi expendo.) Quod perinde fuit, ac si diceret Propheta, populum tam prono ad peccãdum animo ferri, vt aperto ore libidinũ ventũ sorberet, hoc est, peccandi occasionibus inhians ardenti illas studio perquireret. Ecce ergo quid sibi velit Dauid, cùm ait: *Os meum aperui & attraxi spiritum, quia mãdata tua desiderabam.* Est enim illius hic sensus: tam ardenter ego, ô Domine, voluntatem tuam omni ex parte adimplere percupio, vt illam omni in re non secus, ac prædam venaticus canis olfacit, scire ac deprehendere studeam, quò ad nutum ipse me tuum omnino efformem. Vnde huc rursus impunè aduoces (nam vt est in Prouerbio, *pulchrè dictum, bis, & ter*) quod de perfectissima Monachorum obedientia dicebat Hierony. in reg. Monach. c. 10. in commentario adductus: *Subditi antea conabantur iussa implere, quàm forent emissa, & quibusdam quodammodo indiciis nitebantur prophetare de voluntate mandantis.*

Psal. 118.131. — Ierem. 2.24. — Pagnin. — Hieron.

11. Nec longiùs ab hoc ire videtur, quod de perfectis obedientibus sub imagine lapidũ, qui ac si animati essent, ad fabricam perficiendam sponte aduoluerentur, sic dixit Zacharias c. 9.16. *Lapides sancti eleuabuntur super terram eius*: hoc est, interprete inibi Hieronymo, *in tantum erunt leues, & in sublime nitentes, vt non præstolentur ædificantium manus, sed ipsi festinent imponi super fundamentum Christi.* Scitè, *non præstolentur ædificantium manus*: quod ad ipsorũ nutus sese fingentes, & de voluntate mandantis prophetantes, ad ipsam exequendam summa festinatione anhelarent. Sanè si ij, qui Deo obedientiæ statum deuouerũt, à perfecto hoc obsequendi modo deflexerint, non leuem illis pudorem iniicient Valentis Imperatoris milites, in bellici cuiusdam ædificij constructione non aliter, quàm inquiebat Zacharias, ei obtemperantes, apud Themistium Euphradam orat. 10. his verbis: *Verùm Imperator Amphionis musicam, quam in ædificandis Thebarũ mœnibus osten*

Zach. 6.19. — Hieron. — Themist.

ostendit, facilè superauit. Diceres sponte lapides ipsos, & lateres aduolui, ac sine Architectis, & Lapidarijs per se murorum fabricam assurgere. Tanta erat militum obedientia & difficillimis in rebus facilitas. Vt vt id fuerit, erubescat hæc ab Ethnico decantata obedientiæ promptitudo, si cũ Baptistæ in obediendo celeritate compareturnam de ipso sic apud Luc. cap. 1. 44. Luc. 1. 44. ipsius mater: *Exultauit infans in vtero meo*; in quæ Ambros. verba Ambros. lib. de Virginis institutione: *Ad vocem Mariæ exultauit infantulus, obsecutus antè quam genitus.*

12. Nec caret emphasi in hanc rem, non dictum à Christo de suis ouibus, oues meæ voces meas audiunt, sed potiùs, *vocem meam audiunt*, Ioan. 10. 27. Ioan. 10. 27. quasi vna tantùm illæ voce, non duabus ad Christi mandata exequenda indigeant. Quod quidem videtur expressisse Paulus ad Titum 3. dum illum Ad Tit. 3. 1. singillatim instituit, vt fideles commonefaciat, cuius Prælati voci, aut dicto obedientes se exhibere, inquiens, *admone illos dicto obedire.* Vnde alibi peculiari emphasi monet, eum qui secus fecerit, sic notandum, cauendúmque esse, quasi è Christi grege non sit: ita enim 2. ad Thessalonicens. 3. 14. 2. ad Thess. 3. 14. *Si quis non obedierit verbo nostro per epistolam, hunc notate.* Pende non dixisse, verbis nostris, sed, *verbo nostro*, quod oues Christi, vt primam vocem audiunt, obediunt, & iussa exequuntur. Sed enim nec voce nimis contenta Christi discipulis opus esse, sed quemuis potiùs vocis sonum, aut sibilum illis sufficere, vt ad obsequẽdum sint paratissimi, sic ipsorum Pastor asseruit Zachar. 10. 8. Zach. 10. 8. *Sibilabo eis, & cõgregabo eos, quia redemi eos.* Quid enim fuerit, *Sibilabo eis*, nisi, non pluribus vocibus, imò nec voce, sed leui solùm signo ad ducendum, reducendúmque gregem vtar? ita inibi Stephanus Cantuariensis, in alleg. Gofridi Tilman. *quasi solo sibilo opus sit, non prædicationis tuba.* Arridet his locus ille Cant. 1. 10. Cant. 1. 10. *Murænulas aureas faciemus tibi.* Sed priùs ex Bernardo, & Anselmo obserua, hoc ornamenti genus non ad collum, vt alij Patres putant, sed ad aures pertinere: deinde ex communi interpretum consensu, ideo appellari murænulas, quod in eis murænæ similitudo ori extremam caudam insertantis insit, de quo vide Clem. Alex. Clement. Alexand. lib. 2. Pædag. cap. 12. Iam nunc quis obedientiæ modus sit qui hac imagine Dei sponsis commendetur (est namque inauris obedientiæ typus, vt ex Tertul. lib. cont. Iudæos con- Tertul. Ambros. stat) disce ex Ambros. lib. 5. in Hexam. cap. 7. miram murænæ obedientiam speculante, quæ licèt sit in profundo maris, ad primum tamen viperæ è terra illam compellantis sibilum festino motu conuenit. Audi illum: *Vipera nequissimum genus bestiæ, & super omne, quod serpentini generis est, astutior, vbi coëundi cupiditatem assumpserit, murænæ maritimæ notam sibi requirit copulam, vel nouam præparat, progressáque ad littus sibilo testificata præsentiam sui, ad coniugalem amplexum illam euocat. Muræna autem inuitata non deest, vt venenata serpenti expetitos vsus suæ impertiat coniunctionis.* Hæc Ambros. Ergo non aliud mihi sonant hæc verba, *Murænulas aureas faciemus tibi*, quàm illa, *Sibilabo eis, & congregabo eos* quasi ouibus Christi solo sibilo ad obsequendum opus sit, non prædicationis tuba. Vbi illud cum Ambrosio præfato loco non reticendum, nullam subditis excusationem cùm promptè, ac libenter non obediũt, iam relinqui, quod Prælati seueriores, ac rigidiores sint: quod enim Ambrosius ad coniuges retulit, id vnum subditos omnes monendos esse censemus; sic namque ille post citata verba: *Quid sibi vult sermo huiusmodi, nisi ferendos esse mores coniugum? sit licèt asper, fallax, inconditus, lubricus, temulentus: quid peius veneno quod in coniuge muræna non refugit? Vocata non deest, & serpentis lubricum sedula charitate complectitur.* Sic ille.

Ad ea verba: *Mortem autem crucis.*

ADNOTATIO V.

Literalis, & Moralis.

Ideo Christum in cruce mortem obire signatissimè voluisse, vt lethale chirographum, quod erat contrarium nobis, cruci suæ affigeret, atque inibi diuinæ Iustitiæ pro nostris peccatis vsque ad vltimum quadrantem satisfaceret.

SEd iam tandem omnium optimam rationem, tam Ecclesiæ, quàm Patrum auctoritate fulcitam, atque firmissimam, sacris arcanis omnimodis congruentem, cur crucis mortem Dominus elegerit, in medium proponamus; quæ quidem ea est, *vt qui in ligno vincebat, in ligno quoque vinceretur*, siue, vt inquit Anselmus lib. 1. cur Deus homo cap. 3.) *vt* Anselm. *diabolus, qui per gustum ligni (quem suasit) hominem vicerat, ita per passionem ligni, quam intulit, ab homine vinceretur.* Etenim *audis crucifixum* (inquit Petrus Chrysologus ser. 60. de Symbol.) *vt ex mortis ignominia* Chrysol. *magnitudinem sentias charitatis, mortémque quæ per lignum venit, mortificatam scias esse per lignum, & credas maiora tibi esse reddita per crucis arborem, quàm perdidisse te per Paradisi arborem suspirabas.* Ad quem modum Chrysostomus hom. 2. in Symbol. tom. 5. dum inquirit: Chrysost. *Quare hoc passus?* sic respõdet, *vt quia nos in transgressione per Adam primum hominem mortui eramus, in patibulo crucifixi resuscitaremur.* Vnde hom. 16. in Genes. cùm de ligno mortis longiùs disseruisset, ad vitæ lignum se conuertens, inquit: *Age, si placet, ab hoc ligno ad lignum crucis ser-* Idem. *monem vertamus, & videamus quænam mala illud intulit, & quæ bona illud conciliauit. Lignum illud mortem introduxit, nam post præuaricationem mors intrauit; sed illud immortalitatem largitum est: illud è Paradiso eiecit; illud in cœlos nos reduxit: illud propter vnam transgressionem tanti supplicij reum Adam fecit; illud nos plurimis peccatorum sarcinis exonerauit, fiduciámque ad Dominum nobis concessit.* Iam & ipsum Christi cruci suffixi, manúsque acerbo cum dolore extendentis habitum cum inobedienti manu Adæ ad cibum vetitum audacter extensa, sic componit Augu- August. st. in Appendice de diuersis, sermone 4. *Sacrarum Christi Domini manuum in ligno crucis extensio, & reuerenda confixio condemnabat Adæ, & Euæ manus ad interdictum ligni cibum ingemiscenda sæculi transgressione porrectas.* Pensiculatiùs verò Nazianz. orat. 1. Nazianz. sic ea de re: *Idcirco lignum aduersus lignum, & manus aduersus manum, illa inquam fortiter extensæ aduersus incontinenter extensam, illa clauis confixæ, atque constrictæ, aduersus remissam, & solutam, illa orbis fines coniungentes, aduersus eam quæ Adamum è Paradiso exturbauit.* Sed hac de re luculentiùs Ambrosius præfatione in Psalm. 35. vbi premens illa Ambros. hostium Christi necem ei machinantium verba apud Ierem. 11. 19. *Mittamus lignum in panem eius*, sic Ierem. 11. 19. ait: *Pulchrè etiam duo ista iunxerunt*: Iniiciamus lignum in panem eius. *Nesciebant quid loquerentur Iudæi, & mysterium loquebantur. Paradisum nobis crux reddidit Christi. Hoc est lignum, quod Adæ*

Domi

Dominus demonstrauit, dicens, de ligno vitæ, quod esset in medio Paradisi, edendum: de ligno autem scientiæ boni, & mali, non edendum. Errauit Adam, mandata non tenuit, interdictum gustauit. Per lignum cœpimus esurire, quia suum caro accepit alimentum. Ideo Dominus in Christo carnem iunxit, & lignum, vt fames antiqua cessaret, vitæ gratia redderetur. Beatum lignum Domini, quod omnium peccata crucifixit. Beata caro Domini, quæ victum omnibus ministrauit. Sic Ambrosius. Verùm hæc pensiculatiùs tractare, atque elucidare oportet. Atque id vt præstem, Paulus mihi de more ductor, atque adiutor aderit.

2. Et quidem quod mille scriptores innumeras voluminum paginas opplentes, vix delibare, delinearéve potuissent; quid videlicet mali, & quonam modo humanum genus per peccatum incurrerit, quidque subinde boni Christus nobis attulerit, quot pro nobis mala fuerit perpessus, illatáque nobis à nobismet ipsis damna ad rigidam Iustitiæ trutinam resarcierit, atque Deum nobis maximè infensum reconciliauerit, paucis his verbis ipse absolutissimè docuit, nobísque ob oculos iecit, ad

Ad Coloss. 2. 14. Colossl. cap. 2. 14. *Delens quod aduersum nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, & ipsum tulit de medio, affigens illud cruci: & expolians Principatus, & Potestates, traduxit confidenter, palàm triumphans eos in semetipso.* Sed verba tam præclara, quàm difficilia, accurata expositione fructuosa, opinor, atque iucunda lectori reddentur: & de illis quidem sic Paulinum monebat

August. August. epist. 59. quæst. 7. *Obscura esse dixisti, neque ego adhuc sine caligine intelligo:* nec immeritò quidem, cùm varia ipsorum, & lectio, & explicatio sit. Sanè tota difficultas in eo cardine versatur, vt *chirographum decreti*, ad amussim explicetur: nam cùm chirographum propriè sit, scriptum manu propria, vt & Græci vocabuli etymon, & Latinorum vsus

Cicero. manifestè ostendunt; (sic enim dixit Cicero 2. in Anton. *Quo me teste conuinces? an chirographo? at literæ sunt librarij manu.* & indidem: *Cuius domus quæstuosissima est falsorum chirographorum officina.* & disertissimè Satyrographus Satyr. 13.

Iuuenal. *Vana superuacui dicunt chirographa ligni,*
Arguit ipsorum quos littera.——

L. si vt certò. D. commodati. Vnde apud Iureconsultos signatè dicitur debitor chirographarius, vt in leg. *si vt certò. §. item denique. D. commodati*, his verbis: *si tibi meum codicem commodauero, & in eo chirographarium debitorem tuum cauere iusseris*) non bene hærere, aptarive videtur voci, *decreti*: est namque decretum, Regis statutum, edictum, sententia, siue Iudicis cum causæ

Deut. 17. 12. cognitione deliberatio. Ita Deuteron. 17. 12. *Qui superbierit, nolens obedire Sacerdotis imperio, & decreto*

Dan 3. 10. *Iudicis, morietur.* Et Daniel. 3. 10. *Tu Rex posuisti*

2. Mach. 6. 8. *decretum.* Similiter lib. 2. Machab. 6. 8. *Decretum exijt in proximas Gentilium ciuitates, vt pari modo & ipsi aduersus Iudæos agerent, &c.* signatissimè verò 1.

1. Esd. 6. 11. Esdræ 6. 11. sub persona Darij Regis: *A me positum est decretum, vt omnis homo, qui hanc mutauerit iussionem, tollatur lignum de domo ipsius, & erigatur, & configatur in eo.* & post nonnulla: *Ego Darius statui decretum, quod studiosè impleri volo.* Nec minus ad rem

Plin. dixit Plinius Iunior: *Decreta, quibus damnati erant, proferebantur.* Vnde quidem videris chirographum nobis contrarium, hoc est, cautionem manu nostra scriptam haud facilè cum decreto construi: quî enim Iudicis in me decretum, siue statutum, ipsamet mei manu dicatur conscriptum? aut quî mea syngrapha, Principis statutum esse possit?

3. *Iustinian.* Ergo, vt bene obseruat Iustinianus ad id loci, ex *Vellazq. in Epist. ad Philippens.* Græco fonte pro, *decreti*, legendum est, *decretis*, siue,

Lect. Græc. Origen. Ambros. Hilar. *in decretis*: est enim Græcè, τοῖς δόγμασιν, atque ita disertè legerunt Origenes homil. 13. in Genes. & Ambros. ibi: *Chirographum in decretis*, nec aliter Hilar. lib. 9. de Trinit. *Chirographum in sententijs.* Ex qua sanè obseruatione, sic chirographum cum decreto conciliare, atque explicare commodè valeas, vt decretum fuerit illa Dei sententia, mortis minas in primum hominem, & in omnes eius posteros intorquens: *De ligno scientiæ boni, & mali ne comedas: in quocumque enim die comederis ex eo, morte morieris,*

Genes. 2. 17. Genes. 2. 17. Quæ quidem ex se non aliud supplicium, damnúmque homini afferebat, nisi quod ipsemet homo relictus in manu consilij sui, propriæ necis artifex, atque suæ damnationis auctor sibimet per transgressionem vellet inferre: sic nam-

Sap. 1. 13. & 16. que verissimè dixit Salomon Sap. 1. 13. & 16. *Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione viuorum, impij autem manibus, & verbis accersierunt illam.* Chirographum verò deliberata hominis transgressio, qua sponte sua ipse se dãnat, & morti addicit, eo modo

L. 1. C. de fideis. liber. quo Imperator ille dicebat in leg. 1. C. de fideicommiss. libert. *Tu te pœnæ subdidisti.* Sanè, ac si homo in ipsomet Dei decreto, comminatoriáque, siue conditionali mortis, *in quocumque die comederis, morieris*, sententia, non secus, ac debitor chirographarius propria aduersus se manu conscribat, velle illi se pœnæ subiacere. En *chirographum decreti*, hoc est, chirographum hominis manu in decreto Dei, tamquam in creditoris codice conscriptum, quo mortis reum esse profitens ipse se damnat. Nec alio sanè

Eccl. 15. 14. modo id Ecclesiasticus expressit, inquiens c. 15. 14. *Deus ab initio constituit hominem, & reliquit illum in manu consilij sui. Adiecit mandata, & præcepta sua: si volueris mandata seruare, conseruabunt te, & in perpetuum fidem placitam seruare. Apposuit tibi aquam & ignem: ad quod volueris porrige manum tuam. Ante hominem vita, & mors, bonum, & malum, quod placuerit ei, dabitur illi.* Placuit ergo ipsi mors, porrexitque ad illam manum suam, mortis chirographum propria manu conscribens, & muniens. Iam huic sententiæ sic expositæ mirificè concinunt Patrum verba: sic

Chrysost. namq; in primis Chrysost. hom. 1. ad Neophyt. tom. 5. *Venit Christus, & inuenit nostrum paternum chirographum, quod conscripsit Adam; ille initium induxit debiti, nos fœnus auximus posterioribus peccatis: ibi maledictio fuit, & peccatum, & mors, legísque condemnatio.*

Origen. Hæc Chrysost. Quæ sic penitiùs explicat Origenes hom. 13. in Genes. *Peccati literas nos scribimus: audi Apostolum dicentem*: Delens, *inquit*, quod aduersus nos erat chirographum in decretis, quod erat contrarium nobis, tulit illud de medio, affigens illud cruci suæ. *Istud quidem quod dicit chirographum peccatorum nostrorum cautio fuit, vnusquisque etenim nostrum in his, quæ delinquit, efficitur debitor, & pec-*

Theodor. Ambros. August. Basil. *cati sui literas scribit.* Similiter loquuntur Theodoretus, & Ambrosius ibi, & August. lib. 1. cont. Iul. & lib. 2. de peccat. merit. cap. 30. Basilius in cap. 10. Isaiæ. Luculenter verò chirographi imaginem elu-

Cyprian. cidant Cyprianus, & Ephrem verbis non omittendis; sic namque prior in Symbol. num. vlt. §. 12. *Hinc aduersum nos peccatorum chirographa scripta sunt, quia, vt Propheta dicit, peccatis nostris venundati sumus. Pretium namque animæ suæ vnusquisque consequitur, cum concupiscentiæ satisfecerit.* Ephrem verò in

Ephrem. confession. & sui ipsius reprehensione, tom. 2. peccatoris personam, quæ sanctissimo viro non aptè quidem quadrabat, induens, hæc omnia sic diffundit: *Ab ære alieno animã liberare contendo, sed debiti me impedit magnitudo. Pessimus fœnerator est diabolus, non enim debitum repetit, liberaliter mutuo dat, nec vult*

vnquam recuperare; nullum aliud fœnus præter vnam seruitutem deposcit: suppeditat abundanter ea, quibus cupiditates nostræ magis augentur, nec debitum exigit. Cupio ego, quæ debeo reddere, at ille debitum aliud addit, atque auget. Quando autem ipsum, vt accipiat, cogo, maiora suggerit, vt ex eius pecunijs videar ipsi fœnus persoluere. Debita aduersum me renouat, quoniam nouis cupiditatibus priores interrumpit; cùm vetera me persoluisse debita existimo, nouis me iterum cupiditatum chirographis obstringit. Videt me debiti continuatione adductum, vt lubens in peccatis persistam, nouásque mihi cupiditates inijcit. Veterum cupiditatum vt obliuiscar, curat, ne illas confitear, & vt ad nouas, tamquam minimè obfuturas accedam, suadet. Nouis igitur cupiditatibus acquiesco, ac vaco, ac temerè priores obliuioni mando, cum ingruentibus paciscor, atque conuenio, & debitorem me rursus constituo. Ad illas tamquam familiares accedo, & fœnerantes mihi rursus inueniuntur, vt domini; dum verò ab eis liberari cupio, per eas veluti seruus multis venalis efficior. Cùm earum præcidere vincula conor, alijs mox catenis detineor, & dum à bello passionum recedere studeo, per progressiones, atque largitiones quasi œconomus ipsarum inuenior. O improbum igitur Draconis dominium, quoniam seruiens imperat. Hæc ex Ephrem, omnia huic instituto peropportuna.

4. En chirographum in decretis, quo homo à se ipso conuictus, & damnatus, æternis pœnis, atque suppliciis omnino maneret obnoxius, nisi crucem Dominus subire, & ineffabili pietate, & charitate chirographum illi affigere voluisset. Sed quid est (inquis) cruci chirographum affigere? Aperiam, si quid debitor hic chirographarius immenso æris alieni pondere pressus, cùm soluendo non esset, Deo humiliter atque submissè suggerebat, priùs dixero. Sic enim Regius Vates Psal. 6. 4. *Et tu Domine vsquequo? Conuertere Domine:* ac si diceret, inquit Chrysol. ser. 45. *Quousque pateris? quousque dissimulas? quousque non subuenis? quousque dissipari opus tuum, deleri imaginem tuam, tuam tibi creaturam deleri permittis? Vbi est Christus tuus tibi toties nunciatus? Veniat, veniat, vt carnem reparet, innouet animā, ipsam naturam in cœlestem commutet substantiam.* Sed pergit, atque illud, *Conuertere Domine,* sic capit, vt perinde sit, ac si à Deo Psaltes exposcat, vt humanis culpis debitam pœnam ipse subeat; sic enim ille. *Hoc autem petere Prophetam sequens sermo demōstrat:* Conuertere Domine. *Homo Deo, reus Iudici, addicitus sic loquitur cognitori,* Cōuertere Domine. *Homo peccat, & Deus conuertitur? Ita fratres, quia iuxta Prophetam* (Isai 53. 4. iuxta LXX.) iste peccata nostra portat, & pro nobis dolet. *& B. Ioan.* Ecce Agnus Dei: ecce qui tollit peccatum mundi, Ioan. 1. 29. *Suscepit peccatum, vt peccatum tolleret, non haberet.* Conuertere Domine: *Vnde? vbi? De Deo in hominem: de Domino in seruum* Hactenus Chrysolog. Nec minus perspicuè alibi idem Vates, inquiens: *Suscipe seruum tuum in bonum, non calumnientur me superbi,* Psal. 118. 122. vbi Hieron. pro iis verbis reponit; *Sponde pro seruo tuo in bonum.* & versu 116. *Suscipe me secundum eloquium tuum, & viuam, & non confundas me ab expectatione mea:* pro quibus ex Hebræo Hieron. *Sponde pro me, & viuam;* vt dixerit Vates, nisi pro me fideiusseris, peribo: fideiube ergo Domine, & viuā. Expressit id quidem, hanc sponsionē sine fideiussionem enucleatiùs edisserens bonus ille etiā Rex Ezechias, qui dum morti addictus, generis humani typum, & imaginem ad viuum gerebat, ad Dei Verbum, atq; Sapientiā, cuius manu conditus fuerat, vt extremè indigenti opem ferret, sic clamabat Isai. 38. 14. *Domine vim patior, responde pro me:* vbi Lectio Tigurina, *fideiube pro me.* Similiter Montanus, Forerius, Agellius, & quotquot Hebraïcè sapiunt, *sponde pro me.* (Nec aliud significat verbum, *respondeo,* quod apposuit Vulgatus; solet enim ab iis etiam, qui Latinissimi videri volunt, pro *spondeo,* nouo illi addito acumine, atque energia, vt idem sit, ac efficaciter, & iterum, atque iterum fideiubeo, sumi: quo sensu dixit Horat. lib. 1. epist. 17.

Quo responsore, & quo causæ teste tenentur.)

Quare is indubitatus ex Bernardo in cant. Ezech. S. Thoma, Dionysio, Hugone, Agellio, Gaspare Sanchez, & aliis interpretibus, Ezechiæ sensus est, vt Dei Filium in vadem, ac fideiussorem humani generis, qui nimirum pro ipso cruci, ac morti se obijciat, obnixè accersat; sic enim Agellius: *Sponsionem eam indicat, qua Dei Filius, cùm se vadem obtulisset, ac morti pro nobis obiecisset, nos à morte liberauit.* Sed pergit Bernardus, & hæc verba cum iis, quæ in manibus habemus, *delens chirographum,* &c. sub eodem sensu sic componit: *Responde pro me, affigens peccata cruci, & sanguine tuo delens.* Et verò suimet ipse Ezechias germanus & accuratus interpres est, postmodum subdens: *Tu verò eruisti animam meam, vt non periret.* Sed quomodo? *Proiecisti post tergum tuum omnia peccata mea,* hoc est, peccatorum nostrorum sarcinas, atque onera propriis humeris sustinens, & baiulans: etenim *languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit,* Isaj. 53. 4.

5. Vidisti quid miser hic debitor, cùm soluendo non esset, nec hominem haberet, qui pro ipso fideiussor existeret, à Dei Filio postularet: ergo & hinc quid iam fuerit, Christum chirographum decreti delere, dum illud cruci suæ affixit, simul nosti. Sed enim, tam vt hæc locutio vndequaque subsistat, & absolutissima Apostoli sapientia, ac eruditio appareat, quàm vt peculiaris causa, ob quam Christus signanter crucem subiuit, innotescat; quid Paulus ante oculos habuerit, siue ad quem morem alluserit cùm hæc scripsit, disce ex Senecæ verbis lib. 4. de beneficiis, cap. 11. hunc locum mirificè illustrātibus: dum enim scitè ipse ibi contenderet, adeò liberaliter, nec alicuius vtilitatis obtentu beneficia dāda esse, vt sæpius cū damno, ac periculo conferri oporteat, atque hæc alibi à me adducta subiecisset: *Sic latronibus circumuentum defendo, vt tutò transire permittatur, reum gratia laborantem tueor, & hominum potentium factionem in me conuerto, quas illi detraxero sordes, sub accusatoribus iisdē fortasse sumpturus;* sic statim pergit: *Cùm abire in partē alterā possim, & securus spectare aliena certamina, spondeo pro iudicato, & suspēsum amici bonis libellū deijcio, creditoribus eius me obligaturus, vt possim seruare proscriptum, ipse proscriptionis periculum adeo.* Opportunissimè ad hanc rem illud, *spondeo pro iudicato, & suspensum amici bonis libellum deijcio, creditoribus eius me obligaturus;* id enim omnino in Paulo est: *Delens quod aduersus nos erat chirographum decreti, affigens illud cruci suæ;* non enim sic deleuit quasi liberalitate erga peccatum vsus fuerit, sed vt in seipsum debitam peccatis pœnam transferens diuinæ Iustitiæ omnimodo satisfecerit. *Suscepit* enim *ipse peccatum* (inquit Chrysologus ser. 29.) *ne perderet peccatores, in se sententiam suam Iudex retorsit, vt amasse se peccatores proderet, magis soluendo debitum, quàm donando.* Sed id sic disertissimè expressit Isaias cap. 53. 12. *& ipse peccata multorum tulit;* Hebræum enim verbum, *nasaa*, propriè significat sustinere, & in se transferre: vnde sensus est, ipsum peccatis nostris debitam pœnam ad se transtulisse, affigentē cruci suę chirographū decreti. Etenim (vt verba Athanasij vsurpem ser. de Cruce, & Pass.) *cùm videret malitiam intolerabilem esse, neque*

que

Psal. 6. 4. Chrysolog. Isai. 53. 4. Ioan. 1. 29. Ps. 118. 122. Hieron. Ps. 118. 116. Hieron. Isai. 38. 14. Lect. Tigur. Horat. Bernard. S. Thom. Dionys. Hugo. Agellius. Gaspar Sanchez. Bernard. Isai. 53. 4. Senec. Chrysol. Isai. 53. 12. Athan.

que humanum genus morti vlteriùs resistere, neque supplicium suorum delictorum luere posse, miseratus nostram imbecillitatem, eam ipsam induit; ipse enim, vt Propheta ait, infirmitates nostras sustinuit, & languores baiulauit, *misertúsque nostra mortis, ea ipsa circumamictus est. Conspicatúsque quàm non soluendo essemus ad luendam pœnam, illam ipsam pœnam in se transtulit. Christus enim factus est pro nobis piaculum, & ita humanitate nostra indutus, & circumuestitus sese obtulit Patri, vt ipse pœnam sustinens hominem à pœna liberum faceret.* Hæc Athanas. *illam ipsam pœnam* (inquit) *in se transtulit:* hoc est, suspensum nostris vitæ, animæque bonis libellum cruci suæ affixit, vt in ipsa humanis peccatis debitam pœnam sustineret.

6. 1. Pet. 2. 24. Vnde quidem omnino ad hanc rem Petrus Epist. 1. cap. 2. 24 *Qui peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum*; vbi non tam videtur historicus sermo esse de ipsamet Christi passione, & morte (quamuis sensus eodem recidat) quàm arcana locutio de inaspectabili actione, qua peccata nostra ad crucem Christus sustulit, vt ipsa illi affigeret. Ita quidem videntur accepisse hunc locum Lectio Syriaca, & Athanasius: hic enim orat. 4. contra Arian. sic eum refert: *Efferens peccata nostra in crucem vnà cum corpore suo.* Syriacus verò: *Et baiulauit omnia peccata nostra, eáque sustulit in corpore suo ad crucem.* (Lect. Syr.) Sanè, vt in corpore suo eorum omnium pœnas adeò singillatim dependeret, ac si hæc æris alieni obligatio ad eum omnino pertineret. Quare Paulus ad Romanos 8. 3. notanter in hanc sententiam dixit: *Misit Deus Filium suum in similitudinem carnis peccati, & de peccato damnauit peccatum.* (Ad Rom. 8. 3.) Quæ verba sic optimè legit, atque explicat Lectio Syriaca: *Misit Deus Filium suum in similitudinem carnis peccati propter peccatum, vt reum peragerct peccatum in carne ipsius.* (Lect. Syr.) Bellissimè; ac si dixerit Paulus cum Isaia cap. 53. 6. *Omnes nos quasi oues errauimus, vnusquisque in viam suam declinauit, & posuit Dominus in eo iniquitates omnium nostrûm:* (Isai. 53. 6.) nimirum, vt reum peragerct peccatum in carne ipsius; hoc est, in eius corpore omnium hominum peccata debitis pœnis, atque suppliciis afficeret; sic enim ex Hebræo reddidit hæc verba Pagninus: *Et Dominus peruenire fecit ad eum pœnam omnium nostrûm.* (Pagnin.) Quo sensu capio, quæ Leo Pontifex premens illud Ioannis 12. 32. *Si exaltatus fuero à terra, omnia ad me traham,* hunc in modum dicebat: *Cùm exaltatus fuero à terra, omnia ad me traham, id est, totam causam humani generis agam, & olim perditam in integrum reuocabo naturam.* (Leo Magn.) Quid enim fuerit totam humani generis causam in cruce Christum agere, nisi quò reum gratia laborantem (vt dicebat Seneca) tueretur, reum peragere peccatum in carne sua?

7. Ecce omnium peccatorum chirographa, siue libellos olim hominis ædibus suspensos, cruci iam affixos; Christúmque, vt possit seruare proscriptum, proscriptionis periculum subeuntem, necnon summum Patrem, quidquid pœnarum à nobis contaminatissimis peccatoribus exigere debuit, ab innocentissimo Filio exigentem. Hinc equidem Christo sub ictu flagellorum iam iam posito, siue cruci propemodum affigendo, iure accommodes illa Prouerb. verba cap. 20. 16. *Tolle vestimentum eius, qui fideiussor extitit alieni, & pro extraneis aufer pignus ab eo*; (Prou. 20. 16.) siue vt Lxx. legunt, *& pro extranea oppignorauit se:* (Lxx.) quasi ea summus Pater, vt Iustitiæ vindex peccatorum solutionem exigens, & fideiussorem appellans, dixerit. Et verò, vt id non tam de externis vestibus, quàm de ipsamet cute, & pelle corporis tot verberibus, atque ictibus disrupta debeat intelligi; adhuc, non sine emphasi, de ipsis etiam vestimentis inter milites in quatuor partes distributis, bene accipias. Nam de iis sic inquit Athanasius in Euangelium de Passione, & cruce Domini: *Carnifices cætera diuiserunt, vestimenta in quatuor partes, vt significaretur, quadripartito orbi inseruire, quidquid Christi est*; (Athan.) ac si dixerit, Christum sua etiam vestimenta pro ære alieno à quatuor mundi partibus contracto numerasse, siue tam exactè à diuina Iustitia Christum, vt hominis fideiussorem appellatum, vt in ipsismet vestibus interpellatio fieret. Nec id adeò mirandum, cùm ipsammet vitam, & sanguinem bonus sponsor pro nostris debitis appenderit. Quò bene referas illud Isai. 53. 7. *Oblatus est, quia ipse voluit:* (Isai. 53. 7.) si tamen obserues Hebræum verbum, *Nogas*, pro quo noster posuit, *oblatus est*, quod omnino significat exigere, & repetere eum vi, afflictione, & molestia, vt Isai. 58. 3. *Omnes debitores vestros repetitis:* (Isai. 58. 3.) vnde ab hoc verbo deducitur vox, *Noges*, id est, *exactor:* vt Exod. cap. 5. 6. *Præcepit ergo in die illa præfectis operum, & exactoribus populi* (Exod. 5. 6.) Ideo hunc locum sic transtulit Pagninus; *Oppressus est, & afflictus:* (Pagnin.) similiter Lectio Tigurin. *Mulctatus est, & afflictus:* (Lect. Tigur.) (quomodo hæc à Vulgato non dissonent, apposite ostendit Gaspar Sanchez) (Gasp. Sanchez.) vt de Christo tamquam de fideiussore, à quo æs alienum à debitore contractum seuerè exigatur, sermo sit. Qui quidem sensus (eodem P. Sanchez bene obseruante) antecedentibus Vatis verbis vers. 5. *Disciplina pacis nostra super eum*, (Isai. 53. 5.) omnino subest: etenim Hebræa vox, pro qua Vulgatus legit, *pacis*, est *Salom*, quæ etiam significat *retributionem*, vt Psalmo 54. 23. *Extendit manum suam in retribuendo.* (Psal. 54. 23.) & Psalm. 68. 23. *In laqueum, & in retributionem:* (Psal. 68. 23.) vtrobique enim est, *Salom*; ac si dicat Propheta: quæcumque supplicia, & pœnas, quas nos retribuere, ac rependere debuimus pro peccatis nostris, ab eo diuina Iustitia exegit, atque ipse omnia nostra chirographa eum puluisculo exsoluit. Sed quid alienis vocibus fuerit opus, cùm his ipse clamet: *Quæ non rapui, tunc exsoluebam?* Psal. 68. 5. (Psal. 68. 5.) Vide, vt eas explicent Hilarius, & August. necnon Didymus, qui hæc verba cum chirographo decreti, de quo Paulus, opportunè componit. (Hilar. August. Didym.)

8. Quare rursus signatissimè Isaias de Christo Passionem, crucémque subeunte præfato cap. 53. 4. dicebat: *Verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit:* (Isai. 53. 4.) pro quibus Lxx. eodem sensu, pulchra tamen temporis diuersitate reponunt: *Iste peccata nostra portat, & pro nobis dolet.* (Lxx.) Sed priùs obserua, præpositionem, *pro*, de qua sæpius monuimus, habere vim substituendi vnum pro altero, vt Christum dolere pro nobis sit, eosmet dolores sustinere, quos nos perferre debebamus. Vnde post citata verba Nazianz. in Apologet. *Idcirco lignum aduersus lignum, & manus aduersus manus, illæ inquam fortiter extensæ aduersus incontinenter extensam, illæ clauis confixæ atque constrictæ aduersus remissam, & solutam*; (Nazianz.) subiicit: *idcirco sublimitas aduersus lapsum, fel aduersus gustum, & spinea corona aduersus prauum imperium, & mors aduersus mortem.* Ac si diceret: debebantur nobis optimo merito ob prauas nostras dulcedines, & vanissimas pompas fel, spinæ, verbera; potissimum verò ob iniurias Deo illatas morte, eáque æterna afficiendi eramus, idcirco noster fideiussor fel, spinas, & mortem subiit. Iam preme verbum præsentis temporis, quod apposuêre Lxx. *peccata nostra portat, & pro nobis dolet.* Quod quidem, quamuis modò ad dolorem, qui præsens adsit,

referri nequeat, cùm Christus summè sit gloriosus, atque impatibilis; at enimverò de præsentibus culpis, siue de peccatis, quæ modò perpetramus, pro quibus tam signatè tunc, ac sic illis modò præsens esset, dolebat, dubio procul capiendum est. Vnde emphasim habent huic rei opportunam impia illa immanissimorum satellitum colaphizantium Christum verba: *Prophetiza Christe, quis est qui te percussit?* Matth. 26.68. Vt enim iis, qui Dominum coram, & in præsentia percutiebant, prophetica responsa, quæ rem eminus contemplantur, non quadrabant; ita nobis, atque iis omnibus, qui erant futuri, pro quibus singillatim Christus dolebat, eorúmque iniquitates portabat, apprimè conueniunt. Quare opportunè Drogo de Dominicæ Passionis Sacram. *In domo ergo Principis Sacerdotum, velata facie colaphizatur Christus, quia in domo conscientiæ, cæcata mente colaphizatur Christianus. Quod enim Christus in publico, ego patior in occulto; quod ille foris à ministris Caiphæ, ego intus à negotijs Satanæ: quia super dorsum meum fabricauerunt peccatores: faciem mihi velauerunt, faciem meam in terra defixerunt, & dorsum incudem suam fecerunt, & super dorsum meum fabricauerunt peccatores.* Quo in loco Bernardi vox insonat serm. 3. in Natali Domini. *Agnosce ô homo, quàm grauia sint vulnera pro quibus necesse est Dominum Christum vulnerari; si hæc non fuissent ad mortem, & mortem sempiternam, nunquam pro eorum remedio Dei Filius moreretur.* Sic Bernard.

Mat. 26.68.

Drogo.

Bernard.

9. Quò aptè in sensu saltem spirituali referas mœstissima Ieremiæ verba Thren. 1.12. *O vos omnes, qui transitis per viam, attendite, & videte, si est dolor sicut dolor meus.* Vbi pro, *O vos*, ex Hebræo Pagninus: *Non sit vobis graue*; Chaldæus: *Adiuro vos*; Agellius ex Græco: *Si ad vos.* Pergunt LXX. *Conuertite vos, & videte, si est dolor iuxta dolorem meum, qui factus est.* Perinde enim est, ac si sub Christi cruci suffixi persona dicat Vates: vtinam animaduertatis, & attentiùs in meo dolore dolorem vestrum consideretis, atque ex his vulneribus, & supplicijs, quæ perfero, interiora vestra vulnera, meritásque illis pœnas deprehendatis. Ita præfato loco Venerabilis Drogo: *Attendite dolorem meum, vt in dolore meo videatis dolorem vestrum, dolor meus imago vestri doloris est. Quod attenditis in corpore meo, attendite & vos, si similis dolor non est in corde vestro, transitis à vobis ad me, transite à me in vos, & videte, si similis dolor in vobis sit, sicut dolor meus.* Nolite flere super me, sed super vos ipsas flete filiæ Ierusalem. *Nam ille dolor, quem transitis, & non attenditis magis est flendus, quam dolor meus, propter scelus enim vestrum percussus sum.* Et post nonnulla: *Fecisti ergo de corpore tuo speculum animæ meæ, &c. Dedisti corpus tuum percutientibus, & genas tuas vellentibus, faciem tuam non auertisti à conspuentibus in te, vt alapæ tuæ alapas meas remoueant, & flagella flagellis expientur, & opprobria exprobrantium, quæ ceciderunt super te, auferant à me opprobrium sempiternum.* Ita ille. Porrò si per crucis viam transis, nec trãsis, sed attendis, videas & mireris Dei Filium adeò desertum, atque derelictum, vt ad Patrem clamarit: *Deus, Deus meus, vt quid dereliquisti me?* Matth. 27.48. latronem verò, qui ab omni non modò fauore, & solatio, verùm etiam solatij spe derelictus esse meruerat, hilarem, atque triumphantem, cœlesteque regnum in manibus habentem, Lucæ cap. 23.43. Quod si caussam perquiras, respondet Drogo: *Fecisti de corpore tuo speculum animæ meæ.* Sanè latronis caussam, atque personam, cuius chirographum cruci affixerat, agebat in cruce Dei Filius, atque ideo optima ratione, & ipse derelictus, & latro,

Thren. 1.12.

Pagnin.
Chald.
Agellius.
LXX.

Drogo.

Matth. 27. 48.

Luc. 23.43.

qui Christi liuore sanabatur, hilaris, & exultans inducitur. Ita Cyprian. serm. de Cœna Domini ad fin. *Ipse Dominus noster derelictorum personam gerens in cruce, se queritur derelictum, & ne desperarent etiam in vltimis constituti, festinans adiutorium illicò adest, & re in arcto posita non differt beneficium, sed repentè indulgentiæ celeris documentum eisdem statuit, & exemplum, latroni inquiens:* Hodie mecum eris in Paradiso. Hæc Cyprianus.

Cyprian.

Hinc ab Ecclesia, & Patribus, Christi crux, cui peccatorum nostrorum chirographa interioribus oculis affixa cernuntur, vt hinc debita nobis supplicia, illinc Christi dolores, & pœnæ librentur, & quasi in trutina suspendantur, pulchrè statera dicitur. Quam cogitationem sic bellè expressit citato loco Drogo: *Nesciebam contumelias, & terrores, & colaphizantem me incessanter Satanam, nisi viderem artem medicinæ tuæ, similia similibus curantem, & appendentem in statera hinc calamitatem tuam, illinc iniquitatem meam.* Nec aliter sanctissimus noster Ildephonsus ser. 1. de Assumpt. Virgin. *Qui cuncta quasi statera suspensa tenet, crucis statera suspenditur.* Sed luculentiùs Bern. hom. 3. de duobus discip. euntibus Emaus ad finem operum: *Crux Christi est statera corporis, quam desiderabat, qui dicebat:* Vtinam appenderentur peccata mea, & calamitas, quam patior, in statera, Iob. 6.2. *Crux facta est statera corporis Christi, quod est Ecclesia: cùm enim ipse crucifigeretur, appensa sunt cum ipso peccata, quæ commisimus, calamitas, quam incurrimus: ipse erat* innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus, & excelsior cœlis *conuersatio eius; & quoniam tantus, ac talis tam indigna in cruce dignatus est pati, cœpit præponderare calamitas, & peccata leuigari.* Vnde quidem, vel ante Christi mortem turbatos, & trementes dæmones, per Sacerdotum, & Scribarum linguas ad Christum, vt de cruce descenderet, Matth. 27.42. clamasse, sic considerat ad ea Matthæi verba Hieron. *Sed & hoc videntur mihi dæmones immittere: statim enim vt crucifixus est Dominus, senserunt virtutem crucis, & intellexerunt fractas vires suas esse, & hoc agunt, vt de cruce descendat: sed Dominus sciens aduersariorum insidias, permanet in patibulo, vt diabolum destruat.* Nimirum, vt dum adhuc cùm erectus in cruce Dominus staret, cœperat præponderare calamitas, tandem inclinato, per mortem, capite, tantum ipsius Passionis, atque mortis lanx propenderet, vt omnia totius mundi peccata, ipsísque debita supplicia deprimeret. Sed à Bernardo indidem id sic subtiliter meditante, accipe: *Cùm adhuc tamen in cruce erectus staret, vacillare videbatur statera, nec plenè cognoscebatur quà cadere deberet: cùm inclinato capite emisit spiritum, tunc calamitas præponderando cadens, quasi arena maris hæc grauior apparuit, gentes quasi momentum stateræ reputatæ sunt, nam in statera ceciderũt, quia partes aduersæ damnationis nostræ chirographum amiserunt.* Sed quare? Sanè, quia diuinæ Iustitiæ ad vltimum vsque quadrantem noster fideiussor satisfecit, quidquid illa pœnarũ à nobis erat exactura in seipsum ille transferens; atque ideo crucis suæ clauis confixum chirographum scindens, ac disrumpens. Ita ad hæc verba ad Colosſ. 2. Chrysost. hom. 7. *Vides quantũ posuerit studium, vt deleretur chirographum? Vtpote eramus omnes obnoxij peccato, & pœnæ. Ipse penitus soluit, & peccatum, & pœnam. Punitus autem fuit in cruce. Illic ergo ipsum affixit, tamquam qui haberet potestatẽ ipsum disrupit.* Nec aliter certè, quàm disruptus ipse, atque discissus disrupit chirographũ; fuère siquidẽ Christi plagæ, atque rupturæ lineamenta illa, quibus pius Samaritanus miseri illius, qui in latrones inciderat, vulnera alligauit, & fouit, Lucæ 10.34. id sic consi

10.

Drogo.

Bernard.

Iob. 6.2.

Matt. 27.42.
Hieron.

Bernard.

Chrysost.

Luc. 10.34.

Drogo. considerante præfato loco Drogone: *Hæc sunt lineamenta mundissima carnis tuæ, quibus vulnera mea alligasti ô Samaritane misericors, vt imponeres me super iumentum tuum, & perduceres in stabulum, quoniam verè languores nostros ipse tulisti, & dolores nostros ipse portasti, cuius liuore sanati sumus.* Hæc Drogo.

11. Sed iam ipsemet Paulus semetipsum explicet: sic enim in hanc sententiam subdit: *Et expolians Principatus, & Potestates, traduxit confidenter, palàm triumphans illos in semetipso*: siue, vt legit Origenes (Origen.) hom. 8. in Iosue (quod propriùs ad rem nostram attinet) *triumphans illos in ligno crucis*. Quod videlicet lance sanguinis Christi in statera crucis propendēte, ipse optimo iure decreti chirographum ab illis extorserit. Vnde eleganter Magnus Leo (Leo Mag.) serm. 10. de Pass. *Euacuatum est igitur illud generale venditionis nostræ, & lethale chirographum, & pactum captiuitatis in introitu redemptoris. Claui illi, qui manus Domini, pedesque transfoderant, perpetuis diabolum fixere vulneribus, & sanctorum pœna membrorum, inimicarum fuit interfectio potestatum, sic suam Christo consummante victoriam, vt in ipso, & cum ipso omnes, qui in eum crederent, triumpharent.* Consentanea habet citato loco Origenes (Origen.), scitè ex his verbis eliciens geminam, hoc est, duplici ratione constantem Christi crucem fuisse: *Quia visibiliter quidem Filius Dei in carne crucifixus est, inuisibiliter verò in ea cruce diabolus cum Principatibus suis, ac Potestatibus affixus est cruci.* Pergit verò Athanasius (Athan.), & æternam salutem, ac cœleste regnū latroni derepentè, ac inopinatò redditum, ad hanc lethalis chirographi affixionem, siue discissionem, pulchrè reuocat in sermone contr. omnes hæreses. Cùm enim in hanc rem citasset ea Mosis verba Deuter. 21. 23: (Deut. 21. 23.) *Maledictus qui pendet in ligno*, & hæc Deuter. 28. 66. (Deut. 28. 66.) *Erit vita tua quasi pendens ante te*; siue vt ipse legit, *videbitis vitam vestram suspensam*, atque vtraque sic pressisset: *Non posuit primo loco vitam, deinde maledictionem, sed maledictionem initio posuit, postmodum vitam. Decuit enim chirographum primum affigi cruci, & latus Verbi lancea perforari, vt liuor in perfossione, & sanguis mundo, & aqua generi humano expiatio fieret*; sic statim subiecit: *O miraculum ingens maledictionis crucifixæ, apertus Paradisum in promissione latronis.* Ac si diceret: affixo, discissoque chirographo, quod Paradisi aditum præcludebat, non est cunctatus latronem illuc introducere, quasi triumphi sui spolia statim cœperit distribuere. Ab hoc quidem non longè it, quod in defunctis, qui post Christi mortem surrexerunt, considerauit Ambros. (Ambros. S. Maxim.) serm. 56. (siue Maxim. hom. 2. de Cruce.) quasi ipsi ex terra cruce Christi velut aratro proscissa, atque exarata pullularint. *Nam ex quo, inquit, homo Dominus Iesus, qui ipsam crucem gestabat, sepultus in terra est, veluti dirupta ab eo, exarata terra, omnes quæ retinebat mortuos, germinauit.* Iam verò Bernard. (Bernard.) egregia illa epist. 190. ad Innocentium Pontificem contra errores Petri Abaillardi, hæc non solùm diffundit, sed ad Theologicæ subtilitatis calculos reuocans, Pauli verbis hunc in modum aptat: *Venit Princeps huius mundi, & in Saluatore non inuenit quicquā, & cùm nihilominus innocenti manus iniecit, iustissimè quos tenebat amisit, quādo is, qui nil morti debebat, accepta mortis iniuria, liberat illū, qui obnoxius erat, & mortis debito, & diaboli seruiebat dominio. Qua enim iustitia id secundò homo exigeretur? homo siquidem, qui debuit, homo qui soluit. Nam si vnus, inquit, pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt, vt videlicet satisfactio vnius omnibus imputetur, sicut omnium peccata vnus ille portauit, nec alter iam inueniatur, qui forefecit; alter, qui satisfecit, quia caput, & corpus vnus est Christus; satisfecit ergo caput pro membris, Christus pro visceribus suis, quando iuxta Euangelium Pauli, quo conuincitur mendacium Petri, mortuus pro nobis conuiuificauit nos sibi:* donans nobis omnia delicta, delens quod aduersum nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, & ipsum tulit de medio, affigens illud cruci, expolians Principatus, & Potestates. Hactenus Bernard. subdit humiliter, & piè: *Vtinam ego inueniar in his spolijs, quibus spoliatæ sunt contrariæ Potestates, traductus & ipse in possessionem Domini.*

Sensum quidem communem hæc habere videntur cum illustri prophetia Zachar. cap. 5. 5. cùm & 12. (Zach. 5. 5.) amphora, in cuius ore, siue medio impietas residere dicebatur, & plumbeum talentum in os eius immissum, sic Vatis oculis obiecta dicuntur: *Et egressus est Angelus qui loquebatur in me, & dixit ad me: Leua oculos tuos, & vide. Quid est hoc, quod egreditur? Et dixi: quidnam est? Et ait: hæc est amphora egrediens. Et dixit: Hæc est oculus eorum in vniuersa terra; & ecce talentum plumbi portabatur, & ecce mulier vna sedens in medio amphoræ. Et dixit: hæc est impietas, & proiecit eam in medio amphoræ, & misit massam plumbeam* (siue vt Lxx. reddunt, *lapidem plumbi*) *in os eius.* (Lxx.) Etenim S. Cyril. Alexan. in hunc locum, dum Lxx. secutus pro amphora mensuram reponit, atque ad hunc modum explicat: *Mensura, quæ apparebat, peccatorum populi in ipsum cumulatam multitudinem ostēdebat: in mensura porrò mulier sedebat iniquitatis modum consummans, & velut per se capacitatem implens*; sic huius visionis sensum instituit, vt plumbi talentum eleuatum, atque huius amphoræ os obturans, ipsemet Dominus in crucem exaltatus fuerit; quippe talentum, quod vna ex parte, iusta mensura: ex alia verò, omnium maxima est, nec alterius materiæ, quàm plumbi esse perhibetur: sanè vt in talento non iusta solùm, & ad æqualitatem, sed copiosa etiam redemptio asseratur. In plumbo verò, eo modo peccata nobis remissa significantur, vt eorum pœnas in semetipsum Redemptor noster trāstulerit. Plumbum enim, vt ibi, necnon ad cap. 4. eiusdem Vatis Cyril. monet, apud fabros argentarios ad alterius metalli, præsertim verò argenti purgationem assumitur; quod quidem illud sic præstat, vt quas argenti sordes abstergit, ad seipsum aduocet, & assumat. Sed hæc, & meliùs, & ad chirographi etiam sensum aptata, sic tradit Cyril. (Cyr. Alex.) *Pingitur ergo, & congruenter valde specie mulieris iniquitas. Plūbi autem talentum eleuatum, & obturans os eius, nihil aliud, opinor, potest intelligi præter Dominum nostrum Iesum Christum, qui per crucem pretiosam exaltatus, & iniquitates nostras sustulit in corpus suum supra lignum, & chirographum contra nos triumphauit, vt sicut ait diuinus Cantor, omnis iniquitas oppilet os suum. Plumbo autem & ipse comparatur; assumitur enim, vt dixi, plumbum ab argentarijs artificibus ad purgationem eorum, quæ conflantur.* Ita Cyrillus.

Sed & Salomon prophetico hæc ore prænuncians 13. in lib. Sapient. cap. 14. 7. dicebat: *Benedictum* (Sap. 14. 7.) *lignum, per quod fit iustitia.* Quæ de cruce meritò accipias, vel primariò cum Bonauentura (Bonauent.), & aliis non ignobilibus eius loci interpretibus, quibus ex Græcis Ioannes Chrysostom. (Chrysost.) orat. de festo Crucis, med. Quadragesi. Germanus Archiepisc. Constantinop. (Germ. Constant.) orat. de exaltat. Crucis, vterque apud Gretserum (Gretser.) lib. 2. de Cruce; ex Latinis verò Glossa Interlinearis (Glos. Inter.), Ambros. (Ambros.) in Psalm. 118. serm. 3. Ado Viennens. (Ado Vien.) in Chron. & alij plures præiuēre: vel sub imagine arcæ Noë, quam expressissimum crucis typum gessisse August. (August.) lib. 15. de ciuitate Dei cap. 26. Ambros. (Ambros.) in Psalm. 47. & lib. de arca, & Noë, cap. 5. Clemens Alexand. (Clem. Alex.) lib. 6. Stromat. cap. 4. Cyrill. Ierosolymitanus (Cyr. Ierosol.)

Alex. Mon. And. Ierof. Machar. tanus Catech. 13. Alexander Monach. oratione de inuent. Crucis, Andreas Ierosolymit. orat. 1. de exalt. Crucis, Macharius Chrysocephalus orat. de exalt. Crucis, apud Gretserum auctores sunt: quasi Sapientis mens fuerit, Christi crucem summis laudibus, atque præconiis afficere, quod in ipsa rescisso chirographo decreti, diuinæq; Iustitiæ omnimoda satisfactione reddita, veniam peccatorum nobis

Ambros. Christus impetrarit. Ita Ambr. in Psal. 118. octon. 8. *Iustitiæ adscribit Scriptura diuina veniam peccatorum, secundum illud, quod hodie lectum est:* Benedictum lignum, per quod fit iustitia; maledictum autem, quod fit per manus hominum: *superius ad crucem Domini retulit, posterius ad errorem Gentilium, qui ligna venerantur. Iustitia autem quæ est crucis, nisi quod ascendens illud patibulum Dominus Iesus Christus peccatorum nostrorum chirographum crucifixit, & totius orbis peccatum suo cruore mundauit?* Sic ille.

14\. At enimverò, quoniam vna ex parte illustris argumenti huius magnitudo paucis pro dignitate complecti non valet; ex alia verò debitos huius adnotationis fines prætergredi, nec moris nostri, nec ex iucunditate lectoris est, alias subinde huic rei adnotationes dare, quibus copiosa hæc Christi redemptio magis, ac magis explicetur, operæpretium erit. Sed modò in Christo crucifixo rursus attendere, & videre dolorem, vel transiens non omittam, vt dum ex præfata Ambrosij expositione iustitiæ adscribitur venia peccatorum, quam nobis ipse suo sanguine impetrauit, simul etiam aliam iustitiæ speciem, atque imaginem, in qua peculiaris quædam dati, & accepti sanguinis æqualitas ad leges iustitiæ commutatiuæ facta interuenerit expendamus. Et quidem sic in cruce Christum considero, vt tam nostrum sibi sanguinem accipientem, quàm suum ipsum nobis donantē, videre videar. Nam de

Isai. 63. 2. primo Isai. 63. 2. iis qui ab ipso perquirebant: *Quare ergo rubrum est indumentum tuum, & vestimenta tua sicut calcantium in torculari?* sic ille respondet: *Calcaui eos in furore meo, & conculcaui eos in ira mea, & aspersus est sanguis eorum super vestimenta mea.* Similiter

Ap. 19. 13. Apoc. 19. 13. vestitus veste aspersa sanguine dicitur, vt nimirum ipsum nostra peccata, quæ in Scriptura frequenti, & notissima locutione, sanguine significantur, in se suscepisse, & ad crucem baiulasse, vt debitas illis pœnas rependeret, innuatur. Sub quo sensu eius chlamydis purpureæ mysterium, qua in Passione sua indutus est Dominus, sic explicuit

Origen. Origenes hom. 35. in Matth. *Ergo & nunc suscipiēs Dominus coccineam chlamydem in se sanguinem mundi suscepit, & in spinea illa corona suscepit spinas peccatorum nostrorum.* Iam vt nostrum in eum sanguinem ad mortem sparsum vidisti; illius in nos sanguinem ad vitam sparsum considera, Apostolorum

1\. Petr. 1. 2. Principe dicente Epist. 1. cap. 1. 2. *Electis aduenis dispersionis Ponti, Galatiæ, &c. in sanctificationem spiritus, in obedientiam, & aspersionem sanguinis Iesu Christi.*

Ad Hebr. 12. 24. necnon & Paulo ad Heb. 12. 24. *Accessistis ad Testamenti noui mediatorem Iesum, & sanguinis aspersionem meliùs loquentē quàm Abel.* Etenim, vt bene hæc Pauli verba explicat Ansel. ibi: *Ideo loquuntur meliùs, quàm

Anselm. sanguis Abel, de quo dictum fuerat, quia* vox sanguis fratris tui clamat ad me de terra: *quia sanguis Abel morte parricida fratris periit; sanguis autem Christi vitam persecutoribus impetrauit. Sanguis Abel expetit vindictam, sanguis Christi misericordiam. Ille vni nocuit, iste multis profuit.* En aspersionem pro aspersione, & sanguinem pro sanguine, vt videas quam iustitiam in ligno crucis Christus exercuit. Equidem

Saluian. attentiùs eam expendens Saluianus lib. 4. de Prouident. cùm dixisset: *Quis æstimare hunc erga nos Dei amorem queat, nisi quod Iustitia Dei tanta est, vt in eum aliquid iniustum cadere non possit? Nam quantum ad rationem humanam pertinet, iniustam rem homo quilibet fecerat, si pro pessimis seruis bonum filium occidisset;* subiicit opportunè, & eleganter: *Vtique hoc magis inæstimabilis pietas, & hoc magis mirabilis Dei virtus est, quo intelligi ab homine magnitudo Iustitiæ suæ non potest: vt quantum ad imbecillitatem humanam pertinet, penè iniustitiæ speciem magnitudo Iustitiæ habere videatur: & ideo Apostolus ad indicandam nobis aliquatenus misericordiæ diuinæ immensitatem, sic ait:* Vt Ad Rom. 5.
quid enim Christus, cùm adhuc impij essemus, secundum tempus pro impiis mortuus est? Vix enim pro iusto quis moritur. *Ostendit profectò nobis vna hac sententia pietatem Dei. Nam cùm vix vllus pro summa iustitia mortem suscipiat, probauit Christus, quantum præstiterit pro nostra iniquitate moriendo.* Hæc, & alia Saluianus ibi. Concludo verbis Na- Nazianz.
zianzeni, quæ hanc humani, diuinique sanguinis commutationem bellè exprimunt. Sunt ista orat. 40. in S. Baptisma: *Ex Virgine Maria progressum totum hominem, eundem & Deum pro toto homine læso, vt tota peccati condemnatione rescissa, tibi toti salutem afferat, impatibilem diuinitate, patibilem assumptæ humanitatis ratione tantum hominem propter te effectum, quantum tu propter illum Deus efficeris.* Ita Nazianzenus.

ADNOTATIO VI.

Christum cruci suffixum scapulis suis peccatores obumbrare, eosque ab ira diuina indesinenter protegere.

PVLCHRAM emphasim habent illa de mu- 1.
liere peccatrice verba apud Lucam 7. 37. *Vt* Luc. 7. 37.
cognouit quod accubuisset in domo Pharisæi, attulit alabastrum vnguenti, & stans retrò, &c. Mirificè enim cum Filij Dei accubitu hunc mulieris habitum retrò stantis congruere dixeris: sicut etiam mysterio non vacat, quod sequenti cap. n. 44. de muliere quæ Luc. 8. 44.
sanguinis fluxum patiebatur, idem Lucas ait: *accessit retrò, & tetigit fimbriam vestimenti eius; & confestim stetit fluxus sanguinis eius.* Sed vtrobique inquiras cum Chrysologo serm. 33. *Retrò: vbi? retrò ni-* Chrysol.
hil erat; ibi faciem quam declinauit, inuenit, erat in Christo corpus multiplex, sed erat Deitas simplex, erat totus oculus, qui post se supplicem sic videbat. Sed enim Lucæ locutio bellè subsistit; ea enim quid ex Dei accubitu, siue reclinatione, quid inquam ex mediatoris officio, quod Dei Filius suscepit, siue ex cruce, quam pro nobis subiuit (id enim sponsi accubitum significare alibi ex illis Cant. verbis. *Dum esset Rex in accubitu suo* latiùs tractatis ostēdi) humano generi aduenerit, optimè exprimitur. Equidem priusquàm ipse damnationis nostræ chirographum cruci suæ affigeret, audi nos, & improtecti, tamquam nocentissimi rei inconniuentibus diuinis oculis, palpebrisque interrogantibus filios hominum sistebamur; adeóque nuditas, & turpitudo nostra apparebat vt pœnas simul, atque vindictam à diuina Iustitia exposceret: at Christo cruci suffixo, & inter Deū iratum, & peccatores velut mediatore, propitiatoreque interiecto, scapulisque suis illos obumbrante, facta iam nobis potestas est retrò ad Deum accedendi, dum peccata nostra, quæ antè nuda, & improtecta erant, Christi sanguine litantur, hominésque tanto Redemptore velut scuto protecti, veniam, & gratiam consequuntur, hæc omnia sic complectente Regio Vate Psalm. 90. 4. *Scapulis suis obū-* Psal. 90. 4.
brabit tibi, & sub pennis eius sperabis: scuto circumdabit te veritas eius; & hunc in modum elucidante inibi

Theodor. inibi Theodoret. *Propugnator namque tibi erit, teque bello petitum operiet.* Addit: *Posuit sanè hoc ex translatione eorum qui primarij in acie consistunt, & humeris eos qui à tergo sunt, operiunt.* Id quod ad crucem
Hieron. ita singillatim retulit Hieron. *exaltabitur in cruce,*
Ambros. *extendet manus, & proteget nos.* Quæ Ambrosius in Psalm. 118. octonar. 3. sic diffundit: *Nobis quoque manus suas expandit Iesus, vt totum mundum obumbraret. Quomodo non sumus in vmbra, qui crucis eius protegimur velamento? Quomodo non sumus in vmbra, quos crucifixus a malignitate sæculi, & corporis ardore defendit? An nescimus, quoniam Verbum Dei, veniens in hunc mundum, non sicut Verbum aduenit, quale in principio erat, quale erat apud Deum, sed* semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens? Sic Ambros. pulchrè ex Filij Dei exinanitione, & forma serui, & manuum ipsius in cruce extensione, nostram vmbram, protectionem, vitamque eruens.

2. Pergit Vates: *Scuto circumdabit te veritas eius.* Ita sanè Redemptorem, ac fideiussorem Abrahamiticæ stirpi se Deus promittens, Abrahamo dicebat: *No-*
Gen.15.1. *li timere Abraham ego protector tuus*, Genes. 15. 1. vbi
Lxx. Lxx. Græcè ad verbum habent, *ego hyperaspistes tuus*: est autem hyperaspistes præambulus, qui in acie suis scapulis, non sine vitæ discrimine, eos, qui
Pagnin. retrò sunt protegit: sed Pagninus ex Hebræo, *ego clypeus tibi.* Sed ad quid clypeus? quod homini prælium ineundum? quæ conficienda bella? quis ei infensus, & ad eius necem armatus, vt cum illo ipsi pugnandum sit? Non alius equidem, quàm ipsemet Deus iustissima ratione humano generi iratus, atque omnium culparum pœnas ab illo reposcens. At quis tanti pugnatoris iram, tam graue prælij pondus valeat sustinere? *Noli timere Abraham*, inquit Dei Filius, *ego clypeus tibi.* Ac si dixerit: scapulis ego meis obumbrabo tibi, vt aduersus diuinam iram, atque Iustitiam te protegam, atque defendam, non aliter, ac scutum, quo ita quispiam protegitur, atque obumbratur, vt aduersarij impetum, & ictus illo sustinente, saluus ipse atque incolumis euadat. Et quidem sub hac eadem imagine, maxima sic em-
Isai.43.24. phasi apud Isai. 43. 24. Dei Filius loquitur: *Seruire me fecisti in peccatis tuis, & præbuisti laborem in iniquitatibus tuis*; vbi Lxx. interpretes, & Græci Patres, Cyrill. Theodoret. & Eusebius lib. 10. demonstrat. necnon Hieron. legunt: *sed in peccatis tuis defendi te.* Sed quid est, *defendi te*? Num excusationes, aut velamenta peccatis adhibuit, vt nocentes reos in iudiciis à patronis defendi mos est? Minimè. Quid ergo id fuerit? Explicat Biblia Complutensis, quæ
Bibl. Comp. Græcè habet, ὑπερησπισα, id est, *pro scuto me opposui in iniquitatibus tuis*: vt sensus fuerit, cùm tu inermis, & galea, loricaque nudus, diuinæ Iustitiæ ictibus capiti tuo imminentibus esses expositus, ego protectoris, imò & fideiussoris munere fungens, pro scuto tuo, atque salutis galea, aduersus irati Dei tela me opposui, & debita tuis culpis supplicia in me suscipiens, peccati personam egi, quæ non rapui tunc exsoluens. Sanè, vt meliori iure, quàm miles
Alciat. ille, de quo Emblema composuit Alciatus, qui cùm hostium tela scuto excepisset, ipsumque subinde in cymbam ad fluuium pedibus intransmeabilem traiiciendum aptasset, illud postea exosculatus clamabat, *hic verus, & solus amicus mihi fuit, cùm premererque solo, cum premererque salo*: piè, ac fideliter exclamemus, Christum verum, & solum amicum nobis fuisse, cùm & solo, & salo iræ diuinæ fluctibus premeremur.

3. Expressit id perbellè ex Patrum sententia (Hip-
Hipp. M. Hieron. August. Gregor. polyti, nimirum, M. apud Hieronymum epist. 125. Augustini lib. contra Mendac. cap. 10. Gregorij hom. 6. in Ezechiel.) hœdinis illis pellibus circumamictus Iacob, Gen. 27. 16. dum eo habitu, quam ex- Gen.27.16.
optabat à parente benedictionem obtinuit; sic namque August. *Per eum qui hœdinis pellibus se operuit, ille significatus est, qui non sua, sed aliena peccata portauit.* Verùm, ni fallor, eo modo ænigmatica hæc historia dirigenda, spiritualisque illius sensus instituendus est, vt Christi typum non tam Iacob; hunc enim Christianam Ecclesiam adumbrasse, magis est vt credam (quod ex Petro Dam. lib. ad Leonem Pet Dam.
inclusum cap. 5. alibi monui) quàm hœdus ille, cuius pellibus ipse erat circumamictus, gereret: erat siquidem hœdus in lege (Gregorio citato loco mo- Gregor.
nente) hostia pro peccato, & ideo Christum significare, multis probat S. Cyrill. Alexand. lib. 8. in Le- Cyr. Alex.
uiticum. Iam ad historiæ verba attende: *Pelliculas hœdorum circumdedit manibus, & colli nuda protexit.* Vbi pende tum verbum, *protexit*, quod omnino è re nostra est, tum etiã quam corporis partem hœdus dicatur protexisse, *colli*, nimirum, *nuda*. Planè, quia dum humanæ ceruices districto diuinæ iræ gladio subiectæ erant, illas Christus semetipso operuit, atque protexit, dum scapulis nos ipse suis obũbrans, peccatorum in se omnium supplicia suscepit, vt videlicet is qui verus Agnus erat, tamquam hœdus, impurum scilicet animal, & neci destinatũ, hostia pro nostris peccatis fieret, qua tecti, atque protecti, & diuinæ indignationis gladium effugeremus, & immortalitatis indumento gloriosè operiremur. Firmat hæc sensa Nazianz. orat. 42. quæ Nazianz.
est 2. de Paschate, hunc in modum: *Verum magna illa, & in quantum ad primam naturam immaculabilis, vt ita loquar, victima, legalibus sacrificijs non mixta est, illa, inquam, non exigua cuiusdam partis orbis terrarum, nec ad exiguum tempus, sed totius mundi numquam intermoritura expiatio. Proinde Agnus quidem accipitur propter innocentiam, veterisque nuditatis indumentum; talis enim est victima illa pro nobis cæsa, quæ incorruptionis indumentum, vt re vera est, appellatur.* Hactenus Gregorius.

Nec vlteriùs procedam, quin contendam, no- 4.
uam hinc oriri lucem obscurissimis Regis Psaltis locutionibus, quæ bonos interpretes malè torquẽt, dum mali (nimirum hæretici) qui iustorum animis inhærentem iustitiam negant, in earum explicationem temerarij feruntur, suum exinde errorem fulcire conantes; sunt illę, altera è Psal. 31. 1. *Beati quo-* Psal.31.1.
rum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata: altera è Psal. 84. 2. *Remisisti iniquitatem plebis* Psal.84.2.
tuæ; operuisti omnia peccata eorum. En difficultatem, cùm peccata à Dauide potiùs tecta, opertaque, quàm ablata, seu penitus deleta dicantur, signum est ergo (inquiunt Nouatores) non mundari illa per inhærentem animis nostris sanctitatem, sed per extrinsecam solùm condonationem à Deo tegi, siue nobis non imputari. Si respondeas, ideo tecta, & operta peccata dici, quod cùm iam omnino nõ sint, apparere deinceps non possint, ideoque perinde esse, ac si operta, & tecta sint; vrgent ipsi vim verbi, *tego*, quod non significat aliquid re ipsa non esse, sed coopertum potiùs, ac dissimulatum existere, eo modo, quo apud Salomonem Prouerb. 12. 23. de Prou.12.23.
homine callido, suas apud se cogitationes, & consilia asseruante, nec aliis temerè aperiente, dicitur: *Homo versutus celat scientiam*; siue ad verbum ex Hebræo, *Homo callidus operiens cognitionem.* Verum- Lect.Heb.
enimverò hæreticorum argutiis non erit difficile ex dictis respondere, in iis locutionibus peccata non ideo tecta, opertaque à Rege Vate dici, quod extrinsecus condonata, sed quod Christi meritis verè, ac re ipsa deleta, & remissa nobis fuerint, dum ipse

nudam

nudam humani generis ceruicem districto gladio subiectam se ipso operire, & ad instar clypei suo discrimine, & penè infinitorum ictuum tolerantia homines morti addictos protegere voluit. Sed vt hæc explicatio certior reddatur, atque vndique subsistat, operæpretium erit peculiarem modum, quo redemptionem nostram in Epist. ad Roman. Paulus explicat, lectori proponere: sic enim cap. 3. 24. *Iustificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem, quæ est in Christo Iesu, quem proposuit Deus propitiationem, per fidem in sanguine ipsius, ad ostensionem Iustitiæ suæ, propter remissionem præcedentium delictorum.* Vbi duo quæso obserues: alterum, Græcam vocem, quæ redemptioni respondet, esse ἀπολύτρωσις, quæ propriè significat eam redemptionem, qua is qui captiuus tenetur, iusto pro eius capite persoluto pretio redimitur, Græci enim id pretium λύτρον appellare consueuerunt. Alterũ, pro voce illa *propitiationem*, Græcè posuisse Paulum ἱλαστήριον, quod vocabulum non sonat *propitiationem*, hæc enim Græcè dicitur ἱλασμός, vt 1. Ioan. 2. 2. *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris.* & eadem Epist. cap. 4. 10. *Misit Filium suum propitiationem pro peccatis nostris*: sed neutro genere, *propitiatorium*, vt Origenes, Theophylacti interpres, & alij reddiderunt. Certè Lxx. interpretes illud semper vsurpant, ad significandum propitiatorium, de quo Exod. 25. 17. & cap. 37. 6. & ad Hebræos 9. 5. Si inquiras, quod inter propitiationem, & propitiatorium intersit discrimen. Respondebo peculiarem propitiatorio in hàc rem emphasim esse, nimirum, cùm hoc nihil aliud esset, quàm tabula aurea super arcam testimonij desuper extensa, ipsiusmet arcæ operculum dicebatur, Hebraica locutione mirificè fauente. Nam & operculum, & propitiatorium vnica voce: sicut tegere, & propitiari vnico verbo significantur. Quare ad hoc propitiatorium, siue operculum velut expressissimum Christi typum notanter Paulum respexisse præter Origenem, & Theophylactum in commentario, sic inquit Theodoretus: *Propitiatorium erat lamina aurea, quæ super arcam ponebatur; illinc autem sciebat sacri obiens Pontifex Deum esse propitium. Docet ergo diuinus Apostolus, verum propitiatorium esse Dominum Christum, illud enim vetus huius typum expressit, & antiquum quidem propitiatorium erat sanguinis expers, quoniam erat etiam inanimatum; Dominus autem Christus, & Deus est, & propitiatorium, & Pontifex, & Agnus in suo sanguine nostram salutem procurauit.* Hæc ille. Ergo hinc primùm videris, redemptionis nostræ formam à Paulo elegantissimè expressam, dum priùs eam eiusmodi fuisse asserens, qua pretio pro nobis à Christo persoluto fuerimus redempti, maioris subinde explicationis gratia, hàc propitiatorij figuram inculcat, iterata oratione ostendens, tunc demum mundo Deum fuisse placatum, cùm illi scapulis suis Christus obumbrans sese nobis operculum exhibuit, vt & veteris nuditatis indumentum, & infirmitatis nostræ efficeretur scutum, quo à diuina ira tegeremur, & protegeremur, ipso in se omnes criminibus nostris debitas pœnas, atque supplicia suscipiente. Deinde liquidò apparet, eodem omnino sensu tecta, atque operta peccata dici, ac per Christi sanguinem propitiata, mundata, atque deleta. Vnde post præfata verba Isaiæ 43. 24. *Seruire me fecisti in peccatis tuis*: siue vt Lxx. *in peccatis tuis defendi te*; aut, *pro scuto me opposui*: subiicit ipsemet Dominus; *Ego sum, ego sum ipse, qui deleo iniquitates tuas.* Vbi Hieron. delendi phrasim cum chirographo cruci affixo, Christique sanguine deleto, sic pulchrè cõponit: *Ego autem propter me, & quia misericors sum, & patiens, & multarum miserationum, delebo omnes iniquitates tuas in aspersione, & sanguine noui Testamenti, delens vetus chirographum, quod aduersum te scriptum erat.* Ita ille.

Ad Rom. 3. 24. — 1. Ioan. 2. 2. — 1. Ioan. 4. 10. — Origen. — Theophyl. — Lxx. — Exod 25. 17. — Exod. 37. 6. — Theodor. — Isai 43. 24. — Lxx. — Hieron.

5. Blanditur Hebræa Lectio, quæ habet; *Beati tecti peccatorum*: hoc est, tecti à peccatis, (genitiuo pro ablatiuo posito, quod non est infrequens) vbi eximia hæc, atque singularis protectio, siue operimentum, aut operculum (quo vocabulo lætantur hæretici) non super peccata, sed super peccatores, eo sensu, vt ij beati dicantur, quibus Christus vice clypei est, dum Passionis ipsius virtute in illis operante, à peccatorum nexibus, & pondere liberantur, manifestè recidit. Vnde eadem verba Psal. 31. prout à Lectione Tigurina efferuntur, rursus perpende: etenim ipsa pro, *Beati quorum remissæ sunt iniquitates*: sic legit; *Beatus est, qui exoneratus est transgressione*: eadẽ omnino locutione, ac serie verborum, qua dicebat Paulus ad Hebræos 12. 1. *Deponentes omnes pondus, & circumstans nos peccatum.* Quibus in verbis, ita & natura, & remissio peccati describitur, vt manifestè liqueat, non tectum inibi, & opertum manere, sed omnino ablatum, atque deletum, Dei per Christi sanguinem gratia præueniente, necnon hominis conatu ad onus animi deponendum concurrente: animi siquidem onus quantumuis fuerit tectum, atque opertum, imò & ab ipsa manu vltrice liberum, nisi omnino deponatur, non potest non peccatorem indesinenter premere, atque opprimere. Dixit enim Seneca epist. 97. & verissimè dixit: *Hic consentiamus, mala facinora conscientia flagellari, & plurimum illi tormentorum esse, eo quod perpetua illam solicitudo vrget, ac verberat, quod sponsoribus securitatis suæ non potest credere. Multos fortuna liberat pœna, metu neminem. Quare? quia infixa nobis eius rei auersatio est, quam natura damnauit.* Qua ratione Venerab. Drogo serm. de Domin. Pass. Sacram. cùm peccatores omnes viros sanguinum, & dolosos appellasset, dum inquirit: *Quomodo dolosi?* sic respondet: *Quia congerunt cadauera mortuorum in speluncam suam, & operiunt aggere terræ, ne vel ipsi videant, vel ab alijs videantur. Nolunt ipsi videre, ne horrorem, vel pudorem ingerant eis in faciem morticina fœtentia.* Sed occurrit indidem Seneca: *Nunquam latendi fides fit ipsis latentibus, quia coarguit illos conscientia, & ipsos sibi ostẽdit.* Ad cuius gustum S. Paulinus Seuero petenti, vt sui effigiem dono mitteret, dum à corporis effigie ad interiorem animi vultum donum transferret, atque hunc pro sua humilitate deformem depinxisset, subiicit: *Propterea illos innocentiæ oculos, quibus malum non videbam iustè perdidi, & istos inuicem, quibus peccatum agnoscitur, in pœnam conscientiæ iniquitatis accepi.* Quare pro illis verbis ad Hebræos, *& circumstans nos peccatum*, Lectio Syriaca appositissimè reposuit, *& peccatum quod nobis semper impendet*: non secus, ac imminens scopulus, aut super caput filo pendens ensis. Vnde Victor Cartennensis Episcop. de pœnit. lib. 5. eleganter (si tamen is locus criticas Iusti Lipsij, aut medicas Martini del Rio manus patiatur) in hanc sententiam ait: *Conscientia, apud quam non moritur omne, quod gerimus, quæ nos in factis nostris accusat, & iudicat, quæ cùm non habeat loquendi vsum, nescit tamen tenere silentium. Potest conscius morte subduci; potest id tibi ad tempus prodesse: conscientia hæc semper tecum est, hæret pectori, nec vnquam te deserit, & velut quædam pedissequa nullo abs te temporis interuallo discedit, tenet te reum, & in sua semper ditione captiuũ.* Ergo vt exoneratus censearis transgressione, onus animi deponendum est; nec deposueris aliter, nisi excusseris, & Christi sanguine peccati characteres in animo deleueris, atque destruxeris: vt iustificatus in sanguine ipsius pacem habeas ad Deum, ad Romanos 5. 1.

Psal. 31. — Lect. Tigur. — Ad Hebr. 12. 1. — Senec. — Drogo. — S. Paulinus. — Lect. Syr. — Vict. Episc.

7. Hinc Rupert. lib. 1. comment. in Exod. cap. 5. Christi

Rupert.

Christi veri Agni, qui tollit peccata mundi, Passionem cum typici Agni immolatione componens, scitè dicebat: *Ex quo intrauit Israel in Ægyptum, vsque ad vespertinam immolationem Agni, id est, ex quo Adam de Paradiso cecidit, vsque ad Passionem Filij Dei, non cessauit vnquā ille exactor, non quieuit tributū, non est solutum iugum dominantium, sed tunc demum facta est pax, & reddita nobis libertas.* Vnde statim subdit: *Nec enim vt antè, ita nunc agit quidquam diabolus pro imperio; verumtamen vt latro insidiosus post nos incedit, & inuidus insectatur liberatos, vacuas esse gemens vrbes, quas ædificauimus illi, Phiton, quod interpretatur os abyssi, vnde nos Christus eduxit, & Ramesses, quod interpretatur tinea, in qua Medicus ille capita nostra purgauit.* Vbi illud est maximè obseruatu dignum, quod inquit Rupert. os abyssi, quod nostris manibus priùs construxeramus, vacuum iam, siue obstructum ex Christi Passione esse, plumbeo, videlicet, talento, hoc est, Christo, vt dicebat Cyrill. Alexandr. adnotat. præcedent. seipso illud obturante: *Qui per crucem pretiosam exaltatus iniquitates nostras sustulit in corpus suum super lignum, chirographum contra nos triumphauit*, omnes à nobis sordes sanguine suo abstergens, & ab earum imminentibus malis tectos nos, atque securos vndequaque reddens. Quod si rursus videre velis, eo modo Christum huius oris abyssi operculum sese exhibuisse, vt peccata non tegeret, sed deleret, nec extrinsecus condonaret, sed Patre propitiato, & gratia eius diffusa in cordibus nostris, per veram animis inhærentem iustitiam, illa nobis remitteret; iuxta hunc abyssi puteum, siue os, seu iuxta præfatam Zachariæ amphoram, vel mensuram, vt dicebat Cyrill. quæ peccatorum mundi cumulatam multitudinem ostendebat, alium cœlestem puteum appositum in memoriam reuoca: sic namque Isaiæ 12.3. *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Saluatoris*: hoc est, inquit Hieronym. *de fontibus Iesu; hoc enim modo Hebræorum lingua Saluator exprimitur.* Sed qui fuerint fontes Iesu? Accipe ab Ambros. dum enim ipse id Psalm. 37.6. *Miser factus sum, & curuatus sum vsque in finem*, sic capit, vt vsque ad Christum, qui finis noster est, humanum genus peccatorum pondere, ac infinitis penè molestiis afflictum, & oppressum fuerit, exinde ad vitam illud respirasse, cùm pro ipso Dei Filius *passus est verberari, passus est corpus suum mortuum vulnerari*, ex his Isaiæ verbis ita confirmat: *odorem omnem gratiæ vulnera illa redolebant. Denique non tabes mortis de vulnere eius, sicut hominum cæterorum, sed fons vitæ scaturiuit æternæ, vt Scriptura nos edocet, dicens*: & saliet aqua cum delectatione de fontibus Saluatoris. *Exiuit ergo de vulnere aqua, vt nos biberemus salutem.* Ita ille. Bene omnino: nam qui Christum *inuenerit, inueniet vitam, & hauriet salutem à Domino*, Prou. 8.35.

Cyr. Alex. — *Isai. 12.3.* — *Hieron.* — *Ambros. Psal. 37.6.* — *Prou. 8.35.*

7. Ergo ex hoc cœlesti puteo vitam scaturiente, *haurietis aquas in gaudio.* Preme verbum, *haurietis*, imò siste paulisper, dum ea ex Paulo verba aduoco, quæ & verbum, *haurio*, & mentem Isaiæ exhauriant. Sic enim ipse ad Hebr. 9.28. *Sic & Christus semel oblatus est, ad multorum exhaurienda peccata*; quæ etsi ad hunc modum expresserit Lectio Syriaca: *Et in seipso immolabit peccata multorum*; at opportuniùs, & significantiùs leguntur à Vulgato. Vt manifestè appareat, tum Christi sanguinem efficacissimam vim ad omnia peccata absumenda, atque destruenda, siue funditus delenda omnino habere: tum etiam, vt hæ phrases exhauriendi peccata, & hauriendi aquas de fontibus Saluatoris inter se positæ, pulchrum hunc efficiant sensum, Christi sanguinem ad abluenda peccata hauriri, sed non exhauriri; peccata verò Christi sanguine sic mundari, vt non hauriantur solùm, sed funditus etiam exhauriantur: siue adeò largam, atque copiosam huius aquæ vitæ scaturiginem esse, vt nulla sit peccatorum congeries, siue tam latum, atque spatiosum mare omni flagitiorum, atque turpitudinum genere redundans, quod ab eo, qui aquam de fontibus Iesu haurire velit, non possit facilè exhauriri. Ita Euthymius, dum filium prodigum à benignissimo parente tam humanè, tam comiter susceptum considerat, sic exclamat: *O admirandam reconciliationem! Quid dicam, aut quid loquar de ineffabili Dei benignitate? Nam vbi immensum illius pelagus respicio, sermo mihi præciditur, neque quid loquar, mihi reliquum est; solum hoc clara, ac libera voce clamo, quod res magnas efficit pœnitentia.* Sanè peccatores, vt, quamtumuis essent flagitiis operti, ad bonam frugem se reciperent, & ad Dei amplexus conuolarent, ita hinc commonebat, atque alliciebat Regius Vates Psalm. 89.4. *Conuertimini filij hominum; quoniam mille anni ante oculos tuos, tamquam dies hesterna, quæ præterijt.* Vbi si inquiras, quæ hæc ratio, siue causalis fuerit, sic scitè respondet Gregorius Nyssenus tractatu primo in Psalmos: *Quid igitur dogmatis nobis hic insinuatur? Ei videlicet, qui mutata velificatione ad rectam viuendi rationem reuertitur, licèt vita infinitis scelerum maculis notata sit, vt collectio illa peccatorum mille annorum esse videatur, pro nihilo totam illam congeriem reputatum iri, dummodo pedem referat. Nam diuinus oculus præsentia semper intuetur, præteritum verò non æstimat, sed instar vnius diei, vel noctis nostræ, quæ iam præterijt, à Deo habetur.* Ita Nyssenus.

Ad Hebr. 9.28. — *Lect. Syr.* — *Euthym.* — *Psal. 89.4.* — *Gregor. Nyss.*

8. Bene omnino, *dummodo pedem referat*: in eo enim, quem peccatorum suorum verè pœniteat, & vi contritionis, vel alicuius Sacramenti opera iustificationi incumbat, quid millia millium criminum, siue ea peccatorum congeries, quæ mille annorum spatium implere, atque replere videatur, nisi arena exigua, leuissimusque puluis Deo fuerit, dum ipse in Christum peccatores obumbrantem, & vice clypei illorum ictus, & pœnas sustinentem, intuetur? Nouerat iam olim hæc Psaltes, cùm Psalm. 83.10. summū sic alloquebatur Parentem: *Protector noster aspice Deus, & respice in faciem Christi tui.* Vbi enim Hebraicè pro, *protector*, sit *maghen*, opportunè vertit Hierony. *clypeus noster*: opportuniùs verò (liberè dicam) Sanctes Pagninus, *clypeum vide Deus*; vt ipsa Christi facies, ea, inquam, facies, quæ in cruce alapis liuida, fœdata sputis, lancinata spinis, mortis tenebris obscurata cernitur, clypeus nobis, atque scutum sit, quo dum omnia à nobis diuinæ Iustitiæ tela depelluntur, pristinæ Dei amicitiæ restituimur; inest enim hæc vis phrasi respiciendi, qua vtitur Vates. *Respicere quippe Dei* (inquit Gregor. Magn. lib. 19. Moral. cap. 3.) *est, ea quæ amissa, ac perdita fuerant, ad suam gratiam reformare.* Vnde postmodum Vates rationem reddens, cur in Christiana Ecclesia, vt notat Genebrardus, esse mallet, sic subdit: *Quia misericordiam, & veritatem diligit Deus*, (siue vt ex Hebræo legunt Symmachus, & Aquila, *quia Sol, & scutum Deus, gratiam, & gloriam dabit Dominus.* Ac si diceret: quis enim tam salutari, atque viuifico Sole vegetari, ac refoueri, tamque forti, ac impenetrabili scuto protegi, non exoptet? Quo in loco placet rursus premere Hebræam vocem, *maghen*, pro qua Hierony. Aquila, & Symmach. posuerunt *scutum*: certè quamuis à plerisque deducatur à verbo, *ganan*, hoc est, *protegere*, non minus appositè deriuabitur à verbo, *maghan*, quod est dare, tradere; atque ideo propriè significabit traditionem, siue

Psal. 83.10. — *Hieron.* — *Pagnin.* — *Greg. Mag.* — *Genebr.* — *Symmach. Aquila.*

siue redditum debiti (quod etsi à nemine notatum viderim, non dubito, iis, qui Hebraicè sciuerint, fore placiturum.) Vnde sensus erit: quis adeò desipiat, qui in Christi Ecclesia esse non eligat, cùm Christus omnia debita pro nobis exsoluat, huncque debiti nostri redditum summus Pater gratanter accipiat, ac diligat? *Qui* enim *proprio Filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum*, (inquit Paulus
Ad Rom. 8. 32. ad Rom. 8. 32.) *quomodo non etiam cum illo omnia nobis donauit? Quis accusabit aduersus electos Dei?* Vbi
Lect. Syr. notanter Lectio Syriaca: *Quis se opponet electis Dei?* ac si dicatur: quis adeò æreæ frontis fuerit, vt in eos, qui Christi scuto protecti, atque muniti sunt, temerario impetu velit illidere? nonne ærea, siue adamantina frons millies priùs cōminuatur, quàm clypeus tantisper deficiat? Pergit Paulus: *Deus, qui iustificat, quis est qui condemnet? Christus Iesus, qui mortuus est, imò qui & resurrexit, qui est ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis.*

9. *Quid ergo? permanebimus in peccato, vt gratia abun-*
Ad Rom. 6. 1. *det? Absit.* ad Rom. 6. 1. aut *peccabimus, quia non su-*
Ad Rom. 6. 15. *mus sub lege, sed sub gratia? Absit.* ad Rom. 6. 15. Imò verò, qui rem bene perpenderit, nullam hac efficaciorem inueniet rationem, qua à peccandi licentia
Psal. 129. 4. retrahatur. Ita quidem Dauid Psal. 129. 4. dicebat; *Quia apud te propitiatio est, propter legem tuam sustinui te Domine:* quæ verba Hebræi apud Agellium sic
Lect. Heb. legunt; *Quia apud te propitiatio est, vt timearis:* eisque duplicem explicationem possis adhibere. Primò, vt sensum communem habeant cum præfatis
Ad Rom. 3. 24. verbis ad Roman. 3. 24. *Quem proposuit Deus propitiationem* (siue, vt vidimus, *propitiatorium*) *per fidem in sanguine ipsius ad ostensionem Iustitiæ suæ:* quasi vtrobique innuatur, Christum propitiatorium factum, siue clypeum, qui peccatorum pœnas in seipso suscipiat, magnitudinem diuinæ Iustitiæ, nostrorúmque scelerum grauitatem nobis ob oculos ponere, vt ea summopere exhorreamus: *nam si in viridi li-*
Luc. 23. 31. *gno hæc faciunt, in arido quid fiet?* Lucæ 23. 31. Vnde
Eusеb. appositè Eusebius, siue Eucherius Gallicanus Episcopus, hom. 2. de Symbolo: *Ita & Dominus noster Iesus Christus non solùm diuinitatem, sed etiam crucem, & mortem suam post futuris seculis voluit celebrari, vt à peccatis, propter quæ moriebatur, non solùm nos Dei mandata reuocarent, sed illata pro nobis supplicia, & vulnera deterrerent.* Ita ille. Scitè, *deterrerent*, grauissimo, scilicet, fœditatis peccati, & seueritatis diuinæ, quæ proprio Filio, quod hominum fideiussor esset, non pepercit, iniecto metu, atque terrore. Aliter quoque sic explices; *Quia apud te propitiatio est:* hoc est, ideo in propitiatorium, siue operculum, aut scutum pro peccatis nostris te opposuisti, vt dum homines atrocissimas pœnas, atque dolores, quos pro illorum sceleribus pertulisti, vident, simulque animaduertūt, nouis modò peccatis quantum ex se
Ad Hebr. 6. 6. est, te rursus crucifigere, & super dolores vulne-
Psal. 68. 27. rum tuorum addere, non possint non ad te timendum vehementiùs permoueri, atque perduci. Sub
Isai. 50. 8. quo sensu illa verba Isai. 50. 8. *Stemus simul, quis est aduersarius meus? accedat ad me,* sic pulchrè accipie-
Steph. Cant. bat Stephan. Cantuariens. in allegoriis Gotfridi Tilman. ad cap. 3. Sophoniæ, vt ex consideratione vulnerum, atque dolorum, quæ pro homine Saluator sustinuit, magnus ipsos occupet pudor, quo à peccando refugiant. *Accedat* (inquit) *& videat propter se mulctatum morte, turpatum cruce, sputis illitum, plagis liuidum, spinis coronatum, lancea perforatum, & esse aduersarius erubescat.* Ita ille. Dixerim ego cum Cicerone aliò intento, lib. 1. de legibus: *O rem dignam, in qua omnes erubescant!*

10. Illud iam pro huius adnotationis coronide placet adiicere, quod ex superiùs dictis non obscurè subinfertur, & ad ea, quæ vers. 7. adnotat. 5. diximus, valde pertinet; nimirum, Deo vehementer charam quamuis hominis animam, quam ipse suo sanguine mundare decreuit, mille licèt scelerum maculis antea notatam, atque fœdatam, hacque potissimum de causa ipsam maximè pretiosam, plurimique ab omnibus, ab iis præsertim, quorum vitæ institutum ad proximorum salutem propendet, faciendam, reuerendamque esse. Vel hoc ex eo, quod Actuum 10. 11. refert Lucas, disce, cùm videlicet esuriente Petro, volenteque gustare, *cecidit super eum mentis excessus, & vidit cœlum apertum, & descendens vas quoddam, velut linteum magnum, quatuor initiis submitti de cœlo in terram, in quo erant omnia quadrupedia, & serpentia terræ, & volatilia cœli, & facta est vox ad eum; Surge Petre, occide, & manduca:* ipsoq; reuente, quod omne commune, aut immundum nunquam manducasset, *vox iterum secundò ad eum; Quod Deus purificauit, tu commune ne dixeris.* Est enim vel ex ipsamet visionis serie, vt interpretum explanatio non accederet, satis manifestum, per feras hasce, atque immunda animantia, homines prauis moribus præditos, & omni scelerum lue contaminatos, qui Christo nomen erant daturi, adumbrari. Sed vt noueris qua de causa Petrus, qui hanc metamorphosim absque culpa ignorare potuit, increpandus venerit, scito ex Hilario, Can. 33. in Mat. linteum illud tot animātia sustinēs, sindonem, qua mortuum Christi corpus inuolutum fuit, significare; sic enim ille: *Hic munda sindone corpus inuoluit, & quidem in hoc eodem linteo reperimus de cœlo ad Petrum vniuersorum animantium genera summissa.* Vnde optimo merito increpatio subsistit, ac si ei Christus dixerit, quod meo ego sanguine laui, & vitæ meæ pretio comparaui, atque redemi, tu vile reputas? imò verò plurimi non facis, & nudis pedibus reuereris, flexisque genibus adoras? Vade ergo, & quamuis magna potestate, & sanctitate fueris præditus, *solue calceamentum de pedibus tuis, locus enim in quo stas terra sancta est,* animæ, scilicet, sunt meo sanguine mundatæ, atque ideo non nisi magna cum reuerentia ad eas oportet accedere. Sed id accipe ab Ambrosio in c. 6. Apocalyps. sic elucidante: *Vnde & Dominus in visione quadrupedum, atque reptilium, Petrum ne gentes despiceret docuit, dicens:* Quod Deus purificauit, tu commune ne dixeris. *Ad hunc igitur sensum pertinet illud, quod Dominus dixit ad Moysem:* Ne appropinques huc, solue calceamentum de pedibus tuis, &c. *Ac si alicui ex magnis Apostolis Dominus dixisset. Quamuis mortuos suscites, quamuis vmbra corporis tui ægrotos sanes, in nullo tamen te mihi comparare audeas, quia magnum quod agis, non est de te, sed ego operor per te. Calceamenta autem pedes muniunt, ne terram tangant, per terram verò gentes designantur,* Solue, *inquit*, calceamentum de pedibus tuis: *id est, aufer odium, & despectionem gentium de corde tuo.* Locus enim in quo stas, terra sancta est: *id est, mundus in quo habitas, meo sanguine redemptus est.* Hæc Ambrosius. Act. 10. 11. Hilar. Exod. 3. 5. Ambros.

11. Ambigat non nemo cur Christus transiens ex hoc mundo ad Patrem, eique partæ à se victoriæ spolia, & dona, hominumque primitias allaturus, non alium, quàm latronem secum detulerit. Itáne Christi latus, latrone socio, atque comite, securum, atque adornatum videatur? Nonne opportunius fuisset primarium quempiam virum, aut sapientissimum Sacerdotem, virumve aliquem sanctitate insignem, qui reliquas è Christi triumpho manubias velut de facie ostenderet, secum deferre? Non opinor. Nam in primis, si ad illius æui Principes, Sacerdotes,

dotes, aut Pharisæos oculos conuerteretis, omnes ex eodem grege inuenies. Principes eorum nonne fraudulenti, socij furum, omnes diligentes munera, sequentes retributiones? Isai.1.23. Nonne & Prophetæ illorum ex eodem furum manipulo? dicente Domino Ierem.23.30. *Ecce ego ad Prophetas, ait Dominus, qui furantur verba mea, vnusquisque à proximo suo.* Quid? illorum Pharisæi, qui sanctiores in populo habebantur, nonne etiam hypocritæ, gloriam ab hominibus quærentes, hoc est, occulti fures erant? Nam Bernardo teste serm. 13. in Cant. *Quidquid hic fauoris captas, quod ad Deum non retuleris, ipsi furaris.* Sed deinde, vt sanguinis sui fructū, diuitias, efficaciam Christus ostenderet, atque cōmendaret, quem nisi latronem in turpissimis priùs flagitiis volutatum, postmodum regia Christi purpura splendentem, secum asportaret, vt vbi abundauit delictum, superabundaret, splenderetque donum? Certè Augustinus serm.130. de tempore, siue in appendice 49. aut quod verius credo, Chrysostomus hom. de cruce, & latrone, Christum, dum latronem in Paradisum introduxit, cum deliciarum locum adeò non fœdasse, aut proculcasse, vt potiùs mirum in modum honestauerit, atque illustrauerit, sic affirmat: *Et quidem nemo Regum aliquando passus est, latronem hominem, aut quempiam alium eiusdem naturæ conseruum secum assumens, ita in ciuitatem introducere; sed Christus hoc fecit, qui mortis, & diaboli victor, & sacratissimam ingrediens patriam suum latronem introducit, non conculcans Paradisum istius pietatis opere, sed honorans, neque confundens latronis introitu, sed illustrans.* & postmodum: *Etenim cùm publicanos, & meretrices introduceret in regnum cœlorum, non confudit, sed extulit regnum cœlorum, neque deiecit, sed potius honorauit Paradisum; honor enim, vt dixi, est Paradisi talem habere Dominum, qui & latronem dignum facere possit delicijs, & possessione Paradisi. Talis est enim Domini regnum cœlorum, vt & meretrices, & publicanos ita probabiles reddat, vt digni appareant gratia, & gloria quæ illic est.* Hæc Augustinus.

Isai.1.23.
Ierem.23.30.
Bernard.
August.
Chrysost.

ADNOTATIO VII.

Christum Dominum, dum in cruce pro nobis fideiussor extitit, stricto iure à nobis exigere, crucem nostram perferre, dignosque ei pœnitentiæ fructus rependere: ne effusi Dominici sanguinis rei habeamur.

1. CVM de salute nostra per mortem crucis peculiari ratione adepta, quod illi omnium debitorum chirographa Christus affixerit, egerimus; omnino ad eandem rem pertinere existimamus, rationem penitiùs reddere, cur Christi sanguine ad exhaurienda peccata in cruce diffuso, copiosaque hac redemptione, ac solutione subsistente, non omnes, qui eius fidem suscipiunt, salutem assequantur æternam. Scitè enim dixit Leo Magnus serm.19. de Passione Domini: *Quamuis enim forti, & crudeli tyranno per potentiam crucis Christi, vasa antiqua deprædationis erepta sint, & dominatio Principis huius mundi à redemptorum sit eiecta corporibus, insidiari tamen etiam iustificatis eadem malignitas perseuerat, & multis modis eos, in quibus non regnat, impugnat. Vt si quas animas negligentes, imprudentesque repererit, sæuioribus eas laqueis rursus innectat, & a paradiso Ecclesiæ raptas, in consortium suæ damnationis inducat.* Sanè adeò adhuc est arcta via vitæ, vt non nisi pauci inueniant eam; adhuc Christi nomine, & baptismo percepto plures æternæ damnationi manent obnoxij. Vbi ergo (dicat non nemo) tam salutiferæ, ac viuificæ Passionis effectus est? quis tanti pretij persoluti, & tot expensarum fructus? *Transiuit messis, finita est æstas, & nos saluati non sumus,* Ierem.8.20. Ierem.8.20.

Leo Mag.

Vellaz.q. in Epist. ad Philippens.

2. Respondent huic dubitationi suis vocibus Theologi in scholis, Christum quidem omnium peccatorum chirographa quoad sufficientiam deleuisse; at verò reapse, & quod ad efficaciam attinet, eorum solùm peccata perpurgasse, qui diuinæ gratiæ, cœlestibusque donis bonum liberi arbitrij vsum adiungentes, iustitiæ viuunt, & cum iustitia, aut pro iustitia moriuntur. Quæ quidem doctrina ab iis, quæ præcedenti adnotatione diximus, nec hilum differt: ibi enim ex pluribus Scripturæ, ac Patrum testimoniis admonuimus, eo potissimum modo humani generis redemptionem Christum instituisse, vt pro hominibus ære alieno pressis, qui soluendo non erant, ipse fideiusserit, tum omniū debitorum pœnas pro illis exsoluendo, tum etiam gratiæ auxilia, quibus & occurrentibus tentationibus, & omnibus diaboli insidiis haud difficilè obuiam ire, ac resistere possent, ipsis promerendo, vt remissione peccatorum in baptismo percepta, iustitiæ in posterum viuerent. Quare post verba præcedent. adnot. elucidata: *Qui peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum.* 1.Petr.2.24. subiicit Apostolorum Princeps, *vt peccatis mortui iustitiæ viuamus:* 1.Pet.2.24. ostendens Christi redemptionem, & solutionē non in eo cardine versari, vt peccatorum nostrorū pœnis in se susceptis, peccandi, siue vitam in otio, & deliciis transigendi licentiam nobis ipse faceret, vt videlicet impunes abeuntes pro libito in posterum viuere possemus: sed potiùs vt decreti chirographo ligno crucis affixo, sic bono fideiussori nostro debitum persoluamus, vt totam subinde vitā in eius laudem, & obsequium, & ad veræ iustitiæ leges compositam agamus. Vnde pulchrè Ambr. lib.1. de Iacob. cap.5. *Sic chirographum peccati, quod in cruce deletum est, non rescribamus; sic veteris hominis amictum, quem exuimus, non induamus.* Nam si attendis, ita *fideiussor est auctor credenti* (vt definit Donatus) *alium aliquid daturum, facturumve sua fide, suoque periculo promittens:* vt hæc etiam fideiussionis natura, atque conditio sit, vt dū fideiussor creditori se obstringit, & pro debitore persoluit, fide iussoriam subinde in debitorem actionem habeat, vt ab illo quidquid creditori soluit, exigat, atque recipiat.

Ambros.
Donat.

3. Hinc signatè ad Rom.14.7. dicebat Paulus: *Nemo enim nostrûm sibi viuit, & nemo sibi moritur, siue enim viuimus, Domino viuimus, siue morimur, Domino morimur.* Sed quare? *in hoc enim Christus mortuus est, & resurrexit, vt & mortuorum, & viuorum dominetur;* vt videlicet Christo pro morte, quam obiuit pro nobis, id pretium persoluamus, vt omnes vitæ nostræ actiones, quin etiam mortem ipsam, ad eius gloriam referamus. Qua sanè de causa quisquis de vita æterna sibi comparanda sedulò agit, negotiator dicitur, qui cùm pretiosam margaritam, hoc est, Christi fidem, & redemptionem inuenit, vt eam sibi emat, & applicet, vendere omnia, quæ habet, & pro ea persoluere nō dubitat, Mat.13.46. Tū etiam quotquot Christi fide in baptismate percepta, miserè, & infeliciter postea pereunt, & æternis gehennæ cruciatibus se mancipant, ideo cum fatuis virginibus à Christo componuntur, quod de hoc diuino oleo sibi coëmendo per vitæ spatium non curarint; ideo de illis notanter dicitur, & foris fuisse

Ad Rom. 14.7.
Mat.13.46.

relictas, & eam à Christo terribilem vocem, *Nescio vos*, ac si de ipsius grege non fuissent, Matth. 25.12. audiisse; hæc omnia luculentissimè explicante, & diffundente Ambros. lib. 1. de Ioseph, cap. 7. his verbis: *Neque enim pretium quæsiuit a nobis, qui pro nobis sanguinis sui pretium soluit. quia non auro, & argento, sed pretioso nos redemit sanguine; ergo id pretium debes, quo redemptus es. Etsi ille non semper exigat, tu tamen debes. Eme igitur tibi Christum, non eo, quod pauci habent; sed eo, quod omnes habent per naturam, pauci offerunt per timorem. Suum est, quod à te Christus reposcit, ipse vitam pro omnibus dedit, ipse mortem suam pro omnibus obtulit. Solue pro auctore, quod soluturus es lege; non mediocris iste contractus est, non omnes illum facilè emunt. Denique illæ virgines in Euangelio, quas veniens sponsus exclusit, ideo foris relictæ sunt, quia venale oleum non emerunt. Vnde dicitur eis:* Ite potiùs ad vendentes, & emite vobis. *Et negotiator non immeritò prædicatur, quia vendidit omnia sua, & emit margaritam.* Hæc ille.

Mat. 25. 12. *Ambros.*

4. Vt verò ad crucis mysteria, quæ in manibus habemus, sermonem peculiariter conuertamus, videris hac ratione beatitudinem, atque æternam salutem à nobis obtinendam, non nisi in cruce perferenda, siue in veteris hominis crucifixione censeri. Sic Mat. 10.38. Marci 8.34. *Qui non accipit crucem suam, & sequitur me, non est me dignus.* & Luc. 9.23. *Tollat crucem suam quotidie, & sequatur me.* & ad Rom. 6.6. *Vetus homo noster simul crucifixus est.* & ad Galat. 5.24. *Qui sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitijs, & concupiscentijs.* Vnde Paulus de se ipso: *Christo confixus sum cruci*, ad Galat. 2.19. & cap. 6.14. *Mihi absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo.* Sanè, vt crucis mortem, quam pro nobis Christus exsoluit, ei è vestigio rependamus. Vnde quidem intelliges, quomodo Ioannes Christum crucem sibi suam baiulasse sic inquiens cap. 19.17. *& baiulans sibi crucem*, cum aliis Euangelistis affirmantibus illam à Simone post Iesum fuisse portatam, (sic enim Luc. 23.26. *Apprehenderunt Simonem quendam Cyrenensem, & imposuerunt illi crucem portare post Iesum*; similiter Matth. 27.32. & Marci 15.21.) omnino consentiat, nimirum, priùs Dominum crucem, hoc est, hominum peccata portasse, postea verò Simoni, hoc est, obedienti gestandam tradidisse, vt præfatum militibus suis characterem daret: *Qui non accipit crucem suam, & sequitur me, non est me dignus.* Ita Ambros. lib. 10. in cap. 23. Luc. *Bonus ordo nostri profectus est, vt priùs crucis suæ trophæum ipse erigeret, deinde martyribus traderet erigendum.* A quo quidem non abit Athanas. in Euangelium de Passione & cruce Domin. dum ait: *Nam & sibi Dominus crucem portauit, eandemque & ipse homo Simon tulit. Cùm igitur contra diabolum trophæum baiularet, principio quidem suam sibi crucem ferebat, vltrò enim ad mortem tendebat; ac rursus eandem gestauit Simon homo, vt omnibus innotesceret, Dominum non suam mortem, sed hominum obire.* Sed dicis, non bene ex eo, quod primùm Christus, deinde Simon crucem baiulauerit, sensum Athanasij constare: vt enim Dominus non suam mortem, sed hominum obire ostēderet, priùs homo crucem, cui ipse erat addictus, baiulare, deinde eam ad se Dominus transferre debuerat. Subsistit tamen Athanasij mens, hoc amplius innuens, Christum, quod non suam, sed hominum mortem obiret, crucem primùm baiulasse, deinde homini ferendam tradidisse; vt illi hoc etiā fieret manifestum, Dominum fideiussoria actione debitum, quod non pro se, sed pro homine exsoluebat, ab eo subinde exacturum, vt videlicet ille crucem sibi pro cruce rependeret. Quò reuoco,

Mat. 10. 38. *Marc. 8. 34.* *Luc. 9. 23.* *Ad Rom. 6. 6.* *Ad Galat. 5. 24.* *Ad Galat. 2. 19.* *Ad Galat. 6. 14.* *Ioan. 19. 17.* *Luc. 23. 26.* *Mat. 27. 32.* *Marc. 15. 21.* *Ambros.* *Athan.*

quod Magnus Leo post verba initio adnotationis adducta, sic subiicit: *Vnde cum quispiam obseruantiæ Christianæ se limitem senit excedere, & in id cupiditates suas tendere, quod eum arcto itinere faciant declinare, recurrat ad crucem Domini, & ligno vitæ motus noxiæ voluntatis adfigat, ac voce prophetica ad Dominum clamet, & dicat:* Cōfige clauis timoris tui carnes meas, à iudiciis enim tuis timui. *Quid autem est clauis timoris Dei carnes habere confixas, nisi corporeos sensus ab illecebra illiciti desiderij sub metu diuini continere iudicij, vt qui resistit peccato, & concupiscentias suas, ne quid morte dignum operetur, interficit, audeat cum Apostolo dicere:* Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo? *Ibi ergo se constituat Christianus, quò eum secum sustulit Christus, & ad id dirigat omnem viam suam, vbi scit humanam saluatam esse naturam.* Ita Leo.

Leo Mag. *Ps. 118. 120.*

5. Sed nemo opportuniùs, luculentiùs nemo, quàm ipsemet Paulus hæc explicuit, cùm ad Coloss. 1.24. dixit: *Adimpleo ea, quæ desunt passionum Christi in carne mea pro corpore eius, quod est Ecclesia.* Vt enim ibi primariò respiciat Apostolus ad vexationes, & labores, quos pro Ecclesia amplificanda, & ad eius fidem confirmandam, & stabiliendam libenter perferebat; inficiari sanè nemo potest, ipsum simul etiam affirmare, opus Christicolis esse, quò Passionis Christi efficaciter participes sint, eiusque illis satisfactio actu, & quoad efficaciam applicetur, vt dignos pœnitentiæ fructus faciant, & laboriosa, ac satisfactoria opera subeant, vt & Deum iratum sibi concilient, & pro temporali pœna peccatis suis debita satisfaciant: nec aliter completam in nobis Passionem Christi censeri, non quod ipsi, siue meritum, siue vim satisfaciendi spectes, deesse aliquid possit, cùm sit vndequaque infinitè perfecta, sed quod ex summi Patris decreto, iis solùm applicetur, qui peccatorum verè, perfectéque pœniteant, & ad iustitiæ normam, ac leges viuant. Subest quidem hæc vis verbo, *adimpleo*, siue *suppleo*, vt est in Lectione Syriaca, (nec Græcum verbū minorem emphasim habet, de quo alibi.) Vnde Chrysost. ser. 11. in hanc Epist. opportunè componit hæc verba cum illis cap. 3. vers. 10. *Configuratus morti eius, si quomodo occurram ad resurrectionem, quæ est ex mortuis*; ad hunc modum. Configuratus, *inquit*, morti eius, *id est, particeps: et enim quemadmodum ille ab hominibus malè acceptus est, ita & ego; propterea dixit,* configuratus. *& rursus alibi:* Adimpleo ea quæ desunt passionū Christi in carne mea, *id est, vexationes, & calamitates huiusmodi reddunt imaginem quandam illius mortis.* Ac sic dixerit, opus quidem esse crucem, quam primùm Dominus portauit, ab eo accipientes perferre, & in ea simul figi. vt ipsius in nobis Passio completa sit, plenumque sortiatur effectum. Ad quem etiam modum Ambrosius in Psalm. 37. dum explicat illa Vatis verba: *Curuatus sum vsque in finem*, sic ait: *Qui contristatur ergo ex Domino Iesu Christo, ipse lætificat Christum, & ipse lætificatur à Christo. Ideo ergo & nos non perfunctoriè satisfaciendum nobis esse cognoscimus. Curuemur vsque in finem, id est, non solùm Christo fidem, sed etiam passionum nostrarum perseuerantiam deferentes, & gaudeamus in passionibus nostris, sicut & Christus gaudebat in passionibus suis; quas ille suscipiebat pro seruulis, nos subeamus pro Domino. Hic ergo finis*, vt adimpleam, *inquit*, quæ desunt tribulationū Christi in carne mea pro corpore eius, &c. Hæc Ambr. Est quidē hac ratione purpureus ad mysticum Salomonis reclinatoriū, & thronum ascensus, Cant. 3.10. quod ea, qua nobis est incedendum via, purpura sanguinis Christi tincta sit, nimirū, *vt minuatur*

Ad Coloss. 1. 24. *Chrysost.* *Ambros.* *Cant. 3. 10.*

Psal.67.24. *gatur pes tuus in sanguine*, Psal.67.24. premens eius vestigia per imitationem, vt tandem regia hac purpura induaris. Qua de re ad id loci Cant. sic disseruit
Gilleb. Venerab. Gillebert. serm. 18. in Cant. *Hic tu pedem libenter pone, vt pes tuus intingatur in sanguine Christi. Non veniet tibi pes superbia, si humilem feceris ascensum, qui sponsi tui cruore sacro signatur, huic tu non modò pedem, sed etiam manum, & caput intinge, vt tota purpurea, tota regalis, & Passione Christi tota nobilitata ascendas: nam & si compateris, conregnas.* Ita ille, & post pauca: *Purpura hac magnum quoddam est pignus amoris, quem tibi dilectus exhibuit: verè magnum pignus amoris mortis passio. Ama ergo tu eum, qui prius, & plus dilexit: non exigunt hac tempora, vt sanguinem effundas: effunde animam tuam, effunde sicut aquam cor tuum.* Hæc, & alia Gillebertus.

6. Huc quidem facit, quod arcano sermone circa propitiatorij structuram à Domino præscribitur
Exod. 25. 17. Exodi 25.17. his verbis. *Facies & propitiatorium de auro mundissimo, duos cubitos, & dimidium tenebit longitudo eius, & cubitum ac semissem latitudo.* Et verò cùm aurum in sacris sapientiam adumbret, ex materia propitiatorij facilè colligas, Deum non temerè, & inconsultò, sed sapienter propitium hominibus reddi, vt nimirum iis solùm peccata dimittat, qui de ipsis intimo animi sensu dolent. Hinc autem similiter eruitur, idcirco structuram propitiatorij ex imperfecta, siue inchoata constare dimensione, dimidio, videlicet, cubito, & semisse, quod propitiatio, siue remissio peccatorum, non tantùm ex Passione Christi, sed ex nostra etiam pœnitentia coalescat, & vnum ens completum (volo barbarus in ea re explicanda videri,) ex vtraque resultet. En quid sit adimplere, quæ desunt Passionis Christi, quid etiam configurari morti eius, complantari, configi cruci, consepeliri, compati. Quibus locutionibus frequentiùs vtitur Apostolus, vt videlicet quasi ex duabus inuicem partibus, Passione Christi, & nostra imitatione salus nostra compingatur, & conglutinetur.
Bruno. Perstrinxit plura ex iis Venerabilis Bruno in allegoriis Gotfridi, ad cap. 25. Exod. his verbis: *Fit propitiatorium de auro mundissimo, quoniam tam sapienter propitiatur Deus, vt in sua propitiatione nunquam fallatur, quoniam nisi pœniteat, nulli vnquam propitiabitur. Et quoniam nec semper, nec omnibus Deus propitiatur; ideo in propitiatorij quoque dimensione imperfectum aliquid, semissem, videlicet, & dimidium posuit.* Ita ille.

7. Et verò hac mente imbutus Propheta Ionas sub Christi in crucem suffixi, & pro nobis fide iubentis
Ion. 2. 10. persona, Deo Patri decantabat cap. 2. 10. *Ego autem in voce laudis immolaui tibi, quæcumque voui reddam pro salute Domino:* eadem omnino sententia cum Petro Epist. 1. cap. 3. 18. dicente: *Christus semel pro peccatis nostris mortuus est, iustus pro iniustis, vt nos offerret Deo, mortificatus quidem carne, viuificatus au-*
Bibl Compl. *tem spiritu*; siue vt Biblia Complut. & Regia, & plu-
Bibl Regia. res codices non prorsus aliena sententia habent, *vt nos offerret Deo mortificatos quidem carne, viuificatos autem spiritu.* Quasi Christus in cruce peccatorum chirographum delens, pro nobis fideiusserit, nostróque nomine Deo Patri deuouerit hostias nos spirituales, victimasque perfectas, quales exoptabat
Ad Rom. 12. 1. Paulus, cùm ad Rom. 12. 1. dicebat: *Obsecro itaque vos fratres per misericordiam Dei, vt exhibeatis corpora vestra hostiam viuentem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium vestrum.* Concinit Græcum verbum, προσαγάγῃ, *adduceret*, quasi errones, aut fugaces seruos, aut perditos, & vagantes filios, quos dum grauis quispiam vir ad dominum, aut parentem adducit, meliora in posterum pollicetur, & suam simul fidem obstringens pro illis vadimo-

Vellaz. q. in Epist. ad Philippens.

nium facit. Quæ quidem omnia præ oculis habens Hierony. in prædicta Ionæ verba sic ait: *Cernimus quid in sua Passione pro salute nostra Saluator promiserit, non faciamus mendacem Iesum, mundi simus ab vniuersis peccatorum sordibus, vt nos Deo Patri offerret victimas, quas vouerat.* Et quidem non dubium, Hierony. omnes qui in Christo baptizantur, sic Christum induere, & sponsori suo rependere, vt data ex syngrapha cautione hanc vitæ probitatem, & pro futuris erratis pœnitentiam, atque satisfactionem polliceantur, ac repromittant, de quo multa luculenter scripsit Basilius lib. 2. de baptismo, cap. 1. vbi cùm Basil. in hanc sententiam plura ex Paulo testimonia congessisset, vt ad Rom. 6. 4. *Consepulti enim sumus cum* Ad Rom. 6. 4. *illo per baptismũ in mortem, vt quomodo surrexit Christus à mortuis per gloriam Patris, ita & nos in nouitate vita ambulemus.* & ad Galatas 3. 27. *Quicumque* Ad Galat. 3. 27. *enim in Christo baptizati estis in Christo, Christum induistis,* &c. necnon 2. ad Corinth. 5. 14. *Charitas Chri-* 2. ad Cor. 5. 14. *sti vrget nos, æstimantes hoc, quoniam si vnus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt*; ex his tan- Ad Rom. 6. 6. dem concludit. *Itaque, qui verè secundum verbum Apost. in mortem Christi baptizatus est, mundo quidem seipsum mortificauit, verùm multo priùs peccato, iuxta eam rationem, quæ ab Apostolo vbi de baptismate loquitur, assignata est, vbi dicit*: quoniam vetus homo noster vnà crucifixus est, vt destruatur corpus peccati, vt peccato non seruiamus posthac amplius. *Irreuocabili autem pacto se adstrinxit ad hoc, vt Christum sequatur in omnibus, id quod est Deo integrè, ac perfectè viuere, omnino adimplens Apostolica illa, quibus aliquando dicit*: Obsecro vos fratres per miserationes Dei, vt exhibeatis corpora vestra hostiam viuentem, sanctam, Deo beneplacentem, rationalem vestrum cultum. Hæc Basilius.

Firmat hæc sensa opportunissimè Paulus ad 8.
Ephes. 1. 13. inquiens: *Vt simus in laudem gloria eius* Ad Ephes. 1. 13. *nos, qui antè sperauimus in Christo, in quo & vos, cùm audissetis verbũ veritatis (Euangelium salutis vestra) in quo & credentes signati estis Spiritu promissionis sancto, qui est pignus hereditatis nostra, in redemptionem acquisitionis, in laudem gloria ipsius.* Vbi in primis cum Hieronymo aliqui legunt, *Spiritu repromissionis.* De- Hieron. inde dum ambigitur, quid significetur à Paulo illa locutione, *Spiritu promissionis*, mihi vehementer placet eiusdem Hieronymi sententia affirmantis, Spiritum sanctum ea ratione Spiritum repromissionis appellari, quod sponsorem, siue repromittentem faciat eum, in quo inhabitauerit, sed iuuat id ab Hieronymo audire: *Quærendum etiam vbi alibi scriptum sit; Spiritus repromissionis sanctus: vel quid significet. Ego enim æstimo, quia sicut Spiritus sanctus sanctum facit eum, cui fuerit infusus, & spiritus sapientiæ, sapientem; & intelligentiæ, intelligentem; & consilij, cautum, atque consultum; & fortitudinis, fortem; & scientiæ, scientem; & pietatis, pium, & timoris, timidum, Deique timore trepidantem: ita & Spiritus repromissionis, vel Spiritus Dei sponsorem, & Deum facit eum, in quo habitauerit. Quomodo è contrario immundus spiritus immundum facit, & spurcam sibi domum praparat spurcus habitator: fornicationis quoque spiritus efficit scortatores.* Hæc Hieron. Vbi vides, eos, qui Christo nomen dant, simul cum fide Deo repromittere se pœnitẽtia, & bonis operibus pro suis peccatis soluturos, quidquid bonus fideiussor pro eis priùs persoluit, vt hac ratione simus in laudem gloriæ eius: hoc est, vt redemptionis gratia (quam Paulus de more habet appellare gloriam) in fidelibus iustè, & sanctè viuentibus clara, & splendida reddatur, dum tam egregium beneficium nõ in ingratis, aut impiis, sed in iis, qui gratiarum memores, in Redemptoris sui obsequiũ se totos impendunt

Rr 2 optimè,

optimè collocatum conspicitur: quinimò, vt vel hinc etiam redemptionis nostræ illustria indicia sumamus. Quem opinor subesse sensum illis verbis, *qui est pignus hæreditatis nostræ*: in quam sententiam
Bernard. egregius est Bernardi locus serm. 2. in octaua Paschæ, vbi elucidans illud Ioannis 1. Epist. 5. 8. *Tres sunt, qui testimonium dant in terra, Spiritus, aqua, & sanguis*, cùm dixisset: *Iacebamus captiui, inquinati, conquassati, donec veniret desideratus gentibus, qui nos redimeret, ablueret, adiuuaret. Hic est enim, qui sanguinē proprium dedit in redemptionem, aquam simul produxit de latere suo in ablutionem; emisit deinde de excelso Spiritum suum, qui adiuuaret infirmitatem nostram*; sic inquirit. *Vis ergo scire an hæc aliquid operentur in te? Ne fortè reus sis sanguinis Domini, quem euacuas, quantum in te est, sed & aqua ipsa, quæ debuerat mundare, in sordibus permanenti iudicium damnationis accumulet, Spiritus quoque, cui resistis, non liberet maledictum à labijs suis.* Vnde statim sic rursus interrogando respondet: *Quis est autem, qui testimonium habet effusi non sine causa sanguinis Christi, nisi qui continet à peccatis? Seruus enim peccati est, qui peccatum facit: vt si deinceps continere potuerit, & iugum abijcere miseræ seruitutis, certissimum sit testimonium redemptionis, quā operatur sine dubio sanguis Christi. Verùm non sufficit peccatori continentia, si non etiam adsit pœnitentia. Habet ergo & ab aqua testimonium, qui laborat in gemitu suo, lauans per singulas noctes lectum suum. Sicut enim sanguis ille redemit, vt non regnet peccatum in nostro mortali corpore, sic aqua abluit ab his peccatis, quæ commisimus antè.* Hæc Bernardus. Ad cuius gustum Radulphus in allegoriis Gotfridi, sic capit illud Exodi
Exo. 28. 38. 28. 38. *Portabit Aaron iniquitates eorum, quæ obtulerunt, & sanctificauerunt filij Israel*; vt vmbra sit Christi, languores nostros ferentis, & iniquitates nostras portantis, si tamen earum verè nos pœniteat. Sic
Radulp. enim ille: *Neque sanguis Christi expiat omnes: neque fides sola sufficit, vt inter eos, quos expiat, numeremur, nisi sanguinis Christi vtilitatem congrua pœnitentia satisfactione meremur. Vnde scriptum est:* Portabit Aaron iniquitates eorum, quæ obtulerunt, &c. *Aaron quippe noster, Dominus Iesus eas tantùm fidelium iniquitates portat, & Passionis suæ supplicio expiat, quarū confessionem Deo obtulerint, & sanctificauerint eas, hoc est, digna emendatione correxerint.* Sic ille.

9. Iam sub hoc sensu omnino capiendus Eccle-
Eccl. 29. 18. siast. cap. 29. 18. dum ait: *Gratiam fideiussoris ne obliuiscaris, dedit enim pro te animam suam*: siue vt legit
Lect. Tigur. Tigurina, *animam suam pro te deposuit*. Vbi primò nota, iis locutionibus dandi, siue deponendi animam pro aliis, mortem in Scripturis exprimi. Sic namque
Mat. 20. 28. Christus Matth. 20. 28. & Marc. 10. 45. *Filius homi-*
Mar. 10. 45. *nis non venit ministrari, sed ministrare, & dare animā suam redemptionem pro multis*. & Lucæ 23. 46. *In ma-*
Luc. 23. 46. Lect. Syr. *nus tuas commendo* (Syriacè, *depono*) *spiritum meum*. Deinde his nos verbis vrgeri ad satisfaciendum fideiussori nostro, effusi sanguinis sui pro peccatis nostris pretium à nobis exigenti, dum monet, eam nos iustitiæ, & sanctitatis viam inire, quam ipse in Passione sua nostro nomine Patri promisit, ne (vt dicebat Hieronymus) *mendacem eum faciamus*. In quam sententiam hæc opportunissimè scripsit Am-
Ambros. brosius lib. 3. de Virginib. ad fin. *Bonus seruus pretium studet reparare Domino, quod pro se solutum est. Sanguinem soluit, sanguinem debes. Ille pro te soluit, tu pro te redde. Eramus oppignorati malo creditori peccatis, contraximus chirographum culpa, pœnam sanguinis debebamus. Venit Dominus Iesus, suum pro nobis sanguinem obtulit. Sed non potes sanguinem reddere. Bonus quidem seruus debet pretium reparare Domino suo. Sed si non potest pretium reddere, vel hoc faciet, ne pretio videatur indignus. Ergo & tu dignum te gere tali pretio, ne veniat Christus, qui te mundauit, qui te redemit, & si te in peccato inuenerit, dicat tibi:* Quæ vtilitas in sanguine meo? *Quid profeci tibi, dum descendo in corruptionem.* Hæc Ambrosius. Psal. 29. 10.

Subest quidem hoc mysterium, subest hic spiritus, siue sensus tum aceto illi, quo omnia consum- 10.
mata dicuntur, Ioan. 19. 30. à Redemptore in cruce Ioan. 19. 30. ebibito, tum clamori illi valido, & lamentabili gemitui, tunc temporis emisso. Et quidem acetum, vt scitè, & eleganter obseruauit ea de re agens Hila- Hilar. rius Can. 33. in Matthæum, humanam naturam significat per peccatum corruptam, in pristinam dignitatem per Christi Passionem restituendam: siue, vt enucleatiùs res aperiatur, peccata nostra, quorū amaritudinem in se, ac si ea biberet, Christus, vt ea expiaret, suscepit; de quo multus est Hilarius ibi, à quo Hieronymus epist. ad Occeanum, ait: *Felle &* Hieron. *aceto potatus est, vt in nobis iam nec fellis amaritudo, nec aceti esset asperitas.* Sed obserua, non aliter sub aceti vmbra Christo peccata redemptorū hominū propinata fuisse, nisi etiam simul hyssopi herba ad grande mysterium ipsi apponeretur: sic enim Ioan. Ioan. 19. 29. cap. 19. 29. *Vas ergo positum erat aceto plenum: illi autem spongiam plenam aceto, hyssopo circumponentes obtulerunt ori eius.* Planè, vt innueretur, Christum ea solùm peccata in se suscepisse, quæ eum pœnitētia, & lacrymis sibi expiāda ab hominibus offerrentur. Nosti enim hyssopum medicinalem herbam esse, de qua inquit August. tractatu 119. in Ioan. *Pectus pur-* August. *gat.* Vnde, vt idem Pater in id Psal. 50. *Asperges me hyssopo*, tom. 8. ait: *In mysterio mundandi cordis de ea similitudo sumpta est.* Quare cùm statim magnum illum clamorem dolens Dominus emisit, id nobis significauit, diuina tunc cognitione præuidisse, plures futuros esse homines, quorū ipse peccata ob eorum duritiā, & impœnitens cor, non potaret. Adnotauit id præfato loco ad hūc modum Hilarius: *Spi-* Hilar. *ritum cum clamore, & voce magna emisit, dolens non omnium se peccata potare.* Adiungo Ambrosij, Pro- Ambros. speri, & Bernardi testimonia. Nam primus lib. 10. in Lucam, cap. de aceti oblatione, & potatione Iesu, cùm ad mentem Hilarij dixisset: *Ergo acetum bibitur, hoc est, corrupta per Adam immortalitatis culpa aboletur in calamo, vt de corpore absorberetur humano*, sic infert. *Nos quoque vitia nostra per incuriā mentis, corporisque concreta transfundamus in Christum; transfundamus per baptismum, vt crucifigamur in Christo; transfundamus per pœnitentiam, vt ab illo nobis vini, sanguinisque cælestis incorrupta sinceritas refundatur.* Similiter Prosper in responsione ad articulos falsò im- S. Prosp. positos Augustino, in responsione ad primum, cùm dixisset: *Cùm per vnam omnium naturam, & omnium causam à Domino nostro in veritate susceptam redempti omnes rectè dicantur, non tamen omnes à captiuitate sunt eruti. Redemptionis proprietas haud dubium penes illos est, de quibus Princeps huius mundi missus est foras, & iam non vasa diaboli, sed membra sunt Christi*; paucis interiectis, sic ait. *Poculum immortalitatis, quod confectum est de infirmitate nostra, & virtute diuina, habet quidem in se, vt omnibus prosit, sed si non bibitur, non proficit.* Hæc ibi, alibi latiùs expendenda. Subiicio, quæ habet Bernard. tractatu de Passione, cap. Bernard. 13. vbi cùm de hoc aceto, quod Dominus in cruce exsuxit, latiùs differuisset, ita concludit: *Imitetur ergo quælibet fidelis anima sponsum suum dulcem Iesum, tanta amaritudinis poculum sitientem pro ipsa, pariter & ebibentem: & sicut ille, ita etiam ipsa pro illo ebibat per aduersa præsentia, sitiat quoque & ipsum dulcissimum sponsum suum.* Hæc ille.

Ecce tibi Passionem Christi, si te peccatorum 11.
pœniteat,

pœniteat, completam, aliàs tua negligentia mancam, siue tibi tua causa inefficacem, quod impœnitens, & ingratus cùm sis, fideiussori tuo pretium sui sanguinis reparare, vt dicebat Ambrosius, siue rependere renuas, ipsumque exclamare cogas. *Quæ vtilitas in sanguine meo, dum descendo in corruptionem?* Et verò huic instituto iure accommodes, tum quæ post præfata verba; *gratiam fideiussoris ne obliuiscaris*, &c. subdit Ecclesiasticus, tum quæ Prouerb. 17. 18. habet Salomon: & vt hinc incipiam, sic ibi; *Stultus homo plaudet manibus, cùm spoponderit pro amico suo.* Cuius sententiæ sensum si optimè assecuti sunt Lxx. reponentes: *Vir imprudens plaudit, & congaudet sibi, cùm etiam spondens spoponderit suos ipsius amicos.* Quasi dicat: maximè imprudens ille est, qui alieni debitor æris, præstita satisdatione irridet, sibique gratulatur, quod eius sponsor obligationis laqueis irretitus teneatur, ac si ipse eosdem declinasset. Primùm, quia vt ingratus, & illiberalis, fideiussoris gratiam obliuiscitur, neque de ea referenda cogitat. Deinde, quod suum ipse discrimen non animaduertat, nec fideiussionis iura rectè calleat, cùm simul ac sponsor nomen suum dissoluerit, ius ex creditoris chirographo acquirens debitoris nomina bonis illius omnibus, etiam ipsismet vestibus hastæ subiectis, exacturus sit. En imprudentiam, cuius Sapiens ingratum arguit. Consentanea sunt hæc Ecclesiastici, quæ dicebam, verba: *Repromissorem fugit peccator, & immundus*; pro quibus hæc nostro instituto opportuna reponit ex Græco fonte Lectio Tigurina: *Beneficium fideiussoris prauè compensat scelerosus.* Vbi ex vtraque Lectione is est sensus, peccatorem maximè ingratum esse, quippe qui debita, pro quibus bonus Dominus in eius gratiam fideiussit, soluere nolit, & noua peccata pro gratia rependat. Hæc ita esse accipienda sequentia confirmant; subdit enim Sapiens: *Bona repromissoris sibi adscribit peccator, & ingratus sensu derelinquit liberantem se.* Ac si dicat: iam sibi liber, & à debito immunis videtur, quasi Christi bona, id est, sanguinis passio, & merita non tam sibi communia, quàm propria sint, quæque ipse ad libitum expendere, imò iis etiam ad perditè, & voluptuariè viuendum, quin alicui subinde obligationi sit obnoxius, vti possit. Ita quidem verbis, & operibus iam olim quidam hæretici docuerunt, nostra verò tempestate operibus quidē manifestis verbis etiã huc sub luce maligna euntibus Nouatores, qui toti quãti quanti sunt, in vitiorum cœno, & sordibus volutantur, pertinaciter contendunt. *Qui* (2. ad Timoth. 2. 18.) *à veritate exciderunt, dicentes resurrectionem iam factam esse*, hoc est, vt ego interpretor, solutos nos iam per Christi mortem esse à diuinæ legis obseruatione, nec aliam nobis resurrectionem, siue gloriam expectandam, nisi eam, quæ in deliciis, & voluptatibus versatur. Sic penè Theodoretus, dum ait: *Successionem, quæ fit per liberorum procreationem, resurrectionem miseri appellarunt*; & luculentiùs idem Apostolus, dum subiicit: *Sed firmum fundamentum Dei stat, habens signaculum hoc, cognouit Dominus, qui sunt eius, & discedat ab iniquitate omnis, qui inuocat nomen Domini.* Ac si dicat: imò verò hic potiùs ex Dei præscripto eorum, qui Christo nomen dederunt, character est, vt peccatis mortui iustitiæ viuant, & omnimodæ puritati se dedant, vt hoc modo redemptionis suæ pretium ipsi persoluant.

Prou. 17. 18.

Lxx.

Eccl 19. 21.

Lect. Tigur.

2. ad Tim. 2. 18.

Theodor.

12. Aliter quidem ab hac doctrina, sensu, ac iudicio, sed non longiùs moribus, & conuersatione mali Christiani eunt, qui vt mala nomina fideiussoris bona sibi adscribunt, & derelinquunt liberantem illos: & sanè non tam vocis sono, quàm rei sensui hærendo, sub hac sententia acceperis Christi in cruce verba, magna voce pronunciata; *Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me?* Matt. 27. 46. *Nam si ea acceperis* (verba sunt Origen. hom. 35. in Mat.) *humano more propter calamitatem, quæ comprehenderat eum in cruce, non audis magnam vocem eius, qui ostendit aliquid esse magnum absconditum.* Ergo propter homines, qui ipsum pro eorum peccatis morte sua spondentem derelinquunt, vti dicebat Ecclesiastic. *& ingratus sensu derelinquit liberantem se*; nolentes pœnitentia, & vitæ probitate pretium redemptionis ei rependere, hæc à Domino dicta sunt, eodemmet Origene ibi, & Bernardo tractatu de Passione, cap. 12. monentibus. Sic vterque: *Dominus præuidens aliquos, imò plurimos in corpore suo, qui ab vnitate Ecclesiæ suæ per hæreses, siue per alia criminalia peccata erant recessuri, illorum personam in se transfigurando clamat*, vt quid dereliquisti me? *ac si diceret, quare aliquis eorum abiit retrorsum, vt pereat ab vnitate corporis mei, qui tanto cruciatu mihi sunt vniti?* Quem sensum appositè reddidit Venerabilis Stephanus in allegoriis Gotfridi Tilman. iis Sophoniæ verbis cap. 3. 1. *Væ prouocatrix, & redempta ciuitas*: ac si hi, qui vt mala nomina derelinquunt liberantem se, scopo redemptionis nostræ, & Christi consiliis maximè contradicant, atque repugnent. Audi: *Sermo propheticus contra Ecclesiam dirigitur, quæ Deum misereri sibi volentem, in amaritudinem conuertit, & prouocat ad puniendum quantum ad quosdam, qui in ea sunt numero, non merito. Redempta sanguine Christi. ô peruersitas! Prouocatrix, & redempta. Quid enim tam arguit malitiam nostram, quàm redemptionis nostræ modus, & causa? Vnde cùm Isaias cap. 45. 8. de beneficio redemptionis humanæ agens, dixisset*: Rorate cœli desuper, *&c. vsque*: ego Dominus creaui eum; *mox subiunxit*: Væ qui contradicit factori suo, testa de samiis terræ. Numquid dicet lutum figulo: Quid facis? Hæc Stephanus.

Mat 27. 46.

Origen.

Bernard.

Steph. Cant.

Soph. 3. 1.

Isai. 45. 8.

13. Huc faciunt, quæ ad Leuiticos canones, tum de duobus hircis, quorum alter Domino immolabatur; alter verò in desertum vagus emittebatur, Leuitici 16. 7. tum de ingressu summi Sacerdotis in Sancta sanctorum ad repropitiationem iis, qui pro foribus eum expectabant, obtinendam. obseruauit Cyrillus Alexandr. lib. 9. in Leuiticum. Nam in hirco altaribus admoto, & Domino consecrato, meritò eos ipse considerauit, qui ex immunditia errorum, & infidelitatis emergentes, & Christi fidem amplexantes, mundi ex immundis, & ex diaboli sorte, sors Dei efficiuntur, si tamen vitæ puritatem, & integritatem retinere studuerint, alioqui è Dei sorte ad hirci apopompæi, siue emissarij, qui diabolo addictus est, sortem rursus spectabunt: sic namque Cyril. *Hircus enim animal mundum est, & diuinis altaribus consecratum, & tu ergo per gratiam baptismi consecratus es altaribus Dei, & animal factus es mundum, sed si non custodias mandatum illud Dei, quo dixit*: Ecce sanus factus es, iam noli amplius peccare, ne tibi aliquid deterius contingat; *sed cùm esses mũdus, rursus te peccati inquinamento maculasti, & ex virtute ad libidinẽ, ex puritate ad immunditiam declinasti tuo vitio, cùm animal mundum fueris, sorti te apopompæi, eremique tradidisti.* Hæc ille, & alia ibi. Sed post plura, dum summũ veteris ritus Sacerdotem, in die repropitiationis intrantem Sancta sanctorum, cum Christo Domino componit, hæc subiicit: *Igitur dies propitiationis manet in nobis vsquequò occidat Sol, id est, quousque finem mundus accipiat, stamus enim nos pro foribus opperientes Pontificem nostrum commorantem intra Sancta sanctorum, id est apud Patrẽ, & exorãtem pro peccatis eorum, qui ipsum expectant, non pro omnium peccatis exorantẽ; nõ enim exorat pro iis qui in sortẽ veniũt eius hirci qui emittitur in desertũ pro iis exorat*

Leu. 16 7.

Cyr. Alex.

Vellaz q. in Epist. ad Philippens.

tantùm, qui sunt sors Domini; qui eum pro foribus expectant, qui non recedunt de templo, ieiunijs, & orationibus vacantes. An tu putas, qui vix diebus festis in Ecclesiam venis, nec intentus es ad audienda verba diuina, nec das operam ad implenda mandata, quod possit sors Domini venire super te? Hactenus ex Cyril. vide tu apud eum in hanc sententiam plura; & apud te tacitus considera ad quam ex his sortem tua te opera ducere videantur.

14. At enimverò præfato loco egregiè ostendit Ecclesiasticus, quàm immaniter errent, atque decipiantur, qui gratiã fideiussoris obliti derelinquunt

Eccl. 29. 24. liberantem illos, dum vers. 24. ait: *Peccator transgrediens mandatum Domini, incidet in promissionem nequam;* vbi

Lect. Tigur. Lectio Tigurina opportunissimè: *Scelerosus preceptorum Domini violator recidet ad fideiussiones.* Nam voluit dicere, recidet ad pristina debita, pro quibus fideiussor spopondit, siue potiùs, quod multò grauiùs est, pendet fideiussionis pretium, hoc ipsummet sanguinem Christi, quem pro peccatoris debitis ille singillatim persoluit. Quam ad rem valde appositus est Apostoli locus ad Hebr.

Ad Hebr. 10. 26. 10. 26. *Voluntariè enim peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis, iam non relinquitur pro peccatis hostia. Terribilis autem quædam expectatio iudicij, & ignis æmulatio quæ consumptura est aduersarios.* Sed obserues velim, phrasi illi, *voluntariè peccantibus*, vix alium sensum commodè reddi posse, nisi quem illi adhibet Occumenius, vt perinde sit, ac voluntariè perseuerantibus, siue volentibus permanere in peccatis, quod pœnitere nolint, nec de emendatione cogitare. A quo non longiùs ire videtur Græca vox, *ἁμαρτανόντων*, quod verbum, vt alibi tracto, propriè significat *deerrare*, siue, *ab scopo aberrare.* Quæ quidem significatio plus aliquid portendit, quàm vtcumque peccare, aptiusque accipias de prolapsione, & perseuerantia in peccatis, quod id sit aberrare ab scopo redẽptionis, quæ à nobis exigit, vt peccatis mortui iustitiæ viuamus, necnõ vt dum indesinenter peccamus, pœnitentiæ indesinenter inhæreamus. Sed & contextus subinde hanc explicandi rationem potiùs, quàm vllam aliam confirmat, subdit enim Apost. *Irritam quis faciens legem Moysi, sine vlla miseratione duobus, vel tribus testibus moritur: quanto magis putatis deteriora mereri supplicia qui Filiũ Dei conculcauerit, & sanguinẽ Testamenti pollutum duxerit, in quo & sanctificatus est, & Spiritui gratiæ contumeliam fecerit?* In quæ verba primùm

Cyr. Alex. noto, sub præfato sensu adduci à Cyrillo Alexand. lib. 11. in Leuiticum, prope finem: nam cùm latiùs rationem expendisset, quam ex lege Moysi irrita à peccantibus reddita, affert Paulus, hæc adiicit: *Nunc verò non infertur pœna corpori, nec purgatio peccati per corporale supplicium constat, sed per pœnitentiam, quam si quis dignè gerat, ita vt mereatur pœnam tolli, veniam possit inuenire. Multi sunt enim qui nec ad hoc inclinantur, nec pœnitentiæ refugium quærunt, sed cum ceciderunt, surgere nolunt. Delectantur enim in eo luto, quo cœperunt volutari.* Deinde inficiabitur nemo, rectè dici Filium Dei ab iis conculcari, & sanguinem Testamenti pollui, qui gratis mortẽ subiisse, & sanguinem profudisse patiuntur, dum ei nec vicem bene viuendo rependunt, nec salutari sanguinis medicina in ablutionem peccatorum per veram pœnitentiam frui volunt. Quæ videtur fuisse

Ambros. se explicatio Ambrosij ibi dicentis: *Sicut enim ea, quæ conculcamus, nullius momenti pendimus, sic & qui liberè peccant absque timore, & absque pœnitentia, Christum nullius momenti existimant; nec eum Iudicem futurum formidant.* & statim: *Factus est per gratiam corpus Christi, & seipsum facit corpus diaboli, & sanguinem Christi polluit, in eo, quod mundatus est, & ad vomitum reuertitur pristinum; & seipsum per pœnitentiam iterum mundare neglexerit, Spiritum gratiæ iniurians.* Ita Ambrosius.

Denique id significant proxima illa verba, *Spiritui gratiæ contumeliam fecerit.* quæ sic indidem ex- 15.

plicat Ambrosius: *Qui verò beneficium dantis gratuitò non suscipit, iniuriam facit benefacienti. Ille facit te filium, tu verò vis fieri seruus peccati: Venit enim ad habitandum apud te; tu verò non præparas ei domum dignam habitationis suæ, alium, id est, diabolum habitatorem tibi concilians.* Quod si attendis, his verbis re- Ambros.

spexisse videtur Apostolus ad illa ad Ephes. 1. 13. Ad Ephes. 1. 13.

quæ suprà adduximus *in redemptionem acquisitionis, in laudem gloriæ illius.* Nam sicut bonus redemptionis vsus ipsimet redemptioni laudi est, pari etiam modo, cùm ea nihili fit, & salus ab ipsa dimanans despicitur, non mediocris illi contumelia irrogatur. Quare, qui Christiani cùm sint, ad Christi leges non viuunt, meritò ab Augustino componuntur cum maligno, & inuerecundo Cham, filio Noë, patrem probro, & ignominia afficiente. Sic enim il-

le lib. 16. de ciuitate Dei, cap. 2. tom. 5. *Omnes qui Christiano vocabulo gloriantur, & perditè viuunt, non absurdè possunt videri in filio Noë Cham figurari. Passionem quippe Christi, quæ illius hominis nuditate significata est, & annunciant confitendo, & malè agendo exhonorant.* Sic ille. Pendant hæc apud se, & expendant homines; & vt peccati faciem, siue turpitudinem in Christo crucifixo, in cuius carne reum egit Deus peccatum, cognouère: ita in eadem Christi Passione, & morte, horrenda peccatis imminentia supplicia, quæ non nisi cum ipsiusmet vnigeniti Filij Dei Passione, & cruce, vna, & eadem lance librātur, non modò cognoscant, & animaduertant, sed expauescant, & horreant. Quò aduoco ea Eusebij, siue Euchetij verba hom. 2. de Symbolo, adnotat. præcedent. adducta: *Ita & Dominus noster Iesus Christus non solum diuinitatem, sed etiam crucem, & mortem suam post futuris sæculis voluit celebrari, vt à peccatis propter quæ moriebatur, non solum nos Dei mandata reuocarent, sed illata pro nobis supplicia, & vulnera deterrerent.* Quidni deterreant cùm ea omnia singillatim Deo persoluere, ac rependere teneatur, qui suis criminibus Christum rursus crucifixit? Sed hæc meditationẽ potiùs, quàm verba efflagitant; & iam riui claudendi sunt, opinor, non tamen priusquàm hæc omnia nobis confirmet Bernardus serm. in feria 4. Bernard.

hebdomad. pœnosæ, vbi cùm dixisset: *Proinde memor ero, quandiu fuero, laborum illorum quos pertulit in prædicando, fatigationum in discurrendo, tentationum in ieiunando, vigiliarum in orando, lacrymarum in compatiendo. Recordabor etiam dolorum eius, conuiciorum, sputorum, colaphorum, subsannationum, exprobrationum, clauorum, horumque similium, quæ per eum, & super eum abundantius transierunt;* sic sapienter, & opportunè subdit: *Facit ergo mihi fortitudo, facit similitudo, sed si accesserit etiam imitatio, vt sequar vestigia eius. Alioquin etiam exquiretur à me sanguis iustus, qui effusus est super terram, nec immunis ero ab illo tam singulari scelere Iudæorum; quod videlicet tantæ charitati ingratus fuerim, quod Spiritui gratiæ contumeliam fecerim, quod sanguinem Testamenti pollutum duxerim, quod conculcauerim Filium Dei.* Hæc omnia Bernard. nos ad alia.

* * *

Ad

Ad eadem verba: *Mortem autem crucis.*

ADNOTATIO VIII.

Christum ea etiam ratione crucis mortem obire voluisse, vt ad bona opera indesinenter exercenda; pracipuè verò ad charitatem in ipsum nullis terminis circumscribendam, nos prouocaret.

1. HOC etiam crucem Christi Augustinus peculiariter retulit, vt ex ipsa velut è suggesto, totius virtutis perfectioné, vel ipso corporis habitu edoceret: sic namque ille in Psal. 62. *Leuauit pro nobis Dominus Deus noster manus in cruce, & extensæ sunt manus eius pro nobis, vt manus nostra extendantur in bona opera: cùm enim in cruce, & nostram fuerit operatus salutem, & peccatum, ac diabolum deuicerit; id quidem manuum extensione fecit, vt nostras etiam admoneret, & prouocaret.* Vnde quidem omnium virtutum gēmas cruci singillatim insculptas piè & subtiliter meditantur Patres, & ex ipso Augustino sic in primis S. Thom. in cap. 12. ad Hebræos: *In quacumque tentatione inuenitur in cruce præsidium; ibi enim est obedientia ad Deum, ibi charitas ad proximum, ibi patientia in aduersis: denique in cruce inuenitur doctrina, & exemplum omnis virtutis: vnde Augustinus; Crux non solùm fuit patibulum patientis, sed etiam cathedra docentis.* Sic Angelicus Doctor. Euoluunt hæc aliter, & aliter Chrysostomus, atque idemmet Augustinus; quorum prior hom. 2. in Symbol. tom. 5. sic ait: *Fixus est cruci. Magnum Sacramentum, magna altitudo crucis, magna latitudo magna profunditas. Altitudo, vt ad Patrem clamaret:* Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt. *Latitudo, quia* maiorem charitatem nemo habet, quàm vt animam suam ponat pro amicis suis. *Profundum, vt Ecclesia ad Deum clamaret:* De profundis clamaui ad te, Domine: Domine exaudi vocē meam; *& exaudiretur pro filijs vox eius.* August. verò ep. 120. c. 26. *Non frustra igitur tale genus mortis elegit, nisi in eo quoque latitudinis huius, & longitudinis, & altitudinis, & profunditatis magister existeret: nam latitudo est in eo ligno, quod transuersum desuper figitur, hoc ad bona opera pertinet, quia ibi extenduntur manus: longitudo in eo, quod ab ipso ligno vsque ad terram conspicuum est: ibi enim quodammodo statur, id est persistitur, & perseueratur, quod lōganimitati tribuitur: altitudo est in ea ligni parte, quæ ab illo quod transuersum figitur, sursum versus relinquitur, hoc est, ad caput crucifixi, quia bene sperantium superna expectatio est. Iam verò illo ex ligno, quod non apparet, quod fixum occultatur, vnde totum illud exurgit, profunditatem significat gratuitæ gratiæ, in quo multorum ingenia conteruntur id inuestigare conantia, vt ad extremum eis dicatur:* O homo, tu quis es, qui respondeas Deo? Hactenus August. Et verò quamuis hæc omnia sensum habeant communem cum pluribus Pauli locutionibus, quas vel iam superiùs elucidauimus, vel quæ inferiùs à nobis explicandæ, & exornandæ sunt (id namque sonat illud ex nostra Epistola, *extendens me ipsum si quomodo comprehendam, in quo & comprehensus sum à Christo Iesu:* necnō illa ad Ephesios verba cap. 2. 10. *Ipsius enim sumus factura, creati in Christo Iesu in operibus bonis, quæ præparauit, vt in illis ambulemus:* de quibus vide dicta cap. 1. vers. 10. adnotat. 2. num. 3. & vers. 11. adnotat. 1. num. 3.) quoniam ad Christum crucifixum mirificè pertinent, qui extensis manibus nostras singulari modo admonet, atque prouocat, & nostram in ipsum charitatem plus plus excitat, peculiari ea adnotatione illustrare placet.

August.

S. Thom.

Chrysost.

Luc. 23. 34.

Ioan. 15. 13.

Psalm 129. 1.

August.

Ad Ephes. 2. 10.

2. Et quidem ad hanc rem maximè faciunt Sapientiæ verba cap. 7. vers. vlt. & cap. 8. vers. 1. quæ adnotatione 2. de Christo in cruce extenso, siue etiam distento, ex August. lib. 4. de Trinit. cap. 14. explicuimus, quæ modò sic capimus, vt dum ipse, quò egregium amoris sui specimen sponsæ suæ daret, manus, reliquosque sacrati corporis artus in cruce expandit, atque distendit, vt distortis, atque laxatis brachiis ipsam complecteretur, illius manus simul admonuerit, atque prouocauerit, vti dicebat Augustinus, vt ad ipsum charitate complectendum magis ac magis extenderentur. Ita quidem dicebat Paulus ad Ephes. 5. 26. *Christus dilexit Ecclesiam, & tradidit semetipsum pro ea, vt exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid huiusmodi, sed vt sit sancta, & immaculata.* Vbi primùm pende illud, *vt exhiberet ipse sibi*; Græcè siquidem, & pro, *exhiberet*, est παραστήσῃ, *statueret*, & pro *ipse*, legitur, *ipsam*, vt velle videatur Apostolus, Christum in cruce manus suas distendisse, vt suam admoneret sponsam, non aliter ei copulari posse, nisi ipsa etiam charitatis suæ brachia distendens ipsi statui, atque aptari studiosiùs conaretur. Quo sensu bene capias Abacuc cap. 3. 4. vbi cùm dixisset, *Cornua in manibus eius*, hoc est, vt Patres à nobis alibi adducti exponunt, manus eius in crucis cornibus extensæ; subdit: *ibi abscondita est fortitudo eius*; siue vt LXX. legunt, *ibi posuit dilectionem robustam*, validam, scilicet, & efficacissimam ad hominum animos ad sui imitationem alliciendos, vt nudis etiam, distentisque charitatis brachiis ipsum vehementiùs redamare, & in ipsius obsequium omnem operam impendere satagant. Vnde Bernard. serm. 2. in Domin. post Epiphan. animam ex Christi exemplo sic monet: *Quid retribues Domino pro omnibus quæ retribuit tibi, vt sis socia mensæ, socia regni, socia denique thalami, vt introducat te Rex in cubiculum suum? Vide iam quid de Deo tuo sentias: vide quantum de Deo præsumas. Vide quibus brachijs vicaria charitatis redamandus, & amplectendus sit qui tanti te æstimauit, imò qui tanti te fecit; de latere enim suo te reformauit, quando propter te obdormiuit in cruce, & ob hoc somnum mortis excepit. Desere carnales affectus, sæculares mores dedisce, cōsuetudines noxias obliuiscere. Quid enim putas? nonne stat Angelus Domini, qui fecit te mediam, si fortè, quod auertat ipse, alterum admiseris amatorem?* Preme illa *quibus brachijs vicaria charitatis redamandus*: hoc est, vt talem ei charitatem studeas rependere, qualem tibi ipse prior impendit, vt distentis brachiis illum complectaris, nihil apud te relinquens, quod in ipsum non transfundas. Deinde obserua rugarum phrasim, quam scitè in hanc rē ingessit Apostolus, vt innueret, id Christianæ dilectionis Christo crucifixo repensæ proprium esse, vt nec vetustatis, nec remissionis, aut contractionis aliquid haberet, sed quæ & florenti pulchritudine conspicua, & quoad fieri posset intensa, & contenta foret; ita inibi Hieronymo rugarum phrasim explicante: *Vt ruga veteris hominis in iuuentute tendatur, & renouetur in nouum hominem de die in diem*; hoc est, ne remissæ, siue contractæ, sed extensæ, atque intensæ animi vires, atque conatus sint; eo sanè modo, quo virginem monebat Naziāz. exhortat. ad Virg. *Dei timor te configat, inedia te extenuet, & exhauriat, vigiliæ, preces, lacrymæ: durum cubile, amor totus, verè, & sincerè ad Deum intensus, amorem omnem à supernis rebus alienum sedans, ac sopiens.*

Sap. 7. vlt. & cap. 8. 1.

August.

Ad Ephes. 5. 26.

Lect. Græc.

Abac. 3. 4.

LXX.

Bernard.

Hieron.

3. Quod si attendis, opportunè ex Christi exem-

veteri populo Dei querimonia fuerit, *contracta est anima mea in eis*, Zachar. 11.8. hoc est, vt alibi ex illis verbis Psalm. 77.41. *Sanctum Israel exacerbauerunt*: siue vt Hebræa habent, *limitauerunt*; siue, *circumscripserunt*, exposui, angustum mihi apud se habitaculum præparabant. Sanè quasi rudes illi, & imperiti amatores Deum, à quo tot beneficiorum cumulũ acceperant, valde remissè, ac frigidè redamarent, nec de rugis explicandis, maculisq; abstergendis, quò Deo viro suo placerent, vel tantillum curarent. Vnde rursus præfato loco ad Ephes. Hieron. *Pulchrè quoque maculam, aut rugam, quia de coniugio loquebatur, de exemplo mulierum ad decorem traxit Ecclesia. Sicut enim solent in mulierum corporibus, vel sordere næuis, vel ruga contrahi, vel lentigo variari, & hoc est omne studium fœminarum, vt quod fœdare videtur, abstergant, & exhibeant maritis corporum venustatem: ita & anima omni peccatorum sorde purgande sunt.* Sic Hieronymus, quem appositè fuisse locutum Satyrographus firmat Satyra 6. vbi cùm dixisset;

Si verum excutias, facies non vxor amatur.

subiicit:

Tres rugæ subeant, & se cutis arida laxet,
Collige sarcinulas, dicet libertus, & exi,
Iam grauis es nobis, &c. ——

Nimirum, maritis adeò rugæ displicebant, vt propter illas vxoribus repudium mitterent. Ergo hæc sine næuo pulchritudo, & sine ruga venustas, & iuuentæ flos, Christianam Ecclesiam à Synagoga, tamquam charissimam sponsam à muliere exosa, cui repudij libellus mittitur, maximè discriminat. Quare opportunè Venerab. Gillebert. serm. 20. in Cantic. cùm de Christo crucifixo loquitur, ad præsens institutum sermonem sic conuertit: *Hodie Synagoga dedit libellum repudij, & à priore odiosa ad posteriorem dilectam transiuit, à veteri transiuit ad nouam, quam sibi ipse exhibuit gloriosam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid huiusmodi. Nouitatis signum est, quod ruga caret. Explicuit Christus litteræ rugas, & quod inerat nouitatis elicuit. Quid vultis vos Sion, & Synagoga filiæ rugas contrahere, quas Christus explicuit?*

4. Hinc Paulus de Christiana Ecclesia, quam ipse Christo velut eius paranymphus aptauit, siue copulare studuit, signatissimè inquit 2. ad Corinth. 11. 2. *Despondi vos vni viro virginem castam exhibere Christo.* Vbi primùm nota vim verbi, *despondi*, pro quo Græcè est, ἡρμοσάμην: quod propriè significat rem ita apposirè, & concinnè alteri aptare, vt vtraque inter se pulchrè cohæreat. A quo verbo forsan Hispanè dicitur, *hermoso*, quod Latinè appellatur pulchrum; (& optima quidem ratione, cùm pulchritudo non mediocrem vnius partis cum alia coaptationem, & proportioné exigat.) Vnde August. lib. 2. de Genes. cum Manich. & alibi, pro, *despondi*, legit, *aptaui*; Ambros. *paraui*: Hieronymus in Amos, *statui*; alij, *agglutinaui*: quę omnia eleganter expressit Vulgatus verbo, *despondi*, cùm ea potissimùm optimi coniugij lex sit, quod superiùs versu 7. adnotat. 4. num. 3. fusiùs tractauimus, vt inter æquales intercedat, sibique coniuges mirificè conueniant. Vnde hic Pauli sensus esse videtur: tales ego quidem doctrina, & institutione mea vos reddere, atque formare curaui, vt non dispari, sed apto, atque apposito coniugio Christo copularemini. Deinde compone hæc verba cum illis Moysis Deuteron. 10.15. *Patribus tuis conglutinatus est Dominus*; & in eadem cum præcedenti Pauli sententia valde diuersam verborum structuram obserua. Nec enim dixit Apost. *despondi*, siue *agglutinaui Deum vobis*, vt ait Moses, *Patribus vestris agglutinatus est Dominus*; sed potiùs, *agglutinaui vos Deo*. At quantum (inquis) est hoc discrimen? Sanè non parum refert, quis, cui agglutinatus dicatur; Deus animæ, an verò anima Deo. Nam si meministi, *omne, quod recipitur, recipitur ad modum recipientis*: hoc est, vt res quæpiam in aliqua alia recipiatur, aptari recipienti, atque eius capacitati commensurari debet, vt si fluuij aquam vasculo velis infundere, modicitati vasis fluuius, non autem fluuij magnitudini vas aptabitur. Vnde aliud quidem erit, Deum in homine, aliud hominem in Deo recipi; & hæc quidem maior locutionis vis & pompa sermonis. Porrò, cùm dicitur homini Deũ agglutinari, vti dicebat Moyses, quod est Deum homini aptari, atque in eo recipi; perinde dictum videtur, vt Deus hominis modicitati se accommodet, atque in amore, necnon in donis impertiendis temperatis viribus vtatur, immensũmque flumen exiguo paruitatis humanæ vasculo cõmensuretur. *Neque enim ipse* (verba sunt Philonis lib. de opificio mundi) *vt ad benefaciendum natura propensus est, ita creatura ad accipienda beneficia; illius enim potentia longè superat: at huius infirmitas impar est illius magnitudini, succumberétq, nisi Deus pro cuiusque proportione moderaretur suam gratiam.* Sic ille. Et ad eius gustum Petrus Abbas Cellensis lib. de Panibus, sub allegoria fluuij, qui Paradisi fines egressus diuiditur in quatuor capita, de homine Deum sitiente: *Fontem illum, qui sibi immensa largitate fluit, diuisim accipit, & exoptat pro vasculi modicitate.*

5. At enimverò cùm Paulus ait, *despondi vos vni viro*, ex demutatione personæ, quæ recipiat, atque huius diuinæ vnionis subiectum sit, nouæ legis mysteria pulchrè nobis reuelat, vehementioremque Dei in nos dilectionem quasi digito ostendit, ac si dixisset cum Assertore nostro, Ioan. 3.16. *Sic Deus dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum daret*; aut eum se ipso: *Christus dilexit Ecclesiam, & tradidit semetipsum pro ea.* Hæc enim eò eunt, vt aliam legis gratiæ conditionem à veteri fuisse patefaciant; nec tam hominibus sese Deum, modificatis dilectionis suæ viribus, agglutinasse, quàm sibi ipsi illos coaptasse, charitatis suæ impetum, siue fluuium in eos effundendo. Vnde rursus Paulus ad Rom. 5.5. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.* In quem locum Chrysostomus scitè pendit verbum, *diffusa*, ad hunc modũ: *Non dixit, data est, sed* diffusa in cordibus nostris, *largitatem ostendens; quod enim maximum donum erat, hoc dedit, non cœlum, non terram, non mare, sed quod his omnibus antiquius, pretiosiusque erat, & non sensim, aut pedetentim nos honestauit, sed cumulatè, ac plena manu bonorum omnium fontem effudit.* Vbi iam vides immensum diuinitatis fluuium non vasis angustiis coaptatum, sed toto in illud impetu decurrentẽ, ac redundantẽ. Id quod sic eleganter expressit Chrysologus serm. 143. *Cœlestis imber virgineum in vellus placido se fudit illapsu, & tota diuinitatis vnda bibulo se nostræ carnis celauit in vellere, donec per patibulum crucis expressum terris omnibus in pluuiam salutis effunderet.* Hæc Chrysologus.

6. Subiicio tibi mysterij huius, necnon discriminis inter veterem, & nouum diligendi modum, appositum, vt reor, exemplum in duobus illis pueris, hoc ab Elia, illo ab Elisæo, alio tamen, atque alio modo, altero ab altero, ad vitam ex mortuis reuocatis. Sic namque Elisæus Sunamitidis filium suscitaturus cum eo se gessit, vt ad illius paruitatem sese effingeret. Ita enim 4. Reg. 4.34. *Et ascendit, & incubuit super puerum, posuitque os suum super os eius, & oculos suos super*

Marginalia: Zach. 11. 8. — Hieron. — Iuuenal. — Gillebert. — 2. ad Cor. 11. 2. — August. — Ambros. Hieron. — Deut. 10. 15. — Philo. — Petr. Cell. — Ioan. 3. 16. — Ad Rom. 5. 5. — Chrysost. — Chrysol. — 4. Reg. 4. 34.

super oculos eius, & manus suas super manus eius, & incuruauit se super eum,& calefacta est caro pueri. Aliter autem Elias: is enim procetæ staturæ vir non se incuruauit, imò potiùs extendit, exporrexítque sese super puerum, quasi illum magnitudini suæ parem facere vellet. Ita 3.Reg.17.21. *Et expandit se, atque mensus est super puerum tribus vicibus.* (3.Reg.17.21.) Sanè, vt in vtroque Vate Deus optimus, ac beneficus, pro temporum tamen diuersitate, iam magna, iam maiora dilectionis suæ indicia exhibens significaretur: in Elisæo quidem, dum Patribus antiquis agglutinatus est Deus, ad ipsorum paruitatem sese accommodans: in igneo verò Propheta Elia, atque ideirco illius typo, qui dixit; *Ignem veni mittere in terram*, Luc.12.49. (Luc. 12.49.) cùm *charitas Dei diffusa est in cordibus nostris.* Quia videlicet expandit se, atque mensus est, *& tota diuinitatis vnda bibulo se nostra carnis celauit in vellere, vt per patibulum crucis expressum terris omnibus in pluuiam salutis effunderet.* Vnde quidem cùm Deum hominem factum cernis, non perinde debes accipere, quasi Deus homini agglutinetur, sed potiùs, quasi Deo homo despondeatur, & aptetur: vt enim semetipsum exinaniuerit homo factus, at ideo id factum, *vt præsentiam diuinam* (verba sunt Chrysolog. serm.131.) (Chrysolog.) *posset infirmus noster oculus intueri, angustus noster recipere posset affectus.* Nam *effrænatam potentiæ ipsius* (Nazianz. loquitur orat.42.) (Nazianz.) *ac luminis vim quis sustinebit?* Verumenimverò non ita Deus homo factus, vt Deus in homine, sed humana potiùs natura in diuina persona subsisteret. Quasi non is assumptæ à Deo humanitatis scopus fuerit, vt Deum deprimeret, dum se hominem facit, sed vt homo iam diuinæ consors naturæ, in Deum euadat, atque ea Christiani hominis perfectio sit, vt inquit Hieron. (Hieron.) inferiùs adducendus, quæ Dei virtutibus coaptetur.

7. Explico me: aliæ priorum Patrum manus, alij oculi, aliud os erat. Bona hæc quidem omnia, sed non omnium perfectissima, inerat illis siquidē nonnihil concupiscentiæ carnis, nonnihil concupiscentiæ oculorum, non quidem aduersus Dei legem, sed nō ad omnimodæ perfectionis normā, hoc est, diuites ij erant, ducebant vxores, habebant liberos, bona terræ comedebant, rebus sæculi fruebantur (vnum, aut alterum, imò nonnullos etiam excipio, qui perfectissimæ virtutis custodes, rigidíque satellites extitēre.) Vnde pro eorum oculorum, manuūque captu se illis Deus agglutinabat, ad modum Elisæi, oculos, manus, & os super puerilis illius populi manus, oculos, & os ponens: at in Christi aduentu, cùm ipse se super puerum expandit, & *charitas Dei diffusa est in cordibus nostris*, aliæ iam hominibus manus, alij oculi, alia mens, atque alius animus est. Nam cùm Deo vni viro virgo Ecclesia despondetur, ad Christi normam oculi, manus, & animus aptantur. Applaudit huic cogitationi Bernardus (Bernard.) in declamationibus super illud, *Ecce nos reliquimus omnia*, sic inquiens: *Antiquorum sanè Patrum diebus, donec in terris videretur, & conuersaretur inter homines Dominus maiestatis, non erat Euangelicæ forma perfectionis, sed Spiritū Domini solo interim spiritu sequebantur: at vbi Verbum caro factū est, & habitauit in nobis, iam nobis in eo tradita est imago vitæ, & conuersationis exemplar, quod oporteat etiam corporaliter imitari, vt vtroque sequentes vestigio, non vlteriùs cum Patriarcha Iacob, altero femore claudicemus.* Vnde huic rei intentus Christi sponsam ita monebat Basilius (Basil.) in lib. de vera Virginitate: *Contemnat quidquid oculis apparet, & nuda mente amore sponsi satietur, totas vires suas proprij sponsi ancillas faciens; & in nulla parte oportet virginem adulteram esse, non lingua, non auribus, non oculo, nō alio omnino sensu, imo neq; cogitatione; sed corpus quidem velut templum quoddam, aut thalamum sponsi habeat præparatum.* Ita Basilius. Vt nimirum ad Christi extendentis se amplexus humanæ charitatis brachia omnimodis extendantur, & distendantur.

8. Ita quidem sibimet ipsi concinens, de anima integrè Deo dedita, 1.ad Cor.7.14. (1 ad Cor.7.14.) dicebat Paulus, *vt sit sancta corpore, & spiritu*; quæ verba, vt ad cap.1. vers.11. adnot.1. num.5. vidimus, sic premebat Hierony. (Hieron.) epist.14. de laud. Virginitat. *Non dixit, vt sit sancta membro, aut corpore tantùm, sed*, vt sit sancta corpore, & spiritu. *Membrum enim vna corporis pars est, corpus verò omnium compago est membrorum. Cùm ergo dixit*, vt sit sancta corpore, *omnibus membris eam sanctificari debere testatur, quia non proderit sanctificatio cæterorum membrorum, si inueniatur in vno corruptio.* Orabant quidem pariter, pariterque sese in templo Deo deuouebāt Pharisæus, & Publicanus, apud Luc.cap.18.10. (Luc.18.10.) sed quàm alius vtriusq; euentus, alius orationis exitus fuerit, inde disce, *descendit hic iustificatus in domum suam ab illo.* Publicanus, scilicet, Deo charus, Pharisæus infensus. Sed quare? Reddit rationem S.Zeno Veronens. (S. Zen. Vero.) serm.1. in Psal.130. vbi cùm dixisset, Pharisæum non nisi in oculis, manibus, & voce se Deo obtulisse, subdit statim: *Publicanus autem nō membratim, sed totus exorat; quia timore totus est humilis, sua peccata contestans, secundum Domini dictum, à quo procedunt vniuersa genera peccatorum; pectus crebrò percutiens, quodammodo cor suum manu verecundè castigat.* Vbi oblationi Pharisæi membratim factæ, pectoris siue cordis deditionem, qua Publicanus se Deo deuouebat, pulchrè opposuit, quasi hæc integra, atque perfecta; à corde enim quicquid in nobis vitam haurit, procedit: illa verò manca fuerit, ac diminuta. Certè post præfata illa verba; *Despondi vos vni viro*, signatè sub hoc sensu subiecit Paulus: (2.ad Cor.11.7.) *Timeo ne sensus vestri seducantur, & excidant à sinceritate* (siue, vt Ambros. ibi, & August. (Ambros. August.) in Psal.90. legunt, *à castitate*) *quæ est in Christo*, vbi Græca habent, *erga Christum.* Vnde non is est sensus, quasi vereatur Apostolus, ne Christi sponsæ ab eius amore, & beneuolentia discedant; tantum enim malum quis non horreret? sed potiùs, ne aliquis ex ipsarum sensibus, quæpiamve cogitatio minus fida, vel casta erga Christum sit. Sanè, vt huius sententiæ commentarius ex illo Basilij monito appositè petatur: *& in nulla parte oportet virginem adulteram esse, non lingua, non auribus, non oculo, non alio omnino sensu, imò neque cogitatione.*

9. Capies hinc sensum sub quo hæc nostra Epistola c.3.12. (Ad Philip.3.12.) dixerit Paulus; *Sequor autem si quomodo comprehendam, in quo & comprehensus sum a Christo Iesu:* fuit enim dicere, hæc omnis mei studij, atque conatus summa est, vt quemadmodum extensis, siue distentis brachiis Dei Filius me complexus est; ita & ego vicem rependens, ad eum similiter amplexandum expansis cordis, viriúmque mearum brachiis enitar. Ita Hilarius (Hilar.) in Psal.2. inquiens: *Scit autem se eo ipso iam esse, quod apprehendere properat, apprehensum: si enim nos per corporalem naturam Deus naturæ suæ discedentes homo genitus apprehendit factus ipse, quod sumus, nostrum est ad apprehendendum nunc id, quod est ipse, contendere, vt in eam gloriam in quam naturam corporeæ huius corruptionis exemit, festinatio nostra se misceat; atque ita apprehendemus id, in quo sumus apprehensi, si naturam Dei consequamur, Deo antè humanam naturam consequente.* Subobscurè quidem, sed magno iudicio, atque opportunissimè in hanc rem Hilarius, nostrum conatum, atque festinationem ad apprehendendum Deum ex ipsius nos ap-

prehen

prehendentis exemplo vrgens. Quare non absque peculiari emphasi subdit statim Apost. *Fratres, ego me non arbitror comprehendisse. Vnum autem, quæ quidem retrò sunt obliuiscens, ad ea verò quæ sunt priora extendens me ipsum:* hoc est, omni conatu, contentione, labore vires exerens, brachiàque, ac manus iam ab eo admonitus, & prouocatus extendens, atque distendens, vt cœlesti sponso despõdeat, aptet, atque agglutinet, nec ad aliam perfectionem, nisi ad eam, quæ eius virtutes æmulatur, & sese illis
Hieron. coaptari studet, adnitat; Hierony. lib. 1. contr. Pelag. sic hæc explicante: *Atque ita per singulos gradus, dum nunquam in statione, sed semper in cursu est, imperfectum doceat, quod homines putabamus esse perfectum, solámque perfectionem, & veram iustitiam Dei tantum*
Apon. *virtutibus coaptandam.* Vnde Venerab. Aponius lib. 2. in Cant. exponens illa verba, *vbi pascas, vbi cubes in meridie,* ac si hæc verba Pauli, *extendens me ipsum,* explicasset, sic ait: *In quo Sacramento docemur, non nobis hoc tantùm sufficere ad vitam æternam obtinendam, quod baptismate à sordibus peccatorum abluti, quod osculum Christi per corporis, & sanguinis gustum anima nostra suscepit, quod in cellaria notitia diuinæ Scripturæ introducta est, quod directionem fidei, vt Apostoli tradiderunt, retinet inconcussam, nisi semper ea quæ operata est mala postponat, & inhiando ad ea, quæ necdum perfecta sunt, petendo, quærendo, pulsando totis viribus extendatur.* Ita quidem erga Deum se exhibuisse, vt non secus, ac nerui in cithara, extenderetur,
S. Ign. M. de sancto quodam Antistite dicebat S. Ignatius M. in Epist. ad Philadelph. *Composuit se ad mandata Dei, & iustificationes, vt chorda ad citharam,* vt videlicet, nihil in eo remissum, siue contractum, sed omnes dilectionis in Deum vires contentæ, atque extensæ fuerint, vt sonum ipsi gratissimum redderet.

10. Sed dicis: Quid igitur? satisne id, vt aptari, agglutinarique Deo anima possit, quantumuis extendi, atque distendi conetur? Ita quidem, auctore Ber-
Bernard. nardo disertissimè pertractante serm. 83. in Cant. ad hunc modum: *Non planè pari vbertate fluunt amans, & amor, anima, & Verbum, sponsa, & sponsus, creator, & creatura, non magis quam sitiens, & fons. Quid ergo? peribit propter hoc, & ex toto euacuabitur nupturæ votum, desiderium suspirantis, amantis ardor, præsumentis fiducia, quia non valet ex æquo currere cum gigante, dulcedine cum melle contendere, lenitate cum Agno, candore cum lilio, claritate cum Sole, charitate cum eo, qui charitas est? Non: nam etsi minus diligit creatura, quoniam minor est; tamen si ex tota se diligit, nihil deest, vbi totum est.* Hæc, & alia Bernard. ad cu-
Gillebert. ius gustum eius vmbra Gillebert. serm. 19 in Cant. *Animum vult, aliud non quærit: solum sufficit, si tamen totus impenditur: sed si de te nihil tibi relinquitur. Si infra vires tuas amor se cohibet, & contrahit, iniquum est.* Hæc ibi, & multo plura in hanc sententiam. Ergo aptatur, agglutinatúrque anima Verbo, sponsóque cœlesti, sese licèt expandat sponsa, si se totam ipsi deuoueat, & ad leges, modúmque amoris, qui sine fine, & modo est, se comparet. Sed de hoc alibi, nec enim hic locus. Iam ad Christi exaltationem, de qua Paulus tam floridè, quàm grauiter, atque sapienter agit, deueniamus.

* * *

VERSVS IX.

Propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen, quod est super omne nomen.

VERSVS X.

Vt in nomine Iesu omne genu flectatur, cælestium, terrestrium, & infernorum.

VERSVS XI.

Et omnis lingua confiteatur, quia Dominus Iesus Christus in gloria est Dei Patris.

COMMENTARIVS.

VT œconomiam exinanitionis Filij Dei præcedẽtibus versibus, quò meliùs Philippẽses humilitatis, & obediẽtiæ ipsius exemplis imbueret, longo sermone recensuerat Apostolus; ita nunc exaltationem, & claritatem, quam in tot laborum retributionem à Patre accepit, plenis velis describit. Erit verò opportunum, vt Pauli mens, quæ pluribus scatet mysteriis, dilucidè percipiatur, & singula verba singillatim discutere & hosce tres versus, qui à se inuicem pendent, absq; adnotationũ intercisione explanare.

Propter quod.

APertissimè ostendunt hæc verba, Christũ per 1.
passionem, & crucem, hanc exaltationem, de qua Paulus agit, sibi commeruisse, vt & Patres, & huius loci interpretes omnes ex vi Latini, & Græci idiomatis obseruant. Ita Chrysost. hom. 7. *Extrema* Chrysost.
(inquit) *Christus pertulit obedientiam, propterea accepit & supremum honorem.* Ambros. *Quid & quantum* Ambros.
humilitas mereatur, hic ostenditur. August. tract. 104. August.
in Ioan. *Hæc est glorificatio Domini nostri Iesu Christi, quæ ab eius resurrectione sumpsit exordium. Humilitas ergo eius incipit in sermone Apostoli ab eo loco, vbi ait:* semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens, *& peruenit vsque ad mortem crucis. Claritas verò eius incipit ab eo loco, vbi ait:* propter quod & Deus exaltauit illum, *& peruenit quod* in gloria est Dei Patris. *Vt ergo mediator Dei, & hominum homo Christus Iesus resurrectione clarificaretur, vel glorificaretur prius humiliatus est passione. Humilitas claritatis est meritum, claritas humilitatis est præmium; sed hoc factum est in for-*
Anselm. *ma serui.* Anselm. *Ipse se tantum humiliauit, vt vltrà non posset, propter quod & Deus tantum exaltauit, vt vltrà non posset: non enim maior humiliatio, vel maior*
S. Thom. *exaltatio fieri poterat.* Ad quem modum S. Thomas,
Primas. Primasius, Beda, Oecumenius, & alij Patres, & in-
Beda terpretes loquuntur. Premit etiam ea ratione hanc
Oecumen. particulam Rupert. lib. 2. in Abacuc, c. 2. dum ex-
Rupert. plicans illa Dauidis verba sub Christi persona, Psal. 68. *Dederunt in escam meam fel*; necnon & ea Sap. 2. *Morte turpissima condemnemus eum,* sic inquit: *Tanta ignominia repletus, passus est, pro gloria, videlicet, sciens inde sibi prouenturum, vt iam ex eo sederet à dextris virtutis in gloria Dei Patris. Nam* propter hoc (*ait Apostolus*) & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen, quod est super omne nomen. Ita Rupertus.

Sed

2. Sed hæreticorum Patriarcha Caluinus nullius melioris rei prætextu ductus, quàm vt Christi merita conuelleret, simplicem potiùs rei euentum, & consequentiam, quàm veram rationem causæ hæc cótinere dixit. Adamauit certè insanus homo, quod hæreticorum ingenium est, in mero meridie cæcutire, & manifestã verbis Pauli vim inferre: vt enim aduersus omnes Patres, & auctores hoc interpretamentum non esset, Græcæ dictioni, *διὰ*, & Latinæ, *propter*, omnino repugnat. Quid quod, ne leui hoc solatio sibi blandiatur Caluinus, plures sunt aliæ Scripturæ locutiones huic valde affines, ex quibus liquidò constat, non nobis solùm, sed sibi etiam plura, & singillatim hác exaltationem, de qua Paulus, Christum meruisse? vt ad Hebr. 2. 9. *Videmus Iesum propter passionem mortis, gloria, & honore coronatum.* & Psal. 109. 7. *De torrente in via bibet, propterea exaltabit caput.* Quæ Dauidis verba cum his Pauli componens Augustinus ibi, sic inquit: *Quia ergo de torrente in via bibit, propterea exaltauit caput: id est, quia humiliatus est, & factus est subditus vsq; ad mortem, mortem autem crucis, propterea eum Deus exaltauit à mortuis, & dedit ei nomen, quod est super omne nomen.* Similiter Isai. 53. 11. *Pro eo, quod laborauit anima eius, videbit, & saturabitur,* & num. 12. *Ideo dispertiam ei plurimos, & fortium diuidet spolia pro eo quod tradidit in mortem animam suam.* & Apocal. 5. 12. *Dignus est Agnus, qui occisus est, accipere virtutem, & diuinitatem, & gloriam.* Vbi indubitatò is dicendi modus, *dignus est*, meritum tamquã causam denotat, vt bene probat Vazq. tom. 1. in 3. p. disp. 79. c. 1. nam quamuis ratione solius vnionis rectè diceretur Christus hac nominis claritate dignus: at verò cùm notáter subiiciatur, *qui occisus est*, apertissimè significatur, huius dignitatis causam morté fuisse. Perinde enim fuit, ac si diceretur: ideo dignus est, quoniã occisus est. Quod quidem vel inde fit manifestum, quod paulo antè eodem sententiæ tenore dictum fuerat: *dignus es Domine accipere librum, quoniam occisus es.* Huc etiã ea Christi verba toties à nobis in superioribus allata, & expensa pertinent, Luc. vlt. 26. *Nonne hæc oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriã suam?* Quod bene vrget Vazq. loc. cit. Similiter & ea Isaiæ verba c. 9. 6. *factus est principatus eius super humerum eius.* Ad quæ vtraque Glossa Christi meritum eruit; sic namque Ordinaria: *Dum duceretur ad patibulũ, portauit crucem in qua meruit principatum.* Interlinearis verò: *Principatus, id est, crux, per quam exaltauit illum Deus, & donauit illi nomen, quod est super omne nomen.*

Ad Hebr. 2. 9. Psal. 109. 7. August. Isai. 53. 11. Apoc. 5. 12. Vazq. Luc. vlt. 26. Isai. 9. 6. Gloss. Ord. Interlin.

3. Similis deinde huic phrasi, & sententiæ Pauli illa est apud Regium Vatem Psal. 44. 3. *Diffusa est gratia in labijs tuis, propterea benedixit te Deus in æternum*: vt & Agellius ad ea verba, & Adamus ad hæc nostra Pauli obseruant (aliter licèt alij sentiant.) Nam in primis de Christo hæc verba manifestè accepit Paulus ad Hebr. 1. Deinde Conc. Francofordiense in epist. ad Episcopos Hispaniæ, necnõ Hieron. in comment. & ep. 140. ad Principiam, vnctionem sic explicant, vt significet tam oleum Resurrectionis, & Ascensionis, quo Christus secundùm humanitatem fuit delibutus, quàm regiam sublimitatem, ad quam exaltatus à Deo, & Princeps Regum terræ est declaratus, vt sceptro æquitatis, atque Iustitiæ super omnes creaturas regnaret, phrasi vsitata in Scriptura ad constitutionem Regum significandam, cùm ij, qui Reges creabantur, oleo desuper effuso vngerentur; vt de Saül, Dauide, Salomone, Iehu, & aliis legimus. Sed audi Hierony. *Qui typum illius pertulerunt, & regnando consortes dicti sunt, oleo corruptibili sunt inuncti; hic verò Filius Dei à Deo Patre oleo exultationis, hoc est, Resurrectionis, Ascensionis, Dominationisque est delibutus.* Quem gustum habere videntur ea Petri verba Act. 2. 36. *Certissimè sciat omnis domus Israël, quia & Dominum eum, & Christũ fecit Deus hunc Iesum, quem vos crucifixistis.* Pende illa, *& Dominum & Christum*: hoc est, Regem fecit, quia Christum, id est, vnctum fecit. Nisi cũ Agellio inibi per hoc oleum, quo vnctus est Dei Filius, illud nomen bonum vnguentis omnibus odoratius, vt inquit Ecclesiast. 7. 2. quo ipse à Patre donatus est, vt habeat *nomen, quod est super omne nomen*, & fragrãtiam sui nominis vsquequaque dispergat, iuxta id sponsæ Cant. 1. 2. *Oleum*, siue, *vnguentum effusum nomen tuum*, sensu non minus apposito mauis intelligere. Iam verò particulam illam, *propter*, cuius occasione hunc locum explicandum suscepimus, sic premunt Hilar. lib. 11. de Trinit. longè à principio, Ambros. in c. 1. Epist. ad Hebr. Hierony. locis superiùs citatis, vt causam meritoriam denotet, significétque, Christum sua sibi humilitate eam gloriam commeruisse, vt omnium linguarum testimonio Dei Filius vocaretur: sic enim Hierony. ep. 140. *Qui propter dilectam iustitiam, & exosam iniquitatẽ regnare dicatur, & vnctus esse oleo exultationis præ participibus suis, quasi præmium charitatis, & odij iniquitatis in vnctione sumpturus.* Similiter Ambros. *Sed huic amori bonitatis, & odij iniquitatis, quæ præmia sint reddita, subter exponit dicens:* propterea vnxit te Deus Deus tuus. *Vnctus Christus, & Regem significat, & Sacerdotem, quia dignitates istæ sumebantur per sacratissimam vnctionem.* Nec obest huic expositioni, quod iam inde ab Incarnationis exordio, in eo quod diuinitate delibutus, & Christus, siue vnctus, & Rex esset, cùm non itidem exinde Filius Dei, & Rex omniũ creaturarum, sed ex Resurrectione mortuorum cognitus, & declaratus fuerit, vt ex præfatione Epistolæ ad Romanos postmodum ostendo. Vnde August. in Psal. 109. cum Christo sic loquitur: *Vt enim resurgeres, mortuus es, vt ascẽderes, resurrexisti, vt sederes ad dexteram Patris, ascendisti. Ergo vt ad dexterã Patris sederes, mortuus es: de morte enim resurrectio, de resurrectione ascensio, de ascensione ad dexteram sessio. Hoc totum ergo cœpit à morte, excellentia claritatis huius, principium habet humilitatis.* Hactenus Augustinus.

Agellius. Adamus. Conc. Franc. Hieron. Hieron. Act. 2. 36. Eccles. 7. 2. Cant. 1. 2. Hilar. Ambros. Hieron. August.

Præfatis deinde Patrum monumentis tam pro egregij Christi meriti aduersus Caluinum confirmatione, quàm pro huius loci Pauli expositione, adiunge Cyprianum serm. de Ascensione, dicenté: *Hæc est merces obedientiæ Christi, hæc mortis, & crucis stipendia.* Hilarium lib. 9. de Trinit. & Tertul. lib. 5. contra Marcionem, c. 19. iam tunc Caluini insaniã mirificè confutantes. Sic enim ille: *Cùm audis itaq;*, Pater maior me est, *scito eum de quo ob meritum obedientiæ dictum est*: & donauit ei nomen, quod est super omne nomen. Ita Hilarius. Quid clarius? Nec secus Tertul. dum sub hoc sensu verba illa Isai. 53. 12. *pro eo quod tradidit in mortem animam suam*, ad hunc modum expendit: *Propterea ipse multos hæreditati habebit, & multorum diuidet spolia, pro eo quod tradita est anima eius in mortẽ, ostensa est enim causa gratiæ huius, pro iniuria scilicet mortis repensanda: pariter ostensum est hæc illum propter mortem consecuturum, post mortem vtique per resurrectionem consecuturum.* Quem etiam gustum habent hæc eiusdem Tertul. siue Nouatiani, lib. de Trinit. c. 17. *Exinaniuit se dũ ad iniurias, contumeliásque descẽdit, dum audit infanda, experitur indigna: cuius tamen humilitatis adest statim egregius fructus. Accepit enim* nomen, quod est super omne nomen. Ita ille. Adi etiam Hilarium in Psal. 2. August. lib. 2. contra Maximinum, c. 5. & lib. 3. c. 2. Basil. lib. 4. contra Eunomium, Cyril. lib. 3. Thesau. c. 2. Vigilium lib. 5. contra Eutychem. Vidẽdi etiam Scholastici 4.

Cyprian. Hilar. Isai. 53. 12. Tertul. Nouatian. Hilar. August. Basil. Cyr. Alex. Vigilius.

Mag. sent. S. Thom. Suarez. Vazquez. Bellarm.

Scholastici cum Magistro in 3.d.18. & S.Tho.3.p. q.19.art.3. vbi præ aliis egregij ipsius commentatores Suarez, & Vazquez, hic loco iam citato; ille verò disputat 39.sect.3.Cardinalis Bellarm.tom.1. lib.5.de Christo mediatore,cap.9.

Exaltauit.

5. GEneralis oratio, qua Apostolus quidquid honoris,& gloriæ Passione sua sibi Christus meruit, ac præsertim eam Dei, quoad externá claritatem,& manifestationẽ,æqualitatem,quam non putauit esse rapinam,denotati vult:vnde in Græco significantiùs id expressum ab Apost. verbo, ὑπερύψωσε, quod propriè significat,*superexaltauit*, vt legunt Chrysostomus & Tertullianus; siue, *superextulit*, vt Ambr.vt extremo dedecori (quod notauit Chrysost.)supremus,atque omnium,qui excogitari possunt, amplissimus supereminénsq; honor respõdeat. *Non enim maior humiliatio* (inquit Anselmus) *aut maior exaltatio fieri poterat*. Hæc singillatim descripsit,& Scripturæ testimoniis elucidauit.S.Tho. in cõmentario ad hunc modũ: *Propter quod & Deus exaltauit illum: scilicet,vt de morte resurgeret. Item de mortalitate ad immortalitatem. Rom. 6.* Christus resurgens ex mortuis, iam nõ moritur,mors illi vltrà non dominabitur.*Psal.*117.Dextera Domini exaltauit me,non moriar,sed viuã.*Item exaltauit illum in dexteris suis constituendo.ad Ephes.*1.Constituens illũ ad dexteram suam in cœlestibus,supra omnẽ principatum,& potestatem,& virtutẽ,& dominationẽ, & omne nomen. Hæc S.Tho.& alia.Similia habet Anselmus:sed hæc facilia sunt,& extra omnem disputationis aleam,quæq; fusiùs explicat Cornelius hic.De sessione verò ad dexteram Patris,quæ potissima est huius exaltationis pars,& accuratũ examẽ requirit, opportuniùs instituetur dissertatio ad ea verba,*& omnis lingua confiteatur,quia Dominus Iesus Christus in gloria est Dei Patris*.Non tamen omittendum,quod Anselmus in lib.1.cur Deus homo,cap. 9.hæc ipsa Pauli verba pertractans, de illis sic monuit.*Non ita dictum est,quasi nullatenus potuisset peruenire ad hanc exaltationem, nisi per hanc mortis obedientiam,& hæc exaltatio non nisi in retributionẽ huius obedientiæ collata sit. Priusquàm pateretur dixit, omnia sibi esse tradita à Patre,& iterum omnia Patris esse sua. Sed quomodo ipse cum Patre,sanctóque Spiritu disposuerat,se non aliter,quàm per mortem celsitudinem omnipotentiæ suæ ostensurum mundo:quippe quod nisi per illam mortem fieri dispositum est, cùm per illam fit, non incongruè dicitur propter illam fieri.* Ita Ansel.eam doctrinam multiplici similitudinum argumentatione confirmans,Vide illum.

Lect. Græc. Chrysost. Tertul. Ambros. Chrysost. Anselm. S.Thom. Ad Rom. 6. Psal. 117. Ad Ephes. 1. Cornel. Anselm.

Illum.

6. OPportunè aduersus Arianos monent vnanimiter Patres,pronomẽ hoc ad Christum,quà homo est, esse referendum. Ita in primis Gaudentius Brixiens. in responsione ad Paulum Diaco.de eo,quod Dominus Iesus dixit Apostolis,quia *Pater maior me est. Exaltauit illum Deus. Quem illum? illum, scilicet,qui supplicium crucis,ac mortis excepit,non singulariter Deum qui semper excelsus est per naturã.* Eodem modo Athanas.orat.2.cont.Arian. *Illud,quod nunc dicimus, exaltauit eum, non substantiam Verbi exaltatã significat,fuit enim,& semper est æqualis Deo, sed ad humanitatem eius spectat. Neque ista prius dicta fuêre quàm tum,cùm iam Verbum caro esset factum, vt palàm fieret,illud,*humiliauit,*& illud,*exaltauit,*de homine dictum esse; cuius enim est humilem esse, eiúsque fuerit exaltari,&c. Eius enim exaltationis indigus erat homo,ob humilitatem carnis suæ, & mortis.* Consentanea habet lib.de Incarnat.Christi contra Apollinarium.Similiter Origen.in Ioan.ad illa verba cap. 13.31. *Nunc clarificatus est filius hominis*, ad hunc modum: *Gloria contingens ob mortem pro hominibus, non pertinebat ad vnigenitum, qui natura mori aptus non erat,sed ad hominem, qui erat etiam filius hominis, genitus ex semine Dauid, secundùm carnem. Quocirca superiùs quidem dixit,*nunc glorificatus est filius hominis:*nunc etiam,opinor,* Deus exaltauit *factum obedientem vsque ad mortem. mortem autem crucis. Nam illud Verbum,quod erat in principio apud Deum, Deus, non recipit exaltari.* Eadem habet August.tractatu 104 in Ioan.vbi cùm occasione verborum Ioannis, *Pater venit hora, clarifica Filium tuum,* hũc Pauli locum longiùs tractans dixisset:*humilitas claritatis est meritum, claritas humilitatis est præmium;*subdit: *Sed hoc factum est in forma serui:in forma verò Dei,semper fuit,semper erit:claritas enim non fuit,quasi iam non sit; nec erit,quasi nondum sit,sed sine fine,sine initio semper est claritas.* Nec aliter Cyril.Alexandr. pluribus in locis,præsertim lib.2.in Ioan.cap.17.vbi citatis his verbis subiungit:*Sublimẽ enim Filium suum,& Deum verum ac Dominum, non minus, vt hominem exaltasse scribitur;homo enim propter naturæ humilitatem exaltationis naturaliter indiget.* Ita ibi,& lib.2.de recta fide ad Reginas,cap. cui titulus est:*de eo quod Dominus noster Iesus Christus dicitur gloriam accepisse*; in eandem sententiam sic ait: *Potestatem super omnia, tamquam nobis similis accipit iterum, & humanè, cùm regnet in omnibus diuinè, & distribuit quidẽ Pater iis, qui dati sunt Filio vitam æternam,ipse enim ista est qui dicit:*Ego sum resurrectio,& vita.*Proinde licèt dicatur accepisse à Deo gloriam,& potestatem, ac regnũ super omnia, referendum est hoc accepisse ad conditiones humanitatis.* Ita Cyril.& paulò post: *Dextera igitur Dei exaltatus promissione Spiritus sancti accepta à Patre,effudit hoc,quod videtis,& audistis:non enim Dauid ascendit in cœlum;dicit autẽ ille:* Dixit Dominus Domino meo, &c.*Totum in illis videre licet Incarnationis mysterium non existens in forma,& æqualitate Patris Deus Verbum, quod ex illo fortissima dextra, & manus vera, exinanitus quidem dicitur propter humanitatem,exaltatus verò rursus,non in extremam dignitatẽ,& quæ olim caruerit,conscendẽs,sed rediens ad gloriam,& eminentiam sibi implantatã, & in ipso semper existentẽ. Exaltatur enim humanè, quamuis secundum naturam existat altissimus,factus est enim homo:& hoc, opinor,est naturæ conditio,& inanitio,quæ dicitur; quin Deus homo factus,quamuis nihil habitus sit,quàm solus homo,& ita videbatur,prædicatus est in gentibus,& fides habita est ei in mundo.* Hæc ille,quæ in sequentibus magis explicantur.

Gaudent. Athan. Origen. August. Cyr. Alex.

Et dedit illi nomen,quod est super omne nomen.

FAcilia quidem primo aspectu verba,sed quæ,& 7.
vt sibi constent,& cum præcedentibus,& subsequentibus connectantur, salebrosa,& varios explicatus habere videantur.Duo ergo discutienda; alterum, quid hoc nomen super omne nomen sit:alterum,an illud Christo,quà Verbum ipse Dei Patris, an verò quà homo est, donatum fuerit. Et primò quidem per nomen super omne nomen, Origenes, Bernard. & ex Patribus, & interpretibus nonnulli nomen IESVS intelligunt, quod cùm valde egregium,& magnificum habeatur,vt peculiare donum Filio suo Pater donauerit;sic enim Origen. hom.1. in Iosue:*Donauit Deus nomen,quod est super omne nomen,Domino Saluatori Iesu Christo;est autẽ nomen,quod est super omne nomen,nomen Iesus,& quia est istud nomen super omne nomẽ,idcirco in nomine Iesu omne genu flectitur,*

Origen. Bernard.

flectitur, cœlestium, terrestrium, & infernorũ. Hæc Origen. Consentanea habet Bernard. in serm. 1. & 2. de Circũcisione, & in declamationibus super illa verba: *Ecce nos reliquimus omnia*; necnon S. Bernardinus tom. 4. serm. 1. extraord. Videtur etiam his Patribus subscribere tum Gregor. X. in cap. *decet*, de immunitate Ecclesiar. in 6. tũ ij omnes, qui nomen Iesvs, nomen super omne nomen appellare consueuerunt; & Pontifex quidem sic loquitur: *Conuenientes in Ecclesiis, nomen illud, quod est super omne nomen, à quo aliud sub cœlo non est datum hominibus, in quo saluos fieri credentes oporteat, nomen, videlicet, Iesu Christi, qui saluum faciet populum suum à peccatis eorum, exhibitione specialis reuerentiæ attollant.* Hæc Gregorius. Secundò, alij auctores apud Theodoretum iuxta frequentem huius vocabuli, *nomen*, acceptionẽ, quod in Scriptura pro fama, & celebritate ponitur, vt Prouerb. 22. 1. *Melius est bonum nomẽ, quàm diuitiæ multæ.* & lib. 2. Reg. 7. 9. *Fecique tibi nomen grande iuxta nomen Magnorum.* & eodem lib. cap. 8. 13. *Fecit nomen Dauid cùm reuerteretur capta Syria.* & Malach. 1. 11. *Ab ortu Solis vsque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus*, & alibi sæpius; de claritatis, & gloriæ excellentia, qua Christus vbique gẽtium cunctis etiam supremis spiritibus præcellit, malunt accipere. Tertiò, Athanasius lib. de Incarnatione Christi aduers. Apollinar. nomen super omne nomen, ad regnum & maiestatem Christi sic maluit referre: *Ideo dictum est*; dedit illi nomen, quod est super omne nomen, *vt regnaret in cœlis, & potestatem haberet iudicij faciendi.* Athanasio manifestè subscripsit Ambrof. lib. 10. in Luc. cap. 1. hæc verba cum aliis Christi, & eiusdem Pauli componens, & hunc in modum elucidans: *Nam & Filius subijcit inimicos Patri, qui Patrem clarificat super terram*, & dedit Pater Filio nomen, quod est super omne nomen, vt in nomine Iesu omne genu flectatur; *sed & Filius Patri dicit:* Nomen tuum manifestaui hominibus (*Ioan.* 17.) quos dedisti mihi. *Dando autem nomen, quod est super omne nomen, non plus dedit, quàm habuit, sed totum quod habuit dedit. Dedit autem hoc nomen, vt omnis lingua confiteatur Deo, quoniam Dominus Iesus in gloria est Dei Patris. Vide ergo, singula Pater subijcit Filio, Filius subijcit Patri.* Sic ille.

S. Bernard. Gregor. X. Prou. 22. 1. 2. Reg. 7. 9. 2. Reg. 8. 13. Malach. 1. 11. Athan. Ambrof. Ioan. 17. 6.

8. Tandem frequentior, & quæ vel hoc nomine magis mihi placeat, Patrum explicatio est, vt per nomen super omne nomen, veri, ac summi Dei nomen, quod ineffabili illo nomine, *Iehouah*, in Scriptura significantiùs exprimitur, Paulus intelligat. Ita præter Patres statim afferendos, Iustinian. Cornelius, & Estius, sub eo solùm discrimine, quod alij nominis Dei solùm meminerint, alij peculiariter ad nomen vnigeniti Filij Dei Patri consubstantialis, qui eandem cum ipso essentiam, & maiestatẽ habet, retulerint. Et verò de Dei nomine disertissimè in primis differit Tertullianus, siue Nouatianus, lib. de Trinit. cap. 17. vbi humilitatis, & crucis Christi mentione facta, sic ait: *Cuius tamen humilitatis adest statim egregius fructus: accepit enim nomen, quod est super omne nomen, quod vtique non aliud intelligimus esse, quàm nomẽ Dei; nam cũ Dei sit solius esse super omnia, consequens est, vt nomen illud sit super omnia, quod est eius, qui super omnia est. Dei est ergo nomen illud, quod super omne nomen est.* Hæc ille, quæ ex sequentibus Pauli verbis sic confirmat: *Neque enim si non & Deus esset Christus, omne se in nomine eius genu flecteret, cœlestium, terrestriũ, & infernorũ, nec visibilia, aut inuisibilia, aut rerũ omnium omnis creatura homini esset subiecta, quæ se ante hominem esse meminisset.* Hactenus Tertul. Similiter Ambrof. & Sanctus Thomas in commentario; sic namque prior: *Nomen super omne nomen, hoc est, esse Deum. Nomẽ enim Dei, sed per naturam, non per solam appellationem, super omne nomen est.* Ad quem modum S. Thomas, cùm dixisset: *Nomen imponitur ad significandum rem aliquam, & tanto nomen est altius, quanto res significata per illud, est altior, & ideo nomen diuinitatis est altius*; subiungit: *Ergo hoc nomen, vt Deus diceretur, & esset, dedit isti, scilicet, Christo, Pater, tamquam Deo vero.* Hæc S. Thom. Nec minus dilucidè Hilarius, & Gaudentius Brixiens. serm. 19. ad Neophytos, tom. 2. Bibliot. veter. Patrum, dum hic ita inquit: *Nomen super omne nomen, Deus est.* Ille verò in Psal. 2. ea verba, sub persona summi Parentis à Vate dicta, *Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam*, &c. sic premit: *Post mortem crucis, in nomen, quod est super omne nomen, exaltatur; in Deum namque, quia nullum vltra Deum nomen est, prouehitur.*

Iustinian. Cornel. Estius. Tertul. Ambrof. S. Thom. Gaudent. Hilar.

9. De nomine verò Filij Dei primus sigillatim hoc nomen accepit Theodoret. hunc in modũ: *Nomen autem quidam interpretati sunt gloriam, ego autem ex Epistola ad Hebræos inuenio aliam Apostolici dicti intelligentiam. Cùm enim dixisset*, sedet ad dexteram maiestatis in excelsis, tãto melior Angelis effectus, quanto differentius præ illis nomẽ hæreditauit; *interpretatur nominis differentiã, & dicit:* cui enim dixit aliquando Angelorũ; Filius meus es tu, ego hodie genui te? *& rursum*, ego ero illi in Patrẽ, & ille erit mihi in Filiũ. ita Theodoretus. Similiter Theophylactus, & Oecumenius. Anselmus verò: *Donauit illi nomen super omne nome, vt in ipsa forma nominetur Filius vnigenitus Dei.* A quo non abit Ambrof. dum ait: *Videtur ergo donum Patris, hoc est, esse Filiũ, & nomen eius super omne nomen, hoc est, esse Deum. Nomen enim Dei, sed per naturam, nõ per solam appellationem, super omne nomen est.* Sic ille. Eodem loquendi modo vtitur Haymo, his verbis: *Dedit illi nomen, vt Filius Dei vocaretur, & esset.* Monet verò opportunè Anselm. in cap. 1. Epist. ad Hebr. ex illis Pauli verbis; *cui enim dixit aliquando Angelorum: Filius meus es tu?* ad Hebr. 1. 5. longè sub alio sensu nomen Filij Dei, Christo, ac Angelis, qui filij Dei etiam dicuntur, donatum fuisse. *Nam etsi Angeli*, inquit Anselmus, *aliquando vocantur filij Dei, hoc nomẽ significat, illos à Deo creatos esse, non eandem substantiam habendo cum Deo, sed potiùs, quod sunt sola voluntate Dei facti. In Christo autem significat, illum esse naturaliter à Patre genitum, & eiusdem cum Patre substantiæ, & humanitatem eius personaliter vnitam eidem vnigenito Dei, propter quod & ipsa humanitas appellationem Filij Dei meruit.* Hæc Anselmus.

Theodor. Theoph. Oecumen. Ansel. Ambrof. Haymo. Anselm. Ad Hebr. 1. 5.

Illi.

CVi? Verbóne Dei, an Christo homini? Id est quærere, vtrùm loquatur Paulus de nomine Filij Dei, quod vt Verbum in æterna generatione à Patre accepit, ita in temporali natiuitate in hominẽ per hypostaticam vnionem deriuauit, cùm per Incarnationem homo ille verè dictus sit Deus, & Filius Dei: an verò de nomine Filij Dei, quod Christo, quà homo est, ob passionis, & mortis suæ meritũ, peculiari à Patre ratione fuerit donatũ. Nec leuis quidem dubitatio, nam hinc inde, & rationes, & Patres. Ambrosius, Theophylactus, & Oecumenius, necnon Cyril. Alexand. lib. 3. Thesauri cap. 2. de ipsa natura diuina Verbi, qua per Incarnationem homo ille verè appellatus est Deus, & Filius Dei, acceperunt; sic enim Ambrosius: *Videtur ergo donum Patris, hoc est, esse Filium, & nomen eius super omne nomen, hoc est, esse Deum.* & paulo pòst: *Quibusdam tamen videtur homini donatum esse nomen, quod est super omne nomen, quod nullo genere, nulla* 10.

Ambrof.

ratione conuenit: si enim Christus Dei Filius idem ipse, & homo est, aut non poterat Deus, homo factus, sed manens Deus his egere, quæ habebat, aut si secundum quod homo erat, his egebat, quæ Dei sunt, ipse sibi Dei Filius, Deus dedisset, quæ deerant ei, iuxta quod homo erat. Hæc, & plura in hanc sententiam Ambros. Cyr. Alex. Nec aliter Cyril. nam citatis hisce verbis, subdit: *Quando igitur fuit factus homo, tunc sibi nomen fuisse donatum scribitur, & tunc exaltatus dicitur.* Similia habent Theophy. Oecumen. Theophylact. & Oecumen. Quibus adstipulatur, quod Christus ante Passionem suam à Patre, *Filius dilectus*, Matth. 17. 5. & ab Angelo, *Filius Dei*, Luc. 1. 35. & à Petro, & Martha, *Filius Dei viui*, appellatus fuerit, Ioan. 11. 27. Matth. 16. 16. Matt. 17. 5. Luca 1. 35. Ioan. 11. 27. Matt. 16. 16. Qui ergo dicatur passione, ac morte sua nomen Filij Dei, de quo ante illam, & ab Angelis, & ab hominibus iure appellabatur, fuisse commeritus?

11. Verumenimverò alij omnes Patres, & interpretes, siue Græci, siue Latini, contrà censent, Paulum, nimirum, de nomine Filij Dei, quod Christo homini singillatim ob passionis, ac mortis meritum à Patre donatum fuerit, sermonem facere; & in primis Athan. Athanas. orat. 2. cont. Arian. sic ait: *Iam quoque & illud*, donauit illi, *non propter ipsum Verbũ scriptum est, erat enim etiam antequam homo fieret, adorandum, & ab Angelis, & ab vniuersa creatura, secundũ suam è paterna substantia proprietatem; sed propter nos, & pro nobis, id de eo scriptũ est; sicuti enim homo mortuus est, & superexaltatus, ita quoque id vt homo accipere dicitur, quod vt Deus semper habuit, quò gratia ista semel accepta ad nos perueniret.* Theodor. Similiter Theodoret. *Non ergo ea accepit, quæ non priùs habebat, sed accepit vt homo, quæ habebat vt Deus.* Et paulo inferiùs, cùm nomen super omne nomen, de nomine Filij Dei verbis superiùs citatis explicuisset, subdit: *Hic ergo hoc etiam dicit, quod cùm seipsum humiliauit non solum non perdidit quod habebat Deus, sed hoc etiam accepit vt homo.* August. Eodem modo August. lib. 2. contr. Maxim. cap. 5. inquiens: *Homini ergo donauit ista, non Deo. Neque enim cùm in forma Dei esset non excelsus erat, aut non ei genua flectebant, cœlestia, terrestria, & inferna. Sed cùm dicitur*, Propter quod illum exaltauit, *satis apparet propter quid illum exaltauerit. In qua ergo forma crucifixus est, ipsa exaltata est, ipsi* donatum est nomen, quod est super omne nomen: *vt cùm ipsa forma serui nominetur, vnigenitus Filius Dei intelligatur.* Et lib. 3. cap. 2. *Hoc ergo illi donatum est, vt homini, secundùm quem factus obediens vsque ad mortem crucis, quod iam habebat idem ipse Filius Dei, Deus de Deo natus æqualis.* Gaudent. Nec minus luculenter Gaudent. Brixiens. serm. 19. ad Neophytos: *Non vtique donatur, vt Deus sit, nam in principio apud Patrẽ Filius Dei erat Verbum: sed homo à Filio assumptus promouetur in Deum, vt Filius Dei qui semper fuerat, Deus esset pariter, & cum ea substantia, quam sumpsit ex Virgine, totus iterum Deus: vt in nomine Iesu, Dei quippe, & hominis, omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, & infernorũ, & omnis lingua confiteatur, quoniam Dominus Iesus in gloria est Dei Patris, id est, vt post Passionis mysterium, & Ascensionis triumphũ, iam totus Dei Filius, cũ eo, quod pro nobis dignatus est assumere, in gloria Dei Patris, in diuinitate, scilicet, natura sua manens, ab vniuersis cœlestium, terrestriũ, & infernorũ virtutibus adoretur.* Basil. Sed & Basilius lib. 4. contra Eunomium, ab inconuenienti (vt aiunt) id ita confirmat: *Si post Incarnationẽ, propter obedientiam, nomen super omne nomen Filio Pater largitus est Deo existenti; maior igitur factus est post Incarnationem, quã ante eam fuerit, quod est inconueniens. In humanitate igitur, & non in Deitate hæc intelligenda sunt.* Ita Basilius, eius sententia paulisper perstricta. Tandem huic sententiæ appositè subscribit Hilarius lib. 9. de Trinit. vbi cùm hunc Pauli locum tractans dixisset: *Et hoc quidem Patri debitum reddens, vt obedientiam suam mittentis deputet voluntati, non tamen vt natura vnitatem obedientia humilitatis infirmet*; ita subiicit: *Factus obediens vsque ad mortem, non tamen post mortem, non super omne nomen est. Sed si fortè hinc inæqualis videtur, quia ei post euacuationem formæ Dei, donatur hoc nomen; calumnia hæc sacramentum assumptæ humilitatis ignorat. Si enim natiuitas hominis naturam nouam intulit, & humilitas formam demutauit sub assumptione seruili nunc donatio nominis, formæ reddidit æqualitatem. Quid enim donatum sit quære. Si enim hoc donatum quod Dei est natura huius donum ignobilitatem diuinæ illi non inueniat naturæ. Denique hoc nunc, quod donatur ei nomẽ, etsi habeat doni sacramentum, non tamen habet in dono nominis nomen alienum; donatur enim Iesu, vt ei cœlestia, & terrestria, & inferna, genu flectant, & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Iesus Christus in gloria est Dei Patris. Confessionis ergo huius honor donatur, vt in gloria Dei Patris sit confitendus.* Et post nonnulla: *Cùm audis itaque*, Pater maior me est, *scito eum, de quo ob meritum obedientiæ dictum est*: & donauit ei nomen, quod est super omne nomen. Hęc & plura in hanc rem Hilarius, lectori omnino videnda. Hilar.

Iam si cum prioris sententiæ Patribus inquiris, 12.
quid noui per Passionem suam Christus hac in re fuerit elucratus, qui iam antea Filius Dei appellabatur. Respondent primùm plerique auctores, opus non esse, aliquid sibi noui Christum acquisiuisse, vt dicatur ab Apostolo nomen hoc super omne nomen fuisse commeritus. Nam quod ipsi ratione vnionis hypostaticę debebatur, nouo subinde obedientiæ, & mortis titulo à Patre accepit, vt deinceps duplici titulo id sibi nomen inditum esse, iure gloriari possit. Vera in se omnino doctrina, sed quæ Pauli verbis, & sensui aptata mirificè frigescat, præsertim si sequentia spectentur, in quibus Apostolus peculiare aliquid innuit, quod Christo ob Passionem suam obtigerit.

Meliùs ergo ad scopum collimarunt Anselmus, 13.
& S. Tho. in comment. dũ hæc de nominis sui clarificatione, & manifestatione, quã morte sua Christus promeruerit, intellexêre; sic enim Anselm. *Hoc* Anselm. *& ante resurrectionẽ habuit, sed post resurrectionẽ, quod erat, manifestatum est, vt scirent homines, & dæmones, & omnes ei genu flecterent.* Similiter S. Thom. *In sacra* S. Thom. *Scriptura tunc dicitur aliquid fieri, quando innotescit; donauit ergo, id est, fecit manifestum mundo, quod hoc nomen haberet, hoc enim manifestatum est in resurrectione, quia antea non sic nota erat diuinitas Christi.* Et verò, vt bene ibidem idem Angelicus Doctor monet, id omnino sibi vult Paulus, dum subdit: *Vt in nomine Iesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur*, &c. quæ citato serm. 19. sic explicat Gaudent. *Id est, vt* Gaudent. *post Passionis mysterium, & Ascensionis triumphum, iam totus Dei Filius, cum eo, quod pro nobis dignatus est assumere, in gloria Dei Patris, in diuinitate, scilicet, natura sua manẽs, ab vniuersis cœlestiũ, terrestriũ, & infernorum virtutibus adoretur.* Ad quẽ sanè modũ de externa hac clarificatione nominis Filij Dei, & manifestatione diuinitatis, hęc verba accepit Dion. Alex. Dion. Alex. in epist. contra Paul. Samosat. *Propter quod & Deus exaltauit illum: ita sanè; Deus enim ait Deo meo Iesu Christo per David:* Exaltare super cœlos Deus, & super omnem terram gloria tua. Psal. 56. 7. *Hoc est quod ait Apostolus:* Propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomẽ; *& subiungit*, vt in nomine eius omne genu flectatur. *Glorificauit eum Pater, sed & Patrẽ Filius glorificauit inquiẽs:* Ego te glorificaui super Ioan. 17. 4. & 6.

terram,

terram,manifeſtaui nomen tuum hominibus *Similiter & Pater manifeſtauit nobis Chriſtum, qui cum eo erat ſemper*, in quo habitat plenitudo diuinitatis corporaliter. Hæc Dionyſ. exaltationem Chriſti, & nomen ſuper omne nomen ipſi donatum ad claritatem diuinitatis, ſingillatim verò ad perſonæ Filij Dei manifeſtationem referens.

14. Nec id aduerſus hæc momentum aliquod habet, quod etiam ante Paſſionem ſuam Chriſtus à nonnullis Filius Dei viui appellatus, ſiue vt verus Anſelm. Deus adoratus fuerit: *nam ante Paſſionem* (ita Anſel. in cap. 1. Ep. ad Hebræos) *licet nonnunquam vocaretur Filius Dei, tamen ferè ſemper vocatus eſt filius hominis, poſt reſurrectionẽ verò Filius Dei vocatur.* Quis verò nõ videat, quàm ingens intercedat diſcrimen inter eam confeſſionẽ, & honorẽ à tribus, vel quatuor in Iudæa, quæ mundi quidem angulus erat, Chriſto delatum, ac inter ſupremam adorationem, & cultum ab infinitis penè gẽtibus, populis, & linguis ipſi vt Dei Filio, & vero Deo, Patri coæterno, & conſubſtãtiali, humani generis Aſſertori ſimul, & Iudici, toto terrarum orbe indeſinenter exhibi- Apoc. 5. 11. tum? Et verò Ioannes Apocal. 5. 11. poſt egregiam hanc cœleſtium ſpirituũ confeſſionem, qua magna voce, hoc eſt, maxima auiditate, & feliciſſimo rei euentu prædicabant, dignum omnino Dei Agnum eſſe, cuius virtutem, diuinitatem, ſapientiam, ac fortitudinem omnes homines cognoſcerent, & reuererentur, diuinóſq; illi honores deferrent, notanter mortis Chriſti mentionem fecit, vt innueret, ipſum hanc nominis ſui claritatem, & manifeſtationẽ poſt reſurrectionem ſuam ſingulari dono à Patre accepiſſe; ſic enim ibi: *Et vidi, & audiui vocem Angelorum multorum in circuitu throni, & animalium, & ſeniorum: & erat numerus eorũ millia millium, dicentium voce magna: Dignus eſt Agnus, qui occiſus eſt, accipere virtutem, & diuinitatẽ, & ſapientiam, & fortitudinem, & honorẽ, & gloriam, & benedictionem. Et omnẽ creaturam, quæ in cœlo eſt, & ſuper terram, & ſub terra, & quæ ſunt in mari, & quæ in eo, omnes audiui dicentes: Sedenti in throno, & Agno, benedictio, & honor, & gloria, & poteſtas in ſæcula ſæculorum.* Atque hæc in hũc Rupert. modum inibi expẽdit Rupertus: *Antequam Agnus librum aperuiſſet, id eſt, antequam per Paſſionem ſuam adimpleſſet veritatem Scripturarum, præter pauciſſimos, hoc eſt, præter tres Magos ab Oriente venientes, & præter illum à natiuitate cæcum ferè nullus inuenitur procidendo adoraſſe Agnum: ſed poſtquam librum aperuit, id eſt, per mortem, & paſſionem, ſuam obedientiam confirmauit, omne genu curuatur cœleſtium, terreſtrium, & infernorum.* Ita Rupertus.

15. Sanè hac de re ſignatiſſimum habemus Pauli te- 2. ad Cor. 5. 16. ſtimonium, dum 2. ad Cor. 5. 16. ait: *Etſi cognouimus ſecundùm carnem Chriſtum, ſed nunc iam nõ nouimus.* Leo Magn. Quæ quidem verba etſi pulchrè à Leone Mag. ſer. 1. de Reſurrect. hunc in modum explicentur: *Reſurrectio enim Domini non finis carnis, ſed commutatio fuit, nec virtutis augmento conſumpta ſubſtantia eſt: qualitas tranſijt, non natura defecit, & factum eſt corpus impaſſibile, quod potuit crucifigi, factum eſt immortale, quod potuit occidi, factum eſt incorruptibile, quod potuit vulnerari; & meritò dicitur caro Chriſti in eo ſtatu, quo fuerit, nota neſciri, quia nihil in ea paſſibile, nihil remanſit in ea infirmum, vt & ipſa ſit per eſſentiam, & nõ ſit ipſa per gloriam:* at enimverò, cũ hęc, quæ de Chriſti carne inquit Leo, cuilibet glorioſo corpori cõmunia etiam ſint, plus aliquid velle ſibi Ad Hebr. 5. 7. videtur Paulus; id nimirũ, vt, quamuis Chriſtus ad dexterã Patris ſedens reapſe verus homo ſit, quippe qui *quod ſemel aſſumpſit, nunquam dimiſit*; at peractis diebus carnis ſuę, finitóq; exinanitionis tẽpore, cũ is, qui in forma Dei exiſtens, in ſimilitudinem hominũ factus debita ſibi maieſtate, atque claritate ſe euacuauit, *factus obediens vſque ad mortẽ*, &c. ſuæ ſubinde diuinitatis iura, atque eam claritatem, & gloriam, qualem habere decet vnigenitum Patris, recipiens, nulláq; iam nominis filij hominis mentione facta, in omnibus, & per omnia Deus agnoſcatur, atq; adoretur. *Nec mirum* (verba Algeri lib. 1. Algerus. de Sacram. corpor. & ſangu. Dom. c. 1. tomo 5. Bibliot. veter. Patr.) *ſi filius hominis Filio Dei in vna perſona vnitus, ſicut participiũ diuini nominis, ſic etiam diuinæ gloriæ aſſequatur, vt exaltatus ſuper omnẽ creaturam, flexione genuum ab omnibus adoretur, & ingenuus Dei per ipſum, cui vnitus eſt, nominetur. Cur enim hoc minus Deus faceret homini ſibi perſonaliter vnito, quàm per eum facit anima corpori ſibi vnito? Confert enim participium nominis, & naturæ, quam habet, vt ab anima animatum viuat, & ſentiat, quod ex ſe non habebat. Sed & ignis ferrum tranſuerberans igneum reddit, candorémque, & calorem conferens, ipſum ſcintillare, flammeſcere, & vrere contra ſuam naturam facit. Cum ergo ignis igniat, anima animet, quid Deus niſi hominem ſibi vnitum deificet, & ſuper omnem creaturam exaltatum puritatis, omnipotentiæ, & Deitatis etiã prærogatiua ſecum glorificet?* Ita quidem Bernard. ſerm. Bernard. de verb. Apocal. *Signum magnum. Fidelis planè, & potens mediator Dei, & hominum homo Chriſtus Ieſus, ſed diuinam in eo reuerentur homines maieſtatem. Abſorpta videtur in Deitatem humanitas, non quod mutata ſit ſubſtantia, ſed affectio deificata.* Quod ſi attendis, accurata locutione vſus eſt Paulus, inquiens, *iam nõ nouimus ſecundùm carnem*: vt oſtenderet, ſe de externa hac claritate, & manifeſtatione diuinitatis Chriſti, qua is, qui *in ſimilitudinem hominum factus*, ob benigniſſimam ſuam exinanitionem, homo ſolú priùs putabatur, iam in toto terrarum orbe verus Deus eſſe creditur, prædicatur, & colitur, ſermonem facere. Sed ne quod noſtrum nõ fuerit, præripiamus, præfatæ expoſitionis auctores proferre erit operæpretium. Eam quidem ſic tradidit Petr. Chryſolog. Chryſol. ſermone 60. de Symbol. *Cùm dicis*, in Ieſum Filium eius; *confiteris Ieſum, qui natus eſt de Maria, Dei eſſe Filium. Caue ergo, ne amplius ſentias in Chriſto, quod homo fuit, ſed ſemper quod Deus ſit confitere, Apoſtolo ſic dicente:* Etſi nouimus Chriſtum ſecũdùm carnem, ſed iã nunc nõ nouimus. ita Chryſol. Sed vberiùs, ac luculẽtiùs, illo prior, Gaudẽt. Brixienſ. in reſpõ- Gaudent. ſione ad Paulum Diaconũ *de eo quod Dominus dixit Apoſtolis, quia Pater maior me eſt*, his verbis: *Declarãs quippe ideo ſe in vtraque ſubſtantia Dei, & hominis poſt Paſſionem, Reſurrectionémque ſuam cœlos aſcenſurum, vt is, qui ob Incarnationis humilitatem minor ſeipſo, & idcirco Patre ſuo minor videretur in terris, calcato mortis aculeo, cœlos victor aſcendens æqualis Patri, ſicut ſemper fuerat, permaneret, & idẽ qui ſemper Deus, nunc & homo, iam Deus in æterna Patris gloria conſtitutus ſine fine regnaret. Nam qui prius in imagine de aqua vinum fecit, cùm diceret beatiſſimæ Matri ſuæ;* Quid mihi, & tibi eſt mulier? Nondum venit hora mea: *ipſe poſt horam Paſſionis ſuæ veritatem præmiſſi ænigmatis eatenus conſummauit, vt ſanè Incarnationis aqua vinum fieret Deitatis; quod heretici adulterantes verbum Dei adhuc velut aquam vino permiſcent, cùm totus Dominus Ieſus, & quod ex Deo Patre eſt, & quod ex Virgine matre eſt, Deus ſit vnigenitus in gloria Dei Patris, quoniam quidem Deus diminutus non eſt in homine, ſed homo proficit in Deum, vt, ſicut* Verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis, *ita caro Deus fieret, & habitaret in cœlis. Quapropter Apoſtolus:* Etſi cognouimus, *inquit*, ſecundùm carnem Chriſtum, ſed iam nunc non nouimus: *eſt enim Deus, &*

homo vtrumque iam Deus in Dei Patris dextera constitutus. Nimirum, vt (quod eleganter dixit Leo Magn. serm. 1. de Ascensione) *illius gloriæ sociaretur in throno, cuius natura copulabatur in Filio.* Leo Magn.

16. Sub quo etiam sensu perdifficilia illa de Christo verba ad Rom. 6. 10. *Quod enim mortuus est peccato, mortuus est semel: quod autem viuit, viuit Deo,* sic capit Chrysol. ser. 75. vt sententiam communem cum præfatis ad Corinthios habeant; ac si dicat Apostolus, Christum, etsi ob mundi peccata passus, mortuúsque vt homo fuerit, mortalitate iam expleta, vt verum Deum viuere, atque regnare. Audi: *Christus homo passus, mortuus, & sepultus fuit; est, viuit, manet, permanet, regnat Deus. Audi Apostolum dicentem:* Etsi nouimus Christum secundùm carnem, sed iam nunc non nouimus; *&,* quod mortuus est peccato, semel mortuus est, quod autē viuit, viuit Deo, *hoc est, viuit Deus.* Sic Chrysolog. Quem quidē gustum habent, quæ Origenes in Euangelium Ioannis ad illud, *nunc clarificatus est filius hominis,* & Ambros. lib. de fide resurrectionis, post medium, de Christi gloria, atque exaltatione dixêre; sic enim prior: *Cæterùm exaltatio filij hominis sibi facta glorificanti Deum per suam ipsius mortem, hæc fuit, vt non amplius ipse alius esset à Verbo, sed idem cum ipso: nam si* qui adhæret Domino, vnus est spiritus, *vt de hoc, & de spiritu nō amplius dicatur, quod duo sint; quomodo non magis diceremus, id, quod de Iesu est humanum, factum fuisse vnum cum Verbo, exaltato quidē illo? Non rapinā arbitratus est, esse se æqualem Deo, sed Verbo manente in sua altitudine, vel etiam restituto ad id vbi erat prius, apud Deum, Deus Verbum existens, & homo.* Hęc optimè Origenes. Similiter Ambrosius: *Resurrexit homo, quoniam homo mortuus, & resuscitatus homo, sed resuscitans Deus: tunc secundùm carnem homo, nunc per omnia Deus.* Bene, *nunc per omnia Deus,* vt, etsi cognouerimus secundùm carnem Christum, cū ipse dies carnis peragere, & mortalitatem obire, atque explere voluit, nunc iam non noscamus secundùm carnem, sed ipsum per omnia Deum, & in cuius nomine omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, & infernorum, intueamur.

Ad Rom. 6. 10.
Chrysol.
Origen.
Ambros.

17. Iametsi iniectus nobis ab Ambrosij commentario scrupulus, ne hoc nomen super omne nomen, Christo homini donatum existimaremus, quod si eo quà homo egeret, ipsemet sibi quà Deus dedisset, parum nos angat, eum tamen omnino placet elicere. Et verò ea in primis locutione minimè denegatur Dei Filio, sibi etiam hoc nomen dedisse, cū ea omnia quæ Pater facit, per Filium suum perficiat; vnde enucleatissimè Athan. lib. de Incarnat. Christi: *Ipse igitur sibi ipsi largitur vitam, ipse seipsum sanctificat, ipse seipsum exaltat. Cùm igitur dicit, quod Pater illum sanctificauerit, & excitarit, donarítque nomen, quod est super omne nomen, quódque vitam dederit, satis euidens est, omnia Patrē per eum facere, atque ita fieri, vt ipse à Patre per seipsum excitetur, ipse per seipsum sanctificetur, ipse per seipsum extollatur, ipse sibi vitam largiatur.* Hæc Athan. Ad cuius gustū Hieron siue qui Hieron. esse creditur, illa Psalmi 109. 8. verba: *De torrente in via bibet, propterea exaltabit caput;* sic explicat. *Quia bibit Dominus de torrente in via, propterea exaltauit caput; & quid dicit?* Cùm exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me. *Istius caput exaltatum est, cæterùm draconis capita conquassata, & confracta sunt in aquis. Nō dixit, propterea exaltatum est caput, hoc est, ab alio exaltatus, sed qui se humiliauerat, ipse exaltauit.* Deinde, absque vllo diuinitatis Filij Dei præiudicio, Patri, quà Pater, & origo Filij est, vt eius sanctificatio, & missio in mundum, ita & exaltatio meritò attribuitur, eodemmet Assertore dicente Ioan. 10. 36. *Quem Pater sanctificauit, & misit in mundum, vos dicitis, quia blasphemat.* Quod Greg. Nazianz. affirmare non refugit. Etenim orat. 38. cùm dixisset: *Missus quidem est, verùm vt homo, duplici enim natura erat, siquidem & fatigatus est, & fame, & siti laborauit, & languore affectus est, & lacrymas fudit, vt corporis lex fert;* subdit. *Quid si etiam vt Deus? quid propterea? Beneplacitum Patris missionem esse existima, cui sua quoque adscribit, tum vt principium temporis expers honore afficiat, tum ne Dei aduersarius esse videatur.* Ita ille. Ad quem modum Hilar. præfato lib. 9. de Trinit. *Maior itaque Pater Filio est, & planè maior, & cui tantū donat ipse, quantus ipse est, qui innascibilitatis esse imaginem sacramento natiuitatis impertit, quem ex se in forma sua generat, quem rursum de forma serui in formā Dei renouat, quē in gloria sua secūdùm spiritum Christum Deum natum, donat rursum esse in gloria sua secundùm carnem Iesum Christum Deum natum mortuum.* Verùm enimverò, cùm hæ locutiones ad Arianorum animos sedandos, & demulcendos, consulta calliditate à Patribus dictæ fuerint, prior dicendi modus omnino videtur amplectendus. Iam ad horum Patrum gustum idemmet Ambros. nodum suum sic postmodum dissoluit: *sed fortè, quia à Deo Patre sunt omnia, ideo ipsi dicitur dedisse.*

Athanas.
Hieron.
Ioan. 10. 36.
Nazianz.
Hilar.

18. Hæc, vt dixi, vel quod tot in ea Patres cōspirent, mihi vt verissima omnino probātur, addiderim tamen, aliquid aliud non improbabiliter dici posse, quod & ab hoc non eat, & reliquas penè omnes de nomine super omne nomen ex Patribus superiùs adductas explanationes ad concordiā reuocet, nimirum, nomen super omne nomen Christo donatum, esse nomen IESVS, nō prout quidem nomen solum, illustrísve appellatio est, sed prout denotat Deum Saluatorem: quod quidem rū diuinitatis naturam gloriosè in primis exprimit, vt acutè ad ea Angeli verba ad Mariā, Luc. 1. 31. *vocabis nomē eius Iesum,* sic monuit Chrysol. serm. 144. *Meritò igitur Virginis salua sunt omnia, quæ genuit Saluatorem, & vocabit nomen eius Iesum, quia in hoc nomine Deitatis adoratur tota maiestas:* tum etiam iudiciariam potestatē, omniáque sibi simul subdita ratione redēptionis ostendit. *Pater enim non iudicat quēquam, sed omne iudicium dedit Filio,* Ioan. 5. 21. *& potestatem dedit ei iudicium facere, quia filius hominis est:* hoc est, merito suæ exinanitionis, vt suo loco explico. Ita disertè Ansel. *Tam præcellens illi nomen donatū est, vt omnia sint ei subdita, vt in nomine Iesu exaltādo flectatur omne genu, quod est euidens signum subiectionis, cœlestium, id est, Angelorum, & terrestrium, id est, hominum, & infernorū, id est, dæmonum, quia & ipsi tremunt sub eius imperio, & penitus subijciuntur.* Nec inficiari potest, & phrasibus superexaltandi, nominísque super omne nomen, & sensui, ac instituto Pauli, hoc valde appositum esse. Sed de harum locutionum sensu vide quæ diximus ad vers. 6. adnot. 2. n. 2. & quæ de re tota dicemus vers. 11. *& omnis lingua confiteatur,* iuxta Græcam lectionem, & eum, quem illius germanum sensum esse putamus. Adi modò Abulensem in c. 20. Exod. q. 7. affirmantem, maiori reuerentia, ac veneratione, hoc nomen IESVS, quàm illud ineffabile *Iehoua,* esse dignū, tum quod IESVS Redemptorem, *Iehoua* creatorem significet; tum ob alias rationes inibi videndas.

Luca 1. 31.
Chrysolog.
Ioan. 5. 21.
Anselm.
Abulens.

Vt in nomine IESV.

19. DE sententia statim; modò in sacratissimo hoc nomine paulisper immorandū. Et verò cū de ipso multa multi dicāt, illud ad rē nostrā singillatim pertinere,

pertinere videtur, quod à non ignobilibus aucto-
ribus vltrò, citróque controuertitur, an hoc nomen
IESVS cum ſanctiſſimo illo & ineffabili nomine *Ie-
houa*, quod Dei propriiſſimum eſſe, ab ipſo diſci-
Exod. 3. 14. mus Exod. 3. 14. *Ego ſum, qui ſum*; & Hierony. in
Hierony. Pſal. 8. Damaſc. lib. 1. fidei, c. 12. S. Thom. 1. p. q. 13.
Damaſc. art. 11. & latè Gueuara in Abacuc, c. 2. n. 377. do-
S. Thom. cent, idem omnino ſit. Qua in diſputatione, ne nos
Gueuara. actum agere videamur, vtriuſque partis momen-
ta apud auctores videnda monemus, præſertim
Iuſtinian. apud Iuſtinianum hic. Petr. Galatin. lib. 3. cap. 8.
Pet. Galat. 10. 11. 20. Iacob. Valentiā in Pſal. 8. & in Pſal. 117.
Iacob. Val. Alphonſ. de Mendoz. in quæſtionib. quodlibeticis,
Mendoza. q. 10. poſitiua. Burgenſ. in cap. 3. Exodi. Ioan. Sili-
Burgenſ. ceum Toletan. Antiſtitem, & perdoctū Carauajal.
Ioan. Silic. quorum prior peculiarem libellum, poſterior verò
Carauajal. eruditū tractatum, de nomine IESV conſcripſerūt.
Ioan. Reuchl. Ioannē Reuchlin. lib. 3. de verbo mirifico. Franc.
Franc. Geor. Georg. Venet. q. 3. Problem. P. Barrad. tom. 1. lib. 9.
Barrad. c. 4. Viegam in c. 12. Apocal. com. 2. ſect. 1. n. 5.
Viegas.

20. Et quidem quamuis eorum pietatem, qui affir-
matiuæ parti fauent, omnino contemnendam eſſe
nolim, præſertim cùm plures, atque ij boni aucto-
res ſint, Toletanus, nimirum, Antiſtes Carauajalius,
Paul. Burgenſ. Ioan. Reuchlin. Alfonſ. Mendoz Ia-
cob. Valēt. Georg. Venetus (taceo Andream Oſian-
drum, quia damnatæ, & infelicis memoriæ auctor
eſt) locis indicatis, & præter ipſos Steph. de Salaz
Carthuſienſis in expoſitione Symbol. dum tamen
rem attentiùs vtrinque perpendo, ad ſignificatio-
nem, & vim nominis potiùs, quàm ad literarum, ſi-
ue originis ſimilitudinem placet me conuertere.
Porrò ex vi, atque efficacitate vocabulis inhęrente,
hæc nomina ſe mutuò reſpicere, & affinia eſſe, no-
búmque IESVS nomen illud ineffabile *Iehoua*, opti-
mè explicare, nec ſine aliqua ad ipſum alluſione
Chriſto fuiſſe impoſitum, mihi facilè probatur.
Etenim nomen tetragrammaton *Iehoua*, propriè ſi-
gnificat eum, qui eſt, & eſſe aliquid facit. Ita Li-
Lipom. pom. Exod. 3. & Xiſtus Senenſ. lib. 2. Biblioth. Vnde
Xiſt. Sen. Hebræi nonnulli apud Galatin. lib. 2. de arcan. c. 10.
Galatin. id nomen interpretantur, vt ſit idem, ac generans.
Alij verò, eum qui dat omnibus eſſe, ſignificare cō-
Maſſius. tendunt. Similiter And. Maſſius in Ioſue, c. 2. n. 10.
hanc nominis *Iehoua* ſignificationem cenſet, *qui ab
æterno inſiſtit in ſe, ſibi eſſentia eſt, & à quo pendet re-
Gorop. rum omnium eſſentia.* Conſentanea ſcribit Goropius
in Hermathena, fol. 12. quæ ex eo valde probabilia
ſunt, quod verbum ſubſtātiuum ſæpius in Scriptu-
ra, nec ineleganter ad opus referatur, vt optimè ad
Alcazar. hanc rem probat P. Alcazar ad c. 1. Apoc. not. 3. ad
Ioan. 1. 1. verſ. 4. de nomine *Iehoua*, ſect. 3. ex Ioan. 1. 1. vbi cū
dicitur: *In principio erat Verbum*, non ſolùm indica-
tur ipſum fuiſſe, ſed etiam innuitur eſſe rerū om-
nium opificem, quod manifeſta ibi alluſio ſit ad il-
Geneſ. 1. 1. lud Geneſ. 1. 1. *In principio creauit Deus cœlum, &c.*
de quo vide ibi. Iā verò ab hoc non it nomē IESVS,
Matth. 1. 21. cùm (Angelo interprete Matth. 1. 21.) Saluatorem
ſonet: *Ipſe enim* (inquit Ioſepho) *ſaluū faciet populum
ſuum à peccatis eorum.* Quid enim ſignificationi cō-
ſeruandi res, affinius eſſe poſſit, quàm ſaluare, ſiue
Prado. ſeruare, aut ſalutem afferre? Addo ex P. Prado, qui
mihi vnus pro multis eſt, tom. 1. in Ezech. in com-
ment. de prima viſione, p. 2. ſect. 4. nomē *Iehoua* po-
tiſſimum referri ad myſterium Incarnationis, ſiue
ad opus noſtræ redemptionis; quod ipſe ex eo effi-
caciter probat, quod huius nominis ſignificatio
Exod. 3. 14. propriè ſit per modum futuri temporis, Exodi enim
Lect. Heb. cap. 3. 14. pro illis verbis, *ego ſum qui ſum*, Hebraicè
verbo ad verbum eſt, *ero qui ero*; quod perinde eſt,
ac ſi dicat: ego is, quem me in humani generis re-
demptione eſſe decet, ero.

Vellazq. in Epiſt. ad Philippenſ.

Hinc videas, cur antiquis Hebræis certum eſſet, 21
ac peruulgatum, Meſſiam ineffabile hoc nomen *Ie-
houa* hominibus allaturum, atque illud facile, & fa-
miliare redditurum: de quo Andr. Oſiander lib. 1. Oſiander.
adnot. in Harmoniam Euang. & Porchet. 1. p. Vi- Porchet.
ctoriæ, c. 11. nimirum, vel quod nomen illud tetra-
grammaton non virtute, ſed inuocatione iam ceſ-
ſarit, & in nomen IESVS commutatum fuerit, hoc
enim, non illud inuocari ſolet. Vnde Paulus ſigna-
tè inquit, *vt in nomine Ieſu omne genu flectatur*: vel
quod Chriſtus Dominus tum Patris nomen, ſan-
ctiſſimæque Triadis myſterium, tum Dei naturam
optimam, atque benigniſſimam, & ad benefacien-
dum homini ſummè pronam, nō verbis modò, ſed
egregiis factis, ſanguiniſque, ac vitæ profuſione
erat oſtenſurus. Quare illud ex mente eorum, qui
cenſent idem eſſe *Iehoua*, ac IESV nomen, eſt maxi-
mè obſeruādum, ad hoc, vt ratio nominis ſubſiſtat,
addendā eſſe Hebræam literā ש. Sed vt ij auctores
eius literæ ſignificatione, quā hauriunt ex Hieron. Hieron.
ep. ad Paulam Vrbicam, affirmante eſſe idē, ac den-
tes, maximè lætantur, quod ita ſignificetur, IESVM
nobis dentes, quibus ineffabile nomen articulatè
pronunciari poſſit, attuliſſe: ita ego, qui ad ſenſum
rei magis, quàm ad ſonū vocum ſoleo me exercere,
ſignificationi, quam huic literæ ש reddit Ambr. in Ambroſ.
Pſal. 118. ſer. 21. vt idem ſit, ac ſuper vulnus, adhæ-
rere volo. Vnde IESVM ſic capio, vt Deus Seruator
ſit ſuper vulnus humani generis benigniſſimè, &
opportuniſſimè appoſitus: quo nihil elegātius, nihil
magis appoſitum ad Dei naturam, quæ ad bonum
hominis vndiq; propēdet, ſignificandā dici poteſt.
Sed Ambr. verba prætermitti nō debent, ſunt hæc:
*Super vulnus quid eſt, niſi medicamentū, quo vulneris
acerbitas mitigatur? ſuper vulnus oleum infunditur, vt
omnis vulneris aſperitas molliatur.* Cui cogitationi tā
Cyrilli Ieroſol. quàm Epiphanij de nomine IESV Cyr. Ieroſ.
obſeruationes omnino adſtipulantur, dū ille Græ-
cè, hic Hebraïcè IESVM Medicum, ſiue curatorem
ſonare affirmāt. Sic enim Cyrillus Catech. 10. *Ieſum
apud Hebræos ſignificare Saluatorem, lingua verò Græ-
ca Medicum ſonare, quandoquidem & corporum Me-
dicus eſt, & animorum curator, cæcorum ſenſilium ſa-
nator, & mentium illuminator, claudorum curator, &
peccatorum dux ad pœnitentiam.* Epiphanius verò hę- Epiphan.
reſi 29. *Ieſus in Hebraica lingua curator appellatur,
aut Medicus, & Saluator.* Sic ille.

Applaudit his ſponſa, dum diuino numine affla- 22.
ta, ſic futurum ſponſum compellabat Cant. 1. 2. Cant. 1. 2.
Oleum effuſum nomen tuum; vbi ſi nomen pro perſo-
na (phraſi in Scripturis frequentiſſima, Apoc. 3. 4. Apoc. 3. 4.
Habes pauca nomina in Sardis. & Pſal. 19. 2. 6. & 8. Pſal. 19. 2. 6. & 8.
Iſaiæ 30. 27. Rom. 1. 5. Actuum 15. 26.) ſumpſeris, Iſai. 30. 27.
vel etiam ſi de ipſomet nomine IESV. vt inibi ex- Rom. 1. 5.
plicat Origen. homil. 1. in Cant. inquiens, *nomen* Act. 15. 16.
tuum, id eſt, Ieſus. Vt vt id fuerit, neque enim no- Origen.
men prout ſubeſt perſonæ, à perſona, prout explet
rationem nominis, hilum differt. Bene ſiquidem
dixit Plato in Cratylo: *Rectum, verúmque nomen* Plato.
*rei, cuius eſt nomen, naturam, & eſſentiam expri-
mit. Vnde alij Philoſophi nomina, implicitas rerum
definitiones, & has explicita eſſe rerum nomina dixe-
runt*: ex mente ſponſæ, *oleum effuſum*, Chriſtus IESVS
dicitur, quod Deus Saluator, ſiue ſupra vulnus ap-
poſitus, tamquam germanus, ac naturalis eius Fi-
lius, qui eſt *Deus ſaluos faciendi*, elegantiſſimáque
eius definitio ſit. Quis enim neſciat, oleum, & mi-
ſericordiæ ſymbolum, & vulnerum medicinam,
quæ leniat, foueat, ac reficiat, eſſe? A quo ſanè non
iuit Euſebius Cæſarienſis lib. 5. demonſtrat. Euan- Euſeb. Cæſ.
gelic. capite 1. ad finem, dum hæc ſponſæ verba
elucidans, Chriſtum Dei fragrantiam eſſe dixit,

quippe qui humanæ naturæ se communicans pretiosissimum, & quasi in vase latens diuinæ bonitatis vnguentum in mundi salutem sparsit. Sed id
Ansel. enucleatiùs ad hæc verba tradidit Anselm. IESVM Deum super vulnus, siue medicinam humano generi adhibitam, sic affirmans. *Oleum dum in vase est, neque odorem profert, neque dolores sanat, effusum verò odorem emittit, & dolores sanat. Ita & nomē Dei, dum ipse adhuc in sinu Patris conclusus teneretur, parum, aut nihil cognoscebatur, postquam verò carnē sumpsit, præsentia mundum visitans, seipsum omnibus cognoscendum exposuit, odorem, id est, famam, & bonam opinionem de se emisit, & infusum, dolores bene recipientium prædicationem suam, & peccata sanauit.* Hæc &
Bernard. alia Ansel. Verùm Bernard. serm. 15. in Cant. labiis lac & mel distillantibus hæc verba sic versat, atque diffundit: *O nomen benedictum! ô oleum vsquequaque effusum! Quousque? de cœlo in Iudæam, & inde in omnē terrā excurrit, & de toto orbe clamat Ecclesia,* Oleum effusum nomen tuum. *Effusum planè, quod non solùm cœlum, terrásque perfudit, sed aspersit & inferos, adeò vt* in nomine Iesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur, *& dicat,* Oleum effusum nomen tuum. *Ecce Christus: ecce Iesus vtrumque infusum Angelis: vtrumque effusum in homines, & illos homines, qui computruerant tamquam iumenta in stercore suo, homines & iumenta saluans, quemadmodum multiplicauit misericordiam suam Deus.* Hæc ille, & alia.

23. Sed & hinc illam facilè dissolues quæstionem, quæ nonnullos Patrū, & interpretū malè torsit, cur stāte expressissimo Isaiæ vaticinio de nomine *Emanuel*, hoc est, *nobiscum Deus*, Messiæ imponendo: *Ecce* (inquit) *Virgo concipiet, & pariet filium, & vocabi-*
Isai. 7. 14. *tur nomen eius Emanuel,* Isai. 7. 14. non *Emanuel*, sed IESVS appellatus sit Dei Filius. Qua quidē de re nō
August. eadem scripsērē August. serm. 8. de Natiu. Tertul.
Tertul. lib. 3. cōtra Marc. c. 8. & 9. Lactāt. lib. 4. c. 22. Chry-
Lactant. Chrysost. sost. Theoph. & Euthym. ad verba Matt. 1. 21. *Voca-*
Theoph. *bis nomen eius Iesum.* Verumenimverò in manu est
Euthym. responsio, nihil hoc ab illo nomine discrepare, nec *Emanuel*, iota minus IESV habere. Quid enim aliud, *nobiscum Deus*, quàm IESVS, aut *Deus saluos faciendi*? cùm Deus nobiscum esse non possit, nisi simul medicina vulneribus, dolori salus, inopiæ abundantia, & miseriæ beatitudo succedat. Sed hic sanè sensus, & conciliatio ex ipsiusmet Matthæi mente est, qui
Matth. 1. 21. dum c. 1. 21. retulisset hęc Angeli ad Iosephum verba: *Vocabis nomen eius Iesum, ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum;* subiungit. *Hoc autem totum factum est, vt adimpleretur, quod dictum est à Domino per Prophetam dicentem: Ecce Virgo in vtero habebit, & pariet filium, & vocabunt nomen eius Emanuel, quod est interpretatum, nobiscum Deus.*

24. Certè quæ Hebræi dictitabant apud Galat. lib.
Galatin. 8. c. 5. fore, vt Messias inueniret hoc nomen, *Iehoua*, in lapide quodam insculptum, ex quo & articulatissimam, ac enucleatissimam eius pronunciationem disceret, & ingentia hac ratione esset patraturus miracula, ne meræ nugę, atque inania figmenta, sed ipsissima potiùs veritas, nostráque institutio sint, ita sunt accipiēda, vt Christus Dominus dū sese homini benignissimū Saluatorem exhibuit, fessis humani generis rebus subueniēs, egregiáq; in miserorū hominū salutē, & bonū edēns miracula, Dei naturā ad benefaciendum maximè procliuē omnimodis expresserit, & velut de facie agnoscendam
Bernard. proposuerit. Vnde Bernard. agens de hoc nomine IESV opportunè ait, Christum ideo IESVM appellatum, quod naturalis Filius Dei esset. Sic enim ser. 1. de Circūcisione: *Circūciditur vt verus filius Abrahæ: Iesus vocatur, vt Filius Dei:* id est, vt Patris naturam, qui Deus saluos faciendi est, tāquam eius imago, ac tacita diffinitio exprimat. In quam subinde sententiam ser. 2. de Circumcisione, pulchrè premit verbum *vocandi*, quo vsus est Lucas c. 2. 21. cùm dixit, Luc. 2. 21.
vocatum est nomen eius Iesus, ad hūc modū: *Vocatum planè, non impositum, nempe hoc ei nomen est ab æterno, à natura propria habet, vt sit Saluator, innatum est ei nomen hoc, non inditum ab humana, vel Angelica creatura.* Sic Bernard. Qua inter alias de causa Christus IESVS à Paulo *imago Dei inuisibilis* (Græcè, inuisi) appellatur ad Colos. 1. 15. & 2. ad Cor. 4. 4. (vbi in Ad Colos. 1. 15.
Gręcis Codicibus etiā additur vox, *inuisibilis*,) quod 2. ad Cor. 4. 4.
in ipso ineffabilis Dei bonitas, atque eius natura ad benefaciendum summè prona, suis coloribus velut in speculo, aut imagine expressa resplendeat.
Quo sensu ad Titū 3. 4. dixit idem Apostolus: *Be-* Ad Tit. 3. 4.
nignitas, & humanitas apparuit Saluatoris nostri Dei,
siue, vt significanter lectio Syriae, *patefacta est*: qua- Lect. Syr.
si in Christo incredibilis Dei beneficētia, & in hominum genus beneuolentia, maximè nobis innotuerit. Vnde Ambros. lib. de Ioseph. cap. vlt. Christū Ambros.
diuinitatis interpretē appellauit: pulchrè quidem, cùm ipse immensum diuinæ bonitatis pelagus, hominibus non plenè notum, aduentu suo manifestum reddiderit. Sed hac de re plura sunt in adnotationibus dicenda.

Vides modò IESVM iuxta suum nomen, fidum diuinitatis interpretem; vt hinc noueris optimo ipsi 25.
merito hoc nomen, tāquam proprium, ac peculiare (quod notauit August. tract. 3. in Epist. Ioan.)
conuenire, cùm ad omnes Sanctissimæ Triadis August.
personas, salutem etiam conferre spectet, quod nimirum beneficentissimam ille Dei naturam nobis fuerit interpretatus, aspectabilémque in seipso reddiderit. Vnde & illud etiam facilè obserues, ad rectam nominum rationem, ac normam, quæ rerum, quarum sunt, naturam, & essentiam debent exprimere, (vt dicebat Plato) Christum Saluatoris potiùs nomine, quàm Iudicis compellari voluisse, quamuis singillatim *constitutus sit à Deo Iudex viuorum &*
mortuorum, Act. 10. 42. Ioannísque 5. 22. *Pater non* Act. 10. 42.
iudicat quemquam, sed omne iudicium dedit Filio: & re- Ioan. 5. 22.
apse omnes iudicaturus, non omnes efficaciter saluaturus aduenit. *Multi enim sunt vocati, pauci verò electi.* Sanè cùm Dei Filius, quà Filius Dei est, eius imago, ac speculum sit, ipsius naturam, quæ ad saluandum hominem, eique opem ferendam, potiùs quàm ad iudicandum, & vlciscēdum procliuis est, in se repræsentare, & nobis in conspectu ponere, illi competit: ac proinde ad ipsum, quà Dei Filius est, Saluatoris, nō Iudicis nomen propriè pertinet. Certè hac ratione, & à Salomone Sap. 7. 26. non iusti- Sap. 7. 26.
tiæ, aut alterius attributi, sed diuinæ tantū bonitatis signatè imago appellatur. Et à Cyr. Alex. lib. 2. Cyr. Alex.
in Ioan. c. 52. optimè adnotatur, illam Christi Domini ad Nicodemū sententiā Ioan. 3. 17. *Non enim* Ioan. 3. 17.
misit Deus Filium suum in mundum, vt iudicet mundum, sed vt saluetur mundus per ipsum; præcedenti versu 14. *Sicut Moyses exaltauit serpentem in deserto*, eleganter contrapositam: vt Christus à Moyse maximè se differre affirmet, quod ille, quà Dei famulus, ad legem ferendam; ipse verò quà Dei Filius, ad salutem homini præstandam, mortémque pro ipso obeundam venerit. Audi illum: *Quoniam Filium Dei se liquidò nuncupauit, idcirco à qualitate, magnitudinéque rerum, quasi firmissimo quodam testimonio id comprobat. Non enim, inquit, missus sum, vt lege orbem terrarum, quemadmodum Moyses damnem, nec vt mandata in redargutionem peccatorum tradam, nec vt seruili ministerio fungar; verum vt per misericordiam Deo conuenientem, tamquam filius, ac hæres Patris, à seruitute homines vindicem, damnatæ*

lege

lege in iustificantem gratiam commutata, & sic à peccatorum vinculis genus humanum eripiam. Ad saluandum ergo, non ad damnandum veni. Nam vt decens erat, inquit, damnantis legis Moysem, qui seruus erat, ministrum fuisse: sic me decet, cùm sim Filius Dei, à maledictione legis orbem liberare, & misericordiæ cumulo ægritudinem mundi curare. Hæc Cyrillus.

26. Quò etiam facit similis Assertoris increpatio, qua discipulos ad igneam de Samaritanis vindictam sumendam anhelantes compescuit, apud Luc. Luc. 9.55. 9.55. Etenim illis dicentibus: *Domine, vis dicimus, vt ignis descendat de cælo, & consumat illos? conuersus* (inquit Lucas) *increpauit illos dicens: Nescitis, cuius spiritus estis; filius hominis non venit animas perdere, sed saluare.* Quibus verbis, vt bene ibi ex Hieron. Hierony. Maldon. pendit Maldonat. Filij Dei spiritum, & ingenium spiritui Eliæ, qui ignem de cœlo non semel ad Pētecontarchos militum absumendos deduxit, notāter opposuit, quasi iustitiæ seueritas Eliam, mansuetudo verò, lenitas, & maior ad benefaciendū, quàm ad vlciscendum propensio, Dei Filium maximè deceret. Tertul. Similis huic Tertul. obseruatio est lib. 4. in Marc. cap. 6. ex occasione verborum Christi apud Luc. 4.34. Luc. 4.34. cùm ad impurissimū spiritum cōclamantem: *Quid nobis, & tibi Iesu filj Dauid? venisti perdere nos?* magna ipse maiestate respondit, *obmutesce:* quod videlicet malignis dæmon verbis Christum non tam Dei optimi, & saluare cupientis, quàm sæui, & vltoris Dei Filium ad vindictam potiùs de dæmonibus sumendam, quàm ad salutem homini ferendam, missum inuidiosè prædicaret. *Nec enim dixit* (inquit Tertul.) *quid tibi, & nobis? sed, quid nobis, & tibi? se deplorans, sorti suæ exprobrans, quam iam videns adijcit, venisti perdere nos? adeò Iudicis, & vltoris, & vt ita dixerim, sæui Dei Filium agnouerat Iesum, non optimi illius, & perdere, & punire nescientis.* Ita Tertullianus. Plura in adnotationes, vbi propria sedes, transmitto; hæc tamen omittere nolui, quod cùm nominis IESV propria esse videantur, ad ipsius charitatem, & exaltationem, de qua Paulus agit, maximè pertineant. Iam ad sequentia.

Omne genu flectatur.

27. Opportunè tantæ diuinæ benignitatis, & humanitatis magnitudini, & maiestati summam omnium creaturarum, supremorúmque spirituum summissionem, atque reuerentiam genuum flexione, atque incuruatione expressam subiecit Paulus, vt ostenderet, quàm efficax ad flectendos hominum animos, & ad se rapiendos fuerit benignitas, & humanitas Saluatoris nostri Dei: & vt altissima flumina minimo sonitu perfluunt, & sublabuntur, ita dum Dei Verbum, *sicut pluuia in vellus, & sicut* Psal. 71. 6. *stillicidia stillantia super terram descendit,* Psalm. 71. 6. multo maiorem sui reuerentiam, atque timorem humanis animis incussisse. Vnde disertissimè Isaias Isai. 45. 23. cap. 45.23. ad quem manifestè Paulus allusit, vt S. S. Thom. Thom. & alij interpretes adnotarunt, sub Domini persona sic loquitur: *In memetipso iuraui, egredietur de ore meo iustitiæ verbum, & non reuertetur* (scilicet *vacuum*, vt ex alio loco supplendum constat) *quia mihi curuabitur omne genu, & iurabit omnis lingua.* August. Certè Augustinus lib. 3. Confess. cap. 4. de seipso tam hæresibus infecto, quàm vitiis implicito, ingenuè fatetur, ab hoc solum nomine IESV in amorem, & reuerentiam rapi solitum, sic enim ille: *Hoc nomen Saluatoris mei Filij tui, in ipso adhuc lacte matris tenerum cor meum piè biberat, & altè retinebat, & quidquid sine hoc nomine fuisset, quamuis literatum, & expolitum, & veridicum, non me totum rapiebat.* Vt (quod transiens dixerim) vel hinc norint Principes, adeò ob humanitatem, & benignitatem non contemni, siue è regio fastigio descendere, vt hinc potissimum subditis multo magis venerandi, atque colendi reddantur.

Sed de Pauli verbis, & sensu satis ex superioribus constat; 28. præsertim ex numer. 14. vbi totidem fermè verbis hanc sententiam à Ioanne sic scriptam vidimus Apocalyp. 5.13. Apo. 5. 13. *Et omnem creaturam, quæ in cælo est,* (cœlestium) *& super terram* (terrestrium, est enim Græcè ἐπιγείων, Syriacè, *eorum, qui in terra sunt*) *& sub terra,* (infernorum, Græcè enim scripsit Paulus καταχθονίων, *subterraneorum,* Syrus verò, *qui sub terra degunt*) *& quæ sunt in mari, & quæ in eo, omnes audiui dicentes: Sedenti in throno, & Agno, benedictio, & honor, & gloria, & potestas, in sæcula sæculorum.* Bene autem ea Ioannis verba cum his Pauli hærent, vt ex vtrisque appareat de manifestatione diuinitatis, & externa nominis Filij Dei claritate, quam morte sua Christus commeruit, sermonem esse; hæc enim ea adoratio, siue genuflexio, de qua Paulus, necnon gloria, atque honor Agno adscriptus signatè sunt. *Honor* siquidem, vt à Sancto Thoma definitur 2.2. quæstione 103. art. 1. & 2. S. Thom. *est testificatio excellentiæ alicuius,* hoc est, externa quædam reuerentia, peculiarisq; cultus, qui præstans, & magnus existimatur, ei adhibitus. Vnde bene circa hæc S. Thomæ verba monuit noster Leonardus Lessius lib. 2. de iustit. & iure, cap. 11. dubit. 1. num. Lessius. 2. honorem immediatè esse testificationem nostræ opinionis de excellentia alterius, cum quadam nostri summissione, mediatè verò ipsiusmet excellentiæ. Nec his Pauli, & Ioannis locis illustrandis, honorique Agno exhibito, siue genuflexioni in nomine IESV factæ explicandis minus opportuna sunt, quæ de honore, & Aristoteles lib. 1. Rhetor. Aristot. Xenoph. ad Theodect. & Xenophon in Hierone conscripsere; sic enim prior: *Honoris partes sunt sacra memorationes, decantationes carminum, aut soluta orationis ad laudem recitatio, præmia, delubra, vel primi consessus, sepulchra, imagines, publici victus. Adhuc etiam barbara, vt inclinari, loco cedere, munera quoque, sed alia apud alios honoratiora.* Vberiùs Xenophon ad hunc modum: *Etenim cùm homines sic affecti sunt, vt existiment virum idoneum qui possit benefacere, rati se illius frui bonis, postea hunc in ore habent, vehementer laudibus eum, quem spectant, non aliter quàm si suum quisque bonum intueretur, ac sponte decedunt de via, sponte assurgunt amantes, non metuentes, coronantque ob virtutem, & benefacta erga Rempublicam, muneribusque honorare cupiunt; hi demum mihi videntur eum, & honorare verè, quicumque talia præstant officia, & qui his se dignum reddit, re vera videtur honorari.* Hactenus ille.

Ergo affirmat Apostolus, ita Christum IESVM 29. post Passionem suam à summo Patre exaltatum, & ad honores prouectum, vt in nomine ipsius, non non modò quà Verbum est Patris, sed etiam quà IESVS, iste, scilicet, homo, vt ad sequentia verba inquit S. Thom. & eò quidem Pauli institutum, & mens tendit, nec alia vis inest huic repetitioni, siue reflexioni, *vt in nomine Iesu,* &c. omnes creaturæ, imò ipsimet etiam cœlestes spiritus incuruentur, & inflectantur, summam ipsi reuerentiam, & adorationem omnimodis exhibentes. Ita S. Gaudentius S. Gaudent. superiùs adductus, in responsione ad Paul. Diacon. siue sermone 19. ad Neophytos (vtroque enim modo solet is tractatus inscribi) inquiens: *Vt in nomine Iesu, Dei quippe, & hominis, omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur, & c. id est, vt post Passionis mysterium, & Ascensionis triumphum, iam totus Dei Filius cum eo, quod pro*

nobis dignatus est assumere, in gloria Dei Patris, in diuinitate, scilicet, naturæ suæ manens, ab vniuersis cælestium, terrestrium, & infernorum virtutibus adoretur. *Athan.* Ad quem etiam modum Athanas. citata orat. 2. aduersus Arian. *Non enim diminutum est Verbum carnem assumendo, vt gratiam quoque desideraret accipere; sed potiùs deificauit quod induerat, & idipsum humano generi superaddidit, vt quemadmodum semper adorabatur quatenus Verbum erat, & in forma Dei existebat; ita quoque ille idem iam homo factus, & Iesus appellatus, nihilominus haberet omnem creaturam pedibus suis subiectam, sibique in suo nomine genua flectentem, paritérque confitentem Verbum carnem factum, mortemque in carne sustinuisse, non ad ignominiam Deitatis, sed ad gloriam Dei Patris.* Ita ille. Quò etiam refero, quæ *Cyril. Alex.* ad hunc modum scripsit Cyril. Alexand. lib. 11. in Ioan. cap. 15. *Cum sponte obsecutus Patri homo factus sit, qui omnia possidet vt Deus, omnia recipit vt homo, cui regnare aduentitium est, non naturale.* & postmodum: *Igitur vt homo Princeps noster constitutus omnis carnis potestatem accepisse dicitur.* Hæc ibi Cyril. & similia lib. 3. in Ioannem cap. 2.

30. *Psal. 2. 8. Hilar.* Componit verò hunc Pauli locum cum illo Dauidis Psal. 2. 8. *Dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ*, Hilarius inibi, dum priùs in his Vatis verbis obseruat, non leue inter primum, & secundum dicendi modum interesse discrimen, cùm aliud gentes, siue terra, aliud terræ termini quibus ipsa circumscribitur, & continetur, esse videatur: vnde per gentes, terrenas omnes creaturas, per terminos terræ, cœlestia, & inferna, ex Pauli mente, ad hunc modum intelligit. *In eo autem, quod subiectum est*, & possessionem tuam terminos terræ, *non est existimandum, quod id ipsum repetitus sermo significet, tamquam illi sola gentium terras inhabitantium donata possessio sit. Non enim ait, & possessionem tuam vsque ad terminos terræ; ab eo autem quod terminatur, id quod terminat differt: neque id ipsum finitum est, atque finire; neque vnum est, modum sumere, atque moderari, quorum aliud interiùs modus accipit, aliud exteriùs quodam ambitu suo obiectum moderatur.* Quare post nonnulla sic subdit: *Accepit deinde possessionem finium terræ, id est*, vt in nomine Iesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, & infernorum. *Non terra solùm, sed superna etiam infernaque donantur, & ea quibus terra concluditur.* Hactenus Hilarius.

Cœlestium.

31. *Athan.* PErgit ibidem Athanasius: *Gloria enim nostra est, nostraque sublimatio, quod cùm Potestates, Angeli, Archangeli eum semper adorauerint, nunc adorent sub nomine Iesu Christi, eo quod Filius Dei homo sit factus.* *Cyr. Alex. Abac. 3. 3.* Similiter Cyrillus Alexandrinus in Canticum Abacuc, tam ea Prophetæ verba, *operuit cœlos virtus eius, & laudis eius plena est terra*: quàm illa Pauli ad *Ad Hebr. 2. 9.* Hebr. 2. 9. *Eum autem, qui modico quàm Angeli minoratus est, videmus Iesum propter passionem mortis, gloria & honore coronatum*; cum his quæ explicamus, ad hunc modum componens. *Fidem adstruit Paulus sapientissimus*, Eum autem, *inquit*, qui modico quàm Angeli minoratus est, videmus Iesum propter passionem mortis, gloria, & honore coronatum. *Quoniam verò* factus est obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis, propter hoc Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen, quod est super omne nomen, vt in nomine Iesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, &c. *Verus igitur erit Propheta dum dicit:* operuit cœlos virtus eius, & laudis eius plena est terra. *Qui enim sanctam ciuitatem habitant, & in supernis mansionibus degunt, omnes sunt administratorij spiritus, missi in ministerium propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis: ille verò in solio Deitatis collocatus est, & nulli eorum à Deo & Patre dictum est:* Filius meus es tu, *cùm hunc, & Filium confiteatur, & dilectum vocet, & Assessorem habeat, quo cum collaudatur, & veneratur.* Quæ statim ex visione Isai. cap. 6. 2. ita confirmat. *Isai. 6. 2.* *Operuit cœlos virtus eius; hoc quoque & ipsa sancta Seraphim diuinum eius thronum circumstantia, & honorificis acclamationibus vt Dominum Sabaoth, & vniuersorum Deum meritò, ac iure venerantia, manifestè proclamarunt ipsius enim laudis plenos esse cœlos, & terram dicebant.* Hactenus ex Cyrillo.

Terrestrium.

NOn est cur hic in celebri ea quæstione de regno Christi longiùs diuagemur: adeat, qui volet, hac de re Eusebium Cæsariensem lib. 7. demonstrat. Euangelic. Cyrillum Alexandr. lib. 12. in Ioan. cap. 10. 11. & 12. Irenæum lib. 4. cap. 17. Damascen. orat. 2. de Natiuitate Virginis. Cyprian. aduersus Iudæos cap. 26. Hilarium ad id Psal. 2. *Ego autem constitutus sum Rex ab eo.* August. tractat. 50. & 115. in Ioan. & lib. 17. de Ciuitate Dei c. 7. Hierony. lib. 4. in Ieremiam, cap. 22. Ambros. lib. 3. in Luc. Ego Bernardi solùm verba, quæ pro multis aliis sunt, appingam; lib. enim 3. de Consideratione ad Eugenium cap. 1. dum id Psal. 49. 13. *Meus est enim orbis terræ*: necnon & illud Psal. 2. 8. *& possessionem tuam terminos terræ*, de regno Christi luculenter capit, sic inquit. *Hic est qui possessionem sibi vendicat, & iure creationis, & merito redemptionis, & dono Patris. Cui enim alteri dictum est*, Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ? *Possessionem, & dominium cede huic, tu curam illius habe.* Ita Bernardus. 32. *Euse. Cæs. Cyril. Alex. Irenæus. Damasc. Cyprianus. Hilarius. August. Hierony. Ambros. Psal 49. 13. Psal. 2. 8. Bernard.*

Ad confessionem verò Christo ab omnibus hominibus exhibitam, honoremque ipsius nomini delatum, opportuna sunt, quæ habet Tertullianus libro contra Iudæos, cap. 7. dum de Christo illud summi Patris apud Isaiam cap. 45. 1. *Hæc dicit Dominus Christo meo Cyro, cuius apprehendi dexteram, vt subijciam ante faciem eius gentes, & dorsa Regum vertam, & aperiam coram eo ianuas, & portæ non claudentur*, sic capit, & elucidat. *Cui enim dexteram tenet Pater Deus, nisi Christo Filio suo, quem exaudierunt omnes gentes, id est, cui omnes gentes crediderunt?* & post nonnulla: *In quibus omnibus locus Christi nomen, qui iam venit, regnat, vtpote ante quem omnium ciuitatum portæ sunt apertæ, & cui nullæ sunt clausæ, ante quem seræ ferreæ sunt comminutæ, & valuæ æreæ sunt apertæ; quamquam ista spiritualiter sint intelligenda, quò præcordia singulorum varijs modis à diabolo obsessa, fide Christi sint reserata; attamen perspicuè sunt adimpleta, vtpote in quibus omnibus locis populus nominis Christi inhabitet.* Et post alia in eandem sententiam subiicit: *Christi autem regnum, & nomen vbiq; porrigitur, vbique creditur, ab omnibus gentibus suprà enumeratis colitur, vbique regnat, vbique adoratur.* Nec minus luculenter Iulius Firmic. Maternus lib. de mysteriis, & error. prophan. religion. ad Cõstantium, & Constantem Augustos, c. 21. vbi cùm in hanc rem, egregiam Danielis visionem de lapide sine manibus præciso statuam labefactante, totamque terram implente, pulchrè elucidasset, subiicit: *Quis locus in terra est, quem non Christi possederit nomen? Quà Sol oritur, quà occidit, quà erigitur Septentrio, quà vergit Auster, totum venerandi numinis maiestas impleuit; & licèt adhuc in quibusdam regionibus idololatriæ morientia palpitent membra, tamen in eo res est, vt è Christianis omnibus terris pestiferum hoc malum penitus amputetur.* Ita ille. 33. *Tertul. Isai 45. 1. Iul. Firm.*

Et

Et infernorum.

34. Anselm. BEne Anselmus, *id est, dæmonum, quia & ipsi tremunt sub eius imperio, & penitus subijciuntur. Non quod Angeli, vel dæmones habeant, vt nos genua, quæ flectant, sed per simile dictum est: dum enim videmus aliquem genua flectere alicui, credimus illum exhibere humilitatem, & venerationem ei, ante quem genua flectit. Sic cœlestia, & terrestria, id est, beati Angeli, & sancti homines, omni affectu pia humilitatis Christo se libenter subijciunt: inferna quoque, id est, dæmones, vt nequissimi serui tremunt sub eius dominio, & sese subiectos metu cogente fatentur, sed & praui homines, vel in fine subiectos ei se animaduertent.* Similia habet Sanctus Thom. in commentario. Adde verò Gregorium Nazianzenum in Apolog. dicentem: *Ac dæmones quidem etiam nunc vocato Christo contremiscunt, nec ob nostram improbitatem huius nominis vis imminuta, & extincta est.* Neenon Hilarium in Psalm. 68. cum hoc Pauli tractu componentem illa Psal. 68. 35. verba: *Laudent illum cœli, & terra, mare, & omnia reptilia* (siue, vt ipse legit, *repentia*) *in eis*; & extrema hæc de immundis spiritibus sic accipientem: *Sub horum elementorum commemoratione, creaturarum omnium liberandarum sensum, mentemque significans, vt dum cœlum, & terra, & mare dicitur, cognoscantur Domino Iesu Christo cœlestia, & terrestria, & inferna genu flectere. In his enim, quæ in mari repunt (cùm tamen in aquatilibus natatus magis fit ex natura, quàm reptio) ea quæ in inferis degunt, docentur, cùm profundum maris, sedem intelligamus inferni.*

S.Thom. Nazianz.

Hilar. Psal. 68. 35.

35. Sed & iudiciariam in omnes creaturas potestatem ob crucis, ac mortis suæ meritum Christo à Deo Patre fuisse delatam, non abs re ex his verbis eruat non nemo, dum notanter Paulus obsequij, & reuerentiæ, quæ genuflexo exhibetur (quod reorum proprium est) mentionem fecit. Huic autem veritati confirmandæ opportunè à Vigilio lib. 13. contra Eutychetem, & à S. Thom. & Scholasticis in 3. part. quæst. 59. art. 3. illud affertur ex Ioan. cap. 5. 27. *Dedit ei iudicium facere, quia filius hominis est.* Quod egregiè explicat Maldonatus in commentario ibi, & Vazquez ad eum S. Thom. locum; vellem tamen, vt plusculum premeret vterque causalem illam, *quia filius hominis est*, sub eo sensu, vt in præmium carnis passibilis, & quod ei, qui *cùm in forma Dei esset, exinaniuit semetipsum*, subtrahens hominum aspectui gloriam suam, & extrinsecus non Dei, sed serui formam ostendens, hæc iudiciaria potestas fuerit delata: is enim, opinor, germanus illius loci sensus est. Adducunt etiam pro hac re Scholastici cum S. Thom. quæst. 99. art. 3. illud Iob. 36. *Causa tua tanquam impij iudicata est, causam iudiciumque recipies.* Quæ verba nonnihil illustrantur ex illis Christi verbis iniuriam patientis, & iniquè iudicati apud Caïpham: *A modò videbitis filium hominis sedentem à dextris virtutis Dei, & venientem in nubibus cœli.* Quæ nos in hunc sensum explicauimus vers. 6. adnot. 5. n. 1. & inferiùs adnot. 1. num. 3. Sed, vt nostra fert opinio, hoc iudicandi munus Christo à Patre delatum, opportuniùs ex verbis sequentibus iuxta Græcam lectionem expensis eliciemus.

Vigil. S.Thom.

Ioan. 5. 27. Maldon. Vasq.

Et omnis lingua.

36. Greg. Nyss. Psal. 150. ET de Angelica quidem lingua humanæ coniũcta, pulchrè accepit Gregor. Nyssenus tractat. 1. in Psal. c. 9. illud Psal. 150. *Laudate Dominum in cymbalis bene sonantibus*, hunc in modum. *Cymbalum vnũ est cælestis illa Angelorum natura, alterum cymbalum est rationalis hominum creatura. Sed peccatum hanc ab illa separauit, quas cùm denuò Dei benignitas copulauerit, tunc resonabit vtraque in vnum iam conflata, hymnum illum, quia, vt magnus ait Apostolus, omnis lingua confitebitur cœlestium, terrestrium, & infernorum, Christum esse in gloria Dei Patris.* Hæc Nyssenus. Pulchrè verò Venerab. Galfridus in allegoriis Gotfridi, ad cap. 23. Luc. hæc Pauli verba Galfrid. cum illis Lucæ cap. 23. 38. de Titulo Crucis; *Erat* Luc. 23. 38 *autem superscriptio scripta super illum literis Hebraicè, Græcè, & Latinè*, componit, obseruans Hebraïcam modò Christi laudibus parcere, sed pro illa parietis lapides conclamare. Audi: *Scriptus est olim Titulus Crucis literis Hebraicè, Græcè, & Latinè, quod vnum hoc lignum salutem omnibus ministraret, quibus illa quondam transgressionis arbor damnationem mortis intulerat. Nunc autem vbi est lingua tertia, lingua, videlicet, Hebræorum? Numquid non Christum exaltauit Pater, vt omnis lingua confiteatur illum? Heu Hebræa hodie lingua à laude conditoris sola silet, quæ tuas aliquando laudes soluere Domine solebat. Impletum est, quod dictum est de pueris Hebræorum:* Si ipsi tacuerint, lapides clamabunt. Ita Galfrid. Bene, *si ipsi tacuerint, lapides clamabunt.* Etenim non de Græcis, siue Romanis tantùm, qui sapientes, & culti habebantur, sed de ipsismet barbaris gentibus, quas in Scripturis lapides appellari alibi video, sic eleganter aduersus Iudæos Tertullian. *In quem enim alium* Tertul. *vniuersæ gentes crediderunt, nisi in Christum, qui iam venit? Cui enim & aliæ gentes crediderunt? Parthi, Medi, Elamitæ, & qui inhabitant Mesopotamiam, Armeniam, Phrygiam, Cappadociam, & incolentes Pontum, & Asiam, & Pamphyliam immorantes Ægyptum, & regionem Africæ, quæ est trans Cyrenem inhabitantes Romani, & incolæ, tunc & in Ierusalem Iudæi, & cæteræ gentes, vt iam Getulorum varietates, & Maurorum multi fines, Hispaniarum omnes termini, & Galliarum diuersæ nationes, & Britannorum inaccessa Romanis loca, Christo verò subdita, & Sarmatarum, & Dacorum, & Germanorum, & Scytharum, & abditarum multarum gentium, & prouinciarum, & insularum multarum nobis ignotarum, & quæ numerare minus possumus, in quibus omnibus locis Christi nomen, qui iam venit, regnat.* Hactenus Tertullianus.

Confiteatur.

INest peculiaris vis, & acumen Græco verbo, ἐξομολογήσηται, quod nostro *confiteatur*, respondet; 37. Græ Lect. propriè enim significat, *cum gratiarum actione suffragium fero*, siue *approbo*: vt appareat, hanc omnis nationis, gentis, atque linguæ confessionem tam cum peculiari approbatione, & plausu, quàm cum ingentium gratiarum actione fieri, quasi omnium creaturarum suffragio ob crucem, & mortem suam in gloria Dei Patris Christus sit: ad eum modum, quo Apocalyps. 5. 11. (vt sæpiùs inculcauimus) di- Apoc. 5. 11. cebatur: *Dignus est Agnus, qui occisus est* (id est, quia occisus est) *accipere virtutem, & diuinitatem*, &c. Quid verò fuerit, *in gloria Patris* esse, iam dico.

Quia Dominus Iesus Christus in gloria est Dei Patris.

ITa omnino apud Latinos Codices legitur, om- 38. nibus etiam Latinis Patribus consentientibus, multo tamen aliter Græcè habetur, nimirum, ὅτι κύριος Ἰησοῦς χριστὸς εἰς δόξαν θεοῦ πατρός: id est, verbo ad verbum, *quod Dominus Iesus Christus in gloriam Patris.* Quæ sensui intentus sic commodè vertas: *quod Iesus Christus est Dominus, & hoc ad gloriam Patris.* Quam sanè lectionem omnis Græca antiquitas

quitas retinuit. Dum verò neutri lectioni fore
præiudicandum censent, quotquot nunc bene sa-
piunt, vtramque pensiculariùs persequi, & elucida-
re erit operæpretium.

39. Et vt à nostro incipiam, haud ita facilè explices,
quid sit Iesum Christum in gloria Dei Patris esse.
An æterna ipsum beatitudine potiri, insignémque,
ac supremum inibi locum habere? Bene: sed
quorsum? Scilicet, adeò obscurum id, & creditu
difficile erat, vt Paulum fideiussorem desideraret.
Ergo hanc Pauli locutionem esse eandem cum il-
Ad Rom. 8. la, qua ab eodem Apostolo ad Rom. 8. 34. & ad
34. Ephes. 1. 20. ad Hebr. 1. 5. necnon à Petro Epist. 1.
Ad Ephes. cap. 3. 22. & à Marco cap. 15. 19. ad dexteram Pa-
1. 20. tris sedere dicitur, frequentior interpretum respõ-
Ad Hebr. sio est. Verissimè quidem: verùm non immeritò
1. 5. hic ex Græca parœmia illud vsurpes, *indidem sumus*;
1. Pet. 3. 22. nec enim minus fuerit difficile statuere, quid hæc
Mar. 15. 19. Patris dextera significet, cùm adhuc inter Patres
de hoc omnino non conueniat. Sed vt ea solùm
quæ huic Pauli phrasi, quam in manibus habemus,
opportunissima sunt, afferam, per Patris dexteram
significari eandem cum ipso dignitatem, & hono-
rem, æqualisque maiestatis, ac principatus consor-
tem Christum esse, plures ex Græcis, atque Latinis
censent. Appingo nonnullos, sic enim in primis lo-
Basil. quitur Basilius lib. 1. aduersus Eunomium: *Prate-
rea si Dei, vt nos quidem credimus, dignitatis nomen
est, a dextris determinata Filio Patris sedes, quid aliud,*
Athan. *quam dignitatis aqualitatem significat?* Athanasius
orat. 2. contr. Arian. *& ad dexteram sedens, non ad si-
nistram sedentem Patrem habet, sed ideo hoc dictum,
quia quod dextrum, ac magnificum est, ac Patri adscri-
Ambros. bitur, hoc ipsum quoque Filius habeat.* Ambrosius in
id ad Roman. 8. 34. *Qui est in dextera Dei, hoc est, in
honore quo Deus est.* Et in similia verba ad Hebr. 1.
5. *Per dexteram non corporaliter deformauit, sed ma-
gnitudinem demonstrauit honoris*, &c. *Consessus enim
nihil demonstrat aliud nisi honoris aqualitatem, si enim
minorationem vellet ostendere, nunquam diceret, ad de-
Maxim. xteram, sed potiùs ad sinistram eum sedere.* Maximus
(siue idem Ambros.) serm. 60. *Nec mirum si vnius
sedis offertur Filio consessus à Patre, qui vnius est sub-
stantia, & natura cum Patre. Cur autem ad dexteram
Filius esse dicatur, moneat aliquem fortasse. Licèt enim
dignitatis gradus non sit, vbi plenitudo diuinitatis est,
tamen ideo ad dextram sedet Filius, non quò praferatur
Remig. Patri, sed ne inferior esse credatur.* Remigius ad ver-
ba Psal. 109. *sede à dextris meis*, apud S. Thom. in
Catena, ad eadem verba à Christo Domino allata,
Mat. 22. 44. Matthæi 22. 44. *Quod dicitur, sede à dextris meis, non
intelligendum est, quod Deus corporeus sit, vt dexteram,
aut sinistram habeat, sed à dextris Dei sedere est, in
Damasc. honore, & aqualitate paterna dignitatis manere.* Da-
mascenus lib. 4. de fide, cap. 2. *Per paterna dextera
vocabulum nihil aliud significamus, quàm diuinitatis
honorem atque gloriam, in qua cùm Dei Filius, vt Deus,
eiusdemque cum Patre substantia, ante secula esset, ad
extremum incarnatus, corporeoque modo considet, in
eandem, nimirum, gloriam ascita ipsius carne; vna ete-
nim eademque cum sua carne adoratione ab omnibus re-
Bernard. bus conditis afficitur.* Bern. ser. 76. in Cantica: *Tem-
pus est, vt iam in suum se recipiat. Quaris, in quem suum?
In dexteram Patris*, &c. *Sedeat sanè iuxta, non infra,
vt omnes honorificent Filium, sicut honorificant Pa-
Oecumen. trem.* Oecumenius in id ad Hebr. 12. 2. *aspicientes
in auctorem fidei, & consummatorem Iesum, qui proposi-
to sibi gaudio sustinuit crucem, confusione contempta,
& ad dexteram Dei sedet. Dextera autem, & cathedra
demonstrat honoris aqualitatem.*

40. Quæ sanè si his Pauli verbis, *in gloria est Dei Pa-
tris*, accommodas, sic inde illa explicantur, vt omnis
gens, ac natio toto terrarum orbe diffusa prædicet
Christum, hominem verum, & Virginis Filium, ve-
rum Deum, & Deo Patri planè æqualem esse, &
ab ipso maiestate, & potestate nihil differre. Ita in
primis S. Thom. in comment. qui cùm id, *Domi-
nus Iesus*, explicuisset, *iste, scilicet, homo*, sic obseruat, S. Thom.
non dixisse Paulum in simili gloria, quod vna, atque
eadem Christi, ac Patris gloria, & maiestas sit. *Non
dicit in simili gloria, quia in eadem.* Ioan. 5. 23. *Omnes
honorificẽt Filium, sicut honorificant Patrem.* Similiter Ioan. 5. 23.
Leo serm. 8. de Epiphania Domini: *Quia sicut Apo-
stolus ait*, Dominus Iesus Christus in gloria est Leo Magn.
Dei Patris, *vt quem venerabatur in cunis humiliter
iacentem, ipsum sine diffidentia adoret cum Patre re-
gnantem.* Quo sensu capiendus Hilarius in Psal.
68. cùm inquit: *omnis lingua confitebitur*, quia Domi- Hilar.
nus Iesus in gloria Dei Patris est: *id est, susceptus ho-
mo in naturam diuinitatis acceptus.* Euoluunt hæc sa-
pienter Gaudentius, & Ambrosius Christi diuini-
tatem, & consubstantialitatẽ cum Patre mirificè ex Ambros.
hoc loco adstruentes; sic enim in commentario Gaudent.
Ambros. *Consideremus nunc dicta, & sic aduertamus
vim locutionis. Certè nomen quod super omne nomen
est, Dei nomen est. Sed si per naturam non constat hoc
nomen, non est super omne nomen, appellatiuum enim
nomen in solo vocabulo est, non in nobilitate natura, &
adoptiuo Deo non flectit creatura genu, sed vero, non
concreatura. Et quomodo fieri potest, vt homo sit in glo-
ria Dei Patris? Etiamsi adoptiuus Deus sit homo, in
gloria Dei Patris non potest esse: nam ei hoc competit, qui
natus est de Deo. In gloria enim Dei Patris esse nihil
differre à Deo est, vt vna gloria sit Patris, & Filij per
cõmunem substantiam, & virtutẽ. Est enim hac vnitas
natura.* Nec minus enucleatè S. Gaudentius loco
sæpiùs citato, vbi post verba superiùs adducta hanc
Christi gloriam sic premit: *Priùs ergo quàm pateretur,
priusquam triumphata morte cælos victor ascenderet,
priusquam diuinitatis paterna in sinum cum tota qua
ex Virgine natus fuerat substantia remearet, priusquam
ab omni creatura rationabili cælestiũ, terrestrium, at-
que infernorum agnosceretur, atque adoraretur Domi-
nus Iesus in gloria Dei Patris, meritò discipulis dice-
bat*, Si diligeretis me, gauderetis vtique quod vado Ioan. 17. 5.
ad Patrem, quia Pater maior me est. *Erat enim mi-
nor adhuc in carne natus Filius Dei, donec in antiquam
gloriam suam suscepit hominis naturam; & ideo alibi ex
persona eius dicit ad Patrem*: Pater glorifica me ea
gloria, quam habui apud te metipsum priusquàm
hic mundus esset. *Vtique vt gloriam diuinitatis, quam
Deus apud Deum Patrem Filius semper habuerat, cum
tota natiuitatis corporea substantia possideret.*

Duo igitur, si attendis, in hac omnis gentis, ac 41.
linguæ cum approbatione, & suffragio facta con-
fessione Paulus innuit: alterũ, quod ad diuinitatis
manifestationem, & nominis illius claritatem, &
gloriam spectat, vt videlicet toto terrarum orbe
prædicetur, ipsum Dei Filium Patri in diuina natu-
ra æqualem esse; atq; hac ratione dicebat Ambros.
In gloria Dei Patris esse nihil differre à Deo est, vt vna Ambros.
*gloria sit Patris, & Filij per communem substantiam,
& virtutẽ.* Alterum, quod ad humanæ naturæ glo-
riam singillatim pertinet, nimirum, vt in ipsam ea
gloria, quam diuina natura semper habuit, deriua-
ta fuerit, dum ad Patris dexteram collocata est, *vt
quem venerabatur in cunis humiliter iacentem, ipsum
sine diffidentia adoret cũ Patre regnãtẽ.* Et vt de vna-
quaque re nonnihil singillatim dicamus, prælatam
suæ diuinitatis, & consubstantialitatis cum Patre
manifestationem ab ipso Christum postulasse apud
Ioan. 17. 5. verbis à Gaudentio modò adductis: *Et* Ioan. 17. 5.
*nunc clarifica me tu Pater apud temetipsum claritate,
quam habui priusquàm mundus fieret, apud te*; Theod. Theod.

Cyril.

Cyril. Alex. S. Thom. Maldon. Cyril. Alexandr. S. Thomas, & doctissimus Maldonatus ad id loci auctores sunt. Audi illos: & primò Theodoretum id Psalm. 92. 1. *Dominus regnauit, decorem indutus est*, sic explicantem. *Quoniam enim Christi crux tristis visa est ijs, qui fructum hinc oriturum sciebant, ita vt Vates exclamaret*: & vidimus ipsum, & non habebat speciem, neque decorem, sed species eius despecta, &c. *post verò in cœlos reditum radios Deo dignos misit; meritò Propheta exclamat*: Dominus regnauit, decorem indutus est. *Non enim quæ non habebat, assumpsit, sed quæ habebat, demonstrauit: eodem modo proprio Patri dicit*; Clarifica me Pater ea claritate, quam habui apud te priusquàm mundus fieret. Sic Theodoret. Verùm Cyrill. Alexandr. lib. 10. Thesauri c. 9. hæc verba sic pensiculatiùs explicat: *Quando igitur Filius dicit, doxason* (glorifica) *me tu Pater ea doxa* (gloria) *quam habebā antequam mundus esset, hoc apertè dicit: Quoniam ô Pater homo factus id solùm esse hominibus videor, nec cognitus sum coæternus tibi, doxason* (clarifica) *me, id est, talem opinionem, ac fidem hominibus de me largiaris, qualem haberent credentes me apud te semper fuisse, etiam antequam mundus esset; vt videlicet me Deum existiment, credantque esse secundum naturam lumen de lumine, Deum verum de Deo vero.* Ita Cyrillus. Nec contentus adeò expeditè hæc verba declarasse, suam statim explicationem ita confirmat. *Quod autem hic locus ita intelligendus sit, de sequentibus manifestum est, nam postquam hanc opinionem, existimationemque de se petit, vt Deus esse manifestetur, causam tulit dicens:* Quoniam ego nomen tuum hominibus manifestaui. *Si ergo petit, quod fecit, fecit autē ipse nomen Patris manifestū hominibus, nihil aliud certè petit, quàm vt homo hominibus Deus esse manifestaretur.* Ad quem modum Sanctus Thom. dum post citata verba sapienter monet, Apostolum, licèt in superioribus dixerit: *qui cum in forma Dei esset*, attamen hic non dixisse, *in forma*, sed *in gloria*, subdit. *Quia futurum erat, vt quod ab æterno habuit, omnibus innotesceret, vt Ioan. 17. 5.* Clarifica me tu Pater apud temetipsum claritate quam habui, priusquàm mundus fieret, apud te. Sic ille.

(Margin: Cyr. Alex.; S. Thom.)

42. Sed pro egregij huius Ioannis loci elucidatione, & præfata Patrum explicatione, non possum non obseruare adeò peculiarem, & sensus, & vocum affinitatem cum illo Salomonis de diuina Sapientia: *Vapor est enim virtutis Dei, & emanatio quædam est claritatis omnipotentis Dei sincera, & ideo nihil inquinatum in eam incurrit: candor est enim lucis æternæ, & speculum sine macula Dei maiestatis, & imago bonitatis illius*, Sapient. 7. 25. ipsum habere, vt vterque sese mutuò explicare, & mirificè illustrare videantur. Nam dum hæc Sapientiæ verba de Dei Filio, vt ab æterno Patre gignitur, communiter intelligunt Patres, Concil. nimirum, Toletanum XI. in proœmio, siue confessione fidei. Origen. lib. 1. Periarch. c. 2. Euseb. Cæsar. lib. 4. demonstr. Euang. c. 3. August. lib. 1. de Incarnat. Verbi, cap. 13. tom. 4. Ambros. lib. 1. Hexam. cap. 5. Greg. Nazianz. orat. 5. de Theolog. S. Phœbad. Gallicanus Episcop. lib. cont. Arian. claritatem, quam ipse apud Patrem se habuisse, dicit, antequam mundus fieret, non obscurè nobis ostendunt. Cùm verò hæc vtriusque loci collatio, & nostro instituto satis opportuna, & lectiori non iniucunda, siue ingrata futura sit; bona ipsius venia in ea tantisper immorari, & singula penè verba perpendere oportebit. Vnde primò obseruo, Filium Dei appellari à Salomone emanationem sinceram omnipotentis Dei, vbi pro, *sincera*, Græcè est εἰλικρινὴς, id est, (vt de hac voce diximus ad id cap. 1. vers. 10. *vt sitis sinceri*) *distincta, non permixta pura, mera, non fucata*, & vt vim vocis exprimam, *ad splendorem Solis examinata, & iudicata*; vt sensus sit, Sapientiam genitam à Deo Patre, emanationem quādam esse maiestatis Dei omnipotentis, non fucatam, vt imaginum, seu idolorum, quibus Regum potentissimorum maiestas fucatis quibusdam coloribus exprimitur, esse solet, ita vt non modò ad splendorem Solis, sed etiam ad exiguum lucernæ lumen facilè diiudicemus, quàm distet imago à vera illius viri maiestate; diuinam verò illam Sapiētiam adeò puram diuinæ maiestatis emanationem, siue imaginem esse, vt quantumuis ad splendorem Solis, id est, acerrimo iudicio, cum ipsomet omnipotente Deo conferatur, nihil minus illi claritatis, maiestatis, & gloriæ, quàm ei à quo emanat, subesse videris.

(Margin: Sap. 7. 25.; Conc. Tolet.; Origen.; Euse. Cæs.; August.; Ambros.; Nazianz.; Phœbad.; Græ. Lect.)

Deinde obserua peculiarē locutionē, qua Salomō dū de Filio à Patre emanāte sermonē instituit, Deū omnipotentem appellauit, cùm tamen id epitheton ad emanationem creaturarum ab ipso Deo, à cuius omnipotentia, in qua illæ continebantur, procedunt, potiùs videatur pertinere: Filius enim non procedit ab omnipotentia Patris, sed ab eius singulari potentia generatiua, quæ, vt ita dicam, non tam est omnipotens, quàm vnipotens in generando. Ego crediderim Salomonem non loqui de potentia, seu principio diuinæ huius emanationis (cùm id non sit omnipotentia Dei, vt probatum est) sed potiùs illo Dei omnipotentis epitheto maiestatem solùm augustissimam, quam refert, & exprimit is, qui nunc dicitur emanare ab illo Deo omnipotente, significare voluisse. Quo sensu proprissima est hæc locutio: nam Verbum non refert, nec exprimit paternitatem, aut vim generandi, quam habet solus Deus Pater, sed eius maiestatē, & gloriā, & totā eius diuinitatem, omnesq; perfectiones Deo, quà Deus est, dignas, & tribus personis communes. Quod fortè indicauit Origenes, dum præfato loco in hæc verba, explicans qua ratione Deus sit, ac dicatur omnipotens (licèt non qua ratione, aut quorsum his verbis dicatur) cùm dixisset: *Quemadmodum Pater non potest esse quis, si filius non sit, in quem exerceat potestatem*; subiungit: *& ideo vt omnipotens ostēdatur Deus, omnia ipsum* (formaliter, vel eminenter) *subsistere necesse est*. Quibus omnipotentiam Dei explicauit, per hoc, quod Deus subsistit omnia, ita vt epitheton, *omnipotens*, non modò referatur ad potentiam, qua Deus potest creare omnia possibilia, sed etiam ad radicem, siue quasi radicem eius omnipotentiæ, quæ nihil aliud est, quàm ipsa natura diuina, & omnes eius perfectiones absolutæ, in quibus omnia continentur formaliter, aut eminenter: eaque ratione Deus est omne ens, & eius emanatio perfecta, integra, & omnino vera, est ipsa Sapientia genita, referens in se omnes illas perfectiones absolutas, vt optimè docuit S. Thomas 1. p. q. 35. art. 2. vbi ait, secundum relationem non attendi similitudinem in diuinis, sed tantùm distinctionem; ita vt in absolutis similitudo, & æqualitas sit, & omnimoda identitas: in relationibus autem sit distinctio personarum. Fauet huic interpretationi Græca vox, quæ pro, *omnipotens*, est παντοκράτωρ, quæ propriè significat habentem vires, seu robur omne, valorem omnem, compotem rerum omnium, & nullius egentem, vt loquitur Propheta Psal. 15. 2. *Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges.* Sanè hinc Tertullianus in Apolog. cap. 21. ex egregiis Christi facinoribus, atque miraculis, haud difficilè eius diuinitatem, ipsumque Verbum Patris, Deique Sapientiam, atque virtutem odorari homines potuisse, si mens non læua fuisset,

(Margin: 43.; Origen.; S. Thom.; Psal. 15. 2.; Tertul.)

fuisset, sic sapienter contendit. *Quem igitur solum hominem modò præsumpserant de humilitate, sequebatur, vti magnum æstimaret de potestate, cùm ille verbo dæmonia de hominibus excuteret, cæcos rèluminaret, leprosos purgaret, paralyticos restringeret, mortuos denique verbo redderet vitæ, elementa ipsa famularet compescēs procellas, & freta ingrediens, ostendens se esse Verbum Dei, id est, λόγον, illud primordiale progenitum, virtute, & ratione comitatum, & spiritu instructum; eundem, qui verbo omnia, & faceret, & fecisset.* Hæc ille. Similia
Ambros. habet Ambrosius lib. 5. de fide cap. 3.

44. His quidem quæ sequuntur, *Candor est enim lucis æternæ, & speculum sine macula Dei maiestatis, & imago bonitatis illius*, mirificè quadrant. Nam cùm ex causali illa, *enim*, luce clariùs constet, præcedentium rationem, & confirmationem esse, inde fit, iis similitudinibus non modò vnam Patris, & Filij essentiam, sed eandem etiam omnipotentiam, & maiestatem, & in creaturis producendis, conseruandis muneribus, & gratia afficiendis bonitatem exprimi. Quare speculi, & imaginis metaphoram non eò refero, vt ipsa indicasse videatur Sapiens, id quod aiunt Theologi, ex intuitiua speculi visione, eum, qui se, ac speculum videt, sui ipsius imaginem producere, cùm ad id exprimendum speculi imago, & in eo se intuentis comparatio, non sit prorsus iusta: neque enim nos ex nostræ imaginis visione in speculo, producimus imaginem; Deus verò Pater ex intuitiua visione etiam imaginis Filij, ipsum producit. Sed potiùs eam speculi, & imaginis similitudinem reuoco ad identitatem naturæ, & operationē
August. Origen. Patris, & Filij. In speculo enim, vt August. & Origen. obseruant, non solùm facies illius, sed gestus, & motus inspiciuntur. Vnde eleganter aduersus Her-
Tertul. mogenem dixit Tertullian. cap. 40. *Nulla res speculum alterius rei adest, non coæqualis, nemo se apud tonsorem* (in speculo, vt assolet) *pro homine multum inspexit, nisi si quis putat in hac extructione mundi, dispositam, & compte, informem, & incultam materiam respondere, quid hodie informe in mundo, quid retrò speciatum in materia, vt speculum sit mundus materiæ?* Quare ex
Græc. Lect. Græco optimè vertas, *speculum diuinæ virtutis*, fortitudinis, nimirum efficaciæ, operationis, id enim propriè significat Græca vox ἐνεργεία: siue, vt legit
Origen. Origenes, *speculum immaculatum in operationis Dei*; quod ipse sic interpretatur. *Inoperatio est vigor quidam, vt ita dixerim, per quem inoperatur Pater, vel cùm creat, vel cùm prouidet, vel cùm iudicat, vel cùm singula quæque in tempore disponit, atque dispensat. Sicut ergo in speculo omnibus motibus, atque omnibus actibus, quibus is qui speculum intuetur, mouetur, vel agitur: sic & ipsis etiam ea imago, quæ per speculum efformatur, actibus, & motibus commouetur, vel agitur, in nullo prorsus declinans. Ita & Sapientia, id est, Christus de se vult hoc intelligi, quod & ipse de se pronunciauit, Ioan.*
Ioan. 5. 36. Ioan. 14. 10. *5. 36. & Ioann. 14. 10.* Opera quæ facit Pater, hæc etiam Filius facit. *Similiter*: & non potest Filius à se facere quidquam, nisi viderit Patrem facientem. *Quoniam ergo in nullo prorsus Filius à Patre virtute operum immutatur, nec aliud est opus Filij, quàm Patris, sed vnus, atque idem, vt ita dicam, etiam motus in omnibus; idcirco speculum eum immaculatum nominauit, vt per hoc nulla omnino dissimilitudo Filij intelligatur ad Patrem, cùm in Euangelio Filius similia facere non dicatur, sed eadem similiter facere.* Hæc Origenes, à quo eadem prorsus verba transcripsit Augustinus.

45. Sed & imaginis metaphoræ, & phrasi candoris lucis, eleganter hæc accommodantur. Nam de primo, si in humanis viua, seu viuens alicuius imago daretur, speculi proculdubio in omnibus vicem gereret, eosdem omnino motus, & actus exprimens.

Ambros. Ideo Ambros. in Psal. 38. loquens de Christo, quà Dei Patris imago est, ait: *Bona imago non ceris picturæ fucata radiatus, sed plenitudine diuinitatis expressa. In qua imagine, & Pater simul videtur, & Filius, quia per vtrumque eorum vnitas operationis effulget.* Quare nisi Sapiens eùm dixit, *imago*, adderet, *bonitatis*, ea imaginis metaphora solius elegantiæ rationem, non discriminis sententiam haberet: dum verò addidit, *bonitatis*, speculi metaphoram, quæ generalis est ad significandum eosdem esse omnes actus Patris, & Filij, siue cùm creat, siue cùm prouidet, siue cùm iudicat, vt dicebat Origenes, ad actiones beneficentiæ, & benignitatis, quæ bonitatis voce explicantur (sic enim bonitatem, & beneficentiam coniunxit Tullius, *quid est melius, aut præstantius bonitate, & beneficentia?*) significādas notanter contraxit; quas, quia bonitatis actiones sunt, singillatim exprimere dicitur Filius Dei, cùm Dei natura, vt sæpiùs vidimus, omnino benefica, & salutaris sit. Certè Philo lib. Allegor. Deum bonitate, non potentia creaturas condidisse; & lib. de Cherubin. bonitate à Deo omnia esse condita, potentia verò creaturas omnes gubernari dixit. Quo quidem sensu non semel à Ioanne Verbum appellatur vita, *in ipso* (inquit cap. 1. 4.) *vita erat*: quæ de vigore illo, quem rebus Ioan. 1. 4. omnibus imprimit, dum eas conseruat, & gubernat intelligunt Chrysost. Cyril. Theophyl. & Euthym. Chrysost. Cyril. *portat* enim Deus *omnia* (ad Hebr. 1. 3. vbi Græcè, Theophy. *moderatur, regit*) *verbo virtutis suæ*; quod apud eun- Euthym. dem Ioannem c. 5. 17. sic Christus confirmat: *Pater* Ad Hebr. 1. 3. *meus vsque modò operatur, & ego operor.* Quem gu- Ioan. 5. 17. stum habere mihi videtur, quod S. Zeno Veronen- Zeno Veron. sis serm. 2. de æterna Verbi generatione, dixit: *Cuius ex ore* (Patris videlicet) *vt rerum natura, quæ non erat fingeretur, prodijt vnigenitus Filius, cordis eius nobilis inquilinus.* Non ignoro, bene etiā ab aliis interpretibus ea Ioannis verba accipi de vita ipsa, quæ in Verbo est, & quæ Verbum est, sicut de pulchritudine, bonitate, & aliis attributis Dei dicitur, in Deo est pulchritudo, bonitas, &c. Sed adhuc in hoc sensu sapientiores interpretes sic capiunt Verbum esse vitam, vt non solùm significet esse vitam in se, sed etiam esse fontem vitæ, vt Psal. 35. 10. *Apud te* Psal. 35. 10. *est fons vitæ & in lumine tuo videbimus lumen.* Ad quē locum forsan allusit Ioannes, & planè eadem phrasi Epist. 1. cap. 1. dixit: *Annunciamus vitam, quæ est apud Patrem, & apparuit nobis.* Verum est, hos interpretes fontem vitæ ad vitam animorum peculiariter referre, sed non minus congruenter de vtraque vita, naturali, & supernaturali accipi potest, &, quod nostra refert, eodem vtrumque recidit.

Sed quî, inquis, ad hunc sensum pertrahi possit 46. illud, *candor est lucis æternæ*? Sanè, quamuis hac locutione emanatio Filij à Patre, vniusque cum altera persona æqualitas à Concilio Toletano, Ambrosio, & aliis Patribus explicetur, non incongruè ex ipsamet Verbi processione etiam significatur, Dei Verbum esse velut speculum, in quo, & per quod Dei Patris miserationes singillatim conspiciantur, & resplendeant. Vt enim quà Filius Dei Verbum est Patris, & per hoc terminus, in quo clara notitia Patris, qua Verbum procedit, vnicè relucet: ita Sapientia genita est, in qua, & per quam Patris benignitas insigniter effulget, & lucis suæ radios emittit, dum suam in hominum genus bonitatem, & misericordiam resplendere omnibus facit. Vnde Ambros. epistol. 11. capiens de Christo Ambros. id Psal. 4. 8. *Signatum est super nos lumen vultus tui,* Psal. 4. 8. *Domine*, sic inquit: *Quis autem lumen vultus Patris, nisi splendor gloriæ, & imago inuisibilis Dei, in quo, & videtur, & clarificatur Pater, sicut & ipse clarificat Filium*

Filium suum? Sed obserua, Græcè loco vocis, *candor*,
Conc. Tolet. August. Vatabl. esse *ἀπαύγασμα*; propriè *relucentia*, siue vt Concil.
Tolet. & August. locis citatis, & Vatal. inibi legunt,
splendor. Vnde optimè hoc sensu Verbum paternæ lucis relucentia, siue lux lucis esse dicitur, quod per ipsum diuinæ bonitatis lux luceat, & conspiciatur.
Eccl.36.1. Certè Ecclesiasticus Dei Verbum, lucem miserationum Dei sic appellauit cap. 36.1. *Miserere nostri Deus omnium; & respice in nos, & ostende nobis lucem miserationum tuarum.* Vbi Filij Dei aduentum à summo Patre postulans, ipsum miserationum Dei lucem, siue lucem lucis, qua diuinæ miserationes, quæ luci optimè comparantur, nobis innotuerunt, elegantissimè appellauit. Etenim cùm ille brachiū Dei sit, atque dextera, in qua omne creationis, & salutis nostræ opus Deus perfecit, meritò relucentia, & lucis splendor, appellatur, quod aspectabilem nobis misericordiam, & bonitatem Dei reddidit, eo modo, quo per lucem omnia nobis innotescunt, & quasi de facie noscuntur. Nam, vt ait Ambros. lib. 1. in Hexamer. cap. 9. *lux est, quæ reliquos domus commendat ornatus.* Vnde quidem ipsemet Dominus immediatè ante hæc verba, quæ in manibus habemus;
Ioan.17.1. *Clarifica me tu Pater, apud temetipsum*, &c. dixerat:
Ego te clarificaui super terram. Quæ sic optimè sub
Cyr. Alex. hoc sensu explicat Cyril. Alexand. lib. 10. in Ioan. cap. 19. vt quæ hucusque diximus, mirificè etiam confirmat; sic enim ille: *Vita igitur omnium Patris opus est, quod per Christum est factum; propterea dicebat ad Patrem:* Ego te clarificaui, opus cõsummaui, quod dedisti mihi vt faciam. *Ipse namque salutē nobis ex Patre attulit, non vt minister, sed vt sapientia, & virtus Patris, absque qua nihil omnino fieri potest; omnia enim per ipsum sunt. Vnde nostræ quoque salutis dispensationem, vt virtuti, & sapientiæ Patris Filio tradi summopere Dauid orās, dicit ad Patrem:* Manda Deus
Psal.67.29. virtuti tuæ: (*Psal.*67.29.) confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis. *& rursus:* Deus iudicium tuum
Psal.71.1. Regi da (*Psal.*71.1.) *Solius enim eius est opus, qui cum Patre regnat, vt vniuersam hominis naturam reformare ad pristinum possit.* Ita Cyril. Quo autem modo eæ argumentationes, quas ad consubstantialitatem Filij ex his Sapientiæ verbis, & speculi, imaginis, ac splendoris similitudinibus adstruendam conficiunt Patres, in hac etiam explicandi ratione subsistant, inibi copiosè tracto, nec hîc locus.

47. En iam claritatem, quam Dei Filius apud Deum Patrem habuit antequam mundus fieret, & quā ante Passionem suam à Patre clarificari postulauit, vt nimirum omnibus fieret manifestum, ipsum sinceram claritatis omnipotentis Dei emanationem, quæ eandem cum ipso naturam, omnipotentiam, maiestatem, atque bonitatem habeat, Patrisque dexteram, siue cùm creat, siue cùm prouidet, siue cùm iudicat, esse. Quare premens hæc Christi verba Ter-
Tertul. tullian. siue Nouatian. lib. de Trinitat. cap. 13 sic ait:
Et nihilominus dum mundus ipse post illum institutus refertur, per ipsum creatum esse reperitur, quo ipso diuinitatis in ipso per quem factus est mundus, & claritas, & auctoritas comprobetur. Iam verò his Pauli verbis, *in gloria est Dei Patris*, explicandis nihil aptius, nihil opportunius poterat excogitari. Vt enim Apostolus, vti monebat S. Thomas, non dixit, in simili gloria, sed, *in gloria*, quod vnam, atque eandem cum Patre gloriam Christus habeat: ita signatè addidit, *Patris*, vt ostenderet gloriam quasi vnigeniti à Patre, hoc est, Christum Dei sapientiam, atq; virtutem esse, in qua ipse omnia gubernet, & regat, omnino iuxta speculi, imaginis, & lucis similitudines à Salomone traditas, necnon iuxta ea, quæ de Patris dextera n. 39. docebant Patres. Hærent ergo

hæc omnia inter se, & Patris dextera idem est, ac gloria Patris, & gloria Patris, siue Patris dextera, illamet claritas est, quam cùm apud Patrem antequàm mundus esset habuerit, mundo post crucem, & Passionem Pater manifestauit. Nam vt Ansel- Anselm.
mus, & Glossa in Commentario Pauli: *Post crucem* Gloss.
manifestatur, quid à Patre cùm generaretur accepit; cùm à creatura cœpit sciri, homini non esse datum nomen Dei, sed æqualem, qui se exinaniuit, cuius omnia à Patre sunt. Hæc ille, satis opportunè.

Sed vt iam tandem ad id quod secundo loco 48.
proposuimus, deueniamus, hanc omnis linguæ confessionem, Christum in gloria Dei Patris esse, ad humanam etiam naturam pertinere, vt in illam diuinæ etiam naturæ gloria deriuata sit: *vt gloriam diuinitatis* (sicut dicebat Gaudentius) *quam Deus apud Deum Patrem Filius semper habuerat, cum tota natiuitatis corporea substantia possideret;* siue vt hæc verba explicabat Leo, *vt quem venerabantur in cunis humiliter iacentem, ipsum sine diffidentia adorent cum Patre regnantem.* Id quidem tam ex prædictis Sapientiæ verbis: *Vapor est enim virtutis Dei, & emanatio quædam est claritatis omnipotentis Dei sincera*, &c. quàm ex ipsamet Patris dextera, ad quam Christus consedisse dicitur, efficaciter probari potest. Et Sapientis quidem verbis hunc potissimum subesse sensum adeò fuit Augustino, & Origeni persuasum, August.
vt cum Pauli verbis, *in nomine Iesu omne genu flectatur, cælestium, terrestrium, & infernorum*, ad hunc modum vno vterque ore composuerint. *Audiat qui hæc vult suspicari illud, omnia in sapientia fecisti, omnia per ipsum facta sunt, & intelliget ex hoc, quia non potest antiquior esse in Deo appellatio omnipotentis, quam Patris, per Filium enim omnipotens est Pater; sed quoniam gloriam dixit esse omnipotentis, cuius gloria, ἀπόρροια dicitur, id est, sapientia* (legendum quidem est in Aug. *cuius gloriæ ἀπόῤῥοια, id est, emanatio, est sapientia:* ita enim ex Origene, à quo hæc verba mutuatus Origen.
est, habetur, & significatio vocis, ἀπόῤῥοια, totaque oratio constat) *hoc intelligi datur, quod etiam in omnipotentiæ gloria societatem habet sapientia, per quam Deus omnipotens dicitur, per sapientiam, quæ est Christus, tenet Deus omnium potentatum.* & paulò post: *Vt manifestiùs intelligatur, quæ sit gloria omnipotētiæ, etiam hæc addimus, Deus Pater omnipotens est, eo quod potentatum omnium teneat, id est, cæli, & terræ, maris, & omnium quæ in eis sunt. Horum autem potentatum gerit per Verbum suum; quia in nomine Iesu omne genu flectatur: ergo Iesus est omnipotens, quippe cui subiecta sunt omnia, ac per quem subiecta Patri sunt omnia; per sapientiam namque, id est, verbo, & ratione, non vi, & necessitate subiecta sunt. Ideo in eo ipso, quod obtinet omnia gloria sua est, & hæc est omnipotentiæ purissima, ac limpidissima gloria, cùm ratione, ac sapientia, non vi, & necessitate subiecta sunt.* Vides vt hæc Patris gloria est, quod ei omnia subiecta sint, ita Christi gloriam esse, quod eadem hæc in nomine ipsius Patri subiiciantur: atque hinc Christum in gloria Dei Patris esse perinde dici, ac eiusdem throni, & regni æquo gradu participem esse?

Hinc post Passionem suam ipse ad discipulos 49.
notanter aiebat: *Data est mihi omnis potestas in cælo, & in terra.* Matth. 28.18. Vbi si inquiras, cur id sibi Matth.28.18.
datum affirmet Dominus, quod ab ipso separari nunquam potuit, quippe cui hæc ab æterno innata potestas est; bene post Cyrillum Alexandrinum Cyr. Alex.
lib. 2. in Ioan. cap. 73. & Gregor. Nyssen. respondet Greg. Nyss.
S. Paschasius, eam potestatem, quatenus homo erat, Paschas.
Christum accepisse, quam vt Deus ipse semper habebat; vt in vtraque natura Christus vnus Deus, & vnus omnipotens diceretur; sic enim ille. *Vnde*

rectè quæritur, si omnia Patris, Filij sunt ex æqualitate naturæ, & ex omnipotentia Deitatis suæ, quid est, quod nunc data sibi dicit omnia quasi qui non habuerit, antequam darentur ei omnia? Vbi profectò magnum ostenditur sacramentum pietatis, & condemnatur in vna, eademque persona omnium hæreticorum prauitas. Habet igitur à natura omnia, quæ Patris sunt, ipse idemque qui accipit gratiam, & non alius in persona, quam ipse qui habet. Propterea ergo sic dicit ipse idemque ad Patrem;
Ioan. 17. 10. Tua omnia mea sunt, *atque hoc ipsum quod hic ait:* Data est mihi omnis potestas. *Quia in duabus naturis vnus est Christus, in humanitate scilicet ac Deitate, vnaque persona in Trinitate Deitatis. Et quia Christus vna persona est, secundum humanitatem ait:* Data est mihi; *secundum verò diuinitatem, in qua æqualis est Patri.* Tua omnia mea sunt, sicut & mea tua sunt: *ac per hoc Christus in vtraque natura vnus Deus, vnus omnipotens. Hinc Paulus ait, quod dederit ei Pater* nomen, quod est super omne nomen, vt in nomine Iesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, & infernorum; *& hæc est omnis potestas, quæ Christo delata est.* Hæc optimè Paschasius. Et quidem ipsamet Christi apud Ioannem verba: *Et nunc clarifica me tu Pater claritate, quam habui priusquàm mundus esset, apud te*; quæ ex Cyril. & aliorum Patrum mente superiori sensui aptauimus, ad hunc sic retulit
Tertul. Tertullianus, siue Nouatianus præfato lib. de Trinitate cap. 13. *Repetens hoc ipsum dicit:* Pater clarifica me eo honore, quo fui apud te antequam mundus esset: *ac si de cælo descendit Verbū hoc tamquā sponsus ad carnem, vt per carnis adsumptionem, Filius hominis illuc posset ascendere, vnde Dei Filius Verbum descenderat; meritò dum per connexionem mutuam, & caro Verbum Dei gerit, & Filius Dei fragilitatem carnis assumit, cum sponsa carne conscendens illuc, vnde sine carne descenderat, recipit iam claritatem illam, quam dum ante mūdi institutionem habuisse ostenditur, Deus manifestissimè comprobatur.* Hæc ille.

50. Et quidem huc potissimum sessio ad dexteram Patris pertinere videtur. Quid enim id fuerit ex vsu phrasis sedendi in Scriptura, quàm simul cum
1. Reg. 2. 8. Patre regnare? Sic 1. Reg. 2. 8. *Vt sedeat cum Principibus, & solium gloriæ teneat:* vbi particula (&) poni-
3. Reg. 1. 17. Virgil. tur pro, *hoc est:* vt 3. Reg. 1. 17. *regnare, & in solio sedere,* pro iisdem capiūtur. Simile illud Virgilianum,

——Sedes vbi fata quietas
Portendunt, illic fas regna resurgere Troiæ.

Ita sanè videas Psalmo 109. 3. cùm primùm à dex-
Ps. 109. 3. tris Patris Christus sedere dicitur, *virgam virtutis suæ*, diuinum, scilicet, Spiritum vnà cum Patre, vt æqualis cum ipso gloriæ, emittere; id sic obseruante
Maxim. Maximo, siue Ambrosio serm. 60. *Vnde credendum est, ad Patrem peruenisse Christum, cùm videmus ad Apostolos descendisse Paraclitum. Credendum inquam est, sicut ait de Saluatore Dauid in Dei dextera considere, quia cernimus Spiritum sanctum, sicut promisit Dominus, in discipulis exultare.* Quod si nobis obiicias, sessionem hanc ad Patris dexteram diuinitati
Cyr. Ierosol. Cyr. Alex. Athan. Maxim. Basil. Euseb. tribui à Cyrillo Ierosolymit. Catechesi 14. in fin. Cyrillo Alex. lib. 1. in Ioan. c. 22. Athanas. orat. 2. cont. Arian. Maximo serm. 60. Basil. lib. de Spirit. sanct. cap. 6. Euseb. lib. 4. demonstr. cap. 15. Respon-
Origen. Epiphan. Chrysost. Ambros. Theodor. Theophy. Oecum. August. Cyr. Alex. Ambros. debo in primis plures esse Patres, qui pro nobis sint humanitati tribuentes: Origenes tract. 12. in cap. 20. Matth. Epiphan. in Anchorato, Chrysost. hom. 3. in Epist. ad Ephes. & ser. de Ascensione, & in Ep. ad Hebr. 1. 3. vbi etiam Theodor. Theophyl. & Oecumenius. Aug. lib. de fide, & Symbolo, cap. 7. S. Cyril. Alexand. epist. 1. ad Presbyter. & Monachos, Ambros. lib. 2. de fide, cap. 4. quorum verba lector videat: ego Theodoreti solùm, & Ambrosij in citatis locis ad Hebræos non omittam, quod superiùs dicta mirificè confirment; sic enim prior: *Illud autem,* sedet ad dexteram maiestatis in excelsis, *humanè dictum est: cùm enim esset Altissimus, seipsum humiliauit, & cùm Deus esset, homo factus est. Non cùm esset humilis, in altum euectus est, neque cùm esset homo, Deus factus est, sed vt Deus quidem erat vniuersorum Dominus, vt homo autem accepit gloriam, quam habuit vt Deus.* Ad quem modum Ambros. in id Epist. ad Hebræos 1. 13. *Ad quem autem Angelorum dixit aliquando; sede à dextris meis?* sic inquit: *Victori Filio, & per sanctam Incarnationem totius mundi triūphatori, post resurrectionis gloriam honorabilis consessus paternæ maiestatis offertur, vt per hunc situm susceptæ humanitatis gloria declaretur.* Deinde respondeo, verissimè etiam illos Patres loqui, nec ab his dissentire, quamuis diuersa ratione: etenim propriè loquēdo sessio conuenit supposito, atque ipsamet dignitas, siue primaria sessionis ad dexteram significatio quæ est gloriæ, maiestatis, omnipotentiæ, & diuinitatis æqualitas (de qua Patres illi accipiebant) non competit Christo, nisi propter diuinam naturam, & suppositum Iesu θεανθρώπου, Dei ac hominis. At enimverò si honorem hunc, ac dignitatem, & sessionem ad dexteram secundum metaphoram respiciamus, cùm à corpore ducta sit similitudo, aptissimè Christo secundum humanam naturam tribuetur, quemadmodum resurrectio, & ascensio humanitatis ratione ipsi competunt. Sed hæc in sequentibus plus plus premenda, & eluicidanda sunt. Ergo iam de Græca huius loci lectione singillatim agamus.

Græca Lectio.

Quia Iesus est Dominus ad gloriam Dei Patris.

NISI ego Græca nimiùm perpendens immaniter decipior, aut dum Pauli verbis, & sensibus 52.
debitam magnificentiam reddere laboro, ipsamet luce præstrictus vehementer erro, optimus, & Apostoli instituto opportunissimus ex Græca Lectione sensus consurgit; vt tam orationis serie, quàm pompa sermonis ex illa excrescentibus, non modò ea, quæ dixerat, firmare, sed nouum, ac peculiare donum Christo à Patre delatū, quod in ipso maximè emicet, atq; splēdeat, & dexteræ Dei significationi, propriissimè sumptæ, conueniat, iuxta egregiam explicationem, quam Maldonat. in cap. 16. Marc. vers. 19. & postea magnus Francis. Suarez 2. tom. in 3. Maldon.
part. disp. 51. sect. 3. prope finem, illi reddunt, indicare Paulus videatur. Et verò cùm nostra explicatio cum hac Maldonati sensum communem habeat, non possum non ego maximè insciens, & nullis animi dotibus instructus eadem, quæ summæ eruditionis, & excellentis ingenij vir verba inibi dixit, mihimet vsurpare; sunt ista: *Cæterum neque ipse hanc sententiam viris præsertim doctis repugnantibus tueri velim, neque lectorem mea ductum auctoritate sequi, cùm neminem, qui id doceat, auctorem inueniam, & qui neget, inueniam.* Ergo iuxta ea, quæ ad cap. 1. huius Epistol. vers. 2. in illa salutationis verba, *a Domino Iesu Christo*, num. 33. prælibauimus, Domini nomen in Scripturis, præsertim apud Paulum multis in locis, signatissimè verò hîc, Christo attribuitur, vt præter diuinitatem, quam etiam denotare multis ad id loci probauimus, summum etiam in omnes creaturas dominium, atque imperium, regiámque dignitatem, qua ipse eas moderetur, & regat; singillatim verò, vt iudicariam vitæ,

ac

ac necis poteſtatem ſemper, & vbique, extremo verò potiſſimum die in illas exerceat, notanter ſignificet. Vnde hic Pauli ſenſus eſſe videtur, Chriſtum, cùm diuinæ naturæ reſpectu, Patri ſit per omnia æqualis, eximio tamen, ac peculiari ipſius dono ſingularem hanc in humana natura habere excellentiam, vt ad illum tamquam ad Eccleſiæ, atque hominum caput, ipſius Eccleſiæ adminiſtratio, ſpiritualiſq; regni gubernatio, & prouidentia, qua *vnicuique noſtrum* datur *gratia ſecundum menſuram donationis Chriſti*, ad Epheſ. 4.7. *Ad Epheſ. 4.7.* maximè verò omnis iudicij exercendi poteſtas pertineat: *Neque enim Pater iudicat quemquam, ſed omne iudicium dedit Filio*, Ioan. 5.22. *Ioan. 5.22. Maldon.* Qui etiam eodem P. Maldonato in Matthæum interprete verborum Chriſti, *Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo, & in terra*, Matth. 28.18. *Mat. 28.18.* ſenſus eſt: etenim, vt bene etiam de diuinæ naturæ gloria in humanam deriuata, cum Paſchaſio (vt num. 49. vidimus) accipiantur, aptiùs quidem de ea poteſtate, quam per mortem ſibi comparauerat, vt homines, quos ſuo ſanguine redemerat, in regnũ ſuum congregaret, ſibique ſubditos efficeret, ac de ipſis tandem iudicium ferret, explicueris.

53. Firmat hanc verborum Pauli expoſitionẽ ipſius collega Petrus, dum Actuum 2.36. *Act. 2.36.* firmiſſima aſſeueratione inquit: *Certiſſimè ſciat ergo omnis domus Iſraël, quia & Dominum, & Chriſtum fecit Deus hunc Ieſum, quem vos crucifixiſtis.* Quæ ſi attentiùs inſpiciantur, non perinde ſunt accipienda, vt ſit ſenſus, feciſſe Deum, vt ille homo, Chriſtus eſſet, & Deus: hoc eſt, vt in vnitatem ſuppoſiti conueniret humanitas cum eo ipſo diuino ſuppoſito, à quo ſuſtentatur. Vt enim hoc veriſſimum, & certo certius ſit, non bene cum ſerie orationis Petri conuenit, qui in Chriſti exaltatione, & ſeſſione ad dexteram explicanda, & ſuadenda totus erat. Ergo de Chriſti regno, & ſempiterno Sacerdotio, & de functione, qua ex Patris beneplacito omnia adminiſtrat, atq; gubernat, loquitur Apoſtolorum Princeps ac ſi dixerit: hoc vobis perſuadeatis neceſſe eſt, hunc Ieſum à vobis crucifixum, ita à ſummo Parente exaltatum, vt ad ipſius dexteram ſedeat, omniaque vt ſummus rerum Dominus, & Eccleſiæ Pontifex, atque caput, moderetur, atque diſpenſet: *neque aliud eſſe nomen ſub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos ſaluos fieri*, Actuum 4.12. *Act. 4.12.* Non quidem, quod regno, aut dignitati Patris hac ratione aliquid decedat, qui maieſtate, atque ſplendore ſe ſuo abdicare nullatenus poteſt; ſed quod ex peculiari ipſius dono, omnia in nomine Filij extrinſecus ſaluẽtur, omnes exteriori eius iudicio ſubiiciantur. Qua de re optimè diſſeruit Ambroſius *Ambroſ.* in commentario, præfatam cogitationem ſic mirificè confirmans: *Sed fortè, quia à Deo Patre ſunt omnia, ideo ipſe dicitur dediſſe. Si ergo à Patre omnia, quare non dicatur cuncta Filio ſuo per generationem dediſſe? Et quamuis æqualem ſibi genuerit Filium, ordo tamen exigit, vt in nomine Patris agantur omnia. Hoc Pater conceſſit Filio, vt poſt crucem omnia in nomine Filij ſaluentur, denique dicit Dominus de diſcipulis ad Patrem* *Ioan. 16.24.* Pater, quos dediſti mihi cuſtodiui. Tui erant, & mihi eos dediſti. *Et ad diſcipulos ſuos ait:* Vſque modò nihil petiſtis in nomine meo, petite, & accipietis. Hæc Ambroſius.

54. Nec alius quidem mihi id diligentiùs expendẽti, & penè infinitas Patrum, & interpretum expoſitiones examinanti, ſenſus eſſe videtur verborum Pauli in præfatione Epiſtolæ ad Romanos, *Ad Rom. 1. 4.* vbi cùm dixiſſet, *de Filio ſuo, qui factus eſt ei ex ſemine Dauid ſecundum carnem*, ſubdit; *qui prædeſtinatus eſt Filius Dei in virtute ſecundum ſpiritum ſanctificationis, ex reſurrectione mortuorum.* Qui ſanè locus, dum ad ſonum vocum à nonnullis interpretibus capitur,

Vellazq. in Epiſt. ad Philippenſ.

eos maximè premit, ac torquet, vt apud ipſos nunquam ſe ſatis extricantes, ſiue explicantes facilè videris: quod ſi in eo explicando ad ſenſum rei te exerceas, & iuxta dicta de ampliſſimo, atque feliciſſimo regno, quod ad dexterã Patris ſedens, vt rerũ omnium Dominus Chriſtus poſſidet, intellexeris, ſcopulos, opinor, euaſeris. Quare crediderim ſic capiendum, *re, Filius Dei in virtute*, vt ſit ſenſus, Chriſtum ex reſurrectione ſua conſtitutum eſſe cœli, terræq; Regem ac Dominum, cum ea maieſtate, atque ſplendore, qui Filium Dei, quem Pater mirum in modum honorare, atque exaltare voluit, maximè deceret. Qui ſanè explicandi modus vt à nemine interpretum ſingillatim adhibetur, ita ex ſingulorum interpretationibus in vnum coactis coaleſcit, vt ex iis quæ S. Aug. Primaſ. Hierony. S. Thom. & Caiet. *Auguſt. Primaſ. Hierony. S Thom. Caiet.* in commentario, necnon Græci Patres afferunt, colligi poteſt. Ergo non ſunt diuellenda illa verba *prædeſtinatus eſt Filius Dei*, ab iis *in virtute*: ſed prædeſtinatio, ſiue conſtitutio, aut declaratio ſuper id debet, decidere, quod Chriſtus *prædeſtinatus ſit Filius Dei in virtute*, hoc eſt, cum eximia potentia (id enim propriè ſignificat Græca vox δυνάμις) & auguſtiſſima maieſtate, gloria, nimirum, quaſi vnigeniti à Patre. Sub quo ſenſu virtutis vocabulum ſæpiùs in Scriptura vſurpatur: ſic enim dicitur Apocalyp. 15.8. *Apoc. 15.8.* *Et impletum eſt templum fumo à maieſtate Dei & de virtute eius.* & Matth. 24.30. *Mat 24.30.* *Videbunt filium hominis venientem in nubibus cœli cum virtute multa, & maieſtate.* & cap. 27.64. *Mat. 27.64.* *Videbitis filium hominis ſedentem à dextris virtutis Dei*: vbi lectio Syriaca, *Lect. Syr.* *ſedentem à dextera potentiæ.* ſimiliter Marci 13.26. *Marc. 13. 26.* *Videbunt filium hominis venientem in nubibus cum virtute multa, & gloria*, & cap. 14.62. *Marc. 14. 61.* & Lucæ 22.69. *Luc. 22.69.* Vt videlicet ſenſus ſit, Chriſtum, qui iam erat Filius Dei per vnionem, & gratiam, modò oſtendi cum ea maieſtate, & gloria, quæ debetur Filio Dei. Certè Paulus Actuum 13.33. *Act. 13. 33.* de Chriſti reſurrectione accepit id Pſal. 2.7. *Pſal. 2. 7.* *Ego hodie genui te*; non ea ſolùm de cauſa, quod reſurrectio nouum quoddam natiuitatis genus, atque regeneratio ſit (vt ex multis Scripturæ locis ſit planum) ſed etiam quod Chriſto poſt reſurrectionem, omnis poteſtas in cœlo, & in terra, illaque gloria, & maieſtas, qua ſeſe ad tempus dum *exinaniuit ſemetipſum formam ſerui accipiẽs, in ſimilitudinem hominum factus*, abdicauit, tãquam naturali Filio Dei data fuerit; atq; eo modo externa ſerui effigies, & indumentum in gloriam quaſi vnigeniti à Patre, fuerit commutata: vt hac ratione non ſecus ac Sol. qui poſt noctis tenebras, & horrorem, cum natiuæ lucis ſplendore, ac pompa exoriens, naſci eleganter dicitur, quaſi recenter genitus, ſiue Dei Filius conſtitutus, & (vt Chryſoſtomi, & Græcorum verbis vtar) declaratus aſſeratur. Concinit Paulus ad Rom. 14.8. *Ad Rom. 14. 8.* vbi cùm dixiſſet: *Siue enim viuimus, Domino viuimus, ſiue morimur, Domino morimur: ſiue ergo viuimus, ſiue morimur, Domini ſumus*; ſubiicit in hanc rem: *In hoc enim Chriſtus mortuus eſt, & reſurrexit, vt & mortuorum & viuorum dominetur*; non obſcurè innuens, quod inibi adnotauit Origenes, *Origen.* ſupremum hoc rerum omnium dominium, & regnum ſaltem quoad vſum, & exercitium ob paſſionis, & mortis ſuæ meritum Chriſto obtigiſſe.

Et verò regiæ huic maieſtati, qua Chriſtus à 55. Deo Patre ſupremus creaturarum omnium Dominus, & Princeps Regum terræ, conſtitutus eſt, confirmandæ, atque explicandæ mirificè concinit illud Epiſt. ad Hebræos 1.6. *Ad Heb. 1.6.* *Et iterum cùm introducit primogenitum in orbem terræ, dicit: & adorent eum omnes Angeli Dei.* Vbi dum occaſione aduerbij, *iterum*, meritò à Patribus, & interpretibus ambigitur, quo

sessu dicat Apostolus, Christum à Patre iterum, id est, secundò in orbem terræ introductum; & ea in re, vnusquisque in suum abeat, aliis ad extremum iudicij diem, cùm venturus est sæculum iudicare; alijs ad Apostolorum prædicationem, quâ ipse effecit, vt mundus fide eum reciperet, & Dominum suum agnosceret; aliis ad primum Christi aduentum, cùm humanam naturam sibi copulauit, quod credant Incarnationis mysterium Angelis quondam diuinitus fuisse propositum, vt Christum venerarentur, & colerent, atque ideo tunc primùm introductum, referentibus; ego potiùs crediderim de Christo à mortuis resurgente, & hæreditatem gentium, ac possessionem terminorum terræ, Psal. 2. 8. (iuxta Hilarij explicationem ad verba, *omne genu flectatur, cælestium*, &c. allatam) adeunte, fore capiendum. Ea enim vis, atque energia (quod Iustinianum, Estium, & alios interpretes non latuit) phrasi, *introducere*, subest, vt significet id, quod Iurisperiti vocant, *inducere*, seu, *mittere in possessionem*. Vnde apprimè conuenit, vt tunc denuò Angeli ipsum adorantes, & (iuxta nostrum captum) genuflectentes in peculiare subiectionis signum, quod sub ipsius ditione, & potestate sint, signatè inducantur. Applaudit huic sensui vox de cœlo apud Ioannem cap. 12. 28. cùm Christo postulanti: *Pater clarifica nomen tuum*, ostendendo, videlicet, vt Theodorus Heracleotes exponit, me tuum esse Filium; sic summus Pater annuit: *Et clarificaui, & iterum clarificabo.* Vt enim in priori clarificatione exponenda nonnihil discriminis apud Patres sit: at secundam illo aduerbio, *iterum*, indicatam, ad eam claritatem, & gloriam, quam ad dexterā Patris Christus habet, tam Marius Victorin. 1. aduers. lib. Arium, quàm Aug. Rupert. & Beda apud Maldonatum referūt. Et quidem aduerbium, *iterum*, sic premit Rupertus, rem totam pulchrè elucidans. Et clarificaui, *inquit, subaudiendum est, semel; videlicet, pro eo quod sequitur*: Et iterum clarificabo. *Si enim de multis qualibuscunque clarificationibus dixisset*, & clarificaui: *profectò absque aduerbio quod est*, iterum, *dicere sufficeret*, & clarificabo. *Duas ergo certas clarificationes paterni nominis intelligi debere manifestum est, nec qualescumque clarificationes tali in tempore, tali pro causa, tali perorante persona, vocem non cuiuscumque sed vocem Patris, vocem, inquam, non vndecumque, sed de cælo venientem pronunciari decuit.* Deinde rem totam pulchrè ad hunc modum elucidat: *Igitur duæ, quas hoc loco intelligi oportet, clarificationes Filij, in quo sine dubio clarificatur nomen Patris, illæ sunt, quas Apostolus ad Colossenses exprimit, his verbis*: Qui est imago Dei inuisibilis, primogenitus omnis creaturæ, quia in ipso condita sunt vniuersa in cœlis, & in terra visibilia, & inuisibilia, siue throni, siue dominationes, siue principatus, siue potestates, omnia per ipsum, & in ipso creata sunt, & ipse est ante omnes, & omnia in ipso constant. *Hæc de prima clarificatione, de qua nunc Pater dixit*, & clarificaui. *Sequitur Apostolus de secunda clarificatione, de qua itidem Pater*, & iterum clarificabo, *inquit*; & ipse est caput corporis Ecclesiæ, qui est principium, primogenitus ex mortuis, vt sit in omnibus ipse primatum tenens. Hæc Rupertus, quæ dictis non mediocriter consonant.

Psal. 2. 8.
Hilar.
Iustinian.
Estius.
Ioan. 12. 28.
Theod. Heracl.
Mar. Vict.
August.
Rupert.
Beda.
Ad Coloss. 1. 15.

56. Verumenimverò amplissima hæc Christi ditio, atque imperium, inde signatissimè elucet, quod ipse tam emphatica, & studiosè quæsita locutione, ad dexteram Patris sedere in Scripturis, & in Symbolo toties dicatur: mihi enim semper perplacuit Maldonati sententia probata Patri Suarez, dum censet hac sessione Filij ad dexteram Patris, aliquid amplius, præter illam æqualitatem, quam in superioribus ex Patribus assignauimus, significari; non quidem, quod re ipsa maius quidpiam, & præstantius, quàm Pater habeat, Filio datum sit, cùm Filius quoad diuinitatem Patri omnino æqualis, quoad humanitatē verò minor sit; sed quod merito eximiæ humilitatis, & Passionis, redemptique humani generis, atque ideo pacati quodammodo, & restituti regni, quod diabolus tyrannicè vsurparat, peculiari quadam honoris apparentis, & extrinseci manifestatione ad nostrum captum, & morem loquendi, iuxta quem consessus ad dexteram honoratior esse consueuit, à Patre sic fuerit exaltatus, vt honoratiore quodammodo loco, & quiddā præseferre, quod quāuis re ipsa in Patre sit, externis tamen indiciis non ita nobis in Patre emineat, siue appareat, esse videatur. Appono tibi hanc non incomptā, aut incongruam huius rei imaginem: quemadmodum si Augustus filium Cæsarem, regni sui consortem ad prouinciæ alicuius rebellionem, & grassantis ibi tyranni conatus reprimendos mitteret; filius autem non sine sudore, & sanguine hostibus debellatis, commune illud Patri sibique regnum armis iterum Patri assereret, atque hanc ille ob causam filium de se adeò bene meritum eo afficeret honore, vt licèt restituti regni penes ambos æquo iure maneret imperium, ipse tamen Pater regni moderamen ac sceptrum, hoc est, solidam administrationis potestatem, ac si se illa ipse abdicasset, concederet; ita nobis de hoc metaphorico ad dexterā consessu cogitandum: & vt nihil maius, aut excellentius in Filio, quàm in Patre ponendum, ita etiam, cùm sedere ad dexteram apud homines honorificentius aliquid significare soleat, ea figurata locutione, in hac Ecclesiæ sanguine Filij desponsatæ, atque redemptæ, hoc est, regni acquisiti gubernatione, peculiaris prærogatiua Filio à Patre concessa cernitur, & elucet, non quod reipsa maior ipse sit, sed quod cùm Regis, ac Iudicis officium exerceat, maiorem præseferat dignitatem. Nec pro nostris hæc sensa venditamus; nam in primis præfatæ imaginis primus artifex fuit Ambrosius, siue Maximus serm. 60. sic *Maxim.* inquiens: *Secundum consuetudinem nostram illi consessus offertur, qui aliquo opere perfecto victor adueniens honoris gratia promeretur, vt sedeat: ita ergo & homo Iesus Christus Passione sua diabolum superans, resurrectione sua inferna reserans, tamquam perfecto opere ad cælos victor adueniens audit à Deo Patre*: Sede ad dexteram meam. Hæc ibi, quæ ad ea verba Epist. ad Hebr. cap. 1. 13. *ad quem autem Angelorum* *1. Heb. 13.* *dixit aliquando, sede à dextris meis*? sic repetit Am- *Ambros.* brosius: *Victori Filio, & per sanctam Incarnationem totius mundi triumphatori, post resurrectionis gratiam honorabilis consessus paternæ maiestatis offertur.* Deinde Chrysostom. hom. de Ascens. col. 3. tom. 3. ho- *Chrysost.* norificentiorem Filio consessum à Patre attributum sic asserit: *Suæ sedis facit esse participem, & quod plus est, ad partem suæ dexteræ collocauit.* Pende illud, *& quod plus est*, quod apertè ostendit, dextram sedis partem nonnihil excellentiæ, & dignitatis exterius præseferre.

Id quod sanè in iis, quæ ad extremi iudicij diem 57. attinent, manifestè liquet; tunc etenim etsi maiorem honorem, aut potestatem, quàm Pater Christus reipsa non sit habiturus, maiorem tamen ostendet, ac præseferet, quia ex dono Patris ipse, non Pater iudiciariam exercebit potestatem: *Neque enim Pater iudicat quemquam, sed omne iudicium dedit Filio*, Ioan. 5. 26. Quare ad Rom. 14. 10. vniuersalis iudi- *Ioan. 5. 26.* *Rom. 14. 10.* cij mentionem Paulus faciens, tribunal, hoc est, gloriosam sedem, in qua ius omnibus dicendum est, Christo singillatim sic tribuit: *Tu autem quid iudicas*

iudicas fratrem tuum? omnes enim stabimus ante tribunal Christi. Vnde in hanc sententiam similia his verbis, *in nomine Iesu omne genu flectatur*, ex Isaiæ vati-
Isai. 45. 23. cinijs cap. 45. 23. sic producit; *Scriptum est enim: Viuo ego, dicit Dominus, quoniam mihi flectetur omne genu, & omnis lingua confitebitur Deo.* Vbi illud obseruatione dignissimũ iudico, hæc verba apud Isaiam ex frequentissima Patrum expositione, sub persona summi Patris haberi, quasi per semetipsum Deus iuret, fore vt omnes gentes, quocumque loco, atque ordine sint, genua ante eum incuruent. Quod quidem ad Christum ideò à Paulo notanter referri videtur, quod in vltimo iudicij die supremam dignitatem, & iudiciariam potestatem ex dono Patris ita sit Christus accepturus, vt omne obsequiũ, atque honor, quem creaturæ omnes tamquam summo rerum omniũ moderatori, Patri erant exhibituræ, ab ipso in Filiũ quoad externã rerum faciem, & visibilem formam transfusus, ac deriuatus esse videatur.
Dan. 7. 9. Sanè cùm Daniel. 7. 9. dictum fuisset: *Aspiciebam donec throni positi sunt, & antiquus dierum sedit*, &c. postmodum vers. 13. subditur: *Et ecce cum nubibus cæli quasi filius hominis veniebat, & vsque ad antiquum dierum peruenit, & in conspectu eius obtulerunt eum, & dedit ei potestatem, & honorem, & regnum, & omnes populi, tribus, & linguæ seruient ei, & potestas eius, potestas æterna, quæ non auferetur, & regnum eius quod non*
Rupert. *corrumpetur.* In quem locum Rupertus cùm bene obseruasset, in prioribus verbis vers. 9. descriptum esse iudicium diuinum, non tamen dictum esse qualem per manum, vel personam agitandum, subiicit, *non enim iudicabit per semetipsum ille antiquus dierum, sed vt ipse Dominus dixit, omne iudicium dedit Filio.* Vnde quidem non sine allusione ad hanc propheticam visionem ipsemet Dominus dixisse videtur
Mat. 16. 27. Matth. 16. 27. *Filius enim hominis venturus est in gloria Patris sui cum Angelis suis & tunc reddet vnicuique secundum opera eius.* Preme illa verba, *in gloria Patris sui*; vel quia eadem sunt cum his Pauli, *in gloria est Dei Patris*: quæ non tam de gloria, & claritate, gloriæ Patris æquali, quàm de ipsamet Patris gloria. quam ille dedit Filio, videntur esse ca-
Ambros. pienda. Nam, vt bene dicebat Ambros. num. 53. adductus: *Quamuis æqualem sibi genuerit Filium, ordo tamen exigit, vt in nomine Patris agantur omnia; hoc Pater concessit Filio, vt post crucem omnia in nomine Filij saluentur.* Nec in Danielis verbis duo cum Maldonato transiens obseruare omittam: alterum,
Lect. Heb. illa, *obtulerunt eum*, siue vt Hebraïcè habetur, *adduxerunt eum*, non vim, sed honorem, atque dignitatem, quod Christus iam ad profectionem suam accinctus infinitis penè Angelis comitantibus, & incredibili cum pompa, & apparatu deducentibus ad Patrem adierit, significare. Alterum, illam locutionem, *& dedit ei potestatem, & honorem*, non denotare tunc primùm Christo à Patre traditam potestatem, cùm statim post resurrectionem dixerit: *Data*
Mat. 28. 18. *est mihi omnis potestas*, Matth. 28. 18. & modò regna-
1. Cor. 15. 25. re asseratur 1. ad Corint. 15. 25. sed id perinde dici, vel quia illi ad iudicium venienti potestatem, & regnum in nouum honoris signum denuò confirmare videatur, vel quia antea regnabat quidem, sed renuentibus, ac repugnantibus rebellibus seruis,
Luc. 19. 14. quos apud Luc. 19. 14. Euangelica parabola tangit; tunc verò pacificam regni possessionem adipiscatur, ponente illi Patre omnes inimicos eius, scabellum pedum ipsius.

58. Huc aduoco eas locutiones sacras, in quibus hæc dextra, non tam respectu personæ, quàm sedis ipsius, siue externæ maiestatis, atque honoris, qui in
Mat. 26. 64. honoratiori tribunalis loco elucet, sumi videtur.
Mar. 15. 64. Sic enim Matthæi 26. 64. & Marc. 14. 62. Lu-

Vella zq. in Epist. ad Philippens.

cæ 23. 69. *Videbitis Filium hominis sedentem à dextris virtutis Dei.* & ad Hebr. 1. 13. *sedet ad dexteram maiestatis in excelsis.* & cap. 8. 1. *Talem habemus Pontificem, qui consedit in dextera sedis magnitudinis in cælis:* Luc. 23. 69. Ad Hebr. 1. 13. & 8. 1.
siue, vt habet Lectio Syriaca, *qui sedet à dextera throni maiestatis in cælis.* & cap. 12. 2. *& in dextera sedis Dei sedit*: vbi Syriacè, *ad dexteram throni Dei consedit.* Quæ illud dubio procul videntur significare, quod sæpiùs inculcauimus, Patrem non iudicare quemquam, sed omne iudicium Filio dedisse. Quo Lect. Syr. Ad Hebr. 12. 2. Lect. Syr.
sensu Ambros. in id cap. 1. 20. ad Ephes. *suscitans illum à mortuis, & constituens ad dexteram suam in cælestibus*, Patris dexteram sic explicuit, & cum his Christi verbis composuit: *Quia enim omne iudicium Pater Filio dedit, idcirco ad dexteram Dei sedere dicitur quasi Iudex. Denique ipse dicit ad Discipulos*: Vsque Ambros.
modò nihil petistis in nomine meo, petite, & ego Ioan. 16. 24.
faciam. *Vnde ait Iudæis*: A modò videbitis filium Mat. 26. 64.
hominis sedentem ad dexteram virtutis Dei, & venientem in nubibus cœli. *Ex eo enim, quo innotuit, adiri cœpit, & postulari quasi Iudex.* Ita Ambros. Quò forsan respicit Ecclesia, cùm in ea Missæ prosa, qua dicitur: *Gloria in excelsis Deo*, postquam Christo suam mansuetudinem proponens dixisset: *Qui tollis peccata mundi, miserere nobis*, iterum statim misericordiam obtestans, non sine emphasi inquit; *Qui sedes ad dexteram Patris, miserere nobis*: ac si dicat, qui summum in nos imperium habes, & de nobis pro tribunali omne ius dicis, benigne, & misericorditer nobiscum te gere. Nec pigebit, pudebitve me, vt id vndequaque euoluam, atque elucidem, diserti Taciti verba de Tiberio Cæsare, cùm totius orbis Imperio potiretur, honoratiorem in iudiciis locum Romano Prætori tribuente, his interserere;
sunt ista lib. 1. Annal. ad fin. *Nec Patrum cognitionibus satiatus iudicijs adsidebat in cornu tribunalis, ne Prætorem curuli depelleret; multaque eo coram aduersus ambitum, & potentium preces constituta.* In quibus vrbani, siue callidi Principis modestia, & comitas, siue in Romanum Prætorem reuerentia, maximè elucet, dum rerum omnium ipse potitus, non tam iudiciis præesse, quàm assidere, siue interesse volebat; eaque de causa cùm Prætor in sede curuli velut supremus Iudex pro tribunali ius diceret, & præsideret, ipsi non nisi in tribunalis cornu, Hispanicè, *al vn lado*, siue, *al cabo del tribunal*, de industria assidebat: quare prudẽs scriptor signatè adiecit, *multa* non ab eo, quasi ab Imperatore, aut Iudice, sed *coram eo*, tanquam teste, aut monitore ad summum, *aduersus ambitum, & potentium preces constituta.* Vbi vides consessum ipsum, siue munus iudicandi, non metaphoricè, vt nos loquimur, sed reapse digniorem, & honoratiorem, maiestati atque celsitudini Principis nihil officere, quominus non modò æqualis, vt de Patre respectu Filij loquimur, sed Prætore superior haberetur. Ad hunc ergo modum Christum ad dexteram maiestatis, siue throni in excelsis humani generis iudicia exercentem, & de eorum vita, & nece decernentem, tu Corn. Tac.
cogita. Certè Actuum 10. 42. signatissimè ab Apo- Act 10. 42.
stolorum Principe de Christo dicitur, *& præcepit nobis prædicare populo, & testificari, quia ipse est, qui constitutus est à Deo Iudex viuorum, & mortuorum.* Vbi illud (*viuorum*) sic intelligo, vt præter extremum, & vniuersale iudicium, quod Christo sigillatim competit, *quia filius hominis est*, Ioan. 5. 27. omnis etiam Ioan. 5. 27.
iudiciaria in homines potestas, siue dum ij in viuis sunt, & tam pro iustis, quàm pro improbis actionibus spirituales, vel temporales retributiones recipiunt, augmenta, videlicet, aut decrementa gratiæ, prosperos, vel infelices rerum euentus; siue cùm mortalitatẽ explẽt, & in particulari singulorũ

iudicio, vel cœlestibus deputantur gaudiis, aut suppliciis æternis addicuntur, siue purgatorio etiam igni iuxta erratorum mensuram commendantur, ad ipsum pertineat. Qua de re luculentissimè agit P. Suarez tom. 2. in 3. part. disp. 52. sect. 2. Vide illum.

59. Genebr. Sed infensum huius expositionis, siue acceptionis, *dextera Patris*, hostem habemus Genebrardum in id Psal. 109. *Sede à dextris meis*; qui eam, si non calumniatur, clanculum tamen arrodit, & multis eneruare contendit. At enimverò adeò argumentationum ipsius tela non metuimus, vt nouam potiùs ex illis firmitudinem, & lucem nostræ sententiæ comparaturos nos credamus. Ergo argumentatur primò. Sequeretur, Filium esse maiorem Patre, quod nullo sensu dicendum est. Respondeo: vt hæ propositiones, *Filius est maior Patre, Pater est minor Filio*, omni sensu repudiandæ sunt, quod inæqualitatem inter personas inducant; ita constanter inficior ex nostra explicatione eas propositiones sequi, sed dumtaxat, Patrem aliquid tribuisse Filio extrinsecum, vnde nobis videatur regiæ functionis aliquid præseferre, quod non æquè nobis in Patre appareat. Et quidem id non obscurè ab ipso Assertore admonitum Ioan. 5.20. etenim cùm eum Iudæi vellent occidere, quod æqualem se Deo faceret, ipse dum vers. 19. primùm præmittit, nihil se sibi arrogare, quod Patri non ferat acceptum, etiam

Ioan. 5.20. hanc æqualitatem, inquit: *Quæcumque Pater fecerit, hæc & Filius similiter facit, Pater enim diligit Filium, & omnia demonstrat ei, quæ ipse facit*: hoc est, phrasi Hebræa, dat, & largitur Filio facere, & posse, quidquid ipse Pater facit, pollet que; id statim quod aliquid amplius præseferat, ita subiicit: *Et maiora ei demonstrabit opera, vt vos miremini*. Ac si dicat: dabit illi potestatem aliquid peculiari iure operandi; hactenus enim dedit virtutem viuificandi mortuos, quod & ipse facit (vers. 21.) sed vt vos vehementiùs admiremini adeò à Patre honorificatum, & exaltatum, ecce quod ipsemet Pater per se non est facturus, soli Filio dabit facere, & vos à Filio id geri videbitis, nempe regiæ maiestatis iurisdictionem, & supremi imperij functionem exerceri, iudicare viuos, & mortuos: *Neque enim* (vers. 22.) *Pater iudicat quemquam, sed omne iudicium dedit Filio*; videlicet, vt quamuis id omnes tres personæ simul facturæ sint, attamen, quod Pater & Spiritus sanctus in persona Iudicis, quæ à iudicandis hominibus videatur, non sint apparituri, Filius autem solus in carne gloriosa supra nubem, vt Rex, atque vt Iudex in solio residens, sententiam prolaturus cernetur, eâque ratione dignitas illa regia, & supremi Iudicis maiestas luculentior quoad nos, & illustrior in Filio sit futura, ideo iudicium omne signatè Filio datum dicitur. Vnde quidem intelligi potest, in hac metaphorica sessione ad dexteram, Patrem non re ipsa, siue intrinsecè, sed quoad nos, & extrinsecè Filium sibi quodammodo prætulisse. Hinc verò non sequi Patrem minorem Filio esse, facilè quisquis habuerit oculos, animaduertet.

60. Esther 6.9. Libet tamen id plus plus declarare similitudine petita ex libro Esther cap. 6.9. de Mardochæo, quẽ Christi imaginem hac in re fuisse, non obscurè cõstat: hunc Assuerus equo regio insidentem, & primo de regiis Principibus frænum ducente, & præconem agente, per vrbem obequitare iussit, quem tamen honorem nulli suorum Regum soliti sunt Persæ exhibere; nam nec Regis equitantis equum is, qui apud ipsum gratia plurimum valebat, manu regebat, nec præconis munere ante illum fungebatur. Quid inde? maiórne ideo Assuero mansit Mardochæus? Minimè quidem, sed minor, quamuis exteriùs ad aspectum maior tunc honor illi, quàm Assuero fuerit exhibitus. Cur igitur tali demonstratione honoris Regi prælatus est Mardochæus? Quia sic honorantur, quos Rex vult honorare. Similiter Rex Salomon maioris honoris consessum (nempe dexteram) matri tribuit, 3. Reg. 2. 19. Sed nonne adhuc minor? Ita omnino: verùm hac prærogatiua, quanti matrem faceret, aliis indicare voluit. Adhæc, Principes, & Dynastæ nonne quotidie hoc faciunt, cùm æquales, vel minores honoris deferendi, vel grati animi designandi gratia, ad dexteram suam statuunt? Et tamen isti re ipsa, vel minores, vel æquales Dynastis à quibus sic honorantur, permanent, etsi amplius extrinsecò aspectu honorati censeantur. Ergo ad hunc modum, etsi Pater, & Filius in diuina natura sint omnino æquales, Filius verò quoad humanam naturam minor Patre sit, extrinsecè tamen, quod ad nos attinet, functione officij, & administratione Ecclesiæ, aliquid amplius habere videtur, quia sic honoratur, quem summus Parens voluit honorare, & ad dexteram suam statuere, nimirum, etsi ipse Deus, & Rex sit, regni tamen administrationem singulari dono Filio concessit, quod regnum proprio sanguine acquisierit, vt iam dixi. 3. Reg. 2. 19.

Obiiciunt deinde aduersarij: Nemo vnquam sinistram in sacra Trinitate constituit; nec sinistra potest intelligi, vbi nulla est inæqualitas: sed si Filio tribuitur dextera, quia aliquid habet maius, quàm Pater, ergo Patri erit tribuenda Filij sinistra, tanquam minori. Subdola quidem, atque captiosa argumentatio, quæ à dextera propriè dicta ad dexteram metaphoricam colligit. Quare omnino explodenda est consequentia; Filius est ad dexteram Patris, ergo Pater ad sinistram Filij. Ratio discriminis est, quod dextera propriè sumpta non nisi respectu loci, aut situs, qui proprius est rerum corporatarum, dicatur, inter res enim corporeas, vbi aliquid alteri ad dexteram, istud illi ad sinistram necessariò est: dextera verò metaphoricè sumpta non respicit ad situm, sed ad similitudinem boni alicuius, quod hoc nomen mereatur, qualis est ea prærogatiua, quam sumus persecuti. Vnde non est necesse, vt sinistrum sit, quod illi correspondeat, maximè cùm in beatitudine, ac gloria sinistrum in malam partem accipiatur, vt cùm hœdi ad sinistram Dei collocandi dicuntur Matthæi 25. 33. quod cùm à Sanctissimæ Trinitatis personis sit prorsus alienum, meritò Patres illam personam à sinistris alterius esse, constanter negant. 61. Mat 25 33.

Hinc rursus pellem mutant contrariæ opinionis auctores, & qui Patrem ad Filij sinistram obiiciebant, ad dexteram illius subinde statuunt ex illis Psal. 109. 6. verbis, *Dominus à dextris tuis*. Qui ergo, inquiunt, hæc prærogatiua in dextera subsistere queat, cùm eodem prorsus modo Pater ad dexteram Filij, ac Filius ad dexteram Patris esse dicatur? Possem quidem in primis negare assumptum cum Theodoreto, & Latinis, qui ea verba de Filio ad dexteram Patris constituto intelligunt; sed vt liberaliter largiar Chrysostomi, & aliorum expositionem, quid inde contra nos inferatur, non perspexi. Si dicant, ergo Pater non est ad Filij sinistram; concedemus libẽter, vt concessimus: si instent, ergo Pater non est minor Filio; hoc quoq; fatebimur, quod superiùs etiam expressè asseruimus: si inferant, ergo ab extrinseco nihil de Filio nobis apparet magnificum, quod non æquè appareat de Patre; hoc omnino negabimus sequi: talis etenim Filij prærogatiua (vt iam explicui) non impedit, quo minus Filio Pater à dextris sit. Quid quod ista phrasis pro nobis pugnat? nã cùm audimus Patrẽ à dextris esse Filij, 62. Psal 109 6. Theod. Chrysost.

Filij, intelligimus aliquid prærogatiuæ, roboris, & fortitudinis adscribi Patri, vt adiuuãti, & protegẽti Filiũ; propter quã tamen æqualitati diuinitatis Filij nihil decedat. Ad quẽ sanè modum in Filio ad dexteram Patris sedente aliquid prærogatiuę regij honoris intelligimus, quæ tamen, quia est respectu nostri, & extrinseca, eidẽ æqualitati nihil derogat. Sed enim quomodo Pater ad dexterã Filij, & Filius ad dexteram Patris sit, penitiùs explicare placet.

63. Porrò Filius ad dexteram Patris non vtcumque esse, sed signatè sedere dicitur, quatenus Pater Filium hac regni prærogatiua, & iudiciaria potestate sic honorat: sedere enim regnare est, vt iam dixi. Pater verò ad dexterã, seu à dextris Filij non tã sedere, quã esse, seu stare dicitur, vt auxiliator nimirũ, & protector Filij (quatenus homo est) ad recuperandum, & subiiciendũ illi regnum. Sic sumitur

Psal.108.31. hæc locutio *stando à dextris*, Psal.108.31. *Adstitit à dextris pauperis, vt saluã faceret à persequentibus animam meam.* & Psal.15.8.

Psal.15.8. *à dextris est mihi, ne commouear.* Quod quidem de humana Christi natura, secundùm quam Pater Filium adiuuit, cum à mor-

Act.2.25. tuis suscitando, exposuit Petrus Actuũ 2.25. Aliud itaq; est stare à dextris; aliud sedere à dextris: istud prærogatiuam aliquam honoris indicat; illud verò nullam quoad illos, ad quorum dexteram adstare quis, stare, vel esse dicitur, sed suppetias tantùm vel illi, cui adstat, vt in præfatis Dauidis locis, vel ter-

Act.7.56. tio alicui ferendas; sicut B. Stephanus (Actuum 7. 56.) vidit Iesum stantem à dextris Dei, non auxiliatorem Dei Patris, sed Stephani, cui aemulatio facta. Significat tamen stare à dextris, aliquando felicitatis, & honoris prærogatiuam aliquam, quoad illos quibus dextera illa opponitur, qui dicuntur, vel

Matt.25.33. significantur stare ad sinistram, vt cùm Matth. 25. 33. extremum iudicium describitur, & iusti ad dexteram, impij ad sinistram Christi statuuntur: tunc enim non præferuntur Christo iusti vllo honore, sed vt membra viua suo capiti inserũtur, & adiunguntur; impij verò, vt membra mortua, resectáque reiiciuntur: sed cõparatione inter hœdos, & agnos instituta, hi illis honore præferuntur, quia hominum communi iudicio, & locutione, quæ honorata, feliciáque sunt, dextra; quæ inhonora, & infelicia, scæua, sinistra nominantur; vnde & vetus vocabulum *obscauare.*

64.

Psal.44.10. Affulget hinc quidem multũ lucis duobus Scripturæ locis. Priori è Psal.44. qui cõtinet Epithalamium Christi, & Ecclesiæ, vers. enim 10. habetur: *Adstitit Regina à dextris tuis in vestitu deaurato.* Vbi censeo Reginam vocari Ecclesiam Christianam redemptam, & mundatã sanguine Christi; & collocari ad dexterã Christi, vt pugnantem pro gloria sponsi cõtra eius hostes, & cum eodem triumphantem; sed non vt sponso digniorem, quia ad dexteram: eo quod dextera illic opponatur sinistræ sponsi, ad quam indicatur in extremo iudicio statuenda cæca, & omni ornatu destituta vetus Synagoga, hoc est, Iudæi, qui in perfidia permanserunt, & mortui

Matth. 20. 21. sunt. Posteriori è Matt.20.21. Pro quo notandum, quod sessionis ad dexteram, vel ad sinistram vocabulum, quãdo de tribus, vel pluribus sermo fit, non semper comparationem insinuat medij cum assidentibus ad latus; sed sæpe comparationem tãtùm collateralium inter se respectu medij, vt cùm sedet Rex in Senatu, quo quisque ei propinquior assidet vtrimque, eo habetur honoratior. v.g. qui primus ad sinistram, dignior eo, qui secundus ad dexteram. Quæ est sententia materni postulati vxoris Zebedæi, quæ dicto vers.21. cupiens filios suos iure cognationis Saluatori proximos cæteris Apostolis præferri, dicebat: *Dic vt sedeant hi duo filij mei, vnus ad dexteram tuam, & vnus ad sinistram in regno tuo;* facta enim mentio fuerat duodecim Assessorũ, qui cum Christo tribus omnes iudicarent. Errabat illa, quia regnũ Christi in hoc mundo, & de hoc mũdo futurum putabat. Ideo Christus vers.22. respõdet: *Nescitis quid petatis.* Quare? Quia vni inconsultò damnatio petebatur. Nam in regno cœlorum quotquot beati, omnes in dextera sedebunt; nemo erit in sinistra, quæ parata Satanæ, & angelis eius.

Tandem nobis obiiciunt. Si Filius dicitur sedere in dextera Patris propter regni prærogatiuam, quo 65.

pacto S.Athanas.lib. *de communi essentia Patris, & Filij, & Spiritus sancti,* ipsum quoque Spiritum sanctum ad Patris, & Filij dexteram in sede collocauit? Facilis responsio. Quia titulus libri conuincit, eum hoc facere ratione diuinæ naturæ, in qua omnes personæ, vt re ipsa sunt, ita nobis semper manifestatæ, ac demonstratæ sunt esse æquales, & ea ratione, nec Pater medius est, sed ad dexteram Filij, & Spiritus sancti, sic etiam Filius, sic etiam Spiritus sanctus, quia omnes in Deitate coæquales. Nos ad regiã illam, & iudiciariam finitionẽ attendebamus. Pari ratione, quando S.Ambr. seu Maximus dicto serm.60. Basil. Theodoret. & alij Patres in Psal.109. negant Filium dici sedere ad Patris dexteram, vt Patri præferatur, loquuntur de prælatione à parte rei, non de metaphorica. & hominibus tantùm apparente, qualem descripsimus. Hæc occasione verborũ Pauli de Christi regno, & potestate in Patris dextera, ad quam ipse sedere dicitur, meditabamur cum Maldonato. Vt verò ipse de hac expositione sic ait: *Proponere tantùm volui, & in medio relinquere ab aliis me doctioribus iudicandam:* ita & ego de tota hac re, atque explicatione huius loci Pauli idem dictum esse volo. Vos docti iudicium ferte; quæ vestra sententia erit, mea erit: nec enim quem sequamini, nec quem fugiatis, esse cupio.

Athan.

Maxim. Basil. Theodor.

Ad gloriam Dei Patris.

NOn infrequens de externæ gloriæ accessione Deo Patri per Christũ facta, in Scripturis mẽtio est: sed quænã hęc sit, quóve sensu Iesus ad Patris gloriam Dominus dicatur, haud facilè ex Patribus, & interpretibus liquet. Dixerit in primis nõ nemo, sub eodẽ sensu Paulum fuisse locutum, quo ipsemet Assertor apud Ioan.17.1. dixerat: *Pater venit hora, clarifica Filium tuum, vt Filius tuus clarificet te:* siue vt Græca, & Syriaca habent, *glorifica Filium tuum, vt Filius tuus glorificet te.* Quæ verba de reuelatione Patris, quæ nõ nisi per Christũ mundo innotuit, sic explicuit Aug.tract.105. in Ioan. *Meritò quæritur, quomodo Patrem clarificauerit Filius, cùm sempiterna claritas Patris, nec diminuta fuerit forma humana, nec augeri potuerit in sua perfectione diuina. Sed in seipsa claritas Patris, nec minui, nec augeri potuit; apud homines autem proculdubio minor erat, quãdo in Iudæa tantummodo Deus notus erat, nondum à Solis ortu vsque ad occasum laudabat pueri nomen Domini. Hoc autem, quia per Euangelium Christi factum est, vt per Filium Pater innotesceret gentibus, profectò Patrem clarificauit & Filius. Hoc quippe aperit ordo ipse verborũ,* clarifica (*inquit*) Filium tuũ, vt Filius tuus clarificet te; *tamquam diceret: Resuscita me, vt innotescas toti orbi per me.* Hæc August. quæ Origenes hom.4. de visione Dei, & Seraphim iam antea dixerat.

66.

Ioan.17.1.

Lect.Græc & Syriac.

August.

67.

Ioan 17.6. Chrysost. Cyr. Alex. Theophy. Leontius. Rupert. Euthym. Tertul. Hilar.

Quam ad rem illud etiam videtur facere, quod postmodum vers.6. sic subiicit Dominus: *Manifestaui nomen tuum hominibus.* Quod Chrysost. Cyrillo, Theophylacto, Leontio, Ruperto, Euthymio interpretibus, & Tertulliano, & Hilario ipsis præ-

euntibus, perinde est, ac si dixerit: Notum feci hominibus, quod ipsos ad mea vsque tempora latuerat, Patrem, nimirum, te esse, consubstantialémque tibi Filium gignere. Ita Tertul. lib. de orat. cap. 2. *Nomen Dei Patris nemini proditum fuerat, etiam qui de ipso interrogauerat Moyses, aliud quidem nomen audierat. Nobis reuelatum est in Filio. Iam enim Filij nomen, Patris nomen est; & apertiùs:* Nomen tuum manifestaui hominibus. Hæc Tertul. Similiter Hilarius lib. 3. de Trinit. *Operibus Filij clarificatus est Pater, dum Deus esse intelligitur, dum Dei vnigeniti Pater manifestatur.* Omnium verò luculentissimè Cyril. lib. 11. in Ioan. cap. 18. his verbis: *Manifestauit Patris nomen Filius, non solùm quia certiores nos fecit de perfectionibus Dei, quæ vel apud priscos prædicabantur; verùm etiam, quia verè Patrem esse Deum, nec falsò ita nomine appellari nobis asseruit. Genuit enim non in tempore creatorem sæculorum Filium consubstantialem sibi, ac coæternum. Nomen autem Patris magis ei conuenit, quàm nomen Dei; hoc enim dignitatis, illud substantialis significatiuum est proprietatis: Deum enim si dixeris, rerum omnium Dominum ostendisti; Patrem verò si appellaueris, proprietatem tetigisti. Manifestauit igitur Christus, quia Pater Filium genuit.* Hæc, & multo plura Cyril. lectori omnino videnda. Quò quidem non abs te peculiarem Tertulliani lectionem possis reuocare, dum pro illis Vulgati verbis; *Spiritus oris*
Thren. 4. 20. *nostri, Christus Dominus*, Thren. 4. 20. ipse lib. 3. aduersus Marcio. cap. 6. & lib. 5. c. 11. & aduersus Pra-
Tertul. xeam cap. 14. reponit: *Spiritus persona eius, Christus Dominus.* Quæ sic capio, vt Christus quoad externam manifestationem, & cōfessionem, ac honorem Patri ab hominibus exhibitum, spiritus, siue vita fuerit personæ, siue nomini, & proprietati eius, quę dum homines omnino latebat, perinde atque extincta in eorum mentibus, & cognitione esse videbatur.

68. Sed enim, iuxta Græcam Lectionē, & quam illi reddidimus in superioribus expositionem, op-
Chrysost. Oecumen. portuniùs in primis cum Chrysostomo, & Oecumenio, Christum ex omnium gentium confessione Dominum, & rerum omnium potentem, ad peculiarem Patris gloriam ab Apostolo dici contenderis, quod Filij gloriam, Parentis & claritatem esse, necesse sit. Sic namque Oecumen: *omnis lingua confiteatur. Quid confitebitur? Quod Dominus sit Iesus Christus ad gloriam Dei Patris: est enim Patris gloria talē habere Filium omnium Dominū, & conditorem, ac Deum, & cui se flectat omne genu, & omnis lingua confiteatur.* ita ille. Similiter Chrysostomus: *Illud verò gloria est Patris, vides vbique glorificari Patrem, dum Filius glorificatur; ita & Pater dehonestatur, quando dehonestatur Filius. Si enim apud nos hoc est, vbi multum discriminis inter patres, & filios est, multo magis apud Deum, vbi nihil est inter Patrem, & Filium differentiæ, in Patrē pertingit Filij seu honor, seu ignominia, istud Patris est gloria.* Sub quo sensu capiēs Hilarius
Hilar. Ioan. 17. 1. Assertoris nostri ad Patrem verba Ioan. 17. 1. *Pater venit hora, clarifica Filium tuū, vt Filius tuus clarificet te;* sic inquit. *Itaque cū omnia Filius accepit, clarificatus à Patre est: & contrà clarificatur Pater, cùm fiunt vniuersa per Filium. Et claritate accepta, sic redditur, vt quod claritatis in Filio est, id totum claritas Patris sit, quia à Patre accepit omnia, quia honor famulantis in honore mittentis est. vt honor gignētis in honore nascentis est.* Et postmodum, dum premit sequentia Christi
Ioan. 17. 4. indidē verba: *Ego te clarificaui super terram* (Ioan. 17. 4.) *opus consummaui, quod dedisti mihi vt faciā.* hęc in eandem sententiam subiicit. *Laus Patris omnis à Filio est, quia in quibus laudabitur Filius, laus erit Patris. Consummat enim omnia, quæ Pater voluit. Dei Filius homo nascitur, sed Dei, in partu Virginis, virtus est. Dei Filius, homo cernitur, sed Deus in operibus hominis existit. Dei Filius crucifigitur, sed in cruce hominis mortem Deus vincit. Christus Dei Filius moritur, sed omnis caro viuificatur in Christo. Dei Filius in inferis est, sed homo refertur ad cœlum. In quantum hæc laudabuntur in Christo, tanto plus laudis ex quo Christus Deus est, consequetur.* Hæc Hilarius.

Nec ab hoc lōgiùs iueris, si Christū Dominum, 69.
ac summum rerum imperium habentem, ad Patris gloriam esse dixeris, quod ipse eum, quamuis Filius sibi charissimus esset, ad huius dignitatis culmen, atque fastigiū non aliter, quàm per labores, & merita euexerit. *Decebat enim eum propter quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat, auctorem salutis eorum per passionem consummare*, siue, *consummari*; sensu à nobis superiùs dato. Id quod in egregiā Patris laudem, atque gloriam planè cedit; etenim tunc potissimum rectitudinis, atque sapientiæ suæ specimen Princeps edit, cùm ad honorum gradus non nisi ex meritis, & dignitate homines attollit. Vnde Regius Vates Psalmo 44. 18. cùm de Aposto- Psal. 44. 18.
lis in Principes Ecclesiæ à Deo assumptis, dixisset; *Constitues eos Principes super omnē terram*; subdidit, *propterea populi confitebuntur tibi*; hoc est, propterea summis laudibus afficieris, quod tales ad Ecclesiæ gubernationē Principes elegeris; id inibi sic expendente Chrysost. *Propterea, propter quanam? Quod tot,* Chrysost.
& tanta rectè gesseris, quod tales Principes constitueris; quod vitium exegeris, quod virtutem plantaueris; vniuersus orbis terra tibi laudem offeret. A quo sanè non it illud Taciti lib. 13. Annal. de Nerone recenter Corn. Tac.
Imperatore facto: *Daturum planè documentum honestis, an secus amicis vteretur, si ducē amota inuidia egregium, quàm si pecuniosum, & gratia subnixum per ambitum deligeret.* Recidit quippe in electoris caput quæuis tam digni, quàm indigni alicuius ad dignitatem promotio, vt in militibus arundine caput Christi percutientibus, Marci 15. 19. sic acutè per Marc. 15. 19.
allegoriam considerauit Drogo de Sacramēto Dominicæ Passionis: *Acceperunt arundinem, & percutiebant caput eius, à talibus enim rectoribus milites eorum potestatem accipiunt nocendi, & deuorandi pauperes, quod totum tamen redundabit in caput eius, cuius auctoritate se tuentur.* Ergo optimo merito in gloriam Patris Christi imperium, atque dominatio cedit, dum eximiam ipsius sapientiam, & iustitiam patefacit. Ita quidem sub Dei Patris persona visus est dixisse Regius Vates Psal. 88. 36. *Thronus eius sicut* Psal. 88. 36.
Sol in conspectu meo; vbi ex Hebræo propriè legeris, *sicut Sol mihi*: vt sensus sit, Christi thronum, & regnum, viam, scilicet, ac modum quo ad illud peruenit, non aliter, ac Sol, qui dum luce, & colore res perfundit, eas quasi de facie notas reddit, diuinam prouidentiam, atque iustitiam hominibus manifestam reddere.

Quam sanè cogitationem libens confirmo iis 70.
Sapientiæ verbis cap. 7. 26. quæ toties in superioribus inculcauimus; *Emanatio quædam est claritatis* Sap. 7. 26.
omnipotentis Dei sincera: quæ Augustinus, & Origenes locis indidē indicatis de Christo, quatenus Dei Augus. Origen.
Sapiētia est, qua ipse sapiētissimè, hoc est, nō vi, aut coactè, sed suauiter, & temperatè omnia Patri subiicit, *cum tranquillitate iudicans, & cum magna reuerentia dispones nos*, cum allusione ad hūc Pauli lo- Sap. 12. 18.
cum, *in nomine Iesu omne genu flectatur*, sic capiunt. *Non potest antiquior esse in Deo appellatio omnipotentis, quàm Patris, per Filium enim omnipotens est Pater. Sed quoniam gloriam dixit esse omnipotentis, cuius gloriæ emanatio est Sapiētia, hoc intelligi datur, quod etiam in omnipotentia gloriæ societatem habet Sapientia; per*

quam

quam Deus omnipotens dicitur, per Sapientiam, quæ est Filius, tenet Deus omnium potentatum. & post nõnulla: *Horum autem potentatum gerit per Verbum suum, quia in nomine Iesu omne genu flectitur. Ergo Iesus est omnipotens, quippe cui subiecta sunt omnia, & per quẽ subiecta Patri sunt omnia: per sapientiam namque, id est, verbo, & ratione, non vi, & necessitate subiecta sunt: & ideo in eo ipso, quod obtinet omnia, gloria sua est. Et hæc est omnipotentia purissima, ac limpidissima gloria, cùm ratione, ac sapientia, non vi, ac necessitate subiecta sunt.* Optimè quidem. Quid enim illustrius, quid magnificentius, aut gloriosius, quàm ratione, consilio, suauitate, & charitate, non catenis, nõ vinculis, non multo ferro, omnia sibi subdita, atque subiecta habere? Scitè enim Plutarch. in Phocione, cùm dixisset: *Vt igitur prædicant Solem Mathematici nõ eodem, ac cœlum motu volui, neque prorsus aduerso tamen, & opposito, sed obliquam, atque leuiter inflexam cursus formam tenendo, lentum, flexibilem, & sequacem efficere anfractum, quo vniuersitas constat, atque optimam accipit temperaturam: in Repub. item nimium directus, & per omnia populi voluntati reluctans, ingratus est tenor, & rigidus; vt contra lubricus, & procliuis, qui peccantes sequitur cùm eò videat inclinare populum;* subiicit. *Illa verò quæ partim concedit, indulgétque, indéque exigit quod fructiferum est administratio, & moderatio hominum in multis modestè, atque vtiliter, nisi vbique imperiosè, & violenter agantur, obtemperantium salutaris quidem est, verùm ardua, eam quæ ægrè cum lenitate temperatur, retinens grauitatem. Quæ cum hac si temperata fuerit, ea demum modulorum fit omnium, & concentuum maximè concinna, & delectabilis temperatura, qua mundum quoque perhibent Deum regere, non violentia, sed lepore, & ratione inducendo leniens necessitatem.* Hæc ille. Ergo Iesus *est Dominus ad gloriam Patris;* quia omnia in sapientia, & bonitate ipsi subiicit. Sic ad Hebr. 1. 3. de Christo dixit Paulus, *portans omnia verbo virtutis suæ:* vbi præterquàm quod gubernationis rationem ad moderationem, siue modestiam referr, qua velut currus portat, quos regit, (quod nos ad cap. 1. vers. 23. & 24. adnotat. 2. n. 9. in eum Pauli locum adnotauimus) obserua Lectionem Syriacam, quæ dum habet, *complectatur omnia virtute* (alij reponunt, *vi*) *verbi sui*, non obscurè innuit, non vi, sed suauitate, & blando complexu omnia Christum moderari. Vade ergo tu quisquis Princeps, aut Prælatus es, & fac similiter.

Plutarch.

Ad Hebr. 1. 3.

Lect. Syr.

71\. Verumenimverò illa mihi simplicior explicandi ratio visa est, quæ ex totius Pauli clausulæ serie sumitur; vt inde Christi exinanitio, & exaltatio in summi Patris gloriam cesserit, quod vt eius nomen per Christi crucẽ, & regnum gentibus innotuit, ita ipsiusmet bonitas, atque benignitas ex Christo, qui eius character, & imago est, orbi peculiariter illuxerit. Quã equidem rationem videor mihi colligere ex Athanas. orat. 2. cõtra Arianos. de Patris gloria, quam explicamus, hęc dicente: *Ita quoque ille idẽ, cùm homo factus, & Iesus appellatus, nihilominus haberet omnem creaturam pedibus suis subiectam, sibíque in suo nomine genua flectentem, pariterque confitentẽ, Verbum carnem factum, mortémq; in carne sustinuisse, non ad ignominiam Deitatis, sed ad gloriam Dei Patris; gloria autẽ Patris est hominem iam conditum, & amissum, recuperari, emortuúmque viuificari, templúmque Dei effici.* Hæc Athan. Ad cuius gustum præfato loco Hilar. premens dicta Christi verba: *vt Filius tuus clarificet te*, cùm circa illa priùs dixisset: *Quomodo ergo clarificabitur, quod suo non eget, neque à se deficit, neque quidquam sit quod in se recipiat, neque amiserit, vt resumat? Hæremus: moramur;* Ita subdit: *Sed intelligentiæ nostræ infirmitatem Euangelista non deserit, qui quam clarificationem Patris Filius esset redditurus ostẽdit dicens:* Sicut dedisti ei potestatẽ omnis carnis, vt omne, quod dedisti illi, det ei vitam æternam. *Clarificatur ergo per Filium Pater, in eo quod fit à nobis per Filium intelligendus. Claritas autẽ hæc erat; quod ab eo Filius potestatẽ omnis carnis acceperat. Caro enim factus ipse vitæ æternitatem erat caducis, & corporeis, & mortalibus redditurus:* ac si dixerit, peculiarem hanc Patris gloriam esse, quod immensa ipsius bonitas, naturáq; ad benefaciendum, & vitã homini æternam reddendam summè prona, atq; procliuis per Christum nobis innotuerit. Quare sic pergit Hilar. *Ergo non claritas Deo additur: neque enim decesserat, vt adderetur, sed per Filium clarificatur apud nos imperitos, refugas, sordidos, sine spe mortuos, sine lege tenebrosos; & clarificatur per id, quod ab eo Filius potestatem omnis carnis acceperit, & vitam ei æternam daturus.* & post nonnulla: *His igitur modis Pater Filium clarificat super terra. Rursúmque Filius ignorationi gentium, & stultitiæ sæculi per virtutum suarum opera eum, ex quo est, ipse clarificat.* Hæc Hilarius, & alia in hanc rem. Ad quem etiam modũ similia Christi verba, *In hoc clarificatus est Pater meus*, apud Ioan. 15. 8. sic accepit S. Cyr. Alex. lib. 10. in Ioan. c. 19. vt Pater à Christo ideo clarificatus dicatur, quod ex eius Passione ineffabilis illius bonitas mundo innotuerit: sic nãque Cyril. *Clarificatum Patrem suum esse dicit, quoniã ineffabilis eius bonitas, atque misericordia nota omnibus coronam quasi gloriæ illi attulit; sic enim Deus dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitũ daret.* Sed & hanc cogitationem lib. 11. in Ioan. c. 18. plus plus ad hũc modum expressit: *Glorificatur enim Pater in Filio, vt in imagine suæ formæ, atque figura, in quibus primitiuorum pulchritudo semper elucet. Nam cùm vnigenitus, sapientia, & vita substantialiter, creatórque omnium, ac interitu, & morte superior, sanctus, immaculatus, bonus denique esse non dubitetur, eodem se modo naturaliter habere, qui eum genuit, creditur, ita in gloria imaginis suæ Pater effulsit. Nam et si apud priscos talis esse diceretur, non sic tamen illis, vt nobis res apertissimè patuit.* Ita Cyrillus.

Athan.

Hilar.

Ioan. 15. 8.

Cyr. Alex.

72\. Sed & sic capias quod de Deo Patre ad Hebr. 1. 2. dixit Paulus, *nouissimè diebus istis locutus est nobis in Filio;* si tamen memineris tum Christum verbũ sermonémque Patris esse, tum ex verbo, ac sermone vnumquẽque velut arborẽ ex fructu cognosci. Sic adolescenti pertinaciter tacenti dixisse fertur Socrates; *Loquere adolescens, vt te videam:* voluit dicere, fac verba, vt aliquod tui specimẽ præbeas. Sic Mat. 12. 33. dum parœmiasticè dixit Dominus, *ex fructu arbor cognoscitur;* subdidit, *quomodo potestis bona loqui cũ sitis mali?* Inquit ergo Paulus locutũ nobis Patrẽ in Filio, egregias suas virtutes nobis patefaciẽtem, séque velut de facie in sua imagine, & charactere agnoscendum exhibentem. Cui cogitationi sic adstipulatur Cyril. lib. 3. Thesauri, c. 2. *Arbor ex fructu suo cognoscitur, fructus autem Patris verbum suum, hoc est, Filius suus.* Sed multo pleniùs Tertul. lib. 2. cõtr. Marc. c. 4. dum eum hæreticum, qui Christum Dei non boni Filium flagitiosè faciebat, hac ratione sic pulchrè confutat: *Adhibet operi bono optimum etiam ministrum sermonẽ suum;* Eructauit, *inquit*, cor meum sermonem optimum. *Agnoscat hic primum fructum optimum, vtique optimæ arboris, Marcion. Imperitissimus rusticus quidem in malam bonam inseruit, sed non valebit blasphemiæ surculus, arescet cum suo artifice, & ita se bonæ arboris natura testabitur.*

Heb. 1. 2.

Matt. 12. 33.

Cyr. Alex.

Tertul.

73\. Similis mihi Pauli locus est in prępatione Epistolæ ad Rom. cùm de Patre æterno ait vers. 2. *de Filio suo, qui factus est ei ex semine Dauid secũdum carnem.* Vbi bene in primis ex Augustino notarũt Magister, & S.

Ad Rom. 1. 2.

August.

Mag. Sent.

S.Thom. & S.Tho.opportunè ibi dictú à Paulo, Christú factú,non natú,(licèt,& natú fuisse dici possit,& debeat)quod cú nasci ad naturá,fieri verò ad arté referri soleat;est enim ars recta ratio eorú quæ fiunt, vnde vt arbor nasci,non fieri,ita domus fieri,nó nasci dicitur)eo dicendi modo indicauit Apostolus,in temporali Christi generatione,quãuis multa iuxta naturæ ordinem perfecta fuerint,conceptio,nimirum,ex fœmina, ortúsque post nouem menses , & alia, plura tamen supra naturæ leges, diuino Spiritus sancti opificio absoluta fuisse. Adde ad perfectissimæ artis rationem Christum factú , quò vt in speculo paterna imago,& claritas reluceret.Quare subinde obserua,*τὸ,εἰ*,quod vt malè à nostra lectione tollitur à Caiet.& priùs reprehenditur ab Erasmo,quasi sensui officiat,ita bene à nostris retinetur, optimeq; à Toleto exponitur,vt idem sit,ac in honoré Patris:sanè vt Christus,& nobis natus,vt nos redimeret ; Patri verò factus dicatur in ipsius honorem,& gloriam,vt quasi arbor ex fructu suo cognosceretur,coleretur,atq; amaretur.Quò quidem referre possis illud Regis Vatis Psal.18.5.dicentis: *In Sole posuit tabernaculum suum*;quippe,& de Patre sermo ibi esse creditur,& Solem omnes fermè Patres de Christo accipiunt. Sed deinde obserua, tabernaculum, Hebraïcè, *Iachal*, propriè esse(vti ad eam vocem tradit Mercerus)vbi Rex,aut præpotés aliquis Dominus præualet,potenter regnat,& dominatur : vnde illo nomine vetus illud tabernaculum , necnon & Salomonis templum dictum est, quod ibi tamquam in aula peculiaré Deus maiestatis suę præsentiam exhiberet ac declararet. Quare dixisse videtur Propheta, summum Patré egregia, ac plena sapientiæ,bonitatis, reliquarúmq; diuinarum virtutum signa, quibus in homines præualeret,potéterque in eorum animis regnaret,in Christo,hoc est,in eius passione, & morte dedisse. Qua mente Ambros.lib.3.de Sacram.cap.1.dú de Christo à mortuis resurgente iuxta Pauli explicationem Actuum 13.33.capit ea Dauidis verba Psal. 2.7.*Filius meus es tu,ego hodie genui te*,sic inquit:*Pulchrè autem Pater dicit ad Filium*,ego hodie genui te: *hoc est, quando redemisti populum , quando ad cæli regnum vocasti,quando implesti voluntatem meam, probasti meum te esse Filium*: ac si diceret,redemptione tua, & ope , quam labenti mundo tulisti , naturam meam ad salutem , & vitam hominum inhiantem, quasi viua definitione patefecisti.

Caiet. Erasm. Tolet. Psal.18.5. Mercer. Ambros. Act.13.33. Psal.2.7.

74. *Sap.7.26.* Hinc pulchrè Salomon præfato Sapientiæ loco de Christo aiebat:*Vapor est enim virtutis Dei*;quippe ipsemet Dominus, qui Patris sapientia est, de seipso apud Ecclesiasticum c.24.21.dixit;*Vaporaui habitationem meam*:hoc est,verbis,operibus,miraculis,rebus præclarè gestis , & quod plus est , multis toleratis laboribus,veluti odoris optimi vapore populú, quem in meam delegerá habitationé,suffiui, vel suffumigaui,diuinitatis odoré , atque notitiam vndequaq; spargens. Vnde eadem hæc imago esse videtur, ac illa Pauli 2.ad Cor.2.15.*Christi bonus odor sumus*,vt quemadmodum Apostolus boná fragrantiam nominis Christi se appellat; ita Christus optimo merito dicat , se optimú Dei Patris odoré, benignissimá ipsius naturá, & mitissimum ingeniú spirantem,esse. Quare dum non ait; *Vapor Dei*,sed *vapor virtutis*(hoc est, potentiæ) *Dei*, sic capiendus videtur Sapiens,ac si dicat,Christum vaporem vehementem atque acerrimum extitisse,ex quo facile fuerit Angelis,& hominibus Deum odorari,atq; eius sapientiam,bonitaté,cæteráq; diuina attributa velut olfactu deprehendere:cùm hæc omnia ampliùs, augustiùs , & apertiùs ex vno isto diuino tempore doctrinæ,ac sanctitatis Christi,quàm ex cęteris omnibus Dei operibus, hominibus, & Angelis patuerint,vt sapienter docet S.Thom.3.p.q.1.art. 1.Vide superiùs dicta ad sequentia Sapientiæ verba;*Candor est lucis æternæ*. *S.Thom.*

Eccl.24.21. 2.ad Cor.2.15.

In quem sensum locutus etiam Ioannes videtur 75.
cap.1.14.dum ait: *Et Verbum caro factũ est , & habitauit in nobis,& vidimus gloriã eius,gloriam quasi vnigeniti à Patre*.Sed nonnulla in his verbis obseruare placet,& illud in primis, quod vt ab Euãgelista diceretur,Dei Filium hominem factú fuisse, maluisset illum per figurá Synecdochem, in qua pars pro toto ponitur,dicere factum fuisse carné.Vbi negotium facessit,cur nobiliori hominis parte,anima,videlicet,silétio pressa,carnis potiùs Ioannes meminerit.Illa verò mihi alias non repudianti succurrit ratio,quæ tam ex sequentium verború sensu,quàm ex præfato Pauli loco sumitur:nimirum,factú fuisse Christum Deo Patri secundùm carné, vt in ipso tamquam in speculo visibili, qui inuisibilis, & inaspectabilis erat,conspiceretur.Sanè quéadmodum, vt in crystallo , quò eius, qui se intueri vult,facies conspici queat,argentú viuum è regione subiicere, vt crystalli claritate tátisper repressa,ipse vultus,siue vultus imago reflectat , opus est:ita etiam caro visibilis,nó inuisibilis anima paternæ claritati subiici debuit, vt inuisibilis Dei visibilis imago Christus esset.Vnde Ambros. lib.4.in Luc.ad illa verba cap.4.24. *Nemo Propheta acceptus est in patria sua*, sic pulchrè in hanc ré : *Dominica carnis actus diuinitatis exéplú est, & inuisibilia nobis eius per ea,quæ sunt visibilia demonstrantur*.Quare post citata verba subdens Ioannes,*vidimus gloriam eius*,hoc est,ex interpretatione Chrysostomi , Cyril. Theophylact. ibi, necnon Basilij hom.de fide, præclara facinora , & miracula, virtutésque diuinas,quibus Christus , vt efficacissimis argumentis diuinitaté suam cófirmauit;statim adiecit ,*gloriam quasi vnigeniti à Patre*,Filij gloriá ad Patrem referés,siue ex Filij gloria gloriá Patris necessaria arguméntatione adstrués.Dixit enim sapiéter,& elegáter S. Zeno Veron. serm.de Psal.129.*Qui videt Filiũ,videt & Patrem,quia Pater in Filio,& Filius in Patre est,ex similitudine gloriæ alter in altero gloriosus.Filius,quia dignus consortio Patris,gloriosus Pater digni cósortio suo Filij*.Vnde Chrysost. post verba,quæ superiùs recitaui , sic inquit: *Quando dicimus Filium esse perfectũ,& nullius egentẽ, neq; Patre minorẽ ; istud ad gloriam Patris facit, quod talẽ genuit,& quod ad bonitatẽ attinet, & sapientiam, quod eum sapientẽ vt Patrem esse dico,nihilq; in eo Patre minorẽ,& hoc multa sapientia Patris indicium est. Cùm dico,bonus est,vt Pater,maximũ istud paternæ bonitatis signum est , quod talem genuit , qui nihil ipso sit inferior,nihil minor*.Hæc,& alia ibi Chrysost.nec aliter S.Cyril.Alex.lib.11.in Ioã.c.14.illa Christi verba Ioan.17.1. *Pater clarifica Filiũ tuũ, vt Filius tuus clarificet te*,sic explicãs.*Nã sicut inhonorari Pater videtur,nisi talẽ genuisse Filium credatur,qualis ipse est: sic gloria ei est , similem sibi omnino Filium produxisse. Glorificatur igitur Pater in gloria Filij , quia, vt modò dicebamus , dum intelligitur à quo Patre natus est, tam Patri,quàm Filio gloria redditur. Gloria igitur à Patre, qui talem genuit,ad Filium ; & à Filio,qui Patri similis est,ad Patrem omnino redundat*.Sic Cyril.

Ioan.1.14. Luc.4.24. Ambros. Chrysost. Cyr. Alex. Theophy. Basil. S.Zeno Vero. Chrysost. Cyr. Alex.

Hinc in libro peculiarium locutionum Pauli, 76.
inter rationes quas

—— *Ad breue lumen*
Candelæ , cuius dispenso , & tempero filum,

imbecillæ,inquam,meæ mentis conficere sum enixus,ob quas Dei Filius humanam carnem voluerit assumere,hãc potiùs persequor,quod ante Filij Dei aduentum

aduentum pulcherrima Dei homini indita imago, ac proinde eius gloria, & claritudo, propter Adæ peccatum obſcurata in illo, atq; fœdata fuerit: dum homines ex imagine originem penſitantes, abſurda de diuinitate cogitare, flagitiáque illi flagitioſiſſima imponere audebāt, deprauatiſſimos quoſque, quaſi diuinitati proximiores in Deos ſibi adſumentes: ſanè quaſi ſibimet (volo barbarus eſſe) certo quodā modo Deus ipſe conſulens, primariam ſui imaginem viſibilem reddere ſtuduerit, vt illa admoniti bene iam de ipſo exiſtimare, & magnificè ſentire homines inciperent. Egi multis ea de re ibi; modò tamen non omittam pulchram Anaſtaſij Synaitæ contēmplationem, lib.4. Contemp. Anagogic. in Hexamer. eam difficultatem, quę in ipſo Geneſis limine cum luce ipſa orta eſt, quænam, ſcilicet, illa lux fuerit, quæ triduo ante Solis creationem facta aſſeritur, ſic ſcitè per allegoriam diſſoluentis: *Lux quidem trium dierum præcedentium, expanſa, ac diſperſa per totam vniuerſitatem, oſtendit lumē increata Trinitatis quocumque peruenire, & nullum relinquere locum ea vacuum: quando autem quarta die fabricatur orbis Solis, & lux illa, quæ eſt vbique præſens, in eo ponitur, hoc ſignificat, quod diuina illa lux in orbe quodam primum quidē ponitur obſcura ob peccatum Adæ, poſtea autem lucida propter vnionem in Deo per hypoſtaſim in abiecto, ſcilicet, & contempto homine.* Hæc Anaſtaſius. Nos per literæ campum tam diu exſpatiatos morales adnotationes iam excipiant.

Synait.

ADNOTATIO I.

Opportuno, ac maturo tempore, & corporis gloriam, & nominis ſui claritatem Chriſtum accepiſſe.

1. ET plura à nobis de exaltatione, & gloria, non per rapinam, ſed multo labore, atque ſudore à Chriſto obtenta, ſuperiùs dicta ſint, illud hic nullo modo prætereundum, immenſum hoc gloriæ, honoríſque pondus opportuna maturitate Chriſto obtigiſſe, non ſecus, ac arbori, cui non ſtatim maturi fructus inſunt, ſed qui per longas temporis moras ſimul, ac iniurias tandem matureſcant, vti eleganter his verbis depingit Tertullianus lib. de veland. Virginib. *Aſpice ipſam creaturam paulatim ad fructum promoueri: granum eſt primò, & de grano frutex oritur, & de frutice arbuſcula enititur, deinde, & rami, & frondes inualeſcunt, & totum arboris nomen expanditur, inde germinis tumor, & flos de germine ſoluitur, & de flore fructus aperitur; is quoque rudis aliquando, & informis, paulatim ætatem ſuam dirigens eruditur in manſuetudinem ſaporis.* Quæ vt iuſta ſimilitudine Chriſto aptes, de quo Iſaias cap. 53.2. *Aſcendet ſicut virgultum coram eo*, &c. audi Regium Vatem, de ipſo, iuxta Origenis, Chryſoſtomi, Ambroſij, & aliorum Patrum interpretationem, Pſal. 1.3. dicentem: *Et erit tamquam lignum, quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum, quod fructum ſuum dabit* (ſiue, vt habetur apud Chaldæum, *ſicut arbor, cuius fructus matureſcet*) *in tempore ſuo.* Quibus in verbis ex arboris imagine illud innuit Propheta, Chriſtum toto vitæ ſuæ decurſu Nazaræum, hoc eſt, floridum ſolummodo fuiſſe: nam, vt pulchrè Tertullianus lib. de Patient. c. 3. non ſine alluſione ad hanc arboris ſimilitudinem dicebat; *Naſci ſe Deus in vtero patitur matris, & expectat: natus adoleſcere ſuſtinet, & adultus non geſtis agnoſci.* id quod iure non nemo appellauerit, *diuinidad en flor.* Ad quem modum

Tertul.
Iſai. 53.2.
Origen. Chryſoſt. Ambroſ. Pſal. 1.3.
Chaldæus.
Tertul.

Greg. lib. 10. Moral. c. 1. ea Iobi verba c. 12. 4. *Lampas contempta apud cogitationes diuitum, parata ad tempus ſtatutum*, Chriſto ſic aptat. *Huius lampadis flammas Herodes explorare voluit, cùm eius noſſe doctrinam, & videre miracula concupiuit. Sed lampas hæc ante eius oculos nullo radio lucis emicuit: inquiſitus quippe Redemptor tacuit, expectatus miracula exhibere contempſit. Vnde & protinus lampas iſta contempta eſt:* Spreuit enim illum Herodes cum exercitu ſuo. Ita ille. Sed & plantatum etiam ſecus decurſus aquarum, id eſt, multiplicis tentationis decurſus, vt interpretatur Ambroſius, ita vt illi met flores fructuum prænuntij, in Paſſione ſua abſconditi ab hominum oculis fuerint; ſic enim præfato loco Iſaias: *Et velut radix de terra ſitienti, non eſt ei ſpecies, neque decor, & vidimus eum, & non erat aſpectus, & quaſi abſconditus vultus eius, vnde nec reputauimus eum:* at hyeme paſſionis, & dierum carnis ſuæ (ad Hebr. 5. 7.) tranſacta, opportunum ſuæ exaltationis, & nominis claritatis fructum protuliſſe. Perſtrinxit hæc omnia Ambroſ. lib. 7. in Luc. vbi Chriſtum cū grano ſinapis componens, ſic ait: *Seminari maluit velut granum, quod acceptum homo miſit in hortum ſuum; in horto enim Chriſtus & captus, & ſepultus eſt, in horto creuit, vbi etiam reſurrexit, & factus eſt arbor, ſicut ſcriptum eſt:* Sicut arbor mali inter ligna ſyluarum, ita frater meus in medio filiorum. Nec minus opportunè Anſel. in id Pauli ad Rom. 6. 5. *Si enim complantati facti ſumus ſimilitudini mortis eius*, in hæc verba. *Arbor, quæ plantatur, moritur antequam креſcat*, *& de mortua viuificatur, & viuificata fructificat: ſic & Chriſtus, qui lignum vitæ eſt, iuxta Salomonem Prouerb. 11. auulſus de præſenti ſæculo mortuus eſt, & per reſurrectionem glorificatus, creuit in totam mundi latitudinem, in quo & multum fructum affert.*

Greg. Mag. Iob. 12. 4.
Iſai. 53. 2.
Ad Hebr. 5. 7.
Ambroſ.
Anſelm.
Prouerb. 11. 30.

2. Accinunt Chriſti verba apud Ioan. 12. 24. prout à nobis ſuperiùs ſunt expenſa, verſ. 7. adnot. 1. num. 1. ſed his modò adiunge hæc Ezech. 17. 23. *In monte ſublimi Iſraël plantabo illud, & erumpet in germen, & faciet fructum, & erit in Cedrum magnam: & habitabunt ſub ea omnes volucres, & vniuerſum volatile ſub vmbra frondium eius nidificabit.* Vbi Chriſti gloriam per totum terrarum orbem longè, latéque collucentem ex Hieronymi expoſitione optimè adumbratam vides; ita enim ipſe ibi: *Quidam aliter interpretantur lignum ſublime humiliatum, & humile exaltatum, referentes ad Paſſionem Domini Saluatoris:* qui cùm in forma Dei eſſet, nō rapinam arbitratus eſt, æqualem ſe eſſe Deo, ſed ſemetipſum exinaniuit formam ſerui accipiens. *Et poſt reſurrectionem ipſum lignum poſtea ſublimatum eſt, quod priùs virens morte ſiccatum eſt, & poſtea reuiuiſcens priſtinum accepit vigorem.* At enimverò vt aptè hæc noſtro inſtituto accommodentur, audi ænigma, atque parabolam, quam priùs verſ. 3. proponere præſcriptum Vati à Deo fuit. *Et dices; Hæc dicit Dominus Deus: Aquila grandis magnarum alarum, longo membrorum ductu, plena plumis, & varietate, venit ad Libanum, & tulit medullam Cedri. Summitatem frondium eius auulſit, & tranſportauit eam in terram Chanaan, in vrbe negotiatorum poſuit illam. Et tulit de ſemine terræ, & poſuit illud in terra pro ſemine, vt firmaret radicem ſuper aquas multas: in ſuperficie poſuit illud.* & ſtatim verſ. 7. *Et facta eſt Aquila altera grandis, magnis alis, multiſque plumis, & ecce vinea iſta, quaſi mittens radices ſuas ad eam, palmites ſuos extendit ad illam, vt irrigaret illam de areolis germinis ſui. In terra bona ſuper aquas multas plantata eſt, vt faciat frondes, & portet fructum, vt ſit in vineam grandem.* Poſt quæ verba, hæc ſignatiſſimè ſubdit; *Dic: Hæc dicit Dominus Deus: Ergóne proſperabitur? nonne radices eius euellet,*

Ioan. 12. 24.
Ezech. 17. 23.
Hieron.
Ezech. 17. 3.

let, & fructus eius distringet, & siccabit omnes palmites germinis eius, & arescet: & non in brachio grandi, neque in populo multo, vt euelleret eam radicitus? Ecce plantata est: ergóne prosperabitur? nónne cùm tetigerit ventus vrens, siccabitur, & in areis germinis sui arescet? Quæ omnia, & alia quæ statim in ænigmatis expositionem subdit, excidium regni Sedeciæ prophetico spiritu, & optima ratione prænunciant. Quare illud solummodo expendas velim, *in superficie posuit illud.* Id hac locutione inter Christi, & Sedeciæ regnum constituit Vates discrimē, quod Sedecias, quià in superficie positus, deliciis enutritus, florenti fortuna vsus, ad regni stabilitatem, siue maturitatem non peruenerit; Christus verò, quod secus decursus aquarum, laborū, scilicet, passionis, ac mortis plantatus fuerit, in Cedrum magnam, atque gloriosam euaserit. Quare obserua, pro illis verbis; *In*
Theodor. *monte sublimi Israël plantabo illud*, Theodoretum,
Polychr. Polychronium, & alios, non dissentiente Hebræa locutione, legere: *Plantabo super montem excelsum, suspendam illum in monte sublimi Israël*; quod ad crucis supplicium sic retulit inibi Theodoret. *Prædicit quod subiturus erat supplicium*; suspendam illum in monte Israël. *Ipsius enim permissu illius quoque Passio absoluta est; sicut etiam ipse dixit ad Pilatum:*
Ioan.19.11. Non haberes potestatem aduersus me vllam, nisi tibi datum esset desuper. *Vt efficientem causam igitur permissionem appellauit*: suspendam illum in monte excelso Israël. *Excelsus autem Golgothas est, vbi salutaris infixa crux est. Deinde post passionem, resurrectionem, & Euangelij propagationem*, & plantabo eum, & *producet germen, & faciet fructum, quem orbis terrarum vindemians, & depascens, æternam vitam sperat.* Hæc ille. En quo pacto gloriæ fructus ad maturitatem perducatur, & granum frumenti multum fructum afferat.

3\. Quò maximè faciunt Christi verba ad impium
Matt.26.64. Pontificem, Matthæi 26.64. *Amodò videbitis filium hominis sedentē à dextris virtutis Dei, & venientem in nubibus cœli*: quæ ad vers. 6. adnotat. 5. num. 1. exposuimus. Sed obserua, eorum vim, atque acumen Hilarium adeò pupugisse, vt hæreticos, qui in Christi passione, & morte tamquam ipsius maiestati dissona scandalizabantur, tamquam hebetes, & stultos, & rerum naturalium causas, effectúsque ignorantes ex illis acriter insectetur; dum enim il-
Hilar. le lib. 10. de Trinitate dixisset: *Si tibi itaq; id in Christo contemptus, & infirmitas, & crux contumelia est, oportuerat te dicti huius immemorem non fuisse*: Verùm dico vobis, amodò videbitis filium hominis sedentem à dextris virtutis, & venientem cum nubibus cœli; postmodum ita concludit. *Sed contumeliosa ei esse crux dicitur. Atqui per hanc hominis filius sedere à dextris virtutis videndus est, ex partu Virginis homo natus, in maiestate sua cum cæli est nubibus reuersurus. Non tenes irreligiose rerum naturalium causas: & dum impietatis, atque erroris spiritu plenus sacramentum fidei non intelligis, ex ipso seculi sensu hæretica hebetudine disproficis.* Pulchrè, ac si dixerit, dum altiora te, & quæ supra naturam sunt, temerario nisu scrutaris, eamet quæ intra te, & in ipsa natura sunt, non attendis, & calles: oportebat enim Christum pati, & ita intrare in gloriam suam, vt post hyemis iniurias, veris lætitia, atque deliciæ, post laborem quies, post maris procellas, suauis portus opportu-
Ambros. nè obtingerent. Adstipulatur his Ambrosius, imò nonnihil addit, non argutis, criticisque auribus, sed piis, & pro hac opportunitate gloriæ Christi opportunis audiendum: nimirum, ipsummet beatitudinis thronum suauiorem Dei Filio post labores, quàm antea fuerat, quodammodo visum fuisse. Audi illum serm. 61. *Post iniurias Deus Pater recipit Filium, & occursu quodam pietatis ascendentem illum gremio molliore complectitur.* Pende illud, *gremio molliore*: quasi suauior tunc beatitudo, dulcior felicitas, cùm labores, ac tributationes præcesserunt.

Nec alio sensu, interprete August. tract. 28. in 4.
Ioan. discipulis de gloria illum admonentibus di- August.
cebat Dominus; *Tempus meum nondum aduenit*: vo- Ioan.7.6.
lebat enim, *altitudinem humilitate præcedere, & ad ipsam celsitudinem per humilitatem viam sternere.* Vnde quidem hoc formandis moribus salubre, & opportunum monitum infert ibi August. *Audemus enim hoc dicere & nos, quoniam corpus Domini nostri sumus*, &c. *Quando nobis insultant amatores huius sæculi, dicamus eis, tempus vestrum semper adest paratum: tempus autem nostrum nondum venit; nobis enim dixit Apostolus*: Mortui enim estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo. *Quando veniet tempus nostrum?* Cùm Christus, *inquit*, apparuerit vita vestra, tunc & vos apparebitis cum ipso in gloria. Ita August. Iis autem verbis quæ ex Epist. ad
Colossenses affert, illa etiam ex Epist. ad Galat. 6.9. Ad Colos.3.3.
commodè adiungas: *bonum autem facientes non deficiamus, tempore enim suo metemus non deficientes.* Et Ad Galat.6.9.
verò in hoc cardine, vt *tempus flendi, & tempus ridendi, tempus belli, & tempus pacis.* Ecclesiast. 3.4. & Eccl.3.4.&
8. obseruemus, totum salutis nostrę negotium ver- 8.
sari, sic eleganter monet Tertullian. lib. de spect. Tertul.
cap. 28. *Per suauitatem saginentur eiusmodi dulcibus conuiuæ sui, & loca, & tempora, & inuitator ipsorum est; nostra cœna, nostra nuptiæ nondum sunt, non possumus cum illis discumbere, quia nec illi nobiscum; vicibus disposita res est, nunc illi lætantur, nos conflictamur*: sæ-
culum, *inquit*, gaudebit, vos tristes eritis. *Lugeamus* Ioan.16 20.
ergo dum mendici gaudent, vt cum lugere cœperint, gaudeamus, ne pariter nunc gaudentes, tunc quoque pariter lugeamus. Optimè illud, *vicibus disposita res est*: ne putemus ambidextros nos hac in re esse, qui & cum sæculo ridere, ac saginari, & cum Christo gaudere, & regnare possimus. Hæc Bernard. in declamat. ita confirmat, vt affirmare pergat, nihil nos ipsimet carni vtilius esse facturos, quàm si eam laboribus, & asperitate fatigauerimus. Audi illum: Bernard.
Tempus hoc animabus, non corporibus est assignatum, dies salutis, non vtique voluptatis: omnia tempus habent; animabus nunc operam dare necesse est. Nam in carne qui seminat, solam ex inde metet corruptionem, & nemo, inquiunt, carnem suam odio habuit. Verum est, sed zelum habens absque scientia, dum prodesse festinat, inuenitur obesse; cùm enim iudicium carnis ex anima pendeat, carni nihil potest vtilius, quàm salus animæ prouideri, vt videlicet in tempore sit respectus illius, & socia passionis, felicitatis quoque consortium mereatur. Hæc Bernardus.

His opportunè aptes eam expositionem, quam 5.
ex S. Irenæo iis verbis cap. 1. n. 22. *Quod si viuere* Ad Philip.1.22.
in carne, hic mihi fructus operis est, adhibebamus, Iren.
dum hæc ipse pro illis reponebat; *fructus autem operis spiritus est carnis salus*, atque ad hunc modum explicabat. *Quis enim alius apparens fructus eius, quam maturam efficere carnem, & capacem incorruptelæ?* Vbi præter sensum de profectu per tribulationes huic expositioni Irenæi à nobis ibi datum, eò etiam ex ipsius mente hæc Pauli verba ire videntur, vt affirmet hunc humanæ carni ex operibus spiritus signatissimum fructum obuenire, quod ea, quæ bonis operibus, & præsertim laboribus, ac tribulationibus destituta, non secus, ac acerbum immaturúmque pomum cœlesti erāt importuna conuiuio, per bonorum operum, ac laborum

exerci-

exercitationem, ad incorruptionem, & gloriam maturescat, opportunúmque suo tempore beatitudinis fructum ferat. Sed iunge iis consentanea ex Nazianz. orat. 38. vbi cùm dixisset: *vt quemadmodum in veteri Adamo mortui sumus, ita & in Christo viuamus, dum nimirum cum Christo & nascimur, & cruci affigimur, & sepelimur, & resurgimus*; sic subiicit: *Pulchra enim in cõtrarium mutatio mihi subeunda est, vt quemadmodum ex secundis rebus molesta venerunt, sic etiam ex molestis læta, & secundæ redeant.* Addit Saluianus Massil. lib. 4. ad Eccles. fin. *Dura hæc & austera sunt, sed quid facias? non licet rerum mutare naturas. Dura hæc putant, scio, & satis certus sum: sed quid facias? nisi duris non itur ad regnum.* Vbi illud egregiè dicitur, *non licet rerum mutare naturas.* Quippe hic naturalis rerum ordo, ac series, æterna Dei lege sancitus est, vt nisi post laborum, ac tribulationum noctem clarus, ac splendens lucifer non oriatur.

Nazianz.

Saluian.

6. Quò quidem iure referas illud Domini apud Ierem. 33. 20. *Si irritum fieri potest pactum meum cum die, & pactum meum cum nocte, vt non sit dies, & nox in tempore suo.* Quæ ex fonte Hebræo sic legas cum Pagnino: *Si irritare potestis pactum meum diei, & pactum meum noctis, vt non sit dies, & nox in tempore suo.* Et verò etsi huic locutioni eam vim inesse existiment Theodoretus, & alij interpretes, ac si dixerit Dominus: *Quemadmodum dies non potest esse nox, neque nox potest esse dies*; alium potiùs aptiorem his verbis sensum esse existimamus, vt perinde sit, ac si à Deo dicatur, fieri non posse, vt homines dierum, noctiúmque ordinem inuertant, quominus diebus singulis singulæ noctes, & è contrà singulis noctibus singuli etiam dies vicissim succedant, nec duæ dies, siue duæ etiam noctes, vna post alteram immediatè subsequantur: ea enim, si animaduertis, vis inest illis verbis *in tempore suo*, quasi nox diem, dies verò noctem debeat præcedere, & vnum altero naturæ lege præueniri. Sic pulchrè dixit Tertul. in Apologet. cap. 48. *Lux quotidie interfecta resplendet, & tenebræ pari vice decedendo succedunt; Sydera defuncta viuescunt.* & lib. de resurrectione carn. cap. 12. *Dies moritur in noctē, & vsquequaque sepelitur, funestatur mundi horror, omnis substantia denigratur, sordent, silent, stupent cuncta: vbique iustitium est, quies rerum; ita lux amissa lugetur. Est tamen rursus cum suo cultu, cum dote, cum Sole eadem, & integra, & tota vniuerso orbi reuiuiscit interficiens mortem suam, noctem, rescindens sepulturam suam, tenebras, hæres sibimet existens, donec nox reuiuiscat cum suo & illa suggestu.* Ecce igitur Dei pactum immutabili lege sancitum, quod homines velint, nolint, subire teneantur, nec irritum vllo modo fieri possit, nimirum, vt nocti dies, hyemi ver, tribulationi, videlicet, gaudium, acerbitati pœnitentiæ, ac laborum suauissimus æternæ vitæ fructus: sicut è contrà veri deliciarum, ac voluptatum, laborũ æternorum hyems succedat, quod vicibus disposita res sit, vt num. 4. adductus dicebat idem Tertullianus. Cui quidem cogitationi aptissimum Socrates apud Platonem in Phædone, confecit discursum; etenim cùm primùm compedes, quibus in carcere vinctus tenebatur, ipsi ablatæ fuêre, crus ad se contrahens, manúque perfricans, hæc locutus dicitur. *Quàm mira videtur, ô viri, hæc res esse, quam nominant homines voluptatem, quamque miro naturaliter se habet modo ad dolorem ipsum, qui eius contrarium esse videtur; quippe cùm simul homines adesse nolint, attamen si quis prosequitur, capitque alterum, semper ferè alterum quoque accipere cogitur, quasi ex eodem vertice sint ambo connexa.* Subiicit statim appositè ad

Iere. 33. 20.

Pagninus.

Theodor.

Tertul.

Plato.

Vella 29. in Epist. ad Philippens.

præfatam noctis, diei que inseparabilem connexionem: *Arbitror quidem Æsopum, si hæc animaduertisset, fabulam fuisse facturũ: videlicet, Deum ipsum, cũ ipsa inter se pugnantia vellet cõciliare, neque id facere posset, in vnum eorum apices coniunxisse, propterea que cuicumque adest alterum, eidem mox alterum quoque affuturum, quod quidem mihi accidit in præsentia; siquidem modò crus propter vincula afficiebatur dolore, sed huic succedere voluptas iam videtur.* Hæc ibi Socrates, optimè adstruens naturaliter se habere voluptatem ad dolorem, & dolorem ad voluptatem; ac si diceret, naturaliter diei noctem, nocti diem succedere.

En gloriæ fructus sua tempestate carptos, dum priùs tribulationibus, ac laboribus maturuerunt. 7.
Ecce vera beatitudinis gaudia, vt suo tempore seminata, ita suo tempore demessa, ad Galat. 6. 9. Ride nunc, imò potiùs dole, tam cæcam, & corruptã falsa spe mentem hominum esse, vt adhuc cruda huius vitę hyeme maturos gaudij, ac voluptatis, & nõ potiùs amaros, & acerbos fructus sibi promittant. Hæc prima quidem, hæc frequens etiam dæmonis fraus, & fascinatio est, hic etiam maligni hostis ludus, & risus, quod maturos suauésque homini fructus spondens, crudos postea, & acerbos, qui pro gaudio lacrymas excutiant, malignè exhibeat. Sic quidem communẽ matrem Euam à dæmone tunc primùm delusam doleas, Genes. 3. 6. vbi post narratas dæmonis blanditias, & fascinationẽ dicitur: *Vidit igitur mulier, quod bonum esset lignũ ad vescendum, & pulchrum oculis, aspectúque delectabile.* Ad quem locum singularis & opportuna est translatio, qua vsus est Nyssenus oratione in quadraginta Martyres: *Vidit, quod esset oculis, & gustui pulchrum, & maturum*; quasi Euæ pomum non suaue modò, sed sua etiam tempestate, & maturitate carpendum videretur, nihilque esse expectandum, quomínus illud statim ederet. Itáne mulier maturum tibi pomum videtur? Carpe ergo iam, & quàm sit maturum, & suaue gustabis. Proh dolor! Quid tibi, nobisve acerbius, aut amarius excogitari potuit, cùm nostris adhuc dentibus de pomi tui acerbitate stupor hęreat? Ergo fructus, quos nobis ad speciem maturos dæmon commonstrat, & pollicetur, acerbos, & immaturos esse necesse est, cùm sua tempestate non carpantur: quippe modò seminandi, nõ metendi; flendi, non ridendi; tribulationes perferendi, non deliciis vacandi, opportunum tempus est. *Nonne* (verba sunt Senecæ epist. 122.) *contra naturam viuunt, qui hyeme concupiscunt rosam; fomentóque aquarum calentium, & calorum apta mutatione, bruma lilium, florem vernum exprimunt?* Hac equidem mente Greg. Nazianz. in Apolog. cùm Christi passionẽ, & mortem Adami lapsui è regione oppositam recensuisset, inquiẽs: *Idcirco sublimitas aduersus lapsum, & fel aduersus gustum, & spinea corona aduersus prauum imperium, & mors aduersus mortem, & tenebræ propter lumen, & sepultura aduersus illam in terram reuersionem*; subdit: *Hæc omnia diuina erga nos disciplinæ loco erãt, infirmitatísque nostræ velut medicina quadam, veterem Adamum eò vnde exciderat reducens, à quo scientiæ lignum intempestiuè, atque incommodè perceptum nos remouerat.* Opportunè hoc, *intempestiuè, atque incommodè perceptum*: quod cùm acerbum, & immaturum fuerit, falsa specie maturitatem, atque suauitatem promisit.

Ad Galat. 6. 9.

Gen. 3. 6.

Nyssen.

Seneca.

Nazianz.

Cui quidem cogitationi mirificè concinit, quod de Sodomæ fructibus, quos cum huius sæculi bonis alibi composui, tam nostri, quàm externi scriptores tradũt, videlicet, ad speciem nihil illis matu- 8.

rius, pulchrius, suauiúsve esse: at verò cùm decerpuntur, & gustui adhibeutur, nihil ipsis crudius, acerbius, siue amarius inueniri: quippe qui dentibus admoti, in fumum, qui lacrymas excutiat, & in cinerem, qui os oppleat, gustúmque lædat, conuertantur. Nec grauabor plura ex vtraque literatura ea de re appingere, quod singula peculiarem huic

August. instituto venustatem afferant. Ergo primùm Aug. lib. 21. de Ciuit. Dei, c. 5. *Poma in terrâ Sodomorum gigni quidem, & ad maturitatis faciem peruenire, sed morsu, pressúve tentata, in fumum, ac fauillam corio fa-*

Egesip. *tiscente vanescere.* Similiter Egesip. lib. 3. *Spectes illic specie poma viridantia, formatos vuarum racemos, vt edendi generent spectantibus cupiditatem; si capias, fatiscunt, ac resoluuntur in cinerem, fumúmque excitant*

Tertul. *quasi ardeant.* Adiungo Tertullianum, siue Cyprianum, cui plures tribuunt carmen illud de Sodoma:

—— Facilè optima quæque
Promittunt oculis pyra Persica, & omnia mala,
Donec carpantur; nam protinus indice tactum
Soluitur in cinerem, fit vana fauillâque pomum.

Solinus. Hæc nostri, nec dissimilia externi. Sic enim Solinus cap. 37. *Poma illic gignuntur, quæ licèt habeant speciem maturitatis, tamen mandi non possunt, nã fuliginem intrinsecus fauillaceam ambitio tantùm extimæ cutis cohibet, quæ vel leui tactu pressa fumum exhalat, & fati-*

Iosephus. *scit in vagum puluerem.* Similiter Iosephus lib. 8. de bello Iudaico: *Videre licet renascentes in fructibus cineres, qui colore sunt edulibus similes; carpentium verò manibus in fumum dissoluuntur, & cinerem.* Sed & id

Tacitus. etiam sic refert Tacitus libro 5. histor. vt ad herbas singillatim extendat: *Haud procul*, inquit, *inde campi, quos ferunt olim vberes, magnísque vrbibus habitatos, fulminum iactu arsisse; & manere vestigia, terrámq; specie torridam, vim frugiferam perdidisse. Nam cuncta sponte edita, aut manu sata, siue herba tenus, aut flore, seu solitam* (opinor legendum, *solidam*, vt opponat speciei herbæ, seu floris, quæ minimè solida, sed inanis, & vana est. Dixit siquidem opportunè huic meæ cogitationi prophanus ille, quem vix sine stomacho nomino:

—— Tunc herba recens, & roboris expers,
Turget, & insolida est, & spe delectat agrestes,
Omnia tunc florent, florumque coloribus almus
Ludit ager, neque adhuc virtus in frondibus vlla est.)

in speciem adoleuere, atra, & inania velut in cinerem vanescunt. Hæc Tacitus. Vidésne sæculi omnia bona, honores, diuitias, & impuras potissimum carnis delicias graphicè depicta? Nullus, opinor, valentior, viuaciorque erit penicillus ad ipsa ad viuum exprimenda Quantumuis enim ea suauitatem, maturitatemque mentiantur, & oculis imponant edulibus similia; at leui tactu pressa, nonne fumum exhalant? nonne stuporem dentibus gignunt? quippe fuliginem fauillaceam ambitio tantùm extimæ cutis cohibet. At quæ huius causa? Subiicio.

Sap. 10. 7. Equidem de hisce fructibus agens Salomon Sap. 10. 7. opportunam huius rei rationem visus est reddidisse, quamuis nonnullo difficultatis inuolucro verba contecta sint: *Incerto*, inquit, *tempore fructus habentes arbores.* Sed quid est, *incerto tempore*? Ex

Lect. Græc. Græco quidẽ discimus, vbi est, ἀτελέσιν ὥραις, *imperfectis non absolutis, ad exitum non perductis tempori-*

Lect. Tigur. *bus*: vnde Lectio Tigurina habet, *& plantæ fructum*

Iansenius. *intempestiuum ferentes*: Iansenius etiam, *imperfecta*, vel *inconsummata pulchritudine fructificantes arbores*: imò in meo M.S. habetur, *inecto tempore*, id est, non acto; nam videtur positum pro *inacto*, à præpositione, *in*, priuatiua, & *ago*, *agis*. Vt subeat animum cogitatio, in nostra Vulgata primitus lectum fuisse, *infecto tempore*, id est, non perfecto, non absoluto, non completo. Vnde affirmare videtur Sapiens, perseuerare adhuc in illa regione plantas, quæ fructus quidem, sed non suis temporibus, seu tempestiuo tempore, verùm eo non absoluto, & perfecto, ferant. En rationem, quod tam hi Sodomiticæ regionis fructus, quã qui ipsis significantur sæcularium bonorum, & deliciarum, crudi, acerbi, & insuaues sint, quod nimirum intempestiuè, & ante tempus suum producantur.

Et verò ipsiusmet Salomonis hæc de iis fructibus accommodatio esse videtur; sic enim ipse eodem lib. cap. 4. 5. de impiorum bonis, seu voluptatibus, & deliciis: *Fructus eorum inutiles, & acerbi ad manducandum.* Similiter Prouerb. 10. 26. *Acetum dentibus, & fumus oculis, sic piger ys, qui miserunt illũ.* Sed obserua Lxx. tam in Caraffæ editione, quàm in Vaticana pro iis reponere: *sicut vua acerba dentibus noxia, & fumus oculis, sic iniquitas ijs, qui vtuntur ea.* Cum qua sententia sensum habet communem illa Ieremiæ c. 31. 30. *Omnis homo, qui comederit vuam acerbam, obstupescent dentes eius.* Ac si dixerit Vates, eadem peccati, siue sæcularis lætitiæ, ac vuæ acerbæ, siue fructus immaturi natura est: vt enim hic gustui grauis, & dentibus noxius, atq; molestus inuenitur; ita peccatum, ac voluptas pro gaudio mœrorem, & molestiam affert: sic egregiè hunc locum Ieremiæ explicante Greg. Magn. lib. 11. Moral. cap. 15. *Quid namque vua acerba, nisi peccatum est? Vua quippe acerba est fructus ante tempus. Quisquis enim præsentis vitæ delectationibus satiari desiderat, quasi fructus ante tempus comedere festinat. Qui igitur vuam acerbam comedunt, dentes eis obstupescunt.* Hæc Gregorius satis opportunè. Quibus congruit illud ex Amos 4. 6. sub Domini persona in Principes viros huic sæculo addictos, quos vaccas pingues ideo appellarat, quod impiè agerent, & multiplicarẽt præuaricationem, sic excandescentis: *Vnde & ego dedi vobis stuporem dentium.* Quæ sic interpretor, ac si dicatur: sed, vt video, nec fructum ex deliciis, siue diuitiis, & honoribus malè partis, quem sperasti, consequimini, cùm pro voluptate, & iucunditate animi perpetuus dolor, & mœror vobis succedat. *Quem enim fructum habuistis in his, in quibus modò erubescitis?* Huc enim signatè facit stuporis dẽtium mentio, quem bonus Scholiastes Ribera sic ibi explicat: *In stupore dẽtium dolor quidam declaratur cum indignatione mistus, quasi nos culpa nostra illum nobis pepererimus, qualis est in his, qui acerbos, & immaturos fructus comederunt, suaque intemperantia ita dentes hebetarunt, atque obstupefecerunt, vt eis vti nequeant ad mandendum.* Sic Ribera. Sed de hoc multa nos alibi, & multo plura experientia edocet.

Margin notes beside the preceding paragraphs: 9. / Sap. 5. 5. / Prouerb. 10. 26. / Lxx. / Iere. 31. 30. / Greg. Magn. / Amos 4. 6. / Ribera.

Ad ea verba: *Exaltauit illum.*

ADNOTATIO II.

Munera, & dignitates pro meritorum proportione esse distribuenda; vt illustria illustribus, illustriora, ac splendidiora, splendidioribus, & illustrioribus reddantur.

EGIMVS verſ. 6. adnotat. 5. de dignitatibus non nisi dignis, & merentibus conferendis: addimus

addimus modò, nec id sufficere, vt distributiua iustitia contenta sit, nisi pro singulorum meritis debita proportione seruata, vt dignioribus maiora reddantur, ipsorum munerum distributio fiat. Ita quidem in Christi exaltatione hoc in loco videas à Paulo obseruatum: nam qui Christum humilem sic depressit, vt ipsum exinanitū, exhaustum, & velut vltimum de plebe hominē depinxit; modò non vtcumque exaltatum, sed superexaltatum supra omnem dominationem, principatum, & potestatem, & omni, quam mens humana, siue Angelica excogitare valet, gloria superiorem facit. *Non enim maior humiliatio* (Anselmus ibi) *aut maior exaltatio fieri poterat.* Similiter Chrysost. in Moral. *Christus vsque ad vltima obedientiæ officia descendit; propterea ad excelsum illum honoris gradum peruenit, seruus factus est, propterea omnium factus est Dominus, & Angelorum, & cæterorum hominum.* Sic emphaticè dixit idem Paulus ad Ephes. 4. 9. *Quod autē ascendit, quid est, nisi quia & descendit primum in inferiores partes terræ? Qui descendit, ipse est & qui ascendit super omnes cælos;* descensui in inferiores partes terræ, ascensum super omnes cœlos opponens, vt eo modo verè videatur superexaltatus (si humanis, siue prophanis, & fabulosis, vera & diuina componere fas est) quo fictè ille apud Manilium lib. 4.

Anselm. Chrysost. Ad Ephes. 4. 9. Manilius.

——Victórque ad sydera mittit
Syderos oculos, propiúsque aspectat Olympum,
Inquirítque Iouem: nec sola fronte deorum
Contentus manet, & cœlum scrutatur in alto,
Cognatúmque sequens corpus, se quærit in astris.

2\. Sed Pauli verba adumbrasse, siue explicasse videtur Zachar. cap. 4. 7. de Christo Domino iuxta Hieronymi, & Cyrilli Alexandrini explicationem, hoc edens vaticinium: *Et educet lapidem primarium, & exæquabit gratiam gratiæ eius.* Quæ Chaldæus sic disertissimè Christo attribuit: *Et emerget Christus, cuius ab æterno nomen dictum est.* Sed obserua, vno ex capite lapidem primarium, propriè esse lapidē fundamenti, cui totus paries incumbit, eo modo quo dixit Paulus ad Ephes. 2. 20. *Superædificati super fundamentum Apostolorum, & Prophetarum, ipso summo lapide angulari Christo Iesu:* ex alio verò in Hebræo pro, *lapidem primarium*, esse, *lapidem capitis*: is, videlicet, qui in fastigium constituitur, & sublimatur, & quo ædificium coronatur, atque vltimam accipit perfectionem, non secus ac inquit Vates Psal. 117. 22. *Lapidem, quem reprobauerunt ædificātes, hic factus est in caput anguli.* Quę ergo hęc diuersitas, vt idem met lapis, & summus, & imus sit? Planè, quia qui *descendit primū ad inferiores partes terræ, ipse est & qui ascendit super omnes cœlos, vt impleret omnia*; vt pro exinanitionis mensura, esset & superexaltationis modus, iustáque inter merita, & præmia intercederet proportio. Sed id non nostrum inuentum, sed signatissimum Isaiæ testimonium repures velim: sic enim ipse cap. 9. 6. *Et factus est principatus super humerum eius.* Vbi humeri imaginem, & sensum obseruare oportet: certè humerus in Scriptura patiētiæ, & laborum tolerantiæ typum gerit; ita Genes. 49. 14. de Issachar Christi imaginem præferente: *Vidit requiem quod esset bona, & terram quod optima, & supposuit humerum suum ad portandum, factusq; est tributis seruiens.* Vnde quidem dum Christo principatum super humerum factum inquit Isaias, perinde esse videtur, ac si dicat, regni Christi amplitudinem, & immensam ipsius exaltationem, eius laboribus, ac humilitati, velut columnam basi, cui superponitur, cum qua commensuratur, incumbere, vt præmia meritis æqua, ac iusta proportione responderent. Ita penè Ambros. lib. de benedict. Patriarch. cap. 6. vtrumque Isaiæ, & Genesis locum sic componens: *Itaque vt ad resurrectionis suæ gratiam vocaret gentes (ipsa est enim pinguis, & fertilis terra, quæ fructus generat æternos fructus centesimos, & sexagesimos) subiecit humerum suum ad laborandum, subijciens se cruci, vt nostra peccata portaret, ideoque dicit Propheta:* Cuius principium super humerum eius: *hoc est, super corporis passionem diuinitatis potestas.* Quod si illa Isaiæ verba cum Aquila apud Hieron. ibi. & Ambros. lib. 3. in Lucam, sic legeris: *Facta est mensura super humerū eius;* & sensu, & tono ipso verborum ea erit sententia, Christi humero regnum illi summum Patrem fuisse dimensum. Hispanè significanter, *Tomaronle la medida por el ombro.* Iam verò si ex frequētissima Patrū expositione, Tertul. lib. cōtr. Iudæos cap. 11. Iustin. Apologet. 2. Cypriani lib. 2. testim. Ambrosij lib. 3. de fide cap. 4. August. serm. 71. de temp. Bernardi serm. 1. in die sancto Paschæ, Theophylact. ad cap. 2. 3. Luc. Hierony. Cyril. Alexandrin. & Procopij in Isaiam, de cruce ipsa exposueris, cùm pro vna eadémque re crucem, mensuram, atque principatum habeas, facilè dixeris, crucem regulam, siue mensuram principatus, & exaltationis fuisse.

Zach. 4. 7. Hieron. Cyr. Alex. Ad Ephes. 2. 20. Psal. 117. 22. Isai. 9. 6. Genes. 49. 14. Ambros. Vella 79. in Epist. ad Philippens. Aquil. Hieron. Ambros. Tertul. Iustin. Mar. Cyprian. Ambros. August. Bernard. Theophy. Hierony. Cyr. Alex. Procop.

3\. Iam vt hanc doctrinam munerum distributioni communem facias, in parabolam talentorum, quam Dominus apud Matthæum cap. 25. 15. proposuit, oculos conuerte: dum enim Dominus seruis suis bona sua distribuens inducitur, & vni quidē quinque talenta, alij duo, alij vnum tradēs, subdit Matthæus, *vnicuique secundùm propriam virtutem.* Quid? datúrne diuina gratia pro meritis, & ad virtutis mensuram? Apage: *Quis enim prior dedit illi, & retribuetur ei?* Sed, vt non abs re inquit Auctor oper. imperf. in Matth. hom. 35. ibi non tam de gratię donis, quàm de Ecclesiasticis muneribus sermo est; vt talentorum imagine significetur, esse etiam in Ecclesia militante Ecclesiasticas Hierarchias, esse maiores, esse minores gradus, esse Episcopos, esse presbyteros, esse diaconos; vt eo quidem modo, quo in cœlestibus illis spiritibus sublimior sedes ardētiori charitati, qua Deum prosequuntur, respondet, ita etiam Ecclesiæ ministris, pro virtutis, atque sapientiæ mensura, consentaneum ac debitum munus, & pręmium obtingat. Sub quo omnino sensu tam Comment. trium Patrum apud Theodoret. quàm Beda capiunt id Cāt. 2. 4. *Ordinauit in me charitatē.* Etenim dū Gręci Patres legūt; *Ordinate in me charitatē*, & ab Ecclesia ad Angelos dicta existimant, sic ea explicant: *Illam, scilicet, diuinæ gratiæ cōmunionem, qua vos ordine fruimini, in me quoque fideles singulos pro cuiusque ratione diuinis mysterijs instituentes, ordinate.* Nec aliter Vulgati verba exponit Beda, hunc in modum ad Christum referens: *Ordinata me ipse charitate dilexit, id est, omnia quidem membra mea, hoc est, omnes electos pia sibi charitate copulauit, sed eminentiora quæque ampliori, vt decet, affectu complectitur.* & postmodum: *in Ecclesia pro distinctione meritorum alios alijs amplius diligit.* Hæc Beda.

Matth. 25. 15. Auct. oper. imperf. Cant. 2. 4. Cōment. PP. Beda.

4\. Sanè iis verbis Isaię 54. 11. quæ vers. 9. adnotat. 5. num. 7. pro iusta munerum distributione obseruauimus: *Ecce ego sternam per ordinem lapides tuos;* non illud tantùm monitum subesse crediderim, vt ad Ecclesiastica munera ij solùm, qui propria virtute splendent, tamquam bases, & fundamenti lapides, quibus Ecclesiæ pondus incumbat, assumantur; sed hoc etiam inde admoneri, debito ordine eos lapides fore sternēdos, vt, videlicet, iuxta singulorum merita, mediocria, maiora, vel maxima; mediocria etiam, vel maiora impertiantur munera. Scitè enim de coronis dixit Tertul. lib. de corona

Isai. 54. 11. Tertul.

militis, capita pro modo, siue magnitudine sua perquirere, nec modicis capitibus, quæ magnæ forent, contentas esse. *Sunt, inquit, & prouinciales coronæ aureæ, imaginum iam non virorum, capita maiora quærentes.* Certè August. lib. 1. de ord. cap. 8. occasione pugnæ nimis acris, vt ipse inquit, quam duo galli gallinacei coram ipso Augustino, & Licentio inter se inierunt, & victoriæ, quam alter de altero reportauit, sic mutuò ipsum ad collegam exclamasse scribit: *Vbi non lex? Vbi non meliori debitum imperium? Vbi non vmbra constantiæ? Vbi non imitatio verissimæ illius pulchritudinis? Vbi non modus?* Ita ille. Perit ergo lex, perit modus, perit pulchritudo, perit cõstantia, cùm non pro meritis, & meritorum proportione coronarum distributio fit, nec per ordinem lapides sternuntur. Vnde Nazianz. orat. 20. de laudibus Basilij, in hanc rem sic sapienter ait: *Sanè nequaquam rerum, & ordinis apud nos laudo confusionem, cùm aliquando peruersè à quibusdam præsidetur in gradibus. Nauticam legem præclaram censeo, quæ gubernatori futuro primùm remos committit; deinde ad proram collocat, sicque prioribus muneribus ipsi commissis, tandem eum post diuturnam maris verberationem, ac ventorum obseruationem ad gubernacula constituit. Eadem rei militaris est ratio; miles primùm, deinde Centurio, tum Imperator: hic optimus ordo est, iisque qui subsunt in primis conducibilis.* Hæc Nazianz. cuius ad gustum tum Plinius in Panegyric. *Magistratus Magistratu, honor honore petitur:* tum etiam de Cassiodoro ad Patriciatus summam dignitatem non primo volatu, sed per gradus cæterorum munerum conscendisse, sic inquit Theodoricus Rex apud eundem Cassiodor. lib. 1. variar. epist. 4. *Qui non fragili fœlicitate prouectus, fortunæ ludo ad apicem fascium repentinis successibus volauit, sed vt crescere virtutes solent, ad fastigium præconijs conscēdit gradibus dignitatum.* Ita Rex. Hinc optimo iure M. Furius, & M. Curius Tribuni plebis T. Quinctio Flaminio ex Quæstura ad Consulatum, quin media priùs munera obiret, per saltum pertingere adspiranti vehementiùs obnitebantur, apud Liuium lib. 32. inquientes: *Iam Ædilitatem, Praturámque fastidiri, nec per honorum gradus documentum sui dantes nobiles homines tendere ad Consulatum, sed transcendendo media, summa imis continuare.*

Aug. | Nazianz. | Plin. | Cassiod. | Liuius.

5. Et quidem post cœlum, terramque à Deo cōditam, de hac notanter dicitur Gen. 1. 2. *Terra autē erat inanis, & vacua;* vbi pro *vacua*, Aquila, & Theodosiō reddiderunt, *nihilū*. Quod si ambigas, quî terra tunc vacua, & quod plus est, nihilum esset. Respondere videntur Lxx. & Symmach. hic enim legit: *Terra erat otiosa, & indigesta;* illi verò: *Terra erat inuisibilis, & incomposita;* nimirum, quod nondum sua cuique creaturæ assignata sedes, nondum proprius pro dignitate rebus distributus locus, vacua omnia, & nihilum, nec aliud, ac si omnino non forent computari. Vnde quidem Prouerb. 8. 30. de diuina Sapientia dicitur; *Cum eo eram cuncta componens:* signatè illud, *componens*, non creans (quamuis & ipsa simul etiam crearet; nam *verbo Domini cœli firmati sunt:* atq; *ipse dixit, & facta sunt*, Psal. 32. 6. & 9.) quod creare non tam sapientiæ, quàm bonitatis opus fuerit; ad sapientiam verò, atque iustitiam cuncta componere, debitóque ordine digerere, suumque cuique rei locum reddere, ac distribuere, maximè spectat. Ita Tertul. lib. 2. cont. Marc. cap. 12. *Bonitas operata est mundum, iustitia modulata est: iustitiæ opus est, quod inter lucem & tenebras separatio pronunciata est; inter diem & noctem; inter cœlum, & terram; inter aquam superiorem, & inferiorem; inter maris coetum, & aridæ molem; inter luminaria maiora, & minora, diurna, atque nocturna.* Hæc iam nostro instituto sic accommodo. Si terra ideo vacua & nihilum, quod indigesta, & incomposita esse asseritur; ergo & sedes etiam, & coronas quæ non pro meritis, & dignitate distribuuntur, vacuas, & otiosas iure repntes: cùm & hæ capita maiora quærant, vt dicebat Tertul. &, licèt ab aliis occupentur, ab iis tamen qui rectè iudicant, non nisi à dignioribus occupari debere existimentur, ac proinde vacuæ ipsæ, & propriis dominis destitutæ censeantur.

Genes. 1. 2. | Aquil. Theodos. | Lxx. Symmach. | Prou. 8. 30. | Psal. 32. 6. & 9. | Tertul.

Hinc signatissimè Psaltes de Deo iustissimo potestatum distributore Psal. 135. 8. dixit: *Qui fecit luminaria magna, &c. Solem in potestatem diei, Lunam & stellas in potestatem noctis:* vt quæ crearat bonitas, iustitia modularetur; & principaliori, ac splendidiori luminari potissima, atque amplissima potestas, videlicet, diei obtingeret: Luna verò, quæ Solis discipula esse perhibetur (ita M. Tullius in Sōnio Scipionis) minori regno præsideret. Vt hinc optimo merito id doleas, quod non rarò accidere videris, minora luminaria, nouitiosque sapientes, & qui velut stellæ mutuatum à Sole lumen acceperint, præstantioribus, ac splendidioribus ornari muneribus; eorum verò magistros, & qui sapientia, atque virtute velut Sol fulgent, mediocria, imò parua, imò & nulla sæpius adipisci. Qua de re sic gemebunda voce Nazianz. *Non patior vt fons obturetur, ac torrens profluat, Sol abscondatur, & astra splendeant, canities sileat, & iuuentus leges ferat.* Sanè istis electoribus, qui dignioribus prætermissis, ad munerum functiones minus idoneos assumunt, non immeritò illud accommodaueris, quod de tributorum exactoribus, qui iniquis ponderibus vtebantur, rigidus iustitiæ custos Theodoricus Rex apud Cassiodor. lib. 5. variar. ep. 39. dicebat: *Quid enim tam nefarium, quàm quod præsumptoribus liceat in ipsa etiam trutina qualitate peccare, vt quod est iustitiæ propriè datū, hoc per fraudes noscatur esse corruptum?* 6.

Psal. 135. 8. | M. Tull. | Nazianz. | Cassiod.

7. Ad quam cogitationem facit, quod latroni in cruce regnum à Christo petenti, ipse non statim regnum, sed Paradisum, in quo aliquantisper priùs degeret, Apostolis verò absolutè regni cœlestis sedes repromisit; vt, nimirum, pro meritis præmia distribuerentur, nec latroni recenter initiato, siue conuerso, & in Christi schola tyroni, idem ac veteranis militibus, & belli ducibus præmium tribueretur, quippe

——Discrimina quædam
Sunt famulis, splendórque suus.——

Claud. lib. 1. in Eutrop.

Id sic considerante Ambros. epist. 19. *Memento mei cùm veneris in regnum tuum; Christus non de regno respondit, sed ad causam: Hodie mecum eris in Paradiso, id est, reformandum est antè, quod amissum est, postea conferendum id, quod augendum est, vt per Paradisum ad regnum perueniatur, non per regnum ad Paradisum: seruatur discipulis, quod plus conferatur pro laboribus, ideoque incolatum promisit, regnum distulit. Itaque is qui sub ictu mortis conuertitur, & confitetur Dominum Iesum, mereatur incolatum Paradisi, qui verò multo antè se exercuit, & Christo militauit, acquisiuit populorum animas, pro Christo se obtulit, habeat paratum stipendijs suis Dei regnum.* Præmisit ergo latronem in Paradisum Dominus, & discipulis præmia longiùs distulit, vt regio ipsius lateri post resurrectionem adhærentes, ornatiores ad regnum peruenirēt, nō secus, ac Artemidoro dicebat Theodoricus Rex apud Cassiod. lib. 1. variar. *Olim quidē quod esset dignitate pretiosius, à nobis habere meruisti, vt regio lateri dignus adhæreres. Differri te pertulit noster affectus: apud amantē prouectus tui causam tardiùs impetrasti, vt post sacra amicitiæ genium ad honores ornatior peruenires.* Ita Rex ille. A quo non abit subtilis

consi

confideratio Nazianz.in illa Christi ad Mariã Ma-
Ioan.20.17. gdalenam verba Ioan. 20. 17. *Noli me tangere*: ea enim iis, qui supremos honorum gradus non adipiscuntur, ad ipsorum animos sedandos sic tacitè, scitéque accommodat. *Si Maria quædam sis, diluculo lacrymas profunde. Fac primò sublatum lapidem, Angelos etiam fortasse, atque adeò Iesum ipsum videas. Nonnihil loquere, vocem ausculta. Si audieris:* Noli me tangere, *procul sta, verbum venerare, non autẽ mœre. Non enim à quibus primùm conspiciendus sit.* Vbi appositus est hic Nicetæ commẽtarius: *Nonnihil loquere de Christo, piaque doctrina percunctans, vocem ausculta; hoc est, doctrinam, & reuelationem captum tuum non excedentem. Quod si altiorem doctrinam, & speculationem audieris, propemodum tibi dicentem*: Noli me tangere, *eminus sta, nec propterea mœrorem concipe, vt cui nondum sublimioris doctrinæ attingendæ potestas fiat. Nouit enim huiusmodi doctrina, quibus primùm aspicienda sit, iis nimirum qui maiores ad contemplationem progressus fecerunt, vt Ioanni, & Petro.* Quod præsenti instituto facilè accommodes.

8. Hinc non difficilè conuellas subdolas matris filiorum Zebedęi artes, dum à Christo primas regni sedes obtinere percupiens, eas non distinctè, sed generaliter sub cuiuspiam doni prætextu callidè efflagitauit, vt Dominum quasi sub cæca & impro-
Matth. 20. 20. uida promissione caperet. *Accessit* (inquit Matthęus c.20.20.) *mater filiorum Zebedæi cum filijs suis ado-
Marc.10.35. rans, & petens aliquid ab eo*: clariùs Marcus cap. 10. 35. *Volumus, vt quodcumque petierimus, facias nobis.* Sed enim sapientissimus Dominus, ac prouidentissimus largitor, quid id tandem esset, accurata priùs interrogatione disquirit, vt dicere videatur, quod
Cassiod. prudens Rex Theodoricus apud Cassiodor. lib. 2. variar. epist. 8. *Nolumus enim sub confusione largiri, quod decet sub ratione distribui.* Pulchrè, *nolumus sub confusione largiri*: ac si diceret, volumus signatè, & distinctè munera distribuere, & quid, & cui demus sigillatim discutere. Certè ipsamet Dei sapientia Lazarum ad vitam reuocaturus proprio illum nomine compellauit, inquiens: *Lazare veni foras*, Ioan.
Ioan.11.43. 11. 43. Vbi dum Patres, & interpretes disquirunt, quid fuerit opus, vt is qui sine voce totum expressit orbem, ad vnum hominem suscitandum, & voce magna vteretur, & proprio nomine illum ap-
Ambros. pellaret; appositè respondet Ambros. orat. de fide resurrect. *Ne alius resuscitatus pro alio videretur, aut fortuita magis resurrectio, quàm imperata.* Tam ordinatè, scilicet, atque distinctè quid, & quibus largiantur, debent Principes attendere. Ergò cùm callidæ mulieris petitionem Dominus audit, nescire illã, quid peteret, absolutè pronũciat. Quid? adeóne quid sibi, suisque filiis magis expediret, ignorabat? Non opinor, sed nimia potiùs scientia, atque calliditate, Dominũ, nescium, & ignorantẽ prouisorem reddebat. Etenim cùm maiora præmia non nisi dignioribus, & eminentioribus danda essent, si ea iam illi ex eo tempore præoccupassent, futurum quidem esset, vt præstantiora alij certamina subeuntes, debitis sibi coronis frustrarentur. Ita Chry-
Chrysost. sost. hom. 66. in Matth. *Nam si alij præstantiores videbuntur, si excellentiora quàm vos opera facturi sunt, quomodo illis expulsis locum eorum vos occupabitis? An quia mei discipuli estis, idcirco etiam si non digni primatu eritis, præmia tamen consequuturos vos arbitremini?* Ita quidem pulchro scommate irridebat
Tertul. Gentiles Tertullianus in Apologetico cap. 11. quod Deum in diuinitatis suæ socios, atque collegas homines improbos, & indignos ipsi fingerent adsciuisse, cùm tamen non fuerit nescius futuros postea plures, qui illis iustiores, atque digniores existerent.

Vella 29. in Epist. ad Philippens.

sterent. Audi: *Quanto dignius istos Deos* (de melioribus hominibus loquitur) *ille assumendos expectasset, præscius vtique potiorum? Properauit, opinor, cœlum semel clausit, & nũc vtique melioribus apud inferos mussitantibus erubescit.* Scitè omnino, vt hinc etiam Principibus innotescat, rubori sibi esse debere, si in munerum distributione digniores prætermiserint, non his solùm, sed omnibus etiam qui bene sapiunt, mussitantibus gementibus, irridentibus, exsibilantibus.

Huc facit, quod cùm tria tabernacula in Thabor 9.
Christo, Moysi, & Eliæ indiscriminatim vellet Petrus struere, & ab Euangelista (Marc. 9. 5.) vt nesciẽs Marc.9.5.
quid diceret, reprehenditur, & à summo Parente ea illi voce occurritur: *Hic est Filius meus dilectus*, tacitè ipsa illum increpante, quod nulla meritorum distinctione facta, æquali Dominum, ac seruos honore vellet afficere. Ac si diceret: num Filium meum charissimum hunc esse ignoras? quid ergo ipsum æqualiter in honore cum seruis numeras? id sic expendente Ambros. lib. 1. de fide: *Quoniam vel taber-* Ambros.
naculorum numerũ deferendum tribus simpliciter æstimauit, emendatur Dei Patris auctoritate dicentis: Hic est Filius meus, &c. *id est, quid conseruos cũ Domino socias tuo?* ita Ambrosius. Sanè, sic scitè è sapientibus dixit non nemo: *Confusis, & permixtis ordinibus, nihil est æqualitate ipsa inæqualius.* Possis etiã in ea æqualiũ tabernaculorũ constructione minus consideratè facta, illud reprehendere, in quo nõnulli electores sæpiùs peccant, dum eadẽ ipsorum in cõferendis præmiis ars est, ac sagenæ missæ in mare ex omni genere pisces cõngregantis; sed qui non exinde
iuxta Euangelicũ præscriptum Matth. 13. 48. circa Matt.13.48.
littus sedeant, vt bonos eligãt in vasa, malos autem foras mittant, imò potiùs indiscriminatim malos in honoribus bonis associent, vt nimirũ bene merentium prætextu, & vmbra tota omniũ electio recta, & ad iustitiæ leges facta videatur. Verumenimverò id prudentibus non aliter sapit, ac illa pessimi latro-
nis in cruce pendẽtis ad Christũ vox Lucæ 23. 39. Luc.23.39.
Si tu es Christus, saluum fac temetipsum, & nos: scilicet, idem erat, eo quod Filius Dei Christus esset, semetipsum iustũ, & sanctum, & latrones digna factis recipientes saluare, cõfusis, videlicet, & permixtis ordinibus. Quid fuisset æqualitate hac inæqualius.

Obseruauit itidem ad hanc rem Ambr. lib. 2. de 10.
Abraham, c. vlt. in illis Domini verbis Gen. 17. 20. Genes.17.20.
Super Ismaël quoque exaudiui te; Abrahamo vitam, & felicitatem illegitimo filio Ismaëli petenti nõ priùs Dominum annuisse, quèm Isaac, vt germanę proli, potiores partes deferret, eúmque hæredem instituerett: ne pari liberalitate, & beneficentia imparibus meritis consultum iri videretur. Sed iuuat au-
dire Ambrosium: *Itaque sicut testamenta hominum* Ambros.
priùs hæredem scribunt, postea legatum exprimunt, melioribus hæreditatem, inferioribus legata; ita & Deum in testamento vsum, & nos hunc morem accepimus: hæres scribitur natura bonus, nobilis, legitimo creatus coniugio, legato donatur inferior. Ita Ambrosius.

His illud pro coronide placet adiicere: tanti es- 11.
se, sternere per ordinem lapides Ecclesiæ, vt hinc potissimũ eius firmitas, & valentia consurgat; quippe quę à cœlesti sponso inde terribilis dicitur, quod
vt castrorum acies ordinata sit, Cant. 6. 3. nimirum, Cant.6.4.
aciei robur, & fortitudo ex ordine, quo belli duces, centuriones, signiferi, & milites propriis locis assi-
gnantur, maximè consurgit. Vnde Nyssen. ad hæc Nyssen.
Cant. verba, hom. 15. allusionem ad spiritualem cœli militiam, siue cœlestium spirituum Hierarchias, quæ miro ordine constitutę, & propriis sedibus assignatę sunt, quin paululũ è statione sua quiuis pro-

grediatur, factam esse sic inquit. *Fortasse verò quis hactenus consideratis inhaerens dixerit, per hanc cum vltramundana natura comparationem amplificare praedicando maiestatem sponsae. Nam hae sunt illae instructae copiae, quippe vbi potestates semper dominantur: perpetuò dominationes rerum potiuntur: solidè fundati sunt throni: principatus nulla in seruitutem rediguntur: sine intermissione Deo copiae faustis vocibus acclamant: volatus Seraphim non quiescit, & statio nō progreditur: Cherubim sustinere sublimem illum eleuatúmque thronum non cessant: ministri opus facere, & sermonem audire nō desinunt.* Bene igitur, *terribilis vt castrorum acies*, vbi dum suo ordine constitutae potestates, & singularum statio non progreditur, solidè fundati sunt throni. Quo signatè refero eam Vatis locutionem

Psal.32.6. Psal. 32. 6. *Verbo Domini cœli firmati sunt*; etenim, cùm de Dei Verbo, hoc est, de diuina Sapientia omnia componente, & propriis sedibus singula destinante sermo fit, quaesita voce, *firmati*, innuitur, ex hoc ordine, & concinnitate miram firmitudinem & consistentiam resultare. Quare Beda ad praefata

Cant.2.4. verba; *Ordinauit in me charitatem*, Cant. 2. 4. cùm nō nescius in originibus, pro, *ordinare*, esse *confirmare*, dixisset: *Quamuis ordinatio charitatis, etiam pro confirmatione posita rectè possit intelligi*; subiicit: *quia quae temerè locantur, infirma sunt, quae autem ordinatè, firmiter manent.* Sic ille.

12. Quam quidem ad rem, in iis Ioannis verbis de

Ioan.6.15. Christo Domino cap. 6. 15. *Cùm cognouisset, quod venturi essent, vt raperent eum, & facerent eum Regem, fugit iterum in montem ipse solus*; obserues velim illud, *vt raperent eum*. Cur raperent? Dixerit non nemo, ideo illos homines, priusquàm Regem Christum facerent, existimasse opus fuisse, vt raperent illum, quod eam regij throni sublimitatem crederent, vt qui ad illam repentè fuisset euehēdus, nulla cum ipso adhibita consultatione violenter assumi, & vi rapi, necesse fuerit. Quis enim facilè animum induxerit suum, vt è pauperrimo ditissimus, & ex infima sorte subitò supremus fieri speret?

Chrysol. Dixit siquidem hoc sensu Chrysologus serm. 72. *Tanta est erga nos Deitatis gratia, vt nesciat quid potissimum mirari debeat creatura, vtrùm quod se Deus ad nostram deposuit seruitutem an quod nos ad sua diuinitatis rapuit dignitatem*; scitè Deo humanitatem assumenti, verbum *deponendi* homini verò in Deum assumpto, phrasim *rapiendi*, attribuens: hoc enim nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit. Vnde opus fuit ad tantum fastigium hominem rapi, quin hac de re cum ipso ageretur, nūquam enim haec eius animum subiret cogitatio. Vel etiam non abs re dixeris, ideo voluisse eos priùs rapere illum, quod regnandi discrimen, regiaeque potestatis periculum adeò sit ingens, vt à cordato homine ipsam fore suscipiendam, nullatenus possit sperari; ac proinde eum priùs rapere, & à seipso velut furto surripere opus esse, vt extra se positus, & iudicio à semetipso absens regnandi munus obeat.

Senec. *Quae enim fastigia videntur* (inquit Seneca lib. de tranquil. anim. cap. 10.) *praerupta sunt*. Sed enim ego potiùs crediderim, de industria Ioannem ea vsum locutione vt etiam innueret, quanta sapientia, atque maturitate id regni fastigium Dominus declinaret, ad quod subitò, nec vllo interiecto gradu Iudaei eum assumere volebant; ac si illis diceret: heri vobis eram inuisus, atque hodie me in Regem assumitis, quis dubitet, cras à vobis è regno fore deturbandum? Inest quidem haec vis phrasi *rapiendi*: nam quod furto aufertur, extra proprium locum est, & ideo restituendum, & pristinae sedi reddendum videtur.

Ad eadem verba: *Exaltauit illum.*

ADNOTATIO III.

Crucem, diuinitatis Christi indicem fuisse.

BENE etiam haec verba Anselmus ad Christi diuinitatem retulit hunc in modum: *Diuina etiam natura in Christo dici potest exaltata secundùm ostensionem, quia cœpit sciri, quod erat; sicut in assumptione infirmitatis dicitur exinanita.* Vbi mira quidem, atque incredibilis crucis vis, atque efficacitas relucet, cùm Filij Dei diuinitas tamdiu hominibus ignota, atque abscondita, per ipsam toti mundo signatè illuxerit. Quam ad rem illud cum primis signatissimum est Pauli testimonium ad Hebraeos 2. 9. *Videmus Iesum, propter passionem mortis, gloria & honore coronatum. Decebat enim eum, propter quem omnia, & per quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat, auctorem salutis eorum, per passionem consummare*, quod ad cap. 1. vers. 7. adnot. 2. num. 7. & vers. 30. adnot. 1. num. 2. elucidauimus. Sed obserua duo: alterum, Theodoretum, & Ambr. in comment. necnon Athanas. lib. de Incarnat. Verbi, sic capere omnia haec verba de Christo, vt illa *per quem omnia*, &, *propter quem omnia*, in quibus rerum creatio, atque productio asseritur, ad ipsum esse referenda velint. Sic enim, vt iam monui legit haec Athanasius: *Decebat enim eum, per quem omnia, & ex quo omnia, multos filios in gloriam adducentem, cùm princeps, auctórque eorum salutis esset, passionibus consummari.* Alterum: Lectionem Syriacam pro, *passionibus consummare*, habere, *per passiones perfectum reddere*. Sed occurris statim, & obclamas inquiens: Quid est Dei Filium passionibus consummari, siue perfectum reddi? Aliquáne ei, qui infinitè perfectus, & consummatus, & omnigenae perfectionis, virtutis, ac sanctitatis immensum est pelagus, accessio fieri, siue gutta aliqua superaddi potuit? Absit. Quî ergo haec perfectio, siue consummatio valeat intelligi? Sanè haec non aliter capienda, quàm iuxta praefatam Anselmi thesim: *Diuina natura dici potest exaltata secundùm ostensionem, quia cœpit sciri quod erat.* Explico Sapientis voce Ecclesiast. 20. 32. *Sapientia absconsa, & thesaurus inuisus, quae vtilitas in vtrisque?* Erat quidē Dei Filius aeterna Sapientia, erat diuinarum opum thesaurus, erat immensae virtutis abyssus: at enimverò diuinae huius lucis splendor hominum oculis non affulserat, antiqua haec cœlestis pulchritudo humanos animos non incenderat, non rapuerat. Vnde, vt in se reapse perfectissimus, ac consummatissimus existebat, ita, quoad externam manifestationem, decebat passionibus consummari, eámque accidentariam perfectionem assequi, vt toto terrarum orbe praedicaretur, coleretur, amaretur. Pende ergo egregiam crucis efficacitatem, summámque, & humano sensu vix aestimabilem eius vim, quae eum, quē pulcherrima haec mundi machina, tot tantáq; simul ab ipso perfecta prodigia non patefecerant, notum hominibus, ac manifestum reddidit. Vnde Venerab. Drogo serm. de Dominicae Passionis Sacrament. occasione verborum Luc. c. 24. 35. *Cognouerunt eum in fractione panis*, opportunè clamat. *Et verè non cognosceris Domine, nisi in fractione panis: panis caro tua, fregisti manibus tuis corpus tuum, quia potestatem habebas ponendi animam tuam, & iterum sumendi eam: fregisti corpus, quod foris apparebat, & ostendisti medullam, quae intus latebat; nisi autem patiaris, non cognosceris.*

Margin notes (right column): 1. Anselm. — Ad Hebr. 2. 9. — Theodor. Ambros. Athanas. — Eccles. 20. 32 — Drogo. — Luc. 24. 35.

cognoſceris, ibi abſcondita eſt fortitudo tua. Hęc Drogo.

2. Quod ſi eum, propter quem omnia, & per quem omnia, per laborem perfectum videre velis, adi Zachariam c. 3. 9. [Zach. 3. 9.] vbi dum Vati priùs ſub imagine lapidis, pretioſi quidem, ſic enim de eo Iſaias c. 28. 16. [Iſai. 28. 16.] *Ecce ego mittam in fundamentis Sion lapidē probatum, angularem, pretioſum;* ſed nondum perfecti & ſculpti, ſed impoliti, ac rudis, Dei Filius obiicitur, ſic inquit ſummus Pater: *Super lapidem vnum ſeptem oculi ſunt, & ecce ego cælabo ſculpturam eius:* id eſt, magno ſtudio, & attentiſſima conſideratione (ſic enim doctiores interpretes capiunt ſeptem illos oculos) lapis hic cælabitur, atque polietur, vt ſplendidus, atque glorioſus appareat. Sed quænam hæc cælatura, ſiue cælandi modus fuerit? Audi Aquilam, Symmachum, & Theodoſionem, qui legunt; [Aquila. Symmach. Theodoſ. Hierony.] *Ego ſculpam aperturam eius:* hoc eſt, inquit ibi Hieronymus; *Iſtum lapidem clauis crucis, & lancea militis faciam vulnerari.* En ſapientiam priùs obſconſam, & theſaurum inuiſum: en inquam Dei Filium, antequam humanam ſuſciperet naturam, incognitum; & poſt ſuſceptam, dum crucem, mortémque non ſubiuit, licèt millia perfeciſſet miracula, deſpectum in hominum oculis, atque vt vilem reprobatum: at verò poſt crucem adeò ſplendidum, atque glorioſum, vt operiat cœlos virtus eius. & laudis eius plena ſit terra. Quò quidem it ſinapis imago, cum qua ipſemet apud Matthæum c. 13. 31. [Matt. 13. 31.] ſe compoſuit: nimirum, ſinapis miram, atque incredibilem vim, ſed abſconditam, atque latentem habet; atque ideo, vt eam prodat, atque manifeſtet, non leuiter conteri, atque contundi opus eſt. Ita Chryſologus ſermone 98. [Chryſol.] inquiens: *Chriſtus eſt regnum cælorum, qui velut granum ſinapis in hortum virginei corporis miſſus, orbe toto crucis in arborem creuit, ac tantum dedit fructus ſui ſaporem, cùm teritur Paſſione, vt quidquid eſt vitale, ſuo ſaporaret, & cōdiret attactu. Nam ſicut in integritate grani ſinapis virtus habetur occulta, apparet verò virtus eius vehementiſſimè, ſi teratur: ita Chriſtus corpore teri voluit, qui ſuam noluit latere virtutem.* Hæc ille.

3. Hæc omnia ob oculos habebat Regius Pſaltes, cùm Pſal. 103. 1. [Pſal. 103. 1.] Chriſti exaltationem intuitus, ac de ea ſummopere delectatus, ad gratulationem ipſi faciendam animum ſuum ſic inſtituit. *Benedic anima mea Domino: Domine Deus meus magnificatus es vehementer. Confeſſionem, & decorem induiſti, amictus lumine ſicut veſtimento.* Vbi exploſa explicatione de rebus naturalibus, quæ Dei magnitudinem commendant, quam Agellius Eugubinus, [Eugubin.] & alij, qui eos ſolùm literales Scripturæ ſenſus putāt, qui humi repant, & ſublime nihil ſapiāt, his verbis adhibent; mihi cum Auguſtino, Caſſiodoro, & Arnobio, de Chriſti myſteriis agi non eſt dubium. Ergo ait Vates: *Domine Deus meus magnificatus es vehementer.* Pende ſingula, & in primis Hebræas voces, ſiue nomina, quæ iis, *Domine Deus*, reſpondent; etenim pro, *Dominus*, eſt *Iehouah*, quod ipſum eſſe Dei, immenſamque ipſius diuinitatem, & ante omnia ſæcula æternitatem ſignificat: pro, *Deus*, verò ponitur *Elohim*, quod aliquem Dei ad creaturas reſpectum dicit; eſt enim nomen magnæ poteſtatis, & magnitudinis Dei, & ad eum vt creatorem propriè pertinet, atque ideo quoties de creatione Moyſes egit, illud ſingillatim vſurpauit. Modò attende, quid velit Vates, *magnificatus es vehementer.* Sed occurrit Caſſiod. [Caſſiod.] *Quomodo ille magnus non eſt, vt hominū laudibus magnificetur? aut quid illi poteſt addi, qui eſt mirabilis, & incomprehenſibilis plenitudo virtutum?* Reſpondet verò: *Sed magnificatur Dominus apud homines, quando eis magnus, atque excelſus eſſe claruerit, vt ipſum ſentiant creatorem, ipſum bonorum omnium largitorem, ipſum redemptorem, ac poſtremum ipſum & iudicem.* Similiter Auguſtinus ibi, [Auguſt.] *magnificatus es nimis, hoc eſt, qui nondum te intelligebam, intelligo te magnum. Magnus etiam ſemper occultus, ſed mihi tunc magnus apparuiſti, quando factus es manifeſtus.* Sed quando, inquis, hæc magnificatio, ſiue manifeſtatio Deo contigit? Audi rurſus Caſſiodorum: [Caſſiod.] *Sed vnde magnificatus ſit vehementer, conſequenter exponitur;* Confeſſionem, & decorem induiſti. *Induere, eſt aliquem quod non habebat aſſumere; & quando Deus decorem non habuit, qui creaturis ſuis omnia ſpecioſa ſemper indulget? Sed hic Incarnatio Domini euidenter exponitur, quam ſumpſit ex tempore, per quam confeſſionem mortalium largitor ſuæ pietatis inuenit.* Subiicit ſtatim: *receſſerant enim à cultu veræ diuinitatis, cùm ſimulachrorum ſtudiis, & vanis religionibus ſeruiebant; ſed eo veniente, qui tamen nunquam abſens extitit, diuinitas, & confeſſio, & decus ſupernæ maieſtatis innotuit.* Hæc Caſſiod. Similia habet Ambroſ. & alij. Nec aliud mihi hoc indumentum ſapit, quàm regia purpura, qua velut omnium Rex, ac Dominus, ex Paſſione ſua Dei Filius innotuit. Sanè quaſi is, qui in hominum cognitione, diuinitatem quodammodo ambire, & candidatus eſſe videbatur, ambientium more, quem iam noſti, candidis priùs vteretur veſtimentis. Vnde ab ſponſa quà Deus, *candidus* appellatur Cant. 5. 10. [Cant. 5. 10.] poſt Paſſionem iam ſuam, *rubicūdus*, quod regia, ſcilicet, purpura, quæ eius regnum, & maieſtatem denotet, induatur. Ita penè Chryſol. ſerm. 31. [Chryſol.] *Tunc enim primùm regalis indumenti tela de Chriſti vellere texebatur, de vellere, quod dabat Agnus, Agnus Dei, qui tollit peccata mundi; texebatur autem regium veſtimentum, quod in purpureum fulgorem cruor tingeret Paſſionis.* Ita ille.

4. Sed nullus, opinor, tam dilucidè, tam luculenter, quàm ipſemet Dominus hæc ſenſa aperuit apud Ioan. 8. 28. [Ioan. 8. 28.] Cùm enim aduerſus obcæcatas Iudæorum mentes, & obdurata pectora pugnans, nullum non lapidem mouiſſet, vt ſuam illis diuinitatē ſuaderet, dum priùs & ſe ipſum lucem mundi, hoc eſt, fontem vitæ, æternamque Dei Sapientiam, humanarum mentium illuminatricem appellauit, & paulo pòſt, quis eſſet interrogatus, reſpondit; *Principium, qui & loquor vobis:* ac ſi apertè diceret, mundi artificem, & rerum omnium principium, Deique Verbum ſe eſſe, vt ad ea verba monent Patres, Ambroſ. lib. 3. de fide, c. 9. Bernar. lib. 5. de conſid. paulo ante med. S. Tho. Rupert. Beda, Lyra, & Interlin. [Ambroſ. Bernard. S. Thom. Rupert. Beda. Lyra. Gloſ. Inter.] præcipuè verò Aug. lib. 11. Confeſſ. cap. 7. & lib. 1. de Geneſ. contr. Manich. c. 2. & lib. 5. de Trinit. c. 13. inquiens: *Creatorem ſe quippe dicere voluit, cùm ſe dixit eſſe principium, ſicut & Pater principium eſt creaturæ, eo quod ab ipſo ſunt omnia:* nec tamen cæci illorum animi in eius fide quidquam proficerent, tandem vt extremo morbo extremum adhiberet remediū, ac denſiſſimis incredulitatis tenebris ipſammet Solis rotam obiiceret, emphaticè inquit: *Cum exaltaueritis filium hominis, tunc cognoſcetis, quia ego ſum.* Quod perinde fuit, inquit Auguſt. tract. 40. in Ioan. [Augu.] ac ſi dixerit: *Recolite illud:* Ego ſum qui ſum, *Exod. 3. 14. & cognoſcetis quid ſit dictum;* Ego ſum. [Exod. 3. 14.] *Differo cognitionem veſtram, vt impleam Paſſionem meam, ordine veſtro cognoſcetis, qui ſum,* cùm, *ſcilicet,* exaltaueritis Filium hominis. *Exaltationem autem crucis dixit, quia & ibi exaltatus eſt, quando pependit in ligno: hoc oportebat impleri per manus eorum, qui poſtea erant credituri.* Ita ille. Pende illud, *ordine veſtro cognoſcetis,* quaſi ad diuinitatem Chriſti cognoſcendam nihil ordinatius, & aptius, quàm crux fuerit. Sed cur tunc cognoſcetis, cùm cruci ſuffixeritis?

Nimirum, pretiosus hic lapis crucis clauis, & apertura lanceæ, vt dicebat Hieronymus, cælandus, & poliendus, & sinapis granum conterendum atque frangendum erat, vt suam proderet, ac patefaceret virtutem. Ita Ambros. lib. 2. de Spirit. sanct. c. 5. rationem reddens, cur cœlestis sponsus florem campi se appellauerit: *Flos odorem suum succisus reseruat, & contritus accumulat, nec auulsus amittit: ita Dominus Iesus in illo patibulo crucis, nec contritus emarcuit, nec auulsus euanuit; sed illa lanceæ punctione succisus sacro speciosior fusi coloris cruore vernauit.* Ad quem mo-

Eucher. dum Eucherius lib. 3. in libros Regum, Assertorem nostrum cum lilio repando, siue distentis, & dilatatis foliis, quibus aureas fibras intus latentes ostendat, cuius

3. Reg. 7. 26. 3. Regum 7. 26. peculiaris mentio fit, sic componit: *Christus lilium propter gloriam resurrectionis foris candidum propter gloriam corporis, intus verò aureum propter fulgorem animæ: & ante Passionem quidem lilium quasi clausum; propter Passionem quippe gloria, & honore coronatus est: post Passionem vero lilium repandum, quatenus in assumpta humanitate potentiam diuinæ claritatis, quam habuit apud Patrem priusquam mundus esset, ostendit.*

5. E qua quidem re, & titulus Psalmi 21. qui Christi

Psal. 21. in tit. Passionem disertissimè continet, & deperditæ drachmæ parabola, de qua

Luc. 15. 8. Luc. 15. 8. esse videntur. Nã in titulo Psalmi, vbi nos habemus, *pro susceptione matutina*, Hebraïcè habetur vox, *Aieleth*, quæ, vt obseruauit Abenezra, propriè significat ascensum, siue stellam matutinam; vt argumento sit, tunc Christi diuinitatem hominum cordibus illuxisse, cùm passionem ipse, mortemque obiuit, nec aliud crucis ignominiam, quàm ascensum in supremum dignitatis fastigium, vbi eius maiestas plus plus irradiaret, & splendidissimè luceret, fuisse. Cui cogitationi pulchrè assonat drachmæ deperditæ parabola,

Chrysol. Theophy. Chrysol. præsertim ser. 169. & Theoph. in c. 15. Lucæ interpretibus, dũ hic per mulierem, à qua drachma aberat, sapientiam, & virtutem Dei Patris intelligit: Chrysol. verò tunc accensam lucernam fuisse dicit, cùm carnem suam Christus accendit, morti & suppliciis eam offerens. Quasi hinc liceat colligere, totum diuini cultus, humanæque salutis negotium ante Passionem Christi in tenebris delituisse, per ipsam verò, vt errantem hominem à Deo inuentũ, ita Deũ ab humana cognitione, & notitia exulãtem cognitum ab homine, & amatum fuisse. Vnde no-

Cyprian. tanter Cyprian. siue Auctor libri de duplici martyrio, paulo post princip. dicebat: *Quot morbos insanabiles verbo sanarat Dominus? quot cæcos illustrarat? quot mancos, paralyticos, ac debiles restituerat? quot exanimes ad vitam reuocarat? Et tamen pauci credebant in eum, & audiebat in Beelzebub eiicit dæmonia: ceterùm vbi ventum est ad sanguinem, ibi deiectum est Sathanæ regnum, ibi subactus est mundus.* En drachmam inuentam post lucernam, hoc est, Christi carnem, accen-

Isai 11. 9. sam. Quare Isaias c. 11. 9. *Repleta est* (inquit) *terra scientia Domini:* siue, vt

Lxx. Lxx. habent, *cognitione Domini:* quæ verba in hũc sensum fusè, & elegãter expli-

Athanas. cantur ab Athanasio lib. de Incarnat. Verb. Vide illũ.

6. Hinc Ioannes cap. 1. 14. cùm dixisset: *Et Verbum*

Ioan. 1. 14. *caro factum est, & habitauit in nobis;* notanter subdit, *& vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti a Patre:* quasi hæc Filij Dei exinanitio atque humiliatio, eius diuinitatem nobis miro quodam modo patefecerit, & per illam latens antea Verbum eas voces dederit, ex quibus ipsius gloriam tanquam vnigeniti à Patre mundus deprehenderit. Sic hæc verba ex-

Greg Nyss. pendentibus Greg. Nyssen hom. 13. in Cant & Cyr. Alex. lib. 1. de recta fide ad Regin. quorum prior: *Increatum* (inquit) *dicimus Verbum, quod initio rerum existebat, & semper erat apud Deum, & erat Deus Verbum, per quod facta sunt omnia, & sine quo nihil eorum factum est, quæ facta sunt: creatum autem illum dicimus, qui caro factus est, & sibi tabernaculum in nobis exstruxit, in quo etiam incarnato elucens gloria indicat, quod Deus patefactus sit in carne omnino, inquam, Deus, vnigena ille, qui Patris in finibus existit, cùm ita Ioannes dixerit,* conspeximus gloriam eius, (*atqui homo erat, quod cernebatur, verùm id quod per illum cognoscebatur, appellat gloriam*) tamquam vnigenæ à Patre, qui plenus est gratia, & veritate. Ita Nyssen. similiter ab illo Cyril. *Illud Verbum, quod inexplicabili* Cyr. Alex.
modo supra omnem humanæ mentis captum eluxit, ex Deo Patre in humanam naturam descendens, & in id quod non erat se demittens, ex muliere quoque nasci dignatum est. Non quod in ea exinanitione vsque perseueret, sed vt Deum se esse ostendat. Pende hæc extrema, quibus innuit Cyril. hanc Filij Dei exinanitionem, non tam vt finem, siue scopum, in cuius consecutione animus vltimò conquiescit, & perseuerat, quàm vt medium, quod in finem præordinatur, intentam, & amatam ab ipso fuisse, vt per illam Deum se esse mundo ostenderet. Quod quidem sic dilucidè docuit Euseb. Gallican. siue Eucher. Lugdunen- Euseb. Gall.
sis hom. 2. de Symbolo: *Humiliauit itaque semetipsum, factus est obediens vsque ad mortem, vt sublimior appareret, & Angelis, & hominibus inclinata sublimitas.* Sic ille.

Sed & sub diuersis, & ad speciem inter se pu- 7.
gnantibus dicendi modis à Regio Vate, necnon à Salomone id expressum videris: hic siquidem Cant. Cant. 1. 3.
1. 3. sub sponsæ persona cum Filio Dei colloquentis ait; *Oleum effusum nomen tuum:* pro quibus, vt non semel monuisse me memini, Lxx. & Græci Patres, Lxx.
nonnullis etiam ex Latinis consentientibus, reponunt; *Vnguentum exinanitum nomen tuum.* Dauid autem Christi typum gerens, Psal. 21. 16. inquit: *Aruit* Ps. 21. 16.
tanquam testa virtus mea. Et verò, quid magis dissimile, aut diuersum fuit, quàm virtutem, sicut testã arescere, siue explicari, & aliunde sicut oleum effundi atque dispergi? Hoc enim ad humiditatem, & fluiditatem, imò verò & fragilitatem; illud ad siccitatem, & firmitudinem pertinere videtur: sed enim eodem eunt ambæ locutiones, & pro imaginum diuersitate idem resultat sensus. Certè sub effusi vnguenti similitudine id sibi sponsam velle, monent Ambrosius, & Theodoretus, vt Dei nomen, atque natura velut suauissimum, ac pretiosissimum vnguentum fuerit, quod antequam Christus carnem susciperet, & mortem obiret, non secus, ac vnguentum in vase conclusum, atque reconditum vix vllam sui fragrantiam spiraret: post Passionem verò, cùm quasi fracto alabastro exinanitum, atque effusum est, tam suauem, tamque vehementem diuinitatis efflauerit odorem, vt eius suauitate homines allecti mirum in modum eius dilectione flagrare, & cursu post illum ire cœperint. Audi Ambros. lib. Ambros.
3. de Virgin. *Semper vnguentum hoc erat, sed erat apud Patrem, erat in Patre, olebat tantùm Angelis, & Archangelis, tanquam intra vas cœli. Aperuit os Pater dicens:* Ecce posui te in testamentum generis mei; *descendit Filius, repleta sunt omnia nouo odore.* Similiter Theodor. *Quemadmodum vnguentum in vase conclu-* Theodor.
sum inclusam continet ipsam odoris fragrantiam; sin autem effundatur ipsum quoque replet aerem: sic Dominus Christus ante Passionem paucis notus erat, at postea quàm crucem, mortemque sustinuit, continuò beati Apostoli suauitate illa repleti sunt, terramque percurrẽtes, & maria traiicientes, omnibusque Euangelium nuntiantes, odoris suauitate mundum vniuersum complexerunt; ob id ait sponsa: Vnguentum effusum nomen tuum. Iam verò huic vnguenti exinanitioni, siue effusioni testæ ariditas mirificè concinit. Sic namq; eam

eam explicat August. ibi: *Magnificè dixit, firmum factum est nomen meum de tribulatione: quomodo enim testa ante ignem mollis est, post ignem fortis; sic Domini nomen ante Passionem contemnebatur, post Passionem honorificatur.* Ita Augustinus.

8. Ab hoc non it Nazianzeni obseruatio in illis
Matt.8.1. verbis Matth.8.1. *Cùm descendisset Iesus de monte, secutæ sunt eum turbæ multæ*, vt allegoricè innuatur, ideo hominum turbas ipsum secutas, atque eius nomen agnouisse, & fuisse reueritas, quod è sublimi solio descendens semetipsum exinanierit formam
Greg. Nazianz. serui accipiens. Sic enim Greg. orat. 31. *Si in specula sua mansisset, si ad hominum infirmitatem minimè se demisisset, si quod erat mansisset, inaccessibilem seipsum, & incomprehensibilem custodiens, pauci fortasse secuti fuissent, atque haud scio an pauci, fortasse Moyses solus, isque etiam hactenus vt Dei posteriora ægrè videret: verum quoniam nostra causa exinanitur, quoniam cœlitus descendit (exinanitionem autem voco quasi gloriæ submissionem, & imminutionem) idcirco perceptibilis, & comprehensibilis efficitur.* Hæc ille. Ad quem etiam modum cum Philone Antistite capias ea Canticorum verba c.6.1. *Dilectus meus descendit in hortum*
Cant. 6.1. *suum, ad areolam aromatum, vt pascatur in hortis, & lilia colligat.* Quasi ex Filij Dei ad terras descensu, & exinanitione, suæ diuinitatis odorem homines perceperint, gratasque ipsi fidei, & virtutum epulas vicissim præparauerint. Sic enim Philo: *Inde namque factum est, vt in hortis olentissimis mentium humanarum per vniuersum terrarum orbem Christiana fide, & charitate fragrantium pasceretur ipse Deus, ex hisque candidissima liliorum odoramenta, ac serta Apostolorum, Prophetarum, ac Martyrum, & omnium beatorum ad cœlestem thalamum adolendum legerent. Nisi enim ipse priùs in hortum suum descendens diræ mortis aculeos contriuisset, nunquam in hortis, hoc est, multiplicibus fidelium totius orbis Ecclesijs, sanctissimè se pascere, & delectare potuisset in terris.* Hactenus Philo.

9. Præfatis verò Psaltis verbis: *Aruit tanquam testa virtus mea* ab Augustino sub hoc sensu acceptis mi-
Habac. 3. 4. rificè applaudit Habacuc c.3. sic enim primùm vers. 4. *Splendor eius vt lux erit*, quæ in Hebræo sic leguntur, vt de Filio Dei, tamquam de Patris splen-
Ad Hebr. 1.3. dore (ad Hebræos 1.3) fuerint accipienda; nec enim ibi habetur, *splendor eius*, quasi de Christi splendore sermo sit, sed dempto ly *eius*, absolutè dicitur, *splendor vt lux erat*: vt sensus Ant. Agellio interprete sit, Filium Dei, qui est Patris splendor, cùm eò vsque eius diuinitatis radij mundo non illuxissent, post Passionem iam suam non minus quàm ipsam Patris lucem emicuisse, & vt lumen de lumine, Deum verum de Deo vero Gentibus innotuisse. Sed deinde de ipsamet cruce, cui fixus est Dominus, sic ad-
Habac. 3. 5. Cyprian. dit Propheta: *Cornua in manibus eius ibi abscondita est fortitudo eius*: pro quibus Cyprian. lib. 2. testimoniorum ad Quirin. & alij legunt *Cornua in manibus eius, ibi constabilita est virtus gloriæ eius*; ac si dicat Habacuc: *Domini nomen ante Passionem contemnebatur, post Passionem verò honorificatur*: quod per crucem firmum, ac constabilitum fuerit. Quò etiam possis
Ps. 109. 8. aduocare ea Psal. 109.8. verba: *De torrente in via bibet propterea exaltabit caput.* Nam cùm vna ex parte ex Patribus sit certum, tam de calice Passionis ab Assertore ebibito, quàm de ipsius exaltatione sermonem ibi fieri: ex alia verò, Christi caput ad diuinitatem à Paulo referatur, sic enim ipse 1. ad
1 ad Cor. 11.3. Corinth. 11.3. *Caput Christi Deus*, non abs re dixeris sensum esse, Christum Passione, & cruce diuinitatem suam quoad externam claritatem exaltasse,
Ansel. dum (vt dicebat Ansel.) *cœpit sciri quod erat.*

10. S. Leo. Dixi alibi ex Leone serm. 3. de Passione, Dei Filium negotiatorem cœli fuisse, qui commutatione mirabili salutare nobiscum inierit commercium: *Nostra accipiens, & sua tribuens, pro contumelijs honorem, pro doloribus salutem pro morte dans vitam*; vt tot tantisque laboribus quamplurimum lucrifaceret. Sed enim nouæ huius negotiationis egregia lucra, atque emolumenta modò videre est operæpretium. Certè Salomon Prouerb. 7. 19. dum sub adulteræ Pro. 7. 19.
persona inscium iuuenem ad nefarios concubitus pellicientis, animam timorem Dei, qui ipsius sponsus est, à se procul abiicientem inducit, sic illam secum raciocinantem facit: *Non est vir in domo sua* (siue vt Lxx. *non enim adest vir meus in domo*) *abijt via* Lxx.
longissima, sacculum pecuniæ secum tulit: vel, vt legit Pagninus, *ligamen argenti tulit in manu sua.* Vbi dum Pagnin.
in primis ambigitur, quid significet, non esse virum in domo, & via longissima abiisse; bene respondent Hierony. & Hugo, eandem hanc cum illa parabola Hierony. Hug. Carth.
esse apud Matthæum 25. 14. cùm Christus inducitur sicut homo peregrè proficiscens: hoc est, vt Matt. 25. 14.
Gregorius hom. 9. in Euangel. & alij explicant, *qui* Gregor.
in ea carne, quam assumpserat, abijt in cœlum. Sed quid est, sacculum pecuniæ hinc secum tulisse? Opinor, significari immensa lucra, quæ ex Passione sua Dominus fecit, & è terra in cœlum asportauit, quasi hic sapiens negotiator velut ad Indias, aut locupletissimam regionem lucro ductus, ad quæstum consequendum, compendiumque faciendum aduenerit; dicas significanter Hispanè, *Hizo aca su mochila.* Ita penè Hierony. ad id Prouerb. inquiens: Hierony.
Gloriam resurrectionis, & immortalitatis Deus secum detulit, quo illius patriæ ciues lætificaret, ac ditaret. Vt vel hinc crucis, Passionisque Christi virtutem atque efficaciam videris, quæ Dei sacculum plenum, turgentemque, siue Deum ipsum diuitem, & locupletem quodammodo reddidit, dum ipsum hominibus manifestum, conspicuumque effecit.

Equidem cùm patientissimus, atque sanctissimus 11.
Iob in tot laboribus, atq; ærumnis, egregium Christi Domini typum gesserit, ipsum etiam ideo signatissimè adumbrare videtur, quod luce post tenebras oborta, duplicia bona de manu Dei acceperit: sic enim Iob. 42. 10. *Et addidit Dominus omnia quæcumque fuerant Iob, duplicia.* Quod quidem ad Chri- Iob 42. 10.
stum sic referas, vt subductis rationibus sacculi pecuniam, siue duplicata ex Passione sua bona, atque lucra numeres, quasi ipse duplo quàm antea (quoad externam, scilicet, manifestationem, & gloriam, de qua nobis perpetuus sermo est) ditior, ac locupletior euaserit: id quod in his Iobi verbis luculenter considerauit Rupertus lib. 2. de operibus Rupert.
Spiritus sancti, cap. 9. ad hunc modum. *Apostolus quoque cum dixisset*; Christus factus est pro nobis obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis, *continuò subiunxit*: Propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen, quod est super omne nomen, vt in nomine Iesu omne genu flectatur, &c. *Iam hic cum Propheticis, atque Apostolicis præconijs, vt à proposita beati Iobi allegoria, vel figuratiua speculatione sermo non recedat, dicamus, quia* addidit Dominus omnia quæcumque fuerant Iob, duplicia. *Quid enim noster iste Iob, quid, inquam, Deus Christus, quid homo Christus habuerat? Diligenter vtrobique possessiones eius apprehendamus, quas ante Passionem suam habuerat; & non dubium erit, quin cuncta receperit duplicia. Quid Deus Christus habuerat? Nouem ordines Angelorum*; etenim cùm in forma Dei esset, *& nondum se exinaniuisset* formam serui accipiens, *claritatem habebat Deus apud Deum, diuinis obsequijs adoratus, Deus, & Rex Angelorum: sed ecce, quia semetipsum exinaniuit formam serui accipiens, & hæc passus est, quæ prædicta*

prædicta sunt, Deus, & Rex Angelorum, pariter & hominum, ergo duplicia Deo Christo reddita sunt. Hæc, & plura ibi Rupertus.

12. Hæc quidem omnia Dei Filij ad terras aduentus, atque ipsius in cœlos reditus, dum alter alteri è regione ponitur, mirificè firmant. Nam de ipso in hunc mundum adueniente sic canebat Vates Psal.
Psal. 71.6. 71.6. *Descendet sicut pluuia in vellus, & sicut stillicidia stillantia super terram*: Isaias verò tam de aduentu, quàm de ipsomet in cœlos reditu, sub persona summi
Isai. 45.23. mi Patris sic ait cap. 45.23. *Egredietur de ore meo iustitiæ verbum, & non reuertetur,* supple, *vacuum*; vt ex
Isai. 55.11. simili sententia eiusdem Vatis cap. 55.11. *Verbum meum, quod egredietur de ore meo, non reuertetur ad me vacuum*, supplendum constat. Vbi facilè videris, quàm grande inter aduentum, & reditum intercedat discrimen, cùm collatione inter vtrumque facta, vacuus quodammodo Dei sermo, cùm à regalibus sedibus descendit, aduenisse videatur, nimi-
Ioan. 12.24. rum, *nisi granum frumenti cadens in terram, mortuum fuerit, ipsum solum manet; si autem mortuum fuerit, multum fructum affert.* Hinc, si attendis, peruius illi, dum venit, quacumque aditus, nec tam dilatari, quàm aperiri orbis portas, ac mundi limen necesse fuit, dicente alicubi Ecclesia in eius aduentu: *Aperite portas, quia nobiscum Deus.* At post Passionem suam ad cœlum redeunti, cùm duplicia ipsi iam reddita fuerant, & sacculum pecuniæ secum ferret, ampliores, capacioresque cœlorum portas facere, quibus maximas, & vndequaque gloriosissimas manubias posset inferre, necesse fuit. Sic monere vi-
Psal. 23.7. detur Regius Psaltes Psalmo 23.7. *Attollite portas Principes vestras, & eleuamini portæ æternales, & introibit Rex gloriæ*; vt ad hæc verba pulchrè conside-
Ambros. rauit Ambrosius lib. 4 de fide ad Gratianum, cap. 1. ad hunc modum. *Obstupuerunt & Angeli cæleste mysterium: vnde cùm resurgeret Dominus, atque illum, quem dudum secundum carnem angustus sepulchri locus texerat, resurgentem ab inferis cœli alta sustinere non possent, hæserunt etiā cœlestia in opinionis incerto. Veniebat enim nouis victor redimitus exuuijs, Dominus in tēplo sancto suo, præibant Angeli, atque Archangeli mirantes spolium ex morte quæsitum. Et quamuis scirent nihil Deo accedere ex carne potuisse, quia infra Deum omnia sunt, tamen trophæa crucis, cuius principium super humeros eius, & triumphatoris æterni manubias intuentes, quasi eum, quem emiserant cœli portæ capere non possent, licèt nunquam eius capiant maiestatem, maiorem viam quærebant aliquam reuertenti.* Bene, *maiorem viam quærebant*, quidni enim maiori opus foret, qua duplicia bona inferenda erant? Sed & statim Ambrosius exinanitioni, de qua agimus, hæc aptans pulchro hoc epiphonemate rem claudit. *Adeò nihil exinanitus amiserat*; ac si diceret, adeò illi damno, aut de decori exinanitio non fuit, vt immensam ex ipsa claritatem, & gloriam Dominus fuerit adeptus.

ADNOTATIO IV.

Peculiaris alia diuinæ naturæ manifestatio, & splendor, quem Christo crux sua peperit.

1. ERGO exaltato in crucem Christo, illuxerunt coruscationes eius orbi terræ, vt verax inueniretur, dum dixit: *Cùm exaltaueritis filium hominis,*
Ioan. 8.28. *tunc cognoscetis, quia ego sum.* Ioan. 8.28. Est verò operæpretium iis modò addere, hanc diuinitatis Christi manifestationem adeò fuisse conspicuam, & illustrem, ac si (vt ita dixerim) ipsius character, atque natura, qua bonus est, ac beneficus, de facie agnosceretur. Nec enim ingens illa gratiarum copia, quam ob merita Passionis Filij Dei in hominum corda summus Parens effudit, id solùm effecit, vt Christum illi Deum esse crederent sed etiam ipsorum oculos luce compleuit, vt simul agnoscerent, in Christi passione, & morte diuinas perfectiones, easque virtutes, quæ Dei Filium maximè decent, egregiè relucere, nihilque Deo dignius, augustiusve excogitari potuisse, quàm ipsum ob hominum salutem mortem obire. Ita Venerab. Drogo, Drogo.
præced. adnotat. citatus, qui cùm de manifestatione diuinitatis Christi per crucem, ea Habacuc verba cap. 3.4. accepisset; *Ibi abscondita est fortitudo eius.*
sic opportunè subdit. *Quæ est autem fortitudo tua, nisi* Habac. 3.4.
mansuetudo, nisi humilitas, nisi sapientia, & obedientia? Has virtutes suauissimas, & fortissimas in fractione panis, hoc est, in Passione tua nobis ostendisti. Ita Drogo.

Hinc paulo antè Habacuc sic in primis ait: *Do-* 2.
mine audiui auditionem tuam, & timui: vbi LXX. ad- Habac. 3.2. LXX.
dunt, *consideraui opera tua, & obstupui.* Sed quare obstupeat, & insolita admiratione afficiatur Vates,
respondet ibi Cyril. Alexand. *Rei magnitudine mirifi-* Cyr. Alex.
cè, ac meritò stupefactus sum. Intelligo enim quod cùm forma, & omnibus Patri per omnia æqualis sis, teipsum sponte, ac volens ad exinanitionem demittes, nostrique similis homo fies ex muliere, & formam serui accipere non dedignabere, & qui es Deus nobiscum tuum tibi Patrem vendicabis; eris item obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis. Pergit Habacuc; *In medio anno-* Habac. 3.2. LXX.
rum notum facies: multo tamen aliter à LXX. hic locus effertur, cùm reponant; *In medio duorum animalium cognosceris.* Sed quid hæc duo animalia significent? Diuersissimæ Augustini lib. 18. de Ciuitat. August.
Dei, cap. 32. & S. Cyrilli Alexandrini ad ea verba Cyr. Alex.
explicationes esse videntur, dum prior duos latrones, inter quos Christus crucifixus est; posterior verò duo Cherubim Propitiatorium obumbrantia, quæ in Scriptura (vt ex Ezech. 1.5. constat) ani- Ezech. 1.5.
malia appellari solent, intellexit. Verùm sensus eodem recidit, & ex vtriusque sententia ea est Prophetæ mens, vt Christus quà verus Deus tunc maximè cognitus fuerit, cùm inter duos latrones cruci suffixus, suam benignitatem, & bonitatem patefaciens, tamquam verum Propitiatorium humani generis peccata deleuit, nobisque miseris opem & salutem attulit. Sic namque Cyrillus: *Cognosceris igi-* Cyr. Alex.
tur, ô Domine, quod eris nostrûm similis factus, nempe Propitiatorium, vt ex paradigmate, seu exemplari in sancto tabernaculo perspicuè cognosceris: stas enim in medio duorum animalium, hoc est, Cherubim, & nomen tibi Propitiatorium, & verus est sermo: nam vt ipse
Christus ait; Non misit Pater Filium in mundum, vt Ioan. 3.17.
iudicet mundum, sed vt saluetur mundus per ipsum. Sic Cyril. Ergo in medio duorum animalium, siue inter duos latrones, cognosceris Domine, cùm tua ibi diuinitas, & bonitas, charitate, & multitudine viscerum maximè emicet, atque splendeat.

Bene quidem hæc nouerat sanctissima Virgo, & 3.
sapientissima Psaltrix, cùm egregio in cantico dice-
bat: *Magnificat anima mea Dominū*, Lucæ 1.46. Nec Luc. 1.46.
ab hoc sensu dissidebat Isaias c. 9.6. dum Dei Filio Isai. 9.6.
recenter mundum ingresso, & in præsepio vagiente enunciauit, *vocabitur Deus fortis*: pro quibus ex Hebræo ad verbum legas, *vocabitur Deus gigas.* Sed & à Maria meritò perquiras, cur is quem immensa cœlorum spatia non capiunt, in exiguo vtero inclusus, magnificentiùs, & augustiùs se habere dicatur. Et in Vatis verbis meritò ambigas, quid puerulo cum gigante; quid lacrymulis cum fortitudine, quid pusillitati cum maiestate commune sit, vt inde Deus quasi ex æqua, & solita statura in giganteam formam videatur quodammodo excre-
uisse,

uisse. Vtrique verò dubio plenè satisfecisse mihi videbitur, qui optimis his Synesij verbis orat. de regno ad Arcadium Imperatorem, instructus: *Regis maiestas eatenus tibi honorifica sit, quatenus ad virtutis exercitationem contulit, eandemque euexit, cùm & materiam suæ magnitudini consentaneam desideraret;* dixerit, non immeritò magnificatum tunc Deum, & velut gigantem effectum dici, cùm ad maximas carnis angustias redactus est, & lacrymulas infans factus fudit; imò sanguinem, & vitam velut capitalis reus profudit, quod diuina bonitas, & natura materiam suæ magnitudini consentaneam desideraret, nec meliùs, siue opportuniùs quàm his pusillitatibus, & ignominiis hominibus posset ostēdi. Vnde magna emphasi Paulus 1. ad Corinth. 1. 23. *Prædicamus Christum crucifixum, Iudæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam: ipsis autem vocatis Iudæis, atque Græcis Christum Dei virtutem, & Dei sapientiam. Quia quod stultum est Dei, sapientius est hominibus, & quod infirmum est Dei, fortius est hominibus.* Quæ verba cùm citasset Tertul. libro 2. contr. Marcionem cap. 2. ex illis sic infert; *& ita Deus tunc maximè magnus, cùm homini pusillus, & tunc maximè optimus, cùm homini non bonus:* quippe in hac pusillitate, & ignominia, diuinæ bonitatis magnitudo, & proceritas gigantea maximè splendet. Vnde quidem Habacuc, qui cætera Dei opera contemplatus admiratione se affectum non meminit, quod solita mensura Deum metiretur, cùm in hac subinde pusillitate gigantem ipsum considerauit, obstupefactus inquit; *Consideraui opera tua, & expaui:* hoc est, inquit Cyril. Alex. *Euangelizasti cæcis apertionem visus, prædicasti captiuis remissionem, sanasti contritos corde, conuertisti, quod aberrauerat, alligasti, quod contritum erat, lux factus es his, qui sedebant in tenebris, ianua & via ad vitam, & sanctificationem. Factus es pax, coniungens per fidem in vnum populum, eos qui ex circumcisione, & eos qui ex gentibus; factus lapis angularis, electus, pretiosus. Recuperasti mundum Deo Patri, expiasti à peccatis, quique ex infirmitate capti fuerant, de manu diabolica eruisti. Gratia adoptionis filiorum illustrati sunt serui, homo de terra natus, cœlesti ciuitate donatus est. In primis autem, & hoc auditu dignum reor, qui omnes viuificas, nobiscum carnis mortem sustinuisti.* Ac si dicat: meritò nunc extasi, & stupore afficior, cùm Dei naturam per materiam suæ magnitudini consentaneam sese diffundentem, & exspatiantem, immensámque suam bonitatem omnimodo ostendentem, ac explicantem considero.

4\. Et verò hic etiam sensus esse videtur verborum Pauli ad Hebræos 2. 9. quæ non semel adduximus; *Videmus Iesum, propter passionem mortis, gloria & honore coronatum;* necnō & sequentiū iuxta Athanasij lectionem, cuius indidé meminimus; *Decebat enim eum, per quem omnia, & ex quo omnia, multos filios in gloriam adducentem, cum Princeps, auctorque eorum salutis esset, passionibus consummari.* Iis enim locutionibus Apostolus non obscurè innuit, Dei Filium, tum sibi ipsi, tum egregiis omnipotentiæ, ac sapientiæ suæ operibus, licèt vndequaque in se ipsis perfectissimis: *Non est minuere, neque adycere, neque inuenire magnalia Dei,* Ecclesiastici 18. 5. gloriæ, & honoris coronam passione, & morte sua imposuisse. Vnde ad ea verba Oecumenius: *Gloriam, & honorem vocat crucem; neque enim tantùm Deo dignum erat, tamque gloriosum, fecisse cœlum, & terram, ac hominem, supernasque virtutes, sicut quod propter nos dignatus fuerit crucifigi:* nimirum, nihil tam Deo dignum, quàm salus hominis. Concinit huic cogitationi Salomonis vaticinium Cantic. 3. 11. *Egredimini, & videte Regem Salomonem in diademate, quo coronauit eum mater sua in die desponsationis eius,* &c. Quæ verba dum de carne Filij Dei ob hominum salutem suscepta, accepit Ambrosius in lib. qui titulus, *Virginis institutio,* cap. 16. sic ait: *Beatus est Mariæ vterus, qui tantum Dominum coronauit, quando formauit, coronauit eum,* &c. *Hoc ipso, quod ad omnium salutem eum concepit, & peperit, coronam capiti eius æternæ pietatis imposuit.* Bene quidem, *coronā pietatis imposuit:* tribuit enim egregiam clementia Principi coronam: vnde in regiis insignibus perpetuo gentium ritu corona Clementiæ dedicata fuit. Sic auctor Panegyrici ad Constantinum: *Meritò tibi Constantine, & nuper Senatus signum dedit, & paulò antè Italia scutum & coronam cuncta aurea dedicarunt, vt conscientiæ debitum aliqua ex parte reuelarent; debetur enim & sæpe debetur, & diuinitati simulachrum aureum, & virtuti scutum, & corona pietati.* Similiter Imperator Probus epist. ad Senat. apud Vopiscum: *Coronas, quas mihi obtulerunt omnes Galliæ ciuitates, aureas, vestræ P. C. clementiæ dedicaui.* ita ibi. Vnde qui in præfato loco ad Hebræos velit premere Græcum verbum, τελειῶσαι, quod ad initiationis, siue inaugurationis ritum solet referri, non abs re dixerit, tunc externa hominum æstimatione, & acclamatione Dei Filium, vt viuam paternarum virtutum imaginem, in Regem cœli, terræque inauguratum fuisse, tantique regni coronam accepisse, cùm regiæ, siue diuinæ potiùs clementiæ egregium specimen dedit, pro salute hominum carnem, mortémque suscipiens. Nec aliò planè eunt illæ voces toties à nobis repetitæ Apocalyp. 5. 11. *Dignus est Agnus qui occisus est, accipere virtutem, & diuinitatem, & sapientiam, & fortitudinem, & honorem, & gloriam, & benedictionem.* Quæ id omnino sonant, vt Agnus, qui mortem pro suis obire non recusauit, dignissimus maiestate, & regno, & is demum, quem omnes verum Deum esse sibi persuadeant, iustissima ratione censeatur.

5\. Quod si præfata Salomonis verba cum ipsomet Ambros. lib. de Isaac, & anima, Gregorio Nyssen. orat. 7. in Cantica, Theodoreto, & Commentario trium Patrum, Bernardo serm. 2. in Epiphania, & serm. 5. in festo omnium Sanctorum, de Christo flagris cæso, sputis illito, plagis liuido, & spinea præsertim corona redimito, accipias, in idem recidit. Habet verò sub hoc sensu plusculum nescio quid decoris hæc ex pungentibus, fœdantibusque spinis corona; cùm enim ab ipsa omnes mortis aculei, (sic pulchrè Tertullian. lib. de corona militis c. 14.) in Dominici capitis tolerantia obtusi sint, honestior nulla, nulla hac gloriosior Dei Filio obtingere corona potuit. *Nullum namque ornamentum* (inquit Seneca lib. 1. de Clement. cap. vltimo) *Principis fastigio dignius, pulchriusque est, quàm illa corona ob ciues seruatos: non hostilia arma detracta victis, non currus barbarorum sanguine cruenti, non parta bello spolia; hæc diuina potentia est, gregatim, & publicè seruare.* Quare Lactantius de vera sapientia lib. 4. cap. 26. sub hac mystica spineæ coronæ significatione peccatores, Christi benignitate Dei gratiæ restitutos, ipsummet vt verum Regem coronantes, adumbrari sic eleganter asseruit: *Corona spinea capiti eius imposita, id declarabat fore, vt diuinam sibi plebem de nocentibus aggregaret; corona enim dicitur circunstans orbem populus. Nos autem, qui ante cognitionem Dei fuimus iniusti, spinæ, id est, mali, & nocentes eramus, ignorantes quid esset bonum, & à iustitiæ notione, atque operibus alieni, omnia scelere, ac libidine polluebamus; electi ergo ex dumis, & sentibus sanctum Dei caput cingimus, quia conuocati ab ipso, & circumfusi vndique ad eum, Magistro*

Marginalia: Synes. — 1. ad Cor. 1. 23. — Tertul. — Habac. 3. 2. Cyr. Alex. — Ad Hebr. 2. 9. — Eccl. 18. 5. — Oecum. — Cant. 3. 11. — Ambros. — Auct. Paneg. ad Cōstant. — Lect. Græc. — Apoc. 5. 11. — Ambros. Nyssen. Com. trium PP. Bernard. — Tertul. — Senec. — Lactan.

stro, ac Doctori Deo assistimus, Regemque illum mundi,& omnium viuentium Dominum coronamus. Ita ille.

6. Vides Dei Filium, dum homines seruat, gloria & honore coronatum? Iam eam benignitatem, pulcherrimam reliquorum operum coronam esse, Psal. 64.11. sic innuit Regius Psaltes Psal.64.12. *Benedices coronæ anni benignitatis tuæ*, annum benignitatis, coronam diuinorum operum appellans. Sed quis hic benignitatis annus? Audi Ambros. in Virginis institutione, cap.15. *Quis est annus Dominicæ benignitatis, nisi ille, de quo dicit, annum Domini acceptum, & tempus retributionis? sicut in Euangelio suo ipse memorauit, dicens*: Spiritus Domini super me, *Luca* 3.18. *Tunc Dominus operibus suis, & gloria, & honore sui temporis coronauit aduentum. Totus enim ille annus conuersationis in hoc mundo, diuersarum habuit certamina passionum: vicit Herodem paruulus, de quo in passione infantium triumphauit; esuriuit, sitiuit, pro nobis vapulauit, pro nobis contumeliarum indigna tolerauit, crucem ascendit, mortuus est pro nobis*. Hæc Ambros. nec dissimilia inuenies in Theodoreto in id Psalmi. En ergo Dominicæ benignitatis annum, diuinis operibus, atque consiliis coronam, regiúmque diadema imponentem: vnde quidem Dei thronus, regiumque tribunal, post Christi mortem Iride in coronæ modum circumornatus signatè perhibetur Apocalyp.4.3. dicente Ioanne: *Et qui sedebat, similis erat aspectui lapidis iaspidis,& sardinis, & Iris erat in circuitu sedis, similis visioni smaragdinæ*. In quæ verba optimus est Alcazaris commentarius, in Iridis natura Christi Passionem,& generis humani redemptionem contemplantis; vt inde iure dicas, ex Christi Passione, quæ Dei benignitatem patefecit, eius thronum, gubernationem, atque consilia, gloriæ corona circumornari. Quod sanè non solùm ad Dei Filium, sed ad ipsummet summum Parentem pertinere, bene monuit Cyril. Alex. l.10. in Ioan. cap.19. ea Domini verba: *In hoc clarificatus est Pater meus, vt fructum plurimum afferatis*, sic premés. *Clarificatum Patrem suum esse dicit, quoniam ineffabilis eius bonitas, atque misericordia nota omnibus coronam quasi gloriæ illi attulit: sic enim Deus dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum dederit: in quem qui crediderit, non pereat, sed habeat vitam æternam*. Similia habet lib. 11. cap.17.& 18. Nec omittenda quæ in Psal. subiicit statim Vates: *Et campi tui implebuntur vbertate. Pinguescent speciosa deserti,& exultatione colles accingentur. Induti sunt arietes ouium, & valles abundabunt frumento: clamabunt, etenim hymnum dicent*; quasi ab hac benignitate Dei corona in hominum æstimatione (de qua nobis est sermo) omnes diuinarum virtutum thesauri luceant, ac splendeant, diuitiarumque ac possessionum Dei campi, gentes, nimirum, quas Deus pro diuitiis ac possessionibus habet, perenni hoc fonte irrigati pinguescant,& exuberent.

Ambros.

Luc. 3. 18.

Apoc.4.3.

Alcaz.

Cyr. Alex.

7. Et verò hac ratione Paulus, vt in superioribus adnotationibus vidimus, cùm Dei Filium ex Dauidis vaticinio in hunc mundum ingredientem inducit ad Hebræos 10.5. notanter dicit; *Ideo ingrediens mundum dicit: Sacrificium & oblationem noluisti, corpus autem aptasti mihi*. Expendens verò inibi Græcum verbum, καταρτίζω, obseruaui, propriè significare, componere, coagmentare, seu loco quiduis ita concinnè,& congruenter aptare, vt partes inter se congruant,& coaptentur: iuxta quam significationem hæc Pauli verba in hunc locum elucidanda transmisi. Sed enim dicat non nemo, congruam hanc, seu conuenientem aptationem Christo non bene aptari, aut conuenire: vt enim ex diuina, & humana natura ipse coalesceret, quid quæso minus aptum, magisque dissonum,& incongruum diuinitati esse videatur, quàm ei carni aptari, quæ non modò ingloria, sed mortalis etiam, passibilis, totque ærumnis,& suppliciis obnoxia erat? Quid ergo fuerit in causa, cur Paulus non contentus affirmare, Christum ex diuina, & humana natura coalescere, signarè etiam monere voluit, adeò conuenienter,& concinnè vtramque inter se naturam vnitam fuisse, vt quasi fabrefacti operis partes ad amussim aptatæ optimè inter se connecterentur? Sanè, vt ostéderet, nihil aptius,& conuenientius ad ostendendā, exponendamque mundo diuinitatis naturam excogitari potuisse, quàm id corpus, camque carnem assumere, quæ tot contumeliis, & doloribus, mortique tandem acerbissimæ esset obnoxia, quò diuinæ naturæ bonitas, benignitas, charitas, suauissimúmque ingenium plus plus emicaret. Quæ enim ora ad has diuinas perfectiones ostentádas, prædicádas, eloquentiora, aut quæ adeò disertæ linguæ, quod orationis flumen ita vehemens, atque efficax, quàm Christi vulnera profluensque sanguis? Quare pulchrè huc retulit Bern. ser.3. in Circumcis. ea Ioan. verba, *vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à Patre*, hunc in modum. *Videmus gloriā eius, gloriam quasi vnigeniti à Patre, gloriā misericordiæ, & affectus verè paterni, gloriam procedētis ex corde Patris,& paterna planè viscera exhibentis*. Omnes enim peccauerunt (*ait Apostolus*)& egent gloria Dei, *ad Roman*. 3.*& alio loco*: Mihi absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi, *ad Galat.6. Quid enim nobis gloriosius, quàm quod tanti æstimauit nos Deus? Queve maior illi gloria, quàm tanta dignatio, & tanta benignitas? Eo vtique dulcissima, quo tam gratuita*. Hæc Bernardus.

Ad Hebr. 10.5.

Lect. Græc.

Bernard. Ioan. 1.14

8. His accinunt verba, quæ ex Chrysostomo adducit Gennadius Scholarius Patriarcha Constantinopolitanus lib. de process. Spiritus Sancti sect. 4. sunt ista: *In Incarnatione venit Christus ad nos, dedit nobis descendentem ex se Spiritum, & corpus nostrum suscepit*. Vbi maximè notanda est hæc dati, & accepti conuentio, cùm ad contractus morem, etsi non ad perfectam æqualitatem facta, nonnihil tamen proportionis habere videatur. Quid? ex humana carne Spiritus sancti maiestas pendi, siue ponderari potuit, vt hic pro illa videatur appensus? Minimè; at enimverò grandis, si attēdis, inter Christi carnē doloribus,& morti obnoxiam,& diuinum Spiritum, quoad externos effectus, inuenitur similitudo. Vt enim de hoc ipse Dominus apud Ioan. c.16.14. dixit: *Ille me clarificabit, quia de meo accipiet*: quia, vt inquit Theodorus Heracleotes apud Maldonatum ibi; *Spiritus sanctus testis fuit diuinitatis vnigeniti, cùm ex eius esset essentia, essentiamque eius declararet*: ita etiam corpus passibile,& mortale, quod Dei Filius suscepit, ad eius naturam, quæ summè benefica,& salutaris est, declarandam aptissimum instrumentum, ac proinde diuinitatis eius locuples, ac opportunus testis fuit.

Gennad.

Ioan.16.14.

Theodor. Heracl. Maldon.

9. Hinc Assertor noster totam fidelis hominis beatitudinem eò retulit, vt hanc concinnitatem, & coaptationem diuinitatis cum humanitate,& nosceret,& plausu probaret; sic enim apud Matth.11. 6. *Beatus, qui non fuerit scandalizatus in me*. Vbi pendendum est verbum Græcū, σκανδαλίζω, quod propriè in passiua significatione est, offendere, siue ruinæ occasionem, purà in lapide non bene cum aliis compacto,& congruente, sed qui eminentiùs assurgat, sumere. Vnde eò it Christi oratio, vt cum beatum dicat, cui diuina lux interioribus mentis oculis sic affulsit, vt penetrare valeat, quàm sit diuinæ naturæ,& bonitati consentaneum, crucis mortem subire,

Matt.11.6.

Ambrof. subire, quò hominibus opem ferat. Ita Ambrosius lib. 5. in c. 7. Lucæ, *de scandalo in Christo cauendo*, vbi agens de Christo in figuris Tobiæ, & Elisæi præsignato, subdit: *Dominica testificationis exempla sunt plenitudo fidei, crux Domini; obitus sepultura est; & ideo cùm illa superiora dixisset*, cæci vident, leprosi mundantur, *addidit*, beatus, qui in me non fuerit scandalizatus. *Crux enim etiam electis scandalum posset afferre, sed nullum hoc maius diuina persona est testimonium; nihil est, quod magis esse vltra humana videatur, quam toto vnum se obtulisse pro mundo, hoc vel solo Dominus declaratur.* Pulchrè; homini enim tanta bonitas, talis benignitas, tam immensa charitas nō quadrat.
Tertul. Vnde Tertullianus lib. de carne Christi c. 5. Marcionem veram carnem Christi negantem, & pro ea phantasma substituentem, ita elegantissimè increpat. *Scelestissime hominum, qui interemptores excusas Dei, nihil enim ab eis passus est Christus, si nihil verè est passus. Parce vnicæ spei totius orbis, qui destruis necessarium decus fidei. Quodcumque Deo indignum est, mihi expedit. Saluus sum, si non confundar de Domino meo. Qui me, inquit, confusus fuerit, confundar & ego eum.* Obserua illa, *qui destruis necessarium decus fidei:* quasi inter nostræ fidei dogmata, illud pulcherrimè emineat, cum nos Deum, ac Dominum tam summè bonum, & nostræ saluti adeò inhiantem habere, vt crucis ignominiam, atque tormentum pro nobis subire voluerit.

40.
Matth. 27. 50. Quò sanè ipsemet Dominus respexit, cùm iam iam moriens sublatissimam illam vocem, qua mortem suam, suamque simul gloriam profiteretur, edidit; quasi adeò sibi probro, & ignominiæ non verteret pro hominibus mori, vt maximè potiùs id
Ambrof. gloriæ duceret. Ita Ambrof. lib. 10. in Lucam c. 23. *Addidit*, voce magna, *in qua Dei professio gloriosa vsq; ad mortem se pro nostris descendisse peccatis enunciat. Ergo nec ego erubescam fateri, quod Christus non erubuit voce magna profiteri.* Sed & hinc illud facilè noueris, cur Dei Filius, qui propriæ vitæ, mortis, ac resurrectionis tempus apud se habuit, mortem potiùs in frequentissimo hominum conuentu, omnibusque videntibus obire, quàm publicè, & manifestè resurgere, elegerit; cùm ad eius gloriam magis conducere videretur, vt palàm resurgeret, clàm verò moreretur. Nimirum, quod maior, & illustrior illi ex morte, quàm ex resurrectione obtingeret gloria, cùm resurrectio à potentia; mors verò à bonitate, & benignitate, quæ Deum maximè commēdat, & diuinam naturam velut de facie ostendit, ortum duxerit. Qua quidem de causa non mediocris inter ipsummet Dominum, & malum dæmonem sub mortis ictu pugna, atque concertatio fuit, dum hic eximiæ gloriæ Christi inuidens, eum clanculū mori concupiebat, & per malas artes machinabatur, vt illius ipse mortem occultaret; Dei verò Filius, qui gloriam suam retinere, & hominibus quà bonus, & beneficus innotescere volebat, publicè, & in oculis Solis mortem obire contendit. Audi hac de re Chrysostomum hom. 7. in Epist. ad Colossens. vbi dum optimè obseruat, Paulum illis verbis ad
Ad Coloss. 2. 15. Colossens. 2. 15. *triumphans illos in semetipso.* Christi mortem, victoriam, egregiumque triumphum appellasse, hæc subdit: *Ita etiam hic ostendit, quod liberè, securè, & confidenter mori, est probrum, & dedecus diaboli; ille enim omnia fecisset, si potuisset, vt persuaderet hominibus, eū non esse mortuū.* & post pauca: *Quid enim non fecit diabolus, vt clàm moreretur? Audi Pilatum*
Ioan. 19. 6. *dicentem:* Tollite ipsum vos, & crucifigite: ego enim nullam inuenio in eo causam. *& rursus ipsi dicebat*
Matth. 27. 40. *Iudæi:* Si Filius Dei es, descende de cruce. *Iam verò quoniam lethale vulnus accepit, & non descendit, propterea etiam mandatus est sepultura, quoniam fieri poterat, vt statim resurgeret, vt res crederetur. Atqui in morte quidem priuatorum licet eam imputare animi deliquio:*
hic autem non ita. Sic Chrysost. Cui adiunge Chry- *Chrysol.*
sologum ser. 150. vbi dum acutè perquirit, cur Dei Filius, qui ad terras ea de causa aduenerat, vt pro humano genere mortē obiret, cùm ab impio Herode ad necem fuit conquisitus, mortem declinauit; scitè respondet: *Tunc enim mors innocentiæ fuisset præmium; maiestatis gloria non fuisset:* quippe ex maiori crucis ignominia, morteque palàm, & publicè suscepta, vt Christi bonitas, atque beneficentia magis splenduit, ita ipsius diuinitas singulariter eluxit.

Vella 79. in Epist. ad Philippens.

Quam ad rem, in iis Christi verbis ad Petrum à *15.*
cruce & morte ipsum deterrere conantem, Mat- *Matth. 16. 22.*
thæi 16. 22. *Vade retro Sathana, scandalum mihi es*, quæ non semel expendimus, adhuc est aliquid obseruatu dignum, quod minimè omittam: nam post illa, hæc subiecit Dominus, *quia non sapis ea, quæ Dei sunt, sed quæ hominum.* Quæ quidem ratio prima facie inspecta adeò nōn videtur Petrum stringere, vt illam potiùs suo imbutus sensu pro se ipse postet afferre, maximè cùm paulo antè egregium illud diuinitati Christi reddiderit testimonium; *Tu es Christus Filius Dei viui:* cui consonū omnino videbatur, vt ei qui sibi suggereret Dominū morte fore afficiendum, ipse obclamaret; *Absit à te Domine, non erit tibi hoc:* id est, vt explicat ibi Hierony. *Non recipiunt aures meæ, quod Dei Filius occidendus sit.* Quid enim fuerit à diuinitate magis alienum, quàm mortem tanto dedecore, tot cruciatibus, & suppliciis perferre? Subsistit tamen egregiè hæc à Christo ratio confecta, *non sapis ea, quæ Dei sunt, sed quæ hominū:* id est, erras quidē Petre, & vehementer erras, si mea maiestate indignum ducis, quod pro hominū salute mortem obeā; imò verò grauiùs nunc queror, tuumque errorem vehementiùs arguo, cùm te, qui à Patre meo ea es luce perfusus, vt me ipsius Filiū, ac Deum esse non ignores, vix aliquem diuinitatis gustū, saporemve percepisse videā, vt noris nihil magis dignum Deo esse, quàm saluti hominis etiam vitam profundendo prospicere. Ita ferè Chrysost. *Chrysost.*
hom. 55. in Matth. his verbis: *Nam si diuinis ductus præceptis, atque carnalis sensus immunis hæc audires, non te fugeret profectò, quia præcipuum mihi decus est passio.* Hæc ille. Quibus apto illa Nazianz. orat. 14. *Nazianz.*
vbi cùm Appollinaris hæresim taxans dixisset; *De fraterno illo dissidio non ita pridem exorto loquor, ex quo & Deus, & homo ignominia afficiuntur: ille videlicet, nec pro nobis quidem omnino genitus, & crucifixus, ac proinde, nec sepultus, nec à morte reuocatus:* subdit, *quemadmodum nonnullis Christum præposterè amātibus placuit.* Scitè adstruens germanum in Christum amorem illum esse, qui de ipsius benignitate, & humanitate quàm optimè sentiat, eaq; ratione sibi omnino persuadeat, proprium illius fuisse, quò opē hominibus ferret, mortem obire; atque ideo eum, qui aliter iudicet, & amet, præposteram erga ipsum dilectionem, & Deo indignam habere, non aliter ac mulieres illas, de quibus scribit Lucas cap. 23. 27. *Luc. 23. 27.*
Dominum ad crucem magnam lacrymarum vim profundētes fuisse secutas, ipsum verò hac illas de causa non leuiter obiurgasse: id quod sic eleganter expēdit Isidor. Pelusiota l. 2. epist. 285. *Si nec genero-* *Isid. Pelus.*
sum Athletam, qui in arenam descendit, ac puluere respergitur, ac cæditur, deflere conuenit, siquidem labores ipsius in coronis desinunt, nec fortis, ac præclari militis, qui ad bellum exit, vulneraque accepturus est, vicem luctu, ac lamentis prosequi par est, victor enim, ac palmarius redibit, ac statuas, & præconia consequetur: verùm illos demū lugere oportet, qui ad latrocinia, & cædes currūt, maximè quidē cùm sceleratè aliquid perpetrant,

deinde autem cùm supplicio afficiuntur, quidnam tibi in mentem venerit, vt ex me suscitaueris? Quidnam causæ fuerit, quamobrem Christus mulieres lugentes, cùm ipse ad crucem vt victor triumphans abibat, non modò non collaudauit, sed etiam obiurgauit? Sic Isidor. & post nonnulla alibi à nobis adducta: *Neque enim illum lugere fas est, qui peccatum fudit, & profligauit, atque ad opprimendam quoque, ac de medio tollendam mortem, vinculisque extinguendum diabolum properat.* Ac si dicat: quippe hæc omnia immensæ bonitatis, atque egregiæ fortitudinis specimen edunt, vnde de illis adeò non est dolendum, vt egregiæ potiùs gratulationis, & gaudij occasio ab iis qui pleno pectore sapiunt, & vera dilectione Christum prosequuntur, censeri debeant.

11\. Quare rursus obserua, præfato testimonio, quod Christi diuinitati Petrus reddidit, notanter subiecisse Euangelistam: *Exinde cœpit Iesus ostendere discipulis suis, quia oporteret eum ire Ierosolymam, & multa pati à Senioribus, & Scribis, & Principibus Sacerdotum, & occidi.* Quasi Christus, quod iam Deus habitus, & cognitus esset, ad suæ diuinitatis confirmationem, hoc est, ad ostensionem bonitatis suæ, pro salute hominum pati, ac crucifigi quodammodo teneretur. Habet verò peculiarem in hunc sensum emphasim, quod Petrus hac de causa Sathanæ nomine à Christo quasi ipsius gloriæ, & diuinitatis manifestationi contrarius fuerit appellatus. Vnde quidem præclarum hoc ipsius responsum, opportunissimaque locutio adeò summo Patri fuit grata, vt ob ipsam non multo post ingens illud amoris, & honoris signum ei dederit, cùm de ipso in monte transfigurato dixit: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui*, Matth. 17. 5. Hilario in Psal. 138. non multo post initium, id sic obseruante: *Petrus autem Passionem eius detestatus est, crucis in eo scandalum præ amore, & confessa iam à se diuinitatis cognitione non sustinens. Sed quia eum ob infidelitatem crucis Sathanam nuncupasset, non multo post cùm in monte gloriæ suæ habitu constitisset, talis à Patris voce cognoscitur:* Hic est Filius meus dilectus, in quo complacui; hunc audite. *Probationē quā tentatio Apostoli effecerat, paternæ vocis agnitio est cōsecuta.* Ita Hilarius.

Matt. 16. 21.

Mat. 17. 5.

Hilar.

13\. Applaudit his Salomon Sapientiæ 2. 21. vbi cùm Scribas, & Pharisæos Christo Dominò in cruce obclamantes; *Si Rex Israël est, descendat nunc de cruce, & credimus ei: confidit in Deo, liberet nunc si vult eum; dixit enim: Quia Filius Dei sum.* Matth. 17. 42. prophetico spiritu sic delineasset: *Si enim est verus Filius Dei, suscipiet illum, & liberabit eum de manibus contrariorum: contumelia, & tormento interrogemus eum,* &c. magna emphasi subiicit: *Hæc cogitauerunt, & errauerunt; excæcauit enim illos malitia eorum, & nescierunt sacramenta Dei.* Ac si diceret, talem ratiocinationem, siue consecutionem, & vim illatiuam non nisi ab obcæcatis mentibus confici posse: cùm è contrà, eo ipso quod Filius Dei esset, & seipsum pro suis morti offerre, & à benignissimo Patre ad crucem etiam tradi, diuinæ naturæ esset maximè consentaneum. Vnde Ambros. lib. 1. de Spiritu sancto, cap. 11. hæreticos, qui Pharisæos imitati, Christi diuinitatem hinc euertere moliebantur, quod à Patre ad mortem traditus fuerit, sic sapienter reuincebat: *Tradidit ergo Pater Filium, & Filius ipse se tradidit, seruatur charitas, nec læditur pietas; nulla est enim pietatis iniuria, vbi nulla est traditionis ærumna, tradidit volentem, tradidit offerentem. non vtique ad pœnam Pater Filium, sed ad gratiam; si discutis facti meritum, interroga pietatis vocabulum: tradidit inquit; si gratia, quid arguo, si iniuria, plus debeo.* Pulchro dilemmate Patris, ac Filij diuinitatem, ardentissimamque in humanum genus dilectionem confirmans; cùm ex iniuriis, & Passionē sua, & sui nominis claritatem ac gloriam Christus fuerit adeptus, & suam bonitatem, & dilectionem, quę illum ad redamandum nos vehementer vrget, dilucidè patefecerit. A qua quidem argumentatione non longiùs it illa Tertulliani aduersus phantasma Marcionis, lib. de carne Christi cap. 5. *Propter eum descendit, propter eum prædicauit, propter eum omni se humilitate deiecit vsque ad mortem, & mortem crucis; amauit vtique quem magno pretio redemit. Si Christus creator eius est, suum merito amauit, si ab alio Deo est magis adamauit, quando alienum redemit.* Verùm scelestissimos, stultissimosque Scribas Christi diuinitatem inde pensitantes, quod crucem incolumis declinaret, sic sapienter arguit Leo Magnus: *De quo erroris fonte Iudæi talium blasphemiarum venena potastis? Quis vobis Magister tradidit, quæ doctrina persuasit, quod illum Regem Israël, quod illum Dei Filium credere deberetis, qui se aut crucifigi non sineret, aut à confixione clauorum liberum corpus excuteret? Non hæc vobis legis mysteria, aut Prophetarum ora cecinerunt, sed illud verè legistis,* faciem meam non auerti à confusione sputorum; *& iterum,* foderunt manus meas, & pedes meos, dinumerauerunt omnia ossa mea. *Numquid legistis, Dominus descendit de cruce? Sed legistis:* Dominus regnauit à ligno. Sic Leo. Ac si diceret: nihil vobis stultius, & in diuinitatem magis impium, & infensum, qui cum insano sensu vobis Deum confingitis, qui vitam pro suis dare probro duceret: pugnat hic error cum Dei natura, atque illius suauissimo ingenio venenum porrigere videtur.

Sap. 2. 21.

Mat. 17. 42.

Ambros.

Tertul.

Leo Magn.

Sub quo etiam sensu possis accipere illa Christi ad Præsidem verba Ioan. 18. 36. *Si ex hoc mundo esset regnum meum, ministri mei vtique decertarent, vt non traderer Iudæis; nunc autem regnum meum non est hinc:* ac si id inter diuinum, & terrenum regnum constituat Dominus discrimen, quod terræ Reges omni modo à subditis defendantur, ne mortem obeant, quod sibi potiùs, quàm suis consulere consueścant; Deus verò sic pro sua bonitate regnum suum instituat, vt semetipsum morti offerat. Ita penè Chrysost. hom. 82. in Ioan. *Vel hoc dicit, quoniam non tenet regnum, vt hic Reges terreni tenent, sed quoniam desuper habet principatum, qui non est humanus, sed multo maior, & clarior.* Quare multo clarior? quia videlicet noluit se à morte eripi, sed vitam pro suis profundere. Vnde in cæca Pharisæorum pectora sic iterum inuehitur Tertul. lib. de Patientia, cap. 3. *Hinc vel maximè Pharisæi Dominum agnoscere debuistis; patientiam huiusmodi nemo hominum perpetraret: talia, tantaque documenta, quorum magnitudo apud nationes detrectatio fidei est, pares apud nos verò ratio, & instructio, satis apertè non sermonibus modò in præcipiendo, sed etiam passionibus Domini sustinendo probant iis, quibus credere datum est, patientiam, Dei esse naturam effectam, & præstantiam ingenitæ cuiusdam proprietatis.* Ac si dicat: ex tanta Christi patientia, qua pro suis se morti subiecit, vt verus Deus maximè à vobis cognoscendus fuit; quis enim pro alterius salute tot supplicia tam constanter perferret, nisi is, cui tam bonitas, & benignitas, quibus suis consulat, quàm patientia ad incredibiles labores sustinendos naturalia, & ingenita sunt? Certè hoc fermè sensu Chrysostomus in Catena Græca in Iob, ad priora eius libri verba adnotauit, Scripturam nominis, cognationis, regionisque, in qua vitam Iob degit, de industria mentionem fecisse, ne qui tot tantasq; calamitates fortiter pertulisset, diuinus, non humanus ab hominibus crederetur. Audi: *Ne quis certaminū, ac patiētiæ spectata magnitudine incredibili, peregrina quadam, & nō humana eū natura præditum*

14\. Ioan. 18. 36.

Chrysost.

Tertul.

Chrysost.

praditum arbitraretur, naturam primo ponit in conspectu, vt hominis institutum mirêre, communem naturam scriptor indicauit, vt quod proprium electionis fuit, ostêderet, quoniam qui communis natura particeps fuit, is quæ natura, atque homine maiora sunt, gessit. Hæc Chrysost. Bene ergo de Iudæis dixit Tertullianus, inexcusabiles omnino fuisse, quod ab egregia Christi patientia efficax diuinitatis, bonitatisque ipsius noluerunt sumere argumentum.

Ad eadem verba: *Propter quod & Deus exaltauit illum, &c.*

ADNOTATIO V.

Christum augustissimo corporis, & sanguinis sui Sacramento mundum subiugasse, gloriosumque de humanis animis retulisse triumphum.

1\. VIDIMVS vers. 7. adnot. 9. & 10. Christum Dominum in Eucharistia, ex interpretatione Dionysij Alexandrini, ad diuitias, & delicias nostras exinanitum: cùm verò exinanitioni optimo merito exaltatio respondeat, ipsum in hac exinanitione adeò exaltatum, vt Sacramento corporis sui hominum animos debellarit, totumque sibi orbem subiecerit, videamus, si placet.

Illæ, opinor, inter propheticas visiones aliis illustriores, ac celebriores habentur, primùm cùm splendida Dei species regio amictu in sublimi solio maiestatem ostendentis suam, Isaiæ oculis obiecta, ipsomet cap. 6. 1. referente: *Vidi Dominum sedentem super solium excelsum, & eleuatum, & ea quæ sub ipso erant, replebant templum*: necnon cùm gloria Domini in curru Cherubim, quatuor, scilicet, mysticis animalibus vecto, Ezechieli sic proposita fuit cap. 1. 4. *Ecce ventus turbinis veniebat ab Aquilone, & nubes magna, & ignis inuoluens, & splendor in circuitu eius, & de medio eius quasi species electri, id est, de medio ignis.* Etenim vtrobique, vt ex sublimi throno, regio, ac glorioso curru, cœlestium militum pompa, & satellitio apparet, in sua maiestate & gloria conspici, & innotescere Dominus volebat. Iam verò tum vtramque visionem iis Vatibus propositam, vnam, & eandem esse, hoc est circa idem mysteriũ versari, siue eundem omnino sensum, & significationem habere; tum etiam sedentem in throno, siue in curru Christum Dei Filium præferre, supponere potiùs, quàm probare placet; æquè enim vtrumque apud Patres, & interpretes certum. De primo vide, si voles, P. Prado, qui egregiam suis cõmentariis operam Ezechieli nauauit, in comment. de prima visione part. 1. sect. 6. & part. 2. sect. 9. vnam cum altera visionem vndequaque componẽtem & coaptantem. Secundum inde manifestè collige, quod, vt idem Prado optimè confirmat, egregium Redemptoris triumphum Ezechielis visio contineat: in visione verò Isaiæ Christi gloriam, & splendorem significari non solùm Dionys. Areopag. lib. de Ecclesiast. Hierarchia, cap. 4. Cyril. Alex. lib. 12. Thesauri, c. 2. & lib. 3. in Ioan. cap. 19. Cyril. Ierosolymit. Cateche. 14. Ambros. lib. 3. de Spiritu sanct. cap. 3. August. in qq. veter. Testament. quæst. 89. Euseb. lib. 2. demonstrationum, cap. 7. Rupert. & S. Thom. in cap. 12. Ioan. Hierony. & Glossa in verba Isaiæ, auctores sunt. Sed quod immensum pondus, & auctoritatem habet, ipsemet Euangelista Ioannes cap. 12. 41. dum quædam verba ad Christum spectantia in hac visione Isaiæ facta retulisset, subiicit: *Hæc dixit Isaias, quando vidit gloriam eius, & locutus est de eo.*

Isai. 6. 1. — Ezech. 1. 4. — Prad. — Dionys. Areopag. Cyr. Alex. Cyr. Ierof. Ambros. August. Euseb. Rupert. S. Thom. Hierony. Gloss. — Ioan. 12. 41.

2\. At enim cùm hæ visiones Christi gloriam & maiestatem, siue gloriosum de humanis animis triumphum (eò enim Dei prælia, quæ non nisi cogitationes pacis sunt, semper iêre) denuntient, atque portendant, meritò ambigas, quale è Christi mysteriis, siue egregiis facinoribus illæ nobis adumbrent, siue indicent. Et verò cùm de his multi multa dicãt, optima mihi Iustini Martyris q. 44. ad orthodox. explicatio esse videtur, qui Isaiæ visionem ad augustissimum Eucharistiæ mysteriũ sic pulchrè refert: *Per visionem Isaiæ Propheta declaratum est Christi mysterium sedentis in solio gloriæ, & esu suæ sanctæ carnis expiantis peccatum impiorum hominum.* & statim: *Quem enim carbonem vidit Propheta immundis suis labijs admoueri, is significationẽ habebat Dominica carnis, purgantis ab omni impietate conscientiam eorum, qui eam comedunt.* Nec minus accommodatè Ezechielis visionẽ huc retuleris: quod enim de Christi Incarnatione in electri similitudine subtiliter ad hunc modum considerauit Gregorius Magnus in cap. 1. Ezechiel. *In electro enim dum aurum argẽto miscetur, argentum ad claritatem crescit, aurum verò à suo fulgore pallescit: quia igitur in vnigenito Dei Filio natura diuinitatis vnita est natura nostra, in qua adunatione humanitas ad maiestatis gloriam excreuit: diuinitas verò à sui fulgoris potentia humanis se oculis temperauit, quasi electrum factum est*; id Eucharistiæ optimè aptaueris. In ea si quidem gloriosa Christi caro, atque diuinitas medio accidentium panis candore à suæ maiestatis fulgore pallescens, non solùm corporeis oculis, sed humano etiam se gustui temperauit, vt gloriosum de mysticis illis animalibus, aquila, leone, boue, & homine, hoc est, de quadripartito orbe referret triumphum. Nam per quatuor animalia gloriæ Dei currum vehentia, quatuor mundi plagas designari, veterum opinio fert apud Origenem, & Hierony. & Eucharistia quidem mundum sibi vniuersum subiecisse, sic ex communi Patrum, & Ecclesiæ consensione affirmat Dominus apud Malachiam cap. 1. 11. *Ab ortu enim Solis vsque ad occasum magnum est nomen meum* (Lxx. *clarificatum est nomen meum*) *in gentibus: & in omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda, quia magnum est nomem meum in gentibus.* Vnde disertissimè Augustinus lib. 1. ad Ianuarium: *Sacramento corporis Domini subiugatus est mundus.* Bene, *subiugatus*, quasi sub iugo positus, & ad currum gloriæ Dei alligatus. Ad quem modum Timotheus Presbyter, qui ante 800. annos floruit, concione de occursu Christi, dum concioni finem imponit, sic ait: *Vacemus diuinæ, & mysticæ mensæ, per quam & mundus est stabilitus, & orbis terrarum consistit, & regnum custoditur, & Ecclesia multiplicatur.* Siue etiam vt in hoc Sacramento Christus hominem, quà & acutissimo àquilæ visu, & leonis ferocitate, & bouis patientia, ac laborum sustinentia, & ipsamet humana natura cõstat, in aurigæ modum regat, sibique subiiciat: sic enim nonnulli apud Hieronymum, & Origen. ac Nazianz. apud P. Prado in commentar. de prima visione, part. 2. sect. 1. quatuor animalia capiunt, vt quatuor minoris mundi partes, hoc est, hominis facultates significent.

Iustin. Martyr. — Greg. Mag. — Origen. Hierony. — Malach. 1. 11. Lxx. — August. — Timoth. Presby. — Hierony. Origen. Nazian. Prado.

3\. Ergo qui suprà ad vers. 7. adnot. 9. & 10. Dei Filium in Eucharistia exinanitum, & in nostros vsus expensum vidisti, iam illummet in Eucharistia exaltatum, & super solium excelsum, & elenatum *Hierony.*

sedentem, hoc est, regnantem, (nam in comment. illius tractus; *Quia Dominus Iesus Christus in gloria est Dei Patris*, dixit, & Hieronymus in hæc Isaiæ verba confirmat, *sedere, regnare est*,) & de toto orbe, & de toto homine triumphantem considera. Nec te moueat, quominus huic Filij Dei in Eucharistiæ Sacramento exaltationi, & magnitudini applaudas, ipsum inibi non ad humani solùm corporis, sed ad summas etiam panis angustias pressè, strictéque redactum, & piorum simul, ac impiorum manibus obuium videre, cùm æquè hic, ac in primæua maiestatis exinanitione, locum habeat, quod præcedēti adnot. num. 3. ex Tertul. dicebamus, Deum tunc maximè magnum, cùm homini pusillus, tunc gigantem esse, cùm minimus apparet: quippe in maioribus angustiis materiam suæ magnitudini magis consentaneam reperit. Et verò si attendis, sic admiranda potentiæ opera, atque prodigia, diuinæ beneficentiæ actionibus, præsertim verò Eucharistico cibo, postponebat Regius Vates, vt illa per communem deambulationis gressum, hæc per excelsiorem ascensum, supremamque exaltationem explicaret: sic enim Psal. 103. 2. *Qui ponis nubem ascēsum tuum, qui ambulas super pennas ventorum.* Pende ascensum, pende ambulationem. Nimirum, cùm vētorum pennæ ad incomprehensibilem sapientiam, rerumque mirabilium, ac prodigiorum patrationem referantur, dum hæc Deus perficere asseritur, ambulare, hoc est, pedibus incedere (nam ambulare, pedibus est) inducitur. At enim cùm nubi insidet, ascendere, & eleuari signatè perhibetur. Sed quid adumbret hæc nubes? Athanasius quidem ibi ad communem prouidentiam, & beneficentiā Dei retulit. Nec aliter Isaias nubis phrasim videtur vsurpare cap. 5. 6. sub Domini persona inquiens: *Et nubibus mandabo, ne pluant super eam imbrem.* Quasi cùm dona, & beneficia, sacratissimum Christi corpus, & sanguinem suum, velut rorem Dominus distribuit, ascendere, & exaltari, & super thronum excelsum, & eleuatum sedere dicatur. Audi hac de nube Venerab. Drogonem serm. de Sacram. Domin. Passionis. *Quæ est nubes, quæ præcedit veros Israelitas, nisi verissimum, & sanctissimum corpus tuum, quod in altari sumimus, in quo velatur nobis altitudo diei, immensitas maiestatis tuæ; cuius & calorem, & splendorem mortalis infirmitas sustinere non posset, nisi mediatrix nubes interposita, & ardorem temperaret desuper, & tutam subtus te viam præmonstraret? Hanc nubem totus exercitus tuus sequitur Domine Rex Sabaoth, qui autem non sequitur eam, in tenebris est, & in tenebris ambulat, & nescit quò eat.* Ita Drogo.

Tertull. *Psal. 103. 2.* *Athanas.* *Isai. 5. 6.* *Drogo.*

4\. Hinc de eximia Christi in hoc augustissimo Sacramento gloria signatissimè Isaias c. 24. 23. *Erubescet Luna, & confundetur Sol, cùm regnauerit Dominus exercituum in monte Sion, & in Ierusalem, & in conspectu senum suorum fuerit glorificatus.* Nam hæc de Eucharistia, & Cyrillus Alexand. ibi, & alij explicant, & meus Luysius Alcazar in c. 20. Apoc. notat. 4. ad vers. 1. 2. & 3. hunc illis sensum reddit, quod ex tota idololatria illustrius, & splendidius fuerit, id quidem vilissimum, & abiectissimum fore, si cū Missæ conferatur sacrificio, quo seniores, hoc est, presbyteri, Deo laudem, & gloriā deferunt, quasi præ Christi maiestate, & summa, quam habet in Eucharistia, veneratione, & honore, tam falsorum numinum, quàm secularium Principum, siue idolorum cultus non tam gloriæ, quàm pudori sit. Vt in solēnibus Euchatistiæ egressibus cernere est: in his enim non modò Regum, & Principum maiestas, & quidquid in mundo excellit, eam ipsi reuerentiam exhibet, vt sese ad humum vsque deiiciat, ac deprimat; sed quotquot inibi intersunt, ad sanguinem pro ipsius cultu, & honore profundendum, mortemque subeundā paratissimos se esse libenter profitentur. Quare idem Vates hoc sensu cap. 19. 16. dixerat: *In die illa erit altare Domini in medio terræ Ægypti, & titulus Domini iuxta terminum eius.* Vbi cùm de vnico Ecclesiæ altari, vt rectè obseruat Hieronymus, sermo sit, appositè à pluribus, iisque doctissimis viris de Eucharistia accipitur. Monet verò ibi Forerius, vocē, pro qua noster posuit, *titulus*, Hebraicè propriè significare stationē militarē, vbi milites pro militari vexillo perpetuas excubias agunt; Hispanè, *el cuerpo de guardia.* Quibus bene congruunt sequentia, *& erit in signum* (vexillū scilicet) *& in testimonium Domino exercituum*; vt hæc sit sententia, Christianæ Ecclesiæ agmen Eucharistiam velut Regiam, aut vexilla obsidere, confessum, vt omnes ea viuere, atque defendi, est enim proprium huius Sacramenti, sumentes illud protegere, & in vitam æternam custodire, ita ad vitam pro ipsius honore, & obsequio dandam, non secus, ac pro vexillis milites, paratissimos, ac promptissimos esse. Hoc verò quid illustrius, quid splendidius excogitari valeat? Bene enim dicebat Seneca lib. 1. de Clement. cap. 3. *Illius demum magnitudo stabilis, fundataque est, quam omnes tam supra se esse, quam pro se sciūt; cuius curam excubare pro salute singulorum, atque vniuersorum quotidie experiuntur; quo procedente, non tamquam malum aliquod, aut noxium animal è cubili prosilierit, diffugiunt, sed tamquam ad clarum, ac beneficum sydus certatim aduolant, obiicere se, pro illo mucronibus insidiantium paratissimi, & substernere corpora sua, si per stragem illi humanam iter ad salutem struendum sit. Somnum eius nocturnis excubijs muniunt: latera obiecti circumfusique defendunt: incurrentibus periculis se opponunt.* Quæ tam Christo in Eucharistia per vrbem procedenti, quàm deuotissimo fidelium obsequio, & affectu, quo eum tunc prosequuntur, non incongruè aptaueris.

Ai. 24. 23. *Cyr. Alex.* *Alcaz.* *Isai. 19. 16.* *Hieron.* *Forer.* *Senec.*

5\. Sed iam mystica illa animalia Christi iugo subiecta, eumque de ipsis gloriosa pompa, ac maiestate triumphantem videre est operæpretium. Et quidem in primis de aquila, quæ acutissimo pollet visu, & secus ac cæteræ volucres, quæ obliquè transcendunt æthera, rectà in altum fertur, & sublime volat, de humano inquam intellectu, cuius visus, vt perspicacissimus, ita audax, & temerarius sursum ferri, & altum sapere tentat, illustrē in Eucharistia triumphum, & spolia ampla Christus refert, dum illum non modò frænat, & captiuum detinet, sed aduersus innatos sibi stimulos calcitrare, & à proprio sensu dissentire cogit. Id quod tum ad inæstimabilem Dei magnitudinem, tum vel maximè ad diuinum honorem ab Adamo læsum opportunè resarciendum, valdè pertinet. Est enim primùm è re diuinæ magnitudinis, sic homini anxiè eum cognoscere, & videre cupienti sese ingerere, vt agnitus non cognoscatur; visus, inuisibilis permaneat. Ita pulchrè Tertullianus in Apologet. cap. 17. *Inuisibilis est, etsi videatur; incomprehensibilis, etiamsi per gratiam repræsentetur; inæstimabilis, etsi humanis sensibus æstimetur, adeò verus, & tantus est. Ita eum vis magnitudinis, & notum hominibus obiicit, & ignotum.* Quod quidem in præfata Isaiæ visione, dum in sublimi solio Dominus residens, Seraphinorum alis eo modò tegebatur, vt non nisi inter eorum plumas ipsius species conspici, & pellucere posset: Ita enim Vates vers. 2. *Sex alæ vni, & sex alæ alteri, duabus velabant faciem eius*: siue, vt est in Hebræo, *duabus velabat vnusquisque faciem suam*; sic scitè cōsiderauit Nazianzenus orat. 25. *Cùm Seraphinis diuinam gloriam*

Tertul. *Isai. 6. 2.* *Heb. Lect.* *Naziang.*

gloriā prædica, primam essentiam hactenus indicātibus, quatenus eam studiosis hominibus eorum alæ paululum aperiunt. Nimirū, vt dum Deum nobis eæ paululum aperiunt, altum nobis sapere, & quod inæstimabile est, & incomprehensibile, humani captus angustiis velle capere non liceat. Certè Dei magnitudinem
Minutius. non aliter pensitabat Minutius (vel ob hoc Felix) in Octauio, quàm quod nobis inæstimabilis esset: *Nobis* (inquit) *ad intellectum pectus angustum est, & ideo sic eum dignè æstimamus, cùm inæstimabilem dicimus.* Subiicit opportunè: *Eloquor quemadmodum sentio, magnitudinem Dei, qui se putat nosse, minuit, qui non vult minuere, non nouit.*

6. Mat. 8. 19. Hinc sanè, & Scribam quemdam, qui se Christū secuturū pollicebatur, Matth. 8. 19. inquiens: *Magister sequar te quocumque ieris*, cum hoc ipse dicterio repulit: *Vulpes foueas habent, & volucres cæli nidos, filius autem hominis non habet, vbi caput reclinet*; videlicet, quod apud literatum hominem, qui Christum non antea Deum, ac Dominum credere volebat, quàm ipsum proprio ingenio dimetiretur,
1. ad Cor. 11. 3. eius diuinitas (nā *caput Christi Deus*, 1. ad Corinth. 11. 3) requiescere nequiret, vt ad id loci sic obser-
Hierony. uauit Hieronymus. *Scriba iste legis, qui tantùm literam nouerat occidentem, si dixisset: Domine sequar te quocumque ieris, non fuisset repulsus à Domino; sed quia Magistrum vnum de pluribus æstimabat, & literator erat (quod significantius Græcè dicitur γραμματεὺς) & non spiritualis auditor, ideò non habet locum, in quo possit Iesus reclinare caput suum.* Et è contrà sponsæ oculos, vt acutissimos, & perspicacissimos inde maximè ipsemet cœlestis sponsus commendauit, quod ab ipsa in Dei cognitione sic demitterentur, vt id solùm diuino Doctore inspirante cognoscerent, quod nullatenus ab humani intellectus acie com-
Cant. 4. 1. Lxx. prehendi posset. Sic enim Cant. 4. 1. *Oculi tui columbarum, absque eo quod intrinsecus latet*: siue vt Lxx. habent, *præter taciturnitatem tuam.* Ad quæ verba Venerabilis Psellus apud Theodoretum hæc habet: *Hæc enim magis est etiam spiritualis, nam in Spiritu sancto id, quod omnem cogitationem superat, cognoscit de Deo, nempe, quod nequeat comprehendi.* Quia, videlicet, magnitudinem Dei qui se putat nosse, minuit, qui non vult minuere, non nouit. Vnde quidem temerarium illum, hæreticoque sensu imbutum Pe-
Bernard. trum Abailardum scitè, falsèque carpebat Bernard. epist. 192. quod in rebus fidei nihil per speculum, & in ænigmate, vt nobis videre fas est, sed facie ad faciem omnia intueri, atque cognoscere præsumeret. *Nihil* (inquit) *videt per speculum, & in ænigmate, sed facie ad faciem omnia intuetur, ambulans in magnis, & in mirabilibus super se. Melius illi erat (si iuxta titulum libri sui) seipsum cognosceret, nec egrederetur mensuram suam, sed saperet ad sobrietatem.* Hæc Bern.

7. Triumphat ergo gloriosè de aquila in Eucharistia Christus, dum acutissimum ipsius visum sic ibi moderatur, & sibi subiicit, vt videre faciat, quæ non videt, & non videre, quæ intuetur, vt proprio, videlicet, sensui renuncians, Christi corpus sub exiguis illis accidentibus reapse præsens esse, nec vllam panis substantiam inibi permanere, sed accidentia absque vllo subiecto subsistere, quæ quidem omnia cum corporeis sensibus, & acutissimi intellectus acie non bene se gerunt firmiter, & indubi-
Cyprian. tatò credat. Vnde sapienter eleganterque Cyprianus serm. de Cœna Domini. *Inter Dominicæ mensæ conuiuas animalis homo non admittitur, quidquid caro, & sanguis dictat, ab hoc cœtu excluditur, nihil sapit, nihil prodest, quidquid humani sensus molitur subtilitas, omne quidquid à suis rationibus deuium videtur, sapientes huius sæculi ad dementiā referūt, & à veritate reputant alienum. Sed veritas ab erroneis hominibus compre-*

Vella 79. in Epist. ad Philippens.

hendi non potuit, & cùm in Sole vellet figere oculos, vim luminis non ferens cæcata est, non illuminata humana præsumptio, & aspectui eius lippitudo inhæsit. Sic ille. Qua sanè de causa singillatim de Eucharistia accepit Paschasius lib. de corpore, & sang. Domin. cap. Paschas. 17. thesaurum illum absconditum in agro, de quo Matth. 13. 44. quod humanis sensibus carnis Chri- Matth. 13. 44. sti thesaurus inibi absconsus sit; sic enim ille. *Qui quàm bene in agro thesaurus absconsus dicitur, quia in carne Christi diuinitas corporaliter inhabitans, etiam in hoc mysterio ab aspectu oculorum, ne caro videatur, subtrahitur, vt fide auidiùs quæratur, quæsita verius inueniatur, inuenta verò chariùs habeatur.* Equidem hac mente præditus Vates Psal. 41. 3. cùm prophe- Psal. 41. 3. ticis naribus Eucharistiæ mysterium olfaciens dixisset; *Sitiuit anima mea ad Deum fortē viuum: quando veniam, & apparebo ante faciem Dei? Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die, ac nocte, dum dicitur mihi quotidie: Vbi est Deus tuus?* hoc est, nunquam sine lacrymis panem capio, dum in pane Deum meum venire credens, & sperans, acerba hac exprobratione ferior. Vbinam affuturum tibi Deum tuum credula expectatione oblectaris? quid pani, & Deo? an oculos non habes, vt Deum in pane non esse videas? Ita penè August. inquiens: *Quæro ergo Deum* August. *meum in omni corpore, siue terrestri, siue cœlesti, & non inuenio; quæro substantiam eius in anima mea, & non inuenio.* sic statim in se reuersus dicebat: *Hæc recordatus sum, & effudi in me animam meam:* siue vt legit Augustinus, *effudi super me animam meam*: ac si diceret, inquit idemmet Pater in commentario: *Ergo, vt eum animi intellectu tangerem*, hæc meditatus sum, & effudi super me animam meam. *Quando anima mea contingeret, quod super animam meam quæritur, nisi anima mea super seipsam effunderetur? Si enim in seipsa remaneret, nihil aliud quàm se videret, & cùm se videret, non vtique Deum suum videret.* Ita ille.

Nec triumphum solùm, sed quod ad maiorem 8. Christi gloriam cedit, talionem, hoc est, æqualem pœnæ retributionem, qua humanum intellectum nimis olim ad credendum pronum, & diuinitati iniurium, sapientissimè retaliauit, id appellaueris. Etenim, vt superiùs ad vers. 8. adnot. 1. num. 11. ex Tertul. l. 5. contr. Marc. c. 21. obseruabam, ea pecu- Tertul. liari de causa Dominum crucis lignum execrabile antea, & infame, hominibus colendum, adorandumq; proposuisse, quò eos, qui ligneas, & lapideas statuas adorauerant, quasi talionis pœna mulctaret, *vt quoniam homo non erubuerat lapidem, & lignum adorans, eadem constantia non confusus de Christo, pro impudentia idololatriæ satis Deo faceret per impudentiam fidei*: ita etiam iure modò dixeris, Deum, vt humani intellectus audaciam, & temerariam credulitatem, qua eam ligno scientiæ boni, & mali diuinitatem attribuit, vt ex eo similem se Deo euasurum crediderit, expiaret, veram eum diuinitatem, vbi non apparet, credere, iustè, ac sapienter præcepisse. Id quod Rupertus in id Cantic. 2. 3. Cant. 2. 3. Rupertus. *Fructus eius dulces gutturi meo*, sic eleganter docuit: *Malus fructus, imò malus morsus, quo Adam per Euā vitam perdidit, & mortem inuenit: bonus fructus, quo genus humanum per Mariam mortem perdidit, & vitam inuenit. Vbi tempus venit huiuscemodi fructus edendi, accipiens panem, & vinum, & benedicens:* Accipite, *inquit*, & comedite: Hoc est corpus Mat. 26. 27. meum. Accipite, & bibite: Hic est sanguis meus. *Non vidistis ibi carnis, & sanguinis speciem; profectò nec Eua videbat promissam sibi à serpente Dei similitudinem. Attamen illa credidit, quod non videbat:* nequaquam moriemini, sed eritis sicut dij; *magis quàm Deo dicenti*: morte moriemini, in quocumq; Gen. 3. 4. die ex eo comederitis. *Plus, inquā, serpenti quàm Deo*

credidit. Iusta ergo lege, vt expietur iste reatus malæ credulitatis, exigitur fides, vt credatis quod non videtis. Hæc Rupertus.

9. Nec minus gloriosum de leone refert Christus in Eucharistia triumphum, dum animalem hominem, legemque membrorum legi mentis repugnantem, indomitorúmque affectuum rabiem, atque rugitum (iusta enim similitudine animi passiones, & affectus cum ferocientibus belluis composueris,
Seneca. iuxta quam epist. 89. dixit Seneca: *Scribe, vt dum scripseris legas, omnia ad mores, & ad sedandam rabiem affectuum referens*) cœlestis hæc esca compescit, &
Cyr. Alex. frænat. *Sedat enim* (inquit opportunè S. Cyril. Alexand. lib. in Ioan. cap. 17.) *cum in nobis manet Christus, sæuientem membrorum nostrorum legem, pietatem corroborat, perturbationes animi extinguit, ægrotos curat, collisos redintegrat.* Pergit Cyprian. serm. in Cœna Domini: *Vident hæc sacramenta pauperes spiritu, & hoc vno contenti ferculo omnes mundi huius delicias aspernantur, & possidentes Christum, aliquam huius*
2. ad Cor. 5. 14. *mundi possidere supellectilem dedignantur.* Quare 2. ad Corinth. 5. 14. notanter ait Apost. *Charitas Christi vrget nos*: vbi de Eucharistia sermonem esse, vt
Basilius. visus est accepisse Basilius lib. 1. de Baptis. ad fin. & lib. 2. cap. 1. & in moralibus sententiis Reg. 21. c. 3. duo suadent: alterum, quod voce, ἀγάπη, pro qua noster posuit, *charitas*, in primitiua Ecclesia appellarentur Dominicæ illæ cœnæ, quæ ad excitandam, fouendamque charitatem exhibebantur: alterum,
Thad v. 12. in Epistola Thaddæi vers. 12. vbi nos habemus, *hi sunt in epulis suis maculæ*, Græcè pro *epulis*, esse ἀγάπαις. Vnde *agape Christi*, idem erit, ac *cœna*, seu *conuiuium Christi*. Iam pro sententia obseruatu ver-
Lect. Græc. bum, συνέχει, quod respondet nostro, *vrget*: propriè enim significat, *constringit*, siue, *constrictos tenet*: siue, vt legit, & explicat Oecumenius, *continet nos in officio*: vt sensus sit, nos quasi præferoces belluas, sæuientesque leones ab his diuinis epulis constrictos, & quasi catenis illigatos, ne manum, pedémve ad illicita extendamus, teneri. Audi Bernard. ser.
Bernard. 1. in Cœna Domini, de Baptismo, & Sacramento Altaris. *Sed quis poterit tam efferos motus frangere? quis pruritum vlceris huius ferre queat? Confidite, quia & in hoc gratia subuenit, & vt securi sitis, Sacramenti Dominici corporis, & sanguinis pretiosi inuestituram habetis. Duo enim illud Sacramentum operatur in nobis: vt, videlicet, & sensum minuat in minimis, & in grauioribus peccatis tollat omnino consensum. Si quis vestrûm non tam sæpe modò tam acerbos sentit iracundiæ motus, inuidiæ, luxuriæ, aut cæterorũ huiusmodi, gratias agat corpori, & sanguini Domini, quoniam virtus Sacramenti operatur in eo: & gaudeat, quod pessimum vlcus accedat ad sanitatem.* Ita ille.

10. Hinc Dauid Psal. 22. 5. de hoc cœlesti conuiuio,
Psal. 22. 5. Theodor. vt Theodoretus ibi S. Cyrill. Ierosolymit. Catechef.
Cyr. Ierosl. mystagogica 4. Origenes tract. 35. in Matth. Cy-
Origen. prian. epist. 63. Ambros. in Psal. 35. & serm. 21. in
Cyprianus. Psal. 118. Chrysost. tam ibi, quàm hom. 2. in Psal.
Ambros. 50. & homil. 11. in Matth. Paschas. lib. 1. de corpo-
Chrysost. re, & sanguine Domini, cap. 10. Alger. lib. 1. de Sa-
Paschas. cramento cap. 9. & alij interpretantur, non sine em-
Alger. phasi inquit: *Parasti in conspectu meo mensam aduersus eos, qui tribulant me.* Ad quæ verba Chrysost. *Qui sunt, qui nos tribulant? suggestiones inimici, cupiditates, delectationes, sæculi honores.* Subdit Vates: *Et calix meus inebrians quam præclarus est!* pro quibus sic habet Ambros. in Psal. 35. *Poculum illud inebrians quàm validum est!* Similiter alij iuxta Græcam vo-
Lect. Græc. cem, κράτιστον, bene legunt, *quam potens, quam forte*, quod videlicet efferatam carnis, ac membrorum legem cicurare, & mansuetam reddere, atque è lapidibus filios Abrahæ, ex inimicis charissimos amicos facere valeat. Vnde indidem post præfata verba Chrysost. *Sed cum venimus ad mensam poten-* Chrysost.
tis, tribulationes efficiuntur consolationes, & ex mensa præparata proficimus aduersus omnes, qui tribulant nos. Ad quem modum Cyprianus prædicto sermone in Cyprianus.
Cœna Domini, eadem hæc Vatis verba elucidans: *Hæc* (inquit) *ebrietas non accendit, sed extinguit peccatum; in hoc vino non est luxuria, nec mouetur ad ludum post hunc potum lasciuia; cum sopiuit obliuio cuncta carnis ludibria, mira sunt quæ sentit, magna quæ videt, inaudita quæ loquitur.* Nec aliter Venerabilis Drogo, paulo ante verba à nobis superiùs adducta, Drogo.
tam Heliæ pallium, quàm verba Habac. 3. 5. *Ibi* Habac. 3. 5.
abscondita est fortitudo eius, sub hoc sensu premens, sic eleganter inquit: *Pallium tuum est caro tua, qua vestitus ad nos processisti, & latuisti quidem perfidos, sed fidelibus tuis teipsum ostendisti, sicut & vsque hodie sub hoc pallio abscondita est maxima fortitudo tua, ô fortissime Samson, quam etiam dilectæ, & non diligenti te ad vltimũ non celasti, vt inimicã verteres in amicam; in tantum amasti mulierem non amantem te, sed persequentem, vt propter amorem eius sapientia tua stultesceret, & fortitudo tua infirmaretur: sed quod stultum est Dei, sapientius factum est hominibus, & quod infirmum Dei, fortius hominibus.* Ita Drogo. Vides quàm validum, ac forte amatorium hoc poculum sit.

Sed & post præfata verba; *Charitas Christi vr-* 11.
get nos, hæc præfatam expositionem firmans sub-
dit Apost. *Æstimantes hoc, quoniam si vnus pro omni-* 2. ad Cor. 5. 15.
bus mortuus est, ergo omnes mortui sunt. Quæ extrema verba non perinde sunt accipienda, ac si inferat Paulus, omnes mortales sempiternæ fuisse morti obnoxios, vt plerique interpretantur: sed vt ex S. Thoma sensus sit, omnes vitæ veteri mortuos, & à S. Thom.
pristinis vitiis, & concupiscentiis abalienatos esse debere; sic enim statim addidit: *Vt & qui viuunt, iam non sibi viuant, sed ei, qui pro ipsis mortuus est, & resurrexit.* Sanè quasi ex superiore sententia moneat Apostolus, adeò validum, & forte hoc poculum esse, præclarumque hunc calicem sic bibentes inebriare, vt à se ipsis, feris immansuetis, & immanibus belluis exeant, cunctisque carnis ludibriis consopitis, iam non sibi viuant, sed ei, qui pro ipsis mortuus est. Quadrat verò huic rei illa reapse concinẽs, sed ad speciem dissonans Salomonis, & Ecclesiastici harmonia (de qua ad cap. 1. vers. 7. adnot. 3. n. 8. & vers. 29. adnot. 3. n. 5. aliò intenti egimus) cùm prior diuinam Sapientiam filiis suis mortem inferentem; posterior verò vitam inspirantem inducit. Etenim cùm Sapiens Prouerb. 9. 2. dixisset: *Sapien-* Prou. 9. 2.
tia ædificauit sibi domum, excidit columnas septem; subdit, *immolauit victimas suas*: siue, vt Lxx. habent, *ho-* Lxx.
stias suas; pro quibus Tertul. in Scorpiaco cap. 7. le- Tertul.
git: *Sophia iugulauit filios suos.* Ecclesiasticus verò cõtraria locutionis serie, & quasi sumpta à nutricibus imagine, vitam cum lacte puellulis infundentibus, cap. 4. 12. ait, *Sapientia filiis suis vitam inspirat*: Eccl. 4. 12.
nimirum, non aliter corporis sui mensam Christus proponit, sacrumque suis cõuiuium instituit, quàm vitam, mortemque simul inferens, & inspirans, vt qui viuunt, iam non sibi viuant, sed veteri vitæ, animalibusque, ac brutis affectibus mortui, ei viuant, qui pro ipsis mortuus est. Vis videre victimas, siue hostias immolatas? Audi Paulum ad Rom. 12. 1. Ad Rom. 12. 1.
Obsecro vos, fratres per misericordiam Dei, vt exhibeatis corpora vestra hostiam viuentem, sanctam, Deo placentẽ, rationabile obsequium vestrũ. Quæ ob oculos in hanc rem habere videtur Greg. Magn. l. 4. Dialog. c. Greg.
55. inquiẽs: *Necesse est, vt cum hæc agimus, nosmetipsos* *Deo*

Deo in cordis contritione mactemus, quia qui Passionis Dominicæ mysteria celebramus, debemus imitari quod agimus. Tunc ergo verè pro nobis hostia erit Deo, cùm nos ipsos hostiam fecerimus. Sic Gregorius.

12. His aptanda omnino sunt, quæ sub persona accedentis ad Eucharistiam prophetico ore dicebat Regius Psaltes Psal. 115.3. *Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi?* Sed interrogatione audita, nec expectata responsione, ex Sapientis verbis Prouer. 23.1. *Quando sederis, vt comedas cum Principe, diligenter attende, quæ apposita sunt ante faciem tuam, & statue cultrum gutturi tuo:* siue, vt reponunt Lxx. (*& mitte manum tuam*) *sciens quod oportet, te talia præparare*; quę Chrysost. in Psal. 22. August. tract. 47. & 48. in Ioan. Ambrosi. lib. 1. offic. cap. 13. & alij PP. de Eucharistia frequenter accipiunt; Vati sic occurrit Venerab. Petrus Abbas Cellens. lib. de Panib. cap. 1. *Clamat in abundantia saturitatis, & suauitatis suæ, pauper ille amicus diuitis, qui in conuiuio discumbebat*: Quid, *inquit*, retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi? *Sed scire debuerat, quod Sapiens ait*: Cùm sederis ad mensam Principis, diligenter attende, quæ apponũtur tibi, sciens quia oportet, te talia præparare. *Carnem ergo pro carne repone, pro sancta, sanctificatam, pro casta castigatam, & castificatam, pro integra, impollutam; sanguinem quoque pro sanguine, scilicet pro fuso in ara crucis, effusum in rubore confessionis, pro puro, impurum, pro bono, malum, pro quieto, turbidum. Pellem etiam pro pelle, sicut Iob ait, id est, patientiam, & imitationem mansuetudinis Agni incontaminati Iesu Christi rependere debemus.* Verumenimverò expectare Petrus debuerat Prophetæ responsionem, quæ iota minus non habet, quàm quæ ipsemet Abbas interrogationi apposuit; subdit namq; Dauid: *Calicem salutaris accipiam, & nomen Domini inuocabo.* Quippe calicem accipere, mori mundo est; nam calix hic inebrians quàm fortis, quamque validus est! *Quam religiosa est* (inquit Cyprian. serm. de Cœna Domini) *huius potus ebrietas, per quam excedimus Deo, & quæ retrò sunt obliti, ad anteriora extendimur, non habentes sensum huius mundi, sed diuitis purpurati delicias contemnentes cruci hæremus!* Sic Cyprianus. Sed obserua, calicē in Scriptura pro Passione, & laborum tolerantia sumi, vt Matthæi 26.39. *Transeat à me calix iste.* & cap. 20.22. *Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum?* Vnde quęsita locutione de Eucharistia locutus est hic Vates, innuens, eo ipso, quod ad illam quis accedit, mortuum iam mundo, & necis discrimini obnoxium sese profiteri.

13. Non bene hæc ille nouerat, qui ad cœnam inuitatus, vestem nuptialem non attulit, pellem, inquam, patientiæ, & imitationis mãsuetudinis Agni, quam dicebat Petr. Cellensis, sed leoninam potiùs, aut vulpinam, peccatorum, scilicet, aut immanitatem, aut fraudulentiam, seu diuitis purpurati delicias, vnde iure à nuptiali cœna eiectus, ligatis manibus, & pedibus in tenebras exteriores missus est, Matth. 22.12. Ita præfato loco Abbas Cellensis: *In pelle ista veniens ad nuptias non depellitur, sed intrare, & superius ascendere, compellitur. Retribue igitur conuiua Christi pellem pro pelle, imò secundum legem, oculum pro oculo, dentem pro dente, liuorem pro liuore, animam pro anima. Quid enim pro te, aut tibi facere potuit Deus, quam vt animam poneret? Vade ergo, & tu fac similiter.* Exemplum, *inquit*, dedi vobis, vt & vos ita faciatis. Certè si diem desponsationis Christi recolis, & vestem nuptialem, cum Augustino apud Maldonatum in eum Matthæi locum, sic capis, vt idem sit, ac Christi insignia, siue adsimilem vestem ferre, qualem sponsus gestare solet, sicut regios famulos certi coloris vestes, qui Regis color appellatur, ex quo Regis esse famuli dignoscuntur, habere videmus; Christi conuiuas non aliunde, quàm ex mundi, veterisque hominis pelle detracta, & patientiæ, imitationisque mansuetudinis Agni incontaminati candido vellere indutos cognosces: Christus siquidem in die desponsationis plagis liuidus, verberibus excoriatus, sanguine madidus, spinis redimitus, à Salomone sic inducitur Cantic. 3.11. *Egredimini, & videte filiæ Sion Regem Salomonem in diademate, quo coronauit illum mater sua in die desponsationis illius, & in die lætitiæ cordis eius*; iuxta Ambrosij, Bernardi, & aliorum Patrum explicationem aliis in locis à nobis adductam. Quare conuiuam hunc leoninam pellem nõ exutum, alloqui videtur ipsemet Dominus Psal. 49.12. inquiens: *Nunquid manducabo carnes taurorum, aut sanguinem hircorum potabo?* Sed horum verborum vim inferiùs commodiùs ostendemus.

Psal. 115.3. | Prou. 23.1. | Lxx. | Chrysost. | August. | Ambros. | Petr. Cell. | Cyprianus. | Petr. Cellens. | August. | Maldon. | Cant. 3.11. | Ambros. | Bernard. | Psal. 49.12.

14. Iam si bouem egregium patientiæ, & laborum tolerantiæ typum currui Eucharistico, vt Christi triumpho deseruiat, subiectum, & subiugatum videre velis, audi ipsummet Dominum dicentē Ioan. 6.27. *Operamini, non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam æternam, quem filius hominis dabit vobis. Hũc enim Pater signauit Deus.* Vbi obserues velim verbum illud, *operamini*: quo innuit Christus, non aliter hunc cibum fore accipiendum, nisi à sumente conficiatur. Quid? potest ab omnibus hoc confici Sacramentum? valet quiuis hunc cœlestem cibum conficere? Minimè. Quid ergo sibi vult Dominus, cùm ait: *operamini hunc cibum*? Sanè id nobis innuit, non priùs diuinum hunc à nobis panem edendum, quàm illum nostris laboribus, obsequiis, vigiliis, orationibus promereamur. Vnde signatè addidit, signatũ à Deo hũc panem esse: hoc est, ab vsuali cibo, dignis atque indignis communi & peruio, distinctum, atque discriminatum, ne ad ipsum alij, quàm qui laboribus digni effecti essent, accederēt: vt bene ad id Ioan. adnotauit hunc in modum Rupert. *Hunc enim cibum signauit Deus, hoc est, à communibus cibis distinxit, & cùm alios communes bonis ac malis fecerit, solum hunc panem hunc cibum, nunquam dare voluit nisi dignis.* Porrò vel in augustissimi huius Sacramēti figurã non aliter in veteri Testamēto ad offerendum sacrificium accedere licebat, nisi victimæ manus sacrificans admoueret, Leuit. c. 1. 4. & c. 3. 2. vt, videlicet, ipsasmet manus, & à sordibus, siue peccatorum maculis immunes, & bonis operibus ornatas ostenderet; sic id obseruante Philone lib. de victimis: *Postulat Deus à sacrificante primum bonam mentem, sanctam, & in pietate exercitam, deinde vitam benefactis ornatam. Vt dum manus imponit, possit libera conscientia dicere: Manus hæ, nec muneribus corruptæ, nec innocenti sanguine pollutæ sunt, noxam, iniuriam, vulnus, vim intulerunt nemini, nulli rei turpi præbuerunt ministerium, sed rebus honestis, ac vtilibus, quæ viris iustis, honestis, sapientibúsque probantur.* Hæc Philo.

Ioan. 6.27. | Rupert. | Leuit. c. 1. 4. & c. 3. 2. | Philo.

Hinc de Eucharistia vna ex parte Isaias c. 30. 20. 15.
inquit; *Et dabit vobis Dominus panem arctum, & aquam breuem*: siue; vt Lxx. habent, *panem tribulationis, & aquam angustam*: vel, vt est in Hebræo, *panem angustiæ, & aquam oppressionis*; quæ sic explicat ibi Cyril. Alex. *Panis igitur, & aqua viuifica Christus est.* Ex alia ipsemet Dominus apud Ioan. Apocalyp. 2. 7. ex Rupert. ibi, & Paschasij lib. 1. de corp. & sang. Domini, cap. 7. expositione, huic vaticinio sic applaudit: *Vincenti dabo edere de ligno vitæ, quod est in Paradiso Dei mei.* Quod si non nemo ambigat, cur Eucharistia ab Isaia panis arctus, siue tribulationis,

Isai. 30. 20. | Lxx. | Lect. Heb. | Cyr. Alex. | Apoc. 2. 7. | Rupert. | Paschas.

vel angustiæ, quo nomine nihil tristius, aut insuauius; à Domino verò lignum vitæ, quo nihil suauius, dulciúsve excogitari possit, appelletur. Facilè occurres, si dixeris ad Eucharistiæ suauitatem non aliter, quàm per labores, & angustias, per carnis, inquam, mortificationem, & oppressionem perueniri.
Cyr. Alex. Ita Cyril. ad locum Isaiæ, & Rupert. in verba Ioan. prior enim post citata verba: *Panis igitur, & aqua viuifica, Christus est*; hæc subdit: *sed cum labore, & sudore inuenitur. Magna enim bona, & eximia non percipiuntur ab ijs, qui iacent, & delicantur.* Quo sensu,
Chrysost. & verbis etiam dixit Chrysost. hom. 7. in Marcion. *Iacentes manducare non possumus, nisi steterimus, corpus Christi accipere non valemus.*
Rupert. Rupertus verò scitè pendit verbum illud *dabo*: quasi aliud sit Eucharistiam de manu Christi sumere, quod non nisi laborantibus contingit: aliud propria manu præripere, quod ij qui iacent, & delicantur, facere videntur. Audi: *Sæpe enim, qui nondum vicit, id est, nondum egit pœnitentiam, edit de hoc ligno vitæ, manducans, videlicet, corpus, & bibens sanguinem Domini, verùm non illi dat Christus, sed ipse rapit.* Sic Rupertus.

16. Accinit Regius Vates Psal. 127. 2. inquiens; *La-*
Psal. 127. 2. *bores manuum tuarum quia manducabis, beatus es, & bene tibi erit.* Sed obserua, Græcè, vbi noster habet, *manuum*, esse καρπῶν, quæ vox, vt ad id cap. 1. vers. 11. *repleti fructu iustitiæ*, vidimus, omnino significat
Psalt. Rom. *fructus*: atque ideo Psalterium Romanum, & Am-
Psalt. Ambr. brosianum, necnon Hilarium, Arnobium, Cassio-
Hilar. Arnob. Cassiod. dorum, & alios, pro, *Labores manuũ tuarum*; cõstanter legere, *Labores fructuum tuorum*. Vnde sic ambigit Hilarius: *Non consequitur sensus humanus dicti huius intelligentiam, ex laboribus enim fructus est, non ex fructibus labor. Deinde labor ministerium corporis est: fructus verò merces laboris. Ministerium autẽ corporis incorporale est, licèt corpore fit. Nihil verò edere, nisi quod corporale est possumus.* Sed iuxta superiùs dicta, opportunè statim respondet, non de corporali, sed de spirituali manducatione sermonem esse, quod cœlestem fructum, Eucharistiam, scilicet, bonorum
Hilar. operum laboribus promereri debeamus. *Non enim hic manducatio corporalis est, quia neque id quod manducandum est, corporale sit, sed habemus hic cibum spiritualem, animam nostram in vita alentem, bona, scilicet, opera, bonitatis, misericordiæ, patientiæ, pœnitentiæ, tranquillitatis, in quibus nobis contra corporum nostrorum vitia laborandum est. Horum laborum fructus in æternitate est, sed labor hic æternorum fructuum antè comedendus est, eoque in vita hac corporali anima nostra alenda est. Per cibum bonorum laborum obtinentes panem viuum, panem cælestem, ab eo qui dixit: Ego sum panis viuus de cælo.* Firmat hunc Hilarij sensum Sa-
Eccl. 9. 7. lomon Ecclesiastes 9. 7. dum ait: *Vade ergo, & comede in lætitia panem tuum, & bibe cum gaudio vinum tuum, quia Deo placent opera tua.* Etenim cùm ibi de manducatione corporis, & sanguinis Domini ser-
Hierony. Albin. Olympiod. Cyr. Ierof. mo sit, vt Hieronymus, Albinus, & Olympiodorus ibi, necnon Cyril. Ierosolymitanus Cateche. mystagog. 4. exponunt, emphasim habet illa causalis; *quia Deo placent opera tua*: est enim sensus, Eucharistiam velut bonorum operum mercedem esse, quam boni labores promereantur. Quod optimè
Chald. videtur expressisse Chaldæus hunc in modum: *Dixit Selomoh in spiritu prophetiæ à conspectu Domini: Futurum est, vt Dominus mundi dicat singulis in facie vniuscuiusque: Vade, gusta in lætitia panem tuum, qui repositus est tibi propter panem tuum, quem dedisti pauperi, & humili, qui erat esuriens: & bibe in corde iucundo vinum tuum pro vino tuo, quod miscuisti pauperi, & humili, qui fuerunt sitientes. Ecce enim beneplacita fuerunt ante Dominum opera tua bona.* Et verè, vt Salomonis sententia de omnibus bonis operibus generalis sit, non abs re Chaldæus ad eleemosynas singillatim retulit: iis enim velut dato pretio, Eucharisticum panem mercari, pulchrè dicitur.

Huc quidem illud facit, quod diuinum hoc Sa- 17.
cramentum in cœnaculo, hoc est, in superiori domus parte, signatè fuerit à Domino institutum: sic enim sub Christi persona Lucas cap. 22. 11. *Et di-* Luc. 22. 11.
cetis patrifamilias domus: dicit tibi Magister: Vbi est diuersorium, vbi pascha cum discipulis meis manducem? Et ipse ostendet vobis cœnaculum magnum stratum, & ibi parate: vt, videlicet, nos inde admoneret, cœlestẽ alimoniam nobis non oscitantibus, & otio torpentibus, sed ad superiora conantibus obuenturam, partimque à Deo benignissimo largitore, partimque à nobis strenuè laborantibus diuinum hunc panem operandum, & conficiendum esse, vti obseruauit Greg. Nazianz. orat. 44. ad hunc modum: *At-* Nazianz.
que ipse Iesus cùm sublimioribus rebus discipulos initiaret, mysterium illis in cœnaculo impertit, vt illud indicetur, partim Deum ad nos descendere oportere, quemadmodum olim in Mose contigisse scimus, partim nos ad eum subuehi, sicque inter Deum, & homines consortium iniri. Sub quo etiã sensu sic aptè accepit Origenes Origen.
hom. 1. in Leuiticũ, quod Leuit. 1. 9. Sacerdoti præ- Leuit. 1. 9.
scribitur, vt vitulũ holocausti in sublimi loco, hoc est, super altare collocet: *Sacerdos non in humili aliquo loco, sed in alto, & sancto, id est, super altare collocat, cùm non indignis hominibus, & humilem vitam, ac terrenam degentibus pãdit diuina mysteria, sed illis, qui altare Dei sunt, in quibus semper ardet ignis diuinus, & semper consumitur caro. Super hos ergo talis mẽbratim diuisus iste holocausti vitulus collocatur.* Ita Origenes.

Sed age iam, vt Christum Dominum sedentem 18.
super solium excelsum, & eleuatum de toto homine gloriosè triumphantem, sibique eum omnino subiicientem videas, vter in Eucharistia manducet, Christum homo, an Christus hominem, scire oportet: & si oculis quidem fidem habes, hominẽ esse, qui Christum manducet, dixeris. Nam & ad Christi carnem manducandam, & ad ipsius sanguinem bibendum, passim inuitamur. Sed enim, si mysterium attentiùs introspexeris, rem aliter se habere cognosces. Sanè cùm manducatio non tam in oris officio, quàm in alimenti conuersione in substantiam edentis censeatur, Christusque immortalis, & immutabilis sit, hominem potiùs à Christo, quàm Christum ab homine manducari, necessaria argumentatione concluditur; quam quidem sic ipsemet Dominus Augustino confecisse dicitur lib. 7. Con- August.
fess. cap. 10. *Cibus sum grandium, cresce, & manducabis me, nec tu me in te mutabis, sicut cibum carnis tuæ, sed tu mutaberis in me.* Porrò illa ego Christi verba, *ego sum panis viuus*, Ioan. 6. 51. sic capienda reor, Ioan. 6. 51.
vt ly *panis viuus*, in sensu formali, vt aiunt, & quasi correctiuum vocis, *panis*, hac ratione sumatur: nimirum, vt quà viuens, ac immortalis est Christus, ipse sit, qui dum accipitur, manducet, & accipientem in se ipsum conuertat, non è contrà; etenim si in cibum viuens aliquod ego accepissem, quod ad me deuorandum maiorem vim, atq; efficacitatem, quàm meus calor naturalis ad ipsum in me conuertendum, haberet, quis non diceret, ab illo me manducari, non è contrà? Sanè hac de causa crediderim Chrysost. in 1. ad Corinth. 10. Eucharistiam, Chrysost.
mensam viuentem & immortalem appellasse: Hiero- Hieron.
nymum verò epist. 115. disertè dixisse, *ipse conuiua, & conuiuium, ipse comedens, & qui comeditur.* Sed Nyssenus hom. 8. in Ecclesiastem, & Leo Pontifex epist. 23. hanc rationem luculenter reddidisse videntur; sic enim Nyssenus: *Propterea nobis semet-* Nyssen.
ipsum

ipsum comedendum proponit is, qui semper est, vt cùm ipsum in nobis ipsis acceperimus, illud fiamus, quod ipse est. Vbi velim pendas, accuratè dixisse Nyssenum *is, qui semper est*: vt inde inferat, in hac Eucharistiæ manducatione Christum minimè fore mutandum, sed nos potiùs in ipsum conuertendos, *vt fiamus quod ipse est.* Similiter Leo, (*Leo Pont.*) *quia in illa mystica distributione spiritualis alimonis, hoc impartitur, hoc sumitur, vt accipientes virtutem cælestis cibi, in carnem ipsius, qui caro nostra factus est, transeamus*: ac si dixerit, vt nouus hic edendi modus sit, quo is, qui manducare videtur, in cibum, quem edit, transeat, & conuertatur. Quare rursus serm.14. de Passione idem Leo in hanc sententiam: *Non enim aliud agit participatio corporis, & sanguinis Christi, quàm vt in id quod sumimus, transeamus.*

19. Capies hinc quidem peculiares aliquot Pauli locutiones, & illam in primis 1. ad Cor.10.16. (*1. ad Cor.10. 16.*) vbi cùm de Eucharistia disertissimè præmisisset; *Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? & panis, quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est?* hæc immediatè subdit: *Quoniam vnus panis, vnum corpus, multi sumus omnes qui de vno pane participamus.* Quæ sanè causalis non mediocrem difficultatem videtur continere; nam in primis, quî vnus panis, ij qui multi sumus, appellemur? maximè cùm de Christo dixerit, vnum panem, hoc est, vnum cibum esse. Deinde, quæ hæc consequutio fuerit, vnus panis sumus, quia de vno pane participamus? Respondet inibi Chrysost. (*Chrysost.*) *Quid enim est panis? Corpus Christi. Quid autem fiunt, qui sumunt? Corpus Christi, non multa corpora, sed vnum corpus. Quomodo enim panis ex multis granis compositus est vnus, vt nusquam appareant grana, sed sint quidem ipsa, non manifesta autem sit eorum differentia, propter coniunctionem: ita etiam inter nos dum Christo coniungimur. Non enim ex alio corpore tu, ex alio autem ille nutritur, sed ex eodem omnes.* At enimverò hac responsione nodus non videtur dissolui; nam in conuiuiis, personarum vnitas non sumitur ex vnitate cibi, vt, videlicet, plures conuiuæ vnum sint, eo quod de vno pane, aut cibo edant; sed è contrà, ex sumentis vnitate, ciborum vnitas desumitur, quod, quamuis plura sint fercula, quia tamen ad vnum solummodo conuiuantem referuntur, vnus cibus dicatur; atq; ideo cibi potiùs, si loqui possent, fuissent dicturi, vnus panis, vnus cibus omnes sumus: ita in Scriptura, regia fercula, quamuis plura, singulari numero dicuntur cibus regius, 2.Reg.11.8. (*2. Reg. 11.8.*) Ad quam quidem edentis vnitatem (vt hoc obiter dixerim) videtur respexisse Seneca, (*Senec.*) cùm humanā voracitatem, & ingluuiem taxans epist.114. dicebat: *Nunquid enim, mi Lucilli, hic non furor est, quod nemo nostrum mortalē se cogitat? quod imbecillum? imò quod nemo nostrûm vnum esse se cogitat? Adspice culinas nostras, & concursantes inter tot ignes coquos nostros, vnū videri putas ventrem, cui tanto tumultu comparatur cibus? Adspice veteraria nostra, & plena multorum seculorum vindemijs horrea, vnum putas videri ventrem, cui tot consulum, regionumque vina conduntur? Adspice quot locis vertatur terra, quot millia colonorum arent, fodiant, vnum putas videri ventrem, cui & in Sicilia, & in Africa seritur? Sani erimus, & modica concupiscemus, si vnusq[illegible]que se numeret, metiatur simul corpus, sciatque nec [illegible]n capere, nec diu posse.* Ergo propositæ difficul[illegible]ti ex doctrina quam persequimur, facilè occurrēs; optimè omnes nos, qui Christo communicamus, vnum panem, vnum cibum dici, quod ad vnum Domini cibum pertineamus, & ab vno Domino manducemur, atque vnum cum eo spirituali transitione (vt verbis vtar Cypriani (*Cyprian.*) serm. in Cœna Dom.) omnes efficiamur. Ita penè monuisse videtur ad hæc verba Damascenus (*Damasc.*) lib.4. de fide orthodoxa cap.14. inquiens: *Communicamus per ipsam Eucharistiam Christo, & participamus eius carne, & diuinitate, quia communicamus, & vnimur inuicem per illam. Nā quia ex vno pane participamus, omnes vnum corpus Christi, & vnus sanguis, & inuicem membra efficimur incorporati Christo existentes.* Quibus in verbis Damascenus eos, qui Christi corpus accipiunt, cum alimento ipso, siue cibo, qui in viuentis membra transit, non obscurè componere videtur.

Adsimilis locutio est Cant.5.1. vbi cùm cœlestis 20.
sponsus cum spōsa sua loquens dixisset: (*Cant.5.1.*) *Veni in hortum meum soror mea sponsa*; quod (vt inquit Ambr.) (*Ambros.*) *anima ornata virtutum floribus hortus sit, vel in se paradisum habeat germinantem. Verbum autem Dei pascitur animæ virtutibus, quoties obedientem sibi, & optimam repererit, & carpit fructus eius, atque his delectatur*; sic statim subdit: *Comedi fauum cum melle meo, bibi vinum meum cum lacte meo.* Ad quæ verba primùm obserua, Nyssen. (*Nyssen.*) hom.10. in Cant. & Ambros. (*Ambros.*) lib.5. de Sacramentis, cap.3. Paschas. lib.1. de corp. & sang. Domini cap.10. legere, *Manducaui panem meum*, &c. Deinde, ab eodem Paschas. ibi, & ab aliis hunc ibi panem, siue fauum de Eucharistia accipi; sic enim Paschas. (*Paschas.*) *Hinc est sanè, quod sapientia Dei Patris maluit hoc mysterium in specie panis, ac vini permanere, quàm in colorem ac saporem carnis demutari*, &c. *Nos enim illum panem, qui de cœlo descendit, comedimus, & ideo dicitur,* Comedi panem cum melle meo, *quoniam in illo diuinitatis dulcedo, & humanitas prædicatur.* Vnde iure ambigas, quî ipsemet Christus panem suum comedere dicatur, cùm nos potiùs hoc cœlesti pane vescamur, & reficiamur. Sanè quod vnus panis simus omnes, qui de vno pane participamus; Christi (inquam) panis, & cibus, qui à cœlesti sponso manducetur, & in ipsius membra traiiciatur. Ita inibi Paschas. (*Idem.*) *Nam dum nos rectè panem cum melle comedimus, & vinum calicis cum lacte potamus, tūc & ipse ea se in nobis sumere testatur, quia per hæc nos in suum corpus traijcit, & vnum in illo efficimur.* Cui rationi subnixus sub hoc etiam sensu illud capias, quod ad Rom.14.6. (*Ad Rom 14. 6.*) sic dicebat Paulus: *Qui manducat, Domino manducat, gratias enim agit Deo, & qui non manducat, Domino non manducat.* Quamuis enim Apostoli oratio eò potissimum eat, vt fideles moneat, ne ea opera quæ indifferentia, siue media sunt, in peiorem partem interpretentur, cùm & bono, & malo animo fieri possint; tamē non abs re cogitaueris, ad præsens etiam institutū pertinere hęc verba, sumptaque ab animantibus, quibus homines vescuntur, similitudine, quæ ipsi non mediocriter curant, vt pascantur, & saginentur, quod quidquid illa comedant, in hominis vtilitatem, & delicias transeat, dixisse Apostolum, eos qui manducant, hoc est, ad Eucharistiam accedunt, Domino manducare, quod Christi cibus tunc sint, & qui non manducant, de Christi cibo non curare, &, si fas esset dicere, impransum illum, & ieiunum derelinquere; subdit enim Paulus: *Nemo enim nostrûm sibi viuit, & nemo sibi moritur. Siue enim viuimus, Domino viuimus: siue morimur, Domino morimur. Siue ergo viuimus, siue morimur, Domini sumus.*

Est etiam & hæc sponsæ mens Cant.2.16. dicen- 21.
tis: (*Cant.2.16.*) *Dilectus meus mihi, & ego illi, qui pascitur inter lilia.* Sed cùm Hebraicè (*Heb.Lect.*) verbum *pasco*, in actiua significatione sit, sponsusque suos pascere dicatur, meritò dubites, quî Vulgatus passiuè accipiens, sensum immutarit. Respondet Bernardus (*Bernard.*): *At pascens ita, puto, nihilominus pascitur ipse. Et quidem scis quibus libenter vescitur? profectibus nostris. Etenim gaudium*

Domini

Domini fortitudo nostra. Ita ergo, & cùm pascit pascitur, & pascitur, cùm pascit, simul nos suo gaudio spirituali reficiens, & de nostro aequè spirituali profectu gaudens. Cibus eius pœnitentia mea, & cibus eius salus mea, cibus eius, ego ipse. An non cinerem tamquam panem manducat? Ego autem, quia peccator sum cinis sum, vt manducer ab eo. Mandor cùm arguor, glutior cùm instituor, decoquor cùm immutor, digeror cùm transformor, vnior cùm conformor. Bene quidem: sed non minus opportunè difficultatem opprimes, si Christum lilia sua, hoc est, iustos, fidelésque setuos ita carne sua in Eucharistia pascentem considetes, vt ab illis ipse simul pascatur, ac reficiatur; nā quidquid oculi dissentiant, tu, qui te mandere, glutire, decoquere, digerere, & transformare existimas, etiam manderis, deglutiris, decoqueris, digereris, transformaris. Sic etenim sponsa; *Dilectus meus mihi, & ego illi*; ac si dicat, *qui manducat, Domino manducat.* Sic etiam & sponsus: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo.* Quibus verbis hæc quæ sequuntur in Bernardo, mirè quadrant; *Noliee mirari hoc, & manducat nos, & manducatur à nobis, quò arctiùs illi astringamur. Non sanè aliàs perfectè vnimur illi; nam si manduco, & non manducor, videtur in me esse ille, sed nondum in illo ego; quod si manducor quidem, nec manduco, me in se habere ille, sed non etiā in me esse videbitur; nec enim perfecta vnitio in vno quouis horum. Si enim manducet me, vt habeat me in se, & à me vicissim manducetur, vt sit in me, quatenus integra, firmaque sit connexio, cùm ego in eo, & nihilominus in me ipse erit.* En mutuam vnionem, & permanentiam Christi in anima, & animæ in Christo. Quod si hæc velis explicatiùs accipere, Christum iterum, iterum & Bernardum audi. Sic enim post ea verba subdit immediatè Dominus: *Sicut misit me viuens Pater, & ego viuo propter Patrē, & qui manducat me, & ipse viuet propter me.* Vbi non tantùm voluit dicere: sicut ego viuo propter Patrem, sic qui manducat me, viuet propter me; sed comparatione inter se, & Patrem factā, modum, quo Pater in ipso, & ipse in Patre viuat, & maneat, ei qui corpus ipsius accipit, signatè aptauit. Audi ergo Bernardū, præfatam doctrinā sic elucidantem: *Attolle oculos in quamdam sublimiorem quidem rerum conuenientiam, similem tamen huic. Si ipse sponsus in Patre ita esset, vt non tamen in ipso Pater, aut ita Pater in ipso esset, vt nō esset ipse in Patre: audeo dicere, & ipsorū citra perfectū vnitas remaneret, si tamen iam vnitas esset. Nunc verò, cū & ipse in Patre, & Pater in ipso sit, non est quo claudicet vnitas, sed verè, perfectéq; vnum sunt ipse, & Pater. Sic igitur anima, cui adhærere Deo bonum est, non antè se existimet ipsi perfectè vnitam, nisi cùm & illum in se, & se in illo manentem persenserit.* Ita Bernardus, opportunè explicans, quid sit sponsum pascere, & pasci; manducari, & manducantes in se traiicere, vt ipse in illis, atque illi in ipso maneant.

22. Manuducūt iam hæc nos, vt de præparatione ad hanc mensam nonnihil dicamus. Et quidem, si verum fateor, quamuis dum me Christum manducare cogito, ad rectitudinem, & munditiam vehemēter me accendi vidcā: *Charitas enim, siue cœna Christi vrget nos*; at cū me ab illo manducari noui, calcari plus plus pungēte tam ad ardentē in ipsum charitatem, quàm ad omnimodā puritatem, & sanctitatem me stimulari sentio. Nam si scitè apud Iob. c. 6. 6. *Nunquid poterit comedi insulsum, quod non est sale conditum? aut potest aliquis gustare, quod gustatū affert mortem?* quàm conditum, & suauem cibum diuino à nobis palato admoueri æquum sit? Hæc igitur prima lex in præparatione ad Eucharistiam sanciatur, vt non secus, ac animal humano cibo destinatū, mortem priùs obire debet; ita is, qui Christi cibus est futurus, peccatis, ac homini veteri mortuus accedat: *tunc enim* (vt dicebat Gregor.) *verè pro nobis hostia erit Deo, cū nosmetipsos hostiam fecerimus.* Hinc illa Domini ad peccatorem emphasis plena ratiocinatio Psal. 49. 12. *Si esuriero, non dicam tibi, meus est enim orbis terrarū, & plenitudo eius.* Subdit rationem: *Nunquid manducabo carnes taurorum, aut sanguinem hircorum potabo? Immola Deo sacrificium laudis, & redde Altissimo vota tua.* Quæ de Eucharistia accipienda esse, docent Chrysost. August. Zeno Veronens. Hesychius, Lyta, Dionysius Carthus. Turrian. Genebrard. Horantius, Valentia, & alij apud Lorinum; & ex translatione Aquilæ apertè liquet, dum pro *sacrificium laudis*, reponit, εὐχαριστίαν, *Eucharistiam*, vt inibi monet Agellius. Sed in primis iuxta superiùs dicta obserua illud, *si esuriero*, accede ad Eucharistiam, vt manduces me; etenim potiùs videbatur dicendum, si esurieris, cura, vt me manduces: aut si de ænigmatica Christi fame sermo tādem fuerit, opportuniùs diceretur, si esuriero, præbe te mihi in cibum. Subsistit tamen pulchrè ea orationis series, quod Christus in Eucharistia non solùm conuiuium, sed conuiua potissimum sit; atque ideo appositè inquit, *si esuriero*, accede ad Eucharistiam, nimirum, vt te inibi in me ipsum traiiciam, & meam hoc modo famem restinguam. Iam pende illorum verborum emphasim, *non dicam tibi.* Qua ratione? *Nunquid manducabo carnes taurorum, aut sanguinem hircorum potabo?* Ac si diceret, belluinisne ego carnibus, siue ferinis peccatorum moribus vescar, immundosque cibos in meam substantiam conuertam? Absit, opus est enim, vt cibus mihi mundus, hoc est, peccato mortuus homo sit. Ita quidem esurienti Petro, & animantia oblata, & vox de cœlo insonuit, *occide, & manduca*, Actuum 10. 13. Vnde statim Eucharistiam immolationis phrasi peculiariter explicuit inquiens; *Immola Deo sacrificium laudis*: ac si diceret, quod Greg. *tunc verè pro nobis hostia erit Deo, cùm nosmetipsos hostiam fecerimus.* Quò quidem videtur respexisse sanctissimus ille Martyr Ignatius, cùm epist. ad Romanos dicebat: *Frumentum Christi sum, dentibus bestiarum molar, vt panis mundus inueniar.*

23. Capies hinc particulam historiæ, quam de muliere Samaritana refert Ioan. c. 4. 35. cùm, videlicet, Christus fame tunc, sitique pulsus, occasione aquę, quam ab ipsa petiit, diuina cognitione eius animū ita imbuit, vt peccatis, veterique vitæ renuntians, ad bonam frugem constanter se reciperet, vixque egregio hoc facinore peracto, discipuli, qui ad coëmendos cibos iuerant, sic eos Domino obtulerint: *Rabbi manduca.* Quibus ille: *Ego* (inquit) *cibum habeo manducare, quem vos nescitis.* Cùm verò illi adinuicem mussitarent: *Nunquid aliquis cibum ei attulit manducare?* ipse sic ænigmaticè respondit: *Nōne vos dicitis, quia adhuc quatuor menses sunt, & messis venit? Ecce dico vobis, leuate oculos, & videte regiones, quia albæ sunt ad messem.* Sed quî hæc cum superioribus hæreant, quidve cibo tunc necessario, cum futura messe commune? Crediderim, Dominum in eadem cibi ratiocinatione, siue translatione, atque imagine perseuerare, & dum se cum agricola messi proximo, intentisque oculis, & animo segetes ad maturitatem albicantes respectante; Samaritanam verò, reliquosque conciues ad Dei cognitionem, & amorem iam iam adducendos cum maturis spicis componit, non obscurè innuere, mulierem illam in escam, aptumque diuino gustui cibum idoneam, seu maturam eò vsque non fuisse, obstante maturitati, ac sapori culpa: at verò postquam ad Christi verba

Margin notes: Iob. 6. 6. | Psal. 49. 12. | Chrysost. August. Zeno Vero. Hesych. Lyra. Dionys. Turrian. Genebr. Horant. Valent. Lorin. Aquil. Agellius. | Actuum 10. 13. | Greg. | S. Ignatius Martyr. | Ioan. 4. 35.

verba peccatis fuerat mortua, & diuina charitate incaluerat, illam, cæterasque Samariæ gentes, quæ in eum erant credituræ, in suam escam tamquam opportunum cibum destinasse. Vnde consultò dixit, *cibum habeo manducare*; non verò manducaui iam, aut manduco; vt dicere videretur, tam multis sermonibus veluti sale, & condimento eò vsque opus fuisse, vt insipidus cibus, aptus & opportunus redderetur.
Bernard. Bene siquidem Berhard. *Cibus eius pœnitentia mea, cibus eius salus mea, cibus eius ego ipse. Mandor cùm arguor, glutior cùm instituor, decoquor cùm immutor, digeror cùm transformor, vnior cùm conformor.* Pulchrè verò, qui spiritualem, ac pretiosum cibum sibi ipsi parauerat, atque condierat, terrenum tunc cibum fastidiebat, quod multo suauior mentis, quàm ventris refectio fuerit.

24. At enim ea de causa, quod ij, qui ad Eucharistiam accedunt, à Christo manducētur, leones hosce, siue belluinis moribus homines ab Eucharistia signatissimè exterret Paulus 1. ad Corinth. 11. 27. inquiens:
1. ad Cor. 11. 27. *Quicumque manducauerit panem hunc, & biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis, & sanguis Domini. Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat*, &c. Quo in loco priùs pēdo verbum, *probo*, quod vt ad quodcūque examen referri soleat, ad ciborum tamē delectum, siue condimentum vsurpare Hispano præsertim idiomate consueuimus. Vnde cùm ea ciborum ratio sit, vt vel à condiendi, vel à scindendi obsonij magistris probentur, atque an bene conditi, an insulsi, & insipidi sint, examinentur, opportunè ipsosmet cōmunicaturos, vt seipsos probent, monet Paulus, quod Christi, nimirum, cibus ab ipso manducandus, & traiiciendus sint. Iam verò non immeritò ambigas, quare indignè manducāntes panem hunc, reos corporis, & sanguinis Christi, quasi illi vim intulerint, atque violauerint, forēsi vocabulo appellauit Apostolus;
Hierony. Cyprianus. sic enim loquuntur Hierony. & Cyprian. dū ille lib. 1. aduersus Iouinian. longè post principium hæc verba sic effert; *quem qui indignè comederit, reus erit violati corporis, & sanguinis Domini*: hic verò, cū serm. de lapsis, in eos, qui grauiū criminū labe maculata conscientia, nec contritione, ac pœnitentia expiata, ad Eucharistiam accedunt, dixisset: *Faucibus adhuc exhalantibus scelus suum, & contagia funesta redolentibus, Domini corpus inuadunt, spretis salutaribus monitis, atque contemptis*; subiicit: *vis infertur corpori, & sanguini Domini.*
S. Thom. Respondet S. Thom. in cōment. reū esse corporis, & sanguinis Domini, idem esse, ac si dicatur: *Mortis Domini pœnas dabit, hoc est, ac si Christum occiderit, punietur, secundum illud ad*
Ad Heb. 6. 6. *Hebr. 6. 6.* Rursum crucifigentes sibimetipsis Filium Dei, &c. Bene; sed quare? Addit aliquid Ambros. ideo reos corporis Christi dici, quod illud inaniter, & sine fructu sumant, ac proinde irritum reddere videantur; sic enim ille.
Ambros. *Quid est autem reos esse, nisi pœnas dare mortis Domini? Occisus est enim ab ijs, qui beneficiū eius irruū ducunt.* Similiter Theophylact.
Theophyl. *Reus erit, qui indignè sumit, perinde ac si ipse quoque sanguinem Domini effundat; vt enim qui tum pupugerunt Christum, sanguinem eius non vt biberent, effuderunt, verùm vt effunderent, sic indignè bibens, nihilque inde commodi referens, frustra, ac temerè profundit sanguinem.* At id non tam dixerim reum violati corporis Domini, quàm prodigum, & stultum tanti doni pensitatorem. Quare vim locutionis huius
Theodor. plusculum exprimens Theodor. inquit: *Hoc significat, quod quemadmodum tradidit ipsum Iudas, ipsi autem insultarunt, & eum probris, & conuicijs affecerunt Iudæi, ita eum ignominia, & dedecore afficiunt, qui sanctissimum eius corpus immundis manibus accipiunt, & in os pollutum, & incestum immittunt.* Verum enim verò opportuniùs reum corporis, & sanguinis Christi eum, qui panem hunc indignè manducat, dici crediderim, quod cùm à Christo sit manducandus venenum ipsi in cibum iniicere videatur. Quid aliud enim peccatum, quàm virus, venenúmque sit? Quo sensu opportunè capias Ambros. lib. 1. de Virgin. Ambros.
dicentem: *In proditore Dominus hoc grauissimum inuenit, quo eius cōdemnaret perfidiam, quod gratia vicem non repræsentauerit, & conuiuijs amicitiæ venenum malitiæ miscuerit.* Iuuat Græca vox, ἔνοχος, id est, *obnoxius*, quæ ostendit, nō aliter violati corporis, & fusi sanguinis crimini obnoxium esse, ac si reapse Christo mortem intulisset; ad eum modum, quo, dum venenum Regis cibo quis immiscet, etsi ob detectas fraudes incolumis ille euadat, hic tamen læsæ maiestatis reus habetur, & vt proditor punitur.

Quare notanter subdit Paulus, *iudicium sibi manducat, & bibit*: hoc est, ipse se damnat, & in semetipsum mortis sententiam profert, imò exequitur. 25.
Quò quidem ea Dauidis sub Domini persona verba Psal. 68. 23. *Et dederunt in escam meam fel, & in siti mea potauerunt me aceto. Fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum, & in retributiones, & in scandalum,* Psal. 68. 23.
spectare videntur: hanc enim mensam de Christi corpore, & sanguine nonnulli clarissimi auctores accipiunt, quibus adstipulatur ibi Agellius; vt sensus fuerit, diuinum hunc cibum iis, qui indignè sumunt, in laqueum esse, non aliter, ac cibus aui, aut belluæ in laqueo positus, qui mortem illi pro vita, & alimento affert; id quod in proditore Iuda, post acceptam Eucharistiam ad laqueum per proprios pedes currente, facilè videre est. Vnde de illo Paschas. lib. de corp. & sang. Dom. cap. 8. *Iudas donec buccellam acciperet, quamuis mente saucius, interdum tamen à Domini bonitate leniter, crebroque nunc cum alijs, nunc solus monetur: sed postquam indignus mystica præsumpsit, inuasit eum diabolus, & qui priùs nutabat, vt accepit, continuò foras exiuit.* Agellius. Paschas.
Explicatiùs Chrysost. hom. 27. in 1. ad Corinth. *Spiritualis hic cibus, si aliquem inuenit malitia inquinatum* (en virus) *magis eum perdit, non sua natura, sed accipientis vitio; tales enim sunt socij Iudæ proditoris, in quem post buccellam introiuit Satanas.* Chrysost.
Similiter August. tract. 26. in Ioan. *Buccella Dominica venenum fuit Iudæ.* Quare venenum? Augustinus.
Nimirum, quod ipse Iudas à Domino manducandus, malitia inquinatus, hoc est, veneno infectus accederet: etenim, vt ij, qui Eucharistiam dignè sumunt, sic vnum cum Christo fiunt, vt seipsos etiam sumant, vti vers. 7. adnot. 9. num. 6. de Eucharistiā dicebat Algerus: *Nam & nos corpus ipsius facti sumus, & misericordia ipsius, quod accipimus, nos sumus*; ita qui veneno infecti accedunt, seipsos etiam sumunt, Christo in illos porrectum sibi venenum reuomente. Alger.
Ita quidem signatè præfato loco Vates Eucharistiam indignè acceptam appellauit *mensam eorum*, siue, vt habet Lectio Tigurina, *mensa sua laqueus*: quod ipsomet virulento cibo, quem Christo apponunt, exsaturentur, & pereant. Lect. Tigur.
Ad quem sensum possis referre cum Ambr. in Psal. 21. illa verba de Christo, vers. 6. *Ego autem sum vermis, & non homo*: vt cœlestis hic cibus, vt iustis vita, ita indignè sumentibus vermis, & iudicium fit; sic enim ille: *Quem qui edere, aut manducare neglexerit, vitam in semetipso habere non poterit, sicut ipse Dominus ait*: Nisi quis manducauerit meam carnem, & biberit meum sanguinem, non habebit vitam in semetipso; *sed potiùs ipse cibus in iudicium conuertetur, sicut Apostolus dicit*: Qui māducat, & bibit indignè, iudicium sibi manducat. Ambros. Psal. 21. 6.
Quod filij Israel subtiliter prophetatum est in veteri Testamento. Manna enim illis Exod. 16. 20.

contra

cōtra diuina præcepta tractantibus vermes effecti sunt.

26. Cùm verò electri similitudinem (de qua Ezechiel) de Christo in Eucharistia initiò adnotationis acceperimus; minimè hîc omittendum putamus, quod de electo huic instituto opportunum tradit his verbis Plinius lib. 33. cap. 4. *Quod est natiuum, venena deprehendit. Namque discurrunt in calicibus arcus cœlestibus similes cum igneo stridore, & gemina ratione prædicunt.* Bene enim hunc stridorem Christo applicueris, cùm discipulis corpus suum distribuens venenum in Iuda deprehendens, *turbatus est spiritu*, (siue, vt habet lectio Syriaca *infremuit spiritu*) *& discumbentibus eis, & manducantibus illis protestatus est, & dixit: Amen, amen dico vobis, quia vnus ex vobis tradet me.* Ioan. 13. 21. Constat enim ex Luca, hæc immediatè post Eucharistiæ institutionem, dum illam discipulis communicaret, dicta fuisse: sic enim ille cap. 22. 19. *Et accepto pane gratias egit, & fregit, & dedit eis dicens: Hoc est corpus meum,* &c. *Verumtamen ecce manus tradentis me, mecum est in mensa.* Sanè quasi hoc miratum stridore proditorem à scelere absterreret, & ad pœnitentiam hortaretur, simulque asseueraret, cibum hunc illi exitialem futurum non sua natura, sed accipientis vitio: nisi mauis stridorem ipsum ad calicem, in quo venenum continetur, sic referre, vt stridere solet vas, cùm quassatur, & frangitur; quo sanè modo turpissimum illud vas striduit, cùm *suspensus crepuit medius, & diffusa sunt omnia viscera eius,* Actuum 1. 18. Sed de his satis; quæ enim ad charitatis, aliarúmque virtutum suauitatem, qua homo à Christo in Eucharistia manducandus, condiri debet, pertinent, alterius loci sunt.

Plin. — Lect. Syr. — Ioan. 13. 21. — Luc. 22. 19. — Act. 1. 18.

Ad ea verba: *In nomine Iesu omne genu flectatur.*

ADNOTATIO VI.

Debitam humilitatis retributionem, gloriam, & exaltationem esse.

QVo in hac creaturarum submissione, egregiáque in Iesum reuerentia, atque pietate adnotare placet. Alterum, proprium hoc humilitatis præmium esse, vt quo quis submissiùs se gesserit, eo sublimiùs ascendat & caput attollat: alterum, hac etiam de causa peculiare hoc creaturarum obsequium, & cultum, nomini IESV Paulum adscripsisse, vt innuat, tunc Deum suam celsitudinem, ac maiestatem maximè ostendere, & commendare, cùm sese hominibus IESVM, hoc est, Saluatorem exhibet; & hoc quidem ad sequentes adnotationes transmisso, modò ad debitam humilitatis Christi mercedem me totum conuerto.

1. Emphasim quidē illa Domini apud Isaiam c. 55. 9. verba habent: *Sicut exaltantur cœli à terra, sic exaltatæ sunt viæ meæ à vijs vestris, & cogitationes meæ à cogitationibus vestris:* siue, vt ex Hebræo legit Pagnin. *sicut altiores sunt cœli, quàm terra, sic altiores sunt viæ meæ, quàm viæ vestræ.* Dixerit enim non nemo, non nimis mirandum, altiores Dei, quàm hominum vias esse, cùm creator non tam iuxta cœli cardines, aut supra cœlorum verticem perambulet, quàm supra Cherubim ascendat, & super pennas ventorum indesinenter volet; creatura verò humi gradi, siue potiùs repere consuescat, & vt ille dixit;

Isai. 55. 9. — Pagnin.

Per vada reptabat, cœno subnixa tenaci. (Claud.)

Sed enim adeò è Dei sensu ea ratiocinatio, siue hęc præfati loci explicatio non est, vt qui oppositum dixisset, scopum apprimè collimasset; ideo, nimirū, Dominicas vias altiores, subliniores, & immensum in modum à nostris exaltatas esse, quod ipse humilitatem, & submissionem maximè coluerit, & qui altissimus, & gloriosissimus erat, formam serui accipiens, abiectus, & vt quiuis de plebe homo voluerit videri, & à summo cœlo egressus, non modò ad ima terræ, sed etiam ad inferna descenderit; homines autem ideo repentes, & terræ agglutinatos, quod cœlum temerario ausu conscendere, & super altitudinem nubium, ipsaque cœli astra exaltari, Altissimoque similes euadere, concupiscant; bene enim dixit non nemo,

Cœlum ipsum petimus stultitia. Horat.

Vel si diffidis, conijce oculos in Dei vnigenitum, in sinu Patris commorantem, necnon in primæuum illum cœli domiciliarium, Luciferum (& idem de primis Paradisi accolis, primis, inquam, parentibus, diuinam excelsitatem affectantibus, iudicium ferto) & quonam modo ad sui nominis claritatem, & exaltationem, non lento, sed citissimo gradu vterque contenderit, attentiùs considera. Hanc enim viam superbissimus ille Angelus sibi ineundam proponebat Isaiæ 14. 13. *In cœlum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum, sedebo in monte testamenti, in lateribus Aquilonis, ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo.* Contrà quidem Dei Filius, *qui cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo, humiliauit semetipsum, factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis.* Vidisti itineris diuersitatē, & ad gloriā quàm contrariam alter ab altero viam susceperit, dū Dei Filius descensu ad inferiora, Lucifer verò ad superiora ascensu; ille ad infima terræ sese deijciens, hic cœli suprema petens, ad exaltationem cōtenderet. Vter quæso scopum meliùs collimauit, & veræ altitudinis viam inuenit? Sanè de Lucifero, necnon de primo parente, similes Deo esse cupientibus, accurata locutione superiùs à nobis ad vers. 5. adnotat. 1. n. 2. expensa, dixit Ezechiel cap. 28. 16. *& peccasti*: hoc est, aberrasti, ab scopo, & à via rectoque itinere deflexisti: qui enim ad summum cœli voluisti conscendere, ad profundiora inferni deturbatus es. Sic enim subdit præfato loco Isaias: *Verumtamen ad infernum detraheris ad profundum laci*; de Christo verò Paulus: *Propter quod & Deus exaltauit* (siue, vt ex Græco vidimus, *superexaltauit*) *illum, & donauit illi nomen, quod est super omne nomen, vt in nomine Iesu omne genu flectatur,* &c. Bernardo hæc sub hoc sensu sic opportunissimè premente serm. 2. de Ascensione: *Christus, cùm per naturam diuinitatis non haberet, quo cresceret, vel ascenderet, quia vltra Deum nihil est; per descensum, quomodo cresceret, inuenit, veniens incarnari, pati, mori, ne moreremur æternum.* Propter quod & Deus exaltauit illum, *quia resurrexit, ascendit, sedet ad dexteram Dei.* Subdit statim: *Vade, & tu fac similiter.* Ad quem modum Eusebius Gallicanus, siue Eucherius Lugdunēsis hom. 2. de Symbolo dicebat: *Humiliauit semetipsum factus est obediens vsque ad mortem, vt sublimior appareret, & Angelis, & hominibus inclinata sublimitas.* Nec me tempero, quin hoc in loco hæc quæ ex Plinio Iuniore in Panegyrico alibi scripsi, rursus repetam: *Nam, cui nihil ad augendum fastigium superest, hic vno modo crescere potest, si se ipse submittat securus magnitudinis suæ; nec enim ab vllo periculo fortuna Principis longius abest, quàm humilitatis.* Ita ille. Similem huic conficit Chrysostomus discursum serm. 7. in hanc Epist. Pauli

Isaiæ 14. 13. — Ad Philip. 2. 7. — Ezec. 28. 16. — Isaiæ 14. 15. — Bernard. — Euseb. — Plin.

Pauli gloriam, & Satanæ ignominiam, ex illius humilitate, & huius elatione scitè erués, hûc in modû: *Verumtamen ipsam quoque rei naturam perpendamus. Quid est humiliari? an non vituperari? an non accusari, & calumnijs peti? Quid verò exaltari? nonne honorari, laudari, in magna gloria esse. Videamus igitur, quomodo ad hæc perueniatur. Angelus erat Satan, seipsum exaltauit. Quid igitur? nonne omnium maximè est humiliatus? nonne sedes ipsius terra est? nonne ab omnibus accusatur, omniumque criminationi patet? Homo erat Paulus, humiliauit seipsum. Quid igitur? an non suscipitur? an non laudibus, atque encomijs celebratur? an non Christi amicus est? an non maiora illis edidit, quæ Christus fecerat? an non sæpe diabolo, tamquam mancipio imperauit? an non veluti lictorem circumduxit? an non ludibrio habuit? an non contritum illius caput suis subiecit pedibus? an non alijs etiam hoc idem magna cum confidentia à Deo precatus est?* Hæc Chrysost. Similia habet Bernard. ser. de donis Spiritus sancti c. 2.

Chrysost.

2\. Sed vt ad Dei Filium redeam, magna quidem humilitatis vis, atque efficacia, magna omnino illius merces, & gloria, quæ immensæ Dei magnitudini augmentum, & incircumscripto lumini peculiarem claritatem, atque splendorem quodammodo potuerit inferre. Quid? nonne & ante sæcula Patris splendor erat, qui ex vtero ante luciferum genitus? nonne illi cœlum sedes, & thronus eius sinus Patris? Nã *thronus tuus Deus in seculũ seculi*, ad Heb. 1. 8. Cur ergo in nomine eius, qui sapientia, & potestas Patris est, non flectebatur omne genu? Nimirum, quod hæc tam insignis exaltatio non tam potentiæ, quàm humilitatis destinata merces, & præmium esset, cùm humiliationi, & demissioni optimo merito gloria, & exaltatio respondeat. Sed id accipe ab Ambrosio serm. 14. in Psal. 118. vbi versans hunc Pauli locum, in quo sumus, sic elegantissimè loquitur. *Considera, ô homo, quid legas; non laborauit Apostolus potentiam Christi probare, sed obedientiam prædicare, sed demonstrare, quanta sit humilitatis gratia, quantus eius profectus. Si simplicibus accipias auribus, & Christum exaltauit, sed Christus non quæ sua, sed quæ tua erant, illa humilitate quærebat.* Ego, *inquit*, si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum. *Accipe ergo argutis auribus; moraliter tibi proficis, mysticè tuam redimis salutem, quomodo vis intellige: salus est tua; si putas, quod Christo profuit humilitas sua, cui ergo non proderit? Si illum exaltauit, quem non augebit? factus est minister omnium Dominus, & auctor omnium vapulauit, pedes lauit, crucifixus, mortuus est: sed in his omnibus detrimentum nullum video diuinitatis eius; profectum operationis eius agnosco, qui nihil habebat, quod ad potestatem suam adderet, habuit quod ad cultum suæ maiestatis adiungeret.* Hæc Ambrosius. Obserua illud, *profectum operationis eius agnosco*. Bene omnino, quod egregia humilitate, nominis sui in toto terrarum orbe claritatem, & gloriam fuerit Christus promeritus, & quasi de nouo elucratus.

Ad Heb. 1. 8.

Ambrof.

3\. Accinit huic cogitationi Hilarius in id Psal. 118. *Humiliatus sum vsquequaque*; animosè affirmans, opportuniorem Dei Filio ad nominis sui claritatem, & gloriam assequendam, crucis humilitatem, & ignominiam, quàm cœlorum, terrarúmque creationem fuisse. Audi illum, vt diuinæ eloquentiæ Rhodanum (quo eum nomine compellat Hieronymus) ab hac Christi humilitate in gloriosam eius nominis claritatem aurea oratione sic influentem: *Erat in forma Dei, nihilque ei ex eius gloria deerat, in cuius forma manebat, sed formam serui per humilitatem accepit, & habitu vt homo repertus est, humilians se per obedientiam vsque ad mortem, nec solum vsque ad mortem, sed vsque ad mortem crucis. Cœlum ex præcepto Dei ipse formauit, mundum ex paterno iussu in hanc speciem tanti decoris ornauit, terram, & quæ in ea sunt, creauit, sed nunquid ob illa meruit hominem assumptum in æterni Patris gloria collocare? Humilitatis hoc præmium est, humilitatis hæc merces est, vt qui manens antea in forma Dei, esset forma serui deinceps effectus, & manens in forma Dei, & effectus in forma serui, confessione cœlestium, terrestrium, & infernorum esse in Dei Patris gloria nosceretur.* Hactenus Hilarius, Ambrosio sic iterum superiori loco probatus. *Audeo dicere, operationis suæ munus amiserat, nisi id humilitas recepisset: itaque nos quidem redemit, sibi etiam adquisiuit; suscepi quem nesciebam; agnoui, quem non cognoscebam; confiteor, quem negabam; ipsi genu corporis flecto, ipsum adoro, quem antea fugiebam.* O egregium humilitatis fructum! ô iustissimam retributionem! *Audeo dicere* (inquit Ambrosius) *operationis suæ munus amiserat, nisi id humilitas recepisset*: nimirum cœlum ex præcepto Dei ipse formauerat; mundum ex paterno iussu in hanc speciem tanti decoris ornauerat; terram, & quæ in ea sunt, creauerat, nec tamen ipsi genu terrestria incuruabant, donec humilians semetipsum, factusque obediens vsque ad mortem, tot tantarumque operationum quasi amissum munus recepit, & in eiusdem nomine omne genu cœlestium, terrestrium, & infernorum inflectitur.

Hilar.

Vellaz q. in Epist. ad Philippens.

4\. Sed & illis Psal. 118. 153. verbis; *Vide humilitatem meam*, quæ prophetico ore sub Christi persona dicta censet, sic inibi hæc aptat Ambrosius serm. 20. *Bona humilitas, quæ nihil appetendo, totum, quod contemnit, adipiscitur: ipse enim Dominus Iesus se humiliauit, vt nos eleuaret, & humiliauit vsque ad crucem; propter quod exaltauit illum, inquit, Deus, vt in nomine eius omne genu flectatur. Quanta fecit Dominus; audeo dicere, & non flexi ei genu? Sed flexi ei, postquam se humiliauit; sic enim, hoc est, per humilitatem, per crucem sibi Ecclesiam congregauit.* Sed cur non audeat hæc asserere Ambrosius, cùm & nos quotidie, tam asserere, quàm executioni mandare audeamus? Sanè in Missarum solemniis, etsi Dei Filium Deum de Deo, lumen de lumine, consubstantialem Patri, & per quem omnia facta sunt, audiamus, genu tamen non ideo flectimus: sed enim eũ ipsum hominem factum nostris auribus insonat, & capita submittimus, & genua reuerẽter, libenterq; curuamus; quod huic Filij Dei humiliationi omnimoda nostra subiectio, atque submissio ex æquo respondeat. Ita Stephanus Cantuariensis in allegoriis Gotfridi Tilmani ad cap. 13. Oseæ. *Inde est* (inquit) *quod, cùm ventum est ad illum locum Symboli*, & homo factus est, *flectimus genua, quia illud specialiter nos prouocat ad amorem*. Ita ille. Vt vel hinc obiter intelligas, cur Dominus exaltationis nostræ cupidissimus sic nos fuerit adhortatus Matth. 11. 29. *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde*; hoc est (vt inquit Augustinus serm. 10. de verbis Domini) *Discite à me, non mundum fabricare, aut cuncta visibilia, & inuisibilia creare, vel in ipso mundo mirabilia facere, & mortuos suscitare, sed quia mitis sum, & humilis corde.* Nimirum sciebat ipse, id nobis omnibus vtilissimum, & expedientissimum fore, quodque sibi splendidiorem gloriam, quàm cœlorum formatio, & mundi constitutio, erat allaturum; quasi diceret: humilitatem vobis suadeo, excelsitatem non suadeo, quod fructuosior humilitas, multoque gloriosior, quàm excelsitas, & potentia sit. Vnde quidem Ambrof. siue Maximus, serm. de Sancto Michaële, in ea

Psal. 118. 153.

Ambrof.

Steph. Cant.

Matt. 11. 29.

Maxim.

verba Matthæi 18. *Quicumque humiliauerit se sicut paruulus iste, hic maior est in regno cælorum*, non sine allusione ad hæc dicebat: *Vnde intelligimus, quod humilitate peruenitur ad regnum, simplicitate penetratur ad cælum. Quisquis ergo cupit diuinitatis tenere fastigia, humilitatis vna sectetur.* Sic ille.

5. Iam verò vt humilitati exaltatio, & gloria tamquam propria, ac debita merces subest: ita quidem superbiæ digna, ac iusta retributio in insigni deiectione, ac præcipitio, & ignominia censetur. Ita Lucifero super astra Dei conscendere ambienti signatissimè dicitur: *Verumtamen ad infernum detraheris*
Isai.14.15. *in profundum laci*, Isaiæ 14.15. ac si dicatur, summæ ambitioni non aliam nisi summam ignominiam respondere, superbiamque grauiter cadere, & in profundum dedecoris, & infamiæ præcipitari; ita ad ea
Aelred. verba adnotante Venerabili Aelredo in allegoriis Gotfrid. Tilmani: *Digna retributio, vt qui cælũ voluit elatus ascendere, in infernum trahatur inuitus; nec ad quamlibet partem inferni, sed qui cæli summa petebat, ad ima descendat inferni.* Nec minori emphasi hunc
Luc.10.18. Satanæ casum explicuit Dominus, cũ Lucæ 10.18. dixit: *Videbam Satanam sicut fulgur de cælo cadentem.* Vbi, quod bene adnotauit Maldonatus, similitudo non ponitur in splendore, quasi cùm antè Satanas splendidus sicut fulgur esset, à luce tamen in tenebras ceciderit; sed potiùs in casu, atque ruina, vt sit sensus: videbam Satanam grauissimè, & magno impetu & vi, sicut cadere solet fulgur, cadentem, atque deiectum. Iam verò quàm aliter fulgur, ac alia, quæ decidunt, ad casum detur, facile est videre: cadit enim grando, & vix terram pertingit, cùm resilit, atque resultat; cadit pluuia, & sese in terra imbibit, ad illam ad palmum vix penetrat; cadit verò fulgur, nec sistit, quin ad inferiora terræ perueniat,
Beda. & in profundum demergatur. Quæ Beda ibi sic breuiter perstrinxit: *Præcipitem de supernis ad ima*
Greg. Magn. *lapsum significat.* Nec ab hoc it Greg. Magn. in Catena S. Thomę inquiens: *Mirè autem Dominus, vt in discipulorum cordibus elationem premeret, inductum ruinæ detulit, quod ipse magister elationis accepit, vt in auctore superbiæ discerent, quid de elationis vitio formidarent*: grauissimum, nimirum, & ignominiæ plenum eius casum esse.

6. Quem etiam gustum, tum ea verba habent, quæ
Luca 10.15. paulo antè in Luca, verf. 15. & Matth. 11.23. dixe-
Matt.11.23. rat Dominus: *Et tu Capharnaum, vsque ad cælos exaltata, vsque ad infernum demergeris*; siue, vt Græcè, & Syriacè est, *deprimeris*. Illud enim, *vsque ad cælos exaltata*, bene sic explicatur à Beda, *per superbiam, scilicet*, vt dum ipsa sese super nubes, & ad cœlum eleuabat, in iustam superbiæ retributionem nõ minus, quàm in inferna demergi dicatur. Ita Theo-
Theophy. phyl. in verba apud Matthæum hunc in modum: *Quoniam autem Capharnaum interpretatur quis potest agrum consolationis; vide quod si quis mereatur fieri ager Spiritus Paracleti, & deinde sublime sapiat, & exaltetur vsque in cælum, ita corruet quoque per superbiam. Horrescas igitur homo.* Nec omittenda est emphasis verbi, *demergo*, ad casus, siue ruinæ grauitatẽ indicandam peropportuna, dum ex illo obrui, siue in profundum abdi aliquid dicitur: tum hæc apud
Isai.3.17. Isaiam c. 3. 17. *Pro eo quod eleuatæ sunt filiæ Sion, & ambulauerunt extento collo*, &c. *Decaluabit Dominus verticem filiarum Sion.* Nam emphaticè superborum vertex à Vate decaluandus asseritur, quod ille sit superbiæ sedes, quam semper ascendere inquit Da-
Psal.73.23. uid Psal. 73.23. vt in eo superbus supplicio afficiatur, in quo ipse maximè gloriabatur. Quare hæc Isaiæ verba cum infami illius Iezabelis exitu, dum ad sepulturam cadauer eius perquisitum, *non inuenerunt nisi caluariam, & pedes, & summas manus*, 4.
Reg. 9.35. sic acutè componit Vener. Drogo ferm. 4. Reg. 9.35.
de Domin. Pass. Sacram. *Hæc sanè est impiorum se-* Drogo.
pultura, hæc digna retributio, quod ex eis non nisi manuum summitates (hoc est, *operum vix extrema vestigia*) *remanent, & caluaries, quæ fuerat locus superbiæ spoliatus capillorum gloria*, quia vidi impium superexaltatum sicut Cedros Libani, & transiui, & ecce non erat. *Hæc est caluaries Iezabel, quæ vestita erat decore meretricio, & perunxerat oculos suos stibio. Decaluatus est superbiæ vertex; non est qui iam dignetur aspicere, nisi qui voluerit nefas eius abhorrere, vt lauet manus suas in sanguine peccatoris, & velut equus fortis, & velox, meretricem proiectam vngula sua confodiat, & conculcet, & prætereat.* Huc refero superbi illius diuitis nomẽ, de quo ait Luc. c. 16. 19. *Homo qui-* Luc.16.19.
dam, erat diues, qui induebatur purpura, & bysso, do industria à Christo silẽtio fuisse oppressũ; cùm tamen pauper Lazarus proprio de nomine appelletur, ne, videlicet, vlla elati & superbi hominis remaneret memoria, sed perpetuæ obliuioni mandaretur; id hunc in modũ obseruãte Greg. in Catena S. Thom. Gregor.
Notandum etiam est, quia in populo plus solent nomina diuitum, quàm pauperum sciri. Dominus autem nomen pauperis dicit, & nomen diuitis non dicit, quia Deus humiles nouit, atq; approbat, superbos ignorat. Vide quod de auctoribus septem miraculorum orbis, ex Plinio lib. 36. cap. 12. diximus ad c. 1. verf. 11. adnotat. 2. num. 18.

Sed cur humilitati non quæuis, nisi suprema 7.
exaltatio; superbiæ verò non alia, quàm summa deiectio, & ad ima descensus debeatur, vt examinare iucundum, ita rationẽ ex visceribus causæ petitam reddere, haud erit difficile. Sanè quod ea humilitatis natura sit, vt non modò altiora non ambiat, sed eosmet honoris, & dignitatis debitos sibi gradus à se repellat, atque dimittat, vt ad hæc in quibus sumus Pauli verba; *Propter quod & Deus exaltauit illum*, sic opportunè monuit Ambrosius. *Quid, &* Ambros.
quantum humilitas mereatur ostẽdit, vt magis hanc appeteremus calcata iactantia, &c. *Hæc est ergo humilitas, si sibi quis nec quod deberi nouit, defendat; denique, Pharisæus ille vera de se dicens exaltasse dictus est, ac per hoc humiliatus est. Christus autem plus fecit, qui cũ Deus sit, caro factus hominibus se inclinauit.* Similiter superbus multo plus quàm ei debeatur, arrogare sibi velit. Ita de illo elegantissimè dixit Iob c. 20. 7. *Si* Iob.20.7.
ascenderit in cælum superbia, & caput eius nubes tetigerit: accurata locutionis serie indicans, superbum adeò seipsum efferre, sibique plus iusto arrogare, vt cùm vix capite ad nubes perueniat, elatione tamen, & vanissimis spiritibus cœlum ipsum se attingere præsumat: ac si dicat, cùm caput eius nubes tantùm reapse pertingat, ipse cœlum pulsare existimat, vt quantùm cœlum à nubibus distat, & exaltatur, tantùm se sibi ille arroget, & mendaciter attribuat. Vnde quidem rationi maximè videtur consentaneum, humili multo plura liberaliter conferre, quàm ipse sibi per animi demissionem ademerat; superbo illa etiam auferre, quæ sua erant; atque eum illi casum, & prolapsionem instuere, qui elationi iusta proportione respondeat, vt qui capite ad nubes pertingens, cœlum ipsum se pulsare iactabat, non à nubibus, hoc est, à propria statura, sed à cœlo, id est, à suismet cogitationibus, quo altiùs cadat, & peiùs collidatur, deturbetur. Quam quidem emphasim inesse dixeris illis Domini verbis Matthæi 11.25. *Confiteor tibi Pater Domine cœ-* Matt.11.25.
li, & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus, & prudentibus sæculi, & reuelasti ea paruulis: cùm Græcum verbum, ἐξομολογοῦμαι, pro quo noster posuit, Lect. Græc.

cauit

confiteor, vt alibi monui, propriè significet, *cum gratiarum actione suffragium fero*: vt dicere videatur sapientia Dei, maximæ æquitatis, & prudentiæ opus fuisse, & iis qui maximè sapientes sibi videbantur, suaque arrogantia, ac tumore humilitatis disciplinam abiiciebant, cœlestis regni mysteria retrahere, & hæc illis reuelare, qui sese paruulos per modestiam, & humilitaté profitebátur. Ita inibi de superbis Theophylact. *Occultauit mysteria Deus ab his qui videntur esse sapientes, nō vt inuidens, vel vt auctor imperitiæ, sed ideo quod non erant digni, propter hoc quod videbantur esse sapientes.* De humilibus verò Beda: *Sapientibus, & prudētibus non insipientes, & hebetes, sed paruulos, id est, humiles opposuit, vt probaret, se tumorem damnasse, non acumen.* Sic ille. Sed hanc de superborum lapsu cogitationem à Regis Psaltis pharetra deprómptam videas Psal. 5. 11. cùm de superbis Absalon, & Achitophel inquit: *Decidant à cogitationibus suis.* Non enim sic id videtur capiendum, ac si dicatur; mulcta eos, ne quod cogitarunt, valeāt perficere, sed potiùs vt sit sensus; sic decidant, vt lapsus superbiæ, ac vanitati eorum respondeat, vt nimirum, dū à temerariis ausis excidunt, nō aliter, ac qui ab altiori præcipitio proturbātur, peiùs collidātur.

Theophyl.

Psal. 5. 11.

8. Ille verò signatissimus huic rei locus est Lucæ 1. 52. vbi cœlestis, & diuina Psaltrix modulata oratione, & sensu cecinit; *Deposuit potentes de sede, & exaltauit humiles*: hoc est, quod potentes sese plus iusto efferrent; pauperes verò demissè de se sentirent, ac Dei beneficiis indignos se existimarent, hi exaltati, illi è sede depositi ac deturbati sunt. Ita Cyril. in Catena S. Thom. *Magna sapiebāt dæmones, & diabolus, Gentilium sapientes, Pharisæi, & Scribæ, hos tamen deposuit, erexitque humiliantes se sub potenti manu Dei.* Enucleatiùs Greg. Thaumaturg. serm. 2. in Annunciatione, ad hunc modum: *Iudæorum enim Seniores, ac Scribæ in lege, & qui in reliquis prærogatiuis, ac priuilegiis diuites erant, quod malè suis diuitiis, & potentiis vsi essent, hinc eos ab omni sedè deposuit, prophetiæ, nimirum ac Sacerdotii, legislaturæ, atque doctrinæ, opulentiæ hereditariæ, sacrificiorum, ac festiuitatum copis, dignitatisque regiæ. His omnibus illi spoliati, profugi, ac nudi in captiuitatem eiecti sunt, & illorum loco humiles, qui ex gentibus populi iustitiam esuriebant, exaltati sunt. Quoniam humilitatem suam, & diuinæ cognitionis famem, qua detinebantur, ostendentes, diuinum verbum, sicut Chananæa micas, deprecabantur.* Pende illud, *quod malè suis diuitiis, & potentiis vsi essent*, inaniter, videlicet, & superbè se efferendo: deinde nota, id humilibus maximè profuisse, quod ad modum Chananeæ, non tam homines, quàm catellos sese nuncuparent, & micas humiliter exposcerent. Sic enim Christo obiicienti: *Non est bonum sumere panem filiorum, & dare canibus*; ipsa dicebat: *Etiam Domine, nam & catelli edunt de micis, quæ cadunt de mensa dominorum suorum*, Matthæi 15. 27. Contrà quidem superbissimo illi Nabuchodonosori accidit, qui cùm ex homine Deum se confingeret, in belluam commutatus est, Daniel. 4. 30. Ad qué locum Theodoret. *Itaque bellè in istum Regem quadrat illud Dauidis:* Homo cùm in honore esset, non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis.

Greg. Thaumat.

Matt. 15. 27.

Dan 4. 30.
Theodor.

9. Hinc quidem & Pharisæi humiliatio, & exaltatio Publicani ortum habuit, dum ille sese eleuare, & super Publicanum efferre gestiebat; hic verò quasi Dei conspectu omnino indignus, nec oculos in cœlum leuare audebat, Lucæ 18. 13. Sic enim cum vtroque se Deus gessit, vt tantùm Publicanum extulerit, ipsumque eleuauerit, quantùm ipse sese deiiciebat; à Pharisæo verò, quę habebat abstulerit, quod Publicanum cōtempserit. Ita enim Dominus: *Descendit hic iustificatus in domum suam ab illo.* Quare? Audi Hilar. in Psal. 14. *Publicanus misericordiam Dei, peccati confessione promeruit: Pharisæus vero honorem eorum, quæ de se proferebat, per insolentiam opprobrij amisit.* Luculētiùs Beda: *Quorum vnus superbiendo decessit humiliatus: alter lamentando appropinquare meruit exaltatus.* Hac sanè ratione magnis viris, excelsa loca occupantibus, id monitum dabat Ecclesiasticus cap. 3. 20. *Quanto magnus es, humilia te in omnibus, & coram Deo inuenies gratiam.* In quæ verba Venerab. Balduin. in allegoriis Gotfrid. Tilmani: *Humilitas* (inquit) *sine honore, ipsa sufficit ad honorem, honor verò sine humilitate se perducit ad confusionem.* Similiter Auctor libri de modo bene viuendi, apud Bernard. ser. 39. premens hunc locum: *Si humilitatem tenueris, habebis gloriam. Quanto enim humilior fueris, tāto te maior sequetur gloriæ altitudo. Descende, vt ascendas, humiliare, vt exalteris, ne exaltata humilieris, quia* qui se exaltat, humiliabitur; & qui se humiliat, exaltabitur. *Qui enim extollitur, humiliabitur; de excelso grauior casus est; de alto maior ruina est; Humilitas casum nescit: humilitas casum non nouit: humilitas ruinam numquam incurrit: humilitas lapsum numquam passa est.* Sic ille. Ipsemet verò Bernard. serm. 2. de Ascensione, hæc ita firmat: *Propterea dilectissimi perseuerate in disciplina, quam suscepistis; vt per humilitatem ad sublimitatem ascendatis, quia hæc est via, & non est alia præter ipsam. Qui aliter vadit, cadit potiùs, quàm ascendit, quia sola est humilitas, quæ exaltat, sola quæ ducit ad vitam.* Hæc Bernardus.

Luca 18. 13.

Hilar.

Beda.

Eccl 3. 20.

Balduin.

Bernard.

Accinit his Iob c. 5. 7. inquiens: *Homo nascitur ad laborem, & auis ad volatum*; vbi Pagninus legit, *& scintillæ* (Vatabl. *filii carbonis*) *eleuabunt volatū*, Chaldæus verò, *eleuabunt se, ac si volarent*: vt sententia sit, hominem ex Dei præscripto labori, & humilitati, nō secus, ac bouem, vt colla iugo subiiciat, esse destinatum; superbos verò laboris impatientes, humilitatis à se iugū excutere, nec pedibus incedere, sed super aliorū capita, ac si alas haberent, velle volitare. Quis verò consilij huius exitus esse soleat, in Simonis Magi historia velut in imagine viuaci penicillo depicta facilè conspicitur: quam quidem cùm his verbis retulisset Ambr. serm 66. *Cum enim Simon se Christum diceret, & tāquam Filium ad Patrē assereret volando se posse conscendere, atque elatus subitò magicis artibus volare cœpisset, tunc Petrus fixis genibus precatus est Dominum; & precatione sancta vicit magicam leuitatem. Prior enim ascendit in cœlum ad Dominum oratio, quàm volatus, & antè peruenit iusta petitio, quam iniusta præsumptio. Tunc igitur Petrus velut victum illum de sublimi aere deposuit, & quodā præcipitio in saxum illidens eius crura confregit*; subiicit sapienter: *& hoc in opprobrium facti illius, vt qui paulo antè volare tentauerat, subitò ambulare non posset, & qui pēnas assumpserat, plātas amitteret.* Vides filium carbonis eleuantem se, ac si volaret: postmodum verò repentem, ac si pedes non haberet? Caue ergo, ne tibi simile eueniat: sunt enim volandi, sunt & cadendi plures modi. Audi Bernard. in declamationibus: *Age ergo, quoniam iudicium graue his qui præsunt, fiet, & potentes potenter tormenta patientur; ascendat superbia tua semper, sequere Regem tuum, omne sublime videant oculi tui, festina multiplicare prebendas: inde ad Archidiaconatum aduola, demum adspira ad Episcopatum, ne ibi quidem requiem habuurus; quoniam sic itur ad astra. Quò progrederis miser? An vt ab altiori gradu sit casus grauior? Neque enim sic paulatim decides, sed tamquam fulgur in impetu vehementi, quasi alter Satanas subitò deiicieris.* Hæc Bernardus.

10.

Iob. 5 7.
Pagnin.
Vatabl.
Chaldæus.

Ambros.

Bernard.

Vellaz. in Epist. ad Philippens.

Yy 2 Ne

31. Ne verò ad Ecclesiæ ministros id solummodo
cum Bernardo retuleris, adspicito Saülem tempo-
ralis regni stabilitate, & successione spoliatú, quod
ad Sacerdotale munus eleuauerit volatum; hæc illi
1.Reg.13.13. denunciante Samuële 1.Reg.13.13. *Quod si nō fe-
cisses, iam nunc præparasset Dominus regnum tuum su-
per Israël in sempiternum. Sed nequaquam regnū tuum
Chrysolog. vltrà consurget;* & Chrysologo hunc in modum elu-
cidante serm.109. *Saül tremens regali vertice, dum pu-
tat sibi & de Sacerdotio quid licere, regnum quod acce-
perat, altaris temerator amisit.* Ita ibi, nec aliter de
Idem. Herode idemmet serm.152. inquiens: *In altum ten-
dens cadit ab alto; cælum pulsans, intrat profundum. O
ambitio quàm cæca semper! ò quàm semper præsumptio
pessima! ò quàm perdit concessa, qui inconcessa captat!*
Hæc Chrysol. Concludo, si hac etiam de causa hu-
mani generis prædam è mali dæmonis manibus
fuisse extortam, quod ipse homines capere, & suo
iure subiicere solitus, Dei etiam Filium sibi adscri-
bere, & velut vnum è mortalibus neci destinare
præsumpserit, ex Hilario Arelatensi, siue Eusebio
Gallicano ostenderim; sic enim ille hom.4. de Pa-
Hil. Arel. schate: *Nam cùm se homo illi vendidisset, sicut ait:* pec-
catis vestris venditi estis, *& per peccati commercium
solus illi homo deberetur; ille Deum consuetudinaria præ-
sumptione deceptus appetijt, & dum occidit, liberum
amisit obnoxium; perdidit ius suum, dum inuadit homi-
nem non suum.* Sic Hilarius Arelatensis.

Ad ea verba: *In nomine Iesu.*

ADNOTATIO VII.

Christum Iesum, viuam Saluatoris Dei, siue diuinæ bonitatis imaginem esse.

1. RVrsvs in nomine Iesv tantisper immoran-
dum, vt ipsum Dei Filio vndequaque quadra-
re; eumque summi Patris, qui *Deus* est *saluos facien-
Psal.67.21. di*, Psal.67.21. adeò germanam prolem esse, vt me-
Ambros. ritò dixerit Ambros. lib. de fide cont. Arian. cap.4.
Quid est enim Filius de eo, quod Pater est? Aliud idem:
dilucidè ostendamus. Quare ea, quæ diximus ad
cap.1. vers.2. adnotat. 2. de Dei natura summè ad
benefaciendum prona, relegere, & cum iis, quæ
modò dicēda sunt, componere, operæpretium erit.
Et verò, vt ibi num.13, & 14. Deum ad opem ho-
mini ferendam anhelantem, & de ipsius salute pri-
mùm sollicitum, & quasi æstuantem, deinde recrea-
tum, atque gaudentem vidimus; itidem Christum
iam æstuantem, atque anhelantem, iam refrigera-
tum, & exhilaratum possis intueri. Quid enim por-
tendat, siue Dei in rubo ardenti visio Moysi oculis
Exod.3.2. proposita, Exod.3.2. siue illa electri similitudo igne
Ezech.1.4. succensa, Ezech.1.4. quàm Dei Filium, qui *aliud
idem quod Pater est*, pro nostra salute acutissimis cu-
rarum spinis, æstuique veluti obnoxium? Quare
cùm de ipsius ad terras aduentu, ad salutem homini
dandam actum est; missusque ad Virginem Ange-
lus, vt ea de re certior reddita suum etiam præbe-
Prou.25.13. ret assensum, bene illi aptaueris illud Prouerb.25.
13. vbi Salomon eum, qui nuntium super re graui
missum expectat, curis iactatum, desiderioque fer-
uentem, sic opportunè facit: *Sicut frigus niuis in die
messis, sic legatus fidelis ei, qui misit illum, animam eius
requiescere facit.* Sed id etiam pro hac re indidem
obserues, vix Angelum ab æthereis sedibus ad In-
carnationis nuntium ferendum dimissum, ad Vir-
ginis penetrale peruenisse, (& quidem minimè se-
gnem sese exhibuisse, ipsa eius natura, & munus
suadet, facit enim Deus Angelos suos spiritus, &
ministros suos flammam ignis, ad Hebr.1.7.) cùm Ad Hebr.1.7.
iam ibi Dei Filium humanæ salutis rem maturan-
tem, qui cursu Angelum anteuertisset (nouit lector
figuratè hæc esse accipienda) inuenerit; id sic con-
siderante Bernardo serm.54. in Cant. *Bonus planè,* Bernard.
*qui spiritu alacer, charitate feruens, pietate deuotus non
solùm salit in montibus, sed & transilit colles, id est, su-
perat, & vincit alacritate ministrādi, vtpote quem vn-
xit Deus Deus suus oleo lætitiæ præ consortibus suis. In
quo vtique singulariter exultauit vt gigas ad currēdam
viam; denique transilijt Gabrielem, & peruēnit ad Vir-
ginem, eodem Archangelo testante, cùm ait:* Aue gratia
plena, Dominus tecum. *Quid? quem modò reliquisti
in cælo, modò in vtero reperis. Quonam modo? Volauit,
& præuolauit super pennas ventorū. Victus es ò Archā-
gele, transilijt te, qui præmisit te.* Hæc Bernard. Quod
si ipsum iam recreatum, refrigeratumque videre
velis, adi Ezechielem cap.9.2. vbi inter sex viros
securibus armatos ad vindictam de peccatoribus
sumendam, virum vnum, Dei, videlicet, Filium, vt
inibi Prado, & meliores interpretes explicant, ad Prado.
vindicandos à cæde innocentes, qui sese medium
interponeret, & diuinæ Iustitiæ in homines gras-
santi obsisteret, sic inducit; *Vir quoque vnus in me-* Ezech.9.2.
dio eorum vestitus erat lineis. Sed obserua ex Cyrillo Cyril. Alex.
Alexandr. duo de veste linea ad rem hanc valdè
opportuna. Alterum, humanæ naturæ typum esse:
sic enim ille libro 9. in Leuitic. *Volens Dominus, ac
Saluator meus ad quod in terram ierat, resuscitare, ter-
renum suscipit corpus, vt id eleuatum de terra, porta-
ret in cælum; & huius mysterij tenet figuram, quod in
lege scriptum est, vt linea tunica Pontifex induatur.*
Alterum, eam huius lineæ vestis naturam esse, vt Idem.
ardentia membra reficiat, atque refrigeret: ait nam-
que ipsemet lib.11. de Sacerdotio *linea vestis frigida
est.* En ergo Dei Filium, cuius priùs animum ignis,
& spinæ exedere videbantur, assumpta iam carne
recreatum, & refrigeratum.

Iam verò, vt inibi num.16. & 17. de Deo ex Da- 2.
uide dicebamus, esse Deum ad salutes, quod totus
in salute hominibus exoptanda, procuranda, adhi-
benda versetur, atque ad omnem illi opem feren-
dam eius potentia inuigilet, & indefessas excubias
agat, siue etiam quod in salute hominibus danda
totas Deitatis vires exerceat; ita prorsus à primo ad
vltimum vitæ instans Christum videris Deum to-
tum ad salutes, qui quidquid sublime, & excellens,
quidquid forte, & potentia subnixum, quidquid
magnificum, & illustre, quà Dei Filius, & Deus ha-
bebat, totum in benignitatem, & beneficentiam
transfudit, vt humanis vsibus, & saluti inseruiret.
Adnotauit id pulchrè Bernardus serm.15. in Can- Bernard.
tic. dum & ea verba; *Oleum effusum nomen tuum,* Cant.1.2.
Cant.1.2. & illa Isaiæ 9.6. *Vocabitur nomen eius ad-* Isai.9.6.
mirabilis, &c. ad vim nominis Iesv exprimendam,
in omnem partem sic inter se componit, & versat:
*Vocabitur, inquit Propheta, nomen eius admirabilis,
consiliarius, Deus fortis, Pater futuri sæculi, Princeps
pacis: primum, tertium, quartum maiestatem sonant, re-
liqua pietatem. Quid horum ergo effunditur? Profectò
maiestatis, ac potentiæ nomen in id quod est pietatis,
& gratiæ, quodammodo transfunditur abundè per Ie-
sum Christum Saluatorem nostrum. Nomen, verbi gra-
tia, quod Deus, nonne in id quod est, nobiscum Deus: hoc
est, in Emanuel liquescit, deficit? sic admirabilis in id
quod est consiliarius: sic Deus, & fortis, in ea quæ sunt,
Pater futuri sæculi, & Princeps pacis: & Dominus in-
stus noster misericors, & miserator Dominus.* Hæc ibi
Bernard,

Bernard. ac si dicat, eò Christi maiestatem, eò potentiam, eò totam Deitatem ire, vt in hominis medicinam, & remedium effundatur. Nec aliter serm. 2. de Circumcisione, vbi cùm eadem hæc Christi nomina ab Isaia allata recensuisset, subiicit: *Magna quidem nomina, sed vbi est nomen, quod est super omne nomen; nomen Iesu, in quo omne genu flectatur? Fortassis in his omnibus vnum illud inuenies, sed expressum quodammodo, & effusum:* quippe ad salutem homini dandam Dei potentia, fortitudo, & sapientia inuigilat.

3. Nec priùs ad hæc penitiùs explicanda, elucidandaque transeam, quin illam falsorum testium in
Matt. 26. 61. Christum calumniam, de qua inquit Matth. c. 26. 61. *Nouissimè venerunt duo falsi testes, & dixerunt hic dixit: Possum destruere templum Dei, & post triduum reædificare illud*, manifestæ falsitatis arguam, atque confutem; cũ tamen egregio mendacio suus etiam fucus, atque velamentum subesse videatur, nec ita facilè ab interpretibus huius testimonij falsitas cõuincatur; dixerat siquidem aliquando Christus,
Ioan. 2. 19. cùm in templo esset, apud Ioannem 2. 19. *Soluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud.* Quæ sanè verba non longiùs videntur ire à præfatis falsorum testium: *Possum destruere templum Dei, & in tribus diebus reædificare illud.* Sanè quod de templo corporis sui, non de templo materiali Dominus loqueretur, vt ex Ioanne constat, *hoc autem dicebat de templo corporis sui*, efficax ratio non videtur, ob quã falsitatis testes illos arguas; nec enim ipsi ad mysticum, & spiritualem sensum, sed iuxta communem hominum acceptionem, qui templum pro domo sacra vsurpare solent, nec illis vnquam, cùm templum audiunt, mysticus corporis sensus in mentem venit, reuocare tenebãtur. Quid, quod cùm horum verborum occasione ab Scribis tunc Christo obiiceretur: *Quadraginta & sex annis ædificatum est templum hoc, & tu in tribus diebus excitabis illud?* ipse lubricum vocis templi non sustulit, nec verbum aliquod, ex quo mystica templi significatio potuerit deprehendi, subiecit? Cur ergo manifesti mendacij & falsitatis testes hi redarguuntur? Sanè quod Christi verba multo alia fuerint ab iis, quæ hi impostores retulerunt; ille namque, vt habet Ioan. inquit; *Soluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud*, isti verò egregij mendaces dixêre; *hic dixit: Possum destruere templum Dei.* Sic ad hæc Matthæi verba
Paschas. obseruante Paschas. *Non enim dixit Saluator, ego dissoluam templum hoc manufactum, sicut in Marco est, nec iuxta Matthæum: Possum destruere templum Dei; sed, soluite.* Sed tanti est (inquis) hoc vocum discrimen, vt sensum alium, aliamque sententiam faciat? Est planè, cùm verè Christi verba ad eius potẽtiam in ædificationem, quę verò ipsi falsò sunt imposita, ad destructionem eant. Vnde vtraque, si placet, expende. Christus ait: *Soluite templum, & in tribus diebus excitabo illud*; dissolutionem nimirum, & destructionem aliis faciendam relinquens, *Soluite*, inquit, constructionem verò, reparationem, ac ædificationem sibimet seruans, & assignans, *excitabo illud.* Contrà quidem falsi testes; *hic* (inquiunt) *dixit: Possum destruere*, iactationem, videlicet, potentię ad destruendum, & conuellendum Christo imponentes, à quo ipse quàm longissimè abest; cùm quædã sint,
Seneca. vt dicebat Seneca præfata adnot. 2. vers. 2. cap. 1. à nobis adductus, *quæ nocere nõ possunt, nullamque vim nisi beneficam, & salutarẽ habent, vt Deus immortalis, qui nec vult obesse, nec potest: natura enim in illo mitis, & placida est, tam longè remota ab aliena iniuria, quàm à sua.* Quam quidem ad rem nonnihil facit acre illud dicterium in Philippum Macedonem, cùm Co-

rinthum deleuisset, à quodam iactum, apud Plutarchum lib. de non irascendo, *at condere vrbem non valet ille*; indicante, vt multo minorem, ita alienam omnino à Regia maiestate esse potentiam, quæ ad conuellendum, & dissipandum potiùs, quàm ad excitandum, & firmandum valeret. Nec minus è re hac fuerit pulchra M. Tullij sentẽtia, probata Ammiano Marcellino lib. 30. *Etenim multum posse ad salutem alterius, honori multis: parum potuisse ad exitium, probro nemini fuit.* Plutarch. M. Tull.

Adeò verò potentiam ipse suam in ædificationem, & non in destructionem iactauit, vt is tunc apud nonnullos error inolcuerit, ad benefaciẽdum solùm, non verò ad vindicandum potentem illum esse. Sed quid tunc Christus ageret, vt suo satisfaceret decori? Quid? alias, & alias pœnas irrogare. Sed cuinam? Cui? ipsismet incredulis, aliisve nocẽtissimis hominibus, plagis, & morte dignis, vt vel suo malo stulti saperent. Hoc tu humano ductus sensu dixeris; at ille diuisit sententiam: & cùm punire tũc opus omnino fuerit, quò sibi etiam ad nocentes supplicio afficiendos vim subesse ostenderet, nulli tamen hominum malum irrogare, sed pro homine ficulneam fructum non habentem plectere voluit; id ad hæc Matth. verba cap. 21. 19. *Et videns fici arborem vnam secus viam, venit ad eam, & nihil inuenit in ea, nisi folia tantùm, & ait illi, nunquam ex te fructus nascatur in sempiternum, & arefacta est continuò ficulnea*; Chrysostomo hom. 68. in Matth. & Hilario Canon. 21. pulchrè pensitantibus: sic enim prior. *Maledicit ficulneam propter discipulos, vt confidant; quia enim vbique beneficia tribuebat, nullùmque puniebat, oportebat autem eius punitiuæ virtutis demonstrationem præbere, vt discerent, quod posset etiam Iudæos persequentes siccare, noluit hoc demonstrare in hominibus, vnde in planta suæ punitiuæ virtutis præbuit signum.* Similiter Hilarius: *Et in hoc bonitatis Dominicæ argumentum reperimus; nam vbi afferre voluit procuratæ per se salutis exemplum, virtutis suæ potestatem in humanis corporibus exercuit, spem futurorum, & animæ salutem curis præsertim ægritudinum commendans: nunc verò vbi in contumaces formam seueritatis constituebat, futuri speciem damno arboris indicauit.* Ita ille. 4. Matt. 21. 19. Chrysost. Hilar.

Sed iam viuam Patris imaginem in benefaciendo, & saluãdo Christum esse, ipsemet dilucidè monuit, cùm Philippo apud Ioan. 14. 9. dicebat: *Philippe, qui videt me, videt & Patrem. Quomodo tu dicis, ostende nobis Patrem?* & paulo antè: *Si cognouissetis me, & Patrem meum vtique cognouissetis; & amodò cognoscetis eũ, & vidistis eum.* Sed, quî, inquis, corporalibus oculis videri Pater potuit? Sanè tunc visus, tunc in Christo fuit cognitus, cùm ex Christi verbis, & factis, quæ verba vitæ, & salutis facta erant, ipse & Saluator, & benignissimus auxiliator, qui fessis rebus subueniret, fidei oculis visus, & agnitus est; vti ad hæc verba, sic sapienter inquit Tertullianus lib. aduers. Praxeam cap. 24. *Secundùm hæc vicarium se Patris ostenderat, per quem Pater, & videretur in factis, & audiretur in verbis, & cognosceretur in Filio, facta & verba Patris administrante; & ideo sugillatur Philippus Patrem videre desiderans, quasi visibilem, & instruitur visibilem eum in Filio fieri, ex virtutibus, non ex persona repræsentatione* (id est, rei præsentis ostensione.) Hæc ille. Pende ea verba, *facta & verba Patris administrãte*: nimirũ, quod Christi verba, & opera ad vitam mortalibus inspirãdam tenderent. Et circa verba quidem obserua, ipsum cùm primùm os suum aperuisse dicitur, à benedictionibus sermonem fuisse auspicatum: sic enim Matth. 5. 2. *Et aperiẽs os suum, docebat eos, dicẽs: Beati* 5. Ioan. 14. 9. Tertul. Matth. 5. 2.

pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Sanè vt ostenderet, nō aliud se à Patre os, non aliū sermonem habere, cui idem cor inerat: quippe tam
Psal. 44.1. de Patre, quàm Filio dixeris; *Eructauit cor meum verbum bonum.* Sed id accipe à Tertul. lib. 2. cont. Marcion. cap. 13. his verbis: *Hoc ipsum quod a benedictionibus cœpit, creatoris est, qui vniuersa prout edidit, nulla alia voce, quàm benedictionibus dedicauit.* Eructauit enim, *inquit*, cor meum sermonem optimum. *Hic erit sermo optimus, benedictionibus, scilicet, qui & noui quoque Testamenti initiator agnoscitur de veteri exemplo. Quid ergo mirum est, si ab effectibus creatoris ingressus est per huius mundi ditionem, semper mendicos, & pauperes, & humiles, ac viduas, & pupillos vsque diligentis, consolantis, asserentis, vindicantis, vt hāc Christi quasi priuatam benignitatem riuulum credas de fontibus Saluatoris?* Hactenus ille. Huc reuoco quod apud Ioan. cap. 11. 43. dubitant Patres, cur, scilicet, Christus Lazarum suscitaturus, externis fuerit vo-
Ioan. 11.43. cibus vsus, *Lazare veni foras*, cùm sola posset volūtate suscitare. Dum verò alij alias reddunt ratio-
Cyr. Alex. Maldon. nes, sic respondet S. Cyrillus Alexandr. in Catena Græca, citante Maldonato: *Deo dignum, & regium imperium est, Lazare veni foras.* Quod sic capio, vt sit sensus, maximè Deo dignum esse, salutares, & viuificatrices voces edere; ideo opportunissimè has à Christo editas fuisse, vt se Dei Filium ostenderet, qui verbum bonum, vitam creatis rebus impertiens, indesinenter eructat.

6. Verùm iam Iesum facta Patris administrantem
Ioan. 3. 18. considera; & vt de Patre Ioan. c. 3. 18. inquit: *Sic Deus dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum da-*
Rom. 8.32. *ret*, & Paulus ad Rom. 8. 32. *Qui proprio Filio suo non pepercit:* ac si vtrobique dicatur, Patrem propter nimiam charitatem suam, qua dilexit nos, non dubitasse suummet cor, & tenerrima viscera, Filium,
Ioan. 1. 18. scilicet, suum, qui *in sinu Patris* (Ioan. 1. 18.) cordis
Zeno Veron. eius nobilis est inquilinus (vt loquitur Zeno Veronens. alibi à nobis allatus) nobis tradere, & effundere: ita & ipsemet Iesus, vt indigentibus opem ferret, tenerrimo viscerum affectu tangi, & semet euiscerare testatus est illis verbis; *Misereor super tur-*
Marc. 8.2. *bam*, Marc. c. 8. 2. etenim pro, *misereor*, Græcè scripsit Marcus, σπλαγχνίζομαι, id est, *euiscero*; Hispanè, *desētraño me por hazerles bien.* Vt vel hinc videas, quid fuerit hominibus negaturus, qui ipsamet in illos viscera non potuerit non effundere. Viua hæc quidem Patris imago, ad quem dum in horto Filius
Matt. 26.39. orabat: *Pater, si possibile est, transeat à me calix iste*, reapse id, diuino, scilicet, stante decreto, fieri nō potuit, quod creaturis non indesinenter benefacere, illi quodammodo sit impossibile, vt cap. 1. vers. 1. adnotat. 6. num. 9. ex Paschasio vidimus: *Quia im-*
Paschas. *possibilitas ista de iustitia venit, & bonitate Dei*, (aiebat Paschasius) *quia sic est omnipotens, vt & iustus sit, ac bonus & misericors, & ideo quantum ad vtramque naturam spectat, impossibile erat ne nos bonitate sua, suáque iustitia, & misericordia saluaret.* Ad quem sanè modum sic se Christus, vt nobis benefaceret, euiscerabat, quasi quod sponte, & volūtariè nobis impendebat, non posset non quasi necessitate compulsus erogare; qua omnino de causa apud Lucam
Luc. 11.4. cap. 11. 4. notanter se cum eo amico composuit, qui tot dandi circumstantiis obsideretur, vt non posset non vel inuitus alteri, quod petebat, impertire, vt ostenderet penè necessarium in se esse, benefacere;
Chrysolog. id sic considerante Chrysol. serm. 39. *O quàm necessitatis esse fuit, quod sua potestatis est, vult videri!*

7. Quod si ad singulas Christi actiones, & opera velis descendere, nihil in ipso non diuinum, & ex Patris pharetra depromptum, hoc est, nihil non salutare, & quod hominibus vitam non afferat, inueneris; sic namque vitæ ipsius curriculum descripsit Petrus Actuum 10. 38. *Pertransijt benefaciendo,* Actuum 10. 38.
& sanando omnes oppressos a diabolo: ac si dicat, eius cursum non alium quàm Solis fuisse, qui vitæ infatigabilis dator, illuminando, & fouendo cursum perpetuò peragit. Vnde August. lib. 4. Confess. cap. August.
12. *Non enim tardauit, sed cucurrit clamans dictis, factis, morte, vita, descensu, ascensu.* & Ambros. *Vbique* Ambros.
Iesus curat, vbique sanat, in itinere, in domo, in deserto, vt Deum se, & hominem demonstraret: hoc est, vt se Dei Filium Patris facta administrantem, & exprimentem ostenderet. Vnde rursus Aug. ser. 26. de verbis August.
Domini: *Ibi verè Christus probatus est Deus, vbi tantum fecit, quantum ausa non est ipsa fides optare:* ac si dicat, Christum tunc bellissimè Deum se esse demonstrasse, cùm in homines tanta contentione dona sua diffudit, & perpetuauit, vt ipsorum vota superate ac excedere videretur. Quo quidem maximè facit illa tam vehemens, tamque sollicita vocandi, illuminandi, opem ferendi, saluandique homines cura; *vbique curat* (inquit Ambros.) *vbique sanat.* Sed num in itinere, in domo, in deserto solùm? Nonne etiam iam iam in cruce animam agens latroni dedit regnum? Sed plus est, quod ea in re obserues. Nam iure dubites, cur latronem potiùs in patibulo suspensum, quàm alium ex peccatoribus qui ibi adstabant, tanto bono affecit. Crediderim, ea de causa, quod se potentiorem ad saluandum, quàm dæmon esset ad perdendum, vellet ostendere. Rapuerat quidem ipsomet die immanis ille lupus ex Christi grege discipulum, in patibuloque suspenderat: ergo ne otiosa, aut tarda Christi salus esset, alium statim in suam gratiam subrogare curauit. Sed quem? illum etiam, qui cruci erat affixus, vt quando diabolus discipulum ad mortem, patibulúmque perduxerat, è patibulo etiam, & è morte ad vitam, regnumque latronem Christus vocaret; id ita penè notante Ambros. in Psal. 39. *Tripudiabas* Ambros.
draco, quod Apostolum subtraxeras Christo. Plus amisisti, quam sustulisti, qui latronem vides in Paradisum esse translatum. Minister tuus eò peruenit, vnde iste deiectus est. Ita ille.

Sed præter frequentiores, quæ in humanæ vitæ 8.
stadio actiones occurrunt, quas omnino beneficas, & salutares facilè deprehendes; ipsosmet affectus humanam naturam comitantes, sollicitudinē, gaudium, tristitiam, atque ipsammet iracundiam, non nisi ad salutem, & bonum hominis propendentes considera. Et primùm quidem ad sollicitudinē reuoco indefessum illud orandi exercitium, in quo pernoctare solebat: *Erat*, inquit Lucas c. 6. 12. *pernoc-* Luc. 6. 12.
tās in oratione Dei. Bene, siquidē ait Ambrosius ad ea verba lib. 5. in Lucam: *Orat ergo Dominus, non vt* Ambros.
pro se obsecret, sed vt pro me impetret. Nam etsi omnia posuerit Pater in potestate Filij; Filius tamen vt formam hominis impleret, obsecrandum Patrem putat esse pro nobis, quia aduocatus est noster. Sed enim in ipsamet Passionis nocte, quid fuisse in causa credideris, cur non semel, aut bis, sed ter signatè tanto ad Patrem affectu preces fudisse dicitur? Matth. 26. 44. Matth. 26. 44.
Abijt, & orauit tertiò. Sanè quod eademmet nocte ter illum Petrus esset negaturus, vt trinæ negationi, & lapsui, trina ipse oratione anticipato remedio, ac medicina obuiam iret; id sic obseruante Paschasio lib. 12. in Matth. *Orat ergo semel, & secundò,* Paschas.
etiam tertiò non absque mysterio; fortè quia Petrus ter negaturus erat non hominem tantum, sed Deum, & integrum Christum.

Ad quem quidem modū, vt boni Patris bonum 9.
Filium tam subinde de hominis salute gaudentem, quàm

quàm priùs sollicitum inueneris. Vnde ad parabolas de filio prodigo ad bonam frugem, domúmque patris sese recipiente, & de oue perdita, à pastore inuenta, de quibus Lucas cap. 15. vers. 4. & 12. acutè adnotauit Ambros. lib. 4. in Lucam, in vna Patrē, in altera verò Filium gaudentes induci. *Pater* (inquit) *super reditu peccatoris delectatur, Filius inuenta oue: vt scias, quia vna est Patris, & Filij delectatio, vna operatio in Ecclesiæ fundamento.* A quo etiam non fit Paschasij obseruatio lib. 9. in Matth. dum ad parabolam operariorum vineæ apud Matthæum 20. 1. in quinque illis interiecti temporis horis, siue vocationibus, tam ex sua, quàm ex aliorum Patrum sententia quinque sensus intelligens, gustum in Abraham Deo fuisse gratissimum, quod ipsi vitulum tenerum ad epulum apposuerit, sic affirmat. *Porrò gustus fuit in Abraham gratissimus Deo, propter quod & panis Angelos, imò Deum in Angelo: apposuit eis panes absconditos, vel subcinericios de simillagine, & vitulum tenerum, qui occisus est ad epulum propter gaudium, quia reuixit, & inuentus est, qui perierat, & mortuus erat prodigus filius.* At enimverò tenellum illum vitulum ad epulum occisum, Dei Filium pro hominis salute immolatum significare Ambrosius præfato loco affirmat, & quis non? vt appareat, tunc Patrem maximam percepisse delectationem, cùm *proprio Filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum*, ad Rom. 8. 32. Iam verò vt vnam Patris, ac Filij delectationem esse videas, Christum tunc manducantem, sesèque suauissimis epulis reficientem, cùm velut vitulus in cruce immolabatur, audi à Drogone serm. de Sacram. Dominic. Passionis. *Manducauit Pascha cum discipulis: manducauit & Pascha, cùm passus est, quando transiuit ex hoc mundo ad Patrem.* Ego (*inquit*) cibum habeo manducare, quem vos nescitis; meus cibus est, vt faciam voluntatem Patris mei; *& voluntas Patris est, vt calicem bibam. Ergo in cruce manducauit, & bibit, & inebriatus est, & dormiuit.* Sic Drogo. Vnde quidem ipsum ad benefaciendum, quasi ad lautissimas epulas inuitaretur, sæpe sæpius non vocatum accurrisse, facilè obserues cum Chrysolog. serm. 8. occasione socrus Simonis à Christo sanatæ, Matthæi 8. 15. hæc dicere: *Videtis, quæ res ad domū Petri inuitauerit Christum? Vtique non discumbendi voluptas, sed iacentis infirmitas, non prandendi necessitas, sed salutis occasio.* Sed illud inibi non omittendū, & hora id prādij cōtigisse, & mensam Christo de industria fuisse appositam, vt dum ipse ad prandium, non prandendi, sed salutem, opemque afferendi causa aduenit, nobis non obscurè innueret, illud sibi esse suauissimum, atque gratissimum epulum, quo potissimum reficeretur, atque saginaretur, salutem & vitam indigentibus tribuere.

Luc. 15. 4. & 12. *Ambros.* *Matt. 20. 1.* *Paschas.* *Ambros.* *Ad Rom. 8. 32.* *Drogo.* *Ioan. 4. 32.* *Chrysol.* *Matth. 8. 15.*

10\. Iam verò tristitiam non nisi de nostris damnis, atque iacturis Christo inesse, ex illis ipsius verbis Matthæi 26. 38. *Tristis est anima mea vsque ad mortem*, coniice. Nec enim fuit tunc memor ob propriā passionē, & mortē, quæ iam iam instabat; sed potiùs ob perfidorum hostium crimen, & pœnas in posterum luendas, graui illo dolore discruciabatur, vti ea verba ad hunc modum capit Ambros. lib. 10. in Luc. *Tristis erat pro persecutoribus suis, quos sciebat immanis sacrilegij pœnas daturos, & ideo dixit:* Trāsfer calicem hunc à me; *non quia Deus Dei Filius mortem timebat, sed quia nec malos pro se perire volebat.* At enimverò illud ad hanc rem maximè facit, quod Lazarum suscitaturus, & lacrymas fudisse, & infremuisse spiritū dicatur. Sic enim Ioan. 11. 33. *Infremuit spiritu, & turbauit semetipsum.* & vers. 35. *& lacrymatus est Iesus.* Sed quid (inquis) tunc fleret, quid infremeret, & non potiùs exultaret spiritu, eo modo, quo Lucæ 10. 21. Apostolicæ prædicationis, & subsecuti fructus occasione dicitur: *In ipsa hora exultauit Spiritu sancto*; cùm Lazari suscitatio egregiæ etiam benignitatis opus, & benemerendi occasio esset? Sanè vt ostenderet, eundem se cum Patre spiritum habere, quippe ille *non dat spiritum ad mensuram*, Ioan. 3. 34. Etenim, vt hoc eodem cap. vers. 7. adnotat. 3. num. 1. ex Cypriano vidimus; *profluens largitor Spiritus nullis finibus premitur, nec coërcentibus claustris intra certa metarum spatia frænatur, manat iurgiter, & exuberat affluenter.* Flet igitur, & fremit spiritu, quod spiritum, & vitam, immensasque bonitatis suæ diuitias non omnino effunderet, sed ad mensuram vni tantùm impertiret. Ita penè Chrysologus serm. 64. his verbis: *Fremit spiritu, & tota se viscerum commotione conturbat, quia adhuc solum Lazarum, & non tam omnes mortuos suscitabat.* Sic ille.

Matth. 26. 38. *Ambros.* *Ioan. 11. 33. & 35.* *Luc. 10. 21.* *Ioan. 3. 34.* *Chrysol.*

11\. Huc etiam reuoco funestum illum Christi clamorem in cruce post ebibitum acetum editum, lacrymasque diffusas, de quibus ad Hebr. 5. 7. *quod non omnium peccata potaret*, vt vers. 8. adnotat. 7. n. 10. dicebat Hilarius. Planè, vt Filium se sui Patris demonstraret, cui *omnes gentes quasi stilla situlæ*, Isai. 40. 15. siue, vt legit Ambrosius in Psalm. 1. fin. *quasi stillicidium de vrceo.* Vbi dum Hierony. hæc explicans ait, *sic omnes gentes esse Deo, quomodo si à situla modica stilla fluat, quæ à potante negligitur*; ita ea capienda censeo, vt hic illis sensus subsit, Deo præ ardenti benefaciendi, & dona sua conferendi siti, quam habet, omnes gentes, quasi stillicidium de vrceo, siue modicam stillam esse, quæ sitienti nihil esse videatur, sed plus plus ardentiùs concupiscat, & ebibere conetur. Vnde de Christo dixit Paulus ad Hebræos 9. 28. *Christus semel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata*; notanter inquiens, *multorum*, & non *omnium*, cùm pro omnibus oblatus fuerit: nec ampliori, siue pleniori voce vsus, qua penè immensum electorum numerum designaret, vt Isaiæ 53. 8. *Generationem eius quis enarrabit? quoniam abscissus est de terra viuentium.* & Genes. cap. 15. 5. *Numera stellas, si potes*: & Apocalyps. 7. 9. *Vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat*: sed extenuans, & quasi diminuens, *ad multorum* (ait) *exhaurienda peccata.* Planè, quod quamuis non vtcumque multi, sed valde multi, plurimi, & penè innumerabiles sint, qui salutem consequantur: at quoniam aliqui sunt, qui à tanto bono excidunt, illorum omnium numerus, qui saluantur, breuis Christo, & exiguus videatur, nec minus ægrè vnius detrimentum ferat, quàm si omnes simul perirent. Ita inibi Ambrosius, qui cùm premens vocem, *multorum*, interrogasset: *Quare multorum, & non omnium?* respondet; *Pro omnibus quidem mortuus est: hoc est, quantum in ipso est. eius momenti est vnius, cuius momenti est omnium perditio.* Ita ille. Bellissimè.

Ad Hebr. 5. 7. *Isai. 40. 15.* *Ambros.* *Hierony.* *Ad Hebr. 9. 28.* *Isai. 53. 8.* *Genes. 15. 5.* *Apoc. 7. 9.* *Ambros.*

12\. Sed iam quid fuerit mirandum, omnem Christi curam in benefaciendo, & saluando versari, ipsiusque potentiam pro salute hominis indefessas excubias agere, nec aliò eius affectus, gaudium, tristitiā, atque sollicitudinem ire; cùm ipsamet illius ira, cuius natura ad puniendum, & ad malum alicui inferendum tendit, tam longè à pernicie fuerit, vt benefica potiùs, ac salutaris apparuerit? Ita certè, cùm Sabbatho oblatus ei fuisset miser quidam homo habens manum aridam, vt sanitati illam restitueret, simulque tunc temporis Scribæ, ac Pharisæi malignè obseruarent, quid ea occasione Christus faceret, vt vndecumque calumniandi ansam arriperent,

rent, suasque fraudes, ac dolos in omnem partem versarent, iustissima de causa Christum tuuc excãduisse, & sacra ira fuisse cõmotum, fertur: sic nam- *Mar. 3. 5.* que Marcus c. 3. 5. *Et circumspiciens eos cum ira contristatus super cacitate cordis eorum*: siue, vt habet Le- *Lect. Syr.* ctio Syriaca, *Et intuitus est eos cum indignatione, cùm agrè ferret propter duritiem cordis eorum.* Sed quis tãdem huius iræ effectus, quis exitus fuit? Subdit Marcus: *Dicit homini, extende manum tuam; & extendit, & restituta est manus illi.* En iræ effectum, salu- *Ambros.* tem, nimirum, & bonum. Ita Ambros. serm. 8. *In ira precipiens refudit corpori sanitatem, ira, inquam, sicut ait Euangelista, restituit vigorem dextera. Vnde intelligimus, qualis Dominica benignitatis sit sanitas, cuius indignationis talis est medicina, aut quemadmodum placatus prodest, qui ita miseretur iratus.* Hæc Ambrosius. Quibus adstipulatur, quod lib. 4. contra Marcion. *Tertul.* cap. 20. obseruauit Tertul. legionem illam dæmonum, quamuis inuidiosam, & petulantem, quippe quæ Christi gloriam non ad salutem hominibus conferendam, sed ad pœnas de dæmonibus sumendas referebat, ab ipso tamen Domino lacessito, & insigni hac iniuria affecto, quæ ineffabilis illius est bonitas, supplicij, debitæque pœnæ loco, quod postulauerat, obtinuisse. *Non depetunt* (inquit) *ab alio, quod meminissent petendum sibi à creatore, veniam scilicet, abyssi creatoris. Denique impetrauerunt. Quo merito? Quia mentiti erant, quia seui Dei Filium eum fecerant: & qualis erat, qui mentitos iuuabat, qui infamantes sustinebat?* Vnde quidem pusillanimes sic *Ambros.* animat, & confirmat Ambros. lib. de Pœnit. cap. 4. *Nonne apparet, quod ideo nobis peccantibus indignetur Christus, vt indignationis sua nos furore conuertat? Indignatio ergo eius non vltionis executio, sed magis absolutionis operatio.* Imitentur hæc Principes, Magi- *Cassiod.* stratus, & Prælati, & cum Cassiodor. lib. 11. variar. eapse potiùs, quàm verbis dicant: *Districtio nostra in verbis habita, & in factis est sensa benignitas. Irascebamur placati, minabamur innoxij, & ne potuissemus lædere, terrorem videbamur inferre.* Ita ille.

Ad eadem verba: *In nomine Iesu omne genu flectatur.*

ADNOTATIO VIII.

Opportunè in nomine Iesu omne genu flecti, quod vt nomen salutis, ita & maiestatis appellatio sit.

1. AGE verò, & quàm bene eximius hic cultus Iesu exhibitus à summo Patre fuerit dispositus, & quàm opportunè, atque notanter sic seriem orationis Paulus coordinarit, vt nomini Iesu tamquam sublimiori, peculiaremque maiestatem, ac splendorem præseferenti, is honor adscribatur, videamus. Equidem, si res attentiùs inspiciatur, vt nihil excellentius, siue illustrius quàm saluare, ac benefacere, humana in Deo mens excogitare valet, quod hæc ipsissima eius natura, atque ingenium sit: ita nullo opportuniori, quàm hoc Iesu vocabulo Dei Filij maiestatem, cui supremus omnium gentium cultus, & genu flexo veneratio deberetur, potuit Paulus explicare; cùm hinc potissimum, & ipsius diuinitas eluceat, & externa claritudo, & splẽdor maximè dependeat. *Nullum namque ornamen-* *Senec.* *tum* (aiebat Seneca adnotat. 4. à nobis adductus) *Principis fastigio dignius, pulchriusque est, quam illa corona ob ciues seruatos, non hostilia arma detracta victis, non currus barbarorum sanguine cruenti, non parta bello spolia; hac diuina potentia est, gregatim, & publicè seruare.* Quippe ex salute, & ope subditis allata verus Rex, atque Princeps dignoscitur, optimoq; iure hominum Dominus censetur, & quo potest modo, Deo adsimilis euadit. Sic Cæsari dicebat M. Tul- *M. Tull.* lius orat. pro Ligario: *Nulla re propiùs ad Deum accedes, quam salute hominibus danda.* Chrysostomus verò homilia 4. in hanc Epist. ea Sapientiæ verba cap. 11. 24. *Misereris omnium, quia omnia potes*; sub hoc sensu sic pulchrè capit. *Si quis Principem laudare velit, nihil illi adeò decorum adscribet, atque misericordiam: Principatus enim est proprium, misereri.* Vnde quidem Themistius Euphrada orat. 10. Valen- *Themist.* tem Imperatorem elegantiùs, quàm veriùs ita demulcebat: *Venit enim mihi in mentem veterum Imperatorum, quorum vnus pro eo quod Graciam euertisset, Achaicus est nominatus: alter Macedonicus, quod Macedonia vastitatem, ac solitudinem intulisset. Scipio verò ille magnus summi Scipionis nepos à S.P.Q.R. Africanus cognomen obtinuit, quod defessam, ac penitus afflictam Carthaginem solo aquasset, ac perdidisset. Quod si ex ijs, quos illi profligauerant, meritò hac cognomina sunt consecuti, quanto iustiùs es ab ijs quos seruaris, appellandus?* Quod statim à fabulosis numinibus ratiocinatione conficta sic confirmat: *Ita etenim & deos ipsos, opinor, vocamus, velut Pelasgicum Iouem, Apollinem, Amyclaum, Cyllenium, Mercurium, ab ijs scilicet, locis qua amant pracipuè, & qua potissimum conseruant.* Iure ergo & Iesus à seruato orbe mundi Rex, ac Dominus appelletur, atque in eius nomine omne genu flectatur, & ipse hac ratione de nomine Iesu optimo merito glorietur. *Sicut* enim (ita Chry- *Chrysol.* sologus ser. 57. de Symbolo) *Reges triumphorum suorum titulis nuncupantur, & subiectarum gentium nominibus conquirunt numerosissima cognomenta; ita Christus bonorum suorum titulis nuncupatur: à chrismate enim vocatus est Christus, qui diuinatis vnguentum aridis iam mortalium membris pius medicator infudit; & vt à chrismate Christus, sic Iesus vocatus est à salute, qui ob hoc nos diuino infudit vnguento, vt agris certam salutem, perditis perpetuam redderet sanitatem.* Ita Chrysologus.

Certè hac mente Paulus ad Hebræos 4. 16. Chri- 2. *Ad Hebr. 4. 16.* sti thronum accurata locutione thronum gratiæ appellauit, inquiens: *Adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratia* (vbi Syriacus, *ad thronum gratia ip-* *Lect. Syr.* *sius*, scilicet, Christi) *vt misericordiam consequamur*, &c. Vbi si fortè non nemo ambigat, cur Apostolus maluit dicere thronum gratiæ, quàm thronum gloriæ, cùm thronus gloriam, ac maiestatem denotet; & ad illam declarandam eo vti Reges consuescant; facilè respondetur, Paulum à communi sensu minimè discessisse: imò verò viuaciori penicillo maiestatem, & gloriam throni Christi delineasse, cùm ipsum in gratia, ac benignitate, qua hominum misertus est, propriam sedem, ac thronum constituisse monuit; ac si dixerit, tunc Christum maximè gloriosum, atque magnificum sese hominibus exhibuisse, cùm in ipsos benignitate, & gratia vsus est. Ita penè Theophylact. in cap. 9. Epist. ad Rom. ete- *Theophy. Ad Rom 9. 23.* nim ad ea verba vers. 23. *vt ostenderet diuitias gloria sua in vasa misericordia*; scitè pendit non dixisse Paulum diuitias clementiæ, aut misericordiæ, sed *gloria sua*, cùm tamen de clementia, & misericordia sermonem facere, vel ex ipsa Syriaci translatione constet, quæ reponit: *& effudit miserationes suas in* *Lect. Syr.* *vasa misericordia*, quod summa Dei gloria sit, misericordem, atque beneficum se exhibere. *Non dixit autem* (inquit ille) *clementia, sed gloria sua, nam summa Dei gloria est, misericordiam impertiri.* Similiter Chrysost.

Chrysost. homilia 16. ad id loci: *Nec dixit benignitatem, sed gloriam, ostendens, videlicet, quod hoc ipsum maxima gloria Dei est, quodque ea cura, ac studio illi in primis est.* Ad quem quidem modum id ad Ephes. cap. 1. 5 *in laudem gloriæ gratiæ suæ*, sic premit inibi Ambros. *Tale placitum dicit Deum habuisse, vt ad laudem claritatis eius proficeret gratia data hominibus, vt salus nostra, Dei gloria sit.* Ita Ambrosius.

3. A quo sanè non it ille 3. Regum 19. 13. locus, 3 Reg. 19. 13. vbi Eliæ Deus sese quasi de facie agnoscendum dedit: etenim cùm priusquàm ipse accederet, eas res præmisisset, quæ terrorem, & metum mortalibus iniiciunt, ventum, scilicet, grandem, & fortem, subuertentem montes, & conterentem petras; commotionem, siue concussionem (vt legunt Lxx.) ignémque Lxx. scintillantem; de singulis testatum est oraculum, Chald. non esse ibi Dominum. Sed obserua Chaldæũ Paraphrastem pro, *non in spiritu Dominus*, & , *non in commotione Dominus*: nec non, *non in igne Dominus*; notanter legere, *non in exercitu Angelorum venti maiestas Domini*: &, *non erat in exercitu Angelorum commotionis maiestas Domini*: similiter, *non erat in exercitu Angelorum ignis maiestas Domini*. vt non obscurè videatur innuere, Dei maiestatem, atque magnitudinem in benefaciẽdo, & vita hominibus danda potiùs, quàm in aliis siue potentiæ, siue punitiuæ Iustitiæ operibus potissimum censeri, atque inde maximè elucere. Ita omnino Regius Vates Psal. Psal. 18. 5. 18. 5. dum ait: *In Sole posuit tabernaculum suum.* Sed & tabernaculi significationem, & Solis naturam speculari oportet. Sanè Hebræa vox, *Iachal*, pro qua noster posuit, *tabernaculum*, aulam siue palatium, in quo Rex potentiæ suæ, & splendoris Regij copiam facit, & peculiari pompa maiestatem suam ostentat, propriè significat. Inde tabernaculum fœderis, in quo Deus peculiaria diuinitatis, maiestatisque suæ signa, atque responsa dabat, hac voce notanter dicebatur. Iam Solis naturam summè beneficam, & salutarem esse quis nesciat? Certè ab ipso tamquã è fonte, tam Lunæ, ac reliquorum syderum lumen, quàm rerum omnium genesis, procreatio, & vita dependet; ipse si quidem omnia fouet, & ornat, ipse recreat vniuersa, ipse mundi oculus, ipse eius pater, Nazianz. Dionys. & animus esse dicitur. Vnde à Nazianz. orat. 34. *vitæ dator, & animantium pater*, & à Dionysio lib. de diuinis nominib. *liquida diuinæ bonitatis imago*, perhibetur. Adhæc, adeò ab eius natura, non indesinenter benefacere, censetur alienum, vt cùm ei semel ad vindictam de hominibus sumendam in cursu suo persistere à Iosue præscriberetur, ægrè id illum laturum, grauesq; ea de re querimonias moturum veritus quodammodo egregius ille belli dux fuerit; atque ideo non solùm persistere, sed etiã quiescere, atque silere notanter præceperit. Certè vbi nos Iosue 10. 12. habemus, *Sol contra Gabaon ne mouearis*, Iosue 10. 12. Hebraicè est verbum, *Damac*, quod significat, *expectare, silere, tacere*, vt pluribus exemplis probat Pagnin. Sanctes Pagninus in suo Thesauro. Vnde bene legeris, *Sol sile*, vt duplex ei præceptum à Iosue iniunctum videatur: alterum, vt gradum sisteret; alterum, ne dolenter vociferaretur cogi se ad hominum perniciem fixum stare. Iam ad rem. In Sole ergo, hoc est, in lucidissima beneficentiæ, & liberalitatis imagine, à qua malum aliquod inferre, sit alienissimum, Christus Dominus Imperatorium tabernaculum, in quo maiestatis, ac splendoris sui egregium specimen daret, singillatim constituisse dicitur.

4. Quod si Christi thronum, quà gratiæ, & miserationis thronus est, summè gloriosum, atque illu-
Isai. 6. 1. strem videre velis, audi Isaiam cap. 6. 1. *Vidi Dominum sedentem super solium excelsum, & eleuatum*: etenim de Christo hæc esse accipienda, tam ex Ioanne, quàm ex Patribus efficaciter probauimus initio adnotationis 5. vide ibi. Iam verò si ab Hieronymo, & Hieronym. Glossa perquisieris, quid sublimis hic thronus, siue Gloss. peculiaris is gloriæ habitus in sedente præseferat; respondent, hæc Christum cruci suffixum, homini salutem, & vitam afferentem adumbrare; sic enim de Seraphinis Hieronymus: *Et mirari ad inuicem, quod Dominus Sabaoth in forma Dei Patris positus, formam serui acceperit, & humiliauerit se vsque ad mortem, mortem autem crucis.* Similiter Glossa: *Mirãtur autem, quod Dei Filius tantùm se humiliauerit, vt crucem subierit.* Nusquam ergo gloriosior, nusquam magnificentior Dei Filius, quàm in cruce homines saluans: nec splendidior, aut magis eleuatus eius thronus, quàm cùm miserationis, & gratiæ thronus factus est. Vnde Ioan. c. 12. 41. signatè ait: *Hæc dixit* Ioan. 12. 41. *Isaias, quando vidit gloriam eius*; misericordiam, videlicet, atque bonitatem, qua adeò illustris, & conspicuus apparet, vt præ fulgore maiestatis, Seraphini faciem suam velare cogantur, eius gloriam appellans. Applaudit Paulus, cùm 1. ad Cor. 2. 8. Chri- 1. ad Cor. 2. 8. sti crucifixi mentionem faciens, Dominum gloriæ sic singillatim appellauit: *Nam si cognouissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent.* Quæ verba ita expendit Oecumen. Oecum. *Vide quomodo facta Christi mentione, Dominum gloriæ ipsum vocat, ostendens, quod non solùm nihil illi ad gloriam crux, aut mors obfuit, verùm etiam ob humanitatem, seu benignitatem magis glorificatus est.* Et inferiùs: *opportunè Dominum gloriæ appellauit; nam quoniam crux ignominia esse videbatur, ostẽdit eam esse magnam gloriam.*

Sanè throni huius maiestas, atque gloria feli- 5.
cem illum latronem, cùm primùm illi diuina lux oborta fuit, minimè latuit, quin ingenti ore clamaret: *Domine memento mei, cùm veneris in regnum tuum*, Luc. 23. 42. Dum verò ab ipso sic inquirit Bernard. Luc. 23. 42. Bernard. serm. 2. in Epiph. *Ergone per supplicium vadis ad regnum? Quis indicauit tibi, quoniam oportebat pati Christum, & sic intrare in gloriam suam?* ipse haud difficilè respondebit, se ab ipsismet Scribis, & Pharisæis Christum blasphemantibus, illius regnum & diuinitatem didicisse. Quid enim ij immediatè ante latronis conuersionem dicebant? Audi; *Alios saluos fecit, seipsum non potest saluum facere*, Matth 27. 42. Mat. 27. 42. Hoc autem quid fuerit, nisi Christum verum Regẽ, ac Principem, qui aliis potiùs, quàm sibi salutẽ afferat, velut digito demonstrare? Certè egregius ille belli dux Pelopidas, vt Plutarchus in eius vita au- Plutarch. ctor est, cùm ad bellum proficiscens ab vxore admoneretur, vt seipsum seruaret, illam regia hac voce affatus dicitur; *Id fœminis sæpe suggerendum est, Imperatoribus verò, vt alios seruent.* Ergo cùm ab Scribis audiat latro, Christum alios saluos fecisse; seipsum verò non seruasse, quin mortem susciperet, eum optimo merito Regem nuncupauit. Hinc sequentia Scribarum verba: *Si Rex Israel est, descen-* Mat. 27. 42. *dat de cruce, & credimus ei*; efficaci hac argumentatione refellit Athanasius in Euang. de Pass. & cruce Athanas. Domini: *Dominus autem re vera Seruator, qui non sua, sed nostra quæreret, non in se saluando, sed in creatura redimenda Saluatorem se esse innotescere volebat. Non enim Medicus eo quod seipsum seruat, declaratur Medicus, nisi simul & ægrotis artem suam exhibeat. Neque item Sol suum iubar in se contrahens, pro lumine agnosceretur, nisi etiam orbi terrarum suos radios exporrigat, & tenebras illuminet. Ita quoque & Dominus non seipsum saluauit, siquidem nulla salute indigebat, cùm esset Saluator, sed ex suis in alios beneficijs voluit Saluator declarari.* Hæc Athanasius.

Quod si aduertis, hac potissimum de causa, quod 6.
nihil

nihil illustrius, augustius, siue diuinius nihil, quàm
saluare, & opem ferre, censeatur, Dei Filio, quà
virtus, sapientia, & splendor est Patris, maximè cō-
sentaneum fuit, humanæ redemptionis opus susci-
Psal. 39.9. Ad Hebr. 10.7. pere; ipsomet apud Vatem Psal. 39.9. & ad Hebræos
10.7. dicente: *In capite libri scriptum est de me, vt fa-
cerem voluntatem tuam, Deus*, &c. Sic enim hæc ca-
pit Anselmus in commentar. Epist. ad Hebr. vt sen-
sus sit, ad altissimam diuinitatis Filij Dei prædica-
tionem spectare, vt mundi Saluator, atque Redem-
Anselm. ptor haberetur. Audi illum: *Caput libri est prædica-
tio diuinitatis, qua nihil altius in Scripturis inuenitur.
Et in capite libri scriptum est de me, quoniam Scriptu-
ra sancta demonstrans me esse Deum super omnia, cùm
Psal. 32.6. dicunt:* Verbo Domini cœli firmati sunt, *Psal.* 32.6.
Ioan. 1.1. *&*, Deus erat Verbum, *Ioan.* 1.1. *& cætera huiusmodi.*
Ac si dixerit: eo ipso quod Deus sim, & prædicer,
quasi ex certa diuinitatis lege mundo perituro sa-
Ambros. lutem, & vitam afferre teneor. Adsimilis est Ambro-
sij consideratio in crucis titulo supra crucem posi-
to; sic enim ipse lib. 10. in Luc. *Meritò supra cru-
cem titulus, quia licèt in cruce erat Dominus Iesus, su-
pra crucem tamen Regis maiestate radiabat. Scribitur
autem titulus, & super crucem ponitur, non infra cru-
cem, quia* principium super humeros eius: *principiū
autem quid est, nisi sempiterna virtus eius, atque diui-
nitas! Vnde & ipse interrogatus:* Tu quis es? *respondit:*
Principium, qui & loquor vobis. Sic Ambros. ac si
dicat, Christum titulo diuinitatis, sempiternæque
virtutis pro hominum salute mortem subiisse, tunc-
que potissimum augusta Regis maiestate radiasse.

7. Hinc ab Ethnico Præside Pilato quàm longissi-
Matth. 27. 37. mè iuit Matth. cap. 27. 37. dum ille nullam in Chri-
sto moriendi causam, siue occasionem inueniebat,
Ioan. 19.6. Ioan. 19.6. inquiens, *Ego enim non inuenio in eo cau-
sam:* similiter Luc. 23.4. *Nihil inuenio causæ in homine
Lect. Syr. isto:* vel, vt Syriacus legit, *Nullam inuenio occasionem.*
Euangelista verò absolutè dicebat: *Et imposuerunt
super caput eius causam ipsius scriptā: Hic est Iesus Rex
Iudæorum.* Quid? æquioribusne oculis Christi cau-
sam Præses, quàm discipulus; iniquus Iudex, quàm
verus Euangelista adspiciebat? Imò verò cæco ille
pectore Christi innocentiam sic conabatur adstrue-
re, vt eius diuinitatem, & regnum labefactaret,
dum carnali palato nullum diuinitatis Christi sa-
porem percipiens, occasionem, aut causam ad mo-
riendum pro suis in Dei Filio non inueniebat; ip-
sumque merum faciebat hominem dicens, *in homi-
ne isto:* Matthæus verò diuinæ naturæ non ignarus,
ad Dei gloriam maximè spectare credidit, si in ip-
sammet diuinitatem moriendi causam deriuaret,
quod nihil tam Deo dignum fuerit, quàm hominū
saluti, & vitæ, sanguinem suum profundendo, pro-
Ambros. spicere. Ita penè Ambrosius loco citato: *Lego causam
Christi super caput eius scriptam, cùm lego*; & Deus
Ioan. 1. 1. 1. ad Cor. 11. erat Verbum: caput *enim* Christi Deus, 1. *ad Cor.* 11.
3. Sic ille. Vnde si personas spectes, bene quidem
vtraque inter se verba cohærent; sic namque Præ-
ses: *Ego non inuenio in eo causam.* Quare? quia ego,
quia Ethnicus, quia cæco pectore homo, qui in
Christo nihil nisi humanū agnoscebat: at Matth. cui
diuinum lumen affulserat, Christumque Dei viui
Filium, Deum verum de Deo vero optimè nouerat,
vt fidus Euangelista dicebat; *Imposuerunt super ca-
put eius causam scriptam:* quod, videlicet, Deus esset,
cui saluare, & benefacere proprium, atque glorio-
sum est.

8. Fuit quidem id ita persuasum superbissimo illi
Angelorū Primati, (si nonnullis Theologis Scho-
Valent. lasticis non contemnendæ auctoritatis apud P. Va-
lentiam 1. p. disp. 4. q. 14. puncto 3. credimus) vt
aliis sibi in eam vanissimam elationem sociis as-
sentientibus, ea potissimum de causa vnionem hy-
postaticam Dei Filio inuiderit, quod eum in hac
splendidissima Mediatoris, & Redemptoris homi-
num gloria cōtemplatus fuerit. Quod si hæc Theo-
logorum sententia subsistat, superbissimam Lucife-
ri mentem, verbaque fastu, & arrogantia plena, *Si-* Isai 14. 14.
milis ero Altissimo, Isai. 14.14. velim expendas; iis
enim se non qualemcumque Dei gloriam, sed eam,
qua Deus splendidiùs emicat, & Altissimus in no-
stra opinione habetur, constat fuisse æmulatū, qua-
si diceret: attollam diuinum caput supra omnes Dei
honores, nec cōtentus ero, nisi eximiam eius maie-
statem, & altitudinem mihi vsurpauero. Quam ve-
ro? vt, videlicet, hominum Redemptor, atque Me-
diator fiam, eisque opem, atque salutem afferam. Vt
appareat, hunc proprium Dei characterem, exi-
miumque diuinitatis splendorem esse, labenti ho-
mini opem ferre; & in pristinam dignitatem resti-
tuere. Applaudit huic cogitationi Eusebij commē-
tarius in ea Christi ad Patrem verba Psal. 21.9. Psal. 21. 9.
Quoniam tu es qui extraxisti me de ventre: vbi pre-
mens verbum, *extraho*, quod non alium operandi
modum, quàm fortem, ac valentem significat, hinc
coniectat, opus quodammodo fuisse, quò Dei Filius
in lucem humana indutus veste prodiret, vt Deus
Pater potentiæ, ac fortitudinis suæ vires interpo-
neret, quod Lucifer, eiusque collegæ tantam eius
aduentus gloriam ipsi inuidentes, modis omnibus,
innumerabilibusque fraudibus ac insidiis id impe-
dire moliti fuerint. Sic enim Eusebius libro 10. de-
monst. Euangel. *Sicut mihi auxilio fuisti, cùm corpus* Euseb. Cæs.
*humanum suscepissem, & ex ipso, qui me gestabat vtero
tu ipse Deus meus. & Pater meus tamquam obstetricis
munere functus carnem sancti Spiritus opera compa-
ctam extraxisti, tuamque potentiam interposuisti, ne ad-
uersariæ potestates, & nequam spiritus insidijs, aut frau-
dibus suis meo ad homines aduentui inuidentes se oppo-
nerent.* Hæc ille, & alia, in quibus hæc extrema no-
tatu digna sunt, *meo ad homines aduentui inuidentes*,
hoc est, meæ ex aduentu ad homines gloriæ inui-
dentes. Nimirum, quia fidus hic atque certus ex-
cellentissimæ gloriæ diuinitatis vnigeniti Dei in-
dex erat futurus. Nec longiùs ab hoc ire videtur
Diuæ Mariæ vaticinium Luc. 1.51. *Fecit potentiam* Luc. 1.51.
in brachio suo dispersit superbos mente cordis sui. Nam
cùm brachij nomine Patres ibi Christum frequen-
tiùs intelligant, per superbos autem Luciferum, &
eius socios significari velint, expeditissima exposi-
tio sub eo sensu erit, illustre Deum potentiæ suæ
specimen dedisse in Christi Incarnatione, & aduē-
tu, dum dæmones à profundo superbiæ, atque ela-
tionis suæ consilio deiecit, vnigenitoque suo Me-
diatoris, ac Redemptoris hominum gloriam im-
pertiuit.

Castigatiùs quidem, siue candidiùs hanc eādem 9.
vnigeniti Dei sublimitatem, & gloriam electi An-
geli admirantur, atque suspiciunt, dum in Christū,
non solùm quà ad Dei dexteram sedentem, sed et-
iam quà ignominiis, & morti olim subditum, quod
mediis ipsis mundo opem tulerit, indesinenter pro-
spicere concupiscunt, dicente Petro Epist. 1. cap. 1. 1. Petr. 1. 12.
12. *in quem desiderant* (Græcè, *concupiscunt*) *Angeli
prospicere.* Sed cur desiderant? Nimirum, vt egregia Lect. Græc.
ipsius exempla venerentur, & ad ipsorum imitatio-
nem (si fieri id posset) inhient. Ita capit hæc verba
S. Petrus Damian. lib. de Institut. Monial. ad Blanc. Petr. Dam.
Comitiss. hunc in modum: *Totus etiam desiderabilis,
quia in eum (testante Petro) desiderant Angeli prospi-
cere, vel quia humanitatis eius mysterium omne deside-
rium accendit in mentibus electorum, vt eos, videlicet,
non modò resurrectionis gloria prouocet, sed ad imita-
tionis exemplum ipsa quoque ignominia Passionis inuitet.*
Ac

Ac si diceret, cœlestes spiritus illud in Christo maximè suspicere, quodque, si liceret, gratanter amplexarentur, quod pro hominum salute mortem obierit. Tanta ergo redemptionis gloria, tam sublime honoris culmen est, vt tá boni, quàm mali Angeli concupierint; hi quidem superbè, atque inordinatè, illi verò sapienter, & modestè Passionem Christi hominibus summè salutarem suspicientes, eamque, si fas fuisset, imitari concupiscentes. Sed enim dum summam hanc saluandi, ac redimendi homines gloriam non nisi vnigenito Dei *dedit Pater in manus*, ipse verò se gloriam suam alteri non
Isai. 48. 11. daturum obtestatur Isaiæ 48.11. boni Angeli ad id quod huic gloriæ proximum est, saluti, videlicet, animarum indesinenter inuigilare indefessè adnituntur, dicente Paulo ad Heb. 1.14. *Nonne omnes sunt administratory spiritus, in ministerium missi propter eos, qui hereditatem capiunt salutis?* (Ad Heb. 1.14.)

10. Nec pigebit hæc Principibus etiam accommodare, vt túc verè Principes, atque Reges se esse existiment, atque glorientur, cùm clemétes, atque benignos, & ad seruandos, fouendosque subditos, ad Dei morem, & similitudinem promptissimos sese exhibuerint. Etenim si Princeps in terris Dei simulachrum gestat, viuaque imago est; vnde potissimum nisi à clementia, & benignitate possit gloriari? Audiant Gregor. Nazianz. audiant Hebræum (Greg. Naz.) Philonem hac de re disertissimè loquentes. Prior enim oratione ad ciues timore perculsos, Imperatorem irascentem sic alloquitur: *Nihil tam diuinum habet homo, quàm beneficentiam. Licet tibi nullo labore diuinitatem assequi. Aly opes suas effundunt, aly exhaustam carnem spiritui mancipant, & se à mundi consortio abripiunt, aly charissima pignora Deo consecrant; nec enim tibi Abraha sacrificium inauditum est. Horum nihil à te postulamus, sed clementiam tantùm in nos.* Ita ille, scitè Principis diuinitatem ex Dei humanitate eruens. Nec aliter Philo lib. de creatione Prin- (Phil Heb.) cipis, vbi Regem formans, illum ad indesinenter benefaciendum ex Dei exemplo sic vrget: *Præstat autem iuuare quoscumque possis pro viribus, nam præceptum vulgò tritum,* Deum sequere, *non aliud significat; quandoquidem ille quoque cùm vtrumque possit, mauult benefacere, vt liquet ex mundi creatione, atque regimine: non entibus enim dedit essentiam, confusa digessit in ordinem, nouas qualitates rebus indidit, similia fecit ex dissimilibus, è diuersis eadé, ex insociabilibus, & dissitis, cohærentia, sociabiliaque, ex inæqualibus æqualia, ex obscuris illustria: semper enim cura est ipsi, & beneficis eius potentijs, vt quidquid delinquit deterior essentia, transformetur in melius. Huiusmodi exempla imitari decet bonos Principes, si modò cupiunt reddi Deo similes.* Consentit Seneca lib. 1. de Clementia cap. 5. (Sene. a.) cùm ait: *Seruare proprium est excellenti fortunæ, quæ nunquam magis suspici debet, quàm cum illi contigit idem posse, quod dijs, quorum beneficio in lucem edimur tam boni, quam mali. Deorum itaque sibi animum afferens Princeps, alios ex ciuibus suis, quia vtiles, bonique sunt, libens videat; alios in numerum relinquat; quosdam esse gaudeat, quosdam patiatur.* Hæc ille.

Hinc dubio procul clementia in Principibus summus semper titulus, & regium insigne, quo maximè ornarentur, & de quo indesinenter gloriaren- (Liban.) tur: quippe optimè asseuerat Libanius orat. ad Theodosium magnum, *veram esse, quæ à lenitate ducitur, laudem Imperatoris.* Sic & Constantium Prin- (Hilar.) cipem blandè alloquens magnus Hilarius dicebat; (Seneca.) *Decernat clementia tua*: & Seneca, vt ad Neronem mitem tunc Principem libros de Clementia scriberet, eam dabat rationé; *vt te tibi redderem.* Sic etiam (M. Ant.) egregius ille Imperator M. Antoninus dictus Philosophus, Senatum demulcebat, sesequè commendabat inquiens: *Vos oro, atque obsecro P.C. vt censura vestra deposita meam pietatem clementiamque seruetis, imò vestram, neque quemquam vllum Senatus occidat, nemo Senatorum puniatur, nullus fundatur sanguis viri nobilis, deportati redeant, proscripti bona recipiat.* Subdit regiam, & penè diuiná vocé: *Vtinam possem multos ab inferis excitare.* Nec Principis tantùmodo ornamentú est, sed character etiam clementia, quam qui abiiciat, Regis nomine, sicut & Dei imagine cé- (Themist.) seatur indignus. Ita eleganter Themistius orat. 10. de Pace Valenti dicta: *Audi enim quid à diuino Platone dicatur, neque Cyrum, neque Darium Reges extitisse, multoque magis fuisse Alexandrum negaret. Videntur enim sic omnes Imperio suo, perinde atque corpori prouidisse, vt specie tenus, atque exteriùs incolume appareret: vt autem intus sanum esset, ac vegetum, nullam curam habuisse. Quarè hoc etiam ijs contigit, vt belli duces, non vt Reges euaderent. Est autem ducis laus in debellatione hostium, Regis verò in subditorum felicitate posita.* Hæc Themistius.

ADNOTATIO IX.

De nomine IESV *Religioni Societatis indito.*

NEc dubitem pauca de diuino hoc nomine IESV nostræ Societati indito, dictis adiicere. Et 1. quidem extra chorum me non saliare, sed ea de re agere, quæ ad asserendam Christi Domini diuinitatem nonihil faciat, sic testatur, & pro me fideiubet Renatus Benedictus Theologus Sorbonicus egregiusque ac Regius in Academia Parisiensi Doctor, in exposit. epist. de Circumcis. Domini. *Diuina prouidentia videtur instituta Societas militans sub nomine Iesu, ad occurrendum Caluinistis, qui vt tollant à Christo diuinitatem, non Iesum Christum appellant, vt mos antiquissimus est, vel Iesum, sed tantùm Christum.* Sed ad rem, siue ad nomen. Sanè, vt non ineleganter dixit prophanus,

Conueniunt rebus nomina sæpe suis:

ita nos tunc rebus nomina vndequaque conuenire, cùm non humana opinione, sed diuino afflante numine imponuntur, veriùs dicere possumus; id quod nostræ Societati in augustissimo nomine IESV illi indito contigisse, vt certo certius nobis semper fuit persuasum. Nam tum de hoc nomine Societati imponendo à Patre luminum edoctum sanctissimum Parentem Ignatium nouimus, & vt id sub lite esset, Pontifices summi, qui & Dei Vicarij, & sancti Spiritus, cuius ductu aguntur, interpretes sunt, non ancipiti, sed maturo consilio, reque vndique perspecta, illud Societati tribuere, ac sub eo in perpetuum confirmatam, stabilitamque esse voluerunt. Ita post Paulum III. Iulium III. Pium IV. & sub eo Concil. Trident. hoc IESV nomen Societati tribuens sess. 25. de Regul. cap. 16. Pium V. & Gregor. XIII. in hac nuncupatione persistentes, Gregor. XIV. constitutione peculiari perpetuò valitura sic definiens: *Nomen Societatis Iesu, quo laudabilis hic Ordo nascés à Sede Apostolica nominatus est, & hactenus insignitus, perpetuis futuris temporibus in ea retinendum esse*: tum etiam hoc in Societate nomen non inane, sed quod reapse id præstet, quod significat, non leuibus ducti coniecturis credimus. *Neque enim ego* (vt animosè loquar cum Velleio Pater- (Vell. Pat.) culo lib. 1.) *verecundia domestici sanguinis gloria quidquam, dum verum refero, subtraham.* Sanè, cùm quotquot Societati se addicunt, in salute proximorum toto terrarum orbe procuranda sese impendant, & salutem,

salutem,vitam,actiones,curasque omnes hac vna in re collocent,quidni adiutores Dei (vt loquitur Paulus 1.ad Cor 3.9 1.ad Corint.3.9.) & Saluatoris Iesu cooperatores appellaueris, eosque sub augustissimi huius nominis vmbra optimo merito dixeris permanere? Ita quidem Pontifex summus Pius IV.in Bulla,qua Societati facultatem ædificandi intra aliorum Ordinum Cannas confirmat, inquiens: *Qui sicut nomen Iesu assumpserunt,ita opere, doctrina, & exemplis Dominum nostrum Iesum Christum imitari,& eius vestigia sequi nituntur.* Sic Pontifex.

2. Sed vt varium, ac multiplex argumentum sub certis limitibus concludã,& nihil sit sublimius,diuinius nihil, quàm *Dei cooperatorem existere in reductione rationalis naturæ ad suum principium,* Dion. Areop. vt Dionysij verbis lib. de cœlesti Hierach.cap.3. à Dionys. Dion. Carth. Luc. 12. 35. Carthus.in præfatum Pauli locum citatis vtar,ipsomet Euangelico cingulo,quem ex Luca cap.12.35. nostræ Religionis Diuis præsertim verò sanctissimo Parenti Ignatio, cuius egregia vestigia premere ad summam nobis laudem accedit,in eorum solemniis aptare solemus, me constringere, & ne errem, ad propositam inibi lucem ambulare, placet. Et verò duplicem ego cingulum,siue præcingendi modum in Scriptura reperio,quorum alter ad perfectionem tamquam in præoptatum finem tendat; alter verò ipsam supponat, atque in alium scopum dirigat. Et sub priori quidem sensu hæc verba; *Sint lumbi vestri præcincti,* frequentiùs accipiunt Patres: Greg. Magn. *lumbos namque præcingimus* (inquit Gregorius Magnus hom.13. in Euangel.) *cùm carnis luxuriam per continentiam coarctamus.* Greg. Nyss. Ad quem modum Gregorius etiam Nyssenus in Catena S.Thomæ,de intenta animi vigilia agens,ait: *Lumbi etiam cingulo præstricti reddunt corpus insusceptibile somni,nam qui præcinctus est castitate, & pura conscientia illustratus perseuerat omnis.* Nec aliter Augustinus, & Tertullianus;ille enim lib. 2. August. qq.Euang. q.25.ait: *Docet & lumbos præcingere propter continentiam ab amore rerum sæcularium.* Tertul. Tertullianus verò lib.4.cont.Marc.cap.9. *Succingere debemus lumbos, id est, expeditos esse ab impedimentis laciniosæ vitæ,& implicitæ.* Quæ sanè omnia eò manifeste eunt, vt animus à vitiis purgatus toto nisu ad Dei obsequium,& dilectionem contendat. Vnde ad Tit. Bostr. id loci Titus Bostrenus hũc cingulum sic capit: *Vult animo prompto ad quoduis opus bonum obeundum* Cyr. Alex. *paratos nos esse.* Addit S.Cyril. Alexandrinus in Catena S.Thomæ *Succingi significat agilitatem,& promptitudinem ad sustinenda mala intuitu diuini amoris.* En primum cingendi modum, & in ipso patentem viam, qua ad perfectionem pede non errante itur.

3. Altior sanè alter cingulus,qui non tam lumbos, quàm ipsummet pectus constringat; quo Dei Fi- Apoc. 1. 13. lium apud Ioan. Apocal.1.13. sic præcinctum videas: *Et conuersus vidi septem candelabra aurea. & in medio septem candelabrorum aureorum similem filio hominis, vestitum podere,& præcinctum ad mamillas zona aurea.* Alcaz. Quæ verba mirificè elucidantur ab Alcazar in commentario, dum & præstantiam, atque excellentiam huius cingendi modi fusè ostendit, nec alium ab hoc sacerdotalem cingulum fuisse,nisi quod illi tam byssus,quàm varij colores admiscerentur, Iosephus. Hierony. ex Iosepho, & Hieronymo efficaciter probat. Quid verò diuinus iste cingulus adumbret,nõ Psal. 92. 1. Epiphan. obscurè innuitur à Regio Vate Psal.92.1. cùm de Dei Filio humanam carnem assumente,vt Epiphanius lib.2.aduersus Ariomanitas interpretatur, ait: *Dominus regnauit,decorem indutus est,indutus est Dominus fortitudinẽ,& præcinxit se:* pulchrè enim Deus homo factus,vt sese hominibus cõmunicaret,vt eũ ipsi pro modo suo capere possent, præcinctus consideratur; id in iis Psaltis verbis sic expendente Greg. Nazianz.orat.42. Nazianz. *Deum quoque ipsum potentia indutum, atque accinctum inducit, nempe aduersus impios: nisi tamen malit quispiam potentiæ exuberantiam, ac velut restrictionem his verbis significari, quo etiam sensu lumine sicut vestimento amictus dicitur: effrenatam enim potentiæ ipsius, ac luminis vim quis sustinebit?* Vnde quidem Dei adiutoribus,siue cooperatoribus in animarum salute, hunc etiam perfectionis cingulum non immeritò aptaueris, cùm & ipsi non priùs id munus suscipiant, quàm egregios in virtute profectus fecerint, & aurea tunc charitatis zona præcincti seipsos sibimet sæpiùs denegantes,in animarum auxilium,& salutem omnibus omnia facti se totos impendant;ad eum planè modum quo 2.ad Corinth.12.15. dicebat Paulus: 2. ad Cor. 12.15. *Ego autẽ libentissimè impendam, & superimpendar pro animabus vestris.* & 1.ad Corinth.9.19. 1. ad Cor. 9. 19. *Cùm liber essem ex omnibus, omnium me seruum feci, vt plures lucrifacerem.*

4. Adsimilem huic in luce ex sacra pagina speculationem, & ratiocinationem possis conficere, vt duplex etiam lucendi, siue lucem in manibus habendi modus sit:nam & in hoc Lucæ loco dicitur, *& lucernæ ardentes in manibus vestris;* & apud Matthæum c.25.1.lego, Mat 25.1. simile factum esse regnum cœlorum decem virginibus, *quæ accipientes lãpades suas exierunt obuiam sponso,* &c. Id autem inter vtrumque locum inueniebam discrimen,vt virgines non lucernas ardentes, sed lampades; homines verò non lampades, sed lucernas, apta vnicuique personæ lucis imagine, in manibus habere dicantur; non tam quod virginum virtus occasionibus minimè exposita,aut circumcursans,sed domi clausa,vt lãpas in templo futura sit,secus quidem ac virorum, quibus opus sit in publicum procurrere,vt pietatis operibus vacent, non secus ac famuli, qui noctu dominum cum ardentibus lucernis, siue facibus comitãtur,aut expectant,(id enim ad castitatis tractatũ,de quo cap.4. huius Epistolæ expecta) quàm vt virgines lampades gestantes, ipsásque indesinẽter fouentes,eos propriè iustos adumbrent, qui solitariam,siue contemplatiuam,vt aiunt,vitam agẽtes,sibi solis prospiciunt, & propriæ virtuti ac perfectioni vacant (iusta enim similitudine virtutis studium cum lampade accensa, quam subinde foueri necesse sit,componitur, de quo vide Chrysostom. Chrysost. 1. ad Thess. 5.19 in id 1.ad Thessal.5.19. *Spiritum nolite extinguere:*) de aliorum salute,ac perfectione non curantes, eo animi sensu, quo Tertullianus lib. de Pallio cap.5. Tertul. dicebat: *Ego nihil foro,nihil campo, nihil curiæ debeo, nihil officio aduigilo, nulla rostra præoccupo, nulla prætoria obseruo,cancellos non adoro, subsellia non contundo,iura non conturbo,causas non elatro,non iudico, non milito,non regno, secessi de populo. Imò vnicum negotiũ mihi est,nec aliud nunc curo,quàm ne curem.* Quò quidem ire videtur illud prudentũ ad fatuas virgines oleũ seu auxiliũ exposcentes responsum, *ne fortè nõ sufficiat nobis, & vobis;* Mat. 25. ac si dicerent,ne vestræ salutis causa,nostram amittamus. Vnde statim Tertul. Tertul. eos qui priuatam,& occultam vitam ignauam, infamemque censebant,quod,scilicet, *patriæ & imperio, reique publicæ viuendum;* sic refellit: *Errat olim ista sententia,nemo alijs nascitur moriturus sibi.* At verò homines lucernas, siue faces in manibus tenentes,expectantes Dominum suum, vt illum domum deducant, Apostolos,& Euangelicos ministros denotent, qui propriæ saluti inuigilare non contenti,in proximorum salutem, & perfectionem incũbunt. Sub quo omnino sensu hæc verba, *& lucernæ ardentes in manibus vestris,* sic explicat S. Cyrillus Cyr. Alex. Alexand. in Catena S.Thomæ. *Lucernæ autem accensio significat, vt non patiamur aliquem in tenebris ignorantiæ*

ignorantiæ viuere. Quorum sanè typum mystica illa Ezechielis animalia clarè, præclaréque gerebant, quæ, vt plena essent oculis, vt ex Apocal. cap. 4.8. constat, quò sibi ipsis attenderent; simul etiam, & in similitudinem fulguris coruscantis discurrere, sic enim ibi versu 14. *Et animalia ibant, & reuertebantur in similitudinem fulguris coruscantis*, & facies, & pennas per quatuor partes habere dicebantur, vt argumento esset, non ad vnam, aut aliam regionem, sed ad quatuor orbis plagas illuminandas, vt videtur innuere ibi Theodoretus inferiùs adducendus, eorum curam, atque studium contendere.

Apoc 4.8. Ezech. 1. 14.

5. Iam verò quàm sublime, quamque diuinum fuerit, habitantibus in regione vmbræ mortis lucem inferre, perditísque, ac miseris hominibus animæ auxilium, opemque porrigere, celebris illa Dionysij Areopag. lib. 3. de cœlesti Hierarch. Thesis satis dilucidè ostendit, dum ait: *Vniuscuiusque enim eorum, qui in hierarchia cooptati sunt, in eo posita perfectio est, vt pro sua quisque virili parte ad Dei imitationem contendat, & id, quo nihil diuinius est, Dei, vt sacra Scriptura loquitur, fiat adiutor, diuinámque in se actionem, quantum potest, ostendat.* Vnde iure hic aptes quod lib. 16. cap. 4. dixit Plinius, antiquitus vni Deo coronam dedicatam; postea verò in homines, quod Deum imitantes aliis opem ferrent, atque iuuarent, fuisse etiam deriuatas. Sed enim, siue id non bene percalluit, siue nimis percalluit superbissimus ille Lucifer, qui Saluatoris, ac Redemptoris munus sibi adscribere, & præripere gestiebat, certè dum Dei Filium ex salute hominibus danda æternæ clementiæ coronam, & augustissimæ maiestatis splendorem in toto terrarum orbe accipere, & plus plus exaltari perpendit; quippe vt apud vetustum Esdræ codicem habetur lib. 4. c. 2. 43. *In medio eorum erat iuuenis statura celsus, eminentior omnibus illis, & singulis eorum capitibus imponebat coronas, & magis exaltabatur*: ipse non contentus si illius adiutor, & administratorius spiritus fieret, totum sibi diuinitatis splendorē præposterè, & inordinatè assumere præsumpsit. Sed scitè verbum vetus; *Ne quid nimis*: & sapienter dixit Ecclesiasticus c. 23. 38. *Gloria magna est sequi Dominum*: sequi, videlicet, non præcedere, aut æquari velle, hoc est, ad Dei imitationem contendere, & diuinæ beneficentiæ, & studij salutis animarū actionem, quantum fieri potest, exprimere.

Diony. Areop. 4 Esdr. 2. 43. Eccle. 23. 38.

6. Nec omittenda quæ sequuntur in Luca; *Et vos similes hominibus*, sed ac si emphaticè dicerentur, singula singillatim capienda. Porrò illud; *Et vos*, similem energiam habere videtur, ac id apud Matth. c. 16. 15. *Vos autem, quem me esse dicitis?* vbi Hierony. sic premit ly, *& vos*, vt ad discrimen hominum, de quibus paulo antè dixerat: *Quem dicunt homines esse filium hominis?* Apostoli, dij appellentur. *Prudens* (inquit) *lector, attende quod ex consequentibus, textuque sermonis Apostoli nequaquam homines, sed dij appellantur.* Quare sic accipio, & cum sequentibus, *similes hominibus*, connecto, vt sensus sit, oportere, vt ij, qui in aliorum salutem præcinguntur, & lucernas ardentes ad mundi illuminationem habent, quò opportuniùs, & efficaciùs hominibus opitulentur, è Deitatis fastigio, ad quod mediis diuinis virtutibus peruenerunt, descendant, & hominibus se similes exhibeant, ad modum Filij Dei, qui *cùm in forma Dei esset, semetipsum exinaniuit, in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo.* Sed quare? Vt, videlicet, in hominis natura contectus, ad hominum corda transfigenda electa Patris sagitta esset. Vide dicta ad vers. 7. adnot. 6. Et quidem illud olim scioli nonnulli apud Athanas. lib. de Incarnat. Verbi ambigebant, cur Dei Filius corpus solaribus radiis splendidius, quod diuinitatem suam præseferret, non assumpserit, necnon cur per alias præstantiores orbis partes sese noluerit ostendere. Quibus ille opportunè respondebat, ad Saluatoris munus illud potissimum spectare, vt non sua, sed quæ aliorum sunt, quæreret: proinde ipsum non alium corporis habitum, quàm qui hominibus salubrior, ac vtilior foret, delegisse. Audi Athanasium: *Cognoscat iste percontator non ad ostentationem venisse Dominum, sed vt mederetur, ac doceret eos, qui in malis erant. Ostentantis enim est, nihil affectare, nisi vt edat sui specimen, & spectatores in sui admirationem rapiat: medentis autem, & erudientis est, non quouis modo inuisere, sed ad commodum indigentium sese repræsentare, atque ita se exhibere, prout ferre possunt, qui eius operam requirunt, ne in excedendo necessitatem, vsumque patientium conturbet, & inutilis illis fiat Dei visitatio.* Ita ille. Quò quidem maximè facit illa de Paulo, & Barnaba accurata barbarorum hominum locutio Actuum 14. 10. *Dij similes facti hominibus descenderunt ad nos.* Etenim potiùs videbatur dicendum, homines diis similes ad illos aduentasse: sed egregio acumine his verbis significare voluerunt, Diuorum proprium hoc esse, se ad hominum habitum, & morem fingere, vt eos lucrifaciant. Act. 14. 10.

Matt. 16. 15. Hierony. Athanas.

7. Hæc iam sociis Iesv, Dei adiutoribus, & in saluandis hominibus cooperatoribus (præsertim verò sanctissimis Ignatio, & Francisco Xauerio egregiis huius militiæ ducibus, diuinique Iesv nominis per totum terrarum orbem vexilliferis) fidenter aptare non pigebit: ipsos enim vno, & altero modo succinctos videris, dum tam lumbos præcingunt, vt omnes carnis appetitiones coërceant, animusque à terrenarum rerum amore liber, ac expeditus reddatur, quàm ad animarum auxilium, & salutem aurea charitatis zona se constringunt. Et vt priorem cingulum, quod alterius loci sit, omittam, siue ad egregias Diuorum Parentum historias, & quas filiis suis constitutiones, & regulas ipsi tradiderunt, in quibus omnimoda puritas, & à terrenis rebus abalienatio præscribitur, transmittam; auream hanc charitatis zonam, qua ad proximorum salutem per omnes mundi plagas procurandam se accingunt, ipsemet Societatis scopus, atque institutum facilè manifestant; sic enim in ipso regularum limine: *Finis huius Societatis est, non solùm saluti, & perfectioni propriarum animarum cum diuina gratia vacare, sed cum eadem impensè in salutem, & perfectionem proximorum incumbere.* Adhæc: *Nostra vocationis est diuersa loca peragrare, & vitam agere in quauis mundi plaga, vbi maius Dei obsequium, & animarum auxilium speratur.* Vt, quod dicebat S. Cyril. Alexand. *non patiamur aliquem in tenebris ignorantiæ viuere*: sed qui germani socij Iesv habentur, omni modo, omnique cura, ac studio, velut ipsæmet ardentes faces, atque lucernæ, quæ vt alios illuminent semetipsas insumunt, in proximorum salutem, & auxilium libentissimè impēdantur, & superimpēdantur, huc quidquid ingenij, artis, studiorum, necnon corporalium, spiritualiumque virium in ipsis fuerit, omnino referentes. Quod quidem in zona aurea, qua ad mammillas Dei Filius, primariusq; Societatis dux, vt suos in se socios depingeret, præcingebatur, mirificè videas adumbratū. Quid enim fuerit mammillas constringere, nisi distenta lacte vbera ad nutriēdos liberos exprimere, atque in eorū lac, & nutrimentum quidquid alimenti sumitur, conuertere? Ita nutritor Ecclesiæ, quo nomine Paulum cōpellat Ambros. ser. 68. dicebat 2. ad Cor. 1. 3. *Benedictus Deus & Pater Domini nostri Iesu Christi, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra, vt possimus & ipsi cōso-*

Const Soc. Cyr Alex. 2 ad Cor. 1. 3 & 6.

lari eos, qui in omni pressura sunt. & statim vers. 6. *Siue autem tribulamur pro vestra exhortatione, & salute, siue consolamur pro vestra consolatione*: vt innueret, se non sibi, sed filiis, quos in Christo per Euangelium genuerat, natum, atque ideo quidquid à Deo accepisset, non tam in proprium sanguinem, quo ipsemet viueret, quàm in lac, quo fideles alerentur, indesinenter conuertere. Ad quem sanè modum illud sociis Iesv fuit semper persuasum, quidquid in ipsis fecundum, ac vtile, siue quidquid virtutis, litterarum, aliorumve donorum fuerit, id ad proximorum vsum, atque salutem totum illis à Deo fuisse concessum.

8. Hinc quidem peculiari de causa non alia sociis Iesv zona nisi aurea, hoc est, charitatis, qua ad hæc munera sponte procurrāt, aptanda fuit, quasi ad illos potissimum illud Assertoris nostri apud Matth. *Matth. 10. 9.* cap. 10 9. monitum spectet: *Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris.* Vbi dum meritò perquirit Hilarius Canone 10. in Matth. cur signatè non alia auri, siue argenti possessio, nisi ea, quæ in zona est, Apostolis inhibeatur: *Bed.* *cùm & ipse Dominus* (verba sunt Bedæ lib. 4. in Luc. cap. 54.) *cui ministrabant Angeli, tamen ad informandam Ecclesiam suam loculos habuisse legatur, & à fidelibus oblata conseruans, & suorum necessitatibus, aliisque indigentibus tribuens*; sic scitè respondet. *Hilar.* *Non inuidiosus vt arbitror, thesaurus in zona est. Et quid sibi vult auri argenti, atque æris in zona inhibita possessio? Zona est ministerij apparatus, & ad efficaciam operis præcinctio. Ergo ne quid in ministerio nostro venale sit, admonemur: neque hoc Apostolatus nostri opus fiat auri, argenti, ærisque possessio.* Quare *Const. Soc.* signatissima hæc inter Societatis constitutiones part. 6. cap. 2. §. 7. *Omnes qui sub obedientia sunt Societatis meminerint, se gratis dare debere, quæ gratis acceperunt, nec postulando, nec admittendo stipendium, vel eleemosynas vllas, quibus Missæ, vel confessiones, vel prædicationes, vel quoduis alind officium ex iis, quæ Societas iuxta nostrum institutum exercere potest, compensari videatur, vt sic maiori libertate, & proximorum ædificatione possit in diuino seruitio procedere.* Sanè vt qui Christo Iesu dederunt nomen, atque ipsius etiam nomine insigniuntur, ei in animarū salute procurāda, aurea charitatis zona præcincti, quoad fieri possit, similes euadant. Quid enim pretij in mundi redemptione, nisi ipsummet benefacere, & opem ferre, sibi ipsemet ob oculos proposuit? *Ambros.* Audi Ambrosium lib. 3. de interpellatione Iob. cap. vlt. *Christus per naturam bonus, non propter præmij cupiditatem: ideo passus est, quia benefacere eum delectauit, non quia incrementum gloriæ ex sua passione quærebat.* Quare non omnino abs re huc aliquis referat, diuini numinis consilio factum, vt Christi Vicarius eodemmet die, qui Sanctis Martyribus Cosmæ, & Damiano sacer est, Societatem nostram approbatam, sancitamque voluerit: etenim Diuos hosce, & Medicos fuisse, & ἀναργύρους, hoc est, sine nummo curantes, apud eorum Acta reperies.

9. Aurea quidem non tam zona, quàm corona Societatis, quando & Paulus suam in hoc gloriam, *1. ad Cor. 9. 13.* gloriationemque constituat, Epist. 1. ad Corinthios cap. 9. 13. inquiens: *Bonum est enim mihi magis mori, quam vt gloriam meam quis euacuet.* Sed quam gloriam? *Theodor.* Respondet Theodoretus: *Gloriationem suam appellat Apostolus gratis prædicare, & positos terminos transilire.* Sed quare gloriam suam appellarit Paulus, gratis euangelizare? Dixeris rationem esse, quod ad veram euangelizandi rationem gratuita, & liberalis ministratio adeò pertineat, vt si ad lucrum simul intendatur, pro vera gloria, inanis subsequatur. Vnde Gregor. Nazianz. orat. ad centum *Nazianz.* & quinquaginta Episcopos dicebat: *At nauatæ operæ merces, sola confessio est; non enim aliud quærimus, aut quæsiuimus: virtutem enim mercedis expertem esse oportet, vt virtus maneat, bonum ipsum dumtaxat sibi proponens.* & Lactantius lib. 3. diuin. institut. cùm vete- *Lactant.* res Philosophos increpasset, quod scientiam, quæ non secus ac Sol, aut aqua gratis est eroganda, pretio diuenderent, de Christi discipulis sic ait: *Apud nos gratis ista fiunt, facilè cito modo pateant aures & pectus sapientiam sitiat, nos aquam non vendimus, neque Solem mercede præstamus.* Quò pulchrum illum Romanorum morem, ritumque de coronarum materia, de quo Plin. lib. 16. natur. histor. c. 4. opportu- *Plin.* nè referas: etenim cùm victoriæ coronas, quibus egregios milites donabant, ex auro conficerent; ciuicam tamen ob seruatum, scilicet, ciuem, quæ apud ipsos in summo honore erat, ex nullius pretij materia fieri volebant, nimirum, ne in hominis salute procuranda ad lucrum aliquo modo adspiceretur; sic enim ibi Plin. *O mores æternos, qui tanta opera honore solo donauerint, & cùm reliquas coronas auro commendarent, salutem ciuis in pretio esse noluerint; clara professione, seruari quidem hominem nefas esse lucri causa.* Ita Plinius. Bene; sed ad Pauli mentem opportuniùs, credo, dixeris, ideo gloriam suam appellasse, nolle victum sibi à Corinthiis, quibus Euangelium disseminabat, suppeditari, quod signatè hac in re diuina imago, & similitudo resplendeat; Hi- *Hilar.* lario citato loco illud Assertoris monitum Matth. 10. 8. *Gratis accepistis, gratis date*, sic premente: *& vt ex toto secundum Genesis prophetiam Dei similitudinem consequantur, dare gratis, quod gratis acceperunt, iubentur, vt sit, scilicet, ministratio gratuita muneris gratuiti.* Vnde tanta emphasi Apostol. *Bonum est mihi magis mori*: ac si diceret, præstat dubio procul fame, & siti confici, quàm pulcherrimam Dei imaginem, & characterem amittere. Sed verbum illud, *euacuet*, cum allusione ad vacuum, quod natura tantopere exhorrescit, elegantem energiam, atque vim in hanc rem habet, vt indicet Paulus, se huic sententiæ non minus firmiter, mordicusve adhærere, quàm natura pertinaciter obsistit, atque repugnat, ne vacuum detur; atque vt eius rei causa plura præter rerum ordinem operatur prodigia: videmus enim vasa è solidissima materia magno impetu frangi, necnon sæpe grauia corpora nulla externa vi impellente in sublime ferri, ibique manere, sæpe leuia deorsum tendere, & in loco inferiori subsistere; ita ipsum omni via, atque ratione toto impetu, atque conatu pugnaturum, & repugnaturum ne à tanta gloria, vel tantillum excidat. Quod non malè explicaret Hispanismus: *Antes coser è mi boca con vna pared, que tal haga.*

Quod si Societatem adumbratam, siue prophe- 10.
tico penicillo depictam videre velis, in mystica Ezechielis animalia, quæ currum gloriæ Dei vehere dicuntur, de quibus paulò antè diximus, oculos coniice. Etenim si in illis Societatem Iesv à Vate prænuntiatam fuisse animosè dixero, non obscurè pro me fideiussurum Regium Psaltem existimabo; etenim Psal. 67. qui ad literam de Ecclesia Christiana totus est, vers. 10. sic inquit: *Pluuiam volunta-* *Psal. 67. 10.* *riam segregabis Deus hæreditati tuæ, & infirmata est: tu verò perfecisti eam. Animalia tua habitabunt in ea.* Pende singula, & in primis pluuiæ nomine, vt meliores interpretes inibi obseruant, peculiare aliquod ac largum Ecclesiæ collatum beneficium significati, certum est, phrasi in Scripturis vsitatissima. *Isai. 5. 6.* Vide Isaiæ c. 5. 6. *Et nubibus mandabo, ne pluant super eam imbrem.* Vbi non solùm significatur in pluuia summum

summum beneficium, sed etiam innuitur in siti agrorum graue incommodum. Deinde nota cum P. Sanchez in hunc Psalmi locum in illis verbis, *infirmata est, tu verò perfecisti eam*; deficere particulam conditionalem, *si*, iuxta morem Hebræorum, quem pluribus ille exemplis confirmat, vt Deuter. 4.30. *Reuerteris ad Dominum Deum tuum*: id est, si reuerteris; & cap. 30.8. *Tu autem reuerteris, & audies vocem Domini*: id est, si reuerteris, & audieris; & Ioan. 7.34. *Quæretis me, & non inuenietis*: id est, si quæsieritis. Vnde ille est sensus; si quando Ecclesia tua, Domine, graue aliquod incommodum ab aduersariis pati cœperit, ac velut ex imbrium siti sterilitas, & agrorum lues obuenit, vexata langueat, paternæ tuæ curæ, ac sollicitudinis erit, illam confirmare. Sed qua ratione? Subdit: *Animalia tua habitabunt in ea*. En præclarissimum de Societate vaticinium. Nam vox Hebræa, *Haiath*, quæ ibi in singulari, & fœminini generis est, propriè significat, vt obseruat Arias Montanus, *Societatem*; vnde ad verbum vertas: *Societas tua habitabit in ea*; vel, *Societatis tuæ viri habitabunt in ea*: est enim in Hebræo verbum in plurali, nomen verò in singulari, quod plurium collectionem significet, eo modo quo apud Poëtam, *Pars in frusta secant*. Fauet tam lectioni, quàm sensui, tum hanc vocem, *Haiath*, inueniri 2. Reg. 23.11. & 14. vbi pro ea LXX. reposuerunt *ordinem*, seu *stationem militarem*; tum etiam ex omnium Hebræorum sententia significare idem quod *Mahane*, id est, *castra*: quid enim Societatem, siue, vt Hispanè dicimus, *Compañia*, nisi stationem militarem, aut castra sonare dixeris? Nec ab hoc sensu aliæ lectiones, siue translationes eunt: sic enim Sanctes Pagn. *Congregatio tua habitauerunt in ea*: similiter Genebrardus, *tui electi, tuum peculium, tui greges, & copiæ, tuæ oues, quarum tu es pastor*; propiùs verò accedens Chald. *Vnificationem tuam collocasti in ea: præparasti exercitus cœtuum Angelorum, vt benefaceres pauperibus Dei*. Ergo ac si Societatem IESV tunc temporis, cùm inter innumera hæresum, schismatum, errorum, ignorantiæ, ac vitiorum discrimina magno Ecclesiæ adiumento, & bono nata est, præsentem Vates haberet, Deum sic alloquitur. Quod si Ecclesia tua, Deus, ab inimicis tuis, id est, ab Hæreticis, Schismaticis, Ethnicis, & Infidelibus; necnon ab internis hostibus, peccatis, vitiis, noxia diuinarum rerum ignorantia, diuini obsequij, & salutis obliuione insigniter aliquando vexata fuerit, tu illam peculiari prouidentia, & auxilio defendes, confirmabis, perficies. Sed quonam modo? *Societas* (inquit) *tua habitabit in ea*: Societas, scilicet, IESV, animalia tua, tui greges, & copiæ, tua peculiaris congregatio, tuæ oues, quarum tu es pastor, & quas tuo charactere insigniri voluisti, tui milites, quorum tu es dux; exercitus cœtuum Angelorum, siue spirituum, qui administratorij, & adiutores tui sunt, dum egregia morum probitate, ardenti gloriæ tuæ zelo, indefessa diuini verbi prædicatione, egregiaque librorum, siue qui ad animi profectum spectant, siue qui ad res Theologicas, Biblicas, Philosophicas, & humaniores disciplinas pertinent, scriptione, omnibusque tandem ministeriis ad hominum salutem conducentibus, Ecclesiæ incommodis, fessisque rebus omni modo, omni ratione subueniunt. Etenim pueros à teneris vnguiculis literarum, & virtutis rudimentis imbuent, adolescentiores instituent, hos ad virtutem manuducent, illos ab errore, & lubrico reuocare contendent, Schismaticos ad Ecclesiæ castra reducent, Hæreticos disputationibus, & scriptis perpetuò confutabunt, Infidelibus Euangelij lucem inferent.

Vellazq. in Epist. ad Philippens.

[Margin: P. Sanch. — Deut. 4.30. — Deut 30.8. — Ioan 7.34. — Lect. Hebr. — Arias Mont. — Virgil. — 2. Reg. 23.11. & 14. LXX. — Pagnin. — Genebr. — Chald.]

11\. Quod si egregium hoc Dauidis testimonium, siue hæc Dei animalia cum Ezechielis animalibus composueris, maius de nostra Societate vaticinio accedit robur. Nam in primis, quid Societatem per omnes orbis terrarum oras ad salutem animarum procurandam discurrentem, atque, vt de auidissimis mercatoribus dixit Satyricus,

—— Excute solers
Omne latus mundi; ——

omne mundi latus excutientem opportuniùs adumbrauerit, quàm quadriformis illa animalium pictura, *& vnumquodque eorum coram facie sua discurrens?* in quæ verba Theodoret. *Homo ad Borealem partem incedens, deinde cum vult ad Australem redire, necessariò conuertitur vnam tantùm faciem fortitus: sed cui tot sunt numero facies, quot partes orbis terræ, huic Australe nihil est, sed vbique facies illius omnia intuetur*. Vel si placet Societatis faciem omnia intuentem, & quà patet orbis diffusam, quidque ipsa adnitatur, quid agat, contemplari: videbis profectò ipsam, quà se porrigit Germania, quà proluit Septemtrio, Lutheranas extirpantem radices, quà subiacent Galliæ, indicentem bellum Caluino; in Anglia omni Hæreticorum (proh dolor!) quassata tormento, Ecclesiæ iam iam ruinam minitanti validum admouentem fulcrum. Sed & trans immensum ad Indos pelagus, quidquid Sol, aut lustrat oriens, aut inuisit occidens, sociorum IESV prædicatione illustrarum iam, & in Iaponiorum regna, & in cultam, atque politicam Sinarum barbariem Christi Euangelium felici fœcundæ messis prouentu à Iesuitis primitus reperies inuectum: nec plures ex his IESV sociis in vastissimo, atque obscuro Æthiopiæ regno, quin oleum, & operam perdant, Æthiopes indesinenter dealbantes, videre desieris; de quibus sic nescio quis non infeliciter cecinit:

O quibus expositum Luna sub montibus orbem
Contigit, ac Libyci Solis inire vias.
Vos & cælestes populis sitientibus vndas,
Et noua de cælo flumina diuiditis.
Non vos Æthiopum vastissima regna fatigent,
Terreat aut nigri credita cura gregis.
Spargite felices vndas, ô spargite: deinceps
Non lauat Æthiopem, qui lauat Æthiopem.

Quasi verò aliqua sit mundi plaga, quam non Societas aut erudiendo instruat, aut prædicando promoueat, aut confessionibus perlustret, aut iuuentutis institutione non colat: *Neque enim* (ita Seneca lib. de tranquil. animi cap. 3.) *is solùm Reip. prodest, qui candidatos extrahit, & tuetur reos, & de pace belloque censet, sed qui iuuentutem exhortatur, qui in tanta bonorum præceptorum inopia, virtute instruit animos, qui ad pecuniam, luxuriamque cursu ruentes prensat, ac retrahit, & si nihil aliud certè moratur, in priuato publicum negotium agit*: aut tandem, quod non minus frequens, quàm gloriosum Societati est, prodigo sanguinis fusu non ornet. Vis bonum huius tam ambitiosi præconij fideiussorem? Audi egregium Theologum Lusitanum Didacum Payuam de Andrade libro 1. orthodoxæ explicat. conclamantem: *Infinitum quidem esset, numerando percensere, quot huius Sodalitatis viri in hoc docendi Euangelij, atque Indicos homines ab impietate auocandi munere verberibus cæsi fuerint, quot vinculis obstricti, quot in carceres miserè contrusi, quot inedia ferè consumpti, quot denique ob Christi nomen varijs cruciatuum generibus interierint*. Vis meliorem, firmioremque Pontificium sermonem quem habemus? Audi Pium V. Pontificem Maxim. in Bulla pro Societate: *Non contenti terrarum finibus, vsque ad Orientales, & Occidentales Indias penetrarunt, atque eorum aliquos*

[Margin: Persius. — Theod. — Senec. — Did. Andrad. — Pius V. Pontif. in Bull. Soc. pag. 112.]

ita Domini amor perstrinxit, vt etiam proprij sanguinis prodigi, vt verbū Dei inibi efficaciùs plantarēt, martyrio volūtario se supposuerint; perque eorū spiritualia exercitia etiam regna ipsa fidem Christi agnouerunt. Sanè vt dū mystica hæc animalia, hos inquam Cherubinos (hæc enim Ezechielis animalia eadem cum Cherubinis erant, vt disertè inquit Ecclesiasticus c. 49. (Eccl. 49.10.) 10. *Ezechiel qui vidit conspectum gloriæ, quam ostendit illi in curru Cherubim*) consideraueris, eosdem, siue eiusdem rationis cum illis esse credideris, quos ex Dei præscripto in templi parietibus cū palmis, quæ ipsorum manibus responderent, sapiens Salomon insculpsit: sic enim lib. 3. Regum 6. 29. (3 Reg. 6.29.) *Et omnes parietes templi per circuitum sculpsit varijs celaturis, & torno: & fecit in eis Cherubim, & palmas, & picturas varias, quasi prominētes de pariete, & egrediētes.* Quid enim hæc opportuniùs denotent, quàm opima, ac gloriosa spolia, quæ tam Apostoli, quàm Euangelici Doctores, ac ministri, signatè verò Societatis Iesv viri toto terrarum orbe diffusi in maximum Christianæ, atque Romanæ Ecclesiæ templum illaturi, illustrissimasque victorias, ac triumphos, quos de Euangelij hostibus, Ethnicis, Hæreticis, Schismaticis, hominibusque vitiorum sordibus infectis reportaturi erant? Vbi illud etiam velim consideres, videri quodammodo Cherubinos hosce, seu administratorios spiritus in animarum salutem indesinenter incumbentes, in illorum locum, ac sedes, qui præpostera ratione, & affectu, mundi saluatores, atque magistri temerario ausu esse ambierunt, fuisse subrogatos, dum in mundi salute procuranda Dei adiutores, & cooperatores peculiari, & signatissima ratione se profitentur. Tanti à Deo procurata animarum salus, tanti Societatis institutum fit.

12. Nec caret emphasi, siue lepore in hac sociorum Iesv cum cœtu Angelorum (vt inquit Chaldæus) imagine, siue similitudine, maxima hinc in ministeriis, quæ cœlestes spiritus pro salute hominum obeunt inæqualitas, illinc verò summa ipsorum in suo munere obeundo perfectio, & æqualis de eo lætitia, atque gaudium. Vt enim Michaëlem pro Dei gloria illustrissima prælia suscipientem, & Gabrielem lætissima Incarnationis Dominicæ nuntia ad Virginem afferentem vides; ita tibi Raphaël nō modò curatum pauperem Tobiam missus, sed agasonis, seu tabellarij etiam munia exequens occurret: similiter vt Regi maximo, aut Pontifici summo Angelus quidam tutelaris assistit; ita miseri, & abiecti pauperis, qui in squalore, & sordibus degit, Angelus altero non inferior curam habet, & pari omnino vterque sollicitudine muneri suo inuigilat, æqualique de ipso lætitia perfunduntur. Procul enim ab hac re vulgaris ille error, de quo (Plin.) Plinius agens de syderibus lib. 2. natur. hist. cap. 6. *Sydera quæ affixa dicimus mundo, non illa, vt existimat vulgus, singulis attributa nobis, & clara diuitibus, & minora pauperibus, obscura defectis, ac pro sorte cuiusque lucentia adnumerata mortalibus.* Quem sanè ad modum Societatis viros hinc videris inæqualia munera obeuntes, dum alius non secus, ac Michaël pro Dei gloria, & Ecclesiæ Catholicæ exaltatione cum Hæreticis, & Schismaticis scriptione, & disputatione manus conserit: alius vt Gabriel ad Indos, & Infideles lætissimum Euangelij nuntium fert: alius verò inter pauperes agens humilium confessiones excipit, infirmos in Xenodochiis, vt Raphaël inuisit: alius puerorum institutioni præficitur: illinc verò æquali promptitudine, & alacritate, imò verò eadem sæpiùs literaturæ, & prudentiæ supellectile, eam inæqualibus omnes ministeriis operam nauare, vt qui minoribus, & ignobilioribus incumbit, non minus quàm qui in maximis, & gloriosissimis versatur, excellat. Vnde si hosce Dei adiutores intuitus, sapientissimum quemque cum alio literarum vix gnaro composueris, iure de vtroque dixeris quod de Moyse hominum sapientissimo, qui Dei opera, mundique historiam, ac populi res gestas scripsit, & de Petro rudi prorsus, & imperito, cùm à Christo vocatus mundum reliquit, dixit Ambros. in clausula vltima lib. 3. de Virginib. (Ambros.) *Magna in diuersis virtutibus Dei gratia; in illo, quia mundum descripsit, in isto, quia mundum ignorauit.* Vel quod Tertullian. lib. ad Scapulam de primitiuis (Tertul.) Christicolis: *Cùm tanta hominum multitudo pars penè maior ciuitatis cuiusque in silentio, & modestia agimus, singuli ferè noti, quàm omnes.* Vel etiā quod de Stoicorum sententiis Seneca epist. 33. (Senec.) *Inæqualitatem scias esse, vbi quæ eminent, notabilia sunt. Non est admirationi vna arbor, vbi in eamdem altitudinem tota sylua surrexit.* & post pauca: *Quocumque miseris aciē oculorum, id tibi occurret, quod eminere posset, nisi inter paria legeretur.* Sic Seneca.

Sed illud in hac allusione ad Ezechielis anima- 13.
lia pro re nostra signatissimum est, sub animalium nomine, externaque figura, sublimes Cherubinos, & cœlestes spiritus delitescere: vnde phrasi studiosè quæsita videris dixisse Prophetam, *similitudo animalium*, Ezechiel. 1. vers. 5. & 13. (Ezech. 1. 5. & 13.) quasi aliud quidem essent, aliud exteriùs præseferrent; nimirum, quod spirituales hi diuinæ militiæ duces, & administratorij spiritus, etsi cœlestis contemplationis, egregiarumque virtutum ratione conuersationem in cœlis habeant, dicente Paulo hac Epist. cap. 3. (Ad Phil. 3. 10.) 20. *Conuersatio nostra in cœlis est*: attamen vt animarum saluti opportuniùs consulant, communem cū cæteris vitæ rationem, & consuetudinem, siue potiùs externam faciem, & habitum omnibus persimilem habeant, ad eum omnino modum, quo Lucillum ad homines virtuti conciliandos instituens Senec. epist. 5. dicebat. (Senec.) *Illud autem te admoneo* (perstringo sententiam) *ne facias aliqua, quæ in habitu tuo, aut genere vitæ notabilia sint: asperum cultum, & intonsum caput, & negligentiorem barbam deuita: satis ipsum nomen Philosophiæ, etiamsi modestè tractetur, inuidiosum est, quid si nos hominum consuetudini cœperimus excipere? Intus omnia dissimilia sint; frons nostra populo conueniat: non splendeat toga, ne sordeat quidem, id agamus vt meliorem vitam sequamur quàm vulgus, non vt cōtrariam.* Sed quare? subiicit opportunissimam rationem. *Alioqui quos emendare volumus, fugamus, & à nobis auertimus; illud quoque efficimus, vt nihil imitari velint nostri, dum timent, ne imitanda sint omnia.* Hæc Seneca. Qua omnino mente Societatis Parens, & Institutor præscribit: *Ratio viuendi in exterioribus iustas ob causas communis est, maius Dei obsequiū semper intuēdo.* At quæ istæ iustæ causæ? illa quidem potissima, ne quos emendare volumus, fugemus, sed omnibus omnia facti, faciliorem ad omnes aditum habentes, omnes ad Pauli morem Christo lucrifacere adnitamur.

Sed num in hac communi viuendi ratione Se- 14.
necæ, aut alterius Philosophi, siue cuiusuis è Diuis, & non potiùs ipsiusmet Filij Dei in similitudinem hominum facti, & habitu vt homo inuenti, discipulos nos exhibemus? Certè S. Thomas 3. part. quæst. 40. articulo 1. dum inquirit: *Vtrum Christus in hoc mundo austeram vitam ducere debuerit*; sic respondet. *Respondeo dicendum, quod sicut dictum est, congruum erat Incarnationis fini, vt Christus non ageret solitariam vitam, sed cum hominibus conuersaretur; qui autem cum aliquibus conuersatur, conuenientissimum*

tissimum est, vt se eis in conuersatione conformet, se-
1. ad Cor. 9. 22. *cūdum illud Apostoli 1. ad Corinth. 9.* omnibus omnia factus sum: *& ideo conuenientissimum fuit, vt Christus in cibo, & potu communiter se sicut alij haberet.* Sed quam ob causam? Nimirum, vt in humanitatis, siue humanæ, ac communis conuersationis pharetra absconditus, atque contectus, ad transfigenda hominum corda sagitta prodiret electa. Adi dicta vers. 7. adnotat. 6. numer. 4. ex Venerabi-
Pantal. li Pantaleone Diacono, Regis imaginem, qui dum prædæ insidiatur, regia maiestate deposita communi habitu se amicit, opportunè versante. Adde verò quæ ad hanc rem ipsemet Dominus apud
Matt. 11. 17. Matth. 11. 17. sic inquit: *Venit Ioannes, neque manducans, neque bibens, & dicunt; demonium habet: venit filius hominis manducans, & bibens, & dicunt: ecce homo vorax, & potator vini, publicanorum, & peccatorum amicus.* Vides Christum præ Ioanne peccatores, & publicanos ea potissimum de causa ad se allicientem, quod ipse manducans, & bibens: Ioannes verò non manducans, & bibens aduenerit? Sanè quasi vterque ad figenda hominum corda sagittæ fuerint, eo tamen discrimine, quod Christus in communis vitæ, ac conuersationis pharetra absconditus, tamquam electa sagitta aufugiētem à Ioanne prædam transfixerit. Audi ad ea ver-
Chrysost. ba Chrysost. homil. 38 in Matth. *Huiusmodi autem est, quod dicitur: oppositis quibusdam itineribus ego, & Ioannes ad vos venimus, idemque fecimus quod venatores solent facere, qui quando fugacissima, captúque difficilia insectantur animalia, non vna via, sed diuersis; & non diuersis solùm, sed per contrarias plerumque aggrediuntur, vt si alterum effugerint, in alterum incidant.* & post nonnulla: *nullum enim signum Ioannes fecit, Christus verò signorum, atque miraculorum testimonio claruit; illam autem aliam viuendi viam, quæ ieiunio claros efficit, Ioanni omnino postea dimisit; ipse verò publicanorum, atque peccatorum mensas elegit, vt publicanos, & peccatores saluaret.* Hæc ille, & alia.

15. Quò quidem duplex illa Sacerdotibus præscripta vestis, alia, nimirum, lanea communis cum populo; alia verò linea, & subtilis ad sacrum mini-
Ezech. 44. 17. & 19. sterium, de quibus apud Ezechielem cap. 44. 17. significantissimè faciunt, sic enim ibi: *Cumque ingredientur portas atrij interioris, vestibus lineis induentur, nec ascendet super eos quidquam laneum, quando ministrant in portis atrij interioris, & intrinsecus:* versu verò 19. *Cumque egredientur atrium exterius ad populum, exuent se vestimentis suis, in quibus ministrauerant, & reponent ea in gazophylacio Sanctuarij, & vestient se vestimentis alijs.* Quid enim hæc aptiùs adumbrent, quàm Apostolicos viros, & Euangelij ministros sese ad proximorum captum, & vtilitatem accommodantes; & qui intus omnino sunt dissimiles, conueniētem populo frontem adducentes? Ita ad id loci
Greg. Mag. Gregor. Magnus hom. 11. in Ezech. vbi cùm dixisset: *Nihil ergo tam onerosum in ordine Sacerdotum video, quam rigorem mentis compatiendo flectere, & cum personis superuenientibus animum mutare, & tamen hoc valde est necessarium;* præfata Vatis verba hunc in modum premit: *Grossiora quippe vestimenta sunt lanea, sed cum Sacerdos ad sanctum ministerium accedit, id est, cùm intus per compunctionem ingreditur, subtiliori intellectu necesse est, quod ipse quasi lineo vestimento vestiatur. Sed cum ad populum foras egreditur, oportet vt vestimenta, in quibus intrinsecus ministrauerat, reponat, atque populo alijs vestibus indutus appareat,* &c. *Grossiora ergo vestimenta Sacerdos exiens ante populum induat, vt mentis suæ habitum pro vtilitate filiorum etiam ad terrena toleranda com-*

ponat. Vnde sic sapienter concludit: *Pensate ergo fratres charissimi, quantus speculatori labor sit, & ad sublimia cor tendere, & hoc repentè ad ima reuocare, & in sublimitate cognitionis intimæ extenuare animum, & propter exteriores causas proximorum, vt ita dicam, subitò in cogitatione crassescere.* Pende illud, *quantus speculatori labor sit.* Quippe cùm sibi prospicit, & cœlesti conuersationi inhæret, maximam ex illa delectationem percipit, vnde dum ab ipsa quasi à proprio centro diuellitur, non potest non grauiter dolere; sed enim quod proximorum vtilitas aliud suadeat, non patienter solùm, sed libenter, atque alacriter ad ima se deiicit. Preme deinde phrasim illam, *in cogitatione crassescere.* Subtilissima quidem, vt ita dixerim, crassitudo, & valde sublimis descensus, dum proximorum amore superna, atque cœlestia contemplationis, & beatissimæ requiei culmina Euangelicus minister deserit, & ad debilium infirmitates descendens, illorum captui se aptat, & accommodat. Vnde ad eadem Ezechielis
verba Hieronymus: *Vestibus lineis vtuntur Ægypty Sacerdotes non solum intrinsecus, sed & extrinsecus. Porrò religio diuina alterum habitum habet in ministerio, alterum in vsu, vitaque communi:* diuinam inde religionem pensitans, quod pro aliorum vtilitate lineam, & subtilem, sicubi opus est, vestem deponat, & communem cum populo assumat. Hierony.

Sed & hac omnino de causa nullus Iesuitis certus habitus, nullum indumenti genus, sed iuxta 16.
decentem eius in qua degunt regionis Sacerdotum vsum, ac modum signatè præscriptum: quod sanè ita mordicus retinuit semper Societas, vt ipsimet Ethnicorum habitui sese conformare, & dum inter Iaponios, & Sinas degit, eamdem, qua illorum Sacerdotes, & literati viri vtuntur, togam assumere non dubitet: adeò suam frontem populo conuenire studet, & pro vtilitate proximorum alias, atque alias vestes interioris, atque exterioris conuersationis assumere, & commutare, vt in eiusdem habitus, & effigiei pharetra abscondita, electa ad compungenda hominum corda sagitta sit. Dixeris doli, & insidiarum speciem hanc esse: ita omnino; ad illius, nimirum, venatoris mentem, qui cùm omnibus omnia fieret, dicebat: *Cùm essem astutus, dolo vos*
cepi, 2. ad Corinth. 12. 16. Sed quo dolo? Bono 2. ad Cor. 12. 16.
quidem, & salutari, non malo, & noxio. Certè, si memini, hanc doli distinctionem, siue explicatio-
nem tradebat Vlpianus Iureconsultus in leg. 1. §. Vlp. I.C.
Non fuit autem contentus Prætor. ff. de dolo malo. *Non fuit autem contentus Prætor dolum dicere, sed adiecit malum, quoniam veteres dolum etiam bonum dicebant, & pro solertia hoc nomen accipiebant.* Bono ergo dolo, & admirabili solertia Corinthios venabatur Paulus, ad illorum conuersationem sese vndique effingens, & pro illorum captu aliam, & aliam stolam mutans. Vnde de ipso Origenes ho- Origen.
mil. 4. in Leuitic. sic inquit: *Vides hunc doctissimum Sacerdotem, quomodo indutus sit; cùm est intus inter perfectos, velut in Sanctâ Sanctorum, alia vtitur stola doctrinæ: cùm verò exit ad eos, qui incapaces sunt, mutat stolam verbi, & inferiora docet, & alios lacte potat, vt paruulos, alios oleribus nutrit, vt infirmos, alijs verò fortes preparat cibos, ijs, scilicet, qui pro possibilitate sumendi exercitatos habent sensus ad discretionem boni, vel mali. Sic sciebat Paulus mutare stolas, & alia vti ad populum, & alia in ministerio sanctorum.* Hæc Origenes. Quem equidem ad modum Societatis homines videris siue ad singularum gentium habitum sese componentes, siue pro eorum, quos Deo lucrari student, captu, alias, & alias doctrinæ stolas demutantes, & in

pueriliibus, rusticisque conuentibus repuerascentes cum pueris, & rusticè etiam suo modo sapientes cum rusticis, vt omnes lucrifaciant.

17. Sed age, & quod ad rem nostram id mirificè faciat, vtrumque dolum enucleatiùs explicemus, & ob oculos proponamus: videas enim tam bonum, quàm malum dolum in eo potissimum cardine ad efficaciter suadendum, ac decipiendum versari, vt ad alterius gustum, & normam aliquis se accommodet, & effingat, quò in eius animum blandè illabatur, & insinuetur. Et quidem de arte malè decipiendi, qua ad capiendas animas malus
Iob. 40. 13. dæmon vtitur, sic eleganter Sanctus Iob cap. 40.
13. *Ossa eius, fistula æris:* vbi non dubium, vt sci-
Pined. tè ibi aduertit Pineda, quin ex vtroque nomine tum æris, tum ossium, ingens illius fortitudo, & vires significentur, non ex, scilicet, quibus aheneos muros valeat confringere, sed callidæ artes, & subdolæ machinationes, quibus animum blandè pelliciat, atque seducat; *quia sicut*
Greg. Mag. *in ossibus* (inquit ibi Gregor.) *corporis robur subsistit, ita in fraudulentijs tota se eius malitia ingerit.* Sed quæ tandem ea illius fortitudo fuerit, quæ subdolæ hæ artes, & technæ? Aperit id fistulæ æris imago, qua innuitur, pessimum hunc impostorem ex hominum nutu, & sententia, tibia canere, siue tympanum pulsare; Hispanè, *Les haze el son conforme a su gusto.* Quod luculenter persequitur
Greg. Mag. idemmet Gregorius lib. 29. Moral. cap. 12. dum ea
Iob. 38. 24. Iob. verba cap. 38. v. 24. *Diuiditur æstus super terram*, sic premit. *Rectè verò etiam diuidi æstus dicitur, quia, nimirum, non singuli omnibus, sed quibusdam vicinis, ac iuxtà positis vitijs fatigantur. Prius enim conspersionem vniuscuiusque antiquus aduersarius perspicit, & tunc tentationis laqueos apponit. Alius namque lætis, alius tristibus, alius timidis, alius elatis moribus existit. Quò ergo occultus aduersarius facilè capiat, vicinas conspersionibus deceptiones parat. Quia etenim lætitiæ voluptas iuxtà est, lætis moribus luxuriam proponit. Et quia tristitia in iram facilè labitur, tristibus poculum discordiæ porrigit. Quia timidis supplicia formidam, pauentibus terrores intentat; & quia elatos extolli laudibus conspicit, eos ad quæ voluerit, blandis fauoribus trahit. Singulis igitur hominibus vitijs conuenientibus insidiatur. Neque enim facilè captiuaret, si aut luxuriosis præmia, aut auaris scorta proponeret. si aut voraces de abstinentiæ gloria aut abstinentes de gula imbecillitate pulsaret, si mites per studium certaminis, aut iracundos capere per fauorem formidinis quæreret.* Hæc Gregorius.

18. En dolum malum; vide iam bonum apud Oseam
Osee 2. 14. cap. 2. 14. vbi sub Domini persona hæc ait Vates: *Propter hoc, ecce ego lactabo eam, & ducam eam in solitudinem, & loquar ad cor eius.* In quæ verba egre-
Riber. gius est Riberæ commentarius, tam ex Hebraico fonte, quàm ex Græco, & Latino idiomate sapienter admonentis, verbum, *lactare*, inibi idem esse, ac
Lxx. Vatabl. decipere; quem sanè ad modum Lxx. & Vatablus
Pagnin. reponunt: *Ideo ecce ego seducam eam:* similiter Pagninus, & Leo Iudas, quorum prior habet: *Propterea ecce seduco eam:* posterior verò, *pelliciam eam verbis.*
Ruffin. Sed obserua simul ex Ruffino, in his verbis allusionem esse ad delicatissimum illum mannæ cibum, quo filios suos in deserto Dominus pauit. *Lactatio* (inquit ille) *cibū manna videtur ostēdere, à lactis, videlicet, similitudine, vt arbitror:* vt, nimirum, blandæ huius seductionis natura, modusque innueretur; nosti enim quid de manna dixerit Salomon Sa-
Sap. 16. 20. pientiæ c. 16. 20. *Angelorum esca nutriuisti populum tuum, & paratum panem præstitisti illis sine labore, omne delectamentum in se habentem, & omnis saporis suauitatem.* Pro quibus verbis, vt alibi monui, & Biblia Complutensis habet, *& congruum ad omnem gu-* Bibl Compl.
stum; & è Græco fonte ad verbum vertas, *coherentem aptissimè, & quasi harmoniam cum ipso gustus sensu efficientem.* Sanè vt argumento sit, bonum Dominum non aliter bonos, & salutares dolos, quibus hominem venetur, & capiat, instruere, quàm illius gustui, siue conspersioni (qua phrasi superiùs vtebatur Gregorius) velut cibum ad singulorum palatum opportunum sese aptantē, & condientē. Vnde Græc. Lect.
Bernard. ser. 36. ex paruis: *Deus licèt vnus sit, & vnū sit, tamen non sui varietate sed animi nostri mutatione gustantibus nobis diuersos videtur habere sapores: sapit enim timenti iustitiam, & potentiam, sapit amanti misericordiam, & bonitatem. At is penitus insipiens est, cui nec timorem Deus sapit, nec amorem. Qui ergo nec iustitiam sapit Deus per timorem, nec misericordiam per amorem, is planè dicit in corde suo, non est Deus.* Sic Bernard. Ecce ergo Societatem velut sagittam in pharetra contectam, in communi, scilicet, vitæ conuersatione, & ad singulorum habitū, & viuendi rationem se componentem, ne quos studet Deo lucrifacere, fuget, sed blandè alliciat, atque venetur. Bernard.

Ecce tibi Societatem IESV iuxta suum nomen, 19.
ad animarum salutem diuino more præcinctam, & in hanc curam vndequaque incumbentem. O vtinam quotquot in hac Religione Christo Iesu nomen dedimus, ab ipso audire mereamur: *Beati serui illi, quos, cùm venerit Dominus, inuenerit vigilantes;* diuino, videlicet, huic operi irrequieto oculo prospicientes, indefessamque operam nauantes. Certè, quæ statim Dominus subiungit: *Amen dico vobis, quod præcinget se, & faciet illos discumbere, & transiēs ministrabit illis;* ad Societatem innumeris à Deo ornatam donis, atque beneficiis maximè pertinent. Quid enim aliud purissimus perfectionis, & sanctitatis splendor, quo vbique terrarum ipsa fulget? Quid bonum nomen, optimaque apud probos viros de illa existimatio? Quid tot toto orbe sparsi, florentesque filij; tamque illustres ab ipsis de omnibus Ecclesiæ hostibus relati triumphi, & spolia reportata? Quid gloriosus Martyrum exercitus? Quid tam breui temporis spatio tot Societatis alumni in Sanctorum censum relati? Quid illius tam locuples totius literaturæ supellex; tot scientiarum omnium scriptores clarissimi, quot vix plura simul sæcula tulerint, nisi eximia à Deo Societati collata beneficia, & pro ipsiusmet illi datis donis retributa præmia, fuerint? Vnde si hinc non nemo ex vineæ operariis in Patremfamilias obmurmurare cœperit: *Hi nouissimi vna hora* Mat. 20. 12.
fecerunt, & pares illos nobis fecisti, qui portauimus pondus diei, & æstus; pares, scilicet, sanctitatis claritudine, Martyrum gloria, literarum splendore, summorum Pontificum, & maximorum Principum gratia: efficaciter occurrat Paterfamilias; *Volo autem & huic nouissimo dare, sicut & tibi. Aut non licet mihi quod volo, facere?* Quæ mihimet explicare in hāc rem soleo ex egregia cuiusdam parentis ad similem filij querimoniam apud Quintilia-
num responsione, declamat. 5. *Pessimus est mortaliū,* Quintil.
qui amari fratrem suum sine sui charitate putat. Tu custodies, vtrùm frequentiùs osculer, vtrùm stringam magis arctiore complexu? Non est hoc impatientia, nec circa patris affectus sacra de pietatis contentione rixa. Eum tantùm fratrem putas amari magis, quem nō ames? Falleris iuuenis, longèque te ab intellectu rerum naturæ seposuit praua persuasio, qui putas ex paternis affectibus filio perire, quidquid altero de necessitate praeponderat: par est in omnes liberos eademque pietas, sed habet in aliquo plerumque proprias indulgentiæ causas, & salua

& salua charitatis æqualitate, est quiddam, per quod tacito mentis instinctu singulos rursus tamquam vnicos amemus. Hunc primus nascendi locus, illum gratiorem præfecit infantia, alium lætior vultus, & blandior osculis, amplexibusque facies, quosdam magis seueritas, probitasque commendat, in quibusdam diliguntur impatientiùs calamitates, & damna corporum, debilitatesque membrorum notabiliùs miseratione complectimur. Salua est tamen vniuersitas, cùm quicquid in alio cessare creditur, in altero restituit alter affectus. Securus sis, nō intercidunt ista, non pereunt, sed inuicem vincunt, præualent, cedunt. Filio non potest præferri nisi filius. Hæc Quintilianus. Ex quibus dum alia sanctissimis aliis Institutis reddo; primum, nimirum, nascēdi locum, lætiorem vultum, pulchriorem virtutibus faciem, maiorem probitatem, rigidioremque seueritatem; illa nostræ Societati arripio, atque apto, *in quibusdam diliguntur impatientiùs calamitates, & damna corporum, debilitatesque membrorum notabiliùs miseratione complectimur.* Quasi eam ideo signatè Deus complectatur, quod aliis Ordinibus debilior, imbecillior, & acrioribus calamitatibus fuerit exposita: frequens is enim parentum affectus est, infirmiores filios, atque maioribus damnis afflictos, teneriùs, fortiùsve amare.

20. Sed deinde rigido illi operario obiicienti: *vna hora fecerunt, & pares illos nobis fecisti, qui portauimus pondus diei, & æstus*; non minus aptè responderis, nihil esse mirandum, si subitò perfecta, & numeris omnibus sanctitatis, doctrinę, & aliorum donorum absoluta Societas euaserit, quæ non humano consilio, sed diuino, nō ab homine, sed ab ipsomet IESV excogitata, instituta, atque perfecta est: quippe *Dei*
Deut 32.4. *perfecta sunt opera*, Deuterōn. 32.4. Miratur, nec immeritò, Cyprianus serm. in Cœna Domini, prope finem, latronem in cruce è hoste amicum, è crudeli pium, è sordium sentina, & iniquitatum pelago, perfectum, atque consummatum ciuem Sancto-
Cyprianus. rum subitò euasisse. *In momento* (inquit Cyprianus) *impietas religionem, crudelitas induit pietatem: & statim consummatus ciuis Sanctorum, & domesticus Dei præmissus est in regnum.* Vnde sic animosè Dominum
Act. 9. Ioan. 21. alloquitur: *Quid tu Domine amplius Stephano contulisti? quid amplius ille obtinuit dilectus tuus, qui supra pectus tuum in Cœna recubuit? quid amplius Pauli meruêre sudores? quid labores Sanctorum? quid tot annorū tormenta? quid Martyrum plagæ? Vna hora huic collatum est præmium, ad quod illi per tot discrimina peruenerunt.* Verùm Dei manum, quæ non nisi elaborata, atque perfecta opera conficere consueuit, con-
Amos 7. 1. Reg 19. Matth. 9. Matth. 4. templatus, sic subinde respondet: *Sic tu Domine armentarios statim facis Prophetas, opiliones Reges, telonarios Apostolos, piscatores Doctores: nec ab iis, quos sanas, lentè languor abscedit, sed illicò, quem restituis, ex integro conualescit, quia consummatum est, quod facis, & perfectū, quod largiris.* Hęc opportunè Cyprianus.

21. Vel tandem illud, siue ad sedandum operarij animum, siue ad exaltationem nominis IESV, in qua tamdiu immoramur, dixeris opportuniùs; ea omnia, quæ in Societate splendent, & magno Ecclesiæ bono deputantur, non ob illius merita, sed in augustissimi nominis IESV honorem, & gloriam Societati, quæ hoc nomen fert, singillatim fuisse donata. Conficiebat aliquando Romæ Sempronius quidam suum testamentum, cumque hærede iam instituto, in plures æqualium qualitatum & meritorum legata vellet distribuere, eum, qui Sempronij etiam nomen ferebat, ob oculos habens, nec alia quàm nominis sui ratione teneriùs complectens, potiori legato donare sic statuit apud Iureconsultum Papinianum in l. cùm filius 76. §. Pater. Pap. I. C. ff. de legatis 2. *Sempronio nepoti meo plus tribuas in honorem nominis mei.* Persimile quid in Atticis Agel- Agell. lij noctibus inuenies, Lyconem, videlicet, Philosophum, Lyconem fratrem ob solum nomen aliis ita prætulisse: *Lyconi fratri præcipua do, quod nomen is ferat nostrum.* Quem quidem ad modum videre mihi videor summum Patrē, qui vnigenito suo nomen super omne nomen donare decreuit, siue ipsummet Iesum, dum in suo Saluatoris nomine maximè congaudet, cum Societate IESV se gessisse, vt quæ ipsa minimè fuerat commerita, in honorem nominis IESV ei voluerint impertire. Quod quidem minus nouum, & insolens tibi videatur necesse est, si animaduerteris, eximio hoc honore Iosue inter omnes bellorum Dei duces à Deo fuisse ornatum, vt Solem in medio cursu sisteret, atq; cohiberet, quod IESV nomen (id enim valet Iosue) ferret, sic id docente Chrysostomo hom. 27. in Epist. ad Heb. *Quid* Chrysost. *igitur? typus erat Iesu illud nomen; idcircò igitur hoc factum est, etiam propter ipsum vocabulum reuerita est creatura.* Ergo perplexam, atque difficilem litem super Societate, eiusque rebus, dū ipsa vna ex parte in cœlum à nonnullis fertur, ex alia vsque ad abyssos ab aliis deprimitur, atque à Pontificibus summis sacris diplomatibus sancitur, atque commendatur, ab Imperatoribus, Principibus, ac Dynastis in vlnis circumfertur, & tam ad ipsorum confessiones excipiendas, quàm ad ea consilia, quæ ad diuinum obsequium spectant, promouenda deputatur, ab Episcopis ad suū munus opportuniùs administrandum, siue vt pleniùs ipsi satisfaciant, ad manum indesinenter habetur: illinc verò à vulgo (nec mei moris, ac calami est vulgus purpura discernere) cōtemnitur, atque irridetur, forsan & obsequium se præstaturum Deo credente, si modis omnibus aduersetur, atque repugnet; hac face præeunte facilè valeas dirimere. Etenim si Societatis viros, & res in seipsis spectaueris, optima ratione, & minima omnium Religio, & minimi habenda videbitur. Quid enim boni nobis, vel à nobis obueniret, vel nostra ob merita à Deo omnium largitore donaretur? Sat certè rustici, illiberales, inurbani, imò & stulti essemus, si animum sic induceremus nostrū. At enimverò si ad IESV nomen, quod Societati à Deo est inditum, quodque ipsa per totum terrarum orbem fert, velis aspicere, Pontificibus quidem, & maximis viris, qui Societatem pluris faciunt, consentias necesse est: sic namque cum ea bonus Deus se gessit, vt in honorem nominis sui, nullum illi tribuisse videatur. Res ergo Societatis sic cape, vt cùm tot florentissima ministeria, cùm tot heroicę sanctitatis viros, cùm tam vberem doctrinæ, ac literarum segetem, cùm tot inclytos Martyres à Deo ipsi donatos aspexeris, Christum Patri suo dicentem audias: *Plus tribuas in honorem nominis mei.* Similiter, dum tot Pontifices summos, Concilia, Principes, Dynastas, aliosque primarios viros maximum Societati honorem deferentes, fueris contemplatus, ad eum id modum se habere cogita, ac cùm ad vocem Iosue lucidissimus Sol medio in itinere stabat, non aliam ob causam, quàm vt dicebat Chrysost. *etiam propter ipsum vocabulum reuerita est creatura.* Cùm verò errata, defectus, hominum passiones, cæcas affectiones videris, hanc à nobilmetipsis segetem pullulasse, pro certo habe. Ideo *Domino Deo nostro iustitia, nobis autem confusio faciei nostræ*, Baruch 1. Baruch 1.15. 15. Sed de hoc satis.

Sequitur eodem Commentariorum, & Adnotationum stylo Tomus Secundus propediem promendus, in quo reliquum huius Epistolæ elucidatur; hic enim paulisper sistere, & Tomum præcidere, ne præ alio nimis excresceret, opus fuit.

Omnipotenti Deo, purissimæ Deiparæ; sanctissimis Paulo, & Ignatio honor, & gloria, nobis autem confusio faciei.

INDEX

INDEX
LOCORVM SCRIPTVRÆ,
QVÆ IN HOC VOLVMINE
ELVCIDANTVR.

Prior numerus folium, secundus columnas denotat.

EX VETERI TESTAMENTO.

Genesis.

CAP. 1. 1. *In principio creauit Deus cœlum & terram.* 456.2
2. *Inanis & vacua.* 154.2 & 508.1
8. *Vocauitq; Deus firmamentũ cœlum.* 314.2
9. *Congregentur aquæ, quæ sub cœlo sunt, in locum vnum.* 91.2
16. *Fecit Deus duo luminaria magna.* 192.2. *in signa, & tempora.* 306.1. 359.1
26. *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram.* 99.1
28. *Replete terram.* 143.2
31. *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona.* 306.2
2. 2. *Et requieuit Deus die septimo.* 35.2. & 306.1
7. *Spirauit in faciem eius spiraculum vitæ, & factus est homo in animam viuentem.* 36.1. & 378.1. 404.1
17. *De ligno scientiæ boni, & mali ne comedas.* 459.2
21. *Tulit vnam de costis eius, & repleuit carnem pro ea.* 259.2
23. *Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea.* 402.1
3. 1. *Cur præcepit vobis Deus, vt non comederetis de omni ligno paradisi?* 312.1
2. *Eritis sicut Dij.* 327.1. & 338.1
15. *Ipsa conteret caput tuum.* 410.1
6. *Bonum ad vescendum* 505.2
16. *Quia audisti vocem vxoris tuæ, &c. maledicta terra in opere tuo, &c.* 233.2
21. *Fecit tunicas pelliceas.* 137.1
22. *Ne fortè sumat* 234.1. & 238.1
24. *Collocauit ante paradisum voluptatis Cherubim, & flammeum gladium, atque versatilem, ad custodiendam viam.* 353.1
4. 4. *Respexit Dominus ad Abel; ad Cain autem, & ad munera eius non respexit.* 41.1. & 210.1. & 235.2. & 295.1.
14. *Et nunc quicumque inuenerit me, occidet me.* 187.1. 236.1.
15. *Nequaquam fiet, sed qui occiderit Cain, septuplum punietur* 239.2
21. *Pater canentium in cithara.*
5. 4. *Dies Adam, dies Seth.* 136.2
29. *Vocauitque nomen eius Noë, dicens: iste consolabitur nos ab operibus & laboribus manuum nostrarum.* 235.1
6. 6. *Tactus dolore cordis intrinsecus.* 163.1
7. *Pœnitet me fecisse eos.* 396.1
8. 20 *Ædificauit Noë altare Domino.* 38.2
9. 22. *Semen, & messis, &c.* 144.2
25. *Maledictus puer Chanaan, &c. dixitque, benedictus Dominus Deus Sem.* 52.2. & 134.2
11. 4. *Celebremus nomen nostrum.* 154.1
12. 14. *Cum itaque ingressus esset Abraham Ægyptum.* 167.1
15. *Et nunciauerunt Principes Pharaoni.* 167.1. & 185.1
15. 2. *Noli timere Abraham, ego protector tuus sum.* 465.1
16. *Credidit Abraham Deo.* 224.1
17. 5. *Nec vltra vocabitur nomen tuum Abram, sed appellaberis Abraham.* 97.2. & 329.2
20. *Super Ismaël quoque exaudiui te.* 509.2
18. 16. *Cum ergo surrexissent inde viri, direxerunt oculos contra Sodomam.* 187.1
25. *Absit à te vt rem hanc facias, vt occidas iustum cum impio, &c. non est hoc tuum.* 281.1
19. 24. *Igitur Dominus pluit super Sodomam & Gomorrham sulphur.* 187.2
22. 2. *Tolle filium tuum quem diligis Isaac.* 273.1
7. *Pater mi.* ibid.
22. 10. *Extendit manum suam, & arripuit gladium.* 273.1. & 456.1
11. *Dicens, Abraham, Abraham.* 273.1
12. *Nunc cognoui quod timeas Deum.* 245.1
13. *Leuauit Abraham oculos suos, & vidit arietem.* 224.2
25. 22. *Si sic futurum mihi erat, quid necesse erat concipere?* 298.1
27. 20. *Quomodo tam citò inuenire potuisti fili mi? voluntas Dei fuit.* 55.1
27. *Ecce odor filij mei sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus.* 44.2. & 155.2
28. *Det tibi Deus de rore cœli, & de pinguedine terræ.* 88.2
28. 20. *Si fuerit Deus mecum, & custodierit me in via per quam ego ambulo, &c. erit mihi Dominus in Deum.* 46.1
30. 1. *Da mihi liberos, alioquin moriar.* 213.1
5. *Vt inueniam gratiam in conspectu Domini mei.* 25.2

31. 13. *Vn*

31.13. *Vnxisti lapidem.* 257.1
32.12. *Augete dotem,& munera postulate,& libenter tribuam, quod petieritis; tantum date mihi puellam hanc vxorem.* 387.2
24. *Luctabatur cum eo.* 219.1.& 282.2
25. *Qui cum videret quod eum superare non posset.* 225.2
26. *Non dimittam te nisi prius benedixeris mihi.* 47.1
35.19. *Mortua est autem Rachel, & sepulta est in via quæ ducit Ephratam,&c.* 253.2
37.10. *Increpauit eum Pater suus,& dixit,quid sibi vult hoc somnium? &c. inuidebant ei igitur fratres.* 210.1
35. *Congregatisque cunctis liberis, vt lenirent Patris dolorem,noluit consolationem recipere.* 208.2
38.29. *Iustificata est magis Thamar quàm ego.* 314.1
39.9. *Quomodo possum malum hoc facere, & peccare in Deum meum?* 250.2
40.9. *Memento mei,vt suggeras Pharaoni.* 176.1
41.16. *Absque me Deus respondebit prospera Pharaoni.* 26.1
43.30. *Commota sunt viscera Ioseph.* 77.1
47.26. *Ex eo tempore, vsque in præsentem diem in vniuersa terra Ægypti Regibus quinta pars soluitur.* 405.1
49.9. *Catulus leonis Iuda, ad prædam fili mi ascendisti, requiescens accubuisti vt Leo.*
14. *Et vidit requiem quod esset bona,&c.* 507.1

Exod.

Cap.1.12. *Quantoque opprimebat eos,tanto magis multiplicabantur.* 166.2
3.4. *Vocauit eum de medio rubi;& ait,solue calceamenta de pedibus tuis.* 403.1
5. *Solue,&c.* 468.2
6. *Ego sum Deus Abraham.* 43.2.& 161.1
7. *Vidi afflictionem populi mei in Ægypto.* 277.1
14. *Ego sum qui sum.* 485.1.ibid.2.511.2
4.21. *Ego indurabo cor Pharaonis.* 205.1
5.1. *Hæc dicit Dominus Deus Israël: dimitte populum meum,vt sacrificet mihi.* 283.1
7.11. *Vocauit Pharao sapientes, & maleficos, & fecerunt etiam ipsi per incantationes, &c.* 200.2
8.8. *Orate Dominum,vt auferat ranas à me* 283.1
9.16. *Idcirco posui te, vt ostendam in te fortitudinem meam.* 240.2
12.3. *Decima die mensis huius tollat vnusquisque agnum.* 430.2
11. *Renes vestros accingetis, & calceamenta habebitis in pedibus.* 403.2
46. *Os non comminuetis ex eo.* 413.1
14.8. *At illi egressi erant in manu excelsa.*
15. *Quid clamas ad me?* 295.1.& 325.2
Cap.15.1. *Dominus nomen mihi est.* 30.2
19.6. *Eritis mihi gens sancta.* 4.2
20.25. *Non occides,non mœchaberis,&c.* 44.2
21.6. *Perforabitque aurem eius subula, & erit ei seruus in seculum.* 456.1
22.6. *Viri sancti eritis mihi.* 4.2
25.27. *Facies propitiatorium de auro mundissimo, &c.* 78.1.& 471.1
28.7. *Saga cilicina.* 24.1
28.35. *Portabitque Aaron iniquitates eorum,quas obtulerunt,& sanctificauerunt filij Israël.* 472.1
38. *Vt audiatur sonitus quando ingreditur,& egreditur sanctuarium Dei.* 296.1
32.4. *Hi sunt Dij tui Israël, qui eduxerunt te de terra Ægypti.* 124.1
10. *Dimitte me, vt irascatur furor meus contrà eos.* 396.2
24. *Ego dixi, quis vestrûm habet aurum? tulerunt,& dederunt mihi, &c. egressusque est hic vitulus.* 39.2
31. *Aut dimitte eis hanc noxam, aut si non facis,dele me de libro tuo,quem scripsisti.* 411.1
33.12. *Inuenisti gratiam coram me.* 25.1
19. *Ostendam tibi omne bonum.* 424.2

Leuit.

Cap.6.12. *Ignis in conspectu meo semper ardebit.* 91.2
7.26. *Sanguinem omnis animalis,tam de auibus,quàm de pecoribus,omnis anima quæ ederit sanguinem,peribit de populis suis.* 417.2
8.8. *Doctrina,& veritas.* 104.1
16.1. *Ego Dominus Deus vester, non facietis idolum.* 40.1
12. *Hauriens manu compositum thymiama in incensum.* 143.1
19.18. *Diliges proximum tuum sicut teipsum.* 264.2
21.28. *Si claudus, si paruo, vel grandi, vel torto naso.* 108.1
22.6. *Sancti erunt Deo suo.* 4.2
26.11. *Quoniam inhabitabo in illis, & inambulabo inter eos.* 226.2

Numeri.

Cap.22.28. *Quid feci tibi?* 150.1
23.13. *Veni mecum in alium locum, vbi partem Israël videas,& totum videre non possis.* 268.1
24.2. *Vidit Israël in tentorijs commorantem,&c. Quomodo maledicam,cui non maledixit Deus?* ibid.2
16. *Dixit homo, cuius obturatus est oculus,dixit auditor sermonum Dei,&c.* 101.1
27.18. *Tolle Iosue filium Nun, virum in quo est spiritus, & pone manum tuam super eum.* 363.2
33.21. *Cuius fortitudo similis est Rhinocerotis.* 268.1
55. *Erunt vobis quasi claui in oculis.* 106.1

Deuteron.

Cap.4.12. *Vocem verborum audistis, & formam penitus non vidistis.* 333.2
30. *Reuerteris ad Dominum Deum tuum.* 543.1
10.14. *Patribus tuis conglutinatus est Dominus.* 476.1
16.19. *Excæcant oculos sapientum, & mutant verba iustorum.* 383.2
17.12. *Qui superbierit nolens obedire Sacerdotis imperio, & decreto iudicis,morietur.* 459.1
21.23. *Maledictus qui pendet in ligno.* 463.1
25.1. *Non alligabis os boui trituranti.* 262.2
28.66. *Et erit vita tua quasi pendens ante te.* 463.1
30.19. *Considera quod hodie proposuerim in conspectu tuo vitam,& mortem.* 109.1
32.4. *Dei perfecta sunt opera.* 547.1
6. *Nunquid non ipse est Pater tuus, qui possedit te, & fecit,& creauit te?* 29.2
30. *Quomodo si vnus fugaret mille, & duo fugarent decem millia.* 119.1
35. *Et ego retribuam in tempore.* 407.2
49. *Ascende in montem,& morere in monte.* 239.1
33.18. *Lætare Zabulon in exercitu tuo, & Issachar in tabernaculis tuis,&c.* 186.2

Iosue.

Cap.6.20. *Populo vociferante muri illicò corruerunt.* 268.2
26. *Maledictus vir coram Domino,qui suscitauerit,& ædificauerit ciuitatem Iericho,in primogenito suo fundamenta illius iaciat,& in nouissimo liberorum ponat portas.* 174.2
12. *Sol contra Gabaon ne mouearis.* 537.1

10.14. Obe

10.14. *Obediente Domino voci hominis.* 431.1
19.47. *Ascenderuntque filij Dan.* 365.1

Iudic.

Cap.1.8. *Mortuus est Iosue.* 221.2
5.8. *Noua bella elegit Dominus.* 422.1
9. 2. *Quid est vobis melius, vt dominentur vestri septuaginta viri omnes filij Ierobaal, an vt dominetur vobis vnus vir?* 21.2
8. *Nunquid possum deserere pinguedinem meam, qua Dij vtuntur, & homines?* 256.1
16.16. *Cumque molesta esset ei, &c. defecit anima eius, & ad mortem vsque lassata est.* 106.2
17.5. *Et impleuit vnius filiorum suorum manum, & factus est ei Sacerdos.* 86.1
20.16. *Et sic fundis lapides ad certum iacientes, vt & capillum quoque possent percutere.* 327:6

Ex lib.1.Regum.

Cap.1.14. *Digere paulisper vinum quo mades.* 188.1
17. *Visitabis fratres tuos si recte agant.* 26.2
2.5. *Donec sterilis peperit plurimos.* 112.2
8. *Domini enim sunt cardines terræ.* 169.2
2. *Oculi eius caligauerant, nec poterat videre lucernam Dei antequam extingueretur.* 207.1
3.19. *Non cecidit verbum eius in terra.* 127.2
6.14. *Et ciciderunt ligna plaustri, vaccasque imposuerunt super eā holocaustum Domino.* 309.2
13.20. *Retusa itaque erant acies vomerum.* 310.1
15.17. *Nonne cum paruulus esses in oculis tuis, caput in tribubus Israël factus es?* 11.2
14. *Quod si non fecisses, iam nunc præparasset Dominus regnum tuum.* 532.1
27. *Ille autem apprehendit summitatem pallij eius.* 194.1
32. *Et oblatus est ei Agag pinguissimus, & tremens.* 229.2
17.35. *Apprehendebam mentum eorum, & suffocabam eos.* 271.1
18.4. *Diligebat enim eum quasi animam suam. Nam & expoliauit se tunica, qua erat indutus, &c.* 386.1
10. *Psallebat manu sua per singulos dies, tenebatque Saül lanceam.* 206.2
19.1. *Locutus autem est Saül ad Ionathan filium suum, & ad omnes seruos suos, vt occideret Dauid.* ibid.
8. *Percussit Saül mille, Dauid decem millia.* 212.1
21. 11. *Nunquid non iste est Dauid Rex terræ, &c.* 212.2. *Posuit autem Dauid sermones istos in corde suo.* ibid.
23. 27. *Porrò Dauid desperabat se posse euadere à facie Saul.* 219.2
24. 6. *Percussit cor suum Dauid, eo quod abscidisset oram chlamydis Saül.* 116.1
25.5. *Salutabis eum nomine meo.* 33.2
6. *Sit tibi pax, & domui tuæ pax, & omnibus quæcumque habes sit pax.* 26.1
31. 9. *Et præciderunt caput Saul, & miserunt per circuitum.* 177.2

Ex lib. 2. Regum.

Cap.2.20. *Quàm gloriosus fuit hodie Rex Israël, discooperiens se ante ancillas seruorum suorum, &c.* 11.2
Ante Dominum qui elegit me, &c. vilior fiam plus quàm factus sum, & ero humilis in oculis meis. ibid.
3.28. *Mundus ego sum, & regnum meum.* 180.1
7. 9. *Fecique tibi nomen grande, iuxta nomen Magnorum.* 481.1
11.8. *Et secutus est eum cibus Regius.* 525.1
12. 1. *Ego ibo ad eum, ipse non reuertetur ad me.* 226.1
18. *Quis ego sum Domine Deus, aut quæ domus mea, quia adduxisti me huc usque?* 36.1
13.23. *Consilium Achitophel quod dabat in diebus illis, quasi quis consuleret Deum.* 213.2
14.25. *Porrò sicut Absalon vir non erat pulchrior in omni Israël.* 150.2
15.31. *Infatua consilium Achitophel.* 360.1
Cap.18. *Estne pax puero Absalon?* 26.2
9. *Adhæsit caput eius quercui.* 151.1
18. *Absalon erexerat sibi titulum.* 151.2

Ex lib.3.Regum.

Cap.1.17. *Sedebit in solio meo.* 494.1
2.23. *Dauid autem, & semini eius, &c. sit pax.* 26.1
3.26. *Nec mihi, nec tibi, sed diuidatur.* 449.1
5.17. *Præcepitque Rex vt tollerent lapides pretiosos in fundamentum templi.* 406.1.& 254.1
6.7. *Malleus, & securis, & omne ferramentum non sunt audita in eo.* 314.2
6.29. *Et omnes parietes templi per circuitum sculpsit varijs cælaturis.* 544.1
30. *Sed & pauimentum domus texit auro intrinsecus, & extrinsecus.* 228.1
33. *In introitu templi postes de lignis oliuarum quadrangulatos, & duo ostia de lignis abiegnis.* 407.1
8. 28. *Respice ad orationem serui tui, & ad preces eius Domine Deus meus, &c.* 37.2
12.4. *Pater tuus durissimum iugum imposuit nobis, tu autem nunc imminue paululum.* 21.2
10. *Minimus digitus meus grossior est dorso patris mei.* 305.1
17.12. *Non habeo panem, nisi quantum pugillus capere potest farinæ in hydria.* 103.1
21. *Et expandit se, atque mensus est super puerum.* 477.1.
18. 21. *Quousque claudicatis in duas partes? si enim Dominus ipse est Deus, sequimini illum, sin autem Baal, &c.* 40.2
19.13. *Et post ignem sibilus auræ tenuis.* 36.2.& 155.1
14. *Zelo zelatus sum pro Domino Deo exercituum.* 157.2
21. 19. *Occidisti, & possedisti: & post hæc addes, hæc dicit Dominus, in loco hoc in quo linxerunt canes sanguinem Naboth, lambent quoque sanguinem tuum.* 276.2
22.19. *Vidi Dominum sedentem super solium suum, &c.* 185.2
34. *Vir quidam infixit sagittam inter pulmonem, & stomachum.* 125.2

Ex lib.4.Regum.

Cap. 1. 10. *Si homo Dei sum, descendat ignis de cælo, & deuoret te, & quinquaginta tuos.* 20.2
2.9. *Obsecro vt fiat spiritus eius duplex in me.* 303.1.& 380.2
13. *Pater mi, Pater mi, currus Israël, & auriga eius. Et leuauit pallium Eliæ.* 231.2
3.14. *Et pallio Eliæ, quod ceciderat ei.* ibid.
14. *Vidit Dominus exercituum, in cuius conspectu sto.* 148.2
4.34. *Et ascendit, & incubuit super puerum, posuitque os suum super os eius, &c.* 476.2
6.23. *Non te saluat Dominus, vnde te possum saluare? de area, vel de torculari?* 413.2
30. *Quod cùm audisset Rex, scidit vestimenta sua, &c. viditque omnis populus cilicium, quo vestitus erat ad*

ad carnem intrinsecus. 318.1
9.11. *Quid venit insanus ille ad te?* 176.2
13. *Festinauerunt namque, & vnusquisque tollens pallium suum posuerunt sub pedibus eius in similitudinem tribunalis.*
35. *Cumque issent, vt sepelirent eam, non inuenerunt nisi caluariam, & pedes, & summas manus.* 154.1
14.19. *Carduus Libani misit ad Cedrum, quæ est in Libano, dicens: da filiam tuam filio meo vxorem.* 386.1
15.13. *Pater, & si rem grandem postulasset tibi.* 29.2
20.3. *Fleuit fletu magno.* 229.2
19. *Bonus sermo quem locutus es, sit pax, & veritas in diebus meis.* 267.2

1. Paralipom.

Cap. 22.8. *Non poteris ædificare domum nomini meo, tanto effuso sanguine coram me.* 359.2

2. Paralipom.

Cap. 2.26. *Cùm potens esset, elatum est cor eius.* 69.2
7.12. *Apparuit autem ei Dominus nocte, & ait, audiui orationem tuam, &c.* 37.2
22.2. *Ingressus est per vias domus Achab.* 185.1
24.17. *Quia ingressi sunt Principes Iuda, & adorauerunt Regem.* ibid.
26.19. *Orta est lepra in fronte eius.* 182.1

Esdræ.

Lib. 1. cap. 5.7. *Dario Regi sit pax omnis.* 26.1
Lib. 2. c. 13.24. *Filij eorum loquebantur Azoticè.* 131.2

Esther.

Cap. 6.11. *Hoc honore condignus est, quemcumque Rex voluerit honorare.* 358.2

Iob.

Cap. 1.1. *Erat vir simplex, ac rectus.* 144.1
4. *Et ibant filij eius.* 313.1
5. *Nam consurgens diluculo offerebat holocausta pro singulis, dicebat enim, ne forte peccauerint filij mei.* 89.1
11. *Extende paululum manum tuam, & tange cuncta quæ possidet.* 111.1
2.1. *Factum est cùm quadam die venissent filij Dei, & starent coram Domino, venit quoque Sathan.* 246.1
3. *Non considerasti seruum meum Iob.* 244.2
4. *Pellem pro pelle, & cuncta quæ habet homo, dabit pro anima sua.* 111.1
21. *Sicut Domino placuit ita factum est, sit nomen Domini benedictum.*
3.3. *Pereat dies in qua natus sum.* 239.2
4.11. *Tigris perijt eo quod non haberet prædam.* 123.1
5.7. *Homo nascitur ad laborem.* 355.2
6.4. *Sagittæ Domini in me sunt, quarum indignatio ebibit spiritum meum.* 284.1
6. *Nunquid potest comedi insulsum?* 526.1
9. *Soluat manum suam, & succidat me.* 187.2
19. *Si ascenderit in cælum superbia, & caput eius nubes tetigerit, velut sterquilinium in fine perdetur.* 312.1
7.12. *Nunquid mare ego sum, aut cete, quia circundedisti me carcere?* 68.2
9.4. *Quis restitit Deo, & pacem habuit?* 26.1
25. *Nouissimum diem.* 136.2
10.8. *Manus tuæ Domine fecerunt me.* 188.2
Memento quæso, quod sicut lutum feceris me, &c. 236.2
6. *Nunquid sicut dies hominis dies tui, vt quæras iniquitatem meam?* 206.1
13.15. *Etiamsi me occiderit, in eo sperabo.* 218.1
14.14. *Expecto donec veniat immutatio mea.* 252.2
32. *Manus eius arescent.* 151.2
33. *Lædetur quasi vinea in primo flore botrus eius.* 61.1
34. *Transibunt verò iniquitates in pœnam, & munera in dolorem.* 383.2
17.14. *Putredini, dixi: Pater meus, &c.* 235.1
18.4. *Et transferentur rupes de loco suo.* 363.2
20.7. *Si ascenderit in cælum superbia, & caput eius nubes tetigerit.* 530.2
25.4. *Nemo enim mundus à sorde.* 114.1. & 410.1
Potestas, & terror apud eum est.
27.3. *Donec superest halitus in me, & spiritus Dei in naribus meis.*
29.15. *Oculus fui cæco, &c.*
31.17. *Si comedi buccellam meam solus.* 265.1
31.26. *Si vidi Solem cùm luceret.* 317.1
Pepigi fœdus cum oculis meis, vt ne cogitarem quidem de virgine. 40.2
34.4. *Inuestigabitur.* 276.2
35.6. *Quid nocebit ei?* 163.1
37.14. *Ab Aquilone aurum venit.*
38.28. *Pater pluuiæ.* 29.2
36. *Quis dedit gallo intelligentiam?* 115.2. & 457.1
39.13. *Penna struthionis similis est pennis herodij, & accipitris.* 105.1
40.13. *Ossa eius fistula æris.* 546.1
Et vincula eius quis soluit? 19.1
41.10. *Et addidit Dominus omnia, quæ fuerant Iob, duplicia.* 251.2. & 513.2
42.5. *Auditu auris audiui te, nunc autem oculus meus videt te.* 457.2
9. *Dominus quoque conuersus est ad pœnitentiam Iob, cùm oraret ille pro amicis suis.* 325.2

Ex libro Psalmorum.

Psal. 1. num. 3. *Et erit tanquam lignum quod plantatum est secus decursus aquarum.* 127.2. & 143.1. & 503.1
2.1. *Et populi meditati sunt inania.* 302.1
3.6. *Ego dormiui, & soporatus sum.* 235.1
4.6. *Multi dicunt, quis ostendit nobis bona?* 422.2
7. *Signatum est super nos lumen vultus tui.* 106.1. & 492.2
5.1. *Pro ea quæ hereditatem consequitur.*
5. *Mane astabo tibi, & videbo.*
10. *Quoniam non est in ore eorum veritas.* 130.2
6.4. *Sed tu Domine vsquequo?* 460.1
7. *Lacrymis meis stratum meum rigabo.* 131.2
6. *Domine Deus meus.* 46.1
9. *Et conculcet in terra vitam meam, & gloriam meam in puluerem deducat.* 449.1
15. *Concepit dolorem, & peperit iniquitatem.*
8.8. *Omnia subiecisti sub pedibus eius.* 137.1
9.4. *Infirmabuntur, & peribunt à facie tua.*
7. *Inimici defecerunt framea in finem, & ciuitates eorum destruxisti.*
10. *Et factus est Dominus refugium pauperi; adiutor in opportunitatibus.*
15. *Qui exaltas me de portis mortis.* 296.2
10.1. *Vt quid Domine recessisti longè?* 194.1
11.5. *O Domine quia ego seruus tuus, ego seruus tuus, & filius ancillæ tuæ.* 16.1
7. *Eloquia Domini eloquia casta.* 116.2
15. 5. *Dominus pars hæreditatis meæ.* 43.1. & 355.2

8. Adex-

8. A dextris mihi est ne commouear. 499.1
16.8. Custodi me vt pupillam oculi. 113.1
14. Eripe animam meam ab impio,&c.à paucis de terra diuide eos. 144.2
15. Satiabor cùm apparuerit gloria tua. 332.1
18.5. In sole posuit tabernaculum suum. 85.1.& 192.2. 502.1.537.1
7. Exultauit vt Gigas ad currendam viam,&c. 443.2
8. Lex Domini immaculata. 4.2
12. Etenim seruus tuus custodit ea, in custodiendis illis retributio multa. 227.2
21. Titulus pro susceptione matutina. 612.1
1. Longè à salute mea verba delictorum meorum. 130.2
3. Deus meus clamabo per diem,& non exaudies;noctè, & non ad insipientiam mihi. 245.2
7. Ego autem sum vermis,& non homo,&c. 10.1.190.1.& 327.1.439.1
9. Sperauit in Domino,eripiat eum, saluum faciat eum, quoniam vult eum. Quoniam tu es qui extraxisti me de ventre. 538.2
15. Sicut aqua effusus sum,& dispersa sunt omnia ossa mea. 378.1
Aruit tamquam testa virtus mea. 312.2
In te iactatus sum ex vtero:de ventre matris meæ Deus meus es tu. 46.1.& 401.1
22.1. Dominus regit me, nihil mihi deerit, in loco pascuæ ibi me collocauit. 153.2
5. Parasti in conspectu meo mensam aduersus omnes qui tribulant me. 522.1
Et calix meus inebrians quàm præclarus est! ibid.
23.1. Domini est terra,& plenitudo eius,&c. 197.2
7. Attollite portas Principes vestras, & introibit Rex gloriæ. 184.2.514.1
24.8. Dulcis,& rectus Dominus. 421.1
25.2. Proba me Domine, & tenta me, vre renes meos,& cor meum. 197.2
10. Dextera eorum repleta est muneribus. 383.2
26.3. Si exurgat aduersum me prælium,in hoc ego sperabo. 217.2
4. Vnam petij à Domino,hanc requiram, vt inhabitem in domo Domini. 37.2
10. Quoniam pater meus, & mater mea dereliquerunt me, Dominus autem assumpsit me. 218.1
30.21. In abscondito faciei suæ. 77.b
31.1. Beati quorum remissæ sunt iniquitates,& quorum tecta sunt peccata. 465.2
6. Pro hac orabit ad te omnis sanctus in tempore opportuno. 418.1
32.6. Verbo Domini cœli firmati sunt,& spiritu oris eius omnis virtus eorum. 413.2.& 508.1
16. Et Gigas non saluabitur in multitudine virtutis suæ. 360.2
33.6. Accedite ad eum, & illuminamini, & facies vestra non confundentur.
9. Gustate, & videte quoniam suauis est Dominus. 428.2
34.4. Confundantur, & reuereantur quærentes animam meam. 187.2
16. Dissipati sunt,nec compuncti,&c. 240.1
35.9. Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ. 133.1
Serui Domini ipsi Dauid. 19.2
12. Non veniat mihi pes superbiæ. 93.2
36.10. Reuelabit quoque aurem eorum,vt corripiat. 363.1
25. Omnes homines vident eum, vnusquisque intuetur procul.
37.4. Non est sanitas in carne mea à facie iræ tuæ.
5. Quoniam iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum. 237.2
6. In securi,& ascia. 88.1
38.8. Et substantia mea apud te est. 53.2
39. Sacrificium,& oblationem noluisti,aures autem perfecisti mihi. 11.2.454.2
8. Et lex tua in medio cordis mei. 109.1.& 454.2
9. In capite libri scriptum est de me,vt facerem voluntatem tuam. 223.2.538.1
40.1. Beatus vir qui intelligit super egenum. 69.2
41.2. Quemadmodum desiderat ceruus ad fontes aquarum,ita,&c. 39.2.& 421.1
3. Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die,ac nocte. 511.2
14. Ponite corda vestra in fortitudine eius. 379.1
42.2. Iudica me Deus, & discerne causam meam. 71.1
43.12. Vendidisti populum tuum sine pretio. 148.2
44.2. Eructauit cor meum verbum bonum. 129.2.& 534.1
2. Lingua mea calamus scribæ velociter scribentis.
3. Speciosus forma præ filijs hominum. 479.1
10. Astitit Regina à dextris tuis in vestitu deaurato. 91.2.411.1
5. Intende, prosperè procede,& regna. 400.1
11. Audi filia,& vide,& inclina aurem tuam. 457.1
14. Omnis gloria eius filiæ Regis ab intus in fimbrijs aureis. 15.1
17. Pro patribus tuis nati sunt tibi filij. 375.1
18. Constitues eos Principes super omnem terram. 500.2
45.4. Nec enim in gladio suo possederunt terram. 88.1
47.2. Fundatur exultatione vniuersæ terræ mons Sion,latera Aquilonis,ciuitas Regis magni. 405.2
48.21. Homo cum in honore esset non intellexit. 327.1
49.12. Si esuriero,non dicam tibi. 526.2
13. Nunquid manducabo carnes taurorum, aut, &c. 523.2
16. Assumis testamentum meum per os tuum. 100.1.& 198.1
54.12. Et non defecit de plateis vsura,& dolus. 179.1
14. Tu verò homo vnanimis,dux meus,& notus meus. 426.1.& 427.1.& 263.1
55.9. Posuisti lacrymas meas in conspectu tuo. 238.1
59.6. Vt fugiant à facie arcus. 168.2
11. Quis deducet me in ciuitatem munitam? 452.2
60.2. Exaudi Domine deprecationem meam, intende orationi meæ. 227.1
61.4. Quousque irruitis in hominem,&c. tamquam parieti inclinato & maceriæ depulsæ?
10. Mendaces in stateris. 110.2
63.1. Exaudi Deus orationem meam,à timore inimici eripe. 119.1
64. Sanctum est templum tuum,mirabile in æquitate. 6.1
12. Benedic coronæ anni benignitatis tuæ. 516.1
65.12. Transiuimus per ignem,& aquam,& eduxisti nos in refrigerium. 395.1
14. Reddam tibi vota mea,quæ distinxerunt labia mea. 245.1
66.7. Confiteantur tibi populi Deus,&c. 404.1
67.10. Pluuiam voluntariam segregabis Deus hæreditati tuæ. 542.2
11. Animalia tua habitabunt in ea. ibid.
17. Mons in quo beneplacitum est Deo habitare in eo. 278.1
19. Cepisti captiuitatem, accepisti dona in hominibus. 33.2
21. Deus noster Deus saluos faciendi. 38.1.& 532.1
30. A templo tuo tibi offerent Reges munera. 53.1
68.28. Appone iniquitatem super iniquitatem eorum. 461.2
71. Descendet sicut pluuia in vellus. 28.1.514.1
75.1. Notus in Iudæa Deus, in Israël magnum nomen eius. 392.2
76.8. Nunquid in æternum proijciet Deus,aut non apponet vt complacitior sit adhuc? 34.2
9. Aut in finem misericordiam suam abscindet. 139.2
11. Nunc cœpi,hæc mutatio dexteræ excelsi. 52.1

21. *Deduxisti sicut oues populum tuum in manu Moysi, & Aaron.* 95.2
77.25. *Panem Angelorum manducauit homo.* 419.1
34. *Cum occideret eos, quærebant eum.*
46. *Et dedit ærugini fructus eorum.* 228.2
72. *Et in intellectibus manuum suarum deduxit eos.* 85.2
80.11. *Dilata os tuum, & implebo illud.* 381.1.425.2
83.10. *Protector noster aspice Deus, & respice in faciem Christi tui.* 467.2
84.1. *Benedixisti Domine terram tuam.* 404.1
86.1. *Fundamenta eius in montibus sanctis, diligit Dominus portas Sion.* 407.1
4. *Gloriosa dicta sunt de te ciuitas Dei.* 264.2
88.5. *Iuraui Dauid seruo meo, vsque in æternum præparabo semen tuum.*
16. *Beatus populus qui scit iubilationem.* 268.2
36. *Thronus eius sicut Sol in conspectu meo.* 500.2
89.4. *Quoniam mille anni ante oculos tuos, tanquam dies hesterna quæ præteriit.* 467.2
17. *Et sit splendor Domini Dei nostri super nos, & opera manuum nostrarum dirige, &c.* 296.2
90.5. *Scuto circumdabit te veritas eius.* 270.1
91.16. *Bene patientes erunt, vt annuncient.* 69.1.197.2
92.1. *Dominus regnauit, decorem indutus est, &c.* 392.1. & 395.1.540.1
3. *Parata sedes tua ex tunc.* 356.2
4. *Eleuauerunt flumina fluctus suos à vocibus aquarum multarum.* 197.2
100.6. *Ambulans in via immaculata, hic mihi ministrabat.* 183.2
103.1. *Magnificatus es vehementer.* 511.1
2. *Qui ponis nubem ascensum tuum.* 520.1
3. *Extendens cœlum sicut pellem, qui tegis aquis superiora eius.* 68.1.387.1
5. *Qui fundasti terram super stabilitatem suam.*
104.3. *Laudamini in nomine sancto eius.* 20.1
4. *Quærite Dominum, & confirmamini.* 92.2
26. *Aaron quem elegit ipsum.* 278.1
30. *Edidit terra eorum ranas.* 172.1
105.11. *Et operuit aqua tribulantes eos, vnus ex eis non remansit.*
13. *Et crediderunt verbis eius, & laudauerunt laudem eius.* 60.1. *citò fecerunt, &c.* ibid.
20. *Et mutauerunt gloriam suam in similitudinem vituli comedentis fœnum.*
23. *Et dixit, vt disperderet eos, si non Moyses electus eius stetisset.* 396.1
109.1. *Dixit Dominus Domino meo.* 30.1
3. *Virgam virtutis tuæ.* 494.1
6. *Dominus à dextris tuis.* 498.2
7. *De torrente in via bibet, propterea exaltabit caput.* 479.1. 513.1
11. *Scrutetur fœnerator omnem substantiam eius.* 240.2
115.3. *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi?* 523.1
5. *Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum eius.* 148.2. & 239.1.254.1
117.22. *Lapidem quem reprobauerunt.* 507.1
118. *Pax multa diligentibus legem tuam.* 27.b
24. *Nam & testimonia tua meditatio mea est, & consilium meum iustificationes tuæ.* 183.1
28. *Dormitauit anima mea præ tædio.* 117.2.229.1
36. *Inclina cor meum in testimonia tua, & non in auaritiam.*
56. *Hæc facta est mihi.* 42.2
57. *Portio mea Domine.* 47.1
81. *Defecit in salutare tuum anima mea, & in verbum tuum supersperaui.* 428.1
94. *Tuus sum ego.* 46.b
113. *Iniquos odio habui, & legem tuam dilexi.*
116. *Suscipe me secundum eloquium tuum, & viuam.* 460.1
122. *Suscipe seruum tuum in bonum.* ibid. & 215.2
126. *Tempus faciendi Domine.* 134.2
127. *Ideo dilexi mandata tua super aurum, & topazion.*
131. *Os meum aperui, & attraxi spiritum.* 457.2
143. *Tribulatio, & angustia inuenerunt me.* 282.1
147. *In verba tua supersperaui.* 217.1
169. *Iuxta eloquium tuum Domine da mihi intellectum.* 98.2
171. *Eructabunt labia mea hymnum, cum docueris me iustificationes tuas.*
176. *Errraui sicut ouis quæ periit.* 211.2
119.5. *Habitaui cum habitantibus Cedar.* 237.2
120.4. *Ecce non dormitabit, neque dormiet, qui custodit Israël.* 211.1
124.3. *Quia non relinquet Dominus virgam peccatorum super sortem iustorum.* 180.2
127.1. *Beati omnes qui timent Dominum.* 296.2
2. *Labores manuum tuarum.* 63.2
128.4. *Dominus iustus concidit ceruices peccatorum.* 355.2
129.4. *Quia apud te propitiatio est.* 468.1
130. *Et dixi forsitan tenebræ conculcabunt me, & nox illuminatio mea in delicijs meis.* 24.1
2. *Neque ambulaui in magnis, neque in mirabilibus super me.* 328.2
131.8. *Surge Domine in requiem tuam, tu & arca sanctificationis tuæ.* 400.1
18. *Super ipsum autem efflorebit sanctificatio mea.* ibid.
133.2. *Qui statis in domo Domini.* 156.1
135.8. *Solem in potestatem diei, &c.* 508.2
138.1. *Probasti me, & cognouisti me.* 328.1
7. *Quo ibo à spiritu tuo, & quo à facie tua fugiam?* 445.1
16. *Imperfectum meum viderunt oculi tui.*
139.13. *Confitebor tibi, quia terribiliter magnificatus es.* 344.2
140.7. *Audient verba mea, quoniam potuerunt.* 165.2
Beatus populus, cuius est Dominus Deus. 46.1
143.8. *Quorum os locutum est vanitatem, & dextera eorum dextera iniquitatis.* 131.1
146.3. *Qui sanat contritos corde, & alligat contritiones eorum.*
10. *Non in fortitudine equi voluntatem habebit, nec in tibijs viri beneplacitum erit ei.*
148.5. *Quia ipse dixit, & facta sunt.* 456.2

Prouerb.

Cap. 1.7. *Timor Domini principium sapientiæ.* 99.2
11. *Abscondamus tendiculas contra insontem frustra.*
18. *Ipsi quoque contra sanguinem suum insidiantur.*
20. *Sapientia foris prædicat.*
2.16. *Vt eruaris ab extranea, quæ emollit sermones suos.* 22.2
3.18. *Lignum vitæ est his qui apprehenderunt eam.* 62.2
4.11. *Viam sapientiæ monstrabo tibi, &c. quam cum ingressus fueris non arctabuntur gressus tui.* 332.b
5.20. *Quare seduceris fili mi ab aliena?* 22.2
7.2. *Fili serua mandata mea, & viues, & legem meam quasi pupillam oculi tui.* 113.1
5. *Ab aliena, quæ verba sua dulcia facit.* 22.2
18. *Veni, inebriemur vberibus, & fruamur cupitis amplexibus, donec illucescat dies.* 17.1
19. *Non est vir in domo sua.* 513.2
8.1. *Nunquid non sapientia clamitat?* 199.2
22. *Dominus possedit me in initio viarum suarum.* 96.1. & 102.1

29. *Quan*

29. *Quando circumdabat mari terminum suum, & legem ponebat aquis.*
30. *Cum eo eram cuncta componens.* 508.1
31. *Ludens in orbe terrarum, & deliciæ meæ esse cum filijs hominum.* 300.2
35. *Qui me inuenerit, inueniet vitam.* 467.1
9.1. *Sapientia ædificauit sibi domum.* 430.2
2. *Immolauit victimas suas.* 74.1.& 521.2
10.4. *Qui nititur mendacijs, pascit ventos.* 152.1
11. *Vena vitæ os iusti.* 129.2
12. *Odium suscitat rixas, & vniuersa operit charitas.*
23. *Quasi per risum stultus operatur scelus.* 390.2
26. *Sicut acetum dentibus, & fumus oculis, sic piger, &c.* 506.2
11.9. *Simulator ore decipit amicum suum, iusti autem liberabuntur scientia.* 95.1
30. *Fructus iusti lignum vitæ.* 148.2
12.23. *Homo versutus celat scientiam.* 465.2
13.13. *Qui detrahit alicui, ipse se in futurum obligat, &c.* 121.1
14. *Vult, & non vult piger.* 355.2
25. *Venter impiorum insaturabilis.* 145.1
14.23. *Vbi autem verba sunt plurima, ibi frequenter egestas.*
32. *In malitia sua expelletur impius, sperat autem iustus in morte sua.*
16.4. *Vniuersa propter semetipsum operatus est Dominus.* 35.2
5. *Abominatio Domini est omnis arrogans.* 343.1
17.18. *Stultus homo plaudet manibus, cum spoponderit pro amico suo.* 473.1
28. *Stultus si tacuerit, sapiens reputabitur.* 131.1
18.8. *Pigrum deijcit timor.* 270.2
9. *Qui mollis, & dissolutus est in opere suo, frater est sua opera dissipantis.* ibid.
14. *Spiritus viri sustentat imbecillitatem suam.*
19.11. *Doctrina viri per patientiam noscitur.* 195.2
20.3. *Honor est homini, qui separat se à contentionibus.* 309.1
16. *Tolle vestimentum eius, qui fideiussor extitit alieni.* 461.1
25. *Ruina est homini deuorare sanctos.*
26. *Dissipat impios Rex sapiens, & incuruat super eos fornicem.* 273.2
22.1. *Melius est nomen bonum, quàm diuitiæ multæ.* 481.1
11. *Qui diligit cordis munditiam, propter gratiam labiorum suorum habebit amicum Regem.* 153.2
17. *Appone cor tuum ad doctrinam meam.* 130.1
23.1. *Quando sederis ad mensam Principis, diligenter attende quæ apposita sunt ante faciem tuam.* 523.1
27. *Puteus angustus, aliena.* 22.2
24.16. *In multis offendimus omnes.* 114.1
25.5. *Aufer iniquitatem à vultu Regis, & iustitia firmabit thronum eius.* 179.2.& 183.2
25.9. *Causam tracta cum amico, & secretum extraneo non reueles.* 4.1
13. *Sicut frigus niuis in die messis, sic legatus fidelis ei, qui misit eum.* 532.2
26. *Fons turbatus pede, & vena corrupta iustus cadens coram impio.* 168.1
26.9. *Sicut qui mittit lapidem in aceruum Mercurij, sic qui tribuit insipienti honorem.* 364.1
13. *Leo est in via, & leæna in itineribus.* 272.1
20. *Cùm defecerint ligna, extinguetur ignis.* 92.2
27.16. *Tecta perstillantia in die frigoris, & litigiosa mulier comparantur.* 118.2
30.25. *Stellio manibus nititur, & moratur in ædibus Regum.* 358.1
28. *Sapientiora sapientibus.* 331.2
31.16. *Manum suam misit ad fortia.*
23. *Nobilis in portis vir eius.* 188.2

Ecclesiastes.

Cap.1.3. *Quid habet amplius homo de vniuerso labore suo?* 149.2
5. *Oritur Sol, & occidit, & ad locum suum reuertitur.* 444.1
8. *Non saturatur oculus visu.* 425.2
17. *Dedi cor meum, vt scirem prudentiam, &c.* 106.2
2.14. *Sapientis oculi in capite eius, stultus in tenebris ambulat.* 118.2
5.15. *Quid ergo prodest ei, quod laborauit in ventum?* 151.2
7.3. *Melius est ire ad domum luctus, quàm ad domum conuiuij, in illa enim finis cunctorum admonetur hominum, & viuens cogitat, quid futurum sit.*
7. *Noli esse multum iustus.* 211.1
19. *Qui timet Deum, nihil negligit.* 119.1
9.7. *Comede in lætitia panem tuum, &c.* 524.1
12. *Sicut pisces capiuntur hamo, & aues laqueo comprehenduntur, sic capiuntur homines in tempore malo.* 100.2
10.2. *Cor sapientis in dextra eius, & cor stulti in sinistra eius.* 227.2

Cantic.

Cap.1.1. *Meliora sunt vbera tua vino.* 418.2
2. *Oleum effusum.* 135.2.479.2.& 485.2.532.2
3. *Oleum effusum nomen tuum, ideo adolescentulæ dilexerunt te.* 371.2.& 406.2.512.2
4. *Nigra sum, sed formosa, sicut tabernacula Cedar, sicut pelles Salomonis.* 24.1.& 280.2
6. *Indica mihi, vbi pascas.* 171.1
8. *Si ignoras te, ô pulcherrima inter mulieres, egredere, & abi post vestigia gregum tuorum.*
9. *Ecce pulcher es, & decorus.* 394.2
Murenulas aureas faciemus tibi, vermiculatas argento. 72.1.& 195.1.& 458.1
10. *Collum tuum sicut monilia.* 20.1
11. *Nardus mea dedit odorem suauitatis.* 14.1
12. *Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter vbera mea commorabitur.* 115.2
Cùm esset Rex in accubitu suo. 156.2
13. *Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi.* 406.2
14. *Oculi tui columbarum.* 114.2
15. *Lectulus noster floridus.* 142.2
Ecce tu pulcher es dilecte mi, & decorus. 410.2
17. *Ego flos campi.* 155.1
27. *Tigna domorum nostrarum cedrina.* 125.2
Cap.2.2. *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias.* 10.2.& 73.2
3. *Sicut malus inter ligna syluarum, sic dilectus meus inter filios, sub vmbra illius, quem desideraueram, sedi, & fructus eius dulcis gutturi meo.* 428.1.& 424.1.& 521.2
4. *Ordinauit in me charitatem.* 93.1.267.1.& 395.2.507.2.510.1
7. *Adiuro vos filiæ Ierusalem per capreas, ceruosq; camporum, ne suscitetis, neque euigilare faciatis dilectam, donec ipsa velit.* 91.1
9. *En ipse stat post parietem nostrum, respiciens per fenestras, prospiciens per cancellos.* 428.1
Similis est dilectus meus capreæ, hinnuloque ceruorum. 455.2
10. *Surge, propera amica mea, formosa mea, & veni.* 399.2
13. *Vineæ florentes dederunt odorem suum.* 156.1
16. *Dilectus meus mihi.* 48.1.& 42.2.525.2

17. *Reuertere, similis esto, dilecte mi, capreæ, hinnuloque ceruorum.* 428.2
Cap. 3. 1. *In lectulo meo per noctes quæsiui, quem diligit anima mea.* 226.2
2. *Surgam, & circuibo ciuitatem, per vicos, & plateas quæram, quem diligit anima mea.* 78.2
4. *Tenui eum, nec dimittam.* 47.1. & 61.2
7. *Vniuscuiusque ensis super femur suum.* 396.2
8. *Omnes tenentes gladios, & ad bella doctissimi.* 255.2
9. *Media charitate constrauit.* 14.2
11. *Egredimini, & videte filiæ Sion Regem Salomonem in diademate, quo coronauit eum mater sua.* 515.2
In die desponsationis illius. 426.2. & 523.2
Et in die lætitiæ cordis eius. 132.1
Cap. 4. 1. *Oculi tui columbarum, absque eo, quod intrinsecus latet.* 156.2. & 521.1
3. *Sicut fragmen mali punici, ita genæ tuæ.* 73.1
4. *Turris Dauid collum tuum.* 196.2
Sicut turris Dauid collum tuum, quæ ædificata est cum propugnaculis; mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium. 409.2
5. *Vadam ad montem myrrhæ, & collem thuris.* 456.2
7. *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te.* 410.1. & 114.1
8. *Veni de Libano sponsa mea, veni, coronaberis.* 402.2
9. *Vulnerasti cor meum soror mea sponsa in vno oculorum tuorum, & in vno crine colli tui.* 41.2. & 84.2. *vno oculorum tuorum.* 159.2
11. *Odor vestimentorum tuorum, sicut odor thuris.* 161.2
13. *Emissiones tuæ paradisus.* 404.1. & 14.2
Hortus conclusus soror mea sponsa, hortus conclusus, fons signatus. 404.1
16. *Surge Aquilo, veni Auster, perfla hortum meum, & fluant aromata illius.* 246.1
Cap. 5. 1. *Veni in hortum meum soror mea sponsa.* 525.2
2. *Veniat dilectus meus in hortum suum.* 155.2
3. *Aperi mihi soror mea.* 117.2. *Amica mea, columba mea, immaculata mea.* 229.1
5. *Surrexi, vt aperirem dilecto meo; manus meæ distillauerunt myrrham primam.* 104.2. & 231.1
6. *Anima mea liquefacta est, vt loquutus est.* 393.1. & 229.2
10. *Dilectus meus candidus, & rubicundus.* 397.1. & 511.2
11. *Coma eius elatæ palmarum, nigræ sicut coruus.* 387.1
Caput eius aurum optimum. 59.1. & 103.2. & 331.2
12. *Oculi tui sicut columbæ super riuulos aquarum, quæ lacte sunt lotæ.* 78.2
14. *Manus eius tornatiles aureæ.* 104.1. & 344.2
Cap. 6. 1. *Dilectus meus descendit in hortum suum.* 513.1
2. *Ego dilecto meo, & dilectus meus mihi.* 221.2
3. *Pulchra es amica mea, suauis, & decora, sicut Ierusalem, terribilis vt castrorum acies ordinata.* 267.2. & 509.2
Pulchra es amica mea, & decora sicut Ierusalem. 254.2
6. *Sicut cortex mali punici, ita genæ tuæ.* 314.2
9. *Quæ est ista, quæ progreditur quasi aurora, &c.* 267.3
Pulchra vt Luna, electa vt Sol. 407.1. & 267.2
Cap. 7. 1. *Quid videbis in Sulamite, nisi choros castrorum?* 267.1
Quàm pulchri sunt gressus tui in calceamentis filia Principis! 232.1. & 403.1
2. *Venter tuus sicut aceruus tritici, vallatus liliis.* 425.1
4. *Nasus tuus sicut turris Libani, quæ respicit contra Damascum.* 409.2
5. *Coma capitis tui sicut purpura Regis vincta canalibus.* 387.1
8. *Ascendam in palmam, & apprehendam fructus eius.* 148.1
9. *Guttur tuum sicut vinum optimum.* 128.2
10. *Ego dilecto meo, & ad me conuersio eius.* 111.1
12. *Surgamus ad vineas, videamus si floruit vinea, si flores fructus parturiunt.* 61.2
Cap. 8. 1. *Quis mihi det te fratrem meum sugentem vbera matris meæ?* 371.1. & 227.2
Surrexi vt aperirem dilecto meo; manus meæ distillauerunt myrrham, & digiti mei pleni myrrha probatissima. 371.2
5. *Quæ est ista, quæ ascendit de deserto deliciis affluens?* 403.1
6. *Pone me vt signaculum super cor tuum, & vt signaculum super brachium tuum.* 13.1. & 48.1
Lampades eius lampades ignis, atque flammarum. 91.2
7. *Si dederit homo omnem substantiam domus suæ pro dilectione, quasi nihil despicit eam.* 40.2
8. *Soror nostra parua, & vbera non habet, quid faciemus sorori nostræ in die, qua alloquenda est?* 280.1. & 116.2
14. *Fuge dilecte mi, assimilare capreæ, hinnuloque ceruorum.* 428.2

Sapientia.

Cap. 1. 4. *In maleuolam animam non intrabit sapientia.* 400.2
5. *Effugiet fictum, & auferet se à cogitationibus, quæ sunt sine intellectu, & corripietur à superueniente iniquitate.* 93.1
6. *Benignus est spiritus sapientiæ, &c.* 304.1. & 394.2
13. *Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione viuorum, impii autem manibus, & verbis accersierunt illam.* 459.2
2. 7. *Non prætereat nos flos temporis.* 136.2
21. *Hæc cogitauerunt, & errauerunt, excæcauit enim eos malitia eorum, & nescierunt sacramenta Dei.* 518.1
3. 2. *Æstimata est afflictio exitus illorum.* 252.1
6. *Tamquam aurum in fornace probauit illos.* 244.2
11. *Vacua est spes illorum.* 149.2
15. *Bonorum laborum gloriosus fructus.* 352.1
4. 10. *Placens Deo factus est dilectus, & viuens inter peccatores translatus est.*
12. *Fascinatio enim nugacitatis obscurat bona, & inconstantia concupiscentiæ transuertit sensum.* 238.1
17. *Videbunt enim finem sapientis, & non intelligent, quid cogitauerit de illo Deus.* 239.2
18. *Ne malitia mutaret intellectum eius.* 132.1
20. *Et traducent illos ex aduerso iniquitates eorum.* 138.1
5. 1. *Tunc stabunt iusti, &c.* 138.2
6. 7. *Potentes potenter tormenta patientur.* 182.1
9. *Fortioribus autem fortior instat cruciatio.* 191.1
13. *Clara est, & quæ nunquam marcescit sapientia, & faciliter videtur ab iis, qui diligunt eam, & inuenitur ab his qui quærunt illam.* 54.2. 398.1
16. *Cogitare de illa sensus est consummatus.* 87.1
17. *Circuit quærens.* 316.2
19. *Dilectio custodia legum illius est.* 114.2. *Cura ergo disciplinæ dilectio, &c.* ibid.
7. 1. *Sum quidem & ego mortalis homo, similis omnibus, & ex genere terreni illius, qui prior factus est, in ventre matris figuratus sum caro, & ego natus accepi communem aërem, & in similiter factam decidi terram.* 403.2

6. *Vnus*

6. *Vnus ergo introitus est omnibus ad vitam, & similis exitus.* 252.1
10. *Optaui, & datus est mihi sensus, & inuocaui, & venit in me spiritus sapientiæ, super salutem, & speciem dilexi illam, & proposui pro duce habere illam.* 107.2.109.1
22. *Spiritus intelligentiæ sanctus, vnicus.* 303.1
25. *Vapor est enim virtutis Dei.* 399.1. *& emanatio quædam est claritatis omnipotentis Dei syncera.* 500.2.402.1
26. *Vapor est enim virtutis Dei, & imago bonitatis.* 462.1.& 500.2
29. *Est enim speciosior Sole, & super omnem dispositionem stellarum luci comparata inuenitur prior.* 444.2
8.1. *Attingit à fine vsque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter.* ibid.
2. *Hanc amaui, & exquisiui à iuuentute mea, & quæsiui sponsam mihi eam assumere.* 417
9.15. *Corpus quod corrumpitur aggrauat animam.* ibid.
Terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem. 418.1
10.2. *Dedit illi virtutem continendi omnia.* 137.1
7. *Incerto tempore fructus habentes arbores.* 506.1
12. *Certamen forte dedit illi, vt vinceret.* 219.1.& 282.1
11.11. *Hos quidem tamquam Pater monens probasti, illos autem tamquam durus Rex interrogans condemnasti.* 284.2
25. *Diligit Dominus omnia quæ sunt.* 300.2
12.1. *O quam bonus & suauis est, Domine, spiritus tuus in omnibus, ideoque eos, qui exerrant partibus, corripis.* 395.2
13.1. *Vani autem sunt omnes homines, in quibus nō subest scientia Dei.* 79.1
14.7. *Benedictum lignum per quod fit iustitia.* 463.2
8. *Per manus quod fit idolum maledictum est, & illud, & qui fecit illud; quia ille quidem operatus est, illud autem cùm esset fragile, Deus cognominatus est.* 30.1.& 364.1
16. 20. *Angelorum esca nutriuisti populum tuum.* 546.1
21. *Substantia tua dulcedinem tuam, quam in filios habes, ostendebat.* 35.1.& 140.1.& 419.2.& 421.1
24. *Creatura enim tibi factori deseruiens, exardescit in tormentum aduersus iniustos.* 137.1
18.24. *In veste enim poderis quam habebat, totus erat orbis terrarum.* 294.1
19.7. *Ex aqua, quæ antea erat, terra arida apparuit, & in mari rubro via sine impedimento, & campus germinans de profundo nimio.* 287.2

Ecclesiasticus.

*Cap.*1.9. *Ipse creauit illam in Spiritu sancto.* 389.1
15. *Vsque in tempus sustinebit patiens.* 58.2
16. *Amicus fidelis medicamentum vitæ.* 298.2
18. *Quia in multa sapientia multa sit indignatio.* 96.2
2. 1. *Fili accedens ad seruitutem Dei sta in iustitia.* 58.2
1. *Metuentes Dominum sustinete misericordiam eius, & ne deflectatis ab illo.* 59.1
3.4. *Tempus belli, tempus pacis.* 504.2
20. *Quanto magnus es, humilia te in omnibus, & coram Deo inuenies gratiam.* 313.2
4.10. *Væ soli.* 300.1
12. *Sapientia filijs suis vitam inspirat.* 74.2.& 286.2.& 522.2
32. *Noli resistere contra faciem potentis.* 181.2
6.21. *Quam aspera est indoctis sapientia, & non permanebit in illa excors.* 59.1
24. *Audi fili, & accipe consilium intellectus, &c.* 16.2
10.9. *Scindens ligna vulnerabitur ab eis.* 98.1
17. *Beata terra cuius Rex est nobilis.* 405.1
18. *In pigritijs humiliabitur contignatio.* 126.1
22. *Non est creata hominibus superbia, neque ira nationi mulierum.* 10.1
15.2. *Qui timet Dominum faciet bona.* 61.1
16.14. *Ante hominem vita, & mors.* 459.2
16.14. *Non effugiet in rapina peccator.* 347.1
18.5. *Non est minuere, neque adijcere, neque inuenire magnalia Dei.* 515.1
20. *Ante languorem adhibe medicinam.* 406.2
20. 32. *Sapientia absconsa, & thesaurus inuisus.* 510.2
23.19. *Assiduitate infatuatus.* 122.2
38. *Gloria magna est sequi Deum.* 541.1
24.11. *In omnibus requiem quæsiui.* 300.2
17. *Quasi Cedrus exaltata sum in Libano.* 11.1
20. *Omne opus corruptibile in fine deficiet.* 903.2
21. *Vaporaui habitationem meam.* 502.1
23. *Ego quasi vitis fructificaui.* 148.1
27. *Spiritus meus super mel dulcis.* 421.1
25.34. *Ne des aquæ tuæ exitum.* 124.2
26.27. *Et qui transgreditur de iustitia ad peccatum, Deus parauit illum ad romphæam.* 60.1
27.7. *Rusticatio de lignis ostendit fructus illius.* 130.2
29.18. *Repromissionem fugit peccator, & immundus.* 473.1
20. *Gratiam fideiussoris ne obliuiscaris.* 25.2.471.2
24. *Peccator transgrediens mandatum Domini, incidet in promissionem nequam.* 474.1
31.27. *In omnibus operibus tuis esto velox.* 271.1
32.1. *In omnibus sicut vnus ex illis.* 391.2
40.1. *Graue iugum super filios Adam.* 75.1
43.7. *A Luna signum diei festi, luminare quod minuitur in consummatione.* 11.1
47.3. *Cum leonibus lusit quasi cum agnis.* 272.2
31. *Plurima redundauerunt peccata ipsorum.* 241.1
49.10. *Ezechiel qui vidit conspectum gloriæ, quem ostendit illi in curru Cherubim.* 544.1

Esaias.

*Cap.*1.4. *Væ genti peccatrici populo graui iniquitate.* 120.1.& 146.1
5. *Super quo percutiam vos vltra addentes præuaricationem? Omne caput languidum, & omne cor mœrens, à planta pedis vsque ad verticem capitis non est in eo sanitas.* 3.2
2. 6. *Vulnus, & liuor, & plaga tumens non est circumligata.* 17.1.& 416.2
15. *Cùm extenderitis manus vestras auertam oculos meos à vobis.* 295.1
17. *Subuenite oppresso.* 188.2
18. *Si fuerint peccata vestra rubra, quasi vermiculus.* 386.2
23. *Amantes munera, sectantes retributionem.* 383.2.& 469.1
2.2. *Et fluent ad eum omnes gentes.* 21.1.& 181.1
17. *Et incuruabitur sublimitas hominis, &c.* 439.2
18. *In die illa proijciet homo idola argenti sui, & simulacra auri sui, &c.* ibid.
3.6. *Vestimentum tibi est? Princeps esto noster.* 413.2
9. *Væ animæ illorum, quoniam reddita sunt eis mala.* 275.1
4. *Pro eo quod elatæ sunt filiæ Sion, & ambulauerunt*

extento collo, decaluabit Dominus verticem filiarum Sion. 530.1
5.2. Expectaui vt faceret vuas, & fecit labruscas. 61.1
6. Et nubibus mandabo, ne pluant super eam imbrem. 61.2.& 520.1.& 542.2
14. Propterea dilatauit infernus animam suam. 178.1
18. Væ qui trahitis iniquitatem in funiculis veritatis. 121.1
26. Eleuauit signum in nationibus procul, & sibilauit ad eum de finibus terræ. 267.1
6.1. In anno quo mortuus est Ozias, vidi Dominum sedentem super solium excelsum, & eleuatum. 519.1. & 537.1.& 179.2
2. Seraphim stabant super illud, sex alæ vni, sex alæ alteri, duabus velabant faciem eius. 520.2
5. Væ mihi, quia tacui. 129.1.& 168.1
6. Et volauit ad me vnus de Seraphim, & in manu eius calculus. 417.1
7.14. Vocauit nomen eius accelera, spolia detrahe, festina, prædare. 4.1
9.5. Vestimentum mixtum sanguine. 386.2
6. Vocabitur Deus fortis. 514.2. Admirabilis. 532.2
7. Factus est principatus eius super humerum eius. 507.1
10.27. Auferetur onus eius de humero tuo, & iugum eius de collo tuo. 23.1
11.3. Et repleuit eum spiritus timoris Domini. 115.2. & 119.1
9. In vniuerso monte sancto meo. 4.2. Repleta est terra scientia Domini. 512.1
10. In illa die radix Iesse qui stat in signum populorum, ipsum gentes deprecabuntur, & erit sepulchrum eius gloriosum. 443.1
13.6. Vlulate, quia propè est dies Domini. 139.2
20. Non ponet in ea tentoria Arabs. 232.2
14.13. In cœlum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum, &c. 284.1.& 528.2
14. Similis ero Altissimo. 327.1.& 338.1.538.2
15. Verumtamen in profundum detraheris. 530.1
19.16. In die illa erit altare Domini in medio terræ Ægypti, & titulus Domini iuxta terminum eius. 520.2
17. Sicut ouis ad occisionem ductus. 451.2
23.4. Erubesce Sidon, ait mare. 150.1
24.14. Hi leuabunt vocem suam, atque laudabunt, cùm glorificatus fuerit Dominus, hinnient de mari. 230.1
23. Erubescet Luna, & confundetur Sol cùm regnauerit Dominus exercituum. 520.1
26.18. Sicut quæ concipit, cùm appropinquauerit ad partum dolēs clamat in doloribus suis, sic facti sumus à facie tua Domine: concepimus, & quasi parturiuimus spiritum.
28.5. In illa die erit Dominus corona gloriæ. 388.1
13. Manda, remanda expecta. 88.1
16 Ecce ego mittam in fundamētis Sion lapidem probatum, angularem, pretiosum. 511.1
27. Non in perpetuum triturans triturabit illum, neque vexabit eum rota plaustri, nec vngulis suis comminuet eum. 273.2
29.8. Sicut somniat sitiens, & bibit, & postquam fuerit expergefactus, lassus adhuc sitit, & anima eius vacua est. 422.2
30.6 Onus iumentorum austri in terra tribulationis, & angustiæ, &c. 24.2
18. Expectat Dominus vt misereatur vestri. 37.1.& 295.2
20. Et dabit vobis Dominus panem arctum, & aquam breuem. 523.2
32.3. Haurietis aquas in gaudio de fontibus Saluatoris. 467.1
18. Erit opus iustitiæ pax, & cultus iustitiæ silentium, & delectabitur populus meus in pulchritudine pacis. 28.1
33.6. Diuitiæ salutis sapientia, & scientia, timor Domini ipse est thesaurus eius. 88.1.& 99.2
1. Quasi tuba exalta vocem. 139.1
38.1. Audiui orationem tuam, &c. 139.1
6. Ecce sanaui te, die tertio ascendes in templum Domini, & addam diebus tuis quindecim annos, sed & de manu Regis Assyriorum eruam te. 109.2
14. Domine vim patior, responde pro me. 460.2
17. Ecce in pace amaritudo mea amarissima. 230.1
20. Super vulnus. 179.2
40.1. Dicite pusillanimis, confortamini. 139.2
15. Ecce gentes quasi stilla situlæ, & quasi momentum stateræ reputatæ sunt. 535.2
41.19. Ecce omnes iniusti, & vana operantes. 152.2
42.3. Non clamabit, neque accipiet personam pauperis, neque audietur vox eius foris, &c. 392.1
12. Quæres eos, & non inuenies. 54.1
43.17. Principes tui præuaricati sunt in me. 180.2
21. Populum istum formaui mihi. 160.1
24. Seruire me fecisti in iniquitatibus tuis. 8.1.& 465.1.& 466.1
27. Pater tuus primus peccauit. 178.2
44.3. Effundam aquas super sitientem, & flumina super aridam, &c. 14.1
45.22. Viuo ego, dicit Dominus, quia mihi flectetur omne genu. 497.1
23. Egredietur ex ore meo iustitiæ verbum, & non reuertetur. 514.1
46.1. Confractus est Bel, contritus est Nabo, facta sunt simulacra eorum bestijs, & iumentis, onera vestra graui pondere vsque ad lassitudinem, &c. 24.1.& 258.1
3. Audite me domus Iacob, & omne residuum domus Israel, qui portamini à meo vtero, &c. 22.1
4. Ego ipse, & vsque ad canos, &c. 77.2
22. Non est pax impijs, dicit Dominus. 26.1
49.2. Posuit os meum quasi gladium acutum, posuit me quasi sagittam electam, in pharetra sua abscondit me. 392.2
6. Parum est vt sis mihi seruus ad suscitandas faces Iacob, & tribus Israel conuertendas, dedi te in lucem gentium. 389.2
16. In manibus meis descripsi te, & muri tui coram oculis meis sunt semper. 48.1.& 77.2
50.4. Dominus dedit mihi linguam eruditam. 129.1
6. Corpus meum dedi percutientibus, & genas meas vellentibus. 452.2
8. Stemus simul, quis est aduersarius meus? Accedat ad me. 468.1
51.7. Quàm pulchri super montes pedes annuntiantis, & prædicantis pacem, annuntiantis bonum. 26.1.& 156.1.& 218.2
9. Consurge, consurge, induere fortitudine brachium Domini. 392.1
52.5. Dominatores eius iniquè agunt. 162.2
53.2. Ascendet sicut virgultum coram eo, & velut radix de terra sitienti. 9.1.503.1.& 2
4. Languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit. 461.2
6. Omnes nos quasi oues errauimus, vnusquisque in viam suam declinauit, & posuit Dominus in eo iniquitates omnium nostrûm. 461.1
7. Quasi agnus coram tondente se obmutescet. 387.1
8. De angustia, & de iudicio sublatus est. 189.2. generationem eius quis enarrabit? 535.2
10. Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longæuum. 352.1.& 371.2

11. Pro

11. *Pro eo quod laborauit anima eius videbit, & saturabitur.* 479.1
12. *Et ipse peccata multorum tulit. ibidem.*
54.11. *Ecce ego sternam per ordinem lapides tuos, & fundabo te in sapphiris.* 358.2.507.2
55.2. *Venite, emite absque argento, & absque vlla commutatione vinum, & lac.*
6. *Quærite Dominum dum inueniri potest.* 54.1
11. *Verbum meum quod egredietur de ore meo, non reuertetur ad me vacuum.* 514.1
13. *Sicut exaltantur cœli à terra, ita via mea à vijs vestris.* 528.1
58.3. *Et omnes debitores vestros repetitis.* 249.1.295.2. & 461.2
7. *Cum videris nudum operi eum, & carnem tuam ne despexeris.*
8. *Tunc erumpet quasi mane lumen tuum.* 35.2
59.6. *Telas araneæ texuerunt.* 152.2
60.8. *Qui sunt hi qui vt nubes volant, & sicut columbæ ad fenestras suas?* 82.2
61.1. *Quæsierunt me qui antè non interrogabant,* 53.2
62.1. *Propter Sion non tacebo, & propter Ierusalem non quiescam, donec egrediatur vt splendor iustus eius, & Saluator eius, vt lampas accendatur.*
5. *Gaudebit sponsus super sponsam, & gaudebit super te Deus tuus.* 385.1. 427.1
12. *Et vocabunt eos, populus sanctus redempti à Domino.* 4.2
63.2. *Quare ergo rubrum est indumentum tuum, & vestimenta tua sicut calcantium in torculari?* 386.2. 464.2
5. *Attritus est propter scelera nostra, & liuore eius sanati sumus.* 446.2
15. *Vbi est zelus tuus, & fortitudo tua, & multitudo viscerum tuorum?* 77.1.382.2
65.11. *Væ qui ponitis Fortunæ mensam.* 176.2.426.1
66.11. *Vt sugatis, & repleamini ab vbere consolationis eius, vt mulgeatis, & delicijs affluatis ab omnimoda gloria eius.* 419.1
12. *Ecce ego declinabo super eam quasi fluuium pacis, & quasi torrentem inundantem.* 28.1
22. *Domine dabis pacem nobis, omnia enim opera nostra operatus es nobis.* 26.2

Ieremias.

Cap. 1. 11. *Virgam vigilantem ego video.* 182.2
14. *Panditur omne malum super habitatores terræ.* 405.2.
18. *Quid tibi vis in via Ægypti?* 422.2
2.20. *Sub omni ligno frondoso.* 152.2
24. *Onager assuetus in solitudine, &c.* 457.2
22. *Si laueris te nitro, &c. maculata est iniquitas tua coram me.* 356.1
25. *Prohibe pedem tuum à nuditate, & guttur tuum à siti.* 422.2.
30. *Disciplinam non receperunt.* 198.1
33. *Vide vias tuas in conualle.* 146.2
6.26. *Filia populi mei accingere cilicio.* 132.2
7.8. *Ecce vos confiditis vobis in sermonibus mendacij.* 18.1
18. *Filij colligunt ligna, patres succendunt ignem, &c.* 89.2
8.8. *Erudire Ierusalem, ne forte recedat anima mea à te.* 45.2.
20. *Transiuit messis, finita est æstas.* 469.2
9.5. *Docuerunt linguam suam loqui mendacium, vt iniquè agerent laborauerunt.* 283.1
11.19. *Mittamus lignum in panem eius.* 442.1
14.22. *Nunquid sunt in sculptilibus gentium qui pluant?* 151.2
15.6. *Laboraui rogans.* 139.1
8. *Multiplicatæ sunt mihi viduæ eius.* 132.2
10. *Væ mihi mater mea, non fœneraui.* 133.1
19. *Si separaueris pretiosum à vili, quasi os meum eris.* 108.2
16.13. *Seruistis ibi dijs alienis die, ac nocte.* 22.2
17.5. *Maledictus homo qui confidit in homine.* 154.2
17. *Diem hominis non desideraui.* 206.1
18. 14. *Nunquid deficiet de petra agri nix Libani? &c.* 403.1
23. *In tempore furoris tui abutere eis.* 134.2
22.17. *Tui verò oculi, & cor ad auaritiam.* 181.2
22. *Omnes pastores tuos pascit ventus.* 152.1
24. *Si fuerit Ieconias filius Ioachim Regis Iuda, annulus in dextera mea.* 133.2.& 136.1
23.29. *Nunquid non verba mea non sunt quasi ignis?* 104.2
30. 13. *Insanabilis fractura tua, pessima plaga tua.* 17.1
31.15. *Vox in Rhama audita est.* 89.1
22. *Vsquequò delicijs dissolueris filia vaga?* 22.1.
30. *Omnis homo qui comederit vuam acerbam, obstupescent dentes eius.* 506.2
33.2. *Dominus nomen illi.* 30.2
10. *Adulteris repleta est terra.*
20. *Si irritum fieri potest pactum meum cum die.* 505.1
30. *Ecce ego ad Prophetas, ait Dominus, qui furantur verba mea.* 469.1
46.10. *Vitula elegans, atque formosa Ægyptus.* 283.2
51.27. *Leuate signum in terra, &c.* 267.1
46. *Iniquitas in terra.* 190.2

Threni.

Cap. 1. 1. *Princeps prouinciarum facta est sub tributo.*
12. *O vos omnes qui transitis per viam, attendite, & videte, si est dolor sicut dolor meus.* 267.2.462.1
14. *Virgines eius squalidæ.* 117.1
2.9. *Defixæ sunt in terra portæ eius.* 184.2
3.3. *Tantum in me vertit, & conuertit manum suam tota die.* 305.2
9. *Conclusit vias meas lapidibus quadris, semitas meas subuertit.* 218.2
25. *Bonus es Domine sperantibus in te.* 47.1
52. *Venatione ceperunt me quasi auem inimici mei gratis.* 219.2
4. 20. *Spiritus oris nostri Christus Dominus.* 500.1.

Ezechiel.

Cap. 1. 4. *Et vidi, & ecce ventus turbinis veniebat ab Aquilone.* 394.2.& *de medio eius, quasi species electri.* 519.1
5. *Similitudo animalium.* 544.2
8. *Et manus hominis sub pennis eorum.* 173.2
14. *Et animalia ibant, & reuertebantur in similitudinem fulguris coruscantis.* 541.1
16. *Et aspectus earum, & opera quasi sit rota in medio rotæ.* 293.1
18. *Statura quoque erat rotis, & altitudo horribilis.* 225.1
3.9. *Vt adamantem, & vt silicem dedi faciem tuam.* 169.1
14. *Spiritus quoque leuauit me, & assumpsit me.* 101.1
4. *Pone arietes in gyro.* 179.1
6.9. *Displicebunt sibimet.* 139.1
7.9. *Immittam furorem meum in te.* 138.2
8.10. *Floruit virga.* 182.2
14. *Adhuc conuersus videbis abominationes maiores.* 226.1
9. *Appropinquauerunt visitationes orbis.* 135.1
10.2. *Et dixit ad virum, qui indutus erat lineis.* 155.1

8. *Ecce omnis similitudo reptilium, & animalium abominatio.*
13. *Volubiles.* 225.1
13. 5. *Non ascendistis ex aduerso, neque opposuistis murum pro domo Israel.* 396.1
10. *Ipse ædificabat parietem, illi autem liniebant luto, absque paleis.* 126.2
16. 5. *Proiecta es super faciem terræ.* 137.2
10. *Indui te subtilibus.* 20.1
30. *In quo mundabo cor tuum, ait Dominus.* 146.2
17. 22. *In monte sublimi Israël plantabo illud, & erumpet in germen, & faciet fructum.* 503.2
23. *Viuo ego, nolo mortem peccatoris, sed magis vt conuertatur, & viuat.* 238.2
32. *Et dices, hæc dicit Dominus Deus Aquila grandi magnarum alarum.* 503.2
20. 40. *Et sanctificabor in vobis.* 161.1
21. 16. *Vade ad dexteram, siue ad sinistram.* 393.1
24. 9. *Væ ciuitati sanguinum, cuius ego grandem faciam pyram.* 241.1
25. 13. *Propterea tradidi eam in manus amatorum suorum.* 81.1.
28. 12. *Tu signaculum similitudinis.* 142.2. & 277.1. & 327.2
16. *Et peccasti.* ibid.
30. 13. *Optimates populorum.* 168.1
33. 11. *Viuo ego, dicit Dominus, & quare moriemini domus Israel?* 36.2
36. 20. *Ingressi sunt ad gentes.* 162.2
37. 2. *Et accesserunt ossa ad ossa.* 301.2. 303.1
27. *Et erit tabernaculum meum in eis.* 84.1
42. 14. *Vestiemur vestimentis albis.* 386.2
44. 17. *Cumque ingredientur portas atrij interioris, vestibus lineis induentur.* 545.1
19. *Cumque egredientur atrium exterius ad populum, exuent se vestimentis suis.* ibid.
47. 10. *Plurimæ species erunt piscium eius.* 68.2
22. *Et super torrentem orietur in ripis eius ex vtraque parte lignum pomiferum.* 140.2
48. *Et ab oriente portæ tres, & ab Aquilone portæ tres, &c.* 382.1

Daniel.

Cap. 3. 10. *Tu Rex posuisti decretum.* 459.1.
15. *Et quis est Deus, qui eripiat vos de manu mea?* 224.2
23. *Angelus enim Domini descendit cum Azaria, & socijs eius in fornacem.* 219.2
92. *Et species quarti similis filio Dei.* 279.1
4. 11. *Succidite arborem, & præcidite ramos eius.* 182.1
5. 25. *Hæc est autem scriptura quæ scripta est, Mane, Techel, Phares.* 188.1
6. 20. *Daniel serue Dei viuentis.* 20.2
7. 9. *Aspiciebam donec throni positi sunt, & antiquus dierum sedit, & ecce, &c. & in conspectu eius obtulerunt eum.* 497.1
8. 12. *Robur autem datum est ei contra iuge sacrificium.* 165.2
13. 24. *Et exclamauit voce magna Susanna.* 199.2

Oseas.

Cap. 2. 14. *Propter hoc ecce ego lactabo eam, & ducam eam in solitudinem, &c.* 546.1
19. *Sponsabo te mihi in sempiternum.* 386.1
21. *Exaudiam cœlos, & illi exaudient terram.* 323.1
4. 1. *Audite verbum Domini filij Israel.* 120.1
19. *Ligauit eum spiritus in alis suis.* 145.2. & 185.1
5. 1. *Domus Regis ausculate.* 185.1.
6. *Tota nocte dormiuit coquens eos.* 81.1
10. *Facti sunt Principes Iuda assumentes terminum.* 60.1
11. *Calumniam faciens est Ephraim.* 120.2
6. 8. *Galaad ciuitas operantium idolum, supplantata sanguine.*
7. 4. *Omnes adulterantes quasi clibanus.* 180.2
5. *Extendit manum suam cum illusoribus.* 183.2
8. 4. *Ipsi regnauerunt, & non ex me.* 360.1. & 361.2
5. *Proiectus est vitulus tuus Samaria.* 123.2
7. *Ventum seminabunt, & turbinem metent.* 151.1.
Culmus stans non est in eo. 153.1
10. 1. *Vitis frondosa Israël.* 123.2
5. *Vaccas Betauen coluerunt habitatores Samariæ.* ibid.
7. *Transire fecit Samaria Regem suum quasi spumam.* 81.1
12. *Seminate vobis ad iustitiam.* 99.1
11. 1. *Sicut mane transit Rex Israel.* 81.1
7. *Pendebit populus meus ad reditum meum.* 231.1
12. 3. *Et in fortitudine sua directus est cum Angelo.* 219.1
7. *Dolosa statera.* 110.2
12. *Et seruiuit Israël in vxorem.* 159.1
13. 15. *Adducet vrentem ventum Dominus de deserto ascendentem* 393.2

Ioël.

Cap. 2. 25. *Locusta, bruchus, & rubigo fortitudo mea magna.* 186.2
31. *Sol conuertetur in tenebras, & Luna in sanguinem.* 257.2

Amos.

Cap. 4. 15. *Vnde & ego dedi vobis stuporem dentium.* 506.2
Cap. 8. *Mittam famem in terra, non famem panis, & aquæ, sed audiendi verbum Dei.* 97.1
9. 7. *Nunquid non vt filij Æthiopum vos estis mihi filij Israel?* 421.2

Ionas.

Cap. 1. 3. *A facie Domini.* 284.
2. 10. *Ego autem in voce laudis immolabo tibi.* 471.1.
4. 7. *Parauit Deus vermem ascensu diluculi.* 439.1

Michæas.

Cap. 1. 8. *Faciam planctum velut draconum, & luctum quasi struthionum.* 105.1

Nahum.

Cap. 3. 9. *Æthiopia fortitudo eius, & Ægyptus.* 288.2

Abacuc.

Cap. 1. 5. *Aspicite in gentibus.* 423.2
13. *Mundi sunt oculi tui ne videant malum.* 407.1
3. 1. *Domine audiui auditionem tuam, & timui.* 514.2. 515.1
Splendor eius vt lux erit. 513.1
4. *Cornua in manibus eius, ibi abscondita est fortitudo eius.* 438.1. 475.2. 513.1. 522.2
5. *Ante*

5. *Ante faciem eius ibit mors.* 103.2
6. *Stetit, & mensus est terram.* 447.1
10. *Abyssus vocem suam, altitudo manus suas leuauit.* 439.1.
11. *In luce sagittarum tuarum.* 267.1.& 284.1

Sophonias.

Cap. 1. 1. *Verbum Domini quod factum est ad Sophoniam filium Chusi, &c.* 329.1
8. *Et erit, in die hostiæ Domini, visitabo super omnes, qui induti sunt veste peregrina.* 331.1
2.1. *Congregamini gens non amabilis.* 296.1
14 *Onocrotalus, & ericius in liminibus eius morabuntur.* 271.1
3.1. *Væ prouocatrix, & redempta ciuitas.* 473.2
9. *Tunc reddam populis labium electum, vt inuocent omnes in nomine Domini, &c.* 131.2
17. *Gaudebit super te in lætitia, & silebit in dilectione sua.* 300.2
33. *Principes eius leones.* 189.2

Aggæus.

Cap. 2. 24. *Ponam te quasi signaculum.* 181.2

Zacharias.

Cap. 2. 5. *Ego ero ei murus ignis in circuitu.* 77.2
8. *Qui vos tangit, tangit pupillam oculi mei.* 193.2
3.3. *Et Iesus erat indutus vestibus sordidis.* 386.2
9. *Super lapidem vnum septem oculi sunt.* 112.1.& 359.1.
4.7. *Et educet lapidem primarium, & exæquabit gratiam gratiæ eius.* 406.2.507.1.
5.6. *Hæc est amphora egrediens, &c.* 415.2
6.19. *Lapides sancti eleuabuntur super terram.* 457.2
9.1. *Onus verbi Domini in terra Hadrach.* 106.1.
10. 3. *Posuit eos quasi equum gloriæ in prælio.* 160.2
8. *Sibilabo eis, & congregabo eos.* 448.1.
11. 8. *Et contracta est anima mea in eis.* 229.1. 476.1
12. 2. *Ecce ego ponam Ierusalem superliminare crapulæ.* 274.1.
13. 2. *Disperdam nomina idolorum in terra.* 439.1
6. *Quæ sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum?* 455.1
9. *Et ducam tertiam partem per ignem, & vram eos sicut vritur argentum.* 285.2
17. *Percute pastorem.* 431.1

Malachias.

Cap. 1.11. *Ab ortu Solis vsque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus, &c.* 519.2
13. *Et dixistis, ecce de labore, & exsufflastis illud, dicit Dominus exercituum, & intulistis de rapinis claudum, & languidum.* 347.2
2.7. *Labia enim Sacerdotis custodient scientiam, & legem requirent ex ore eius, quia Angelus Domini exercituum est.* 98.1
17. *Laborare fecistis Dominum in sermonibus vestris* 382.1.

INDEX LOCORVM
NOVI TESTAMENTI.

Matthæus.

Cap. 1. 3. *Iudas autem genuit Phares, & Zaram.* 401.2
Cap. 2. 13. *Puerum ad perdendum eum.* 332.1
18. *Vox in Rama audita est.* 89.1
22. *Archelaus regnaret pro Herode.* 375.1
Cap. 3. 16. *Baptizatus autem Iesus confestim ascendit de aqua, &c. & ecce vox de cælis dicens: Hic est filius meus dilectus, &c.* 328.1
Cap. 4. *Non in solo pane viuit homo.* 109.1.
9. *Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraueris me.* 390.2
10. *Vade Sathana.* 271.2
Cap. 5. 9. *Beati pacifici, quoniã filij Dei vocabũtur.* 303.2
10. *Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum cælorum.* 204.2
16. *Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona.* 95.1.& 102.1.315.1.317.2
18. *Amen quippe dico vobis, iota vnum, aut vnus apex non præteribit à lege.* 112.2.& 122.1
23. *Si ergo offers munus tuum ad altare.* 292.2
45. *Qui Solem suum oriri facit super bonos, & malos.* 148.2
Cap. 6. 1. *Attendite ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus.* 317.2
5. *Receperunt mercedem suam.* 310.2
9. *Sanctificetur nomen tuum.* 162.1.
11. *Panem nostrum supersubstantialem.* 417.1
21. *Si oculus tuus simplex fuerit.* 159.2
23. *Si ergo lumen, quod in te est, tenebræ sunt.* 159.1
29. *Nec Salomon in omni gloria sua coopertus est sicut vnum ex istis.* 72.2
Cap. 7. 6. *Neque mittatis margaritas vestras ante porcos.* 391.1
7. *Quærite, & inuenietis.* 54.1
11. *Si vos cum sitis mali, nostis bona data dare filijs vestris, quanto magis Pater vester, qui in cælis est, dabit vobis bona petentibus se?* 35.1
12. *Omnia quæcunque vultis vt faciant vobis homines, & vos facite illis.*
Cap. 8. 1. *Cum descendisset Iesus de monte, secutæ sunt eum turbæ multæ.* 513.1
6. *Domine puer meus iacet.* 156.1
7. *Ego veniam, & curabo eum.* 191.2
19. *Vulpes foueas habent, & volucres cæli nidos: filius autem hominis non habet vbi caput suum reclinet.* 521.1. 298.1
23. *Ipse dormiebat.* 211.1
28. *Erant saui nimis.* 22.2. *Occurrerunt ei duo dæmonia.* 142.1
Cap. 9. 13. *Ne nos inducas in tentationem, sed libera nos à malo.* 288.2
14. *Quare nos, & Pharisæi ieiunamus frequenter, discipuli autem tui non ieiunant?* 211.2
Cap. 10. 9. *Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam*

pecuniam in zonis vestris. 542.1
15. *Estote prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ.* 94.2
19. *Cum steteritis ante Reges, & Præsides, nolite cogitare quomodo, aut quid loquamini, dabitur enim vobis in illa hora, quid loquamini.* 216.1
20. *Non enim vos estis qui loquimini.* 128.1
27. *Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine.* 199.1
30. *Sed & capilli capitis vestri omnes numerati sunt.* 110.1
41. *Qui recipit Prophetam in nomine Prophetæ, mercedem Prophetæ accipiet.* 49.1
Cap. 11.6. *Beatus qui non fuerit scandalizatus in me.* 516.2
12. *Regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* 338.2.353.1
17. *Venit Ioannes, neque manducans, neque bibens, & dicunt dæmonium habet.* 545.1
29. *Discite à me quia mitis sum, & humilis corde.* 529.2
23. *Et tu Capharnaum vsque ad cœlum exaltata, vsque ad infernum detraheris.* 530.1
25. *Confiteor tibi Pater, Domine cœli, & terræ.* 104.2
29. *Iugum enim meum suaue est, & onus leue.* 23.1
Cap. 12. 14. *Sicut fuit Ionas in ventre Ceti tribus diebus, & tribus noctibus, sic erit filius hominis in corde terræ tribus diebus, & tribus noctibus.* 230.2
34. *Progenies viperarum, quomodo potestis bona loqui?* 130.1.501.2
36. *Dico autem vobis, quoniam omne verbum otiosum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de Deo in die iudicij.* 420.1
38. *Volumus à te signum videre.* 212.1
Cap. 13.6. *Qui cum audierint, cum gaudio suscipiunt verbum, & hi radices non habent, quia ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt.* 59.2
28. *Vis, imus, & colligimus ea?* 243.1
Inimicus homo hoc fecit. 204.1
29. *Sinite vtraque crescere vsque ad messem, ne forte euellentes zizania, eradicetis simul & triticum.* 281.1
44. *Simile est regnum cœlorum thesauro abscondito in agro.* 521.2
45. *Simile est regnum cœlorum homini negotiatori, quærenti bonas margaritas.* 297.1.
46. *Qui inuenta vna pretiosa, abijt, & vendidit omnia quæ habuit, & emit eam.* 279.2
Cap. 14.1. *In illo tempore audiuit Herodes.* 167.1
Cap. 15.8. *Populus hic labijs me honorat.* 129.1
22. *Miserere mei Domine fili Dauid, filia mea malè à dæmonio vexatur.* 50.1
27. *Nam & catelli edunt de micis, quæ cadunt, &c.* 531.1
Cap. 16.13. *Quem dicunt homines esse filium hominis?* 207.1.
15. *Vos autem quem me esse dicitis?* 541.1
16. *Tu es Christus filius Dei viui.* 170.2
19. *Tibi dabo claues regni cœlorum.* 196.2
21. *Exinde cœpit Iesus ostendere discipulis suis, quod oporteret eum ire Ierosolymam, &c.* 518.1
22. *Et assumens eum Petrus, cœpit increpare illum, dicens: absit à te Domine, &c.* 352.2.& 353.2
23. *Vade post me Sathana, scandalum es mihi, quia non sapis ea quæ Dei sunt.* 517.2
24. *Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, &c.* 13.2.352.2
26. *Quid prodest homini, si vniuersum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur?* 110.2.
27. *Filius enim hominis venturus est in gloria Patris.* 497.1
20. *Sunt de hic adstantibus, qui non gustabunt mortem.* 235.1
5. *Ipsum audite.* 345.1.& 518.1
22. *Sumens da eis pro me, & te.* 258.2
Cap. 18.12. *Magister dic fratri meo, vt diuidat mecum.* 297.1
19. *Vbi sunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum,* 129.1
Si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re quãcumque petierint, fiet illis à Patre meo, 268.1
Cap. 20.12. *Hi nouissimi vna hora fecerunt, & pares nobis fecisti.* 206.1.546.2
20. *Mater filiorum Zebedæi.* 91.1
22. *Nescitis, quid petatis.* 342.2.& 359.1
Potestis bibere calicem, &c. 355.1.523.1
23. *Non est meum dare vobis, sed quibus paratum est à Patre meo.* 324.1.340.1
28. *Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare.* 472.1
30. *Ecce duo cæci sedentes secus viam.* 54.2
Cap. 22. 2. *Simile factum est regnum cœlorum homini Regi.* 139.2
4. *Dixit Dominus Domino meo.* 30.1
12. *Non habens vestem nuptialem* 523.1
13. *Multi enim sunt vocati, pauci verò electi.* 45.1
37. *Diliges Dominum Deum tuum.* 127.2
Cap. 23.4. *Alligat enim onera grauia, & importabilia, &c.* 24.2.
8. *Vos autem nolite vocari Rabbi.* 4. 2. *Vnus est enim Magister vester, &c. ibid.*
27. *Similes estis sepulchris dealbatis.* 403.1
Cap. 24.19. *Væ illis, quæ in vtero habent, & vbera dantibus.* 62.1
48. *Si autem dixerit seruus ille in corde suo, moram facit dominus meus.* 3.2
Cap. 25.1. *Quæ accipientes lampades suas exierunt obuiam sponso.* 540.2
8. *Date nobis de oleo vestro.* 80.2
9. *Ne fortè non sufficiat nobis, & vobis.* 540.2
12. *Nescio vos.* 470.1.
26. *Scio, quia homo durus es, metis vbi non seminas, & congregas vbi non spargis.* 210.2
34. *Tunc dicet Rex his, qui à dextris eius erunt.* 134.1
36. *Infirmus, & visitastis me.* ibid.
40. *Quamdiu fecistis vni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis.* 32.2.& 45.2
Cap. 26.2. *Scitis quia post biduum Pascha fiet, & filius hominis tradetur.* 75.1
15. *Quid vultis mihi dare, & ego eum vobis tradam?* 450.1.
18. *Ite in ciuitatem ad quendam, & dicite ei: Magister dicit, &c. apud te facio Pascha.* 417.1
26. *Benedixit, & fregit.* 451.2
27. *Hoc est corpus meum.* 521.2
29. *Dico autem vobis, non bibam amodò de hoc genimine vitis.*
38. *Tristis est anima mea.* 535.1
39. *Si possibile est, transeat à me calix iste.* 22.1.& 223.2.525.1
53. *An putas, quia non possum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi modo plusquam duodecim legiones Angelorum?* 432.2
55. *In illa hora dixit Iesus turbis: tanquam ad latronem existis cum gladijs, & fustibus comprehendere.* 416.2
60. *Cum multi falsi testes accessissent.* 179.1
61. *Nouissimè venerunt duo falsi testes, & dixerunt: Hic dixit, possum destruere templum Dei.* 533.1

64. *Ve*

64. *Verumtamen dico vobis, amodò videbitis filium hominis sedentem à dextris virtutis Dei.* 356.2. *Tu dixisti.* 448.1

68. *Prophetiza Christe, quis est qui te percussit?* 461.1

70. *Nescis quid dicas.* 198.2

71. *Non noui illum.* 198.1

27. 3. *Pœnitentia ductus retulit triginta argenteos.* 159.

2. *Et proiectis argenteis in templo recessit.* 381.1

9. *Et acceperunt triginta argenteos pretium appretiati.* 71.2

14. *Ita vt miraretur Præses vehementer.* 452.1

25. *Sanguis eius super nos, & super liberos nostros.* 276.1

34. *Et cum gustasset, noluit bibere.* 453.2

42. *Alios saluos fecit, &c. si Rex Israël est, descendat nunc de cruce, & credimus ei.* 518.1. & 537.2

46. *Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me?* 462.1

48. *Continuò currens vnus ex eis acceptam spongiam impleuit aceto.* 263.2

51. *Tenebræ factæ sunt super vniuersam terram, & terra mota est.* 429.2

54. *Verè Filius Dei erat iste.* 31.2

64. *Sedentem à dextris virtutis Dei.* 495.2

28. 5. *Nolite timere.* 115.1

18. *Data est mihi omnis potestas in cœlo, & in terra.* 356.2. & 493.2. & 497.1

19. *Euntes ergo docete omnes gentes, &c.*

Marcus.

Cap. 3. 21. *Et spiritus immundi cùm illum videbant, procidebant ei, &c.* 321.2

24. *In qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis.* 61.1

5. 26. *Et erogauerat omnia sua, nec quidquam profecerat.* 100.2

6. 7. *Cœpit mittere discipulos binos.* 213.2

16. *Ipse est Ioannes, quem ego decollaui, hic à mortuis resurrexit.* 32.2

45. *Et statim coëgit discipulos suos ascendere nauim, &c. & cum dimisisset eos, abijt in montem orare.* 427.1

7. 24. *Ingressus domum neminem voluit scire, & non potuit latere.* 318.1

35. *Solutum est vinculum linguæ eius, & loquebatur rectè.* 119.1

9. 5. *Faciamus tria tabernacula.* 84.1

6. *Hic est filius meus dilectus.* 509.2

6. *Vbicumque apprehenderit, allidit eum, & spumat.* 90.1

49. *Habete in vobis salem, & pacem habete inter vos.* 324.1

10. 35. *Volumus vt quodcumque petierimus, facias.* 509.1

45. *Dare animam suam redemptionem pro multis.* 375.1

14. 31. *Quia nescio hominem istum, quem dicitis.* 170.2

44. *Quemcumque osculatus fuero, ipse est, tenete eum, & ducite cautè.* 449.2

15. 19. *Percutiebant caput eius arundine, &c.* 500.2

23. *Et dabant ei bibere myrrhatum vinum.* 453.1

39. *Et videns Centurio, qui ex aduerso stabat, quia sic clamans expirasset.* 455.1. 200.1

16. 2. *Vna Sabbathorum.* 139.2

Luc.

Cap. 1. 13. *Vxor tua Elizabeth pariet tibi filium.* 85.1

28. *Dominus tecum.* 30.2

30. *Inuenisti gratiam apud Deum.* 25.1

31. *Ecce concipies in vtero, & paries filium.* 85.1. & 484.2. *Vocabis nomen eius Iesum.*

32. *Et dabit illi Dominus Deus sedem David patris eius.* 350.1

38. *Ecce ancilla Domini.* 10.2

44. *Exultauit infans in vtero meo.* 458.1

46. *Magnificat anima mea Dominum.* 514.2

51. *Fecit potentiam in brachio suo.* 538.2

52. *Deposuit potentes de sede.* 531.1

78. *Per viscera misericordiæ Dei nostri.* 77.1. & 289.2

2. 11. *Natus est vobis hodie Saluator, qui est Christus Dominus.* 30.2. *Ecce euangelizo vobis, &c.* 85.1

14. *Pax hominibus bonæ voluntatis.* 373.2

21. *Postquam consummati sunt dies octo, vt circumcideretur puer, &c.* 387.2. & 486.1. *Vocatum est nomen eius Iesus.*

29. *Nunc dimittis seruum tuum Domine secundum verbum tuum in pace.* 237.2

3. 7. *Genimina viperarum.* 274.2

28. *Qui fuit Seth, qui fuit Adam, qui fuit Dei.* 409.2

4. 6. *Tibi dabo potestatem hanc vniuersam, & gloriam illorum; quia mihi tradita sunt, & cui volo do illa.* 341.1

9. *Mitte te hinc deorsum.* 361.1

13. *Amen dico vobis, quia nemo Propheta acceptus est in patria sua.* 207.2. 502.2

40. *Cùm autem Sol occidisset, omnes qui habebant infirmos varijs languoribus, ducebant illos ad eum.* 415.2

42. *Facta autem die egressus ibat in desertum locum.* 315.2

5. 37. *Nemo mittit vinum nouum in vtres veteres.* 249.2

6. 12. *Pernoctans in oratione Dei.* 534.2

28. *Mensuram bonam, & confertam, & coagitatam.* 380.1

29. *Qui te percutit in maxillam, præbe ei & alteram.* 452.2

44. *Vnaquæque enim arbor de fructu suo cognoscitur.* 130.1

7. 2. *Erat ei seruus pretiosus.* 148.2

12. *Defunctus efferebatur.* 249.2

37. *Intraui in domum tuam, aquam pedibus meis non dedisti, &c. Osculum mihi non dedisti, oleo caput meum non vnxisti, &c.* 277.2. & 464.2. *Vt cognouit, &c.*

8. 15. *In corde bono, & optimo audientes verbum retinent, & fructum afferunt in patientia.* 243.2. & 59.1. & 60.2

37. *Narra quanta fecit tibi Deus.* 53.1

44. *Accessit retro, & tetigit fimbriam vestimenti eius, & confestim stetit fluxus sanguinis eius.* 464.2

9. 3. *Loquebantur cum illo, & dicebant excessum eius.* 183.1

5. *Non enim sciebat, quid diceret.* 353.2

11. *Quanto magis Pater vester dabit spiritum bonum?* 35.1

23. *Si quis vult venire post me, abneget semetipsum.* 13.2

26. *Qui me erubuerit, & meos sermones, hunc filius hominis erubescet.* 198.2

51. *Fa*

51. Factum est autem cum complerentur dies assumptionis eius, & ipse faciem suam firmauit vt iret in Ierusalem. 451.2
10.34. Et appropians alligauit vulnera eius. 18.2
18. Videbam Sathanam tamquam fulgur de cœlo cadentem. 530.1
21. In ipsa hora exultauit in Spiritu sancto. 535.2
11.4. Quis vestrûm habebit amicum, &c. 315.2
17. In Beelzebub principe dæmoniorum. 160.1
35. Sint lumbi vestri præcincti. 231.1
12.7. Et capillus de capite vestro non peribit. 110.1
14. Homo quis me constituit diuisorem super vos? 304.1. & 340.2. & 297.1.
20. Stulte hac nocte animam tuam repetent à te. 249.1
35. Lucernæ ardentes in manibus vestris. 540.2
36. Similes hominibus expectantibus Dominum suum quando reuertatur à nuptijs. 249.1. & 132.1
49. Ignem veni mittere in terram, & quid volo nisi vt accendatur? 92.1. & 477.1. & 155.1
50. Et valde propero ad illud. 449.2
13.6. Aliud cecidit supra petram, & natum aruit. 59.2
8. Domine dimitte illam & hoc anno, vsque dum fodiam circa illam, & mittam stercora. 211.1. & 181.2. & 189.1
15.9. Congratulamini mihi. 132.1
13. Deuorauit substantiam suam viuendo luxuriose. 283.2
14. Et facta est fames valida in regione illa, & ipse cœpit egere. ibid.
20. Filius tuus hic qui deuorauit substantiam suam cum meretricibus. 206.1
23. Adducite vitulum saginatum, quia filius meus mortuus fuerat, & reuixit. 378.1
29. Nunquam dedisti mihi hædum, vt cum amicis epuler. 207.2
16.5. Quantum debes Domino meo? Centum cados olei, &c. 111.2
19. Homo quidam qui induebatur purpura, & bysso. 530.2
24. Pater Abraham. 29.2
18.10. Descendit hic iustificatus in domum suam ab illo. 477.2. 531.2
19.10. Quærere, & saluum facere quod perierat. 315.2
20.13. Quid faciam? 389.2
21.15. Ego dabo vobis os & sapientiam, cui non poterunt resistere. 216.1
41. Quantum iactus est lapidis. 361.1
22.11. Ostendet vobis cœnaculum magnum stratum. 524.2
27. Ego autem in medio vestri sum sicut qui ministrat. 84.2
29. Vos estis, qui permansistis mecum in tentationibus meis. 351.1. Ego dispono vobis, &c. 355.1
32. Vt cribraret sicut triticum. 246.1
62. Fleuit amare. 171.1
64. Et velauerunt eum, & percutiebant faciem eius. 305.1
23.4. In homine isto. 538.1
12. Et facti sunt amici Herodes, & Pilatus in ipsa die. 297.2
24. Domine memento mei. 304.2. 537.2
26. Apprehenderunt Simonem quendam Cyrenensem, & imposuerunt illi crucem ferre post Iesum. 470.1
27. Filiæ Ierusalem nolite flere super me, sed super vos ipsas flete, &c. 453.1
37. Si tu es Christus, saluum fac temetipsum, & nos, &c. 365.2. 509.2
42. Domine memento mei cum veneris in regnum tuum. 304.2. & 170.2
43. Hodie mecum eris in paradiso. 380.2
46. In manus tuas commendo spiritum meum. 473.1
46. Expirauit. 387.2
24.26. Nonne hæc oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam? 349.1. & 350.2
35. Cognouerunt eum in fractione panis. 510.2
45. Et aperuit illis sensum, vt intelligerent scripturas. 87.1

Ex Ioanne.

Cap.1.1. In principio erat Verbum. 485.1. & 413.1
3. Quod factum est in ipso vita erat. 236.2
12. Filios Dei fieri. 3.1
14. Et Verbum caro factum est. 502.2. 512.1
Et vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à Patre. ibid.
51. Videbitis cœlum apertum, & Angelos Dei ascendentes, & descendentes super filium hominis. 286.1
2.4. Nondum venit hora mea. 220.2
14. Et cum fecisset quasi flagellum de funiculis. 193.2
3.3. Non enim dat Deus spiritum ad mensuram. 380.1
10. Tu es Magister in Israel, & hæc ignoras. 98.1
14. Sicut Moyses exaltauit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis. 442.2
16. Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret. 2.1. & 42.2. & 345.1. 476.2. & 388.2. 534.1
16. Non misit Deus filium suum in mundum, vt iudicet mundum. 131.2
34. Non dat spiritum ad mensuram. 535.2
4.1. Vt ergo cognouit Iesus, quod audierunt Pharisæi, quod Iesus plures discipulos facit, & baptizat, quam Ioannes. 323.1
10. Ego dedissem tibi aquam viuam. 155.2
35. Nonne vos dicitis, quod adhuc quatuor menses sunt, & messis venit? 526.2
53. Credidit ipse, & domus eius tota.
5.5. Et erat ibi homo triginta & octo annos habens in infirmitate sua. 145.2
7. Hominem non habeo. 220.2
18. Propterea ergo magis quærebant eum Iudæi interficere, quia non solum soluebat Sabbatum, sed & Patrem suum dicebat Deum, æqualem se faciens Deo. 447.2
19. Non potest filius facere à se quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem. 344.2
20. Pater enim diligit Filium, & omnia demonstrat ei, quæ ipse facit, & maiora his demonstrabit ei opera. 498.1
22. Pater non iudicat quemquam, sed omne iudicium dedit Filio. 486.2. & 495.1. & 496.2
27. Potestatem dedit ei iudicium facere, quia filius hominis est. 484.2. & 497.2
30. Non possum à me ipso facere quidquam, sicut audio, iudico. 455.1
44. Quomodo vos potestis credere, qui gloriam ab inuicem accipitis? 174.1
6.7. Manifesta teipsum mundo. 340.2
15. Cum cognouisset, quia venturi essent, vt raperent eum, & facerent eum Regem, fugit iterum in montem ipse solus. 357.1. 510.1
27. Operamini non cibum qui perit. 523.2
38. Quia descendi de cælo, non vt faciam voluntatem meam, sed voluntatem eius qui misit me. 373.2
42. Nonne hic est Iesus filius Ioseph? 346.2
44. Nemo potest venire ad me, nisi Pater qui misit me traxerit illum. 345.2
51. Ego sum panis viuus. 524.2
54. Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis. 418.1
55. Caro mea verè est cibus. 414.1

7. 6. *Tempus vestrum semper est paratum.* 136.2. *tempus meum nondum aduenit.* 504.2
34. *Quæretis me, & non inuenietis.* 543.1
48. *Nunquid ex Principibus aliquis credidit in eum?* 212.1
8. 28. *Principium, qui & loquor vobis.* 503.1
Tunc cognoscetis, quia ego sum. 514.2
34. *Qui facit peccatum, seruus est peccati.* 113.2
37. *Sermo meus non capit in vobis.* 227.2
10. 1. *Qui non intrat per ostium in ouile, sed ascendit aliunde ille, fur est, & latro.* 356.1
17. *Ego pono animam meam, vt iterum sumam eam, nemo tollit eam à me, &c.* 451.1
23. *Et ambulabat Iesus in templo, in porticu Salomonis.* 228.1
27. *Vocem meam audiunt.* 458.1
30. *Ego & Pater vnum sumus.* 340.1
36. *Quem Pater sanctificauit, & misit in mundum, vos dicitis, quia blasphemat.* 484.2
11. 6. *Mansit in eodem loco duobus diebus.* 220.1
7. *Rabbi, nunc quærebant te Iudæi lapidare, & iterum vadis illuc?*
11. *Lazarus amicus noster dormit.* 235.1
21. *Domine, si fuisses hic, frater meus non esset mortuus.* 226.1
27. *Tu es Christus filius Dei viui.* 482.1.
33. *Infremuit spiritu.* 535.1
34. *Lazare veni foras.* 509.1.534.1
35. *Et lacrymatus est Iesus.* 45.1
39. *Tollite lapidem.*
41. *Gratias tibi ago, quia semper me audis.* 325.2
47. *Quid facimus, quia hic homo multa signa facit?* 206.2.212.1
12. 5. *Quare hoc vnguentum non veniit trecentis denarijs?* 381.1
19. *Ecce mundus totus post eum abijt.* 212.1
23. *Venit hora vt clarificetur filius hominis.* 70.1
24. *Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet, &c.* 352.1.372.1.& 165.2.& 524.1
27. *Anima mea turbata est.* 159.1
28. *Pater clarifica filium tuum.* 496.1
32. *Et ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipsum.* 372.2
41. *Hæc dixit Isaias, quando vidit gloriam eius.* 537.2
13. 1. *Cum dilexisset suos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos.* 14.2
3. *Sciens, quia omnia dedit ei Pater in manus, &c. surgit à cœna, & ponit vestimenta sua, & cœpit lauare pedes discipulorum.* 7.2
5. *Deinde misit aquam in peluim, & cœpit lauare, &c.* 377.1
8. *Si non lauero te, non habebis partem mecum.* 111.2
27. *Quod facis fac citius.* 450.1.
34. *Mandatum nouum do vobis, vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos.* 323.1. 349.1
35. *In hoc cognoscent omnes quod discipuli mei eritis.* 376.1.& 377.2
37. *Animam meam pro te ponam.* 259.1
14. 9. *Ostende nobis Patrem.* 416.2
17. *Pacem relinquo vobis.* 28.1
28. *Gauderetis vtique.* 340.1
30. *Venit enim Princeps huius mundi, & in me non habet quidquam.* 346.1
15. 4. *Manete in me, & ego in vobis.* 64.1. *Sicut palmes non potest ferre fructum à semetipso.* 154.2
8. *In hoc clarificatus est Pater meus, vt fructum plurimum afferatis, &c.* 160.2.& 501.2
13. *Maiorem charitatem nemo habet, quàm vt animam suam ponat quis pro amicis suis.* 80.1
15. *Iam non dicam vos seruos, quia seruus nescit, quid faciat Dominus eius.* 5.1
23. *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.* 33.2
16. 14. *Ille me clarificabit, quia de meo accipiet.* 516.2
21. *Quia natus est homo in mundum* 158.1
17. 1. *Pater venit hora, clarifica filium tuum, vt filius tuus clarificet te.* 441.1.& 499.1.4[illegible].1
4. *Ego te clarificaui super terram, opus consummaui quod dedisti mihi.* 43.1
5. *Nunc clarifica me tu Pater apud temetipsum, claritate, quam habui priusquam mundus esset, apud te.* 341.2
6. *Manifestaui nomen tuum hominibus.* 2[illegible]1.1
11. *Pater sancte serua eos in nomine tuo, vt sint vnum, sicut & nos.* 263.1
17. *Sanctifica eos in veritate.* 51.2
20. *Non pro eis autem rogo tantùm, sed & pro eis, qui credituri sunt per verbum eorum in me.* 266.1. *Vt omnes vnum sint, sicut tu Pater in me, & ego in te.* ibid.2.
22. *Claritatem quam dedisti mihi, dedi eis.* 297.2. 345.2
18. 4. *Sciens quæ ventura erant super eum, processit.* 451.2
8. *Si ergo me quæritis, sinite hos abire.* 380.2
11. *Calicem, quem dedit mihi Pater, non vis vt bibam illum?* 452.1.433.1
17. *Dicit ille, non sum.* 198.2
18. *Dixit ostiariæ, & introduxit Petrum.* 360.1
36. *Regnum meum non est de hoc mundo.* 375.2.518.2
37. *Tu es Rex Iudæorum? Tu dicis.* 2.2
38. *Dixit ei Pilatus, quid est veritas?* 59.2.& 192.2
19. 6. *Ego non inuenio in eo caussam mortis.* 538.1
8. *Cum ergo audisset Pilatus hunc sermonem, magis timuit* 175.1
11. *Non haberes potestatem aduersus me vllam, &c.* 431.1
12. *Si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris.* 175.1.& 447.2.
29. *Vas ergo positum erat aceto plenum: illi autem spongiam plenam aceto, hysopo circumponentes, obtulerunt ori eius.* 472.2
30. *Cùm ergo accepisset Iesus acetum, &c.* 452.1. *Consummatum est.* 229.2.263.2
20. 17. *Ascendo ad Patrem meum, & Patrem vestrum, &c.* 28.2. *Noli me tangere.* 509.1
21. *Accipite Spiritum sanctum quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* 37.1
21. 7. *Dixit ergo discipulus ille, quem diligebat Iesus, Petro, Dominus est. Simon Petrus cum audisset quia Dominus est, tunica succinxit se.* 457.1
18. *Amen, amen dico tibi, cum esses iunior, cingebas te, & ambulabas vbi volebas: cùm autem senueris, extendes manus tuas.* 223.2.& 359.2
20. *Sequere me. Conuersus Petrus vidit illum discipulum, quem diligebat Iesus, sequentem.* 456.2

Acta Apost.

Cap. 1. 5. *Vos autem baptizabimini Spiritu sancto.* 346.1
14. *Hi omnes erant vnanimiter perseuerantes in oratione.* 19.2
2. 36. *Certissimè sciat omnis domus Israël, quia & Dominum eum, & Christum fecit Deus hunc Iesum.* 479.2. & 495.1
3. 12. *Viri Israëlitæ, quid miramini in hoc, aut nos quid intuemini, quasi nostra virtute, & potestate fecerimus hunc ambulare?* 317.1
4. 12. *Nec enim aliud nomen est sub cœlo datum, in quo oporteat nos saluos fieri.* 495.1
13. *Ego hodie genui te.* 502.1

16. *Quid faciemus hominibus istis?* 166.1
28. *Manus tua, & consilium tuum.* 151.2
32. *Multitudinis credentium erat cor vnum, & anima vna.* 163.2
5. 3. *Cur tentauit Sathanas cor tuum mentiri te Spiritui sancto.* 316.2.271.1
15. *Vt veniente Petro, saltem vmbra illius obumbraret quemquam illorum.* 148.2.& 190.2
41. *Ibant autem Apostoli gaudentes à conspectu concilij; quod digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati.* 66.2
6. 10. *Et non poterant resistere sapientia, & spiritui, qui loquebatur.* 216.1
8. 17. *Tunc imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum sanctum.* 364.1
20. *Pecunia tua tecum sit in perditionem.* 35.1.362.2
33. *In humilitate iudicium eius sublatum est.* 189.2
9. 4. *Saule, Saule, quid me persequeris?* 32.1. & 307.1
5. *Quis es Domine?* 114.1
13. *Quanta mala sanctis tuis fecerit.* 4.2
15. *Vas electionis est mihi iste.* 198.1
36. *Hæc erat plena operibus bonis.* 141.1
10. 11. *Cecidit super eum mentis excessus, &c. occide, & manduca.* 468.2
13. *Occide, & manduca.* 526.2
36. *Hic est omnium Dominus.* 30.2
38. *Pertransijt benefaciendo.* 534.2
42. *Constitutus sit à Deo iudex viuorum, atque mortuorum.* 486.2.497.2
45. *In nationes gratia Spiritus sancti diffusa est.* 155.1
13. 1. *Erant autem in Ecclesia quæ erat Antiochiæ Prophetæ, & Doctores, &c.* 410.2
33. *Ego hodie genui te.* 495.2
14. 10. *Dij similes facti hominibus descenderunt ad nos.* 241.5
13. *Ipsis conscissis tunicis suis exilierunt in turbas.* 317.1
20. 23. *Spiritus sanctus per omnes ciuitates protestatur mihi dicens, quoniam vincula, & tribulationes Ierosolymis me manent.* 216.2
25. *Et nunc ecce scio, quia amplius non videbitis faciem meam.* 261.2
26. 29. *Opto apud Deum, & in modico, & in magno non tantum te, sed etiam omnes qui audiunt, hodie fieri tales.*
27. 23. *Cuius sum ego, & cui deseruio.* 45.1

Ad Romanos.

Cap. 1. 3. *Qui factus est ei ex semine Dauid secundum carnem.* 501.2
4. *Qui prædestinatus est Filius Dei in virtute.* 495.1
7. *Omnibus, qui sunt Romæ dilectis Dei, vocatis Sanctis.* 4.2
8. *Gratias ago Deo meo per Iesum Christum pro omnibus vobis: quia fides vestra annunciatur in vniuerso mundo.* 38.1
15. *Quod in me promptum est vobis, qui Romæ estis, euangelizare.* 198.2
20. *Inuisibilia enim ipsius, à creatura mundi per ea quæ facta sunt, intellecta, conspiciuntur.* 79.1
26. *Repletos omni iniquitate.* 144.2
2. 4. *Ignoras, quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit?* 140.1
5. *Thesaurizas tibi iram.* 110.2
6. *Qui reddet vnicuique secundum opera sua.* 134.3
3. 24. *Iustificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem, quæ est in Christo Iesu, &c.* 466.1
25. *Quem proposuit Deus propitiationem per fidem.* 468.1
5. 1. *Iustificati ergo ex fide pacem habemus ad Deum.* 27.1
3. *Gloriamur in tribulationibus.* 67.1
4. *Tribulatio patientiam operatur; patientia probationem, probatio verò spem: spes autem non confundit.* 215.1
5. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris.* 476.2.& 301.2.& 380.1.& 155.1
6. 1. *Quid ergo dicemus? permanebimus in peccato, vt gratia abundet? Absit.* 468.1
4. *Consepulti sumus cum illo per baptismum in mortem.* 471.2
10. *Quod autem mortuus est peccato, mortuus est semel,* 158.2. *Quod autem viuit, viuit Deo.* ibid.
15. *Peccabimus, quoniam non sumus sub lege, sed sub gratia? Absit.* 468.1
17. *Gratias autem Deo, quod fuistis serui peccati; obedistis autem ex corde in eam formam doctrinæ, in quam traditi estis. Liberati autem à peccato, serui facti estis iustitiæ.* 16.2
19. *Humanum dico propter infirmitatem carnis vestræ.* 147.1
21. *Quem ergo fructum habuistis tunc in illis, in quibus nunc erubescitis?* 149.1
23. *Stipendia enim peccati mors.* 423.1
7. 11. *Peccatum occasione accepta per mandatum seduxit me.* 422.2
18. *Velle adiacet mihi; perficere autem bonum non inuenio.* 54.2
24. *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?* 257.1
31. *Conformes fieri imagini filij sui.* 343.1
8. 3. *Misit Deus Filium suum in similitudinem carnis peccati, & de peccato damnauit peccatum.* 461.1.& 387.2.396.2.163.2
15. *Non enim accepistis spiritum seruitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus Abba Pater.* 3.1.
26. *Postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.* 304.2
32. *Qui proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum: quomodo non etiam cum illo omnia nobis donabit?* 447.1.& 382.1.& 42.2.& 158.1.535.1
33. *Quis accusabit aduersus electos Dei?* 468.1
35. *Quis nos separabit a charitate Christi? tribulatio? an angustia? an fames? &c.* 272.2.116.1.& 2
38. *Certus sum.* 50.2
9. 17. *Dicit enim scriptura Pharaoni, quia in hoc ipsum excitaui te.*
22. *Sustinuit in multa patientia vasa iræ.* 135.1. *vt ostenderet diuitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ.* 281.1.536.2
10. 15. *Pacem,* 26.1. *bona.* 26.2.
12. 1. *Obsecro itaque vos fratres per misericordiam Dei, vt exhibeatis corpora vestra hostiam viuentem, sanctam Deo placentem, rationabile obsequium vestrum.* 471.1.522.1
5. *Singuli autem ex nobis alij aliorum sumus membra.* 307.1
8. *Qui tribuit in simplicitate.* 381.2
13. *Necessitatibus sanctorum communicantes.* 4.2
15. *Gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus.* 105.2. 305.1
16. *Idipsum inuicem sentientes.* 291.1
18. *Quod ex vobis est cum omnibus hominibus pacem habentes.* 26.1
13. 1. *Non est potestas nisi à Deo.* 342.1
4. *Vis autem non timere potestatem? bonum fac, &c. Si autem malè feceris, time: non enim sine causa gladium portat.* 255.2
8. *Nemini quidquam debeatis, nisi vt inuicem diligatis.* 86.2.301.1
10. *Plenitudo ergo legis est dilectio.* 292.2
14. *Induimini Dominum Iesum Christum.* 330.2

Cap. 14.

Cap.14.3. *Qui manducat, Domino manducat, & qui non manducat, Domino non manducat.* 525.2.
4. *Tu quis es, qui iudicas alienum seruum?* 192.2
7. *Nemo enim nostrùm sibi viuit, & nemo sibi moritur, in hoc enim Christus mortuus est, & resurrexit, vt & mortuorum, & viuorum dominetur.* 13.2.& 132.2. 469.2.495.2
10. *Omnes stabimus ante tribunal Christi.* 137.2
Tu autem quid iudicas fratrem tuum? 497.1
19. *Quæ sunt pacis sectemur.* 26.1
15.1. *Debemus nos firmiores imbecillitates infirmorum sustinere, & non nobis placere.* 258.1
6. *Vt vnanimes vno ore honorificetis Deum, & Patrem Domini nostri Iesu Christi; propter quod suscipite inuicem, sicut Christus suscepit vos.* 266.2.268.2
14. *Certus sum autem fratres mei, & ego ipse de vobis, quoniam & ipsi pleni estis dilectione, repleti omni scientia.* 141.1.& 87.1
16. *Propter gratiam, quæ data est mihi a Deo, vt sim minister Christi in gentibus.* 3.1
16.8. *Salutate Ampliatum dilectissimum mihi in Domino.* 77.2
15. *Omnes, qui cum eis sunt sanctos.* 4.2
18. *Huiuscemodi enim Christo Domino non seruiunt, sed suo ventri.* 58.2

1.ad Corinth.

Cap. 1.13. *Prædicamus Christum, & hunc crucifixum, Iudæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam.* 515.1.
23. *Ipsis autem vocatis Iudæis, atque Græcis Dei virtus, & sapientia.* 371.1
2.8. *Nam si cognouissent, nunquam Deum gloriæ crucifixissent.* 537.2.
9. *Quod oculus non vidit, neque auris audiuit, &c.* 545.1
3.1. *Et ego fratres non potui vobis loqui quasi spiritualibus.* 309.1. *Cum sit inter vos zelus, & cõtentio nonne carnales estis?* 303.2
7. *Neque qui plantat est aliquid.* 154.2
9. *Adiutores Dei.* 540.1
16. *Si quis autem templum Dei violauerit, disperdet illum Deus.* 6.1
17. *Templum Dei sanctum est, quod estis vos.* 406.1
4.6. *Ne vnus aduersus alterum infletur.* 265.1
9. *Spectaculum facti sumus Deo & Angelis, & hominibus.* 232.1.316.2
15. *Nam in Christo Iesu per Euangelium ego vos genui.* 32.1.
5.5. *Vt spiritus saluus sit in die Domini.* 51.1
Tradere huiusmodi hominem Sathanæ. 246.1
6. *Modicum fermenti totam massam corrumpit.* 123.1
6.9. *An nescitis, quoniam membra vestra templum sunt Spiritus sancti?* 228.2
13. *Esca ventri, & venter escis.* 42.2.
17. *Qui adhæret Deo, vnus spiritus est.* 225.2.& 158.2. & 116.1
20. *Glorificate, & portate Deum in corpore vestro.* 13.1
30. *Empti enim estis pretio magno.* ibid.
7.14. *Vt sit sancta corpore & spiritu.* 144.1
22. *Qui in Domino vocatus est seruus, libertus est Domini.* 15.2
31. *Præterit figura huius mundi.* 334.2
8.1. *Scientia inflat.* 96.2.97.2.100.1
6. *Vnus Dominus Iesus Christus.* 31.2
13. *Bonum est enim mihi magis mori, quàm vt gloriam meam quis euacuet.* 542.1
9.19. *Nam cum liber essem ex omnibus, omnium me seruum feci.* 255.1
21. *Omnibus omnia factus sum.* 255.1
23. *Omnia autem facio propter Euangelium, vt particeps eius efficiar.* 50.1
24. *Omnes quidem currunt, sed vnus accipit brauium.* 293.1
10. *Siue aliud quid facitis.*
4. *Petra autem erat Christus.* 281.1
13. *Tentatio non vos apprehendat.* 271.1
13. *Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis.* 288.1
16. *Et panis quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est?* 413.1
17. *Quoniam vnus panis, vnum corpus multi sumus, omnes qui de vno pane participamus.* 525.1
11.3. *Caput Christi Deus.* 513.1.521.1.538.1
27. *Probet autem seipsum homo.* 527.1
12.3. *Nemo potest dicere, Dominus Iesus, nisi in Spiritu sancto.* 30.2
12. *Sicut enim corpus vnum est, & membra habet multa.* 306.1
13. *In vno spiritu omnes nos in vnum corpus baptizati sumus.* 303.1
16. *Et si quid patitur vnum membrum, compatiuntur omnia membra.* 205.2.
Non potest oculus dicere manui, opera tua non indigeo. 95.2
13.2. *Si habuero omnem fidem, ita vt montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum.* 41.1.98.2
3. *Si tradidero corpus meum, ita vt ardeam, &c.* 303.1
5. *Charitas patiens est, benigna est, &c.* 85.1
7. *Quia charitas omnia sperat.* 65.2
8. *Charitas nunquam excidit.* 15.2
11. *Cum essem paruulus, loquebar vt paruulus.* 129.2
15.10. *Gratia Dei in me vacua non fuit.* 141.1
32. *In nouissima tuba.* 139.1
39. *Non omnis caro eadem caro, sed alia hominum, alia pecorum.* 203.2
41. *Alia claritas Solis, alia claritas Lunæ, alia claritas stellarum.* 407.1
49. *Vt sicut portauimus imaginem terreni, portemus imaginem cœlestis.* 161.2
16.13. *Vigilate, state in fide.* 293.1

2.ad Corinthios.

Cap. 1.2. *Benedictus Deus, & Pater Domini nostri Iesu Christi, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra, vt possimus & ipsi cõsolari eos, qui in omni pressura sunt.* 541.2
3. *Pater misericordiarum.* 19.2
4. *Siue tribulamur pro vestra exhortatione & salute.* 195.1
6. *Siue consolamur pro vestra consolatione.* 541.1
2.14. *Deo autem gratias, qui semper triumphat nos in Christo Iesu.*
20. *Signa Apostolatus mei facta sunt super vos.* 195.1
3.18. *Nos autem gloriam Domini speculantes.* 113.2
4.3. *Mihi pro minimo est vt à vobis iudicer, aut ab humano die.* 106.1
14. *Nihil mihi conscius sum.* 384.1
6. *Tempus resolutionis meæ instat.* 249.1
16. *Licèt is qui foris est noster homo corrumpatur, tamen is qui intus est renouatur.* 251.1.& 387.1
17. *Æternum gloriæ pondus operatur in nobis* 148.1
18. *Non contemplantibus nobis, quæ videntur, sed quæ non videntur.* 254.1
5.4. *Nam & qui sumus in hoc tabernaculo ingemiscimus grauati.* 237.2
6. *Scientes quoniam dum sumus in corpore, peregrinamur à Domino.*
8. *Audemus, & bonam voluntatem habemus magis peregrinari à corpore.* 250.1
10. *Manifestari enim oportet nos ante tribunal Christi.* 137.2

14. *Charitas Christi vrget nos, æstimantes hoc, quoniam si vnus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt.* 522.1.& 2
15. *Pro omnibus mortuus est Christus, vt & qui viuunt, iam non sibi viuant, sed ei qui pro ipsis mortuus est.* 13.2
21. *Qui non nouerat peccatum, pro nobis peccatum fecit.* 163.2
6. 10. *Quasi tristes, semper autem gaudentes.* 24.1
16. *Vos enim estis templum Dei viui.* 228.2
8. 4. *Cum multa exhortatione obsecrantes nos gratiam, & communicationem ministerij, quod fit in sanctos.* 25.2
9. *Scitis gratiam Domini nostri Iesu Christi, quoniam propter vos egenus factus est cum esset diues.* 256.2. & 375.2
11. 2. *Despondi vos vni viro virginem castam exhibere Christo.* 116.1
22. *Semen Abrahæ sunt, & ego.* 224.1
12. 7. *Sufficit tibi gratia mea, nam virtus in infirmitate perficitur.*
10. *Placeo mihi in infirmitatibus meis.* 70.2.& 73.1
15. *Non quæro quæ vestra sunt, sed vos.*
16. *Cum essem astutus, dolo vos cepi.* 545.2

Ad Galatas.

Cap. 1. 8. *Sed licet nos, aut Angelus de cælo euangelizauerit vobis, præterquàm quod euangelizauimus vobis, anathema sit.* 193.2
17. *Stigmata Domini Iesu in corpore meo porto.* 195.1
2. 19. *Christo confixus sum cruci.* 440.1
20. *Viuo iam non ego, viuit in me Christus.* 13.2.224.1
Qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me. 42.2. & 389.1
3. 3. *Ne cum spiritu cœperitis, carne consummemini.* 83.1
10. *Maledictus omnis, qui non permanserit in omnibus, quæ scripta sunt in libro legis.* 104.2
27. *Quicumque enim baptizati estis in Christo, Christum induistis.* 264.1.& 471.2
4. 1. *Quanto tempore hæres paruulus est, nihil differt à seruo.* 348.2
29. *Filioli quos iterum parturio, donec formetur in vobis Christus.*
5. *Caro concupiscit aduersus spiritum.* 69.2
12. *Vtinam abscindantur, qui vos conturbant.* 213.1
22. *Fructus autem spiritus est charitas.* 140.2
6. 8. *Qui seminat in carne sua, de carne & metet corruptionem.* 155.1
14. *Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi.* 70.1

Ad Ephesios.

Cap. 1. 4. *Vt essemus sancti, & immaculati.* 4.2. *ante mundi constitutionem.* 56.2
10. *Instaurare omnia in Christo, quæ in cælis, & quæ in terra sunt, in ipso.* 21.2.& 411.1
12. *Vt simus in laudem gloriæ eius nos, qui ante sperauimus in Christo, &c.* 471.2.& 474.2
18. *Non cesso gratias agere pro vobis, &c.* 102.2
20. *Constituens ad dexteram suam supra omnem principatum, & potestatem.* 29.1
2. 2. *Principem potestatis aëris huius.* 438.2
10. *Ipsius enim factura sumus, creati in operibus bonis.* 112.1.475.1
20. *Ipso lapide angulari Christo Iesu.* 507.1
3. 18. *Vt possitis comprehendere cum omnibus sanctis, quæ sit latitudo, & longitudo, & sublimitas, & profundum.* 439.2. 448.2.
4. 1. *Ego vinctus in Domino.* 166.2.& 329.1
2. *Secundum mensuram donationis Christi.*
3. *Soliciti seruare vnitatem spiritus.* 301.1.& 323.2
4. *Vnum corpus, vnus spiritus.* 189.1
5. *Vnus Dominus, vna fides, vnum baptisma.* 30.2.& 31.2
9. *Quod autem ascendit, quid est, nisi quia & descendit primum, &c.* 507.1
27. *Nolite locum dare diabolo.* 125.1
29. *Omnis sermo malus de ore vestro non procedat.* 117.2.128.2.129.2
5. 9. *Fructus lucis est in omni bonitate.* 102.1
13. *Omnia autem quæ arguuntur, à lumine manifestantur.* 107.2
25. *Christus dilexit Ecclesiam, & tradidit semetipsum pro ea.* 111.2. 357.1.446.& 475.2
27. *Viri diligite vxores vestras, sicut Christus dilexit Ecclesiam.* 385.1
31. *Propter hoc relinquet homo patrem, & matrem.* ibid.
32. *Erunt duo in carne vna. Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo, & in Ecclesia.* 44.1
6. 15. *Calceati pedes in præparatione Euangelij pacis.* 403.2.
9. 18. *Vigilantes in omni instantia, & obsecratione.* 200.1. *vt detur mihi sermo, &c.* ibid.

Ad Philippenses.

Cap. 1. 22. *Quod si viuere in carne, hic mihi fructus operis est.* 504.2
17. *Tantum dignè Euangelio Christi conuersamini.* 197.1
2. 7. *Qui cum in forma Dei esset.* 518.2
9. *Propter quod & Deus exaltauit illum.* 238.2
13. *Velle, & perficere.* 50.2
3. 12. *Sequor autem si quomodo comprehendam.* 77.2
18. *Multi enim ambulant, &c. inimici crucis Christi, quorum finis interitus.* 253.1.422.1
20. *Conuersatio nostra in cælis.* 226.2.248.1.544.2
28. *Qui terrena sapiunt.* 172.1
4. 4. *Gaudete in Domino semper.* 74.2
14. *Benefecistis communicantes tribulationi meæ.* 49.1

Ad Colossenses.

Cap. 1. 1. *Paulus Apostolus, & Timotheus frater, his qui sunt Colossis.* 1.2.
9. *Non cessamus pro vobis orantes, & postulantes, vt impleamini agnitione voluntatis eius in omni sapientia, & intellectu spirituali, vt ambuletis dignè Deo.* 94.2.& 95.1.
11. *In omni virtute confortati secundum potentiam claritatis eius.* 38.1. & 111.2
15. *Qui est imago Dei inuisibilis.* 335.2.& 337.1
19. *Quia in ipso complacuit omnem plenitudinem inhabitare, & per eum reconciliare omnia in ipsum, pacificans per sanguinem crucis eius, siue quæ in cælo, siue quæ in terra.* 440.1
22. *Exhibere vos sanctos, & immaculatos.* 4.2
24. *Adimpleo ea, quæ desunt passionibus Christi in carne mea, pro corpore eius, quod est Ecclesia.* 470.2
2. 10. *In ipso habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter.* 346.1.462.1
14. *Delens quod erat aduersum nos chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, & ipsum tulit de medio affigens illud cruci, &c.* 446.2.& 459.1
15. *Expolians Principatus, & Potestates traduxit confidenter, palàm triumphans eos in semetipso.* 439.1.& 517.1
19. *Et non tenens caput, ex quo totum corpus per nexus, & coniunctiones, &c.* 302.2
3. 3. *Bonum autem facientes non deficiamus.* 504.2
12. *Induite vos sicut electi Dei viscera misericordiæ.* 289.2.290.2
15. *Pax Dei exultet in cordibus vestris.* 28.2

1.ad Theſſalon.

Cap.2.6. *Neque quærentes ab hominibus gloriam, neque à vobis, neque ab alijs.* 316.2
5.19. *Spiritum nolite extinguere.* 93.1.540.2
22. *Omnia probate, quod bonum eſt tenete.* 191.1

2.ad Theſſalon.

Cap. 1. 3. *Quoniam ſupercreſcit fides veſtra, & abundat charitas vniuſcuiuſque veſtrûm in inuicem.* 81.2
4. *Ita vt nos ipſi in nobis gloriemur in Eccleſijs Dei pro patientia veſtra, &c.* 275.2

1.ad Timoth.

Cap. 2. 1. *Obſecro primùm omnium fieri obſecrationes,* 177.2
3.1. *Qui Epiſcopatum deſiderat, bonum opus deſiderat.* 242.1
16. *Columna & firmamentum veritatis.* 253.2
4. 2. *Cauteriatam habentium ſuam conſcientiam.* 384.2
12. *Nemo adoleſcentiam tuam contemnat.* 169.2
10. *Si ſanctorum pedes lauit.* 4.2
22. *Manus citò nemini impoſueris.* 531.2
6. 4. *Superbus eſt nihil ſciens, ſed languens circa quæſtiones.* 309.1.210.1
9. *Qui volunt diuites fieri.* 375.2
12. *Certa bonum certamen fidei, apprehende vitam æternam, in qua vocatus es, & confeſſus bonam tam confeſſionem coram multis teſtibus.* ibid.
13. *Præcipio tibi coram Deo, qui viuificat omnia, & Chriſto Ieſu, qui teſtimonium reddidit ſub Pontio Pilato, bonam confeſſionem.* ibid.
17. *Diuitibus huius ſæculi præcipe non ſublime ſapere, neque ſperare in incerto diuitiarum, ſed in Deo viuo, &c. theſaurizare ſibi fundamentum bonum in futurum.* 254.1

2.ad Timoth.

Cap. 1. 6. *Admoneo te vt reſuſcites gratiam, quæ in te eſt.*
12. *Scio cui credidi, & certus ſum, quia potens eſt depoſitum meum ſeruare in illum diem.* 38.1
2.1. *Labora vt bonus miles Chriſti Ieſu.* 282.1
11. *In quo poſitus ſum prædicator.* 201.2
15. *Solicitè autem cura probabilem te exhibere Deo, operarium inconfuſibilem.* 308.2
18. *A veritate exciderunt, dicentes reſurrectionem iam factam eſſe.* 473.1
3.12. *Omnes qui piè volunt viuere in Chriſto Ieſu, perſecutionem patientur.* 244.1
4. 2. *Prædica verbum, inſta opportunè, importunè.* 196.1
5. *Miniſterium tuum imple.* 141.2
6. *Tempus reſolutionis meæ inſtat.* 249.2
16. *In prima mea defenſione nemo mihi affuit, &c.* 215.2

Ad Titum.

Cap. 1.2. *In ſpem vitæ æternæ, quam promiſit qui non mentitur, Deus ante tempora ſæcularia.* 35.1
2.11 *Apparuit gratia Saluatoris noſtri.* 25.2
14. *Qui dedit ſemetipſum pro nobis, vt nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret ſibi populum acceptabilem.* 417.1
15. *Nemo te contemnat.* 169.2
3.4. *Apparuit benignitas, & humanitas Saluatoris noſtri Dei.* 327.2

Ad Philemon.

17. *Verſ. Si ergo habes me ſocium.* 237.1
20. *Ego te fruar in Domino.* 77.2

Ad Hebræos.

Vellazq.in Epiſt.ad Philippenſ.

Cap.1 2. *Quem conſtituit hæredem vniuerſorum.* 351.1
3. *Qui cum ſit ſplendor gloriæ & figura ſubſtantiæ eius.* 257.2.& 337.1.& 335.2
Portat enim Deus omnia verbo virtutis ſuæ. 364.1. 501.1
5. *Cui enim dixit aliquando Angelorum: Filius meus es tu, &c.* 481.2
6. *Et cùm iterum introducit primogenitum in orbem terrarum, inquit, & adorent eum omnes Angeli eius.* 284.2.495.2
12. *Nouiſſimè diebus iſtis locutus eſt nobis in filio.* 501.2
13. *Ad quem autem Angelorum dixit: Sede à dextris meis, &c.* 496.2
14. *Spiritus adminiſtratorij ſunt in miniſterium miſſi propter eos, qui hæreditatem capiunt ſalutis.* 255.1.
2. 9. *Videmus Ieſum propter paſſionem mortis gloria, & honori coronatum.* 351.2.& 510.1. & 479.1. & 515. 1
Vt gratia Dei pro omnibus guſtaret mortem. 235.1
10. *Decebat enim eum propter quem omnia, & per quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat, auctorem ſalutis eorum per paſſionem conſummari.* 510.2
14. *Quia ergo pueri communicauerunt carni, & ſanguini, & ipſe ſimiliter participauit eiſdem* 374.2
16. *Nuſquam Angelos apprehendit, ſed ſemen Abrahæ apprehendit.* 445.1
18. *In eo enim in quo paſſus eſt ipſe, & tentatus, potens eſt eis, qui tentantur, auxiliari.* 446.2
4. 12. *Viuus eſt ſermo Dei, & efficax, penetrabilior omni gladio.* 393. 1
15. *Non enim habemus Pontificem, qui non poſſit compati infirmitatibus noſtris, &c. adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiæ.* 447.1.& 305.2.356.2
5. 2. *Qui condolere poſſit ijs, qui ignorant, & errant, quoniam & ipſe circumdatus eſt infirmitate.* 259.1.& 2. 305. 2
4. *Nec quiſquam ſumit ſibi honorem, ſed qui vocatur à Deo tamquam Aaron.* 431.1
7. *Diebus carnis ſuæ.* 483.1
Cum lacrymis, & clamore valido exauditus eſt pro ſua reuerentia. 445.2. & 45.1
6. 6. *Rurſus crucifigentes ſibimet ipſis filium Dei.* 145.2
10. *Nec enim iniuſtus eſt Deus, vt obliuiſcatur operis veſtri, & dilectionis.* 57.2
7. 3. *Sine patre, ſine matre, ſine genealogia.* 398.2
19. *Nihil enim ad perfectum adduxit lex.* 156.1
26. *Talis enim nobis decebat vt eſſet Pontifex, ſanctus, innocens, &c.* 397.
9. 15. *Et ideo noui teſtamenti mediator eſt, vt morte intercedente, &c.* 332.1
28. *Sic & Chriſtus ſemel oblatus eſt ad multorum exhaurienda peccata.* 467.1.535.2
10. 5. *Corpus autem aptaſti mihi.* 399.1
Ingrediens in mundum dicit, hoſtiam, & oblationem noluiſti, &c. 435.1.516.1
19. *Habentes fiduciam in ſanguine Chriſti.* 447.1
26. *Voluntariè enim peccantibus nobis poſt acceptam veritatis notitiam, iam non relinquitur pro peccatis hoſtia.* 474.1
11.16. *Ideo non confunditur Deus vocari Deus eorũ.* 161.1
24. *Grandis factus negauit ſe eſſe filium filiæ Pharaonis.* 387.1
25. *Maluit affligi cum populo Dei, quàm temporalis peccati habere iucunditatem.* 171.2
37. *Lapidati ſunt, ſecti ſunt, tentati ſunt, in occiſione gladij mortui ſunt.* 207.1
12. 1. *Deponentes omne pondus, & circumſtans nos peccatum.* 466.2
2. *Aſpicientes in auctorem fidei, & conſummatorem Ieſum, qui propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit crucem*

confusione contempta. 374.2
6. *Flagellat autem omnem filium, quem recipit.* 351.2
11. *Omnis autem disciplina in præsenti quidem videtur non esse gaudij.* 140.2.& 198.1
15. *Contemplantes ne quis desit gratiæ Dei, va ijs, qui perdiderunt sustinentiam, & qui dereliquerunt vias rectas.* 59.1.265.2
16. *Qui propter vnam escam vendidit primogenita.* 375.1
22. *Accessistis ad Sion montem, & ciuitatem Dei viuentis.* 84.2
24. *Accessistis ad testamenti noui mediatorem Iesum, & sanguinis aspersionem meliùs loquentem, quàm Abel.* 464.1
13.3. *Honorabile connubium in omnibus, & thorus immaculatus.* 405.1
10. *Habemus altare, de quo edere non habent potestatem, qui tabernaculo deseruiunt.* 419.2
12. *Vt sanctificaret per suum sanguinem populum, extra portam passus est.* 447.1
20. *Deus autem pacis aptet vos in omni bono.* 393.1

Epist. Iacobi.

Cap. 1.2. *Omne gaudium existimate fratres mei, cum in varias tentationes incideritis.* 66.2
5. *Si quis autem vestrûm indiget sapientia, postulet à Deo.* 381.2
14. *Vnusquisque tentatur à concupiscentia sua abstractus, & illectus.* 17.2
17. *Apud quem non est transmutatio, neque vicissitudinis obumbratio.* 399.1
18. *Geniti verbo veritatis.* 32.1
21. *Propter quod abijcientes omnem immunditiam, &c. in mansuetudine suscipite insitum verbum.* 60.1
3.18. *Fructus iustitiæ in pace.* 140.2
41. *Quæ militant in membris vestris.* 228.2
7. *Resistite diabolo, & fugiet à vobis.* 271.2

Epist. Thaddæi.

Cap. 1.12. *Hi sunt in epulis suis maculæ.* 522.1

1. Petri.

Cap. 1.2. *Gratia vobis, & pax a Deo Patre nostro, & Domino Iesu Christo.* 25.2
12. *Conuersationem vestram inter gentes habentes bonam, &c.* 262.2. *in quem desiderant Angeli prospicere.* 538.2
14. *Configurati prioribus ignorantiæ vestræ desiderijs.* 343.1
2.2. *Sicut modò geniti infantes, rationabile sine dolo lac concupiscite.* 419.1
9. *Gens sancta.* 143.1.& 160.2
23. *Qui cum malediceretur, non comminabatur.* 169.2
24. *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum vt sequamini vestigia eius.* 354.2
24. *Qui peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum.* 461.1. *Vt peccatis mortui, iustitiæ viuamus* 469.2.
3.1. *Mulieres subditæ sint viris suis.* 196.2
2. *Dominum autem Christum sanctificate in cordibus vestris.* 262.2
4.8. *Charitas operit multitudinem peccatorum.* 296.1
12. *Nolite peregrinari in feruore, qui ad tentationes vobis fit.* 386.1
13. *Communicantes passionibus Christi.* 50.1.& 356.1
14. *Si exprobramini in nomine Christi, beati eritis.* 70.1
5.2. *Forma facti gregis.* 181.2.& 593.2
8. *Vigilate, quia aduersarius vester diabolus tamquam leo rugiens, circuit quærens, quem deuoret.* 271.2

2. Petri.

Cap. 1.4. *Per quem maxima, & pretiosa nobis promissa donauit.* 56.2.32.1
5. *Ministrate in fide vestra virtutem.* 141.1.& 95.1
14. *Velox est depositio tabernaculi mei.* 248.2
3.18. *Crescite in gratia, & in agnitione Domini nostri.* 88.2

1. Ioannis.

Cap. 1.5. *Quoniam Deus lux est, & tenebræ in eo non sunt vllæ.* 34.2
8. *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus.* 114.1
2.2. *Et ipse est propitiatio pro peccatis nostris.* 466.1
3.1. *Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, vt filij Dei nominemur, & simus.* 32.2
9. *Qui natus est ex Deo, peccatum non facit.* 250.2
20. *Si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum.* 27.1
4.18. *Perfecta charitas foras mittit timorem.* 115.1
5.4. *Hæc est victoria quæ vincit mundum, fides nostra.* 172.2

2. Ioannis.

Cap. 1.6. *Et hæc est charitas, vt ambulemus secundum mandata eius.* 23.2.

Apocalypsis.

Cap. 1.4. *Gratia vobis & pax ab eo, qui est, & erat, & qui venturus est, & à septem spiritibus.* 28.2
5. *In sanguine suo.* 377.2
8. *Ego sum α, & ω.* 329.2
10. *Audiui post me vocem magnam tamquam tubæ.*
13. *Et conuersus vidi septem candelabra aurea, &c.* 540.1
2.7. *Vincenti dabo edere de ligno vitæ.* 63.1.& 523.2
17. *Vincenti dabo manna absconditum.* 23.2.& 417.1.
& dabo illi calculum candidum. 302.2
24. *Non mittam super vos aliud pondus, tamen id quod habetis, tenete donec viam.* 58.2
3.2. *Non inuenio opera tua plena coram Deo.* 141.2
4. *Habes pauca nomina in Sardis.* 485.2
15. *Diues sum, & locupletatus.* 384.1.& 386.2
81. *Qui vicerit, dabo ei sedere mecum.*
4.3. *Et qui sedebat, similis erat aspectui lapidis iaspidis.* 516.1
5.11. *Et vidi, & audiui vocem Angelorum multorum in circuitu throni, dicentium voce magna.*
12. *Dignus est agnus, qui occisus est, accipere virtutem, & diuinitatem.* 348.1.479.1.515.2
6.2. *Exiuit vincens, vt vinceret* 270.1
9. *Vsquequo Domine sanctus, & verus non iudicas?* 194.1
13. *Et vidi de ore Draconis, &c. spiritus tres immundos in modum ranarum.* 172.2
7.13. *Hi qui amicti sunt stolis albis, qui sunt?* 386.2
14. *Hi sunt qui venerunt ex magna tribulatione.* 403.1
8.10. *Et cecidit de cœlo stella magna ardens tamquam facula, &c. & nomen stellæ, Absynthium.* 285.1
11.1. *Atrium autem quod est foris templum, eijce foras, & ne metiaris illud.* 110.1
15.7. *Et vnum de quatuor animalibus.* 139.2
17.15. *Aquæ populi sunt, & gentes, & linguæ.* 3.7.1.
18.3. *Quia de ira fornicationis eius biberunt omnes gentes.* 178.2
2. *Vidi sanctam ciuitatem Ierusalem descendentem de cœlo, &c.* 254.2
3. *Ecce tabernaculum Dei cum hominibus.* 84.1
7. *Qui vicerit, possidebit hæc, & ero illi Deus.* 355.2
8. *Timidis autem, & incredulis, &c. pars illorum erit in stagno ardenti.* 270.2
13. *Ab Oriente portæ tres, & ab Aquilone, &c.* 382.1
18. *Et erat structura muri eius ex lapide iaspide.* 254.1
21. *Duodecim portæ, duodecim margaritæ sunt.* 266.2
22.14. *Beati qui lauant stolas suas in sanguine Agni.* 355.2

INDEX

INDEX
RERVM NOTABILIVM,
QVÆ IN HOC TOMO
CONTINENTVR.

Prior numerus folium, secundus numerum adnotationis, siue Commentarij indicat.

A

Abel.

ABEL docet nos sacrificare. 294.7
Abel humanæ iustitiæ Princeps. 235.6
Abel Dei obsequium inuidiæ Cain exposuit. 210.3
Cur eius sacrificium Deo acceptum. 235.6
Mortem in præmium accepit. ibid.
Eius nomen quid indicet. 236.7

Abnegatio.

Abnegationis via omnes sine vlla exceptione incedere iubentur. 352.1

Abraham.

Abraham in Isaac amor, Deum tantisper ad æmulationem prouocare videbatur. 46.5
Abraham æquanimitatis exemplum. 214.4
Abraham totam militiam carnis, aduersus fidem bellantis, celso animo debellauit. 320.9
Abraham pacis amator. 320.6
Abraham, viso Dei Filio, Patrem excelsum per humilitatem deponit, vt assumat electum. 329.7

Absconditum.

Absconditum id propriè dicitur, quod reipsa præsens, reuelatione tamen indiget. 23.17.

Accidia.

Accidia animum deturpat. 117.12

Acerbitas.

Acerbitas obiurgantem dedecet. 210.5
Acerbitas sæcularium bonorum, mortis acerbitatem, vt clauus clauum trudit. 229.1

Acetum.

Acetum in cruce Christo oblatum amaritudinem peccatorum significat. 471.10
Acetum dolorum sensionem exacuit. 453.14

Accipiter.

Accipitres suos fœtus duris committunt. 145.8

Achab.

Achab sanguine Naboth petitus, & inuentus vindictæ. 276.11

Aduersa.

Aduersis quibusque non patienter modò, sed & lætanter cedendum. 215.9
Animus pusillus in aduersis in Dei prouidentiam iaculatur querelas. ibid.

Adam.

Adam lethale pomum decerpens, mortis chirographum propria manu sibi conscripsit. 459.3
Inter medias Paradisi delicias victus: Iob verò inter vermes stercoris victor est. 68.9
Ex Adami costa educta fuit Eua, nimirum, quia ille huius erat caput. 259.13
Adam appetens Deitatem, sibi nobisque nocuit. 330.9
Adam sibi, & nobis intulit exitium, se maiora desiderans. 361.3
Adæ ruinas impleuit Christus. 376.1
Vtriusque Adæ, cœlestis, & terrestris discrimen. ibid.
Adam ante peccatum dono Prophetiæ non caruit. 401.10
Adam orbem terrarum significat. 440.9

Adulatio.

Euam corrupit. 312.16
Est malum virtutibus agnatum. ibid.17

Adulator.

Adulantem, alicuius quoque rei petitorem puta. 341.10
Adulatoris proprium, passionibus assidere, fauereque. 88.3
Adulatores, & mentiuntur, & nos irrident. 365.13

Adoptio.

Adoptio filiorum Dei in calculo candido assignatur. 303.8

Ægyptij.

Ægyptij cur Crocodilum adorarint. 259.12
Ægyptij præstigiatores clanculum incantationes suas perficiebant. 200 9

Ægritudo.

Ægritudine affecto corpore, animus bene compositus esse solet. 69.12

Æqualitas.

Æqualitas inter religiosos, reliquosque fideles. 165.7
Æqualitatem amicitiæ non tolerat ambitio. 308.1
Æqualitatem tollit, qui cæteris præstare cupit. 308.2
Æqualitas iustitiæ fons. 328.4

Æquitas.

Æquitas seruanda in deferendis honoribus. 313.19
Et distribuendis muneribus. 322.4

Ærumna

Ærumnæ omnes vitæ humanæ comites. 298.2

Suæ cuique ærumnæ grauissimæ videntur. 305.4

Ætas.

Per omnes ætates Christum imitare. 332.13

Æsculapius.

Æsculapium Apologi autumant à diis fulminatum, quod mortuum ad vitam reuocarit. 234.4

Affabilitas.

Affabilitas,& comitas Principum commendatur; supercilium sugillatur. 164.2

Afflictio. Vide Labor. Tribulatio.

Afflictiones adolescentem prodigum ad Patrem reuocarunt. 283.4

Afflictiones mentem ab elatione compescunt. 284.5

Absinthium, corporis afflictio, mentis visum acuit. 285.9.& 10

Afflictionum aquis iusti extenduntur. 287.6

Ex afflictionum tribulis gratissimi virtutum omnium flores erumpunt. ibid.8

Ex afflictionum spinis rosæ consolationum protuberant. 218.5

Afflictio mater virtutum. 245.10. Vide Tribulatio, Labor, Calamitas,&c.

Afflictionibus homo clarescit. 246.13

Afflictio non est tentatio, sed magis timor ipsius. 270.2

Afflictiones laqueos in seruos Dei tendentem intercipiunt. ibid.3

Afflictio instar serpentis, & ignis, apprehendentem priùs lædit,& vrit. 275.8

Afflictiones,quibus iustos impij diuexant,ad vlciscendum in eos præbent Deo documenta. 275.8

Afflictiones baptizant. 283.1

Afflictio cordatis doctrina efficitur. ibid.

Afflictionibus Christum sequimur. 352.1

Afflictiones in scala Iacob assignantur, per quas alij ascendunt,alij descendunt. 353.2

Afflictionibus,& ærumnis gratiam Christo reddimus. 354.4

Afflictionibus ingens accrescit spiritus prouentus. 288.9

Afflictus.

Afflicti Deum habent fideiussorem. 215.8

Afflictis Deus, charisque eorum pignoribus patrocinatur. 218.4

Afflictorum Deus expugnator est, & propugnator. 225.8

Afflictorum se Deus facit collegam. 278.1

Afflictis Angeli famulantur loco hominum. 279. 4.& 5

Affectus.

Affectus omnes nostros sibi vult Christus dedicari. 228.7.

Affectus praui,animo non pulsi,angustum Deo exhibent domicilium. 229.10. & seqq.

Contra prauos affectus impetu, non subtilitate pugnandum. 270.2

Affectus quiuis est calor, sed inani gloria flabellatus, fit incendium. 312.17

Affectissimi sibi taxantur. 319.4

Agnus.

Agni Paschalis cæremoniæ à Deo imperabantur, illius verò mors tamquam indicatiuè mandatur, & cur? 450.3

Agni Paschalis sumptio Eucharistiam adumbrabat. 367.7

Agni Paschalis tempore veris sumptio quid significet? 417.9

Agag.

Cur alacris mortem oppetierit. 229.2

Alligatura, alligari.

Alligatura salutaris seruitus Dei. 17.8.& 9

Quid sit ex Salomone, plagam sanguine manantem non alligari. 17.10

Altercatio, altercari.

Altercationes obsunt magis, quàm prosunt auditoribus. 308.3

Altercantes inuerecundi esse solent. ibid.

Iacturam in animo faciunt, vt victores euadere videantur. ibid.

In altercationibus cedat, qui velit victoriam reportare. 309.4

Altitudo.

Altiora te ne quęsieris. 361.3

Amor, Amare, Amans.

Vide,Affectus,Dilectio.

Amoris definitio ex Platone. 435.16

Amoris soror dulcedo. 427.10

Amor sponsalis,quàm coniugalis ardentior. ibid.11

Amor,amati absentia excrescit. 428.13

Amor, qui non se totum erogat amato, iniquus est. 478.10

Amor Dei perfectus cæteros amores excludit. 12.3

Amor Christi humiles facit, seruosque amantes. 14.1

Aurum cur typus amoris. 15.6

Amoris proprium bene sentire,sperareque de amato. 73.5

Amor lorica est impenetrabilis. 73.1

Amor suauissimas pro Christo reddit pressuras. ibid.

Amor aquilegium, seu aquarum collectio est,omnes affectus in se recolligens. 75.1

Amoris veri,& falsi discretio vnde sumatur. 77.2

Amor idem est, quo Deum, & quo proximum propter Deum diligimus. 78.3

Amor proximi in Deum respicere discat à duobus Cherubinis. 78.4

Amor purus columbinus oculus est. 78.5

Quo propiùs Deo per amorem accedimus, eo ardentiùs proximos amamus. 80.10

Amorem lasciuum floribus,& flammis comparat Nazianzenus. ibid.

Ingentis amoris indicium amici amore nunquam expleri. 86.1

Dei amor non in præceptorum solùm, sed in minutarum etiam rerum obseruatione censetur. 114.1

Perfectus amor quem timorem non expellat. 115.3

Amor temporalium exuendus. 227.2.& seqq.

Amor proximi legis est plenitudo. 292.1

Reliquarum virtutum frugibus prębet maturitatem, & saporem. ibid.2

Nisi amoris proximi compage consolidati, nequicquam magna conamur. 393.5

Amor proximi, Christianæ disciplinæ fastigium. 294.6

Amor fidelium ipsos vnum facit, etsi dissimilis conditionis, quemadmodum ignis diuersa metalla. 264.5

Amor pondus,quod in amico deponimus. 300.6

Amor quies est amantis. ibid.7

Amoris debitum ipsa solutione augetur. 301.8

Amore quàm proximè ad cœlestes mentes,& ad diuinam accedimus. 302.4

Amore fratrum carens multis se bonis defraudat. 303. 8.& 9

Amorem aliorum ipsa humana conditio nobis persuadet. 304.adnot.4

Amorem inter duos,eiusdem pœnæ participatio conciliat. ibid.2

Amor aliorum querelas vt suas suscipit. 307.9

Amor facilè memoriam iniuriarum deponit. 319.3

Amor paternus fraterno maior. ibid.

Index rerum notabilium.

In Dei amorem qui non se effundit, cæcus est. 394.8
Amor valentissimus ad obtinendum quod velis. 395.11
Quàm ardenter Deus sit amandus, integrè, & ex toto corde. 45.1
Amare dulcius, an amari. 300.6
Si vis amari, ama. 320.7
Amari, & amare debemus, & facilè possumus, si velimus. 323.9
Amanti Deum, omnia præter ipsum sordent. 421.1
Amantibus Christum nihil suauius, quàm præoptati labores. 73.1
Amans turpiter, & amatum comburit, & famã ipsius denigrat, & deturpat. 80.14
Seipsum solummodo amans, semper aliis odio, & sępe sibi molestiæ est. 319.3

Amicus, Amicitia.

Amicorum animæ potissimùm amandæ, & corporibus præponendæ. 79.9
Verè amicus consulit in potiorem partem, licèt appetitui aduersum. 88.3
Amici non tam amandi, quàm diligendi. 291.4
Amicis vnus est animus. 292.6
Amicum lædens, lædit & seipsum. 263.1
Amici vna anima. ibid.
Amicus fidelis duorum inimicorum nequit esse quis. ibid.2
Amicorum, & linearum eadem est ratio, quæ vni tertio sunt eædem, vel diuersæ, eædem, vel diuersæ sunt inter se. ibid.7
Amicus verus amicum quantum poterit sibi parem efficiet. 264.6
Amicus fidelis pręsens malorum omnium remedium. 298.2
Amico vtendum plusquàm aqua, igne, sole. 299.2
Apud amicum multum de molestiis irruentibus euaporat animus. ibid.4
Amici horto, & fonti comparantur, quia alter alteri multa bona communicat. ibid.4
Amicissimi plures existimantur, quibus si nonnihil lucelli iniiciatur, vt alter alterum rapiat, se inuicem dilaniabunt. 319.3
Amici norma amati voluntas. 320.6
Amicum verum qui habet, duplicem se reputat. 324.10
Amicis nihil denegandum. 324.11
Amici ex æquo sibi præstent officia. 301.8
Inter amicos leuibus de causis ad mortem peccatur. 309.5

Amicitia.

Amicitia non est, quæ Deum non amat in amico. 79.8
Amicitia inter improbos esse non potest. 79.9
Amicitiæ in Deo non fundatæ, citò, & infeliciter desinunt. 80.12. & 81.15
Amicitiis, & numeris eadem vis inest. 290.5
Amicitia non nisi inter pares affectus fouetur. 291.4
Amicitia æqualitatis magistra est. 292.5
De amicitia cum Deo ineunda cogitas? 292.1. priùs hominibus amicare. 295.10
Amicitiæ fucatæ, suis tantùm commodis prospicientis symbolum rhamnus. 257.8
Amicitiam vno verbo expressit Apostolus. 263.1
Amicitia vita habentis est. 298.1
Eius proprietates. ibid.
Amicitia cæteras virtutes condit. 299.4
Vbi illa est, superfluit iustitia. 301.5
Amicitiam soluit ambitio. 308.1
Amicitiis quàm parum credendum. 320.8

Amaranthus.

Flos igni admotus coloris gratiã non amittens. 397.4

Amianthus.

Est lapis qui igne non læditur. ibid.
Eius proprietates, & accommodationes. 400.6

Ambitio, Ambitiosus, Ambire.

Ambitio æqualitatem amicitiæ non fert. 308.1
Ambitio Angelum cœlo, hominem Paradiso eliminauit. 327.1
Ambitio malum ad Principatum iter. 327.2
Ambitionis humanæ vota superare difficillimum est. 358.6
Ambitiosi mendaces sunt, fures, & læsæ maiestatis rei. 310.8
Deo bellum inferunt. ibid.
Ambitiosum recensuit Christus inter infideles. 310.10
Ambitiosi se mirè extollunt. 341.5
Ambitiosos dæmon muneribus sufficit. 341.8
Ambitiosi quicumque curiam frequentant. 342.10
Ambitiosi stulti, & honoribus indigni. 343.12
Ambitionem sæpe occultat desperatio. 342.11
Ambiuntur fuitura, non ambiuntur perennatura. 355.7

Ambrosius.

S. Ambrosius communia pericula in se solum recidere optabat, & gaudebat. 255.4
Ambrosij codices suppositij. 234.2

Ananias.

Peccat in Deum qui hominum laudes venatur. 316.9

Anima, Animus, Animositas.

Animæ erga Deum sitis ab eo solùm extinguibilis. 39.4. & seqq.
Non minus chara Deo vnius anima, quàm omnium quomodo sit? 44.1
Anima inter curas, & sollicitudines tranquilla, lilium inter spinas est. 73.4
Animæ vnius detrimentum, Deo, ac si omnium detrimentum esset. 535.11
Anima virtutibus ornata hortus est, vbi Deus pascitur, & delectatur. 525.10
Animæ robur fugit vana gloria. 311.12
Anima hominis tanti est, vt ipsum Deum valere videatur. 388. adnot. 5
Animarum saluti incumbere maximè gloriosum. 538.9
Animi pulchritudo quæ. 410.13
Animus se supra dæmonem æstimet. 390.7
Animum tanti à Deo factum nihili faciunt homines. 390.8
Animum in vanum quomodo plures acceperint. 391.9
Animis edomandis nihil lenitate potentius. 392.3
Animus rigoribus obdurescit, amore liquefit. 393.5
Animus non potest succumbere Christi charitati. 393.6
Animi morbi valentibus remediis sunt curandi. 395.12
Animus æqualis prosperis, & aduersis secum beatitudinem habet, & fere diuinitatem. 225.7.8
Animus pusillus in aduersis in Dei prouidentiam iaculatur querelas. 225.9
Animus terrenis vacuus cœlum est, Deique habitatio. 227.2
Animus à terrenis liber, aptissimus est, vt corpore liberetur, & cœlo inferatur. 229.1
Animus per mortificationem se in sublimi collocet, quò terrenę adire libidines nequeant. 231.6
Animus corpore inuoluitur, & inficitur. 237.1
Animus totus homo. 391.12
Animus se sublimem agens ad ipsa Domini miracula enititur. 250.1

Animus corpori à pluribus cogitur ancillari. 391.9
Animi famem, sitimque interna virtus explet, non externi applausus. 316.8
Animus excelsus nihil obest quin sit summissus. 328.5
Animi salus quomodo Christi exemplo procuranda. 349.7
Ob contingentem, ac dubiam animi salutem Deus Filium suum tradidit. 390.6
Animus purissimum Deo videndo speculum. 390.7
Animositas etiam facie ostendenda. 270.1
Animosis res arduæ ludicræ videntur. 272.9

Angelus.

Angeli demissis oculis venerabundi Sanctorum passiones spectant. 72.13
Angeli in nostrum præsidium incumbunt, dum ex hac in beatam vitam transferunt. 239.10
Angelis custodibus valde exosi sunt homines impacifici. 303.9

Angustiæ.

Vide Tribulatio.
Summæ angustiæ in summam latitudinem iustos deducunt. 217.1
Angustiis crescentibus, crescit iustis spes. 218.3.
Vide afflictio.
In angustiis securus incedit, qui post Christum. 332.13

Animal.

Animal quoduis in se, & in suo naturali pondere inclinat. 320.6

Antichristus.

Antichristi temporibus ambitio & auaritia dominabuntur. 360.10

Antistites.

Antistites non generationum tramite, sed cœlestis gratiæ dignatione creandi. 359.8

Anticyron.

Anticyron typus eorum, qui honoribus, & commodis se solos spectant. 346.9

Aperine.

Aperine herba hominum vestibus adhærescit. 394.8

Apelles.

Apellis aulici malignitas, & ars ad deturbãdam Taurionem à gratia Philippi Regis. 212.11

Apologus.

Apologus arborum regno renunciantium. 256.5

Apostoli.

Cur iubeantur à Christo leuare lapidem superpositum Lazari sepulchro. 258.11

Appetitus.

Appetitus necessitatis habitum induit, vt fallat. 123.14
Ab appetitu gloriæ plures occiduntur, qui alia vitia iugularant. 311.11

Arca.

In arca testamenti Deus suæ liberalitatis symbola condi iussit. 413.1

Area.

Locum putum & intactum Latinis significat. 404.17

Aquilo.

Aquilonis proprietates. 386.4
Aquilo significat infidelitatis frigus. 246.13

Arabs.

Arabs quid significet allegoricè apud Esaiam. 232.15
Arabum vita laboriosa. 237.4

Ariani.

Ariani verbis Pauli: *Non rapinam arbitratus est*, suum errorem intrudebant. 337.2
Arianam hæresim detruncat Pauli locus, *Qui cùm in forma Dei esset*. 333. & sequentia verba: *non rapinam arbitratus est.*

Arma. Armare.

Arma Christianorum labores. 354.4
Armis animantium etsi Deus hominem destituit, potentioribus aliis texit, nimirum miserationis affectibus. 308.12
Armamur in spirituali militia, cùm vulneramur. 246.11

Ars.

Ars maxima artem dissimulare. 391.1

Ascensus.

Ascensus fit descensu, alioquin difficilis, & periculosus est. 332.13

Asperitas.

Asperitas sæpe lædit. 392.3.

Aspectus.

In aspectibus hominum qui sui laboris finem collocat, stultissimus est. 312.15
Aspectum hominum fugiat, qui benefacit. 315.5

Assimilatio.

Assimilatio Dei est fuga sæculi. 327.1

Astrologi.

Astrologi primi Christi muneratores. 330.8

Astra.

Ex astris vniuscuiusque sortem diuinare vanum. ibid.
Fœlix cuiusque auspicium non ex astris, sed ex similitudine cum Christo petendum. ibid.

Auarus, Auaritia.

Stultè auatus qui nihil commune suum credit. 44.8
Auarus totius terrarum orbis spatia solus vellet occupare. 321.1
Auarus raptor quoque erit. ibid.
Auari dilatantes fructuum venditionem in tempus caritatis increpantur. 321.2
Auarus à forma hominis exulat. 322.3
Et ab Ecclesia Dei. ibid.
Auari soli pinguioribus vellent potiri. 322.4
Auaritia oculus dicitur, quod neuter saturetur, hic videndo, illa auendo. 425.8

Audire.

Audire Christum cur iubeamur in Transfiguratione, non in Baptismo. 328.3

Augustinus.

A solo nomine Iesu in amorem, reuerentiamq; ipsius se rapi solitum asserebat. 487.27

Aurum.

Aurum terræ nomen non nisi in igne relinquit. 244.7
In auro, & argento Dei imago non exprimitur.
Aurum dulcis Tyrannus. 358.5
Auri qui meliores vsus. 383.10

Auis.

Aui in laqueum festinanti similis iuuenis in voluptates præceps. 17.10

Aula, Aulicus, Aulicismus.

Vide Princeps.
In Aula plures è bonis in malos, quàm è malis mutantur in bonos. 170.1
Aula Petro causa cadendi. 170.2
In aula Petrus latro, latro extra aulam Petrus, qui etiam se ad frugem extra aulam recepit. 170.3
Monachis aliena aula. ibid.
Triplex aulæ definitio. 171.6
Aulæ fœtus ranæ, & belluæ. 172.7
Aulæ Principum in meretrice Babylone. 230.3
In Aula quamuis aliud interlabatur tempus, & alij homines, non alij mores.
Aulicismus ad rem Christianæ perfectionis non satis idoneus. 170.1
Sponsa dum quærit vbi pascat in meridie sponsus, ne vagari incipiat, timet aulicismum. 171.4

Aulicismus, imò & ipsa Principum salutatio suspecta, & inuidiosa ex Galeni sententia. 171.5
Aulicismus occidit Christum. 175.14
Aulicismus cerebrum mouet, & mentem tollit. 176.17
Aulici magna ex parte Deo infidi. 170.3
Aulicam vitam vocat Paulus temporale peccatum. 171.6
Aulicorum imago depicta à Bernardo. ibid.
De libidine, auaritia, & ambitione aulicorum plurima. 172.8
Aulicorum libido. 172.9
Aulicorum auaritia. 173.10
Aulici centimani. ibid.
Aulicorum manus à Principibus cohibendæ. ibid.
Aulicorum ambitio. 174.12
Aulici, otiosi, & occupatissimi, & res caducas, quasi æternas æstimant. 175.15
Aulici se totos ad gustum Principum fingunt. 176.17
Aulici vnum, & eundem insanum, cùm sibi inutilem; prudentem, cum vtilem experiuntur, iudicant. 208.23
Similes sunt simiis. 331.16
Illorum mos cùm in alicuius ruinam conspirant. 211.9

Aures.

Aures obedientiam denotant. 454.1
Aures Dauid pro toto corpore po[illegible] ibid.

B

Baptismus.

Baptismum Christi, magnum humilitatis opus, Filij Dei declaratio consequitur. 328.3
Baptismum nostrum suam mortem Christus nuncupauit. 377.4 & 452.8
In Baptismo ad Christi [illegible] syngrapham [illegible]. 471.7
Baptizati Christum induunt, [illegible] Christo viuere tenentur. ibid.

Basilius.

S. Basilius viuus adhuc maxima ex parte se mortem obiisse profitetur. 231.8

Beatitudo, Beati.

Beatitudinis magnum bonum nihil habere proprium. 320.6
Beati homines cœlestem Ierusalem possident. 84.6
Ad cœlestem beatitudinem non sinit Deus obrepere indignos. 356.9

Bellum.

Bella creaturarum apertè denotant nullam ipsis diuinitatem inesse. 302.4
Bella terras in sanguinis mare conuerterunt. 308.11
Bella ab hominibus ridicula ex causa suscipiuntur. 333.13
Bellum intrepidus suscipiens, victoriam sibi polliceatur. 270.1

Beneficia. Benefactor.

Multa beneficia tristem habent frontem. 17.8
Beneficia communiter collata, sibi vni reputat præstita gratus, fidelisque seruus. 42.1
Beneficia à Deo collata non minora, quia pluribus præstita. 43.3
Beneficia diuina nunquam rependere possumus, ita vt liberi maneamus: ipsa enim solutione, vt beneficio ligamur. 57.4
Beneficia, quæ in alios effundimus, in nos refunduntur. 307.10
Beneficia silenter conferenda. 315.6
Beneficia si vis, benefac. 320.7
Beneficia non solùm sine vtilitatis spe, sed & cum damno proprio danda. 377.4
B[illegible] cognom[illegible] Deo [illegible]. 379.8
Nol[illegible] beneficia, quæ simul non sint ornamenta. 382.6
Beneficia collata sublimant conferentem. 383.9
Beneficia erga potentes, insidiosa sunt. 381.5
Beneficia conferenda potiùs, quàm accipienda. 383.9
Beneficia vltra desideria conferenda supplicum. 358.6
Beneficia indigis spargit liberalitas. 381.5
Beneficus Deum habet debitorem. 582.9
Benefacientibus antiqui gratiam referebant, eos numinibus adscribendo. 483.8
Optimo benefactori beneficium contulisse, alterius origo est, & quædam inde augendi renascitur obligatio. 44.9

Beneficentia. Benefactum.

Beneficentiam discat homo ab humo. 307.11
Illa prima beneficentia est, quæ secreta. 315.5
Beneficentia nihil ad homines alliciendos efficacius. 393.6
Benefacta animum exhil[illegible] 318.6
Beneficentia in inæqualitas [illegible]. [illegible]
Beneficentia diuinum [illegible]. 37[illegible].8
Beneficentia opes adquirit. 3[illegible]
Beneficentia Deus [illegible]. 511.3

Benignitas.

Benignitate adhortationum clementiæ opinio colligitur. 209.1
Benignitas diuinorum operum corona. 516.6

Beneuolentia.

Beneuolentiam diffusam in plures minorem fieri, intellige de humana, secus de diuina. 43.3
Beneuolentia non in vnum tantummodo, sed in omnes æquè diffundenda. 81.adnot.2
Beneuolentiæ causa tam bona est, vt testem pro se habeat Filium Dei. 297.15
Beneuolentia mutua solatium. ibid.
Beneuolentiæ aliorum erga te les, tu ipse es. 320.7
Beneuolentia mutua non comessationibus bene nutritur. 324.9
Beneuolentiæ donauit Deus, quod suo detraxit iuri. 324.11
Beneuolentiæ nomine Filius Dei significatur. 254.1
Beneuolentiam mutuam alunt similia studia. 292.4. & 6
Beneuolentia quascumque vires expugnat. 393.6

Blasphemia.

Qua lege illam cauerit Deus. 122.12

Bonitas, Bonum.

Sine bonitate nulla maiestas est. 378.8
Bonorum operum initium mutatio dexteræ excelsi est. 53.1
Initium bonorum operum ex Dei gratia esse latè ostenditur. 51.1
Bona cœlestia circuli peripheriæ (ad quam spacio est, & expedita via) comparo, terrena centro (ad quam angusta, & impedita) 332.13
Bona propria obliuiscere, aliena rimare. 346.9
Nihil boni in aliis inuenire diabolicum. ibid.
Bona cœlestia qui terrenis postponit, æternum illis valedixit. 365.14
Bona sæculi donec spernas morti es indispositus. 230. adnot.3
Bona temporalia in calceamentis significantur. 232.12
Bona fugacia sequimur, ruentibus adhæremus, æternatura negligimus. 233.17
Non bonum, quod non commune. 265.8
Bonitas, beneficentiaque indiuiduæ comites. 492.45

Bona

Bona terrena sui sitim adaugent, non [illegible]guunt. 422.& 424.7
Bonorum spiritalium, terrenorumque dispar ratio. 423.4
Bona sæcularia in peccatorum gustu [illegible] mo[illegible]s [illegible]pore conduntur. 123.5
Bona terrena contectu[illegible] ar[illegible]s laboret, qui veris spiritalis,delectetur est necesse. 4[illegible]4.7
Bona temporalia per Sodomæ fructus, qui ad speciem pulchri,& suaues,gustui tamen acerbi, tactique in cineres soluuntur,significantur. 506.8

Brutus.

Romanæ libertatis assertor, quo actu inuidiam declinauit. 209.1

C

Cæcus.

CÆci, qui in nullo præter se æstimationis rationes aduertunt. 346 9
Cæcus, ac superbus dæmon nihil sublime cernebat in Christo. ibid.

Cain.

Caini sacrificium Deo exosum,& cur. 235.6
Cain obuiaquæque, & sine delectu Deo sacrificauit, meliora suis delicijs reseruans. 347.3
Longam vitam in peccati vindictam accipit.240. 15. & 236.7
Cain stultissimus,mori timens. 236.8
Cain cruciatur, quod Dei oculos sibi rapiat Abel. 316.9
Cain secum tulit in sacrificium stipulas, quibus exureretur. 296.12

Calamitas.

Calamitas virtutis occasio est. 245.10
Calamitates sapientium votum. 246.14
Calamitatibus erepta, postea recipimus duplicata. 251.3
Calamitas constantibus pro regno est. 282.9
Calamitas,& vexatio ipsi dæmoni intellectum dedit. 284.6
Calamitates toleratæ leuiùs affligunt. 298.2
Calamitatis propriæ pondus leuius quisque, quàm amicus portet. 422.2
Calamitates à proximis oratione depellamus. 307.11
Calamitates probant vnumquemque. 351.13
Calamitates fugientibus nondum passus est Christus. 354.4

Calceamentum.

Calceamenta,bona sæculi adumbrant. 232.11
Corpore vt calceamento vtendum. ibid.12
Corpus ea facilitate deponendum, qua calceamenta Moyses. ibid.
Calceamenta discipulis, & prodigo ad quid tribuantur? 403.13

Carcer.

Breue carceris tædium Martyres non facit. 293.5

Carmelus.

Carmelus sponsæ capiti superpositus quid indicet? 387.8

Caro.

Caro hominis non est adeò sordida,in qua Deus animum(suam imaginem) posuit. 399.6
Caro nostra soror Christi,unde nos fratres. 32.1

Castitas.

Castitas,& loqui,& clamare mortuos efficit. 199.5
Castitati ingens adest loquendi libertas. ibid.
Castitas sine charitate lampas est sine oleo. 203.8

Causa.

Honestæ causæ patrocinium animo, ac libertate suscipiendum. 198.1
Cau[illegible] [illegible]s interpon[illegible] suspecta e[illegible]. [illegible]
C[illegible]
Qu[illegible] [illegible] [illegible]
Centurio.
Centurio Euangelicus Christi innocentiam ex [illegible]us clamore deprehendit. 2[illegible].7
Charitas.
Vide Dilectio Amor.
Charitas cæteris captiuat affectiones. 22[illegible].2
Charitas sine patientia, aut marcescit, aut deficit. 243.1
Charitas Christiana diuersitatem personarum non attendit. 2[illegible]5.8
Charitas facit æquales,& humiles. ibid.7
Charitas eadem alijs,ac sibi vult. ibid. 8
Charitas efficit, vt priuata cuiusque sors sit cōmunis. 265.9
Charitas posteros quoque amplexatur. ibid.
Mutua fidelium charitas propria Christianæ religionis defensio. 266.adnot.2
Charitas efficax argumentum Incarnationis. ibid.& seqq.
Charitas mutua,nota discipulorum veri Dei. 266.2
Charitas fidelium finis miraculorum, finis Eucharistiæ. ibid.4
Charitas ædificium Ecclesiæ firmum, & aspectabile reddit,& ad ingressum extraneos inuitat. 267.4
Charitas fidelium Ecclesiæ vexillum,robur,& de hostibus triumphus. ibid.5
Charitas miraculis mirabilior. 267.7
Charitatem habent [illegible] nomen pr[illegible] 12.1
Charitatis ferè m[illegible] propria denustio, quam humilitatis. 14 4
Charitatis gloria in humilitate, quasi in fimbrijs aureis splen[illegible]t. 15.7
Charit[illegible] [illegible] [illegible]leat,vt crocus. 14.4
Charitas nostra, in Deum respicere ducat à duobus Cherubinis. 78.4
Charitas etiam illa, quæ tuta sunt metuit. 87.2
Charitas in Deum indesinenter crescat. 88.adnot.1
Quod panis ad vitam corporis, hoc ad animæ charitas est. 91.13
Charitas indiget scientia. 98.adnot.5
Charitas itidem necessaria est scientiæ. ibid.
Charitati potiores partes tribuendæ, quàm scientiæ. 101.12.13.& 14
Charitas mutua discipulorum iusta Magistri merces. 290.4
Charitas iustitiæ,& sanctitatis complementum. 291.1
Charitas fraterna cæterarum virtutum complementum. 293.1
Ne ab aliis maiorem appetas charitatem, quàm ipsos affeceris. 292.5
Charitas bonorum operum condimentum. 293.3
Charitate fraterna carens Christianus, luxatum Ecclesiæ membrum. 293.5
Sine charitate virtutes, nec pretium habent, nec meritum. 2[illegible].6
Præ charitate totus terrarum orbis à Deo n[illegible] fit. 294 7
Eius ardor, quantumuis tacitus, Deum [illegible]. 295.9
In Dei charitatem de charitate hominum transitur. ibid.10
Charitas est apud Deum errorum nostrorum ambitiosa Patrona. 296.11
Pro omnibus aliis erratis Deo satisfacit. 296.12
Charitas cæterorum bonorum scopus. 297.13
Euangelica Margarita. 297.14
Cœli ianua vnica. 296.14
Charitas certissimum ad perennem beatitudinem

suffragium. 298.18
Charitas nos cœlo inserit. 299.3
Magnus est Doctor. ibid.
Habet perpetuas,& semper crescentes voluptates. ib.
Charitas caret molestiis aliarum virtutum. 299.4
Charitatis debito non possumus non teneri, etsi aliis liberi simus. 301.8
Charitas diuinum quid. 302.8
Charitas nobis præbet cœlestium donorum incrementa. 302.5
Vna charitas nobis confert regnum, Sacerdotium, triumphos,Deitatem. 303.8
Charitatem non habentes spiritu carent, toti animales sunt. 303.9
Charitas aliorum mala sua æstimat. 307.9
Quod charitas in alios confert, in nostram cedit vtilitatem. 307.10
Charitas,velut solicita apes,bona omnia vndique adlecta in amantis animum comportat. 297.14
Charitas non quærit quæ sua sunt. 324.11
Mutua charitate iusti adinuicem copulantur. 298.11
Charitas Spiritus sancti fœtus. 301.3
Charitatem habens,habet & Deum. ibid.4
Charitas in Deum nequit ab amore proximi separari. 303.7
Charitas Filij Dei nomen nobis impertitur. 303.8
Charitatis opera omne pretium excedunt. 307.10
Charitate præditus omnibus se submittit. 308.1
Charitas ex leuissimis causis solet deperdi. 309.5
Charitatem roborat æqualitas. 313.19
Charitati acuendæ considerationes. 314.1.2
Charitatis lege nostra salus primò est consideranda. 320.5
Charitatis præceptum tam retro datum, cur Christus nouum appellarit. 323.8
Charitas alios aliis condit. 324.10
Charitas nos Dei templum efficit. ibid.11
Ex charitatis lege, quæ volumus nobis fieri, eadem aliis faciamus. 324.12
Charitas Dei honorat, quod humana iniquitas derogat. 346.9
Perfecta charitas quem timorem non expellat? 115.3
Charitas potentius Dei ad bellandos homines agmen. 393.6

Chirographum.

Chirographum quid sit? 459.2
Chirographum in decretis quid? ibid.
Chirographum à Christo cruci affixum quid sit? 459.3.& seqq.

Christus Dominus.

Christi diuinitas.

Christi diuinitatem probat nomen Domini ipsi attributum. 30.à n.27
Christus cur à Paulo Dominus vocetur, cùm Pater æternus, *Pater noster* dicatur. 33.34
Christo cur frequentiùs, & quasi perpetuò nomen Domini à Paulo,& Patribus tribuatur. ibid.33
Christum in forma Dei esse,quid iuxta phrasim Pauli significet. 333.adnot.1.& 334.adnot.2.& 335.2.3.& 4
Christus cùm maximè celauit diuinitatem, tunc maximè reuelauit. 9.9
Christi maiestas nunquam magis admiranda, quàm nostras infirmitates suscipiens in nostram firmitatem. 258.12
Christi diuinitas inter duos latrones indubitanter eluxit. 442.3
Christus in omni terra verus Deus agnitus,& adoratus est. 488.33
Christus se noluit frequenter apud homines Deum appellare, ne apud eos Deitatis vnitas periclitaretur. 340.2
Christus Dei fragrantia. 485.22
Christus diuinitatis interpres. 486.24
Christus operibus,& miraculis diuinitatem suam,velut odorem spargens demonstrauit. 502.74.& 75
Christi diuinitas post passionem æquè ac Patris diuinitas mundo illuxit. 513.9
Ex diuinitate sua, quæ hominibus non poterat non illucere, obstrictus erat Christus mundo pereunti succurrere. 536.2
Christus tunc potissimum Deum se ostendit,cùm in benefaciendo ipsamet hominum vota anteiuit. 534.7
Christus qua Deus refrigeratus quodammodo videtur homo factus. 53.2

Christus imago Patris.

Christus imago Dei, reliqui homines ad imaginem Dei. 336.5
Christus cur à Salomone emanatio syncera claritatis Dei omnipotentis appelletur. 491.42
Christus signaculum Patris perfectissimum. 336.5
Christum cùm Deus signauerit, in eius forma non potuit non manere. 336.4
Christum signari à Deo Patre,quid sit? 415.6
Christus Patris essentiam, & naturam in se demonstrans, speculo immissam sibi imaginem referenti comparatur. 492.44.& seqq.
Christus omnipotentiæ Dei clarissima imago. 488.33.& seqq.
Christus quà Verbum Patris, ipsius est speculum, in quo Dei miserationes resplendent. 492.46
Christus perfectissima Patris imago. 501.2

Christus æqualis Patri.

Christum esse in forma Patris, idem est ac esse illi æqualem,eademque honoris maiestate. 490.38
Christi cum Patre æqualitas comprobatur. 336.5
Christi cum Patre confessus æqualitatem cum ipso demonstrat. 490.39
Christus quia Patri æqualis Spiritum sanctum vnà cum ipso misit. 494.50
Christus cur non rapinam arbitratus sit esse se æqualem Deo. Patrum mens varia. 337.3.& seqq. vsque 340.adnot.1.

Christi humanitas.

Christi humanitas sagitta, corpus pharetra significatur. 392.4
Christo ex humanitate specialis decor aduenit. 395.9.& 10
Christo humana natura cur dicatur habitus. 396.1
Christus diuinitatis radios humanitatis nube obtexit. 370.19
Christus faciem Deitatis aufugit, & ad nostrum seruitutis confugit vultum. 369.16
Christus humanitatem portat, ne iam cadere possit. 377.4
Christus se totum, & omnia sua humanis necessitatibus exposuit. 376.2
Christus probatur homo, quia sicut aliquis ex hominibus sperabat. 352.13
Christi humanitas electissima Dei sagitta. 392.4

Christi corpus.

Christi caro rubus ardens incombustus. 397.4
Christi caro eiusdem conditionis, quæ Adami ante peccatum. 401.10
Christi caro eadem cum Mariana censetur. 398.3
Christi caro velum appellatur. 329.6
Christus sui corporis impassibilitate sibi pretium,nobis sacrificium perdidisset. 375.7
Christi corpus speculum in quo nos respiciamus. 462.9

Christi corpus aptissimum instrumentum ad diuinam bonitatem explicandam. 516.7.& 8
Christi corpus concinnè diuinitati aptatum. ibid.
Christi corpus lucerna accensa, qua drachma perdita inuenta fuit. 511.5

Christi exinanitio.

Christi exinanitio exponitur. 365.vers.7.ad folium 367.7
Christi exinanitio inclinatio fuit miserationis, non defectio potestatis. 393.2
Christus se minorauit, vt hominem maioraret. 386.6
Christus tantum homini contulit, quantum Deo detraxit. 371.21
Christi exinanitio humanæ vacuitatis complementum est. 376.adnot.2
Christi infirmitas, nostra virtus est. 377.3
Christus se exinaniuit, vt nos locupletaret. 369.16.& aliis,& 376.adnot.2
Christus exinanitus est, vt se nobis totum profunderet. 380.1
Christus suam deposuit speciem, vt nos speciem haberemus. 357.3
Christus Dei forma in se Dei formam exinaniuit, non aboleuit. 370.20
Christus decorus in ipsa depositione decoris. 154.1
Christum formam serui accepisse iuxta Paulum variè explicatur. 367.8
Christum fuisse seruum, ex Pauli testimonio, *formam serui accipiens*, non infertur. 376.10
Christus sua seruitute nostram liberauit. 370.19.& 373.3
Christus peccati speciem suscepit, & plecti voluit. 365.13
Christi ingloria nobis gloriam summam pepererunt. 387.8
Christus odorem suum cohibuit. 381.4
Christus se deiecit mediatorem inter Deum, & homines acturus. 342.9
Christus dum pretio taxatur, & diuenditur, omni pretio pretiosior elucescit. 71.8
Christus post baptismum summæ humilitatis opus, Filij dilecti nuncupatione à Patre donatur. 318.3
Christus exinanitus, vt Deum se esse ostenderet. 512.6
Christi diuinitas ante exinanitionem inaccessibilis: post exinanitionem perceptibilis. 513.8

Christi Incarnatio.

Christus vt homini medicinam faceret, homo factus est. 391.2
Christi generatio facta in similitudinem naturæ humanæ, non peccati. 396.1
Christi generatio sapit diuinam. 399.6
Christi ortus cur expliceτur à Matthæo verbo, *genuit*, non *generauit*. ibid.
Christus cur in similitudinem hominum, non hominis factus dicatur. 369.16
Christus humanæ naturæ communicatus ingenti mundum perpluit odore. 486.22
Christus humano spiritu animatus, viuificat diuino. 377.4
Christi Incarnatio cur tam calamitosis temporibus facta? 220.12
Christus Deus propter hominem homo, homo verò propter Christum Deus efficitur. 464.14
Christi centrum Virginis vterus.
Christus in vtero Virginis Pontifex creatus est. 374.6
Christus pactus in ventre Matris cum Patre humani generis redemptionem. 374.5
Christus in primo Incarnationis instanti pro naturæ posteriori optione vitæ passibilis, vel impassibilis facta, summas mortalitatis alacer amplectitur molestias pro redemptione hominis. 369.15. & seqq.
Christus carnem nostram, & mortem non ad ignominiam Deitatis, sed ad gloriam Patris sustinuit. 487.29
Christus cur sine matre dicatur à Paulo. 398.5
Christi Incarnatione, humana natura per peccatum obscurata, elucet clara. 503.76
Christus incarnatus inuisibilis Dei, visibilis imago est. ibid.2
Christus incarnatus homines monet, vt magnificè de Deo sentiant. ibid.76
Ex Christi Incarnatione magnificatur Deus, & decorem accipit. 511.3

Christi Aduentus, & Natiuitas.

Christo aditum huius vitæ poscenti sponsa aperuit, ipsumque manibus myrrham stillantibus excepit. 371.22
Christi aduentu omnia idololatriæ phantasmata euanuere. 445.21
Christum venisse ostendit is, qui stigmata eius in corpore suo portat. 354.6
Christus suo ad nos descensu nostrum dedicauit ascēsum. 332.13
Christus ad nos venit, vt imago Dei in nobis obliterata, ad exemplaris præsentiam instauraretur. 327.2
Christus ideo mundo aduenit, non vt Deus homini coarctaretur, sed vt homo Deo expanderetur.
Christus officio iudicis, non potestate in primo aduentu se abdicauit. 340.3
Christus pauper, humilis, & mitis voluit nasci, quia voluit amari. 394.8
Christi in natiuitate ea omnia adscripta, quæ in publicorum contractuū tabulis obseruabantur. 374.5
Christus dum in salutem omnium in Virginis vtero concipitur, vt Princeps coronatur. 515.4
Christus dum puer, Deus gigas, & admirandæ magnitudinis. ibid.3
Christus à Deo de matris ventre extractus ob virginalis vteri suauitatem. 401.8
Christus à Deo de matris ventre extractus, quod Natiuitatis ipsius gloriam Lucifer inuidens, ne in lucem prodiret, modis omnibus impedire tentauerit. 538.8
Christus in præsepio reclinatus, succinum paleas ad se trahens. 394.8

Christi Circumcisio, & nomen Iesu.

Christi circumcisionem cur potiùs cōiiciendam, quàm legendam Lucas proposuerit. 387.8
Christo nomen Iesu inditum Dei Patris naturam, quæ saluos faciendi est, vt ipsius imago expressit. 486.24
Christus cur Emanuel non fuerit appellatus, sed Iesus. ibid.23
Christus cur Saluatoris præ iudicis nomine sibi delegerit. 486.25
Iesu nomen ab æterno Christo fuit impositum, ideóque vocatum est nomen eius Iesus, non inditum. 486.24
Nominis Iesu aptissima definitio. 485.22
Nomen Iesu benefactricem Dei naturam significat. 486.25
Iesus idem est ac Deus seruator super vulnus humani generis benignissimè appositus. 486.21
Nomen istud sua Saluator humilitate comparauit. 344.2
Libenter pro ipso sudores, sanguinem, vitam fudit. 349.6

Christi nomen ante passionem contemnebatur, post passionem honorificatur. 513.9
Christi nomen super omne nomen, quid sit? 480.7.8.9
Christi nomen oleum effusum, eo vnguntur in Reges, & Sacerdotes. 376.2
In nomine Iesu omne genu flectitur, quod maiestatem æquè ac salutem denotet. 448.18

Christi Transfiguratio.

Christi gloria in Thabor manifestata, ita perculit discipulos, vt de vita fuerint periclitati, donec Christus compresserit. 370.18
Christus in Transfiguratione gloriam accipit: in cruce Pater ab ipso. 72.9

Christi passionis suæ desiderium.

Christus passiones suas alacriter, audacterque est aggressus. 451.7
Christus se Gethsemani horto carcerauit, à Iudæis statim prehendendus. ibid.8
Christus per torrentem Cedron in mortem transiens, ceruo ad aquas auidissimè anhelanti componitur. ibid.
Christi sitim ardentissimam calix refrigerans, labores, & passio. ibid.
Christus laboribus, & contumeliis pro nobis perpessis saginatur. 452.9
Christus opprobria sua delicias arbitrabatur, & gaudium appellabat suum. ibid.
Christo dies mortis festiuum, lætissimumque fuit pascha. 75.10
Christus Petrum cruciatus dissuadentem, vt hostem infensissimum repellit. 352.14

Christi Passio.

Christum decebat esse tribulatorum primicerium. 351.12
Christi passio seuera pro vlciscendis peccatis, peccantium audaciæ impingat horrorem. 468.9
Christi passio qualiter in nobis impleatur. 470.5.& 471.6
Christi passionis insigne testimonium pœnitentia nostra. 472.8
Christi in passione pro suo Domino in Iudæorum damnationem coniurata natura, cœlo, & terra eos interdicit lucis negatione, & terræ motibus. 448.20
Christi passionis gloria in illis splendescit, qui gratiarum memores in Redemptoris se totos dedunt obsequium. 471.8
Christus otiosam videtur gessisse suam potestatem, maximè passionis tempore. 366.6
Christi passionem perferentis corpus, peccatricis animæ speculum. 462.9
Christi calix si non bibitur, nihil proficit. 472.10
Christus martyrium honorauit. 350.9
Christus de cruce, & passione sua aliquid nobis reliquit. 354.6
Christo regnum labores detulerunt. 356.2.& aliis.
Christo labores portæ fuerunt ad gloriam. 350.10
Christus sui nominis claritatem summis laboribus acquisiuit. 348.6
Christo ob passionem, & mortem gratulandum. 517.11
Christus non confunditur fratres vocare per ignem, & aquam ad refrigerium admissos, vtpote qui eadem lege suam gloriam obtinuerit. 351.12
Christus cæteros inter cælites penè erubesceret, nisi per labores, vt illi, æquè & ipse sibi gloriam peperisset. 352.13
Christus cur steterit ante Herodem, à quo non erat iudicandus. 297.16
Christus in passione sua folium est, in quo suæ maiestatis, & bonitatis præsentiã Deus exhibet. 502.73
Christus in passione laniatus, sicut flos maiorem sic exhalauit odorem. 512.4.& 513.9
Ante passionem Christi, totus diuinitatis apud homines cultus velut in tenebris delitescebat. 512.5
Christus ante passionem lilium clausum, post passionem lilium tepandum, quia potentiam & claritatem suam ostendit. 511.4
Ante Christi passionem, Domini nomen contemnebatur, post passionem honorificatur. 513.9

Christi spinea corona.

Christi corona spinea gloriosa nostris temporibus visa est. 377.5
Christi spinis plus dæmon pungebatur. 245.10
Christo capite spinis redimito, heu quàm dedecet mẽbrum voluptatibus coronari. 354.5
Spinea Christi corona populum Deo reconciliatum denotat. 515.5

Christi verbera.

Christus quà fideiussor noster verberatur. 461.7
Christus dum verberibus laniatur, tacet, quod ipse sponte perferat. 452.9

Christus baiulans crucem.

Baiulabat Christus crucem cum regia pompa. 452.12
Habitus Christi crucem baiulantis verè magnificus, & regius. ibid.
Christus baiulans crucem non lamentis, sed gratulationibus opportunus. ibid.
Christum crucem suam priùs baiulasse, deinde Simoni baiulandam permisisse, quid significet? 470.4
Christus baiulans crucem candelabrum lucernæ arsuræ, & illuminaturæ ferebat. 445.8

Christus in cruce.

Christus cur delegerit crucem sibi in mortem. 437.adnot.1
Christus ideo crucem morti adlegit, vt talionem ab hominibus exigeret, & qui impiè lignum adorarant, ipsum piè colerent. 441.12
Christus in crucem, vt totius mundi possessionem adsereret, est exaltatus. 447.17
Christus crucem ascendit, vt qui in ligno vincebat, in ligno quoque vinceretur. 458.1
Christus crucem subiit talionem idololatriæ redditurus. 199.3
Christus in crucem sublatus de mundo idololatriam expunxit. 439.7
Christus ex ligno crucis diis gentium ligneis bellum inflixit. 441.12
Christus in cruce omnium virtutum Magister. 475.1
Christus in cruce Patri gloriam confert. 72.9
Christus cruci suffixus odorem Patri, crucifigentes fumum emittebant. 298.19
Christus nos in cruce obtulit Patri perfectas victimas. 471.7
Christi claui diabolum fixere. 463.11
Christum tunc foris inuenit Ecclesia, quando extra portam passus est in cruce. 371.21
Christi diuinitas dum ipse inter latrones crucifixus est, mirificè eluxit. 514.2
Christus in cruce ouem perditam vsque ad Patris solium intulit. 379.10
Christus in cruce in solio excelso, & eleuato sedet. 537.4
Christus in cruce manifestè ostendit, eum se esse qui verè est. 511.4
Ad Christi diuinitatem cognoscendam nihil opportunius, quàm ipsum cruci videre suffixum. ibid.
Non ita gloriosum Dei Filio appendisse cœlos, quàm pependisse in cruce. 515.4
Nunquam Christus gloriosior, quàm in cruce homi

homines faluans. 537.4
Chriftus in cruce à latrone Deus agnitus, quod alios faluaret,feipfum non faluans. ibid.5
Chriftus dum in cruce animam efflabat, velut fuauiffimis epulis reficiebatur. 535.9
Chriftum in cruce maximè reuerentur cœleftes fpiritus,& ad ipfius imitationem accenduntur. 538.9
Crucem ideo Chriftus mortem probrofam elegit, vt gloriam fæculi traduceret. 312.17
Chriftus cruci fuffixus de principe poteftatis aëris huius,id eft,de pōpa & dignitatibus(quæ nil nifi aër) extruxit triumphum. 438.5
Chriftus in crucem fublatus aërem dæmonum halitu contaminatum, fui emiffione fpiritus expurgauit. 438.3.& 448.20
Chriftus lignariam doctus(vtpote fabri filius)mundi machinæ iam iam ruinam minitanti crucem fuam admouit in fulcrum. 437.1
Chriftus vermis in fuam crucem adferpens mundanæ pompofitatis corrofit rigorem. 439.6
Chrifti ad profpectum in cruce pendentis, vniuerfa mundi gloria,qua valuit voce explanxit pœnitentiam. 439.5
Chrifti in cruce gloriam vniuerfa cognouit natura, prodigiifque atteftata eft. 442.2
Chriftus de cruce omnes fuæ lucis radios prodigo iactu diffudit. 443.6
Chriftus clamore valido terram in fui adorationem è cruce compulit. 448.20
Chriftus in cruce ftatim triumphi fui fpolia latroni difpertitus eft. 463.11
Chriftus in cruce omnia ad fe traxit. 444.20
Chriftus in cruce manus expandit,vt omnia fibi traheret,nihilque illum fubterfugeret. ibid.11
Chrifti explicatur dictum, omnia traham ad me. 444.9
Chriftus in cruce manibus extenfus, noftrarum ad bona opera extenfionem expoftulat. 475.1
Chriftus fuffigens cruci noftrorum chirographū peccatorum, illud fubdeleuit. 460.5. & per totam adnot. 5
Chriftus in cruce ror emoriens doloribus rubore fuffundit peccatores. 468.9
Chriftus in cruce derelictum fe exclamat à peccatoribus,fcilicet, ab ipfo,vel vita, vel opinione extraneis. 473.12
Chriftus in cruce talento plumbeo amphoram obftruenti componitur. 463.12
Chriftus in cruce lucerna fuper candelabrum pofita. 443.8
Chriftus dum incarnatur, vt lucerna, crucifixus, vt Sol fplenduit. ibid.
Chriftus in cruce Iridi componitur. 444.10
Chriftus granum frumenti in cruce protritum paratur in cibum. 442.4
Chriftus cur nō in cruce,in Euchariftia verò fe frangi permittat. 413.1
Chriftus renuit de cruce in Regem defcēdere Ifraël, quia in eam afcenderat in Regem orbis. 447.17
Chriftus crucem orbem fibi iam victor dimenfurus afcendit. ibid.

Chrifti Crux. Vide Crux.

Chrifti mors.

Chrifti mors nomine expirationis,emiffionis,aut traditionis fpiritus fcribitur à facris hiftoricis,& cur? 378.6
Chriftus fuam mortem diftulit,ne caufam noftræ falutis occideret. 352.12
Chriftus moriens flos flagrantiffimus nobis viuificandis odorem exhalans. 378.6
Chriftus rubicundus,quia occifus. 397.3
Chrifti morte mortui fufcitantur. 578.6
Chriftus moriens efflauit fpiritum, quem homini in fua creatione infufflauerat. 378.6
Chrifto moriente creaturæ tremunt, & ipfe folus conticefcit. ibid.
Chriftus ante mortem, aliam iam mortem obierat. 230.5
Chriftus quàm auidè mortuus fit. ibid.
Chriftus tam alacer obiit,vt à Iuda, Iudæis, & Pilato fuam mortem expectaret.
Chriftus ea alacritate mortem fufcepit,vt quafi ad guftatum,rem eam Paulus retulerit. 453.15
Chrifti mors cui non fapit, ab illo guftum habet diuerfiffimum,qui nihil fic fapidum, nihil fic iucundum,ac mortem deguftauit. 454.16.
Chriftus cur omni gaudio extorris, & latro hilaris mortem obierit. 462.9
Chriftus cur moriturus aceto fumpto, confummatum eft,proclamarit. 229.adnot.3
Chriftus cur hora nona cum clamore, & lacrymis animam efflauerit. 94.1
Chrifti baptifmus,fua mors. 452.8
Chriftus fuam mortem baptifmum appellat, vtpote in qua nos eramus abluendi. 377.4
Nihil auguftius, ac magnificentius, quàm Chriftum pro hominum falute mori. 514.1
Chriftus quàm fibi gloriofum duceret mortem obire, elata voce moriens teftatus eft. 517.10
Chrifti diuinitatem cum ipfius morte aptè componere maximum fidei decus. 517.9
Chrifti mortem, quod ipfi maximam gloriam effet allatura,dæmon tegere conatus eft. 517.10
Chriftum à morte obeunda Petrus præpoftero amore auocabat,ideo acriùs reprehenditur. 518.12
Chriftus quod Petrum hac de caufa obiurgarit,à Patre Filius chariffimus appellatur. ibid.
Qui Chriftum quà Dei Filium mortem dedecere putat,grauiter errat. ibid.13
Chrifti mors, maieftatis ipfius gloria. ibid.
Chriftum mortis perpeffio coronauit. 351.1
Chriftus ex morte Deus creditus eft. 515.4
Chrifto mortis conditione gentium hæreditas, & fui nominis gloria promiffa eft. 396.1
Chriftus morte fua vitæ noftræ, omniumque actionum noftrarum adquifiuit dominium,ideoque debemur illi. 469.3
Chrifti mors per claritatem eius fignificatur. 297.17
Chriftus mortem fuam exaltationem appellauit. 443.5
Chrifti diuinitas per eius mortem omnibus innotuit. 483.13
Chriftus morte,& cruce confecratus. 279.2
Chriftus liberè mortem oppetiit. 430.2. & 373.4.& aliis.
Chriftus nulla vrgente neceffitate, fed fua tantùm vltronea impellente charitate mortem adiit. 450.3.& feqq.per totam adnot.4
Chrifto voluntariam fuiffe mortem,& tempus paffioni deftinatum, & Euchariftici myfterij inftitutio denotant.451.6.& ex aliis præterea Paffionis circumftantiis probatur.7
Chrifti voluntaria ad mortem oblatio præfigurata in Ionæ ad Cete iactatione, arcæque aurea circumlatione explicatur. 451.4
Chriftum non liberè mortem obiiffe ex illo Pauli,factus obediens vfque ad mortem, arguunt Ariani. Conuincuntur. 431.4
Chriftus nihil facere debuit, nifi quod voluit. 374.4
Chrifto an fuerit impofitum à Patre præceptum moriendi. Variæ opiniones dilucidè tractatæ. 432.8
Chrifto

Christo præceptum de morte obeunda dependenter ab ipsius voluntate impositum est. 374.4
Christo nullum præceptum intimatum, verisimilius est, sed patris insinuationem de oppetenda morte. ibid. *Vide, Christi obedientia.*

Christus sepultus.

Christo moriente, terra tremuit, ipsum in suo receptura sinu. 419.17
Christo expirante terra parturientis doloribus concussa est. 378.7
Christo defuncto vt terra paret sepulchrum, fatiscit, & mouetur. 227.2
Christi ex grano mortuo, & sepulto Christianorum messis orta est. 371.1
Christum tribus diebus, & tribus noctibus in corde terræ fuisse, quomodo constet.

Christi vulnera.

Christi aperturæ camelis, atque quadrigis peruiæ. 419.7
Christus lapis in Ecclesiç structuram vulneribus sculptus. 359.8
Christus cicatrices vulnerum (suæ obedientiæ monimenta) in memoriæ oblectationem reseruauit. 455.3
Christi fontes humiliatio ipsius, & vulnera, è quibus gratiosæ ad iustificandos homines exsiliere vndæ. 467.6
Vulnerum Christi sanguis diuinas perfectiones, quas priùs assequi non poteras, colore perfundit, vt videantur. 508.7

Christi sanguis.

Christi sanguis animæ pretium. 388.1.& seqq.
Christi sanguis effusus pro redemptione animæ, quarum hæc sit pretiosa ostendit. 468.10
Christi sanguis deleuit chirographum decreti nobis aduersantis. 446.15
Christi sanguis nostram emundat conscientiã. 447.16
Christi sanguinis typus erat vnguentum à Magdalena effusum. 381.4
Christus infundens pelui aquam pedes discipulorum loturus, sanguinis effusionem nobis abluendis significat. 377.4
Christi venalis sanguis à nobis per bona opera emendus, ne frustrà Christus fuderit. 469.3
Christi sanguis nostram emundat conscientiam. 446.16
Christi sanguis peccatorum maculas eluit. 403.12
Christi sanguine intingere, vt laueris. 216.9
Christi sanguinis in Oceano, vel maxima longissimæque vitæ peccata abluenda. 467.7
Christi sanguis in ablutionem peccatorum hauritur, non exhauritur: peccata verò in eius sanguine non hauriuntur, seu exhauriuntur. ibid.
Christus sponsæ comam suo cruore splendentem, atque purpuream reddidit. 387.7
Christi mortis dignissima recompensatio hominis salus. 389.4
Christi venalis sanguis à nobis per bona opera emendus, ne frustra ille profuderit. 469.3
Christus à nobis sanguine nostro accepto suum reddidit. 464.14

Christi Resurrectio.

Christus vt granum priùs mortuum fuit, vt multiplicatum reuiuisceret. 371.1
Christus in Resurrectione oleo exultationis in Regem fuit delibutus. 479.3
Christus ab incarnatione exinde Rex omnium creaturarum, sed ex resurrectione mortuorum agnitus est. ibid.
Christus ante passionem filius hominis vocabatur, post resurrectionem verò Filius Dei. 483.14
Christus in resurrectione debitam sibi gloriam amictus est. ibid.15
Christus in resurrectione hominem exutus, diuinitatem induit. 483.15.& 484.16
Christus antè sedit, quàm assurrexerit. 359.8

Christi Ascensio.

Christus, & Elias diuerso modo cœlo inferuntur. 357.2
Christus Leo Iuda, qui è præda, quam mors de illo cepit, ad gloriosissimam gloriæ Patris prædam ascendit. 350.10
Christus vsque ad cœlos ascensione debitam sibi gloriam Patri coæqualem non assumpsit. 490.40
Christum Deo Patri assidentem tota diuinæ naturæ gloria circumtulit. ibid.41
Christum ad dexteram Pater collocauit, vt inurbanas hæreses illius dignitati derogantes detruncaret. 345.6
Christi exaltationem Pater in omnibus curauit. 338.6
Christum ad Patris dexteram esse quid sit? 490.39

Christi triumphus, & exaltatio.

Christus triumphum erexit ex supplicijs. 380.10
Christi de corde hominum triumphus in Ezechielis curru depingitur. 394.7
Christo in cruce triumphanti tota complausit natura. 439.5
Christi ad infamiam impiorum conatus inuidiosè vergentes in ipsius feliciter cessere gloriam. 442.4.& 446.19.& 448.20
Christi omnipotentiæ celsitudo per ipsius mortem manifestata est. 480.5
Christi meritorum obuersor Caluinus, neque propter humilitatem, aut mortem illum tantam promeruisse gloriam impiè asserebat. 479.2
Christus eo ipso, quod mortuus est, dignissimè diuinitatem, & gloriam accepit. 478.2
Christi exaltatio super omne nomen intelligenda est de sola humanitate contra Arianos. 480.6
Christi humanitas, & passione, & morte promeruit, vt cœlestia, terrestria, & vniuersa genu curuarent ipsi tanquam Deo. 482.11
Christus peculiariter passione, & exinanitione sua Dei claritatem, & personæ Filij Dei manifestationem est assecutus. 482.13.& 483.14
Christi exaltatio Patri adscribitur. 484.16
Christi ad genua non terra solùm, sed & cœlum, inferi, & quidquid in eis, illum adoratura poplite flexo obuoluuntur. 487.29
Christi sublimitas, & potentia. ibid.27.& seqq.
Christum vel lapides strepenti dilaudabant clamore, inuido silentio lapidescentibus Iudæis. 489.36
Christus in crucis, mortisque gratiam omnium creaturarum suffragio collocatur in Patris gloria. ibid.37
Christi dominatio Patris gloria.
Christus & Pater æternus reciproco se honore clarificauerunt. 482.13
Christo ea gloria post passionem donata fuit, vt coæqualis Patri manifestaretur. 455.4
Christi exinanitionem summa Deus exaltatione pensauit. 443.5
Christo iudiciaria potestas ob ipsius exinanitionem oblata. 489.35
Christus exaltatus, quia exinanitus. 368.13
Christum propter suam humilitatem videtur Pater quasi supra se euexisse. 344.2
Christus ob suam humilitatem ad dexteram Patris sedit. ibid.
Christus pro humilitatis excessu exaltationis adeptus est celsitudinem. 443.5

Christi exaltationem ipsius promeruit humilitas. 478.1
Christus ipse se humiliauit,& exaltauit. 484.16
Christus humilitate Filius Dei probatur, & innotescit. 328.3
Christus gloriam,& honorem non nisi à Patre voluit accipere. 341.6
Christum captantes capti sunt. 274.4.& seqq.
Christum in gloria Patris esse quid sit? 493.48
Christum ad dextram Patris sedere, est simul cum ipso regnare. 494.50
Christus iuxta plures PP. quà Deus ad dexteram Patris sedet. ibid.
Christus iuxta alios Patres, quà homo ad dexteram Patris sedere dicitur. ibid.
Christum ad dexteram Patris sedere, eius imperium, & Ecclesiæ gubernationem, necnon iudiciariā potestatem peculiariter ipsi à Patre collatam propriè significare videtur. 496.56.& seqq.
Christum ad dexteram Patris sedere non denotat aliquid, cuius respectu maior Patre dici possit. 498.59
Christum prędestinatum fuisse Filium Dei in virtute, quid sit? 495.54
Christus in die iudicij maiorem potestatem, quàm Pater non habebit,sed exteriùs præseferet.497.57
Superexaltatio Christi eius humiliationi per omnia æqualis. 507.1.& 2
Christus id vocabat tempus suum, cùm post labores gloria sequebatur. 504.4
Opportuno,& maturo tempore, & corporis gloriam, & sui nominis exaltationem Christus accepit.503.1.& seq.
Christi gloria post eius passionem, & mortem longè latéque collucet. ibid.2
Exaltationis Christi mensura, & norma, ipsius crux fuit. 507.2

Christi imperium.

Christo imperium ex passionis tempore paratum. 356.1
Ante incarnationem Dei Filius externum diuinitatis honorem quasi ambire videbatur; ideo in albis apparebat:in Passione sceptrum assecutus purpura induitur. 511.3
Christus per obedientiam regnum obtinuit. ibid.
Christi confessio coram Pilato, de qua Paulus, regnum suum non esse de hoc mundo. 375.9
Christi potentiam,&maiestatem eius clamor in cruce arguit. 200.7
Christi regnum florentissimum, vtpote bene fundatum. 360.1
Christus cur potiùs dicatur regnare in domo Iacob, quàm Israël 349.8
Christus cur potiùs dicatur sedem Dauid, quàm Salomonis thronum occupasse. ibid.
Christum totius mundi Regem prædicabat titulus cruci appensus. 448.18
Christum dici Dominum quid significet? 494.52.& seqq.

Christi sanctitas.

Christi impeccabilitas. 397.adnot.7
Christus excelsior cœlis factus vitæ sanctimonia, & puritate. 398.4
Christus candidus,quia innocens. 397.3
Christi innocentiam in cruce clamor arguit. 200.7
Christum tētationibus infestare formidabat dæmon. 271.4
Christus omni peccato actuali, & originali imperuius. 397.4
Christus ab omni peccati labe immunis, talem sibi matrem elegit, 398.5
Christi munditíes maxima à peccato, Virginis matris arguit ab omni peccati labe immunitatem. ibid.
Christus nullam cognationem habuit cum re peccati sordibus maculata. ibid.
Christus non habuit carnem peccati, sed similitudinem carnis peccati. 397.3
Christus intus cādidissimus,in cute denigratus.397.2
Christus arca testamenti ex lignis corruptioni non obnoxiis compactus. 399.6

Christi beatitudo.

Christo post labores suauior quodammodo, quàm antea beatitudo. 504.3

Virtutes.

Christi humilitas.

Christi humilitati eius exaltatio respondet. 507.2
Christi humilitas nostra erectio. 379.10
Christi incarnati humilitas maximum amoris incentiuum. 393.5
Christum mouet ad lotionem pedum discipulorum sua propria excellentia.7.2.& seqq.ad exinanitionem etiam,& summam humilitatem. 8.5
Christi humilitas. 327.adnot.1
Christi altissima humilitas. 429.1
Christi humilitas nostram vrget gratitudinem.430.1
Christi summa humilitas formam serui assumpsisse, qui erat in maiestate gloriæ, & forma Dei. 336.4
Christus ideo mortem crucis sibi delegit inter latrones,vt eiusdem sortis cum illis æstimaretur.430.1
Christi cogitatio humilitas. 353.4
Christi omnia adfectui nostro pelliciendo aptissima, & maximè humilitas. 444.9
Christi humilitas signum certum,à quo nostram licet diuinare beatitudinem. 330.8
Christi humilitas in lotione pedum signum euidens charitatis immensæ. 13.3
Christus miraculosè disparuit turbis eum in Regem eligere volentibus. 340.4
Christus nullo se modo ad Pontificis munus obtinēdum commendauit. 341.5. neque id muneris sibi cùm posset vindicauit. ibid.
Christus cur tam lene responsum dederit dæmoni orbis dominium sibi arroganti. 341.7
Christus alienum iudicauit de gloria, & honore, nec cum ipso dæmone contendere. ibid.
Christi non est ad primas sedes ambitiosos admittere. 342.10
Christus superbos respuit, amplectitur humiles. 293.3

Christi paupertas.

Christi paupertas nostrum patrimonium est. 377.3
Christus verè Rex, qui sua paupertate nos ditauit. 256.7
Christo domicilium incertum, vestitus incultus, ingl orius aspectus, ministerium sordidum, potestas, & sæculare regnum nullum. 339.1
Christo vniuersale rerum dominium debebatur, quo tamen ipse se abdicauit. 275.8

Christi obedientia.

Christus ne inuidiam suis miraculis lacesseret,summi Parentis prætexebat obedientiam. 210.4
Christus vt se missum à Patre declararet,eius nomen periphrasi exposuit. ibid.
Christus cur non dixit, mea opera oportet facere,sed eius qui misit me. ibid.
Christi ex obedientia non colligitur eius in obsequendo necessitas. 431.4
Christus in obsequium Patris festinus, voluntatem oculis potiùs,quàm auribus hausit. 435 16
Christi obedientia supremum ipsi contulit honorem. 479.1
Christi obedientia. 454.adnot.1.per totam.

Christo iuxtà fuit obedire,& viuere,neque ante vitam habuit respirationemve,quàm obedientiam. ibid.
Christus Patris imperium in medio corde habuit,in omne vitalis operationis exercitium. ibid.
Christus vtrumque vitæ suæ terminum clausit obedientia. ibid.
Christus exsanguis in cruce miraculosè vocem moriturus,vel sic obediens,animauit. 455.2
Christi obedientia etiam vltra mortem ipsius exsiluit in diem vsque iudicij. ibid.3
Christi tota sublimitas, & gloria maiestatis in paternæ voluntatis obsequio velut base fundatur. ibid.
In Christo Pater requieuit ob expeditam ipsius ad exequendum promptitudinem. 455.5
Christus obediens,capreæ, hinnuloque comparatur, quod hic velocissimè percurrat, illa acutissimè videat. ibid.
Christi obedientia in exequenda Patris voluntate omnem insinuationem actione præueniebat. 456.5
Christus quodcumque Patris, vel leuissimum præceptum,non secus ac omnium maximum audiebat. 456.6
Christus ex prima mundi genesi Patris se obedientiæ sacrauit. ibid.7
Christi vehemens ad obediendum desiderium expenditur. 457.10
Quomodo Christus fuerit obediens Patri vsque ad mortem variæ sententiæ. 430.2.3.& 4. *Vide,mors Christi.*
Christus Patri in obeunda pro nobis morte,secundum Græcos Patres,amicorum more obediuit. 431.4
Secundum eosdem Christus non habuit ad mortem præceptum à Patre,sed solùm consensum,siue permissionem. ibid.
Christus ex sententia Latinorum Patrum, licèt non quà Deus, quà tamen homo strictè fuit Patri obediens,habuitque ad mortem præceptum. 431.5
Medius inter vtrosque tertiam affert sententiam Anselmus. 432.6
Adducitur àd Scholasticos calculos hæc obedientia,& proponitur difficultas ex oppositione libertatis Christi, adeóque & meriti, ex præcepto Patris, & impeccabilitate Christi. 432.7
Sententia Patris Vazquez componens Christi libertatem cum Patris præcepto, quoad circumstantias actus,aut finis,siue intensionis,non quoad substantiam mortis. 432.8
Alia sententia verbis solùm ab illa diuersa, quæ in téporis circumstantias Christi redigit libertatem.ibid.
Impugnatur tum auctoritate, tum ratione,& ostenditur non magis Christum in hac opinione gaudere libertate,quoad substantiam actus, quàm in prima. 433.9.10.11.12.13.14.

Christi patientia.

Christus vicit labores sustinendo,& mortem moriendo. 354.4
Christus suffixus cruci similis æneo serpenti, vt quasi æs efficaciores voces sua patientia ederet. 195.2
Christus in labores, & mortem interritus faciem firmabat. 270.1
Christus cœli negotiator pro pretiosissima laborum margarita immensas suas diuitias impendit. 279.3
Christus apud Caïphã in maxillam percussus,alteram percutienti non obuertit, ne primò inuitus sustinuisse videatur. 452.10
Christus vinum myrrhatum noluit gustare, ne consopiretur dolorum sensio. 453.13
Christo nihil æquè felleum in passione,ac laborum mitigatio. ibid.
Christus auido haustu spongiam atripuit plenam aceto, quò acriùs dolores sentiret, mortemque prolataret. 453.14
Christi voluntatis maxima ostentatio ipsius in iniuriis silentium. 452.9
Christi capilli cur nigri? 387.7

Christi beneficentia.

Christi celeritas in nobis iuuandis. 388.10
Christi tanta fuit in homines beneficentia, vt Iudæis scandalum,gentibus stultitia fuerit. 378.8
Christus plus tribuit, quàm rogatur. 380.2
Christum gratis possumus habere. 381.4
Christus pauperes ad cœnam inuitat, eos,scilicet, beneficiis afficit, qui nequeunt vicem rependere. 382.5
Christo infensissimus fuit inclementissimus ille proditor, dum vendere voluit eum, qui se tam profusè donabat nobis. 381.4
Christus in homines effusus est. 389.3
Christus beneficia collaturus obseruat Solis occasum. 315.6
Christus tantum homini contulit, quantum Deo detraxit. 371.21
Christus sua bona nostris cum malis commutauit. 377.5
Christus sua ad nos bona transtulit. ibid.
Christus ad benefaciendum adeò propensus, vt tempus benefaciendi, hora prandij illi esse videatur. 535.9
Christi cibus salus hominum. 527.25
Christus Patris,qui Deus est saluos faciendi,& ad hominum salutem indesinenter anhelat, viua imago. 532.1.& seqq.
Christum optimi Patris filium esse, ostendunt verba, quibus sermonem beatitudinum initiauit. 529.4
Christus lacrymatus,quod Lazarum solum,& non potiùs omnes mortuos ad vitam reuocaret. 535.10
Præ Christi ad benefaciendum propensione, & siti, omnes gentes quasi stilla situlæ. ibid.
Ipsamet Christi ira benefica,& salutaris. 536.12
Causa mortis Christi diuinitas eius fuit, qua ad opem miseris ferendam certo quodam modo tenebatur. 358.7
Christus ex benignitate, & salute quam hominibus attulit, verus Deus agnoscitur. 537.5
Christi vita Solis cursui, qui summè beneficus est,simillima. 534.7
Christus sollicitior in saluando,quàm dæmon in perdendo. ibid.
Christus pro hominum salute totas noctes in oratione collocabat. 534.8
Christi eadem delectatio, ac Patris in reditu peccatoris. 535.9
Christo vt Deo maximè dignum, hominum salutem tota voce iactare. 529.5
Christus vt hominibus opẽ ferret,libentissimè euiscerabatur. ibid.6
Christus potestatem ad benefaciendum omnino referebat. ibid.
Christus cùm opus habuit punitiuam vim ostendere, non homini,sed ficulneæ pœnam inflixit. 523.4
Arguuntur falsitatis duo illi testes,quod dixerint Christum potentiam suam ad destructionem iactasse. 392.3
Christus cùm benefacit de industria se Regem appellat,non verò cùm punit. 134.12

Attributa.

Christus Redemptor.

Christus è fœdis pulcherrimos nos reddidit. 385.2
Christi redemptio cur potiùs diligendi, quàm amandi verbo in sacris significetur. 389.2
Christi redemptio copiosa omnem de peccatoribus expungit desperationem. 467.8

Christi redemptio Paulina explicatione dilucidatur 466.4
Christi redemptio asseruit nos in libertatem. 467.6
Christus disruptus decreti chirographum disrupit. 461.10
Christi passibilis quæuis actio iustissimum Deo placando sacrificium erat. 375.7
Christus nostra debita plenè exsoluit. 468.8
Christus nostræ culpæ pœnam in se transtulit. 460.5
Christi meritis peccata nostra omnino remittuntur,& ab anima eradicantur. 465.4
Christi cur tam affluenti redemptione pauci solùm æternæ damnationi redimantur. 469.1
Christi redemptionis efficacia nostris operibus perficitur. 469.2
Christus ea tantùm peccata expianda suscepit,quæ ab hominibus cum pœnitentia abluenda sunt oblata. 472.10.
Christus internum animi dolorem,quod impœnitentium peccata non epotaret,clamore magno moriturus expressit. ibid.
Christi redemptioni qui obluctantur, flagitiosissimi. 473.12.
Christi redemptionis laus eximia eius bonus vsus, abusus verò contumelia. 474.15
Christi passio, & genus mortis acerbissimum necessarium omnino fuit ad nostram redemptionem legitimè promerendam. 445.13
Christi aliæ passiones,si mortem crucis non oppetiisset,redemptionem nostram iure donationis meruissent,non tamen emptitio. 446.15
Christo non gratis nostra peccata sunt condonata;sed pro illorum pœna satisfacienti strictissimè iustitiæ diuinæ 458.per totam adnotationem.5. & 462.10
Christus sic exactè pro nobis Patri persoluit, vt & in ipsis Christi vestibus interpellatio fieret. 461.7
Christus totum redemptionis beneficium adscripsit Patri.345.4.& seqq
Christus sponraneè, atque adeò cupidissimè in nostram redemptionem properauit. 449.1
Christus Iudæ dicens,quod facis,fac citiùs,omnia momenta sibi esse longissima ad nostram redemptionem perficiendam ostendit. 450.2
Christus omnia nostra peccata præsentissima habuit. 462.8
Christi maxima gloria, ipsiusque regni illustrissimus splendor peccatores redempti. 469.11
Christi totum penes homines dedecus sacramentum est humanæ salutis. 371.21
Christo Redemptoris munus adeò est gloriosum, vt illud sibi Lucifer vsurpare gestierit, vt similis altissimo euaderet. 538.8
Christo Redemptoris munus Lucifer omnibus modis eripere tentauit. ibid.

Christus mediator,& fideiussor.

Christus mediator dicitur,quia ex æquo ad omnes expositus. 84.9
Christi facies nobis est clypeus diuini furoris tela excutiens. 467.8
Christus hominum protector,& ad Patrem mediator. 464.1.& seqq.
Christus peccatoribus scutum. 465.2
Christus,& nostram voluntatem, & Dei sententiam flexit. 320.7
Christus noster fideiussor. 460.4
Christum quàm exactor seuerus Pater æternus compulerit nostri debiti fideiussionem adimplere.461.7
Christus quidquid nos debebamus exsoluit. 461.8
Christi fideiussionem non adimplentes illum faciunt mendacem. 471.7

Christus pacis Auctor.

Christus suorum fidelium vnitatem quæsiuit. 293.8
Christi passio non nisi concordibus est pretium.295.10
Christus vniendi munus, non diuidendi suscepit. 297.15
Christi sanguis Christianorum coagulum. 297.17
Christus mortuus est, vt nos essemus coniunctiores. ibid.
Christi venter sancti vniti. ibidem.18
Christi quies locus pacis. 298.18
Christus in mansuetis caput inclinat. 298.19
Christus pacem deprecans à Patre, vel hoc ipso Deus demonstratur à Paulo. 28.18

Christi mansuetudo, & clementia.

Christus etiam erga sibi molestos lenissimum se exhibebat. 393.5
Christi summa lenitas. 392.3
Christum se offendentes non lædere, summa ipsius bonitas. 389.3
Christi gladius non cruentans,sed demulcens. 393.5
Christus in propitiatorio desiderabilior. 395.10
Christus sindone sua peccatores inuoluit. 468.10
Christi spiritus lenissimus punire nesciùs,totus in beneficia præceps. 487.26
Christus nihilo alio nostros animos in sui charitatem, & adorationem, quàm humanitate,benignitateque traxit. ibid.27
Christus chritatis timore repletus. 115.4

Christi amor in Deum.

Christus omnia quæ gessit ad gloriam retulit Patris. 344.3. & seqq.
Christus vt quæ Patris, sic & quæ Spiritus sancti erãt, considerabat. 346.10
Christus semper negotium Patris agebat. 340.2
Christus quidquid gratum Patri agnouit,libentissimè fuit executus. 455.4

Christi amor in homines.

Christus magis nos,quàm seipsum amauit. 323.8
Christus suorum magis quàm suam defensionem curat. 380.2
Christi paterna in seruos suauitas. 22.8.& 9
Christi summa vis, & potentia erga homines charitas. 393.6
Christi in nos amor gloriam duxit pati pro nobis. 71.9
Christus amoris igne in aquam nobis abluendis stillatus est. 378.6
Christo quanti commoda nostra steterint. 348.6
Christus vel ob vnum tantùm passionibus,& morti se subiecisset. 45.1
Christi amor in suos similis animæ, quæ tota est, & in singulis partibus corporis,& in toto. ibid.7
Christus si vnus ex multis vocatis non sit electus, alij pauci sunt ardenti eius charitati. 45.5
Christus se suis vestimentis exuit, quibus nos indueret. 386.6
Christus homines capturus hominem dissimulauit. 392.4
Christus se contraxit, vt cum homine componeretur. 386.5
Christus nobis vita omnibus modis factus est. 385.1
Christus de suo iure charitati cedit. 324.11
Christus iustitiæ Sol radios tegebat, vt Ioannes Lucifer luceret. 323.6
Christus dæmones ipsum Dei filium restantes comprimit, ne Pharisæi vehementiùs accenderentur. 323.8
Christus nostra mala,vt ignis ceram,in se consumpsit. 377.4
Christus pedum discipulorum immunditias in se suscepit, vt illis suæ naturæ consortium donaret. ibid. 4.5

Christus

Christus in vno tabernaculo cum suis degit. 84.5.6
Christus nobiscum permutat affectus. 223.2
Christus cum calicem recusabat, non suā mortem, sed Iudæorum peccatum volebat impediri. 305.4.
Christus inter diuites & pauperes non discernit. 84.8
Christus extra portam passus est, angusta quippe illius charitati fuerat Ierusalem, licèt spatiosissima. 447.17
Christus nobis verus, & solus amicus, qui solo & salo diuinæ iræ fluctibus mergendos tutatus est. 465.2
Christus in nostram salutem oculatus totus. 464.1
Christi exemplo in proximorum salutem nos compellit Paulus. 348.6
Christus se subducit vitæ discrimini non necessario, at ob aliorum bonum vrgenti alacer sese obiicit. 256.7
Christus nos melle, se verò felle cibauit. 371.22
Christus peccatores, quàm longissimè potest, sequitur. 445.13
Christus proximus semper est, vt ferat opem. 361.3
Christus summè coniunctus cùm suis fidelibus. 32.1. & seqq.
Christus in suis patitur. ibid. 2.3
Christus in omnibus patitur, ideoque est omnium egentissimus. 45.8
Christus in suis vexatur. 307.9
Christum insequebatur Saulus Christianos persequens. ibid.
Christo sanguineum sudorem nostri compassio expressit. 305.4
Christi summa charitas charitate pensanda. 475.2
Christus solus omnem nostrum occupet adfectum. 228.7
Christo nihil præponendum, quia nec quidquam ille nobis præposuit. 47.10
Christus efficacissimum electrum corda hominum sibi admouens. 394.7
Christi post aduentum corda hominum priùs conglaciata, amoris illius calore soluta sunt. 393.5
Christus disponit nobis regnum, vt ipsi Pater disposuit. 351.11. & 355.7
Christus nos vt indulgentissima mater & portat in sinu, & in viscera condit, vt protegat. 779
Christus Pastor pro vna oue deserens vniuersas, ouem vnam æquè ac vniuersum gregem charam esse sibi ostendit. 45.4
Christus est exauditus à Patre, quia pro aliis orabat. 325.15
Christus nunquam cessauit ab operibus nostræ salutis, vt æmulorum inuidiam à se auerteret. 210.4
Christus cur opera sua in nostram salutem edita necessitatis velo prætexuerit. ibid.
Christus humano generi ostium, fons, radix, & Sol. 278.2
Christus nos portat vt auriga, portat vt currus. 258.10.
Christus voluit per omnia fratribus assimilari. 373.3
Christus non ob Passionem iam iam instantem, sed ob imminentia persecutoribus suis supplicia contristatus est. 535.10
Christus in cruce pacis author. 440.9
Christus manibus expansis cruci suffigitur, vt Hebræos, & gentes adsociaret, & inter se amicaret. ibid.
Christus perinde æstimat homines inter se conciliare, ac ad semetipsum trahere. ibid.
Christo eo sumus vel magis, vel minus proximi, quo inter nos plus minusve fuerimus vniti. ibid.
Christum detruncat, quisquis pacem concordiamque discindit. ibid. 11
Christi corpus in cruce infractum Ecclesiæ denotat vnitatem. ibid.
Christus in cruce Orphei citharæ ad se cuncta trahenti comparatur. 444.9

Christus hominibus propositus in exemplar.

Christus coram omnibus præscriptus est, vt in vnoquoque nostrûm depingatur. 354.6
Christus nostris vestigiis descendit ad mortem, vt nos suis reuocaret ad vitam. 378.6
Christus humilitatis, & aliarum virtutum caput, & initium. 387.6
Christus in cruce inglorius gloriosam sui imitationem promeritus, opum dignitatúmque contemptum sapientes edocuit. 439.7
Christi qui charitatem eximiam non sequuntur, rei sunt sanguinis illius. 474.15
Christo per bona opera, & adhæremus, & adglutinamur. 116.7
Christus dum dignitates fugiebat, non sibi, sed nobis à sæculi gloria timebat. 341.5
Christum venisse quid prodest, nisi imitemur? 354.6
Christi ab imitatione deflectere Christiano turpissimum. 332.11
Christi vestigia non premens alto somno correptus est. ibid.
Christi vestigia qui premit, securè ac firmiter sua imprimit. ibid. 13
Christus lucerna est se sequentium. 353.3
Christi imitatio nostræ prædestinationis argumentum. ibid. 6
Christi lætitia Christianorum imitatio. 470.5
Christi imitatio purpurata via in regalis throni deuehit gloriam. ibid.
Christo dignè viuere Christianorum character. 473.11
Christum scit imitari, qui scit se deprimere. 329.7
Christi virtutes imitandæ. 326.1
Christi post aduentum, superbientis Adæ gestans imaginem damnabilis. 330.9
Christo humiliato intolerabile est hominem efferri. 331.10
Christi odor nobis spirat. 376.2
Christi passionibus adæquari gloriosissimum. 331.10
Christi labores primum præscriptum ad quod pueri Christiani discant. 354.6
Christi aspectus intuentium se rapit adfectum. 394.8
Christi testamentum in carne ipsam abnegantes portamus. 355.7
Christum non curant homines quærere, quem tamen desiderant inuenire. 353.1
Christus viuit in eo qui sibi non viuit. 226. adnot. 2
Christus mors corporis, via spiritus. 251.6
Christo aditum in nobis per mortificationem patefacimus. ibid. 8
Christo charitate adglutinamur. 475.2
Christus non solùm aliquali corporis parte, sed & corpore, & spiritu toto diligendus. 477.7.8
Christo nihil debemus, si totum nostrum amorem ipsi impendimus, nihil enim deest vbi totum est. 478.10
Christus ad nostrum exemplum sæpe fleuit, nunquam risit. 354.1

Christus sponsus.

Christus Patrem reliquit, vt vxori adhæreret. 386.4
Christi cum anima desponsationis typus. 388.9
Christus animam in sponsam ducens sacras connubij leges obseruauit. 386.4
Christus de se texuit sponsæ pulcherrimum diadema. 388.10
Christus maxillam secundæ alapæ non præbuit, vt partam illa pulchritudinē spōsæ suæ relinqueret. 280.5

Christus

Christus manibus in cruce expansis ad sponsæ amplexus, illam ad sui amorem illexit. 475.2
Christus Ecclesiam suam interminatè dilexit. 477.6
Christus verbera, spinas, & alia instrumenta doloris velut amantissimæ sponsæ munera suscepit. 452.11

Christus medicus.

Christus in hominum medicinam se velut oleum effudit. 406.3
Christus medicus. 18.14.& 485.21.& 22
Christus sanat quos alij non possunt. 221.13
Christus factus est pretiosum vnguentum in nostram medicinam, & delicias. 376.2
Christus ad modum optimi medici ex sanitate aliis allata voluit agnosci. 537.5

Christus agnus.

Christus agnus, cuius sanguine redempti sumus, & vellere cooperti. 386.6
Christi de vellere nobis est facta vestis immortalitatis. 399.6
Christus agnus Dei effectus pro nobis hædus, suo nos corio aduersus Dei minas in nos grandinantes scutauit. 465.3

Christus iudex.

Ad saluandum, & præmia largienda promptissimus. 132.2
Iudicij diem nuptialem vocat, quod præmia suis sit redditurus. ibid.
Ex aduocato nostro, noster factus iudex magnum spei nostræ addit robur. 133.9
Reluctante ingenio supplicia decernit. ibid. & seqq.

Alia de Christo.

Christus Sacerdos non secundum ordinem Aaron, sed Melchisedech. 359.8
Christi os cum gladio acuto componitur. 593.5
Christo vnde hædina pellis manusque pilosæ. 397.2
Christus amiantho lapidi, & amarantho flori similis. ibid. 4
Christus cur in lapide primario significetur. 406.3
Christus cum Matre vrbanissimè se gessit. 346.11
Christus Ecclesiarum fide saturatur. 526.1
Christus mortis pignus. 237.3.
Christus cur exorta tempestate dormierit. 211.6
Christus à Pharisæis Ioannisque discipulis liuoris insidiis appetitus. ibid. 8
Christus cur dicatur Sol Iustitiæ, non misericordiæ. 103.6
Christus discipulos cur binos ad prædicandum miserit. 213.3
Christi confessio nullis verborum ambagibus obtegenda. 198.1
Christi fidem exitiabilem superstitionem impiè vocat Cornelius Tacitus. ibid.
In nomine Christi petere quid sit. 33.8
Christus cur simul comparetur virgulto, & radici. 9.8
Christi vincula quasi ligamenta vulnerum. 17.9. & seqq.
Christi vincula quasi rami vites salicibus vincientes. 18.14
Christum induti idem sunt, vtpote idem vestimentum habentes. 264.5
Christus lacrymatur quod Lazarum esset vitæ redditurus. 239.11
Christi meritis tribulationum donum accipimus. 278.3
Christus capreæ assimilatur, quæ auribus respirat. 454. adnot. 1.1
Christus Dauid suum proauum retulit. 349.8
Christi non est demerentes ad munera euehere. 359.8
Christus in sui vicarij electione plus ad merita, quàm ad alios titulos aduertit. 359.9
Christus vt seruet iustitiam distributiuam. 85.11
Christum Iudæi credidere, non recepere; è contrà gentes, quem non nouere receperunt æternum retenturæ. 448.19
Christus non solum magister veri, sed etiam testis. 328.3
Christus nunquam absque necessitate miracula edebat. 503.1

Christianus.

Christiani expeditum morti genus. 229.2
Christianos abdicatione voluptatum ad mortem erudiri putabant Ethnici; & quidem meritò. ibid.
Christianorum omnia communia. 265.8
Christianis nec minimam vitij labē inesse debere. 111. adnot. 2.
Christiani vita ascensus purpureus est. 112.2
Christiani mores concinnè compositi sint, omnibusque numeris absoluti. ibid. 3
Christianis nec iota vnum, aut vnus apex in legis diuinæ obseruatione præterire debet. ibid. 4
Christiani pupilla sunt oculi, nihil peccati pulueris in se patientes. ibid. 5
Christianus nullum peccatum pro minimo reputet. 113.6
Christiani crucem Christi, eiusque disciplinam liberè, & absque pudore profiteantur. 199.3
Christiani vita manca est sine charitate. 292.1
Christiani rixantes Christi viscera disrumpunt. 298.19
Christianus non tam Ecclesiæ membrum, quàm commembrum appellandus. 303.6
Christianorum funera lacrymis prosequi penè sacrilegium est. 251.1
Christianus, cui Christi crux non innotuit, amandatur ad bestias. 286.3
Christianos vel ipsa laborum cogitatio armat. 354.4

Ciuis, ciuilitas.

Ciuis quisque conciuium commodis prospiciat. 289.2
Ciuis assertor singulari corona donabatur à Romanis. 307.10
Ciuilitatis non est se aliis præferre. 346.9

Clementia.

Clementia Principum corona est. 515.4. & 6. *Vide verbo Princeps, Prælatus.*

Cælum, cæleste.

Cœlo inhiandum vt proprio domicilio. 253.6
Cœlum sese vltrò nobis offert. 255.2
Cœlum superbia demolita est, humilitas instaurauit. 11.20
Cœlorum ianuæ ex vnionibus fabrefactæ. 294.6
Cœlum fit iustus suarum virtutum sydera cælans. 314.3
Cœlestia bona circuli peripheria, centro sæcularia figurantur.
Cœlum non conceditur dormienti. 352. adnot. 4
Cœli porta terribilis, & non nisi magnis bellatoribus ineunda. 353.2
In cœlum hæreditarium nobis ius est. 355.7
Cœli mutuæ portæ. 382.7

Color.

Candidi coloris laus. 403.12

Columba.

Columbæ forma cur Eua non seducatur, sed serpentis. 411.15

Commodum.

Commodis propriis prospiciens semper in aliis offensionem excitat. 319.3
Commoda aliorum consideranda, non propria. 318.2
Commodum proprium cuique, frater, parentes, & Deus est. 319.3

Commodis

Commodis aliorum diligentiùs, quam propriis insudandum. 320.5
Commoda si quisque ad se rapiat, omnis humana consociatio dissoluitur. 320.8
Pro suis commodis certare, priuatæ domus est, de alienis tamen regia laus est. 321.1
Commodis suis etiam cum incommodo aliorum consulitur. 324.12
Commoda dum quisque ad se attrahit, tenuis efficitur respublica, & vacua. 325.13
Commodis propriis consulens periclitatur. 325.15
Sua solùm commoda spectare stultitiæ, & imbecillitatis est. 346.9
Commodis aliorum cum detrimento proprio exemplo Christi consulendum. 373.3
Sua commoda aliorum detrimentis augentes spoliant, quem Christus tot expensis locupletauit.

Concionator.

Vide Prædicator.

Concionator adulans, aut carens libertate Euangelica, turbat limpidissimam Euangelij aquam. 168.2
Concionator liberè non monens, pollutus labiis est. ibid.3
Concionatoris facies esse debet adamantina & silicina, ad suas iniurias patiens, ad diuinas excandescens. 169.6
Concionator debet esset sicut sal iniectus in ignem, & aquam fortis, & mollis. 15.2
Concionator ne ita se gerat, vt ad Dei causas despiciatur. 169.9
Concionator opera potùs, quàm verba exhibeat. 103.5.6.7.& 104.8.9.
Conciónatores non timendo, se ipsos; non erubescendo Euangelium commendant. 198.2

Concors, concordia.

Concordes animat Spiritus sanctus .301.1. & 302.5
Concordia non solùm voluntatum, sed & doctrinæ monetur ab Apostolo. 262.3
Concordiam trium diuinarum personarũ non minùs facere Deum vnum dixit Nazianzenus, quàm ipsam substantiæ identitatem. 263.2
Concordiæ imago Onyx. 265.9
Concordiam fidelium summi Sacerdotis malogranata adumbrabant. 268.9
Concordia impiorum, vt iustum expugnent. 211.8
Concordia, & concinnitate rerum bonitas, & pulchritudo augetur. 306.7
Concordiam cæterarum creaturarum homines imitentur. ibid.
Summa concordia ibi, vbi demissionis studium. 308.1
Concordiam iugulat ambitio. ibid.
Concordia delicata res est. 323.9
Concordiæ gloria miraculis maior. 345.8

Concupiscentia.

Concupiscentiæ amore diligentes, dilectos comburunt, eorumque famam denigrant. 80.14
Concupiscentiæ dediti porcis comparantur. 391.9

Conformitas.

Conformitas cum diuina voluntate suadetur. 223. adnot.1

Confusio.

Confusio parit negationem. 198.1

Coniunx.

Coniugum animæ potissimum amandæ, & corporibus præferendæ. 79.9
Ex coniugibus disparibus seruire solet inferior. 385.3

Consensio.

Consensio morum voluptatem generat. 291.4

Contemptus.

Contemptus terrenorum optima ad mortem dispositio. 229. adnot.3
Contemptus diuitiarum, summæ diuitiæ sunt. 330.8

Contentio.

Contentiones imbecilli animi, mentisque parum firmæ signa sunt. 309.1
Contentiones desinunt in discordias. 308.2. vbi alia plura.
Contentionis studium à viris spiritualibus alienissimum. ibid.3
Contentiones in disputationibus dedecent virum grauem. ibid.
Contentionibus cedens, se, & suum sensum probabiliorem facit. ibid.
Contentiones multa contra conscientiam extorquent. ibid.
Conténtio puerilis animi vitium est. 309.4
Contentionis genitrix inanis gloria. 309.7
In contentionibus cedens magnanimus est. ibid.4
A leuioribus contentionibus ad grauiora prouehimur. ibid.5
Contentiones inter Doctores pacem non interpellantes probantur. ibid.6
Contentiones, vt potiores partes aliis deferamus, Christus sacrauit. 323.6
Contentiones de dignitatibus summopere cauendæ. 341.7

Contumelia.

Contumeliæ etiam per iocum dictæ acriter impingũt. 309.5
Aliorum contumeliis malè vim suam potestas experitur. 395.11

Consilium.

Consilia vana non accipienda. 340.4
Consilium malum consultori pessimum. 275.7

Conscientia.

Conscientia cauteriata quid sit apud Paulum. 384.13
Conscientia recti nobiscum clamet, vt à Deo exaudiamur. 295.9
In conscientia, non in fama fructus boni operis reponendus. 310.9
Conscientia melius virtutis theatrum. 319.7

Conuicia.

Conuicia etiam inter iocandum periculosa. 309.5

Conuersatio.

Conuersatio, non caro deponenda. 330.9

Corona.

Coronam Reipublicæ plures auferunt, vt sibi imponant. 325.13
Corona promittitur, sed aspera. 332.12.

Cor.

Nisi cor Deum spectat, non potest Deum suum dicere. 357.3
Cor nostrum duas curas non patitur. 40.9
Corde capitur Deus. 41.12
Cor aliquando accipitur pro memoria. 65.3
Aliquando pro intellectu. ibid.3
Cor hominis, galli fungitur officio illum excitantis. 457.6. & 8
Cor nostrum in Deum inclinet, à se ipso decliner. 227.5
Cor plurimorum ex iustis potiùs Deo carcer, quàm domicilium est. 229.10

Corpus.

Corpus mortis quid apud Paulum? 237.2
Corpus graue animæ onus. 237.4
Totum corpus humanum aures optimè dicitur, quod totum paratum esse debeat obsequio diuino. 12.6

Corporis parte dolente, condoleant reliquæ necesse est. 306.8

Correctio.

Correctio tunc opportunè fit, cum sequitur statim pœnitentia,& remissio. 395.12
Non correctio cuiusdam solùm, aut aliquorum, sed omnium Prælato procuranda est. 307.11

Creatio, creatura.

Creationis titulus seruitutem perfectam exigit. 12.5
Creationis,& redemptionis discrimen. 376.1
Creaturas non nisi in Deo,siue propter Deum diligẽdas.77. adnot. 1
In creaturis Deus sui impressit imaginem, vt per illas ad ipsum tenderemus. 79.6
Creaturis quasi speculis ad Dei cognoscendam pulchritudinem,& amandam vtendum. ibid.7
Creaturæ ante septimum diem suæ conditionis perfectionem non fuerunt assecutæ. 306.7
Creaturæ cur non omnes simul conditæ. 323.7
Creaturæ ad Christi mortem tremefactæ, ipse verò conticescit.

Crimen.

Crimina aliorum,quamdiù ad eorum emendationem non est opus,è nostra memoria penitus eradenda. 319.3

Crux.
Vide Christus.

Crux Christi quàm gloriosa. 70.2
Crux Christi non solùm totius honoris culmen est,sed etiam mercedis, & gratitudinis infinitæ testimonium. 71.7
Crux Christi ideò inter duas latronum media, quia media via est egregia,& quia si illam fugias,in alias cruces incidas necesse est. 75.11
Crucis signo cur in fronte baptizandi inunguntur. 199.3
Crucis signum Christianorum frontes exornat. ibid.
Crucis nota in fronte exprimitur,vt idololatriæ impudentia aboleatur. ibid.
Crucis mortem Christus subiit talionem idololatriæ redditurus. ibid.
Crux cupiditatum insectatio est. 228.9
Crucem propter inanem gloriam portantes Christum non sequuntur. 310.7
Crux Christi non nisi ab humili portatur. 311.11
Crux in nostram salutem Christi mortem peperit. 378.7
Crucis lignum portauit Christus,quod in sceptrum sibi conuerteret potestatis. 379.10
Crucis mors omnium turpissima acerbissimaque. 435.17.
Cruciatus, à Cruce. ibid.
Crux etiam asperitatem pronuntiatione denotat. 435.16.
Crucis mors,destinata seruis pœna. 436.20
Crux bilanx,in qua hominis anima,& Dei vita appensa sunt. 388.1
Seruile supplicium antonomasticè pro crucis supplicio. 436.20
Nocentissimi in crucem adigebantur. ibid.
Quando fuerit sublatus crucis vsus à iudiciis. 537.21
Crucis laudes. ibid.442.4
Eam exhorrent dæmones. ibid.
Crux terram cœlum effecit, hominesque Angelos. ibid.
Crux olim omnis infamiæ matrix,ingens nunc superbit principatiæ potestatis corona. 437.21
Christi aduentu crucis signo omnia idololatriæ euanuere phantasmata. ibid.
Mortem crucis cur sibi delegerit Christus.637.adnot. 1
Crux Christi cœli firmamentum,totumque mundum sustentat. ibid.
Fulcrum est subruenti mundo admotum. ibid. Item scala à Christo in cœlum euntibus fabrefacta. 438.2
Quatuor Christi crucis partes, & earum explicatio, scilicet,latitudo,longitudo,sublimitas,profundum. 440.8
Omnes spes nostræ cruci sunt affixæ. ibid.
Nullam aliam Paulus arbitratus est gloriam, nisi crucis ignominiam. ibid.
Crux Christi, pacis inter Deum hominesque auctrix. ibid. 9
Vtrumque populum,Iudæum, & Gentilem dissidentem amicauit. ibid.
Crux Christi non modò Angelos, hominesque consociauit inter se,at verò & vnum idemq; eos effecit. ibid. 10.
Lignum crucis lignaria gentium disturbauit numina. 441.12
Crucis ignominia suprema Christi gloria. ibid.
Crux Christo triumphum attulit illustrissimum. ibid.1
Christi doctrinæ claritudinem subministrauit. 442.4
Crux Christi copiosissimos reddidit fructus ibid.
Crux Christi exaltatio ipsius appellatur. 443.5.
Crucis humilitas,Christi gloriam, quantam quantam, strictè promeruit. ibid.
Crux Christi arx tutissima, vnde eminenter securus hostium profligauit phalanges. 444.9
Crux erecta in vexillum, quò cuncti confluxere Christi Sacramento adstringendi. 445.5
Christi crux quatuor mundi partes complectitur. 445.12
Crucis efficacia omnia Christus ad se attrahit. ibid.
Crux Christi expedit nobis ad æterna iter gaudia. 446.15
Splendor Ecclesiæ cruci Christi refertur acceptus. ibid. 16.
Crux, Christi thronus in quo in orbis terrarum Dominum iuratus est. 447.17
Crux Christi,mundi ara. ibid.
Crux Christi,mensura, qua totum sibi mundum commensus est. ibid.
Species quadrata Crucis orbem totum complectitur. ibid.
Crux non modò regnum Israëliticum Christo,sed totius mundi contulit. ibid.
Crux Christi,Iudæorum sublusit conatus. ibid. 18
Crux,Christi trophæum. 448.18.
Item triumphus de triplici imperio, cœlesti,terrestri, & inferno. ibid.20
Cunctam Christi gloriam, exaltationemque altissima crucis peperit ignominia. 449.21
Regia Christi pompa Crux. 452.12
Plus nobis Crucis lignum attulit, quàm Paradisi abstulit. 458.1
Paradisi lignum mortem nobis in escam protulit,Crucis tamen lignum panem,carnem Christi in cibum. 459.1
Crux lignum vitæ. ibid.
Peccata nostra cruci affixa sunt. 461.6
Crux Christi statera, in qua nostra peccata sunt appensa. 462.10
In Cruce,calamitatibus Christi,nostrisque iniquitatibus, hinc inde æqua lance libratis, calamitatibus Christus inclinato capite pondus addidit. ibid.
Cruci Christus visibiliter, diabolus verò cum Principatibus suis inuisibiliter suffixus est. 463.11
Crux

Crux Christi summis digna laudationibus, quod in ea rescisso peccatorum chirographo veniam nobis promeruerit. 466.4
Accubitus Christi Crux. 464.1
Crux Christi velamentum peccatorum. ibid
Crucis Christi baiulationem imitantes, æternæ salutis portum apprehendemus. 470.4
Crux Christi nobis in omni necessitate adeunda. ibid.
Crux Christi cathedra cunctarum virtutum. 475.1
Crux Christo meruit Principatum orbis. 479.2
Crux Christi signum vitæ æternæ. 444.9
Per Crucem manifestatur, quid Christus à Patre cùm generaretur accepit. 493.47
Crux Christi firmam æternæ vitæ spem hominibus præbet. 503.2
Crux Christi ideò hæreticis contumeliosa, quia magnitudinem gloriæ eius non callent. 504.3

Cum.

Particula, *cùm*, apud Paulum aliquando idem significat, ac *licèt*. 348.6

Cupiditas, Cupidus.

Cupiditates exitu carentes, ipsæ se strangulant. 299.4
Cupiditas gloriæ vitium fidei inimicum. 310.10
Bona opera reddit cassa. 311.11
Cupiditates charitatis vinculum disrumpunt. 324.11
Sæpè cupiditates, quæ non sentiuntur obrutæ, sublatent tamen. 343.11
Cupidi medium terræ volunt incolere. 322.4

Curia.

Curiam qui frequentant, ambitiosi sunt. 341.10

Cutis.

In cute nitidi, Deo sordidi. 356.9

D

Dæmon.

DÆmon, mundus, & caro res suas clanculum agunt. 200.9
Dæmon ne deprehendatur, sub luce maligna sese ostendit. ibid.
Dæmon in sacra Scriptura appellatur homo. 204.3
Dæmones cur in sepulchris, quàm in Principum Palatiis habitare maluerint? 209.6
Dæmon cur zizania seminauerit, quæ sciebat secum in ignem æternum fore detrahenda? 209.6
Dæmonis imperium durissimum in suos. 22.10
Dæmonis cæcitas, & fastus. 346.9
Dæmon acriter pungitur spinis Christi. 245.10
Dæmon se suo in nos morsu vulnerat. 346.11
Dæmonem pax Christianorum impugnat. 267.5
Dæmon fugit animosos, timidos aggreditur. 271.4
Dęmon Myrmicoleon, pauidis Leo, formica impauidis. 272.6
Dæmonum legioni vnus homo exarmatus negotium facessit, quid armatus? ibid.
Cum dæmone fustibus agendum potiùs quàm telis. ibid.
Dæmon hominem lædens Deo exosus. 277.13
Dæmon nostras nos animas æstimare docet. 111.13.
Dæmonis peccatum, Christi Domini adorationem recusasse. 284.6
Dæmon opportuniora tempora nobis tentandis obseruat. 219.6
Dæmoni nec breuissimus locus concedendus. 309.5
Dæmoni initiis solùm opus est. ibid.
Dæmon nihil excelsum in Christo inueniebat, adeò cæcutit. 346.9
Vt de dæmone gloriosos triumphos reportemus, vires nobis suppetunt per Christum. 332.12
Dæmon homines in altum extollit, vt inde præcipitet. 362.5
Dæmon homines, vt captiua mancipia vilissimo precio æstimat. 389.3
Dæmonem, si sapimus, in nostri adorationem cogamus, nam possumus meritò. 350.7
Dæmoni cur non fuerit permissum columbæ speciem induere, Euam decepturo? 411.15
Dæmon suaues homini fructus spondet, crudosque postea, & acerbos exhibet. 505.7

Damascus.

Damascus Syriæ caput. 410.12

Dan.

Tribus Dan cur expungatur, quando reliquæ tribus ad æternam beatitudinem electæ recensentur. 365.14

Dare.

Dare simpliciter, & affluenter iubemur. 382.5.& 6
Qui dat, dandi causas non attendat. ibid.

Dauid.

Dauid sæpius ab Aulicis Saülis artibus inuidiæ appetitus. 211.9.& 212.11
Dauid vt inuidiam declinaret, stultitiam simulauit. ibid.
Dauid pugnans cum Gigante typus Christiani populi, cum sæculi huius dynastis decertantis. 268.10
Dauid cum Leonibus ludens quid indicet? 272.9
Dauid in licitis, ac necessariis cautissimus, quia in illicitis fuerit incautus. 123.14
Dauidis in maioribus periculis spes. 217.1.& seq.
Dauidis æquanimitas. 226.9
Dauid cur Absalonem puerum ante necem, & filium post appellarit?
Dauid viam depressam potiùs, quàm elatam elegit. 328.5
Dauidem in quibus Dominus expresserit. 349.8
Dauid peccatum non statim, ac commissum correctum est. 396.13
Dauid currit, vt ceruus ad Deum fortem. 39.1
Dauid culpa irretitus, Deum non audet appellare suum. ibid.

Debora.

Debora Rebeccæ nutrix, quid innuat? 243.3

Debitum.

Ex debito charitatis semper restat. 301.8
Debitum solutione soluitur. ibid.

Decretum.

Decretum quid? 459.2

Delatio.

Delatio occulta, & clandestina detractionis fines ingreditur. 204.3

Demetrius.

Demetrij Philosophi magnus in contemnendis diuitiis animus. 200.8

Desideria.

Qui desiderium claudit, cum Ioue de felicitate contendit. 19.17
Desideria quàm magnum, vel paruum faciunt. 343.12
Desideria nostra ad Deum non nostris meritis, sed eius liberalitate metienda. 381.3

Deus.

Dei esse, nomen, & vnitas.

Nomen Dei tetragrammaton Iehoua, propriè significat

ficat eum, qui est, & esse aliquid facit. 485. 20
Deus tunc dicitur suum habere esse, cùm nobis prodest. ibid.
Dei natura, quæ ad benefaciendum propensissima, per nomen Iesu explicatur. ibid. 21
Dei natura benefacere. 492. 45
Dei forma dicitur eius essentia. 335. 5
Deus nomen Domini in Patris nomen mutauit, & cur. 332. 5
Deus Optimus à munificentia, Maximus à potentia nuncupatur. 378. 8. Vide Iehoua.
Dei vnitatem non vult Christus apud homines iacturam facere. 340. 2
Dei summa gloria personarum vnitas, & concordia. 345. 8
Dei Patris potentia ad generandum Filium non tam omnipotentia, quàm vnipotentia dicitur. 491. 43.
Dei magnitudinem minuit, qui eam se nosse præsumit. 521. 6
Qui eam se ignorare fatetur, exaltat. ibid.

Dei sapientia.

Deus sapientis nomine impensiùs, quàm aliis delectatur. 96. 1
Tunc Deus visus est sapientiæ possessionem inire, cum per ipsam, mundi fabricam est aggressus. 101. 2
Dei sapientia, & potentia in desperatis rebus elucet. 220. 9

Dei bonitas.

Dei naturam nihil magis ostendit, quàm bonitas. 34. 1
Dei essentia, bonitas. ibid. Eius substantia, dulcedo. 35. 5.
Deus sponte benefaciens Soli, diei, fonti, rori similis. 34. 1. & 2
Obliuisci non potest quin misereatur. ibid. 2
Ipse se ad benefacenidum prouocat. 35. 3. 36. 8
Ab æterno ipsi competit benemereri, & beneficum esse. 35. 3
Deus diues in misericordia. ibid. 6
Deus benefaciens, respirare, & viuere dicitur. 36. 10
Deus non potest non esse bonus. ibid.
Exanimatur nisi benefaciat. ibid.
Vt parturiens cupit eniti fœtum, sic ipse misericordiam suam effundere. 35. 7
Deus requiescit, cum benefacit. ibid.
Dei proprium benefacere, alienum ab eo punire. 134. 13. & 14
Dei vis benefica, & salutaris. 36. 12
Deo facere, idem est ac benefacere. 135. 15
In benefaciendo maximam percipit voluptatem. 37. 15
Anhelat, vt misereatur. ibid. 13
Etsi nos mali simus, ipse nobis bonus est. ibid.
De nostra pœnitentia, & salute sic gaudet, vt æstu accensus, & fatigatus, vmbra, & requie. ibid. 14
Dei cibus, salus nostra. ibid.
Deus non tam potentia, quàm bonitate condidit creaturas. 495. 45
Æquè à Deo sui incommunicatio, ac latrocinium distat. 416. 8
In Christo, & eius passione summa Dei natura, & bonitas ad benefaciendum prona, innotescit hominibus. 501. 71
Maximum diuinæ bonitatis signum, filium sibi per omnia similem genuisse. 502. 75
Dei bonitas maximè elucet, dum inimicos diligit. 518. 13
Deus aliter ac terreni reges pro suis mortem subire paratus. ibid. 14
Dei natura tam remota ab aliena iniuria, quàm à sua. 533. 4
Deo dignissimum hominum salutem tota voce iactare. 529. 4
Deus solium suum in Sole, hoc est, in beneficentia constituit. 537. 3
Dei maiestas, & potentia in benefaciendo, non in puniendo censetur. ibid.
Deus nostra bona, sua computat. 132. 3. & 4
Itidem nostra mala. ibid. 5. & seq.

Dei prouidentia.

Dei prouidentiam videtur tollere, qui in rectè factis humanos fauores aucupatur. 316. 8
Dei prouidentia vbi consiliis, actionibusque humanis non commilitat, desinunt infeliciter.
Deus omnia vehit dum gubernat. 257. 9

Deus hominum amans.

Deus Pater noster est, quia nos fratres Christi, eius filij, si tamen germani. 46. adnot. 1. per totam.
Pater Deus, etiam quando nos non filij. 34. 10
Quod Ionæ æstuanti hedera, salus nostra Deo. 37. 14
Deus iam diu hominibus seruire de more habet. 8. 3. & seq.
Deus nos vt indulgentissima mater, & portat in gremio, & in viscera condit, vt protegat. 77. 9
Deus pusillum se fecit, vt hominem maximum faceret. 371. 21
Diuinitatis sagitta humanitate condita, summam vim habuit ad hominum corda capienda. 391. 4
Deus austerum se gerens paucis erat notus, plurimis, cùm humanum se præbuit. ibid.
Deus homo factus pulchrior visus est hominibus. 394. 9. & 395. 10
Deus Pater vt suum erga nos amorem ostenderet, Dominum mutauit in Patrem, eligens potiùs charitate, quàm potentia regnare. 332. 5
Deus non per se ipsum creare homines voluit, sed alios ex aliis gigni, vt experientia amorem paternum, quem erga nos habet, cognosceremus. 33. 6
Quare Deus salutem nostram ante omnem æternitatem promittat. 49. 3
Cibus, & deliciæ Dei nostra salus. 41. 14
Deus qua ratione faciat omnia propter se, & propter nostram salutem. 35. 8. & 36. 9
Deus factus est homo, vt homines deificaret. 379. 9
Deus super affectum filiorum nos diligit. 389. 5
Deus suppliciis olim hominum corda congelabat, ex Incarnatione soluit amore. 393. 5
Deus olim hominum amans, post Incarnationem, & ipse amatur. 394. 8
Dei amor erga homines, quos sibi agglutinat. 385. 2
Quæ Deo indigna, nobis sunt necessaria. 371. 21
Deus in sua erga nos dilectione quiescit. 16. 7
Quod Deus hominem creauerit, ad ipsum post lapsum redimendum incitatur. 518. 13

Dei misericordia.

Deus Pater misericordiarum, non vltionum. 35. 6
Deus Mater misericordiarum. ibid. 7
Proles Dei, miseratio. ibid.
Dei misericordia primum hominem eiecit è paradiso. 234. 3. & 238. 6
Dei misericordia improbos è medio tollens. 241. 16
Dei misericordia innotescit in improbis sustinendis. 281. 7
Dei misericordia delicatè nos tractat, dum suum de nobis iudicium in nostra potestate ponit. 296. 12
Deus post peccatum hominis, pro illo pœnitentiam agere decreuit. 395. 12

Deus

Deus imagini suæ non potest non misereri. 305.2
Deus inhiat,& anhelat,vt nobis misereatur. 295.10
Christi passione misericordia Dei elucescit. 501.71

Deus auxilians.

Deus tunc maximè nobis propitius adest cum humana subsidia desunt. 216.9
Deus auxiliator tempestiuus. 219.6
Nisi Deus adsistat auxiliator, quæuis præsidia infirma sunt. 360.2
Deus in opportunitatibus auxilium fert, ingratis denegat. 407.6

Dei beneficentia.

Summa Dei gloria hominibus benefacere. 501.71
Facilitas Dei in benefaciendo ex Solis, & luminis similitudine ostenditur. 34.1
Propensio Dei in benefaciendum ostenditur ex Spiritu sancto in donum nobis dato. 35.4
Deus nobiscum esse non potest,quin nobis benefaciat. 486.23
Deus est Pater ob beneficentiam. 34.1. per totam adnot.
Dei vita,aliis tribuere. 36.10.11.12.& 37.13
Templum Dauid vocat voluptatem Domini, quia in templo benefacit Deus. ibid.15
Deus ob beneficentiam Optimus, ob potestatem Maximus,sed prius Optimus,deinde Maximus cognominatur. 37.8.8
Deus ob beneficentiam, vt magnus hominibus innotescit. 511.3
Dei beneficentia parcâ non est, mensuram nescit. 380.1. & 2
Deo molestissimum est se à benefaciendo continere. 382.7
Dei est benefacere. 378.8.& 416.8
Dei potentia nobis benefaciendo excubat. 37.15
Dei nomen beneficæ potentiæ est, Regiæ, Domini. 413.2

Dei in benefaciendo æqualitas.

Deus dicitur singulorum pars, & hæreditas, quia ita singulis datur,quasi non alteri detur. 43.4
Dicitur ter repetito nomine Deus Abraham, Isaac, & Iacob, quia ita erat vniuscuiusque ac si solius, ibid.5
Idem monstrat diuisio vestium Christi, & indiuisio tunicæ, Eucharisticaque institutio. ibid.6

Dei liberalitas.

Modum diuina beneficia non nouerunt. 380.1.& 2
Deus mensura peressluente nos cumulat beneficiis. ibid.
Deus liberalis erga hominem,non prodigus. 388.1.& aliis.
Dei dona preces,& vota excedunt. 380.2
Deus in arca testamenti suæ liberalitatis symbola inclusit. 413.1
Desideria nostra ad Deum non nostris meritis,sed eius liberalitate metienda. 381.3
Deus nobis liberalitate innotescit. 413.2

Deus puniens.

Deus puniens abuti sua potentia dicitur, quòd hæc tota ad benefaciendum sit. 134.15
Deus ingenio reluctante punit. ibid.11
Supplicium Deus cunctatur,quia Pater.34.10.& 186. & seqq.
Deus dum filios cruciat, & mactat, matris fungitur officio. 74.7.& 8
Deus cædit in medelam,torquet in requiem,vrit in refrigerium,perdit in salutem. 245.10
Deus puniendi artem penè non nouit, documento illi sunt suorum persecutores. 275.8.& seq.
Deus mala in suos intorta, retundit in intorquentes. 273.adnot.2

Deus suas iniurias dissimulans,suorum haud impunitas relinquit. 376.10.& 277.12
Dei iudicium in nostra potestate est. 196.12
Deus stateram,qua bonum, & malum librent,singulis hominibus dedit. 110.11
Iustè à Deo talione punitur durus erga fratres suos. 295.9
Deus inuitus ad puniendum trahitur à peccatis oppugnatus, & expugnatus. 135.18.& 537.3

Nostra cognitio, & amor erga Deum.

Deitatis notitiam vt nobis infunderet,venit Christus. 332.12
Dei cognitio constanter ingerenda. 199.2
Deus extra terrenam concretionem ab homine inuenitur. 227.2
Dei nutum in omnibus sequamur. 230.5
Deus toto corde,mente,& anima diligendus. 39.1.2. 3.8.& 9.& 229.11
Deus nos quærit, non nostra. 41.10.& seqq.
Deum is iure suum appellat,qui graui culpæ non subiacet. 39.1.& 2
Deus proprius hominis scopus. 40.5
Deus ad extinguendam sitim nostram fortis. 39.4
Deum vocare suum,non nisi vnicè,& toto affectu eum diligentibus conuenit. 47.1.& seq.
A Deo sperandus ipse Deus, quod quidem paucorum est. ibid. 8
Regnum Dei quod petimus oratione Dominica, est integrè Deum nostram mentem possidere. ibid.9
Aliud est nos Deo adglutinari, aliud Deum nobis. 476.4
Dei beneficia omnibus communiter collata,fidelis seruus sibi vti præstita reputat. 42.1.& seqq.

Cætera de Deo.

Dei mos in filiis suis educandis. 88.3
Deus ad æmulationem prouocatur, vel à musca. 117.11.
Deus solicitus agricola,arans,stirpans. 246.14
Deus sacrificaturo reconciliationem cum inimico imperat,renuit enim cum inimicis amicari. 263.2
Deus superbos dedignatur. 293.3
Deus Pater intuitiua imaginis filij cognitione ipsum producit. 492.44
Quidquid à Deo datur,sanctificatur. 361.4
Deus agebat ex æquo cum homine,vt homo ageret ex æquo cum Deo. 371.21
Dei substantia dulcedo. 411.2
Deus ipse animæ pretium. 388.1. & seq.

Dij.

Dij gentium panis hordeaceus. 416.8
Deorum inanium mortes,& casus inanissimi sunt; at nostri Dei aduentu quid fructuosius? 378.8
Dij gentium,voluptatesque nostram sitim extinguere nequeunt. 39.4
Vnde Ethnici ansam ad plures sibi Deos confingendos arripuerint? 43.6
Cuius quis amore tenetur,is Deus illi est. 39.1
Qui vitiis seruiunt, idololatræ dicuntur à Sancto Bernardo. 40.6

Dextera.

Dextera honoratiorem locum, siue sedem denotat. 496.56 & 497.58
Ad dexteram sedebunt omnes electi in regno cœlorum, nemo ad sinistram. 499.64
A dextris Christi Ecclesia adstans non ipsi Christo, sed Synagogæ præfertur. ibid.

Dies.

Dies humanus in Scriptura humanam felicitatem designat. 206.11

Dies obitus natalitio antefertur. 239.10.
Dies veritatem aperit. 189.11

Difficultas.

Difficultates vt vincas, erecto animo aggredere. 272. & seqq.
Difficultates initio non superatæ, in dies crebrescunt. ibid.
Difficultates lusus sunt magnanimo 277.13.

Dignitas.

Vide Magistratus, Munus.

Ad dignitates mala introductio per fœminas. 360.11
Dignitates dare cùm non suum esse dixit Christus, non sibi potestatem, sed meritum discipulis deesse asseruit. 359.8
Dignitatum obtentio multis bonæ fortunæ, non meritis tribuitur. 360.9
Dignitatum competitores tot sunt, vt se inuicem angustent, & impediant. 333.13
Dignitates adscititiæ animum inflant, insitæ, & naturales modestæ sunt. 339.7
Dignitatum declinandarum formam dedit nobis Christus. ibid.1
Dignitatum, & fastigiorum cupidi, Luciferi insistunt vestigiis. 341.6
Renuentes dignitates, in eas sunt admittendi, & compellendi. 342.8
Dignitatibus inhiantes, illis non donantur à Christo. ibid.10
Dignitatum tecti candidati sunt adulatores, etsi nihil rogent. ibid.
Dignitates sine meritis qui aufert, fur est. 356.9
Dignitatibus non subitò, sed paulatim homines fiunt apti. 357.4. & 358.6
Ad dignitates admittendi aurei sint, sed aurum in manibus ne ostentent. ibid.5
Dignitates meritis sociatæ gemmæ auro insertæ. ibid.6
Multi volunt in ipsa cruce plus habere dignitatis, quàm supplicij. 310.7
Dignitates meritis radicatæ florescent semper. 360.1
Dignitates, equi sunt indomiti superbos à se in præcipitium excutientes. ibid.2
Dignitates merentibus suaues sunt, immerétibus acerbissimæ. 361.3
In sublime dignitatum dæmon homines agit, & inde præcipites. 362.5
Dignitatum pretia reddunt, qui non emerunt. 362.7
Ad dignitates vanitate erecti, vt fumus deficient. 363.9
Infelix qui ligneus cùm sit, dignitatum summis ponderibus se submittit. 364.12
Dignitatibus inepti in alto vertiginant. ibid.
Dignitatum sine meritis felicitas fragilis, & caduca est. ibid.13.
Dignitates te maiores ne quære. 361.3
Ad dignitates Deus per gradus euehit, secus dæmon. 362.5
Dignitates sine meritis tam pingues sunt, vt protinus sint eliquandæ. 363.9
Dignitatum Colossi malè intus librati ruunt. ibid.10
Dignitatibus supra merita se immiscens, cœlesti beatitudini longum vale dicat. 365.14
Dignitatibus se sublimes agentes, ruent. 361.2
Dignitates, qui suis sumptibus comparant, suis sibi sumptibus exitium apparant. 361.4
Ad dignitates quibus gradibus ascendendum. 362.5
Magnis dignitatibus meritis pusillus superpositus omnino ridendus. 363.5
Dignior persona in Scriptura solet postremò nominari, & honoris causa, & qua ratione. 71.6
Dignitates pro meritorum proportione sunt distribuendæ. 507.1. & seqq.
Dignitates Ecclesiasticæ pro singulorum meritis dandæ. ibid.3
Ad dignitates per gradus ascendendum, nauticæ artis exemplo probatur. 508.4
Nihil inæqualius quàm æquales dignitates inter inæquales distribuere. 509.9
Summas dignitates transcendendo medias imis continuare odiosum. 508.4
Dignitates quæ meritorum proportione inspecta non dantur, otiosæ, & absque possessore censentur. 508.5
Dignitatum ordinata distributio sapientiam, & iustitiam Dei maximè commendat. ibid.
Ad altiores dignitates aliorum ope absque meritis conscendere, miserum. ibid.6
Luminarium exemplo dignioribus maiores dignitates tribuendæ. ibid.
Qui ad dignitatum apicem subitò euolat, fragili felicitate prouehitur. 508.4
Dignitatum sedes inordinatè locatæ, infirmæ. 509.11
Dignates & sedes pro meritis tribuere, iustitiæ opus. 508.5
Dignioribus prætermissis, minus idoneos ad dignitates promouere, rubori Principibus & electoribus esse debet. 509.8
Ne æqualis dignitatis præmio tam tyrones, quàm veteranos milites Christus afficeret, latroni paradisum, non regnum promisit. 509.10
Is modus eligendi ad dignitates, qui sagenæ missæ in mare ex omni genere piscium congreganti similis est, reprehenditur. 509.9
Reprehenditur Petrus, quod in Thabor Moysi ac Eliæ æqualem ac Christo Domino honorem deferret. ibid.

Dilectio.

Vide amor.

Dilectio lynceos habet ad dignoscendum amatum oculos. 456.8
Dilectio mutua fidelium digna ob quam Christus carnem susciperet. 266.3
Dilectioni fidelium inter se militant miracula, & Eucharistia. ibid.4
Mutuam Christianorum dilectionem stupent Ethnici. 367.7
Dilectio Christianorum, ipsorum robur. 268.8
Dilectio mutua diras hostium imprecationes auertit. ibid.
Dilectio mutua fidelium Paulo erat præmium pro omnibus aliis. 290.4
Dilectio proximi summa est Christianæ disciplinæ. 292.1
Dilectio mutua, fidelium vita. 293.3
Sine dilectionis sale insipidè nostra opera condiuntur. ibid.
Dilectio fratrum regium diadema, Christi discipulorum insigne. 294.6
Dilectione proximorum Deo pro magnis debitis persoluimus. 296.11
Dilectionis obligatio ipsa obligatione non tollitur. 301.8
Dilectio Spiritum sanctum reddit fœcundum. 302.3
Dilectio proximi adoptionem filiorum Dei nobis obtinet. 303.8
Hominum est diuisio, filiorum Dei dilectio. 304.9
Diligere debemus alios vel solo hominis nomine. 307.10
Dilectio proximorum, omnium præceptorum recapitulatio. 296.13

Omne

Omne bonum facere docet. ibid. 14
Dilectio multum roboratur, cùm se homines mutuis honoribus præueniunt. 313.19
Se diligere quis prohibetur, non alios. 319.3
Christianæ dilectionis nouitas mandat vnumquemque cæteros amare præ se. 323.8
Non solùm diligere, sed & diligi præcipimur. ibid. 9
Dilectio proximi sal est, quo se quis illius causa constringit. 324.10
Per dilectionem sic se quis proximo aptet, vt nulla sit opus dolatione. ibid. 11.
Diligere alios sicut Christus dilexit nos, in nouo Testamento iubemur. 348.6

Disciplina.

Disciplina Christiana tum scientia, tum sanctitate constat. 94. adnot. 3

Discordia, Discordes.

Discordia fidelium suspectam Ethnicis reddebat religionem. 266.3
Ex discordiis fidelium magnam iacturam facit religio. 268.11
Discordes hostium præda. 269.11. & 12
Discordiæ Christianorum Ecclesiæ morbi. 293.5
Discordia nequit ad cœlum peruenire. 294.5.6
Qui à fratre discordat, Deum pacatum habere nequit. 295.9
Dissidiis inter nos Deum ad odium prouocamus. 296.12
Discordes nec Ecclesiæ, nec Christo fidem habent. 298.19
Discordes membra Ecclesiæ dilacerant, & totum corpus distrahunt. ibid.
Discordiæ molestissimus Deo fumus. ibid.
Vbi discordia, nullum diuinitatis indicium. 302.4
Dissensiones assiduæ mare sanguinis terras effecerunt. 308.11
Discordiæ solent ab altercationibus dimanare. ibid. 2
Discordantium Iudex esse recusat Christus, contra quos est testis. 297.15
Discordia opinionum dum non sit animorum, efficit suauem concentum. 309.6

Diuitiæ, Diuites.

Diuites non suum, sed alienum panem sumunt in cibum. 321.1
Diuitibus exhibita dona plerumque depereunt. 83.1
Diuitum mœror non omnia possidere. 321.1
Diuites præpostero sensu non quærunt quæ sua sunt, sed quæ aliorum. ibid.
Diuitibus noli esse vicinus. ibid.
Diuitiis plures ob inanem gloriam renuntiant. 309.7.
Diuites insatiabiles sunt. 321.1.
Diuites Rempublicam depauperant. 325.13
Ditari velle non possunt sine inuerecundia Christiani. 326.3
Diuitiæ in pios vsus expensæ Christi sanguinis æmulæ. 383.10
Ditiori quæ nubit, etsi beatè, seruiet tamen. 385.3

Disputatio.

In disputationibus se aliis submittant, maximè qui statum humilitatis profitentur. 308.31
Disputationum contentiones indignæ sunt viro graui. ibid.
Nemo se in illis patitur vinci, licèt sciat vera, quæ audit. ibid.

Doctor, Doctrina.

Doctrina Christiana non clanculùm, sed palàm diuulganda. 199.2
In doctrina ne velis videri reliquos antecellens. 334.3
Doctoris vita actione, & sermone insignita debet esse. 94.1

Dolor.

Dolor suppressus, fit acerbior. 299.4
Quod sit inter dolorem, & motum discrimen. ibid.
Dolorem proximorum miseriis non adhibentes stupentia naturæ membra sunt. 307.9
Dolor magna pars ingenij. 285.9
Delicati sunt qui sine dolore educantur. ibid. 1
Dolores ne decidant Christiano inopinati. 286.3

Dominus, Dominari.

Domini nomen tam apud prophanos, quàm sacros scriptores diuinitatem significat. 29. 26. & seqq.
Domini nomen refugêre Augustus, & Tiberius. 30. 26
Domini nomen an diuinitatem significet, ex circunstantiis pensandum. 31.31
Dominandi libido Catholico non congruit. 326.2
Dominis friuola promittentibus gnauè obsecundatur, & æternum præmianti, aut punienti ignauè. 332.11
A dominandi libidine pauci sunt liberi. 341.6

Donare, Dona.

Vide beneficia.

Dona largè, & sine retributionis spe conferenda. 380. adnot. 2
Non solùm ad dona largienda potentia necessaria est, sed & adpetenda. 381.3
Ab eo, quem donis pascis, omnia impetraueris. 384.11
Ex donis plures quæstum faciunt. 381.5
Honestiùs, & tutiùs res possidentur, cùm donantur. 383.10
Dona amata nescit liberalitas. 381.5
Donis acceptis manus quæ plenæ, iniquitatibus quoque sunt. 383.11
Dona Prælatos excæcant. 384.12
Dona sancti Prælati respuunt. ibid. 13
Dona non admittere, alterius sæculi res. ibid.

Dormire.

Dormit profundè, qui Christum non subsequitur. 332.11.

Dos.

Dos fœminarum plusquàm cætera viros percellit. 360.11.
Sine dote quæ diuiti nupsit, suam illi vendidit libertatem. 389.31

E

Ecclesia.

Ecclesia ita dicitur sancta, vt si nullus in ea esset iustus, non eo nomine appellaretur, eodem sensu; ac dicitur à Patribus. 5.21
Non solum triumphans, sed militans Ecclesia dicitur à Paulo immaculata, & sancta. 6.24
Ecclesia persecutionibus crescit. 165.1. & seq.
Ecclesia ante martyria puella fuit; martyriis mater effecta est. ibid. 2
Ecclesia ideo Martyribus crescit, quia illis excisis, adhuc pullulat radix Christus maiori vbertate. ibid. & seqq.
Ecclesia vt bona mater filiis suis peccantibus plorat, vt mortuis. 89.5
Ecclesia suorum discordiis summè angustiatur. 298.19
Ecclesiæ caput qui se constitui patitur, non est perfectum Christi membrum. 341.6
Ecclesia persecutionibus purgatur. 353.2
Ecclesiæ decor ex Christi dedecore. 357.3

Multum ei Christus fidit, cui Ecclesiæ tradit administrationem. ibid 4

Ecclesia à nouitiis non regenda est. ibid.

Ecclesiam, quæ Christi tunica est, plus sortiuntur multi, quam ob merita, eius regimen obtinent. 359.9

Ecclesia suos alere non posset, nisi Christus se illi tradidisset in cibum. 35.4

Ecclesia tunc foris Christum inuenit, & deosculata est, cùm ipse extra portam est passus. 371.21

Ecclesia columna, & firmamentum veritatis in sepulchro Rachel typicè fundata. 253.8

Ecclesiæ typus vnus ille, qui acetum Domino cruci suffixo propinauit. 263.3

Ecclesia tot, tamque diuersos homines vnum efficit. 264.6

Ecclesiæ ædificium à fidelium concordia firmum, pulchrumque. 266.4

Ecclesiæ persecutores seipsos lacerant. 274.3

Ecclesia ab hæreticibus quoque profecit. 285.9

Ecclesiam malè vexant fidelium dissensiones. 293.4

Ecclesiam in cœlum conuertit fidelium vnitas. ibid.

Ecclesia multum amisit de pristinis ornamentis. 294.7

Ecclesiæ bona quam dignè in pauperum vsus expenduntur. 383.10

Ecclesiæ corporis animus est Spiritus sanctus. 301.1

Ecclesiæ vita charitas. 302.2

Ecclesiæ membra non nisi vnita capiunt incrementum. 302.5

Ecclesia laboribus, & cædibus collecta. 355.3

Immaculata Ecclesia pulchritudo, & sine ruga venustas, eam tamquam charissimam Christi sponsam à Synagoga iam rugosa discriminat. 476.3

Ecclesiam suam Christus diffusissimè, interminatéque diligit. 477.6

Impuratis calamis in Ecclesiam hæretici præliantur. 321.3

Edmundus.

Edmundus Campianus insignis Iesuitarum Martyr, ipso sui nominis auspicio mundi contemptor, immemor. 232.13

Elatio.

Errat, qui per elationem, Dei similitudinem affectat. 327.1

Electio.

Electiones faciendæ familiarum ordine prætermisso. 359.8

Electrum.

Electrum Christi significatio. 394.7

Electrum venena deprehendit. 528.26

Eleemosyna.

Eleemosyna buccinata hostilis est. 310.8

Eleemosynæ secretum, quod commendauit Dominus obseruauit. 315.5

Elementa.

Elementa, quæ sunt causa viuendi, sunt etiam viæ moriendi. 149.10

Elementa cur sibi repugnent? 301.4

Elias.

Elias sese super puerum mortuum exporrigens, Deum significabat, prodiga gratiarum effusione sese in Ecclesiam diffundentem. 477.6

Elias cœlo vehendus terrena non curat. 231.9

Elisæus.

Elisæus cur petierit spiritum duplicem. 303.7. & 381.3.

Elisæus puero mortuo coaptatus, Dei typus, Synagogam pro ipsius capacitate gratiis cumulantis. 476.6

Emanuel.

Emanuel, *nobiscum Deus.* 486.23

Emanuel idem est, ac nomen Iesus. ibid.

Emolumentum

Propriis emolumentis omnia metientes taxantur. 319.4. & 321.1

Proprij emolumenti amor innumera gignit bella. 320.6

Emolumentis aliorum consulens, consulit suis. ibidem, 7

Proprij emolumenti causa aliis iniuriam inferre contra naturam est. ibid. 8

Emolumenta sua solicitantes, alios iniuriant. 321.1

Suis emolumentis seruire pudendum. 322.3

Emolumenta aliorum nostris præponenda iubet nouum charitatis præceptum. 323.8

Emptio.

Emptio, qua Christus nos emit, manumissio est. 16.2

Episcopus, Episcopatus.

Episcopi nomen in exordio Ecclesiæ commune erat omnibus Presbyteris. 7.32

Cur qui Episcopatum desiderat, bonum opus desideret? 9.9

Episcopi munus quod sit. 319.3

Episcopi Ecclesiæ fundamenta, & portæ. 358.7

Episcopus aliorum culpas suis lacrymis abluat. 391.1. & seq. & 396.13

Nec priscis Episcopis vxorius conuictus permittebatur. 256.6

Episcopi diuini sint homines, ab humanis delectationibus alienissimi, & suis subditis communissimi. ibidem.

Episcopi munus, ingens moles. 357.3

Episcopus humanissimum se subditis exhibeat. 391.1. & seq.

Equus.

Equos alligare sub vite, & olea quid sit? 296.13

Erasmus.

Erasmi Bibliorum interpretationes infaustæ. 241.2

Erasmus Vulgatam irridens, castigatur. 257.8

Erasmus, *forma Dei* (de qua Paulus) malus interpres. 333.2

Ericius.

In Ericio significatur ignauus. 271.7

Erubesco.

Erubescendi verbum cur vsurpet Paulus in primo ad Romanos. 198.2

Esau.

Esau benedictio cum eisdem verbis constet, in quo discrepet à benedictione Iacob. 88.2

Ethnici.

Ethnici Christum prædicabant, vt percrebrescente Euangelij fama, odium Apostolo conciliarent. 201.3

Mille probris sua numina insectantur. 364.12

Eua.

Euam ad inobedientiam laus serpentis pellexit. 312.16

Euangelium.

Euangelij prædicandi pudor vnde. 199.2

Euangelij efficax prædicatio Christianorum vnitas. 266.4

Eucharistia.

In Eucharistia homo fit Christi cibus. 527.24

Probet semet, an insipidus sit ante accessum ad Eucharistiam. ibid.

Qui Christi beneficium Eucharisticum reddit irritum, ac si ipsum occiderit, punietur. ibid.

Dedecore Christum afficiunt, qui corpus ipsius immundi tractant. ibid.

Christus

Christus in Eucharistia electrum; vbi venenum deprehendit, stridet. 528.16
Eucharistia indignè manducantibus, vermis est viscera ipsorum corrodens. 527.25
Eucharistia instituta, vt Deus esset singulorum. 43.6
In Eucharistia Christus animæ tanquam pars parti ad amussim respondens agglutinatur. 44.7
Ipsamet Eucharistiæ victima non sine Christi morte perfecta est. 230.5
In Eucharistia suam nobis claritatem communicat Christus. 266.4
Eucharistia ad fidelium inter se amorem ordinatur. ibid.
Eucharistia cur passionem præcessit? 295.10
In Eucharistia Christus veri Principis præbet documenta. 413.adnot.9
Eucharisticus cibus argumentum diuinitatis Christi. ibid. 2
Eucharistia miraculorum maximum. 414.3
Christus in Eucharistia quomodo dicatur verus cibus. ibid.
Eucharistia panis quotidianus à nobis in oratione Dominica postulatus. 414.4.& 415.5
Eucharisticus panis nostrum nutrimentum. ibid.
Christi opimitate pasti in Eucharistia, in ipsum conuertimur. ibid.
Christus in Eucharistia, quidquid habet à Patre fidelibus erogat. ibid. 6
In Eucharistia medio Christo, diuinæ naturæ agglutinamur. ibid.
In Eucharistia alteramur in Christum, iam inde alter ille futuri. 416.7
Quidquid gloriæ corpori Christi ex diuinitate aduenit, id totum nobis propter vnionem Eucharisticam dilargitur. ibid.
Eucharistica Christi erogatio, Christi claritatis ostentatrix, illiusque naturæ diuinæ manifestatrix. ibidem, 8.
Dum Christus in Eucharistia suæ nobis diuinitatis erogat thesauros, furti se redemit reatui, futurus alioquin latro. ibid.
Christus in Eucharistia calculus. 417.9
Eucharisticus panis Ecclesiam, possessionem, peculiumque Christi, à reliqua gentium supellectile discriminat. ibid.10
Quisquis Christi sanguinem epoturus accedit, terreni sanguinis negatione præparandus. ibid.11
Eucharistici sanguinis spiritalitate, carnea terreni sanguinis excutitur grauedo. 418.12
Eucharistia vnanimes reddit Christianos. 416.19
Eucharistia diuinam in nobis imaginem reformat. 415.4.& 416.7
Eucharistia summum diuinæ liberalitatis documentum. 413.1
Ad Eucharistiæ fruitionem quid Solis, & Lunæ imperium? 414.3
Eucharistia cibus noster, & consubstantialis, & supersubstantialis. 414.4
Eucharistico cibo nostra vita saginanda. 415.5
Christus sese cibum, ad nostrorum sensuum saporem, condit. ibid.
Christus (Patris signaculum) imaginem suam communicantibus sigillat. ibid.6
Eucharistiam mandens, diuinitate repletus hominem suum exuit in Deum. ibid.
Vnitas nostra cum Christo in Eucharistia, fermenti in massam transmutationi pariatur. 416.7
Christus non miraculis iuxta, quàm Eucharistici panis largitione, Iudæorum Rex fuit agnitus. ibidem, 8
In Eucharistia nomen inditur Christianis. 417.9
Eucharisticus panis filiis, amicisque Dei signatè pinsitus. ibid.10
Christi sanguis in cœlestia nos deuehit. 418.12
Viuificæ Christi carnis in sacramento attactu è morte in vitam respiramus. ibid.13
Spiritalis vitæ nutritio Christi sanguine alenda. ibid.
Sacramentarium hoc Ecclesiæ vinum Synagogæ præponitur vberibus. ibid.14
Quisquis spiritali auctu in dies crescit, Eucharistiæ referat acceptum. 419.15
Christus sacramentatus, matris affectu, propriis nos nutrit vberibus. 418.14
Christiani munimenti armarium Eucharistia. 419.15
Eucharisticum sacrificium, & legale vineæ, torcularisque discrimine dispariatur. ibid.16
Copiosos Sacramenti decerpturus fructus ne gelidè accesseris præparatus. 420.17
Leuissimæ culpæ Eucharisticæ gratiæ fontem obstruunt. ibid.
Post Eucharistiæ sumptionem maior à nobis exquiritur perfectio, & à peccatis elongatio. ibid. 18
Eucharistiam degeneris vitæ labe obturpantes, Christo ruborem, iniuriamque obfundunt. 421.19
Eucharisticus cibus rectè gustu affectis prædulcis. ibid.1
Eucharistia fons perennis sitientes expleturus. ibid.
Cui Eucharistia dulcissimè non sapit, bellua est, cælesti cibo, escæque spiritali inepta. ibid.2
Eucharistia non solum externum palati gustum, sed & intrarium animi appetitum omnifaria suauitate replet. 424.6.& 425.8
Eucharistia vitalis animæ forma. 418.13
Christi sanguinis suctus lactea vice in nostrum spiritum vitam influit, mortemque ab eo expungit. ibid.
Christi vbera in Eucharistia quæ? ibid.14
Eucharisticus cibus iuuentam iuxta, senectamque imperfectam vsque ad regenerationem nutrit. ibid.
Christi sanguis rationabile lac. 419.15
Eucharisticus panis auget edentibus vires. ibid.
Eucharistiæ frequentatio virtutis trutina. ibid. 16
Animus voluptatibus incubans, Eucharisticam fugat dulcedinem. 429.14
Quisquis communicaturus, Christi maiestatem maximè reuereatur. ibid.
Exactissima Eucharistici fructus ratio nobis à nobis exigatur. ibid.
Christi in Eucharistia votum, noster est profectus. 420.17
Munimento Dominicæ saturitatis armati, peccatum expellere tenemur. ibid.18
Maxima Eucharisticæ claritatis turpitudo, communicantium vitæ degenerositas. ibid.19.& 421.20
Christus in Eucharistia non solùm nostris necessitatibus, sed & deliciis prouidit. 421.1
Cui Eucharistia sapit, diuinitatis suæ hoc habet argumentum. ibid.1
Primordialis Adæ cibi acerbitas Eucharisticæ dulcedinis gustum nobis desaporauit. ibid.2
Palantem nostrum in terrenis voluptatibus gustum, corporis sui, sanguinisque deliciis ad se attraxit Christus. 424.6
Christus in Eucharistia pro gustus arbitrio, deliciosissimè sapit. ibid.
Christus in Eucharistia bonum nostrum. ibidem, 7
Eucharisticus cibus, expulsâ acetosâ peccati mordacitate, ad diuinorum gustum nostrum iucundissimè apparat palatum. ibid.
Eucharisticæ suauitatis plenitudo vsque in vltimos animæ eliquatur recessus. 425.8
Eucharistiæ iucunditatis harmonia per Sicilianæ

Ætnæ speluncam aptissimè explicatur. ibid.7
In Eucharistia Christus plumbeo talento amphoræ os obstruenti, componitur. ibid.8
Christus in Eucharistia votorum nostrorum sitim, licèt ardentissimam, plenissimè extinguit. 416.9
Omnis fortunæ prodigalitas, astrorumque conciliata benignitas, aut Numinum varietas, frustra nos sine Eucharistia saturauerint. ibid.
Eucharistia bona gratia. ibid.
In Eucharistia cum Christo nuptias, omni plenas suauitate, coniungimus. ibid.10
Ad Eucharistiam accedens, cur anima, sponsa Christi sponsi, non verò vxor dicatur? 417.11
Deus, & homo in Eucharistia strictissimè fiunt idem. 416.10
Eucharisticæ vnitatis dulcedo, ingens est amoris nostri erga Christum excitamentum. 417.10
Summus amoris, summusque lætitiæ, & suauitatis gradus in Eucharistia censetur. ibid.11
Si vitæ molestias suauitate velis propulsare, Eucharistiam adi. ibid.12
Arctissima Eucharistici connubij nostra cum Christo vincula, voluptatesque expenduntur. ibid.
An sponsæ delectationem, suauitatemque subuclata sponsi in Eucharistia præsentia aliquantulum imminuat? 428.13
Christus in Eucharistia præsens, quasi absens magis sponsæ amorem, deliciasque exacuit, & quomodo. ibid.
Christus in Eucharistia, absentiâ præsentiæ suæ cum sponsa subludit, temporariâ absentiâ amorem excitaturus. ibid.
Cur plerique hanc Eucharistiæ suauitatem non experiantur. 429.14
Christum in Eucharistia iucundè gustaturus terrenorum saporem despue. ibid.
Quomodo, & qua frequentia ad Eucharistiam accedendum. ibid.15
Obiectiones aliquorum deluduntur. ibid.
Eucharistia Christus mundum subiugauit, & de animis gloriosum refert triumphum. 519.1.& seqq.
In Eucharistia Christus, vt in sublimi solio residet. ibid.2
Eucharistia carbo ignitus animam purgans. ibid.
Eucharistia humanum frænat intellectum. 520.5. & 521.7
Ferinos mores Christus in Eucharistia sedat. 519.2.& 522.9.& seqq.
Christus in Eucharistia humanum intellectum olim ad credendum diabolo pronum talionis pœna afficit. 521.8.
Eucharistiæ poculum forte aduersus animæ hostes. 522.10
Eucharistia iis qui mundo sunt mortui, vitam confert. ibid.11.& seqq.
Eucharistia panis arctus, & lignum vitæ. 523.15
Ad Eucharistiam vestis nuptialis necessaria. ibid.13
Qui non laborans ad Eucharistiam accedit, non accipit eam de Christi manu, sed rapit. 524.15
Qui Eucharistiæ delicias gustauit, mundi voluptates fastidit, & cruci Christi inhæret. 523.12
Ad Eucharistiam accipiendam nos ascendere debemus, Deus descendere dignatur. 524.17
In Eucharistia à Domino manducamur, ideo panis viuus dicitur. ibid.18.& 525.20
Quod in Eucharistia à Domino manducemur, vnus panis multi dicimur. ibid.19
Christus in Eucharistia, & pascit, & pascitur. 526.21
Tunc perfectè Christo in Eucharistia vnimur, cùm ipse in nobis, & nos in ipso manemus. ibid.
Qui debitè ad Eucharistiam accedit, esurienti Christo sese in cibum præbet. ibid.22

Examen.

Examen conscientiæ immaculatam animam seruat. 114.10

Excelsum.

Quæ excelsa videntur, prærupta sunt. 363.9

Excusatio.

Excusationes aliis, nobis accusationes texamus. 314.23

Exemplum.

Exemplum virtutum, quæ in Christo fuerunt, in nobis alij perspiciant. 326.2
Exemplum omnium gloriosissimum ipse Christus. 331.10
Exemplis vt firmaret, quos præceptis imbuerat, noluit Christus priùs interfici. 332.12

Exinanitio.

Exinanitio Christi quomodo accipiatur. 365.1
Exinanitio Redemptoris nostram inanitatem repleuit. 376.adnot.2

Exodus.

Exodi liber quare sic nuncupatus. 252.4

Ezechias.

Ezechiæ regi cur mors amara? 229.adnot.3

Ezechiel.

Ezechiel intellectu eleuatus erat, & vita pariter assumptus. 101.11

F

Felicitas, Felix.

FÆlicitas aliena, quo maior, eo maiorem inuidiam parit. 205.8
Fælicitas humana, non tam suæ, quàm alienæ nititur fælicitati. ibid.9
Fælicitatis cuiusque mensura est humilitas. 330.8
Fælicitates humanæ licèt sine labore, ac solicitudine soleant aduenire, sed non conseruari. 360.1
Fælicitas sine meritis occasio est non sapientibus rerum asperarum. 363.9
Alios fælices fecisse regia laus. 380.2
Fælicitas dulcior, cùm pericula præcesserunt. 504.3

Fœmina.

Nimius fœminarum cultus adulterio proximus. 122.12
Vt se fœminæ ad speculum pingant. 232.15

Forma.

Forma quam Filius Dei sumpsit, ea ratione ad sui exemplaris pulchritudinem restituta est. 327.2
Vocis, *forma*, multiplex significatio. 334.3
Formam Dei veram habuit Christus, sicut & serui. 335.5
Cur Paulus ad asserendam Filij cum Patre æqualitatem, formam potiùs, quàm naturam vsurparit? ibidem, adnot.2
Forma est finis generationis. ibid.3
Ex eo quod Filius sit forma, & imago Patris, infertur ipsius consubstantialitas cum Patre. 336.5
Forma serui non serui opera, sed naturam significat. 367.10

Fornix.

Fornix ædificij hominum societatis similitudo. 308.12

Fortis.

Fortissimus, qui pericula prouocat. 273.10

Fortuna.

Magna fortuna, magna seruitus est. 256.5

Fortuna

Fortuna sæpe destituit vitia. 332.11
Fortuna parcissima est. 426.9
Fortunam ne tibi finge. 365.14
Franciscus David.
Francisci Dauid circa *formam Dei*, præposterus sensus. 333.2.& reiicitur. 334.3.& 4
Frater, Fraternitas.
Vide Charitas.
Frater prodigi filij,cur senior appelletur? 208.2
Fratres Ioseph magis inuidebant, nullam Iacob consolationem accipiente ob filij mortem. ibid.4
Fraternitatis ius exigit, vt aliis collacrymère, & aliis collętère. 205.9
Nobis ipsis in fratribus subuenimus. 307.11
Frater sua commoda fraternis postponat. 320.6
Fraternus amor pulcherrima res, 297.15
Frons.
Frons mentis index. 198.1
Fructus.
Fructuum venditionem differentes, vt pretium auctionentur,latrocinij insimulantur. 321.2
Fuga, Fugere.
Fugam nostram nō debere fieri in hyeme, vel Sabbatho,quid significet? 230.3
Fugimus sæculum cùm Deo assimilamur. 327.1
Fundamenta.
Fundamenta cœlestis ædificij hic iacienda. 254.10
Facies.
Faciem Christi cur carnifices velarint? 305.3
Facetiæ.
Facetiæ asperæ, quæ ex vero multum traxère, acrem sui memoriam relinquunt. 308.3
Fama.
Famam spernit magnanimus. 310.9
Famæ leuissimi rumores pulsant sapientiores. ibid.10
Fama famem non extinguit. 312.15
Ex fama virtutis fructus ne percipę. 315.7
Ad suam famam,non ad pauperis famem,largientem Deus arguit. 316.10
Fama pudoris delicata est. 346.11
Fera.
Feræ docent homines humanitatem.
Fides.
Fidei confessio nullis verborum ambagibus obtegenda. 198.1
Magna,& clara voce fides loqui consueuit. 199.4
Fidei, & veritatis vox ingenti ore, fortique pectore proferenda. ibid.
Fides gentium, Christi cibus. 372.1
Fidem disputationibus inutilibus, aut priuatis prætexere inuerecundia est. 308.3
Fideles.
Fidelium confusus aceruus calamitatibus discernitur. 353.2
Fiducia.
Fiducia loquendi à fidei probitate. 200.8
Fideiussor.
Fideiussor post solutionem debiti, ius habet in bona debitoris. 473.11
Figura.
Vox *figura* in Scriptura anceps. 337.7
Filius.
Filius Dei in mente Patris, cogitatio pacis, pax ipsa in vtero Matris. 302.3
Filij Dei nomen dilectio communicat. 303.8
Filij Dei consubstantialem naturam cum Patre, ex verbis Pauli; *Qui cùm in forma Dei esset*, probant Ecclesiæ Patres. 333.1
Cur Filius potiùs, quàm Pater carnem induerit? 341.6
Filius Dei ad serui formam se depressit, vt seruos ad filiorum Dei adoptionem eueheret. 348.6
Filiis amplum patrimonium, illustre progenitorum nomen. 377.3
Filius Dei se deprimens,hominem in sponsam extulit. 385. adnot.4
Filius Dei se contraxit, vt hominibus se aptaret. 386.5
A Filio Dei etsi peccatoris imago alienissima, eam tamen præ se tulit. 387.8
Filio Dei grandę quid fuit pro hominū salute emori. 389.4
Dei Filius non pro aliena, sed pro sua se imagine deposuit. 390.6
Filius Dei humanitate ad se hominum corda pertraxit. 391.2
Dei Filius ventus vrens,& nos in sui amorem incendens. 393.5
Dei Filius Incarnatione decorus. 394.9.& 10
Dei Filio corpus è sanctissimæ Deiparæ visceribus omnimodo coaptatum est. 399.6
Finis.
Fine bono carebunt mala auspicata initio. 363.6
Firmamentum.
Firmamento cur cœli quoque nomen inditum fuerit? 314.3
Firmitas.
Firmitas rerum, ac robur ex seruato ordine, & statione desumitur. 509.11
Flagellum.
Flagelis cæsus, quæ supersunt, exposce, 332.12
Fletus.
Fletus animæ compunctio est. 354.5

G

Gemmæ.
GEmmæ ab auro venustatem accipiunt. 358.6
Generatio.
Generationis finis est forma. 335.3
Generosi.
Generosis ostentatione non opus est. 339.7
Gena.
Genæ sponsæ cur mali punici corticj comparentur? 314.2
Gentiles.
Gentiles scientiæ voluptatem prætulerunt. 96.1
Genuflexio.
Genuflexio accommoda reis ad flectendum Iudicem. 489.35
Gloria.
Gloria vera.
Gloria vera,forma dicitur,& falsa figura. 343.12
Gloria vera,eam recusanti pedisequa est. 318.14
Gloria virtutis sibi sufficit,nec petit plausu clarescere vulgi. 314.1
Gloria cœlestis.
Certissima ad gloriam cœlestem via de aliis benemereri. 378.8
Gloria cœlestis non sine sudoribus obtinetur. 352. adnot. 4
Ad illam contendentes ferrum, & flammas oportet experiantur. 353.2
E gloriæ cœlestis aditu miserè detruderis,nisi illum vi occupes. ibid.
Gloriæ cœlestis dignitatem non habebit, nisi qui in hac vita dè fide Euangelij acceperit codicillos. 355.7
Gloriæ cœlestis portæ,tribulationes. 356.9
Gloria Dei.
Gloriam suam Deo minuit,qui quod potest illam augere non curat. 198.2

Gloria Dei è fronte cum sæculari pugnat. 341.7

Gloria vana.

Gloria vana in Aquila Ezechielis graphicè depingitur. 311.12
Inanis gloriæ cupiditas proprium Ethnicorum vitium. 310.10
Nulla nobis est inanis gloriæ ratio. ibid.8
Tamen ab ea vix se vnus, aut alter liberat. 309.7
Gloria inanis mater contentionum. ibid.
Gloria inani exacuimur veluti cote, ad bona etiam opera. ibid.
Gloriæ inanis cupidus amicitiæ est ineptus. 308.1
Gloria sæculi cur inanis ab Apostolo nuncupetur. 310.8. & seqq.
Quia mendax, quod inanes, leuesque reddat sectatores. n. 9. Quod magna mercede priuat: demum quia vile, & inutile quid est. 15
Gloria inanis cum sterquilinio confertur. 312.16
Gloria inanis, aut postremò, aut nunquam deponitur. ibid.17
Gloria inanis nec leuissimi operis causa sit. 314. adnot. 1
Gloria subsequatur non appetita. 315.7
Gloriæ inanis cupidus, omnium fit seruus. 317.12
Gloria inani ad bona opera ductus, naufragat in portu. 311.11
Gloria inanis vmbra est animo æterna tegens. 318.14
Gloria inanis Basilicus est videnti cuiuis. 317.12
Gloria inanis virtutes arefacit. ibid. dulciter deprędatur, & extinguit. ibid.
Gloria inani detriumphati sunt plures, qui de se triũphos reportarant. 312.17
Gloriæ inanis humanæ captator Dei prouidentiæ facit iniuriam. 316.9
Gloria ab inani, ac ab immani fera cauendum. 317.12
Gloria inanis illicita est virgini. 328.4
Gloriæ inanis finis inanis. 311.14
Gloriæ inanis in contemptum, probrosè mortuus est Dominus. 312.17
Gloriæ inanis nobis si quis adhæsit ventus, afflandus est. 317.12
Gloriam inanem ab hominibus; veram non à Deo nõ disquirens, mouet zelotypiam ipsi. 316.9
Gloriam sæculi sibi, & suis alienam Christus iudicauit. 339.1
Ab inani gloria, non sibi, sed nobis Christus timuit, dum se abscondebat. 341.5

Goliath.

Goliath quibus armis Dauidem inuadebat detruncatus est. 475.7

Grammatici.

Grammaticorum ingenij est illa tantummodo Patrum verba aptare sibi, quæ suo sensui adsonant. 334.2

Gratia.

Gratia malorum remedium. 237.2
Gratiæ varium, & multiplex significatum. 25.3
Gratiam Philippensibus quo sensu precetur Paulus. ibid. 6
Gratiæ excitantis donum à Deo esse latè probatur. 50.2
Absque Christi gratia viua nos esse cadauera, pulchrè monet Nazianzenus. 53.4
Gratiæ diuinæ consolatio ob demerita non sentitur. 23.18
Distinctio inter gratiam Dei, & gratiam à Deo adhibita ab Adamo, non admodum solida. 25.5
Vberior est gratia, quàm precatio. 380.2
Gratia animæ dos. 411.16

Gratus.

Grati animi est beneficia propria, communia cæteris efficere. 38.3

Graue.

Graue nihil est volenti; omnia inuito. 320.8

Gubernatio, & Gubernator.

Gubernatio aliorum summum periculum. 320.6
Gubernationi aliorum magna animi facultas necessaria est. 357.3
Gubernatio non est committenda nouitiis. ibid.4
Gubernationis ars à Deo potissimum dependet. 360.1
Gubernationem pecuniis mercatus, non poterit illas non amare, aut gratiam ipsis non habere. 362.7
Gubernatoris perfecti est quàm comem se subditis præbere. 391. adnot. 6
Gubernator Christi exemplo tam lentè, & blandè incedat, vt calamum quassatum non conterat. 395.11

H

Habitus.

Habitum sordentem eligunt iusti. 231.10
Habitu quoque Deus est orandus. 295.9

Hæreditas.

Hæreditas nostra gloria cœlestis. 355.7
Hæreditas cœlestis à cruce nequit separari. ibid.8
Hæreticorum in muneribus distribuendis summa imprudentia. 357.4
Hæretici aliqui nimium in Christi passione confisi totam legis obseruantiam soli Christo imposuerunt, sibi solùm voluptuari. 473.11
Hæretici, Christianique, non Christiani, Christum in cruce derelinquunt. ibid.12
Hęreticus priùs dogmata sua persuadet, quàm doceat. 200.10
Hæreticorum errores Ecclesiæ profuerunt. 285.9
Hæretici cur calami ferrei? 322.3

Hæsitantes.

Hæsitantium loqquendi modus. 241.4
Hedera gloriæ inanis symbolum. 311.12

Henoch.

Henoch cur prauorum principium, proborum finis. 281.7

Her.

Her cur à libro generationis Iesu Christi exclusus? 401.9

Hercules.

Herculi vires, & famam sudores, & pugnæ dederunt. 245.10

Herodes.

Herodis impetum cur Christus paruulus declinauerit? 332.12

Homo, & humanitas.

Homo latissima Deo domus. 226.1
Homo à benefica humo dictus. 308.12
Homo quem animantium armis natura nudauit, armat cæterorum hominum affectibus. ibid.
Vel solo hominis nomine, omnes apud nos gratiosi sint. 307.10
Homo quantumuis superuacaneus videatur, homini necessarius est. ibid.9
Hominum est diuidi, filiorum Dei vniri. 303.9
Homines conciues omnes sunt in hac orbis vrbe. 304.1
Homines tot, ac tam diuersi, vnus homo sunt in Ecclesia. 264.6
Hominum diuersa conditio, & munia. ibid.
Homini vita peccati pœna, mors meta pœnarum constituta à Deo est. 234.2
Hominem cogat altissima propria dignitas, omnia temnere. 110.12
Homines politos, & vrbanos difficilius est ad vitam instruere, quàm barbaros. 101.11

Homine

Homine fortiter misero nihil miserabilius. 282.9
Hominis est aliis benefacere. 203.2
Hominis formatio ei beneficentiam suadet. ibid.
Homines pietate à vulture superantur. ibid.1
Homo homini perniciosior cæteris animantibus. 204.3
Homo malignitate dæmoni præit. ibid.
Hominis nomen inditur dæmoni cùm pessimus inuenitur. ibid.
Homo fideiussore non eget, vt malum alteri intulisse credatur. 204.4
Homines præsentia inuidia, præterita veneratione prosequuntur. 207.14
Homines mali rerum æstimatores. 390.8
Hominem dæmon vilissimo æstimat pretio, Deus summo. 389.2
Homines vilia æstimant, & curant, pretiosa vilipendunt. 391.9
Hominis salus, & incolumitas inæstimabilis. 307.10
Hominis inæstimabilis valor. 388.adnot.5
Hominis salus digna Christi laborum, & sanguinis compensatio. 389.4
Homo tantùm absis, vt dæmones adores, vt potiùs in tui cultum compellas. 390.7
Homo arbor, eius parentes radices. 408.7
Homines vt naufragi in hanc vitam eiecti sumus. 407.6
Homini nihil seipso est vilius. 390.8
Homini corpus ex se turpissimum est, & si quid pulchrum, aliorum debet aspectui. 411.15
Hominem regere, ars artium. 391.1
Homines leniter corrigendi. ibid.12
Homines facili fræno reguntur. 395.11.& 12
Hominis vita sit nobilissima. 390.7
Deo meriendus. 388.1
Ipsius thesaurus 390.6
Homo suum cœlum ingredi reluctatur. ibid.8
Hominis facies cur erecta in cœlum, brutorum depressa in terram? 418.12
Homo secundùm imaginem Dei constructus. 336.5
Hominis filium cur se, potiùs quàm Dei filium appellauerit Christus? 340.2
Homo ad regiæ sponsæ fastigium euectus est Filij Dei exinanitione. 385.adnot.4
Homini sors melior de clade venit. ibid.2
Hominem Christus sustulit in Deum, vt nihil in illo peccati, mortis, laboris, terræve relinquat. 377.4
Hominem exuerunt auari. 319.3
Homines cur alij ex aliis gignantur, & non omnes fluxerint à Deo immediatè? 33.6
Cur post hominis creationem Domini nomen detur Deo in sacris? 190.3

Honestas, & Honestum.

Honestatis fructus in conscientia, non in fama reponendus. 315.7
Honestum, aut nihil esse, aut ex sola hominum opinione pendere affirmabat Epicurus. 320.6

Honor.

Honor meritis velut columna basi innititur. 507.2
Honores sæculi personati. 313.19
Honores humani indignè ferendi, velociter fugiendi. 318.12
Honoribus inhiantes vilipenduntur. 313.14
Honoris humani appetitu ad rectè facta ductus, ante Dei tribunal fœdè detonsus apparebit. 310.11
Honores sæculi non optandi in mercedem bonorum, quibus nec totus mundus iustum præmium est. 311.13
Honoris, & gloriæ appetitus vitium Ethnicũ. 310.10
Honores non affectandi, sed reiiciendi. 341.5
Honor raptus, fastuosus, secus naturalis, & ingenitus. 339.7
Honor sæculi, diaboli negotium est. 341.7
Honores aduentitij periclitantur. 338.6
Honores caduci pretio comparantur, & nec gratis admittuntur æterni. 355.7
Honores immaturi non decerpendi. 359.8
Honores ab aliquibus emuntur, vt cunctorum vastatione satientur. 362.7
Honorum affectatio dissipat vnitatem. 308.1
Honorari præ cæteris qui cupit, destruit æquitatem. ibid.2
Honores qui insequitur, nil minus assequitur. 311.14
Honoribus repetitis insolescunt homines. 86.16
Honores æqualiter deferendi. 322.4
Honor quęrendus in cruce, quem plerique non quærunt. 310.7
Honorat Deus, quos homines dehonorãnt. 345.6
Honores adipisci non est magnum, nisi quis dignus censeatur. 358.7
Honor bene partus perennat. 360.1
Honorandi alios causas non inuenire, diabolicum est. 360.9
Primos semper honores aliis deferre diuinum quid. 345.8
Dedecet honores, nisi ab alio accipere. 341.6
Honores diuini affectati Angelum à cœlo, & hominem à paradiso exegere. 327.1
Honoris definitio. 19.1. varij honorandi modi. ibid.
Honores illi illustriores sunt, qui ex aliorum splendoribus nobis accidunt, quàm qui ex obscuritate. 322.5
Sæpe boni Principes familiares suos tardiùs ad honores promouent, vt ornatiores ad illos accedant. 505.7
Honor honore petitur. 508.4

Honores indignis exhibiti.

Honores vt dignis suaues ferunt fructus, ita indignis acidissimos. 361.3
Ad honores qui indignè euchuntur, ruent. 362.5
Ad honores qui promouet insipientem, sibi periculum affert. 364.12
Honores immeritò exhibiti, aut sunt, aut desinunt in irrisionem. 365.13
Ad honores immeritò euecti, quò altiùs extolluntur, eò probrosiùs trudumtur. 362.9
Ad honores raptim, & non per gradus eleuati, raptim etiam deponuntur. 510.12

Humanitas.

Humanitas in sua primaria conditione, digna quam Dei Filius negotiaretur. 327.2
Humanitas in vno homine tota læditur. 306.8
Humanitatem nolentes aduertere, impij tortores Christi Domini oculos obtegebant. 305.2
Humanitatis sensus in mutuam beneuolentiam nos compulsat. 304.adnot.4
Humana natura inanis est. 366.3
Humanam naturam cur assumpserit secunda Triados persona? 341.6

Humerus.

Patientiæ, ac tolerantiæ typus. 507.2

Humilitas.

Humilitas docendæ causa, noluit Christus paruulus occidi. 332.12
Humilitas euehit ad honores in arduo positos, ad quos difficilis certè est ascensus. 333.13
Humilitatis viam circuli peripheria adumbrat. ibid.
Ad humilitatem spatiosum iter, ad honores arduum. ibid.
Humilitatis indicium non maiori, sed æquali cedere. 337.2
Humilitas præcedat celsitudinem. 341.4.& 359.8

Humilitas cæteros sibi anteponit, sua non considerat, sed aliena. 343.adnot.2
Ad humilitatem à Paulo summa Christi demissione vrgemur. 340.6.
Humilitatem exercere summum virtutum. 350.9
Humilitas non solùm gloriam habet, sed & securitatem. 308.3
Humilitas iunioribus necessitas, dignitas senioribus est. 313.20
Humilitas facit cœlum. 314.3. est magnitudinis mensura. ibid.
Humilitas operũ laudem auctori Deo reddit. 317.11
Humilitati comparandæ auertendi oculi à propriis in aliena bona. 318.2
Humilitas Christi quem non rubore afficiat? 326.3
Deleti in nobis diuinæ similitudinis characteres, humilitate effinguntur. 327.2
Humilitas vacat suspicionibus, quibus non quæuis excellentia. 328.3
Humilitas Deum concepit, & peperit. ibid.4
Humilitas sublimat. ibid.5
In humilitate qui ambulat, dignè ambulat. 329.5
Humilitate Deo similes efficimur. 327.1
Humilitas non tollit animi celsitudinem. 328.5
Humilitatis principium Christus. 329.6
Humilitas caput est corpus fouens. ibid.7
Humilitatis certa coniectura metienda bona sors cuiusque. 330.8
In vna humilitate tota Christianæ sapientiæ disciplina consistit. ibid.
Humilitas fundamentum, custosque virtutũ. 331.10
Humilitatis studium generat concordiam. 308.1
Felicitas sine humilitate infirma, & capite, ac pedibus (vt dicitur) carens. 330.8
Humilitatis prosapia diuina. 328.5
Humilitas vna cæteras continet glorias. 329.7
Humilitas cordis est natiuitatis Regiæ ortus. 330.8
Humilitas diuinitatem redolet. 9.9
Humilitas quia excelsa, nescit vltrà extolli. ibid.11
Humilitas altissima quæque fastigia firmat. 11.18
Humilitas instaurauit cœlos, demolitos ob superbiam. ibid.20
Humilitatem à Dei Filio antea addiscere, quàm mortuos suscitare nobis opportunius. 529.4
Humilitatis ima sectetur quisquis diuinitatis cupit tenere fastigia. ibid.
Humilitatis excellens merces, & exaltatio. 530.5.& 6
Humilitati destinatus homo velut auis ad volatum. 531.10
Humilitatis excellentiæ, & præconia. 528 per totam adnotat. 6
Humilitas quid, & quanta mereatur. 478.1.& seqq.
Humilitas claritatis est meritum; claritas humilitatis præmium. ibid.
Humiliata sublimitas sublimior apparet. 512.6

Humilis.

Humilis portat Christi crucem. 311.11
Humiles se occultantes Deus manifestat. 318.15
Humilis cæteros sibi antestare arbitratur. 313.21
Humilis esse qui calluit, Christum imitari didicit. 329.7

Humiliatio.

Humiliatio specimen magnitudinis, & excellentiæ. 7.1.& seqq.
De humiliationibus contendere licet. 323.9

Hypocrita.

Hypocrita bellum Deo indicit. 310.8
Hypocritæ cum Eleazaro, Simone Cyrenæo, & perdito latrone componuntur. ibid.11
Hypocrita naufragat in portu. 311.11

Hyssopus.

Hyssopus, herba medicinalis, nostram pœnitentiam denotat. 471.10

I

Iacob.

Iacob benedictio cùm iisdem verbis constet, à benedictione Esau in quo discrepet? 88.2
Iacob excelso animo dimicans, certamen forte, festiuum sibi reddidit. 413.2
Iacob lucta quo difficilior, eo gloriosior. 219.7
Iacob cum Angelo luctam mutuis amplexibus exercitam, refrigerium potiùs, quàm certamen putes. 73.3
Iacobus typus sperantis beneficia à Deo. 47.8

Iacobus.

Iacobum & Ioannem filios tonitrui, quomodo imitemur. 227.2

Idea.

Idea Dei ad quam homines sunt artificiati, non est superba. 328.4

Idolum.

Idola lignea cur infelicia dicantur à Salomone. 364.12

Idololatria.

Idololatriæ talionem reddidit Christus, cùm crucis tormentum subiit. 199.3

Iecur.

Iecur tam apud sacros, quàm apud prophanos concupiscentiarum sedes est. 17.11
Iecur sagitta transfixum apud Salomonem, animus deditus cupiditatibus. ibid.

Iehu.

Iehu Regis solium è subditorum palliis constructum. 260.15

Iehoua.

Iehoua creatorem significat, cedit dignitate nomini Iesu. 484.18
Iehoua nomen Dei. 485.20
Iehoua & Iesus mutuò se respiciunt, vtriusque in significando conuenientia. ibid.
Iehoua in nomen Iesu mutatum est. 485.21. cur. ibid.
Ineffabile nomen Iehoua expectabant à Messia Iudæi. ibid.
Iehoua nomen Dei, non tam ego sum qui sum, quàm ego ero qui ero, significat. 36.8
Iehoua exprimit Dei bonitatem. ibid.

Ieiunium.

Ieiunium peccatum eneruat. 123.13
Ieiunium ne se prodat. 315.4

Ieremias.

Ieremias suorum calamitates suas ducebat. 310.5

Iesus.

Nominis Iesu aptissima definitio. 485.22
Nomen Iesus benefactricem Dei naturam significat. 486.25
Iesus idem est, ac Deus Seruator super vulnus humani generis benignissimè appositus. 485.21
Nomen istud sua Saluator humilitate comparauit. 344.2
Libenter pro ipso sudores, sanguinem, vitam fudit. 348.6

Ignauia, Ignauus.

Ignauia in bello hostes armat. 271.4
Ignauus in Ericio adumbratus. 272.7
Ignaui multis se bonis priuant, in quæ datur copia magnanimis. ibid.8

Ignatius.

S. Pater Ignatius plures custodes suorum alumnorum sensibus voluit adhiberi. 228.8

S.Pater

S. Pater Ignatius suorum contentiones iubet præcidi. 308.2
S. Pater Ignatius potiores aliis partes deferendas docet. 313.19
Ignatio pro Christi nomine vincula erant ornamento. 72.12
Ignatius Societatem obedientia insigniuit. 434.15
Ignatij obtrectator periit incendio imprecato Ignatio. 275.8

Imago.

Imago Patris personalis non potest non esse Patri æqualis. 335.3
Imago perfecta non est nisi quando habet formam rei per ipsam expressæ. ibid.
Diuina nobis imago in humilitate restituitur. 327.1
Imago Dei in nobis obscurata ad Christi exemplaris præsentiam renouatur. ibid.2
Imago Dei in homine latet, & vt conseruetur lateat. 314.3
Imaginem vtriusque Adam terreni, & cœlestis portare quid sit apud Paulum. 330.9
Imagines Principum intextas vestibus prisci gestabãt. ibid.

Imperium.

Imperium malis artibus habitum nullus bene exercuit. 362.6
Imperium qui debet fauori, illius seruum se addixit. ibid.
Sine meritis imperium vix stat. 363.10
Plerique capaces imperio viderentur, nisi imperassent. 364.12

Innocentia, Innocens.

Innocentia suorum iudicem iudicum hominem constituit. 199.6
Innocentes præsumptio in omnia vitia deuoluit. 314.23
Innocentẽs interfectos non plorat Ecclesia, sed interfectores. 89.5

Inimicitia.

Inimicitia pertinax nec martyrio poterit expiari. 293.5

Initium.

Initia feruoris tepidi resumant. 292.5
Initiis solis opus est dæmoni. 309.5
Initia damni præuidet sapiens. 118.1

Iniuria.

Iniuria quæ proximo, Deo infertur. 304.10
Iniuria sæpe locum fecit maiori fortunæ. 217.1
Iniuria afficere, quàm affici miserius est. 307.10
Iniuria illata iustis, sputum in cœlũ iactum est. 275.8

Inuenio.

Inuenire quærentis, reperire in casu repertum incidentis est. 54.5

Inuidia.

Inuidia omnem humanitatem exuit. 203.2
Inuidia homines dæmones fiunt. 204.3
Inuidia totam dæmonis malignitatem hausit. ibid.5
Inuidia optimos adoritur. 205.7
Inuidia Pharaonem obdurauit. ibid.
Inuidia crescit aliena felicitate. ibid.8
Inuidia sæpe desperationis signa præbet. ibid.
Inuidia fraternitatis iura violat. ibid.9
Inuidia procreat auaritiam. 206.10
Inuidia benefactis accenditur. ibid.12
Inuidia mentis aciem obnubilat. ibid.13
Inuidia Deo bellum indicit. 207.15
Inuidia nequissima simul, & æquissima res est. 208.1
Inuidia tantùm officit inuidenti. ibid.
Inuidia qui laborat domesticum tortorem diligit. ibid.
Inuidiæ dæmonis œstrum. ibid.
Inuidia miseria est, ex indigentia procedens. ibid.3
Inuidia fames alienæ infelicitatis. ibid.
Inuidia calamitas sine remedio. ibid.
Inuidia se suis telis confodit. ibid.4
Inuidia fratrum Ioseph parentis lacrymis excitabatur. ibid.
Inuidia vberiorem Paulo indesinentis gaudij materiam peperit. 209.5
Inuidia dæmones ad sepulchra potiùs, quàm ad regum palatia pertraxit. ibid.6
Inuidia Pharisæorum, qui ne aliis salutis ianuam aperirent sibi obserarunt. ibid.7
Inuidia aliorum laudes pertinacissimo silentio deserit. ibid.
Inuidia fugienda, & illa quæ inuidiam pariunt. ibid.1
Inuidiæ, & scandali eadem ratio est. ibid.
Inuidia sæpe ex contentionibus & pugnis verborum oritur. 210.1
Inuidiam non declinare simplicis, parumque cauti animi est. ibid.2
Inuidiæ timore necessaria ad salutem non omittẽda. ibid.3.& 4
Inuidiam ex præclaris operibus, aut dotibus ortam amolitur occultatio. ibid.5
Inuidiam abesse vbi est eadem spes, summi amoris indicium. 210.4
Inuidiam declinare nullus potest. 212.10
Inuidiæ incunabula in Cain deprehensa sunt. 210.3
Inuidiam generat inæqualitas erga amicos. 292.5

Inuidus.

Inuidus dæmone peior. 204.5
Inuidus alieno bono torquetur, improbus suo delectatur. ibid.6
Inuidus miluis similis. ibid.
Inuidus non tam est lætus suo bono, quàm tristis alieno. 205.8
Inuidus flet cum gaudentibus, ridet cum flentibus. ibid.9
Inuidus propriæ gloriæ demptum putat, quidquid crescit alienæ. 206.10
Inuido beneficia odiosa. ibid.13
Inuidus aliorum bona non nisi post mortem videt. 207.14
Inuidorum pietas crudelis; doloris enim augendi ergo alienis miserescunt calamitatibus. ibid.
Inuidus præteritorum laudator importunus; præsentium vituperator. ibid.
Inuidum Deus deserit. ibid.15
Inuidus quodammodo passionis Christi expers videtur. ibid.16
Inuidus sæuissimus fuimet carnifex. 208.1
Inuidus quare senior dicatur? ibid.2
Inuidus suæmet salutis hostis. ibid.
Inuidi mentem Spiritus sanctus derelinquit. ibid.
Inuidi requies casus alienus. ibid.3
Inuidus vel nolens aliis prodest. ibid.
Inuidus dum aliis mala eueniant, propria non timet. 209.5.6.& 7
Inuidus furenti similis. ibid.5
Inuidorum concordia inter se, vt iustum perdant. 211.8.
Inuido dente petitis adest Deus auxiliaris. 215.8

Intercessor.

Intercessores interponentis negotium suspectum. 342.8

Ioannes.

Ioannes Baptista recens natus à Christo inuisitur, iam autem vir, & in vinculis hoc fauore non indiget. 69.10
Ioannes Baptista exultat ad Mariæ vocem, obsequens antea,

antea, quàm genitus. 457.11

Iob.

Iob natali suo maledixit. 239.11
Iob tentationibus roboratur. 246.11. Coactus dæmon secundam cum eo pugnam init. ibid. 12
Iob maiores acerbitates maiori cum gratiarum actione à Deo excipit. 251.2
Iob sibi de filiorum morte ob ipsorum felicitatem gratulatur. ibid.
Iob duplicata accipit, quæ amiserat, non liberos; cur? ibid. 3
Iob spes nutrit in summis periculis. 217.2
Iob per plagas sese cœlo intulit. 287.7
Iob in infirmitate firmior. 288.9
Iob quàm prouidus de filiorum suorum educatione, etiam de ipsorum cogitationibus sollicitabatur. 89.4
Iob inter pressuras deiicit diabolum; Adam inter delicias deiicitur. 69.9
Iob cur ex inæqualitate æternitatis Dei, & dierum hominis, de suæ iniquitatis inquisitione queratur? 206.11

Ionas.

Ionæ fuga à facie Dei cum Christi fuga ab eadem collatio. 369.16
Ionam rebellem vexatio reddidit obsequentem. 284.8

Ioram.

Ioram cilicium ipso inaduertente conspicitur. 318.16

Ioseph.

Ioseph liberalior vendendo, quàm si frumentum largiretur. 83.2
Ioseph in suis facinoribus non hominum, sed Dei laudem attendebat. 314.1
Ioseph à Patre reprehensus, quod nesciisset inuidiam fratrum à se auertere.

Ira, & iratus.

Ira à fœminis aliena, quod deformet faciem. 10.13
Ira in senes parum potest ipsis obesse. ibid. 13
Ira Dei quare comparetur aquæ. 120.7
Ira vt dedecet fœminas, cur æquè dedeceat viros superbia, ex Ecclesiastici sententia? 10.13
Iratus si velit ab ira desistere, se in speculo intueatur. ibid.
Iratis aliquid concedendum. 328.8
Ira accensus nullam, vel exiguam materiam nactus in seipsum debacchatur. 232.15

Israëlita.

Israëlitæ dum concordes inuincibiles erant, & maledictionis incapaces. 268.8

Iudas.

Iudas damnatus, quia Christum pro ipso ex cruce pugnantem, inque omnia se extendentem expectare noluit. 445.14
Iudas Christum strictissimo emptionis venditionisque iure tradidit. 449.1
Iudas indignè de vltronea Christi charitate existimauit. 450.1
Iudas pœnitentia motus contractum de Christi venditione retexere conatus est. ibid.
Iudas suismet in Christum machinis periit. 274.4
Iudas vipera Christi caput osculo petit, sed mox in pœnam discerpitur. ibid.
Iudas ex eo grauiùs peccauit in proditione, quia nec indigus erat, nec inglorius. 85.14
Iudas per frequentata furta in proditionis barathrum fluxit. 122.12
Iudas Domino infensus, quod de eius magnificentia sordidè sentiret. 381.4
Iudas obstinatissimus, qui tanta Domini in Eucharistia suauitate flexus non est. 427.10
Iudæ auaritiæ famem Christus tota diuinitatis suæ plenitudine in Eucharistia satiare nequiuit. 416.9
Iudas cur Christi pretium palàm in templo proiecit? 381.4

Iudæi.

Iudæi plura perpessi sunt, ne Vespasianum Dominum appellarent. 31.30
Iudæis Christi mors pessima, à Deo non imperata fuit. 450.3
Iudæi quid existimarent de nomine Dei Iehoua, à Messia inueniendo? 486.24
Iudæi genimina viperarum spirituales Patres occidentes. 274.5
Iudæorum populus parua temnens in grauissima scelera lapsus. 120.6

Iudex, & iudicium.

Iudices iniqui iniquos fouent. 362.6
Iudex auro constitutus quî poterit illud toruis oculis intueri? ibid. 7
Iudex quisque sibi est in causa, quam ab aliis bene sibi exigit fieri. 323.7
Iudicium Dei de nobis in nostra est potestate. 296.12
Iudicium non sine cunctatione ferendum. 186. per totam adnot. 5
Iudicij dies latentia nunc sanctitatis opera propalabit. 314.2

Iuramentum.

Iuramentum est illa Pauli obtestatio, *testis est mihi Deus.* 76.4

Iurgium.

Iurgia contentionibus seminantur.
Iurgium nullum est, si conuicia miscentur. 309.5

Iustitia, iustus, & iniustus.

Iustitia moderatione temperanda. 211.6
Iustitiæ cur modus à Salomone adhibeatur? ibid.
Iustitiæ aditus vnicus, peccatorum multiplex. 296.13
Iustitia eget amicitia. 299.5
Iustitia à Deo nata, cœlum spectat, vulgares fauores dedignatur. 314.1
Iustitia sui maius præmium. 315.7
Iustitiæ lux, vt & Solis nequit carcere aliquo occludi. 293.14. & 15
Iustitia sibi parca est, aliis diffusa. 322.4
Iustitiam violant partiales in communitate familiaritates. 82.5
Iustitia non modò loquelam, sed clamores mortuis reddit. 199.5
Iustitiæ venia peccatorum adscribitur. 450.14
Iustus cur ex toto corde clamare dicatur à Dauide? 199.5
Iusti peccatores se reputant. 331.10
Iustus pupilla oculorum Dei, eum qui lædit, lædit Dei pupillam. 275.8
Iusti omnes dicuntur vnus. 263.3. & 293.3
Iusti morientes, iniusti dum viuunt, se bonis dedicant. 253.7
Iusti sors Dei. 472.13
Iustis flagella, vibices, & cruciatus, aureus torques, & dignitatis Regiæ insignia sunt. 72.10. & 11
Iusti oculis assimilantur, cur? 112.5
Iustus vel de minima Dei offensa grauiter dolet. 115.6
Iustus se accusat, alios excusat. 314.23
Iustus, qui per bona opera dicitur firmamentum, ea celando, fit cœlum. ibid. 3
Iusti Dei sunt numularij. 310.8
Iustus quilibet Christi pectus amore vulnerat. 84.7
Iusti exemplar sunt omnia vel minimam labem, aut leuem tactum sentientia. 113.7

Iniusti.

Iniusti nec clamare, nec loqui possunt. 199.5

Iniustos

Iniustos Deus sustinet, vt iustis meliùs diuina misericordia innotescat, vel quia præuidet alios ex ipsis iustos orituros: quia expectat ad pœnitentiam.
Tandem ad gloriosiorem iustorum, qui ab ipsis oppressi sunt, triumphum. 281.7
Iniustis pedem ad iustitiam referre difficile est. 291.4
Iniusti fœtidum fumum emittunt, iusti odorem. 298.19

Iuuenis.

Iuuenes muneribus inepti. 359.8
Iuuenes quoque mors rapit. 232.14

L

Labores.

Labores fructuosi. 242.7
Labores lux mentis. 244.5.& 284.5
Labores probos depurant, improbos deteriorāt. ibid.6
Labores addunt animos. 245.10
Labores in salutis monetam recudit diuina Prouidentia. 199.3
Labores consecrant. 279.11
Labores pretiosissima margarita, quibusuis opibus æstimabilior. ibid.13
Labores animæ sponsalia sunt matrimonio cum Christo. 260.16
Labores pro Christo tolerati beant. ibid.8
Labores optimis quibusque Deus largitur, & dignioribus. ibid.
Labores pro Christo ferre, nota filiorum Dei. 282.9. & 285.2
Inter labores animus erectus, iucundum Deo spectaculum. 282.10
Labores præmium, & messis meritorum. ibid. 10. & 11
Laborum magisterium. 283.adnot.2
Labores edomant durissimos quosque. ibid.2
Labores bonum latronem Christi regnum docuerūt. 283.3
Labores cogunt in iugum quantumuis recusatum. ibid.4
Laboribus si careat peccator, infelix, felicissimus si è contrà. 284.5
Labores oculos, & aures veritati percipiendæ disponunt. ibid.7
Laboribus non fieri meliorem, acerbum. 285.10
Labores ad incrementum meritorum mittuntur à Deo. 284.3
Labores alimentum spiritus. 283.1
Laborum doctrina prima ætas imbuenda est. ibid.2. & seqq.
Labores qui ignorat, abeat ad bruta animantia. ibid.3
Labores ditant. 286.4
Laboribus vt lacte paruuli in Christo nutriuntur. ib.5
Labores ad spiritualem perfectionem attollunt. 287.7
Laboribus consolationes inuisceratæ. 219.9
Labores dant vires, (vt ita dicam) ipsi Deo insuperabiles. 225.8
Laborum impatientia ipsum Deum audet accusare. ibid.9
Labores renitenti muliebris animus. ibid.10
Labores aliorum ex nostris debemus credere. 305.5
Per labores regnum obtinendum Christus testamento reliquit. 351.11.& 355.7
Ni laboribus Christus, vt & cæteri beati gloriam obtinuisset, rubore quodammodo suffunderetur inter ipsos. 352.13
A laboribus qui nos auertit, sit nobis dęmon. ibid.14
Labores syderibus homines inserunt. ibid.adnot.4.
Laborum pala Dominicam aream purgat. 353.2
Labores qui sibi optant, sapienter cogitant dę sua salute, qui fugiunt, stolidè. 354.4
Labores qui fert, Christi aduentum testatur. ibid.6
Labores legitimus in cœlum aditus. ibid.
Laboribus natura nos educat. 371.11
E laboribus certior spes consurgit. 352.13
Labores cœleste regnum antecedunt. 353.3
Labores sustinentia vincuntur. 354.4
Laboribus qui se exercet, carnem suam Christi sanguine tingit. 356.9
Laboribus stabilitur regnum. 503.2
Labores non animæ solùm, sed & corpori vtiles sunt. 504.4.& 5
Laboribus cœlestis via sternitur. ibid.5
Laborem sequitur felicitas, quasi noctem dies. 505.6
Maturi voluptatis, & gaudij fructus, non nisi per labores. ibid.7
Labores patienter tolerati diuinum quid pręseferunt. 518.14

Laborantes.

Laborantium pulchritudo Angelicæ par. 280.5
Laborantibus subuenire, de nobilium ingenio. ibid.
Laborantibus commiseratio quasi balsami ros. 205.4
Laborantibus se Dei Filius iungit, vt numerum faciat. 279.2
Laborantes fratres appellat Christus. 351.12

Lacryma.

Lacrymæ diuitum quæ? 321.1
Lacrymæ in obitu Christianorum infidelitatis plenæ La sunt. 236.1
L crymæ legationem suscipiunt pro delictis. 238.5
acrymas in aliorum doloribus nobis ipsa natura suppeditat. 305.3

Lætitia.

Ex Christi seruitute maxima lætitia percipitur. 21.1. & seqq.

Lasciuia.

Lasciuiæ dediti se ipsos comburunt, & famam denigrant. 80.14

Latro.

Bonus latro plus accepit quàm rogarat. 380.2
Bonus latro quo titulo misericordiam speraret. 304.2
Vterque latro, prædestinatorum, & reproborum typus. 365.14

Laus.

Laudem promeretur vel tentasse magna. 272.8
Laudem ab hominibus aucupans desipit. 311.13
Laudibus inhians incidit in vituperia. ibid.14
Laus serpentis Euam decepit. 312.16
Laus humana quid prosit? ibid.15
Laudes hominum non curare, proficere est. 315.7
Laudes propriæ recusandæ, si cum inuidia aliorum. 323.8
Laudes coram dictæ derisiones. 364.12
Laudes suas iactant ambitiosi. 341.5

Lazarus.

Cur ad excitandum Lazarum expectauerit quatriduo Christus? 220.10

Lepor.

Lepores sæpe contumeliosi, sæpe pungunt acriter. 309.5

Lex.

In lege gratię prodigè Deus, & laxatis charitatis habenis se profudit hominibus. 476.5
Lex noua à veteri discriminatur per Eliam, Elisæúmque binos pueros suscitantes. 477.6
Omnis veteris legis perfectio claudicabat, lex gratiæ perfectissima est. ibid.7
Lex Dei vt pupilla oculi nobis tutanda. 113.6
Legis diuinæ, nec iota, vel apex prætereundus. 112.4
Lex præscribens primogenita gregis tonderi æstate, non hyeme, quid sibi velit? 311.11

Libanus.
Libano perpetuus candor. 402.12. quod & nomen ipsum innuit. 403.12
Liberalitas.
Liberalitas industrior,quo rectior. 315.5
Liberalitas in opulentos suspiciosa.381.8.auget opes. 383.10
Liberalitas etiam quæ non habet largitur. 381.3
Liberalitas commendatur. ibid.
Libertas.
Libertas exercenda est in contemnendis maleuolis. 313.19
Libertate se abdicat,qui nobiliori adhæret. 385.3
Libertas homini seruitus Christi. 15.1
Libertas peccantium,seruitus est. 16.7.& ibid.5
Lingua.
Lingua peccatorum ligata,ne clament. 199.5
Lingua blanda cur meretrix apud Salomonem loquatur. 200.10
Linguas mordaces habentes genimina viperarum. 274.5
Lis.
Litem parit contentio. 308.2
Littera.
Littera Hebræa,*Sin*,dentes significat,cùm maximè lętantur secundùm Hieron.vel super vulnus,secundùm Ambr. 485.21
In litteris tyrannis turpissima.
Litterarum harmoniam concors discordia cōponit. 309.6
Locuples.
Locupletes Christo solent esse dissimiles. 326.3
Locus.
Locum quisque suum teneat, nec petat altiorem. 361.3
Locum à Deo designatum qui seruat,pro ipso æternum habebit. 365.14
De loco non contendendum. 313.19
Locus Pauli,*qui cùm in forma Dei esset, &c.* fidei stabiliendæ,& moribus efformandis, præ cæteris versatur, de ipso expositiones variæ.332.1.Sequentium verborum, *non rapinam arbitratus est*, explicatio. 337.3
Lucrum.
Propter breue lucrum discinditur sæpe amicitia. 319.3
Lucri amore frequentiùs fluit sanguis humanus. 333.13
Lucrum ex rebus sacris meditantes seuerè puniuntur. 362.8
Ludus.
Ludi instauratiui qui fuerint. 296.12
Luna.
Luna in sanguinem versa imago Principum populo, vt præda abutentium. 257.8
Lutherus.
Lutherus malignè autumauit omnibus obsequium præstandum. 313.20

M

Machabæi.

MAchabæorum fortitudo tyrānum, & cruciatus prouocantium. 273.10
Magdalena.
Magdalenæ Christi vnctioni, quî sacrificium Christi in cruce fuerit simile. 298.9
Magistratus.
Vide,dignitas,munus.
Magistratus qui indignè,cathedram Christo vsurpāt. 362.5
Magistratum malis artibus adeptum vix boni mores felicem reddunt. ibid.6
Magistratus turpiter parati,turpiter quoque venduntur. ibid.7
Magistratus immeriti exitiosi sunt. 363.9
Magistratuum ingens onus. 364.2
Magistratus insipiens,& honore indignus, quo sublimior, & deformior, & irrisionibus patentior. ibid.12
Magistratus pro donis diuendere iniquissimum. 383.11
Magistratus deligendi quales lex dictat. 358.6
In Magistratibus distribuendis plus temeritas,aut casus,quàm ratio,& consilium valent. 359.9
Magistratus sine meritis inuecti anticipant Antichristi tempora. 360.10
Magistratus malè in fœminarum dotes assignantur. ibid.11
Magistratus acerbi sunt hominibus illis inferioribus. 361.3
Magnanimus.Magnanimitas.
Magnanimus calamitates pro lusu habet. 341.9
Magnanimus nihil ad ostentationem refert. 310.9
Magnanimitas demissione mensuratur. 314.3
Magnanimitas conuenit cum humilitate. 328.5
Magnanimus parcit iactantiæ. 339.7
Magnitudo.
Magnitudinem non dat superbia. 345.8
Maiestas.
Maiestas sine bonitate non est. 378.8
Maledictum.
Maledicta, quibus mali iustos proscindere intēdunt, Deus vertit in benedictiones. 238.7
Malitia.
Malitia suas in se manus acuit. 275.7
Malus.
Mali improbant in aliis, quod facerent ipsi si possent. 343.11
Malorum machinæ in iustos, viperinus partus quo se ipsos dilaniant. 274.5.& 6
Manna.
Manna omnifarium in se saporem, pro comedentis arbitrio,continebat. 423.6
Mandata.
Mandata Dei vt pupilla oculi nobis seruanda. 113.6
Ab vnius mandati solutione cunctorum pendet.122.11.& seqq.
Manahen.
Manahen Herodis Tetrarchæ collactaneus.
Mansuetudo.
Mansuetudine nihil violentius. 395.11
Manus.
Manuum impositio in Scriptura ad varias functiones adhibebatur. 364.11
Manuum mentio cur in sponsæ descriptione non fiat. 41.12
Mardochæus.
Mardochæus, qui dignus honoribus, honoratur. 358.7
Maria.
Virginis Mariæ immaculata conceptio, illiusque illibata puritas.
B.Deiparæ Mariæ conceptioni purissimę admilitatur. 396.adnot.6.& 405.adnot.8
Ex Christi immaculata conceptione,Diuæ Genitricis licet argumentari. 398.5
Nec B.Mariam prædicat, nec diligit, quantum meretur,quisquis illam originis culpa somniat deturpatam. ibid.
B.Maria Patris æterni,& diuini Spiritus puritatem,& candorem imitatur. 399.6
Ex

Ex imputribilibus lignis, nimirum, carne Mariæ, & Dei spiritu, Christi testamẽti arca est effecta. 399.6
Deipara nunquam non lucida. ibid.
Amiantho adumbratur. 400.6
Natura humana peccato originis subiecta, in Virgine sola illæsa permansit. ibid.
Beatissima Maria ea Filium Dei suscepit puritate, vt eius licèt è cœlo aduentus fuerit fortunatissimus. ibid.7
Dei sapientia habitauit in corpore D. Virginis, vtpote peccatis non subdito. 401.8
In Mariæ generatione, originalis labis, vel nomen, & vmbra silentio prætenduntur. ibid.9
Ex quo D. Maria concepta fuit, eundem tenuit puritatis tenorem. 401.11
Eius pulsus à diuino corde regebatur; & intercidens aliquis ictus, mortalis, scilicet, dimanaret? ibid.
D. Maria arca sanctificationis. 400.7
Quæ eundem cum æterno Patre Filium erat paritura, an non omni puritate decoranda? 399.6
B. Maria non contraxit peccatum actuale, ergo nec originale. 398.5
B. Maria, & eius Filius ad alium hominum ordinem pertinent. ibid.
Virginis conceptio cœlestis. 398.5. & 408.8. & aliis.
Ab ea Christus matre, patréque genitus homo est, apud quos nec momenti fuerit obumbratio. 399.6
Pater æternus suæ gloriæ splendorem, & figurã substantiæ visceribus labe originali aliquando infestatis committeret?
Ob beatissimæ Mariæ immaculatum candorem Verbi diuini aduentus, non casus fuit, sed transitus è Patris in Matris sinum. 400.7
Tam gratum Christo domicilium intaminatus Mariæ vterus præbuit, vt ob auulsionem ab eiusmodi deliciis peculiarem patris protectionem fuerit deprecatus. 401.8
Dei omnipotentiam quid retardaret quo minus suam genitricem originali labe liberaret? 401.11
Cur in sua conceptione de Libano vocetur? 403.12
Deipara terram originalis peccati sordibus maculatam tectis pedibus calcauit. ibid.13
Deipara in sua conceptione cœlestem gratiæ halitum spirauit. 404.15
Maria area pura, absque vllo peccati ædificio aut semine. ibid.17
Mortalium cæteri priùs imaginem terreni Adam, sola Deipara imaginem cœlestis portauit. 401.8
Mariæ originalis puritas Dei Filium allexit, vt ex ea carnem sumeret. 399.6
Mariæ extimam gratiam qui in eius formatione curauit, scilicet neglexerit interiorem. 400.7
Maria speculũ sine macula diuinæ Maiestatis. 401.11
Ei semper natiuus fuit candor, non superinductus. 403.12
Calceamenta ni tollas, hoc est, ni præposteram de Virginis conceptione affirmationem deposueris, ad ipsius gloriam contemplandam ne accede. ibid.13
Prima Deiparæ plantatio floribus, & fructibus illustrata est. 404.16
Maria terra Sacerdotalis nullum peccati vectigal Ægyptio Regi, dæmoni tributans. ibid.17
Dæmonem, & peccatum debellaturus Christus è tentorio vtrique quondam subiecto erumperet? 405.17
Christi progenitores liberi fuêre, sed Virgo liberior, vtpote à labe originaria immunis. 404.17
Christi sanguis nullã inuenit maculam, quam in Deipara elueret. 403.12
Deipara figuratur per terram illam sanctam omni maledictione expertẽ, benedictionibus refertam, quã interdictus est Moyses calcare calceatus. 404.14
Virgo lilio, & non rosæ comparatur, vt de originalibus spinis nihil habere significetur. ibid.16
Cum Christi puritate minùs certè sancti coniugij vsus, quàm originalis macula in matre videtur pugnare. 405.17
Maria non sub infausto originalis infectionis climate, sed diuini fauoris, & gratiæ benignissimo sydere concepta est. ibid.2
Virginis fundamentum pretiosissimum. 406.1
Cæteris fidelibus Christus oleum, suæ genitrici myrrha præseruatiua fuit. ibid.3
Per lapidem primarium Virgo designatur. ibid 4
Locus Zachariæ: *Exæquaui gratiam gratiæ eius*, dupliciter de Virginis conceptione explicatur. ibid.
Primus eius in mundum ingressus oliuis, & palmis ornatus, Deo iucundissimus. 407.5
Deus homo nasciturus talem sibi condere debuit matrem, qualem & se decere sciebat, & sibi nouerat placituram. 405.17
Virgo Dei templum spiritu aptatum, & consummatum. 405.2
Deo singulariter consecratum. 406.3
A sua prima constructione Christus in illius fundamentum se subiecit, & crucis trophæum iam tunc in illa extruxit. ibid.
Componuntur vera, & propriissima Christi redemptiò, & Mariæ à delicto originis præseruatio. ibid.
Mariæ conceptio cum Christi conceptione quantum ad exemptionem à peccato pariatur. 407.4
Deus singulariter Virginis adiutor in opportunitatibus. ibid.6
Vnica Virginis opportunitas, in qua Deus illi esset adiutor fuit conceptio; quippe ex doctrina S. Thomæ in reliquis opportunitatibus sibi Deus consulebat. ibid.
Portum huius vitæ tenenti Mariæ Deus manum porrexit, ne vt cæteri in ipso ingressu periclitaretur. 408.6
Mariæ radices defæcatissimæ. ibid.7
Non à terra, sed à cœlo, & gratia tractæ. ibid.8. & 9
In sui conceptu palmæ similis fuit. ibid.9
Floruit, fronduit, germinauit non plantata, nec terræ succo animata. 409.10
Cur Mariæ parentes sacra historia silentio prætermittat. ibid.11
Virgo in sua conceptione turris pulcherrima dæmonis machinas præuidens, & retundens. ibid.12
In ea quantumuis perspicacissimi oculi nihil turpe possunt introspicere. 410.14
Suam Deus matrem, & sponsam originali labe sineret infestari, & à dæmone per summam ignominiam agi in triumphum? 411.15
Maria luci nostræ honor. 412.16
Dei Filius hominis forma passus est, vt suos homines peccato eriperet: Spiritus sanctus columbæ forma non est passus, quia eius columba Maria nullum habuit peccatum à quo liberaretur. ibid.17
Eruditorum, & rudium vniuersale testimonium pro Deiparæ immaculata Conceptione diuinum est. ibid.18
Maria peccati originalis virus vehementi spiritu difflauit. 410.12
An è primis parentibus nondum peccato perditis seruata fuerit particula, ex qua B. Virgo fuerit efformata. 408.8
Deipara purissima margarita, cuius conceptus ex solo cœli rore constat. 409.9
Pulchrè dicitur virga ex trunco præciso egressa. ibid.10
Deipara ab Adamo genita fuit, sed ab Adamo, qui

Vellazq. in Epist. ad Philippens.

fuit Dei. ibid.11
Virginis omnimoda pulchritudo pulchrè ab sponso commendatur. 410.14
Virginis dos gratia originalis. 412.16
Vt Virginis integritas obscuraretur, callidè Iudæi Christo fratres,& sorores ingerebant. ibid.17
Maria Dei liber omni errato carens,vtpote quem attentissima Dei scripserit manus. 410.14
Item Dei tabula interitus,& lituræ impatiens. ibid.
Virginis liberatione à peccato originali, suam Deus fortitudinem voluit ostentare. 411.15
Piissimam de immaculata Virginis Conceptione sententiam consensus populorum, miracula, & vetustas confirmant. 412.18

Mariæ humilitas.

Mariæ Virginis humilitas crescit iuxta eius celsitudinem. 10.14
Lilio comparatur ob humilitatem in ipsa humilitate auctam. ibid.15
Itidem Lunæ. 11.16.& 17
Cedrus typus Virginis præcelsa,& humilis. ibid.
B.Maria humilitate concepit Filium Dei. 328.3

Variæ Dei genitricis prærogatiuæ,& laudes.

Mariæ excellentia,quæ dum indulget amori materno fertur in Deum,dum diuino in Filium. 46.5
Maria plena gratiâ adhuc Deum sitiebat. 92.9
B.Maria Verbum diuinum emittens,quod in Deo honoris,gloriæ,& virtutis est,imitatur. 280.6
In B. Mariæ vtero Dei Filius pax factus est. 302.3
Beatissima Maria virginitate Deo placuit. 328.3
B.Maria iuxta crucem stabat Dei mater. 325.13
Pius Virginis affectus erga humani generis salutem. ibid.
Sanctissimæ Matris gloriam suæ præposuit Christus, dum maluit de suo ortu,quàm de illius pudore dubitari. 346.9
Cur B. Deipara dicatur ferculum Deo de lignis præparasse. 408.8
B.Maria nunquam non matet. 374.5
In eius vtero Christi cum Patre nostræ salutis contractus initi sunt. ibid.
Ibidem Pontifex consecratus est. ibid.6
In Mariæ vtero immensus Dei Filius abbreuiatus est. 377.3
Mariæ,& Christi caro adeò fuit eadem,vt non minus ex Christo Maria, quàm ex Maria Christus formatus videatur. 401.10
Virginis caro Christi materia fuit. 399.6
Maria mons in solium Deitatis erectus. 400.7
Eius nobilitas plusquàm humana. 401.8
De Deipara iure eadem,quæ de diuina sapientia prædicantur. 402.11
Eius vterus Dei Filij propriissimum centrum. 401.8
Mariæ,& Christi laus non tam communis, quàm eadem censenda est. 401.10.& 402.11
Totum salutis humanæ negotium singillatim ad Deiparæ gloriam retulit Deus. 405.17

Martyr,Martyrium.

Martyrum passiones demissis oculis Angeli venerabundi spectant. 72.13
Martyres lilio in sceptri formam surgenti, & malo punico coronato comparantur. 72.14.& 73.15
Martyrum in tormentis gaudium, gloria, triumphus. ibid.1.& seq.
Triumphat in Martyribus Deus. 75.12
Martyres egregia dilectione seipsos mutuò diligunt. 80.11
Martyrium non admittit, nisi fratrum amore instructus. 293.5
Martyrij dignitas admirabilis. 350.9
Martyribus se Dei Filius adscribit. 278.1
Martyres tormentis, & pœnis in diuinos cōsecrantur. 279.2
Martyribus ministrant Angeli. ibid.4.& 5

Matrimonium.

Ad matrimonium contrahendum requiritur libera consensio. 452.11
Matrimonia inter pares contrahenda. 385.3

Mater filiorum Zebedæi.

Filiis temporalia exoptans reprehenditur. 91.11
Nesciebat quid peteret, quod dum Christi sinistram vni filiorum exorabat,damnationem ei inconsultò petebat. 499.64

Medicus, Medicina.

A medico plus sæpiùs periculi,quàm à morbo. 241.1
Medicinam prisci reprobarunt, quod bonum mortis homini differret. 234.4
Medici acceptiores, qui sibiipsis applicant medicamenta. 392.2

Medium.

Medium in Bibliis pro corde sumitur. 322.4

Mel.

Mel rusticorum votum. 246.14

Membrum.

Membrum de membro esse fideles, quid significet? 303.6
Membrum Christi perfectum non est, qui aliorum caput se esse permittit. 341.6

Memoria.

Memoria non excidebant Paulo etiam inter vincula, inter tribunalia sibi traditæ oues. 65.1

Mendacium.

Mendacium vt sua sponte exoritur, sponte decidit. 51.1
Mendacij ars simplicitati, ac veritati opposita. 200.9
Mendacij ars facilè deprehenditur. ibid.
Mendacia destruas,si demonstres. ibid.

Mens.

Mentem turbat contentio. 308.2
Mens viri sancti firmamentum,& cœlum. 314.3

Mensura.

Mensura Dei est sine mensura. 380.2

Merces.

Merces rectè facti non ex fama, sed ex ipso petenda. 310.9
Mercedem à Deo perdit, qui ab hominibus requirit, 311.11.& 317.13
Mundus totus iustis non est digna merces. 311.13

Meretrix.

Quæ de meretrice Prouerbiorum 4. 18. in sensu literali accipienda esse pro cupiditate. 17.10
Meretrix apud Salomonem, cur blanda lingua,mollibusque sermonibus loquatur. 200.10

Merita.

Sua merita recensent ambitiosi. 341.5
Merita legitimæ dignitatum ianuæ.356.9.& adnot.5
Merita dignitatibus sociata alternis præconiis adiuuantur. 358.6
Meritorum facies addita sibi munerum venustate pulchrescit. ibid.
Plus fauore,& propinquitate,quàm meritis innixi discipuli primarias sedes petebant, sed expelluntur. 359.8
Merita melius auspicium munerum feliciter administrandorum. 360.adnot.6
Meritis pusillum, magnis imperiis superpositum quis non rideat? 363.9

Metus. Vide Timor.

Metus mala auget. 236.8
Metus in morte parum felix omen. 249.8
Metu laborum plusquàm laboribus ipsis verberamur. 269.1.& 270.2

Metus omnium peccatorum, ipsiusque damnationis origo. ibid.3

Minor.

Minorem aduersus maiorem non insurgere imbecillitatis est indicium, non humilitatis. 337.2

Miser, Miseria.

Miserorum acuti gemitus superant raucum strepitum sine misericordia orantium. 295.9

Miseriæ iam non possunt despici, ex quo Christus eas consecrauit. 326.3

Miseratio.

Miserationis affectus hominis tegumen, & defensio. 308.12

Misericordia.

Misericordia in proximos orationis lingua. 295.9

Misericordiam facilùs præstat, qui miseriam expertus est. 305.2

Misericordia facilè inuenit causas miserendi. 307.10.

Misericordiam impetrat misericors. 320.7

Misericordiam debemus aliis, quod homines simus. 305.2

Misericordiam trahimus à natura. 308.12

Misericordiæ viscera quid? 289.1.& 378.6

Modestia.

Modestia externi hominis, quanti à S. Bernardo fiat. 113.7

Momentum.

Momentùm stateræ, quid apud Isaiam? 388.1

S. Monica.

S. Monicæ ante mortem, mundi flores aruere. 232.11

Mori, Mors.

Mortem ob aliorum vtilitatem velle differri ingentis est animi. 215.7.& 250.15

Morientes inuiti, quid præmia cœlestia expectent? 225.9

Mors non solùm cum patientia, verùm & cum lætitia excipienda. ibid.

Mori renuens mauult Deum emendare quàm se. 226.10

Mortem cur timeamus non est, ex quo Christus de ea triumphauit. 354.4

Mors atrociter inflicta, cur calicis nomine in Euangelio denotetur. 335.8

Morri tūc maturescis, cùm sæculo arescis. 229.adnot.3

Mortis fella, fellea si tibi sint terrena, exarmasti. ibid.

Mortis aculei cur in Ezechiam præacuti, hebetes in Agag? ibid 2

Mors æterna libertate non donabit vitiorum, vel cupiditatum captiuum. 230.3

Mors cum piis se habet velut cum nauigantibus, quos periculis ereptos lætissimos reddit portui: cùm impiis velut cum piscibus, quos salo extractos tradit tremoribus, & perennaturo interitui. ibid.4

Mors non angit à terrenis liberum, sed ipsis deuinctū. ibid.

Moritur opportunè, qui antea mortuus est. ibid.5

Mortuum te inueniant, quæ sæculi sunt, quæ Christi, viuum, & paratum. 226.1

Morti paratos Christus nos vult, cùm præcinctos. 231.6

Mori assuescamus per segregationem à sæculi voluptatibus. ibid.

Mortis imaginem suscipiat animus, ne pœnam mortis incurrat. ibid.

Optima mortis expectatio, suspendium. ibid.7

Mortis symbolum myrrha. ibid.8

Mortem in manibus habentes Christo Domino obuiam eamus. ibid.

Moriturus ad terrena impedimenta ne attēdat. ibid.9 Abiiciat. n.10

Mors in nobis quàm paucissima, quæ abolere possit, inueniat. ibid.

Paulatim rerum renunciatione moriamur, & in habitationem cœlestem nos transferamus. ibid.

Ante mortem bona nostra in cœlum præmittamus, vt ibi inueniamus, quæ alioquin perdemus. ibid.

S. Martyribus Nereo, Achilleo, & Domitillæ, ante mortem mundi flores aruerant. 232.11

Non erit acerbum mori, si corpore, vt calceamento vtamur. ibid.12

Mors, & vita idem habent exordium. ibid. 14

Mors incerto impetu fertur in ætates. ibid.

Mori possunt statim iuuenes, senes viuere nequeunt. ibid.

Mortis falx impendet canis albentis capitis. ibid.

Morti nullum negotium facessit mortalium fortior. ibid.

In mortis occasum vergens, ne casso labore ad vitæ ortum se reuocare studeat. ibid.15

Mortem nemo in conspicuo habet. 233.17

Mortis certissimis nunciis, vt affectæ senectuti, & immedicabilibus morbis sæpe homines fidem non habent, adeò temporalibus obcæcantur. ibid.

Mors insipientibus iactura, sapientibus lucrum. ibid.1. & seqq.& 223.7

Mors peccata præcidit, & ne mala nostra immortalia sint, efficit. 236.adnot.5

Mortis pœna in misericordiam cessit. ibid.

Mors minùs incommodorum habet, quàm vita. 233.1

Mors remedium vitæ, omniumque eius malorum. ibid. 1.& seqq.

Vita homini peccati pœna, mors pœnarum meta. 234.2

Mors tempestiua optimum bonorum. ibid.

Exulat Adam Paradiso, ne de ligno vitæ fortè gustās, mortem vitaret, & pœna perennaret, & peccatis. 238.6

Mors hominis discessus est, natiuitas casus, & præcipitium. 234 4

Mors portus. 248.4.& 251.1

Mors omnium consummatio malorum. ibid.

Mors optimum naturæ inuentum. ibid.

Feliciores, qui priùs è rebus humanis tolluntur. ibid.3

Mors gustui debet esse. 252.5

Cum morte velut cum parentibus, fratribusque lætandum. 235.5

Mors dulcis somnus, quies, & oneris excussio. ibid.

Mors à Deo in præmium conceditur. ibid.& seqq.

Mortem recusantes, dignè longa vita castigantur. 236.7

Mors vita vocanda, & è contrà. ibid.8.& seqq.

Mors multiplex ipsa vita. ibid.

Mors vera absentia Dei. ibid 9

Grande emolumentum mors, peccandi occasiones auferens. 236.1

Mortis pignus ipse Christus. 237.3

Mors vera libertas. ibid.

Mors insigne beneficium, quo Deus homines à dæmonibus discriminauit. 238.6

Morte naturæ humanæ vas dissoluitur; postea sordibus, quas acceperat, eluris in pristinum statum restituendum. ibid.

Etsi Deus nobis mortem velit, sed non perpetuam. ibid.7

Mors præpropera solet esse rectè anteactæ vitæ præmium. ibid.8

Mors Sanctorum, cur dicatur ascensus. 239.9

Mors non solùm probis, sed & improbis optanda. 240.12

Mors cum sceleratis dissimulat, multiplicatum tandem fœnus de illis exactura. ibid.13. & seqq.

Mori non metuens cœlestis planè homo. 248.4

Mors reditus est in patriam. ibid.

Mori facile,& suaue,laxam terrenorum catenam trahenti. ibid.5.& 6
Martyri Thomæ mori nihil fuit. ibid.5
Ea facilitate debemus animam ponere, qua vestem. ibid.6
Iusti exeunt è vita,extrahuntur iniusti. 249.7
In morte non tam timendum,quàm sperandum.ibid.8
Mortis metus non ad ipsam,sed ad vitam referendus, & ad iam iam impendentia supplicia. ibid.
Non moriendum Numinis iniussu. ibid.9
Mors hominis res parui momenti, nullius negotij. ibid. 10.
Decedentes in gratia ante resurrectionem generalem Dei visione perfundendos, ex Paulo stabilitur. 250.13
Mors Ethnicis aliquale solarium; summum Christianis. ibid.15
Morte non amittimus, quos cœlo præmittimus. ibid.
Mortem Christianorum deplorare infidelitatis est. ibid.
Propinquis, aut amicis sæculo in cœlum exemptis gratulandum. 251.2.& 252.5
Non moriuntur,qui Deo viuunt. 251.3
Mors iustorum gloriosa exodus, illustris triumphus. 252.4
Sancti, licet nostro hemisphærio occidant, æternitati Sole clariores exoriuntur. ibid.
Mors assumptio,& vera natiuitas, qua cœlo parimur. ibid.5
Aliorum morti indolentes, vulgus. 253.6
Mors firmamentum est,& eleuatio. ibid.8
Mors pretiosum fundamentum immortalis ædificij. 254.9.& 10
Vt quisque sibi moritur,ita & sibi nascitur. 319.4
Vnum è mortis commodis redemptio. 373.3

Mortificatio.

Mortificatio animum extra cupiditatum rabiem sublimat. 231.6
Mortificatio aditum in nobis Christo reserat. ibid.8

Mos.

Mores dispares nulla vi queũt in amicitiã coire.291.4

Moyses.

Moyses legem allaturus aduenit mundo, Christus salutem. 486.25
Moyses sese pro suis Dei indignationi obiecit. 396.13

Mundus.

Mundus sine alis suos præcipit volare, cui eas præstat, agit in ruinam. 24.23
Mundi sermones molles, quibus simplices implicantur. 200.10
Mundum malis refertum cæci amamus. 233.16

Munificentia.

Munificentia opes dum dissipat, comparat. 383.10
Munificentia solis pauperibus erogat, vel ita, ac si illis erogaret. 381.5

Munus.

Vide Dignitas, Magistratus.
Munera Deo oblata sine fraterna charitate, vacua sunt. 294.7
Munera à solo Deo sunt accipienda. 342.9
Munera cum magno delectu Deo offerenda. 347.3
Munera demeritis iuncta sordescunt,cum meritis splẽdescunt. 358.6
Munera in senes quadrant. 359.8
Ob munera impetranda turpiter seruitur. ibid.9
Muneribus obtinendis compendiosa,& salebris libera via inuenta est. 360. 11
Munerum recta administratio à meritis dependet. ibid.adnot.6
Munera qui à Deo non acceperunt, nec habent ligandi,soluendique potestatem. 361.4
Inepti muneribus seuerè puniuntur; quid indigni? 362. 5
Munera fauore humano adepti,vt se gratos ostendãt, iura peruertunt. ibid.6
Muneribus indignè suffecti, quasi victimæ in occisionem saginatæ. 363.9
Muneri qui sufficitur pro meritis morti, vel vitæ destinatur. ibid. 11
Munera vitiata sunt, quæ dantur his, qui remunerari largè possunt. 381.5
Munera dare beatius,quàm accipere. 383.9
Munera muneribus differre valde periculosum.ibid.11
Munera insensibilitatem afferunt accipientibus,cauterij instar. 384.13

Murænulæ.

Murænulæ inaures obedientiæ typus. 458.12

Mus.

Mures indociles inter cætera animantia, & tamen ruituram domum præsentientes deserunt. 233.17

Mysteria.

Profunda Euangelicæ doctrinæ mysteria lumine prædicationis Apostolicæ reuelanda. 199.2

N

Narcissus.

In Narcisso veteres, homines sui studiosissimos scitè adumbrarunt. 319.4

Nardus.

Nardus typus amoris Dei ob fragrantiam,& humilitatem. 14.1

Nascor, Natiuitas.

Nemo nascitur aliis,sibi moriturus. 320.5
Natiuitatem alicuius nefas est iam de cœlo interpretari. 330.8
Natalis homini præcipitij loco habendus. 234.4

Natura.

Naturæ ratio nos socios facit. 304.1
Natura ipsa in aliorum commiserationem nos compellit. 305.3
Quos natura coniunxit, prauitas disparat. 306.6
Natura hominis imbecillior cæterorum animantium. 308.12
Natura omnibus inditum est misereri. ibid.
Natura calamitatibus nos nutrit. 371.21
Natura humana labe originali infecta benè adumbratur in arbore vitiatæ radicis. 408.7

Necessitas.

Necessitatibus aliorum interdum plusquàm possimus, succurrendum. 382.8

Negare.

Negare se ipsum sibi,quid? 13.9

Negotia, Negotiator.

Negotiator ille est,qui æternæ vitæ comparandæ satagit. 469.3
Negotia aliorum nostris Christi exemplo præponenda. 340.2
Negotium intercessores adhibentis suspectum est. 342.8

Nequitia.

Nequitiæ nulla maior pœna,quàm sibi, ac suis displicere. 343.11

Nitor.

Nitorem curantes immundi Deo. 356.9

Nobilitas.

Vilior sponsa Christi, quæ respicit ad sæculi nobilitatem. 20.6
Nulla humana nobilitas ab aliqua turpi aspergine immunis est. 401.8

Noë.

Noë cur in maledictione Cham,non meminerit Dei, secus

secus verò in benedictione Sem. 52.1

Nomen.

Nomen in Scriptura sæpe significat famam, opinionem, celebritatem, &c. 480.7
Nomen à re significata dignitatem accipit. 481.8
Recta nominum ratio, rerum, quibus imponuntur, naturæ explicationem exigit. 456.25
In nominum impositione multum ab hominibus erratur. 233.1
Nomina sunt rerum thecæ. 294.7
Nomen homo dictum ab humo. 308.12
Nomen Christianorum sine mutua charitate vacuum. 268.11

Nubens.

Nubens ditiori, aut nobiliori, suam illi vendidit libertatem. 385.3

Nudus.

Nudum illæsum permittit abire latro. 332.13

Nummus.

Nummorum amore plures, quæ putantur amicitiæ, rumpentur. 319.3

O

Obduratio.

Obduratio Pharaonis, quæ fuerit? 205.8

Obedientia.

Vide Christus.

Obedientiæ callis nos in æternam beatitudinem deuehens. 431.5
Ex obedientia rebus venit meritum. ibid.
Perfecta obedientia, inexpectata præcepti intimatione, superioris præoccupat voluntatem. 434.15
Obedientia amoris est soboles. 435.15
Obedientiæ definitio. ibid.
Ad perfectam obedientiam maximè necessaria promptitudo, alacritasque in obsequendo. 454.1
Perfectè obediens leges nescit, ita festinus quasi prophetat mandantis voluntatem. 435.15
Obedientia nobis Christi exemplo amplectēda. 455.3
Dei requies perfectè obediens. ibid.5
Obedientia minimum imperium, quasi maximum exequitur. 456.6.
Obedientia quauis mora deuenustatur. ibid.
Duplex obediētiæ genus, & quod auribus percipitur, & quod oculis hauritur, sed hoc illud excellit. 4579.
Perfecti obedientes lapidibus animatis compatantur. ibid.11
Qui non primam Christi vocem obediendo præripit, sed iterati expectat, è grege Christi ouis non est. 458.12
Obedientiam à muræna perdisce, ad viperæ sibilum festinanter ex imis vadis accurrente. ibid.
Murænulæ in auribus obediētiæ perfectæ imago, ibid.
Obedientiæ crux gestanda traditur à Christo. 470.4
Obedientiam omnibus, non vni exhibendam obseruātissimus ille Lutherus volebat. 313.20
In obedientiam rebelles vexationibus compellendi sunt. 284.8

Obiurgatio.

Obiurgatio benignitate adornanda. 210.5

Obsequium.

Obsequium est melius promerendi artificium. 332.11

Occasio.

Occasio idem quod prætextus. 213.2
Occasiones peccati sunt fomites. 314.23

Occidens.

Occidens ætatem decursam adumbrat. 232.15

Occultum, Occultatio,

Occulta semper suspecta. 200.10
Occulta virtutum opera singulariter sponsum deuinciunt. 314.2
Occultatione vitatur Inuidia è præclaris dotibus, aut gestis nata. 315.5

Oculus.

Oculos habet milui, non columbæ, qui quæ aliena vidit, appetit. 81.7
Oculis absolutissima vis speculi inest. 305.3
Oculum mentis conturbat contentio. 308.2
Oculi diuini in benefactis, non humani attendendi. 316.9

Odium.

Odium fratrum, Martyrij obstaculum. 393.5
Odium in alios ignis comburens habentem. 296.12
Omne malum docet facere. 297.14
Odia contentionibus accenduntur. 308.2

Odor.

Odores plus alienis voluptatibus, quàm propriis deseruiunt. 376.2

Officia.

Omnia ab omnibus officia nobis præstari volumus, nobis otiosis, & aliorum commodis indormitantibus. 324.12
In officiis successor non domui, sed Reipublicæ deligendus. 359.8
Officium, quod emisti vendere, gentium ius est. 362.7
Mutua sint officia Dei exemplo. 345.6.&7

Oleum.

Oleum super aliquem effundere, pro, regem illum constituere, Scripturæ phrasis. 479.3
Oleum misericordiam symbolizat, vulneribusque medetur. 485.22

Onyx.

Onyx concordiæ symbolum. 265.9

Opes.

Opum contemptus opulentia est. 330.8
Opes beneficentiæ inexhaustæ sunt. 383.10
Inane omnino est popularis fauoris gratiâ opes exinanire. ibid.

Opinio.

Opinionum inter Catholicos diuersitas mirabilem efficit concentum. 309.6
Opinionem propriam non pertinaciter proposuisse, errori nemini potest imputari. 346.1

Opprobrium.

Opprobria, quæ obiicit, obueniunt exprobrāti. 314.23

Optio.

Optio Christo Domino mundum ingredienti vitæ mortalis, & immortalis data. 368.15. & seq. & 271. adnot.1

Opus.

Operum bonorum partus generosus non est, quem charitas non ediderit. 292.2
Opera bona non propter vanam gloriam facienda. 310.10. & seq.
Opera bona sunt inutilia ei, qui se omnium postremum non reputat. 317.11
Omni artificio bona opera sunt tegenda. 315.5
Bona opera manifestata, aut obscurantur, aut pereunt. 314.3
Operà virtutis, quæ non fiunt vt videantur, lux sunt; quæ ad hominum aspectum, tenebræ. 315.4
In virtutis operibus Deus solus aduertendus, non homines. 316.9
Opera virtutis qui non facit, vt videatur, etsi coram hominibus fecerit, secretò fecisse existimandus est. 317.10
Opera virtutis luceant licet; sed coram Deo. ibid. 13
Opera bona non indigent alio interprete, vt dignoscātur. 318.14

Oratio, Orare, Exorare.

Summo quodam iure, & quasi filiationis naturalis possumus

possumus orare Deum. 34.7.& 8
Omnium salus à Deo omni contentione exoranda. 342.10
Orationes Sanctorum quandoque non exaudiri à Deo, maioris beneuolentiæ signum est. 68.4
Oratio Dominica nihil terrenum habet, omnia cœlestia. 88.1
Orationis Dominicæ suspensa significatione pro omnibus postulare monemur. 307.10
Orationem vnitas fidelium reddit efficacem. 268.9
Oratio sterilis inefficax quoque est. 294.7
Orationem bona conscientia reddit potentem. 295.9
Oratio proximo offensi, Spiritus sancti aduocatione destituitur. Quid impetret? 304.10
Pro omnibus discriminatim orandum. 307.11
Potiùs suo iuri, quàm suorum orationi Christus voluit derogari. 324.11
Sibi in primis consulit, qui pro publica vtilitate Deum orat. 325.14
Exaudiuntur pro aliis orantes. ibid.15
Orantium vota Deus excedit. 380.2
Orans non sua bona, vel mala, merita, sed Dei liberalitatem attendat. 381.3

Orbis.

Totus orbis cur vnicum opus in Scriptura vocetur? 306.6

Os.

Oris apertio quid apud Paulum? 290.8
Ore ingenti loqui quid in Seneca? ibid.
Os sumitur pro desiderio. 381.3

Osculum.

Osculum pacis, signaculum est orationis. 394.8

Ostentatio.

Nihil ad ostentationem agendum. 310.9.317.13.& 315.7
Ostentationem in bonis operibus fugientem cœlo, & terræ Deus ostentabit. 318.15
Ostentatio redundat in generosis. 339.7

Ouis.

Ouis illa, quam ille bonus Pastor requisiuit, quid significet? 293.3

P

Palatium.

PAlatij ad fores excubat virtus. 167.1

Palma.

Palmæ inter cæteras arbores præstantia. 394.9

Palmes.

Palmites Christi in fructum maiorem putátur. 246.14

Panis.

Panem iustis dat Deus, peccatoribus diabolus. 361.4

Paradisus.

Paradisi custos cur flammatus ensis? 353.2

Parentes.

Tunc pij sunt ad filios parentes, cùm sæuiunt in filios. 74.7
Parentes magis solliciti sint de filiorum bonitate, quàm de eorum bonis externis. 88.adnot.1
Parentum vocibus obsurdescant filij Deum secuturi. 89.7
Parentes illi parricidæ sunt, qui de pia filiorum educatione non curant. ibid.7.& 90.8.& 9
Parentum gloriosa memoria amplum liberis patrimonium. 377.3

Pars.

Pars capitur pro hæreditate. 355.8

Passiones.

Passiones non illicò extirpatæ infinita pariunt nocumenta. 124.3
Passiones, & pœnæ optimæ cœlorum scalæ. 353.4

Pater.

Patris nomẽ respectu hominũ, cur potiùs primæ personæ diuinæ tribuat Paulus quàm Domini? 29.23
Paterfamilias Euangelicus, cur ad sui defensionem contentiosis operariis negligentiam non exprobrat? 211.7
Pater à dextris Filij esse qua ratione dicatur? 498.62
Patris nomen per Christum orbi innotuit, & clarificatum est. 499.66
Patris summum decus talem habere filium. 500.68
Pater Filio, Filius Patri mutuæ gloriæ sunt. ibid.
In Patris gloriam magnopere cessit, filium suum non nisi per labores exaltasse. ibid.69
Patris bonitas, atque benignitas per Christum orbi innotuit. 501.71
Dum Patri omnia subiicit Filius, non vi, sed sapientia, ad eius id gloriam maximè accedit. 500.70
Inter Patris, & matris amorem in filios discrimen. 74.7
Patris amor tegit filij crimina, & infirmitatis miseretur. 319.3

Patientia.

Patientia potior est verbis ad persuadendum. 196.5
Patientia Martyrum propugnaculo est Ecclesiæ, & armis ad debellandam perfidiam. ibid.7
Virtutes aliæ pugnant cum peccato, patientia triumphat. ibid.
Per patientiam fides defenditur. 197.8
Patientia Ecclesiæ fundamentum, & basis. ibid.9
Patientia Christi diuinitatem commendauit. 518.14
A patientia charitati radices, & vires. 243.2
Patientiæ nutrix tribulatio. ibid.3
Patientia semper secura, illæsa semper. 217.14
Patientia prior cœlo est. 353.3

Patria.

Patriæ opera impendenda. 320.8

Paulus.

Cur Paulus Philippensium populum priùs salutet, quàm Episcopos, & Diaconos? 6.17
Qua ratione dicantur à Paulo plures Episcopi Philippensium, cùm eo tempore fuerit tantùm vnus. 7.32
Pauli amor in Deum extaticus, & quasi insaniens. 13.10.& 14.11
Paulum agere Deo gratias, quoties Philippensium meminisset, rara eorum laus, & Pauli gratitudo est. 38.1
Cur Paulus dixerit, *gratias ago Deo meo*, non *nostro*? ibid.2.3
Id sanctitatis, gratitudinis, & charitatis indicium est. ibid.
Paulus iugulatus lac pro sanguine manauit, vt nutriret filios, quos morte sua peperit. 227.2
Occasione vinculorum Pauli in Regiam Neronis aulam Euangelium inuectum est. 166.1
Vincula Pauli fuere celeberrima. 167.6.7
Quanta libertate, & fortitudine Paulus coram Nerone fidei rationem reddiderit. 182.1.& seq.
Pauli elogia, & cur paucos in aula Neronis ad Christum traxerit? 170.n.vlt.
Paulus redditurus Deo rationem de Euangelij prædicatione, aliorum opera vtebatur. 201.2
Paulo vinculis impedito plures Euangelij prædicatores subrogantur. ibid.
Paulo in carcere detento nonnulli se molestiam allaturos credebant, si Euangelium prædicarent. 202.5
Paulus duo dumtaxat prædicatorum genera ex sententia auctoris distinguit. ibid.
Paulum nec Ethnicos, nec Iudæos, nec Hæreticos simulata prædicatione insectatos fuisse sentit author. ibid.6
Paulum Catholici nonnulli prædicatores inuidia permoti insectantur. ibid.7
Paulus æquo animo pertulit prædicatores suæ gloriæ inuidentes,

inuidentes,vt Christi nomen latiùs manaret. ibid.
Paulus sibi inuidentium prædicatione gaudet, quod ob eam aliquos conuertendos sperabat. 213.3
Pauli calamitates nonnulli inuidendo augebant. 203.1
Paulus ne inuidiam lacesseret, laudes suas silendo perstrinxit. 209.1
Pauli in obiurgando moderatio, & comitas. 210.5
Pauli famam maiorem in dies æmuli efficiebant, vt Principum odium ei conciliarent. 212.10
Paulus gaudebat quocumque modo prædicaretur Euangelium. ibid.1
Paulus gaudebat aliorum prædicatione, quamuis ex prauo consilio profecta. 213.3
Pauli ingens desiderium spirituales filios Deo pariendi. ibid.
Paulus Ecclesiæ, Christique paranymphus. 476.4
Paulus auidissimè, expansisque charitatis brachiis in Christi amplexus euolabat. 477.9
Paulo non excidebant memoria sibi traditæ oues etiã inter vincula. 65.1
Paulus gaudium suas tribulationes vocabat. 66.11
Paulo flagella, vibices, & plagæ, aureus torques, & dignitatis Regiæ insigne erant. 72.10.& 11.& 73.2
Iurat Paulus dum sui in Philippenses amoris Deum testem affert. 76.2.3.& 4
Pauli in homines purissimus, & spiritualissimus amor. 77.1
Animosa Pauli charitas. 116.8.
Paulus theatrum hominum factus propriam laudem non captabat. 316.10
Paulus inter mortem, & vitam velut in biuio. 142.6. & 247.1
Pauli virtus infirmitatibus perfecta est. 245.10
Paulus sua commoda proximorum saluti postponebat. 247.3
Paulus in mundo se peregrinum, & exulem reputabat. 248.4
Paulo facile erat, & suaue dissolui, vt pote à terrenis libero. ibid.5
Pauli resolutio sacrificium Deo gratissimum. 249.11
Paulus corpus non curabat. 250.12
Paulus necessaria censebat, quæ Deo gratiora, & proximis vtiliora. ibid.14
Paulus fructibus æternæ vitæ parcit, dum suis floribus, discipulis, scilicet, proficiat. ibid.15
Paulus calamitate sua aliorum salutem commutans Christi maximus imitator. ibid.
Paulus proximorum bono cœlum relinquit. 254.2
Paulo periclitante, periclitari quoque sibi videtur Christiana religio; at illo periculis erepto læta reuiuiscit. 260.2
Paulus Hispaniam sua præsentia, ac doctrina proculdubio felicitauit. 261.5
Paulus scripsit Philippensibus, quando primò vinculis fuit detentus. ibid.4
Apud Vianam templum S. Michaëli dicauit, id dictante prisca inscriptione. ibid.5
Verisimile est Paulum ex Hispania in Macedoniam reuersum. ibid.6
Paulus vult nos non nimiùm pungi alia cura præterquàm dignæ conuersationis. 262.1
Paulus voluntatis, & doctrinæ vnitatem à suis exigit. 262.3. & 291.2
Pauli charitas præ eius miraculis stupenda. 267.7
Paulo tam fortissimo nihili erat, tormenta, tyrannos, necem superare. 271.9
Paulus mauult parere, quàm viuere. 213.3
Paulus ex aliorum inuidia suam concipit liberationem. 215.8
Paulus Deo fultus stat coram tyrãnis interritus. 216.11
In Paulo Christus magnificabatur. ibid. 12
Paulus vndique conclusus sperat. 217.1
Pauli vita corporea Christus. 211.1. & seq. Quidni & spiritualis? 226.1
Pauli cum diuina voluntate conformitas. 222.6.& 223.adnot.2
Totus Paulus factus est charitas. ibid.1
Naturalis viuendi affectus à Christo Domino assumptus, & in Petro non omnino compressus, in Paulo absumptus videbatur. 221.1.& 2
Paulus ex fide viuebat. ibid.3
Paulus omne suum solatium in discipulorum mutua dilectione positum profitetur. 283.4
Paulus sibi exhibita putat officia, quæ mutuò Philippenses sibi ipsis præstabant. 284.5
Paulum Dei, & hominum amore accensum, mutua fidelium dilectio magis accendebat. 290.7
Paulus seipsum spectaculum hominibus non exhibebat. 316.10.
Paulus, & Barnabas diuinos honores sibi oblatos indignabundi effugiunt. 317.12
Paulus bona sua refert ad alumnorum instructionem, non ostentationem. ibid.11
Paulus Christi Domini vestigia quodammodo fecit expressiora. 320.5
Paulus, & Barnabas se putabant grauari, cùm se cernerent adorari. 364.12
Paulus omnes sæculi delicias, vt belluis dignas respuebat. 422.2
Paulo familiarissima est comitas, & vrbanitas. 164.1

Pauper.

Pauper securus it etiam per obsessam viam. 332.13
Pauperibus summa pax est inter summa discrimina. ibid.
In pauperes solos larga est liberalitas. 381.5

Pax, Pacifici.

Pacis multiplex, & varia significatio. 26.7.& seq.
Pax omnium bonorum vice est. ibid.8
Pax quo sensu vsurpetur in Pauli salutationibus, & reliquorum noui testamenti scriptorum. ibid.10.& seqq.
Pacis terminum esse à reconciliatione cum Deo. ibid.
Pax significat serenitatem animæ. ibid. & præcipuè à n. 14
Lex pacem non affert, sed gratia Christi, hinc Moyses semper est præliatus, Iosue typus Christi, pacem constituit. 27.15
Insolens in scripturis, ac inauditum à creatura vlla gratiam, & pacem deprecari sacros scriptores. 28.20
Pax fidelium dæmoni bellum. 267.5
Pax fideles reddit inexpugnabiles. ibid.7.& seq.
Pax bonorum operum seminarium. 292.2
Pax Martyrio præfertur. 294.6
Pax maximum Deo sacrificium. ibid.7
Pax Christianæ disciplinæ apex. ibid.6
Vires præbet orationi, & complementum. 295.8
Paci vitæ labores consecrandi. ibid.9
Preces pace erga proximos instructæ, syllogismus Deum conuincens. ibid.8
Pax primùm inter Principes stabilienda. 297.16
Vbi pax, ibi quiescit Christus. 298.18
Pax fidelium Spiritus sancti donum. 301.1
Pax Dei est, ac Deus est Pacis, denique Pax est Deus. 302.3
Pacis, & Charitatis nomine præ aliis Deus gaudet appellari. ibid.4
Pacifici filij Dei dicuntur. 303.8
Pacem cordis extinguit contentio. 308.2
Pacem tria solent discindere. 310.6
Pacem persequere. 324.9

Peccator.

Peccator publicus iniurius Deo, sicut pictor, qui regis imaginem

imaginem deformem pingeret. 163.11
Peccator Christũ crucifigit,& ostentui habet. ibid.12
Peccator chirographarius debitor est. 459.3
Peccator propria manu suæ damnationis efformat sententiam. ibid.
Peccator se vendit. ibid.
Peccator idololatra. 40.6
Peccator quod mortuus iaceat nullum clamorem edit. 198.2
Peccatores pœnitentiam renuentes,Christum proculcant,eiusque sanguinem polluunt. 474.14
Peccator vt mortuus deplorandus. 89.5
Peccandi pericula quanta. 236.1.& seqq.
Peccatorum felicitas infelix. 241.16
Diuina de peccatoribus vltio, ipsorum est defensio. ibid.
Peccator prosper insanabilis. 283.4
Peccatorum corda angusta sunt, nec magnum Deum capiunt. 227.4
Peccator soluet sortem cum vsura. 347.2
Peccatoribus gustus discretione vitiis obtusa,dulcedo diuina amarè sapit. 421.2
Peccatorum amentia, qui mortem in peccato, quasi condimentum in saporem,iucundissimè exhauriũt, ostenditur. 423.5
Peccatores voluptatibus addicti, nulla in eis satisfaciente animo suauitate, confremũt corde. 425.8
Peccator Deum humiliat,eique est dedecori. 162.9. & seqq.
Id præcipuè ostenditur, quia imaginis Dei deturpatio in prototypum resilit. 163.11
Peccatori Satanas,& libido rectè dicũt,meus es. 40.7

Peccatum.

Peccata nobis subtegi,non auferri per Christi sanguinem asserunt hæretici,falsò tamen.465.4.& probatur per totam adnotationem.
Peccatorum conscientia,animi crux intraria.
Peccatum nullum pro minimo reputandum. 113.6
Peccata leuia qui reformidat, in grauia non labitur. ibid.
Peccata minima præcauens admiratione, laudeque quàm miracula patrans,dignior. ibid.
Peccata minima non declinantem, malè sanum æstima. ibid.8
De diligenti horum peccatorum fuga. ibid. & per totam adnot.
Grauissimè feriuntur leuia peccata parui pendentes. 114.10
Leuia peccata lacrymis,& examine si abluas, munditiem possederis. ibid.
Quisquis Deum intimè diligit,minimas labes effugit. ibid.adnot.3
Peccata habitualia,leuia licet, Deum commouent, & quasi domo expungunt. 118.13
Peccata sæpius repetita quî Deum instimulent? ibid.14
Grauia fugaturus peccata,minima fuge.ibid.per totam adnot.4
Parua peccata temnens, præceps in magna voluitur. 120.6.& seq.
Peccatum chimæra est ex formica,& leone. 123.13
Peccati proprium,insensibiliter crescere. ibid.adnot.5
Eradicandum omnino peccatum est. ibid.2
Peccatum nunquam non tristitiam gignit. 506.9
Peccatum vacca est nouos quotidie parturiens fœtus. 123.3.& seq.
Peccata nec de facie vult Deus nosci à suis. 239.9
Peccatum basiliscus est. ibid.
Peccato par pœna est. 276.11
Peccato fœtidum os. 404.15
Peccati malitia ex odio, quo ab optimo Deo habetur, internoscitur. 291.4
Peccata aliorum, eorum compassio, & nostri timor sequatur. 314.3
Peccati fomes occasio. ibid.
Peccati sola species in Christo Domino grauiter castigata est. 365.13
Peccatis medicina cunctanter est adhibenda. 395.12
Peccatum originale intercidenti pulsui comparatur. 402.11
A peccatis nos Deus tribus modis præseruat,affectionis sanitate,occasionis subtractione,& concessa resistendi virtute. 407.6
Peccato originali vitiatæ naturæ imago arbor ad radices corrupta. 408.7
Peccati obsonia mors. 423.5
Peccatum imponit onus intolerabile suis seruis,& nec digito quidem subleuat. 24.22.& seq.
Peccati portæ multæ. 296.13

Pecunia.

Pecuniæ dant honores. 342.10
Pecunia sanguis est mortalium. 362.8

Perfectio.

In perfectionis negotio de minimis maximè curandum.113.8.per totam adnot.
Ad perfectionis fastigium totis conatibus contendendum. 349.7
Non per saltum, sed præscripto ordine ad perfectionem deueniendum. 503.1

Periculum.

Pericula quæuis pro aliis suscipienda. 320.8

Persecutio.

Vide Tribulatio,Labor.
Persecutiones pro Christo passæ confirmationes sunt Euangeli 65.6
Persecutiones damnum persequentium. 274.3
Persequentes iustos, Deum instruunt,qualiter de ipsis vindictam sumat. 275.8
Persecutio pala fideles ventilans, discernensque frumentum à paleis. 355.2
Persecutioni cur in octo beatitudinibus postremum, & dignissimum locum concedat Christus. 205.7
Persecutio vita est. Vide tribulatio 243.2

Perseuerantia, Perseuerare.

Ante perseuerantiæ donum probationes nobis immittit Deus, in quibus fideles nos esse maximè expedit. 56.4.& seq.
Virgines fatuæ, ideo fatuæ quod cœperint, nec in cœptis durauerint. ibid.2
Deus homines in tentationis experimento constantes in perseuerantiam vsque firmat tanquam columnas. 57.6
Perseuerantia in bono incepto commendatur à maturitate virtutis,tanquam fructus quem à nobis Deus exigit. 56.1
Probatur id primò exemplo surculi insiti Christum referentis. ibid.
Secundò exemplo seminis. ibid.2
In bono non perseuerantes,expectante Deo vuas, faciunt labruscas. 61.3
Non perseuerare idem,ac nõ maturare fructum. ibid.
Perseuerantia partui similis, periculis obnoxia, ideo molestiæ antecedentes fortiter sustinendæ,vt solent ferre fœminæ fœtu grauidæ. ibid.5
Qui non perseuerat Christum abortiuum excludit. 62.6
Perseuerantia soror est patientiæ,constãtiæ filia.ibid.8
Bona perseuerantiæ in bonis cœptis. ibid.8.&9.
Qui patienter tolerat virtutis molestias, vt in ea perseueret, vberrima obtinet auxilia gratiæ. ibid.9. & seq.
Dum panem petimus quotidianum, nostrum perseuerandi desiderium monstramus. 63.11

Perseuerantiæ donum à Deo, ad illudque nos indesinenter vrget. 56. per totam adnot. 3
Perseuerantiam à Deo sperare melius, quàm si in nostra relinqueretur potestate. ibid.
Perseuerantia à Deo, sed cum respectu ad nostrum arbitrium. ibid.
Nisi perseueraueris in bono, sua Deus beneficia non maturabit. 61.4

Pertinacia.

Pertinacia in disputationibus indigna omnino est. 308.3

Pes.

Pedum lotiones factæ à Christo.

Petere.

Ad petendum animositas necessaria est. 381.3

Petra.

Cum petra à Mose percussa componitur sponsa pro Christo vulnerata. 281.8

Petrus.

Petri negationem excusat Ambrosius. 198.1
Petrus tentatione profecit. 246.11
Petro facile erat, & suaue dissolui, vt pote à terrenis libero. 248.6
Petrus, quod Prælatus esset, pro aliis iubetur à Christo tributa soluere. 258.12
Desipit Petrus, dum bonum æstimat in Thabor, quod non participant coapostoli, reliquique fideles. 265.8
Petrus gloriam ex claudo sanato, Deo reddi curat. 317.11
Petrus infensus Christo, dum mortem ab illo auertit. 352.14
Petrus in Thabor desipit, dum gaudia ante passiones postulat. 353.3
Petrus post Christum abire iubetur, & abit. ibid.
Petrus potiùs, quàm Ioannes in Christi Vicarium delectus. 359.9
Petrus Christi Vicarius suffectus ob deuotionem, & robur confessionis. 361.4
Petrus, fœmina illum in domum Caïphæ inducente, quî poterat non errare? 362.6

Pharao.

Pharaoni vita in ipsius supplicium prorogata. 240.14
Pharao volens persequi Israëlitas, persequutionem passus est. 273.adnot.2
Pharao calamitatibus proficit. 283.2
Pharaonis cor cur dicatur Dominus indurare. 205.8

Phares.

Phares, auctus dum se alacrem, ac fortem præbet. 401.8

Pharisæi.

Pharisæi, vt Christi famam detererent, signa requirebant: vt ei odium excitarent, multa ab eo signa facta fatebantur. 212.10
Pharisæus honorem eorum, quæ de se iactabat, perdidit per insolentiam opprobrij, quo publicanum despexit. 318.2
Pharisæi, & Ioannis discipuli liuore in Christum conspirarunt. 211.8
Pharisæi, ne alij salui fierent, salutis sibi ianuam obserarunt. 209.1

Philippus.

Philippus secundus Hispaniarum Rex Ecclesiasticis in Curia residentibus dignitates denegabat. 342.11

Philo.

Philo egregius contra Pelagium diuinæ gratiæ etiam præuenientis assertor. 55.12

Philosophia.

Philosophia naturalis pro diuina commutanda. 329.7

Pietas.

Pietatis prætextum obtendere inutilibus disputationibus, defrontati pudoris est. 308.3

Piger.

Pigrorum pars profectò commoda. 355.8

Plinius.

Plinius omnium rectè factorum initium Deorum ope censuit auspicandum. 55.13

Plumbum.

Plumbum, Christi typus, ad expurgationem metallorum aptissimum, quod eorum sordes in se imbibit. 463.12

Pompeius.

Pompeij ambitio. 322.4

Pœna.

Pœnæ, quæ Dei seruis infliguntur, in infligentium capita reciprocantur. 273.adnot.2
Pœna dilata potest exigi, exacta non potest reuocari. 543.11

Pœnitens, Pœnitentia.

Pœnitentia magna efficit. 467.7
Pœnitentia abradit à Deo omnem nostræ vitæ nocentissimæ memoriam. ibid.
Pœnitens abstineat à licitis, & necessariis, quia in illitis excessit. 123.14
Ad pœnitentiæ veniam vix pertinent, qui peccata aliis exprobrant. 314.23
Pœnitentia aditum ad nos Deo aperit. 38[illegible].7

Potens, Potentia.

Potentium plures animi inertia, & impotentia laborant, nequeuntque suam potentiam continere, quin in vitia prorumpat. 364.12
Potentia Deo maximi cognomen dedit. 379.

Potestas.

Vide dignitas, Magistratus, Munus.

Potestates ambire terrenas, dedecet Christianum. 326.3
Potestatem regiam Christus in suos non exercuit. 339.1
Potestates Deus ordinat, dæmon sine ordine dat. 342.8
Potestatis fundamentum virtus. 356.2
Potestas à Deo firmissima, & felicissima est. 361.4
Potestas plurium pauperum populatio est. 361.7
Potestates humanæ Deitatem exprimunt, sed illam dehonestant munere suo abutentes. 364.12
In humanis potestatibus vitia sublatere nequeunt. ibid. 12
Potestas malè vim suam aliorum iniuriis experitur. 395.11.

Praeceptum.

Præcepta diuina non grauant cor rectè affectum. 23.18

Prædestinatio.

Nostræ prædestinationis argumenta si volumus, à Christi imitatione accipiamus. 356.9

Prædicator.

Vide Concionator.

Prædicatorum quatuor genera Paulus innuit. 201.1
Prædicatores plures distinguit Paulus ex mente Tertulliani. ibid.
Prædicatores alij alio fine Christum annunciant. ibid.
Prædicatores, dummodo Christus annuncietur, nihil requirant. 213.2
Prædicatores cæteros Euangelij ministros ne infestentur. ibid.3
Prædicatores lætentur pluribus concionatoribus, quos in Dei negotio bonos socios sortiuntur. ibid.
Prædicatores verbis, non operibus docentes lyræ similes. ibid.4
Item Iudæis similes. ibid.
Prædicatio potens Euangelij, fidelium inter se dilectio. 267.4

Prædicatores se ipsos mutuò adiuuent. 213.3
Prædicatores multi bene aliis sonant, sibi dissonant; aliis medici dum ipsi vlceribus scatent. ibid.4
Prædicatores virtute, & doctrina cœlestes sint. 358.5

Præesse.

Præesse aliis qui desiderat, suo se præponit auctori. 341.6

Præfectura.

Eorum qui ad præfecturam euehendi sunt, vitæ sonus prius exploretur. 358.6
Petitionibus Deus non defert præfecturas, sed meritis. 359.8
Præfectura aliquorum potiùs est præda. 361.7
Ad prælaturam qui indignè ascendit, thalamum Christi maculat. ibid.5

Prælatus.

Vide Princeps, Superior.

Prælatus propriæ iniuriæ immemor subditum reprehendat. 213.5
Prælatus subditorum peccata sibi adscribat. 211.7
Prælatus ne nimiùm consanguineis ditandis incumbat. 86.17.& 18
A Prælatis maior, quàm à subditis sanctitas exigitur. 111.1
Prælati suorum commoda suis anteferant. 254. adnot.2
Prælati non crescant de subditis, sed è contrà. 255.2
Prælati se gerant, vt serui. ibid.3
Prælatos Deus admonet, qualiter se apud ipsum pro subditis gerere debeant. ibid.4
Prælati subditorum onera, & sordes debent suscipere. 258.11
Prælatis sit dorsum durum, venter mollis. 259.12
E Prælatorum costis subditorum vita, aliaque commoda extrahenda. ibid.13
Prælati structura ex carne, etsi subditi ex ossibus compingantur. ibid.
Prælati subditorum vnionem suis commodis anteponant. 290.5
Prælatus sicut vnus è cæteris se gerat. 391.1.& seq.
Prælatus nisi vniuersali omnium correctione contentus non sit. 307.11
Prælati in præmiis, vel pœnis ne suo ducantur affectu. 319.3
Prælati boni nota, non se in munera intrusisse. 341.5
Prælati boni moles ingens. 357.3
Prælati manus Ecclesiæ torno, non conflatione formandæ. ibid 4
Prælato Ecclesiæ ineptus, qui suas cupiditates non superauit. 359.9
Prælatos initio sui muneris lucere, & postea obtenebrescere nostris infelicibus sæculis ferendum: at tenebræ in ipsa promotione in Antichristi tempora remittantur. 360.10
Prælati munus pretio adepti iniquissimi sunt. 362.6
Prælati apud Zachariam idola vocantur. 364.12
Prælati muneribus inesecati, quî poterunt officia, & præmia iustè distribuere? 383.11
Prælati quàm comiter subditos tractent. 391.1.& seq.
Prælati in suorum correctione moderatè, & leniter se gerant. 395.12
De nullius salute desperent. ibid.
Prælati pro subditorum peccatis pœnitentiam agant. 396.13
Sese iræ Dei etiam cum proximo periculo opponant. ibid. 14

Præmium.

Qui auxiliatur exercenti aliquam virtutem, eius virtutis præmium sibi comparat. 49.3

Presbyter.

Presbyteri olim vocati Episcopi. 33.7
Dignitas Episcopi maior est, quàm presbyteri, etiam ex sententia Hieronymi, qui ab impostura vindicatur. ibid.

Præsidium.

Præsidia quæuis nisi diuina, fallacia sunt. 360.2

Præsumptio.

Præsumptio innocentes quosque in omnia vitia præcipitat. 314.23

Prætorium.

Prætorium idem quod aula. 183.3

Prauus.

Praui homines nec sibi ipsis, nec aliis prauis similes sunt. 79.9

Preces.

Precibus mala nostrorum fratrum contendamus auertere. 307.11
Preces qui pro se fundit, loqui ad Deum dicitur, clamare, qui pro publica vtilitate. 325.14
Preces à miseris, potentium misericordia affectis inexpugnabiles turres sunt. 383.10
Æquum est, vt minora precanti maiora concedantur. 380.2

Princeps.

Vide Prælatus.

Principes affabiles se ostendere debēt erga inferiores; seueritatem, & constantiam maioribus, & æqualibus seruent. 164.2
Principes viros sanctos longinquè tantùm loquentes audire volunt. 167.1
Principes, ac Dynastæ non secus tractari à religiosis volunt, quàm à seruis suis Deus, cùm tamen ipsi non vt Deus erga illos se gerant. ibid.
Principum malum exemplum efficacius, quàm bonum, sicut morbus capitis plus officit membris, quàm sanitas proficit. 177. per totam adnot.3
Principum peccata à dæmonibus diuulgantur, vt noceant omnibus. ibid.2
Orantes pro Principibus, compendio vtimur ad nostram vitam componendam. ibid.
Sanctissimorum virorum vita à Principum pendet. ibid.3
Principes, & Dynastæ funambuli, quorum vita, vel à leuissimo funis flexu pendet. 178.4
Vitia Principis pestis citissimè subditorum animos inficiens. ibid.5
Principes similes Adamo, quia ab eis in subditos quædam originaria labes defluit. ibid.6
Principes praui, ferrei arietes ad euertenda mœnia iustitiæ. 179.7
Custodes itidem, & vigiles murorum, ne iustitia admittatur, vel virtus. ibid.
Principum iniquitas, centricum punctum, quò subditorum collineat vita. ibid.8
Vitia Principis lepra. ibid.9
Princeps vitiosus, speculum maculatum, ad quod se componunt subditi. ibid.10
Subditorum crimen reddit suspectum Principem, vt excusatione indigeat. 189.11
Dulce subditis mala Principis imitari exempla, adeòque, & sine conscientiæ flagello. ibid.12
Obsequium in Principem, & æmulandi amor validiora, quàm pœna ex legibus. 181.13
Propensio subditorum in squelam Principis, ostenditur in similitudine Principis cum fluuio. ibid.14
Princeps, Dei annulus illius imaginem subditis impressurus. ibid.15
Exhotreat Princeps, subditos dæmonis imagine, vice diuinæ, consignare. ibid.
Angeli custodes subditorum, curant de regia sede euersionem

euersionem mali Principis. 181.16
Cunctantiùs priuato, quàm Principi pœna infligitur. ibid.17.
Familiares sæpe Principum, vt rectè se gerant, obsunt. 183.1. per totam adnot.4
Edificat Princeps delectum familiarium, à Christi exemplo consiliarios sibi Moysen, & Eliam eligentis. ibid.2
Rarò Principes mali, vbi non cupiditatum ministri. ibid.3
Principis thronus firmatur, ablatis malis ministris. 184.7
Princeps malus, pestis subditorum, familiares mali, Principis pestis. ibid.4
Propheta senex, qui Dei Vatem decepit, Aulicus erat Ieroboami, interitumque veri Prophetæ parauit, vt eius auctoritatem eleuaret, Princepsque idololatriam retineret. ibid.5
Principes portæ apertæ ad virtutem, mali familiares vectes, quibus obserantur. ibid.6
Familiares Principum mali, coqui similes, dulcia Principi, non vtilia apponentis. ibid.7
Familiaribus malis Principũ laqueus ipsa Aula. 185.9
Deus in pœnam solet Principibus immittere blandissimos aulicos. ibid.10
Principes per se ipsos debere interesse gubernationi, & quatenus. 190. per totam adnot.6
Principum ministri eorum vmbræ. ibid.2
Princeps gratia, & lenitate, non terroribus dominatur. 393.6
Indignum Principi à familiari imperari. 90.3
Incumbendum semper Principi in ministros & magistratus. 191.4
In Principis gloriam maximè cedit bonorum ministrorum electio. 500.69
Principi ignominiæ sunt improbi ministri ab illo electi. ibid.
Princeps distinctè nosse debet, quæ præmia, & quibus distribuat. 509.8
Valde decet Principis maiestatem labori, & vigiliis incumbere. 191.8
Ostenditur exemplo Dei. ibid.
Principes, & magistratus sæculares iurisdictioni spirituali non immiscendos, probatur exemplo Solis, & Lunæ, quæ alternis lucent vicibus. 192. per totam adnot.7.
Itidem exemplo Christi flagello eiicientis Sacerdotes è templo. 193.4
Et Constantini Magni, & Eruigij. ibid.
Non se immiscere sacris character, & nota Christianorum Principum. ibid.5
Familiares Principum similes esse debent vmbræ D.Petri, quæ omnes sanabat. 190.2
Familiarium potentia Principis est vmbra, quem omnino sequantur oportet, non secus, ac vmbra corpus. ibid.
Principis est suarum iniuriarum citò oblitum esse. 210.5
Principes humanitate, benignitateque potius sibi cultum, amoremque quàm auctoritate comparant. 487.27
Princeps ne in aliquem subditorum singulariter beneficus profluat. 83.adnot.3
Princeps Reipublicæ animus. ibid.3
Princeps fœliciter gubernaturus, pro meritis benefaciat. 85.13
Principibus regium diadema sapientia est. 96.1
Principum voluntates mobiles, sibique aduersæ. 113.14
Principes suas resecent commoditates. 255.4
Principes plus alienis curis, quàm suis deferant. 256.5
Principes suam vitam, si res exigat, pro suis prodigant. ibid.7
Principes, qui sibi regnant, non ex Deo regnant. 257.8
Luna versa in sanguinem dicuntur, dum violenter suorum succum emungunt. ibid.
Principes sint humani. 258.9
Principis decus, & ornamentum, salutem suis afferre. 537.5
Principis vera laus à lenitate ducitur. 539.10
Principis regium insigne clementia. ibid.
Principi expedit aliquando desipere. 259.14
Principibus fas est è suis stipendia elicere, sed in magna necessitate. 260.15.& 16
Princeps diuturnius regnum habebit, quò magis tributis liberauerit. 17
Princeps subditorum glorias iuxta cladesque suas arbitretur. 306.5
Ad Principum exemplum se subditi confingũt. 312.11
Is bonus Princeps censeri debet, qui ab aliis postulatur, non qui se ingerit. 341.9
Boni Principis gloria esse inter maximos maiorem. ibid.8
Princeps cæteros in periculis præcedat. 351.11
Principem in vitia deuolutum Sol in tenebras conuersus adumbrat. 360.10
Principes basi meritorum non bene fundati, nutant. 363.10
Principum malè munus administrantium caput Deus abscindet. 364.12
Principum insipientia, aut indignitas in alto sistitur, latere nescia. ibid.
Principes immeriti fortunæ ludus. 365.13
Principum domus multa habent ostia receptos excludentia. 382.7
Principis beneficentia nusquam non radiet. 383.9
Princeps subditorum succo pinguis, indecorus est, fœdus est. 383.11
Munera à Principibus accepta in eorum pœnam conuertuntur. ibid.
Principes dominatum dissimulent. 391.1.& aliis.
Princeps subditorum capitibus impositus, blando gressu incedat. 395.11
Principes pro subditis se ipsos, & sua Deo debent deuouere. 396.14
Is verus Princeps censendus qui suos cibat, ac nutrit. 413.2
Principis gloria est subditos suauiter, & blando complexu moderari. 501.70
In Principum verbis districtio, in factis benignitas sentienda est. 535.12

Principatus.

Vide dignitas.
Principatus, quem seditio extorsit, aut occupauit ambitio, initio perniciosus exemplo est, & felici exitu non potest non carere. 362.6

Principium.

Malo inchoata principio difficile est, vt bono peragantur exitu. ibid.
Principia damni præuidet sapientis, & iusti oculus. 118.1

Prodigus.

Prodigo filio vita ex vituli morte reddita, quid? 378.7

Propitiatio, Propitiatorium.

Discrimen inter propitiationem, & propitiatorium. 465.4

Propter.

Propter in illis Pauli de Christo verbis: *Propter quod & Deus exaltauit illum*, causaliter accipiendum est contra Caluinum. 478.11

Proximi.
Proximi censendi non tantùm cognati, & amici, sed & mortalium cæteri. 304.1
Proximis non solùm non nocere debemus, sed quantum possumus, prodesse. 307.10
Nobis in proximis proficimus. ibid.11
A proximis calamitates orationibus propellamus. ibid.
Proximi vtilitatibus æquè, imò magis, ac nostris consulendum. 320.5
Proximorum saluti prospicientes, Christo Domino simillimi. 324.12
Prudentia.
Prudentiæ ingentia emolumenta. 87.7
Prudentia sæculi lucifuga. 200.9
Prudentia sæculi tenebris addictissima. ibid.
Publicum.
Publica bona priuatis anteponenda. 325.13.& seq.
Publicum bonum præ priuato contemnitur. ibid.
Pudicitia.
Pudicitia sit nostrorum sensuum æditua. 228.8
Pudor.
Pudore maius, ac fortius impedimentum timor. 198.2
Pudoris causæ in Euangelico Prædicatore. ibid.
Pulchritudo.
Pulchritudo perfecta tunc est, quando totum singulis partibus admirationem adimit. 410.13
Humana pulchritudo non ab ipsa natura, sed ab intuentium infirmitate efficitur. ibid.
Maxima pulchritudinis gratia, vnius partis cum altera concinnitas. 476.4
Punctum.
Punctum est, quod homines vexat. 333.13
Purpura.
Comæ sponsæ similes purpuræ vinctæ canalibus ob humilitatem virtutem regiam. 10.12

R

Rachel.
Rachelis sepulchrum Ecclesiæ fundamentum.
Rapina, rapio.
Vox, *rapina*, significat apud vtramque sapientiam, Græcam, & Latinam, pretiosam prædam, siue lucrum pretiosum, & sine labore comparatum. 347.1
Rapiendi nullus est modus, vbi nec apppetendi. 321.1
Ratio.
Qui subiicit se rationi, sibi omnia subiicit. 15.2
Rector.
Non ex summi rectoris arbitrio regnat, qui sine meritis. 360.10
Redemptio.
Redemptionis titulus Dei nos seruos efficit iure emptionis. 13.7. Vide seruitus.
Redemptionis donum creatione diuinius. 376.1
Regimen.
Regimen pluresnon assequuntur, sed rapiunt. 360.10
Regnum.
Regnum tributis solutum diuturnius. 260.17
Regnum in hoc mundo Christiani non possunt adfectare. 326.3
Regnum cœlorum per certamina consequimur. 338.6
Regnum sæculare Christi, quàm splendidum fuisset, si illud non repudiasset. 339.1
Regnum cœleste ne rapinam facilè parabilem arbitremur, 352.adnot.4
Validissima ad illud expugnandum opus est oppugnatione. 353.2
Regni feliciras sequitur tolerantiam. ibid.3
Religio.
Religio Christiana dispares pares, diuersos vnum efficit. 264.5
Religioni Christianæ maior ex suorum inter se amore gloria accrescit, quàm ex doctrina, & miraculis. 266.4
Religioni Christianæ multum detrahitur fidelium discordiis. 268.11
Religionem Christianam oppugnantes tyranni suo malo resipiscere cogebantur. 274.2
Religiosi.
Religiosis nec minima vitij labes debet inesse. 111. adnot.2
Religiosi vita ascensus purpureus. 112.2
Religiosi mores quàm concinnè compositi. ibid.
Religiosis nec iota vnum, aut apex vnus in assequenda perfectione prætereat. ibid.
Pupilla sunt oculi, nihil peccati pulueris patiens. ibid.5
Item speculum omnem maculam, vel tactum sentiens. 113.7
Religiosis leuis peccati macula turpior, quàm sæcularibus grauia vulnera. 117.10
Religiosi per humilitatem, & chariratem, ex pretiosis lapidibus pauimentum, auroque contextum. 265.7
Remuneratio.
Diuinæ erga hominis remunerationis mensura modum excedit. 380.2
Reprehensio.
Reprehensio leniter, & sensim facienda. 395.12
Reprehensionis rigor mansuetudine temperandus. 210.5
Respublica.
Respublica non armis, sed recta administratione fit maior. 325.13
Rempublicam malunt aliqui turbari, quàm comam suam. ibid.
Mendicante Republica, quî priuatæ diuitiæ stare possunt? ibid.14
Reipublicæ administratio tanquam aliquid aliud pecuniis permutatur. 362.7
Resurrectio.
Resurrectio nostra ex Christi sepultura. 377.5
Resurrecturus cum Christo, cum ipso viuat, & sepeliatur. 332.12
Retributio.
Retributionem sectantes Deo non placent. 381.5
Rex.
Regum, subditorum bona diripientium, simulacrum rhamnus infructifera. 257.8
Reges suos humeris portent. ibid.9.& seq.
Reges non suos, sed pro suis timeant. 258.12
Reges beneficentia sublimat. 383.9
Regis, & tyranni discrimen. 338.6
Regum liberalitas inexpugnabilis imperij murus. 383.10
Reges beneuolentia aliorum vires expugnabunt. 393.6
Reges in præsentium contumeliam amissa laudare solent. 207.14
Risus
Risus corruptio disciplinæ est. 354.5
Rixa.
Rixæ non erunt, si nos charitas dolauerit. 324.11
Rixæ sunt inter competitores. 333.13
Rixas gignit contentio. 308.2
Roboam.
Roboam ineptum Israëli responsum. 259.14
Ineptius factum. 260.17
Roboami stulta deliberatio, dum humanitatem exuit,

exuit, cùm se plus illi debere fatetur. 305.2

Rogator.

Rogatores qui adhibet, suspectus est. 342.8

Romani.

Romanorum superbiam tacitè Paulus sugillat. 198.2
Romanos potentia simul cum diuitiis, & sapientia extollebat. ibid.
Romani prisci publicæ vtilitatis quàm fuerint studiosi. 321.8

Rota.

Rota plaustri magnorum suppliciorum significatio. 273.1.& 274.2
Rota & vitam, & charitatem adumbrat. 193.3

Rubor.

In ruborem nullum est iter. 224.4

S

Sabina.

SAbina Popæa partem oris velabat, ne videntis aspectum satiaret. 200.9

Sacerdos, Sacerdotium.

Sacerdos qua præditus esse debeat sapientia. 98.10.11
Sacerdotio inito plures lucent, qui postea tenebrescunt. 360.10
Sacerdotum, lucri causa munus obeuntium tanta est copia, vt circa diuinam mensam sese premant, ac protrudant. 332.13
Cur summus sacerdos in infulæ loco nomen Dei gestaret incisum. 342.9
Sacerdotes debent vngi, secundum ordinem Melchisedech. 359.8
Sacerdotibus minus reuerenter respondisse non vult videri Christus. 280.7
Sacerdos veteris legis, cur sub mortis pœna iuberetur ingredi Sanctuariū malogranatis, & aureis tintinnabulis è veste pendentibus. 294.7
Sacerdotium pretio consequuti timendi. 362.6
In sacerdotis vitta capiti adstricta aurei calyculi quare gestarentur. 363.9
Sacerdos peccata populi comedat, digerat, & diluat pœnitentia. 396.13
Sacerdos summus cauebatur contaminari super patre, aut super matre. 398.5
In sacerdote quanta puritas etiam ab Ethnicis requiratur. ibid.

Seculum, secularis.

Sæculares iudices trahentes causas Ecclesiasticas ad suum tribunal, reprehenduntur. 193.5
Sæcularium bonorum lac, venenum infundit in animam lethale. 419.15
Sæculi bonorum voluptas oneri magis est, quàm vsui. 422.3
Sæculo in comessationibus arridere, & cum Christo regnare non possumus. 504.4

Sal.

Sale quid Christus suos condiri voluerit? 324.10
Sales iniuriosi, si veri sint, exasperant valde. 309.5

Salomon.

Salomonem sapientia perdidit. 96.3
Salomon, ne Deus præ sapientia putaretur, labi permittitur. ibid.

Salutatio.

Salutatio Pauli diuersa ab vsitata Hebæorum, Latinorum, Græcorumque. 25.2
Cur in salutatione Paulus prætermiserit Spiritum sanctum? 29.22

Salus.

Salus animæ quomodo procuranda. 349.7
Ad æternam salutem totis viribus contendendum. 352.adnot.4
De sua salute sapienter cogitant, qui per molestias sibi consequendam arbitrantur. 353.4
Salus propria cuique primùm sollicitanda. 320.5
Saluti publicæ prospiciendum. 325.13.& 320.8.& seq.
Saluti publicæ studentis commoda Deus summopere curat. 325.14
Salus cuiusuis hominis pretio caret. 307.10
Salus omnium hominum à Deo omni conatu petenda. ibid.11

Sanctus, sanctitas.

Qua significatione tribuatur nomen sancti Philippensibus à Paulo. 5.21.& seq.
Sanctitatis definitio. 6.24
In significatione sanctitatis Ethnicorum, & Catholicorum consensus. ibid.26
A viro sancto amari indicium virtutis est in amato. 65.4
Sancti viri quomodo possint perditissimos quosque sibi anteponere. 313.22
Sancti à rectè actis operibus oculos auertunt. 317.11
Sanctos nigros sicut coruos reddit sui despectus. [illegible]1.10
San[illegible] facere non possunt, quod non debent. 250.14
Sanctorum sanguinem ebibentes, venenum sibi propinant. 274.3
Sancti viri ex adamante sunt, & silice; missilia sibi intorta cum scintillis in iaculantium interitum repercutiunt. 274.6
Sancti patienter viuunt, delectabiliter obeunt. 222.6
Sancti nihil nisi Christum admittunt. 228.7.& seq.
Sancti Christi venter. 298.18
Sanctis non est digna merces totus mundus. 311.13
Sancti honoribus punguntur molestissimè. 317.12
Sanctorum est omnia de manu Dei velle accipere. 361.4

Sanguis.

Sanguine Christi lauamur. 356.9
Sanguis humanus non tam sæpe ex ipsius odio funditur, quàm ex lucri amore. 332.13
Sanguis sanctorum effusus vestigia Deo præbet ad ipsum occisorem, aliaque eius flagitia castiganda. 276.10.& 11
Sanguine plenæ manus iniuriis aliorum infectas denotant in Scriptura. 295.8
Sanguinis epotio lege cauebatur Iudæis, & cur? 417.11
Sanguis in hominum corde calidior, tenuiorque quàm brutorum. 418.12

Sapientia.

Sapientia cur voce magna clamare dicatur à Salomone. 20.5
Sapientiæ vox præ magnitudine, & veritate rerum, quas prædicat, sublimis est. ibid.
Sapientiæ perfectæ est aliis primas partes deferre. 346.9
Sapientiæ vulgaris est sibi soli prospicere. ibid.
Sapientes peculiarem Dei imaginem secum circumferunt, illosque singillatim Deus gignere videtur. 96.2
Sapientes gentium insipientes. 102.2
Sapientes plures virtutem, de qua magnificè loquuntur, vilipendunt. 103.5
Quàm aliter faciendum illis sit. ibid.7.& 104.8
Sapientiæ, & sensus munus potiora, & præstantiora probare. 107.4
Stateram, qua sapienter bonum, & malum librent, singuli homines habent à Deo. 110.11
Verè sapientis est minima vitare ne incidat in grauiora. 118.4

Sapiens initia damni præuidet. ibid.1.
Sapricius.
Sapricius Presbyter ob proximi odium martyrio reiectus. 293.5
Saül.
Cur Saül eligendus in Regem, missus sit ad Rachelis sepulchrum. 192.9
Scelus, Sceleratus.
Sceleratus luet pœnas. 347.2
Scelera aliis exprobrantes vix ipsi absoluũtur. 313.22
Scientia.
Scientiæ, & sensus acceptiones variæ. 87.3.& seq
Quam parum scientiæ sufficiat ad salutem. ibid.5.& 6
Scientiæ vt instrumento ad pietatem addicamur. 88.9
Scientia, & charitate constat Christiana disciplina. 94. adnot.3
Scientia sine pietate quã noxia. 95.4.& 99.5.& 100.6
Scientia magnificos reddit homines, rerumque omnium contemptores. 96.4
Eos insuper accendit contra peccata. ibid.5
Scientia in Ecclesia deficiente, omnes virtutes deficient. 97.7
Scientia indiget charitate. 98. adnot.5
Scientia non alia quàm bonorum operum mensura commensuranda est. 102.adnot.6
Scientia sine charitatis operibus, noxia est, & dolorem affert. 830.adnot.3
Scientia se aliis præferre turpe est. 308.7
Scientia conditionatorum vtitur Chrysostomus. 240.12
Scriba.
Scribis aliorum sudores fluunt in calamo, charta, & atramento. 322.3
Scriptura.
Nihil in Scriptura testatius quàm Christum Dominum laboribus humanitatis gloriam adeptum. 350.10
Seditio.
Seditiones fidelium ipsos gratia, virtutibus, vitaque priuant. 293.4
Seditiones Ecclesiam vehementer angunt. ibid.19
Seditiosi Christi Passionem euacuant. ibid.
Securitas.
Securitas, vbi humilitas. 308.3
Nulla securitas in hac vita. 237.2
Secretum.
Secretum bonorum operum quantum Deus amet. 315.5
Secretum operum facit animus, non locus. 316.10
Seianus.
De Seiani superbia Dionis aurea verba. 8.6
Seneca.
Pauli familiaris. 200.8
Senecæ loquendi modus. ibid.
Senes, Senectus.
Senectuti mors proxima. 232.14
In senibus ira perexiguam habet materiam. ibid.15
Senectus cur animosa. ibid.
Dolendum senes gulæ, & lasciuiæ inseruire. 233.16
Sententia.
Sententia in reos lentè, consultoque ferenda. 186.1
Sepulchrum.
Sepulchra fundamenta sunt. 53.8
Sermo.
Sermo Domini ex eius fortitudine natus est. 328.4
Seruus, seruitus, seruire.
Seruitus Christi charitas, & amor est. 11.1
Seruitus omnimoda Christi libertas à peccatis est. ibid.2.
Serui Dei nomen proprium eius qui omnino se Deo tradidit. ibid.4
Ex lege seruitutis titulo creationis, & redemptionis omnia nostra opera in Dei obsequio collocanda esse. ibid.5
Dei seruitus in totum hominem descendit, nulla eius parte excepta, titulo redemptionis. 13.1
Seruitutem generat amor Christi, quia humilis. 14.1.& 2
Eam esse seruorum Christi conditionem, vt soluti, & in libertatem vindicati, sint. 15. adnot.4
Sibi seruire grauissima seruitus. 16.5
Quo magis exaggeratur seruitus erga Deum, eo magis crescit libertas. ibid.4.& 5
Seruitus Christi non solum libertas, sed ingenuitas regia. 17.8
Nulla maior seruitute vitiorum. 18.adnot.4. vbi multa de seruitute Christi, & vitiorum.
Qui Christo seruit, in ipso est omnibus superior. 18.16
Seruiens vitiis humi repit, qui Christo, quasi sydus in cœlo emicat. ibid.
Serui Dei nomen eximiam dignitatem præferre. 19.1.& seq.
Serui Dei nomen honoratius, quàm ministri, aut famuli. ibid.2.&20.7
Apud Christum seruitus, & libertas æqua lance librantur. 19.3.& 4
Imò aliqua ratione excedit serui nomen. ibid.
Deus exaudit preces seruorum suorum, quia quodammodo reueretur nomen serui. 20.5
Seruitus Dei similis velamini pretioso fœminarum, quod & subiectionem, & dignitatem præ se fert. ibid.6
Qui seruum Dei se dicit, reliquorum se Dominum profitetur. ibid.7
In seruitute Christi maxima lætitia. 21.1
Seruus ignauus Euangelij misericordia Domini sui sui abusus est in negligentiam 210.5
Iugum seruitutis Christi portatur humero tantùm vno. 21.2
Qui seruiunt Christo, quamuis is sit in excelso, fluunt ad illum, quasi flumina deorsum. ibid.3
Serui peccati dum vnicum Dominum Christum detrectant, in plures incidunt. ibid.4
Minus petit Deus, exigens ab hominibus obsequium, & seruitutem integram, & ex toto corde, quàm si exigeret dimidiatum cor, & obsequium 21.7
Mira Christi in suos seruos suauitas. 22.8.& 9
Propria voluntas, & dæmon sæuissimi Domini suorum seruorum, quia alieni; Christus suauissimus, quia proprius Dominus. ibid. 10. & 11
Alia de suauitate seruitutis Christi. 23.14
Serui Christi semper gaudent. 24.19
Serui Christi quoad speciem externam mœrent, interiùs summè gaudent. ibid.19.& seq.
Serui probi sæcularium Dominorum ingenio se accommodant, quid serui Dei debemus? 332.11
Seueritas.
Seueritas tandiu duret, quandiu ad aliorum correptionem necessaria est. 319.3
Sichem.
Sichem Princeps Dinæ amore æstuans Christi imago animam ardentis. 387.9
Sigillum, signaculum.
Signaculum impressam in se formam refert. 336.5
Sigillum suam formam aliis imprimit. 415.6
Silentium.
Silentium alienæ laudis inuidiæ adscribendum. 209.7
Silentium perficit liberalitatem. 315.5
Silentium venerabilius prolixis sermonibus. 12
Silentium ingentis voluptatis index. 300.7
Simeon.
Simeon veram libertatem exoptat ex Christi aspectu, mortem scilicet. 247

Simia.

Simia.

Simia aulicorum typus. 332.11

Similitudo.

Similitudinem superbi Adami qui gestat, Christo iniuriam infert. 330.9

Similitudinem Christi qui in se exprimit, clarissimas ducit vigilias. 332.11

Simon.

Simon Magus Petri iram iustissimè pertulit, quia Spiritum sanctum enundinare moliebatur. 362.8

Sincerus, sinceritas.

Vox *sincerus* quid significet? 107.5

Sinceritatis virtus commendatur ab Apostolo. 108.6

Singularitas.

Singularitatem vitet, qui in communitate degit. 81.6

Sion.

In monte Sion ad templum Salomonis alluditur Psalmo 42. 405.2

Societas, Socius.

Vide, Vnio.

Apud deprauatos socios facilè deprauaberis. 357.4

Societas bonorum nos cœlo innectit. 299.3

Socio omnino indigemus. 300.5

Societas dolorum generat inter contribulatos affectum. 305.2

Societas homines, alioquin exiguos, magnos facit. 307.10

Sit nobis omnibus eiusdem spiritus per amorem societas. ibid.11

Societas nostra lapidum fornicationi similis est. 308.12

Societas à contentiosis difficillimè seruatur. ibid.2

Societas Iesu.

Societatis finis non sibi soli, sed & saluti proximorum incumbere. 541.7

Maioris Dei gloriæ ergo nullum habet proprium domicilium. ibid.

Quidquid Societas literarum acquirit, proximis refundit. ibid.

Societas pro ministeriis, quæ exercet, nullum stipendium potest accipere. ibid.

In hoc Dei similitudo in Societate elucet, quod quæ gratis accepit, gratis tribuat. 541.8

Societas constituta in muros Ecclesiæ, contra hæreticos. 543.10

Societas ad occurrendum Caluinistis instituta. 539. adnot.9

Societatis filij cooperatores Iesu Christi. ibid.

Sol.

Solem fugit Christus beneficia sparsurus. 315.6

Cur Soli tabernaculum à Deo positum. 322.4

Solem vtcumque imitentur, qui soli esse volunt. ibid. 4.& 5.& 323.6

Sol & Luna si primò creati, & postea temporibus præfecti, cur ita contigerit? 358.6

Soldamus.

Soldami egregium apophthegma de odio Principum in veritatem. 168.4

Sollicitudo.

Inter sollicitudines & curas anima tranquilla, lilium inter spinas. 73.4

Solus.

Solus, & singularis periclitatur. 213.3

Miser, qui solus. 299.4

Soli volunt esse homines, sed errant. 300.5

Somnus.

Somnus lethalis occupat eum, qui Seruatoris exemplum non sequitur. 332.11

Sors.

Intra sortis tuæ metas te contine, ni velis à cœlestibus excludi. 365.14

Spatium.

Spatium breue, quod intra nos dæmoni damus, ipse dilatat. 309.5

Speculum.

Speculorum abusus, sed & recti vsus. 232.15

Spes.

Post pugnas, tribulationesque spes erigitur. 352.13

Spes eadem facit inuidiam. 345.8

Spes suas nemo non procul intendit. 233.17

Spes, in quo differat ab expectatione. 215.6

Spei fortes insistunt inter maiora infortunia, timidi desperant. 217.1

Spes residua est iustis in maximis periculis constitutis. ibid.

Spei fulcra ærumnæ. ibid. Bella. ibid. 2. Mors ipsa. 218.3

Spiritus.

Spiritui sancto, vt proprietas characteristica competit, esse donum. 35.4

Spiritus sancti cum Sole, fonte, & imbre similitudo. 51.2

Spiritum sanctum ad Patris, & Filij dexteram collocat Athanasius, & quo sensu. 499.65

Spiritus idem quod vita. 454.1

Spiritus sancti pleraque munera. 301.1

Suspiciosos Dei spiritus non agit. ibid.

In Spiritum sanctum mentitur, quisquis iustè gestis humanos honores aucupatur. 316.9

Spiritus sancti honores Christus procurabat. 346.10

Spiritus carni laborat. 242.20

Spiritus diuini munus est fideles amoris nexu copulare. 301.adnot.3

Spiritus sanctus Præsul, & Sol Ecclesiæ. ibid.

Spiritus sanctus ad instar Patris, & Filij diuinum aliquid producit. 302.3

Spiritum sanctum non participant discordes. 302.5

Spiritus sanctus leniter, & tranquillè tractandus. 304.10

Spiritus sanctus non postulat pro discordibus. ibid.11

Spiritus diuinus in se simplex, in nobis non potest esse nisi duplex. 303.7

Spiritus sanctus nullis terminis premitur, quominus se totum effundat. 380.2

Spiritus sanctus cur columbæ formam sibi reseruauerit. 411.15.& 412.17

Spolium.

Spoliorum quàm minimum habeamus. 332.13

Sponsa.

Sponsæ Christi dignitate non anteà potitur anima, quàm fuerit laboribus initiata. 280.6

Sponsæ amor omnium maximus. 427.11

Studia.

Studia eadem mutui amoris sunt argumẽtum. 292.6

Subditus.

Subditis medendum, non irascendum. 395.12

Successor.

Successor semper accidit prædecessori ingratus. 325.13

Sudor.

Sudor Christi Domini per totum corpus sparsus, & omnia eius membra sudare debere demonstrat. 352.1

Sudor Christi sanguineus passibilem illum demonstrat. 350.16

Superior.

Vide Prælatus.

Superiores non liberè loquuntur, si ad munus fauore sunt euecti. 362.6

Superior in omnes subditos extendat amorem, & prouidentiam. 81.2

Superior subditorum culpas in se coniiciat. 169.7

Superbia, superbire, superbus.

Superbus per elationem se à Dei elongat auxilio. 361.3
Superbi quò magis intumescunt, eò ampliùs euanescunt. 363.9
Quò aliquis superior est, eò minùs superbire debet, adeòque,& submissiùs se gerere oportet, quod magnorum virorum indoles est. 7.1.& seq.
Probatur exemplo Christi lauantis pedes discipulorum. ibid.2.& seq.
Item exemplo Dei formantis hominem. 8.4
Beatæ Virginis. ibid.
Christi exinanitione. ibid.5
Moysis exemplo. 9.7
Nulli faciliùs superbiunt, quàm qui ex ignobilibus nobiles,& qui fictitiam adscititiamque habent dignitatem. 8.5.& 6
Superbiæ,& elationis vitium nobilitatem dehonestat. ibid.6
Tam dedecet superbia viros, quàm fœminas ira. 10.13
Superbus cæcus est. 346.9
Superbus in Deum militat. 310.8
Superbiæ deprimendæ considerationes. 313.22
Superbus sua iactat bona, mala etiam sibi occultat, secus erga alios facit. 318.2
Quem superbum Christi demissio non pudefaciat? 326.3
Superbus diabolo similis est. 327.1
Superbus capite caret. 329.7
Superbia post Christi humilitatē impudētia est. 331.10
Superbis regnum dare non est Christi. 342.9
Superbia longè distat à magnitudine. ibid.8
Superbus peruersè Deum Trinum imitatur, dum singularis esse cupit. 264.4
Superbi desertum amant. 293.3.& 322.4
Superbia destruit vnitatem. 293.3
Superbus amicitiæ bono priuatur. 300.5 & 308.1
Superbus sensu ne sit, humilitatem qui habitu præfert. ibid.3
Superbia solet esse posthuma. 312.18

Supplicium.

Supplicia improborum differt Deus, ne quid detrimenti capiant iusti illis mixti. 280.7

Susanna.

Susannæ clamor veritatis,& innocentiæ suæ testimonium. 199.6
Susanna cur voce magna, senes verò duntaxat clamauerint. ibid.
Susannam impiorum iudicum iudicem innocentia constituit. ibid.

Suspendium.

Suspendium animæ, optima mortis expectatio. 231.7

Synagoga.

Synagoga vipera Christum sponsum interficiens. 274.5

Synesius.

Synesius Cyrenes Episcopatum summè refugit. 256.6

T

Tabes, Tabesco.

TAbes,& tabesco, quid? 423.6

Talentum.

Talentum, iusta mensura, & omnium maxima est. 463.12

Templum.

Templum Dei quo sensu dicantur fideles à Paulo. 6.25
Templum Salomonis Ecclesiæ symbolum. 154.9. cur lapidibus pretiosis iubeatur fundari. ibid.
Templum Dei cur vocemur ab Apostolo. 228.7.& 8
Templa Dei viua, viua quoque in se habeant sacrificia. ibid.9
Templi consecrandi ritus. 405.2.& 406.3

Tenere.

Tenere quid in Scriptura significet? 44.9

Tentatio.

Quàm turpe à minimis tentationibus Christianum vinci. 113.8
Tentatio meliores nos reddit. 246.11
Tentationibus animosè resistendum. 270.adnot.1
Tentatio ex ignauia nostra ne sumat animos. 271.4
Tentatione triumphata euadimus illustrissimi. 288.10
A tentationum multitudine multa nobis bona proueniunt. 503.1

Tepor, tepidus.

Tepor animam maculat,& deturpat. 117.12
Tepore suorum Deus contrahitur,& modefit. 229.11
Tepidi ad suæ conuersionis initia reuocantur. 292.5
Tepidorum periculum. 384.12

Terra, terrena.

Terra mouetur, vt Christo defuncto sepulchrum pateat. 226.2
Terrenorum amor instruit mortis venenum, odium destruit. 229.1
Terrenis renuntiandum. 227.2.& seq.
Terram super aquas fundatam somniantes Dei potentia abutuntur. 363.10
Terra Christo spirante concutitur mortuos paritura. 378.7

Terminus.

Termini mortalium ridiculi. 332.13

Testis.

Quisque sui melior testis. 315.7

Testator.

Testatorum vltimis voluntatibus nihil in Iure validius. 351.11

Testamentum.

Testamentum Christi in nobis tribulationibus portamus. 355.7

Theatrum.

In Theatris,& Circis sua Saluator non reliquit vestigia. 354.5
Theatra frequentantes Christianos reprehendit Augustinus. 69.15

Thesaurus.

Thesaurus in cœlo reponendus. 231.10.& 254.10
Thesaurum pretiosissimum sui despicientia recondit. 331.10
Thesaurus Ecclesiæ dignissimè in egentium vsus erogatur. 383.10

Tiberius Imperator.

Tiberio vitio vertebatur, omnia Reipub. munera ad vnius Seiani libitum distribuere. 76.5
Tiberius in iudiciis in cornu tribunalis assidebat, ne Prætorem curuli depelleret. 497.58

Timor, timere.

Vide Metus.

Timor Dei perfectus etiam tuta timet. 114.1
Quem timorem non expellat perfecta charitas? 115.3.
Timor ab amore nascens, qui paueat ad minimam offensam. ibid. & seq.
Timor Domini magister,& pædagogus. 119.2
Timor bonis animam cumulat, ac replet. ibid.3
Timidior quis quò in scientia, & spiritu prouectior. ibid.4
Timores mortalium plerumque sine causa. 269.1.& 270.2
Timor inter bellandum, certum necis argumentum. ibid.2
A timore hostium, non ab ipsis hostibus eripi petit Dauid. ibid.

De

De timidis actum est. ibid.3
Timoris,& doloris diuersitas. 299.4
Timeamus nobis cùm aliorum flagitia viderimus. 314.23
Timor ad obtinendú quod velis,infirmus est.395.11

Tolerantia.

Tolerantia efficacissima ad Christi fidem, virtutemq; suadendam. 195.per totam adn.
Tolerantia gloriam præcedit. 353.3. Vide tribulatio.

Tonitrua.

Tonitrui filij qui erimus. 227.2

Toxicum.

Toxicum lethalium succorum caput. 409.12

Trajanus.

Trajani humilitas plus gloriæ consecuta est,quàm superbia aliorum Imperatorum. 9.10

Tranquillitas.

Pro tranquillitate publica priuatam amittere gloriosum. 310.8

Tribulatio.

Vide labor.

Ex tribulationum tolerantia bene sperat Paulus de salute æterna,& perseuerantia fidelium. 66.12
Tribulationes perpessæ, prædestinationis sunt argumenta. 67.13
Tribulationibus Deus remuneratur sanctorum merita. 67.1.& 282.12
Tribulatio pædagogus est hominis, illum in officio continens. 67.1.& seq.
Tribulationibus pro Christo perpessis nihil honorificentius. 70.adnot.2
Tribulationes pro Christo paradisi gaudiis antefert Chrysostomus. 72.11
Tribulationes defensiones iustorum sunt. 74.8
Tribulationes vel corporis incolumitati prosunt. 214.4
Tribulationes virtutem maturant. 243.1.& seq.
Tribulatio patientiæ educatrix. ibid.3
Tribulatio iustos accendit in lucé,& odorem. ibid.4
Sine tribulationibus torpemus,inutiles,& mortui viuificamur illis. ibid.
Tribulationes virtutis scintillam ex hominibus, vt ferrum ex silice,excutiunt. 244.5
In tribulationum igne terræ nomen relinquimus. ibid.7
Tribulationes Dei sigillum in nobis imprimunt. 245.8
Tribulatio virtutis medulla. ibid.9
Tribulatio charitatem prodit. ibid.
Tribulationibus Pauli vita est aucta. ibid. 10
Tribulationum spinæ acriùs dæmonem, quàm tolerantes pungunt. ibid.
Tribulationum indiuidui comites solatia. 219.7
Dæmon armat quos tribulat. 246.11
Tribulationum venti in flores Ecclesiæ inuitantur. ibid. 13
Tribulationes vt præmium donantur à Deo. 278.1. & 282.12.& 13
Tribulationes pati Christi meritis nobis obuenit.ibid.
Tribulati diuinum propè. 278.adnot.1
Tribulatorum ministri sunt Angeli. 279.4.& 5
Tribulationes Reges constituunt. 280.6
Tribulationibus spósa percussa,quod in Deo honoris & virtutis est, imitatur; Dei namque verbum de vulnere emittit. 281.8
Tribulationes quærunt,& inueniunt fortes, ac corona dignos,timidos dedignantur. 281.10
Tribulationibus minoribus probat Deus,vt prouehat ad maiores. ibid.
Tribulationes cum fide componuntur.283.adnot.2. num.1.
Tribulatio improbi,certa de eius salute spes. ibid.4
Tribulatio mentem restituit. 284.8
Tribulationes etiam alienæ admonent. 283. 3. & 285.10
Per tribulationem, & tentationem Abraham Deo innotuit,Móyses exercuit. 287.5
Tribulationum cultura terrestrem plantam efficit cœlestem. 287.7
Tribulatorum gemitus vocaliores sunt apud Deum quibusuis precibus tribulantium. 295.9
Tribulationum via omnibus ad æternam vitam conterenda. 352.1
Tribulationum fornax ferrea fragilibus, perseuerantibus aurea. 353.2
Tribulationes Christianæ militiæ arma. 354.4
Tribulationibus adimplemus quod remansit ex Christi passionibus. ibid.6

Tribunal.

Nulli Catholicorum congruit adfectare pro tribunalibus sedere,postquá Christus Dominus stetit ante tribunalia. 326.3
Tribunal nummarium audita vtrimque licitatione, alteri addicitur. 362.7

Trinitas.

Trinitas super baptizatos inuocatur, vt illi similes in vnitate euadant. 264.4
In Trinitate nulla persona à sinistris sedet. 498.61

Turris.

Turris Dauid subsidio,& decori extructa. 409.12

Tyrannis,Tyrannus.

In ipsos tyrannos recidebant tormenta Sanctis inflicta. 173.adnot.2
Tyranni religionem Christianam vexantes, tandem veram fateri cogebantur. 274.2
Tyrannidem literariam sibi vendicare turpissimum. 308.3
Tyranni nec ad breue tempus suam audent dissimulare dignitatem. 338.3

V

Valentinianus.

Valentiniani Imperatoris rerú despectus.232.12

Verbum.

Verbum perfectum non est nisi quando ducit in rei cognitionem. 335.3
Verbi Dei auditor, quæ audit non solùm æstimare, sed & adimplere debet. 103.5.6.7.& 104.8
Verbum indecens emisisse non vult videri Christus. 280.7
Quæcumque verba obtrectationis in proximum,zelum Spiritus sancti non effugient. 304.10
Verba sunt clarus mentis index. 501.72

Veritas.

Veritas latebris dumtaxat erubescit. 198.1
Veritas angulos odit. 199.4
Veritas docendo persuadet. 200.10
Veritas apud Principes odium parit. 203.1
Veritas arcui similis,quam si de proximo iaculeris,reciprocantium more sagittarum,in te resilit. 168.4
Veritatem Principi deuunciaturus, calceamenta,sicut Moyses,hoc est,metum ponat. ibid.5

Verecundia.

Verecundia exular à contentiosis. 308.3
Verecundia vitiosa in Euangelico seruo mulctatur. 198.1
Verecundia grande solet esse tormentum. 299.4

Vermis.

Vermis adhibebatur purpuræ tingendæ. 10.12

Via.

Viarum Domini initium Christus. 329.6

In viam peccatorum omnes venimus, sed beati, qui non stant. 237.4

Vicinitas.

Vicinitas potentum cupidorum detrimentosa. 321.1

Vigilare.

Vigilat qui Christum imitatur. 332.11

Vincula.

Vincula pro Christi nomine ornamenta gloriæ erant S. Ignatio. 72.12

Vincere, & Vinci.

Vinci in disputationibus nemo patitur, etsi ratione se videat destitutum. 308.3

Vincit in contentione qui cedit. 309.4

Vinea.

In vineæ parabola mirè Dei amor in homines ostenditur. 389.5

Vinea à Deo derelicta, quæ nō tribulationum vomere proscinditur. 246.14

Vir.

Virum fortem aduersa non mutant; illa potiùs ipse in suum colorem trahit. 74.5

Virgo.

Virginis fama lubrica est. 346.11

Virgines fatuæ oleo charitatis destitutæ cœlo excluduntur. 294.6

Virgini animi demissio demandatur. 313.21

Virgines in Dei sponsas humilitate probantur. 328.4

Virtus.

Virtutis via principio difficilis, deinde facilis. 132.13

Virtutis studium quantis conatibus capessendum. 349.7

Virtutem esse omnium maximam humiliari. 350.9

Virtus potestatis fundamentum. 356.2

Virtutis causa summa cum libertate capessenda. 198.1.& seq.

Virtus libertate illustratur. 200.7

Virtus Domino caret. 15.1

De virtute plures magnificè loquentes, operibus illam vilipendunt. 103.5

Virtus vnicum hominis bonum. 108.adnot. 1

Virtus liberum exigit domicilium. 227.4

Virtus perfecta nō est, vbi charitas in proximos deest. 291.1

Virtutum fructus sine proximi dilectione acescunt. 292.2

Virtutes sine charitatis vinculo scopæ dissolutæ. 293.4

Virtutes aliæ sibi coniunctas molestias habent, quibus caret charitas. 300.6

Virtutes à natura non insitæ præter miserationis affectum. 308.12

Virtutum arbores vana gloria excidit. 311.12

Virtutis magna iactura est non pro omnibus humiliari. 313.21

Virtutis prima lex est, vt sancta sanctè agantur. 314.1

Virtutes eo iustum exornant, quod ipsi sunt ignotæ. ibid.3

Virtus vt luceat, occultetur, vt tenebrescat, luceat. 315.3

Virtus tuba non indiget, vt aliis publicetur. ibid.7

Virtus ipsa, non eius fama, animum explet. 316.8

Virtutem gloria vera sequitur, sed nolentem. 318.14

Virtutem custodit humilitas. 331.10

Virtutes vt possibiles hominibus probaret, Christus noluit puer occidi. 332.12

Virtus aduersis maturescit. 243.1.& seq.

Virtutem latentem tribulationes excutiunt, vt ferrum ignem ex silice. 244.5

Virtus duritie exstruitur, destruitur mollitie. ibid.6

Virtus non examinata non magnam laudem meretur. 245.8

Melius virtutis theatrum conscientia. 315.7

Virtutis cultores cum nummis componuntur. 314.1

Virtutum difficultates audentibus formicæ, pauentibus leones. 272.7

Virtutis penè apparentes labores fugiens in veros incidit. ibid.

Virtutis difficultates in dies fiunt maiores. ibid.

Cum virtutis difficultatibus ludit magnanimus. 265.9

Viscera.

Per viscera amor exprimitur blandissimus, & tenerrimus. 77.7

Item amor fortis, & proiectus. ibid.8

Viscera misericordiæ insignem pietatem denotant. 289.3.& 378.6

Vita, Viuere.

Vitæ breuitas loquendi fiduciam parit. 200.8

Viuendum non quandiu iuuat, sed quandiu oportet. 215.7

Vita Christiani sine proximi charitate imperfecta, & manca est. 292.1.& seq.

Vita Christianorum in vnitate consistit. 293.3

Vita ægritudo quædam est. 298.1

Sibi non viuit, qui nec aliis. 300.6

Vita charitas est. 301.2

Vita præsens hyeme, futura æstate significatur. 310.11

Vita solùm propter Christum sustentanda. 222.4

Vitæ præsentis finis futuræ principio cohæreat oportet. 230.adnot.3

Vita tot malis scatet, vt mors sit illi remedium. 233.1.& seq.

Vitam nobis breuem ideò Deus præfiniuit, vt eius molestiæ, quia prosperitate non poterant, temporis exiguitate finirentur. ibid.

Vita laborum plena, pœna peccati. 234.2.& 223.7

Vitæ lignum degustatum mortalium damnum efficeret immortale. 234.3

Vita naufragium. ibid.4

Vitam laboriosissimam amamus. ibid.

Vita longæua supplicium, & vindicta Dei. 235.6.& seq.

Vita mors multiplex. 236.8

Vita poriori iure mortis nomen meretur. ibid.8.& 9

Verè viuimus quando Deo præsentes sumus. ibid.9

Vita hæc peccandi periculis plena. 236.1.& seq.

Vita hæc afflictionis, tenebrarum, & mortis locus, vbi vt homines morimur, qui Dei facti sumus. 238.5

In hac vita lacrymabili est pugna etiam iis, quibus est læta conscientia. ibid.

Vita iustorum pretiosissima, quam tamen Deus prodigit, vt periculis eripiantur. 239.9

Vita peccatoris mortis, & delictorum fœnus. 240.13

Vita sine tempestatibus mare mortuum. 245.8

Viuendum sine voluptate, cum voluptate morituro. 248.4

Vita carcer est. ibid.5

Dum viuimus semper nobis aliquid carnalis affectus adhæret. ibid.

Vita præsens futuræ semen. 251.2

Vita hæc, flos æterni fructus. 253.6

Vita Principum non tam sua, quàm suorum. 256.7

Vita immaculata maledicentium frenum. 262.5

Vitæ miserias præsentiens Zara intra parentis se vterum recepit. 272.8

Vita præsens, non deliciis vacando, sed tribulationes perferendo est. 505.7

Vitia.

Vitia sæpe contraria iubent, illisque obsequi, pluribus est obsequi Dominis. 21.5.& 6

Vitiū tenebras, dolos, suppressaq; verba ambit. 260.7

Vitia, quæ non videntur, sæpe sunt magis composita, quàm exhausta. 343.11

Vires

Vires aliquibus,non vitia desunt. ibid.
Vitiorum remedium amicitia. 299.3

Vitis.

Vitis similitudine ostendit Christus nonnihil de iure filiationis naturalis in nos deriuari. 33.7
Vitis amicitiæ symbolum. 299.3

Vitulus.

Cur vitulus aureus egressus est, proiiciente Aaron in ignem auro? 39.3

Vltio.

Vltio,etsi vires suppetant,non sumenda. 319.3

Vnio,vnitas,vnire.

Vide Societas.

Vnio fidelium virtutum stimulus. 290.7
In vnionem mutuam impellunt nos Christiani nominis professio, solatium ex illa perceptum, & ipsa humanitas. ibid.8
Vnitas Christianorum vita. 293.3
Vnitas fidelium,Ecclesiam cœlum facit. ibid.4
Vnimur cum Deo, & proximis per Eucharistiam. 295.10
Pro vnitis persoluit Christus redemptionis pretium. ibid.
Vnitos Christus Dominus perquirit discordibus relictis. 293.3.& 297.15
Venter sponsi,iusti inter se vniti. ibid.18
Vnitas personarum maxima Deo gloria, quam imitantur fideles vniti. 302.2
Vnitos tantùm viuificat Spiritus sanctus. ibid.5
Vnitas si à mortalibus teneretur, diuinam propè vitam viuerent. 306.6
Vnitas rebus tribuit elegantiam. ibid.7
Vnitatem fidelium sub vnius corporis imagine exigit Apostolus. ibid.8
Vnitati seruandæ omni studio opus est. 323.9
Vnitatis vinculum laxant, & discindunt praui affectus. 324.11
Vnio fidelium trium diuinarum personarum vnionem imitatur. 263.3
Vnitas ad fidei pugnam. 262.4
Vnio primitiuorũ fidelium effectus orationis Christi. 263.3
Ex vnitate fidelium maxima Deo gloria accrescit. 266.3
Vnitas fidelium efficax Euangelij prædicatio. 263.3. & 264.4
Figuratur lancea, quæ Christi Domini latus aperuit. ibid.
Vnitas Christianorum plus splendoris parat religioni,quàm doctrina,& miracula. 266.4
Bellum dæmoni indicit vnitas Christianorum.267.5
Vnio beatissimos reddit, & ad omnia consequenda efficacissimos. 268.9
Vnitas victrix. ibid.10
Vt vnioni mutuæ prospiciamus, multum iuri nostro cedere debemus. ibid.11
Vnio fidelium Spiritus sancti munus. 301.adnot.3
Christiana religio diuersos vnum efficit. 264.4
Vnus iure dicuntur omnes iusti. 263.3
Vnus cum cæteris fidelibus fit,quisquis voluerit Deo in hac vita assimilari. 264.4

Vniuersum.

Ad vniuersi compositionem diuersa mutuo sui diuortio conspirant. 309.6
Vniuersi partes ipsius vsibus,vtilitatibusque seruiunt. 310.8

Volens,Voluntas.

Volenti nihil est graue. ibid.
Voluntas amici,alterius amici norma. ibid.6
Qua voluntate dicamur ab Apostolo sanctificati. 374.5

Voluptas.

Voluptatis summæ signum est silentium. 300.6
Voluptas à virtute petenda,non aliunde. 316.8
Voluptatibus, vitæ retinaculis, abscissis, faciliùs vita contemnitur. 229.2
Voluptatum repudio ad mortem instruimur. ibid.
Voluptatibus deditі,cæci, mendici, & à regia indole degeneres. 422.3
Voluptatum appetitio, ignobilis vulgi proprium votum. ibid.4
Voluptuosi quam vicem Christi passionibus rependant. 355.8

Vox.

Vox magna tanquam tubæ à Ioanne audita,quid sit. 199.4
Vocis eiusdem non semper eadem est significatio. 334.3

Vsurarius.

Vsurario calamus,atramentum,& charta,sunt pro instrumentis cęterorum Reip.munerum,quibus sine labore victum quærat. 322.3

Vtilitas, Vtile.

Vtilis mensura non à terrenis, sed ab æternis bonis sumenda. 109.4
Vtilitates propriæ negligendæ,alienæ curandæ. 319.3.& seq.
Vtilitatis propriæ nimius amor amicos,fratres,parentes,numen ipsum post se ponit. 319.3
Vtilitates affluunt cùm propter alium renuntiantur. 324.10
Vtilitatibus propriis consulentes impetum faciunt in Rempublicam. 325.13
Ad aliorum vtilitates curandas, nostris neglectis nos vrget Paulus Christi exemplo. 348.6

Vulgus.

A vulgo tutus es,si nihil inde concupiscas. 332.13

Vultur.

Vultur exiguis alitibus non modò parcit, sed etiam præsidio est. 203.1

Vxor.

Vxori diuiti plus nubit,quàm ducit egenus. 385.3

Z

Zacharias.

Zacharias pro aliis orans suis rebus remedium impetrauit. 325.14

Zaram.

Zaram cur manum nasciturus retraxerit. 272.8

F I N I S.